




BIBLIOTECA NA
XII
H
10
NAPOLI







SUMMA CHRISTIANA

SEU

ORTHODOXA MORUM DISCIPLINA

Ex Sacris Litteris, Sanctorum Patrum monumentis, Conciliorum Oraculis, Summorum denique Pontificum Decretis,

FIDELITER EXCERPTA.

In gratiam omnium ad ædificationem corporis Christi (quod est Ecclesia) incumbentium elaborata.

Operâ & studio M. BONI MERBESII Mondiderini, Diœceseos Ambianensis Presbyteri, Prædicatoris & Doctoris Theologi.

TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS,
Sumptibus ANTONII DEZALLIER, viâ Iacobæâ, sub signo Coronæ aureæ.

M. DC. LXXXIII.
Cum Approbatione & Privilegio ad annos XX.

INDEX
QUÆSTIONUM
ET CONTROVERSIARUM
IN TERTIA DE AUGUSTISSIMO
EUCHARISTIÆ SACRAMENTO
DISSERTATIONE TRACTATARUM.

Numeri quibus astrisci junguntur, denotant primam hujus II. Tomi partem, quæ est de Eucharistiæ Sacramento.

Index Quæstionum de Eucharistia.

Secundi Colloquii inter Catholicum & Hæreticum instaurati sectiones seu argumenta ultro citróque prolata

Heterodoxos, & postea delabimur ad ejusdem sacrificii celebrationem, qua ad Sacerdotes propriè loquendo pertinet. Et sic totam Eucharistia Dissertationem duce & auspice Christo Domino, cujus gloriam in omnibus & super omnia quærere ardentiùs expetimus & flagitamus ab ipsomet Christo, ad optatam finem & nostram ipsorum & proximorum ædificationem perductum iri concupiscimus; & per divinam misericordiam cum Christiana fiducia speramus.



Index quæstionum, quæ in altera parte hujus Dissertationis de augustissimo Eucharistiæ sacramento continentur & explanantur.

****

Index quæstionum, quæ in tertia hujus Dissertationis parte ad incruentum Eucharistiæ sacrificium pertinente discutiuntur.



INDEX QUÆSTIONUM

QUÆ IN QUARTA

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO

DISSERTATIONE TRACTANTUR.

Index Quæstionum de Pœnitentia.

ELENCHUS
QUÆSTIUNCULARUM
QUÆ IN QUINTA DE SACRAMENTO
EXTREMÆ-UNCTIONIS
DISSERTATIONE EXPLANANTUR.



I N D E X
QUÆSTIUNCULARUM
QUÆ IN SEXTA
DE ORDINIS SACRAMENTO
DISSERTATIONE CONTINENTUR.

Quæ-

INDEX QUÆSTIONUM
QUÆ IN SEPTIMA
DE SACRAMENTO MATRIMONII
DISSERTATIONE TRACTANTUR.

de



DISSERTATIO



DISSERTATIO TERTIA DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.



CUM hactenùs in explananda duo Sacramenta, Baptismum scilicet, & Confirmationem, toto pectore incubuerimos, jam nativus Sacramentorum ordo postulat, ut ad Eucharistiam accuratiùs explicandam aggrediamur. Licet enim omnia Sacramenta singulari dignitate, utpotè omnium gratiarum fontem amplexa longo superet intervallo, in dispensatione tamen tertium dumtaxat obtinet locum: Siquidem hominem ab sacrilego parente, atque adeò ab origine vitiatâ proseminatum, in Christo regenerari, & Spiritu sancto inungi, & per regale chrisma (ut loquuntur sancti Patres) corroborari necesse est, antequàm divinâ Christi carne in admirabili hoc Sacramento ali reficique valeat. Quod cum ità sit, ad hanc dissertationem aggredi operæpretium est, eamque duas in partes præcipuas partiri. Quarum prima præfatum Sacramentum sub ratione Sacramenti, altera verò sub ratione Sacrificii intuebitur & pertractabit.

Verùm ut hujus tractatus quantum sit momentum eluceat, non erit absonum, si in ipso iam tùm ejus exordio percenseamus pleraque nomina & epitheta, quibus ejus amplitudinem orthodoxa traditio reseravit. Sit itaque

---

QUÆSTIO I.

Quænam sint præcipua nomina quibus hoc Sacramentum donatum est, & ab aliis distinctum.

1. HOc Sacramentum Eucharistia dicitur, id est grata beneficiorum recordatio, vel (quod magis nostro congruit instituto) gratiarum actio: Est enim ea vox deducta, ἀπὸ τοῦ Εὐχαριστεῖν, id est, ab agendis gratiis. Hanc vocem & eo significatu usurpavere sancti Patres, S. nimirùm Ignatius Archiepiscopus Antiochenus & Martyr in Epistol. ad Philadelphios: item S. Justinus Philosophus Christianus & Martyr in 1. Apologiâ (quam vulgò secundam vocant) cœleste alimentum, id est Corpus Christi Eucharistiam appellat.

Item sanctus Irenæus secundus Lugdunensium Archiepiscopos & Martyr (quem sanctus Hieronymus & Basilius virum Apostolicum, & Apostolicorum temporum appellant) eâdem Eucharistiæ voce Sacramentorum maximum designat lib. 4. adversus hæreses cap. 34. sicut & S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 4. mystag. S. Augustinus Epist. 118. & alii.

Quam meritò huic Sacramento Eucharistiæ nomen sancta indiderit antiquitas, sequentium rationum explanatio declarabit.

Prima hujus rei ratio petitur ex eo, quod Christus Jesus instituens admirabile hoc mysterium gratias æterno Patri (quod erat illi solemne) egerit: ut memorant tres Evangelistæ, & Apostolus 1. Corinth. c. 11. nusquam enim aliquod opus, vel insigne quodpiam miraculum edere parabat, quin dignas æterno Patri grates persolveret, ut doceret a nobis uni Deo acceptum ferri oportere, quicquid ad nostram salutem pertineret. Ad hanc nempè Religionem nobis facem prætulit ille ipse, qui licet non arbitraretur rapinam se esse æqualem Deo, omnia tamen quæcumque gessit in terris admiranda ad æternum Patrem velut ad authorem retulit, Quod & maximè factitavit in institutione Eucharistiæ.

Tunc enim gratias amplissimas habuit æterno Patri, tàm propter immensa beneficia, quibus cumulaverat suam humanitatem cum Verbo divino in unâ eâdemque hypostasi æterno vinculo conjunctam, quàm propter inenarrabilia dona, quibus humanum genus horrendâ primi hominis culpâ profligatum affecerat. Egit videlicet gratias tum quod in ipso inhabitaret omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & quia omnia dederat ei Pater in manus, tum quod omnia Redemptionis humanæ mysteria veteris instrumenti figoris adumbrata, & Prophetarum oraculis pronuntiata compleverat, dando filium suum unigenitum, ut qui crederet in illum, non periret, sed haberet vitam æternam.

Secunda ratio.

Repetitur ex eo quod per Eucharistiam ceu per verum

& unicum novi Testamenti Sacrificium agimus Deo gratias, quibus referendis alioquin impares essemus. Ac reipsâ quidem inter divina mysteria, Passionis præsertim, Resurrectionis & Ascensionis Jesu Christi memoria recolitur, & cum memoris animi testificatione ab populo Christiano per totum terrarum orbem longè latéque celebratur. Hoc enim imperatum est ab summo Sacerdote Christo, qui ut refert Apostolus 1. Corinth. cap. 11. bis, nempè post consecrationem panis, & post consecrationem calicis, illud ipsum quod fecerat, in sui commemorationem fieri præcepit, quotiescumque ipsius corpus sub speciebus panis contentum manducaretur, & ejus sanguis sub vini speciebus abditum biberetur: Ità tamen ut quoties id fieret, mors ejus in cruce oppetita recoleretur, & annuntiaretur donec veniret in sede majestatis suæ, & orbem terræ in æquitate judicaret. Quod luculenter explicat S. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum cap. 19. *In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem Sacrificio gratiarum actio, atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quam pro nobis idem Deus effudit.*

Quid quod Sacerdos mox divina mysteria peracturus jubet populos attollere corda sursùm, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens, id est, imperat quæ sursùm sunt sapere, non quæ super terram, & ubi responderunt populi se habere corda ad Dominum elata, statim Sacerdos pro tanto tamque singulari beneficio gratiarum actiones indicit, quas ubi dignas & justas esse professi sunt Christiani Catholici, subdit idem Sacerdos esse verè dignum, justum, æquum & salutare, gratias agere Deo per Christum Dominum nostrum, quem veluti vicariam ejus operam præstans oblaturus est, & præsentem mox redditurus ceu victimam, quâ debitus Deo cultus adhibeatur, quâ peccatorum remissio hominum generi indulgeatur, quâ dignæ Deo gratiæ referantur ob innumera beneficia, quibus totum terrarum orbem at præsertim Christianos singulis momentis complectitur: quâ denique omne donum perfectum descendens à Patre luminum seu omne salutis præsidium per infinita ejus merita impetretur.

Tertia ratio.

Petitur ex eo, quod hoc Sacramentum contineat Christum Jesum omnis gratiæ authorem & fontem, de cujus plenitudine accepimus omnes, & etiamnùm accipimus per omnia Sacramenta, & maximè per illud, de quo prædicamus, utpotè quod non gratiarum rivos, ut cætera, sed inexhaustam ipsius fontis plenitudinem nobis dignè, &, ut par est, ad ipsum accedentibus impertiat. Indè illi Eucharistiæ nomen inditum est, hoc est bona gratia, vocatum est. Id enim Græcum Eucharistiæ vocabulum significat, ut testatur Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. cap. 2. sicut & Isidorus Hispalens. lib. 6. Origin. cap 19. quod totum est de Officiis. *Panis*, inquit, *& Calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi?* Hæc ille.

Reverà hoc Sacramentum est bona gratia, eo quod sit augustissimum Passionis Christi monumentum: eo quod plenitudinem gratiæ conferat fidelibus, & futuræ gloriæ pignus iisdem impertiatur. Et profectò quotquot cum debitâ Religione, & Humilitate, & Charitate Christi carnem adorandam & sacrosanctum sanguinem divinum nostræ Redemptionis pretium percipiunt, æternæ vitæ omnibus sanctis præparatæ sanctimoniam delicias, & omnium bonorum redundantiam in hoc inenarrabili mysterio prægerpunt. Undè sacrosancta Synodus Tridentina session. 13. cap. 8 hortatur omnes & singulos, qui Christiano nomine censentur, ut hæc sacra mysteria corporis & sanguinis Christi, eâ Fidei constantiâ, & firmitate, eâ animi devotione, eâ pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Hactenùs Concilium quod hisce verbis satis superque declarat eos, qui corpore Christi & sanguine vescuntur, ità ut eorum anima de Deo saginetur per veram illam spiritualemque manducationem jam in, antecessum esse beatos, eo tamen discrimine, quod in terris adorandam Christi carnem, sacris velaminibus contectam percipiant: Beati autem in cælis illam ipsam carnem absque ullo velamine comedant. Undè apud antiquos cernere erat plurimos qui perceptâ Eucharistiâ tanto tamque incredibili gaudio deliquescebant, ut sic tanquam suæ vitæ obliti, imò ab sensibus abalienati præ lætitiâ ad Martyrium sponte & ultrò ceu sancto quopiam impetu perciti prosilirent. Undè Religioni ducebant omnes Christiani vel minimum quid admittere, aut suscipere quod eam hilaritatem & lætitiam infuscaret: Siquidem jejunia & alia id genus doloris vel mœroris argumenta, ab diebus Communioni dedicatis procul ablegare consueverant. Hujusmodi gaudia toto corporis habitu testata faciebant. Cum enim ad cælestes eas epulas erant admoti, non advoluti genibus, non humi prostrati, ut alias, sedere-cti concipiebant preces, quasi in cælum, in quod intuebantur, percepto cælesti cibo statim essent evolaturi. Quid quod gaudia tacitum illis pectus pertentantia erumpebant, per mutuos amplexus & oscula, quæ sibi invicem defigebant ardentiùs & arctiùs, quasi suorum gaudiorum oblectamenta, in fratrum præcordia effundere conniterentur. Porrò hi dies sacris epulis consecrari vocabantur ab ipsismet fidelibus, dies lætitiæ, dies remissionis, dies immunitatis, dies solemnes, dies festivi: Utpotè qui unis dumtaxat gestientis lætitiæ indiciis sese undique proferentibus ab aliis sine ullâ tergiversatione secernerentur: Ut annotavit Albaspinæus observ. lib 1. observ. 12.

Ex his colligere est quanto ardore & affectu hoc Sacramentum suscipere & quantâ devotione pro illo, & per illud omnium beneficiorum, quibus singulis hujus vitæ momentis ab ipso Deo per Christum afficimur, gratias agere debeamus. Primò igitur hoc Sacramentum Eucharistiæ dicitur.

Secunda Eucharistiæ nomenclatura.

Hoc Sacramentum panis vivus & supersubstantialis dicitur.

1. Dicitur panis, tàm propter materiam ex quâ confectus est panis, qui verbis mysticis consecratur, quàm propter accidentia post consecrationem remanentia quæ speciem panis sensibus ingerunt. Vel hoc Sacramentum panis denominatur, eo quod fidelium animas alat, & iis robur & vires præbeat, certiùs, quàm panis, quo vulgò vescimur, & ideò cor hominis confirmare dicitur: ex hâc nomenclaturâ derivata est phrasis Scripturæ participationem corporis Christi appellantis fractionem panis Luc 24. & Act. cap. 2. Ità porrò dicebatur sacra Communio, vel quia olim in Ecclesiâ frangebantur hostiæ in plures particulas juxtà numerum eorum qui ad Sacrificium sacramentaliter communicaturi accesserant: vel quia frangere panem in scripturis idem sonat ac panem seu cibum capessere, ut patet ex Act. cap. 2. v. 46. ubi memorantur primi Christiani fregisse panem circà domos, & sumpsisse cibum cum exultatione & simplicitate cordis, vel quia frangere panem idem sonat ac distribuere, undè institutum Sacramentum Christus fregisse dicitur Luc. 22. cap. v. 19.

Ille ipse panis dicitur vivus & vivificus, quia reverà omnes qui illum, ut par est, & dignè Deo suscipiunt, ad vitam spiritualem & æternam provehit. Ut patet ex pluribus Scripturæ locis, at præsertim ex 6. cap. Joan. in quo Christus sese sui corporis & sanguinis mysteria traditurum esse pollicetur. *Sicut*, inquit, *misit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quasi diceret: Sicut me misit vivens pater, quando me hominem fecit divinitatem humanitati in hypostaseos unitate conjungendo, & ego vivo propter Patrem, quia ut Deus vivens à vivente sum generatus, & ut homo vitam divino-humanam, & omni gratiarum plenitudine cumulatam accepi: ità & qui manducat meam carnem in Sacramento, sibi porrectam, etiam ipse vivet propter me, utpotè qui meam habeat vitam, seu mihi viventi per veram meæ carnis manducationem sit arctissimo vinculo conjunctus.

Dicitur etiam panis supersubstantialis: & hunc panem à nobis flagitari in oratione Dominicâ plerique Patres docuerunt, Tertullianus scilicet & S. Cyprianus explicantes eam petitionem orationis Dominicæ, panem nostrum quotidianum, &c. Undè plerique hanc petitionem tàm de cibo corporis, quàm animæ, hoc est de Christi corpore intelligendam esse censuerunt, ut putà Theophylactus in hunc Evangelii locum, & S. August. lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 7. & alibi. Ità ut ejus loci sit quasi duplex sensus, unus litteralis, & alter quasi mysticus, sed æquè principaliter intentus. Et quemadmodum cibus communis quo vitam hanc sustentamus & prorogamus dicitur supersubstantialis, Græcè ἐπιούσιος idest, ut interpretatur S. Gregorius Nyssenus, substantiæ nostræ conservandæ aptus & idoneus, vel sufficiens, vel necessarius, ut volunt alii, & præterea Luc. 11. secundùm vulgat. quotidianus vocitatur, quia illo quotidiè egemus; ità & Eucharistia panis est supersubstantialis, utpotè qui de cælo descendit, & est idoneum suprà quam dici potest, animarum alimentum, & est panis quotidianus: Siquidem animæ nostræ non minùs, quàm corpora quotidiè suo cibo indigeant.

Tertia Eucharistiæ nomenclatura.

Hoc Sacramentum dicitur etiam viaticum. Hujusmodi vocabulum significat cibos aut pecunias ad itineris præsidia necessarias quas viatores circumferunt, ut loquuntur Philologi, at apud scriptores Ecclesiasticos sumitur ut plurimùm pro communione, seu restitutione in societatem fidelium, reddi solitâ excommunicato, cui mors imminere crederetur, aut conjiceretur. Undè tot recenseri possunt viatici genera quot sunt modi, quibus aliquis in fidelium societatem restitui potest. Non ergò sola Eucharistia Viaticum appellatur.

Ut autem id luculentius appareat, observandum est Viaticum in generali significatione acceptum, in duo genera dividi. Nam

Unum est quod Ecclesia excommunicato tribuere consueverat.

Alterum, quod unusquisque sibi accersebat & applicabat. Et hujus viatici nomine censebantur opera pietatis, ut puta orationes, eleemosynæ, &c.

Iterùm Viatici quod impertiebatur Ecclesia, duo erant genera, alia nimirùm absolutè necessaria ad salutem, qualis est Baptismus Catechumeno, & Pœnitenti absolutio: Alia verò non merè necessaria, sed ad majorem gratiæ cælestis accessionem procurandam idonea morituris concedebantur, ut scilicet adversus tentationes in eo rerum articulo acriores fortius & constantius dimicarent. Hujusmodi erant Confirmatio, Eucharistia, & Extrema Unctio.

His ita positis,

Constat apud eruditos Canonem 13 Concilii Nicæni, & Can. 6. Concilii Ancyrani, intelligi oportere non de Eucharistiâ, sed de reconciliatione seu absolutione, quæ necessariò requirebatur ad salutem. Quod patet ex aliorum Conciliorum Canonibus, ut Canone 9 Concilii Bercendensis, in quo Patres Pœnitentiæ benedictionem vocant Viaticum: *Pœnitentiæ benedictionem*, inquiunt, *quam Viaticum deputamus per Communionem acceperit.* Quod de Eucharistiâ intelligi nequit. Neque enim ullus unquam Eucharistiam, Pœnitentiæ benedictionem vocavit. Undè in illo Canone Pœnitentiæ benedictionem vel Communionem accipere, nihil est aliud, quàm unâ eâdemque benedictione Pœnitentiæ donum cum reconciliatione accipere. Nam raró cum Pœnitentiâ acceptâ porrigebatur Eucharistia. Quod satis declarat cap. 3. Concilii Arausicani I. in hæc verba: *Qui recedunt de corpore Pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoriâ manûs impositione eis communicare, quod morientis sufficit reconciliationi, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter Viaticum nominaverunt.*

Hisce verbis constat absolutionem peccatorum & simplicem reconciliationem nullo quarumdam cæremoniarum ritu conferri solitam designari per Viaticum, non autem Eucharistiam, quæ nemini porrigebatur, quin Pœnitens reconciliatoriam manus impositionem & quidem majorem recepisset.

Huc accedit quod Concilia distinguunt Viaticum absolutionis ab Viatico Eucharistiæ, ut constat ex Canone 77. Concilii Carthaginensis IV. ex Can. 9. Concilii Gerundensis, ex Can. 19. Conc. Epaunensis, ex Can. 24. Conc. Aurel. III. & aliis.

Ergò non semper Viaticum Eucharistiam significat in Conciliis, invaluit tamen usus posterioribus sæculis, ut ea Viatici vox uni dumtaxat Eucharistiæ Sacramento tribueretur, eò quod semper fuerit Viaticum tutissimum, absolutissimum, & potentissimum. Undè in Concilio Ilerdensi V. vocatur absoluta reconciliatio & perfectissima.

Undè Clemens Alexandrinus lib. 1. stromat. eam vocat vitæ æternæ Viaticum: *Qui in verbis veritatis*, inquit, *germanè & sincerè sunt educati, accepto vitæ æternæ Viatico sublimes feruntur in cælum.* Hæc ibi.

Præter hæc quæ recensuimus, alia nomina Eucharistiæ tribuuntur. Nam à materiâ ex quâ conficitur Sacramentum panis aut calicis appellatur: aut à re contentâ, Sacramentum corporis & sanguinis Domini dicitur: vel à loco in quo conficitur, Sacramentum altaris appellatur: Undè Optatus Milevitanus lib. 6. advers. Parmen. de altari sic loquitur: *Quid est*, inquit, *altare, nisi sedes corporis & sanguinis Domini?*

Præterea, quod eodem recidit, vocatur Eucharistia mensa Domini, hoc est altare, ut luculenter explicat Concilium Tridentinum session. 22 cap. 1. ubi versat Apostoli locum 1. Corinth cap. 10. v. 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum:* quem aiunt istius Concilii Patres de altari intelligi oportere, atque adeò Eucharistiam non solùm esse Sacramentum, sed etiam veri nominis Sacrificium: cum Sacrificium in altaris definitione includatur, *Non obscurè*, inquiunt, *innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens.* Ità illi.

Altare autem per mensæ Domini nomen designatur per tropum, quem Rhetores Metalepsin appellant: Est enim iste tropus transsumptio, quæ ex alio in aliud viam præstat; id est unâ re cognitâ in alterius eidem adjunctæ notitiam perducit. Igitur mensa Domini est ea, ex quâ fidelibus ministratur cibus cælestis, id est corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi; est igitur vel altare, vel altaris notitiam non obscurè significat, quippè quæ ipsum necessario præsup-

ponat. Neque enim alibi Corpus Christi, præterquam in altari ex Apostolicâ traditione consecratur. Huc accedit, quod mensa pro altari usurpatur in scripturâ ut Isaiæ cap. 65. v. 11. *ponitis fortunæ mensam & libatis super eam*. Et Malach. cap. 1. v. 7. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: in quo polluimus te? in eo quod dicitis: mensa Domini despecta est.* Unde patet hoc loco altare per mensam significari. Quod & clariùs indicatur v. 12. *Et vos polluitis illud in eo quod dicitis, mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud devorat.*

Hæc igitur mensa, cui hostiæ imponebantur, & comburebantur igne cælitùs illapso, erat altare: nullibi enim præterquam in altari victimæ imponebantur.

Illam ipsam veritatem pulcherrimè illustrat Sanctus Augustinus serm. 1. de Festo S. Cypriani Martyris, qui est centesimus decimus tertius de tempore: *Sicut nostis*, inquit, *quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco (in quo propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani) mensa Deo constructa est, tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsâ immolatione suâ paravit hanc mensam, non in quâ pascat sive pascatur; sed in quâ sacrificium Deo, cui ipse oblatus est, offeratur. Sed ut mensa illa quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc causa est: quia ut illa modo cingatur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à persequentibus. Ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur. Postremò ubi illa erecta est, ibi prostratus est.* Hæc ibi.

Ex his patet esse in Apostoli loco, in quo de mensâ Domini, & de mensâ Dæmoniorum prædicat, duplicem metalepsin, unam in verbo (*mensa*) quæ vel altare significat, vel altaris notitiam indicat: alteram in hoc verbo (*altare*) quod liquidò sacrificii necessariam significationem præ se fert, & in ejus cognitionem inducit. Nunquam enim altare erectum legitur, quin ad sacrificium offerendum ejus extructio referretur.

Præterea hoc Sacramentum dicitur σύναξις id est collectio, congregatio, conventus, ut videre est apud S. Joannem Chrysostomum hom. 27. in priorem ad Corinth. & apud Dionysium in lib. de Hier. Ecclesiast. cap. 3. quæ vox usurpatur ab sanctis Patribus, vel pro conventu ad percipiendam Eucharistiam fieri solito (cujus meminit Apostolus 1. Corinth. cap. 11.) vel pro ipsâ ejusdem Eucharistiæ celebratione & perceptione. Congregabantur enim primi Christiani unum in locum, ut tanti mysterii participes unà fierent, atque ita secum invicem arctissimo perfectissimoque charitatis vinculo colligarentur.

Postremò hoc ipsum Sacramentum Communionis nomine designatur. Quod insigniter explicat Arnoldus Carnotensis, seu quis alius Author sermonis de cænâ Domini, qui inter opera Cypriani legitur. *Hæc*, inquit, *quoties agimus (id est mysteria) non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncerâ panem sanctum frangimus & partimur, dum quod divinum, & quod humanum est, distinguimus, & separamus, itemque simul separata jungentes, unum Deum & hominem fatemur. Sed & nos ipsi corpus ejus effecti Sacramento, & re Sacramenti capiti nostro connectimur, & unimur singuli alter alterius membra, ministerium dilectionis invicem exhibentes communicamus charitate, participamus sollicitudine eumdem cibum manducantes, eumdem potum bibentes, qui de petrâ spiritali profluit, & emanat, qui cibus & potus est Dominus noster Jesus Christus.* Hæc ille.

Sed quia ista communio multa comprehendit, ideò variis quæstionibus est explicanda. Sit itaque

QUÆSTIO II.

An hujus Sacramenti participatio, seu Communio sit eadem cum Sanctorum Communione, quam in Apostolorum Symbolo profitemur?

Ut huic quæstioni satisfiat, observandum est Communionem sanctorum nihil esse aliud, præter mutuam omnium, qui in Ecclesiâ veluti Dei familiâ versantur, societatem, in doctrinæ conformitate, in eorumdem Sacramentorum usu, in mutuis officiis, in participatione meritorum, orationum, satisfactionum, gaudii & tristitiæ: quemadmodum membra unius corporis sibi invicem numquam non opitulantur.

Hujusmodi communionis arcana mirabilem in modum explicat Petrus Blesensis in tract. 2. de charitate Dei & proximi cap. 33. *Est equidem*, inquit, *plena communio. Sive enim aliquid quod deceat communicari, quis habeat, tamen charitas illud habenti, & non habenti communicat. Quod enim habet, commune facit aliis, & amat in aliis, quod non habet. In adversis etiam specialiter habet locum voluntatum communio, per quam efficitur uterque unius necessitatis. Ut cum unus patitur, & alius condoleat: gratia siquidem Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicaria sancti Spiritus istos mutuæ communionis affectus operatur in nobis. Nec enim charitas sine communione est, nec sine communione Spiritus sanctus. Charitas autem diffunditur in cordibus electorum per Spiritum sanctum qui datus est eis.*

Idem author in sequenti capite ejusdem Tractatus declarat summam Communionem in summâ Trinitate reperiri; *Summa quidem*, inquit, *Communio aut potius, unio in sanctâ Trinitate est, & ab eâ quasi de fonte luminis in homines beneficium Communionis emanat. Nimirùm non est Deus singularis aut solitarius, quia trinus & unus, nec decebat solitarium esse, aut suæ beatitudinis consortem non habere. Cum ergo Pater & Filius & Spiritus sanctus sint una vita, una essentia eorum communis est vita, essentia & natura. Est autem vita de vitâ, essentia de essentiâ, natura de naturâ, Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Filius vita est, qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. Cumque ipse vita sit, in se vitam habet à Patre. Sicut, idem inquit, Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. In sanctâ Trinitate tanta est Communio, ut sapientia, potentia, æternitas & omnia quæ pertinent ad Trinitatis essentiam sint unum, nec illi unioni præjudicet distinctio personarum. Sic ergo quicquid Filius, habet à Patre, totum hoc habet cum Patre. Splendor enim est gloriæ, & figura substantiæ Dei, & imago ipsius. Sicut autem Filius vita est à Patre, sic Spiritus sanctus vita est ab utroque, ipse eorum amor, amborum nexus, & æterna Communio. Pro hac ineffabili Communione per quem Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt eadem vita eademque essentia, dicit Filius ad Patrem: Pater mea omnia tua sunt, & tua omnia mea sunt.*

Idem Author ejusdem tractat. cap. 35. ait ex ineffabili Communione, quæ intercedit inter personas Sanctissimæ Trinitatis, amoris Communionem in Angelos, & in homines derivatam esse. *De hac ineffabili unione, & de quâ Filius dicit: Ego & Pater unum sumus, emanavit quædam Communio amoris in Angelos, in quâ per Filium & Spiritum firmati sunt, sicut scriptum est, verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Propterea in eis est idem nolle, ideò amantur singuli à singulis, & à singulis universi. Ad instar Communionis Angelicæ diffusa est Dei charitas in cordibus hominum per Spiritum sanctum. Sic enim Dominus per Joelem quandoque promisit: Effundam, inquit, de spiritu meo super omnem carnem. Hujus spiritus communicatio procedit in hominum corda, ut quæ*

propriusunt unius, fiant aliis ex charitate communia. Quod beatus Petrus insinuans ait : Unusquisque sicut accepistis gratiam ad alterutrum administrantes ; si quis loquitur, sicut sermones Dei ; si quis ministrat , sicut ex virtute quam administrat Deus , ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum. Ab hoc ineffabili fonte summa & individuæ Trinitatis derivationem accepit ista Communio, & in unitate spiritus fidei, & Baptismi Ecclesia primitiva fundata est , sicut Apostolus breviter tangens, unus , inquit , spiritus , una fides , una anima, unum Baptisma. Hactenus Petrus Blesensis sanctorum Communionem , per genuinam expressionem, & ejus originem luculenter explanavit.

Unde patet illam ipsam Sanctorum Communionem esse genuinam expressionem æternæ illius communicationis, quâ divinæ personæ in unitate naturæ secùm invicem per Spiritum sanctum (qui est osculum Patris & Filii & vinculum indissolubile Trinitatis , ut loquitur S. Bernardus) colligatæ , omnia sua in sese inexplicabili mysterio effundunt : ita ut non distinguantur ab invicem , nisi quia Pater v. g. non est Filius , sicut nec Filius, est Spiritus sanctus.

Cum ergo per Sacramentum regenerationis consecrati simus sanctissimæ Trinitati, utpotè qui sub distinctâ Patris & Filii, & Spiritus sancti invocatione baptizati sumus, nos unitatem naturæ divinæ & inexplicabilem (quæ inter divinas personas intercedit) communionem non solùm venerari , sed etiam toto hujus vitæ curriculo usquequaque imitari necesse est.

Porrò hanc ipsam unitatem naturæ & amoris , & voluntatis imitabimur , si cum proximis omni ex parte consentiamus , id est si solliciti erimus servare unitatem spiritus in vinculo pacis : Communionem autem bonorum , quæ sibi invicem divinæ personæ reciprocâ diffusione communicant , exprimendo referemus , si omnia nostra Fratribus in Christo Jesu ex charitatis imperio, seu prolixo lubentique animo, non autem ex tristitiâ aut necessitate tribuamus.

His ita prælibatis proposita quæstio solvenda est. Sit itaque

Conclusio unica.

Communio Sanctorum quam in Apostolorum Symbolo profitemur, nihil differt ab spirituali & sacramentali Communione quoad substantiam, siquidem omnes hujusmodi Communiones circa eadem versantur , & ad unum eumdemque scopum collineant : Parum igitur discrimen inde repetendum est quod illa ipsa sanctorum Communio in Symbolo professa ab spirituali & sacramentali Communione ad Communionis fastigium provehatur. Unde Eucharistia ab S. Dionysio cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch. τελετὴ τῶν τελετῶν dicitur , id est perfectio perfectionum , seu Sacramentum Sacramentorum , id est omnium Sacramentorum perfectissimum & præstantissimum. Unde illo ipso capite quærit S. Dionysius quam ob causam , id quod præcipuis aliis Sacramentis commune est , per excellentiam præ cæteris Eucharistiæ sit attributum, ut singulariter Communio & Synaxis appelletur , cum unumquodque Sacramentum divisas quoque vitas nostras ad omniformem colligat deificationem atque deiformi dissitorum coagmentatione, cum illo uno communicet uniatque.

Huic quæstioni respondet & asserit *cæterorum Hierarchicorum Symbolorum participationibus ex divinis hujus Sacramenti perfectivisque muneribus accedere consummationem seu ultimam perfectionem. Vix enim fas sit ullam Hierarchici muneris obire functionem , nisi divinissima Eucharistia , cujuslibet initio consecrationis, initiandi cum illo uno perficiat conjunctionem , divinitusque tradito consummantium mysteriorum dono divinam ipsi conferat Communionem.*

Quare si qualibet Hierarchicarum consecrationum imperfecta manet , dum nostri cum illo Communionem unionemque non perficit , hoc ipso quod non perficitur , perficiendi vim amittens , finis autem omnium est & caput, ut eum qui initiatur, præcipuorum Dei mysteriorum participem efficiat , jure ac meritò pontificalis illi scientia proprium illi à rerum veritate nomen adinvenit. Hæc ibi.

Hac ratione significat S. Dionysius sacro-sanctam Eucharistiam esse perfectionem & consummationem cæterorum Sacramentorum. Nam præterquam quod continet Christum Jesum omnium Sacramentorum institutorem & omnium gratiarum fontem , est etiam finis à quo perficiuntur. Nam Baptismus hominem regenerat , & Confirmatio perfectum efficit Christianum , & Spiritû sancto inungit & corroborat , ut istud Sacramentum dignè Deo percipiat. Sacramentum Ordinis ad hujus mysterii consecrationem ordinatur : per Pœnitentiam denique & extremam Unctionem homo ad corpus Christi ritè percipiendum præparatur. Cum igitur hoc Sacramentum cætera Sacramenta intueantur ut finem , jure ac merito eorum perfectio & consummatio nominatur.

Quæ cum ita sint, certum est per Baptismum homines in numerum fidelium aggregari , & Christo capiti & ejus corpori quod est Ecclesia ceu membra annecti atque adeò in Sanctorum Communionem adscribi : ita tamen ut illa Communio , cui per Baptismum consociantur , per Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, mirabilem in modum perficiatur. Quod insigniter declarat Apostolus 1. Corinth. cap. 10. quoniam , inquit , *unus Panis , unum Corpus multi sumus , qui de uno Pane , & de uno Calice participamus.* Quasi diceret : quia multi sumimus unum eumdemque Panem mysticum, ideò multi per significationem & effectum Sacramenti , sumus unus Panis : Et quia idem ille Panis corpus Christi est , ideò multi sumus unum corpus. Id est multi sumus ex quorum cœtu tota Christi Ecclesia coalescit. Porrò unus Panis , & unum Corpus Ecclesia Christi dicitur , ut testatur S. Augustinus tract. 26. in Joan. quia sicut unus Panis ex multis granis conficitur & unum corpus ex multis membris componitur : sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus, charitate copulante connectitur.

Observandum est Apostolum asserere nos per Corpus Christi in Eucharistiâ perceptum effici unum corpus quasi non essemus : ut videlicet significet nos nobiliori modo per hoc Sacramentum , quam per Baptismum ad Ecclesiam aggregari. Propter hanc unitatem quàm in percipiendâ Eucharistiâ cum Christo capite & singulis fidelibus veluti membris ineunt Christiani sanctus Augustinus eam appellat *Sacramentum pietatis , signum unitatis , vinculum charitatis.* Cum ergo in membrorum sortem seu conditionem sanctius & perfectius, quam per Baptismum in hoc amoris mysterio transeamus , multo etiam eo percepto , nos accuratiùs in membrorum officiis invicem exhibendis incumbere necesse est.

Quod quomodo exerceri oporteat docet Petrus Blesensis in eodem tractatu quem jam citavimus c. 37. *Illud etiam* , inquit, *in proximi dilectione notetur attentiùs ; quod ipsa natura corporis nostri ad mutua charitatis observantiam nos informat. Multi enim unum corpus sumus, alter verò alterius membra. Unus autem spiritus universa membra vivificat , eorumque compages mutuis obsequiis & alternâ compassione conciliat. Oculus non solummodò sibi videt , sed dirigit gressus pedum. Os non solùm sibi comedit , nec stomachus sibi soli digerit , sed utrumque communi utilitati membrorum deservit. Lingua, si quod membrum læditur ; molestiam illius suam compassionem faciens , lædentem redarguit dicens : quid me lædis ? Cor de communi utilitate sollicitum, consilia membris omnibus profutura disponit. Manus quæ nec famulari , quandoque membris abjectioribus erubescunt , se in usum publicæ utilitatis exercent. Quod si manus una casu aliquo fortè lædat alteram , illa quæ læsa est , non repercutit , nec se erigit in vindictam. Manus autem quæ læsit , quasi seipsam accusans , remedia meliora quæ potest.*

lese forari apponit, *& ex humilitate & sollicitudine suâ sibi indulgeri postulat, & omnem suspicionem malitiæ studio sollicito compassionis eliminat. Si manus oculorum obsequio vibratum in aliud membrum senserit gladium imminentem, ipsa suum minimè discrimen attendens, plus aliò quam sibi timens, gladium excipit, & ut alii parcatur, ipsa sibi non parcit. Sit ergo in nobis lex illa Communionis, quæ in membris nostris scripta est, ut unus spiritus nos omnes quasi unum corpus vivificet. ut per veram cordium unionem maneamus in Deo & Deus in nobis, quatenùs omne corpus per nexus & juncturas membrorum & compagines crescat in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hactenùs citatus Author ex œconomiâ humani corporis graphicè depictâ, docuit quo pacto nos in sanctorum Communione versari oporteat.

Quid quod Christus Jesus ideò nobis suum corpus epulandum apposuit, & sanguinem suum potandum præbuit, ut in illo & per illum unum quid, omnes efficeremur. Quod ipsemet declaravit Joan 17. v. 20. 21 22. & 23. in mirabili illâ oratione quam habuit ad Patrem pridiè quam pateretur: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me: ut sint consummati in unum; & cognoscat mundus, quia tu me misisti & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.*

S. Cyrillus Alexandrinus hujusmodi verba ad Eucharistiam pertinere contendit lib. 11. in Evang. Joan. & ostendit nos divinæ unitatis rationem, & substantialem sanctæ Trinitatis identitatem ac perfectissimam connexionem imitari, per unionem illam concordiæ & consensionis, quam Sacramentum unitatis, quod est & vinculum charitatis, in nobis operatur.

Quod eodem loco ipse S. Cyrillus insigniter asserit: *Ut ergo*, inquit, *ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, atque nos una commisceremur, licet corporibus & animis alii ab aliis differamus, rationem quamdam excogitavit unigenitus per convenientem sibi sapientiam & consilium Patris. Uno enim corpore, suo nimirùm, credentes in se benedicens per mysticam Communionem cum eos sibi, tum etiam inter se concorporales efficit. Quis enim eos, qui per unum illud sanctum corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit, & à naturali inter se unione removerit? Nam si omnes de uno pane participamus, unum omnes corpus efficimur: Christus enim dividi nequit: ideoque & Christi corpus omnes uniti maximè, cum eum unum & indivisibilem in nostris corporibus sumamus, ei potiùs, quam nobis nostra membra debemus.*

Et pauló post: *Unionem verò illam corporalem cum Christo nos consequi testatur Apostolus de mysterio pietatis dicens: quod aliis generationibus non est agnitum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis in spiritu, gentes esse coheredes: & concorporales & comparticipes promissionis in Christo, Jesu. Quod si concorporales sumus omnes in Christo neque solùm inter nos: sed & ei nimirùm qui in nobis est per suam carnem: quomodo non jam apertè unum sumus omnes, & inter nos & in Christo? Christus enim est unitatis vinculum, cum idem sit Deus & homo.*

Et pauló post: *Quemadmodum sancta carnis virtus concorporales reddit eos, quibus ingesta sit, eodem opinor modo unus in omnibus indivisibilis, inhabitans Dei Spiritus ad unitatem spiritalem omnes cogit.* Et infrà: *unum igitur omnes sumus in Patre, & Filio, & Spiritu sancto: unum, inquam, habitudinis identitate, unum conformatione secundum pietatem & Communione sanctæ Carnis Christi, & participatione unius sancti Spiritus.*

Hæc habet S. Cyrillus comment. in Evang. Joan. cap 1-. quæ & confirmat cap. 12. ubi sic explicat hæc Christi verba: *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum. Est enim in nobis filius corporaliter quidem, ut homo nobiscum commixtus & unitus per eulogiam mysticam: spiritualiter, autem ut Deus sui Spiritus virtute & gratiâ spiritum qui in nobis est instaurans in novitatem vitæ & divinæ suæ naturæ consortes faciens.*

Et pauló post: *consummati ergo sumus in unitatem cum Deo ac Patre, Christo mediante. Suscipiendo quippè in nobis & corporaliter & spiritaliter eum qui naturâ & verè filius est, qui substantialem cum eo habet unionem supremæ naturæ participes & consortes facti, glorificati sumus.* Hæc ibi.

Doctrinæ superioris consectarium.

Ex his quæ hactenùs de Sanctorum Communione diximus, patet illam ipsam Communionem per augustissimum Eucharistiæ Sacramentum amplificari & perfici, atque adeò licet per Baptismum sit inchoata, nondum tamen esse perfectam, nisi ad illam mirabile sacramentum, quod omnia perficit & consummat, accesserit. Quemadmodum enim quotquot baptismatis mysterio sunt initiati, Christiani equidem sunt, sed nondum perfectionem & plenitudinem Christianæ sanctitatis assecuti, nisi in Spiritu sancto signati fuerint, in diem Redemptionis: ita etiam licet Baptizati in Communionem Sanctorum sint aggregati, nondum tamen ejus plenitudinem & consummationem attigere, nisi Christi corpus in Ecclesiâ Dei perceperint. Unde fit ut scriptura ipsam Communionem, etsi per Baptismum inchoatam, uni duntaxat Eucharistiæ (à quâ perficitur) ascribere videatur.

Porrò hujusmodi Communio tribus in rebus posita est, quarum

Prima est, corpus sivè Ecclesia, quæ ex fidelibus Christi corpore vescentibus constituitur.

Secunda est unitas cordium, seu consensus animorum eadem amplectentium, eadem repudiantium.

Tertia denique est communitas bonorum tam spiritalium quam corporalium.

Quod spectat ad primum id est ad corpus, sivè Ecclesiam, certum est illam fieri unam, seu unum corpus per corpus Christi quod in cælesti convivio percipitur, ut probavimus ex 1. Corinth. cap. 10. & ex S. Cyrillo. Licet enim tota Ecclesia diversorum constet compage membrorum, unum tamen est corpus, unius fidei soliditate fundatum, Christi corpore & sanguine nutritum & adunatum, unius denique vivificantis spiritus virtute perfusum. Nos igitur per Christi carnem quâ reficimur, tam sancti, tamque venerandi corporis membra efficimur, & tunc nos affatur Apostolus cum ait; *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Quod & aliis verbis inculcat idem Apostolus Rom. cap. 12. v. 5. *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Ergo sumus unum in corpore Christi mystico, & id constat ex citato cap. 10. 1. Corinth. ubi ait Apostolus: *quoniam unus panis, unum corpus multi sumus; quibus verbis* duplicem proponit unitatem: primam incorporationis, quâ in Christum transformamur, cum dicit *unus Panis*; aliam vitæ & sensus, quam à Christo capite accipimus, cum addit: *unum corpus multi sumus.* Quasi diceret per hoc patet quod unum sumus cum Christo, quoniam unus Panis unione fidei, spei, & charitatis; Corpus scilicet illius capitis, qui est Christus, ut loquitur S. Thomas lect. 4. in cap. 10. 1. Corinth.

Ex hac doctrinâ rectè colliguntur officia, quæ nos hujus corporis capiti, id est Christo, & singulis ejus membris, id proximis præstare, & exhibere oporteat.

Cum enim in hoc Sacramento Christo capiti arctiùs

quam per ullum aliud Sacramentum annectamur, & proximus utpotè ejus membris agglutinemur utrifque, id est capiti & ejus membris, nos etiam majora exhibere officia necesse est.

1. Enim hoc mysterium nos ita cum Christo conjungit, ut nunquam ab eo sejungamur, aut sejungi valeamus (nisi sacram hanc vel unionem, vel unitatem nostra malitia dirimat.) Et profectò legitimæ sanctæque Communionis certissimum est argumentum, perseverata cum Christo & in Christo societas & conjunctio. Nam ut affirmat ipse Christus Jesus Joan. cap. 6. v. 57. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Et ista mansio non solùm fit per fidem & charitatem & voluntatis unitatem, sed etiam naturali quadam (id est verâ) & corporali unione seu commixtione, ut docent sancti Patres, S. Joannes Chrysostom. hom. 61. ad Pop. Sanctus Hilarius lib 8 de Trinitate, & S. Cyrillus lib. 10. in Joan. cap. 13. & lib. 4. cap. 17. Ubi hanc unionem illustrat exemplo ceræ liquefactæ, quæ alteri ceræ pariter liquefactæ ita copulatur, ut in unam ea demque molem seu unum corpus cum illâ transiisse videatur. Ergo vera est & dignè suscepta Communio, cum in Christo manemus, & ille vicissim manet in nobis. Manemus autem in illo cum sumus membra ejus, id est nos gerimus ut membra capiti constanter adhærentia, & ejus spiritu animata & viventia: manet autem ipse in nobis, cum sumus Templum ejus, ut loquitur S. Aug. id est in nobis & à nobis colitur, & adoratur velut in Templis, in quibus nihil offertur, nihil agitur, nisi sanctum & Deo dignum per Christum qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & justificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quisquis ergo post susceptum Christi corpus in hoc admirabili mysterio revolvitur in priora flagitia, valdè metuere debet, ne sacrilegâ divinæ carnis perceptione sanguinem testamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Siquidem per iterata crimina ab sese ablegaverit Christum qui per suum corpus in Eucharistiâ porrectum in eo manere voluerat, ut & ipse vicissim in ipso manere & inhærere perseveraret. Ergo per hoc Sacramentum jubemur 1. In Christo manere, & illi jugiter utpotè capiti membrorum ad instar, adhærescere. 2. De ejus spiritu vivere. 3. Nos ad omnem ejus nutum & voluntatem componere, veluti membra quæ capiti obsequuntur. Et hæc tria nobis inculcantur per Eucharistiam præsertim, & quidem sub æternæ damnationis interminatione. Unde S. Aug. tract. 27 in Joan ait nihil sic debere formidare Christianum, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum ejus, si non est membrum, non vegetatur spiritu ejus, *quisquis* autem, inquit Apostolus, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

2. Cum hoc mysterium celebrare nequeamus, quin mortem Domini annuntiemus, nemo est qui illud celebrat, quin illam ipsam mortem annuntiare, seu in se per veteris hominis mortificationem referre, & exprimere teneatur. S. Basilius in Reg. brevior. interrog. 214 quærit quomodo quis mortem Domini annuntiabit? & ita respondet: *Dominus*, inquit, *ipse docuit; cum dixit si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Itemque Apostolus explanavit, cum illud apertè professus est: mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Quod quidem jam antè in ipso Baptismo spopondimus, quicunque enim, inquit, in Christum baptizati sumus, in mortem ejus baptizati sumus Quibus verbis interpretans quid sit baptizatum esse in mortem Domini, adjungit, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. ut ultrà non serviamus peccato, sed ab omni erga hanc vitam affectione vacui, tales simus, in quos meritò illud Apostoli testimonium conveniat: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, ita ut alacres dicere fidenter possimus: venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Hæc ibi.

Licet igitur, quoties Christus corpus manducatur, & sanguis ejus bibitur, annuntietur mors Christi, quæ per sacrificium incruentum recolitur, ipsa tamen mors plenius celebratur & annuntiatur, cum ab viris mortificationem crucis circumferentibus, & ea quæ desunt passionum Christi in carne suâ pro corpore ejus, quod est Ecclesia, adimplentibus, percipitur.

Undè quamvis, quotquot de sacrificio incruento cruentæ m Christi sacrificium verè & reipsâ sub panis & vini integumentis repræsentante & recolente, manducant & bibunt, vel alterutrum faciunt, & quotquot pariter cum sacerdote illud ipsum offerunt cum piâ cordis devotione, revera mortem Domini annuntient, nec oblatas res attingant, id est Sacramentaliter non communicent, fructum ex suâ tamen percipiant; si tamen qui per veteris hominis mortificationem seipsos cum Christo & in Christo immolant, & in eo statu corpus ejus comedunt, & sanguinem bibunt, sivè spiritualiter tantùm, sivè etiam sacramentaliter, uberiores sanè fructus ex suâ communione percipiont, quam alii utpotè qui Christi mortem magis quodammodo (eam per carnis tuæ crucifixionem exprimendo) annuntiare videantur.

Tertium officium ad quod nos astringit arcta illa societas & conjunctio quam cum Christo per sacramentalem ejus corporis perceptionem contrahimus, est eximia corporum nostrorum puritas & castimonia. Cum enim per istud mysterium Christo concorporales evadamus, ut loquitur Apostolus, atque adeò corpora nostra evadant in membra Christi, ea fœdis libidinibus mancipare & dedecorare non possumus, quin Christo Domino quantam maximam contumeliam inferamus. Quænam autem sit hujusmodi contumelia declarat Doc. Gentium 1 Cor. c. 6. v. 15. *Nescitis*, ait, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* Ex hoc loco conjicere est quàm gravi se flagitio constringant, qui se in libidinum cœno volutare nihil dubitant. Siquidem ex quo verbum æternum de cœlo delapsum nostram naturam in personæ unitatem assumpsit, nostra corpora facta sunt membra Christi, ita tamen ut per Eucharistiam, quæ est Incarnationis extensio, & arctiùs & sanctiùs Christo capiti copularentur. Ergo quisquis suum corpus libidinum turpitudini mancipat, duplex mysterium, Incarnationis scilicet & Eucharistiæ horrendâ offensâ contumeliâque dedecorat. Nemo igitur Christianos diffiteri potest, quin suscepto Baptismo, & maximè percepto Christi corpore & sanguine in Sacramento altaris, corpus suum ab omni carnis inquinamento sartum tectum studiosissimè conservare teneatur. Et hæc ostendunt quid Christo cui ceu capiti in Sacramentorum maximo annectimur ut membra, debeamus. Jam declarandum superest quid nos nobis invicem per tale mysterium arctissimè colligatis, exhibere oporteat, ut Communio Sanctorum per illud amplificata in nobis cernatur & appareat.

Quibus in rebus fidelium Christi corpore & sanguine vescentium Communio sit posita, declaratur.

HUjusmodi Communionem duabus præsertim in rebus, in mutuâ scilicet dilectione & bonorum omnium communione positam esse sacræ commemorant litteræ. Cum enim Spiritus sanctus de cœlo delapsus in formam ignis credentium corda inflammasset, & illi perseverarent in doctrinâ Apostolo-

tum & Communione fractionis panis & orationibus, ut narratur Act. cap. 2. vers. 42. Suam invicem Communionem per quotidianam divini corporis perceptionem duobus potissimum argumentis patefacere, mutuâ nimirum charitate, & omnium bonorum communitate. Unde illud Act. cap. 4. v. 32. *multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Et hac in re implebatur oratio Christi, quâ poposcerat, ut in ipsum credentes fierent unum, sicut Pater & ipse sunt unum, id est unitate cordium, perfectaque consensione animarum & voluntatum, adorandam unitatem, quæ in sanctæ Trinitatis personas cadit, imitarentur, & exprimerent.

Et præterea sua secum invicem omnia communicarent bona, atque ita referrent ineffabilem illam communicationem, per quam tres sanctissimæ Trinitatis personæ omnia sua in sese invicem effundunt, quod testatur Christus sic affatus Patrem Joan. 6. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.*

Exceptum ex Act. Apostolorum locum insigniter illustrat Petrus Blesensis citato supra tractatu de charitate Dei & proximi cap. 35. Multitudinis, *inquit*, credentium erat cor unum & anima una. *Ecce intima unio cordium & identitas voluntatum: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia, dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat. Sed quid sibi volunt ista Communio, & ista distributio? Nam distributio rem distributam ei, cui datur, appropriat: Communio verò habere aliquid proprium detestatur. Porrò charitas vitium proprietatis abhorrens, quæ distribuuntur non vult esse propria, sed ut in Communionem transeant distributa.* Et paulò post *Facit autem charitas, ut quod unusquisque proprium accepit, non sibi, sed Deo, sed proximo acceperit, ut non suam, sed Dei gloriam, non suam sed utilitatem proximi ex Dei munere quærat. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, aut in Jesu Christo proximi sui. Vides oculo fidei, quod in illâ sacratissimâ Trinitate una est virtus, una est essentia, quæ tribus personis communis est: Persona enim à personâ propriâ notione discernitur, & beneficium Communionis, aut potiùs unionis impendit, quod solus Pater est Pater, & solus Filius Filius. Est enim Pater non sibi, sed Filio, cui de suâ substantiâ genito dedit habere vitam in semetipso. Facit ergo charitas ut omnia sint inter proximos communia: & tamen singulis propter proprias necessitates propria sunt conferenda subsidia. Quod enim unusquisque sic recipit, à Communionis beneficio non recedit. Habent enim & sibi alii quod habent, imò alii minùs ampliùs sibi. Intelligant ergo homines, quicquid recipiunt ex dono gratiæ cælestis, non suum, sed omnium esse. Timeant sibi obesse, quod eis à Deo inditum est, nisi faciant in commune prodesse. Eis enim gratia obest, si aliis per eos non prodest: quod si communicant gratiam, transferunt eam in Dei gloriam. Propterea quicumque communicat donum Dei, ei dabitur, & abundabit. Et is verè habet id, quod habet, is verò qui sic non habet, & id quod videtur habere, auferetur ab eo. Gratia siquidem Dei, homini data est in creditum & in causam mutui transit: accipientem enim obligat Deo & proximo, Deo ad exhibendam gloriam, proximo ad communicandam gratiam. Hic est justus qui miseretur & commodat. Homo verò delinquit, si contra datum pacti & accepti seu crediti & mutui venire præsumat: scriptum est enim:* mutuabitur peccator, & non solvet. Hæc ibi.

Hisce dogmatis apprimè imbuti erant Christiani, de quibus Apostolorum Acta prædicant. Nam eorum omnium erat cor unum, & anima una. Inter eos quippè nulla erat ambitio, nulla invidia, nullæ rixæ, nulla contentio, sed tantus erat consensus, tanta tranquillitas, ut omnibus cor unum, & anima una esse videretur. Charitas quippè, quam perfectionis vinculum appellat Apostolus, devinxerat, & conglutinaverat omnium corda, & omnes quotquot erant, licet alioqui sexu, ætate, fortunis, inter se dissimiles, in unum hominem, hominem nempè novum seu Christum transformaverat: siquidem ut sæpè docet Augustinus, ab orbe condito extitere Christiani, & quotquot erunt usque ad consummationem sæculi, unum duntaxat efficiunt & constituunt Christum. Unum caput, unum corpus, unus Christus, ut loquitur idem S. Augustinus. Si ergo omnes Christiani revera sunt corpus Christi, qui est sui corporis, id est Ecclesiæ caput, imò si unum duntaxat faciunt Christum, uno eodemque Christi Spiritu animantur, aguntur, & diriguntur. Ergo etiam nihil mirum, si primi Christiani Spiritu sancto pleni, & divinæ charitatis ardoribus accensi haberent cor unum & animam unam, quasi essent in unum hominem conflati: hanc enim ipsam unitatem ipsis impertierat ille Spiritus Sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris. Atque ita cum haberent Spiritum sanctum, velut animam eorum cœtum animantem, & moventem, & regentem, eo veluti arctissimo vinculo nectebantur, & adonabantur tam Christo capiti quam secùm invicem, ita ut conjuncta capiti membra Ecclesiam nullo unquam tempore perituram constituerent.

Ex hac animorum consensione, seu ex tali ac tantâ charitate, quâ flagrabant, proficiscebatur altera dos Communioni Sanctorum annexa, gratuita nempè liberalitas, quâ omnes sua bona & spiritualia & corporalia conferebant in communem fratrum usum & commodum: siquidem gratia magna erat in omnibus illis, neque enim egens erat inter illos, id est neminem reperire erat, inter primos illos Christianos, quem necessaria hujus vitæ præsidia deficerent.

Igitur non solùm illa erant omnium communia, quæ sine dispendio impartientis communicari solent, ut doctrina, consolatio, exhortatio & alia id genus, verum etiam facultates, quæ cum dispendio possessoris aliis communicantur. Harum tamen rerum erat profusa communicatio apud illos: siquidem nemo ex his quæ possidebat, vel diceret aliquid esse suum, imò sibi raptor & iniquus videretur, si quid apud se detinuisset, quod fratris penuria postularet.

Omnia ergo illis temporibus erant Christianis communia tam bona scilicet & prospera, quàm mala & adversa. Si enim illorum cuipiam obtingebant bona, omnes illi sua bona congratulabantur, & unà cum illo lætitiâ perfundebantur: Si econtrà premerentur adversis, sese offerebant in societatem mœroris: quia si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra 1. Corinth. 12.

Quid quod hujuscemodi Communio non solùm exercetur in hac vitâ, sed etiam in alterâ, cum enim corpus Christi, quod est Ecclesia, in triplicem statum divertiatur, nempè in societatem in cœlo regnantium cum Christo, & in ordinem hominum in Purgatorio degentium, & denique in congregationem hominum adhuc in terris dimicantium: nemo Catholicus inficiari potest quin inter Ecclesiam triumphantem in cœlo, & patientem in Purgatorio, & bellantem in hoc sæculo, intercedat vera Communio per corpus Christi, quod quotidie offertur in Ecclesiâ Dei, & ab fidelibus in æternæ vitæ alimentum accipitur.

Nam in sacrificio communicamus cum omnibus vivis pro quibus oramus: deinde provehimur ad Communionem Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum in cœlo triumphantium, oramus enim ut quod offerimus sacrificium, illis prosit ad honorem, nobis autem ad salutem, & ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris: id est, oramus ut nobis communicent ea bona quibus nostræ imbecillitati suis precibus opitulari

possunt;

possunt; cum iis denique communicamus, qui cùm signo fidei decesserunt, & pœnas suorum peccatorum reliquiis debitas exolvunt, donec ab omni, seu ab minimâ peccatorum labeculâ repurgati ad claram Dei viventis visionem assumantur.

Ut huic quæstioni finem imponamus, & quæ in eâ sunt pertractata pluribus, contrahamus in pauca, certum est

1. Nos per Eucharistiam arctiùs quam per Baptismum annecti Christo Domino, qui est caput Ecclesiæ, instar membrorum, atque adeò nos jugiter in illo manere de ejus spiritu vivere, nosque ad omnem ejus nutum, & voluntatem componere, ejus passioni & morti nos ipsos configurari oportere.

Et in hac ad nostrum caput adhæsione præsertim posita est Communio Sanctorum, quæ postea ad membra eidem capiti adhærentia pertinet, seseque per duo potissimùm capita exerit, per unitatem scilicet cordium, seu consensionem voluntatum, & bonorum omnium tam spiritualium, quam corporalium gratuitam communicationem, quâ nemo verè Christianus proximum ferum, & ad animæ, & ad corporis salutem necessariarum penuriâ laborare patitur. Unde quisquis manet in compage corporis Christi, potest verè cum Psalte regio profiteri sese esse participem omnium timentium Deum: siquidem ut ait S. Ambrosius serm 8. in Psalm. 118. omnia quæ in Ecclesiâ fiunt per charitatem, adoptionisque gratiam, universis membris efficiuntur communia. Omnibus ideò fidelibus conveniunt hæc Apostoli verba solatii plenissima: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.*

O quam beata illa Communio per quam omnia possidemus ab iis, quos vera charitas Christo capiti, & universis ejus membris, id est fidelibus agglutinavit.

QUÆSTIO III.

Utrum Communio semper parti pationem corporis Christi significet, & quomodo dividatur?

Etsi Communionis nomen posterioribus sæculis id designandum duntaxat corporis Christi perceptionem usurpatum fuerit: sanctorum tamen Canonum conditores aliud ut plurimùm ab hujusmodi Communione diversum (nisi nominatim Eucharistiæ Communionem exprimerent) intelligi voluerunt. Communionis enim nomine complectebatur omnia, in quibus homines secum invicem in mutuo, quod inter illos intercedit, commercio communicant, qualia sunt sacra omnia, Sacramenta, orationes, fidei Catholicæ dogmata & alia id genus. Non solùm autem erant illis, id est primis Christianæ communia, quæ pertinent ad salutem, verùm etiam communicabant in omnibus omnino rebus, quibus hominum societas continetur.

[illegible] Communio in sui significatus amplitudine, dividitur respectu rerum, & respectu personarum.

[illegible] ad res respectus habeatur, dividitur quadrifariam. Alia est enim Communio victus, societatis, & conversationis, alia orationis, alia oblationis, alia denique Communionis, id est participationis corporis Christi, quæ quia est perfectissima omnium communionum, per antonomasiam seu excellentiam Communio est denominata.

1. Igitur alia est Communio victus, societatis & conversationis. Hujusmodi convictu & societate arcebantur, quotquot propter hæresim, vel propter aliud crimen cum pertinaciâ conjunctum & perseveratum majori anathemate afflatos Ecclesia è suo sinu ejecerat.

Reverâ olim Christiani ita se gerebant erga hujuscemodi homines, ut eos nec salutarent, nec suo dignarentur alloquio, sicut ab Apostolis didicerant.

Quod liquidò docet & tradit Discipulus quem diligebat Jesus: *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* 2. Joan. vers. 10.

Illustre hujus rei exemplum legere est apud Synesium Ep. 58. in quâ legitur sententia, quâ Ptolemaidis Ecclesia congregata Andronicum & Thoantem è suo sinu expulit, & hanc eorum segregationem & excommunicationem ad omnes ubique terrarum sorores suas Ecclesias perferri voluit his verbis: *Andronico ejusque sociis Thoanti & ejus sociis nullum Dei aperiatur, omnis illis religiosa ædes ac septa claudantur. Nulla Diabolo in Paradiso pars est. Qui si etiam irrepserit, expellitur. Ac cùm privatos omnes & magistratus hortor; ut nec ejusdem cum illo tecti neque mensæ participes esse velint; tum sacerdotes imprimis, qui nec viventes illos salutabunt, nec mortuos funebri pompâ deducent. Sin quispiam velut exigua urbis, Ecclesiam nostram contempserit, & ab eâ damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit, noverit à se scissam Ecclesiam esse, quam unam esse vult Christus. Atque hic sive levita, sive sacerdos sit, sive Episcopus, apud nos eodem atque Andronicus loco censebitur: neque cum eo dextram jungemus, nec eadem ex mensâ vescemur unquam. Tantum abest ut cum iis arcana mysteria communicemus, qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habuerit, voluerint.* Hæc ibi.

Ex hoc loco sicut & ex multis Canonibus constat quod excommunicati ablegabantur ab Christianorum conviviis, & id pœnæ genus declaratum est ab Apostolo 1. Corinth. cap. 5. v. 11. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Hunc locum de excommunicatis intelligendum esse docet Sanctus Augustinus libro 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 2. *In eo*, inquit, *quod ait Apostolus, nominatur, hoc nimirùm intelligi voluit, parum esse, ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est famosus appareat, ut possit omnibus dignissimus videri, qua in eum fuerit Anathematis prolata sententia. Ita enim & salvâ pace corrigitur, & non interfectorie percutitur, & medicinaliter uritur.* Et ita plectitur immanis flagitiosus, & tunc ut ait ibidem S. August. *ab ejus conjunctione quilibet fidelis salubriter se contineat, ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non rabie inimicâ, sed coercitione fraternâ. Tunc etiam ille & timore percutitur & pudore sanatur, cum ab universâ Ecclesiâ se Anathematizatum videns, sociam turbam, cum quâ in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest invenire.* Hæc ibi.

Ex isto Apostoli præcepto profluxerunt plerique Canones qui prohibent, ne quis fidelis excommunicatum suâ mensâ communicet, aut in ejus ædibus comedat & epuletur.

Secundum Communionis genus consistebat in oratione & precibus, & hæc Communio aliquando non denegabatur iis, quos Ecclesia vel ab oblatione vel ab Eucharistiæ perceptione removerat. Quod quidem patet ex Concilii Nicæni can. 11. 12. & 13. quibus ejus Concilii Patres quosdam pœnitentes omnium rerum præterquam Eucharistiæ participes esse voluerunt. Hanc autem Communionem orationem sic explicat Zonaras: *Si cui*, inquit, *in eo discrimine Communio quasi morienti concessa sit, seque is postea morti subtraxerit, cum fidelibus quidem orare, nontamen iterùm communicare Sacramentis licebit.*

Porrò cum hæreticis vel Schismaticis orare nefas est, ut declarat Canon 33. Concilii Laodicensis, quod & sancitum est Can. 2. Antiochenæ Synodi 1. In hæc

verba : *Non licet communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui Ecclesiæ non participant in oratione, nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab aliâ excommunicantur.*

Canon 73. Concilii Carthagin. IV. excommunicari jubet sive Clericos, sive Laicos, qui communicaverint, vel oraverint cum excommunicato.

Quid quod Apostoli eorumque Discipuli, ut ex S. Irenæo commemorat Eusebius Pamphili Ecclesiast. Hist. lib. 4. cap. 14. adeò religiosè cavebant, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum qui veritatem adulterabant. *Quemadmodum & Paulus dixit: hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita, sciens hujusmodi perversum esse, & suo ipsius judicio condemnatum peccare. Extat etiam Epistola Polycarpi ad Philippenses luculentissima, ex quâ quicumque salutis suæ curam gerunt, poterunt, si volent, & formam fidei illius, & prædicationem veritatis cognoscere.* Hactenùs Irenæus.

Istud Eusebii, vel potiùs S. Irenæi testimonium satis superque testificatur, quantoperè Christiani abhorrerent ab hæreticis, quippe qui eos vel alloqui nefas esse ab Apostolis acceperant.

Tertium Communionis genus dicebatur Communio oblationum. Jus oblationis quod viridi observantiâ viguit in universâ Occidentali Ecclesiâ per mille & ducentos annos, erat veluti tessera quædam seu signum, imò insigne privilegium, quo gaudebant uni Christiani Catholici, & quo secernebantur ab hæreticis, Schismaticis, pœnitentibus, peccatoribus publicis, omnibus denique infamibus, quibus, ut nec offerre licebat, ita nec eorum munera suscipere fas erat, ne hujusmodi hominum vel suis sceleribus adhuc fumantium, vel certè nondùm ab iis absolutorum oblationibus, tremenda mysteria contaminarentur. Ideò offerendi jus iis abrogatum esse testatur Concilium Lateranense III. c. 25. & IV. c. 3. Eam ob rem S. Ambrosius (etsi indignatione perciti fremerent Imperatoris Comites,) ipsius tamen oblationes constantissimè repudiavit. Inde obortam esse commotionem Paulinus in ejus vitâ commemorat, quod munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesiâ respuerentur, nec orandi illi cum Ecclesiâ societas tribueretur. Hæc ille.

Usque adeò integros vitæ scelerisque puros esse oportebat eos, qui factitandæ oblationis privilegio gauderent. Unde qui ad quartam pœnitentiæ stationem erant relegati, duobus annis absque oblatione, erant orationum cum populo participes, ut videre est in c. 11. Concilii Nicæni, & c. 5. Concilii Ancyrani, quod & liquidissimè testatur Felix Papa III. Ep. 7. *duobus*, inquit, *annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur.* Hæc ibi.

Non igitur licebat illis oblationes factitare, utpotè qui nondùm pœnitentiæ labores exantlaverant, atque adeo nondum erant digni, qui jus Communionis recuperarent, & eorum nomina offerrentur in sacris. Quod si pœnitentes solitis pœnitentiæ laboribus erant perfuncti, integræ & perfectæ Communioni reddebantur. Hoc ritu,

1. Paulò antequam orationes & mystica liturgia celebraretur ab Episcopo, è limine Ecclesiæ adducebantur in medium.

2. De eorum pœnitentiâ & conversione paucis disserebatur.

3. Veniâ ab eodem Episcopo acceptâ, id est majori reconciliatione, sacris Eucharistiæ mysteriis intererant.

4. Peractis hisce mysteriis ea, quæ in gratiam reconciliationis & veniæ impetratæ dona & munera attulerant, benedicebantur, & offerebantur Deo.

5. Certis destinatisque verbis pro ipsorum pœnitentium salute supplicabatur, eorumque nomina inter ipsas orationes proferebantur, (& hoc est nomen pœnitentis offerre) neque unquam pœnitentes Eucharistiâ pascebantur, quin prius eorum oblationes & munera & nomina in orationibus sacrificii, quæ fiebant antequam sacra Communio deferretur, oblata essent, ut declarat Albaspinæus Observat. libro 1. Observat. 7.

Eam fuisse Ecclesiæ praxim testatur S. Cyprianus lib. 2. Epist. 14. in quâ conqueritur de nonnullis, qui quosdam pœnitentes præmaturè admittebant ad perceptionem corporis Christi, & observabant ea omnia quæ usurpari consueverant in plenâ pœnitentium, (qui omnes pœnitentiæ numeros impleverant) reconciliatione; *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentiâ factâ, nondum exomologesi finitâ, nondum manu eis ab Episcopo aut Clero impositâ, Eucharistia illis datur.* Hæc ibi.

Quid quod jus oblationis tam certum erat Communionis indicium, ut ipsis etiam mortuis, qui inter ipsa pœnitentiæ tempora nondum absolutione perceptâ devixerant, jus Communionis oblationum beneficio redderetur. Ecclesia nimirùm eorum sortem miserata, eos ad fidelium Communionem revocabat, oblationes, quæ eorum causâ ab cognatis & affinibus proponebantur, admittendo. Et reverà per oblationes hujusmodi, veluti per quamdam facultatem & modum comparabatur seu recuperabatur jus Communionis, quando illæ ab Ecclesiâ in altari erant propositæ, & ab sacerdotibus Deo repræsentatæ. Hanc Ecclesiæ hac in parte misericordiam & indulgentiam probant sacro-sancti Canones & imprimis Canon 2. Concilii Vasensis I. Item Canon 15. Concilii Aurelianensis II. Sed satis de Communione oblationum.

Quarta Communio & omnium plenissima, & ideò Antonomasticè Communio denominata, erat perceptio Corporis Christi, per quam ipse Christus omnes nos unum facit secum ipso, & omnia sua nobis cum ingenti profusione & redundantiâ communicat: ita ut nostra cum illo, & omnibus fidelibus unio, imo unitas, & bonorum omnium (quæ ex tali unitate prosiliunt & redundant in nos abundantiâ, referat & exprimat tam unitatem, quæ tres sanctissimæ Trinitatis personas copulat, quam profusionem perfectionum omnium, quas hujusmodi personæ sibi invicem ineffabili quapiam infusione communicant.

Ex his constat Communionem respectu rerum non pertinere ad Eucharistiam, nisi nominatim Eucharistiæ Communio exprimatur. Ergo pergendum ad aliam Communionis divisionem. Sit itaque

---

QUÆSTIO IV.

Quomodo dividatur Communio respectu personarum.

RESpondeo Communionem respectu personarum olim divisam esse trifariàm: Nam una erat Laica, altera Ecclesiastica, tertia denique peregrina. Et harum Communionum nulla per se pertinebat ad Eucharistiæ perceptionem, ut parebit ex sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

Communio Laïca non ideò denominata est, quod ab iis, qui in eâ versabantur, Eucharistiam extra cancellos, & altaris septa perciperent Laicorum more, aut quod Laicorum ad instar sub alterâ tantùm specie communicarent, ut visum est nonnullis cæterà eruditis.

Hæc conclusio nullo negotio probari potest quoad primam partem. Nam si quis Presbyter de suo gradu dejectus esset, & censuris perculsus supremum obiis-

fer diem, is ut constat ex Canone 12. Concilii Arelatensis II. in fidelium Communionem restitui poterat, etiamsi in ipso pœnitentiæ decursu devixisset ante perceptam absolutionem. Sanxit enim Nicæna Synodus (quod & ab aliis subsequentibus Conciliis singillatim factitatum est) ut nemo Communione vacuus remaneret, quamvis sine absolutione excessisset è vivis. Cum igitur Presbyter in perpetuum de gradu depulsus, & inter ipsa pœnitentiæ tempora defunctus possit post mortem ad Ecclesiæ Communionem revocari, certè ad unam duntaxat Laïcam revocari potuit, id est in Communionem Laïcorum aggregari per indulgentiam Ecclesiæ, ut suffragiis fidelium non ut Presbyter, sed ut Laïcus posset adjuvari.

Nam nec de Eucharistiâ, nec de sacerdotali Communione intelligi potest ea Communio. Nam præterquam quod hujusmodi sacerdoti, utpotè in perpetuum excommunicato ad pristinum gradum aditus omninò erat interclusus, ad salutem etiam animæ post mortem, illa in honorem pristinum restitutio nihil conferre poterat, ergo talis restitutio per Communionem duntaxat Laïcam factitata fuisse præsumitur. Siquidem per eam anima defuncti sacerdotis fidelium suffragiis adjuvanda crederetur.

Laïca igitur Communio non erat in eo posita, quod Eucharistia Laïcis & aliis ad eorum ordinem redactis extra cancellos altarisque septa porrigeretur: siquidem sæpenumerò & reddebatur & accipiebatur extra cancellos Ecclesiæ & altaris septa, cum scilicet iis (qui ab Communione orationum & aliarum rerum fidelibus communium erant Episcopali judicio exclusi) brevi morituris redhibebatur.

Quod perspicuè declarat Felix Papa III. Epist. 7. ad universos Episcopos inscriptâ, ubi statuit eos, quos Episcopos vel Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit, & ad secundam tinctionem venisse, usque ad exitus sui diem in pœnitentiâ, si resipiscant, jacere, nec orationi non modo fidelium, sed nec Catechumenorum, Laïcam Communionẽ in morte redhibendam.

Certum est etiam Laïcam Communionem non fuisse positam in eo, quod Laici & omnes, qui ob immanem culpam ad eorum ordinem fuerant redacti, sub unâ tantum specie communicarent. Nam præterquam quod iis temporibus (quibus Laïca illa Communio erat in usu) fideles passim Christi corpus sub utraque specie accipiebant, ut doctè observatum est ab Albaspinæo, constat etiam Episcopos, & alios minores Clericos, qui sese referventi crimine obstrinxerant eâ pœnâ esse mulctatos, ut in Laïcorum ordinem de suo gradu dejecti conjicerentur.

Hujus rei pulcherrimum exemplum suppeditat Cornelius Pontifex in Epist. ad Fabium Antiochenum Episcopum inscriptâ, (quam legere est apud Eusebium lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap 43. ex Edition. Vales.) in quâ commemorat tres Episcopos ad id adactos, Novatum ordinasse; nec multò post unum ex illis Episcopis ad Ecclesiam redusse, & delictum suum cum lamentis & fletibus confessum esse: *quem nos*, inquit ille ipse Pontifex, *cum universus Populus pro illo intercessisset, ad Communionem Laicam suscepimus. Reliquis etiam duobus Episcopis successores ordinavimus, eosque in loca illorum direximus.* Hæc ibi.

Ex hoc loco facilè colligitur Communionem Laïcam non constitisse in Eucharistiâ sub unâ duntaxat specie percipiendâ: Nam tribus illis Episcopis velut magni criminis consciis abrogatus est Episcopatus, ergo non erant in eo statu, in quo Eucharistiam vel sub unâ specie perciperent imò ab ejus perceptione ob immane crimen, quo sese devinxerant, sunt penitùs ablegati, & eorum unus qui synceram pœnitentiam testificatus fuerat, & pro quo Populus intercesserat, ad Laicam duntaxat Communionem est admissus. Quod factum probat Laicam Communionem extitisse pœnam, quâ Episcopi & minores Clerici gravioris cujuspiam criminis conscii affici consueverant.

Hoc ipsum liquidò confirmat Canonum Apostolicorum 61. in hæc verba: *Si quis Clericus propter metum humanum vel ab Judæo, vel ab Græco, vel ab Hæretico incussum negaverit, siquidem nomen Christi, ejiciatur: si autem nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.*

Hujusmodi Canon satis superque significat Clericos ad Laïcorum consortium de suo gradu fuisse dejectos, ita ut cum illis pœnitentiam agerent, ad quam damnabantur duabus de causis, quarum prima erat ob repetitum crimen propter quod depositi fuerant, secunda ob crimen gravius eo, quod depositione plecti consueverat.

Clerici igitur detrudebantur ad Communionem Laïcam, & cum Laïcis promiscuè pœnitentiam agebant. Id enim per totos trecentos annos observatum est ab antiquissimis Patribus, ut utrisque id est Clericis minoribus passim & Laïcis pœnitentia publicè in lugubri nimirùm habitu & sub publicâ manuum sacerdotalium impositione peragenda, indiceretur. Verum post tertium ab Salvatoris ortu sæculum, inter utrorumque pœnitentiam hoc discrimen interjectum est, quod propter ea crimina, quæ ab Laïcis per publicæ pœnitentiæ labores expiari consueverant, Clerici deponerentur, & detruderentur in classem Laïcorum, nec tamen eis manus imponerentur, nec lugubri habitu sese darent in conspectum Ecclesiæ, sed in secreto quopiam loco injunctas sibi pœnas ex mandato Episcopi oppeterent; ut legere est apud S. Hieronymum Epist. 48. ad Sabinian. Diaconum lapsum. Sicut & evidentiùs legitur apud S. Augustinum lib. 1. de Baptismo cont. Donat. cap. 1. Item apud Isidorum Hispalensem lib. 2. de Ecclesiast. Offic. cap. 16. qui de utrorumque, Clericorum scilicet & Laïcorum pœnitentiâ sic loquitur: *Utrique*, inquit, *subjiciuntur pœnitentiæ honorum duntaxat dignitate servatâ, ita ut ab Sacerdotibus & Levitis Deo tantùm teste fiat, à cæteris verò, astante coram Deo solemniter sacerdote.* Quid plura? idem docent benè multi Canones, qui Clericos gravium criminum conscios in Monasteria conjici imperarunt.

Communio igitur Laïca in eo posita erat, quod ii qui detrudebantur ad Laïcorum ordinem, eorumdem Laïcorum familiaritate & colloquio uterentur, & cum eis communicarent in omnibus, quibus hominum vita societasque continetur, sivè illa ad commune commercium convictumque, sivè ad Religionis officia pertinerent, tametsi ab Eucharistiæ perceptione arcerentur.

Secunda Conclusio.

Communio Ecclesiastica, quæ significabat jus in Christi corpore mystico, quod est Ecclesia, erat propria Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque Clericorum: tametsi hanc Communionem unusquisque pro sui gradus amplitudine participaret. Nam Episcopi nobiliorem in eâ communione obtinebant locum, quam sacerdotes secundi ordinis, & hi sacerdotes magis erant ejusdem Communionis participes, quam Diaconi, qui solâ Diaconatus pollebant dignitate; & ita de cæteris servatâ proportione dicendum est.

Hujus Communionis tot erant species, quot depositionum genera. Hujusmodi Communionis jus vel integrum amittebatur, cum quispiam ab gradus honore pariter & functione removebatur, & ablegabatur ad Laïcos, cum quibus Communione Laïcâ non minùs quam cæteri Laïci, fruebatur. Idem jus imminuebatur, cum quis non dejiciebatur de sui gradus honore, sed sui ordinis munia ob aliquod crimen obire vetabatur. Poterat v. g cuipiam Episcopo alicujus criminis reo relinqui sui consessus honor, ita ut ministerium verbi (quod primò & per se Episcoporum

est) & alia genus Episcopalia munia abrogarentur, ac proindè nec eamdem, nec æquam cum cæteris Episcopis in eadem Communione partem obtineret, eo quod sui juris non omnimodam jacturam, sed ob admissum crimen, imminutionem pateretur.

Et hæc satis de Communione Ecclesiasticâ. Et quia communio peregrina pluribus est explananda, ideò separata quæstio instituenda est. Sit itaque

---

QUÆSTIO V.

Quid sit propriè loquendo Communio peregrina.

UT hæc quæstio perspicuè resolvatur, multa sunt observanda.

Observatio prima.

1. Igitur observandum est eam Communionem, quæ peregrina dicitur, fuisse diversam respectu personarum, quæ ad illam admitti consueverant. Nam Episcopi, sacerdotes, & alii minores clerici ad alienas sese conferebant Ecclesias vel peregrinandi, vel visitandi, vel inibi commorandi causâ, vel denique suâ in Ecclesiâ commorati admiserant delictum quodpiam, propter quod Canones ipsis omne jus sui ordinis exercendi abrogari jusserant.

Quemadmodum igitur illi ipsi qui vel peregrinandi, vel visitandi, vel commorandi studio alienas lustrabant Ecclesias, excipiebantur ut alienigenæ, & peregrinâ Communione donabantur, ita ut clerici: qui sibi suæque Ecclesiæ per aliquod flagitium aliquam labem asperserant, peregrinâ Communione multarentur de suo dejecti gradu, utpotè qui se ex indigenarum & domesticorum, ut ita dicam, albo expunxerant, atque adeò omni eorum honore privari, & debitâ suo crimini pœnâ affici conveniebat. Inde liquet Communionem peregrinam Hospitalitatis Christianæ tituloClericis advenis fuisse concessam, & indigenis gravioris culpæ conscius in pœnam fuisse impactam.

Observatio secunda.

Si quis rescíscere velit ob quæ præsertim delicta ista Communionis peregrinæ pœna Clericis infligeretur, discere poterit ex Concilii Agathensis Canone 2. *Contumaces verò Clerici* (sunt verba Canonis) *prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur: etsi qui prioris gradus elati superbiâ Communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur: ita ut, cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matriculâ gradum suum, dignitatemque recipiant.* Hactenùs ipsissima Canonis verba.

Hujus Canonis sensus rectè elicitur ex ejusd. Concilii Agathensis Canone 23. in hæc verba concepto: *Episcopus etiam, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullum præponat: nisi fortasse elatus superbiâ, quod pro necessitate Ecclesiæ Episcopus jusserit, implere contemnat.*

Tametsi autem hæc regradatio fieri potuerit citra ullum regradati delictum, (ut patet ex postremis ejusdem Canonis 23. verbis) certum est tamen ut plurimùm Clericis contumacibus Communionem illam peregrinam in suâ Ecclesiâ irrogatam esse ceu pœnam, quâ eorum contumacia plecteretur. Indubitatum enim est illam ipsam Communionem peregrinam importasse dignitatis imminutionem, & à priori gradu ad inferiorem alterum dejectionem: quod quidem non solùm contingebat cum Clericus ab proprio ordine in alterum, vel ab Presbyteratu ad Diaconatum, vel ab Diaconatu ad hypodiaconatum dejiceretur; sed etiam cum à primo vel secundo, quem inter Presbyteros vel Diaconos, obtinebat loco, in inferiorem detruderetur.

Observatio tertia.

Notandum est tertio loco Communionem peregrinam pro criminum minori, vel majori gravitate mitiùs, vel graviùs in Clericos esse constitutam: Ita ut quemadmodum dejectio ad Communionem Laïcam in gravioribus duntaxat flagitiis usurpata est, sic Communio peregrina iisdem ferè conditionibus, similibusque casibus est irrogata, ut liquidò patet ex variis degradationum gradibus, quibus admissa ab Clericis flagitia ex Canonum sanctionibus plecti consueverant. *Si enim*, ut ait S. Hilarius in libello ad Constantium Imperatorem, *indignum aliquid non modò Episcopi sanctitate, sed etiam Laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam expectem, sed intra pœnitentiam Laici consenescam.*

Quo ex loco tam criminum, quam pœnarum differentia non obscurè colligitur. Nam in eo recensentur duo criminum genera, quorum alia vel Laicorum integritate indigna judicantur, alia autem ut ab Episcoporum, aliorumve tam Sacerdotum, quam Clericorum sanctitate penitùs abhorrentia damnantur. Ex quâ diversitate diversa degradationum genera profluxerunt. Qui enim primi generis flagitia admiserant, mulctabantur eâ degradatione ab sacris Canonibus constitutâ, id est de suo gradu deturbati conjiciebantur in Laïcorum gregem, ita ut nec sui ordinis etiam extra sanctuarium honore potirentur. (Ut patet ex Canone 1. Concilii Antiocheni I. sub Julio Papâ I. anno Redemptoris 340. celebrati) & præterea ita exauthorarentur, ut ab sacro ministerio remoti nequaquam restitutionis locum invenirent, ut sancitum est Canone 3. ejusdem Concilii; quod & constituitur Canone 20 Concilii Chalcedonensis & Canone 71. Concilii Aquisgranensis, quod & anteà Concilium Nicænum can. 16. decreverat.

Porrò hæc degradatio trifariàm infligebatur. Vel enim simpliciter tantùm, vel injunctâ pœnitentiâ, vel denique cum excommunicatione conjuncta irrogabatur, & ultimâ hac degradatione contumaces Clerici plectebantur.

Per primùm degradationis genus adimebatur quidem dignitas, sed Communio Laica concedebatur, ut discimus ex S. Basilio in Epist. ad Amphiloch. Canone 3. quo statuitur Diaconum post diaconatum fornicatum, à Diaconatu quidem ejiciendum esse, & in Laïcorum locum extrusum à Communione non esse arcendum, quoniam antiqua est Canon, *ut qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur.* Quod & repetit idem S. Basilius ejusdem Epist. Can 32. His verbis: *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à Laicorum autem Communione non arcentur. Scriptum est enim: non vindicabis bis in idipsum.*

Quod & confirmat Siricius Papa in Epist. ad Epis. Tarracon. cap 11. *Quisquis sanè Clericus*, ait, *aut viduam, aut certè secundam conjugem duxerit, omni Ecclesiastica dignitatis privilegio mox nudetur, Laicâ tantùm sibi Communione concessa.* Idipsum astruitur ex Canone 7. 8. & 19. Concilii Aurelianensis III. anno Redempt. 538. celebrati. Item Canone 4. Concilii Aurelianensis V. habiti ann. Redempt. 549.

Per alterum degradationis genus injungebatur Clericis pœnitentia, ita ut iis non concederetur Communio Laïca, nisi decursum esset injunctæ pœnitentiæ tempus, quod quidem decurrebant illi ipsi Clerici graviorum criminum conscii in monasteriis, in quæ velut in carceres detrudebantur, ut patet ex Can. 44. Concilii Toletani IV. Episcoporum concessu celebrati 20. Redempt. 633. sub Honorio Papâ. Quod & repetitum est ab C. III. Cap. lib. 6. c. 249. quod & sancitũ est ab Conc. Cabilon. II habito an. red. 813. Can. 40.

Cum autem publica pœnitentia injungebatur Clericis primi ordinis eximebantur à substractione, seu tertio pœnitentium gradu. Cum enim essent ad Laï-

corum gregem devoluti, fiebant participes orationum inter consistentes, ut testatur Zonaras ad S. Basilii Canonem 32. *Clerici*, inquit, *qui peccant peccatum ad mortem, excidunt quidem de Sacerdotii gradu, veruntamen à Laïcorum Communione non arcentur, hoc est cum Laïcis consistere, & cum iis orare non prohibentur: utpote qui vel in audientium ordinem, vel in substractionis locum non relegarentur.*

Porrò per tertiam degradationis speciem reus Clericus excommunicatione, vel annuâ, vel perpetuâ feriebatur: De annuâ loquitur Concilium Turonense II. Can. 19. De perpetuâ loquitur Canon Apostolorum 29. ut & Concilia, quæ Hæreticos de suorum dogmatum ab divinæ traditionis authoritate & regulâ deflectentium impietate convictos, perpetuæ segregationis anathemate perculerunt.

Observatio quarta.

Clerici contumaces, qui peregrinâ communione mulctati fuerant, cum eos Pœnitentia correxerat, rescripti in matriculâ gradum suum dignitatemque recipiebant, ut patet ex 2. Canone Concilii Agathensis. In hoc enim discrepabat communio peregrina ab Communione laïcâ, quod qui peregrinâ Communione plectebantur (etsi tunc erant ex matriculâ expuncti, & corporis Clericorum pars esse desinebant, nec quisquam Clericus cum eis, ut Clericis communicare poterat) non ideò tamen accensebantur Laicorum numero, utporè qui in pristinum gradum restitui, & sui Ordinis, in eum postliminiò revocati, munia obire poterant. Cum verò è Clero deturbati erant, ad Laicam Communionem, id est è Clericorum albo erasi in Laicorum conditionem transferebant, omnis illis ad pristinum gradum aditus interclusus erat, utporè qui universali perpetuaque degradatione multati fuerant. Hinc Communio peregrina medium quemdam inter Laicam & Ecclesiasticam Communionem obtinebat locum, vel potiùs quædam erat diminutio, ceu quædam veluti degradationis species ab Ecclesiasticâ Communione, à quâ conscii alicujus criminis Clerici, ad tempus dumtaxat removebantur; quod non contingebat in Communione Laïca, utporè quæ reos Clericos ab Clericorum cœtu in perpetuum, seu accisâ omni spe restitutionis, ad Laicorum gregem ablegaret.

Reverà Aimoinus lib. 5. de Gestis Francorum cap 29. Carlomannum Senonensis Ecclesiæ Diaconum, de perduellione in Carolum Calvum Patrem initâ penitùs convictum, ab Galliarum Episcopis Sylvanecti congregatis, de omni Ecclesiastico gradu & honore dejectum, & ad Laicam Communionem amandatum esse commemorat. Istam veteris Ecclesiæ praxim non probamus pluribus; quippè quæ passim ab omnibus citrà controversiam asseratur.

Observatio quinta.

Porrò videtur Communio peregrina (cujus primam mentionem facit Concilium Regense ann. sal. 439. celebratum) non fuisse illis temporibus pœnæ & animadversionis genus, sed fuisse instituta, ne alienigenæ Clerici, de quorum statu dubitabatur, omninò rejicerentur: posteà verò creditur usurpata in modum pœnæ, cujus metu indigenæ Clerici in officio continerentur.

Alii existimant hanc Communionem institutam esse ad exemplum Romanorum, quorum legibus jus civitatis abrogabatur iis, qui se in grave quodpiam flagitium implicaverant, amittebant scilicet jus condendi testamenti, & quicquid pertinebat ad jus civile, utporè qui ea dumtaxat quæ spectabant ad jus gentium, retinerent. Et ideò inter peregrinos & extorres ab solo patrio censebantur, ut constat ex notissimo Ulpiani loco in l. 1. ff. §. 2. & 4. ff. de leg. 3. & ex Epist. 59. quæ legitur apud Plinium juniorem libro 10. Epistolar.

Hæc sententia magnâ nititur probabilitate siquidem (ut ex variis Canonibus apparet) Clericos tam alienigenas seu peregrinos, quàm indigenas seu populares & domesticos, qui Communione peregrinâ donabantur, imò plectebantur, passos esse suspensionem ab muneribus Ecclesiæ, & ab cæteris Clericis separationem tàm in rebus civilibus, quam Ecclesiasticis. Quod quidem intelligendum est de Communione peregrinâ, quæ pœnæ loco Episcopis & Clericis infligebatur; neque enim credibile est Episcopos & Clericos integros vitæ scelerisque puros, tàm duriter habitos esse ab locorum, in quæ se contulerant, Episcopis & Clericis, ut non solùm jus nullum ac jurisdictionem alioquin ordini suo annexam exercerent (quod semper importabat Communio peregrina) verumetiam ab omni cœtu segregarentur, nec ullis in rebus seu civilibus, seu Ecclesiasticis cum iis communicarent

Quid porrò iis qui Communione peregrinâ fovebantur, ut loquuntur Concilia, sit abrogatum, quidve concessum declarat Canon 3. Concilii Regensis in hæc verba conceptus: *Quod ergò in quibusdam schismaticis magis quàm Hæreticis recipiendis, Nicænum Concilium statuit* (Canone 8.) *in singulis per territoria sua, hoc etiam præsens conventus in hoc statuit ab omnibus servari debere, id est, ut cuicumque de fratribus tale aliquid charitatis consilia dictaverint, liceat ei* (Armentario scilicet qui à duobus tantum Episcopis ordinatus erat Ebredunensis Antistes) *in unam Parochiarum suarum Ecclesiam concedere, in quâ aut Chorepiscopi nomine, aut peregrinâ, ut aiunt, Communione foveatur.* Quid sit autem peregrinâ Communione foveri, explicat ille ipse Canon 3. Concilii Regensis, idque congruenter Canoni 8. Concilii Nicæni. *Additur*, inquit, *ne unquam in civitatibus nisi ab Episcoporum absentiâ offerre præsumat, nec ordinare vel ultimum Clericum, nec in eâdem quidem Ecclesia, quæ illi cujuscumque misericordiâ fuerit attributa, nec ulli Episcoporum vel succedente ætate, assumpto aliquo in rudimentis suis huic in aliquo, quasi pro ætatis reverentiâ cedere liceat: nec usquam ipsi quicquam de Episcopalibus Officiis usurpare, præterquam in Ecclesiâ, quam cujuspiam misericordiâ fuerit adeptus, in quâ ei solùm Neophytos confirmare, & antè Presbyteros offerre conceditur.* Hæc ibi.

Hoc igitur Communioni peregrinæ erat annexum, ut quisquis eâ donabatur vel plectebatur, sui gradus suarumque functionum imminutionem pateretur. Nam Episcopus v. g. peregrinâ Communione irretitus ab Episcopi dignitate & ordine in Chorepiscoporum gradum summovebatur: simplices verò Presbyteri vel Diaconi, ad eamdem Communionem admittebantur, cum citrà sui Ordinis functiones cum cæteris Clericis peregrinorum in morem versari, & convivere sinebantur. In hoc ergò videtur posita esse communio peregrina, quod peregrini Episcopi vel Clerici nullum ministerii ac functionum suis ordinibus congruentium in alienis Ecclesiis obeundarum jus haberent: tametsi ad præstanda hujusmodi munia ab earum, in quibus peregrinabantur, civitatum Episcopis assumerentur. Ex eo igitur præcisè, quod suis è locis egressi usu sui ordinis carerent, peregrina Communio, quæ quidem pœnalis existit, denominata præsumitur. Nam quemadmodùm peregrini in alienis civitatibus nullum habent jus exercendæ potestatis, ad quam in suâ ipsorum civitate suorum popularium suffragiis, aut aliâ quapiam ratione sunt evecti: Ità etiam Episcopi & Clerici quacumque dignitate suis in urbibus domiciliisque fulgeant, illam alienis in Ecclesiis, è quibus peregrinationis causâ sunt egressi, exercere nequeunt.

Si cuipiam magis arrideat sententia Gabriëlis Albaspinæi viri sanè docti asentis Communionem peregrinam nihil esse aliud quàm communicatem & consocietatem, quæ Episcopis, Presbyteris, sive aliis Clericis qui sine formatis aut commendatitiis litteris peregrinabantur, indulgebatur in societate Clericorum & Communione Ecclesiasticâ; si, inquam, hæc sententia magis cuipiam placeat, nihil resisto; non enim suâ probabilitate deficerat: quam quidem videtur trahere ex 32. Canone Apostolorum qui talis est: *Nemo peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipitur litteris, & si eas obtulerit, in dispositionem vocantur; Et quidem si Prædicatores pietatis fuerint, suscipiuntur: sin minus ubi necessaria eis suppeditaveritis, ad Communionem & ulteriorem ipsos consuetudinem non admittite, multa enim per subreptionem fiunt.*

Ex hoc Canone multi colligunt communionis peregrinæ notionem, quæ concedebatur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericis peregrinantibus, qui formatas litteras seu, commendatitias ab suis Superioribus impetratas locorum in quæ profecti erant, Episcopis obtulerant. Id enim constitutum erat, ut nemo Episcopus, sine formatâ sui Primatis, nemo Presbyter, vel Diaconus, vel alius quivis Clericus sine formatâ Episcopi sui sigillo munitâ peregrinaretur, & in alterâ Ecclesiâ ad Clericorum communionem sive in civilibus, sive in Ecclesiasticis rebus ineundam admitteretur. Et reverâ habebantur excommunicati, qui talibus carerent litteris, nisi ex æquo & bono dubitaretur, utrùm essent vera, quæ de suarum amissione litterarum, aut aliis de rebus, quas allegarent. Tunc enim, ne insontes immeritâ plecterentur pœnâ, si excommunicatis accenserentur, non admittebantur ad communionem Ecclesiæ, sed ejus sumptibus alebantur in remoto quopiam loco, in quo orabant: in eo enim statu erant, in quo nec Laici erant, nec Ecclesiasticæ communionis participes, atque adeò ab omni Ministerio, & suorum ordinum functionibus amori, donec eorum probitas locupletissimis testibus, aut idoneis indiciis probata innotesceret: ut disertè asserunt Authores eruditi.

Ac reipsâ quidem ità videtur se gessisse S. Joannes Chrysostomus ergà Dioscorum & Ammonium, qui à Theophilo excommunicati Constantinopolim confugerant. Nam quamvis, ut Socrates lib. 6. cap. 6. & Sozomenus lib. 8. commemorant, ad precum in Ecclesiâ communionem admiserit, eos tamen a mysteriis interim exclusit, dùm eorum causa cognosceretur. Ità peregrini nullis suorum Episcoporum testimoniis freti paulò severiùs habebantur, quàm Dioscorus & Ammonius ab S. Joanne Chrysostomo sunt excepti. Quicquid id est, utraque receptio collineabat in eumdem scopum, ut nimirùm rerum veritas exploraretur, ne scilicet homines flagitiosi obrepentent ad communionem Ecclesiasticam, atque ità gregem divino Christi sanguine redemptum, instar ovium tabidâ scabie laborantium inficerent & depopularentur.

Observatio sexta.

Observandum est ultimo loco eos, quibus erat inflicta communionis peregrinæ pœna, non fuisse participes Corporis Christi imò ab Eucharistiæ perceptione abstentos, ut loquuntur Patres, extitisse, quicquid obstrepant nonnulli, qui decimum sextum & ultimum Ilerdensis Concilii Canonem strictim duntaxat attigerunt. Nam hujusmodi Canon tam perspicuè Clericos graviorum criminum conscios ab Corporis Christi participatione removet, ut qui contrà sentire velit, voluntariam sibi caliginem offundere videatur. Sic enim loquitur præfatum Ilerdense Concilium anno sal. 524. tempore Joannis Papæ celebratum: *Quod si quisquam post hæc*, inquit, *cujuslibet ordinis Clericus, quacumque occasione de omni facultate* (defuncti Antistitis) *quidppiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori Anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei Communio concedatur.*

Hujusmodi Canon satis superque indicat Clericum gravioris flagitii reum ab Corporis Christi participatione procul ablegatum esse. Nam Clericum qui aliquid è bonis Ecclesiæ, vel è facultatibus defuncti Episcopi interverteret, vel dolo malo supprimeret, & hâc de re convinceretur, fore sacrilegii reum, & prolixiori Anathemate condemnandum, & ægrè admodùm communione peregrinâ impertiendum, perindè est ac si diceret fore, ut per communionem peregrinam vix reconcilietur. Id est, tametsi Clericus qui fecit Ecclesiæ furtum (quod maximum vocat S. Augustinus) peregrinâ communione impertiatur; ipsa tamen restitutio in pristinum gradum, quæ ipso jure peractâ Pœnitentiâ in 2. Can. Conc. Agathensis factitanda præcipitur, vix illi per hunc Ilerdensis Concilii Canonem conceditur.

Quæ cum ità sint, quis in animum inducat suum, Clericum sacrilegii reum, prolixiori anathemate damnatum, & ægrè admodùm per communionem peregrinam Ecclesiæ reconciliandum, vel, si libet, reconciliatum, esse dignum, qui Corpus Christi in adorando Eucharistiæ mysterio percipiat? Tametsi enim Canone 5. Concilii Agathensis Clerico, qui furtum Ecclesiæ fecerit, communio peregrina decernatur; ultimo tamen Ilerdensis Concilii Canone jam citato, eum ex suo gradu excidere, & ab Christi corpore ad tempus separari declaratur: ità ut illo ipso tempore (Pœnitentiæ scilicet) decurso, in communione peregrinâ remaneret.

Ilerdensis Concilii sanctionem renovat & confirmat Concilium Valentinum III. anno Red. 855. celebratum, sic enim loquitur Can. 8. *Si quis non metuens judicium Dei, & damnationem æternam, possessiones Ecclesiarum sive expoliare, quæ pertinent ad jus earum, præsumpserit, excommunicationis sententiam, quousque præsumptionis factum retorrigat, secundum Ecclesiasticam censuram ferat.*

Ex isto igitur Canone Concilii Valentini III. sicut & ex altero Ilerdensis Concilii rectè colligitur, eos quibus pœnæ loco peregrina communio infligebatur, fuisse ad tempus excommunicatos, id est ab participatione Corporis Christi separatos. Nam excommunicatio passim apud sanctos Patres significat separationem ab Corpore Christi, cujus perceptione arcebantur, quotquot in lethalia sese peccata implicaverant. Hujus excommunicationis pluribus in locis meminit S. Augustinus, ut in lib. de fid. & oper. cap. 19. *Qui opinantur*, inquit, *& cætera (peccata) eleemosynis facilè compensari; tria tamen mortifera esse non dubitant excommunicatione punienda, donec Pœnitentiâ humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Et Epist. 108. *Agunt etiam homines Pœnitentiam*, inquit, *si post Baptismum ità peccaverint, ut excommunicari, & posteà reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi qui propriè pœnitentes appellantur.* Et ut ostendat S. Augustinus hanc pœnitentiam eum præfata excommunicatione conjunctam, non solum ab Ecclesiâ peccatoribus impositam, sed etiam ab Apostolis indictam esse ità pergit: *De tali enim Pœnitentiâ locutus est Apostolus Paulus. ubi ait: Ne iterùm cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam super immunditiâ & luxuriâ, & fornicatione, quam egerunt.* Hæc loco citato.

Quod ut illustriùs appareat.

Observandum duplicem ab omni ævo excommunicationem usurpatam esse: Una scilicet infligebatur

ab Episcopo homioibus desperatæ emendationis, qui errores suos, aut peccata sua animosiùs defendere, quàm cautius corrigere malebant, exclusi à communione Catholicâ, ut loquitur S. Augustinus de verâ Relig. cap. 5. De hâc ipsâ excommunicatione loquitur in libro de correpr. & grat. cap. 15. *Corripiantur*, inquit, *à præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diversitate, diversis vel minoribus, vel amplioribus: quia & ipsa, quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale judicium, quâ pœnâ in Ecclesiâ nulla major est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere.* Et paulò post: *Pastoralis*, inquit, *necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile, ipsâ forsitan separatione sanandam.* Hæc ibi.

Altera excommunicatio factitabatur ab Episcopo, qui Christianum pœnitentem sejungebat ab communione fidelium, ut scilicet per exantlatos severioris Pœnitentiæ labores, sese præberet dignum, qui ad illam, quodam quasi postliminio, revocaretur.

Prima excommunicatione nulla major pœna erat in Ecclesiâ, ut vidimus ex S. Augustini loco proximè citato.

Secunda verò ab prima major, & propter quam potissimùm peccatorum lethalium Pœnitentia (à quâ nusquam disiungebatur) dicebatur Pœnitentia rigida & austera, Pœnitentia tristis & lachrymabilis, ut pluribus in locis S. Augustini animadvertere est.

His ità constitutis Authores qui negant excommunicatos, id est ab participatione Corporis Christi separatos fuisse eos, quibus indulgebatur peregrina communio, ad veram intelligentiam Canonum, Ilerdensis nimirùm Concilii, & Valentini III. pervenire potuerunt, & cum iis consonate, si negent dumtaxat eos omnimodâ excommunicatione perculsos, & alterâ excommunicatione, quâ pœnitentes ab Corporis Christi perceptione arcebantur, afflatos esse concedant. Quod sanè verisimillimum apparet ex facto sancti Joannis Chrysostomi, quod suprà ex Socrate & Sozomeno retulimus: & ex Canonibus, quos toto isto de peregrinâ communione tractatu laudavimus.

Hactenùs de peregrinâ communione, cujus praxis viguit in Ecclesiâ per multa sæcula, licet nomen illud, communio peregrina, in usu tantum fuerit per trecentos & septuaginta annos, nempè ab ann. sal. 439. (quo celebratum est Concilium Regense, in cujus Canone 3. prima ejus mentio deprehenditur) usque ad annum Redemp. 741. quo Carolus magnus non minoris Catholicæ Religionis proferendæ, quàm Regni propagandi studio flagrans, in quartâ Capitular. additione cap. 99. Decretum Concilii Agathensis renovavit. Tunc enim communionis peregrinæ nomen exolevit, licet pœna per illam ipsam communionem infligi solita, infligi non desierit. Siquidem in Concilio Rhemensi cui præfuit Leo Papa IX. Episcopo Nannetensi abrogatum est Episcopale ministerium, ipsi relicto dumtaxat Presbyteratus officio. Item Adolphus Coloniensis Episcopus restituitur in officium Pontificale, à quo amotus fuerat, ut legere est apud Innocentium Papam III. lib. 1. regest. Epist. 177.

Hisce communionum generibus posset addi communio per eulogias: nisi opportuniùs in alterum tempus & locum rejicerctur.

His hactenùs ità prælibatis, quibus varia tanti Sacramenti nomina, ejus dignitatem & præstantiam, quâ omnibus aliis antecellit, declarantia, explanantur. Jam accedendum est ad explicandam ejus naturam, & alia ad ejus tàm amplitudinem, quam veritatem & necessitatem pertinentia. Quod ut ordine, perspicuâque methodo fieret, operæ-pretium nos facturos esse putavimus, si sacro-sanctæ Synodi Tridentinæ vestigiis insisteremus, & continuatâ sacræ traditionis serie, singulos ejus Canones excutiendo declararemus eamdem illam Synodum in Spiritu sancto legitimè congregatam, sanam & sinceram de venerabili hoc, & divino Sacramento doctrinam tradidisse, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem imò in singula momenta in dies suggerente edocta retinoit, & ad finem usque sæculi conservabit, omnibus nempè Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissimâ Eucharistiâ aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm, ut est ab ipsâ condius de illo ipso Sacramento Canonibus, sub anathematis interminatione explicatum atque definitum. Sit itaque primus Canon sess. 10. præfati Concilii, quæ est tertia sub Julio Papâ III. celebratæ die XI. Oct. ann. sal. 1551.

Quæstio VI.

Quid circà hujus Sacramenti substantiam Concilia declaraverint?

Id luculenter explicat sancta Synodus Tridentina in præfatâ sessione Canone 1. *Si quis*, inquit, *negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute, Anathema sit.*

Circà hunc Canonem multa quæri possunt. 1. enim quæritur,

Utrùm Eucharistia sit Sacramentum propriè dictum, & ab aliis distinctum & quomodo definiatur?

Tria hâc quæstione proponuntur,

1 Utrùm Eucharistia sit veri nominis Sacramentum.

2. Utrùm sit ab aliis Sacramentis distinctum.

3 Denique quomodo definiatur. Et hæc tria totidem sunt conclusionibus absolvenda.

Prima Conclusio.

Est de Fide Eucharistiam esse verum novæ Legis Sacramentum ab Christo Domino, pridiè quàm pateretur, institutum. Hâc in re enim Catholicis conveniunt Heterodoxi, Lutherani scilicet & Calvinistæ. Et id definitum est in Concilio Florentino & Tridentino sess. . Can. 1. & alibi.

Prætereà, si ex Logicorum axiomate, cui convenit definitio, conveniat & definiti nomen, nemo Eucharistiam è Sacramentorum novæ Legis numero expungere potest. Si enim Sacramentum novæ Legis definitur, corporale & materiale elementum, foris sensibiliter pro ositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam, ut loquitur Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacr. part. 9. cap 1. & 3.

Vel si hoc modo definiatur Sacramentum novæ Legis: signum sensibile ab Christo Domino institutum, rei significatæ per quandam analogiam accommodatum, perpetuum, practicum, id est quod significatam sanctitatem, seu gratiam sanctificantem, in suscipientis animo vi suæ institutionis efficit.

Utrovis modo definiatur Sacramentum novæ Legis, certum est utramque definitionem Eucharistiæ conve-

nire, (ut cuivis vel tantisper oculato facilè est animadvertere) atque adeò illam inter Sacramenta novæ Legis annumerari oportere.

Ad hæc accedit ratio quod videlicet quodlibet Sacramentum constet duabus præsertim ex rebus, quarum una cadit sub sensus, & vulgò visibilis seu sensibilis appellatur, altera verò est ab sensibus remota: quod sensibile est in Sacramentis, habet aliquam analogiam cum effectu Sacramenti quem significat, species panis & vini v. g. quæ cernuntur, & apparent in Eucharistiæ Sacramento, significant spiritualem cibum, quo in hoc ipso Sacramento ad alendas fidelium animas, roborandasque præsertim instituto reficiuntur Christiani Catholici: Altera verò res ab sensibus dissita, nihil est aliud quàm vera Christi caro, & verus ejusdem sanguis, quem in hoc mysterio bibimus, etiam dum ejus corpus nobis sub unâ dumtaxat specie porrigitur.

De signo sensibili quod nostros in oculos incurrit in hoc mysterio sivè Sacramento, nulla est inter Orthodoxos & Heterodoxos, Calvinum scilicet, Lutherum & eorum asseclas controversia, alioquin se in evidentiori Sole cæcutire perperàm assererent.

Verùm in hoc dissentiunt à nobis Calvinistæ, quod Christi carnem quam in Deiparæ utero per mysterium Incarnationis assumpsit, verè, realiter & substantialiter sub speciebus panis & vini esse pariter & latere pervicaciter inficiari non desinant

Nos autem qui Christiani nominamur, & Catholici cognominamur, contendimus, cum Ecclesiâ Catholicâ, quæ est firmamentum & columna veritatis, veram Christi carnem per verba quæ ab Christo Domino per Apostolorum ministerium accepimus, tùm à Sacerdote legitimè ordinato prolata, constitui præsentem sub Symbolis panis & vini. Undè

Constanter asserimus Eucharistiæ Sacramentum propriè loquendo non esse species solas panis & vini, nec etiam esse solum Christi corpus, sed esse compositum ex utrisque, speciebus scilicet panis & vini, & ex Christi corpore quod in eo, licet ab oculis oblitescat, adoratur, & manducatur.

Quod solæ panis & vini species non constituant Sacramentum indubitatum est. Nam ut posteà videbimus, adoratur, & adorari debet propriè dictâ latriâ, & adoratione hoc ipsum Sacramentum, non autem species, ut posteà videbimus, ergò species solæ illud constituere nequeunt: tametsi illud unà cum vero Christi corpore, quod contegunt, reverà constituant.

Hoc Eucharistiæ Sacramentum duabus ex rebus constare, quarum altera terrena est, altera verò cælestis, discant Calvinistæ & Lutherani, & realem Christi præsentiam in hoc Sacramento negare desinant, hæc, inquam, discant ex sancto Irenæo, earum quæ inter nos & ipsos intercedunt, controversiarum refutatore integerrimo, quem ut suspectum & velut partium amore laborantem, repudiare nequeunt, utpotè qui Apostolico spiritu plenus ab S. Polycarpo, S. Joannis Apostoli Discipulo, ad summam pietatem & orthodoxam Fidem insigniter informatus, Apostolorum denique ætati proximus, eorum hæreses sexdecim sæculis antequàm in Germaniâ & Galliâ repullularent, invictâ traditionis authoritate jugulant. Nam pulcherrimum adversus hæreses opus, quod ab majoribus nihil obstante temporum injuriâ transmissum accepimus, elaboravit sub Eleutherio Pontifice inter annos salutis 177. & 185

Sic ergò istius operis lib. 4. cap. 34 loquitur de re propositâ: *Quemadmodum*, inquit, *qui est à terrâ panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ & cælesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem Resurrectionis habentia.*

Hujus testimonii vis ut luculentius appareat,

Observandum est S. Irenæum cum perspicuè asseverasset panem consecratum esse ipsissimum Christi corpus, addit adversus Valentinianos, qui præterquam quod inficiabantur carnis resurrectionem, contendebant redivivam Christi carnem cælesti origine præditam, nec ullo pacto ex Deiparâ Virgine assumptam, addit, inquam, & contendit adversus ipsos Eucharistiam ex duabus rebus constare, quarum una terrena est, altera verò cælestis, & ex hoc mysterio (quod proculdubiò in confesso erat apud ipsos, alioquin perperàm esset ratiocinatus) infert nostra corpora terrena per vim & efficaciam ipsis ab terrenâ pariter Christi carne communicatam ad vitam revocatum iri.

Ergò certum est S. Irenæi temporibus hanc extitisse Fidem Ecclesiæ, quod scilicèt per invocationem, Dei (non per vocationem, ut volunt Heterodoxi) sed per invocationem ut patet ex 1. libro cap. 9. ubi eâdem de re loquens S. Irenæus, utitur verbo græco [illegible] juxtà editionem Genevensem consecratus panis erat Eucharistia constans duabus è rebus, terrenâ nimirùm & cœlesti, id est ex carne Christi & ex spiritu ejusdem Christi.

Hunc autem esse germanum hujus loci sensum, declarat ipse S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 9. *Quid est*, inquit, *terrenum? plasma seu caro. Quid autem cæleste? spiritus.* Hujus sancti Præsulis & Martyris vestigiis cæteri Patres institere, & carnem Christi vocavere terram, ut constat ex Tertulliano in libro de carne Christi, ex S. Ambrosio lib. 3. de Spiritu S. & ex S. Augustino in Psalm. 98. Sivè ergò res terrena accipiatur pro pane & vino, ex quibus Eucharistia conficitur, ità ut eorum Symbola remaneant, sivè accipiatur pro carne Christi secundùm sanctos Patres, certum est ex præfatis Symbolis, & Christi carne sub ipsis delitescente, veluti ex quopiam composito, constitui augustissimum illud Sacramentum, quod Ecclesia Catholica ab omni ævo Eucharistiam appellavit. Undè S. Thomas in 4. distinct. 8. q. 1. a. 1. in solutione quæst. 1. in resp. ad 2. *In hoc Sacramento*, inquit, *species non sunt causa corporis Christi, neque alicujus effectus in animâ spiritualis, nisi mediante Christi corpore vero. secundum quod ex speciebus & corpore Christi fit unum Sacramentum.* Hæc ibi:

Secunda Conclusio.

Cum Eucharistiæ Sacramentum sit unum simpliciter & absolutè, unitate scilicet integritatis, & perfectionis, ut mox explicabimus, est etiam ab quolibet alio Sacramento distinctum.

Hujus conclusionis duæ sunt partes fundatæ in eo pronuntiato Philosophorum alentium id esse unum, quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Quod certè in hoc Sacramentum cadit. Nam licet sit materialiter plura, est tamen unum unitate scilicet integritatis & perfectionis, quâ id unum dicitur in quod conveniunt omnia ad consequendum finem, ad quem res ordinatur, idonea & necessaria, quomodo dicitur unum totum integrale, una domus.

Quamvis igitur in hoc Sacramento diversæ reperiantur materiæ, diversæ formæ, & diversæ significationes, atque adeò ob materiæ diversitatem sit materialiter plura; ex his tamen rebus exurgit Sacramentum perfectum & unum, unitate scilicet integritatis & perfectionis, utpotè quod ex divinâ institutione ad cibationem spiritualem, quæ per cibationem corporalem significatur, ordinatum est. Et quia cibatio corporalis duo requirit, scilicet aliquid per modum cibi, & aliquid per modum potus, ideò

ad

ad integritatem hujus Sacramenti ex divinâ institutione est aliquid per modum cibi, scilicet corpus Christi, & aliquid per modum potus scilicet sanguis Christi, ut loquitur S. Thomas in 4. sent. dist. 8. q. 1. a. 1 in sol. quæstiunc. 2.

Undè licet verum Christi Corpus, & species panis & vini differant & specie, & genere, atque adeò videantur plura simpliciter, dicendum tamen ex utrisque ex corpore scilicet Christi, & ex speciebus constitui unum Sacramentum: quia quamvis non sint unum in genere, vel specie naturæ, possunt tamen esse unum per relationem ad unam operationem, ex quâ unitate sumitur unitas Sacramenti. Ut affirmat ibidem S. Thomas ad 4.

Et reverà inter duas materias hujus Sacramenti, inter panem scilicet & vinum, & inter duas formas in consecratione scilicet panis & vini adhiberi solitas, reperitur aliqua unio moralis nimirùm, & proportionis, quatenùs ad constituendam unam & integram significationem perfectæ refectionis & unitatis fidelium tam Christo ceu capitis & secum invicem membrorum in morem per hujus mysterii participationem adhærentium concurrunt.

Quod quidem nihil prohibet quominùs fideles, qui sub unâ tantùm specie communicant, recipiant totum Sacramentum. Neque enim necesse velut ex institutione divinâ, ut & sanguis per modum potus ab quibuslibet accipiatur, quia pertinet quidem ad significationis integritatem sic sumere, sed ad integritatem rei non pertinet. Undè propter integritatem primam sub utraque specie communicant Sacerdotes; Laïcis autem sub unâ specie accipere sufficit ob secundam.

Undè S. Bonaventura, recipiunt, inquit, perfectum Sacramentum quoad efficaciam, non autem propter signantiam, id est significationem. Porrò sicut unitas numerica Sacramenti Eucharistiæ non desumitur ab unitate numericâ Corporis Christi, sed repetitur ex habitudine & ordine quem ad unam numero refectionem includit: ità etiam unitas ejusdem specifica petitur ex eo quod unam speciè refectionem constituat.

Hinc sequitur plures hostias in altari consecratas posse dici unum & plura Sacramenta sub diverso respectu: faciunt enim unum Sacramentum, si spectentur velut ordinatæ ad unam refectionem spiritualem: Plura verò constituunt Sacramenta, si ad diversas numero refectiones referantur. Hujusmodi igitur hostiæ faciunt unum, vel plura Sacramenta secundum diversos respectus, sub quibus considerantur; faciunt enim unum Sacramentum eo sensu, quo proximè diximus, plura verò habitâ ratione signi materialiter spectati: Plura item formaliter si ad plures numero refectiones referantur.

Quod hîc de pluribus hostiis consecratis asseritur, de unâ etiam hostiâ, etiam consecratâ prædicatur: unum enim numero Sacramentum materialiter constituit, formaliter verò plura, si nempè dividatur, & vel à pluribus, vel ab unâ eâdemque personâ instar plurium refectionum accipiatur.

Non solùm autem Eucharistiæ Sacramentum est unum in se, & indivisum eo sensu, quo explicavimus, sed etiam ab quolibet alio distinctum, utpotè quod præcipua quædam & peculiaria sibi producat effecta, quorum beneficio cætera Sacramenta longo superat intervallo.

Quod quidem insigniter explicat S. Thomas in 4. dist. 8. q. 1. a. 1 in solut. quæstiunc. 3. in corp. Ad tertiam quæstionem dicendum, inquit, quod in quolibet Sacramento est tria considerare: scilicet originem, perfectionem, & finem ad quem est. Origo autem omnium Sacramentorum est Passio Christi; de cujus in Cruce pendentis latere Sacramenta profluxerunt, ut dicunt Sancti: Perfectio autem Sacramenti est in hoc quod continet gratiam: Finis autem Sacramenti est duplex, proximus scilicet sanctificatio recipientis, & ultimus scilicet vita æterna, hæc autem per quamdam excellentiam in Eucharistiâ inveniuntur, quia hoc Sacramentum est specialiter in memoriam Dominicæ Passionis institutum, undè Matth. 26. quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis & ideò quantum ad originem vocatur sacrificium vel hostia. Similiter etiam gratiam non continet eodem, quo cætera Sacramenta modo, sed plenitudinem gratiæ in suo fonte, & ideò antonomasticè Eucharistia dicitur. Similiter etiam, quia ipsa est consummatio omnium sanctificationum, ut Dionysius dicit, id quod est omnium (scilicet ad unum) huic Sacramento attribuitur, & dicitur communio, vel synaxis, quod idem est, in quantum scilicet homo congregatur ad unum, & ad seipsum, & ad alios, ei, quod est maximè unum, conjunctus. Similiter etiam quantum ad ultimum finem consequendum maximam efficaciam habet, in quantum realiter continet hoc, quo janua cæli nobis aperta est, scilicet sanguinem Christi, & ideò specialiter viaticum appellatur. Hactenùs S. Thomas loco citato.

Præterea hoc Sacramentum in hoc ab aliis distinguitur, quod licet hoc sit illi commune cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ & invisibilis gratiæ formam, illud tamen in eo excellens & singulare reperiatur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habeant, cum quis illis utitur; at in Eucharistiâ ipse sanctitatis author antè usum sit; nondùm enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Ut declarat Concilium Tridentinum session. 13. cap. 3.

Tertia Conclusio.

Eucharistia definiri potest: Sacramentum novæ Legis constans ex visibili elementorum panis, scilicet & vini specie, & invisibili carne & sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi, quod ipsemet pridiè quam pateretur instituit, ut suos qui erant in mundo, suâ ipsius carne aleret, & ipsi ambularent in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.

Hæc definitio videtur orthodoxa & legitima: Siquidem declarat quibus præsertim in rebus positum sit hoc Sacramentum, nempè in speciebus panis & vini, sub quibus ceu sacris velaminibus Christi corpus velut manna absconditum ab hominum oculis oblitescit. Præterea comprehendit verum ejus institutorem Christum scilicet Jesum, qui cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos: ortopotè qui in supremæ noctè cœnæ in quâ cum ipsis accubuit, suum eis corpus epulandum, & sanguinem suum potandum apposuit varios ob fines, sed ob duos præsertim, ut nempè eos suâ ipsius carne aleret, recrearet, roboraret, & ipsi cælesti illo cibo roborati, strenuè illi ipsi famularentur & obtemperarent, donec illum eumdem panem, seu cibum, quo sacris symbolis obtecto vescerentur in terris, sibi remotis velaminibus appositum in cælo comederent.

Ut hæc definitio magis elucescat, observandum est ex Hugone Victorino lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 7. esse tria in hoc Sacramento consideranda, Unum scilicet, quod est tantùm Sacramentum, nempè visibilis species panis & vini, est enim signum significans verum Christi corpus quod sub eâ continetur, & præterea Corpus Christi mysticum: significat autem verum Christi Corpus ratione alimenti seu refectionis, quia sicut panis præ cæteris cibis corporaliter hominem nutrit, & vinum corporaliter eum exhilarat, ità caro & sanguis Christi spiritualiter hominem nutriunt & lætificant.

S.

Corpus verò mysticum illa ipsa panis & vini species repræsentat, & significat ratione unionis: quia quemadmodùm ex multis granis fit unus panis, & quemadmodùm ex multis acinis in unum confluentibus vinum efficitur: Ita ex multis fidelibus tanquam ex variis membris charitate compaginatis unum corpus Christi, & illud mysticum, quod est Ecclesia, constituitur, ut ait S. Aug. tractat. 26. in Joan.

Alterum in hoc Sacramento considerandum, est res simul & Sacramentum, & ea res est Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi; quia & significatur per species visibiles, & significat mysticum ejusdem Christi Corpus, & gratiam invisibilem.

Tertium in hoc Sacramento considerandum, est res & non Sacramentum, & hujusmodi res est ipsum Corpus Christi mysticum, quod hoc Sacramento non continetur, sed significatur tantùm: & prætereà gratia invisibilis quam Sacramentum istud virtute continet & dignè suscipientibus confert, ut affirmat Estius in 4. sent. ad dist. 8. §. 2.

Circà primum Canonem sess. 13. Concil. Trident. considerandum est utrùm verè & substantialiter Christi Corpus, imò totus Christus contineatur. Sit itaque

QUÆSTIO VII.

Seu II. respectu citati Canonis.

Utrùm verum Christi Corpus ex Mariâ Virgine, in ipso Incarnationis Mysterio assumptum realiter in hoc Sacramento contineatur.

HUnc Fidei articulum seu orthodoxam totius Ecclesiæ Fidem Concil. Trid. luculenter explanavit in præfatâ session. 13. cujus verba, quia sunt ab Spiritu sancto dictata, hìc ea prætermittere nefas arbitramur.

Semper, inquit, hæc Fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius animâ & divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ, hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutrâ specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quâvis ipsius speciei parte, item sub vini & sub ejus partibus existit.

Hactenùs Concilium sessione 13. citâ à cap. 3. hæc verba omni acceptione digna, imò veluti totidem oracula de cœlo delapsa, suscipere, & colere tenetur quisquis sese Ecclesiæ Catholicæ membrum esse meminit & profitetur.

Hoc capite 3. citato reperit sancta Synodus, quod & in primo cap. ejusdem sess. affirmat his verbis: Principio docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationem, D. N. Jes. Christum verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri; Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster ad dexteram Patris in cœlo assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominùs aliis locis Sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per Fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus.

Illam ipsam doctrinam duobus hisce capitibus comprehensam idem Concilium sub anathematis interminatione ceu divinæ & orthodoxæ Fidei articulum toti orbi Christiano proposuit Canone 1. citatæ sessionis, ex traditione acceptam, ne quis hæreseon architectus nova quæpiam dogmata ab ipso Concilio in fidelium societatem invecta esse deblateraret.

His ità positis & explanatis existimo facturum me operæpretium, nec meum hunc laborem ingratum fore Catholico benevoloque lectori, si hìc commemorem quid contigerit nuperrimè inter Catholicum hominem sanè doctum, & inter teoctum quempiam Hæreticum ex occasione doctrinæ ab Concilio Tridentino, (cujus verba proximè retulimus) propositæ & liquidò definitæ. Cum enim delapsi essent hujusmodi homines in celebrem controversiam de reali præsentiâ Corporis Christi, statim efferbuit Hæreticus, & (quod Hæreticis solemne est) acriùs invectus est in Ecclesiam Romanam, velut in erroris matrem & altricem, à quo paululùm mitigato impetravit Catholicus, ut alternis vicibus loquerentur, suasque tuerentur partes vel explicando, vel objiciendo, vel respondendo, vel alio quovis modo, qui in legitimâ disputatione adhiberi solet. Annuit ille, & tum sic exorsus est Catholicus.

Hic incipiunt colloquia inter Catholicum & Hæreticum identidem habita. Catholicus hâc sectione primâ demonstrat realem Christi præsentiam ex Conciliis.

Catholicus.

SÆpenumerò mirari subiit, cur homines in Ecclesiâ baptizati, ex ejus sinu veluti transfugæ & desertores eruperint, ut doctrinam ab ejus dogmatis abhorrentem & alienam, & præsertim circà realem Christi præsentiam amplecterentur; cum idipsum eadem ipsa Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus ad sæculum usque decimum septimum, quod jam decurrimus per totum terrarum orbem constantissimè tam verbo quam scripto docuerit, & novissimè per Concilium Tridentinum in Spiritu sancto congregatum definierit, atque adeò contendimus pro indubitatis haberi oportere sequentia dogmata ab ipso non condita aut recens procusa (neque enim Concilia qualiacumque sint, condunt, aut novos Fidei articulos condere queunt, sed olim Prophetis, & Apostolis revelatos explicant & exponunt) sequentia, inquam, dogmata pro certis sunt habenda, utpotè non ab Concilio Tridentino, ut quidam perperam sentiunt, fabricata, sed declarata congruenter traditioni tàm scriptæ quàm non scriptæ, sicut ab aliis Conciliis in Controversiis circà fidem emergentibus factitatum esse novimus.

Cum igitur hujusmodi Concilium definierit Christum verè, realiter, & substantialiter in Eucharistiâ sub speciebus panis & vini contineri, mirum est, quod reperiantur homines, qui depravantes Scripturas in suam ipsorum perditionem, ut ait S. Petrus, & se suprà Concilii authoritatem efferentes, veram illam & realem, & substantialem Christi in isto Sacramento præsentiam negare, & in eo esse quidem, sed ut in signo tantum, vel figurâ vel virtute affirmare audeant.

Sectio prima, Hæreticus contendit Calvinum hanc ipsam Christi in Eucharistiâ præsentiam admittere.

Hæreticus.

HEus tu bone vir, video te parùm esse versatum in nostrorum Doctorum monumentis, & id verba perhibent tua: Nam si Calvinum sub cujus vexillis militamus, legisses, animadvertisses profectò illum non inficiari, quin Christus verum suum corpus fidelibus in hoc Sacramento exhibeat. Et ut id exploratum habeas, consule illum lib. 4. Institution. cap. 17. §. 10. & sua sensa hisce verbis promentem audies.

Summa sit, inquit, *non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent. Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent. Quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus verè in unum coalescat, nosque reficiat carnis suæ esu & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videtur in tantâ locorum distantiâ penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus quantum suprà sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergò mens nostra non comprehendit, concipiat Fides, spiritum verè unire, quæ locis disjuncta sunt. Jam sacram illam carnis & sanguinis communicationem, quâ vitam suam in nos transfundit Christus, non secùs ac si in ossa & medullas penetraret, in cœnâ etiam testatur, & obsignat: & quidem non objecto inani aut vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illic proferens, quâ impleat, quod promittit. Et sane rem illic signatam offert & exhibet omnibus, qui ad spirituale illud epulum accumbunt, quamquam à fidelibus solis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem verâ Fide animique gratitudine suscipiunt. Quâ ratione dixit Apostolus: panem quem frangimus, communionem esse Corporis Christi: Calicem, quem verbo & precibus in hoc consecramus, communionem esse sanguinis ipsius. Nec est quod objiciat quispiam figuratam esse locutionem, quâ signata rei nomen signo deferatur: fateor sane fractionem panis symbolum esse, non rem ipsam. Verum hoc posito, à symboli tamen exhibitione rem ipsam exhiberi ritè colligemus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso symbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis Dominus Corporis sui participationem verè repræsentat, minimè dubium esse debet, quin verè præstet atque exhibeat. Atque omninò isthæc piis tenenda regula est, ut quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem esse certò cogitent ac sibi persuadeant. Quorsum enim corporis sui symbolum tibi Dominus in manum porrigat, nisi ut de verâ ejus participatione te certiorem faciat? Quod si verum est præberi nobis signum visibile, ad obsignandam invisibilis rei donationem: accepto corporis symbolo, nonminus corpus etiam ipsum nobis dari certò confidamus.*

Hoc ipsum confirmat § 11. sequenti. *Dico igitur*, inquit, *in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi, adeòque corpus & sanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparandâ nobis justitiâ adimplevit: quo scilicet primum, in unum corpus cum ipso coalescamus; deinde participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione, virtutem quoque sentiamus.* Hæc ibi.

Idipsum asserit eod lib. 4. Institut. eod. cap. §. 24. Item ibid. §. 32. Item in def. 2 piæ & orthodoxæ doctr. tom. 1. p. 778. col. 2. Item in Harmon. Evang. in Matt. cap. 26. v. 26.

Catholicus ostendit Calvini sententiam de eâdem Christi præsentiâ, ab orthodoxâ Fide toto cælo discrepare.

Catholicus.

MEmini me legere apud Calvinum eadem quæ recitas verba, & sensa, sed tamen illum hâc in parte ab semetipso discessisse, & pugnantia posteà locutum esse exploratum habeo. Undè quamvis aliquot in articulis circà Sacramentum Eucharistiæ, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam amplexus esse videatur, illam tamen posteà (quantum in ipso fuit) hæretico corde pariter & dogmate labefactavit.

Nam lib. 4. Institut. cap. 17. jam laudato cum jam §. 10. & 11. aliqua saltem in speciem orthodoxæ Fidei consona protulisset, ea illico recantavit ejusdem cap. §. 12. *Jam*, inquit, *ad hyperbolicas mixturas quas superstitio invexit, descendo. Mirâ enim astutiâ hic lusit Satan, ut mentes hominum è cælo abstractas perverso errore imbueret, ac si panis elemento affixus esset Christus. Ac primò quidem præsentia Christi in Sacramento minimè talis nobis somnianda est, qualem Romanæ Curiæ artifices confinxerunt: ac si locali præsentiâ Christi Corpus manibus attrectandum, atterendum dentibus, & ore deglutiendum sisteretur.*

Postremis hisce verbis apparet Calvini Sententiam, circà Eucharistiæ Sacramentum esse longè diversam ab orthodoxâ Ecclesiæ Apostolicæ, & Romanæ doctrinâ. Ac reipsâ quidem, quicquid aliundè garriat, licet multa sparsim, & magnifica, & propiùs ad veram Fidem specie tenùs accedentia protulerit in hujus Sacramenti laudem, illud tamen ad nudam & inanem figuram redegit, utpotè qui in eo duntaxat Corporis & Sanguinis D. N. Jesu Christi, figuram inesse pari ad errorem pertinaciâ contenderit. Et talem ejus mentem extitisse constat ex pluribus ejus operum locis.

Sicut & constat illum docuisse Christum prout est, manere in cælo, nec indè regredi, & quanquam nostræ animæ non sint in cælum translatæ, sed nostris corporibus copulatæ maneant in terris, eas non solùm percipere effecta Passionis Christi: verumetiam reipsâ & verè percipere per os ejusdem Fidei substantiam Corporis D. N. Jesu Christi, ità ut vera substantia ejusdem Corporis D. N. Jesu Christi verè animarum nostrarum substantiæ uniatur. *Nihil enim*, inquit, *magis incredibile quam res toto cæli & terræ spatio dissitas, ac remotas in tantâ locorum distantiâ, non solùm conjungi, sed uniri, ut alimentum percipiant animæ ex carne Christi.* Ità ipse Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 24.

Ex his duo sequuntur errores, imò hæreses, quarum,

Prima est, Corpus Christi non contineri sub speciebus panis & vini, sed in hoc Sacramento esse tantum ut in signo, & in figurâ, cùm verba quibus institutum est a Christo, non in vero, & sese primum offerente, sed in figurato sensu, accipi oporteat, ut tam sæpè inculcatis.

Altera hæresis est, Corpus Christi non percipi ore corporis, nec manducari realiter & substantialiter, sed tantùm intentionaliter (ut loqui soletis vos) id est per apprehensionem Fidei, per quam præsens in hoc Sacramento sistitur Christi corpus, quod alioquin ibi non existeret.

Hæreticus.

Non video sanè, quorsùm duabus propositionibus abs te proximè recitatis hæreseos notam inurere studeas. Quis enim ignorat in his propositionibus, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, has voces (*Corpus & Sanguis*) accipi oportere pro corpore & sanguine sacramentali, & figurativo Christi Domini, non autem pro proprio ejus corpore & sanguine naturali, ideoque hujusmodi propositiones esse figuratas. Quemadmodum, ut inquiunt nostri Doctores & Ministri, hæ propositiones, *Ecce Rex, ecce Regina*, possunt perindè intelligi de eorum imagine ac de propriâ ipsorum personâ: Ità hæc verba: Hoc est corpus meum, &c. perindè de signo, & de figurâ Corporis & Sanguinis Christi, ac de ejus naturali corpore, & sanguine intelligi possunt.

Catholicus probat adversus Hæreticum duas hasce propositiones, Christi nempè corpus esse in Sacramento, ut in figurâ & in eodem Sacramento orali manducatione non manducari, esse verè hæreticas.

Catholicus.

REspondeo non posse, sicut oportet, internosci propositionem propriam & figuratam, quin sequentia accuratiùs expendantur si quis v.g. diceret, ecce Regem propiùs ad nativam similitudinem adductum,

ecce reginam graphicè depictam, hoc sanè de illorum effigie, non autem de personâ dictum acciperetur, atque adeò hujusmodi propositiones citrà controversiam figuratæ censerentur: si quis autem ità loqueretur: Rex aciem instruit; Regina ingreditur templum sacris mysteriis interfutura: Istæ propositiones haud dubiè non jam de eorum imaginibus, sed de personis, ab quolibet sanæ mentis acciperentur.

Hoc posito, si dixisset Christus: hoc est corpus meum ex aquâ & farinâ confectum: hic est sanguis meus ex multis acinis seu uvis expressus, tales propositiones proculdubiò essent figuratæ, utpotè quæ de figurâ corporis & sanguinis ejus intelligerentur. Cum autem dixerit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &, hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur: proculdubiò de suo corpore & sanguine naturali intelligi voluit. Et reverà postrema verba istarum propositionum satis superque demonstrant, priora esse in vero & naturali sensu accipienda, cum enim dixit suum corpus pro multis traditum iri, liquidò declaravit, sese loqui de vero illo & naturali corpore, quod in intemeratæ matris utero per mysterium Incarnationis assumpsit: siquidem illud ipsum corpus verè traditum est Judæis, verè crucifixum, verè in Cruce (quam aram totius mundi appellat S. Leo) pro nostrâ omnium salute immolatum est: sicut & sanguis in remissionem peccatorum effusus est.

Tale argumentum Bezæ Calvini discipulo tàm ineluctabile visum est, ut Epist 5. ad Alamannum inscriptâ sic loquatur: *Hæc*, inquit, *verba, pro vobis traditur, &, pro vobis effunditur, eò te necessariò adigunt, ut vel invitus ea de verè Corporis & Sanguinis Christi substantiâ intelligenda esse fatearis.* Et ibidem: *Si per hæc verba Corpus & Sanguis, panem & vinum intelligi oporteret, sequeretur panem pro nobis esse crucifixum, & vinum pariter pro nobis in Cruce effusum fuisse.* Quod citrà teterventem blasphemiam proferri non potest.

Item ille ipse Beza in suâ Creographiâ p. 271. *Dicimus*, inquit, *in eo sermone* (nempè Joan. 16.) *& in verbis institutionis cœnæ, carnem, corpus, sanguinem in proprio & nativo sensu usurpari.* Siquidem eo sensu accipiendum est corpus in hoc Sacramento, quo immolatum in Cruce dicitur, & eo sensu accipiendus est sanguis, quo in eadem Cruce est effusus, atqui corpus Christi verum est immolatum in Cruce, & ejus sanguis verus est pariter effusus in Cruce, ergò & verum Christi corpus verè in Eucharistiâ traditum est ab ipso, & verus ejus sanguis ab eodem donatus est.

Si quis contrarium sentiat, æquiparandus erit Simonianis, & Menandrianis, & similibus Hæreticis, quos S. Ignatius Antiochenus Episcopus & Martyr affirmat in Epist. ad Smyrnæos ab oratione & Eucharistiâ abstinuisse, eò quod non confiterentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater suâ benignitate suscitavit.

Undè concludit eos contradicentes huic dono Dei altercantes mori: Quamvis enim id genus Hæretici non tàm Eucharistiæ, quàm Incarnationis mysterium oppugnaverint, inficiati Christum Dominum habere carnem, quam verè ab ipso assumptam nostrates Heterodoxi confitentur; in hoc tamen utrique conveniunt, quod caro Christi in hoc mysterio non contineatur: Siquidem ejus dumtaxat figuram in eo exhiberi pervicacissimè contendant, nec ibi illam ipsam carnem præsentem sisti, nec manducari nisi per Fidem, quod utrumque verbo Dei tantum adversatur, quantum cælum ab ipso terrarum ambitu dissitum & remotum est.

Hæreticus.

Sectio secunda, Hæreticus contendit, verbum substantivum, est, indicare Corpus Christi esse in Eucharistiâ tantum ut in signo.

Bellè tibi & eruditè ratiocinari videris, sed longè aliter persuasum haberes, si vel advertisses, vel meminisses verbum substantivum (esse) sæpenumerò in Scripturis usurpari pro infinitivo (significare) ità ut verbum substantivum quod idem sonat ac significare in multis Scripturæ locis, in hâc etiam propositione (hoc est corpus meum) in eodem sensu usurpari debeat, & indè necesse sit affirmare & dicere, hoc significat corpus meum, non autem hoc est corpus meum, ut contenditis vos; non enim est potior ratio cur verbum substantivum accipiatur pro verbo (significo) uno in loco Scripturæ, quàm in altero, atque adeò si Genes. cap. 40. v. 12. & 18. legimus tres propagines, tres dies sunt: tria canistra, tres dies sunt: & si in eodem Geneseos libro capite 41. v. 26. legimus: septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt: septem boves tenues atque macilentæ, & septem spicæ tenues septem anni venturæ sunt famis, quibus in locis verbum, sunt, idem est ac significant: Si denique in pluribus aliis ejusdem Scripturæ locis quæ prolixitatis vitandæ gratiâ prætereo, verbum esse idem valet & sonat ac significare, cur in allatâ propositione in eodem sensu quo usurpatum est in hujusmodi locis, usurpari non poterit?

Catholicus.

Hoc Commentum catholici refellet Catholicus.

Bellè sanè & eruditè ratiocinareris, si ex locis Scripturæ quæ protulisti, & in quibus demonstrasti verbum substantivum (est) idem sonare ac verbum istud (significat) adversum nos inferre, id est ex eâdem Scripturâ demonstrare posses, idipsum de Eucharistiæ Sacramento, ac de aliis abs te allatis affirmari oportere, hoc est si manifestum afferres Scripturæ locum qui disertè & perspicuè diceret: Ità Christi Corporis sui Sacramentum instituentis verba (hoc est Corpus meum) rectè resolvuntur & explicantur per hanc propositionem, hoc significat corpus meum; verùm cum ne unum quidem verbulum è Scripturâ proferre possis, quo commentitiam illam vestratium Ministrorum explicationem astruere valeas, tu te profectò exarmatum & prostratum fateare necesse est. *Hæreticus.*

Quid ità?

Catholicus.

Catholicus declarat hanc verbi substantiam acceptionem pro verbo (significat) positam non reperiri in Scripturâ, quam Hæretici agnoscunt pro solâ Fidei Regulâ, & hoc probat usque ad sectionem tertiam.

Non meministi, opinor, vestræ & præcipuæ, & unius (quam vobis præfixistis) regulæ, unam scilicet Scripturam esse vestræ Religionis, quæ se reformatam gloriatur, regulam: ità ut quicquid in Scripturâ non continetur evidenter, id pro falso, nec umquam pro Fidei articulo habeatis. Ex isto vestræ Synagogæ fundamento, velut ex armamentario nos Christiani Catholici extrahimus arma victricia, quibus haud dubiè profligantur perversa illa dogmata, per quæ Catholicæ doctrinæ puritatem hactenùs adulterare & inficere conati estis, & etiamnùm recrudescente in Christi Ecclesiam odio contenditis.

Hoc posito, sic argumentor, Quisquis aliquid in con-

troversiam evocatum asserit, illud ipsum congruenter iis, quæ sequitur, principiis probare, & astruere tenetur: Ergò cum Calvinistæ & eorum asseclæ, qui superbo reformationis titulo efferuntur, passim & apertè profiteantur sese adhærescere ad unam duntaxat Scripturam, seu ad scriptum Dei verbum, ad quod admetiuntur omnes fidei suæ articulos, & citrà quod nullum admittunt, eorum est perspicua ex eodem Dei verbo proferre testimonia, quibus astruant distinctiunculas & effugia, per quæ Catholicæ doctrinæ dogmata subruere moliuntur. Ergo cum agatur de reali præsentiâ corporis Christi per verba institutionis evidenter expressâ, (ut liquidò probavimus; & illi realem illam præsentiam oppugnent commentitiâ interpretatione, cujus ne umbra quidem sublucet in scripto Dei verbo, non immeritò accusabuntur ab Catholicis velut homines rebelles lumini, & adulterantes verbum Dei.

Quod quidem verbum Dei nullibi declarat ista Christi verba, hoc est Corpus meum, sic esse accipienda, ut sonent idem quod hæc propositio (hoc est figura Corporis mei.) Quod cum ita sit, nemo est Catholicus, quin hujusmodi homines, ceu teterrimos Sycophantas abhorrere debeat, utpotè qui Christi Domini verba pura, simplicia, perspicua, & ex ipsâ veritate profecta, in obscurum, fallacemque sensum sacrilegâ mentis excæcatæ vertigine detorqueant.

Hæreticus.

Bona verba quæso, effervescis intemperantiùs, cohibe paululùm istos impetus. Nonne licet interpretari Scripturam, quam nos unam nobis fidei regulam præfiximus?

Catholicus.

Id fateor, mihi bilem commovet, quod vos Scripturam accersatis in vestrarum Hæreseon patrocinium, imò unicam vestræ fidei regulam statuatis, & tamen nullum proferatis ex eadem scripturâ locum, quin vel falsatus fuerit ab vestris Ministris, vel certè per adulterinam interpretationem detortus in hæreticum errorem. Fatemur equidem licere Scripturas interpretari, sed non privato cuilibet: id enim nefarium est, & manifestè adversatur Scripturæ id nominatim prohibenti 2. Petri cap. 1. v. 20. *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit, Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quod autem prophetia hoc loco omnis Scripturæ divinitùs inspiratæ legitimam expositionem significet, constat ex Rom. cap. 12. & 1. Cor. cap. 12. 13. & 14. 1. Thes. cap. 5. Probat igitur hoc loco sanctus Petrus Scripturam sacram non esse interpretandam proprio sensu & arbitrio, sed (quod satis indicat) in ejus interpretatione adhærescere oportere ad sensum Ecclesiæ, quam velut unam ejus, & legitimam interpretem, & controversiarum omnium circa fidem & bonos mores emergentium, veram & incorruptam disceptatricem & judicem intueri necesse est, utpotè quæ ab Spiritu Dei ab ipsâ nunquam recessuro (ut repromisit Christus Jesus) usquequaque moveatur, & dirigatur. Unde colligimus Scripturas ab eodem spiritu esse interpretandas, à quo dictatæ sunt & ad nos allatæ: referventissimum igitur crimen admittit quisquis scripturam suo prolubio interpretatur, & (quod caput est) eum quem excogitaverit & confinxerit sensum, pro certis orthodoxæ fidei articulis venditat.

Ab hujusmodi peccato, imò sacrilegio vindicari non possunt vestrarum Hæreseon Architecti. Nam ore tenus, se sacras Litteras amplecti & sequi profitentur, eas tamen repudiant, cum eorum placitis & commentis adversantur, vel negando esse canonicas, vel præpostero sensu corrumpendo, ut patet in hâc controversiâ, in quâ contendunt verba Christi relata ab Evangelistis S. Matthæo, S. Marco, & S. Lucâ, & ab Apostolo Paulo esse intelligenda non de vero & naturali Christi corpore, sed de significatione corporis Christi: Qui quidem sensus Scripturæ, & toti antiquitati, hoc est sanctis Patribus, & Conciliis, hoc est toti Ecclesiæ, per totum terrarum orbem realem Christi præsentiam ab omni ævo professæ, ex diametro repugnat. Ergo vestri Antesignani sese efferunt supra Scripturam prohibentem, ne quis ipsam proprio sensu & arbitrio explicet; supra sanctos Patres, quos semper, ut orthodoxæ traditionis custodes, & locupletissimos Scripturarum interpretes Catholici coluerunt: supra Concilia œcumenica, quorum oracula in rebus ad fidem, & ad bonos mores pertinentia omnium sæculorum reverentia consecravit. Sunt enim hujuscemodi Concilia veluti suprema tribunalia, quibus nulla sunt in terris superiora, atque adeò nulla, ad quæ provocare liceat: Sese denique supra omnem Ecclesiam extollunt, quæ est columna & firmamentum veritatis, utpotè quæ ædificata sit supra Petram, & sicut adversus eam nusquam portæ inferi prævaluerunt, ita nec unquam prævalebunt. Quæ cum ita sint, quis dubitet vos graviter reprehendi, & designari ab Apostolo Petro aiente *in sancti Pauli omnibus Epistolis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* 2. Petri cap. 3. v. 16.

Hæreticus.

Scripturas non corrumpimus, neque hac in parte, neque in aliâ, sed contendimus in Eucharistiâ verbum, *est*, esse positum pro verbo, *significat*, eò quod Hebræorum lingua careat vocibus idoneis ad hanc propositionem exprimendam, hoc significat corpus meum.

Catholicus.

Hæc est ratio admodum jejuna, atque adeò futilis & evanida, multis de causis.

1. Constat hanc vocem, *signum*, esse apud Hebræos usitatam, ut Gen. cap. 9. v. 12. *hoc signum fœderis, quod do inter me & vos.* Et ibidem v. 13. *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.*

Poterat ergo Christus Hebraïcè loquens, poterat Hebraïs vocibus exprimere hanc propositionem: hoc est signum corporis mei. Unde patet effugium adversariorum cum ignorantiâ, vel malitiâ conjunctum. Siquidem ignoræ pluribus linguæ tenebris veritatem obumbrare voluerunt arbitrati ejus arcana ab nullo perquirenda, tametsi ad retegendas eorum hac in parte technas non magna requiratur istius linguæ peritia. Reverà si consulantur Lexica Hebraïca tam ab nostris quam ab ipsis elaborata, facile advertere erit Christo non defuturas fuisse voces Hebraïcas, quibus suam in institutione venerabilis Sacramenti mentem & voluntatem patefacere potuisset, atque adeò turpiter hallucinantur hæretici, cum contra Scripturas asserunt hæc Christi verba, hoc est corpus meum, nihil aliud sonare nec continere, quàm istam propositionem, hoc significat Corpus meum, vel hoc est signum Corporis mei.

Huc accedit quod viri apprimè docti observarunt in duodecim locis, ex quibus probare volunt adversarii verbum substantivum (*sum*) in Hebræorum codicibus usurpari pro verbo (significo) nullo pacto reperiri in veteri testamento: ut puta Gen. cap. 40. v. 2. & 18. cap. 41. v. 26. Ezechiel. cap. 37. v. 11. Daniel. cap. 2. v. 38. &c.

2. Dato non concesso, quod linguæ Hebraïcæ penuria, & sterilitas nullum habuerit verbum, per quod Christus declarare posset se suis Apostolis cæteris-

quæ fidelibus porrigere id quod significaret, corpus suum ceu signum esset corporis sui, non propterea de veritate quâ realem Christi præsentiam in Eucharistiâ propugnamus, nostri triumphare possunt adversarii. Nam Evangelistæ & S. Paulus qui Eucharistiæ institutionem retulere, scripserunt Græcè: Græcis ergo litteris omnigenâ vocum omnium feracitate ubertimis commentitium eorum sensum (quo contendunt Christum in ipsâ Eucharistiæ institutione nihil aliud voluisse dicere, quàm, hoc est signum corporis mei, nullo negotio exprimere poterant.) Quod cum non fecerint, præbuere nobis Christianis Catholicis inexpugnabile argumentum, cujus vi toto sæculorum omnium curriculo hæreses adversus venerabilis Sacramenti veritatem jam ortas, aut posthac orituras strenuè refelleremus. Cum enim omnis scriptura sit divinitùs revelata, ut loquitur Doctor gentium in veritate, nemo sanæ mentis & fidei inficias ierit, quin scriptores Canonici, revelante, & dictante Spiritu sancto afflati, imò animati Christi opera & miracula prout gesta sunt, & ejus verba prout & in illo ipso, quo ab ipsomet prolata sunt, sensu litteris prodiderint: Atque adeo nemo illorum scripta per se perspicua, & evidentia alienum in sensum detorquere potest, quin Spiritui sancto, qui Evangelistarum & Apostolorum animos calamosque vel ad summos apices efferendos, indefinenti præsidio direxit, sacrilegâ temeritate & audaciâ resistat.

3. Et si in nonnullis scripturæ locis verbum substantivum (sum) pro verbo, significo, usurparetur, non inde rectè colligi posset, illud etiam usurpari oportere in verbis Christi Eucharistiam instituentis. Nam nemini Philosophum, vel infantissimum latet juxta communes Logicorum regulas, omnem inductionem ex principiis particularibus deductam esse futilem & ridiculam. Is enim sese omni homino generi, deridendo propinaret, qui concludere vellet omnes omninò Imperatores fortissimos extitisse, quia Cæsar, Alexander & alii id genus plurimas nationes incredibili fortitudine domuerunt. Omnium enim gentium annales plurimos Sardanapalo similes, & supra quam dici potest, effœminatos extitisse commemorant.

Præterea propositiones figuratæ quas ex scripturâ proferunt adversarii, toto cælo discrepant ab eâ, quâ contendimus verum Christi Corpus in Eucharistiâ contineri. Nam in illis, quibus utuntur propositionibus, adhibentur termini penitùs naturâ diversi; Unde perspicuum est unum non posse de alio verè & propriè prædicari, sed figuratè dumtaxat: è contra autem in hac propositione, hoc est Corpus meum, pronomen demonstrativum (hoc) nihil designat peculiare quod naturæ vel substantiæ Corporis Christi repugnet.

4. Observandum est in propositionibus figuratis aliquid adjici, utplurimùm, quibus ab aliis propositionibus nativo verborum significatu enuntiaris differant.

Quod aliter se habet in hac propositione Christi: hoc est Corpus meum: in quâ adeò nihil reperitur quod figuratum sensum exigat, ut ex adverso quod sequitur, illam in proprio & naturali sensu accipiendam esse sole meridiano clariùs astruat. Cum dicit Christus Joannis capite 15. se esse vitem, & Christianos esse palmites, id secundùm S. Augustinum ab eo dictum est per figuram & similitudinem quam explicat ipse Christus ibidem: *sicut palmes*, inquit, *non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.*

Hanc igitur propositionem nemo non figuratam esse concesserit: nemo enim crediderit Christum esse vitem instar vitium, quæ proferunt uvas, ad conficiendum vinum idoneas, nec ullus crediderit nos esse veros & nativos palmites, qui nullum afferunt fructum nisi adhærescant viti & ex eâ succum, alimentum, & fœcunditatem accipiant; sed universi vel levi vitæ Christianæ notitia imbuti persuasum habebunt, nihil nos posse moliri, vel promereri, quin Christo per fidem, spem & charitatem adhæreamus, & per ejus gratiam fructus æternæ gloriæ dignos afferamus.

In istam verò propositionem, hoc est Corpus meum, nihil tale cadit. Quod enim illam sequitur, nempè quod pro vobis tradetur, perspicuè declarat idem corpus Apostolis esse traditum à Christo, quod pro ipsis & pro omnibus immolatum est in ligno, unde realis ejus præsentia, quicquid obstrepant Calvinistæ, in Eucharistiâ ex nativo & aperto sensu præfatæ propositionis, & ex ve bis eam proximè consecutis, pari ad perspicuitatem soliditate stabilitur & evincitur.

5. Notandum est adversus Heretodoxos omnia testimonia quæ proferunt ex Scripturâ, & in quibus verbum est (idem sonat ac (significat) continere propositiones dumtaxat speculativas, non autem effectrices & operativas.

Quod ut magis eluceat majorum gentium Theologi docent esse admittendum duplex propositionum genus, quarum aliæ sunt speculativæ, aliæ verò effectrices, seu operativæ, quia scilicet enuntiationes simplices veræ in quibus alterum de altero per copulam (est) enuntiatur, duplici proferuntur intentione, vel asserendi, quod est in ipso prolationis tempore, vel faciendi quod significatur, quod reverà futurum est, absolutâ enuntiationis prolatione. Unde colligitur propositiones speculativas esse illas, quæ proferuntur intentione affirmandi id, quod est, vel ita se habet, ut significatur illo ipso tempore, quo proferuntur, ut cum dico, Paulus prædicat, Dies est, & alia id genus.

Propositiones autem practicæ seu effectrices & operativæ illæ sunt, quæ proferuntur non intentione affirmandi id, quod est, aut ita se habet, ut significatur in ipso prolationis exordio, vel interim dum proferuntur; sed intentione faciendi id quod ejusmodi enuntiatione significatur, quodque tum demùm erit, aut ita ut significatur, se habebit, quando enuntiatio integra prolata fuerit. Si quis verbi gratiâ intendat suam domum alicui donare, & illam manu demonstrando, dicat: hæc est domus tua, non intentione affirmandi quod non est, sed faciendi quod pronuntiat, id est transferendi dominium & proprietatem suæ domus in illum cui illam ipsam manu demonstravit, hæc propositio censebitur effectrix & operativa; utpotè non ad asserendum id quod non erat, sed ad efficiendum quod non erat, prolata fuerit. Ita de hac propositione, hoc est corpus meum, loquendum & prædicandum esse Ecclesia toto terrarum orbe longè lateque diffusa ab omni ævo credidit, & docuit. Hisce propositionibus sæpenumerò usus est Christus in Evangelio. Cum enim ait, & significat mulieri peccatrici, *remittuntur tibi peccata tua*. Luc. 7. non solùm declarat esse remissa, sed reipsa remittit: Hoc ipsum per hæc verba, hoc est Corpus meum, effici & præstari: hoc est eorum verborum efficaciâ in Eucharistiâ præsentem sisti Christum nemini sanæ mentis & fidei dubitare nedùm inficiari fas unquam extitit.

Hæreticus.

Hanc propositionem de quâ quæstio est, esse effectricem & operativam gratis & perperàm asseritur. Nam tunc pronomen demonstrativum (hoc) supponeret pro corpore, atque ita fieret propositio identica, quæ cordato cuique risum excuteret.

Sectio Tertia.

Declarat & probat Catholicus hanc propositionem (hoc est Corpus meum) esse effectricem, nec dici posse identicam.

Catholicus.

DUo nobis tuâ illâ responsione objicis. Primum est præfatam propositionem non esse effectricem & operativam. Secundum est indè sequi quod illa propositio, si esset operativa, esset pariter identica & ridicula.

Quod spectat ad primum caput, quo contendis gratis, & perperàm illam propositionem inter effectrices & operativas recenseri, facilè refelli potest.

Nam confidenter assero (quod negare non potes) esse plures id genus propositiones in scripturâ, nec posse eam, de quâ agimus, ex earum numero expungi; cum præsertim ne umbram quidem id faciendi præbeat scriptura, citra cujus authoritatem nihil in materiâ fidei credere aut admittere nefas existimatis. Prætereà tota sanctorum Patrum societas id affirmat, ut passim in eorum scriptis legere est.

S. Ambrosius id evidenter prædicat multisque locis & præsertim in lib. 4. de Sacram. cap. *Vere*, inquit, *magnum est & divinum miraculum quod populo pluit Deus Manna de Cælo, & non laborabat populus & manducabat. Tu fortè dicis: meus est Panis usitatus. Sed Panis iste, Panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de Pane fit Caro Christi. Hoc igitur astruamus. Quomodo potest qui Panis est, esse Corpus Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est & cujus sermonibus?* Domini *Jesu*. Et paulò post: *Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempè is quo facta sunt omnia. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi.* Et paulò post. *Ergo tibi ut respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam Corpus est Christi: ipse dixit, & factum est.* Hæc citato cap. in quo variis exemplis Transsubstantiationem ineluctabiliter probat.

In eodem libro eamdem realem Christi præsentiam probat cap. 5. & 6. tam solidè ut nihil ejus verbis adjici possit aut debeat.

Hæreticus.

Homines emunctæ naris, quales sont Aubertinus in lib. de Eucharistiâ. Faucherus lib. 2. de Cœnâ Domini cap. 10. Blondellus in Elucid. suis de Eucharist. Rivetus Critici sacri lib. 3. cap. 18. affirmant sex libros de Sacramentis indignos esse, qui sancto Ambrosio, cæteroquin gravissimo & politissimo, propter barbariem & styli humilitatem ascribantur: ideoque nihil ex illis colligi potest, quo vestra causa fulciatur.

Hîc demonstrat Catholicus sex Libros de Sacramentis jure ac meritò sancto Ambrosio ascribi.

Catholicus.

FAtemur nos omnes hujusmodi librorum stylum esse humilem & demissum, negamos tamen eos S. Ambrosio posse propterea abrogari. Sicut enim. (ut testatur S. Augustinus lib. 4. de doctrin. Christianâ cap. 21.)

Sanctus Ambrosius cùm agat rem magnam de Spiritu Sancto, ut eum Patri & Filio demonstret æqualem: submisso tamen dicendi genere utitur, quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos, commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat: ita dicere possumus Sanctum Ambrosium alioquin styli majestate conspicuum, humilem stylum adhibuisse cum Corporis Christi veritatem fideles, rudes præsertim & imperitos docere voluit. Quod & ab S. Cypriano idem argumentum pertractante factitatum esse, testatur ibidem S. Augustinus: Beatus, inquit, Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro ubi de Sacramento Calicis disputat.

Præterea S. Ambrosius idem quod in 4. lib. de Sac. cap. 4. 5. & 6. asserit, affirmat in lib. singulari de initiandis cap. 9. quæ doctrinæ consonantia hujuscemodi libros, nempè sex libros de Sacramentis licet humili charactere conscriptos, & librum de initiandis ab eodem authore elaboratos esse liquidò contestatur.

Tanta enim erat sanctorum Patrum charitas, ut omnia omnibus fierent, id est sese attemperarent ad cujusque captum, & ideò jam in fide robustos solido sublimiorum mysteriorum cibo pascerent, & alios adhuc infirmiores lacte, id est primis Christianorum dogmatum elementis, vel facilioribus documentis, veluti parvulos nondum ab materno ubere depulsos, alerent. Perperàm ergo ratiocinatur quisquis aliquod opus etsi humiliore stylo depressum alicui ex Patribus abrogare conntitur.

Præterea multis argumentis libri sex de Sacramentis asseruntur sancto Ambrosio. Nam

1. Omnes Editiones hujusmodi libros sub nomine Ambrosii fecerunt publici juris, ut videre est in pluribus identidem evulgatis, quarum prima est Basileensis anno salutis 1499. Quod & confirmatur aliis Editionibus posteà consecutis.

2. Id probant codices multò vetustissimi qui nomen Ambrosii præferebant.

3. Quia sub nomine Ambrosii tales libri citantur ab Magistro sententiarum, Gratiano, Algero, Guitmundo, Ivone Carnotensi, Lanfranco, Durando, Abbate Troarnensi, Baione Lingonensi, Bertramo, Paschasio, Ratberto de Corpore Christi; ergo hujusmodi citati sunt ab octingentis annis & pluribus. Siquidem Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis floruit IX. sæculo ab anno scilicet 818. usque ad 851. Unde apparet allucinatio Riveti aientis præfatos libros ab nemine citatos esse ante Lanfrancum Cantuariensem Episcopum, qui floruit XI. sæculo nempè ab anno Christi 1059. usque ad annum 1089. Hac in parte me tibi satisfecisse arbitror.

Hîc Catholicus ostendit præfatam propositionem (hoc est Corpus meum) non esse identicam.

QUod spectat ad alterum caput, nempè hanc propositionem, hoc est Corpus meum, fore identicam, si pronomen demonstrativum (hoc) ad Corpus Christi referatur, nemini fit verisimile: Neque enim istud pronomen demonstrat Panem, sed eam rem singularem, nempè Corpus Christi, de quo attributum finitâ prolatione verè prædicatur; Quamvis igitur subjectum & attributum pro unâ eademque re singulari accipiantur in præfatâ propositione, quæ aliter vera esse non posset, non tamen identica debet appellari. Neque enim sensus ejus est, Corpus meum est Corpus meum, sed enuntiatio est communis attributi de singulari subjecto, sicut ista, hic est liber meus, ut doctè observavit Estius in 4. sent.

Non igitur pronomen demonstrativum (hoc) demonstrat Panem, neque significat substantiam quamdam vagam, sed Corpus Christi sub generali notione, quæ determinatur & restringitur ad substantiam Corporis Christi, statim atque absoluta est attributi pronuntiatio, seu totius & integræ propositionis prolatio. Quod quidem tali exemplo illustra-

ri potest. Si hominem indigitando, dicam; hoc est homo, pronomen (hoc) designat equidem hominem, sed sub generali notione substantiæ, quæ posteà ad specificam hominis substantiam determinatur. Si quis diceret, hic homo est homo, propositionem sanè vitiosam efficeret eo nomine, quod unam eamdemque rem eodem planè modo, id est sub eodem conceptu, de illâ ipsâ prædicaret: verùm qui dicit, hoc, quod mox visurus es, est homo, rectè loquitur, & juxta quotidiani sermonis inter homines usitati consuetudinem, tametsi subjectum & attributum in unam eamdemque rem coalescant, eo quod illa una eademque res, sub diversis conceptibus significatur & enuntiatur.

Ex dictis rectè & Theologicè conficitur hanc propositionem, hoc est Corpus meum, non esse identicam. Est enim illa propositio identica, in quâ res una & eadem, eodem vocabulo, aut synonymo de seipsâ enuntiatur, quales sunt hæ: homo est homo, gladius est ensis: Cum igitur præfata propositio non possit resolvi in hanc (Corpus meum est, Corpus meum) non potest identica appellari, eo quod tametsi pronomen (hoc) finità propositione demonstret Corpus Christi, non tamen illud significat.

Quod ut illustriùs appareat observandum est cum Cardinale Petronio Hæreseon debellatore acerrimo, perperàm ab hæreticis confundi hæc duo verba (demonstrare nimirùm & significare) inter quæ magnum discrimen intercedit. Nam pronomina non sunt ad significandum instituta, sed solùm ad demonstrandum vel referendum excogitata, prout sunt demonstrativa, vel relativa. Quapropter dicta sunt pronomina, id est nominum locum tenentia, eo quod non immediatè, & per semetipsa significent, sed demonstrando vel referendo, nominum vices & officia quodammodò suppleant: Atque adeò in hoc pronomina demonstrantia & nomina secernuntur, quod nomina rem quam significant, exprimant & determinent, non autem pronomina, utpotè quæ nihil significent ex primævâ sui institutione, sicut nomina, sed demonstrent tantum propter usum & applicationem loquentis, cum scilicet ea modò ad unam rem, modo ad aliam demonstrandam adhibet: cum ex sui institutione nullam rem quampiam determinatam significandi officium obtineant, sed solùm confusè demonstrandi individui alicujus substantiam, eâ conditione, ut sistatur præsens eo tempore & loco, quem loquens designaverit, & eo instanti quo loquitur, non autem secundum ullam determinationis aut specificationis essentialis conditionem, ut loquuntur Theologi. Eam ob rem cum nomina ex sui institutione directè, immediatè & per semetipsa significent eas res ad quas significandas sunt instituta, pronomina ex institutoris arbitrio nihil peculiare demonstrant, nisi per accidens, in quantum scilicet is qui loquitur, ipsa modò ad unam, modò ad aliam rem demonstrandam applicat: ita ut ex vi suæ institutionis nihil omninò, præterquam confusâ significatione significent, atque adeò hujusmodi significatio nullum penitùs distinctæ specialisque notionis gradum ingeneret in animo illius, apud quem proferuntur. Unde fit, ut quamvis unam eamdemque rem per nomina significatam demonstrent, non tamen eam eodem, quo nomina, modo, sub certo nempè conceptu atque determinato significent. Ideo cum in aliquam propositionem ineunt cum nominibus, illud ipsum quod pronomina demonstrant, significantibus, propositionem identicam non faciunt.

Potest quis v. g. prædicare de lapide, hoc est lapis, demonstrando per pronomen (hoc) eumdem lapidem significatum per hoc attributum (lapis) nec proptereà propositio erit identica; eo quod pronomen (hoc) demonstret quidem lapidem sed non exprimat, & nomen lapis, lapidem significet & exprimat; & ideò conceptus, quos pronomen (hoc) & nomen (lapis) nostris in animis ingenerant, sunt formaliter ab invicem distincti.

Nam pronomen (hoc) in animo nostro nihil aliud efficit præter confusum quemdam conceptum substantiæ consideratæ sub simplici & accidentariâ conditione, sese præsentem exhibendi in loco & tempore, quod ab loquentis voce gestuque determinatum fuerit. Atque adeo quicquid pronomen demonstrare, & cum quocumque attributo etiam determinato copulari valeat, numquam tamen propositionem identicam facitare poterit.

Quod si eo duntaxat nomine, quod pronomen, quod quidem propositionis subjectum efficit, & attributum, quod illi per verbum substantivum (est) copulatur, pro eodem supponunt (ut loquuntur Dialectici) propositionem identicam esse sequeretur, nulla sanè dari posset propositio affirmans quin esset identica. Nam tritum & pervagatum est illud axioma Logicorum, in omnibus scilicet propositionibus affirmantibus subjectum & attributum pro eadem re supponere oportere, alioquin esse falsas. Quod affirmari non potest. Siquidem propositiones ex definitione & definito constitutæ, quæ sunt perfectiores, & quæ veris absolutisque demonstrationibus primum veluti fundamentum substernuntur, essent identicæ, atque adeò futiles & ineptæ, quod nemo Philosophus vel infantissimus concesserit. Cum enim dico, homo est animal rationale: ea vox (homo) præter animal rationale nihil significat: & quid aliud animal rationale præter hominem designat? usque adeò verum est, hominem, & animal rationale, pro unâ & eadem re perfectè & pariter supponere. Siquidem propositiones identicæ tales denominantur, non quod earum subjectum & attributum unam eamdemque rem denotent aut significent, sed quod unam eamdemque rem eodem planè modò significent, nec subjectum majorem & nitidiorem rei de quâ sermo est, conceptum & notionem quam attributum audientis animo ingeneret. Inde Theologicè & Catholicè concludimus, hanc propositionem, hoc est Corpus meum, ad litteram prout sonat, intelligendam esse de vero Christi corpore, nec propterea identicam appellari posse: quia pronomen demonstrativum (hoc) demonstrat notione quadam generali verum Christi corpus, sed cum absolutâ illius ipsius propositionis pronuntiatione, notio illa generalis determinetur perspicuè & evidenter ad idem Christi corpus, atque adeò attributum majorem & ampliorem, & illustriorem notitiam audientis animo inferat (quod non præstant propositiones identicæ) rectè conficitur illam ex identicarum propositionum numero esse necessariò expungendam. Neque enim is ejus sensus est, corpus meum est corpus meum, sed ex communi Theologorum sententiâ in eum sensum accipi potest & debet: hoc, quod ex hoc pane facere intendo, & facio, est corpus meum.

Et reverà per hæc Christi verba ipsum Christi corpus, atque adeo totus Christus in venerabili Sacramento præsens sistitur. Nam ut doctè & Catholicè S. Bonaventura ad dist. 8. lib. 4. sentent. Sicut in verbo æterno Dei Filio, est veritas & omnipotentia, sic in verbo temporali, & transitorio ab ejus ore prolato est veritas & efficacia: & tale verbum competit Sacramentis novæ legis, in quibus fit id quod dicitur, aut quomodolibet significatur.

Hæreticus.

Satis multa hae de re, sed ista non probant Christi verba non esse figurata, seu metaphoricè interpretanda.

Catholicus

Sectio IV.

Probat Catholicus verba Christum sui Sacramentum Corporis instituentem non metaphoricè, nec figuratè locutum esse, quatuor de causis. 1. Quia condebat gravissimum fidei dogma. 2. Quia instituebat Sacramentum & sacrificium novæ legis. 3. Quia dabat præceptum Corporis sui & conficiendi & manducandi. 4. Quia condebat testamentum.

Catholicus.

Quid quæris latentem in verbis Christi metaphoram, cum tibi veritatem offerant apertissimam? Ex illis quippè sancti Patres, quotquot ab ipso Ecclesiæ Catholicæ exordio extiterunt, simplicissimam & manifestissimam pro reali ipsiusmet Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ veritatem (ut ex eorum monumentis elucescit) omnibus retrò sæculis intulere.

Enimverò metaphoram genuit necessitas, ut ait Orator, cum enim Rhetores viderent se vocabulo destitui proprio, necessitate coacti sunt uti translato, ergo futile est & rectæ rationi contrarium uti metaphoris cum propria suppetant verba, quibus sua sensa aperire, suamque voluntatem declarare liceat.

Atqui contendo in institutione venerabilis Sacramenti, nullam extitisse necessitatem recurrendi ad metaphoras. Nam hujusmodi necessitas repetita esset vel ex naturâ rerum, quas instituebat Christus Jesus, vel ex circumstantiâ temporis, & personarum, quas alloquebatur, discessurus ex hoc mundo ad Patrem. Verum tantum abest, ut ista quæ proximè commemoravimus, metaphoras exigerent, ut ex adverso verba perspicua & intellectu facilia necessariò postularent. Nam

1. Condebat maximum fidei dogma secuturis temporibus hæreticorum commentis, & erroribus impugnandum.

2. Instituebat Sacramentum & sacrificium novæ legis, quod futurum erat vinculum, quod homines Deo reconciliaret, & ipsos inter se conglutinaret.

3. Dabat præceptum & sacrificium peragendi, & percipiendi Sacramentum.

4. Condebat testamentum novum & illud suo sanguine in supremâ illâ cœnâ mysticè effuso, & mox in arâ crucis propalam effundendo sanciebat.

Primò igitur quod spectat ad dogma fidei, dubitat nemo, quin verbis simplicibus & apertis concipi & enuntiari debeat: alioquin non tamen fidei dogma videretur, quam seminarium in singulos dies circa illius interpretationem emergentium. Cum enim homines ob innatam superbiam, præpostero suarum opinionum amore teneantur, vix ac ne vix quidem quispiam reperiri posset, cujus judicio tametsi ad componenda eorum dissidia inprimis idoneo, imo controversiarum omnium decretorio acquiescerent. Quod proculdubio contigit & etiamnùm contingit. Quamvis enim Christus Eucharistiam verbis perspicuis, & ipso sole meridiano clarioribus instituerit, ejus tamen corporis in ipsâ veritatem, incredibili pertinaciâ pernegant plurimi lumini rebelles, ita ut de suis erroribus hac in parte sicut & in plerisque aliis deduci, dejicique nequeant. Unde S. Augustinus lib. sing. de unitate Ecclesiæ contra Donat. cap. 5. ait manifesta inter disputandum esse seligenda: *Hoc etiam*, inquit, *prædico, atque propono, ut quæque aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sacris scripturis non invenirentur, nullo modo esset unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura.* Hæc ille.

Cum ergo in supremâ illâ, quam cum suis Apostolis celebravit, Cœnâ Christus maximum fidei mysterium, & dogma sanctissimum toti orbi Christiano proponere voluerit (ut ubique gentium ab Apostolorum ævo ad nostra usque tempora sancti Patres scripto pariter, & vivæ vocis oraculo docuere) illud sanè remotâ omni obscuritatis nebulâ tradere debuit, quod revera & per se, & per Canonicos scriptores cumulatè præstitit.

Apage ergo filios tenebrarum, qui nostræ fidei mysteriis caliginem offundere connituntur; nam injuriam eamque gravissimam irrogant Christo soli justitiæ, quasi Ecclesiæ suæ perperàm consuluerit, & præcipua suæ divinitatis & humanitatis mysteria (quæ in propatulo, collocare & omnibus patefacere debebat) tenebris involvere voluerit; quod quidem citra blasphemiam nemo dixerit: ipse enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Secundò instituebat Christus in præfatâ cœnâ Sacramentum, & sacrificium novæ legis, & ideò planè, apertè, nec figuratè loqui debuit. Quod nec fecit, ut patet ex institutione Sacramentorum tam antiquæ, quam novæ legis.

Cum enim illa Sacramenta essent ad hominum peritorum pariter, & imperitorum salutem instituenda, ea verbis apprimè perspicuis instituta oportuit, ne quis præsidiis ad salutem necessariis careret. Quod Christus cum instituerit Sacramentum, non negatis vos; quod autem novæ legis sacrificium instituerit, credere recusatis, sed vestri istius erroris refellendi opportuna erit occasio, cum de sacrificio Missæ agendum erit.

Tertiò Christus dabat præceptum & illud duplex, nempè jubebat suos Apostolos idem factitare, quod ipse fecerat; atqui duo fecerat, suum namque Corpus & sibi & Apostolis porrexerat, & sacrificium in pane & vino ad similitudinem Melchisedech offerendum instituerat, ergo duo illa, verbis perspicuis & intellectu facillimis præcipi debuerunt.

Quis igitur in animum inducat suum, Christum Dominum Sacramentum istud, in quo suam carnem manducandam, & suum sanguinem bibendum sese porrecturum ire promiserat, & cujus perceptionem sub æternæ damnationis interminatione præceperat, verbis figuratis, & obscurioribus instituere voluisse, vel reipsâ instituisse?

Quis prætereà persuasum habeat eumdem Christum, venerabile illud corporis sui sacrificium, ex cujus oblatione omnia Christianæ Religionis officia, tam ad dignum divinæ majestatis cultum, quam ad nostram salutem pertinentia suspendere decreverat, instituisse, & præcepisse verbis ambiguis, & figuratis, quæ in variis sententiis posita, quæstiones præstitissent magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

Huc accedit quod ipse Christus utrumque, id est Sacramentum & sacrificium instituendo Legislatoris partes explicabat, atque adeò perspicuè & apertè suam mentem voluntatemque declarare debebat, ne quis impositæ legis ignorantiam, vel obscuritatem causatus ab officii Religione declinaret.

Sectio V.

Hæreticus ex Sacramenti vocabulo vult probare propositiones sacramentales esse symbolicè, & figuratè accipiendas. Respondet Catholicus & ostendit multis exemplis signa, & res signatas simul & sæpè in eodem subjecto reperiri.

Hæreticus.

Ex ipsis verbis tuis facilè colligimus, quod intendimus. Nam ex eo quod asseris Christum in Cœnâ cum Apostolis celebratâ, instituisse Sacramentum, sic ratiocinari possumus: Sacramenta sunt signa, symbola & figuræ: ergo res in quibus consistunt, symbolicè, & figuratè accipiendæ sunt, atque adeò propositiones per quas exprimuntur, in sensu symbolico, & figurato intelligi necesse est. Unde rectè inferimus hanc propositionem hoc est Corpus meum) juxta naturam & conditionem propositionum sacramentalium, æquivalere huic propositioni, hoc est signũ & figura corporis mei.

Catholicus

Nemo est vel tantillùm versatus in doctrinâ fidei, quin resciat propositiones sacramentales oportere explicare Sacramenta juxta naturam legis ad

quam referuntur, atque adeò cum lex Evangelica ea sit, in quâ figuras rerum veritati copulari necesse est, propositiones sacramentales ad illam ipsam pertinentes exprimere debent Sacramenta, seu signa non nuda & egena, sed quæ cum rerum, quas figurant, veritate sint conjuncta. Siquidem nihil implicat signum & rem signo designatam & repræsentatam eodem tempore in aliquo Sacramento repetiri; id enim sæpè factitatum esse sacræ litteræ prodiderunt. Si quis vestrûm id inficiari velit, consulat Calvinum vestræ segregationis primicerium, vel certè audiat eâ de re sic loquentem in 1. ad Corinth. c. 11. v. 24. *Hic respondeo, inquit, non ideo tantùm signo imponi nomen rei signata, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur, similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis, aut terrenis, quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diversum, non admitto. Vocatur Hercules statua Herculis; sed quid est præter nudam inanemque figuram? columba autem spiritus vocatur, quia certa sit tessera invisibilis Spiritus sancti præsentiæ. Ergo Panis est Christi Corpus, quia certò testatur exhiberi nobis corpus illud, quod figurat, vel quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis suum corpus. Neque enim fallax est Christus, qui vacuis figuris nos ludat.* Hæc ibi.

Hanc veritatem repetit idem Calvinus, & uberiùs explicat in tract. de Cœnâ Domini. *Exemplum*, inquit, *in re simili valdè proprium habemus. Cum vellet Dominus spiritum suum in Baptismo Christi apparere, eum sub Columba figurâ repræsentavit. Joannes Baptista historiam illam recitans, Spiritum sanctum descendentem se vidisse ait. Si propius attendamus, comperiemus ipsum nihil præter columbam vidisse: Nam sancti Spiritus essentia invisibilis est, cum tamen sciret visionem illam inanem figuram non esse, sed Spiritus sancti præsentiæ signum certissimum, affirmare non dubitat se illum vidisse, quod eo modo quo ipse ferre poterat, fuerit repræsentatus: ita in Communione quam in Christi Corpore & Sanguine habemus, dicendum est mysterium spirituale esse, quod nec oculis conspici, nec ingenio humano comprehendi potest; figuris igitur & signis, quæ sub oculorum sensum cadunt, ut naturæ nostræ imbecillitas requirit, ostenditur; ita tamen ut non sit figura nuda & simplex, sed veritati suæ & substantiæ conjuncta. Meritò igitur Panis appellatur corpus, cum id non modò repræsentet, verùm etiam nobis offerat. Itaque facilè concedemus Corporis Christi nomen ad panem transferri, quod ejus Sacramentum & figura sit: sed hoc adjungemus, Sacramenta Domini nullo modo à substantiâ & veritate suâ separari oportere, &c. Cum igitur signum visibile conspicimus, quid repræsentet & à quo nobis donatum sit, cogitandum est. Panis enim datur, ut Corporis Christi sit figura, eumque jubemur comedere. Datur inquam à Deo qui veritas certa & immutabilis est. Quod si Deus nec fallere nec mentiri potest, consequens est ipsum omnia, quæ illic significat, reipsâ implere & præstare. Necesse est igitur nos in Cœnâ verè Christi Corpus & Sanguinem recipere, cum utriusque Communionem nobis Dominus repræsentet.* Hæc ibi Calvinus.

Sui primipilaris vestigiis insistit Molinæus, utpote qui in responsione ad Cardinalem Perronium lib. 7. cap. 9. contr. 11. de transsubstant. fatetur allegata signa arcæ & columbæ extitisse signa cum rei significatæ veritate conjuncta. Et reverâ scriptura multis aliis exemplis signum, non absolutè rei significatæ absentiam supponere liquidò contestatur. Quod videre est

1. In arcâ fœderis, quæ quamvis esset signum divinæ præsentiæ, Deus tamen super illam verè residebat, effundens gloriam inter Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.

2. In Columbâ, quæ Christi Domini, ab præcursore baptizati capiti insedit, quæ extrinsecùs significabat Spiritum sanctum & intrinsecùs præsentem, etsi latentem continebat.

3. In linguis igneis, in quarum speciem Spiritus Sanctus illapsus est in Apostolos, siquidem repræsentabant Spiritum sanctum visibili signo, & præsentem continebant invisibili miraculo.

4. In Sanguine, qui Deuteronom. cap. 12. v. 23. anima dicitur. Nam vel ipse Molinæus fatetur eo loco nihil aliud significari quàm sanguinem esse animæ signum, licet anima physicè in sanguine resideat.

5. In Baptismo, in quo ablutio exterior (ut etiam conceduot sectarii) ab interiori quam significat, nullo pacto separatur.

Quibus positis, quid prohibebit quominùs signum, & res per illud significata, simul in Eucharistiâ subsistant?

Tametsi vos adversarii nostri concedatis signum & rem significatam simul in Eucharistiâ consistere, non propterea estis Catholici, nam Catholica dicitis, & animo perverso & hæretico dicitis. Nam realem Christi in Eucharistiâ præsentiam, & manducationem, quam fides Catholica unis Christi verbis, utpote efficacissimis acceptam refert, commentitiæ vestræ fidei apprehensioni dumtaxat, asscribi oportere reclamante scripturâ & totâ ubique terrarum reluctante Ecclesiâ, pari ad errorem pertinaciâ contenditis.

Sectio VI.

Hæretico affirmanti Corpus Christi eo modo esse in Cœnâ, quo in ipsâ frangitur, respondet Catholicus, id esse falsissimum, & demonstrat quomodo Christi Corpus in Eucharistiâ frangatur.

Hæreticus.

Quicquid dicatis, Corpus Christi non realiter, sed figuratè tantùm est in Sacramento Cœnæ, quod isto argumento facilè probatur.

Corpus Christi eo modo est in Cœnâ, quo in ipsâ frangitur.

Atqui in ipsâ non realiter, sed Sacramentaliter tantùm frangitur.

Ergo in eâ non est realiter, sed sacramētaliter tantùm.

Catholicus.

Hujus argumenti falsitas pendet ex majoris propositionis falsitate. Illa enim supponit Corpus Christi in Eucharistiâ esse eo duntaxat modo, quo in ipsâ frangitur realiter; quod omninò falsum est. Nam Corpus Christi non frangitur, id est non dissecatur in varias partes, eo modo quo laniones carnes animantium in frusta dissecant, id enim tam modus, quo existit in Sacramento, quam status gloriæ, quo perfruitur, omninò ex parte prohibet. Verumtamen nihil earum rerum vetat, quominùs Christus Jesus per realem ejusdem corporis præsentiam sese nobis verè substantialiterque communicet. Sufficit nempè ut divinum illud Corpus in Eucharistiâ frangatur mysticè, atque ita mystica illius fractio, sit mystica repræsentatio fractionis ejus, seu Passionis, quâ Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, seu cum peccata nostra ipsa pertulit in illo corpore suo super lignum.

Porrò ut appareat magis, quod asserimus, dicendum est frangi Corpus Christi in Eucharistiâ receptâ apud Theologos phrasi, quia species panis, sub quibus continetur, franguntur, nimirùm eâ ratione quâ, quæ circa species contingunt, fieri dicuntur circa Corpus Christi, vel in Corpore Christi, quod speciebus singulari quodam modo conjunctū est. Undè in prosâ quæ Divo Thomæ ascribitur, & inter mysteria singulari fidelium pietate & reverentiâ decantatur, legimus:

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Quâ nec status, nec statura
Signati minuitur.

Quod de corpore idipsum de sanguine affirmatur: licet enim mysticè dumtaxat effundatur in Eucharistiâ, nihil tamen prohibet, quominùs in eâ per realem præ-

sentiam existat: Et id ob illam ipsam rationem protet quam ipsum Christi Corpus mysticè in eodem Eucharistiæ mysterio frangitur, ut nempè hujusmodi fractio repræsentet passionem, quam Christus sustinuit, pro nobis in cruce, ut panis fractus intelligatur ille, qui immolatus est in cruce. Et hoc disertè significavit S. Augustinus, cum dixit panem esse fractum & comminutum in passione.

Ex his patet quàm frigidum sit & leve Molinæi argumentum.

Hactenùs tria attulimos propter quæ Christum in Sacramento Cœnæ verba non flexiloqua & obscura, & ambigua, & ad dialecticos referenda, sed simplicia, aperta, unum quid designantia, & ad quotumlibet etiam rudiorum intelligentiam accommodata adhibere oportebat. 1. Quia in hujusmodi cœnâ condebat dogma fidei. 2. Quia instituebat novæ legis Sacramentum & sacrificium. 3. Quia dabat præceptum. Superest 4. ratio, quia nempè condebat testamentum.

Sectio VII.

Hæreticus pervicaciter affirmat Christum Corpus suum, & Sanguinem in figurâ dumtaxat porrexisse. Catholicus ex adverso verum suum Corpus ex Deiparâ Virgine assumptum præbuisse, probat ex eo quod 1. Christus in Cœnâ verum testamentum condidit. 2. Quod verbis perspicuis illud condidit. 3 Quod illud ipsum testamentum vero suo Sanguine sancitum esse voluit.

Hæreticus.

Gaudeo sanè quod ad hanc nostri colloquii partem tandem aliquando deveneris. Nam spero me confectùrum esse quod intendimus, Christum scilicet in Cœnæ Sacramento tam sui Corporis, quam Sanguinis signum & figuram dumtaxat recumbentibus secùm Apostolis porrexisse.

Catholicus.

Gaudeo pariter, sed gaudio meo nonnihil officit quidam timor. Vereor enim ne argumenta alioquin efficacissima, quæ nobis testamenti ratio suppeditabit, cadant in irritum, ob anticipatas opiniones, quæ vestros omnium animos impleverunt. Siquidem, ut ait S. Augustinus lib. 3. de doct. Christ. cap. 10. *Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid asseruerit scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Quicquid id est,

Nos Catholici dicimus Christum Dominum veri nominis testamentum in Cœnâ condidisse, & illud suo sanguine, in quem vini substantiam converterat, sanxisse. Inde colligo mihi nonnulla adversùm vos esse comprobanda.

1. Christum condidisse testamentum in Cœnâ.
2. Illud testamentum fuisse verum testamentum.
3. Verbis perspicuis & apertis fuisse conditum.
4. Denique vero & naturali Christi Sanguine fuisse sancitum.

Hæc omnia sunt hic sigillatim astruenda.

Quod spectat ad primum caput, Christum videlicet in Cœnâ testamentum condidisse probant locupletissimi testes, quorum authoritati nemo, citra reserventissimum crimen, testagari audeat.

Quatuor sunt ii testes, nempè S. Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, & Sanctus Paulus. Horum testimonia sunt hic ad verbum proferenda.

1. S. Matthæus cap. 26. v. 27. sic loquitur: *Et accipiens Calicem gratias egit* (Græcè εὐχαριστήσας cum gratias egisset) *dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur,* (Græcè ἐκχυνόμενον effunditur) *in remissionem peccatorum.*

2. S. Marcus cap. 14. v. 23. *Et accipiens Calicem gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (Græcè ἐκχυνόμενον sicut apud S. Matthæum, cujus S. Marcus est abbreviator.

3. S. Lucas cap. 22. v. 20. sic loquitur eadem de re: *Similiter & Calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Græcè est sicut apud SS. Mat. & Marc.

4. S. Paulus tribus Evangelistis consonat 1. Cor. c. 11. v. 25. *Similiter & Calicem, ait, postquam cœnavit dicens: hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine.*

Ex his scripturæ locis Ecclesia Catholica excerpsit formam, quâ quotidiè vinum consecratur, & convertitur in verum & naturalem Christi Sanguinem eamque in hæc verba concepit: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.*

Ut hujusmodi rerum veritas luculentiùs cernatur & appareat, operæ pretium est explicare singulas voces hujus formæ ad Calicis consecrationem ab Ecclesiâ adhiberi solitæ.

1 Igitur hæc verba: *Hic est Calix Sanguinis mei,* sic intelligenda sunt: hic est Sanguis meus, qui hoc Calice continetur. Rectè autem & appositè, dùm Sanguis hic, ut est fidelium potus consecratur, Calicis mentio facienda est; neque enim Sanguis hujusmodi potionem satis significare videretur, nisi vase aliquo exceptus esset, ut loquitur Catechismus Romanus.

Hunc sensum longè antè docuit S. Thomas 3. p. q. 78. a. 3. ad 1. *Dicendum,* inquit, *quod cum dicitur: hic est Calix Sanguinis mei, est locutio figurata & potest dupliciter intelligi: uno modo secundum metonymiam, quâ ponitur continens pro contento: ut sit sensus: hic est Sanguis meus contentus in Calice, de quo fit hic mentio, quia Sanguis Christi in hoc Sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione Sanguinis, & ideò oportuit hoc designari per vas huic usui accommodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram: prout per Calicem similitudinariè intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem Calicis inebriat, secundum illud Thren. 3. replevit me amaritudinibus: inebriavit me ab synthio. Unde & ille Dominus passionem suam Calicem nominat, Matth. cap. 26 dicens: transeat à me Calix iste, ut sit sensus: hic est Calix Passionis meæ, de quâ fit mentio in Sanguine seorsim à corpore consecrato: quia separatio Sanguinis à corpore fuit per passionem.*

Quia igitur Sanguis seorsùm consecratus expressè Passionē Christi repræsentat, ideò potiùs in consecratione Sanguinis fit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione Corporis, quod est Passionis subjectum. Quod etiam designatur in hoc, quod Dominus dicit, quod pro vobis tradetur, quasi diceret: quod pro vobis Passioni subjicietur, ut ait ibidem S. Th. ad 2.

In hac ipsâ sectione septimâ objicit Hæreticus nos admittere figurat metonymiat, & metaphoras: & ideò se suosque posse uti figuris, & figuratis propositionibus, & dicere, hoc est Corpus meum, id est, hoc est figura Corporis mei. Respondet Catholicus nos Catholicos admittere tropos, & figuras quas sacra littera & S. Patres traditioni congruentes admiserunt.

Hæreticus

Admittitis tropos & figuras (ut verba perhibent tua) nihilo seciùs insurgitis ardentiùs in nos, cum in Sacramento Cœnæ metonymicè, vel metaphoricè verba Christi accipienda esse contendimus.

Catholicus.

Tropos & figuras, quibus vel ipsam scripturam uti cernimus, adhibere non dubitamus, non passim, sed cum id ratio & idonea authoritas permittit.

1. Tropos & figuras admittimus, sed eas quæ in communi hominum usu versantur, atque adeò rerum, de quibus sermo est, veritati nihil officiunt; talis est

metonymia, quâ ponitur continens pro contento, v. g. ecce vinum, demonstrando poculum, quo vinum continetur.

2. Tropos & figuras admittimus, cum idoneâ vel scripturarum, vel sanctorum Patrum authoritate nituntur. Quæ conditiones si defuerint, eas velut ab heterodoxis excogitatas, explodimus. Exempli gratiâ metonymiam, quâ ponitur res continens pro contentâ, libenter amplectimur, utpotè quæ nihil importet rectæ rationi vel fidei contrarium in eâ, de quâ disputamus, materiâ. Sed est alia metonymiæ species, quâ signum, seu figuram dumtaxat pro re significatâ ponitis, ita ut proposito, quæ alioquin rei significatæ præsentiam disertè enuntiat, in sensum metonymicum & improprium detorqueatur; hanc metonymiam, utpotè verbo Dei, & toti antiquitati traditionique contrariam respuimus.

Christus videlicet dixit: hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus: vos ex adverso, sine ratione, sine authoritate, nullo orthodoxorum testimonio, vel exemplo dicitis, hasce propositiones sic esse explicandas: hoc est signum seu figura Corporis & sanguinis mei.

Dicetis forsan quosdam Catholicos hasce propositiones litteris prodidisse: fatentur nonnullos è nostris ita locutos esse, nec propterea vestris erroribus esse suffragatos, utpotè qui veræ fi lei congruentes non figuram Corporis Christi, sed realem ejusdem Christi corporis præsentiam in Eucharistiæ Sacramento planè & apertè (ut ex eorum monumentis constat) sine ullâ tergiversatione docuerunt.

Quâ igitur fronte, quâ audaciâ sanctissimorum & doctissimorum hominum disertè sensum tropicum, & figuram ab Christi verbis excludentium, eaque in proprio, & naturali & primùm sese offerente sensu accipienda esse, constanter affirmantium authoritatem eludere contenditis?

Audite S. Joannem Damascenum disertè loquentem, & figuram quam vos admittitis ab Eucharistiæ Sacramento ablegantem lib. 4. de fide orthod. c. 14. *Christus*, inquit, *non dixit: hoc est figura Corporis mei, sed dixit, hoc est Corpus meum.*

Idem dicit Euthymius Panop. par. 2. tit. 21. *Christus non dixit: hoc est figura Corporis mei, sed hoc est Corpus meum*

Idem affirmavit Theophylactus ante Euthymium in Evang. Marc. cap. 14. in Joan. cap. 6 *Non dixit*, inquit, *hoc est figura Corporis mei, sed, hoc est Corpus meum.*

Idem dixit S. Joannes Damascenus ante Theophylactum, ut proximè vidimus.

Idem asseruit ante S. Joannem Damascenum Anastasius Synaita: *Non dixit*, inquit, *hoc est figura Corporis mei, sed hoc est Corpus meum.*

Videtis ergo quantâ cæcitate vos Deus suo judicio justo & occulto propter superbiam, quæ vos avulsit ab Ecclesiæ Catholicæ sinu, perculerit: quippè qui tot testium ab omni erroris & mendacii suspicione remotissimorum, & nullo partium amore laborantium testimonia videntes, non videatis, & audientes, non audiatis, nec animadvertatis ab hujusmodi hominibus vestras hæreses multis sæculis antequam vos infierent, esse profligatas.

Metaphoras etiam admittimus, in quibus aliquid per similitudinem exprimitur, v. g. non respuimus eam metaphoram, quâ dicit S. Thomas passionem Christi per consecrationem Calicis distinctam ab consecratione Corporis Christi repræsentari. Quemadmodum enim in Passione Christi effusus est ejus sanguis, & ab ejus corpore separatus, ita etiam ille ipse sanguis in Calice seorsim ab Christi corpore consecratur, atque ita effusus, & vi verborum ab ejusdem Christi corpore separatus in Eucharistiæ Sacramento sacrificioque repræsentatur. Admittimus igitur quasdam figuras, quas illustres & omni exceptione admissere Theologi cum sancto Thomâ, quem Bucerus vestras vestratium hæreseon debellatorem invictissimum, noverat cum dixit (tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam.) Tantus, tamque sanctus Doctor admittit in Eucharistiæ Sacramento figuras, quas & Catholica colit, & amplectitur Ecclesia: cum dicitur, inquit, hic est Calix Sanguinis mei, locutio est figurativa, & potest dupliciter intelligi, uno modo secundum metonymiâ, quâ ponitur continens pro contento, ut sit sensus, hic est sanguis meus contentus in Calice, de quo fit hîc mentio, quia Sanguis Christi in hoc Sacramento consecratus, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione Sanguinis, & ideò oportuit hîc designari, per vas huic usui accommodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram prout per Calicem similitudinariè intelligitur Passio Christi, quæ ad similitudinem Calicis inebriat (secundum illud Threnorum) 3. replevit me amaritudinibus: Inebriavit me absynthio, unde & ipse Dominus passionem suam Calicem nominat Matth. 26. dicens: transeat à me Calix iste, ut sit sensus: hic est Calix Passionis meæ, de quâ fit mentio in sanguine seorsim à Corpore consecrato, quia separatio Corporis à Sanguine fuit per Passionem. Hactenùs S. Thomas 3. par. q. 78. art. 3. ad secundum. Has igitur figuras ad nittimus, verum admittere non possumus: Hic sancti Thomæ locus paulò ante relatus, hic de integro laudatur quippè qui ad astruendam Eucharistiæ veritatem plurimùm conducat.

Verum admittere non possumus præposteras violentasque metaphoras quas passim adhibetis, ut omnium Patrum sensa ad realem Christi præsentiam in Eucharistiæ Sacramento astruendam, perspicuè suprà quam dici potest, pertinentia, & idonea in hæreseos vestræ patrocinium conferatis.

Quas autem metaphoras, vel locutiones metaphoricas circa verum Corpus & Sanguinem Christi Domini sancti Patres usurpaverint, paulò post explanabimus.

Sectio VIII.

Hæreticus in hac sectione tricatur & ludit in verbo substantivo (est) quasi semper in scripturis poneretur pro verbo, significat, quod refellit Catholicus, quippè qui probat Christum in Cœnâ condidisse testamentum & illud verum, & perspicuis verbis conditum, & vero ejusdem Christi Sanguine sancitum.

Hæreticus.

Dicitis ergo vi verborum verum Christi Corpus sub specie panis, & verum ejusdem Christi Sanguinem sub specie vini absconditum in Calice contineri, nec meministis verbum substantivum (est) idem esse ac (significat) & proinde utrumque, Corpus scilicet & Sanguinem in his Christi verbis (hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus) significari tantùm, non autem per realem præsentiam exhiberi.

Catholicus.

Semper ad eadem revolveris. Jam explanavimus quid sibi vellet hac in materiâ verbum substantivum (est) & respondimus dato non concesso quod in nonnullis scripturæ locis pro isto verbo (significat,) non tamen sequi quod in materiâ usurpatur de quâ disputamus, in eodem sensu usurpari debeat, nisi id possit authoritate scripturæ probari: quod facere non potestis, etsi facere debeatis, utpotè qui in vestræ fidei confessione profiteamini vos nihil admittere pertinens ad fidem, quin in scripturâ clarè, perspicuè, sine ullâ interpretatione contineatur. Sic vestram objectionem solvunt plerique Orthodoxi.

Verùm plus dico, & confidenter assero verbum substantivum (est) semper etiam in Scripturis in propriâ significatione, numquam in impropriâ & alienâ usurpari. Cum enim apud philosophos habeat vim extrema connectendi, & sit verbum simplicissimum, in quod omnia resolvuntur, & ipsum in nihil aliud resolvatur, numquam in impropriam alienamque significationem detorqueri potest. Undè si quis sit io propositione tropus, vel si qua sit inter subjectum & prædicatum repugnantia, improprietas in alterutro est agnoscenda, ut rectè explicat Sylvius in 3. p. q. 78. a. 2. sub titulo quæritur secundò.

Ac proindè cum ait Christus Luc. 8. *Semen est verbum Dei*, non est sensus, semen significat verbum Dei: sed id, quod in parabolâ est semen, hac in re significata est verbum Dei. Similiter cum ait Apostolus: *Petra autem erat Christus*: id est, quod per petram significabatur, seu significatum Petræ erat Christus: aut Christus erat res mysticè significata per petram, sicut cum dicitur Act. 4. hic erat lapis, &c. Undè cum inter extrema hujus propositionis, hoc est Corpus meum, oulla sit repugnantia, eò quod hujusmodi propositio sit operatoria, non potest resolvi in alteram hanc propositionem, hoc significat Corpus meum.

Quid quod illustrissimus Episcopus Basatensis, qui scripsit adversùs Molinæum, suæ sectæ Coryphæum, egregiè docuit & probavit operis sui pag. 366. tantum abesse ut verbum substantivum (esse) pro (significare) in Scripturâ poneretur, ut ne in locis quidem ab eodem Molinæo citatis in originali Hebræo, ullo pacto reperiretur. Citavit enim duodecim Scripturæ loca, ut Genes. cap. 40. v. 12. & 18. & cap. 41. v. 26. Ezech. cap. 37. v. 11. Dan. 2. c. v. 38. &c. ut probaret verbum substantivum, esse, usurpari pro, significare, & persuasum habuit sibi ab omnibus creditum iri, eo quod pauci in Hebræos Codices incumberent, sed nihil inde præter verecundiam extulit, utpotè qui duodecim mendaciis omnem sibi fidem & authoritatem apud bonos viros & cordatus abrogavit.

2. in consecratione Calicis adduntur hæc verba (*novi & æterni Testamenti*) quia per Christi sanguinem sancitur novum, & æternum Testamentum, & dicitur novum, eo quod rerum omnium quæ in veteri testamento adumbratæ & prænuntiatæ sunt, veritatem exhibeat per eumdem Christum Jesum, per quem gratia & veritas facta est.

Dicitur autem æternum tàm ratione æternæ Dei prædiationis, quàm ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Testamentum disponitur; ipsa etiam persona Christi, cujus sanguine Testamentum disponitur, est æterna.

3. Dicitur sanguis Christi (*Mysteriam fidei*) non quidem ad excludendam rei veritatem. sed ad ostendendam occultationem; quia & ipse sanguis Christi occulto modo sit in hoc Sacramento; ità ut ejusdem sanguinis veritas & realis inhocipso Sacramento præsentia solâ Fide teneatur, ut ait S. Thomas loco citato.

4. Additur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quæ verba, quia planissimè explanata sunt io Catechismo Romano Concilii Tridentini jussu elaborato, ipsissima ejus verba hîc subjicere necesse est.

Sic ergò loquitur parte 2. nu. 23. ubi explicat verba ad consecrationem Calicis adhiberi solita: Verba illa, inquit, quæ adduntur, *pro vobis & pro multis*, à Matthæo & Lucâ singula à singulis sumpta sunt, quæ tamen sancta Ecclesia spiritu Dei instructa, simul conjunxit: Pertinent autem ad Passionis fructum atque utilitatem declarandam. Nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum esse fatendum erit: Si verò fructum quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facilè intelligemus. Cum igitur: *pro vobis*, dixit: vel eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant discipuli, excepto Judâ, quibuscum loquebatur, significavit. Cum autem addidit, *pro multis*: reliquos electos ex Judæis, aut Gentibus intelligi voluit. Rectè ergò est ut pro universis non diceretur: cum hoc loco tantummodò de fructibus Passionis sermo esset, quæ salutis fructum delectis solùm attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli; *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Et quod Dominus apud Joannem inquit, *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*: Hactenùs Catechismus, cujus orthodoxam hâc in parte doctrinam longè antè præformavit S. Thomas 3. p. q. 78. a. 3. Ad octavum, *dicendum*, inquit, *quod sanguis Passionis Christi non solùm habet efficaciam in Judæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in Gentilibus; nec solùm in Sacerdotibus, qui hoc conficiunt Sacramentum, vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis, pro quibus offertur. Et ideò signanter dicit, pro vobis Judæis. & pro multis scilicet Gentilibus: vel pro vobis manducantibus, & pro multis pro quibus offertur*, Hæc ibi.

Hæc eadem repetit aliis locis idem S. Thomas in 4. dist. 8. a. 2. in solut. quæstiunc. 3. ad 7. *Dicendum*, inquit, *quod sanguis Christi effusus est pro omnibus, quoad sufficientiam, sed pro electis tantum quoad efficaciam, & ne putaretur effusus pro Iudæis tantum electis, quibus facta fuerat promissio, ideò dicit, vobis, qui ex Iudæis & multis scilicet multitudine Gentium, vel per Apostolos Sacerdotes designat, quibus mediantibus ad alios effectus Passionis per dispensationem Sacramentorum pervenit, qui etiam pro seipsis & pro aliis orat*. Hæc ibi.

Istam Doctoris Angelici imò totius Ecclesiæ doctrinam insigniter confirmat Sacro-sancta Synodus Tridentina sess. 6. de Justificat. cap. 3. in hæc verba: *Verùm etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur*. Hæc ibi.

5. Additur, *effunderetur*, vel secundùm textum Græcum, effunditur, & utraque expressio rectè quadrat in hoc mysterium. Nam in futuro includitur effusionis (quæ facta est io cœnâ) relatio ad eam effusionem, quæ paulò post factitanda erat in Cruce. In præsenti verò intelligitur effusio, quæ facta est in cœnâ, partim dum sanguis sub specie vini è calice effunderetur in ora Discipulorum partim & præcipuè dum funderetur & Deo libaretur, & offerretur in Sacrificium. Undè hæc effusio non est intelligenda de effusione factâ in cruce, quia in cœnâ sanguis Christi effusus est è calice, quod non est factum in cruce, & ideò necessariò de illâ ipsâ effusione sanguinis in calice contenti voluit Christus loqui, de effusione, inquam, quæ referebatur quidem ad ipsius sanguinem effundendum in Cruce, sed secuturis temporibus factitanda erat in Sacrificio Missæ, ut uberiùs alibi probandum erit.

Animadverto me longiùs ab proposito esse digressum, quippè qui prospicerem me vix posse tibi facere satis, nisi ea quæ videntur vobis incredibilia, paulò pluribus explanarem.

Ut igitur ad id, undè digressa est, nostra referatur oratio: quatuor proposueram.

1. Christum in cœnâ condidisse Testamentum.
2. Illud fuisse verum Testamentum.
3. Verbis perspicuis fuisse conditum.
4. Denique vero & naturali Christi sanguine fuisse sancitum.

Quod spectat ad primum caput, satis superque explanatum est hactenùs.

Quod spectat ad secundum, nempè Testamentum hujusmodi fuisse verum, certum est. Est enim verum juxtà definitionem Testamenti, quod definitur, voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, ut ait Modestinus, in l. 2. ff. qui testam. fac. poss. vel secundùm Ulpianum, in fragm. tit. 20. Testamentum est mentis nostræ justa contestatio, in id solemniter facta, ut post mortem nostram valeat. Vel ut alii volunt. Testamentum est dispositio hæreditatis. Hæreditas autem est universitas bonorum à defuncto relictorum.

Hæc omnia in Testamentum ab Christo Domino in cœnâ conditum, apprimè convenire, nemo vel tantisper oculatus inficiari voluerit.

2. Illud ipsum Testamentum est verum, eo quod non sit positum in figuris sicut vetus Testamentum sivè pactum ab ipsomet Deo initum cum Hebræis, quibus omnia in figurâ contingebant; sed omnium rerum & mysteriorum, quæ in veteri illo Testamento adumbrata sunt, veritatem exhibeat.

Quam rem explicat insigniter S. Thomas 3. p. q. 78. a. 3. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod Testamentum est dispositio hæreditatis, hæreditatem autem cælestem disposuit Deus hominibus, dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi: Quia, ut dicitur Hebræor. 9. ubi est Testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus; primò quidem in figurâ, quod pertinet ad vetus Testamentum, & ideò Apostolus ibidem concludit: Undè nec primum Testamentum sine sanguine dedicatum est. Quod patet ex hoc quod, sicut dicitur Exod cap. 24. lecto omni mandato legis à Moyse, omnem populum aspersit dicens: hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus.*

Secundo autem est exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad novum Testamentum. Et hoc est quod Apostolus ibidem præmittit dicens, ideò novi Testamenti mediator est Christus, ut morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergò hic sanguis novi Testamenti, quia jam non in figurâ, sed in veritate exhibetur: Undè subditur, qui pro vobis effundetur. Hæc ibi S. Thomas.

Ex eo igitur quod Testamentum per Christi sanguinem sancitum, novum dicitur & æternum, colligere est esse verum, hoc est ab omni figurâ exemptum, & omni & plenâ figurarum veterum veritate cumulatum. Quis enim crediderit Christum Jesum ex hoc mundo ad patrem discessurum voluisse condere Testamentum, quod tam in tempore quam in æternitate cælestiom duntaxat mysteriorum præferret umbram duntaxat, nec umquam veritatem exhiberet.

Id sanè abhorret à vero: Siquidem *melius sortitus est ministerium, quàm Moyses, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Ut ait Apostolus Hebræor cap 8. v. 6. in quo versatur & insistat Testamentum illud novum, docet ibidem Apostolus: *Nam si illud culpâ vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: ecce dies veniunt, dicit Dominus; & consummabo super domum Israël & super domum Iuda Testamentum novum: non secundum Testamentum, quod feci Patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo. Et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum meum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dando Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.*

Hujusmodi verbis docet Apostolus Deum promisisse & in plenitudine temporum promulgasse novum Testamentum, quod consistit in infusione Spiritus S. veritatis docentis omnia, quæcumque dixerit Christus, id est omnia adjumenta ad æternam salutem comparandam necessaria, sivè ad illustrandam mentem, sivè ad præmovendam inflammandamque voluntatem pertineant. Undè ista Dei novum Testamentum apud Hieremiam repromittentis verba: *Hoc est Testamentum meum. Quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Sensus istius promissionis est: Legem meam inferam & imprimam in animos eorum potenter in eis operando, ut eam cognitam faciant. Id est Spiritus sanctus in cujus infusione totum vertitur & insistit novum Testamentum, non ostendit tantummodò veritatem, verumetiam impertit charitatem. Undè *gratia novi Testamenti est*, propriè loquendo, *inspiratio dilectionis ut cognita sancto amore faciamus*, ut ait S. Augustinus.

In his verbis, *dando Leges meas in mentem eorum*, Deus significat gratiam intellectus, quâ per Spiritum sanctum mens illuminatur circa agenda, vel omittenda. Ac reipsâ quidem, per Leges, hic intelligitur non solùm lex Decalogo comprehensa, verumetiam omnia quæ ad illam revocari possunt, quales sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas; & virtutes morales, quales sunt justitia, temperantia, &c.

Igitur per Spiritum Christiani Catholici docerentur omnia amplectenda, & omnia fugienda: ità ut & recta faciamus, & illicita fugiamus, non per liberum arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum S. qui datus est nobis, ut cum Scripturâ Concilia pronuntiant.

Duo ergò præstat Spiritus sanctus in cordibus fidelium. 1. Docet, & hoc ipsum repromisit Christus Jesus in mirabili illo sermone, quem post cœnam ad Discipulos suos habuit: *Paraclitus autem Spiritus sanctus*, inquit, *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Joan. cap. 14. v. 26. 2. *Ad benè operandum inclinat affectum, unde imprimitur cordi: & quantum ad hoc dicit: in corde eorum superscribam eas, id est super cognitionem scribam charitatem, ut explicat S.* Thomas lect 2. in cap. 8 Epist. ad Hebræos.

Hic enim proculdubiò alludit Scriptura ad tabulas lapideas, quibus veteris Testamenti Lex inscripta fuerat, quasi diceret Deus, non ampliùs in tabulas lapideas Legem meam imprimam, sed in tabulis cordis carnalibus describam, id est per gratiam Testamenti & pacti, quod cum illis iniero, efficaciter inclinabo eorum voluntates, ut legem meam diligant, & impulsu amoris impleant.

Hâc de causâ Christus Jesus author gratiæ, ut magnificentiùs commendaret gratiam novi Testamenti, nihil nobis litteris mandatum, vel membranis inscriptum, traditumve relinquere voluit, ne ad Legem suam in fidelium animos imprimendam hujusmodi adminiculis indigere videretur, ut ab Joanne Chrysostomo insigniter observatum est. Ejus vestigiis institere Apostoli, qui non nisi serò admodùm res ab ipso gestas & Religionis ab ipso institutæ mysteria, in absentium & posterorum gratiam, litteris prodiderunt. Ut legere est apud S. Irenæum lib. 3. adversus Hæres. cap. 1. & apud Eusebium Cæsariensem lib. 3. histor. Ecclesiast.

Vides igitur Christum in cœnâ condidisse Testamentum & illud novum, ut distingueretur ab veteri. Siquidem novum Testamentum renovat hominem per Christum, seu per medicinalem ejus gratiam quod præstare non poterat vetus, nihil enim ad perfectum adduxit lex; Vetus Testamentum nullam mercedem pollicebatur præter bona terræ; frumentum, scilicet, vinum & oleum, & alia id genus: Novum autem repromittit bona duntaxat spiritualia id est Fidem, Spem, & Charitatem, peccatorum remissionem & omnia subsidia, quibus vita æterna

comparatur. Ergò in melioribus repromissionibus sancitum est : tanto videlicet melioribus, quantò potiora sunt cœlestia terrenis, æterna caducis, & quantò carnalibus spiritualia, humanis divina, & creatis increata præponderant.

Cum tale, ac tantum Testamentum condere voluerit Christus Jesus, ità ut ex illo ipso Testamento omnem suæ Incarnationis & Passionis fructum, suæ Resurrectionis & Ascensionis gloriam, & omnem humanæ salutis œconomiam per totum terrarum orbem longè latèque prædicandam suspenderit, quis illud verbis obscurioribus & ambiguis concipere voluisse crediderit ?

Hoc tertio loco dixeramus illud Testamentum fuisse à Christo verbis perspicuis conditum. Quod sanè recta ratio & æquitas exigit ab omni testatore, qui quidem, si suprema sua mandata, seu ultimam voluntatem verbis ambiguis, flexiloquis, seu in varia sensa distortis exprimeret, non tàm hæredes institueret, quàm faceret litigatores improbos & pervicaces, qui patrimonium alioquin lautum ceu compositum in assiduarum litium impensas, effunderent. Atque ità ex hæreditate sibi relictâ, nihil præter importunas prosequendarum litium curas, & sollicitudines, & concussationes, & forensium tabularum crebras aditiones, & salutationes perciperent. Quod si tantæ molis est, supremam suam voluntatem in rebus humanis, verbis evidentibus & perspicuis declarare, quantæ molis erit idipsum præstare in rebus divinis, & ad æternam hominum salutem pertinentibus ? Si enim Christus in ipso suo Testamento adhibuisset voces ambiguas & intricatas, præterquam quod omnium, aut certè plurium salutem conjecisset in probabile discrimen, excitasset etiam lites, quæ inter populos ipsius Religionem professos, implacabiles discordias aluissent. Quod profectò citrà blasphemiam affirmari non potest. Siquidem per illud ipsum Testamentum volebat nos efficere unum, ita ut per quamdam analogiam essemus unum quid, sicut & Pater & ipse unum sunt, atque ità omnes Christiani quotquot extiterunt, quotquot nunc sunt, quotquot usque ad consummationem sæculi futuri sunt, uni Christo utpotè capiti arctiùs alligati fierent unum corpus & unus Christus.

Quartò notavimus novum Testamentum Christi sanguine fuisse sancitum, quod reipsà ità factum est ut figuræ veritas consonaret.

Nam cum duo sint Testamenta, vetus scilicet & novum, & cum vetus legalium hostiarum fuerit sanguine dedicatum, & hâc in parte sicut & in aliis, novum adumbraverit, novum pariter, non hostiæ legalis sanguine, sed Christi, qui Legem non solvere, sed adimplere venerat, vero sanguine sanciri dedicarique oportuit. Quod reverà factitatum est, cum ipse Christus Jesus in supremâ cœnâ, quam cum Apostolis celebravit. Nam sicut Moyses vetus Testamentum, cujus mediator erat, sancivit aspersione sanguinis victimæ dicens, ut refertur Exod. cap. 24. hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum : Ità Christus novum Testamentum, cujus etiam est mediator, proprio sanguine dedicavit sanxit, roboravit illo ipso tempore, quo hæc verba operatoria seu efficacia protulit : hic est sanguis meus novi Testamenti, id est (ut interpretantur Sancti Patres) hic est sanguis meus, quo novum novum istud Testamentum à Prophetis promissum, à me revelatum & prædicatum sancitur, & velut morte testatoris jam jam futuræ & hoc ipso sanguine, qui nunc mysticè funditur, repræsentatâ confirmatur.

Præterea si animalia ad sanciendum vetus Testamentum, seu veriùs pactum immolata oportuit, Christum ad sanciendum Testamentum novum, usque ad mortem, mortem autem Crucis, obedientem fieri oportuit. *Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondùm valet, dum vivit qui testatus est.* Hebræor. 9. v. 16. & 17. hoc tamen discrimen intercessit inter sanguinem Christi & Sanguinem animalium, quod Sanguine & morte Christi velut testatoris morte (sine quâ nullius ponderis & momenti testamentum reputatur, ut ex Apostolo constat Hebræor. 9.) confirmatum est novum testamentum, Sanguis autem animalium ad sanctionem veteris testamenti adhibitus est, non ut mors Dei, qui solus habet immortalitatem, sed tantum significationis causâ, ut testamentum vetus novum veluti figura repræsentaret, significando, sine sanguine Christi Legem impleri non posse, & per ejus mortem novum Testamentum in plenitudine temporum confirmandum esse.

Præterea si ad dedicandum vetus Testamentum, seu pactum Moyses ædificavit altare, circà quod duodecim lapides seu titulos erexit ad significandos duodecim tribus Israël, pro quibus offerebantur sacrificia, quibus fœdus inter Deum & populum sanciebatur ; Nonnè Christus Jesus verùm erat altare quod circumstabant duodecim Apostoli, quibus repræsentabantur duodecim millia signati ex omni Tribu filiorum Israel, quos divina prædestinatio ad Israel Dei, seu ad æternam hæreditatem novo Testamento repromissam assumpserat ?

Si Moyses tulit dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare ; Nonnè Christus Jesus hunc pariter ritum adhibuit in suâ cœnâ, nonnè partem sanguinis fudit super altare, id est seipsum (qui nempè est & templum, & altare, & Sacerdos, & Sacrificium) cum ipse proprium suum sanguinem, in quem divinâ virtute vinum converterat, bibit ? Nonnè & residuam sanguinis partem fudit in duodecim crateras, id est duodecim Apostolos, cum ipsis illum ipsum sanguinem potandum præbuit ?

Si Moyses accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aquâ, & lanâ coccineâ & hyssopo ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens : hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus ; nonnè Christus, non jam sanguine vitulorum & hircorum, sed proprio sanguine aspersit librum Legis & populum. Nonnè aspersit & librum, cum suum sanguinem potavit : ipse enim est liber, de quo prædicat S. Joannes Apocalyp. cap. 5. ut interpretatur sanctus Hilarius præfatione in Psalmos. Vel etiam eo facto Evangelium suo sanguine respersit : *Quid enim est Evangelium*, quærit S. Augustinus, *nisi Christus humana patiens & divina faciens* ? Nonne pariter eodem sanguine aspersit populum in Apostolis, eumdem sanguinem potantibus repræsentatum ?

Si Moyses dimidiam sanguinis partem aspersit in populum, & alteram in altare, quod repræsentabat Deum, tum ut & Deus, & populus, id est utraque pars sanciens fœdus, sese ad conditiones fœderis observandas obligare declararet : tum ut significaretur eo ritu eum, qui prior fœdus initum violaret, esse percutiendum, & ejus sanguinem effundendum, & dividendum eodem planè modo, quo immolatorum animalium sanguis effusus fuerat : Nonnè hoc ipsum factitatum est in novo Testamento, quod est verum Testamentum, quod & includit pactum Christi pariter sanguine sancitum & roboratum ? hoc pactum inimus cum Christo, cum renascimur ex aquâ & Spiritu sancto. Tunc enim solemni professione nos Christo mancipamus, & pactum inimus cum sole justitiæ, & nos æternùm illi servituros esse promittimus, ut ait S. Hieronymus. Quod si tantæ tamque sanctæ professionis immemores initum fœdus infringamus, quantam maximam Christi sanguini contumeliam irrogamus, nosque in gravissimas damnationis æternæ

pœnas implicamus. Quod luculenter explicat Apostolus Hebræor. cap. 10. v. 28. *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ullâ miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam, & iterum: quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hæc ibi.

Longiùs provectus sum quàm credebam, sed ista omnia explanari oportuit, ut videretis vos nullam esse, aut esse posse in mysticis Christi Eucharistiam instituentis vocibus, obscuritatem: Cùm & natura rerum, quas instituebat, & circumstantia temporis, quo ista peragebatur institutio, & conditio personarum quas alloquebatur, maximam perspicuitatem exigerent. Nam

1. Condebat gravissimum Fidei mysterium, ideò verbis apprimè perspicuis illud enuntiare debuit, ut omnem contentionis, & controversiæ ansam improbis vitilitigatoribus adimeret.

2. Instituebat Sacramentum & Sacrificium, quod pariter verbis clarissimis institui debuit, ne obscuritatis obtentu, Laïci Sacramentum percipere & Sacerdotes Sacrificium offerre negligerent.

3. Dabat præceptum & Sacramenti percipiendi, & Sacrificii offerendi, quod præceptum verbis clarissimis indictum oportuit, ne obscuritas in controversiam evocata illius implendi obligationem elideret.

4. Condebat Testamentum vetum, seu ab omni umbrâ & figuris expeditum, ideò verbis planissimis conditum, & vero Christi sanguine sancitum, ergo nullis vocibus flexiloquis & ambiguis implicatum. Cum enim Christus Jesus tantum, tam novum & tam mirabile fœdus cum hominibus iniret, illudque suo sanguine roboraret, ne sui corporis & sanguinis Sacramentum, quanti maximi in nos amoris pignus & monumentum, ullo unquam tempore è nostrâ omnium memoriâ revulsum abolesceret, quis crediderit illum tantum suæ potestatis & charitatis argumentum locutionibus obscuris, & tropicis, & ad intelligendum difficilibus & arduis, occultare & intricare voluisse?

Huc accedit circumstantia temporis & personarum quas alloquebatur

Utraque enim circumstantia excludebat omnem vocum ambiguitatem. Quis enim brevi moriturus, cum amicis ambigua, & intricata colloquia miscere vellet? Quod nec præstitit Christus, ut & ipsi agnovere Discipuli. Cum enim Joan. 16. cap. v. 25. dixisset; *Venit hora, cum jam non in Proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis.* Discipuli ejus v. 29. dicunt ei: *Ecce nunc palàm loqueris & proverbium nullum dicis:* Revera utebatur Parabolis, cum alios informaret ad fidem & ad virtutem, cum autem Apostolos cælestium mysteriorum notitiâ imbuebat, vel apertè, remoto parabolarum usu loquebatur, vel propositas aliis parabolas, interrogantibus interpretabatur, ut videre est multis in locis, at Luc. præsertim cap. 8. v. 9. Cum enim de seminis parabolâ prædicasset, *interrogaverunt eum Discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ità agebat cum illis toto vitæ mortalis curriculo, at potissimùm cum relicturus esset mundum, ut rediret ad Patrem. Undè ità eos affatur Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos servos, inquit, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Cum ergo Apostoli passim interrogarent Christum de mysteriis ad intelligendum arduis, nec interrogaverint de verbis, quibus suum eis corpus epulandum, & suum sanguinem potandum porrexerat, maximo est argumento eos hujusmodi verba intellexisse prout sonabant, id est in proprio nativoque significatu. Quod demonstrat locus Joannis à nobis proximè laudatus, in quo cum dixissent: *Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis:* Addiderunt: *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi.* Quasi dixissent: Nosti omnia humani cordis arcana, undè fit, ut cum animadvertis, aliquem aliquâ de te interrogare te velle, ejus interrogationem antevertas, & proponendam, alioqui quæstionem mirabili sagacitate dissolvas.

Ac reipsâ quidem, quomodo Apostoli prædicare potuissent Evangelium omni creaturæ, & docere omnes gentes servare omnia, quæcumque ipsis mandaverat, nisi eos ipse Christus omnia tàm mysteria, quàm dogmata ad comparandam salutem necessaria docuisset? Ipse quippe est Unigenitus Filius & Verbum Dei, & ideò nec Prophetæ Sancti, nec Apostoli vera loqui potuissent, nisi ab ipsâ veritate quod est verbum Dei, manifestaretur eis, quod dicerent, & juberetur, ut dicerent, ut testatur S. Augustinus lib. singulari de unit. Eccles. contra Donat. cap. 4.

SECTIO IX.

Negat Hæreticus Christi Corpus in Eucharistiâ verè percipi, & orali comestione manducari, quam hæresim totâ hac sectione strenuè repellit Orthodoxus.

Hæreticus.

SEmper ego auditor tantùm; numquamne reponam? benè multa dixisti, sed an indè probabis verum Christi corpus in cœnæ mysterio aliter quàm ore fidei manducari?

Catholicus.

Cùm juxtà doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, probaverim verbis ab ipso Christo semel in cœnâ prolatis, atque adeò ab Sacerdotibus ritè ordinatis identidem pronuntiaris præsens sisti Christi corpus in Eucharistiâ, ipsum quoque non solùm ore Fidei, ut loqui soleris, sed etiam ore corporis verè & realiter manducari, nemo Catholicus negat.

Siquidem eam manducationem 6. cap. S. Joannis ità expressam & imperatam esse novimus, ut contradicat nemo, nisi is qui oculos sibi effodere voluerit. Nam præterquam quod omnes Catholici ab omni ævo hoc caput de manducatione reali corporis Christi intellexerunt, nonnullæ etiam suppetunt rationes, quæ de eâdem illâ reali & orali manducatione corporis Christi intelligendum esse convincunt. Indè enim sequeretur discipulum, quem diligebat Jesus, & quem mysteriorum sublimiorum singulari amoris testificatione, conscium & participem effecerat, vel hoc mysterium, de quo prædicamus, ignorasse, vel de illo suo in Evangelio penitùs tacuisse, imò sacrilego quopiam silentio obruisse Sacramentorum divinissimum & infinitè ergà nos amoris argumentum maximum, quorum neutrum citrà errorem affirmari potest. Cùm enim Tertullianus lib. de præscript. Hæretic. cap. 2[illegible]. dixisset Apostolos, quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens, datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret, nihil ignorasse: addit in gratiam S. Joannis, *latuit, inquit, & Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Iudam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit?* Hæc ibi Tertullianus.

Enimverò

Enimverò nemini verisimile fieri potest, Apostolum, aquilæ totius Ecclesiæ voce comparatum, utpotè qui irretorto repurgatæ mentis oculo divinam Verbi generationem contemplatus, eam toti terrarum orbi declaraverit, ignorasse maximum divini in homines amoris monumentum, ad cujus institutionem dùm pervenit, eam hisce duntaxat verbis aperit: *Cum dilexisset*, inquit, *suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Cum ergò hujusmodi Sacramentum non ignoraverit, non est credibile de illo nihil omninò scripsisse. Nam amabo vos, an Apostolus ab Christo dilectus, & Christum vicissim ardentissimo amore prosecutus, & ad propagandam ejus gloriam toto amoris impetu succensus, silentio premere potuit mysterium, quod in hominum animis flagrantissimam erga eumdem Christum Jesum quem deperibat ardentissimè, charitatem inflammare poterat? Id abhorret a vero. Undè S. Aug. lib. 3. de consensu Evang. cap. 1. ait eum nihil apertè prodidisse de cœnâ Domini in proprio loco ad instar cæterorum, quia eà de re antè plurima litteris mandaverat.

Hæreticus.

Quid nos per longa exordia moraris? aggredere ad rem, & proba ex 6. cap Joan. manducationem oralem Corporis Christi, in mysterio cœnæ posse inferri & astrui.

Catholicus.

Ut quod cupis exequar, dico oralem, seu quæ fit ore corporis, carnis Christi manducationem ritè & solidè probari ex v. 48 præfati capitis: ubi de se ità inquitur Christus: *Ego sum panis vitæ*, & v. 49 *Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt*, & v. 50 *Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

In his locis comparat Christus manna Eucharistiæ, id est confert veritatem sui Corporis, quod se suis ad manducandum datum ire præfato capite pollicetur, cum mannâ, per quod ità adumbrata est Eucharistia, seu caro Christi in Eucharistiâ comedenda, ut nihil clarius cernatur & appareat, quam veram illius figuram extitisse. Undè prætermissis iis, in quibus ista duo sunt similia, quis non inferat carnem Christi ore corporis esse manducandam, sicut & Judæi manna de cælo delapsum, ore corporis manducaverunt in deserto.

Si quis ad eludendam hujus argumenti vim diceret, ut facitis vos, verè quidem Judæos in deserto manducasse manna ore corporis, sicut quotidianos cibos comedimus, sed non propterea sequi quod Christi corpus pariter corporali ore comedatur.

Reponerem, ostende quod asseris in Scripturâ, nam te ad solam Scripturam, prout jacet, velle adhærescere profiteris, si non ostendas, futilis est tua objectio, imò verbo Dei contraria. Nam Scripturam in sensu litterali, & primùm se offerente interpretandam esse docent sancti Patres, nisi evidens aliqua contradictio, aliam interpretationem exigat. Ergò nulla tibi suffragatur Scripturæ authoritas, cum nulla in verbis Christi, de quibus sermo est, contradictio appareat. Quid enim nos ore corporis Christi corpus ad alendas animas, & ad consecranda corpora in Eucharistiâ accipere prohibet, sicut & Hebræi manna, ceu cibum, ad producendam corporum vitam necessarium, in solitudine comederunt?

Præterea ut ostendat Christus se loqui de verâ suæ carnis manducatione per os humani corporis factitanda, opponit effectum mannæ, quo vescebantur Hebræi, effectui suæ carnis, seu corporis sui. Cum enim homines quotidie capessant cibos, quorum adminiculo suam vitam tueri, & aliquot in annos producere queant, hoc equidem Hebræis manna præstitit in deserto, sed tamdem mortui sunt: Undè Christus, ut Judæorum animos adhuc carnales abstraheret a mannâ, pollicetur se daturum panem, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

Quod & clariùs explicat v. 51. & 52. *Ego sum panis vivus*, inquit, *qui de Cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum: Et Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Hisce verbis declarat, ut perspicuè legenti patet, se velle intelligi de verâ & reali & orali sui corporis, & non de imaginariâ per fidem, seu per fidei apprehensionem, quam vos excogitastis, manducatione, & ideò suum Corpus vocat Panem & Carnem, ut per ista sensibilia nostrorum corporum alimenta, quibus quotidiè reficimur, nos provehat ad fidem, & ad notitiam sui Corporis, quod revera nobis in cibum, & animarum alimentum porrigere decreverat.

Et, ut id persuaderet Judæis, se nempè Corpus suum Panem vivum & vivificum, esse porrecturum, asseverat se illis daturum Panem mannâ (quod plurimi faciebant) multo præstantiorem, Panem scilicet, cujus vi & efficaciâ viverent in æternum: quod præstare non potuit manna: siquidem eorum Patres manna manducaverant in deserto, & nihilo seciùs mortui sunt. Quâ in re Corpus Christi manna infinitis partibus antecellit. Nam præterquam quod vivum, & vivificum Christi Domini corpus tuetur spiritualem animæ vitam illi impertiendo, uberiora divinæ gratiæ subsidia, per quæ noxia quæque & salutis devoratoria, ut loquitur Tertullianus, propulsare & profligare possit: in ipsa etiam corpora imprimit vim quamdam seminalem, regeneratricem, seu immortalitatis & incorruptionis effectricem, cujus beneficio nostra ipsa corpora gloriæ dotibus induta, nobilitataque in consummatione sæculi resurgent. Quod privilegium nullatenùs mannæ concessum legitur: Siquidem omnes, qui comederunt illud, ita corpore mortui sunt, ut numquam ejus vi & efficaciâ reviviscere valeant.

Si quid habes, quod tantæ scripturarum authoritati opponas, opponere potes.

Hæreticus.

Ista non probant Christi Corpus ore corporali manducari oportere, sed tantùm per fidem, quod jam dixi.

Catholicus.

Imò ista mirabiliter astruunt corporalem seu oralem Corporis Christi manducationem. Quod perspicuè potest ex litigantium ad invicem Judæorum sermocinatione, & colloquio, quod meridianâ luce clarius demonstrat eos Christi verba retulisse ad corporalem manducationem; ita ut crederent Christum suam Carnem polliceri comedendam, tam realiter, & verè quam laniatæ & in frusta discerptæ animantium carnes vel crudæ devorantur a bestiis, aut lixæ, vel assatæ passim ab hominibus manducantur. Non altercabantur ergo de reali & orali manducatione illius ipsius carnis, cujus esum repromitti audiebant, sed de modo, quo illa ipsa caro repromissa posset manducari.

Unde illa vox, *quomodo*, quæ vox erat Judaïca, & incredulitatis signum, ut ab SS. Chrysostomo & Cyrillo observatum est.

Nam SS. Patres & imprimis S. Gregorius Nazianz. Orat. 1. de Theol. istam vocem, *quomodo*, bifariàm usurpari posse docuerunt. 1. Cum quis dubitat de rei propositæ possibilitate. 2. Cum de modo quo res vel est vel futura est.

Quomodo, in primo sensu acceptum semper prohibuere Patres, quippè quod injurium esset ipsi Deo,

apud quem non est impossibile omne verbum quod loquitur, aut pollicetur. Et eò semper collineant Hæretici, & quantum in ipsis est, arcana quæque & ardua Ecclesiæ Catholicæ mysteria populantur, & labefactant. Undè & negant oralem Corporis Christi manducationem sicut & Capharnaitæ; passim enim quærunt, quomodo Corpus Christi præsens sistitur in Eucharistiâ, quomodo ore corporis manducatur; & alia id genus congerunt, ut realem Corporis Christi præsentiam & oralem ejus manducationem ex Ecclesiâ Dei exterminent.

Quod spectat ad alterum (quomodo) usurpari potest, religiosâ quâdam prudentiâ, quâ quis informari velit de rebus ad suam salutem pertinentibus, sicut factitatum est ab Deiparâ Virgine, quæ cum salutata esset ab Angelo, & certior esset facta de conceptu & partu Filii Dei, suis in visceribus incarnandi, nec tamen virum ob emissum votum perpetuæ virginitatis cujus ipsa prima vexillum extulerat, cognoscere valeret, pari ad prudentiam humilitate quæsiit, quomodo fieret istud.

Capharnaitæ ergo quærebant, quomodo, utpotè qui rem, de quâ Christum prædicantem audiebant, factu penitùs impossibilem crederent. Hujusmodi hominibus quid reponit Christus? Non expectorat illis cogitationem seu persuasionem, quâ ipsum verè suam carnem comedendam, & suum sanguinem bibendum, porrectum ire crediderant; verùm ut declararet eos rectè suam mentem quoad oralem sui corporis manducationem & sui sanguinis potationem assecutos esse (tametsi errarent circà istius manducationis & potationis modum) v. 54. duplici juramento suæ carnis manducationem, & sanguinis sui potationem præcipit: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ergò propositâ damnationis æternæ pœnâ, unicuique manducandæ carnis Christi præceptum indicitur, & iis qui illam cum fide & reverentiâ, & imprimis cum synceræ charitate reipsâ ore corporis exceptam comederent, vitam repromittit æternam, ut eos ad tanti mysterii fidem & perceptionem alliciat proposito fructu, quem indè sunt procuidubiò percepturi.

Prætereà Joan. c. 6. v. 56. ipse Christus affirmat suam carnem verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum, id affirmat verè, simpliciter, remotâ omni metaphorâ vel analogiâ: sicut ab omni ævo credidit & usquequaque docuit Ecclesia Catholica.

V. 57. Ait eum qui manducat suam carnem & bibit suum sanguinem in se manere, sicut & ipse in illo manet, non solùm per Fidem, & Charitatem, & voluntatis unitatem, sed etiam naturali quâdam & corporali unione, seu commixtione, ut docent SS. Hilarius lib 8. de Trinitate & Cyrillus lib. 10. in Joan. cap. 13.

Ista omnia Christi verba totidem sunt oracula, quibus realis ejus carnis manducatio astruitur, sed efficacissimum sanè argumentum ad ejus rei probationem elici potest, ex eo quod multi audientes ex discipulis ejus horrore manducandæ carnis humanæ offensi dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

Quod si Christus se noluisset intelligi de reali & orali suæ carnis manducatione, sed tantum de eâ quæ fieret per Fidei apprehensionem, ut placet Calvinistis, facilè totam illam alterecantium Judæorum contentionem sedare potuisset. Dixisset enim se porrecturum corporis sui figuram, eosque non orali manducatione, sed tantum metaphoricâ per Fidem nempè manducaturos suam illam carnem. Sed non ita se gessit. Verùm cum duabus rebus offenderentur multi ex septuaginta Discipulis, 1. Eo quod se de cælo descendisse diceret, 2. Quod ipsis suam carnem manducandam porrectum ire promitteret, refellit utramque utriusque offensionis causam.

Primam quippè sic refellit: Hoc vobis offendiculo est, quod dixerim me descendisse de cælo, & ideò me deseritis. Si ergò videritis Filium hominis ascendentem (in cælum) ubi erat priùs, antequam scilicet per Incarnationis mysterium in terras descenderet, hoc loco suspensos tenet audientium animos per aposiopesim, sivè reticentiam, quasi diceret: Cum me videritis ascendentem in cœlum, in quo degebam antè assumptam humanitatem, quid tunc dicetis, an denuo verba quibus me de cælo descendisse dixi, vobis erunt offendiculo? Hæc erat prima offensionis causa.

Secunda indè exstiterat, quod cum audissent Christum de suâ carne manducandâ disserentem, arbitrati erant illam ipsam carnem laniandam instar carnium, quæ jugulatis animantibus dissecantur in partes, & hominum mensis epulandæ apponuntur. Hujus offensionis causam tollit Christus hisce verbis Joan. 6. v. 64. comprehensis: *Spiritus est qui vivificat, Caro non prodest quicquam, verba quæ ego locutus sum vobis: spiritus & vita sunt.* Hunc locum in sui erroris patrocinium accersunt Hæretici, sine ullo vel Scripturarum, vel SS. Patrum testimonio, & ideò hujus loci authoritate realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam & oralem manducationem elidere nequeunt.

Quod ut faciliùs capiatis vos, nempè nihil ex hoc loco posse colligere contra realem Corporis Christi in Sacramento cœnæ præsentiam, oralemque manducationem, proferendus est vobis Augustinus, quem vos (ceu genuinum vestrarum hæreseon vindicem & patronum) vobis passim, & in hâc præsertim materiâ vindicatis, ut discatis ex eo quid hâc de re sentire, quid credere debeatis.

Tunc, ait in Psalm. 98. *quando Dominus dixit: Spiritus vivificat, caro autem nihil prodest, de carne suâ locutus erat & dixerat: nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam, scandalizati sunt quidam Discipuli ejus, septuaginta fermè, & dixerunt: durus est hic sermo, quis potest hoc intelligere? & recesserunt ab eo, & ampliùs cum eo non ambulaverunt. Durum illis visum est quod ait: nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt: durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi: non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod Sacramentum latens. Manerent cum eo lenes, non duri, & discerent ab illo, quod illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt. Nam cum remansissent cum illo Discipuli duodecim, illis recedentibus suggesserunt illi, tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo ejus, & recesserunt. Ille autem instruxit eos, & ait illis, Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest, verba quæ locutus sum vobis, spiritus est & vita. Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. etsi necesse est, istud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Hæc ibi.

Idem sanctus Augustinus suam hâc de re mentem luculenter explicat Tractatu 27 in Joan. *Quid est ergò*, inquit, *quod adjungit: Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam? Dicamus ei: patitur enim nos non contradicentes, sed nosse cupientes: O Domine: Magister bone, quomodo caro non prodest quicquam, cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quicquam? Et propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam,*

quam tuâ carne promittis? Quid est ergò, non prodest quicquam caro? Non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est: Scientia inflat. Iam ergò debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est scientia inflat? Sola sinè charitate. Ideò adjunxit: Charitas verò ædificat. Adde ergò scientiæ charitatem, & utilis erit scientia non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quicquam: sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Hæc ibi.

Ex istis S. Augustini locis, tria in Scripturis fundatissima colligere est.

Primum est Capharnaïtas carni & sensibus plus æquo addictos, credidisse Christum suam carnem manducandam, & suum sanguinem potandum porrecturum esse sensibili modo, ità ut illa ipsa ejus caro ore manducaretur, & sanguis pariter ore potaretur, sicut passim comeduntur laniatæ ovium aut aliarum animantium carnes, & alia adhibentur esculenta, poculentaque, quibus quotidiè vescimur.

Secundum est Christum non reprobasse manducationem oralem & carnalem, quâ ipsius carnem manducandam esse conceperant Capharnaïtæ, sed carnalem dumtaxat modum, quo illam carnem manducandam esse perperàm crediderant.

Tertium est Christum eos ab carnali manducationis modo ad sublimioris cujusdam manducationis modum verum & realem, non autem figuralem aut metaphoricum transtulisse, idque perspicuè & evidenter, ità ut nullum reliquerit dubitandi locum. Cum enim dixit: *Spiritus est qui vivificat: Caro non prodest quicquam, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: Non intendit asserere suam carnem, & ejus manducationem oralem nihil manducantibus profuturam, atque adeò illam figuratè dumtaxat & metaphoricè manducandam esse (ut pervicaciter contrà utriusque traditionis tam scriptæ quam non scriptæ irreformabilem authoritatem contenditis) sed his verbis excludit manducationem, seu manducationis modum, quo carnes animantium mortuæ, discerptæ, laniatæ passim ad alendos homines adhibentur, ut doceat suam carnem, quam assumpsit per mysterium Incarnationis, verè & realiter ab suis ore corporali manducandam esse, sed sacramentali modo & spirituali: atque ità fore ut illa ipsa caro non solâ fide, sed non sine fide atque dilectione manducata, non solùm fidelium animas ceu cæleste alimentum in hâc peregrinatione reficiat, sed etiam ad vitam provehat sempiternam: utpotè quæ vivificantem spiritum, id est, ut interpretantur sancti Patres, Christi divinitatem arcto unionis hypostaticæ vinculo conjunctam habeat, à quâ si abesset, & ab eâ separata manducaretur, nihil penitùs ad animarum vitam, vel in tempore retinendam vel in æternitate possidendam proficeret. Undè subdit Christus Jesus: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: id est verba, quibus meam hanc carnem, quam videtis, ceu verum cibum comedendam me porrectum ire polliceor, non sunt intelligenda carnaliter: Cum enim proferantur ad spiritualia significanda, ad spiritualem quoque intelligentiam, & modum ea transferri necesse est.

Siquidem meam carnem non in propriâ specie & vestros in oculos, ut nunc, incurrente, sed sub specie panis velatam verè excipietis ore, verè, non autem figuratè, nec metaphoricè manducabitis.

Hujusmodi interpretationem ut orthodoxam tota ambabus ulnis amplectitur Ecclesia, & eam passim prædicant sancti Patres, & imprimis S. Augustinus, quem vobis totum vindicatis, in Psalm. 98. ubi ait his Christi verbis Sacramentum commendari, quod spiritualiter intellectum vivificabit homines, & quamquam necesse sit istud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. Ità S. Aug. cujus verba superiùs retulimus.

Hæreticus.

Non ità perspicuè (quæ dicitis) Christus docuit citato à te loco, ut arbitraris.

Catholicus.

Christum in locis ex 6. cap. Evangelii secundùm Joannem depromptis, oralem & veram suæ veræ carnis manducationem spirituali, seu sacramentali modo factitandam, tàm apertè docuit, ut nihil suprà.

Quod probatur tàm ex parte Christi, quam ex parte Apostolorum, quos clarâ, distinctâque cælestium mysteriorum notitiâ imbuere decreverat.

Ex parte Christi hoc argumentum peti potest, quo probetur illum apertè tantum mysterium cum suæ carnis reali manducatione conjunctum suis discipulis tradidisse.

Nemo dubitare potest quin Christus incredibili sapientiâ præditus fuerit; quin summâ in homines charitate flagraverit; quin denique omnia sibi ab æterno Patre demandata, perspicuè & fideliter impleverit. Ergò nemo dubitare potest, quin verum suum corpus ore corporis excipiendum manducandumque Ecclesiæ per Apostolos repræsentatæ verbis apertis, id est, nullâ vocum ambiguitate aut obscuritate implicatis impertierit. Cum enim esset ipsa sapientia non caruit verbis, aut solertiâ quâ sese attemperaret ad hominum imbecillitatem & captum, atque adeò clarâ & perspicuâ mysteriorum (quæ tradebat) notitiâ eorum animos imbueret. Cùm verò homines incredibili amore prosequeretur, eumque in eos amorem singulari munificentiâ testatum facere vellet, haud dubiè arcana quæque mysteria, per quæ magnum sui amorem in eorum cordibus accendere statuerat, illis inusitatâ verborum facilitate & perspicuitate reseravit. Cum denique omnia ex æterni Patris imperio exequeretur, non est verisimile ea, quæ peragebat, obscuris & ambiguis vocibus obscurare debuisse, aut voluisse: utpotè qui descenderat de cælo, ut illuminaret his qui in tenebris, & in umbrâ mortis sedebant, & dirigeret pedes nostros in viam pacis.

Ergò ex his omnibus rectè conficitur Christum dedisse corpus suum ore corporis excipiendum & manducandum. Quod ineluctabiliter astruitur, ex eo quod multos ex Discipulis suis, qui crediderant ejus carnem realiter manducandam ore corporis (tametsi hujusmodi manducationis modum ignorarent) abire permiserit, nec eis hanc, quam de eâdem ipsâ reali, & orali suæ carnis manducatione conceperant, opinionem eripuerit: imò conversus ad duodecim quæsierit, nùm & ipsi vellent abire, & tunc omnes in personâ Petri responderunt: *Ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quasi diceret Petrus, quia credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, omnibus verbis tuis irretractabilem adhibemus fidem, & certò certius persuasum habemus te nobis suo tempore carnem verè nobis & realiter, & sanguinem tuum verè potandum porrecturum esse, utpotè qui sis Filius Dei, cui nihil est impossibile, atque adeò omnia quæ promittis, pari facilitate promittas & impleas.

Ex parte Apostolorum peti potest argumentum negativum, quo vera & realis, & oralis carnis Christi manducatio astruitur: tale autem est argumentum.

Cum Christus Dominus Joan 6. cap. ut vidimus, suam carnem verè realiterque, non tamen carnali & sensibili modo manducandam promisisset, Apostoli eum de hujusmodi manducatione

nihil interrogarunt. Ergò Christus Dominus suum corpus, & realem & oralem ejus manducationem promisit verbis tàm evidentibus, & perspicuis, ut illi ipsi Apostoli, qui de rebus aliquam difficultatem, aut obscuritatem præ se ferentibus, aliàs eum interrogare consueverant, nihil de tali manducatione interrogaverint.

Quod Apostoli Christum de rebus obscurioribus aut difficilioribus interrogare soliti sint, constat ex plurimis Evangelii locis, ut Matth. cap. 13. & Luc. 8. petunt ab ipso explicationem parabolarum seminis & aliarum rerum. Item eodem cap. 13. Matth. v. 36. dicunt ei: *Edissere nobis parabolam Zizaniorum agri.* Quin etiam cùm illis explanasset varias parabolas eod. Matth. cap comprehensas, sciscitatur ab eis ejusdem cap. v. 51. num intelligerent quæ ipsis edisseruerat. *Intellexistis,* inquit, *hæc omnia? dicunt ei, etiam.*

Ità passim eum interrogabant, & ipse vicissim docebat eos mysteria, tàm ad ipsorum, quàm ad fidelium (ad quorum regimen ab ipso erant admovendi) salutem pertinentia: quæ quidem si primo aspectu eorum captum, & intelligentiam prætergrederentur, pro eâ, quâ dignabatur eos, familiaritate secum interrogabant. Undè colligere est eos rectè intellexisse ea, de quibus eum nihil interrogarunt.

Ac reipsâ quidem magni momenti erat ipsos docere mysterium Eucharistiæ, antequam institueretur. Alioquin cum ventum esset ad ejus institutionem, periculum erat, ne Apostoli (qui de tanto mysterio nihil fando audierant) tantæ rei novitate perculsi turbarentur, ut ait sanctus Joannes Chrysostomus, & adhuc infirmi in fide ab Christo desciscerent, & scandalum, quod in ipso in peccatorum manus tradito (passuri erant) altero scandalo, quod accipere poterant, ex propositâ carnis ipsius manducatione, & sanguinis ejus potatione, anteverterent.

Sectio X.

Respondet hic Catholicus Hæretici objectionibus, & imprimis hujusmodi objectioni, quâ contendunt Hæretici, Christum maximis contumeliis inquinari, si ejus Corpus impiorum ore manducetur & in eorum stomachum trajiciatur.

Hæreticus.

Si reverà Corpus Christi manducatione reali & orali comederetur in Sacramento cœnæ, sequeretur illud ipsum corpus manducari ab impiis, & ab teterrimis quibusque hominibus, qui ad hoc Sacramentum accederent, quod concedere nec possumus, nec debemus.

Catholicus.

Ex adverso nos idipsum concedere & possumus, & debemus, & reipsâ concedimus, ne contradicamus Apostolo 1. Corinth. cap. 11. v. 27. ità loquenti: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Ergò ex Apostolo quisquis panem illum vivum & vivificum indignè, id est vel sine fide, vel sine charitate (quæ est maxima & ad dignam hujus Sacramenti perceptionem apprimè necessaria præparatio) vel cum conscientiâ peccati lethalis acceperit, reus erit corporis & sanguinis. Quare reus erit Corporis & Sanguinis Domini? Quia scilicet bonum malè malus acceperit, id est illud ipsum Domini corpus indignè, sine debitâ scilicet præparatione, & reverentiâ manducaverit.

Quemadmodùm igitur Romani milites rei dicuntur corporis & sanguinis Domini, utpotè qui pari ad injustitiam immanitate illud ipsum Christi Domini corpus mille contumeliis inquinatum, flagellis undique conscissum, verberibus denique & sputis dehonestatum in crucem ad impietatis cumulum sustulerunt: ita qui corpus Domini manducant indignè, proximè accedunt ad tam immane & tàm exaggeratum facinus (ut constat ex Theodoreto & Oecumenio) & sese reddunt obnoxios tali tantæque pœnæ, quali & quantæ addictos eos oportuit, qui illud ipsum corpus & sanguinem Domini indignis modis tractare & accipere non horruerunt. Si enim carnifices sacrilegâ insolentiâ in Christi sacratissimum corpus & sanguinem grassati sunt, & sævierunt vinciendo, in faciem ejus inspuendo, colaphis cædendo: Nonne qui idem illud corpus manducant indignè, imitantur sacrilegam illam tractationem, illud impuro ore sumendo & trajiciendo in stomachum & pectus peccato, atque adeò Dæmoni mancipatum?

Omnes autem lethalium criminum affectu irretitos, atque adeò statu implicatos percipere Christi corpus in Eucharistiâ certius est & testatius, quàm ut probari debeat. Quod liquidò probatur ex allatis Apostoli verbis. *quicumque manducaverit panem hunc,* &c.

Ex illis enim duo fidei dogmata colliguntur & probantur: Quorum primum est realis corporis Christi in hoc Sacramento præsentia. Si enim ut placet Heterodoxis, Christi corpus in eo non resideret verè, realiter, substantialiter, sed ejus dumtaxat signum & figura inexisteret, quisquis ad illud accederet cum conscientiâ peccati lethalis, non esset reus corporis & sanguinis Domini. Sicut enim nemo potest propriâ manu alterum hominem ab seipso & notabili spatio remotum malè tractare, verberare aut interficere; Ità nemo quantumvis malus, verum Christi corpus, (nisi illud præsens habeat) indignè manducare, atque adeò violati ejusdem corporis reatum incurrere potest.

Alterum fidei dogma est malos quantumvis malos, & improbos, &, si libet, ex omnium scelerum impuritate conflatos reverà ipsummet Christi corpus, quod ab sanctissimis quibusque percipitur, percipere, & indè certam haurire mortem, undè ad instar Sanctorum vitam æternam haurire debuerant. Undè tanti supplicii severitas in hujusmodi homines sit constituta.

Satis indicat laudato loco Apostolus, quia scilicet manducant indignè corpus Domini nostri Jesu Christi; & ità manducando æternam sibi damnationem accersunt. cujus reatum non ex naturâ mysteriorum, quæ vivifica sunt, ut ait Theophylactus, id est gratiæ & salutis per se efficacia, sed per suam indignitatem incurrunt: quippè qui non dijudicant corpus Domini, & illud percipiunt sinè debitâ cordis præparatione, perindè ac si comederent cibos communes, quos sine ullâ reverentiâ & conscientiæ puritate teterrimi quique capessunt.

Rei ergò corporis & sanguinis Domini sunt improbi, quia illud comedendo non dijudicant: Ergò ibi est verè & realiter corpus & sanguis Domini nostri. Si enim hoc Sacramentum esset duntaxat signum seu figura ipsius corporis D.N.J C. nihil haberet diversum ab communi pane, atque adeò ipsum ab illo secernere non oporteret, nec reus esset violati ejusdem corporis, qui ad illud indignè accederet: Siquidem illud ab ipso dissitum malè tractare & violare non posset. Illa ergò profanatio probat realem Christi præsentiam in Eucharistiâ, & astruit pariter verum ejusdem Christi corpus ab impiis manducari, neque enim ipsius violati crimen, & reatum incurrerent, nisi illud ipsum reverà manducarent.

Primicerium Eucharistiæ profanatorem Judam extitisse Patres plerique omnes asserunt. Undè de illo sic loquitur S. Ambrosius octon. 12. in Psal. 118. in hæc verba, Tuus sum ego, salvum me fac, *Judas*, inquit, *Apostolus fuit, & in convivio Christi inter Apostolos recumbebat. Dicebat & ipse: Tuus sum: sed voce, non corde: Venit & introivit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus, JESU, sed meus est; Denique ea, quæ mea sunt, cogitat.*

Quæ mea sunt in pectore suo volvit: tecum epulatur. & mecum pascitur: à te panem accepit, à me pecuniam: tecum bibit. & mihi tuum sanguinem vendit: Tuus est Apostolus & meus est mercenarius. Hæc ibi.

Item Judam Christi Domini Corpus cum aliis Apostolis manducasse testatur S. Augustinus Epist. 16. *Tolerat*, inquit, *ipse Dominus Judam, Diabolum, furem, & venditorem suum; sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod fideles noverunt pretium nostrum.* Hæc ibi, quod & asseverat sequenti Epist. 163.

Idipsum affirmat idem S. Aug. lib. 5. de Baptismo contra Donat. cap. 8. *Sicut Judas*, inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit, sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut quia ipse malus est, malum sit aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus; qui manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Hæc ibi.

Hæreticus.

Bone Deus! quantoperè violatur, & dedecoratur Christi Corpus, si vel ab ipsis impiis reipsâ percipitur. Indè enim sequitur ipsos impios verum Christi Corpus ore percipere, & manducare, nec tamen ejusmodi manducatione sanctificari. Indè etiam necessariò conficiunt, Diabolum, qui intravit in corpus & in cor Judæ, cui jam Corpus suum Christus porrexerat, ut dicitis, cum ipso met Christo in perfido illo Discipulo pariter extitisse, imò diabolum de Christo triumphasse: siquidem Judas in teterrimo illo flagitio, quo Christum in hostium suorum manus tradere decreverat, obstinatiore animo perseveravit.

Catholicus.

Si divinitas replet omnia loca, in quibus versatur Satanas, & ipsa præsens est plurimis in locis, in quibus Satanas execranda opera exequitur, & perficit, quid mali est, si Corpus Christi in ipso Judâ cum Dæmone reperiatur, ubi Christus non cedit illi velut adversario suæ potestatis, sed ipso veluti Justitiæ suæ ministro utitur?

Quod autem objicitur impios corporis Christi perceptione non sanctificari, facile re solvitur. Non enim ad verum Christi Corpus accessu homo duntaxat sanctificatur; alioquin Diabolus, qui Christum supra templi pinnaculum asportavit, Judas qui illi osculum impressit, Judæi, qui illum tradidere, carnifices denique qui illum ad crucem alligavere, fuissent omnes absoluti ab immanissimis criminibus imò ab ipso Deicidio, illo ipso tempore, quo in illud ardentius incumbebant. Sed quemadmodum sol non exerit suas vires in steriles arenas, sed in feraces duntaxat terras: ita Christi Domini Corpus in animas duntaxat ad dignam ipsius perceptionem ritè comparatas, suarum gratiarum opes mirabili munificentiâ effundit.

Sectio XI.

Hæreticus quatuor affert incommoda ex reali Corporis Christi emersura, si ejusmodi manducatio admittatur, Quæ omnia insigniter diluit & profligat Catholicus.

Hæreticus.

Ex reali Corporis Christi præsentiâ in Eucharistiâ multa alia consequuntur incommoda, quibus illud ipsum Corpus mirum quantum dehonestatur.

1 Fieri potest, & sæpè contigit, ut sacrum illud Corpus, quod vos ore percipi contenditis, ab nauseante stomacho regereretur.

2. Illud ipsum Corpus multis casibus obnoxium est. Potest enim muribus arrodi, ab aliis animantibus devorari, puta à canibus, quibus illud projecere Donatistæ, ut commemorat Optatus Malevitanus, vel ab impiis pedibus proteri, & conculcari.

3. Indecorum est eum parvulâ includi pyxide, qui vasto Cœlorum ambitu nec coërceri, nec contineri, potest.

4. Quidam Canones Hostias, si quæ post fidelium Communionem superessent, in ignem projici voluerunt. Quæ omnia profectò in gravissimam sacro-sancti Corporis ignominiam redundarent, si, ut vobis placet, vi verborum quæ protulit Christus, & vestri sacerdotes proferunt, præsens in Eucharistiâ sisteretur.

Catholicus.

Ista omnia oberrantium animorum figmenta cordato cuique risum propinant & excutiunt: Illa quippe Sancti Patres explosere jampridem cum hæreticorum suis temporibus adversus Christi humanitatem, & Eucharistiam insurgentium audaciam represserunt; Et omnes casus & omnia pericula quibus sanctum ejus Corpus in Eucharistiâ verè contentum & absconditum propositum esse deblateratis. Reverà demonstrarunt ista omnia, quæ tantis clamoribus, & tripudiis ingeminatis quæ vobis videntur dedecora sacrum illud corpus dehonestantia, esse summas & voluntarias Verbi Incarnati dejectiones, seu depressiones, quæ cum ejus magnitudini nihil officiant, exaggeratam ejus bonitatem mirabilem in modum illustrant, & singularem ejus in homines munificentiam & amorem magnificè contestantur. Quemadmodum divinitas nullis contumeliis inquinata, nullis opprobriis contaminata, cum Christus patiens verberibus & injuriis onerabatur: Ita licet species frangantur in Sacramento, corrodantur ab animantibus, manducentur ab impiis, gloria Filii Dei sacro-sanctum ejus Corpus vindicat ab injuriis, quibus hostes fidei illud dedecoratum esse vociferantur.

Quemadmodum si in fornacem injiciatur adamas vitro inclusus, liquescit vitrum, & illæsus adamas ex ignibus emergit; ita divinitas nullo locorum circumscripta spatio, nullis locorum, quæ replet, inquinatur sordibus: Et sicut radii solis non minori puritate fulgent inter lutum, quàm inter flores: Ita Christi Corpus gloriæ dotibus nobilitatum nihil excipere, potest, quod ejus splendori & gloriæ caliginem offundere valeat.

Si Christus suâ in humanitate experiri potuit omnes injurias, quibus cæteri homines affici violarique possunt, quidni species sub quibus ab hominum oculis oblitescit, variis appetantur casibus, ita ut ex ipsis nec ejus persona, nec ejus corpus, nec anima quicquam detrimenti capiant.

Si Dei immensitas nihil prohibuit, quominùs Christi humanitas in Deiparæ visceribus includeretur, quidni illa ipsa humanitas sub alienâ specie comprehensa, & externâ suâ & locali quantitate spoliata in pyxide includi, continerique poterit?

Si denique in inferis præsens est Deus, & ejus præsentiæ nihil officiunt Dæmones, & reprobi, quos regit in virgâ ferreâ, id est inflexibili justitiâ, ut loquitur S. Augustinus; quid prohibebit quominùs Christi Corpus percipiatur ab improbis, qui per sua flagitia sese Dæmoni manciparunt, atque ita in sacrilegis illis hominibus cum Dæmone reperiatur? Hoc ejus magnitudini nihil detrahit, imò plurimùm adjicit. Ibi enim sedet, ut judex animadversurus in reos sui corporis & sanguinis, quippè qui Dæmonem, ceu tortorem eas, quas constituerit judicio decretorio pœnas, ejusmodi hominibus inflicturum, ibidem remanere patiatur.

Sectio XII.

In quâ Hæreticus profert hæc verba, caro non prodest quicquam. perinde ac si per illa realis Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento eluderetur, quod egregiè refellit Catholicus.

Hæreticus.

QUIN constanter adhærescimus verbis Christi disertè asserentis carnem nihil prodesse.

Catholicus.

Caro ab Christi divinitate separata nihil prodest: Caro Christi sacramentaliter tantùm sumpta (ut ab impiis manducatur) non solùm nihil prodest, sed etiam obest plurimùm, utpotè quæ illis perniciem & mortem afferat sempiternam. Quod ut planum fiat, observandum est ex Concilio Trident. Session 13. cap. 8. tres hujus Sacramenti sumendi rationes sapienter ab Patribus esse distinctas. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter tantùm id sumere, alios tantùm spiritualiter; tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter. Tres illos accipiendi hujus Sacramenti modos pulcherrimè explicat Catechismus Romanus part. 2. num. 57.

Alii, inquit, Sacramentum tantùm accipiunt, ut peccatores, qui sacra mysteria impuro ore & corde accipere non verentur, quos Apostolus ait indignè manducare & bibere Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi: De his ita scribit S. Augustinus tractat. 26. in Joan. *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò non manducat spiritualiter ejus carnem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini.* Qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria accipiunt, non solùm ex his nullum accipiunt fructum: sed etiam ipso Apostolo teste, judicium sibi manducant & bibunt.

2. Alii spiritu tantummodo Eucharistiam sumere dicuntur: & ii sunt qui desiderio, & voto propositum cœlestem illum panem comedunt, fide vivâ incensi, quæ per dilectionem operatur. Ex quo si non omnes, maximos certè utilitatis fructus consequuntur.

3. Alii denique sunt, qui Sacramento, & spiritu sacram Eucharistiam percipiunt: qui cum ex Apostoli doctrinâ priùs se probaverint, ac veste nuptiali ornati ad divinam hanc mensam accesserint, ex illâ ipsâ Eucharistiâ capiunt uberrimos illos, de quibus jam sumus dicturi, fructus. Quare perspicuum erit eos se maximis & cælestibus bonis privare, qui cum ad Corporis Domini Sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent spiritu tantùm sacram Communionem accipere.

Hæreticus.

Quorsùm igitur Christus suam carnem ore corporis excipiendam & manducandam impertiit, si caro, ut dixit, nihil prodest, & satis superque nostræ saluti consulit, si nobis spiritum vivificantem impertiat, & illum ore fidei recipiamus?

Catholicus.

Antequam Christi carnem in Eucharistiâ perceptam nobis prodesse plurimùm ostendam, quæro à te, quid conferat ad nostram salutem quod Christus Jesus incarnari voluerit? nonnè satis procurasset nostram hominum salutem, si ipsis omnium, quorum erant conscii, criminum non assumptâ carne veniam indulsisset?

Nihil huic quæstioni respondere possunt vestri Antesignani, nisi dicant Patrem æternum sic dilexisse mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui crederet in illum non periret, sed haberet vitam æternam: Et ipsum filium humanam assumpsisse naturam ut quantum maximum in homines amorem illustrioribus indiciis testatum faceret, & æterni Patris (justitiæ debitas nobis pœnas oppetendo) cumulatè satisfaceret, atque ita nos omnes quorum causâ venerat, vitam haberemus, & abundantiùs haberemus.

Ita contendimus eumdem Christum suam carnem ore corporis comedendam nobis præbuisse, ut luculentiùs testificaretur nimiam suam in nos charitatem mirabili illo modo, quo non solùm sese toti nostræ naturæ universim, ut ita dicam, per unionem hypostaticam nobilitatæ conjungere voluit (quod per Incarnationis Mysterium præstitit) verum etiam singillatim unicuique nostrûm gestiit copulari, quod effecit, & etiamnum efficit per sacro-sanctam Eucharistiam, quam ideò Sancti Patres Incarnationis extensionem jure ac meritò appellari voluerunt.

Deus tanto nos amore deperit, ut non solùm hujusmodi amorem sita nobis dona impertiendo, & divina pro nobis edendo mysteria, sed etiam in modo, quo nos suis cumulat beneficiis, magnificè patefaciat. Poterat enim v.g. citra Incarnationis, & Crucis mysterium infinita nobis condonare flagitia, eaque oblivione sempiternâ conterere. Poterat insuper vel minimâ quapiam actione vel oratione cumulatè facere satis æterni Patris justitiæ. Quicquid enim agebat, erat infiniti valoris & meriti ob infinitam dignitatem Verbi, ex cujus personâ in humanitate & per humanitatem operante omnia ejus consilia, dicta, & facta proficiscebantur: sed aliter se habere voluit, sese totum videlicet pro nobis obtulit, pro nobis acerbissimam ex omni memoriâ mortem oppetiit, ut ex eâ morte omni diritate teterrimâ, pelluceret summus ejus in homines amor, & ita quanto maximo rigore æterni Patris justitiæ satis-fieret.

Ejusdem amoris impulsu & impetu nobis suam carnem ore corporis manducandam porrigere voluit (cum eam tantum spiritu percipiendam porrigere posset) ut nostra corda ejus pectori, noster sanguis ejus sanguini, & omnia nostra artiùs per istud mysterium illi conglutinata, in unum cum illo corpus, imò in unum cor, & animam unam coalescerent, & nos tot ejus tantisque beneficiis & amoris incitamentis provocati, summam illam, quam ille prior in nos charitatem exeruerat, in illum vicissim exereremus.

Porrò cùm in Christo inhabitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut loquitur Apostolus, fieri non potest, quin ejus caro, in quâ ista inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, id est velut in proprio corpore mirabiles effectus tam in corpora, quam in animas eam dignè suscipientium exerat. Reverà Concilium Tridentinum session. 13. cap. 2. declarat effectus hujus Sacramenti, in quo Salvator divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens suorum mirabilium, ad quatuor præsertim revocari.

1. Sumi voluit Sacramentum hoc, inquit, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: qui manducat me & ipse vivet propter me.

Quia verò cibos quibus vescimur & alimur in nostra corpora trajici, & ipsis arctissimè conjungi necesse est, Christi etiam carnem in hoc Sacramento perceptam atque adeò Christum, utpotè spiritualem animarum nostrarum cibum, nobis, id est nostris animabus pariter & corporibus uniri fatendum est. Unde ista verba leguntur in Decreto Eugenii Papæ IV. in Concilio Florentino sic eâ de re pronuntiantis: hujus Sacramenti effectus, quem in animâ operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, & quia

per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est quod per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum. Hæc ibi.

Nolite mirari hoc quod scilicet Christum manducamus. *Nam & manducat nos, & manducatur à nobis*, ut loquitur S. Bernardus serm. 71. in Cant. num 5. *quo arctiùs illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè unimur illi. Nam si manduco & non manducor, videbitur ille esse in me, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem, nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta unitio in uno quovis horum. Si enim manducet me, ut habeat me in se: & à me vicissim manducetur, ut sit in me quatenùs integra firmaque sit connexio, cum ego in eo, & nihilominus in me ipse erit.*

Idem S. Bernardus eodem serm. 71. in Cant n. 6. asserit per manducationem Corporis Christi, nos fieri unum cum ipso Deo: *Non dico*, inquit, *de me qui nihil sum, sed planè nemo nisi demens sivè de terrâ, sivè de cœlo usurpabit sibi illam unigeniti vocem. Ego & Pater unum sumus. Et tamen ego licet pulvis & cinis, fretus quidem scripturæ authoritate, minimè istud dicere verear, quia unus cum Deo spiritus sum: si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis, Deo me adhærere instar unius illorum, qui in charitate manens, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo. Nam de tali adhæsione puto dictum: qui adhæret Deo, unus spiritus est: quid ergo? dicit Filius: ego in Patre, & Pater in me est, & unum sumus. Dicit homo: Ego in Deo, & Deus in me est, & unus spiritus sumus.* Hæc ibi.

Ex allatis S. Bernardi testimoniis perspicuum est nos in Augustissimo Sacramento manducare reipsâ Christum, & nos vicissim ab illo manducari, & cum illo in unum spiritum transferri. *Non enim aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi* (ut asserit Sanctus Leo serm. 14. de Passione Domini, *quam ut in id, quod sumimus, transeamus: & in quo mortui & consepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus.* Hæc ibi.

Sectio XIII.

Hac in sectione Hæreticus realem & oralem Corporis Christi manducationem, esse penitus ablegandam asseris eo nomine, quod inde necessariò colligatur Christum seipsum in Cœna realiter comedisse, & ipsum fideles ipsos manducare, & etiamnum ab Christianis Catholicis ore corporis manducari, quod quidem ab Catholico disertè refellitur.

Hæreticus.

NEscio quo vos præcipitat vestræ manducationis error. Nam modò dicitis, Christum manducasse seipsum, & manducare fideles, & vicissim ipsummet ab fidelibus manducari. Quæ omnia ex reali ipsius in Cœnæ Sacramento præsentiâ, quam tanto ardore defenditis, velut è nativo tot ineptiarum fonte prosiliunt.

Catholicus.

Bona verba quæso, & si sacrilegâ pervicacique mente blasphemias in Augustissimum illud Sacramentum concepistis, videte ne illas sacrilego ore pariter proferatis. Tunc enim vos ab hæreseon satore & propagatore genitos esse declararetis.

1. Igitur incusatis nos quod dicamus Christum instituendo Eucharistiæ Sacramento seipsum manducasse.

2. Ipsum manducare fideles.

3. Denique ipsum ab fidelibus manducari.

Quæ omnia sunt orthodoxa & in utraque traditione fundatissima.

Quod spectat ad primum caput, Christum scilicet instituentem sacra sui Corporis & Sanguinis mysteria seipsum manducasse negat Molinæus in Clypeo fidei sect. 169. sic enim loquitur: *Si*, inquit, *Christus reverà esset in Eucharistiâ, sequeretur illum seipsum manducasse, atque ita uno eodemque tempore suum caput continuisse in ore, & os in capite, & totum corpus in stomacho, & cum vivus esset sub hostiâ denuò suâ fuisse animâ informatum, quamvis jam anteà illâ ipsâ informaretur. Quæ omnia*, inquit, *cum sint prodigia, & portenta, ineptum est ea credere, cum præsertim ad nullam fidelium utilitatem, nec ullatenus ad eorum redemptionem pertineant.*

Sed quia abyssus abyssum invocat, incurrit idem Molinæus in facetosam hominum dicacitatem, dum ait oportere sacerdotes seipsos in sacrificio Missæ manducare, siquidem Christus, ut eis exemplo præluceret, seipsum in Cœnæ Sacramento manducaverit.

Ecce quibus commentis & ineptiis divina mysteria profligare, & debitam ipsis fidem elidere conatur humana temeritas, dum ejus palato non sapit veritas. Illa quippè præpostero sui amore obcæcata, mysteria Religionis admetitur ad humanæ rationis angustias, ita ut ab regali divinæ veritatis tramite deflectens, sese ad innumeros errores præcipitem per devia capessat.

Non negat Molinæus quin seipsum Christus manducare potuerit, sed contendit non esse verisimile eum id facere voluisse, quod & prodigiale esset, & nihil ad hominum salutem proficeret.

Tametsi non possumus assequi rationem ob quam Filius Dei suam ipsius carnem accipere & manducare voluerit, nobis tamen sufficeret ostendere quod & exequimur, eum ita voluisse, & fecisse sicut scriptura testificatur. Nam,

1. Præter rationes quarum notitiam nobis exercendæ humilitatis & fidei gratiâ subduxit, affirmare possumus illum habere vitam in semetipso, sicut & pater habet vitam in semetipso, id est, ut declararet se esse genuinum vitæ fontem & esse suum sibi alimentum, & ita ab suaptè naturâ comparatum esse, ut nullo alio alimento extrinsecùs repetito indigeret, suæ carnis substantiâ vesci, & semetipso suum corpus in Cœnâ illa mysticâ realiter & ore perceptum manducando, pasci voluit.

2. Dicere possumus eum voluisse implere omnem justitiam & legalem & evangelicam. Quamobrem sicut Circumcisionem pertinentem ad legem Mosaicam & Baptismum necessariò in lege evangelicâ percipiendum & in Baptismo Joannis adumbratum suscepit: ita Pascha legale, carnalem agnum cum Discipulis comedendo celebrare voluit: Et præterea Pascha evangelicum seipsum, utpotè spiritualem agnum peccata mundi sublaturum, cum iisdem Discipulis manducando celebravit.

3. Adjicere possumus Christum, qui se spontè æterno Patri, ceu piacularem totius mundi victimam obtulerat, seipsum in Eucharistiâ comedere voluisse, ut declararet se semetipsum devoraturum in cruce, id est mortem voluntariam oppeRiturum esse, seu volentem se ab tortoribus interficiendum esse, perindè ac si ipsum interficeret, aut devoraret juxta scripturæ phrasim, quæ sæpè interfectores eos, in quos grassantur, devorare commemorat.

En tibi rationes aliquot ob quas Christus seip-

sum in tanto mysterio manducare voluerit.

Quod spectat ad secundum caput Christum videlicet manducare fideles. Quidni? siquidem fideles in sese transformat, sibi conjungit & incorporat. Ac reipsâ quidem quemadmodum, cæteris paribus, cibos, quibus vescimur in nostram nativo calore substantiam convertimus; ita & ille fideles manducare dicitur (eò quod nimiâ suâ charitate quâ diligit nos) eos transmutat in sese, quasi totidem Christos facturet. Unde sic loquitur apud S. Augustinum, *nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Hac de causâ iste hujus Sacramenti effectus dicitur incorporatio, seu transmutatio.

Nemini ergo mirum videri debet, si seipsum in Eucharistiâ manducare voluit, eo quippè facto se suam Ecclesiam per ipsum Eucharistiæ Sacramentum adumbratam & repræsentatam, ut loquuntur sancti Patres, quodammodò manducaturum, cum eam in isto mysterio animaret, sibique sui spiritus vinculo arctissimè agglutinaret. In hoc sensu S. Augustinus ait Ecclesiam manducare eos, quos convertit, & suis annectit membris, eo nomine quod eos ad vitam sui capitis, id est Christi spiritu obeundam transferat. Unde S. Augustinus in Psalm. 30. in Conc. 2. de medio ejusdem Psalmi, ita loquitur: *Eos*, inquit, *quos Domino lucramur, quodammodo manducat Ecclesia, Quid est manducat? in corpus suum trajicit. Quicquid enim manducamus, in corpus nostrum trajicimus. Hoc agit Ecclesia per sanctos. Esurit quos lucrari vult, & quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo.* Et paulò post. *Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quod omnes gentes erat transvoratura, & in corpus suum conversura, & ait Petro; macta & manduca. O Ecclesia, hoc est, Petre, quia super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, macta, & manduca, occide quod sunt, & fac quod es.* Hæc ibi.

Per istam igitur manducationem, quâ Christus fideles manducare dicitur, significatur eorumdem fidelium ad utrumque Christi Corpus aggregatio, quæ per flagrantiorem charitatem in hoc Sacramento, quod est charitatis vinculum, perficitur. Nam ut ait idem S. Augustinus loco proximè citato, *charitas compagem facit, compages complectitur unitatem, unitas servat charitatem, charitas autem pervenit ad claritatem.* Hæc ibi.

Sectio XIV.

In hac sectione Catholicus egregiè demonstrat commoda & utilitates, quas ex orali Corporis Christi perceptione capiunt Christiani Catholici, atque adeo de hujusmodi perceptione non esse intelligenda ista verba; Caro non prodest quicquam.

Hæreticus.

HÆC omnia comminisci facilè est ad eludendam, imo elidendam vim argumentorum, quibus ista omnia proculdubiò subruerentur.

Catholicus.

Ista neque authoritate scripturæ, neque sanctorum Patrum testimoniis, nec ratione, nedum ampullatis Thrasonum hæreticorum verbis subrui possunt. Reverà si quid ex his fontibus haurias, quod ista quæ vocas commenta evertere valeat, dignus eris quem omnes ex hominum vulgo, utpotè supra omnes mirabilem, excerpant. Secùs omnium judicio aggregaberis ad vestrates heterodoxos, qui omnia suis placitis consona, etsi nullâ authoritate & nulla ratione subnixa confidenter asserunt, adversantia verò audacter negant, omnia denique quibusdam argutiis implicant, nec hilum probant.

Quod si nihil tibi suppetat impræsentiarum quo tuam fidem liberare possis, patere me persequi cæteras dotes, quibus nos ore percepta Christi Caro impertit & nobilitat.

2. Igitur Concilium Tridentinum loco citato id est session. 13. cap. 2. testatur hoc Sacramentum, in quo Christi caro ipso etiam ore corporis percipitur & manducatur, esse tanquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservamur. Hanc admirabilis Sacramenti vim luculenter explicat S. Bernardus serm. 1. in Cœnâ Domini: *Dixi vobis sapiùs*, inquit, *nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum, & in luto, unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem possumus, ad sanandum verò opus est curatione multâ. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur Chirographum damnationis nostræ: Et gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus. Atque ita tamquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod prius indè manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? confidite, quia & in hoc gratia subvenit: & ut securi sitis Sacramenti dominici corporis & sanguinis investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Hæc ibi S. Bernardus.

Quamvis igitur Christus aliâ viâ nostræ infirmitati opitulari posset, præ summo tamen in nos amore per suam ipsius carnem (quam in mysterio incarnationis in similitudinem carnis peccati assumpserat) nobis verè in Eucharistiæ porrectam, nostram omnium carnem verè peccatricem, id est peccato obnoxiam, & peccato singulis propè momentis fervientem, ab ingenitâ corruptelâ asserere voluit. Quod præclarè docuit S. Petrus Chrysologus serm. 57. in symbol. Apostol. *A Chrismate*, inquit, *vocatus est Christus qui divinitatis unguentum aridis jam mortalium membris pius medicator infudit: & ut à chrismate Christus, sic Jesus vocatus est à salute, qui ob hoc nos divino infudit unguento, ut ægris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem.* Hæc ibi.

Nihil mirum si duo præfata potissimum in nobis hoc Sacramentum efficiat, cum nobis ipsummet Christum, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, reipsa porrigat.

Quæ cum ita sint, certum est

1. Per hoc Sacramentum nobis remitti & condonari levia peccata, quæ venialia dici solent, & nos ab iis in posterum præservari. Ipsa peccata nobis per hoc Sacramentum condonari egregiè probat S. Thomas 3. p. q. 79. a. 4. in corp. probat, inquam, rationibus petitis ex ipso Sacramento & ex re Sacramenti.

Ex ipso quidem Sacramento, eo quod per modum alimenti accipiatur, undè fit ut quemadmodum nostris in corporibus, quod innati caloris vi quotidiè dedetrahitur ac deperit, adhibito naturali alimento paulatim additur, & reficitur: Ita in cordibus nostris quicquid ardore concupiscentiæ per peccata venialia charitatis fervorem imminuentia deperditur, cœlesti cibo in Eucharistiâ ritè percepto, manducatoque reparetur.

Ex re autem Sacramenti idipsum probat ibidem S. Thomas. Siquidem, ut ait, res hujus Sacramenti est charitas, non solùm quantum ad habitum, sed etiam

quantum

quantum ad actum, in hoc Sacramento excitari solitum, per quem ideò peccata venialia solvuntur & condonantur.

Non solùm autem levia hujusmodi peccata hujus Sacramenti beneficio remittuntur, verùm etiam ab illis in posterum præservamur. Unde S. Bernardus loco jam citato ait hoc Sacramentum prohibere, ne in pluribus venialium peccatorum occasionibus peccati illecebram sentiamus.

Undè patet, quam verè Concilium Tridentinum affirmaverit nos per admirabile Sacramentum ab culpis quotidianis seu venialibus liberari.

Siquidem ab præteritis per illud absolvimur, & ab futuris procul dubio liberamur.

Illud quidem beneficium magnum est, sed multo majus & magnificentius est, quod per hoc ipsum Sacramentum præservamur ab peccatis lethalibus, quæ nos alioquin in sempiternum interitum suppliciumque detruderent. Nemo inficiatur quin peccata lethalia sint ea, quæ animæ mortem inferunt: Unde illud Prophetæ, *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Quod cum ita sit, mors per quamdam analogiam ab animabus depellitur, eo modo, quo ab corporibus propulsatur. Sicut igitur corpora ab interitu sarta-tecta conservantur bifariam. 1. In quantum hominis natura corroboratur intrinsecùs adversus noxia, quibus labefactari posset, & ita ab ipsâ morte alioquin ocyùs oppetendâ ciborum & medicamentorum adminiculo præservatur. 2. In quantum muniuntur adversus vim, quâ extrinsecùs violari & enecari possent, cum scilicet instruuntur armis, quibus intentatam necem propulsare valeant. Ita etiam utroque illo modo hoc Sacramentum animam à peccato sartam-tectam asserit. Nam primò hoc ipso, quod illam Christo arctissimè copulat, spiritualem ejus vitam mirificè corroborat, siquidem ipsi ut spiritualis est cibus, & spiritualis Medicina, quæ illam restituit in sanitatem, illique vires ad profliganda quæque noxia idoneas, singulari munificentiâ suppeditat.

Usque adeò verum est carnem Christi in hoc Sacramento porrigi homini, non tantùm ut sano & robusto, sed etiam ut ægrotanti & infirmo, ut ejus efficaciâ abigatur, & expurgetur quicquid est virosum, & absumatur quicquid est crudum & indigestum in ejus corde, & ipse interim adversus tentationes in posterum occursuras tanto, tamque mirabili antidoto muniatur.

Alio modo Corpus Christi animam ab lethalibus præservat peccatis, in quantum scilicet hoc mysterium ut est signum Passionis Christi, per quam profligati sunt dæmones, retundit omnes eorumdem dæmonum impetus, eosque convertit in fugam. Eam ob rem S. Joannes Chrysostomus sic adhortatur fideles Hom. 45. in Joan. *Ut leones*, inquit, *flammam spirantes sic ab ipsa mensâ recedamus terribiles effecti diabolo*. Reverà cum omnis gratia & omne donum perfectum ex uberrimis patientis, & morientis Christi fontibus hauriatur, profectò par est ex hoc Sacramento tanto majorem, & uberiorem in nos gratiam derivari quanto luculentiùs & apertius in eo mysterio præ cæteris illa ipsa Christi Passio repræsentatur, & ejus meritum abundantiùs applicatur. Quapropter Ecclesia Juis in Officiis canit, *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus*: Undè subdit: *mens impletur gratiâ*. Quasi diceret: hoc Sacramentum institutum est, à Christo non ad consequendum certum aliquem ejus Passionis fructum, sed in hoc cæteris antecellit Sacramentis, quod præsertim & nominatim sit institutum in eum finem, ut in memoriam Passionis ejus jugiter, & usque ad consummationem sæculi recolendam offeratur, & illud dignè manducantibus ejusdem Passionis merita applicentur singulari quopiam modo, id est ubertima ipsis gratia impertiatur. Quod sanè ceu verum & indubitatum esse satis superque declarat Canon Missæ his verbis: *ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratiâ repleamur*, id est omni genere bonorum cœlestium, quibus ad Deum tenditur & pervenitur.

Quod sanè præstatur in hoc Sacramento nobilius & magnificentius quam in cæteris. Nam in ipsis sic tanquam in rivulis gratia Christi continetur, & confertur, in hoc autem continetur ipse Christus inexhaustus fons omnis gratiæ, de cujus plenitudine accipiunt omnes, at præsertim quos Pater æternus *elegit in ipso ante mundi constitutionem, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*. Ephesior. 1. c. v. 4.

Admirabilia hujus admirabilis Sacramenti effecta paucis complectitur, & numerando percenset aureus ille Liber de Imitatione Christi lib. 4. cap. 4. *Est hoc*, inquit, *altissimum & dignissimum Sacramentum, salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur aut minuuntur: gratia major infunditur; virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, charitas ignescit, ac dilatatur*. Hæc ibi.

S. Cyprianus lib. 1. Epist. 2 ad Cornel. commemorat id priscis temporibus in more positum esse, ut Christiani ingruenti undique persecutione lacessiri, portectâ Eucharistiâ ceu cœlesti quadam panopliâ præmunirentur, ne forte in acerrimo illo certamine (in quod cum tyrannis ipsorum cædem, unò internecionem anhelantibus dimicandum erat) vel pollicitationibus & blanditiis emolliti, vel ipso suppliciorum metu aut acerbitate deterriti, fractique ejuratâ Christi fide succumberent. Hæc abundè probant nos per Eucharistiam ab peccatis lethalibus præservari.

3. Concilium Tridentinum, ait loco citato, Christum voluisse hoc Sacramentum esse pignus futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ fœlicitatis.

Pignus definitur ab Jurisconsultis contractus realis, per quem res aliqua traditur creditori in securitatem. O nimiam Dei charitatem! Cum enim repromiserit coronam vitæ iis, qui fideles ipsi ad mortem usque fuerint, seu perseveraverint usque in finem, ne quis mortalium in ejus repromissione diffidentiâ hæsitaret, sed econtra unusquisque confortatus fide ad instar Abrahami Patris omnium credentium, daret gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcumque promisit potens est & facere, dedit nobis pignus, nempè Sacramentum corporis sui, per quod se nostrum veluti debitorem constituit.

Si olim exclamavit his verbis Tertullianus, ô quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem, quanto magis dicere debemus, ô quantum Eucharistiæ licet, ut Deum faciat debitorem.

Si Apostolus 2. Corinth. cap. 1. asserit Deum signasse nos & dedisse pignus in cordibus nostris, possumus & nos affirmare Christum nobis porrexisse suum corpus veluti sigillum promissionis, quo obsignati sumus, & pignus sive arrham hæreditatis nostræ, id est quâ nobis confirmetur repromissa hæreditas nostra, quæ est vita æterna. Tali pignore, tali arrhâ nihil certius, nihil securius, nihil magnificentius Tali enim pignore comprehenditur quicquid vel in tempore, vel in æternitate excogitari & adorari potest.

Docet enim Catholica fides in Eucharistiâ verum Christi Corpus & verum ejus Sanguinem sub specie panis & vini vi verborum existere, & vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur ejus animam, sub utraque specie contineri: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ hypostaticam unionem. Ergo pignus illud tantum est, ut & tres personas Sanctissimæ Trinitatis, Patrem scilicet & Filium & Spiritum sanctum, & ipsam Christi humanitatem quâ nihil

majus aut sanctius ex arcanis divinæ potestatis & sapientiæ thesauris extitit, reipsa verè substantialiterque contineat. Unde non solùm est pignus gloriæ animabus in cœlo præparatæ, sed etiam illius, quâ sunt induenda sanctorum corpora, cum in consummatione sæculi canente tubâ excitabuntur & reviviscent. Nam ut præclarè docet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 14. & 15. non solùm animæ, sed & corpora nostra ex reali manducatione Corporis & Sanguinis Domini immortalitatis incorruptionem trahunt. Quod & ante ipsum docuit S. Irenæus lib. 5. cap. 2. & lib. 4. cap. 34.

Sectio XV.

In hac sectione quærit hæreticus cur Christi Corpus immortalitatis incorruptionem, in sæculi consummatione prædestinatis conferendam in hac ipsâ vitâ, quam degimus, non conferat. Hanc objectionem ita diluit Catholicus, ut multas ejusmodi dilationis afferat causas, & imprimis ne homines in suâ eâque gloriosâ immortalitate confisi in salutis negotio torpescerent ad bonum, & futura gloriæ majus amitterent lucrum.

Hæreticus.

SI se res habet, ut dicis, quod videlicet caro Christi manducata in hoc Sacramento immortalitatis incorruptionem hominum corporibus impertiat, cur non modo hunc præstat effectum, & illa ipsa corpora ab ineluctabili mortis necessitate vindicat? In hoc profectò videtur caro Christi inferior cadavere Elisæi, cujus ossa cum tetigisset, mortuus revixit, & stetit super pedes suos. Ut narratur lib. 4. Reg. cap. 13. vers. 21.

Catholicus.

Hanc quæstionem & proposuit & solvit Beatus Algerus olim Canonicus & Scholasticus, id est Theologus Leodiensis qui floruit sæculo XII. Sic enim loquitur l. 2. de Sacram. Corporis & Sanguinis Dom. cap. 6. *Sciendum*, inquit, *quia sicut Adæ dictum est: quacumque die de fructu vetito comederis, morte morieris, & tamen eadem die non in corpore, sed in animâ mortuus est: sic & Christus dicit: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, non quod in corpore statim æternaliter vivat, sed ut animam, quæ prius in Adam mortua fuit, quam corpus, per virtutem tanti Sacramenti resuscitatam astruat, ut scilicet recto ordine, ipsa quæ peccando à Deo (qua vita æterna est) divisa, prius fuit mortua, per Communionem tanti Sacramenti iterum conjuncta Deo, & unita credatur, & sit, sicut prius rediviva.* Et infrà. *Ne itaque peccati obstinatione incurabiles fieremus, magnâ suâ gratiâ mortem non abstulit temporalem, ne in æternum moreremur: vitam æternam distulit, ut majori etiam merito, majorique fructu reciperemus: quia pro certo nisi ita esset, ad fidem Christi omnes convolarent tantummodo propter præsentis vitæ æternitatem: & ita dum tanta securitatis torpore non exercerentur ad bonum, futura gloria & Christi majus amitterent lucrum.* Hæc ille qui hanc doctrinam hausit ex limpidissimo sancti Augustini fonte.

Ne igitur homines plus æquo deperirent hanc vitam, per cujus contemptum debent pervenire ad æternam, Christus fidelium suam carnem manducantium corpora, non in hoc sæculo, sed in futuro duntaxat (cujus Pater est) ad immortalitatis gloriam provehere voluit. Et profectò omnes passim inerti & degeneri otio sese effœminassent, si Christus sese aliter erga eos habuisset. Verum fœlix quædam sanctioris vitæ necessitas omnibus imposita est: Cum enim ipsis relictum sit Eucharistiæ Sacramentum, ceu sacrum quoddam pignus futuræ gloriæ, eo ceu cælesti alimento vesci, atque adeo vitam omni virtutum genere cumulatam agere debent, alioquin ad illud vel non accedent, vel indignè illud accipient, atque ita creditum sibi pignus non ritè custodient, & sic cum se ad promissam hæreditatem adeundam offerent, sicut illud repræsentare non poterunt, ita nec ad promissam hæreditatem pervenire. Quisquis enim sibi traditum pignus repræsentare non potest, de omni rei promissæ jure & speratâ possessione dejicitur.

Quid quod Ecclesia Christianos omnes in probabili mortis periculo versatos, jubet sub æternæ damnationis interminatione, percipere Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, ne ab sacro illo pignore (quod ad Tribunal Christi Jesu quacumque tandem ratione, id est seu in re, seu in voto perferri necesse est) damnabili contemptu, vel incuriâ, imparati, temporariam oppetendo mortem, in æternam pariter incurrant.

Porrò æternæ gloriæ assecutionem esse hujus Sacramenti effectum asserunt Theologi, cum Sancto Thomâ, sivè consideretur id, ex quo habet effectum, id est Christus qui in eo continetur, & ejus passio, quæ in illo & per illud repræsentatur: sivè consideretur usus ejusdem Sacramenti, & species Panis & Vini, per quas suum exerit effectum.

Nam quoad primum spectat, id est ad Christum in en Sacramento realiter & substantialiter præsentem & comprehensum, & ejus passionem verè per illud repræsentatam, certum est illi æternæ vitæ assecutionem ascribi oportere. Nam ipse Christus nobis æternæ vitæ aditum anteà per peccatum primi hominis interclusum, oppetitâ morte reseravit, secundum illud Hebræor 9. *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis.* Unde & in formâ hujus Sacramenti dicitur: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti.*

Quoad usum & species, hoc etiam Sacramentum parit & efficit assecutionem vitæ æternæ. Nam ut ait S. Thomas 3. p. q. 79. a. 2. in corp *Refectio cibi spiritualis & unitas significata per species panis & vini habentur quidem in præsenti, sed imperfectè, perfectè autem in statu gloriæ Unde Aug. tract. 26. in Joan. explicans hæc verba: caro mea verè est cibus: Cum cibo, inquit, & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta. Sicut igitur Passio Christi in cujus virtute hoc Sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non tamen, ita quod statim per ipsam introducamur in gloriam, sed oportet ut priùs simul compatiamur, ut posteà conglorificemur (ut dicitur Rom. 8.) ita hoc Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, & ideò Viaticum dicitur, in cujus figuram legitur 3. Reg. 19. quod Elias comedit & bibit & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Ita S. Thomas art. proximè citato ad 1.

Uberiùs hanc materiam prosecutus sum, ut tibi totique Calvinistarum sectæ declararem, quot & quanta commoda Christus nobis in hoc Sacramento per carnem suam ore perceptam, ore manducatam, & in fidelium pectora trajectam, importari voluerit. Nam

1. Suam illam carnem nobis porrexit in cibum, qui nostras animas, seu hominem interiorem aleret, tueretur, & conservaret, corroboraret & delectaret nobiliùs & magnificentiùs, quam cibi illi communes, quos quotidiè ad reficiendas hominis exterioris vires adhibemus.

2. Suam illam carnem præbuit nobis velut cæleste quodpiam antidotum, quod nos ab culpis quotidianis, seu venialibus, tam præteritis quam futuris liberaret, & ab peccatis lethalibus præservaret.

3. Suam illam carnem nobis manducandam præbuit velut sacrum pignus futuræ gloriæ, tam ejus, quâ donandæ sunt sanctorum animæ, quam ejus cujus dotibus induenda sunt eorum corpora, cum in fine sæculi clangore tubæ expergefacta reviviscent.

Infinita alia charismata & beneficia ex isto divini Sacramenti fonte prorumpentia, prætereo vitandæ prolixitatis causâ. Hæc enim, quæ protulimus sufficiunt ad convincendos eos, qui Christi carnem in hoc Sacramento perceptam, esse inutilem, supervacaneam, & ad fidelium ædificationem, & salutem nihil pertinere & conferre asserunt.

Sectio XVI.

Hæretico obiicienti nos Catholicos crebriùs carnis vocabulum inculcare, respondet Catholicus, Catholicos ita loqui, ut oralis Corporis Christi manducatio ab Hæreticis identidem, imò ad nauseam usque oppugnata validius astruatur, & reponenti hæretico omnes reformatæ Religionis alumnos in Synodo anno salutis 1631. in Synagogâ Carantoniâ celebratâ admisisse Lutheranos cum ipsorum impanatione ad suam Communionem, Respondet Catholicus hac in parte suæ sectæ errores, & hæreses declarasse quippe quæ realem Christi præsentiam in Eucharistiâ contra suæ sectæ sensa probaverint.

Hæreticus.

QUorsùm tandiu hæretis in isto carnis vocabulo toties inculcato, cum dixerit Christus: verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt.

Catholicus.

Carnis vocabulum toties repetimus, & inculcamus, quoties sacram illam carnem verè manducandam, quam suæ Ecclesiæ promisit Christus; & reipsâ præbuit, vestrâ improbitate & pertinaciâ nobis eripere contenditis. Nec huic veritati repugnat Christus, cum affirmat ipsa verba, quæ loquitur, esse spiritum & vitam. Cum hæc diceret, cupiebat carnales litigantium Judæorum animos transferre ad spiritualem quemdam manducandi modum, quo suum corpus manducandum hominibus impertiri decreverat. Reverâ divina ejus caro in Augustissimo hoc Sacramento contenta, manducatur in Ecclesiâ Dei, ore nimitùm excipitur, ore manducatur spiritualiter, sacramentaliter, realiter: & hæc est fides orthodoxa quam ab omni ævo in toto terrarum orbe omnes Apostoli, & eorum Successores Episcopi, & alii divini verbi præcones, scripto pariter & vivæ vocis oraculo docuerunt. Nihilosecius vos realem hanc manducationem explodere, & aliam quamdam commentitiam contra verbum Dei subrogare non erubescitis, imò ad evertendam illam ipsam realem Corporis Christi manducationem, realem ejus præsentiam tamquam exitialem & veræ Religioni contrariam repudiatis.

Hæreticus.

Imò nostra Synodus nationalis in Carantonio delubro celebrata anno 1631. realem Christi præsentiam admisit, & approbavit velut opinionem nullo erroris veneno imbutam.

Catholicus.

Jampridem præstolabar hujusmodi Confessionem, quæ vestros errores & hæreses, & manifestam eorum falsitatem revinceret. Sicut nunquam apparet magis falsorum testium crimen, quàm cum eorum testimonia dissident; ita & Doctorum & ministrorum quorumlibet doctrina in materiâ Religionis, nusquam magis falsa, & impia, & nefaria judicatur, quam cum circa eosdem fidei articulos ad salutem omnino necessarios, sibi invicem adversantur è diametro, id est alii affirmant, quod alii negant. Quod dissidium omnes vos in Ecclesiæ Catholicæ sinum revocaret, si vel tantillùm saperetis. Ne autem credas me id gratis asserere, attende paululùm ad ea, quæ prolaturus sum hujus rei testimonia. Molinæus aliàs scripsit in suo fidei Clypeo, istam credulitatem realis præsentiæ Christi in Eucharistiâ suffodere fundamenta pietatis, & suam ipsi Deo gloriam adimere, & execare vinculum, quo vestrarum partium homines invicem conglutinarentur. Ita Molinæus in citato fidei Clypeo sect. 173. p. 709. Ista est sententia Molinæi hæreseos propugnatoris acerrimi.

Sed nostrâ hac ætate Dalæus; qui multa scripsit ad propugnandam Calvinistarum sectam, longè aliter sensit & docuit. Sic enim loquitur in Apolog. suæ cap. 7. *Fateor*, inquit, *non licere nobis magis credere, quam concipere, quod asserunt fratres nostri, vulgò Lutherani, verè scilicet & realiter existere seu præsens esse in Pane Eucharistia. Verum in eorum doctrinis ipsos etiam articulos quibus assentiri abnuimus, tolerare possumus, & ex charitatis lege & imperio debemus. Hæc enim opinio, quam tenent, quaque Corpus Christi reapse cum Pane in Eucharistiâ consistere asserunt, nullo penitus erroris veneno perfusa est.* Et paulò post *Hujusmodi hypothesis*, inquit, *nulli rei nos illigat, quæ vel ab ipsâ pietate, vel charitate, vel ab numinis honore, vel ab hominum utilitate abhorreat, atque adeò æquo animo tolerari potest & debet.*

Nemo vestrûm ad elevandas, elidendasque consecutiones, quas ex tali Confessione elicimus, & quibus demonstramus, quantum hæc nova opinio dissideat ab eâ, quæ aliàs vestros omnium animos pervaserat, nemo, inquam, vestrûm dicat hanc esse privati cujuspiam opinionem, qui in scriptis eâ de re elaboratis, à vero longiùs aberravit. Nam præterquam quod ipsa de quâ sermo est, Apologia ab tribus aliis Ministris non inferioris ordinis apud vos, Aubertino scilicet, Mestrezatio & Drelincourtio luculenter est approbata, ipse Author antevertit hanc objectionem & doctrinam quam tuetur & explicat, omnibus vestris Ecclesiis vel synagogis communem esse liquidò declarat hisce verbis: *Et ita*, inquit, *semper apud nos judicatum est, ut non pridem reformatæ hujus regni Ecclesia in nationali Synodo in Carantonio oppido anno 1631. congregatâ, declaratum actu in eum finem de industriâ concepto, quo quidem Lutheranos passim ita vocitatos ad suam Communionem & mensam admittunt: tametsi hanc opinionem* (de Christi scilicet corpore cum Pane in Eucharistiâ consistente) *& pauculas alias minoris adhuc momenti ipsis proprias, nec nobiscum communes habeant & propugnent.*

Eo loco demonstrat Author non esse hanc suam mentem sibi uni propriam, & peculiarem sed toti suæ Ecclesiæ communem sententiam & opinionem, ad quam utpotè universalem adhærescere oporteat.

Hæreticus.

De reali præsentiâ Corporis Christi in Eucharistiâ loquitur, ut dicis habitâ ratione doctrinæ ab Lutheranis propugnatæ, non autem respectu ejusdem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiæ, quam Romana propugnet Ecclesia.

Catholicus.

Imò quod de realitate Lutheranâ sentit & affirmat, idipsum de Catholicâ scribit in Epistolâ, ad Dominum Monglatium inscriptâ: sic enim sua sensa promit istius Ep p. 20. *Tametsi isti Corporis Christi præsentiæ in signis omnem abrogemus fidem*, inquit, *non tamen illam adeò criminosam & nefariam ducimus, ut nos ad omnem societatem cum ejus defensoribus initam omni ex parte*

X ij

dirimendam adigat, ut satis constat ex eo, quod illam in Lutheranis toleramus, ita ut si Ecclesia Romana illo uno dumtaxat errore esset infecta, nullum nobis, ut aliàs, incuteret offendiculum, propter quod pusillum nostrum gregem ab ejus Communione segregari, & in eâ segregatione persistere oporteret. Hæc ille.

Ex talibus verbis nullo negotio colligere est quantum hujus Ministri opinio dissideat ab sententiâ veterum ejus Collegarum, & cæterorum omnium, qui in vestrâ vixere sectâ, antequam præfata vestra Synodus anno 1631. in Carantonio oppido haberetur.

Aliàs dicebatis doctrinam realis præsentiæ Christi in Sacramento Eucharistiæ, impetere præcipua Religionis Christianæ mysteria, nunc resipiscitis aliquantulum, & dicitis eam opinionem (ita scilicet ipsam nominatis) stando in ejusmodi terminis nullo erroris veneno esse suffusam. Aliàs contendebatis illam ipsam opinionem omnia pietatis fundamenta suffodere, ut suprà citavimus ex Molinæo in Clyp. fidei sect. 173. p. 709. Nunc verò asseritis eam hypothesim, quâ Lutheranorum impanationem admittitis, aut certè toleratis, nulli rei vos illigare, quæ vel pietati, vel charitati, vel ipsius nominis honori, vel hominum utilitati officiat. Aliàs denique unusquisque vestrûm passim vociferabatur, fidem realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistiâ, infandam sacrilegamque idololatriam necessariò importare; Jam verò ut serviatis tempori, & inhibeatis immane illud odium, quo vos omnes boni pariter, & improbi prosequerentur, vela, ut ita dicam, contrahitis, & conceditis eam opinionem esse probabilem, tolerabilem, & citra ullum salutis periculum teneri & sustineri posse.

An homines reperire est tam cæcos, & tam ab ratione desertos, ut non videant vestram in fidei articulis levitatem & inconstantiam, atque adeò vestrorum dogmatum falsitatem, & vestræ sectæ temerariam impietatem in circuitu ambulantem, utpotè quæ circumferatur omni vento doctrinæ in astutiâ, ad circumventionem erroris.

Sectio XVII.

In hac sectione Hæreticus contendit realem Christi in Eucharistiâ præsentiam, vel Lutheri impanationem non pertinere ad fidem Catholicam. Cujus propositionis falsitatem refellit Catholicus, & probat Hæreticorum primicerios, utpotè doctrinas circa Eucharistiam sibi invicem è diametro oppositas amplexos, æternam sibi infamiæ notam accersivisse.

Hæreticus.

Talium rerum fides non est ad salutem necessaria, ideò unicuique prout libuerit, in his opinari liberum & tutum est.

Catholicus.

O te miserandum pariter & ridendum, qui nescias fidem, & manducationem Corporis Christi esse ita necessariam, ut si quis eam saltem in voto manducare abnuat, sit æternis suppliciis plectendus. Quid enim aliud indicat Christus his verbis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Abominanda est igitur vestra doctrina, quæ nullum præ se fert doctrinæ Catholicæ characterem. Si quæras quis sit præcipuus veræ Catholicæque doctrinæ character. Respondeo esse inconcussam illius stabilitatem, ita ut nullo temporum cursu & recursu, nullâ rerum humanarum vicissitudine, nullâ denique mentis humanæ vertigine quatiatur. Quemadmodum enim *Christus Jesus heri, & hodie, ipse & in sæcula.* Hebræor. cap. 13. v. 8. Ita & doctrina & ab ipso, & ab ipsius Prophetis & Apostolis longè latèque per orbem terræ disseminata, æterna est & immutabilis, nec ulli vicissitudini obnoxia. Unde cum Apostolus loco proximè citato dixisset Christum Jesum esse heri & hodiè, & ipsum in sæcula, v. 9. subdidit: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci:* vestras doctrinas esse varias, id est pro rerum, personarum & temporum varietate & opportunitate variatas, resciunt omnes, qui tantillum ad vestræ reformationis lectionem incumbere voluerunt. Cum enim, ut mox dicebamus, vestrates Ministri Lutheranorum impanationem seu realem (Christi in Eucharistiâ præsentiam cum pane consistentem essent anteà detestari ut execrabilem & cum idololatriâ conjunctam) nihilosecius eam posteà ut probabilem & nulli errori obnoxiam admiserunt.

Hæreticus.

Quid peccarunt hac in parte?

Catholicus.

Multifariàm multisque modis aberrarunt hac in parte vestrarum partium antesignani. Nam

1. Politicis rationibus impulsi duas res toto cœlo ab invicem dissitas conjungere nihil dubitaverunt. Acerrimum scilicet odium, quod in Lutherum & Lutheranos conceperant, & summam de ipso Luthero (quem ut monstrum nullâ virtute redemptum à vitiis depinxerant) existimationem. Et hac ratione licet Lutherum, & ejus asseclas omnibus ipsorum consiliis habuerant & machinationibus adversari cernerent, eorum tamen maximè intererat magnificè prædicare de Luthero, sic tamquam de insigni Dei famulo, electo Dei per ipsum homines alloquentis organo, ex ipsorum Patribus & Apostolis & viris sanctissimis uno, & Lutheranos veluti fratres agnoscere & profiteri. Sic enim obliterabant eam infamiæ notam vindicatæ reformationi inustam, quod nempè satorem habuisset virum ex omni memoriâ teterrimum, acerrimum veritatis hostem, & persecutorem ab omni conscientiæ religione desertum, & prætereà sibi faciebant & reservabant facultatem utendi Lutheranorum factione & ope adversus Catholicos, quoties in eo necessitatis articulo versarentur O insignem Calvinistarum Philosophiam! O singularem sagacitatem & solertiam! illum siquidem virum quem velut portentum ex omnium scelerum colluvione concretum in propatulo collocant (ut legere est apud Hospinianum parte alterâ p. 43. Item fol. 51. Item fol. 127. 131. 172. 182. 186. & 187.) Illum ipsum, inquam, quem ut in doctrinâ instabilem, conscientiâ perditum, iniquitatibus obrutum, sycophantam & calumniatorem notissimum, obtrectatorem maledicentissimum, dæmonum denique genio afflatum, & ubique furiosum & fanaticum appellant, & exhibent, inter sanctos suos Patres (si quos habent) annumerant, ut constat ex scripto quodam sub titulo Apologeticæ reformatarum Ecclesiarum Epistolæ Amstelodami edito, ibi enim in capite sanctorum Patrum sectæ Calvinisticæ collocatur: nostrorum sanctorum Patrum Lutheri, Zuinglii, Capitonis, Buceri & cæterorum vestigiis inhærentes, &c.

Zuinglius in exegesi p. 335. Lutherum in ipso contentionis & altercationis ardore vocitat præcipuum Evangelii defensorem, & fidelem Jonatham, qui Philistinorum castra confidenter aggreditur. Tigurini eum appellant insignem Christi Jesu famulum illo eodem tempore, quo ab ipso probrosis hæreticorum fanaticorumque titulis dedecorantur.

Ipse Calvinus (ut declarat in Epistolâ ad Bulingerum anno 1544. 25. Novemb inscriptâ) dictitabat se eum pro eximio Dei famulo habiturum, tametsi eum dæmonem appellaret.

2. Gravi se scelere obstrinxerunt cum de industriâ seu scientes & prudentes reformationis obtentu viris teterrimis & omni libidinum genere inquinatissimis ad-

hæserunt. Perindè ac si Deus ad ædificandam & reformandam Ecclesiam suam, unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam uteretur ministerio hominum, qui nullas umquam dotes ad tantum ministerium idoneas & necessarias habuerunt. Ab alterius generis hominibus fundari, & propagari & reformari debuit Ecclesia Dei: Cum enim esset una, & numquam ab unitate, divinæ naturæ unitatem adorante recessura, ab viris uno eoque arctissimo animorum nexu, consensuque conglutinatis eam plantari, ut ità dicam, rigari, & incrementum dante Deo per totum terrarum orbem longè latéque diffundi oportuit.

Ergò ab tali tantoque ministerio amoveri debuerunt Lutherani, Zuingliani, Calvinistæ, qui in varias morum doctrinarumque factiones scissi non solùm sese motuis lacessivere calumniis & injuriis, verum etiam usque ad sanguinem & stragem in invicem exarserunt. Ut legere est apud Hospinianum locis paulò antè citatis.

Prætereà cum Ecclesia sit sancta, imò sanctitatis sedes, extrà quam nulla potest esse sanctitas, an potuisset gubernari & promoveri & reformari (si reformatam oportuit) ab hominibus, ab omni virtutis, pietatisque sensu derelictis, quorum vita omni scelere, & libidine contaminatissima ad omnium Gentium notitiam pervenit, & incredibili scandalo multis è locis omnem propè Christianæ Religionis cultum exterminavit.

An Ecclesia Catholica reformanda, ut dictitant, ædificari potuisset ab transfugis, & desertoribus, qui in id toto corrupti cordis impetu incubuerunt, ut Fidei Catholicæ fundamenta suffoderent, & suo probio nova quæpiam dogmata, & commenta nullâ Scripturarum authoritate suffulta omnibus omnium sæculorum Patribus contraria, rectæ denique rationi omni ex parte repugnantia procuderent, vel ab aliis Hæreticis jamdudùm procusa reveherent in orbem terræ, & tandem divinæ veritati caliginem offunderent.

Porrò cum Ecclesia sit Apostolica, & simus omnes cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati suprà fundamentum Apostolorum & Prophetarum, sicut ab Apostolis est fundata & propagata, non potuit, nec debuit ab aliis prætérquam ab Apostolorum successoribus & Apostolicis viris dirigi, sanctificari, regi, & gubernari, non autem ab Apostatis suæ defectionis authorem imitatis. Cum enim ex materno sinu Ecclesiæ Catholicæ erupere, nusquam sine referventi sacrilegio sibi Apostolici nominis honorem arrogare, nec nisi instigante Diabolo ad Apostolicum ministerium obrepere potuerunt. Nam Diabolus, quem Dei simiam appellat Tertullianus, suos habet Apostolos, hæresiarchas scilicet & eorum asseclas, quos misit in varias terrarum partes, ut dum veri Christi Jesu Apostoli bonum semen, id est doctrinam *descendentem à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, seminarent in agro Ecclesiæ per totum orbem diffundendæ, hujusmodi hæresiarchæ sese transfigurarent in Angelos lucis (sicut & pater eorum Satanas facitare solet) larvatamque pietatem ementiti, zizania, id est doctrinam terrenam, animalem, & diabolicam in eodem Ecclesiæ agro superseminarent. Vestri igitur Ministri, legitimæ missionis authoritate destituti repudiandi & explodendi sunt, nec magis audiendi, quam veterator ille serpens, qui primos hominum satores pari ad invidiam calliditate decepit, fefellit, & in errorem & rebellionem induxit.

Hæreticus.

Bone Deus! quantâ præcipitatione damnas & rejicis nostrarum partium antesignanos, & immeritò, amabo te, mentem moderati hominis & sobrii puncto temporis suscipe.

SECTIO XVIII.

In quâ probat Catholicus Hæreticos ab omnibus habendos, seu teterrimos sycophantas, utpotè qui nullum habeant Religionis vestigium, ut patet ex variis præjudiciis in hâc ipsâ sectione memoratis; primo enim non sunt audiendi Hæretici, utpotè qui Pastoribus legitimâ missione delegatis careant, ut patet ex primo præjudicio.

Catholicus.

OMnia quæ in me torques tela, in te retorqueri possunt. Possum enim affirmare te præcipiti animo studioque eos absolvere, quos à me præcipitanter damnatos esse conquereris. Tot enim adversus eos extant præjudicia, ut (si numquam ab Ecclesiâ Catholicâ legitimè in Spiritu sancto congregatâ essent damnati, & anathematum fulminibus afflati) eos veluti sycophantas, impostores, & pseudo Apostolos damnari, & ab omnibus passim ut tales rejici oporteret. Ne autem id temerè asserere videar, expende præjudicia quæ veluti fundamenta meis hâc in parte rationibus, & verbis substrata in medium adduco.

PRIMUM PRÆJUDICIUM

Petitur ex eo quod præsumpti illi Ecclesiæ reformatores & reformatæ Pastores legitimæ missionis titulo careant. Vel enim habent missionem extraordinariam vel ordinariam, si ergò neutram habeant, restat ut Pastorum titulo gaudere, & Pastorum officia præstare nequeant.

Quod missionem extraordinariam non habeant; clarius est quàm ut probari debeat. Nam missionem illam extraordinariam miraculis, vel certè argumentis eamdem, vel proximam cum miraculis energiam habentibus, probari necesse est, ut etiam fatentur adversarii. Testis est Socinus, qui Epist. 3. ad Radetium ità loquitur: *Post collapsum*, inquit, *externæ Ecclesiæ statum necesse est ad eumdem erigendum ut aliquis, vel aliqui divinitùs excitentur; ità ut ex signis, id est prodigiis seu miraculis manifestis id appareat, ac cælitùs confirmetur, quemadmodùm anteà factum est, cum primùm is status erectus fuit.* Hæc ille, qui tametsi supponat cum novissimorum temporum Hæreticis, Ecclesiam esse collapsam & labefactatam, eam tamen sine miraculis instaurari non posse, disertè asserit.

Quod cum ità sit, vestri reformatores missionem extraordinariam præ se ferre nequeunt: nullum enim unquam edidere miraculum, quo vindicatam illam missionem extraordinariam patefacerent.

SECUNDUM PRÆJUDICIUM.

In hoc secundo præjudicio confirmatur primum, & ostenditur, vindicatam ab Hæreticis Ministrorum suorum missionem esse commentitiam, quippè quæ nec ordinaria, nec extraordinaria censeri valeat.

ILli ipsi præsumpti Ecclesiæ reformatores non plus habent missionem ordinariam quam, extraordinariam. Siquidem missio ordinaria illa est quâ quis legitimè ordinatus in alicujus Pastoris mortui locum ab Ecclesiâ futurus ejusdem personæ & potestatis successor assumitur. Hujusmodi missionem in vestros Coryphæos nemo cordatus consentire voluerit. Nam dato non concesso, quod ex iis nonnulli ritè ab Ecclesiâ ordinati fuerint, ab eâ tamen segregati non possunt ad

pastorale ministerium admoveri, nec pastorali officio fungi. Ex quo enim aliquis ab Ecclesiæ communione se segregat, abjudicat sibi omnem potestatem & jurisdictionem, quâ utique potiretur, si in ejusdem Ecclesiæ contubernio perseverasset. Undè Episcopus v. g. qui suo ab Ecclesiâ recessu, ejus unitatem quantum in se est, abrumpit & dilacerat, Episcopatum retinere non potest. Quod luculenter asserit S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonian. de Cornelio & Novatiano inscriptâ: Sic enim de Novatiano loquitur: *Episcopum*, inquit, *tenere non posset, etiamsi Episcopus prius factus, à Coëpiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ unitate descisceret.* Et paulò post pronuntiato generali declarat omnem schismaticum Episcopi potestate & honore spoliari, si anteà Episcopatûs dignitate refulserit. *Qui ergò*, inquit, *nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatûs nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Hæc ille.

Hoc ipsum tradit S. Hieronymus adversus Luciferian. hoc probat factum Julii Pontificis, qui ut legitur in quadam ejus Epistolâ ab S. Athanasio exscriptâ Apol. 2. p. 743. Pisti cujusdam ordinationem ab secundo Ariano factam, ut illegitimam reprobavit.

Hoc ipsum confirmant Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, qui Legem eâ de re condiderunt. *Audent*, inquiunt, *Episcopi Hæretici docere Fidem, quâ carent, & creare ministros, qui non sunt.* Quod si aliquando aliter sese habuerit Ecclesia, & viros ab Hæreticis ordinatos, & suam in communionem reversos de Episcopatus & Sacerdotii grado non dejecerit (quod ab Ecclesiâ Africanâ respectu Donatistarum factitatum est) hujusmodi disciplina non tàm jus eorum, quos ita tractabat, quàm ejus maternam in ipsos indulgentiam testificatur. Aliàs enim Episcopi & Sacerdotes ab Hæreticis ordinati, & ad ejus communionem regressi, detrudebantur ad Laïcam duntaxat Communionem, ut patet ex Ep. 52. S. Cypriani jam citatâ de Trophimo, ut constat ex Can. 41. Concilii Hipponensis, & ex Concilio Carthaginensi fuit istud Concilium Provinciale ab Aurelio convocatum & celebratum ann. Red. 401. 6 Junii quod profitetur abunè Italiæ Concilio vetitum esse, ne Donatistæ ad aliam Communionem quam ad Laïcam admitterentur. Ut constat ex Epist. 50. S. Augustini ad Bonifacium Comitem inscriptâ. Qui ergò ab Ecclesiæ unitate desciverant, ad Ecclesiarum regimen non debebant admoveri, etiamsi antè suam defectionem ab Ecclesiâ essent ritè ordinati.

Dato tamen non concesso, quod hujusmodi homines sui Sacerdotii ob suam defectionem potestate & jurisdictione non essent spoliati, non poterant tamen pastoralia obire munia, nondùm enim pro Pastoribus habebantur, aut haberi poterant, quin ad tale ministerium ab Ecclesiâ essent assumpti, id est ab Episcopis electi, renuntiatique, & ad tale officium admoti.

Undè plures, imò omnes Hæreticorum Ecclesiæ, ab Monachis & Presbyteris desertoribus constitutæ, sunt potiùs Dæmonis Synagogæ, quam devotæ Christo Ecclesiæ. Tales enim personæ ab Ecclesiâ Romanâ segregatæ, omni potestate ad hunc effectum necessariâ caruerunt, nec (quod caput est) ab ipsâ Ecclesiâ à quâ desciverunt, non sunt electi, ut Ecclesias constituerent.

Prætereà vestræ Ecclesiæ fundatæ sunt, pleræque omnes ab Laïcis. Beza in suis imaginibus commemorat extincto Pavenâ, quem primum Ecclesiæ reformatæ martyrem appellat, ejus Discipulos fuisse opifices, qui in varia dispersi loca, prima Ecclesiæ Metensis, Aurelianensis, Sylvanectensis, & aliarum id genus Ecclesiarum, jecisse fundamenta. Ille ipse narrat suâ in historiâ, Petrum cognomento Clericum, arte Carminatium, Meldensem Ministrum ab ingenti Carminatiorum, Fullonumque turbâ fuisse institutum.

Prætereà refert quemdam adolescentulum, qui Masso Riverius vocabatur, primum Lutetiæ Ministrum, ab pluribus Laïcis unà congregatis fuisse renuntiatum. Vos videritis utrùm talibus Pastoribus ab Ecclesiâ segregatis, sine missione grassatis in pastorale Ministerium parere, & vestrarum animarum salutem committere debeatis.

Ex dictis constat, vestrarum partium Antesignanos nullas Ecclesias constituere potuisse, quippè qui essent exauthorati, & schismatici, & ab Ecclesiâ proscripti, atque adeò nullâ essent præditi potestate, quâ & Ecclesias erigere & administrare possent. Vestræ ergò societates aut conventicula (cum Ecclesiarum titulo donari, atque adeò ad Christum pertinere nequeant) nihil sunt aliud quam Synagogæ Satanæ ab furibus & latronibus convocatæ.

Quod sint Synagogæ Satanæ clarum est, ex eo quod nihil medium inter Christum, & Diabolum interjaceat, atque adeò quisquis recessit à Christo Satanæ mancipatus agnoscitur. Undè vestræ illæ societates, quæ ab Christo & ejus Ecclesiâ desciverunt, sese proculdubiò spiritibus erroris seu Dæmonibus spontè & ultrò subdiderunt.

Quod autem ab furibus & latronibus sint convocatæ, constat ex verbis ipsius Christi ità loquentis Joan. cap. 10. v. 1. *Amen, amen dico vobis*, inquit, *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro.* Quodnam sit autem illud ostium declarat ipse Christus ibid. v. 7. *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Ergò legitimum quemque Pastorem necesse est ingredi in ovile, & ad ovium regimen admoveri per Christum, id est pastorale officium capessere, & obire per ejus authoritatem, sivè de cælo immediatè datam, sivè successione transmissam, quod cum de vestrarum partium primiceriis affirmari nequeat, jure ac meritò fures & latrones possunt, & debent ab Catholicis appellari, & aspernari, quicquid in negotio Religionis deblaterare voluerint.

Hæreticus.

QUicquid dicatis vos, sumus in Ecclesiâ, quippè qui recesserimos ab Ecclesiâ Romanâ innumeris erroribus inquinatâ, atque adeò stamus ab partibus veritatis, & doctrinam Catholicam amplectimur, & defendimus, cum præsertim agitur de Sacramento cœnæ.

Catholicus.

Præter duo illa præjudicia, quibus probavimus vestram societatem non esse veram Christi Ecclesiam, suppetunt & alia, quibus illud ipsum ineluctabiliter astruatur. Esto igitur

---

PRÆJUDICIUM TERTIUM.

In hoc tertio præjudicio probatur, Hæreticorum societatem non esse veram Christi Ecclesiam. Imò Ecclesiam Romanam esse veram, atque adeò unam esse amplectendam, ut, vel ipsi sectariorum primicerii confitentur.

VEstra Ecclesia est recens, & nova, ergò non vestra, sed Ecclesia Romana vera est Ecclesia, quippè quæ sit omnium Ecclesiarum Christianarum antiquissima. Undè vestri Antesignani profitentur esse veram Christi Ecclesiam, id testatur Lutherus in cap. 28. Gen. fol. 396. & in cap. 41. fol. 549. & tom. 2. lib. contrà Bullam fol. 97. & in libro contrà Anabaptistas. Item in cap. 6. Genes. tom. 6. fol. 83. item Witaker Contr. 2. q. 5. c. 14. fol. 534.

Polanus in Syntag. Theolog. lib. 7. cap. 8. disertè ait hodiernam Ecclesiam Romanam esse adhuc Ecclesiam Christi.

Id testatur & Hokerus lib. de pol. Eccl. p. 128. item l. 5. p. 8. item Covellus in Apol. protest. tract. 1. sect. 6. p. 120. Item Confessio Augustana in prototypo relata per Fabricium cap. 21.

Item Junius controv. 5. l. 1. cap. 9. ait Lutheranos & Calvinistas convenire cum Ecclesiâ Romanâ in fundamento essentiali.

In eodem sensu Zanchius inter doctissimos Hæreticorum numerandus de Ecclesiâ Romanâ sic prædicat in præfat. lib. de nat. Dei. *Invito Satanâ*, inquit, *retinuit Ecclesia illa (Romana) præcipua Fidei fundamenta.*

Item Boisseulius in refut Despontinia p. 79.

Item Alstedius lib. de nat. Eccl. cap. 9. §. 16. *Romana*, inquit, *Ecclesia hodie est quidem vera Ecclesia, sed admodum impura & veluti leprosa.* Item Spalat. lib. 7. de repub. cap. 10. §. 58. Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam asserit: *Veritatem Ecclesiæ*, inquit, *Ecclesiæ Romanæ, quæ nunc est, non admitti.*

Ergò ex sententiâ & confessione doctissimorum hominum, quos umquam secta vestra Catholicæ Fidei dogmatis & oraculis opposuerit, Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum antiquissima vera est Ecclesia, non ergò vestra: siquidem una tantùm esse potest Ecclesia. Undè si Tertullianus dixit de Deo, si Deus unus non est, Deus non est, nos de Ecclesiâ Dei dicimus; si Ecclesia una non est, non est Ecclesia.

Præjudicium quartum.

In hoc quarto præjudicio demonstratur Ecclesiam quæ se reformatam gloriatur, non esse veram Christi Ecclesiam eo nomine, quod abjectâ doctrinæ unitate conspirantis factionum partibus in varias, totoque cælo dissitas circè si item sententias, ingenitâ ipsi vertigine distracta fuerit, & etiamnum distrahatur.

Ecclesia reformata non potest dici vera Christi Ecclesia, siquidem non habeat unitatem doctrinæ, quam Christus suæ reliquit Ecclesiæ, ut colligere est ex Apostolo aiente Christum dedisse, *quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, ad ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Ephes. cap. 4. v. 11. 12. 13. 14.

Undè per varia discrepantium opinionum dissidia, vera Ecclesia ab falsâ secernitur: Si enim ut contendunt adversarii, vera Ecclesia est societas conflata ex iis, quos una Christianæ Fidei professio connectit: fatendum est eam non esse veram Christi Ecclesiam, cujus filii ab invicem in Fidei professione dissident, ità ut alii rem aliquam ut bonam & certam approbent; alii verò eamdem ut noxiam, vel periculosam, vel errore suffusam rejiciant.

Talem discrepantium opinionum varietatem & pugnam esse velut certissimam mendaciorum, falsitatum & hæreseon tesseram sancti Patres ex omni memoriâ prodiderunt. Ità S. Irenæus l. 1. adv. hæref. c. 5. loquitur de Valentinianis: *Videamus nunc*, inquit, *& eorum inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt: sed & nominibus & rebus contraria respondent.* Hæc ibi.

Idem S. Irenæus eodem lib. 1. cap. 18. præclarè illam ipsam Hæreticorum pugnam & dissensionem graphicè depingit his verbis: *Cum autem discrepant ab invicem & doctrinâ & traditione, qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, & fructificare, quod numquam quisquam excogitavit, durum est omnium describere sententias.* Hæc ille.

Quemadmodum igitur hæreseos nota certissima deprehenditur ex varietate & dissidio opinionum, quas adversùs invicem propugnant Hæretici, ità ex eorumdem dogmatum concordiâ, quâ inter se conglutinantur Catholici, Fidei veritas ab errore, & vera Christi Ecclesia ab conventiculis & Satanæ Synagogis haud dubiè secernitur. Quod pulcherrimè declarat id. S. Irenæus lib. 1. adv. hæref. cap. 3. cum affirmat unam eamdemque Fidem & traditionem in toto terrarum orbe prædicari. *Hanc prædicationem*, inquit, *cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ quæ in Germaniâ sunt, fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: Neque hæ quæ in Hiberiis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libyâ, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus & idem est, sic & lumen prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valdè prævalet in sermone, ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia quam hæc sunt, dicet. Nemo enim super magistrum est, neque is firmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una & eadem Fides sit, neque is qui multum de eâ potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat.* Hæc ibi.

Insignis profectò locus, quo declaratur unitas Fidei, quam Ecclesia ab omni ævo veluti certissimam veritatis sibi divinitùs traditæ, tesseram retinuit, & æternum inter assidua confligentium secum invicem Hæreticorum dissidia retinebit: ità ut quemadmodum hæresis sese prodit, per continuam suorum asseclarum discordiam; ità illa ipsa Ecclesia Catholica indesinenti fidelium in syncetam animorum doctrinarumque unitatem consensionemque conspirantium concordiâ, in omnium gentium notitiam propagata, ceu vera & una Christi Jesu Ecclesia ubique cernatur, appareat, cognoscatur.

Quod si credere recusatis sanctissimo & antiquissimo Galliarum Antistiti Irenæo, qui vestram sectam velut hæreticam & execrabilem utpotè assiduâ omnium vestrum discordiâ laceratam in personâ Hæreticorum suis temporibus emergentium, jam ab quindecim sæculis Episcopali authoritate & eruditione reprobavit, audite saltem doctorem Gentium in veritate, audite, inquam, Paulum, sic olim Corinthios, imò in eorum personâ Christianos omnes allocutum: *Obsecro autem vos*, inquit, *per nomen D. N. J. C. ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eâdem sententiâ.* 1. Cor. 1. v. 10.

Ex istis Apostoli verbis discite unitatem, seu unam animorum doctrinarumque consensionem esse veram & indubitatam veræ Ecclesiæ notam, atque adeò vos nullam umquam habuisse, vel etiamnùm habere Ecclesiam: quippè qui implacabili odio, ex quo velut è latebris erumpere cœpistis, efferbueritis in invicem, ut testificantur vestri annales ab vestrarum partium authoribus exarati, & prætereà varias in opiniones, & varia commenta, seu opinionum portenta, toto

cœlo ab invicem dissita, scissi fueritis. Nam ut præteream multiplicem varietatem opinionum, quibus controversias inter vos circà præcipua Fidei capita obortas intricastis, cum ventum est ad realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, quam allatrare non desinitis, vestra in vestratibus placitis dissidia, peperere octoginta numero opiniones, & ducentas interpretationes, ut quatuor hæc verba (Hoc est Corpus meum) in vestram hæresim quacunque tandem ratione & arte detorqueretis.

Si igitur Ecclesia ex ejus definitione, quam profertis, est societas hominum, qui in professione Domini Fidei D.N J.C. copulati sunt, indè infero vestram Ecclesiam, non esse Christi, Ecclesiam utpotè quæ non conveniat in unitate fidei, & divisa sit in varias factiones in illâ ipsâ fidei professione: Siquidem quod circà vindicatæ Fidei articulos approbatur ab uno, ab altero reprobatur.

Cum ergò veræ Fidei professio sit essentialis Ecclesiæ, quæ assentientibus Catholicis, pariter & Hæreticis definitur, societas fidelium in professione Fidei Domini nostri Jesu Christi, & eorumdem Sacramentorum Communione, seu participatione conjunctissimè viventium, rectè & Theologicè conficitur, societatem errantem in Fide, imò, vel in uno etiam minimo (si quis est) Fidei articulo, seu ab unitate integræ Fidei desciscentem non esse veram Ecclesiam. Nam ut ait ipse Lutherus in cap. 17. Matth. tom. 5. fol. 74. *Fides debet esse rotunda, id est, in omnibus articulis credens quantumlibet parva. Nam qui unum articulum non rectè credit, sicut Iacobus dicit: qui peccat in uno, fit omnium reus.* Quod & inculcat idem Lutherus in tria symbola tom. 7. fol. 141. *Fidem Christianam*, inquit, *oportet esse integram, & omnibus modis perfectam, quamquam infirma & languida esse potest, &c. Integra tamen & vera sit, necesse est.* Hæc ibi.

Catholicæ igitur seu veræ Fidei integritas ad salutem omninò necessaria exigit, ut omnes ad Christi fideles aggregati in omnibus, hoc est & in paucis, & in pluribus, in minimis & in maximis pariter conveniant, alioquin ipsa Fidei professio cadet in irritum.

Hanc doctrinam insigniter explicat S. Augustin. Epist. 48. & in Psalm. 54. *Erant ibi mecum* (Hæretici) *sed non omnino mecum, in multis mecum, in paucis non mecum, sed in his paucis non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Hæc ibi.

Ergò ne transversum quidem unguem, ut vulgari jactatur adagio, ab Ecclesiæ Fide discedere licet, nedum prophanas vocum novitates, aut commenta inducere, quibus ejusdem Fidei soliditas concuti valeat. *Si enim* (ut ait S. Epiphanius apud S. Hieronymum lib. 3. contrà Ruffinum) *propter unum verbum aut duo, quæ contraria Fidei sunt, multæ hæreses abjectæ sunt ab Ecclesiâ, quanto magis hic inter Hæreticos habetur, qui tantas perversitates, & tàm mala dogmata contrà Fidem adinvenit, Dei Ecclesiæ hostis exstit.* Hæc ibi.

Reverà, quam improbi & nefarii sunt Lutherus, Calvinus, & alii heresiarchæ, qui ut orthodoxam Fidem, & fidelium animis revellerent, multa invexere in varias terrarum partes, opinionum portenta, quæ nonnisi instigante Diabolo excogitare, & in lucem proferre potuerunt? Verùm (quæ maxima est Dei gratia) quæ oborta est inter eos discordia, eorum est pernicies, & nostra victoria. Quod quidem Witakerus inter sectæ Calvinisticæ authores celeberrimus cum dixisset, hanc esse falsitatis naturam, ut sese evertat, subdidit hæc verba observatu dignissima: *Hæreticos*, inquit, *inter se dissentire concedimus, idque justo Dei iudicio fieri, ut tandem ad nihilum deducantur.* Hæc ille controv. 3. q. 5. c. 8. p. 520.

Hoc asserit & Lutherus lib. de vot. Monast. tom. 2. fol. 292. *Neque enim*, inquit, *mendacia certius cognoscas, quam suo ipsius dissidio, & contradictione. Siquidem divinitùs est ordinatum, ut semper impietas seipsam confundat, & mendacia sibiipsis numquam constent, quin adversus seipsa semper testificentur.* Hæc ille.

Hoc loco conatur Hæreticus probare unitatem Fidei in Ecclesiâ reformatâ reperiri eo nomine, quod Hæreticorum primicerii dissentiant quidem in articulis non fundamentalibus, sed in fundamentalibus conveniant.

Quam distinctionem egregiè refellit, & explodit Catholicus.

Hæreticus.

AUthores hujusmodi non loquuntur de nobis, quasi in varias factiones abiremus, & divideremur in Fide: Nam si qua est inter nos circà Fidem dissensio, non pertinet ad fundamentales seu præcipuos Fidei articulos, sed ad alios quos appellamus ipsi Fidei adjunctos, seu non fundamentales.

Catholicus.

Cum Fidem integram esse oporteat, & suos omnes numeros habere, atque adeò in omnibus articulis quantumlibet parva credere, juvat abs te quærere, undè hanc distinctionem fundamentalium & non fundamentalium hauserint vestri Doctores? Si dicas eam distinctionem ex Scripturâ reperitam, indica, quæso, locum ubi reperiatur. Si nullum habes Scripturæ locum, undè illam arreptam esse comprobes, contendo ego illam ex privati cujuspiam cerebro esse profectam. Cum enim ille quisquis est, animadverteret vestram Calvinistarum sectam, vestris in Fide dissidiis labefactandam, & in bonorum omnium odium adducendam, excogitavit futilem illam distinctionem, ut ostenderet vos in præcipuis Fidei articulis ad salutem pertinentibus, & necessariis convenire, dissentire verò in aliis, qui nihil ad salutem pertinerent, atque adeò nihil Fidei, quam vestra Synagoga amplectitur & tuetur, officeret.

Ex hâc distinctione colligunt duplicem errorem, alium scilicet fundamentalem, alterum autem non fundamentalem.

Error in Religione fundamentalis est, qui Catholicæ & salvificæ Fidei articulo alicui fundamentali, & primario, in aliquo doctrinæ capite universis & singulis adultis, jam indè ab promulgato per Apostolos Evangelio ad salutem æternam consequendam, cognitu, credituque necessario, vel officio charitatis Deo proximove debitæ, sub æternæ mortis interminatione necessariò, directè & immediatè repugnat.

Error verò non fundamentalis ille est, quo quis suppositâ consensione principalium articulorum impingit, in nonnulla Fidei capita minùs principalia, vel cæremonias adiaphoras, vel etiam in interpretationem quorumdem Scripturæ locorum, quos hominum ratiocinatio in controversiam evocavit.

Sicut duplicem constituunt errorem, ità & duplicem faciunt unitatem, seu consensionem, unam scilicet fundamentalem, alteram verò non fundamentalem. Indè colligunt oportere consentire omnes in unitatem fundamentalem, ut unitas fidei & doctrinæ ad salutem omnino necessaria retineatur, non tamen eamdem consensionem ad consequendam salutem exigi in non fundamentalibus, atque adeo illæsâ Fide posse in illis unumquemque abundare in suo sensu, & tenere, & propugnare quicquid libuerit. Hâc ratione suorum Ministrorum in non fundamentalibus ab invicem discrepantium dissidia, omni culpâ vacare asserunt.

Hujusmodi distinctiuncularum falsitas ad insinuandos errores excogitata non potest certiùs & meliùs refelli, quàm ab ipsis novarum hæreseon architectis & alumnis. Inter quos cum Lutherus non infimum obtineat locum, ejus etiam authoritas non postremo numerabitur loco.

Audiant igitur illum ejus sectatores seu Discipuli: Sic enim loquitur apud Hospinian. par. 2. hist. f. 124. *Non minùs impius & prophanus est*, inquit, *qui unum Fidei articulum negat, quam Arius, aut alius quispiam ejusdem farinæ.* Hæc ille.

Non distinguit Lutherus articulos fundamentales à non fundamentalibus. Nam omnia Fidei capita sunt æquè principalia, utpotè quæ profecta ex divinâ revelatione, cui æqualis debetur reverentia, sivè magna, sivè parva hominum generi patefaciat. Neque enim Deus major est in magnis, nec minor in parvis, sivè factitandis, sivè revelandis, siquidem in utrisque est adorandus, in utrisque æqualiter audiendus: utpotè qui est ubique mirabilis, & quod caput est, ubique Deus.

Si igitur darentur aliquot Fidei articuli ad salutem consequendam non necessarii, in irritum caderet revelationis authoritas, quod citrà blasphemiam affirmari non potest: Siquidem docet nos Fides nihil nobis divinâ revelatione patefieri, quin ad propagandam Dei gloriam, & promovendam hominum salutem pertineat: Ita ut quisquis vel unum Fidei articulum in speciem minimum, vel indifferentem discrederet, reus esset Catholicæ Fidei violatæ: utporè qui in Dei omnia magna pariter, & parva revelantis offensam incurreret, perindè ac si omnia ab ipso revelata, veluti commentitia quædam placita, ex cujuspiam hominis cerebro profecta aspernaretur, ac respueret.

Quod vel nostri fatentur adversarii, id est, vestrarum partium Patroni, quos inter ità loquitur Epist. ad Peregrin. in Angliâ Petrus Martyr: *Jacobus*, inquit, *audacter dicit, qui peccaverit in uno, factus est omnium reus: Si id locum habeat quoad mandatorum obedientiam, verum etiam erit quoad credenda.*

Alter magni nominis apud vos nempè Schusselbius tom. 3. Catal. Hæret p. 85. sic quod dicimus confirmat: *Fides Christiana*, inquit, *est una copulativa, & qui negat unum Fidei articulum, totum corpus doctrinæ cælestis in dubium vocat.*

Item Calvinus vester Coryphæus id confirmat in cap. 4. Epist. ad Ephesios v. 5. in illud, *Unus Deus, unus Fides: quoties hîc legis vocabulum* (unum) inquit, *intellige emphaticè positum, ac si diceret, non potest dividi Christus, non potest scindi.* Hæc ille.

Si quis vel unico Fidei articulo, Fidem abrogare posset sine ullo salutis periculo vel dispendio, non ita loqueretur Petrus Martyr in lib. contrà Suarem cap. 1. nu. 4. *Fides divina*, inquit, *ex detractione vel minimâ tota perit, & consequenter Ecclesia vera non est, ne visibilis quidem, in quâ integra Fides professione publicâ non retinetur.* Hæc ille, cujus authoritas apud universos vindicatæ reformationis vindices & alumnos plurimùm valere debet eo nomine, quod ab ipsorum nonnullis inter strenuos Ecclesiæ reformatæ defensores martyresque recenseatur.

Ex dictis perspicuum est nostros adversarios, & præsertim spectatissimos vestræ sectæ magistros litare veritati, cum uno ore calamoque asserunt fideles in omnibus & singulis Fidei articulis, ne uno quidem excepto, conjungi & convenire oportere. Hoc ipsum ratione, Scripturarum authoritate, & sanctorum Patrum consensione probari posset, nisi hominum, quorum doctrinas velut oracula de cælo delapsa colitis, testimonium ex eorum cordibus vi veritatis elicitum, ad vestram pertinaciam omni ex parte profligandam sufficeret.

Verùm dato non concesso, quod inter fidei articulos, alii fundamentales, alii non fundamentales habeantur, nihil tamen indè concludere potestis in vestrarum hæreseon gratiam. Nam meridiano Sole clarius est, vestrarum partium antesignanos ab invicem in tantum discrepare in articulis etiam fundamentalibus.

Nam hæc quæstio v. g. Utrùm Ecclesia Romana, vel vestra, quæ superbo vindicatæ reformationis titulo gloriatur, sit vera Christi Ecclesia, pertinet procul dubio ad fundamentalia, quæ vocatis, & tamen hâc in parte dissident vestri duces & moderatores. Nam Lutherus pluribus in locis, Polanus, Hokerus, Junius, Zanchius, Boissleulins, Alstedius, Spalatensis Archiepiscopus, & alii pusilli vestri doctores & ductores, disertè profitentur Ecclesiam Romanam à quâ desciverunt, esse veram Christi Ecclesiam, ut videre est in præjudicio tertio, in quo non solùm hujusmodi hominum verba retulimus, sed insuper indicavimus loca in quibus leguntur. Nihilo seciùs illam ipsam Ecclesiam Romanam sexcentis calumniis & contumeliis & execrationibus oneratam, obruere acerrimè contenditis. Quod perspicuum est ex vestrâ Fidei confessione Carolo IX. Regi exhibitâ, & in Latinum conversâ ann. Dom. 1566 Sic enim Ecclesiam Romanam expingit, ut omnis falsitatis & omnium corruptelarum sedes & domicilium esse videatur. *Papisticos Conventus* (ipsissima sunt istius articuli verba) *damnamus quod pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam Sacramenta Fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones, & idolomania vigent: ac proindè arbitramur omnes eos, qui sese hujusmodi actionibus adjungunt, & iis communicant, à Christi Corpore seipsos separare.* Hæc ibi.

Ex dictis patet quàm discrepantes sint omnium vestrum sententiæ in fundamentalibus, & primariis Fidei articulis, quos inter non postremum obtinet locum articulus de verâ Christi Ecclesiâ, quæ nulla est alia præter Romanam; quam etsi ut talem vestri agnoscant plerique omnes antesignani, alii tamen eam ut erroribus redundantem, & insano idolorum cultu flagrantem allatrare non desinunt.

Tanta demùm inter vos ardet opinionum discordia ut vix in unum aliquem articulum, uno eodemque animo & modo consentiatis. Testis est controversia inter vos de reali Corporis Christi in Cœnæ Sacramento excitata, in quâ vos omnes dissedistis ab invicem, ut præfatam Christi in eo Sacramento præsentiam, erroris & idololatriæ materiam & segetem appellateris, & postea relato in melius consilio, ut serviretis tempori, opinionem eam præsentiam asserentem innocuam, seu nullo erroris veneno perfusam declarastis in Synodo Carantoniâ habitâ ann. 1631. ut suprà vidimus.

Ut evertat Heterodoxus præjudicium quartum, quo Hærenticorum circà Fidei articulos ab invicem discrepantium dissidia, quibus iis vera Christi Ecclesia penitus abrogatur, objicit nostros Doctores discrepare ab invicem Quam objectionem diluit Catholicus, & ait eos dissidere ab invicem in iis dumtaxat quæ nondum Ecclesia ad irretractabiles Fidei articulos pertinere declaravit.

Hæreticus.

NOnnè illud ipsum quotidiè cernitur inter vestros Doctores, quorum alii circà eadem Fidei fudamenta aientem opinionem, alii verò negantem magno utrimque ardore sustinent.

Catholicus.

Respondeo huic objectioni negando ullam reperiri controversiam inter nostros Doctores de rebus

plenâ Ecclesiæ authoritate firmatis, sed tantum de iis, quas nondùm Ecclesia, velut articulos Fidei declaravit. Undè S. Aug. serm. 14. de verbis Apost. c. 21. *Ferendus est*, inquit, *disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter digestis, nondum plenâ Ecclesiæ authoritate firmatis: ibi ferendus est error, non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur.* Hæc ibi.

Idem S. Aug. lib 2. de peccato originali cap. 23. disputans adversùs Pelagium, & Celestium ejus discipulum, qui suam de peccato originali hæresim ad Fidem pertinere negaverant, docet alias esse quæstiones, quæ salvâ fide in controversiam evocantur alias verò esse, quæ sine fidei dispendio agitari, pertinaciterque sustineri nequeunt. *Multum*, inquit, *eum* (Celestium) *ità fallit opinio. Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter Fidem arbitratur, quam sunt illæ, in quibus salva Fide, qui Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut aliter, quam est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur, veluti cum quæritur qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi Deus constituit hominem, quem formavit ex pulvere, cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet.* Deindè alia & benè multa profert exempla talium quæstionum, in quibus ait multa ignorari salvâ Christianâ fide & alicui errari sine aliquo Hæretici dogmatis crimine. Et in ejusmodi quæstionibus Catholici exercentur Doctores, & in diversas abeunt opiniones, sine ullo fidei Catholicæ vel periculo vel dispendio. Non autem reformatarum Ecclesiarum Ministri, quorum dissidiis, non solùm Catholica dogmata, sed etiam Hæretica placita, commentaque in varia opinionum portenta, maximo plurium hominum offendiculo distrahuntur.

Idem sanctus Augustinus, lib. 1. contrà Julian. Pelagian cap. 6. affirmat sanctum Joannem Constantinopolitanum, seu Chrysostomum idem affirmasse de Baptismate parvulorum, eorumque à paterni Chirographi liberatione per Christum, quod asseruerant ejus Coëpiscopi, quos ibi nominat & subdit: *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Regulæ Catholicæ defensores, salvâ Fidei compage non consonant, & unus alio de unâ re meliùs aliquid dicit & veriùs. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa Fidei pertinet fundamenta.* Hæc ibi.

Vide jam quomodo in omnibus vestræ reformationis articulis dissentiant Ministri, quos habetis vestratum hæreseon, & fatores, & duces, & comites: qui quidem vertiginis spiritu circumacti, multùm præter spem, & opinionem prosunt Ecclesiæ, illis iisdem rebus, quibus eam labefactare moliuntur. Quod egregiè explicat Sanctus Hilarius (cui hodiernus dies sacer est) lib. 7. de Trinitate: *Magna*, inquit, *vis est veritatis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen, quæ ei adversantur, claret: ut in naturâ suâ immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidiè dum attentatur, acquirat. Hoc enim Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat, cum læditur, tum intelligatur, cum arguitur, tum obtineat, cum deseritur.* Et infrà.

Hæretici, inquit, *omnes contrà Ecclesiam veniunt: sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum in eo hæresis contrà alteram pugnat, quod in hæresi alterâ Ecclesiæ Fides damnat. Nihil enim est, quod Hæreticis commune est: Et inter hæc Fidem nostram dum sibi adversantur, affirmant.*

Hoc ipsum ibidem probat multis exemplis idem sanctus Hilarius, & addit se id factitasse, *tam ut Hæreticorum incerta esse omnia & erratica noscerentur: tum etiam ut sibi pro nobis invicem diffidere ostenderet.* Hæc ibi.

Vestra igitur dissidia nobis hactenùs certam peperere victoriam, & etiamnùm pariunt, quicquid obstrepant vestrarum partium ductores, imò seductores, quibus nihil umquam antiquius fuit, quam ut Ecclesiæ Dei, & æternæ veritati, cujus est firmamentum & columna, inexpiabile bellum indicerent, & inter excæcatæ plebeculæ greges, se de illâ triumphasse pari ad impudentiam falsitate gloriarentur, & passim dictitarent. Verùm illa ipsa Dei Ecclesia eos inanibus triumphis inflatos jamdudùm exauthoravit, & per suos Præsules Apostolorum successores & doctores acerrimos avitæ fidei defensores, ipsis arma sua (id esse Scripturas, in quibus totam suam spem & Religionem defixerant) velut exauthoratis militibus eripuit, & in singulos dies eripit. Undè illos velut Hæreticos, Schismaticos & rebelles, seu desertores magis aspernatur, quam audiat.

Hæreticus.

Undè probare potes nobis ereptas esse Scripturas, quarum solâ authoritate nostra Ecclesia & reformatio innititur.

Catholicus.

Vestra Ecclesia non est vera Christi Ecclesia, quia legitima Scripturarum possessio tota nostra est: atque adeò nostra Ecclesia vera est Christi Ecclesia. Quod ut probem, esto

PRÆJUDICIUM QUINTUM.

In hoc quinto præjudicio probat Catholicus, Ecclesiam Hæreticorum non posse veram Christi Ecclesiam appellari, utpote quæ legitimâ Scripturarum possessione careat.

Hoc præjudicium totum vertitur & insistit in hoc syllogismo:

Ecclesiam, cujus est parere filios in fide, & eorum salutem procurare, oportet esse instructam mediis ad hujusmodi fines necessariis, atque adeò numquam carere debet sacrarum Litterarum possessione, quam perpetuò retineat.

Atqui Ecclesia quæ se reformatam gloriatur, contendere non potest se semper hanc habuisse, & retinuisse possessionem, quæ apertè ac palam ad Ecclesiam Romanam pertinet.

Ergò Ecclesia superbo reformationis titulo inflata, sibi veræ Ecclesiæ honorem, & gloriam vindicare non potest; Illa ipsa nimirùm ratio, quæ docet illam non esse veram Ecclesiam demonstrat, solam Romanam Ecclesiam pro verâ Christi Ecclesiâ esse agnoscendam & amplectendam. Siquidem unum nobis est cum adversariis commune principium, alterutram scilicet è nostris Ecclesiis esse veram Christi Ecclesiam.

Undè dicimus de præsenti controversiâ inter nos & Calvinistas agitatâ id ipsum quod dicebat S. August. adversùs Donatistas: *Quæstio*, inquit, *inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrùm apud nos, an apud illos.* lib. de unitate Eccles. cap. 2.

Probari posset solidè major hujus syllogismi, nisi illam sponte, & ultrò vestri authores concederent, ut putà Beza lib. de notis Ecclesiæ, Alstedius item lib. de notis Ecclesiæ cap. 19. ubi sic loquitur: *Ex his patet verbum Dei esse unicam notam Ecclesiæ, videlicet insitam, inseparabilem, invariabilem, quæ non recipit gradus paritatis aut imparitatis.* Hæc ille, qui cum dicit Scripturam esse unicam Ecclesiæ notam hæreticè, cum verò ait esse notam ejusdem Ecclesiæ insitam, inseparabilem & invariabilem, catholicè loquitur.

Item hoc ipsum confirmat ejusdem lib. cap. 20.

Item asserit Witakerus controv. 1. q.3. cap.3. p. 320. & controv. 2. q. 5. cap. 17. p. 540.

Idipsum etiam asseritur in colloquio Ratisbonensi sess. 7. f. 67. his verbis: *Dicitur Ecclesia stabilimentum & columna veritatis, quatenus sacram Scripturam, quâ Ecclesia gubernetur, custodit.*

Item Witakerus lib. 3. contrà Duræum p. 107. *Scriptura*, inquit, *sic est vera Ecclesiæ propria, ut eam sibi nulla nisi vera Ecclesia probabiliter vindicare possit: & etsi nunquam Hæretici Scripturas sibi vendicant, id tamen probabiliter non faciunt.*

Hanc doctrinam omnibus tàm Catholicis quàm Hæreticis, multis antè sæculis præformavit Tertullianus in lib. de præscript. Hæretic. cap. 15. *Scripturas*, inquit, *ostendunt* (Hæretici) *& hâc suâ audaciâ statim quosdam movent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem. Si hæ sunt illæ vires eorum, uti eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit.*

Hæc ibi Tertullianus, qui & eodem in libro affirmat Ecclesiæ commissam esse hæreditatem Scripturarum. Hujusmodi igitur hæreditas ad eam pertinet Ecclesiam, cui Apostoli veri Ecclesiarum fundatores, & Patres eam tradere potuerunt, & reipsâ tradiderunt: Atqui nondùm erat Ecclesia, quæ sibi Reformatæ titulum vendicat. Ergò illi hanc, de quâ loquimur Scripturarum hæreditatem, nec tradere potuerunt, nec reipsâ tradiderunt, ut cuilibet vel oculato perspicuum est.

Ergò vera est minor allati Syllogismi, in quâ asserimus Ecclesiam reformatam contendere non posse se semper habuisse, & retinuisse Scripturarum possessionem, quæ apertè ac palàm ad Ecclesiam Romanam pertinet.

Hæc propositio est indubitata,

1 Quia Ecclesia, quæ Reformata dicitur, non est, nec unquam fuit Ecclesia: ergo Scripturas veræ Christi Ecclesiæ ab Apostolis traditas accipere non potuit ab iisdem Apostolis, cum nondùm Apostolorum temporibus existeret.

2 Dato non concesso, quod hujusmodi Ecclesia Scripturas ab legitimis Apostolorum successoribus acceperit, earum tamen possessionem non retinuit, utpotè quæ eas adulteraverit.

3. Quia talis Scripturarum possessio pertinet ad unam Ecclesiam Catholicam, quæ ideò Romana dicitur, eo quod ab omni ævo habita sit, centrum Ecclesiasticæ unitatis, & etiamnùm, ut talis ab omnibus passim Catholicis agnoscatur, & habeatur.

Primò igitur contendimus legitimam Scripturarum possessionem Ecclesiæ Reformatæ nullo pacto competere; siquidem nec sit Ecclesia, nec unquam fuerit. Nam omnem Ecclesiam esse oportet Apostolicam, id est ab Apostolis, vel legitimis eorum in Evangelio, eâdem cum ipsis potestate prædicando, adjutoribus vel sucessoribus fundatam, & Apostolicis doctrinis imbutam, & in Ecclesiarum Apostolicarum communione perseveratam. Quod egregiè probat Tertullianus, in lib. de præscript. cap. 20. *Apostoli*, inquit, *consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes & eloquium, primò per Judæam contestatâ fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam, ejusdem Fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes, sic omnes primæ nimirùm & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem Sacramenti una traditio. Hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm Christus instituit, quia nec alius Patrem novit nisi filius, & cui filius revelavit, nec aliis videtur revelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tàm vivâ, quod aiunt, voce, quàm per Epistolas posteà: Si hæc ita sunt, constat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam: sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: Omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei. Superest ergò uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam suprà edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso, an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.* Hæc ibi Tertullianus.

Ex pulcherrimo illo Tertulliani, adhuc (cum hæc scriberet) in Ecclesiæ sinu versati testimonio, liquet Ecclesiam Reformatam non esse omninò Ecclesiam; neque enim ab Apostolis, vel Apostolicis viris est fundata, neque viventibus Apostolis est congregata, imò ab Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus descivit; non tàm igitur Ecclesia, quàm Satanæ Synagoga est appellanda. Nam Ecclesia & ab Apostolis, & Apostolicis fundata, vera Christi Ecclesia citrà controversiam extitit, & omnes hæreses, & omnium Hæreticorum conventicula antecessit, & indè eorum falsitas apparet. Nam ut ait idem Tertullianus in lib. de præscription. cap. 29. *Non antè fuere Christiani, quàm Christus inventus, nec antè hæresis, quàm vera doctrina. Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. Cæterùm satis ineptum, ut prior in doctrinâ hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses cavendas prænuntiabat. Ad ejus doctrinæ Ecclesiam scriptum est, imò ipsa doctrina ad Ecclesiam scribit: Etsi Angelus de Cælo aliter evangelizaverit, citrà quàm nos, anathema sit. Ubi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus, Stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeò olim fuisse, Antonini ferè principatu, & in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub Episcopatu Eleutherii Benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quàm fratres quoque vitabant, semel & iterùm ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati venena doctrinarum suarum disseminaverunt.* Hæc ibi.

Ergò vera doctrina quam professi sunt Marcion, & Valentinus in Ecclesiâ Romanâ, in quâ vixere sub Episcopatu Eleutherii summi Pontificis, præcessit hæreseon venena, quæ ejecti ab eâdem Ecclesiâ Romanâ disseminarunt. Si igitur doctrinæ ab illis disseminatæ falsitas revincitur, ex eo quod post veram doctrinam emerserit, & si eorum conventicula ideò profana & sacrilega fuerunt, quod post veram Christi Ecclesiam ab Apostolis fundatam sint congregata, idem sanè de Calvinistarum doctrinâ & Reformatâ eorum Ecclesiâ dicere, & constantissimè prædicare possumus, & reipsâ fremant licet & disrumpantur Hæreticici, prædicamus.

Hanc ipsam doctrinam præclarè illustrat idem Tertullianus ejusd. l. c. 31. *Sed ab excessu*, inquit, *revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo posteà superducit. Propriè enim doctrinarum distinct. figurat,*

quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Hæc ibi Tertullianus, qui ibidem subdit mirabile & ineluctabile pronuntiatum, quo veluti gladio hæreses suæ ipsius ætati suppares confodit, alias autem secuturis temporibus orituras in antecessum jugulavit. Audiant igitur hoc effatum Catholici pariter, & Hæretici: Catholici, ut ipso, velut armis decretoriis instructi, adversus Hæreticos dimicent, Hæretici autem, illo ipso veluti cælesti gladio, confossi transverberatique resipiscant.

Ex ipso, inquit, *ordine* (parabolæ) *manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientiâ, competit ad defendendam sibi veritatem.* Hæc ibi.

SECTIO XIX.

In quâ probare nititur Hæreticus eam, in quâ sunt, Ecclesiam, esse Apostolicam, & ab Apostolis fundatam quod quidem, & prolixè, & doctè refellit Catholicus, congruenter præjudiciis, quæ, ut patet, proximè stabilivimus.

Hæreticus.

Nostra Ecclesia est Apostolica, & ab Apostolis fundata, neque enim Ecclesiam Romanam jam multis erroribus, & corruptelis inquinatissimam deserendo, ab Apostolicâ Ecclesiâ descivimus.

Catholicus.

Duo hîc asseris, quorum

Primum est vestram Ecclesiam, ab Apostolis esse fundatam.

Secundum, vos discedendo ab Ecclesiâ Romanâ, non descivisse ab Ecclesiâ, quam Apostoli ab Christo Domino in omnem terram missi fundavere. Et utrumque dictum factum esse, nullo negotio demonstrare possumus.

Quod spectat ad primum caput, illud esse falsissimum probamus authoritate Tertulliani, qui Ecclesias Apostolicas, ab non Apostolicis mirabili testimonio discrevit in eodem libro de præscript. cap. 32. *Cæterum*, inquit, *si quæ* (hæreses) *audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergò origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut in Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum itidem. Proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolicâ comparata, ex diversitate, & contrarietate suâ pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctores esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ità & Apostolici non contraria Apostolis edidissent: Nisi illi qui ab Apostolis didicerunt, aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ nullum licet ex Apostolis vel Apostolicis, auctorem suum proferunt, ut multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur, tamen in eâdem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.*

Ex verissimâ illâ Tertulliani doctrinâ animadvertere licet, quasnam Ecclesias Apostolicas & veras, quasnam verò non Apostolicas & spurias seu falsas haberi oporteat.

1. Enim Ecclesiæ illæ dicuntur Apostolicæ, quæ suas origines patefacere possunt, & ità evolvere ordinem Episcoporum suorum ab initio decurrentem, ut cujusmodi Episcoporum primus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem.

2. Illæ Ecclesiæ habentur Apostolicæ, quæ licet ab Apostolis, aut viris Apostolicis (id est ab ipsis Apostolis Christianæ Religionis mysteria edoctis, & missis) non fuerint institutæ, eamdem tamen profitentur Fidem, & doctrinam, quam Apostoli, & Apostolici viri, ipsis quas fundavere, Ecclesiis tradiderunt. Undè Tertullianus hujusmodi Ecclesias pro consanguinitate doctrinæ Apostolicas deputari pronuntiat.

Cum igitur vestra Ecclesia nullam ex his notis, quibus Ecclesiæ Apostolicæ & veræ, ab non Apostolicis & spuriis secernuntur, proferre valeat, non potest, nec debet inter Apostolicas annumerari.

Quod si pertinaciter, ut assolent Heterodoxi, contendere libeat, vestram Ecclesiam esse Apostolicam, patefacite seriem Episcoporum, qui vestram illam rexerunt Ecclesiam, ab ipso institutionis ejus exordio, ità ut talium Episcoporum primus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis, qui tamen cum Apostolis in eadem fidei doctrinæ, & unitatis professione perseveraverit, habuerit auctorem, & antecessorem. Hac enim notâ seu certâ & indubitatâ, Patres omnes Catholici, veram Ecclesiam asseruerunt, percensendo scilicet Episcopos Ecclesiæ Romanæ, qui ad sua usque tempora illam ipsam Ecclesiam, aliarum matricem, moderati fuerant. Hoc ipsum factitatum est ab S. Irenæo, ab Tertulliano, ab Optato Milevitano, ab S. Augustino, & ab aliis, quod si idipsum astruere nequeatis, vestram Ecclesiam falsam & adulterinam vos confiteri necesse est.

SECTIO XX.

Hæreticus hoc loco contendit suos, nullos habuisse Episcopos præter eos, qui Romanam rexerunt Ecclesiam, ex cujus sinu sese proripuerunt, cum ipsa ab germanâ Christi, & Apostolorum doctrinâ descivit, quod & Catholicus pulcherrimis & rationibus; & testimoniis refellit.

Hæreticus.

Non est necesse nos percensere Episcopos, qui nostram rexerint Ecclesiam. Neque enim alios habuimus Episcopos, præter eos, qui Romanam gubernarunt Ecclesiam, quippè, qui in eâ perstitimus, dùm doctrinæ ab Christo, & ejus Apostolis traditæ sinceritatem, puritatemque retinuit, à quâ cum descivit, ab eâ pariter recessimus.

Catholicus.

Ergò jam nullam habetis veri nominis Ecclesiam, neque Apostolicam, neque aliam, nam descivistis ab Ecclesiâ Romanâ, quæ vobis fatentibus, saltem tunc temporis, ex quo in eâ degebatis, vera erat Ecclesia, quia ab Apostolis fundata erat, & gubernata, & ab eorum successoribus, Apostolicis nimirùm Episcopis etiam occupata, gubernataque. Ergò cum vestra Ecclesia, quam ab Romanâ, toto cælo dissitam, & sejunctam esse contenditis, neque ab Apostolis neque ab Apostolicis viris sit fundata & gubernata, necessariò sequitur eam non esse Apostolicam, atque adeò falsam, adulterinam & diabolicam. Nam ex Tertulliano & aliis Patribus, discimus eam duntaxat esse Apostolicam Ecclesiam, quæ ab Apostolis vel Apostolicis viris fundata, ab Episcopis Apostolorum, & Apostolicorum virorum successoribus, continuatâ serie regitur, vel certè prò consanguinitate doctrinæ Apostolica deputatur. Hujusmodi notarum nulla in vestram cadit Ecclesiam. Nam nec ab Apostolis, nec ab Apostolicis viris fundatam esse pro comperto habemus. Nisi dicatis ab Luthero, Calvino &

aliis ejus farinæ hominibus, Apostolicâ authoritate præditis eum esse fundatam, ita ut Deus tales viros per missionem extraordinariam ad reformandam universalem Ecclesiam miserit.

Si ita estis excæcati, ut credere velitis Lutherum & Calvinum esse Apostolos, novissimè diebus istis ad reformandam Ecclesiam divinitùs excitatos, dicam ego, quod in pari occasione dixit olim Tertullianus consertâ cum Hæreticis manu: *Nigidius nescio quis, inquit, & Hermogenes, & multi alii, qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, ostendant mihi ex quâ authoritate prodierunt. Probent se novos Apostolos esse, dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: sic enim Apostolos* solet facere, dare illis prætereà virtutem, eadem signa edendi, quæ & ipse.

Volo igitur & virtutes eorum proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem *eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.* Hactenùs Tertullianus, qui eum vos alloqui juvat hisce verbis: Probent Lutherus, & Calvinus se ex legitimâ authoritate prodiisse, probent se novos Apostolos, & edant miracula, ex quibus extraordinaria, & nova eorum missio pelluceat. Miracula, ut opinor, ediderunt isti Apostoli, sed eo modo quo declarat Tertullianus, id est de vivis mortuos fecere.

Reverâ id accidisse narrant Polonus Rescius, Lindanus, & Alanus Copus suis in dialogis: Commemorant scilicet Ministrum quemdam seu Prædicantem, ut vocant, cum edita essent vera quædam miracula in Lituaniâ, talibus miraculis alia opponere voluisse, & ut suis concionibus, Cracoviæ primariâ Poloniæ Urbe, habitus majorem authoritatem accederet, exiguâ pecuniolâ redemisse, rusticum quemdam Matthæum nomine, ex Bietagio oppidulo oriundum, eâ lege, ut se mortui adinstar efferri sineret. Ille ex pacto & conventu, includitur sarcophago, ritè defunctum simolar, effertur; Polychronius (hoe nomen erat Ministro) stat pro foribus Templi, corpus, comitantemque turbam sistit, mortuum inclamat, has voces ingeminat: Matthæe veni foras, conticescit Matthæus, recluditur sarcophagus, Matthæus cernitur & apparet exanimis & ætepsâ obierat. Defuncti nul[illegible] rem totam aperit, & homicidam Ministrum atrocissimis verbis persequitur & obruit, & tantum non interficit.

Calvinus qui hæreseos vexillum cum Luthero sustulerat, suam etiam missionem extraordinariam aliquo miraculo declarare debuit, & reverâ declarare tentavit. Testis est & quidem omni exceptione major vesanus ille Sutor (cui Brulæo nomen) hunc enim pellacibus verbis astutus hæresiarcha irretiit, subulam, quippe setam, picem; & corrogata veteris corii fragmina abjicere jussit, montes aureos repromisit, si se lethali morbo conflictatum, deindè mortuum fingeret: Utrumque illi præstitit, sed suo malo. Nam mors simulata veram genuit, volente Deo, qui numquam impios Hæreseon sator es vera miracula ad suos errores astruendos edere patitur, ne veritas orthodoxa aliquid suæ certitudinis fideique dispendium patiatur. Inopinatam ergo mortem malè sanus Sutor oppetiit, & Calvinus erroris sator, nihil indè præter ingentem verecundiam extulit.

Talia igitur novorum hujusmodi Apostolorum extitere miracula, ut simulate lethum pluribus letho fuerit.

Apostolicæ igitur illæ sunt Ecclesiæ quæ ab Apostolis, vel Apostolicis viris fundatæ sunt, & id probare possunt, per continuatam seriem Episcoporum sub quorum regimine ab ipso jam tum suæ institutionis exordio, in Apostolicæ fidei unitate fideliter perstiterunt, vel quæ Apostolicam fidem amplexæ pro doctrinæ consanguinate, ad Ecclesias Apostolicas sese aggregatas esse declararont.

Neutra hujusinodi notarum in Ecclesiâ, quam à vobis reformatam esse prædicatis, cernitur & apparet, ut suprà probavimus; ergo ipsa illa pari ad insolentiam falsitate sibi nomen Ecclesiæ vindicat. Sola, sola est Ecclesia Catholica, una Christi sponsa, quam acquisivit sanguine suo, quæ sanctum veræ Ecclesiæ nomen sibi vindicare potest: Utpotè quæ universis fulgeat notis, quibus perpulsos fideles in ejus gremio & vivere, & mori oporteat. Unde Christiani Catholici omnes, & singuli usurpant verba quibus quondam S. Augustinus se in Ecclesiâ retineri probat adversus Manichæos: *Multa, inquit, sunt, quæ me in Ecclesiæ gremio justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholicâ Ecclesiâ, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholicâ teneor. Si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab eâ fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ Religioni astringit.*

Quicquid hoc loco (id est cap. 4. lib. contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti) dicit S. Augustinus vir apprimè Catholicus, & Hæreseon debellator acerrimus, ambabus ulnis amplectitur quilibet, cui nomen est Christianus, & cognomen Catholicus, & profitetur eum esse fidelem sermonem & omni acceptione dignum. Ex eo quippè Orthodoxi ex omni memoriâ didicerunt quidlibet aliud potiùs oportere pati, quam vel sponte, & ultrò ab verâ Christi Ecclesiâ desciscere, vel ab eâ quacumque tandem ratione separari.

Idem S. Augustinus in eodem lib. cap. 5. quærit ob Manichæis, quod & quærimus ab Calvinistis; quæro, inquit, quis sit ille Manichæus? respondebitis, Apostolus Christi: Non credo. Idem respondebunt Calvinistæ, & non dicemus, non credo. Posteà S. Augustinus urget Manichæos, & ait se obtemperasse Catholicis dicentibus, credite Evangelio, unde ait sibi illis obtemperandum dicentibus, noli credere Manichæo. Elige quid velis: si dixeris, crede Catholicis, ipsi me monent, ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere. Si dixeris: Noli Catholicis credere: non rectè facies per Evangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Evangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris rectè credidisti Catholicis laudantibus Evangelium, sed non rectè illis credidisti vituperantibus Manichæum: Usque adeò me stultum putas, ut nullâ redditâ ratione quod vis, credam, quod non vis non credam? multò quippè justius, & cautius facio si Catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere jusseris, sed manifestissimè ac apertissimè scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Evangelium. Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Evangelio credidi, & his jubentibus tibi omninò non credam. Indè concludit, si nihil manifestum de Manichæi Apos-

tolatu in Evangelio reperiatur, se Catholicis potiùs crediturum, quam Manichæi Discipulo. Et posteà ostendit in Evangelio, & in Actis Apostolorum, in quibus continentur nomina Apostolorum quos Christus elegit, Manichæi nomen non contineri, & ideò inter Apostolos Christi eum non posse nec debere annumerari.

Quæ omnia S. Augustini argumenta bellè & apposité contorqueri possunt in recentiores Hæreticos, qui se ad Ecclesiam Reformatam ministerio Lutheri, & Calvini & aliorum id genus hominum (quos à Deo velut Apostolos extraordinariâ missione in terras allegatos esse dictitant) aggregatos esse gloriantur.

Sectio XXI.

Hoc loco Hæreticus acriori contentione profitetur suos non recessisse ab Ecclesiâ Apostolicâ, cum ab Romanâ Ecclesiâ recesserunt. Quod tamen ineluctabiliter probat Catholicus, eo quod ipsorum reformatores neque Apostoli, neque Apostolici extiterunt.

Hæreticus.

NOn respondes illi objectioni, quâ contendo nos ab Ecclesiâ Romanâ recedendo, non recessisse ab Ecclesiâ Apostolicâ. Nam Ecclesiam Romanam ob errores & corruptelas deseruimus, & in Apostolorum doctrinis, ab iis erroribus liberati, perstitimus, atque adeò in Ecclesiâ Apostolicâ remansimus.

Catholicus.

Vix attendisti ad ea quæ diximus. Nam ostendimus apertè ac palam vestram Ecclesiam non esse Apostolicam, eo quod Lutherus, & Calvinus, & alii id genus homines, quos ad reformandam Ecclesiam divinitùs missos esse contenditis, nec fuerint Apostoli, nec Apostolici viri, atque adeò dicimus eos non potuisse reformare Ecclesiam. Non enim minor ad reformandam Ecclesiam, quam ad ipsam primitùs fundandam authoritas exigitur. Apostolorum est scilicet & hominum Apostolicorum, id est Episcoporum & Ecclesias instituere & doctrinis Apostolicis imbuere & reformare; Cum igitur eo dignitatis gradu caruerint vestrarum partium duces, Ecclesiam reformare non poturunt

Huc accedit quod Ecclesia in rebus ad salutem necessariis errare nequeat, ergo in hujusmodi reformari non potest. Quicquid enim Ecclesia in Spiritu sancto legitimè congregata ad fidem Catholicam pertinere, vel ad morum sanctitatem spectare decreverit, seu ut clariùs loquar, quicquid statuerit circa fidem & bonos mores, id omne pro certo tenendum est sub Anathematis interminatione, quod magno est argumento eam, utpotè sancto Spiritu nunquam non animatam, errare non posse.

Hanc infallibilitatis prærogativam octingentis sæculis antequam nasceretur Christus, Ecclesiæ Catholicæ promisit Deus per Isaiam Prophetam pariter & Evangelistam, ut eum appellat S. Hieronymus: sic enim Ecclesiam ab Christo ædificandam affatur cap. 59. v. 21. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodò, & usque in sempiternum.*

Hoc promisit Deus in veteri testamento, idipsum repromittit Christus in novo. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Joan. cap. 14. v. 16. & 17.

Item eodem cap. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

Item Joan. cap. 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.*

Post tot & tantas promissiones; quis Ecclesiam Dei totam & toto orbe diffusam errare posse asserat in rebus vel ad fidei certitudinem, vel ad morum sanctitatem pertinentibus? nemo sanè nisi profligatæ mentis, & conscientiæ, & referventis blasphemiæ reus. Nam id affirmare non potest, quin dicat Christum non potuisse præstare, quod suæ repromisit Ecclesiæ, vel Spiritum sanctum non potuisse, vel noluisse Ecclesiam sibi ab Christo redemptam sartam-tectam conservare ab erroribus & hæresibus, quibus hæresiarchæ instigante spiritu erroris, irreformabilem ejus doctrinam & fidem labefactare ex omni memoriâ sunt conati, & in dies recrudescente identidem vertigine conantur.

In hujus rei probatione diutiùs immorari juvaret & oporteret, nisi nostri hostes hoc me labore relevarent. Hoc enim quod dicimus, collocant in propatulo & perspicuè docent.

Testis est Lutherus lib. de serv. arbit. *Ecclesia spiritu Dei regitur*, inquit, *& Christus cum Ecclesiâ manet usque ad consummationem sæculi, & Ecclesia Dei est columna & firmamentum veritatis. Hæc novimus. Nam sic habet & symbolum omnium nostrum. Credo Ecclesiam sanctam, Catholicam: & impossibile est illam errare etiam in minimo articulo.* Hæc ille.

Idem docet Calvinus Institut. lib. 4. §. 10. *Sic Deus*, inquit, *ejus* (Ecclesiæ) *authoritatem commendat, ut dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Neque enim parvi momenti est, quod vocatur columna & firmamentum veritatis, & Domus Dei: quibus verbis significat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Ecclesiam esse fidam ejus custodem: quia ejus ministerio & operâ, voluit Deus puram verbi sui prædicationem conservari, & se nobis ostendere Patremfamiliâs, dum nos spiritualibus alimentis pascit, & quæcumque ad salutem nostram faciunt, procurat.* Hæc ibi.

Testis Witakerus doctissimus eorum omnium quos hæresis Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ & veritati novissimis temporibus opposuerit: sic enim loquitur controv. 2. 4. 5 cap. 19. pag. 551. *Qui locus ostendit*, inquit, *veritatem in Ecclesiâ perpetuò residere & remanere, nec ab eâ separari posse.* Et paulò post: *Integra & incorrupta veritas residet tantùm, & perpetuò remanet in verâ Ecclesiâ. Veritatem Ecclesia sustentat, prædicat, proponit aliis.* Hæc ibi.

Testis est iterùm Lutherus, qui præterquam quod dixit, ut proximè vidimus, impossibile esse Ecclesiam errare etiam in minimo articulo, addit hæc verba diligenti observatione dignissima in respons. ad dialog. Sylvest. Prieratis in 2. concl. *Hæreticus*, inquit, *ero, si postquam Ecclesia determinaverit, non tenuero.*

Ibidem inferiùs ad 4. sub finem: *Universalis Ecclesia*, inquit, *non potest errare, ut doctissimè etiam probat Cardinalis Cameracensis in 1. sententiarum.*

Testis etiam est iterùm Calvinus Instit. lib. 4. cap. 1. §. 3. hac de re ita locutus: *Accedit quod veritatem dum in Ecclesia sinu continemur, semper nobis constaturam securi sumus.*

Idem asserit de scandalis p. 102. *Summa*, inquit, *Ecclesiæ reverentia debetur, fateor sanè ac libenter etiam addo, sic conjunctum cum geminâ legis & Evangelii doctrinâ esse Ecclesiæ sensum, ut fidei illius custos, & interpres meritò vocetur.* Hæc ibi.

Dum primarii renascentis Evangelii Doctores (quales se suique similes extitisse ait Calvinus) litant ve-

ritati, & affirmant Ecclesiam usque ad consummationem sæculi duraturam, propter Christum illi cum suo spiritu, toto sæculorum omnium curriculo affuturum, atque adeò illam nullo unquam tempore desituram, nec in ullo etiam minimo fidei articulo erraturam, suppeditant nobis argumenta, quibus Ecclesiæ Romanæ veritas, perpetuitas, & inconcussa in verâ fide stabilitas, & in fallibilitas seu inerrantia, ut ita dicam, inelu&tabiliter astruatur, atque adeò una & sola Ecclesia seclusô quolibet alio cœtu, seu conventiculo statuatur.

Nam Ecclesia Romana, ut est in confesso apud adversarios, agnita fuit, & habita pro verâ Christi Ecclesia quatuor, aut quinque prioribus sæculis, quæ ab Christo nato ad sextum usque sæculum effluxerunt, etiamnum est vera Christi Ecclesia. Nam vera Christi Ecclesia duratura est usque ad consummationem sæculi: Christus quippe illi usque ad consummationem sæculi affuturus est, & spiritus veritatis cum ipsâ in æternum mansurus est: quemadmodum igitur Jesus Christus, heri & hodiè, ipse & in sæcula, ita etiam ejus Ecclesia, quæ ab ipso divelli non p[otest], in omnia sæcula propagabitur, & subsistet, neque ejus doctrina ullâ hæresi corrumpi, aut labefactari poterit: utpotè quæ spiritum veritatis semper docentem, semper regentem, & ipsam ab omni errore & mendacio sartam-tectam ubique, conservantem, juxta Christi sui capitis pariter & sponsi promissionem habeat.

Quæ quidem cum vel ex ipsorum adversariorum confessione negari nequeant, necessariò concludendum est Ecclesiam Romanam, quæ vera Christi Ecclesia totis quatuor, aut quinque sæculis extitit, & cujus fides teste Apostolo Rom. 1. v. 8. annuntiata est in universo mundo, etiamnum esse [unam], veram, & solam Christi Ecclesiam, ad quam omnes Ecclesiæ particulares per totum terrarum orbem sparsæ propter potentiorem principalitatem (ut cum S. Irenæo Lugdunensium Archiepiscopo antiquissimo & martyre celeberrimo loquar) conveniunt & adhærescunt.

Cum enim præsentissimâ Christi sui Salvatoris ope munita & roborata fuerit seu præpotenti ejusdem Christi manu ab omni interitu, & extinctione vindicata, desinere seu extingui non potuit, & ideò etiamnum existit sicut olim extitit, alioquin Christus diceretur vel noluisse, vel non potuisse conservare illam ipsam Ecclesiam, cui se usque ad consummationem sæculi præsto futurum esse promiserat, quod citra referventem blasphemiam nec cogitari, nec affirmari potest. *Dei enim Filius Jesus Christus non fuit, est, & non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* 2 Corinth. cap. 1. v. 19 & 20.

Sicut ex quo institutaest Ecclesia Romana perstitit, nec ob allatam rationem desinere potuit, ita nec à verâ fide, sibi Apostolorum & Apostolicorum hominum ministerio prædicatâ traditaque desciscere potuit, utpotè quæ ab spiritu veritatis indesinenter afflata, acceptam ab ipsomet Christo doctrinam, & per eosdem Apostolos & Apostolicos, viros sibi annuntiatam constantissimè prædicatet: Atque ita tam scripto quam vivæ vocis oraculo omnes hæreses ubicumque ortas, vel errores, illâ ipsâ quam semper integram, illibatamque servavit, traditione, refelleret, & eodem spiritu veritatis adjutante profligaret.

Unde gloriosissimus Martyr Cyprianus ita loquitur de ipsâ Ecclesiâ Romanâ Epist. 55. *Post ista,* inquit, *navigare audent* (quidam factiosi). *& ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.* Hæc ibi.

Nulla ergo perfidia, nulla infidelitas, nulla hæresis, aut extranea doctrina in Ecclesiam Romanam, utpotè nusquam ab Christo Jesu & Spiritu sancto desertam, nec ullo tempore deserendam grassari potuit, aut aliquando poterit. Ac reipsâ quidem si esse desiit Ecclesia Romana, etsi aliquando hæresi aut idolomaniâ (ut placet Calvinistis) infecta fuit, seu ab Apostolicâ fide descivit, portæ inferi adversus eam prævaluisse dicendum est, quod nemo sui compos concedere voluerit. Siquidem docet Catholica fides Cœlum & Terram esse transitura. Christi autem verba non esse transitura, id est suum effectum proculdubio sortitura, quicquid Hæretici veritatis hostes obstrepant, quicquid mundus, pro quo se non rogare Christus asseruit, quicquid denique dæmones ipsum Christum, & ejus Ecclesiam implacabili odio prosecuti, moliantur.

Cum ergo dixit se super fidem & Confessionem Petri, seu super Petrum propter fidem quâ Petrus non carne & sanguine, sed Patre æterno revelante, Christum esse Filium Dei vivi professus est, Ecclesiam suam ædificaturum, nec adversus eam portas inferi esse prævalituras, id est hæreses, ut intellexit S. Epiphanius, vel vitia ut ait S. Ambrosius, vel utraque, ut aiunt Origenes & S. Hieronymus, vel omnes omninò persecutiones & persecutores, ut dicunt Euthymius & Theophylactus, omnia denique improborum hominum seu dæmonum tela irrito conatu in ipsam, quam supra petram ædificaverit, Ecclesiam intorquenda esse declaravit, imò in ipsos jaculatores retorquenda patefecit. Nemo enim Ecclesiæ hostis, eam vel calumniis appetere, vel ejus doctrinam peregrinis dogmatis infuscare & labefactare voluit, vel denique ipsam vi, & armis lacessivit aut lacessere tentavit, quin illam eamdem quam in ipsam machinatus erat, perniciem in suum ipsius caput præpotenti numinis manu retorqueri senserit.

His ita constitutis nemo inficiari potest, quin Romana Ecclesia sit vera, & sola Christi Ecclesia, utpotè quæ ob unquam ab orthodoxâ fide recesserit, nec recedere potuerit. Siquidem juxta Christi promissionem nusquam portæ inferi, id est hæreses & alia quæ illam extinguere poterant, adversus eam erant prævalituræ, quod affirmari non posset, si in hæreses incidisset, aut quacunque ratione in eo statu, in quo Christus eam collocaverat, consistere desiisset.

Hoc ipsum quod asserimus, confirmat vel ipse Lutherus, sic enim loquitur, in respons. ad Dial. Sylvestri Tom. 1. fol. 176. *Ego*, inquit, *gratias ago Christo quod hanc unam Ecclesiam in terris ita servat ingenti (& quod solum possit probare fidem nostram esse veram) miraculo, ut numquam à verâ fide ullo suo decreto recesserit.* Hæc ille.

Hoc ipsum pluribus probare possem & dicere cum S. Cypriano Epist. 55. perfidiam non posse accessum habere ad Ecclesiam Romanam: siquidem nulla societas fidei & perfidiæ potest esse. Diceremus cum S. Hilario ita Constantium allocuto: quicquid apud te præter fidem unam est, perfidia non fides est. Idem diceremus cum Theodoreto in Epist. ad Renat. Cum Agathone in Epist. quæ lecta est in VI. Synodo act. IV. & probata act. VIII. Cum omnibus denique Orthodoxis Apostolicam Christi Ecclesiam tam in prosperis, quam in adversis veraciter tenuisse veram fidei regulam, utpotè quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probata fuerit, nec Hæreticis novitatibus umquam depravata succubuerit.

Sectio XXII.

In quâ probat vir Catholicus scripturam propriè pertinere ad Ecclesiam Romanam, ita ut illam Hæretici ub ipsâ Ecclesiâ Romanâ segregati, non habeant.

Hæreticus.

QUID inde concludis?

Catholicus.

Duo indè colligo, quorum

Primum est, scripturam propriè pertinere ad Ecclesiam Romanam, quæ vera est, & sola Christi Ecclesia.

Secundum est, vos ab verâ Ecclesiâ segregatos non habere scripturam, quippè qui, si eam à nobis accepistis, eam vestris glossematis, & adulterinis interpretationibus corrupistis.

Quæ duo ut majori methodo, & ordine pertractentur, operæpretium tibi est revocare in memoriam syllogismum, quo totum hoc præjudicium, quintum scilicet, innititur. Hujus Syllogismi talis est propositio.

MAJOR.

Ecclesiam, cujus est parere filios in fide, & eorum salutem procurare oportet esse instructam mediis ad hujusmodi fines necessariis, atque adeo numquam carere debet sacrarum litterarum possessione, quam perpetuò retineat.

MINOR.

Atqui Ecclesia, quæ se reformatam gloriatur, contendere non potest, se semper hanc habuisse & retinuisse possessionem.

CONCLUSIO.

Ergo Ecclesia superbo reformationis titulo inflata sibi veræ Ecclesiæ honorem & gloriam vindicare non potest.

Cum hujus Syllogismi major probata sit satis superque, ex ipsorum etiam adversariorum testimonio, & nobiscum primicerii heterotodoxorom convenerint, affirmaverintque sacræ scripturæ possessionem esse, veram, & inviolabilem veræ Ecclesiæ notam, facile, ut opinor, antiquis Patribus hujusmodi possessionem uni Ecclesiæ Romanæ asserentibus; eamque cuilibet alteri societati abrogantibus, acquiescent.

Id sanè ita probat Tertullianus in libro de præscript. adversos Hæreticos cap. 37. *Sic hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in eâ regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos Hæreticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de suâ electione sectati Hæreticorum nomina admittunt. Ita non Christiani nullum jus capiunt Christianarum litterarum, ad quos meritò dicendum est: Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion* (Calvine) *fontes meos transvertis? quâ potestate Apelles* (Beza, Carlostadi & alii) *limites meos commoves? Mea est possessio: Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio: olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt, semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apostolis Hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos aut protulit aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinæ invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptelâ instrumentorum ejus: ita & nobis & à nobis integritas doctrinæ non competisset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei quod esset in scripturis deprehensum, detractione, vel adjectione, vel transmutatione remediaremus? quod sumus hoc sunt scripturæ ab initio suo: ex illis sumus antequam aliter fuit: antequam à vobis interpolarentur. Cum autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex causâ æmulationis, quæ neque prior, neque domestica umquam est ejus, quod æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stilum intulisse videamur scripturis, qui sumus à principio & primo, quam illos non intulisse, qui sunt & posteri & adversi. Alius manu scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quam Marcion manus intulit veritati.*

Hæc ibi Tertullianus, qui & lib. 4. contra Marcion. c. 4. benè multis probat Evangelium Marcionis esse falsum & adulteratum, Evangelium autem Christi esse verum, utpotè antiquius. *Ego, inquit, meum* (Evangelium) *dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? in quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum.*

Ex istis Tertulliani locis constat scripturas nullatenùs pertinere ad Hæreticos, quippè qui eas adulteraverint, & magnam eorum partem veluti spuriam & apocrypham abjecerint; eas autem quas integras & ab omni interpolatione immunes retinuit Ecclesia, ex quo ab Apostolis, vel Apostolicis viris fundata est, esse veras & divinitùs inspiratas eo nomine quod adulteratos Hæreticorum codices antecesserint. Cum enim constet id verius, quod prius, & prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constat id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacro-sanctum. Tales autem sunt scripturæ, ad quarum amussim suam fidem & morum integritatem omnes Catholici admetiuntur & exigunt, & hoc pacto sese sacras Litteras verè possidere, & eas Hæreticis abrogare luculenter, & ineluctabiliter astruunt.

Sectio XXIII.

Hic probat Catholicus Heterodoxos de verâ possessione scripturarum penitus esse dejectos.

Hæreticus.

FAceres operæ pretium si quod asseris, solidè probares; neque enim scripturas, quarum unâ authoritate Ecclesia reformata nititur, nostris è manibus extorqueri patiemur.

Catholicus

Catholicus.

Non est ardui laboris probare, quod contendimus, vos scilicet de scripturarum legitimâ possessione esse dejectos, ex quo eas depravastis, & detorsistis in alienos sensus, quos Ecclesia Catholica (ab cujus Communione & doctrinâ descivistis, veluti transfugæ & desertores) nusquam approbavit, aut approbare potuit. Vos igitur ex quo recessistis ab ipsâ eadem Ecclesiâ, de sacratum Litterarum justâ possessione deturbatos esse probamus hoc uno syllogismo.

Non potest haberi vel retineri scripturarum vera possessio, quin hæc tria pariter & conjunctim retineantur. 1. Earum Canon approbatus ab Ecclesiâ Catholicâ. 2. Legitima & fidelis, & approbata earum versio. 3. Denique genuinus earum sensus, non ab privato, aut ab pluribus privatis excogitatus, & procusus, sed ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ in rebus fidei & morum declarandis & sanciendis errare non potest, ex traditione erutus, & ut talis orbi Christiano propositus.

Atqui nihil horum vestris in Bibliis seu scripturis ostendere potestis.

Ergo scripturas divinitùs inspiratas vobis vindicare non potestis.

Prima seu Major hujus syllogismi propositio non evocatur in controversiam, & ideò superest probanda minor, quod abundè præstitum fuerit, ubi primùm vos nec tenere verum scripturarum Canonem, nec legitimam earum versionem nec verum earum sensum. Quod ut fiat

Suppono primò Canonem in præsenti tractatu bifariam usurpari.

1. Usurpatur pro regulâ quam aliquis tam in fide quàm in moribus sequitur. Et in hoc sensu scripturæ Libri appellantur Canonici: quippè qui normam rerum fide divinâ credendarum, & rerum Christianis fugiendarum sequendarumque contineant.

2. Sumitur pro Catalogo numeroque Librorum quos Ecclesia velut dictante Spiritu sancto conscriptos, & ideò irreformabili auctoritate, & veritate præditos omnibus Catholicis proponit, & per suos Pastores indesinenter explicat.

Tales sunt Codices quos in Bibliis seu utriusque testamenti Libris comprehensos, nobisque vulgatâ Editione traditos legimus.

Suppono secundò hujusmodi Libros qui Canonici dicuntur, bifariàm dividi.

Nam 1. alii dicuntur protocanonici, seu primi ordinis Canonici. 2. Alii dicuntur secundi ordinis Canonici, seu deuterocanonici.

Protocanonici sunt indubitatæ fidei, id est sunt Libri quorum authoritas nusquam in Ecclesiâ Catholicâ in dubium aut controversiam est evocata; sed statim ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio communi omnium orthodoxorum consensu sunt recepti, & ad confirmandam Fidem Apostolicam, seu Catholicam in authoritatem sunt assumpti, quales sunt in veteri testamento quinque Mosis Libri, & in novo quatuor Evangelia, & alii id genus Libri, qui Catholicorum diurnâ nocturnâque manu versantur.

Canonici secundi ordinis, qui & deuterocanonici vocantur nunc, ut olim Ecclesiastici dicebantur, illi sunt, de quorum authoritate inter ipsos etiam Catholicos dubitatum est, quippè qui non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sed multis post annis ad totius Ecclesiæ notitiam pervenerunt. Tales sunt in veteri Testamento Libri Esther, Tobiæ, Judith, & Baruch, Epistola Jeremiæ, Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus, Oratio Azariæ, trium puerorum Hymnus, Susannæ Historia, Belis Historia, Machabæorum Liber primus & secundus. Similiter & in novo Testamento Marci caput ultimum, Lucæ Historia de sanguineo Christi sudore, & apparitione Angeli, Joannis Historia de Muliere adulterâ, Epistola ad Hebræos, Jacobi Epistola, Petri Epistola secunda, Joannis Epistola secunda, & tertia, Judæ Epistola, Joannis Apocalypsis: atque alii id genus Libri, quos quondam aliqui Ecclesiæ Patres tanquam Apocryphos, seu non Canonicos habuerunt, eosque apud solos Catechumenos nondum lectionis canonicæ capaces, ut in synopsi testatur Athanasius primùm lectitari permiserunt; deinde procedente tempore, ut commemorat Rufinus in Symbolo, apud omnes fideles recitari concesserunt, non ad dogmatum confirmationem, sed ad solam populi instructionem: & eo ipso quod publicè legerentur in Ecclesiâ, eos S. Patres appellarunt Ecclesiasticos, & tandem inter scripturas divinitùs inspiratas seu irrefragabili authoritate præditas recenseri voluerunt, ut testatur Sixtus Sen. Bib. l. 1. f. 1.

His ita prælibatis contendimus illam ipsam Ecclesiam, quæ nobis Libros protocanonicos porrexit, nobis pariter deuterocanonicos tradidisse, nec esse potiorem rationem, cur ejus judicium, in prioribus dijudicandis tradendisque infallibile, ut ita dicam, seu omnis erroris expers fuerit, nec tale in posterioribus habeatur. Quapropter si nos ad priores admittendos astringere potuit, non est dubitandum, quin eadem authoritate ad posteriores pariter recipiendos obligare potuerit.

Ea est doctrina S. Augustini (quem Calvinus lib. 4. Institut. c. 14. 9. ultimo ait se citare sæpius ut optimum ex totâ antiquitate & fidelissimum testem) sic enim in Libro contra Epistolam Manichæi quam vocant fundamenti, loquitur de Libris protocanonicis. *Ego*, inquit, *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.*

De deuterocanonicis & de totâ omninò scripturâ ex Ecclesiæ etiam authoritate suscipiendâ sic loquitur in serm 191. qui est tertius de Trinitate, in quo plures Fidei Catholicæ articulos enumerat, quos inter recenset receptionem utriusque testamenti ad fidem, sicut & cæteros, quos ibi percenset articulos, pertinentem: *Novum*, inquit, *& vetus testamentum recipimus in illo Librorum numero, quem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ tradit authoritas.* Quos autem Libros utroque testamento comprehensos seu canonicos habuerit, & ab omnibus habendos censuerit, idem S. Augustinus declarat l. 2. de doct. christ. c. 8. & asserit totum Canonem scripturarum contineri iisdem & totidem Libris, quos tanquam Canonicos seu divinitùs inspiratos ab ejus ætate ad nostra usque tempora omnes Christiani Catholici eâ, quâ decet reverentiâ, coluerunt.

Id nempè didicerat ille ipse S. Augustinus ab Concilio Carthaginensi III. quod alii quintum, alii sextum nominant. Hoc enim Concilium anno ab ortu Salvatoris 397. celebratum cap. 47. statuit nullam scripturam sub divinæ titulo in Ecclesiâ legendam esse præter Canonicam; quæ sit autem canonica scriptura declarat, & numerando percenset eosdem & totidem Libros qui ad nos continuitâ sacerdotum & Ecclesiarum Apostolicarum traditione pervenerunt.

Istius Concilii Canonem seu sacrorum voluminum Catalogum ab Innocentio Papâ I. qui floruit an. Red. 406. receptum & confirmatum esse novimus. Is quippè eumdem scripturarum Canonem, quem præfatum Concilium Carthaginense, & cum illo S. Augustinus decernit & amplectitur, tradit in Ep. 1. ad Exuperium Tholos. Epis. inscriptâ, ut legere est ejusdem Ep. c. 7.

Gelasius Papa in Concilio Romano ab 70. Episcopis celebrato anno Red. 490. eumdem omninò scripturarum Canonem approbavit, confirmavit, retineri jussit, ut patet ex ejus decretis circa finem. Quâ in re observandum est hujusmodi Pontificem, cum dicit Machabæorum Liber unus, non excludere secundum Librum Machabæorum, sed significare volumen unum ex duobus iis Libris simul connexis conflatum, quemadmodum S. Augustinus lib. 2. de doct. christ. cap. 8. jam citato ait duodecim Prophetarum Libros

Canonicos, id est ut fidei nostræ normam & regulam habemus, idque non tantùm ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multò magis ex testimonio & intrinsecâ Spiritus sancti persuasione: quo suggerente docemur illos ab aliis Libris Ecclesiasticis discernere, qui ut sint utiles, non sunt tamen hujusmodi, ut ex iis constitui possit aliquis fidei articulus. Hæc ibi.

Ex Calvini & articuli præfatæ Confessionis pronuntiato tria colliguntur maximè, utpotè quæ omnia Ecclesiæ reformatæ fundamenta subruant. Nam

1. Sequitur indè non jam scripturam esse basim, fundamentum, & regulam fidei (quam tamen unicam agnoscit Ecclesia reformata) sed unam duntaxat persuasionem internam: si quidem judicat de regulâ, eam dijudicat, & veluti certam proponit. Ergo cum hujusmodi regulæ certitudo tota referatur in persuasionem illam internam, indubitatum est talem persuasionem, utpotè scripturæ judicem, esse regulam scripturâ potiorem. Quod tamen nemo Calvinista concesserit.

2. Sequitur indè Spiritum sanctum, ex quo persuasionem illam internam proficisci volunt Hæretici, esse spiritum non unitatis, & concordiæ, sed dissensionis & discordiæ. Nam omnes Hæretici diversas penitùs & contrarias opiniones non solùm amplectuntur, sed etiam easdem abjiciunt, mutant alias, & alias pro rerum suarum opportunitate tuentur, & defendunt, ut suprà demonstravimus in secundo præjudicio, in quo demonstravimus Ecclesiam reformatam non esse veram Christi Ecclesiam, utpotè quæ doctrinæ unitatem, quæ est necessaria & indubitata veræ Ecclesiæ nota, non habeat. Ergò frustrà dictitant Calvinistæ se intrinsecâ Spiritus sancti persuasione veram Scripturam ab apocryphâ secernere. Nam aguntur spiritu erroris, ut patet ex scripturâ: sic enim loquitur Apostolus quem diligebat Jesus; *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* 1. Joan. c. 4. v. 6. Ergo ex Apostolis discenda sunt omnia ad salutem necessaria: si quidem ipsis primis Ecclesiæ pastoribus pollicitus est Christus se missurum Spiritum Paracletum, qui eos omnia, quæcumque ipsis dixisset, doceret, & suggereret: non autem fingenda est persuasio illa interna, quæ innumeros homines decepit, fefellit, in errorem denique & hæresim induxit.

Testis est Origenes, quem Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 23. tot & tantis laudibus afficit, ut nihil majus aut illustrius de ullo mortalium prædicari posse videatur. Et tamen talis ac tantus vir, *dum gratiâ Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens quædam scripturarum capitula novo more interpretatur, destivit ab Catholicâ fide. Et quid plura? eò res decidit, ut tantæ personæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, sed ut exitus docuit, nimiùm periculosa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret.*

Hactenùs ille qui & idem de Tertulliano sequenti capite asserit: *Tertullianus*, inquit, *Catholici dogmatis, id est universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior magis quam fidelior, mutatâ deinceps sententiâ contra Mosi præceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia, veras Prophetias adseverando, meruit ut de se & scripturis suis diceretur: si surrexerit in medio tui Propheta. Et mox non audies verba Prophetæ illius. Quare? quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester utrum diligatis eum, an non.* Hæc ibi.

Ecce tibi in duorum hominum quantâ maximâ eruditionis laude florentium & internam persuasionem sequentium horribili casu & exitu, graphicè depicti vestræ rebellionis duces, qui vos ab Ecclesiæ simplici veritate & avitâ traditione abductos in erroris voraginem impulerunt, & ejurato spiritu veritatis per teterrimam ab Ecclesiâ Catholicâ defectionem internæ imò infernæ cuidam persuasioni ab omni scripturâ & ratione & traditione abhorrenti vestram salutem committere docuerunt.

Nihil mirum igitur si scripturas Canonicas admittitis vel abjicitis vestro arbitratu: & hac in parte vos Hæreticos esse liquidò declaratis. Nam in vos optimè quadrat quod de Manichæis affirmat S. Augustinus in lib. de dono persever. cap. 11. *Manichæi*, inquit, *utriusque testamenti scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant.* Revera apochryphos reputatis plerosque scripturæ Libros, quos Ecclesia Catholica pro Canonicis habet, quia videlicet tales Libri vestras hæreses evertunt. Quinam sint autem Libri, quos repudiatis ut apocryphos, docet Præfatio Bibliorum Genevensium, quæ vestro imperio impressa sunt ab anno 1554. usque ad annum 1610.

Apocryphus est Liber Tobiæ, Judith, Esther ab cap. 11. usque ad 16. Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus, Prophetia Baruch, trium puerorum Canticum, Historia Susannæ Dan. cap. 13. relata usque ad cap. 14. Liber primus & secundus Machabæorum.

Hosce veteris Testamenti Libros repudiat non solum, sed etiam indignis omninò modis insectatur & exagitat Lutherus. Machabæorum duos priores Libros, & Historiam Esther ne apud se quidem nominari patitur: Liber Job videtur illi Comœdiæ aut ad summum Tragœdiæ argumentum: Librum Judith & Tobiæ poëmatum materiam existimat: Ecclesiasticum Authorem prophanum reputat; S. Jacobi Epistolam Catholicam, Epistolam ad Hæbræos, & S. Judæ, secundam B. Petri Epistolam, secundam & tertiam Joannis aliter quam stramineas non appellat. Apocalypsim, ut merum somnium habet, sicut & Esdræ Libros. Ecclesiastæ Librum ut Talmudicum ex pluribus Libris undequaque corrogatis, & ex Ptolomæi, vel ex aliâ veteri Bibliothecâ depromptis compositum explodit: ut scribit & Lutheranis objicit Calvinus in institutione suâ, licet ille, vel in eamdem vel partim dissimilem culpam & errorem impegerit.

Ex istâ Lutheri sacros in Libros debacchantis insolentiâ, vel insaniâ rectè colligit quisque cordatus, neque vos, neque vestrarum partium primicerios habere persuasionem illam internam ex Spiritu sancto profectam, quâ Libros scripturæ Canonicos ab spuriis seu non Canonicis discernant. Nam si spiritus sanctus eorum animis insideret, nusquam pateretur eos invehi in eosdem Libros, quos alii vestræ Synagogæ moderatores ex internâ illâ persuasione velut authenticos approbant. Vestra Confessio Gallicana Carolo IX. Francorum Regi oblata omnes Epistolas, & alios Apostolorum Libros in Novo Testamento comprehensos (quos Lutherus tantâ impudentiâ reprobat & explodit) articulo tertio recipit & approbat ut Canonicos, id est ut fidei vestræ normam & regulam habentes: Ergo vos omnes eosdem Libros ut authenticos admittitis, alioquin fidei vestræ professionem ab omnibus Ecclesiis hujus Regni reformatis procusam abnegatis: quod non potestis dicere aut facere, quin ab vestræ reformationis regulâ desciscatis. Cum enim vestra illa fidei Confessio in primâ Synodo Nationali Parisiis 19. Maij regnante Henrico II. 1569. habitâ constituta esset, posteà lecta est in Synodo Nationali Rupellæ congregatâ, & inibi declaratum est ab eadem Synodo universas hujus Regni Ecclesias repræsentante, præfatas easdem Galliarum Ecclesias suprascriptam Confessionem quoad omnia capita & articulos approbare, & ratam habere, utpotè quæ puro sinceroque Dei verbo penitùs innitereutur.

In cujus rei consensionisque testimonium illam ipsam fidei Confessionem Ministri & seniores ad eam

Synodum ab hujus regni Provinciis allegati, præfatarum Ecclesiarum nomine, suo chirographo seu subscriptione munierunt: ut patet ex autographo ad finem vestræ Confessionis apposito.

Et id quod memoravimus peractum est Rupellæ 13. Aprilis ann. sal. 1571. Vel igitur vestra illa Synodus, quæ vestras omnes hujus regni repræsentabat Ecclesias, erravit in admittendis Libris Canonicis, vel Lutherus in iis explodendis, ab fidei regulâ descivit. Si primum concedatis, nullam habetis Ecclesiam. Nulla enim est Ecclesia, quæ in rebus ad æternam salutem necessariis errar, aut errare potest. Si dicatis non errasse, oportet vos palam & apertè confiteri, hac in parte Lutherum graviter aberrasse, atque adeò internâ illâ persuasione, quam ex Spiritu Sancto proficisci contenditis, fuisse destitutum, atque adeò vos perperàm comminisci talem persuasionem, quâ cum caruerit Lutherus vestræ reformationis cum Calvino primicerius, non est credibile vos esse adeò à ratione desertos, ut vos existimetis ab Spiritu sancto donatos esse internâ illâ persuasione, quâ ipse Spiritus sanctus unum è vestris primiceriis, & Pastoribus carere voluerit.

Porrò quicquid dicatis de vestrâ illâ Synodo, & de Luthero hac in re, certum est & patet ex illâ, quæ inter vestræ Synodi seniores & Lutherum intercedit, contradictione & discordiâ, neque vestram Synodum, neque Lutherum habuisse Spiritum sanctum, cujus afflato Libros Canonicos ab Apocryphis, seu non Canonicis ritè discernere valerent. Nam omnibus, quæ ultro citroque possent afferri, rationibus, una apud omnes præponderare debet, quod videlicet Spiritus sancti adjutrix & moderatrix præsentia eaque perpetua, uni dumtaxat Ecclesiæ Catholicæ sit ab Christo Domino repromissa, atque adeò nulli umquam alteri societati ab illâ eadem Ecclesiâ segregatæ sit concedenda. Si præsertim præfata societas contemnat ipsam Ecclesiam, quam omnes Christiani Catholici supremam, & irreformabilem omnium difficultatum circa fidem, vel circa bonos mores emergentium, disceptatricem, & judicem agnoscunt, & venerantur.

Vos autem Ecclesiam Catholicam aspernati, vel cæci videntur; quippè qui Librorum Canonicorum, aliarumque rerum ad fidem pertinentium delectum atque discrimen, non tam ipsi Ecclesiæ (penes quam unam omnium rerum ad æternam salutem spectantium judicandarum, dijudicandarumque cura & authoritas excubat) quam commentitiæ cuidam persuasioni acceptum referatis.

3 Ex Calvinistarum doctrinâ, quâ volunt per internam persuasionem privato cuique ab Spiritu sancto inditam, Libros Canonicos ab Apochryphis internosci, sequitur aliud incommodum, quo nihil absurdius excogitari potest, controversiam scilicet circa doctrinam emergentem, quæ propter altercantium ministrorum, seniorumve pertinaciam componi nequeat ad civilem magistratum esse deferendam: Id enim Ecclesiasticis Genevensium edictis sancitum est.

Tale namque legitur edictum ex editione factâ ann. 1562. p. 11. *Si qua difficultas & controversia emergat circa doctrinam* (verba sunt Edicti) *ministri unà secum invicem pertractent ad discutiendam materiam. Posteà (si opus fuerit) accersant seniores, & ab ipso magistratu nominatos ut ad sedandam contentionem incumbant. Si demùm ad pacem & concordiam ob alterutrius partis obstinatiorem pertinaciam revocari nequeant, res ad Magistratum omnem altercationem profligaturum deferatur.* O insanos homines, qui cum Ecclesiæ nusquam ab Spiritu sancto desertæ, nusquam defendæ vocem, & oracula audire, & (ut decet) amplecti abnuant, fidem & salutem ex commentitiâ quadam persuasione, & civilis Magistratus arbitrio suspendere nihil dubitent, aut horreant.

Hæreticus.

Benè multa dixisti, quæ non probant nos carere scripturarum Libris divinitùs inspiratis.

Catholicus.

Hactenùs probavi vos non habere legitimum scripturarum Canonem, & si habeatis, non habere eo modo quo debetis. Siquidem illum non tam Ecclesiæ quam internæ cuipiam persuasioni, imò illusioni ascribere nihil dubitatis.

Sectio XXV.

In quâ dato non concesso quod Hæretici legitimum habeant scripturæ Canonem, probat Catholicus eos non assequi verum scripturæ sensum, utpotè qui vel fatentibus ipsorum antesignanis legitimâ earumdem scripturarum versione careant.

Hæreticus.

HOC nihil prohibet, quominùs veram habeamus scripturam, è quâ velut ex armamentario depromamus arma, quibus vestros errores, & idololatriam oppugnare & expugnare consuevimus.

Catholicus.

Dato non concesso, quod legitimum scripturarum Canonem habeatis, non tamen scripturam divinitùs inspiratam vestræ sectæ asserere potestis, eo nomine quod inter vos nulla Biblia hagiographis Hebræis & Græcis omni ex parte respondentia, & sibimet consonantia cernantur & appareant. Nullam ergo habetis legitimam Bibliorum versionem, quæ Hebræo Græcoque fonti, sicut oportet, respondeat, & cui fidere, & cujus authoritate vestra placita corroborare & fulcire possitis & debeatis.

Hæreticus.

Unde id habes?

Catholicus.

Id ex vestris authoribus hausi, qui ingenuè fatentur vos carere legitimâ Bibliorum versione, quæ suis sit numeris absoluta. Id constat ex præfationibus, quas Authores veterum & novarum Editionum præfixere Bibliis excusis Basileæ, Lugduni, in Germaniâ & alibi. Siquidem omnes ut contentionis initium ab ipsis sacræ scripturæ translationibus faciant, sacrilegâ voce ubique clamitant omnes Editiones, quas usque in hanc diem, ut veras & certas venerata est fidelium Ecclesia, esse majori ex parte malè versas, perperàm descriptas, contaminatas, immutatas, multis in locis falsatas, abrasas, superadditas, & modis omnibus pessimè tractatas; proindeque opus esse ad sinceram Sanctorum voluminum lectionem novis, veris, & emendatis versionibus. Sed profectò quod affirmant de Bibliorum versionibus ab Ecclesiâ Catholicâ receptis meliùs & certiùs ex eorum confessione cadit in versiones, quas ipsorum Authores primarii, variis temporibus ediderunt. Nam

1. Præfatio eorum Bibliis præfixa disertis conceptisque verbis asserit multa eorum traductionibus seu versionibus deesse, & ideò rogatur benevolus Lector supplere quicquid deesse perspexerit. Quod quidem ingenuè profitetur Theodorus Beza in quintâ editione novi Testamenti, quod ex ejus versione prodiit anno sal. 1590. ubi ait post adjectiones & mutationes suis Bibliis toties insertas, se nondum tamen suo desiderio, & incœpti operis magnitudini satisfacere potuisse.

2. Versiones ab Hæreticorum Pastoribus exaratæ non possunt pro veris & certis haberi, cum ex Spiritu sancto proficisci nequeant ob assiduam contrarietatem, quâ in eorumdem Scripturæ locorum versione, sibi penitùs & ex diametro repugnant. Ut videre est in Bibliis ab Sebastiano Munstero versis & editis ann. 1534. in Bibliis Oecolampadii editis ann. salutis 1635. Leonis Judæ & Bibliandri editis anno 1544. Item in Bibliis Castalionis Basileæ excusis, ann. 1556. Item in Bibliis Junii & Tremellii impressis Genevæ 1590. Item in Bibliis Lutheri & Calvini & plurium aliorum, qui in Scripturæ locis, mysteriisque in controversiam evocatis, nullo pacto consentiunt. Quod vel ipsimet dissimulare non potuerunt. Nam Zuingliani & Sacramentarii Tigurini irridenti Bibliorum versionem ab Luthero editam, utpotè quæ errores notabilemque falsitatum copiam contineat. Ipse quoque Lutherus viginti annis ab sui operis editione evolutis, suarum falsitatum conscientiam habuit, ut testatur Coclæus, in Commentariis in ejus opera editis.

Zuinglius hoc ipsum de Luthero testificatur in suâ respons. ad eumdem Lutherum tom. 2. *Lutherus*, inquit, *Christi verba corrumpit, & depravat.* & fol. ejusdem respons. 212. *Dei verbum corrumpis & adulteras.* Item fol. 213. *En ut res tua se hîc habeant, Luthere, ut omnium oculis expositus, manifestus, & publicus, sacræ Scripturæ corruptor, & adulterator esse conspiciaris, quod coràm nullâ creaturâ poteris unquam negare.*

Idipsum confirmat Hospinianus par. 2. histor. fol. 8. cum ait, *Lutherus Pauli mentem simul, & verba periculosè pervertere, & immutare, quàm veritati cedere maluit.* Hæc ille.

Eadem de Calvino affirmat Carolus Molinæus in suâ translatione novi Testamenti part. 12. fol. 110. *Calvinus*, inquit, *in suâ Harmoniâ textum Evangelicum desultare facit sursum versum, ut res ipsa indicat, vim infert litteræ Evangelicæ, & illam invertit in locis, transponit, & insuper addit litteræ.* Hæc ille.

Hoc ipsum solidissimè confirmari potest authoritate Jacobi majoris Britanniæ Regis, qui quidem in Synodo Hamptoncourtiacâ ann. salut. 1604. habitâ secundo collationis die declaravit, se nullam adhuc bonam & legitimam Bibliorum versionem vidisse, & omnium pessimam esse Genevensem, in quâ deprehenderat notas admodum factiosas, falsas, seditiosas, & quæ nimiùm animæ in alios periculosæ, & perditæ consilia & machinamenta redolerent.

Hujus temporis Ministri non adversabuntur huic testimonio, tum quia perhibitum est ab Rege, quem imprimis Molinæus, & alii ejus hæreseos & factionis alumni, semper & maximè coluerunt; tum quia prolatum est in generali totius Angliæ Synodo, atque adeò pro totius Ecclesiæ Anglicanæ judicio & testimonio illud censeri & suscipi necesse est.

3. Ex his omnibus, patet internam Spiritus sancti persuasionem, qua se præditos credunt Calvinistæ, esse meram & imaginationem & illusionem, quod liquidò probat varietas, quæ circa quosdam Fidei articulos in Bibliis diversis temporibus, ab uno eodemque authore editis animadvertitur, & agnoscitur, ab ipsismet authoribus, ut puta Luthero de se id confitente, quod & de seipso Theodorus Beza, ut suprà vidimus, ingenuè confitetur.

Ex dictis triplex ratiocinatio adversus Heterodoxos conficitur, quorum prima talis est.

Fatentur adversarii, se nullam habere Bibliorum versionem, cujus authoritas sit indubitatæ Fidei, id est, quæ sit penitùs correcta & emendata, & quæ consentiat autographis nobis ab Apostolis, Evangelistis, aliisque sacris Scriptoribus relictis, seu (ut paucis eloquar) fatentur se non habere Scripturas ab Spiritu sancto dictatas.

Ergò inter salutis adjumenta, seu media ab Ecclesiæ reformatæ primiceriis præscripta, nullum certum & tutum datur iis, qui Hebraïcè & Græcè nesciunt: siquidem fatentur, sibi nullas suppetere authenticas versiones sacræ Scripturæ, quam unam dumtaxat Fidei regulam esse prædicant.

Secunda ratiocinatio.

Fatentur iidem adversarii in suis ipsorum Bibliis, magnam reperiri varietatem, & discrepantiam juxtà varietatem authorum qui eas ediderunt.

Ergò necesse est eos pariter confiteri ipsos, quos habent Pastores non agi spiritu Dei, nec eorum manum ab eodem spiritu Dei dirigi: siquidem sanctus ille Spiritus semper sibi constat. Cum ex adverso hujusmodi Pastores in eâ quæ de Bibliorum versione disceptatur, controversiâ, semper ab invicem dissideant.

Tertia ratiocinatio.

Fatentur iidem adversarii magnam reperiri varietatem in Bibliis ab eodem etiam Authore, sed diverso tempore conscriptis & editis.

Ergò fateantur necesse est inspirationem divinam, quam dari contendunt omnibus & singulis fidelibus, cujus beneficio se verâ Fide[illegible]aros esse persuasum habeant, esse meram imaginationem, seu illusionem, siquidem inficiari non possunt, quin unus & idem homo ab semetipso dissideat, secumque discorder in re omnium gravissimâ, id est in statuendâ versione fideli, & sanâ intelligentiâ sacræ Scripturæ, quam ipsimet adversarii nostri unam & solam Fidei, salutisque Regulam admittunt.

Sectio XXVI.

In quâ probat Catholicus Heterodoxorum Doctores Scripturas falsasse, & suo prolubio in alteros sensus detorsisse.

Hæreticus.

Immeritò sanè accusas nos, & contendis nostros Pastores & Doctores falsasse Scripturas, ut errores suos astruerent.

Catholicus.

Cum agitur de re quæ in cujuspiam facti probatione vertitur & insistit, nihil est probatu facilius; si præsertim hujusmodi factum litteris mandatum reperiatur. Quod quidem bellè cadit in præsentem controversiam. Nam ut revertamur ad realem Christi in Eucharistiâ præsentiam (à quâ nos tuæ objectiones avocarunt & nos hactenùs avocari permisimus, non tàm libenter quàm necessariò) plura Scripturarum loca corrupere vestrarum partium primicerii. Ne longiùs excurram, nonnè evidenter depravaverunt locum Sancti Lucæ narrantis institutionem Eucharistiæ capite 22. versu. 20. ubi talis est contextus Græcus, *Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον*, Hunc, inquam, locum ad astruendam realem Corporis Christi in hoc Sacramento, præsentiam & realem pariter sanguinis ejusdem Christi in calice existentiam efficacissimum, si uspiam alius, teterrime corruperunt. Cum enim

hujusce textus vis posita sit in hoc participio, ἐκχυνόμενον quod necessariò refertur ad substantivum, τὸ ποτήριον atque adeò juxta Græcum autographum, seu fontem sic verti debeat: *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*, vel funditur. Theodorus Beza suis in Bibliis Genevæ, apud Robertum Stephanum ann. 1556. excusis, & Tremellius in versione Syriacâ, hunc locum ità transtulerunt: hoc poculum est novum illud Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Item Calvinus suis in Bibliis, apud eundem Robertum Steph. ann. 1560. excusis, ita eundem locum depravavit: hoc poculum, inquit, novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur: quæ corruptela seu hujus loci depravatio, legitur etiam in Bibliis Genevensibus editis ann. 1588

Si sequamur Græcum contextum (quod necessariò factitandum est) nihil clarius & efficacius afferri potest ad probandum Christum Jesum per hæc verba: Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur, vel poculum quod pro vobis funditur, sanguinem suum Apostolis in cœnâ illâ mysticâ potandum præbuisse. Perindè enim locutus est ac si dixisset: quod vobis in hoc calice porrigo, & quod in eo bibetis, est ille ipse sanguis, qui pro vobis effundetur, vel quod majorem habet energiam, per actionem & verbum de præsenti (effunditur) quæ phrasis mentem humanam ad ullum sensum figuratum confugere non sinit. Quod non tàm evidenter apparet in latinâ versione; Cum enim calix & sanguis sint ambo masculini generis, non tàm manifestè asseverari potest, an ad calicem vel ad sanguinem, relativum (qui) referri oporteat: sed in autographo participium præsentis temporis, ἐκχυνόμενον ad nihil aliud præterquàm ad substantivum τὸ ποτήριον referri potest, aut debet.

Altera hujus loci depravatio deprehenditur in præfatâ versione Theodori Bezæ hæc verba (ἐν αἵματί μου vertentis in hæc, per sanguinem meum, perindè ac si textus diceret, διὰ τοῦ αἵματος & quasi sanguis Christi esset effectrix ejus Testamenti, & non potiùs ipsummet Testamentum, eo nomine quod sit id quo Testamentum, seu omnia bona fidelibus relicta sanciuntur.

Tertia hujus ipsius loci depravatio deprehenditur in eo quod Beza addiderit verbum substantivum (est) & dixerit: hoc poculum est novum Testamentum: Cum verbum illud (est) non legatur in Græco contextu: in quo Calix, seu poculum cum istis verbis, novum Testamentum per appositionem conjungitur.

Ecce tibi triplex unius ejusdemque loci depravatio, sed primam, si libet, utpotè graviorem expendamus.

Si Evangelista Græcus & vernaculi idiomatis apprimè peritus, qui & scripsit Græcè voluisset referre Participium, ἐκχυνόμενον quod est in recto ad dativum, τῷ αἵματι haud dubiè posuisset, ἐκχυνομένῳ in dandi casu, ut concordaret cum illo in eodem casu, adinstar adjectivi & substantivi. Cum ergò posuerit in recto, illud ad substantivum, τὸ ποτήριον quod est pariter in recto, referri oportere, satis superque significavit Cui rei contrarium, ne infantissimus quidem Grammaticus cogitare quidem, nedùm asserere voluerit.

Beza eò temeritatis & audaciæ processit, ut Evangelistam veluti solœcismi, (qui criminis locum obtinet apud Grammaticos) conscium perstrinxerit. Quippè qui ineluctabili ejus loci authoritate perpulsus, verum Christi Corpus in Eucharistiâ manducari, & verum ejus sanguinem potari admittere cogeretur Sic enim hâc de re loquitur in c. 22. Lucæ v. 20. *Quùm hæc verba, τοῦτο τὸ ποτήριον, &c. si constructionem spectemus, inquit, ἐκχυνόμενον necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de vino, nedùm de poculo intelligi possint, aut manifestum est solœcophanes, quum dicendum fuerit, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, aut potiùs quàm hæc essent ad marginem annotata, ex Matthæo & Marco, posteà in contextum irrepserunt.*

Ibidem asserit suas conjectutas eò inclinare, ut potiùs quam solœcophanes sit ab Lucâ admissum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ex aliis Evangelistis insertum esse in Lucæ contextum contendam, vel casum perperàm à Librariis, quamvis consentiant exemplaria, mutatum. Quod & alii Ministri dictitant, sed frustrà. Nam ex hoc loco (cujus litteram, sicut nec cæterorum mutare, aut aliò detorquere fas est) ineluctabiliter astruitur realis præsentia corporis & sanguinis Domini in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Cum enim ait Christus in ejus institutione effundi Calicem, id est, quod continetur in Calice, ipsius nempè sanguinem, declarat manifestè hanc effusionem non esse factam in Cruce: siquidem sanguis, qui effusus est in Cruce, non est effusus è Calice, sed ex ipsius Christi Corpore, ergò de altera ejusdem sanguinis effusione intelligendus est Christus, de effusione nempè mysticâ, quæ in cœna facta est, & quæ usque ad sæculi consummationem factitanda erat in incruento Missæ Sacrificio, in quo Sacerdotes, & alii fideles, qui utramque speciem per aliquot sæcula communicando (quod illis temporibus Ecclesia citrà ullam necessitatem concesserat) perceperunt, sua in ota erant effusuri, & in sua pectora trajecturi.

Huc accedit, quod vel vinum effusum est pro salute mundi, quod nemo sanæ mentis æquo animo audierit, vel sciens & prudens dixerit: ergò vel Christus qui se veritatem appellat, nos decipit, vel suum ipsius sanguinem in Calice suis Apostolis potandum præbuit. Quod ab omni ævo docet & ubique prædicat Ecclesia, nos scilicet bibere sanguinem Christi, non tantum ore seu apprehensione Fidei, sed ipso ore corporis, quo quotidiè esculenta poculentaque ad reficiendas vires necessarias capessimus.

Primum non audent affirmare Calvinistæ, alterum confiteri renuunt. Si ergò aliquem rationi vel authoritati reliquere locum, audiant magnum Hilarium Galliarum clarissimum lumen, & columen Fidei firmissimum. Talis enim & tantus vir ait veram Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam non posse negari, nisi ab iis qui Christi divinitatem negare non erubescunt. *De veritate Corporis & Sanguinis Domini* (ait lib. 8. de Trinit.) *non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & Fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit. Annè hoc veritas non est? contingat illis planè verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant.* Hæc ille.

Bexa igitur fatetur sancti Lucæ contextum lectitari in versione Syriacâ, & in omnibus exemplaribus Græcis eodem planè modo, quo à nobis legitur: eum tamen temerè immutat & corrumpit, unâ duntaxat ratione perpulsus, quod scilicet illo ipso contextu apud S. Lucam, salvo & integro perseverante, evidenter realis sanguinis Christi in Calice præsentia, atque adeò ipsa quoque ejusdem Corporis Christi sub accidentibus panis præsentia astruatur.

Hæreticus.

Hæc corruptio Theodoro Bezæ ascripta non pertinet ad fundamentales articulos, ex quo præsertim Ecclesiæ reformatæ Lutheranos realem Christi præsentiam in Eucharistiâ professos, in suam sodalitatem & fraternitatem admisere in Synodo Carantoniâ ann. 1631. habitâ.

Sectio XXVII.

In quâ contendit Catholicus, realem Christi in Eucharistiâ præsentiam pertinere ad fundamentales Fidei articulos, & ostendit Scripturas ab Hæreticis fuisse falsatas, & depravatas, quod & Lutherus ingenuè confitetur, & id præsertim circà Eucharistiam.

Catholicus.

HUic tuæ objectioni responsurus tria dico.

1. Saltem in sententia Lotheranorum hunc articulum fundamentalem haberi oportere, eo quod antè Synodum illam, cujus mentionem facis, ipsi Lutherani societatem inire noluerunt cum Calvinistis, eo præsertim nomine, quod ab hujus mysterii Fide aberrarent.

2. Alibi refutavimus hanc distinctionem, ideò nulla hic ejus habenda est ratio.

3. Dato non concesso quod illa distinctio admittatur, contendo hunc articulum spectantem ad realem Christi præsentiam in Eucharistiâ esse fundamentalem (si ullus alius talis est) quod nemo vel parum oculatus inficiari potest.

Hæreticus.

Possuntnè proferri alia Scripturæ loca, de quorum depravatione jure ac merito, accusari valeamus?

Catholicus.

Respondeo in omni controversiâ inter vos & Catholicos circa Fidem obortâ, vos numquam adhibuisse arma, & vestrarum hæreseon præsidia præter Scripturæ loca quamplurima, quæ in vestram ipsorum perniciem depravastis, ut loquitur S. Petrus, ut nimirùm vestra commenta ab mendacii patre profecta, mendaciis dumtaxat & Scripturarum depravationibus propugnata, in omnium vel cæcorum oculos incurrerent, eaque omnes boni cane pejus & angue (ut vulgari jactatur adagio) detestarentur.

Quid quod in unâ quæ jamdiù agitur controversiâ, de reali Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiâ, depravastis (ut vestris in Bibliis legere est) usque ad viginti & septem Scripturæ loca, quæ omnia illam ipsam Corporis Christi præsentiam Sole meridiano clariùs probant, ità ut ipsa in eum sensum ab omnibus omnium retrò sæculorum Patribus, accepta esse & intellecta, vel vestrûm pertinacissimi negare nequeant.

Id liquidò demonstrare possem nisi, jam anteà à me quodammodò in hoc ipso colloquio factitatum esset, & uberius & validius præstitum esset ab plerisque doctoribus Catholicis, quibus doctissimi labores ad profligandas hæreses suscepti, perfectique æternam apud Deum & homines gloriam pepererunt

Ne ergo meus hic labor cadat in irritum, ut ad opus ab aliis cum laude consummatum aggrediar, satis habuero proferre unum Lutheri locum, ex quo sacrorum Bibliorum corruptela & depravatio ab hæreticis admissa pelluceat.

In 7. Tom. Operum Lutheri visitur Liber, qui inscribitur: Defensio verborum Cœnæ: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum: Contra phanaticos Sacramentariorum spiritus. In eo Libro exagitat mirum in modum corruptores, qui præfata verba Christi Eucharistiam instituentis in alienam sensum non solum detorserunt, sed etiam mutilarunt. *Doctor,* inquit, *Carlstadius ex his sacro-sanctis vocabulis, Hoc est Corpus meum miserè distorquet pronomen (Hoc: Zuinglius autem verbum substantivum (est) macerat, Oecolampadius nomen (corpus) tortura subjicit: alii totum textum excarnificant & invertunt vocabulum (Hoc) ex primo in postremum locum deturbantes, & dicunt, accipite, comedite, corpus meum, quod pro vobis datur, est hoc: alii dimidiam partem textus crucifigunt, & vocem (Hoc) in medium locum collocant, & inquiunt, accipite, comedite quod pro vobis datur, Hoc est Corpus meum: Alii textum sic obtruncant, Hoc est Corpus meum ad mei commemorationem: Hoc est Corpus meum hic non debet adesse reipsâ, sed tantum commemoratio mei corporis, ut textus ita sonet; Accipite, comedite, hoc est corporis mei commemoratio, quod pro vobis datur. Præter hos alii accedunt ut septenarius numerus compleatur, qui dicunt non esse Articulos fidei, ideoque non esse de his contendendum, liberum enim cuique esse, ut hic sentiat, quidquid velit, hi pedibus omnia conculcant & destruunt. Verumtamen Spiritus sanctus est in his singulis, & nullus vult erroris argui in his tam diversis & contrariis probationibus & textus ordinationibus, cum tamen unam tantùm textus collocationem, veram esse oporteat. Addo crassè & manifestè diabolus nos naso suspendit.*

Hactenùs Lutherus qui tametsi sit hæreticus pariter & hæresiarcha indignatur tamen aliorum sui similium sacrilegam temeritatem, quæ eò impudentiæ progreditur, ut in sacras Litteras mutilandas, adulterandasque grassari audeat.

Quid quod eò improbitatis & malitiæ vestri primiceri processere, ut adulterarent plura scripturæ loca ad labefactandas traditiones non scriptas, quas utpotè ab Apostolis ad nostra usque tempora transmissas, & pari cum sacrâ Scripturâ ad stabiliendam fidem authoritate præditas Ecclesia Catholica, ab omni ævo religiosissimè coluit & retinuit.

Vos autem transfugæ & desertores hujusmodi traditiones sacris Litteris indictas, & commendatas exauthorastis, quantum in vobis fuit, corrumpendo scilicet varia scripturæ loca, quibus efficacissimè comprobantur.

Nonnè enim evidentissimè eas traditiones probat Apostolus 1. Cor. cap. 11. v. 1. & 2. Cum ait, *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis.* Hunc locum sic vertit Beza, sicut tradidi traditiones, & traductoribus suam ipsorum patefacit vel ignorantiam, vel malitiam, cum traditionum nomen hoc loco tam luculenter expressum fugiunt, & reticent.

Reverà Calvinus suis in Bibliis & commentariis in hunc locum excusis apud Stephanum Anastasium ann. 1560. vertit sic, præcepta mea tenetis.

Sic & Genevensia Biblia communiter & præsertim quæ sunt edita ann. 1588. vertunt, quod edicta mea teneos.

Sic hunc locum & alia Scripturarum testimonia sacrarum auctoritate traditionum astruentia adulterinâ interpretatione aliò detorquent Calvinus & ejus discipulus Theodorus Beza, cujus hæc sunt verba in eum Apostoli locum: *qui verò,* inquit, *ex hoc nituntur quævis portenta in Ecclesiâ retinere, vix digni sunt quibus respondeatur. Cui enim persuaserint vel istas traditiones fuisse doctrinæ partem, vel (etiamsi ita est) in traditionum Apostolicarum numero istas partim pueriles, partim Apostolorum scriptis ex diametro repugnantes, partim prorsùs tyrannicas leges censeri oportere? Denique si Apostolicæ traditiones sine exceptione servandæ erant, cur tam multas isti aboleverunt? Traditionum autem nomine hic intelligi, non quæ ad dogmata sed quæ ad œconomiam attinent ipsi doctrinæ & professioni Christianæ consentaneam, & in domo Dei omni cautione observandam; hæc ipsa de quibus ait Apostolus manifestè ostendunt.* Hæc ille.

Hoc in loco multa sunt falsissima, & suam falsitatem primo aspectu prodentia, & imprimis id quo contendit Apostolum eo ipso, quem interpretatur loco traditionum nomine intellexisse dumtaxat ea quæ ad εὐταξίαν, id est ordinis in rebus agendis conser-

vationem, non autem ea quæ ad fidem pertinerent. Quod falsissimum esse mox videbimus.

SECTIO XXVIII.

In quâ vir Catholicus demonstrat heterodoxos corrupisse, & depravasse Scripturæ loca, quibus utraque traditio tam scripta scilicet, quàm non scripta, sic tanquam ad orthodoxam fidem pertinens ineluctabiliter astruitur.

Secunda depravatio alterius loci traditiones probantis.

EASDEM traditiones non scriptas probat Apostolus 2. Thessal. c. 2. v. 14. aut 15. *Itaque*, inquit, *fratres state, & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sivè per Epistolam nostram.*

Ex his Apostoli verbis liquido colliguntur, & statuuntur duo traditionum genera, quarum aliæ vivæ vocis oraculo, aliæ verò per Epistolam ad Ecclesias ab Apostolis inscriptas tradebantur. Hoc tamen ferre nequeunt Genevenses, utpotè qui suis in Bibliis apud Franciscum Perrin ann. 1564. usque ad ann. 1610. apud Joannem Vignon excusis, hunc locum bifariàm corruperunt, sic enim verterunt in vernaculam linguam: *Parquoy, Freres, demeurez fermes, & retenez les enseignemens, qu'avez appris, soit par nôtre parole, ou par nôtre Epître.*

Quæ versio duplici corruptione labefactat eum Apostoli locum.

1. Quod vocabulum Græcum τὰς παραδόσεις explicet per documenta, quod nemo Græcè sciens facere, ausit vel velit. Nam Lexicographi passim hoc vocabulum παράδοσις volunt significare deditionem, traditionem, hoc est, ut explicant ipsi, doctrinam quæ ore traditur. Siquidem παραδίδωμι inter alios significatus habet hunc, quod significet per successionem seu per manus posteris trado, ut legere est apud Platon. lib 2. de Republ. & apud Aristotelem 4. Physic. ubi παραδεδομένον à majoribus traditum significat.

2. Eumdem locum corrupere cum pro (sivè.) supposuere disjunctivam (vel.)

Has observationes & corruptelas de industria in hunc Apostoli locum inseruere: Sciunt enim hoc nomen παράδοσιν significare traditionem. Unde cum nihil eorum intersit, & eum se per traditionis nomen omissum ab Catholicis carpi & reprehendi posse animadverterunt, illud alibi adhibuere. Ut Col. c. 2. v. 2. κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων verterunt, *selon la tradition des hommes.* Et Matth. cap. 15. v. 2. διὰ τί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων Sic vertunt: *Pourquoi vos Disciples outre passent-ils les traditions des Anciens?* & v. 3. διὰ τί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν, ita vertunt: *Et vous, pourquoy outre-passez-vous le Commandement de Dieu par vôtre tradition?*

Per hujusmodi versiones Calvinistæ Catholicos in invidiam adducere voluerunt, perinde ac si plus humanis traditionibus, quam Dei verbo tribuerent. Quâ in re tantus eos stupor oppressit, ut verbum Dei ab humanis traditionibus secernere nequeant. Næ in omni controversiâ inter nos & ipsos circa fidem excitatâ, intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Nam verbum ita intra Scripturæ (cujus libros, prout placet admittunt, aut rejiciunt) limites includunt, ut quicquid in iis scriptum non legitur, illis apocryphum & repudiandum utpotè ex merâ hominum inventione & vertigine profectum, & humanæ dumtaxat traditionis nomine appellandum esse videatur.

Quod sanè falsissimum est. Nam quæro ab ipsis utrum omnia, quæ sunt utriusque testamenti libris comprehensa, sint articuli fidei, necne?

Cum responderint reverà omnia, quæ sunt utriusque testamenti litteris consignata, sive sint dogmata, sivè facta divinitùs revelata (qualia sunt omnia, quæ in utroque testamento commemorantur) esse reverà fidei articulos. Quæram ab ipsis an hujusmodi dogmata essent articuli fidei, seu pertinerent ad fidem Catholicam, antequam ab scriptoribus Canonicis dictante Spiritu sancto conscriberentur? Si dicant non fuisse articulos fidei, tunc sic contra illos disputo. Vel erant hujusmodi articuli divinitùs revelati, vel non. Si non erant divinitùs revelati, & tamen ab Apostolis prædicati, & tam fidelibus quàm infidelibus ad credendum propositi; reverà Apostoli, qui se divinitùs missos esse dicebant & probabant signis & miraculis, erant (quod absit) seductores, quippè qui pro divinis mysteriis commenta è suo cerebro nata populis annuntiarent. Neque enim divina mysteria sine peculiari Dei revelatione cognoscere, & omnibus gentibus prædicare potuerunt.

Si dicant Calvinistæ ejusmodi articulos fuisse divinitùs revelatos, antequam sacris litteris mandarentur, concludo adversus omnes heterodoxos articulos fidei per traditionem non scriptam fuisse ab Apostolis prædicatos, & gentibus ad credendum propositos, ergo nihil prohibet quominùs traditio, non expressa sacris voluminibus, articulum fidei constituat.

Quàm inique igitur comparatum est, ut Calvinistæ Catholicis succenseant, eo quòd multa tam ad fidem quam ad disciplinam, & bonos mores pertinentia in scripturâ quidem non expressa, sed ab Apostolis continuatâ succedentium invicem Episcoporum serie transmissa, sibique ab Ecclesia, erroris nesciâ, eo nomine proposita pari ad religionem reverentiâ amplectantur & retineant.

Fremant igitur licet ac disrumpantur hæretici, scriptura non facit articulos fidei, licet eos contineat, sed sola revelatio divina, cum evidentiâ in attestante, facit hujusmodi articulos, quos omnes & singuli, quibus annuntiati fuerint sub æternæ damnationis interminatione credere teneantur: Cum igitur revelatio divina sine scripturis cognosci, & patefieri possit (ut in utroque testamento cognita est & patefacta) haud dubiè articuli fidei sine scripturis consistere & homines ad credendum obligare potuerunt.

Quod autem Ecclesia, sine scripturis Canonicis substiterit in utroque testamento clarius, & certius est quam ut pluribus probari debeat.

1. Enim ab Adamo ad Moysen usque, duo annorum millia intercurrerunt, toto illo tot annorum curriculo nulla extitit scriptura, & tamen Deus suam habebat & regebat Ecclesiam.

2. Ab Moyse usque ad Christum, duo pariter annorum millia saltem effluxere, toto illo intervallo Judæi præcipuè legebant Pentateuchum, seu quinque Moysi libros, quorum usu & lectione carebant alii fideles in varia loca dispersi, ut testatur S. Augustinus lib. 2. de peccat. origin. cap. 24. & lib. 1. de prædestin. Sanct. cap. 9. Hujusmodi tamen homines credebant in Christum venturum, & debitum Deo opt. max. cultum exhibebant. Sine scripturâ ergo possunt homines credere & observare omnia ad salutem necessaria, quæ illis traditionis non scriptæ ministerio, annuntiantur.

Ita segessit Deus erga hujusmodi homines, & eos potiùs per traditionem vivâ voce traditam, quam per Scripturam tam credenda, quàm agenda docuit. Posteà scripturam ab hominibus in hunc finem electis, & præordinatis à Deo dictante Spiritu sancto exarata prodiit: Et paulatim & diversis temporibus, quibus authores Canonici scripsere, fidelibus communicata est.

Quamvis igitur Libri Canonici non pervenissent ad nos, sicut S. Irenæi temporibus, id est centesimo & quinquagesimo ab ortu Salvatoris anno, nondum in plures Christiani orbis oras perlati fuerant, non propterea Christiani esse desineremus, quippe qui adhæresceremus ad traditionem Apostolicam, quæ nobis

omnia

omnia tam fidei, quàm disciplinæ, morumque præsidia documentaque suppeditaret.

Hoc egregiè docet idem S. Irenæus adv. hæreses Lib. 3. cap. 4. in quo docet quatuor in nostram rem apprimè convenientia. Cum enim dixisset non esse quærendam veritatem apud Gnosticos, & alios ejusdem farinæ homines, sed sumendam ab solâ Ecclesiâ Catholicâ traditionis Apostolicæ conservatrice religiosissimâ, id effatum probat.

1. Ex eo quod emergentibus novis circa fidem difficultatibus, semper ad antiquiores Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, recurrere oporteat, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & liquidum est.

2. Ait, quod si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias.

3. Affirmat multas per orbem gentes vivâ solùm voce traditam sibi Catholicam fidem, constantissimè tenere.

4. Asserit Spiritum sanctum sine chartâ, & atramento fidelium animis veram fidem & pietatem inscribere & infigere.

Ex his patet Deum non suspendisse nostram fidem & salutem ex sacris dumtaxat litteris, cum & fides per solam traditionem vivâ voce annuntiatam haberi possit, & retineri, atque adeò sine scripturâ salus valeat procurari.

Quid quod multa Evangeliorum effata, tam ad fidem, quam ad disciplinam, & bonos mores, pertinentia longè antequam mandarentur Litteris, eamdem omnino cum scriptis fidei articulis, vim & authoritatem in Ecclesiâ obtinuerunt.

Quis enim neget Nativitatem S. Joannis Baptistæ ab Angelo prænuntiatam? quis etiam neget Incarnationem Verbi divini Virgini ab Angelo Gabriele annuntiatam? quis denique inficiari ausit alia Verbi incarnati mysteria ut puta ejus Natalitia, Circumcisionem, sudorem sanguineum, & alia id genus sivè dicta sivè facta, inter articulos fidei fuisse numerata, & eo nomine credita antequam ea sacris litteris consignaret S. Lucas Evangelista, qui suum dumtaxat Evangelium conscripsit quinquagesimo sexto ab ortu Redemptoris anno, id est viginti tribus annis ex quo ille ipse Redemptor ascendit in cœlum.

Quod autem ista antequam mandarentur litteris, unâ dumtaxat traditione non scriptâ, crederentur, declarat ipse S. Lucas statim in ipso sui Evangelii exordio in hæc verba: *Quoniam quidem*, inquit, *multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.*

Ex hoc loco sic ratiocinari licet: S. Lucas indicat se velle narrare res sibi ab iis traditas, qui eas viderant, & ministri fuerant sermonis: ergo disertè profitetur se ab hujusmodi hominibus per traditionem non scriptam, accepisse dogmata, & effata ad fidem, & ad vitam rectè instituendam pertinentia, atque adeò ad æternam salutem omninò necessaria. Neque enim alia ministri sermonis Apostoli nimirùm, & Apostolici viri ab Apostolis missi præter ista gentibus in Christum Jesum credituris annuntiarunt, aut annuntiare potuerunt.

Quod patet etiam ex hisce verbis ad Optimum Theophilum directis; *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.* S. Lucas scribendo decreverat docere Theophilum mysteria Religionis & Fidei Christianæ, quæ jam ipse Theophilus ab aliis edoctus fuerat, per vivam scilicet vocem, & traditionem non scriptam. Ergo per hujusmodi traditionem fidei dogmata & tradi & accipi possunt, ut reipsa ab Apostolis, & Apostolicis viris primis fidelibus tradita sunt, & ab ipsis credita, ceu mysteria Apostolis & Prophetis divinitùs revelata, ut ea postmodùm veluti fœcundissima omnium virtutum, atque adeò salutis æternæ semina per totum terrarum orbem longè lateque spargerent.

Ergo non tantum scriptura, sed etiam traditio non scripta comprehendit, & docet fidei articulos.

Quod profectò luculentiùs probatur ex S. Joannis, id est Discipuli quem diligebat Jesus, Evangelio conscripto anno dumtaxat Redemptoris nonagesimo sexto, id est sexaginta & quinque annis, ex quo ipse Redemptor passus est & resurrexit. Nam antequam Apostoli & imprimis S. Joannes qui postremus omnium Evangelium suum litteris consignavit, scripto declarassent Jesum Christum esse verum Dei Filium, ejus divinitas omnibus fidelibus vivâ voce, seu traditione non scriptâ annuntiata erat. Nam tota Christianæ Catholicæque fidei summa in hoc potissimùm vertitur & insistit, ut credamus in nomine unigeniti Filii Dei, qui non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, quem misit Pater in similitudinem carnis peccati, qui factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Cum hæc omnia ante scripturam vivâ voce in Ecclesiis traderentur, & passim ab fidelibus crederentur, eorum omnium fides in unam dumtaxat traditionem non scriptam, non autem in scripturam, quæ nondum extabat, refundatur necesse est.

Ergo immeritò carpitur ab Hæreticis Ecclesia Catholica eo nomine quod non solùm suæ fidei capita ex scripturis Canonicis hauriat, verum etiam ex traditione non scriptâ (quam ab Apostolis acceptam & ad nostra usque tempora transmissam colit, & amplectitur quantâ maximâ Religione) repetat, singularique studio custodiat. Cum hujusmodi traditionem (antequam sacri Codices ederentur) omnes Christiani Catholici, ceu Apostolicam & certam suæ fidei regulam religiosissimè coluerint. Quid mirum vel quid reprehendendum in Ecclesiâ Dei, si jam illam ipsam Catholicæ, fidei regulam retineat respectu quorumdam fidei articulorum, quos Spiritus sanctus voluit equidem credi inter fideles, sed sacris litteris mandari noluit, vel ad exercendam Catholicorum fidem, vel probandam (quam legitimis debebant Pastoribus) reverentiam, quâ tenentur ex eorum ore percipere verba vitæ juxta effatum illud Propheticum Malach. c. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.*

Et hanc regulam tradidit Spiritus sanctus, ut & articulos fidei, quos per sacros codices vulgari noluerat, ipsius Ecclesiæ vivâ voce discerent, & intereà legitimum sacræ scripturæ sensum non ab obvio quolibet, sed ab ipsamet Ecclesiâ erroris nesciâ, & traditionum scriptarum pariter & non scriptarum custode integerrimâ fidelissimâque acciperent.

Quam regulam cum abjecerint transfugæ & desertores Hæretici ab Evangelio desciverunt: ita ut in eos bellè conveniant ista Apostoli verba: *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum: in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* 2. Cor. c. 4. v. 4.

Cum Catholici Calvinum audiunt tanto ardore, imò furore debacchantem in Sanctum Augustinum, quem alibi se sæpiùs ut optimum ex omni antiquitate testem, citare ait, cujus etiam se authoritate suis in placitis fretum gloriatur; quid de præcipiti ejus vertigine sentire possunt aut debent? nonnè continuò judicant talem hominem versari, & circumagi, & in tot errorum & hæreseon, & injuriarum portenta ab instigante diabolo impelli?

Quod facilè persuaderi potest. Si enim Lutherus Tom. 7. suorum operum fol. 228. commemorat sibi semel sub mediam noctem de repente expergefacto, astitisse Satanam & adversus ipsum disputasse contra Missas privatas, ut res abominabiles, & ita eum de hujusmodi Missarum execratione convicisse, ut eas aboleverit, ut legere est apud Hospinianum protestantem par. 2. Hist. Sacram, fol. 131. Quidni idipsum de Calvino in orationes & sacrificia pro mortuis offerri solita, & alia fidei Catholicæ capita acerbius multo, sentire & asserere liceat? Cum enim Deus judicio occulto, sed justo, hæresiarchas propter eorum superbiam, quæ mater est omnium hæreticorum, ut loquitur S. Augustinus, tradidit in reprobum sensum, haud dubiè spiritus mendax invadit in eorum animas, & insidet in ore omnium ejusmodi Pseudoprophetarum: *Ita ut Deus mittat illis, qui charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* 2. Thessal. cap. 2. v. 10. & 11.

Nihil igitur Calvinum deblaterantem moramur, quippè qui sanctæ Ecclesiæ Dei, orationem pro mortuis, & alia orthodoxæ fidei dogmata sibi ab Apostolis tradita credenti prædicantique, constantes adhærescimus. De sacrificio hîc silemus, ejus quippè tractationem suum in locum rejicimus. Firma igitur & inconcussa maneat doctrina de Purgatorio & sacrificiis in mortuorum subsidia conferri & offerri solitis. Si hæretici dicant hanc traditionem quæstuariam esse, ut eam adducant in odium, nos contendimus esse Apostolicam.

Quod si nonnulli Sacerdotes mercenarii, & avaritiâ conflagrati suo ministerio abutantur ad quæstum, non propterea culpanda est Ecclesia Dei, nec magis vituperanda, quam Christus Jesus, qui proditorem Judam incredibili patientiâ toleravit. Sed ad propositum, quæso, revertamur.

Hactenùs ostendi vos non habere Scripturas divinitùs inspiratas, cum enim ut præmisimus, hujusmodi scripturæ tria requirant, nempè legitimum Canonem, litteram, seu legitimam, sivè Canonicam versionem & postremò veram interpretationem. Hactenùs demonstravi vos legitimum scripturarum Canonem non habere, nec legitimam versionem, superest ut ostendam vos verâ Scripturarum interpretatione esse omninò destitutos.

SECTIO XXX.

In quâ Catholicus tres affert differentias, quibus Catholici ab heterodoxis in scripturarum explicatione discrepant, quarum prima est, quod hæretici dicant scripturam esse intellectu facilem, & ab omnibus posse nullo negotio explicari. Ex adverso Catholici aiunt multa multis in locis intellectu difficilia, & idò non à quolibet, sed à viris divinitus ad eorum interpretationem destinatis esse repetendam: secunda, quod Catholici scripturarum sensum per traditionem accipiant, non autem heterodoxi. Tertia quod iidem heterodoxi per peculiarem spiritum scripturarum arcana pervadant, non autem Catholici.

Hæreticus.

CERTE in te quadrat optimè illud Satyrici Vatis: quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? Tu mira polliceris, quæ quia communem superant fidem, præstare nullo pacto poteris.

Catholicus.

Catholicæ fidei sinceritas & simplicitas non patiuntur nos uti verbis thrasonicis & ampullatis. Hoc enim relinquimus viris quibus cum nulla pejoris causæ (ut vellent) propugnandæ, præsidia suppetant ad injurias, vel ad verba jactantiam undique redolentia perfugiunt. Sed hisce prætermissis ostendo perspicuè vos nec unquam assecutos, nec unquam assequi potuisse, etiamnum nec etiamnum assequi posse verum scripturæ sensum, & id probo triplici ratione seu triplici differentiâ, qua secernuntur Catholici ab heterodoxos in scripturarum interpretatione.

Prima petitur ex eo, quod Catholici persuasum habent scripturam divinitùs inspiratam esse intellectu difficilem, & ideò ejus intelligentiam accipiendam ab iis, quos Deus ejus interpretationi pares & idoneos reddidit: vos verò eamdem scripturam clarissimam, & intellectu facillimam existimatis, ideoque ejus lectionem & interpretationem cuilibet passim permittitis.

Secunda differentia, quâ hac in materiâ, sicut & in aliis Catholici ab hæreticis discrepant, in eo posita est, quod Catholici adhærescant ad traditionem non scriptam, pari cum verbo Dei scripto authoritate pollentem, & eam venerentur veluti sacrum canalem per quem ab Apostolorum ævo ad nostra hæc tempora Christianis Catholicis omnia orthodoxa fidei dogmata utroque Dei verbo scripto scilicet, & non scripto comprehensa castè & integrè transfusa sunt.

Vos verò heterodoxi abjectâ & explosa traditione (quæ tamen scripturarum authoritate nititur, ut paulò antè vidimus) nihil habetis antiquius, quam ut sacras Litteras per ministrales consequentias ex iis perperàm illatas in aliena, sensa vestro prolubio detorqueatis.

Tertia denique differentia, quæ inter Catholicos & heterodoxos in omnibus controversiis intercedit, petitur ex eo, quod unusquisque vestrûm se constituat judicem scripturarum, & eas interpretetur, & optimè interpretari credat per internam, imò infernam persuasionem, quam vestri primicerii Spiritui sancto ascribere non horruerunt: Catholici autem Ecclesiam Dei quam omnes (nisi publicani & ethnici haberi velint) audire tenentur, audiunt, velut interpretem Scripturarum, velut disceptatricem, & judicem omnium controversiarum, veluti denique veritatis columnam & firmamentum, ab eujus oraculis & doctrinis, vel minimùm discedere perhorrescunt.

Hæ tres differentiæ germanum scripturæ sensum Catholicis asserunt, hæreticis abrogant. Tametsi enim dicant cum Luthero in præfat. assertionis articulorum ab Leone Pontifice damnatorum, scripturam esse per se certissimam, facillimam, apertissimam, suiipsius interpretem, omnium omnia probantem, judicantem, & illuminantem, & id profiteantur passim: Nos tamen Catholici semper auscultabimus S. Petrum aientem scripturam esse obscuram & ejus explicationem ex privato ingenio non esse repetendam: *Et habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: Hoc primùm intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: Sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* 2. Petri cap. 1. v. 19. 20. & 21.

Audiemus, inquam, eumdem Apostolum affirmantem in omnibus sancti Pauli Epistolis esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem*, 2. Petri cap. 3. v. 16.

Contextus Græcus habet verbum στρεβλοῦσι quod primigenio ſignificatu idem ſonat, quod torqueo, ſeu tormento diſtraho, metaphora ſcilicet ductâ ab reis, qui cum de ſuis ſceleribus confiteri nolunt, tormentis & equuleo applicantur: Quemadmodum enim torquentur & diſtrahuntur reorum membra, ut ex eorum ore perpetratorum ſcelerum confeſſio extorqueatur: ita & Hæretici torquent ſcripturas, & ſic tanquam tormentis admovent, & diſtrahunt, donec ex iis aliquid eliciant, quod eorum commentis quodammodo ſuffragari videatur.

Quo pacto Heterodoxi torqueant ſcripturas, videre eſt in præſenti controverſiâ de reali Corporis Chriſti præſentiâ in Euchariſtiæ Sacramento, cum enim premuntur circa explicationem horum verborum: hoc eſt Corpus meum, miris torquentur modis, & quo ſe vertant, neſciunt: Nam alii dicunt,

Tota hæc actio meum eſt Corpus,

Alii, hic eſt Corpus meum,

Alii, hoc ſignificat Corpus meum,

Alii, hoc eſt figura Corporis mei.

Alii, hoc eſt Corpus meum ſpiritualiter & per fidem.

Alii, hoc eſt Corpus meum in receptione ſpirituali,

Hic ſileri patior de 84. Interpretationibus, quas obſervavit & numerando percenſuit Claudius de Saintes Ebroicenſis Epiſcopus in doctiſſimo de Euchariſtiâ Libro. Juvat nimirum intueri Calvinum ad inextricabiles angoſtias adactum, cum ad proferendam hujuſmodi verborum intelligentiam adigitur.

Id perſpicuè animadvertere licet lib 4. inſtitut. c. 17. in quo ex profeſſo tractat de ſacrâ Chriſti cœnâ. Nam

Modò hæc verba: hoc eſt Corpus meum: ait in hanc ſententiam eſſe reſolvenda, hoc eſt inſtrumentum, per quod Chriſtus nobis ſuum Corpus diſtribuit.

Modò ſic explicat eadem ipſa verba, hoc eſt Corpus meum, hoc eſt, ubi eſt Panis, ibi eſt Corpus meum.

Modò ait illa idem ſonare ac iſta: hoc eſt ſymbolum, per quod vera mei Corporis Communio fidelibus impertitur.

Modò ſic interpretatur, hic eſt canalis Corporis mei.

Modò ait, hoc eſt Corpus meum ab meâ divinitate, & ſanguine ſejunctum.

Modò ait ſic præfata verba eſſe intelligenda, ut dicatur, hæc eſt meæ Paſſionis & immolationis communicatio Hæc & ſimilia colliguntur ex citato cap. 17. Inſtitut.

Alibi aliter explicat in l. de Cœnâ & ſic interpretatur eadem verba, hæc eſt mea virtus & gratia ſpiritualis, vel hoc eſt ſymbolum, & teſtificatio quæ ſpirituales gratias adumbrat.

Et in Catechiſmo, hoc eſt obſignatio & confirmatio perceptæ gratiæ.

Et contra Heſſuſium, hoc eſt canalis Spiritus ſancti, per quem quicquid eſt Chriſti, ad nos allabitur.

Tot in partes rapitur hic Hæreſiarcha, imò in excogitandis fallaciis & præſtigiis.

Se more furentis

Verſat apri, quem turba Canum circum ſona terret.

Tam multa dicit, ut nihil dicat: & probet in ſe convenire quod jamdudum Hæreticis ſolemne & proprium eſſe aſſeruit Tertullianus, ut ſcilicet ſcripturarum interpretationem mutuarentur à Diabolo. *Nec periclitor*, inquit, *dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, ut Hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam, oportet hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſunt. Sequetur à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreſes faciant? A Diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum myſteriis æmulatur. Tingit utique quoſdam utique credentes & fideles ſuos.* Hæc ille de præſcript. cap. 39 qui & cap. 41. ejuſdem Libri carpit Hæreticos quod eorum mulieres volutarent ſacros codices, & docerent: *Ipſæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces! quæ audeant docere, contendere.* Hæreticorum noſtratium mulierculæ & hoc impudenter factitant.

Talis igitur ac tanta eſt Hæreticorum cæcitas ut ad Imagines phantaſmatum ſuorum, (cum quibus voluptati carnalis anima delectatur,) convertant omnia Sacramenta, & verba Librorum ſanctorum, ut loquitur S. Auguſt. lib. 3. de Bapt. cont. Donat. cap. 19.

Omnium eorum cæcitas exitit, ex pervicaci ſuperbiâ, quâ ſacros Codices intellectu difficillimos ſeſe poſſe ſuo ingenio interpretari poſſe & debere, ita ut ſacras Litteras per ipſaſmet ſine ullo alterius (qualiſcumque eſſe potuerit) interpretis adminiculo interpretarentur & explanarent; quod nuſquam veri Catholici factitare, imò nec tentare voluerunt.

Hæreticus.

Quidni ſcripturam per ipſam ſcripturam explanare liceat? dicam amplius ſcriptura ipſa ſine illamet ipsâ explicari non poteſt: ſicut Sol ſine ipſo Sole videri non poteſt.

Catholicus.

Iſta comparatio illuſtris ſanè eſt, utpotè ab ſole omnium luminum, ſyderumque principatum obtinente reperita, ſed nullo pacto tibi ſuffragatura. Nam verum eſt ſolem nonniſi ſuo duntaxat ipſius lumine perſpici & agnoſci, neque poſſe noſtros in oculos incurrere, quin illum videamus. Hæc enim ipſi proprietas innata eſt, ut ſit luminoſus & aſpectabilis, ſed aliter de ſcripturâ philoſophandum eſt, ſiquidem non eſt ſuaptè naturâ evidens & perſpicua, neque omni paſſim intellectui manifeſta. Id habet quidem, ut ex ſe erudiat, & remotâ omni erroris, falſitatiſque nebulâ cum omnimodâ certitudine doceat, ita tamen ut ejus intelligentia non ex propriâ ipſius perſpicuitate, ſed ex Spiritus ſancti in Eccleſiâ reſidentis penetratione pendeat.

Præcipuè ſcripturæ finis in eo poſitus eſt, ut nos orthodoxæ Fidei Myſteria doceat. Fides autem in eo diſcrepat à ſcientiâ, quod ſcientia majorem perſpicuitatem, & minorem quam fides certitudinem habeat, fides autem ſcientiam, non perſpicuitate, ſed certitudine antecellat, atque adeò nemini mirum videri debet, ſi ſcriptura non ſit evidens, & manifeſta; cùm ea quæ pertractat, & ad quorum notitiam nos provehere contendit, cum obſcuritate ſint conjuncta. Prætereà ſi ſcriptura ob proprium ſplendorem cognoſci & quoad intelligentiam introſpici poſſet, quemadmodum ſol ſuo ipſius lumine cernitur & diſcernitur, ipſa proculdubiò non ſolum ab electis divino ſpiritu præditis, ſed ab omnibus promiſcuè hominibus agnoſceretur & intelligeretur.

Quod quidem nemo Heterodoxus conceſſerit. Si dicant adverſarii ſolis electis hanc impertiri gratiam, ut per ſe intelligant ſcripturas hoc eſt falſiſſimum. Non enim inficiari poſſunt, quin David Propheta maximus & ſanctiſſimus & ob mirabilem, quam egit pœnitentiam toti terrarum orbi notiſſimus ad prædeſtinatorum numerum pertineret, & tamen ſcripturarum intelligentiam ardentiſſimis precibus ab ipſo Deo flagitabat; non igitur habebat; quid enim ſtultius, ait S. Auguſtinus, quam orare & petere, quod jam habeas. Quod illam ſcripturarum intelligentiam popoſcerit à Deo, patet imprimis ex Pſalm. 118. in quo ſæpiſſimè id teſtatur: *Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tuâ: Incola ego ſum in terrâ, non abſcondas à me mandata tua. Doce me juſtificationes tuas.* Cætera loca in quibus aliis verbis idipſum petit, prolixitatis vitandæ gratiâ prætereo.

Præterea vir Æthiops Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus proculdubiò ex Electorum numero erat, & tamen rogatus à Philippo utrum intelligeret, eum quem legebat Isaiæ locum, respondit, *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Quæ verba declarant eum Isaiæ locum fundamentalem, & ad salutem necessarium, utpotè de Christi Passione pertractantem hujusmodi Eunuchum non intellexisse, nec intellecturum fuisse, nisi Philippus divino jussu imperatus, sese ad ipsum contulisset, & Isaiam Prophetam de Christo crucifixo interpretatus esset. Id totum legere est Act. cap. 8.

Perperàm ergo contendunt Heterodoxi scripturam esse apprimè perspicuam, & per ipsammet sine ullo interpretum adminiculo posse intelligi, & explicari. Suam ut doctrinam fulcirent aliquo scripturæ testimonio corruperunt ejusdem scripturæ locum petitum ex Lib. 2. Esdræ cap. 8. v. 8. Cum enim legamus ibi, & legerunt in Libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur.

Genevenses in Bibliis editis an. 1588. & 1610. ab Joanne Vignon excusis, ita verterunt: *Et lisoient au Livre de la Loy de Dieu, l'exposant, & en donnoient l'intelligence, la faisant entendre par l'Ecriture mesme.* Quæ corruptio est manifestissima, & impudentissima. Nam in eod. cap. v. 9. Nehemias & Esdras sacerdos & scriba & Levitæ dicuntur interpretantes universo Populo. Et ejusdem capitis v. 12. dicitur Populus abiisse ut faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba quæ docuerant eos. Et ejusdem cap. v. 13. dicuntur congregati principes familiarum universi Populi, sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis.

Ex quibus locis patet Esdram non explicasse scripturam per scripturam, sed eam interpretatum esse veluti Doctorem & Magistrum in scripturis evolvendis & explanandis exercitatissimum.

Nemo ergo sibi tantùm sumat ut suo ingenio scripturas interpreteretur, si enim nemo potest dicere Dominus Jesus sine Spiritu Sancto, multò minùs scripturas Dominum Jesum divina facientem, & humana patientem passim elocutas, sine illo ipso interpretari poterit. Et hoc insigniter præstant Catholici: siquidem adhærent non solum scriptæ traditioni, quæ sacris continetur Litteris, verum etiam non scriptæ, per quam Spiritus sanctus multa sacris in Codicibus non expressa revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit. Postremam hanc traditionem non minoris momenti quam priorem Catholica fides astruit: Et sine illâ neminem verum scripturæ sensum assequi posse, Ecclesia in Spiritu sancto congregata sæpenumerò declaravit.

Traditionis necessitatem admittunt & probant S. Patres, & imprimis S. Irenæus, Tertullianus, S. Augustinus, quorum verba supra retulimus. Toti antiquitati consonat Vincentius Lirinensis qui cap. 1. Commonitor. 1. affirmat se ab plurimis sanctitate & doctrinâ præstantibus viris poposcisse, quonam modo certâ viâ Catholicæ fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falsitate discernere valeret; hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retulisse. *Quod*, inquit, *sive ego, sive quis alius vellet exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sanâ sanus & integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet, primo scilicet divinæ legis authoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Hæc ille.

Ille ipse Author ejusd. Commonit. 1. cap. 2. reddit rationem ob quam scripturæ, quæ est traditio scripta, traditionem non scriptam adjungi oporteat.

His forsitan, inquit, *requirat aliquis, cum sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat; quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur authoritas*, quia, inquit, *scripturam sacram pro ipsâ suâ altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter, alius atque alius interpretantur, ut penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, &c. Atque idcircò multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc ille.

Hujus regulæ Catholici quique retinentissimi, cum ventum est ad scripturarum interpretationem, semper has Tertulliani voces cuilibet earum explicationi & discussioni præmiserunt: *nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerant: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de Cælis aliter evangelizaret, Anathema diceretur à nobis.*

Hactenùs Tertullianus lib. de præscript. cap. 6. Si talis ac tantus vir stetisset in iis effatis, quæ nobis ad debellandas hæreses mirabili genio studioque suppeditavit, æternam proculdubiò in Cælis pariter & in terris gloriam esset consecutus. Sed quia suo nimiùm confisus ingenio, nescio cujus paracleti præstigiis illusus, & effascinatus est, utrâque carere creditur.

Sicut igitur Catholici scripturarum interpretationem ad traditionis non scriptæ regulam & amussim exigunt, & salvantur; Ita Hæretici illam ipsam scripturarum interpretationem ad suæ mentis vertiginem admetiuntur, & pereunt. Et hac in parte ab Catholicis discrepant Hæretici, ut rectè asserit ibidem idem Tertullianus, cit. lib. cap. 17. *Hæresis*, inquit, *non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: etsi aliquatenùs integras præstat, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus, variæ præsumptiones. Necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt, quid promovebis exercitatissime scripturarum, cum. si quid defenderis negetur: Ex diverso si quid negaveris defendatur. Et tu nihil perdes nisi vocem in contentione: nihil consequeris nisi bilem de blasphematione.* Hæc ille.

Hæreticus.

Facile est nobis falsationem, & adulterinam scripturarum interpretationem imponere, sed quid prohibebit, quominus eadem quæ nobis objicitis, in vos retorqueamus?

Catholicus.

Tertullianus lib. jam cit. cap. 18. idipsum quod ipsius temporibus Hæreticis objiciebant Catholici, in ipsosmet ab Hæreticis suo sæculo retorqueri vidit, & secuturis temporibus retortum iri credidit. *Necesse est*, inquit, *& illos dicere à nobis potiùs adulteria scripturarum, & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem.*

Hæreticus.

Immeritò igitur nos oneratis injuriis, & insimulatis quasi corruptores scripturarum, in quibus tamen omnem fidem, & spem salutis & reportandæ de vestris hominibus victoriæ collocamus.

Catholicus.

Ipse Tertullianus ejusd. lib. de præscript. c. 19. eam indicat vobiscum dimicandi rationem, quæ quidem (si eam adhibebimus) omnem vobis vindiciam, vel certè speratæ victoriæ spem haud dubiè præripiet.

SECTIO XXXI.

In quâ ex Tertulliano nondum in Montanistarum præstigias implicato probatur certaminis cum heterodoxis ineundi, non esse ducendum exordium ab sacris Scripturis, sed ab iis exigendum, ut probent primò suam sectam veram tenere fidem. Secundò suas esse scripturas vero justa possessionis titulo. Tertiò à quo acceperint doctrinam, quâ Ecclesiam reformare valeant. Quartò per quos; Quintò, quo tempore illam acceperint. Sextò denique quibus hominibus tradita sit doctrina, per quam facti sunt Christiani. Quæ omnia cum ab Catholicis probari, & ipsis competere omnimodis elucent, constat illos esse in verâ Christi Ecclesiâ, à qua desciverunt heterodoxi.

Hæreticus.

QUID aliud oportet proponere præter scripturam, cujus unâ dumtaxat authoritate Ecclesia reformata innititur?

Catholicus.

Ista sunt ipsissima ejus verba, ex quibus disces certam methodum, cujus vi & ministerio Secta Calvinistica omni ex parte profligari valeat. *Ergo*, inquit, *non ad scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est aut par incerta: Nam etsi ita non evaderet conlatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat prius illud proponi, quod nunc solùm disputandum est, quibus competat fides ipsa: Cujus sint scripturæ, à quo & per quos & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani: Ubi enim apparuerit esse veritatem & disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.* Hæc Tertullianus de Præscript. cap. 19. jam citato.

Si vultis ergò venire in curriculum doctrinæ & ad legitimam disputationem admitti, non ab scripturis repetendum est certaminis exordium: Sed sex capita singillatim, & alternis probanda vobis incumbunt, antequam scripturam in vestrarum partium subsidium accersere valeatis.

1. Vobis incumbit probandum vestræ Sectæ competere veram fidem.

2. Vestras esse scripturas; seu ad vestras pertinere partes.

3. A quo acceperitis doctrinam, quâ Ecclesiam reformare contenditis.

4. Per quos.

5. Quo tempore illam ipsam acceperitis.

6. Denique quibus hominibus, tradita sit illa ipsa doctrina, sive disciplina quâ facti estis Christiani.

Cum ista solidè probaveritis, tunc ad scripturas & earum interpretationem vobis perfugere licebit.

Hæc omnia facilè probant Orthodoxi. Nam 1. quod veram habeant fidem, constat ex eo quod in Ecclesiâ Apostolicâ, & Apostolicis doctrinis, & traditionibus imbutâ permaneant. Vos verò neque Ecclesiam Apostolicam habetis, nec habere potuistis, atque adeo nec in Apostolicâ doctrinâ perstitistis. Quod Ecclesiam Apostolicam non habeatis, patet.

Nam ut colligitur ex Tertulliano, Ecclesiæ Apostolicæ dicuntur triplici titulo.

1. Quod sint ab Apostolis fundatæ. 2. Quod ab Apostolicis viris id est Apostolorum authoritate missis erectæ. 3. Ecclesiæ dicuntur Apostolicæ consanguinitate doctrinæ, utpote quæ amplectantur doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fide conspirat, ut loquitur ipse Tertullianus.

Unde nulla est Ecclesia particularis inter Catholicos, quæ non sit Apostolica, saltem uno ex his tribus modis. Vestra autem Ecclesia nullo modo Apostolica dici potest. Non primo modo, quia non est fundata ab aliquo Apostolo, sicut Ecclesiæ matrices & originales, qualis est Ecclesia Romana: De quâ sic Tertullianus Lib. de Præscript. cap. 36. *Ista*, inquit, *quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: Ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur: Ubi Paulus Joannis exitu coronatur: Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.* Hæc ibi.

Nec etiam secundo modo Ecclesia reformata Apostolica dici potest, non enim habuit Apostolicos viros ab Apostolis missos, quorum authoritate & prædicatione fundaretur: Cum enim Apostolici viri propriè loquendo sint Apostolorum successores Episcopi ab Ecclesiâ ritè assumpti, & ordinati penes quos est potestas fundandi, & erigendi, Ecclesias, & Ecclesia reformata suorum Episcoporum successionem adinstar Ecclesiæ Catholicæ probare & ostendere nequeat, sequitur illam secundo illo modo non posse dici Apostolicam.

Prætereà Ecclesia reformata non potest dici tertio modo Apostolica nempè consanguinitate doctrinæ, siquidem ex Apostolicâ doctrinâ prodierunt hæreses, quibus scatet Apostatica illa societas, quæ potiùs ex privatorum omnium internâ persuasione, quam ex Ecclesiæ Catholicæ nusquam errantis, nusquam erraturæ judicio & authoritate, pendere maluit. Cum igitur ex Apostolicâ doctrinâ, Ecclesiæ reformatæ hæreses prodierint, non fuerunt ex illâ, ex quo factæ sunt adversus illam, etiam de olivæ nucleo mitis & opimæ, & necessariæ asper oleaster nascitur, etiam de papavere ficus gratissimæ & suavissimæ ventosa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreses de nostro frutice non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio sylvestres, ut loquitur Tertullianus Lib. de Præscript. cap. 36.

Ergo Calvinistæ sibi suo arbitratu fabricantur Ecclesias, sibi novum procudunt Evangelium, simile Marcionis Evangelio, quod ait Tertullianus nullis fuisse notum, ut non eo damnatum. *Habet planè & illud Ecclesias, sed suas, tam posteras quam adulteras; quarum si censum requiras facilius apostaticum invenies, quam Apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos & vespæ. Faciunt Ecclesias & Marcionitæ.*

Ita Tertullianus Libro 4. cont. Marcion. cap. 5. quæ omnia rectè quadrant in Calvinum, & alios hæreticorum primicerios, qui quia Ecclesiam irreformabilem in fide reformare atque adeò labefactare voluerunt, nihil omninò præter umbratilem, & fallacem Ecclesiam, & veram satanæ Synagogam ædificare potuerunt.

Ac reipsâ quidem in superioribus præjudiciis demonstravimus Calvinistas, nec habuisse, nec habere potuisse veram Ecclesiam.

Quod spectat ad secundum caput ab ipsis probandum, ad eos nempè scripturas pertinere, probare non possunt, siquidem probat Tertullianus eas ad Catholicos dumtaxat pertinere; & nos in præjudicio quinto, in quo nunc versamur, id abundè præstitimus, & ideò hac in re diutiùs non immoramur.

Quod spectat ad alia quatuor capita, quæ ab hæreticis probanda esse asserimus, nempè à quo, per quos, quando & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani, ea facilè probabuntur ab Catholicis. A quibus si quæratur à quo doctrinam, & fidem, quam profitemur, traditam acceperint? respondebunt à Jesus misit Christo Domino.

Si ab ipsis quæratur per quos hanc ipsis doctrinam tradiderit? respondebunt per Apostolos, quos Christus misit prædicare Evangelium omni creaturæ.

Si quæratur quo tempore? respondebunt sibi hanc disciplinam traditam esse ex quo Apostoli Spiritu sancto pleni Christum Jesum crucifixum, mortuum & divinâ suâ virtute ad immortalem vitam revocatum

ubique terrarum & gentium annuntiare cœperunt, ipsomet, quem prædicabant, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.

Christiani igitur Catholici suam doctrinam ab Apostolis acceperunt, Apostoli à Christo, Christus à Deo.

Porrò si quæratur quibus tradita sit disciplina seu doctrina, quâ Christiani sumus, ut in omnes omnium sæculorum homines, & in omnium gentium notitiam propagaretur?

Respondeo Catholicæ fidei doctrinam ab Apostolis traditam esse Episcopis, quos Ecclesiis ab ipsismet fundatis præficiebant, ut & ipsi & eorum Successores Episcopi eamdem suis Successoribus traderent, & hoc pacto disseminarent in memoriam orbis terræ sempiternam. Ad hujus rei probationem sufficiet exemplum S. Pauli, qui Timotheum, quem discedens Epheso, illi eidem civitati Episcopum præfecerat, imbuit præceptis ad regendam Ecclesiam necessariis, ut videre est in duabus Epistolis ad illum inscriptis, & præsertim in primâ. in quâ præcipuis Episcopalis officii partibus operosius explicatis, & traditis præcipuis fidei capitibus, & demandatâ illi curâ, ut adversus Judaïzantes, & alios Apostolicæ doctrinæ corruptores, qui partim exorti erant, partim exorituri ab ipso prævidebantur sedulò vigilaret, tandem primæ hujus Epistolæ c. 6. v. 20. sic eum affatur: *O Timothee depositum custodi devitans prophanas vocum novitates.* Quæ Apostoli verba, quia Vincentius Lirinensis commonitor. 1. c. 27. pulcherrimè, & ad propositum nostrum accommodatissimè pertractavit, hic ipsissima ejus verba ascribere non pigebit. *O Timothee depositum custodi. O! exclamatio ista, inquit, & præscientia est pariter, & charitatis. Prævidebat enim futuros. quos etiam prædolebat errores; Quis est hodiè Timotheus? nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus præpositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere. Quid est depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ. sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in quâ non Author debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi: Catholicæ Fidei talentum inviolatum. illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias, nolo pro auro, aut impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor! si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ: esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur te exponente illustrius, quod anteà obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce. ut cum dicas novè, non dicas nova.*

Hæc ille Litteris consignavit, & docuit, ut omnes discerent fidem Catholicam ab Apostolis in omnia sæcula transmissam, illibatam ab universis Catholicis & præsertim ab Episcopis, Tractatoribus, Doctoribus, & aliis quibus Deus docendi munus ad Ecclesiam ædificandam indulserit, custodiri oportere.

Quod quidem cumulatè præstitit, & præstabit usque ad consummationem sæculi Ecclesia Catholica, utpotè quæ dirigatur à spiritu veritatis, qui eam nullo umquam errore in rebus ad salutem necessariis infici passus est, nec umquam juxta Christi pollicitationem ullâ hæresi labefactari patietur.

Ergo penes illam est veritas Disciplinæ, & Fidei Christianæ. Ergo ad illam unam pertinet veritas scripturarum, & expositionum & omnium traditionum Christianarum. Ergo Ecclesia Calvinistarum nihil ex hujusmodi rebus sibi vindicare potest.

SECTIO XXXII.

In quâ probat vir Catholicus Ecclesiam Romanam esse veram & solam Ecclesiam, siquidem in ipsâ luculenter apparet veritas & disciplinæ & fidei Christianæ, atque adeo vera scripturarum expositio, & legitima Traditionum authenticarum possessio, quam cum habuerit quatuor aut quinque prioribus sæculis, de ipsâ dejici non potest, nisi quis pari ad blasphemiam impudentiâ, & ignorantiâ inferi portas adversus eam prævaluisse deblaterare audeat.

Hæreticus.

UNDE hoc infers?

Catholicus.

Hoc infero ex evidentissimâ & certissimâ Tertulliani, sancti Irenæi, & aliorum Patrum ratiocinatione, quæ talis est.

> Ubi apparet esse veritatem & disciplinæ & fidei Christianæ, illic est veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.
> Atqui in Ecclesiâ Romanâ seu Catholicâ apparet esse veritatem & Disciplinæ & Fidei Christianæ.
> Ergo in Ecclesiâ Romanâ est veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Hujus syllogismi major est certa, nec in controversiam, vel ab ipsis adversariis evocari potest. Ergo difficultas erit in minori, quam probamus altero syllogismo in hunc modum.

> In illâ Ecclesiâ est veritas & Disciplinæ, & Fidei Christianæ, quæ probare potest sibi uni competere veram fidem, suas esse scripturas, & ostendere à quo, & per quos. & quando & quibus tradita sit illa ipsa Disciplina, per quam facta est Christiana.
> Atqui sola Ecclesia Romana hæc omnia, quæ in majori, numerando percensuimus, & ostendere, & sibi vindicare potest.
> Ergo in illâ solâ est veritas, & Disciplinæ, & Fidei Christianæ.

Hujus syllogismi major citra controversiam est indubitata: minor igitur est comprobanda, & sic probatur.

> Ecclesia illa sibi soli vindicare potest veram fidem, quæ semel illam habuisse cognoscitur.
> Atqui Ecclesia Romana saltem quatuor primis sæculis veram fidem tenuisse cognoscitur, & vel ab ipsis adversariis veræ fidei certa possessio illi pro toto saltem quatuor sæculorum curriculo asseritur.
> Ergo Ecclesia Romana sibi soli veram fidem vindicare potest. Ergo illa una vera est Ecclesia, illius ergo solius sunt scripturæ & earum expositio, & omnium traditionum Christianarum notitia & possessio.

Cum hæc omnia in Ecclesiam Romanam bellè quadrate in superioribus præjudiciis ostenderimus, & præsertim in quinto, haud dubiè ab omnibus cordatis una & vera Ecclesia habebitur, & econtrà cum nihil horum conveniat Ecclesiæ reformatæ, jure ac meritò transfugarum & desertorum sacrilega societas & con-

hujusce textus vis posita sit in hoc participio, ἐκχυνόμενον quod necessariò refertur ad substantivum, τὸ ποτήριον atque adeò juxta Græcum autographum, seu fontem sic verti debeat: *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*, vel funditur. Theodorus Beza suis in Bibliis Genevæ, apud Robertum Stephanum ann. 1556. excusis, & Tremellius in versione Syriacâ, hunc locum ità transtulerunt: hoc poculum est novum illud Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Item Calvinus suis in Bibliis, apud eumdem Robertum Steph. ann. 1560. excusis, ità eumdem locum depravavit: hoc poculum, inquit, novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur: quæ corruptela seu hujus loci depravatio, legitur etiam in Bibliis Genevensibus editis ann. 1588.

Si sequamur Græcum contextum (quod necessariò factitandum est) nihil elatius & efficacius afferri potest ad probandum Christum Jesum per hæc verba: Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur, vel poculum quod pro vobis funditur, sanguinem suum Apostolis in cœnâ illâ mysticâ potandum præbuisse. Perindè enim locutus est ac si dixisset: quod vobis in hoc calice porrigo, & quod in eo bibetis, est ille ipse sanguis, qui pro vobis effundetur, vel quod majorem habet energiam, per actionem & verbum de præsenti (effunditur) quæ phrasis mentem humanam ad ullum sensum figuratum confugere non sinit. Quod non tàm evidenter appatet in latinâ versione; Cum enim calix & sanguis sint ambo masculini generis, non tàm manifestè assevetari potest, an ad calicem vel ad sanguinem, relativum (qui) referri oporteat: sed in autographo participium præsentis temporis, ἐκχυνόμενον ad nihil aliud prærerquàm ad substantivum τὸ ποτήριον referri potest, aut debet.

Altera hujus loci depravatio deprehenditur in præfatâ versione Theodori Bezæ hæc verba (ἐν τῷ αἵματί μου vertentis in hæc, per sanguinem meum, perindè ac si textus diceret, διὰ τοῦ αἵματος & quasi sanguis Christi esset effectrix causa Testamenti, & non potiùs ipsummet Testamentum, eo nomine quod sit id quo Testamentum, seu omnia bona fidelibus relicta sanciuntur.

Tertia hujus ipsius loci depravatio deprehenditur in eo quod Beza addiderit verbum substantivum (est) & dixerit: hoc poculum est novum Testamentum: Cum verbum illud (est) non legatur in Græco contextu: in quo Calix, seu poculum cum istis verbis, novum Testamentum per appositionem conjungitur.

Ecce tibi triplex unius ejusdemque loci depravatio, sed primam, si libet, utpotè graviorem expendamus.

Si Evangelista Græcus & vernaculi idiomatis apprimè peritus, qui & scripsit Græcè voluisset referre Participium, ἐκχυνόμενον quod est in recto ad dativum, τῷ αἵματι haud dubiè posuisset, ἐκχυνομένῳ in dandi casu, ut concordaret cum illo in eodem casu, adinstar adjectivi & substantivi. Cum ergò posuerit in recto, illud ad substantivum, τὸ ποτήριον quod est pariter in recto, referri oportere, satis superque significavit Cui rei contrarium, ne infantissimus quidem Grammaticus cogitare quidem, nedùm asserere voluerit.

Beza eò temeritatis & audaciæ processit, ut Evangelistam veluti solœcismi, (qui criminis locum obtinet apud Grammaticos) conscium perstrinxerit. Quippè qui ineluctabili ejus loci authoritate perpulsus, verum Christi Corpus in Eucharistiâ manducari, & verum ejus sanguinem potari admittere cogeretur Sic enim hâc de re loquitur in c. 22. Lucæ v. 20. *Quùm hæc verba*, τοῦτο τὸ ποτήριον, *&c. si constructionem spectemus, inquit*, ἐκχυνόμενον *necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de vino, nedum de poculo intelligi possint, aut manifestum est solœcophanes, quum dicendum fuerit*, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, *aut potiùs quàm hæc essent ad marginem annotata, ex Matthæo & Marco, posteà in contextum irrepserunt.*

Ibidem asserit suas conjecturas eò inclinare, ut potiùs quàm solœcophanes sit ab Lucâ admissum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ex aliis Evangelistis insertum esse in Lucæ contextum contendam, vel casum perperàm à Librariis, quamvis consentiant exemplaria, mutatum. Quod & alii Ministri dictitant, sed frustrà. Nam ex hoc loco (cujus litteram, sicut nec cæterorum mutare, aut aliò detorquere fas est) ineluctabiliter astruitur realis præsentia corporis & sanguinis Domini in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Cum enim ait Christus in ejus institutione effundi Calicem, id est, quod continetur in Calice, ipsius nempè sanguinem, declarat manifestè hanc effusionem non esse factam in Cruce: siquidem sanguis, qui effusus est in Cruce, non est effusus è Calice, sed ex ipsius Christi Corpore, ergò de altera ejusdem sanguinis effusione intelligendus est Christus, de effusione nempè mysticâ, quæ in cœna facta est, & quæ usque ad sæculi consummationem factitanda erat in incruento Missæ Sacrificio, in quo Sacerdotes, & alii fideles, qui utramque speciem per aliquot sæcula communicando (quod illis temporibus Ecclesia citrà ullam necessitatem concedebat) perceperunt, sua in ora erant effusuri, & in sua pectora trajecturi.

Huc accedit, quod vel vinum effusum est pro salute mundi, quod nemo sanæ mentis æquo animo audierit, vel sciens & prudens dixerit: ergò vel Christus qui se veritatem appellat, nos decipit, vel suum ipsius sanguinem in Calice suis Apostolis potandum præbuit. Quod ab omni ævo docet & ubique prædicat Ecclesia, nos scilicet bibere sanguinem Christi, non tantum ore seu apprehensione Fidei, sed ipso ore corporis, quo quotidiè esculenta poculentaque ad reficiendas vires necessarias capessimus.

Primum non audent affirmare Calvinistæ, alterum confiteri renuunt. Si ergò aliquem rationi vel authoritati relinquere locum, audiant magnum Hilarium Galliarum clarissimum lumen, & columen Fidei firmissimum. Talis enim & tantus vir ait veram Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam non posse negari, nisi ab iis qui Christi divinitatem negare non erubescunt, *De veritate Corporis & Sanguinis Domini* (ait lib. 8. de Trinit.) *non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & Fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit. Annè hoc veritas non est? contingat iis planè verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant.* Hæc ille.

Beza igitur fatetur sancti Lucæ contextum lectitari in versione Syriacâ, & in omnibus exemplaribus Græcis eodem planè modo, quo à nobis legitur: eum tamen temerè immutat & corrumpit, unâ dumtaxat ratione perpulsus, quod scilicet illo ipso contextu apud S. Lucam, salvo & integro perseverante, evidenter realis sanguinis Christi in Calice præsentia, atque adeò ipsa quoque ejusdem Corporis Christi sub accidentibus panis præsentia astruatur.

Hereticus.

Hæc corruptio Theodoro Bezæ ascripta non pertinet ad fundamentales articulos, ex quo præsertim Ecclesiæ reformatæ Lutheranos realem Christi præsentiam in Eucharistiâ professos, in suam sodalitatem & fraternitatem admisere in Synodo Carantoniâ ann. 1631. habitâ.

Sectio XXVII.

In quâ contendit Catholicus, realem Christi in Eucharistiâ præsentiam pertinere ad fundamentales Fidei articulos, & ostendit Scripturas ab Hæreticis fuisse falsatas, & depravatas, quod & Lutherus ingenuè confitetur, & id præsertim circà Eucharistiam.

Catholicus.

HUic tuæ objectioni responsurus tria dico.

1. Saltem in sententia Lutheranorum hunc articulum fundamentalem haberi oportere, eo quod antè Synodum illam, cujus mentionem facis, ipsi Lutherani societatem inire noluerunt cum Calvinistis, eo præsertim nomine, quod ab hujus mysterii Fide aberrarent.

2. Alibi refutavimus hanc distinctionem, ideò nulla hic ejus habenda est ratio.

3. Dato non concesso quod illa distinctio admittatur, contendo hunc articulum spectantem ad realem Christi præsentiam in Eucharistiâ esse fundamentalem (si ullus alius talis est) quod nemo vel parum oculatus inficiari potest.

Hæreticus.

Possuntnè proferri alia Scripturæ loca, de quorum depravatione jure ac merito, accusari valeamus?

Catholicus.

Respondeo in omni controversiâ inter vos & Catholicos circa fidem obortâ, vos numquam adhibuisse arma, & vestrarum hæreseon præsidia præter Scripturæ loca quamplurima, quæ in vestram ipsorum perniciem depravastis, ut loquitur S. Petrus, ut nimirùm vestra commenta ab mendacii patre profecta, mendaciis dumtaxat & Scripturarum depravationibus propugnata, in omnium vel cœcorum oculos incurrerent, eaque omnes boni cane pejus & angue (ut vulgari jactatur adagio) detestarentur.

Quid quod in unâ quæ jamdiù agitur controversiâ, de reali Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiâ, depravastis (ut vestris in Bibliis legere est) usque ad viginti & septem Scripturæ loca, quæ omnia illam ipsam Corporis Christi præsentiam Sole meridiano clariùs probant, ità ut ipsa in eum sensum ab omnibus omnium rettò sæculorum Patribus, accepta esse & intellecta, vel vestrûm pertinacissimi negate nequeant.

Id liquidò demenstrare possem nisi, jam anteà à me quodanimodò in hoc ipso colloquio factitatum esset, & uberius & validius præstitum esset ab plerisque doctoribus Catholicis, quibus doctissimi labores ad profligandas hæreses suscepti, persectique æternam apud Deum & homines gloriam pepererunt

Ne ergo meus hic labor cadat in irritum, ut ad opus ab aliis cum laude consummatum aggrediar, satis habuero proferre unum Lutheri locum, ex quo sacrorum Bibliorum corruptela & depravatio ab hæreticis admissa pelluceat.

In 7. Tom. Operum Lutheri visitur Liber, qui inscribitur: Defensio verborum Cœnæ: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum: Contra phanaticos Sacramentariorum spiritus. In eo Libro exagitat mirum in modum corruptores, qui præfata verba Christi Eucharistiam instituentis in aliena sensa non usum detorserunt, sed etiam mutilarunt. *Doctor*, inquit, *Carlstadius ex his sacro-sanctis vocabulis. Hoc est Corpus meum miserè distorquet pronomen (Hoc: Zuinglius autem verbum substantivum (est) macerat, Oecolampadius nomen (corpus) tortura subjicit: alii totum textum excarnificant & invertunt vocabulum (Hoc) ex primo in postremum locum deturbantes, & dicunt, accipite, comedite, corpus meum, quod pro vobis datur, est hoc: alii dimidiam partem textus crucifigunt, & vocem (Hoc) in medium locum collocant, & inquiunt, accipite, comedite quod pro vobis datur, Hoc est Corpus meum: Alii textum sic obtruncant, Hoc est Corpus meum ad mei commemorationem: Hoc est Corpus meum hic non debet adesse reipsâ, sed tantum commemoratio mei corporis, ut textus ita sonet; Accipite, comedite, hoc est corporis mei commemoratio, quod pro vobis datur. Præter hos alii accedant ut septenarius numerus compleatur, qui dicunt non esse Articulos fidei, ideoque non esse de his contendendum, liberum enim cuique esse, ut hic sentiat, quidquid velit, hi pedibus omnia conculcant & distruunt. Verumtamen Spiritus sanctus est in his singulis, & nullus vult erroris argui in his tam diversis & contrariis probationibus & textus ordinationibus, cùm tamen unam tantùm textus collocationem, veram esse oporteat. Addo crassè & manifestè diabolus nos naso suspendit.*

Hactenùs Lutherus qui tametsi sit hæreticus pariter & hæresiarcha indignatur tamen aliorum sui similium sacrilegam temeritatem, quæ eò impudentiæ progreditur, ut in sacras Litteras mutilandas, adulterandasque grassari audeat.

Quid quod eò improbitatis & malitiæ vestri primicerii processere, ut adulterarent plura scripturæ loca ad labefactandas traditiones non scriptas, quas utpotè ab Apostolis ad nostra usque tempora transmissas, & pari cum sacrâ Scripturâ ad stabiliendam fidem authoritate præditas Ecclesia Catholica, ab omni ævo religiosissimè coluit & retinuit.

Vos autem transfugæ & desertores hujusmodi traditiones sacris Litteris indictas, & commendatas exauthorastis, quantum in vobis fuit, corrumpendo scilicet varia scripturæ loca, quibus efficacissimè comprobantur.

Nonnè enim evidentissimè eas traditiones probat Apostolus 1. Cor. cap. 11. v. 1. & 2. Cum ait, *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis.* Hunc locum sic vertit Beza, sicut tradidi traditiones, & traductoribus suam ipsorum patefacit vel ignorantiam, vel malitiam, cum traditionum nomen hoc loco tam luculenter expressum fugiunt, & reticent.

Reverà Calvinus suis in Bibliis & commentariis in hunc locum excusis apud Stephanum Anastasium ann. 1560. vertit sic, præcepta mea tenetis.

Sic & Genevensia Biblia communiter & præsertim quæ sunt edita ann. 1588. vertunt, quod edicta mea tenetis.

Sic hunc locum & alia Scripturarum testimonia sacrarum auctoritate traditionum astruentia adulterinâ interpretatione aliò detorqnent Calvinus & ejus discipulus Theodorus Beza, cujus hæc sunt verba in eum Apostoli locum: *qui verò*, inquit, *ex hoc nituntur quævis portenta in Ecclesiâ retinere, vix digni sunt quibus respondeatur. Cui enim persuaserint vel istas traditiones fuisse doctrinæ partem, vel (etiamsi ita est) in traditionum Apostolicarum numero istas partim pueriles, partim Apostolorum scriptis ex diametro repugnantes, partim prorsùs tyrannicas leges censeri oportere? Denique si Apostolicæ traditiones sine exceptione servandæ erant, cur tam multas isti aboleverunt? Traditionum autem nomine hic intelligi, non quæ ad dogmata sed quæ ad œconomiam attinent ipsi doctrinæ & professioni Christianæ consentaneam, & in domo Dei omni cautione observandam; hæc ipsa de quibus ait Apostolus manifestè ostendunt.* Hæc ille.

Hoc in loco multa sunt falsissima, & suam falsitatem primo aspectu prodentia, & imprimis id quo contendit Apostolum eo ipso, quem interpretatur loco traditionum nomine intellexisse dumtaxat ea quæ ad εὐταξίαν, id est ordinis in rebus agendis conser-

vationem, non autem ea quæ ad fidem pertinerent. Quod falsissimum esse mox videbimus.

Sectio XXVIII.

In quâ vir Catholicus demonstrat heterodoxos corrupisse, & depravasse Scripturæ loca, quibus utraque traditio tam scripta scilicet, quàm non scripta, sic tanquam ad orthodoxam fidem pertinens ineluctabiliter astruitur.

Secunda depravatio alterius loci traditiones probantis.

EASDEM traditiones non scriptas probat Apostolus 2. Thessal. c. 2. v. 14. aut 15. *Itaque*, inquit, *fratres state, & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sivè per Epistolam nostram.*

Ex his Apostoli verbis liquido colliguntur, & statuuntur duo traditionum genera, quarum aliæ vivæ vocis oraculo, aliæ verò per Epistolam ad Ecclesias ab Apostolis inscriptas tradebantur. Hoc tamen ferre nequeunt Genevenses, utpotè qui suis in Biblis apud Franciscum Petrin ann. 1564. usque ad ann. 1610. apud Joannem Vignon excusis, hunc locum bifariàm corrupcrunt, sic enim verterunt in vernaculam linguam: *Parquoy, Freres, demeurez fermes, & retenez les enseignemens, qu'avez appris, soit par nôtre parole, ou par nôtre Epistre.*

Quæ versio duplici corruptione labefactat eum Apostoli locum.

1. Quod vocabulum Græcum τὰς παραδόσεις explicet per documenta, quod nemo Græcè sciens facere, ausit vel velit. Nam Lexicographi passim hoc vocabulum παράδοσις volunt significare deditionem, traditionem, hoc est, ut explicant ipsi, doctrinam quæ ore traditur. Siquidem παραδίδωμι inter alios significatus habet hunc, quod significet per successionem seu per manus posteris trado, ut legere est apud Platon, lib 2. de Republ. & apud Aristotelem 4. Physic. ubi παραδεδομένον à majoribus traditum significat.

2. Eumdem locum corrupere cum pro (sivè.) supposuere disjunctivam (vel.)

Has observationes & corruptelas de industria in hunc Apostoli locum inseruere: Sciunt enim hoc nomen παράδοσις significare traditionem. Unde cum nihil eorum interfuit, & cum se per traditionis nomen omissum ab Catholicis carpi & reprehendi posse animadverterunt, illud alibi adhibuere. Ut Col. c. 2. v. 2. κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων vertcrunt, *selon la tradition des hommes.* Et Matth. cap. 15. v. 2. διὰ τί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων Sic vertunt: *Pourquoi vos Disciples outre passent-ils les traditions des Anciens?* &c v. 3. διὰ τί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν, ita vertunt: *Et vous, pourquoy outre-passez-vous le Commandement de Dieu par vôtre tradition?*

Per hujusmodi versiones Calvinistæ Catholicos in invidiam adducere voluerunt, perinde ac si plus humanis traditionibus, quam Dei verbo tribuerent. Quâ in re tantus eos stupor oppressit, ut verbum Dei ab humanis traditionibus secernere nequeant. Næ in omni controversiâ inter nos & ipsos circa fidem excitatâ, intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Nam verbum ita intra Scripturæ (cujus libros prout placet admittunt, aut rejiciunt) limites includunt, ut quicquid in iis scriptum non legitur, illis apocryphum & repudiandum utpotè ex merâ hominum inventione & vertigine profectum, & humanæ dumtaxat traditionis nomine appellandum esse videatur.

Quod sanè falsissimum est. Nam quæro ab ipsis utrum omnia, quæ sunt utriusque testamenti libris comprehensa, sint articuli fidei, necnè?

Cum responderint revera omnia, quæ sunt utriusque testamenti litteris consignata, sive sint dogmata, sivè facta divinitùs revelata (qualia sunt omnia, quæ in utroque testamento commemorantur) esse revera fidei articulos. Quæram ab ipsis an hujusmodi dogmata essent articuli fidei, seu pertinerent ad fidem Catholicam, antequam ab scriptoribus Canonicis dictante Spiritu sancto conscriberentur? Si dicant non fuisse articulos fidei, tunc sic contra illos disputo. Vel erant hujusmodi articuli divinitùs revelati, vel non. Si non erant divinitùs revalati, & tamen ab Apostolis prædicati, & tam fidelibus quàm infidelibus ad credendum propositi; reverà Apostoli, qui se divinitùs missos esse dicebant & probabant signis & miraculis, erant (quod absit) seductores, quippè qui pro divinis mysteriis commenta è suo cerebro nata populis annuntiarent. Neque enim divina mysteria sine peculiari Dei revelatione cognoscere, & omnibus gentibus prædicare potuerunt.

Si dicant Calvinistæ ejusmodi articulos fuisse divinitùs revelatos, antequam sacris litteris mandarentur, concludo adversus omnes heterodoxos articulos fidei per traditionem non scriptam fuisse ab Apostolis prædicatos, & gentibus ad credendum propositos, ergo nihil prohibet quominùs traditio, non expressa sacris voluminibus, articulum fidei constituat.

Quàm iniquè igitur comparatum est, ut Calvinistæ Catholicis succenseant, eo quòd multa tam ad fidem quam ad disciplinam, & bonos mores pertinentia in scripturâ quidem non expressa, sed ab Apostolis continuatâ succedentium invicem Episcoporum serie transmissa, sibique ab Ecclesia, erroris nesciâ, eo nomine proposita pari ad religionem reverentiâ amplectantur & retineant.

Fremant igitur licet ac disrumpantur hæretici, scriptura non facit articulos fidei, licet eos contineat, sed sola revelatio divina, cum evidentiâ in attestante, facit hujusmodi articulos, quos omnes & singuli, quibus annuntiati fuerint sub æternæ damnationis interminatione credere teneantur; Cum igitur revelatio divina sine scripturis cognosci, & patefieri possit (ut in utroque testamento cognita est & patefacta) haud dubiè articuli fidei sine scripturis consistere & homines ad credendum obligare potuerunt.

Quod autem Ecclesia, sine scripturis Canonicis subsisteri in utroque testamento clarius, & certius est quam ut pluribus probari debeat.

1. Enim ab Adamo ad Moysen usque, duo annorum millia intercurrerunt, toto illo tot annorum curriculo nulla extitit scriptura, & tamen Deus suam habebat & regebat Ecclesiam.

2. Ab Moyse usque ad Christum, duo pariter annorum millia saltem effluxere, toto illo intervallo Judæi præcipuè legebant Pentateuchum, seu quinque Moysi libros, quorum usu & lectione carebant alii fideles in varia loca dispersi, ut testatur S. Augustinus lib 2. de peccat. origin. cap. 24. & lib. 1. de prædestin. Sanct. cap. 9. Hujusmodi tamen homines credebant in Christum venturum, & debitum Deo opt. max. cultum exhibebant. Sine scripturâ ergo possunt homines credere & observare omnia ad salutem necessaria, quæ illis traditionis non scriptæ ministerio, annuntiantur.

Ita segessit Deus erga hujusmodi homines, & eos potiùs per traditionem vivâ voce traditam, quam per Scripturam tam credenda, quàm agenda docuit. Posteà scriptura ab hominibus in hunc finem electis, & præordinatis à Deo dictante Spiritu sancto exarata prodiit: Et paulatim & diversis temporibus, quibus authores Canonici scripsere, fidelibus communicata est.

Quamvis igitur Libri Canonici non pervenissent ad nos, sicut S. Irenæi temporibus, id est centesimo & quinquagesimo ab ortu Salvatoris anno, nondum in plures Christiani orbis oras perlati fuerant, non propterea Christiani esse desineremus, quippè qui adhæresceremus ad traditionem Apostolicam, quæ nobis

omnia

omnia tam fidei, quàm disciplinæ, morumque præsidia documentaque suppeditaret.

Hoc egregiè docet idem S. Irenæus adv. hæreses Lib. 3. cap. 4. in quo docet quatuor in nostram rem apprimè convenientia. Cum enim dixisset non esse quærendam veritatem apud Gnosticos, & alios ejusdem farinæ homines, sed sumendam ab solâ Ecclesiâ Catholicâ traditionis Apostolicæ conservatrice religiosissimâ, id effatum probat.

1. Ex eo quod emergentibus novis circa fidem difficultatibus, semper ad antiquiores Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, recurrere oporteat, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & reliquidum est.

2. Ait, quod si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias.

3. Affirmat multas per orbem gentes vivâ solùm voce traditam sibi Catholicam fidem, constantissimè tenere.

4. Asserit Spiritum sanctum sine chartâ, & atramento fidelium animis veram fidem & pietatem inscribere & infigere.

Ex his patet Deum non suspendisse nostram fidem & salutem ex sacris dumtaxat litteris, cum & fides per solam traditionem vivâ voce annuntiatam haberi possit, & retineri, atque adeò sine scripturâ salus valeat procurari.

Quid quod multa Evangeliorum effata, tam ad fidem, quam ad disciplinam, & bonos mores, pertinentia longè antequam mandarentur Litteris, eamdem omnino cum scriptis fidei articulis, vim & authoritatem in Ecclesiâ obtinuerunt.

Quis enim neget Nativitatem S. Joannis Baptistæ ab Angelo prænuntiatam? quis etiam neget Incarnationem Verbi divini Virgini ab Angelo Gabriele annuntiatam? quis denique inficiari ausit alia Verbi incarnati mysteria ut puta ejus Natalitia, Circumcisionem, sudorem sanguineum, & alia id genus sivè dicta sivè facta, inter articulos fidei fuisse numerata, & eo nomine credita antequam ea sacris litteris consignaret S. Lucas Evangelista, qui suum dumtaxat Evangelium conscripsit quinquagesimo sexto ab orto Redemptoris anno, id est viginti tribus annis ex quo ille ipse Redemptor ascendit in cœlum.

Quod autem ista antequam mandarentur litteris, unâ dumtaxat traditione non scriptâ, crederentur, declarat ipse S. Lucas statim in ipso sui Evangelii exordio in hæc verba : *Quoniam quidem*, inquit, *multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum : sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis : visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.*

Ex hoc loco sic ratiocinari licet : S. Lucas indicat se velle narrare res sibi ab iis traditas, qui eas viderant, & ministri fuerant sermonis : ergo disertè profitetur se ab hujusmodi hominibus per traditionem non scriptam, accepisse dogmata, & effata ad fidem, & ad vitam rectè instituendam pertinentia, atque adeò ad æternam salutem omninò necessaria. Neque enim alia ministri sermonis Apostoli nimirùm, & Apostolici viri ab Apostolis missi præter ista gentibus in Christum Jesum credituris annuntiarunt, aut annuntiare potuerunt.

Quod patet etiam ex hisce verbis ad Optimum Theophilum directis ; *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.* S Lucas scribendo decreverat docere Theophilum mysteria Religionis & Fidei Christianæ, quæ jam ipse Theophilus ab aliis edoctus fuerat, per vivam scilicet vocem, & traditionem non scriptam. Ergo per hujusmodi traditionem fidei dogmata & tradi & accipi possunt, ut reipsa ab Apostolis, & Apostolicis viris primis fidelibus tradita sunt, & abipsis credita, ceu mysteria Apostolis & Prophetis divinitùs revelata, ut ea postmodùm veluti fœcundissima omnium virtutum, atque adeò salutis æternæ semina per totum terrarum orbem longè lateque spargerent.

Ergo non tantum scriptura, sed etiam traditio non scripta comprehendit, & docet fidei articulos.

Quod profectò luculentiùs probatur ex S. Joannis, id est Discipuli quem diligebat Jesus. Evangelio conscripto anno dumtaxat Redemptoris nonagesimo sexto, id est sexaginta & quinque annis, ex quo ipse Redemptor passus est & resurrexit. Nam antequam Apostoli & imprimis S. Joannes qui postremus omnium Evangelium suum litteris consignavit, scripto declarassent Jesum Christum esse verum Dei Filium, ejus divinitas omnibus fidelibus vivâ voce, seu traditione non scriptâ annuntiata erat. Nam tota Christianæ Catholicæque fidei summa in hoc potissimùm vertitur & insistit, ut credamus in nomine unigeniti Filii Dei, qui non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, quem misit Pater in similitudinem carnis peccati, qui factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Cum hæc omnia ante scripturam vivâ voce in Ecclesiis traderentur, & passim ab fidelibus crederentur, eorum omnium fides in unam dumtaxat traditionem non scriptam, non autem in scripturam, quæ nondum extabat, refundatur necesse est.

Ergo immeritò carpitur ab Hæreticis Ecclesia Catholica eo nomine quod non solùm suæ fidei capita ex scripturis Canonicis hauriat, verum etiam ex traditione non scriptâ (quam ab Apostolis acceptam & ad nostra usque tempora transmissam colit, & amplectitur quantâ maximâ Religione) repetat, singularique studio custodiat. Cum hujusmodi traditionem (antequam sacri Codices ederentur) omnes Christiani Catholici, ceu Apostolicam & certam suæ fidei regulam religiosissimè coluerint. Quid mirum vel quid reprehendendum in Ecclesiâ Dei, si jam illam ipsam Catholicæ, fidei regulam retineat respectu quorumdam fidei articulorum, quos Spiritus sanctus voluit equidem credi inter fideles, sed sacris litteris mandari noluit, vel ad exercendam Catholicorum fidem, vel probandam(quam legitimis debebant Pastoribus)reverentiam, quâ tenentur ex eorum ore percipere verba vitæ juxta effatum illud Propheticum Malach. c. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est.*

Et hanc regulam tradidit Spiritus sanctus, ut & articulos fidei, quos per sacros codices vulgari noluerat, ipsius Ecclesiæ vivâ voce discerent, & prætereà legitimum sacræ scripturæ sensum non ab obvio quolibet, sed ab ipsamet Ecclesiâ erroris nesciâ, & traditionum scriptarum pariter & non scriptarum custode integerrimâ fidelissimâque acciperent.

Quam regulam cum abjecerint transfugæ & desertores Hæretici ab Evangelio desciverunt : ita ut in eos bellè conveniant ista Apostoli verba : *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* 2. Cor. c. 4. v. 4.

A

Cum Catholici Calvinum audiunt tanto ardore, imò furore debacchantem in Sanctum Augustinum, quem alibi se sæpiùs ut optimum ex omni antiquitate testem, citare ait, cujus etiam se authoritate suis in placitis fretum gloriatur; quid de præcipiti ejus vertigine sentire possunt aut debent? nonnè continuò judicant talem hominem versari, & circumagi, & in tot errorum & hæreseon, & injuriarum portenta ab instigante diabolo impelli?

Quod facilè persuaderi potest. Si enim Lutherus Tom. 7. suorum operum fol. 228. commemorat sibi semel sub mediam noctem de repente expergefacto, astitisse Satanam & adversus ipsum disputasse contra Missas privatas, ut res abominabiles, & ita eum de hujusmodi Missarum execratione convicisse, ut eas aboleverit, ut legere est apud Hospinianum protestantem par. 2. Hist. Sacram, fol. 131. Quidni idipsum de Calvino in orationes & sacrificia pro mortuis offerri solita, & alia fidei Catholicæ capita acerbius multo, sentire & asserere liceat? Cum enim Deus judicio occulto, sed justo, hæresiarchas propter eorum superbiam, quæ mater est omnium hæreticorum, ut loquitur S. Augustinus, tradidit in reprobum sensum, haud dubiè spiritus mendax invadit in eorum animas, & insidet in ore omnium ejusmodi Pseudoprophetarum: *Ita ut Deus mittat illis, qui charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* 2. Thessal. cap. 2. v. 10. & 11.

Nihil igitur Calvinum deblaterantem moramur, quippè qui sanctæ Ecclesiæ Dei, orationem pro mortuis, & alia orthodoxæ fidei dogmata sibi ab Apostolis tradita credenti prædicantique, constantes adhærescimus. De sacrificio hîc silemus, ejus quippè tractationem suum in locum rejicimus. Firma igitur & inconcussa maneat doctrina de Purgatorio & sacrificiis in mortuorum subsidia conferri & offerri solitis. Si hæretici dicant hanc traditionem quæstuariam esse, ut eam adducant in odium, nos contendimus esse Apostolicam.

Quod si nonnulli Sacerdotes mercenarii, & avaritiâ conflagrati suo ministerio abutantur ad quæstum, non propterea culpanda est Ecclesia Dei, nec magis vituperanda, quam Christus Jesus, qui proditorem Judam incredibili patientiâ toleravit. Sed ad propositum, quæso, revertamur.

Hactenùs ostendi vos non habere Scripturas divinitùs inspiratas, cum enim, ut præmisimus, hujusmodi scripturæ tria requirant, nempè legitimum Canonem, litteram, seu legitimam, sivè Canonicam versionem & postremò veram interpretationem. Hactenùs demonstravi vos legitimum scripturarum Canonem non habere, nec legitimam versionem, superest ut ostendam vos verâ Scripturarum interpretatione esse omninò destitutos.

Sectio XXX.

In quâ Catholicus tres affert differentias, quibus Catholici ab heterodoxis in scripturarum explicatione discrepant, quarum prima est, quod hæretici dicant scripturam esse intellectu facilem, & ab omnibus posse nullo negotio explicari. Ex adverso Catholici aiunt multa multis in locis intellectu difficilia, & idò non à quolibet, sed à viris divinitus ad eorum interpretationem destinatis esse repetendam: secunda, quod Catholici scripturarum sensum per traditionem accipiant, non autem heterodoxi. Tertia quod iidem heterodoxi per peculiarem spiritum scripturarum arcana pervadant, non autem Catholici.

Hæreticus.

CERTE in te quadrat optimè illud Satyrici Vatis: quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? Tu mira polliceris, quæ quia communem superant fidem, præstare nullo pacto poteris.

Catholicus.

Catholicæ fidei sinceritas & simplicitas non patiuntur nos qui verbis thrasonicis & ampullatis. Hoc enim relinquimus viris quibus cum nulla pejoris causæ (ut vellent) propugnandæ, præsidia suppetant ad inptias, vel ad verba jactantiam undique redolentia perfugiunt. Sed hisce prætermissis ostendo perspicuè vos nec umquam assecutos, nec umquam assequi potuisse, etiamnum nec etiamnum assequi posse verum scripturæ sensum, & id probo triplici ratione seu triplici differentiâ, quâ secernuntur Catholici à ab heterodoxos in scripturarum interpretatione.

Prima petitur ex eo, quod Catholici persuasum habent scripturam divinitùs inspiratam esse intellectu difficilem, & ideò ejus intelligentiam accipiendam ab iis, quos Deus ejus interpretationi pares & idoneos reddidit: vos verò eamdem scripturam clarissimam, & intellectu facillimam existimatis, ideoque ejus lectionem & interpretationem cuilibet passim permittitis.

Secunda differentia, quâ hac in materiâ, sicut & in aliis Catholici ab hæreticis discrepant, in eo posita est, quod Catholici adhærescant ad traditionem non scriptam, pari cum verbo Dei scripto authoritate pollentem, & eam venerentur veluti sacrum canalem per quem ab Apostolorum ævo ad nostra hæc tempora Christianis Catholicis omnia orthodoxa fidei dogmata utroque Dei verbo scripto scilicet, & non scripto comprehensa castè & integrè transfusa sunt.

Vos verò heterodoxi abjectâ & explosâ traditione (quæ tamen scripturarum authoritate nititur, ut paulò antè vidimus) nihil habetis antiquius, quam ut sacras Litteras per ministrales consequentias ex iis perperàm illatas in aliena, sensa vestro prolubio detorqueatis.

Tertia denique differentia, quæ inter Catholicos & heterodoxos in omnibus controversiis intercedit, petitur ex eo, quod unusquisque vestrûm se constituat judicem scripturarum, & eas interpretetur, & optimè interpretari credat per internam, imò infernam persuasionem, quam vestri primicerii Spiritui sancto ascribere non horruerunt: Catholici autem Ecclesiam Dei quam omnes (nisi publicani & ethnici haberi velint) audire tenentur, audiunt, velut interpretem Scripturarum, velut disceptatricem, & judicem omnium controversiarum, veluti denique veritatis columnam & firmamentum, ab cujus oraculis & doctrinis, vel minimùm discedere perhorrescunt.

Hæ tres differentiæ germanum scripturæ sensum Catholicis asserunt, hæreticis abrogant. Tametsi enim dicant cum Luthero in præfat. assertionis articulorum ab Leone Pontifice damnatorum, scripturam esse per se certissimam, facillimam, apertissimam, suiipsius interpretem, omnium omnia probantem, judicantem, & illuminantem, & id profiteantur passim: Nos tamen Catholici semper auscultabimus S. Petrum aientem scripturam esse obscuram & ejus explicationem ex privato ingenio non esse repetendam: *Et habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: Hoc primùm intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: Sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* 2. Petri cap. 1. v. 19. 20. & 21.

Audiemus, inquam, eumdem Apostolum affirmantem in omnibus sancti Pauli Epistolis esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* 2. Petri cap. 3. v. 16.

Contextus Græcus habet verbum στρεβλοῦσιν quod primigenio significatu idem sonat, quod torqueo, seu tormento distraho, metaphora scilicet ducta ab reis, qui cum de suis sceleribus confiteri nolunt, tormentis & equuleo applicantur: Quemadmodum enim torquentur & distrahuntur reorum membra, ut ex eorum ore perpetratorum scelerum confessio extorqueatur: ita & Hæretici torquent scripturas, & sic tanquam tormentis admovent, & distrahunt, donec ex iis aliquid eliciant, quod eorum commentis quodammodo suffragari videatur.

Quo pacto Heterodoxi torqueant scripturas, videre est in præsenti controversiâ de reali Corporis Christi præsentiâ in Eucharistiæ Sacramento, cum enim premuntur circa explicationem horum verborum: hoc est Corpus meum, miris torquentur modis, & quo se vertant, nesciunt: Nam alii dicunt,

Tota hæc actio meum est Corpus,

Alii, hic est Corpus meum,

Alii, hoc significat Corpus meum,

Alii, hoc est figura Corporis mei.

Alii, hoc est Corpus meum spiritualiter & per fidem.

Alii, hoc est Corpus meum in receptione spirituali.

Hic sileri patior de 84. Interpretationibus, quas observavit & numerando percensuit Claudius de Saintes Ebroicensis Episcopus in doctissimo de Eucharistiâ Libro. Juvat nimirum intueri Calvinum ad inextricabiles angustias adactum, cum ad proferendam hujusmodi verborum intelligentiam adigitur.

Id perspicuè animadvertere licet lib 4. institut. c. 17. in quo ex professo tractat de sacrâ Christi cœnâ. Nam

Modò hæc verba: hoc est Corpus meum: ait in hanc sententiam esse resolvenda, hoc est instrumentum, per quod Christus nobis suum Corpus distribuit.

Modò sic explicat eadem ipsa verba, hoc est Corpus meum, hoc est, ubi est panis, ibi est Corpus meum.

Modò ait illa idem sonare ac ista: hoc est symbolum, per quod vera mei Corporis Communio fidelibus impertitur.

Modò sic interpretatur, hic est canalis Corporis mei.

Modò ait, hoc est Corpus meum ab meâ divinitate, & sanguine sejunctum.

Modò ait sic præfata verba esse intelligenda, ut dicatur, hæc est meæ Passionis & immolationis communicatio. Hæc & similia colliguntur ex citato cap. 17. Institut.

Alibi aliter explicat in l. de Cœnâ & sic interpretatur eadem verba, hæc est mea virtus & gratia spiritualis, vel hoc est symbolum, & testificatio quæ spirituales gratias adumbrat.

Et in Catechismo, hoc est obsignatio & confirmatio perceptæ gratiæ,

Et contra Hessusium, hoc est canalis Spiritus sancti, per quem quicquid est Christi, ad nos allabitur.

Tot in partes rapitur hic Hæresiarcha, imò in excogitandis fallaciis & præstigiis.

Se more furentis

Versat apri, quem turba Canum circum sepa terret.

Tam multa dicit, ut nihil dicat; & probet in se convenire quod jamdudum Hæreticis solemne & proprium esse asseruit Tertullianus, ut scilicet scripturarum interpretationem mutuarentur à Diabolo. *Nec periclitor*, inquit, *dicere ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut Hæreticis materias subministrarent, cum legam, oportet hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possunt. Sequitur à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit utique quosdam utique credentes & fideles suos.* Hæc ille de præscript. cap. 39 qui & cap. 41. ejusdem Libri carpit Hæreticos quod eorum mulieres volutarent sacros codices, & docerent: *Ipsæ mulieres hereticæ*, inquit. *quam procaces! quæ audeant docere, contendere.* Hæreticorum nostratium mulierculæ & hoc impudenter factitant.

Talis igitur ac tanta est Hæreticorum cæcitas ut ad Imagines phantasmatum suorum, (cum quibus voluntarii carnalis anima delectatur,) convertant omnia Sacramenta, & verba Librorum sanctorum, ut loquitur S. August. lib. 3. de Bapt. cont. Donat. cap. 19.

Omnium eorum cæcitas extitit, ex pervicaci superbiâ, quâ sacros Codices intellectu difficillimos sese posse suo ingenio interpretari posse & debere, ita ut sacras Litteras per ipsasmet sine ullo alterius (qualiscumque esse potuerit) interpretis adminiculo interpretarentur & explanarent; quod nusquam veri Catholici factitare, imò nec tentare voluerunt.

Hæreticus.

Quidni scripturam per ipsam scripturam explanare liceat? dicam ampliùs scriptura ipsa sine illamet ipsâ explicari non potest: sicut Sol sine ipso Sole videri non potest.

Catholicus.

Ista comparatio illustris sanè est, utpotè ab sole omnium luminum, syderumque principatum obtinente repetita, sed nullo pacto tibi suffragatura. Nam verum est solem nonnisi suo duntaxat ipsius lumine perspici & agnosci, neque posse nostros in oculos incurrere, quin illum videamus. Hæc enim ei si proprietas innata est, ut sit luminosus & aspectabilis, sed aliter de scripturâ philosophandum est, siquidem non est suaptè naturâ evidens & perspicua, neque omni passim intellectui manifesta. Id habet quidem, ut ex se erudiat, & remotâ omni erroris, falsitatisque nebulâ cum omnimodâ certitudine doceat, ita tamen ut ejus intelligentia non ex propriâ ipsius perspicuitate, sed ex Spiritus sancti in Ecclesiâ residentis penetratione pendeat.

Præcipuè scripturæ finis in eo positus est, ut nos orthodoxæ Fidei Mysteria doceat. Fides autem in eo discrepat à scientiâ, quod scientia majorem perspicuitatem, & minorem quam fides certitudinem habeat, fides autem scientiam, non perspicuitate, sed certitudine antecellat, atque adeò nemini mirum videri debet, si scriptura non sit evidens, & manifesta; cùm ea quæ pertractat, & ad quorum notitiam nos provehere contendit, cum obscuritate sint conjuncta. Præterea si scriptura ob proprium splendorem cognosci & quoad intelligentiam introspici posset, quemadmodum sol suo ipsius lumine cernitur & discernitur, ipsa proculdubiò non solum ab electis divino spiritu præditis, sed ab omnibus promiscuè hominibus agnosceretur & intelligeretur.

Quod quidem nemo Heterodoxus concesserit. Si dicant adversarii solis electis hanc impertiri gratiam, ut per se intelligant scripturas hoc est falsissimum. Non enim inficiari possunt, quin David Propheta maximus & sanctissimus & ob mirabilem, quam egit pœnitentiam toti terrarum orbi notissimus ad prædestinatorum numerum pertineret, & tamen scripturarum intelligentiam ardentissimis precibus ab ipso Deo flagitabat; non igitur habebat; quid enim stultius, ait S. Augustinus, quam orare & petere, quod jam habeas. Quod illam scripturarum intelligentiam poposcerit à Deo, patet imprimis ex Psalm. 118. in quo sæpissimè id testatur: *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tuâ: Incola ego sum in terrâ, non abscondas à me mandata tua. Doce me justificationes tuas.* Cætera loca in quibus aliis verbis idipsum petit, prolixitatis vitandæ gratiâ prætereo.

Præterea vir Æthiops Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus proculdubiò ex Electorum numero erat, & tamen rogatus à Philippo utrum intelligeret, eum quem legebat Isaiæ locum, respondit, *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Quæ verba declarant eum Isaiæ locum fundamentalem, & ad salutem necessarium, utpotè de Christi Passione pertractantem hujusmodi Eunuchum non intellexisse, nec intellecturum fuisse, nisi Philippus divino jussu imperatus, sese ad ipsum contulisset, & Isaiam Prophetam de Christo crucifixo interpretatus esset. Id totum legere est Act. cap. 8.

Perperàm ergo contendunt Heterodoxi scripturam esse apprimè perspicuam, & per ipsammet sine ullo interpretum adminiculo posse intelligi, & explicari. Suam ut doctrinam fulcirent aliquo scripturæ testimonio corruperunt ejusdem scripturæ locum petitum ex Lib. 2. Esdræ cap. 8. v. 8. Cum enim legamus ibi, & legerunt in Libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur.

Genevenses in Bibliis editis an. 1588. & 1610. ab Joanne Vignon excusis, ita verterunt: *Et lisoient au Livre de la Loy de Dieu, l'exposant, & en donnoient l'intelligence, la faisant entendre par l'Ecriture mesme.* Quæ corruptio est manifestissima, & impudentissima. Nam in eod. cap. v. 9. Nehemias & Esdras sacerdos & scriba & Levitæ dicuntur interpretantes universo Populo. Et ejusdem capitis v. 12. dicitur Populus abiisse ut faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba quæ docuerant eos. Et ejusdem cap. v. 13. dicuntur congregati principes familiarum universi Populi, sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis.

Ex quibus locis patet Esdram non explicasse scripturam per scripturam, sed eam interpretatum esse veluti Doctorem & Magistrum in scripturis evolvendis & explanandis exercitatissimum.

Nemo ergo sibi tantùm sumat ut suo ingenio scripturas interpretetur, si enim nemo potest dicere Dominus Jesus sine Spiritu Sancto, multò minùs scripturas Dominum Jesum divina facientem, & humana patientem passim elocutas, sine illo ipso interpretari poterit. Et hoc insigniter præstant Catholici: siquidem adhærent non solum scriptæ traditioni, quæ sacris continetur Litteris, verum etiam non scriptæ, per quam Spiritus sanctus multa sacris in Codicibus non expressa revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit. Postremam hanc traditionem non minoris momenti quàm priorem Catholica fides astruit: Et sine illâ neminem verum scripturæ sensum assequi posse, Ecclesia in Spiritu sancto congregata sæpenumerò declaravit.

Traditionis necessitatem admittunt & probant S. Patres, & imprimis S. Irenæus, Tertullianus, S. Augustinus, quorum verba supra retulimus. Toti antiquitati consonat Vincentius Lirinensis qui cap. 1. Commonitor. 1. affirmat se ab plurimis sanctitate & doctrinâ præstantibus viris poposcisse, quonam modo certâ viâ Catholicæ fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falsitate discernere valeret; hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retulisse. *Quod*, inquit, *sive ego, sive quis alius vellet exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sanâ sanus & integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet, primò scilicet divinæ legis authoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Hæc ille.

Ille ipse Author ejusd. Commonit. 1. cap. 2. reddit rationem ob quam scripturæ, quæ est traditio scripta, traditionem non scriptam adjungi oporteat.

Hic forsitan, inquit, *requirat aliquis, cum sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat; quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur authoritas*, quia, inquit, *scripturam sacram pro ipsâ suâ altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter, alius atque alius interpretantur, ut penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, &c. Atque idcircò multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc ille.

Hujus regulæ Catholici quique retinentissimi, cum ventum est ad scripturarum interpretationem, semper has Tertulliani voces cuilibet earum explicationi & discussioni præmiserunt: *nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de Cælis aliter evangelizaret, Anathema diceretur à nobis.*

Hactenùs Tertullianus lib. de præscript. cap. 6. Si talis ac tantus vir stetisset in iis effatis, quæ nobis ad debellandas hæreses mirabili genio studioque suppeditavit, æternam proculdubiò in Cælis pariter & in terris gloriam esset consecutus. Sed quia suo nimiùm confisus ingenio, nescio cujus paracleti præstigiis illusus, & effascinatus est, utrâque carere creditur.

Sicut igitur Catholici scripturarum interpretationem ad traditionis non scriptæ regulam & amussim exigunt, & salvantur; Ita Hæretici illam ipsam scripturarum interpretationem ad suæ mentis vertiginem admetiuntur, & pereunt. Et hac in parte ab Catholicis discrepant Hæretici, ut rectè asserit ibidem idem Tertullianus, cit. lib. cap. 17. *Heresis*, inquit, *non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: etsi aliquatenùs integras præstat, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus, variæ præsumptiones. Necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt, quid promovebis exercitatissime scripturarum, cum, si quid defenderis negetur: Ex diverso si quid negaveris defendatur. Et tu nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi bilem de blasphematione.* Hæc ille.

Hæreticus.

Facile est nobis falsationem, & adulterinam scripturarum interpretationem imponere, sed quid prohibebit, quominus eadem quæ nobis objicitis, in vos retorqueamus?

Catholicus.

Tertullianus lib. jam cit. cap. 18. idipsum quod ipsius temporibus Hæreticis objiciebant Catholici, in ipsosmet ab Hæreticis suo sæculo retorqueri vidit, & secuturis temporibus retortum iri credidit. *Necesse est*, inquit, *& illos dicere à nobis potiùs adulteria scripturarum, & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem.*

Hæreticus.

Immeritò igitur nos oneratis injuriis, & insimulatis quasi corruptores scripturarum, in quibus tamen omnem fidem, & spem salutis & reportandæ de vestris hominibus victoriæ collocamus.

Catholicus.

Ipse Tertullianus ejusd. lib. de præscript. c. 19. eam indicat vobiscum dimicandi rationem, quæ quidem (si eam adhibebimus) omnem vobis vindicatæ, vel certè speratæ victoriæ spem haud dubiè præripiet.

ubique terrarum & gentium annuntiare cœperunt, ipsomet, quem prædicabant, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.

Christiani igitur Catholici suam doctrinam ab Apostolis acceperunt, Apostoli à Christo, Christus à Deo.

Porrò si quæratur quibus tradita sit disciplina seu doctrina, quâ Christiani sumus, ut in omnes omnium sæculorum homines, & in omnium gentium notitiam propagaretur?

Respondeo Catholicæ fidei doctrinam ab Apostolis traditam esse Episcopis, quos Ecclesiis ab ipsismet fundatis præficiebant, ut & ipsi & eorum Successores Episcopi eamdem suis Successoribus traderent, & hoc pacto disseminarent in memoriam orbis terræ sempiternam. Ad hujus rei probationem sufficiet exemplum S. Pauli, qui Timotheum, quem discedens Epheso, illi eidem civitati Episcopum præfecerat, imbuit præceptis ad regendam Ecclesiam necessariis, ut videre est in duabus Epistolis ad illum inscriptis, & præsertim in primâ, in quâ præcipuis Episcopalis officii partibus operosius explicatis, & traditis præcipuis fidei capitibus, & demandatâ illi curâ, ut adversus Judaïzantes, & alios Apostolicæ doctrinæ corruptores, qui partim exorti erant, partim exorituri ab ipso prævidebantur seduló vigilaret, tandem primæ hujus Epistolæ c. 6. v. 20. sic eum affatur: *O Timothee depositum custodi devitans prophanas vocum novitatee.* Quæ Apostoli verba, quia Vincentius Lirinensis commonitor. 1. c. 27. pulcherrimè, & ad propositum nostrum accommodatissimè pertractavit, hic ipsissima ejus verba ascribere non pigebit. *O Timothee depositum custodi. O! exclamatio ista*, inquit, *& præscientia est pariter, & charitatis. Prævidebat enim futuros. quos etiam prædolebat errores; Quis est hodiè Tertullianus? nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus præpositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere. Quid est depositum custodi? Custodi*, inquit, *propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. Depositum*, inquit, *custodi Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in quâ non Author debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum*, inquit, *custodi: Catholicæ Fidei talentum inviolatum, illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias, nolo pro auro, aut impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor! si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ: esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur te exponente illustrius, quod anteà obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova.*

Hæc ille Litteris consignavit, & docuit, ut omnes discerent fidem Catholicam ab Apostolis in omnia sæcula transmissam, illibatam ab universis Catholicis & præsertim ab Episcopis, Tractatoribus, Doctoribus, & aliis quibus Deus docendi munus ad Ecclesiam ædificandam indulserit, custodiri oportere.

Quod quidem cumulatè præstitit, & præstabit usque ad consummationem sæculi Ecclesia Catholica, utpotè quæ dirigatur à spiritu veritatis, qui eam nullo unquam errore in rebus ad salutem necessariis infici passus est, nec umquam juxta Christi pollicitationem ullâ hæresi labefactari patietur.

Ergo penes illam est veritas Disciplinæ, & Fidei Christianæ. Ergo ad illam unam pertinet veritas scripturarum, & expositionom & omnium traditionum Christianarum. Ergo Ecclesia Calvinistarum nihil ex hujusmodi rebus sibi vindicare potest.

Sectio XXXII.

In quâ probat vir Catholicus Ecclesiam Romanam esse veram & solam Ecclesiam, siquidem in ipsâ luculenter apparet veritas & disciplinæ & fidei Christianæ, atque adeo vera scripturarum expositio, & legitima Traditionum authenticarum possessio, quam cum habuerit quatuor aut quinque prioribus sæculis, de ipsâ dejici non potest, nisi quis pari ad blasphemiam impudentiâ, & ignorantiâ inferi portas adversus eam prævaluisse deblaterare audeat.

Hæreticus.

UNDE hoc infers?

Catholicus.

Hoc infero ex evidentissimâ & certissimâ Tertulliani, sancti Irenæi, & aliorum Patrum ratiocinatione, quæ talis est.

Ubi apparet esse veritatem & disciplinæ & fidei Christianæ, illic est veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.
Atqui in Ecclesiâ Romanâ seu Catholicâ apparet esse veritatem & Disciplinæ & Fidei Christianæ.
Ergo in Ecclesiâ Romanâ est veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Hujus syllogismi major est certa, nec in controversiam, vel ab ipsis adversariis evocari potest. Ergo difficultas erit in minori, quam probamus altero syllogismo in hunc modum.

In illâ Ecclesiâ est veritas & Disciplinæ, & Fidei Christianæ, quæ probare potest sibi uni competere veram fidem, suas esse scripturas, & ostendere à quo, & per quos, & quando & quibus tradita sit illa ipsa Disciplina, per quam facta est Christiana.
Atqui sola Ecclesia Romana hæc omnia, quæ in majori, numerando percensuimus, & ostendere, & sibi vindicare potest.
Ergo in illâ solâ est veritas, & Disciplinæ, & Fidei Christianæ.

Hujus syllogismi major citra controversiam est indubitata: minor igitur est comprobanda, & sic probatur.

Ecclesia illa sibi soli vindicare potest veram fidem, quæ semel illam habuisse cognoscitur.
Atqui Ecclesia Romana saltem quatuor primis sæculis veram fidem tenuisse cognoscitur, & vel ab ipsis adversariis veræ fidei certa possessio illi pro toto saltem quatuor sæculorum curriculo asseritur.
Ergo Ecclesia Romana sibi soli veram fidem vindicare potest. Ergo illa una vera est Ecclesia, illius ergo solius sunt scripturæ & earum expositio, & omnium traditionum Christianarum notitia & possessio.

Cum hæc omnia in Eclesiam Romanam bellè quadrare in superioribus præjudiciis ostenderimus, & præsertim in quinto, haud dubiè ab omnibus cordatis una & vera Ecclesia habebitur, & econtrà cum nihil horum conveniat Ecclesiæ reformatæ, jure ac meritò transfugarum & desertorum sacrilega societas & con-

venriculum habebitur : Siquidem Calvinus, Lutherus & eorum Asseclæ & Discipuli desertâ Ecclesiâ, quæ est columna & firmamentum veritatis, convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Christiani autem Catholici in ejusdem Ecclesiæ sinu, ex aquâ & Spiritu sancto regenerari, ejus doctrinis & oraculis imbuti, eam usquequaque venerantur, & audiunt, veluti supremam disceptatricem, & incorruptum judicem omnium controversiarum circa fidem, & bonos mores emergentium. Et hac in parte discrepant ab Lutheranis, Calvinistis, & aliis id genus hæreticis, qui omnia, vel nescio quâ internâ persuasione, vel aliâ mentis vertigine conculeatâ Ecclesiæ authoritate nova quæplam commenta procudunt, illi autem ad traditiones Apostolicas, sivè scriptas, sive non scriptas, ita volente Deo, & per Ecclesiæ vocem & ministerium imperante, constantissimè adhærescunt. Et hæc est tertia differentia, quam suprà Orthodoxos inter, & hæreticos in omnibus controversiis intercedere diximus.

Sectio XXXIII.

In qua probat orthodoxus turpiter allucinari hæreticos, dum credunt sibi veram scripturarum interpretationem revelari per privatum spiritum : utpotè qui in varios circulos, (quibus nihil est in ratiocinatione ineptius) sese implicant.

Hæreticus.

QUID vetat, quominus Spiritus sanctus privato cuique impertiri possit, & revera impertiatur internam persuasionem, cujus adminiculo scripturam divinitùs inspiratam, & germanum ejus sensum citra errorem discernere & dijudicare valeat.

Catholicus.

Nemo dubitat quin Spiritus sanctus id possit, sed quisque Catholicus id ab illo ipso Spiritu in vobis factitari & factitatum esse negat. Et in hoc versatur quanta maxima Calvinistarum allucinatio, quod hujusmodi internæ persuasionis obtentu *unusquisque ipsorum*, ut S. Irenæi verbis utar, *omnimodo perversus semetipsum regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solùm Presbyteris, Sed etiam Apostolis existentes sapientiores synceram invenisse veritatem: Apostolos autem admiscuisse ea, quæ sunt legalia Salvatoris verbis.* Hactenùs S. Irenæus lib. 3. adversus hæreticos cap. 2. graphicè depinxit hæreticorum indolem, qui & eodem cap. asserit evenire, ut neque scripturis, neque traditioni consentiant.

Non hic immorabor in refellendâ commentitiâ illâ persuasione quam satis suprà refutavimus; siquidem unum tantum ostendere juvat hæreticos scilicet admittendo internam illam persuasionem, quâ possunt scripturas suo ipsorum lumine, & splendore internoscere & privato spiritu, id est per Spiritum sanctum, quem eorum unusquisque sibi vindicat, utpotè qui perspicuè demonstrat fideli cuique, quid sacræ litteræ ad salutem necessarium esse doceant : committere circulum apprimè vitiosum, quiquidem in sese recorrendo in unius rei notitiam per ipsammet rem acquirendam inquirit : quod argumentandi genus intolerabile est in ratiocinando vitium : siquidem ratiocinatio nullius objecti notitiam afferre potest, quin eum in finem aliud quid notius adhibeat.

Ab hujusmodi circulo sese Calvinistæ expedire nequeunt. Nam scripturæ notitiam ascribunt causæ, quæ ejusdem scripturæ notitiam supponit : Contendunt enim (ut profitentur in art. 4. suæ confessionis Gallicanæ) se scripturam per Spiritum Dei cognoscere, & vicissim ipsum Dei Spiritum per scripturam se cognitum, cognitum habere dictitant.

Ergo non minùs sese implicant in circulum, quàm ille qui diceret Lutherus est prædestinatus, quia Calvinus hoc dixerit, & Calvinus est prædestinatus, quia Lutherus hoc affirmavit.

Manifestus est iste circulus, sicut & ipse quo Calvinistæ probant scripturam per privatum spiritum, & rursùs privatum spiritum per scripturam : Docent quippè Dialectici tunc committi circulum, quando hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum, qui neutrum concedit, & æquè de utroque dubitat.

Si enim v. g. negem Lutherum esse prædestinatum, & mihi probes Lutherum esse prædestinatum, quia Calvinus dixit, & Calvinum esse prædestinatum quia Lutherus asseruit, circulum proculdubiò admittes, quia utrumque mihi pariter ignotum & incertum est. Nulla igitur probatio legitima esse potest, quin ex omnium Philosophorum assensu, à notis ad incognita, vel ab concessis ad inconcessa progrediatur. Non possunt hic tergiversari Calvinistæ, aiendo se non committere circulum, cum dicunt se cognoscere scripturam per privatum spiritum, & rursùs privatum spiritum per scripturam : siquidem diximus tunc dumtaxat committi circulum quando hoc per illud & illud per hoc probatur apud eum cui utrumque est pariter ignotum. Quod hoc in casu nota sit scriptura, per quam privatus spiritus agnoscitur & astruitur.

Istud effugium frivolum est pariter & ridiculum. Nam semper probant hoc per illud, hoc est scripturam per privatum spiritum, & illud per hoc, id est privatum spiritum per scripturam. Cum ergo dicimus committi circulum probando hoc per illud, & illud per hoc : quando scilicet utrumque, id est hoc & illud, pariter ignotum est illi, quicum rem habemus, significamus ex adverso non committi circulum ab disputante, cum alterutrum è duobus de quibus quæstio est, admittitur ab eo quicum disputatur : Ita ut ejus partis, quam admittit, vi & authoritate revinci valeat. Si v. g. rem habeam cum Catholico rudiore, & Ecclesiæ judicio & authoritati acquiescere parato, qui nihilo seciùs dubitet graviter de quopiam fidei articulo, non committam circulum, cum eum de veritate articuli, de quo dubitat, revincam Ecclesiæ authoritate, quam (sicut Catholicum decet) veluti sacrosanctam suæ fidei regulam veneratur.

Quod non contingit in præsenti Calvinistarum casu. Esto enim dicat quispiam Calvinista non admittere scripturam, fatebimur, numquam tamen scripturæ authoritate nos convincere poterit de privato illo spiritu, cujus beneficio veram scripturam à falsâ, & genuinum ejus sensum ab spurio & adulterino sese discernere gloriatur. Et ideò quicquid dicat, semper oberrabit in circulo.

Privatus ille spiritus fictitius, ab erroris, & omnis hæreseos satore, & propagatore Diabolo (qui sæpè ad illudendos homines superbos & suo ingenio nimiùm confisos sese transfigurat in Angelum lucis) est excogitatus, ut suas technas aliquo religionis colore, & titulo inumbraret.

Non ergo Catholici committunt circulum, cum rudiores Ecclesiæ authoritate, quâ possunt revinci, & quam admittunt, ab errore, quo fuerint implicati, relevant, sicut nec committunt, cum hæreticos, qui scripturam admittunt, scripturæ authoritate de suorum commentorum, & novitatum falsitate revincimus.

Hanc probandi methodum sine circulo secutus est Christus Dominus Joan. cap. 5. v. 39. Nam ut ostenderet se verum esse Messiam ab Prophetis & præsertim à Moyse prænuntiatum, dixit Judæis : *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

Et in

Et in eod. cap. *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis: Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: De me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?* Idem fecit ipse Christus Luc. 24. cap. in quo duos discipulos illo ipso Resurrectionis die profectos in Castellum Emmaüs, de suâ gloriâ per Passionem comparatâ, convicit, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretatus illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

His ita prælibatis Calvinistæ ab præfato circulo sese extricare non possunt, siquidem Catholicos scripturam alioquin veneratos & amplexos, de suo illo privato spiritu per scripturam convincere nequeunt.

Hæreticus.

Quid vetabit quominùs privatum spiritum, quem tanto ardore impugnatis, scripturarum authoritate comprobemus?

Catholicus.

Multa vetant quominùs id ritè ex scripturis probare valeatis.

1. Id prohibet præcipuus scripturæ locus quem profertis ex Evangelio S. Joann. cap. 10. v. 27. ubi ita loquitur Christus Jesus: *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.*

Quæro à vobis, qui ubique prædicatis uni dumtaxat verbo Dei adhærescere oportere, & neque hominibus, neque ipsis etiam Angelis ipsi verbo quicquam adjicere vel detrahere, vel quicquam prorsùs in eo immutare fas esse dicitis (ut patet ex art. 5. confessionis vestræ Gallicanæ) quæro, inquam à vobis utrum ex hoc loco rectè ratiocinaretur, qui diceret: Dixit Christus citato sancti Joannis loco loquens de prædestinatis: Oves meæ vocem meam audiunt: ergo quisquis sectatur Calvini doctrinam & vivit in Ecclesiâ reformatâ est prædestinatus, & habet intrinsecam Spiritus sancti persuasionem, quo suggerente docetur libros canonicos ab aliis non canonicis discernere.

Hæreticus.

Quidni id inferatur per legitimam consecutionem?

Catholicus.

Non ergo explicatis scripturam ad litteram, ut jacet: si enim hanc interpretationem affertis istius loci, aliena est illa interpretatio & toto cœlo ab hujus loci sensu dissidet: si autem id adjicitis eidem loco, adjicitis igitur aliquid scripturæ, cui neque homini, neque Angelo aliquid adjicere vel detrahere, vel in eo quicquam inmutare nefas esse contenditis: si autem ex illo eodem loco deducitis probationem privati vestri spiritus, certè vos privato spiritu non solùm, sed & communi spiritu, sensuque destitutos esse manifestè & palàm ostenditis: Ergo ut vestra perhibent dicta totam scripturam quaqua patet ad vestra sensa & errorum monstra, quæ ab aliquot annis vel protulistis, vel ab aliis hæreticis prolata, & Ecclesiæ anathematis jamdodum perculsa, & diuturno silentio obruta, in orbem terræ revexistis instigante Diabolo, per vestras consequentias accommodare, & sic homines in errorem inducere, & omnem omninò religionem labefactare poteritis.

Hæreticus.

Numquam ergo licebit scripturam illustrare glossematis, & ex eadem scripturâ inferre per consequentias legitimè deductas articulos fidei?

Catholicus.

Hoc licebit, dummodo glossemata eruantur ex scripturis, & illationes seu consequentiæ, per quas eruuntur, sint evidentes & necessariæ, ut vult vester Molinæus in suo fidei clypeo, ubi contendit in scripturæ locis interpretatione nihil egentibus omnia ad parandam salutem necessaria contineri, sed locus quem habemus præ manibus, non est hujusmodi, ut glossemata quibus privatum spiritum astruere vultis, pati possit, & ex eo per illationes evidentes & necessarias inferatur. Præterea iste locus eget interpretatione, non ergo potest annumerari inter ea scripturæ loca, quæ perspicuè sine ulla interpretatione continent omnia ad salutem sufficientia & necessaria, ergo vel ad salutem non est necessarius privatus ille spiritus, vel secundum vestra principia ex scripturâ nec probari potest nec debet.

SECTIO XXXIV.

In quâ contendit Orthodoxus omnes consecutiones, & illationes, quas ex scripturis elicere conantur Hæretici, non posse constituere ullum fidei articulum, utpotè quæ careant septem conditionibus hîc enumeratis, quas vel ipsi ad astruendos fidei articulos exigi prædicatis, ut rectè colligitur ex articulo 5. confessionis, quam in Galliâ vos profiteri dicitis.

Hæreticus.

PRivatus ille spiritus est omninò necessarius, & ideò rectè per legitimas consecutiones ex scripturâ probabitur.

Catholicus.

Omnes vestræ explicationes & consequentiæ, non possunt constituere articulum fidei & cætera ad assequendam salutem necessaria, quin septem habeant conditiones, sine quibus nullum obtinent momentum in materiâ religionis. Hujusmodi conditionum

Prima est, ut id quod per consequentiam probatur, scriptura contineat & doceat.

Secunda, ut is qui vel interpretatur scripturam, vel aliquid pertinens ad fidem & salutem ex eâ infert & colligit, nulli sit errori obnoxius.

Tertia, ut scriptura ad dijudicandam interpretationē vel consequentiam disceptatrix & judex adhibeatur.

Quarta, ut ex merâ scripturâ quam unam dumtaxat agnoscitis fidei regulam, glossema vel consequentia depromatur.

Quinta, ut glossema aut consequentia nihil meris philosophorum, aut Sophistarum argutiis & præstigiis innitatur.

Sexta, ut interpretatio scripturæ vel consecutio ex eâ deducta sit perspicua & evidens.

Septima denique, ut talis interpretationis vel illationis veritas ex scripturis, ita pelluceat, ut si quis eam negare velit, per easdem scripturas nullo negotio de ejusdem evidentiâ & certitudine convinci valeat.

Omnes illæ conditiones erutæ sunt ex articulo 5. vestræ Confessionis Gallicanæ ubi dicitis, neque antiquitatem, neque consuetudines, neque multitudinem, neque humanam sapientiam, neque judicia, neque edicta, vel decreta ulla, neque concilia, neque visiones, neque miracula, scripturæ illi divinæ opponere licere: sed potiùs omnia ad ejus regulam & præscriptum examinari & exigi oportere.

Hoc principio à vobis ita constituto sola scriptura seclusis quibuslibet mediis ab eâ diversis sufficit ad omnia declaranda, quæ ad salutem pertinere videbuntur. Ergo si privatum illum spiritum in scripturâ expressum, vel per evidentem & necessariam consecutionem ex eâ deductum ostendere nequeatis, vos illum veluti commentitium, imò diabolicum confiteri & detestari necesse est: siquidem careat iis conditionibus, quas vel ipsi ad constituendum fidei articulum exigitis, nec proh dolor! in ullâ occasione servatis, ut videre est. Nam in omnibus vestris fidei articulis, in omnibus disputationibus & colloquiis scripturam inclamatis, ad scripturam provocatis, nihil tamen asseritis, quod non ab ipsâ scripturâ penitùs abhorreat.

SECTIO XXXV.

In quâ Orthodoxus declarat genuinum sensum, hujusmodi verborum sancti Joannis Apostoli: Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Joannis 1. cap. 2. vers. 27. atque ita diluit objectionem quâ privatus spiritus videtur astrui.

Hæreticus.

Est alter scripturæ locus 1. Joan. cap. 2. quo demonstratur spiritus ille privatus, seu testificatio Spiritus sancti, quam quisque fidelis experitur in intimo cordis recessu. *Non necesse habetis, (ait) ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.*

Catholicus.

Hic locus non probat singulos fideles privatam habere sancti Spiritus testificationem, quâ se rectè libros canonicos, & veram eorum intelligentiam dijudicent: sed propter Episcopos, quos Spiritus sanctus posuerat regere Ecclesiam Dei, ita loquitur, quasi diceret fideles ab ipsis in Ecclesiâ & doctrinâ Apostolicâ, nullo hæreseon veneno infectos contineri, & proindè non egere doctore, sicut indigent rudes & seducti; rudes ut discant, quod nondum sunt edocti; seducti autem ut redeant ad veritatem Catholicam, à quâ sunt segregati. Cum autem dicit sanctus Joannes, *sed sicut unctio docet vos*, id est Spiritus sanctus, ut interpretatur sanctus Athanasius in Epist. ad Serapionem.

Revera Spiritus sanctus docet fideles intrinsecùs & extrinsecùs; Intrinsecùs fidelium mentes suis perfundendo radiis, ut intelligant, & accendendo corda intelligentium, ut quam intellexerint veritatem, divinæ charitatis ardore succensi amplectantur & impleant.

Extrinsecùs autem per Episcopos, quos posuit regere Ecclesiam Dei. Unde sanctus Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 43 ita loquitur: *Eis, qui in Ecclesiâ sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi Hæreticos & male sententes, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursus, ut Hypocritas, quæstûs gratiâ & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem decidunt à veritate.* Ex hoc loco & aliis, quos videre est apud eumdem sanctum Irenæum lib. 3 cap. 2. 3. 25. 4. & infra hujus lib. 4. cap. 45. 63. & 70. patet successionem Episcoporum doctrinas Apostolicas & traditiones sibi ab majoribus transmissas sollicitè & religiosè retinentium & populis sibi commissis tradentium, esse certissimam Ecclesiæ Catholicæ notam, quâ ab omnibus, & infidelium & schismaticorum, & Hæreticorum conventiculis, ceu peculiari quadam tesserâ disiungitur.

Unde argumentis ab eo signaculo repetitis confoderunt Hæreticos veteres omnes. Testis est Tertullianus in lib. de præscript. Testis sanctus Cyprianus qui iisdem argumentis confudit Novatianos. Testis est sanctus Hieronymus, qui hac methodo sectas Orientis aggressus est, ut ait ipse in dialogo contra Luciferianos: Testis est Optatus Milevitanus lib. 2. adversus Parmenion. & Donatistas. Testis denique sanctus Augustinus, qui tali Episcoporum successione veluti sancto quopiam vinculo constrictum & retentum sese in Ecclesiâ Catholicâ perstitisse commemorat pluribus in locis, ut puta in lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. libro de utilitate credendi cap. 17. & 49. Item Ep. 163. & 165. Item lib. 2. cont. litt. Petiliani c. 51.

Sanctorum Patrum vestigiis institere viri doctissimi, qui Calvinistarum Sectam dæmoniorum doctrinis internæ cujusdam persuasionis obtentu attendentem, gravissimis operibus aggredi non dubitarunt: ita ut factiosa illa hæreticorum turba hujusmodi hominum libris omnigenâ eruditione refertis profligata obrutaque in nihilum interiret, nisi Deus opt. max. (qui è majoribus malis majora bona elicere novit) illam ad probandam electorum fidem & constantiam, ad acuenda eruditorum ingenia studiaque, & demùm ad illustrandam propagandamque magnificentiùs Apostolicam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam identidem repullulare pateretur & sineret. Ex hoc igitur loco nihil colligi potest, quo privatus ille spiritus possit validè comprobari.

Portò dato non concesso, quod ex eo S. Joan. loco nonnihil in hujusmodi spiritus gratiam elici possit, nondum tamen indè ejus existentia probaretur: siquidem illi eidem spiritui tres dotes assignant hæretici, quibus omni ex parte labefactatur. Nam 1. dicunt illum in unos duntaxat prædestinatos cadere.

2. Asserunt solos prædestinatos qui legunt, vel audiunt scripturas, de divinâ earum authoritate extra errorem per eumdem spiritum fieri certiores: ita ut illicò cum ex iisdem scripturis aliquid vel legunt, vel audiunt, sine ullâ tergiversatione & errore scripturas divinas seu canonicas ab non divinis secernere valeant.

3. Denique affirmant illos ipsos prædestinatos per eumdem spiritum, & eadem, ut ita dicam, infallibilitate, & præsenti justitiâ de futurâ suâ perseverantiâ, de vitâ denique æternâ seriùs ocyùs fruendâ fieri certiores

His positis, contendo talem spiritum qualem illi depingunt, nemini umquam concessum esse, atque adeò numquam extitisse. Nam si cuipiam concessus est, fatendum est saltem primis Ecclesiæ reformatæ Pastoribus fuisse datum, quod falsissimum esse constat. Nam conceditur solis prædestinatis, ut dicitis, ergo neque Luthero, neque Calvino, neque Bezæ, neque aliis id genus hominibus datus est. Quis enim affirmare audeat Lutherum esse prædestinatum, Lutherum, inquam, hominem nullâ maledicentiâ saturabilem, Oreste insaniorem, odio lymphatum, philautiâ temulentum, ut ait Erasmus in defensione Diatribæ. Quis, inquam, dicat è numero prædestinatorum fuisse Lutherum, cujus doctrinam ab ipsismet hæreticis vocatam esse commentum hominum, crassum delirium à Diabolo suggestum, absurdum & portentosum dogma, satanæ excrementum, cujus & ipsum satanam pudeat, commemorat Schlusselburgius lib. 2. art. 1. Theolog. Calv.

Quis dicat Calvinum fuisse prædestinatum: Calvinum, inquam, quem Novioduni latronum & malefactorum stigmate inustum norunt omnes; quippè qui de gravissimo flagitio ultricibus flammis coërceri solito convictus fuerat. Et reipsâ vivus arsisset, nisi tale supplicium flagitante Episcopo, in leviorem liliati stigmatis pœnam fuisset immutatum. Et id esse verum declarat inquisitio hac de re facta, & Genevam perlata ab quodam Berthelerio, in quâ totum, quod retulimus, continetur, nec id posteà inficiata est Geneva, quod factitasset proculdubiò, si ejus rei falsitatem aliquâ ratione deprehendere potuisset.

Prætereà, Bolsecus qui in Calvini vitâ, quam litteris mandavit, eamdem refert inquisitionem, quam Berthelerius adhuc superstes, non impugnavit velut fallacem, quod præstitisset proculdubiò, si salvâ fide, seu conscientiâ eam falsitatis arguere potuisset.

Omitto cætera Calvini vitia, de quibus Papyrius Masso pag. 23. & 25. consuli poterit.

An Beza alter Calvinistarum antistes, quem Daniel Hoffmannus appellat præstigiatorem, calumniatorem, nullius conscientiæ, blasphemum, cavillatorem, perversum ac detestandum verbi Divini violatorem, quem Heshusius vocat scortum prostitutum; quem denique Schlosselburgius appellat atheum, impudentem rabulam, diabolum incarnatum, Beza; inquam, poteritne inter prædestinatos recenseri? Non poterit proculdubiò in eo prædestinatorum numero reponi,

nisi ab Fanaticis, quos Satanas suis præstigiis irretierit.

Quod cum ita sit, neque Lutherus, neque Calvinus, neque Beza, neque alii hæreseon satores privatum spiritum habuerunt, quippè qui non erant prædestinati. Nam prætermissis aliis rationibus, quibus id comprobari potest, quis erit tam ab ratione & religione desertus, qui dicere velit homines (qui ab Ecclesiâ Romanâ quam unam esse veram Christi Ecclesiam fatebantur, & noverant, recesserunt, ita ut extra eam teterrimam mortem oppetierint) esse prædestinatos? Quod quidem cum sit indubitatum, certum est etiam eos privatum spiritum (ipsis etiam fatentibus Hæreticis) nec habuisse, nec habere potuisse.

Privatus ergo spiritus ridiculum est commentum ab Dæmone excogitatum, ab ejus organis prædicatum, ut Ecclesiæ Catholicæ desertores suam desertionem aliquo pietatis colore fucare, seu prætexere valerent.

Quicquid id est privatus ille spiritus ceu commentitius & nullus ab omnibus bonis cordatisque exploditur, quippè qui ruinoso fundamento, & penitùs verbo Dei contrario fulciatur. Supponit enim unumquemque Ecclesiæ reformatæ asseclam esse prædestinatum, nec posse sibi Christiani nomen asserere, nisi id omnimodâ certitudine persuasum habuerit. Hanc doctrinam tradit Bucerus Calvini magister in cap. 8. Epist. ad Roman. p. 411. *Primum*, inquit, *quod Deo debet, est, ut credas esse te ab eo prædestinatum: nam id ni credas, facis eum tibi, cùm te ad salutem vocat, per Evangelium illudere.* Et infrà: *Qui de hoc* (an sit prædestinatus) *dubitat, nec vocatum se, & justificatum esse credere poterit, hoc est, nequit esse Christianus. Præsumendum igitur est ut principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc, ut æternùm servemur, hocque propositum fidei mutari non posse.* Hæc ille.

Calvinus magistrum suum secutus idem affirmavit, & dixit regnum cælorum non posse nobis magis excidere, quam ipsi Christo.

Ista sunt hæreticæ doctrinæ portenta, quæ nemo ante Bucerum & Calvinum & alios hæreseon satores & antesignanos, perspecta cognitaque habuit.

Doctor gentium in veritate vas electionis, ab utero matris suæ segregatus in Evangelium Dei, raptus in tertium cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, in quo denique gratia Dei vacua non fuit, ignoravit hujusmodi delitamenta, & de suâ ignorantiâ confessus est, cum 1. Corinth. cap. 9. v. 27. hæc verba sanctos omnes quantacunque sanctimoniâ præditos terrentia protulit: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo, nè fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Ergo privatus ille spiritus cum prædestinationis certitudine conjunctos, quem S. Paulus, & cum eo tota Ecclesia Dei ignoravit, adversatur verbo Dei, imò & propter circulum, sine quo defendi non potest, repugnat rationi.

Sectio XXXVI.

In qua demonstratur circulus ex privato spiritu necessariò illatus. Per illum enim spiritum dictitant heterodoxi se assequi veram scripturarum intelligentiam: quia scripturæ authoritas illius existentiam probat, & ille vicissim scripturarum intelligentiam in fidelium (quales se prædicant Hæretici) mentibus ingenerat. Ergo hæretici per privatum illum Spiritum scripturas, & per scripturas spiritum privatum intelligunt, & cognoscunt, quod sine circulo vitioso pariter & injuso affirmari non potest.

Hæreticus.

QUin citò demonstras eum circulum, quem tanto hiatu pollicitus es?

Catholicus.

Ad id nostra properat oratio: Quæro igitur à te, unde probes Evangelium Joannis (ex quo deprompta sunt ista verba, *Oves meæ vocem meam audiunt*) esse verbum Dei? Illicò, ni fallor, respondes, id te rescire per privatum spiritum, quo animatus es. Si rursùs quæram à te unde, & quomodo probes tuum illum spiritum esse à Deo? è vestigio respondebis id te habere ex Evangelio Joannis loco, ubi ait Christus; *Oves meæ vocem meam audiunt.* Si quæram iterùm, unde acceperis hoc ipsum Joannis Evangelium esse verbum Dei? respondebis ex privato spiritu: si & iterùm quæram quomodo & unde noveris tuum illum spiritum esse à Deo? respondebis ex Evangelio Joannis. Ergo oberras in circulo. Nam probas Scripturam per privatum spiritum, & vicissim privatum spiritum per scripturam, cum te, si rectè ratiocinateris, scripturam per aliud, quam per privatum spiritum astruere oporteret. Sed tantùm abest ut facias, ut ex adverso te in inextricabiles erroris, & labyrinthi flexus injicias.

Nam si quæram à te unde scias te habere privatum illum spiritum, seu internam Spiritûs sancti testificationem? respondebis ex citato sancti Joannis loco; *Oves meæ vocem meam audiunt.* Si quæram deindè quomodo & unde habeas te esse ovem Christi? respondebis ex internâ testificatione Spiritus sancti. Si quæram iterùm undè scias hanc testificationem esse à Spiritu sancto? respondebis quia sum ovis Christi? Ecce manifestè revolveris in circulum.

Hæreticus.

Nonnè poterit aliquis nostrum argumentari & dicere.

Oves Christi audiunt vocem Christi Pastoris sui.

Atqui Ecclesiæ reformatæ discipuli sunt Oves Christi.

Ergo Ecclesiæ reformatæ alumni audiunt vocem Christi Pastoris sui.

Catholicus.

Majorem negabit nemo, sicut minorem concedet nemo.

Quid enim repones si dicam omnes Ecclesiæ reformatæ sectatores non esse oves, sed hædos, ut potè ab verâ Christi Ecclesiâ extorres, quò se vertent? an probabunt se esse Christi oves, quia spiritum privatum habent? statim sese implicabunt in novum circulum, quia volebant probare se privatum habere spiritum eo nomine, quod essent oves Christi.

Quæro igitur ab Calvinistâ; unde constat tibi in te residere spiritum sanctum tibi prædestinationem tuam & alia testificantem? Respondet quia sum ovis Christi. Quæro iterùm ab eodem Calvinistâ, unde tibi constat quod sis ovis Christi? respondet quia habeo privatum spiritum qui id mihi in animo testificatur.

Sic Hæretici sese implicant in varios circulos è quibus sese extricare nequeunt, atque ita quemadmodum impii in circuitu ambulant, ita & illi variis in circulis in quos irruunt, oberrant.

Sectio XXXVII.

In quâ refellitur circulus, quem à nobis admitti clamitant Hæretici, perinde ac si diceremus Ecclesiam cognosci & intelligi per scripturam, & vicissim scripturam cognosci per Ecclesiam. Licet enim Scriptura pluribus utriusque Testamenti locis Ecclesiam prænunciet, & ostendat, ut ipsa Ecclesia veram Canonicamque scripturam sua authoritate stabiliat, non tamen ab Catholicis præfatus circulus admittitur: siquidem Ecclesiæ notitia ex scripturâ non est necessariò suspensa, ut totâ hac sectione declaratur & probatur.

Hæreticus.

EStis sanè homines faceti, quippè qui nobis objiciatis circulares probationes, in quas ipsimet impingitis. Cum enim scriptura veram Ecclesiæ notitiam

contineat & pariat, & Eccleſia ſcripturæ debitam, ut dicitis, authoritatem impertiat, nonne ſic vos oportet argumentari juxta veſtra principia?

Cognoſcimus ſcripturam per Eccleſiam, pronuntiantem tales libros eſſe canonicos, ſeu eſſe ſcripturam divinitùs inſpiratam, & cognoſcimus viciſſim Eccleſiam per ſcripturam illam declarantem per notas, quæ in illam ſolam conveniunt, ergo cognoſcitis & probatis ſcripturam per Eccleſiam, & viciſſim Eccleſiam per ſcripturam cognoſcitis & probatis. Ergo in circularem probationem quam nobis objicitis, ipſimet incurritis.

Catholicus.

Speciosa ſanè objectio & acuta: ſed nihil metuenda utpotè quæ habeat acumen, ſed vitreum, quod lucet vanitate, ſed frangitur veritate, ut in pari nobiſcum occaſione loquitur ſanctus Auguſtinus. Nam hæreticorum circuli ab eo, qui nobis objicitur, maximè diſcrepat. Ut enim apud illos in confeſſo eſt, privatum illum ſpiritum, quo gloriantur ex Deo eſſe, norunt omnimodâ certitudine per unam dumtaxat ſcripturam, quæ cum ſola eos electorum dotes doceat, ſola pariter eos ad ſpiritûs electionis, quo gaudent, notitiam perducit. Ergo cum ad parandam ſcripturarum notitiam recurrunt ad privatum ſuum ſpiritum, ad ipſas ſcripturas recurrunt, non autem ad aliam notam ipſis ſcripturis notiorem. A quo vitio longiſſimè abeſt circulus, quem à nobis admiſſum eſſe contenditis.

Aliter enim de Eccleſiâ, & de privato illo veſtro ſpiritu ratiocinandum eſt: ſiquidem ejus notitia non pendet neceſſariò ex ſcripturâ, ſicut privatus ille ſpiritus, cujus exiſtentiam aliter quam ex ſcripturâ aſtruere non poteſtis.

Cum igitur Eccleſiæ notitia ex ſcripturâ non ſit neceſſariò ſuſpenſa, non poteſt admitti à nobis circulus, qui rei alicujus notitiam non per aliud ipſa notius (quod in probando fieri neceſſe eſt) ſed per ipſammet inquirit. Id autem (Eccleſiæ ſcilicet notitiam non pendere neceſſariò ex ſcripturâ) certiſſimum eſt. Et probatur.

1. Fideles toto illo bis mille annorum, & pluriom curriculo ab Adamo ad Moyſen interlapſo, ſacris litteris caruere. Nam Moyſes primus verbum Dei litteris conſignavit, & tamen perſpectam & cognitam habuerunt Eccleſiam, in quâ vixerunt & devixerunt. Ergo Eccleſiæ notitia non eſt neceſſariò ex ſcripturis apta, & ſuſpenſa.

Quid quod ipſi etiam Chriſtiani ante conſcriptum Evangelium & alios novi Teſtamenti libros, qui nonniſi poſt aliquot annos ab Chriſti Aſcenſione ab Spiritu ſancto dictati ſunt, & ab Apoſtolis excepti, ſeu litteris conſignari, perſpectam & cognitam habuerunt Eccleſiam, & eam audiere velut matrem, & omnis veritatis altricem, ergo Eccleſiæ notitia ſine ſcripturis haberi, & comparari poteſt.

2. Sine ſcripturis poteſt internoſci vera Eccleſia Dei, ex dotibus, quæ ipſi, etiam fatentibus adverſariis denegari non poſſunt; quippè quæ illi ſoli conveniant & juxta lumen naturale illi convenire debeant.

Prima dotium ſeu qualitatum, ut ita dicam, quibus internoſcitur, eſt ejus antiquitas. Cum enim ex lumine naturali diſcamus in omni rerum ordine, id quod verum eſt, præcedere quicquid eſt falſum, ſicut ſanitas eſt antiquior morbo, oportet inter plures cœtus, ſeu ſocietates, quæ ſibi veræ Eccleſiæ honorem, & titulum vindicare geſtiunt, antiquiorem eſſe veram Eccleſiam, cæteras verò ſpurias & adulterinas eſſe confiteri neceſſe eſt. Ergo Eccleſia quæ ſe reformatam gloriatur, non poteſt Eccleſia Dei appellari: ſiquidem ab verâ Eccleſiâ avulſa eſt veluti membrum putriſcens, & immedicabile, quod ab corpore reſecatur & projicitur, ne cæteræ partes ſeſe ad eamdem cum ipſo putredinem capeſſant.

Secunda ejuſdem Eccleſiæ dos, ſivè qualitas eſt unitas doctrinæ & concordia in unâ ejuſdem fidei profeſſione, quæ quidem uni Eccleſiæ Catholicæ convenit, non autem Eccleſiæ reformatæ, ut ſuprà probavimus.

Tertia qualitas quâ veram Eccleſiam præditam eſſe oportere docet lumen naturale, eſt perpetuitas non interruptâ Epiſcoporum ſucceſſione comprobata. Unde ad veræ Eccleſiæ nomen, & gloriam nec pertingere poteſt, nec aſpirare debet ulla ſocietas, quæ evidenter tali Paſtorum ſucceſſione & miſſione deſtituta cernitur & apparet. Cum ergo Eccleſia reformata hujuſmodi dote ad veram Eccleſiam extruendam declarandamque neceſſariâ careat, veræ Eccleſiæ nomen per vim criminoſam uſurpare poteſt, quia ſibi jure vindicare non poteſt

Quarta veræ Eccleſiæ dos in eo poſita eſt, ut ſit viſibilis & conſpicua omni tempore, quippè quæ inſtituta ſit ad ſalvandos homines uſque ad conſummationem ſæculi naſcituros, ergo in eorum oculos & aſpectum incurrere debuit, ut ab eâ ſacramenta, verba vitæ, & alia id genus ſalutis adjumenta percipere valerent. Ideò in ſcripturis dicitur civitas ſupra montem poſita, quæ non in aliquâ parte terrarum, ſed ubique notiſſima eſt. Ut pluribus in locis teſtatur ſanctus Auguſtinus, nempè de unitate Eccleſiæ cap. 20. contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 104. Item contra Creſcon. Grammat. lib. 2. cap. 36. & lib. 4. cap. 58. Item in Pſalm. 47. & alibi.

Cum hæc vel ex ſolo lumine naturali ſint clara & perſpicua, ſequitur Eccleſiam reformatam nullo pacto Eccleſiam eſſe, ſiquidem conſtat illam, ſi ab Vualdenſibus ſeu pauperibus de Lugdono extrui cœpta eſt (quod multi negant) totis octo ſæculis, ſi verò ab Luthero & Calvino ſuam originem traxit, totis duodecim ſæculis ab hominum oculis oblituit: Ergo nec Eccleſia fuit, nec eſſe potuit. Siquidem ut cum cæteris patribus ait ſanctus Auguſtinus in 1. Epiſt. Joann. tract. 2. *Chriſtus in ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt in manifeſto. Tabernaculum ejus, caro ejus: tabernaculum ejus, Eccleſia ejus: in ſole poſita eſt, non in nocte, ſed in die.* Hæc ibi.

Ergo cum Eccleſia reformata per tot ſæcula oculis hominum ſubducta, & in tenebris ſepulta latitaverit, non immeritò vera Chriſti Eccleſia ejus originem principi tenebrarum acceptam referri oportere declarat, ſe verò ab uno mediatore Dei & hominum Chriſto Jeſu inſtitutam, & omnibus dotibus ad procurandam hominum ſalutem neceſſariis inſtructam eſſe, pronuntiat.

Catholica igitur Eccleſia cum ſuis omnibus dotibus & præſidiis lumine naturali, ſine ullo ſcripturæ ſubſidio innoteſcere poteſt. Cum enim inſtituta ſit ad dandam ſcientiam ſalutis, & ad dirigendas hominum mentes in viam ſalutis æternæ, perſpicuum eſt vel ipſo lumine naturali illam ad hominum captum, & imbecillitatem, & ſalutem attemperari oportuiſſe.

Cum igitur homines Chriſti Eccleſiam internoſcere; & ab omnibus aliis ethnicorum, ſchiſmaticorum, & Hæreticorum conventiculis diſcernere oporteret, oportuit illis ſuppeditare quaſdam notas illi peculiares, quarum adminiculo cum rectâ ratione conjuncto, ad ejus notitiam pervenirent.

Cum igitur ſit evidens lumine naturali bonum quodlibet antiquius eſſe malo, ſeu corruptelæ ſibi oppoſitæ, nullo negotio homines cordati colligere poſſunt Eccleſiam Catholicam ſupra cæteras, qualeſcumque ſint, ſocietates, ſibi jure Eccleſiæ nomen vindicare, utpotè quæ omnium antiquiſſima, ipſorum etiam adverſariorum judicio habeatur.

Præterea cum ſit notum eodem lumine naturali nullam Eccleſiam poſſe ſubſiſtere, quin omnes ejus

alumni in concordiam unitatemque doctrinæ consentiant, ex eâ concordiâ inferre possunt homines Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam, non autem Ecclesiam reformatam, utpotè quæ per assidua ministrorum dissidia in varia opinionum commenta, portentaque distrahatur. Undè certò colligitur ejus falsitas & in omnibus articulis aberratio, atque adeò arrogantia & præsumptio, quâ audet sibi adscirere nomen veræ Ecclesiæ, quam constat ita stabilitam esse oportere, ut numquam in rebus ad salutem necessariis, ab æternæ veritatis tramite aberrare valeat.

Alioquin Christus Jesus hominum saluti (cujus causâ Ecclesiam suam ædificavit) perperàm & parùm providè (absit verbo invidia) consuluisse videretur; quippè qui instituisset Ecclesiam errori obnoxiam; quæ quidem homines suæ ipsius authoritate confisos in errorem inducere, atque adeò in peccarum & in perennem pœnam ipsi peccato debitam implicare potuisset, & reipsa sæpiùs implicasset.

Huc accedit quod lumen naturale doceat veram Ecclesiam oportere esse perpetuam & continuatâ sacerdotum successione stabilitam. Homines enim si viderent Ecclesiam (quæ sine Pastoribus subsistere non potest) uno tempore Pastoribus destitutam & alio tempore ab Pastoribus gubernatam, non crederent eam divinitùs institutam, sed ex hominum arbitrio, prolubioque suspensam, utpotè quæ rerum humanarum vicissitudine jactata modò interiret, modo meliore fato renasceretur, & resurgeret.

Quæ ratio ex eodem lumine naturali deducta probat ipsam Ecclesiam, quæ vera dicitur & creditur, oportere semper esse conspicuam & aspectabilem, alioquin si ad aliquod tempus subduceretur hominum oculis, præterquam quod extincta putaretur, homines etiam (ad quorum salutem instituta est) præsidiis ad illam ipsam salutem certò comparandam necessariis destituerer, atque ita misertimè delusi mortales, sive de speratis ab præfatâ Ecclesiâ salutis æternæ adminiculis dejecti, in interitum ruerent sempiternum.

Cum per hujusmodi argumenta lumine naturali perspicua, & erroris nescia tantum nobis innotescat Ecclesia, quantum ad eam credendam & ad ejus instituta præceptaque suscipienda necessum est. nemo est qui non sensu naturali percipiat, qum Christus Jesus Ecclesiam ad hominum salutem institutam in tradendis fidei morumque regulis ab omni omninò erratione liberare, seu ut loquuntur Theologi, omnimodâ in præfatis rebus infallibilitate donare & munire debuerit.

Suppositâ hac infallibilitate fundatâ in ipsissimis verbis quibus pollicitus est Christus se ædificaturum Ecclesiam, adversus quam nullo umquam tempore inferi portæ prævalerent, non sufficit ad salutem cognovisse Ecclesiam per ipsius dotes ex ipso lumine naturali cognitas, quas proximè recensuimus, sed etiam ipsam in Conciliis se esse veram Christi Ecclesiam pronuntiantem, cum reverentiâ audire & propter ejus authoritatem illa ipsa quæ humanâ dumtaxat certitudine erant cognita, fide divinâ utpotè divinitùs revelata & per ipsammet Ecclesiam aspectabilem & loquentem declarata credere necesse est. Cum ita sumus affecti, nostram fidem adjutat & corroborat scriptura, quam veram esse scripturam divinitùs scilicet inspiratam ipsa declarat Ecclesia. Et hujusmodi scriptura manifestè docet nos dotes, quas ad Ecclesiam pertinere ex lumine naturali didiceramus, verè illi ceu proprias & peculiares inhærere, & alia insuper nobis suppetit adjumenta, quæ nos in eâ pernoscendâ ab omni omninò illusione & erratione asserant.

Hæreticus.

Cum Christus Joan. cap. 5. v. 31. de se locutus dixerit : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Nonnè possum objicere Ecclesiæ de se suaque authoritate testificant ejus testimonium non esse verum, utpotè quod fit ab ipsamet perhibitum : quod & ipsi Christo ab Judæis objectum est Joannis capite 8.

Catholicus

Objicis ergo Ecclesiæ, quod est objectum Christo ejusdem Ecclesiæ sponso, & nos tuam objectionem solvimus pro Ecclesiâ iisdem verbis, quibus eam solvit Christus pro suâ personâ. Cum enim illi dixissent Pharisæi : *Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum : respondit Jesus & dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum : quia scio unde veni & quo vado.* Joan. cap. 8. v. 13. & 14.

Hoc ipsum dicit, & verè affirmat Ecclesia.

Sectio XXXVIII.

In qua præfracti contendit Hæreticus veram Dei Ecclesiam non posse de seipsâ verum testimonium perhibere, eo nomine quod Christus de seipso dixerit : si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Inde colligunt Heterodoxi à fortiori, id magis in Ecclesiam, quàm in Christum convenire, atque adeò non esse credendum Ecclesiæ, se esse veram Christi Ecclesiam affirmanti. Hanc objectionem diluit Orthodoxus & asserit Christum bifariam esse considerandum, nempe ut primarium nostræ cognitionis objectum, & ut primarium nostræ fidei objectum : Ita ut ceu primarium nostræ cognitionis objectum per Prophetarum oracula, per Patris testimonium, & per miracula cognosci voluerit; & ut primarium nostræ fidei objectum de seipso verum perhibuerit testimonium : quæ duo sicut in Christum, ita & in Ecclesiam quadrare ipse ille Orthodoxus affirmat & probat.

Hæreticus.

Si plures homines ex quibus coalescit Ecclesia verè possunt affirmare se esse, vel se constituere Ecclesiam, quanta rerum perturbatio quotidiè oritura est in Ecclesiâ? siquidem modò hi, modò illi dicerent se constituere Ecclesiam, atque ita vix ullus erit inter homines qui veram Ecclesiam agnoscere, & veluti matrem omnis veritatis altricem colere & amplecti valeat.

Catholicus.

Quod objicis nullum habet pondus aut momentum nisi inter eos, qui naturæ corruptæ & erroribus obnoxiæ impulsu & impetu jactari omnia suis cupiditatibus metiuntur, atque adeò ex suâ ipsorum causâ non sunt penitùs audiendi. Tales extitere Lutherus & Calvinus reformatæ Religionis imò rebellionis antesignani, quos vel inanis gloriæ vel dominationis, vel insana cujuslibet libidinis aviditas ad defectionem sollicitavit, & impulit. Verum longè aliter philosophandum est de iis, qui aguntur à Spiritu Dei ut agant, & qui sua dicta probant editis miraculis, quæ non ex loquente, sed ex Deo per stupenda illa opera veritati ab hujusmodi hominibus annuntiatæ testimonium perhibente, proficiscuntur.

Ita S. Paulus sibimet ipsi testimonium perhibuit, cum confidenter asseveravit se constitutum esse Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis; & addit se Evangelium quod annuntiabat, non ab homine accepisse, neque didicisse, sed per revelationem Jesu Christi. Ad Galat. c. 1. v. 1. & 12.

Hæreticus.

Si Christus dixit : *Si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*, cur testimonium quod de seipsâ præbet Ecclesia verum erit ?

Catholicus.

Si verum est quod dicit Christus, *si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum* : Cur non erit verum illud ipsum, quum id in se Ecclesia transtulerit : siquidem Christus & Ecclesia unum sunt in unâ voce, ut loquitur Sanctus Augustinus. Ista duo scripturæ loca & in speciem sibi repugnantia primariò in Christum Jesum, & veluti secundariò, seu per quamdam analogiam in ipsius Christi Ecclesiam conveniunt.

Quod ut illustriùs appareat,

Observandum est Christum posse considerari vel ut primum nostræ cognitionis, vel ut primum nostræ fidei objectum. Si spectetur ut primum humanæ cognitionis objectum, ipsemet declarat suum hac in parte testimonium non esse verum : *Si*, inquit, *testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* : & ita locutus est accommodatè ad tenuitatem humanarum mentium, quæ (ut ab suâ naturâ sunt comparatæ) ad sublimium mysteriorum notitiam & fidem non provehuntur, nisi per alteram primi cujusdam principii notitiam. sensim eò perductæ fuerint.

Cum autem dicit Christus suum testimonium non esse verum, non sic est intelligendus, quasi innueret esse falsum. Siquidem vult dumtaxat innuere secundum communem hominum existimationem, tale testimonium non esse idoneum seu legitimum vel fide dignum. Nemo quippè in propriâ causâ idoneus testis est, ut exponit S. Athanasius contra Sabellii gregales ; *Non enim*, inquit, *fide dignum videtur, neque id recepta consuetudo patitur, ut homo de seipso testimonium perhibeat.* Unde Christus cum se spectat ut primum nostræ cognitionis objectum, non vult sibi de se testificanti adhiberi fidem, sed vult cognosci per alia omni exceptione majora, quibus ipsius missio & divinitas satis superque comprobanda erat, & dudum, antequam nasceretur ab Prophetis prænuntiata, & comprobata fuerat.

Probat nimirùm suam missionem & divinitatem testimonio Patris, cujus ea vox audita est eo ipso tempore quo baptizabatur à Joanne : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* : profert eum in finem testimonium præcursoris, *qui non erat lux*, sed *erat missus à Deo ut testimonium perhiberet de lumine. Erat* quippè *lucerna ardens & lucens.* Ardens per cæleste desiderium, lucens per verbum. Ardens nimirùm intrinsecùs testificandæ veritatis amore : lucens extrinsecùs verbo & opere.

Voluit etiam cognosci per opera, seu per ingentia, quæ edidit miracula, per inauditam vitæ sanctitatem, per scripturas & alia id genus incitamenta, seu credibilitatis motiva, ut loquuntur Theologi, ut sese attemperaret ad humanæ mentis captum, & tenuitatem, atque ita nullum Judæis, aut aliis eorum incredulitatem imitatis, excusationis locum relinqueret. Quod & ipse testatur Christus Joan. cap. 15. v. 24. *Si opera*, inquit, *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & Patrem. Et ideò* quod ibidem dicit, *excusationem non habent de peccato suo.*

Sicut igitur Christus quatenus est primum nostræ cognitionis objectum non per se, sed per Prophetarum oracula, per testimonium Patris eum voce de cœlo delapsâ suum filium appellantis, per testimonium Joannis eum agnum appellantis, & digito demonstrantis, & per miracula stupenda, & ab omni ævo inaudita cognosci voluit ; Ita & Ecclesia per eadem propemodùm argumenta hominibus innotescere debuit. Ac reipsa quidem sicut Prophetarum oracula liquidò Christi divinitatem comprobarunt, eò quod eum annis pluribus antequam nasceretur in terris, essent disseminata, nemo ab ipso procosa esse suspicari poterat : ita & ipsius Christi Ecclesia se esse veram Ecclesiam Judæis, Ethnicis, Christianis & aliis quibuslibet irreformabili certitudine comprobat, utpotè quæ ab Spiritu sancto per veros & idoneos Prophetas elocuto prænuntiata fuerit multis sæculis antequam excitaretur, & appareret. Quin etiam ejus veritati & amplitudini testimonium perhibuit Christus, suffragata sunt miracula in ejus gratiam edita, astipulata sunt martyria, quæ & ejus satores & propagatores Apostoli & eorum Successores Episcopi, & innumerabiles alii utriusque sexus Christiani in eâ prædicandâ, propagandâ & omnimodo defendendâ fortissimè pertulerunt.

Talibus argumentis Ecclesia in toto terrarum orbe cognita est, quatenùs scilicet erat humanæ cognitionis objectum, atque adeò anterioris cujusdam notitiæ adminiculo innotescere debuit. Quia si fideles crederent in Ecclesiam & in supremam ejus authoritatem nullo pacto per præviam notitiam præparati reciperent fidem sine ullo credibilitatis motivo, ut loquuntur Theologi, & in credendo sese haberent ut viri ab ratione deserti, quos in agendo lumen naturale destituisse videretur. Porrò sicut Christus sese considerans veluti primarium nostræ fidei objectum, id est ut Filium Dei, in quem ante omnia credere necesse est, ipse sibi testimonium perhibet, & ait : *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater.* Joan. 8. v. 14. Et ibidem v. 17. *Et in lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso : & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.*

Sicut Christus, inquam, testimonium perhibuit de se ipso quatenus erat primarium nostræ fidei objectum ; & suum testimonium verum esse probavit, ex eo quod non esset solus, sed cum eo esset Pater, qui illum miserat ; ita & Ecclesia, in quantum est prima veritas, quam ante omnia credi necesse est, potest servatâ proportione idipsum de seipsâ profiteri, quod Christus Jesus de seipso prædicavit. Quidni enim dicat ; si ego testimonium perhibeo de meipsâ, verum est testimonium meum, quia sola nôn sum : siquidem per mea opera testificor, & abhinc tot sæculis Spiritum sanctum mihi semper præsentem & opitulantem, & ab omni errore speciali & indesinenti auxilio vindicantem in me residere toti terrarum orbi declaravi, ex quo Apostoli me æmulatione Dei æmulati, desponderunt uni viro Virginem castam exhibere Christo.

Cum homo, qui quærit veram Christi Ecclesiam, & eam aliquatenùs per quasdam dotes, seu notas naturali lumine cognitas agnovit, quæ sit, & quodammodo invenit secundum rationem humanam adjutam aliquo auxilio actuali quod antecedit fidem, & satis hominem præparat ad suscipienda ejus documenta & ad ipsam in omnibus audiendam, utpotè quæ sit columna & firmamentum veritatis, quam Spiritus sanctus nusquam in rebus ad salutem necessariis decipi aut decipere patiatur.

Cum igitur aliquis audit illam ipsam Ecclesiam suis in Conciliis in Spiritu sancto congregatis, aientem & è sacrâ & irretractabili Cathedrâ pronuntiantem se esse veram Christi Ecclesiam, eamque unam & solam, sanctam, Catholicam & Apostolicam, omnium scripturarum & interpretationum disceptatricem & judicem, omnium traditionum Apostolicarum sivè sacris litteris contineantur, sivè non, custodem & observatricem, perpetuò duraturam in Apostolicis doctrinis hactenùs perseveratam, & ad consummationem usque sæculi perseveraturam, per successionem Episcoporum

& aliorum sacerdotum, hujusmodi doctrinas semper & uno ore prædicantium, aspectabilem semper futuram, extra se neminem salvari posse: Cum, inquam, hæc ex ipsius Ecclesiæ discit, supremâ divinâque ejus authoritate perpulsus, tunc credit fide divinâ, quod anteà humanâ dumtaxat certitudine noverat.

Talis in eo fides firmatur, & adolescit adminiculo illius scripturæ, quam illa ipsa Ecclesia ipsi declarat veram esse scripturam & divinitùs inspiratam, quæ quidem eum perspicuè docet easdem ipsas dotes, quas ad Ecclesiam pertinere lumine naturali perceperat, verè ad illam pertinere; & prætereà illi alia suppeditat adjumenta, per quæ in eâ internoscendâ allucinari aut falli nequeat.

S E C T I O XXXIX.

In quâ Heterodoxus Catholicis objicit præfatum circulum, jam affatim refutatum, & ejus hoc loco refutatio confirmatur.

Hæreticus.

QUICQUID garrias, objectum vobis circulum effugere non potes. Nam semper eò deveniendum erit, vos scilicet demonstrare Ecclesiam per scripturam & vicissim scripturam per Ecclesiam. Sic enim vos ratiocinari perspicuum est: scriptura probat Ecclesiam Dei à Christo fundatam existere, & ipsa declarat & probat esse scripturam divinitùs revelatam; Ergo in eumdem impingitis circulum & errorem, in quem nos impingere contenditis.

Catholicus.

Mirum est quod revolvaris ad tuam objectionem nec attenderis ad ejus solutionem. Ubi est acumen tuum? nonnè probavimus Ecclesiam Christi fuisse in utroque testamento cognitam sine scripturis, quæ needum in credentium manus devenerant, imò nondum ab Spiritu sancto dictatæ, nec ab scriptoribus Canonicis erant litteris consignatæ.

Prætereà nonnè probavimus illam ipsam Ecclesiam posse alio modo quàm scripturarum adminiculo internosci, & ab quibuslibet aliis Judæorum, scilicet Ethnicorum, Schismaticorum & Hæreticorum conventiculis secerni & separari? Nonnè diximus per lumen naturale investigari & deprehendi posse veras dotes, nempè visibilitatem, ut ita dicam, perpetuitatem, infallibilitatem seu inerrantiam, & alias id genus dotes & notas, quibus Ecclesiam ad hominum salutem institutam, præditam esse par est, ut vera, id est ab uno dumtaxat Christo fundata, primùm judicio humano actuali quopiam auxilio adjuto, & fidem antegresso habeatur: posteà autem ab viro in eam ingresso, & supremâ ejus authoritate perpulso divinâ fide credantur omnia, quæ ipsâ afflante & revelante Spiritu sancto suis in Conciliis tam ad fidem quam ad bonos mores pertinentia declaraverit. Atque ita, cum aliter quam per scripturam agnosci possit Ecclesia, nec ipsam necessariò per scripturam probari oporteat, nullus potest nobis objici circulus: qui quidem jure ac merito objicitur vobis: quippè qui scripturam per privatum spiritum necessario cognoscatis, & vicissim privatum spiritum per eamdem scripturam necessario comprobetis.

Ex dictis hactenùs liquidò constat vos non habere scripturam. Cum enim scriptura divinitùs inspirata tria penitus inseparabilia contineat, nempè Canonem legitimum, versionem, & genuinum sensum, & ista tria (quæ sunt penes Ecclesiam Catholicam) vos deficiant, ut hactenùs probatum est, indubitatum est vos neque legitimam habere scripturarum possessionem, atque adeò nullam habere Ecclesiam, sed potiùs Synagogam conflatam ex multitudine desertorum & transfugarum, qui ut pellaci blandientique doctrinæ religionisque novitate bi facerent nomen, convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.

S E C T I O XL.

In quâ refellitur Heterodoxus aiens suam sectam inniti scripturâ per Apostolos ad ipsam transmissâ, & aiens ejus scripturæ sensum esse facilem & perspicuum.

Hæreticus.

TRADITIO cujus beneficio scripturam per transmissionem ab Apostolorum temporibus ad nostra usque continuatam, est præcipuum nostræ credibilitatis motivum, ita ut per illud ipsum dispositi & præparati exindè scripturam cognoscamus, eamque per ipsammet credamus.

Catholicus.

Hoc sanè effugium omninò est inutile. Nam

1. Scriptura qualem hodiè producitis, non est ad vos ab Apostolis transmissa, tum quia vetus & legitimus Canon ab vestro, toto cœlo discrepat: tum quia Libros Canonicos, quos unà cum Patribus admittitis, depravastis: & prætereà scripturam vi abstulistis ab Ecclesiâ, cum ob eâ descivistis ad schismata & ad hæreses, quas ut aliquo Religionis colore prætexeretis, vos eamdem illam scripturam passim falsare, evertere & in alienos sensus detorquere non puduit.

2. Quia id dicitur credibilitatis motivum, seu incitamentum, quod ad credendum incitat, atqui vindicata illa scripturæ transmissio non potest inducere ad ea credenda, quæ Hæretici docent: Siquidem contenditis vos Ecclesiam Romanam à quâ scripturam accepistis, potuisse errare, cum vobis eam, quam vobis tradidit, scripturam esse veram asseruit, perindè ac aberrat & decipitur, cum ipsam explanat & interpretatur.

Huc accedit quod hujusmodi transmissio non est evidens & cognita lumine naturali sicut illæ dotes, per quas Ecclesiæ nostræ notitiam in animos inferimus; siquidem magni & ardui laboris discussionem exigit: quæ discussio præterquam quod ab rudioribus factitari non potest, in eâ factitandâ sæpenumerò aberrari potest.

Hæreticus.

Nonnè scriptura ex se perspicua, ut ipsa per ipsam explanari valeat, sicut sol, qui suo ipsius splendore cernitur, etsi dicitis Ecclesiam esse visibilem & probatis ex isto Prophetæ loco, *in sole posuit* (Deus) *tabernaculum suum*, quidni Spiritus sanctus in scripturarum splendore & claritate suum pariter tabernaculum constituerit.

Catholicus.

Jam suprà respondimus huic objectioni & diximus: hoc intercedere discrimen inter solem & scripturam, quod sol suapte naturâ sit luminosus, & aspectabilis, suoque ipsius splendore cernatur & in nostros oculos, quibus est propositus, incurrat, scriptura autem non sit clara, conspicua, & omni intellectui pervia, nam tametsi ex seipsâ cum omnimodâ certitudine & inerrantiâ doceat, non tamen ex ejus perspicuitate suspensa est ejus intelligentia, utpotè quæ tota ex Spiritu sancto in eadem scripturâ ab ipsomet spiritu dictatâ, imo in Ecclesiâ residente pendeat.

Noluit autem Spiritus sanctus Ecclesiæ tradere scrip-

rutas perspicuas & intellectu faciles, ut in eis tamquam in sole sicrum veluti tabernaculum collocaret. Nam ut ait S. Prosper in sententiis ex S. Augustino collectis; bonæ sunt in scripturis sacris mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant, ob hoc quæruntur ut exerceant, ob hoc aperiuntur, ut pascant.

His rationibus adjicitur & alia, scripturam scilicet esse pluribus in locis obscuram, ad perdomandam hominum superbiam, quæ sine dubio in eorum animos irreperet, si divina mysteria sacrarum litterarum caligine involuta facili negotio & levioperâ perciperent.

Sectio XLI.

In quâ refelluntur duo capita Catholicis ab Heterodoxis objici solita, quorum primum est, Ecclesiam non posse sibi ingenerare fidem, quâ credat & alios obliget ad credendum se esse veram Dei Ecclesiam: secundum est, non esse certum Ecclesiam cum aliquid definit, loqui perinde ac si esset animatum Dei revelantis organum.

Hereticus.

UNDE igitur genuinum scripturæ sensum haurire possumus? audio te respondentem eum de quo agimus sensum, ex ipsius Ecclesiæ ore percipi oportere: ita ut quicquid de fide definierit, id divinâ fide credi oporteat. Quod, quomodo fieri possit, neminem audii hactenùs qui ritè explicaret. Quomodo enim Ecclesia sibimet ingenerat fidem, quâ credat se esse veram Christi Ecclesiam, cum ipsamet suis in Conciliis pronuntiet se esse talem, id est veram Christi Ecclesiam. Et unde habet exploratum suas decisiones esse verba Dei per ipsam & in ipsâ loquentis, & sua mysteria declarantis.

Catholicus.

Hæc objectio duo capita proponit, seu duas quæstiones, quarum primâ petitur quo pacto Ecclesia ingeneret sibi fidem, quâ credat se esse veram Christi Ecclesiam, siquidem se talem esse suis in Conciliis pronuntiet.

Alterâ quæstione quæritur, unde ipsa Ecclesia compertum habeat suas decisiones esse, verba Dei sua mysteria ipsius ore & ministerio declarantis?

Quod spectat ad primam quæstionem dicimus neque opus neque necessum esse, ut Ecclesia pronunciet se esse veram Christi Ecclesiam, quò seipsam de divinâ hac veritate certiorem faciat, & sibi de semetipsâ illius fidem ingeneret: utpotè quæ illam ipsam fidem primitùs ab Authore fidei & consummatore Christo Jesu, per Apostolos & eorum Successores Episcopos acceperit. Unde nullo umquam tempore dubitare potuit aut debuit, quin esset vera Christi Ecclesia. Quod si se veram esse Ecclesiam pronuntiet, id factitat, ut eos qui cum ipsâ de tali nomine & titulo disceptant, damnet veluti rebelles lumini, eosque ad credendum in se ceu unam & veram Ecclesiam, per supremam authoritatem Spiritus sancti suo ipsius ore loquentis, & ipsam esse unam dumtaxat & veram Ecclesiam declarantis, impellat, permoveat, adigat.

Quod spectat ad alteram quæstionem, quâ quæritur unde compertum habeat Ecclesia se in dirimendis supremâ authoritate controversiis loqui cum eadem certitudine & infallibilitate, quâ Christus ipse loqueretur, si sese, ut quondam, mortalium oculis offerret?

Dicimus, quod asserimus probari & factitari hoc modo: cum novæ difficultates emergunt circa fidem aut disciplinam & bonos mores, Ecclesia, quæ procul ablegatâ omni dubitatione persuasissimum habet, se esse veram Christi Ecclesiam, atque adeò Spiritum sanctum, qui est spiritus veritatis, imò ipsa veritas, sibi perpetuò inesse & adesse, confidentissimè controversias obortas dirimit, & decidit gravissimas quasque difficultates: quippè quæ certò resciat ob talem S. Spiritus assistentiam Christum Jesum in se & suo ipsius organo eloqui, & ea quæ promit, non tam esse sua, quam verba Christi, quibus sui Evangelii & suæ Religionis arcana, Sacramenta, dogmata & oracula quæque ad comparandam æternam salutem necessaria suo ministerio sanciat, & ad stabiliendam augendamque credentium fidem aperiat.

Revera Ecclesia suis in Conciliis pronuntians & definiens aliquid fide divinâ credendum, aut aliquid Catholicis observandum indicens & imperans ad coercendos errores, aut profligandas hæreses, palàm & apertè adhibet ista Doctoris Gentium verba: *non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* 2. Cor. cap. 2. v. 17.

Præterea Ecclesia in Spiritu sancto congregata, non temerè, nec præcipitanter de rebus in Concilio definiendis pronunriat. Nam priùs fit rerum propositarum magna conquisitio, ut factitatum legimus in Concilio Hierosolymitano Act. cap. 15. Et tunc factâ diligenti inquisitione ipsa Ecclesia non facit articulos fidei novos, sed declarat talem vel talem articulum, esse articulum fidei, utpotè ex articulis dudùm creditis erutum, & cum ipsis virtualiter revelatum.

Non enim (ut eleganter docet Vincentius Lirinensis in l. adv. proph. voc. novitates) nova fidei dogmata statuit Ecclesia, sed vetera eruit, idque regulis à Christo Ecclesiæ relictis, scripturâ, scilicet traditionibus, Conciliorum definitionibus, Decretis Pontificum, unanimi Patrum consensu, & cæteris aliis, quæ brevitatis causâ omittimus, utendo, neque aliter, uc in confesso est apud omnes, Ecclesiæ adest Spiritus sanctus, ut ait Andræas Duval olim Sorbonæ Professor de supremâ summi Pontificis potestate parte 2. quæst. 3.

Unde Alphonsus à Castro ait miserè errasse Dominum Abbatem Panormitanum, qui dixerat Papam posse condere novum articulum fidei. Hunc hominem hac in parte & ignarum & errantem imitantur plerique suis phantasmatis illusi, qui arbitrantur posse definiri, & teipsâ definitum iri ab Ecclesiâ quicquid ipsi præfervida quædâ, sed improvida & parùm Dominicâ lectione fundata pietas, imò pietatis umbra suggesserit.

Si hujusmodi homines præpostero succensi zelo obstrepant aliquid indulgendum esse pietati, contradicimus & contendimus in materiâ fidei usquequaque litandum esse Orthodoxæ veritati.

Quod quidem suo exemplo omnia Concilia liquidò declarantur: & imprimis sacro-sancta Synodus Tridentina, quæ ut toti terrarum orbi patefaceret quibus potissimùm testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus & instaurandis in Ecclesiâ moribus, esset usura, professa est in ipso 4. sessionis exordio se sibi proponere ante oculos conservationem puritatis Evangelii, quod Prophetæ promiserint, quod Christus ipse promulgaverit, quod deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis & salutaris veritatis & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jusserit, & ipsa Synodus perspiciens hanc veritatem & disciplinam contineri Libris scriptis & non scriptis traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, & à Spiritu sancto dictatæ quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes Libros tam novi quam veteris testamenti, necnon traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes velut ex ipsius Christi ore profectas, vel à Spiritu sancto dictatas & continuâ Episcoporum successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, hæc, inquam, omnia velut inconcussa fidei & futurarum definitionum præsidia, imò fundamenta

præfata

præfata Synodus se pari pietatis affectu & reverentiâ suscipere & venerari testificata est. ut omnibus terrarum populis & gentibus, se non humana commenta, sed dogmata Ecclesiæ divinitus revelata explicare & tradere declararet.

Sectio XLII.

In quâ probat Orthodoxus quo pacto illuminentur à Spiritu sancto Doctores, cum ad definiendum Catholicum aliquod dogma, sunt in legitimo Concilio congregati.

Hæreticus.

Homines igitur in Conciliis congregati immediatè illuminantur à Spiritu sancto, ut dogmata ad fidem & disciplinam pertinentia toti Ecclesiæ proponenda sanciant & declarent.

Catholicus.

Huic objectioni respondet Andreas Duval in lib. de supremâ summi Pontificis potestate p. 2. q. 5. his verbis: Quisquis diceret summum Pontificem & Episcopos in Spiritu sancto congregatos per immediatam & expressam revelationem suas definitiones habere, nonnihil ad vestram hæresim, quâ contenditis vos à spiritu particulari de rebus fidei edoceri & confirmari accederet: quæ quidem hæresis tamquam latissima ad errores via ab omnibus Orthodoxis reprobatur. Cum igitur, ut suprà vidimus, nova fidei dogmata non condat Ecclesia, sed ea quæ jam sunt & latent, eruat & investiget, nec illi Spiritus sanctus proximè revelet articulos fidei (sicut scriptoribus Canonicis revelavit) superest ut per maturam longamque discussionem fidei articulos, quos in controversiam quorumdam hominum superbia, pertinacia aut aliud id genus vitium evocaverit, ex aliis extra omnem controversiam disceptationemque positis velut ex aurifodinis eruat: Et ad eorum amussim exigat omnia dogmata quæ ad fidem pertinere & declarare voluerit. Non igitur fiunt Conciliorum definitiones per expressam & immediatam sancti Spiritus illuminationem. Si enim talis illustratio adesset cuipiam Concilio, proculdubio affuisset primo Concilio Hierosolymis ab Apostolis celebrato: sed hujus illuminationis nullum apparet in scripturâ vestigium, siquidem exortam de legalibus concertationem non diremerunt Apostoli per expressam & immediatam illam illustrationem, sed per longam aliquam discussionem & perquisitionem.

Talem Apostolorum perquisitionem imitati sunt semper ipsorum Successores Episcopi in Conciliis congregati, attentiùs scilicet & operosiùs discutiendo & inquirendo quid scriptura, quid traditio ab Apostolis ad nos usque transmissa, quid S. Patres Apostolicarum traditionum tam scriptarum quam aliarum fidissimi custodes, & doctores, quid denique prisca Concilia de re propositâ statuissent, & ab omni ævo continuatâ Antistitum doctrinarumque successione docuissent: Et id ex Apostolorum praxi didicerunt. Nam in Concilio Hierosolymitano Apostolos Petrum & Jacobum nonnisi post magnam conquisitionem propositam, de servandâ ab gentibus quæ converterentur ad Christum, Moysi lege, quæstionem seu controversiam diremisse scriptura Act. 15. cap. jam citato commemorat.

Hujusmodi conquisitionem in eo Concilio factitatam, secuta est definitio ex Spiritu sancto profecta. Tunc enim Apostoli dixerunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Hæreticus.

Ex iis quæ dicis, sequitur Spiritum pendere ex illâ conquisitione, quæ decisionem rerum propositarum antecedit.

Catholicus.

Imò præfata discussio & perquisitio pendet à Spiritu sancto. Cum enim sine ejus numine nihil sit in homine, nihil sit innoxium, Patres & alii in Conciliis cum ipsis congregati nusquam ratiocinarentur, sicut oportet, in eo rerum articulo, nusquam Hæreticorum præstigias & argutias deprehenderent & exploderent, nusquam denique Orthodoxam veritatem ab ipsis radicibus limarent, nisi spiritus ille veritatis eorum memoriam ad recolenda quæ ex traditione tam scriptâ quam non scriptâ didicere impelleret, intellectum ad solidam ratiocinandi methodum & solertiam acueret, & demùm eorum voluntatem ad legitimum statuendæ & propagandæ Fidei Catholicæ amorem & studium accenderet.

Hæreticus.

Si hujusmodi perquisitio requiratur ad internoscendos fidei articulos, nihil umquam certi definietur, & in praxim æternam conferendum erit quod dixit Christus in Evangelio, *quærite & invenietis.*

Catholicus.

Hanc objectionem multis sæculis antequam Ecclesia reformata è tenebris, in quibus per plura sæcula delituit, erumperet, diluit Tertullianus de præscript. cap. 9. sic enim loquitur; *Omnibus dictum sit*, inquit, *quærite & invenietis; tamen & hic expedit sensu certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla vox divina ita dissoluta est & diffusa, ut verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono. Unum utique & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omnimodò debeant nationes, & idcircò quærere, ut possint cum invenerint, credere. Unius porrò & certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est donec invenias, & credendum ubi inveneris: & nihil ampliùs: nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum cum id inveneris & credideris, quod ab eo institutum est qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit. De hoc quidem si qui dubitat, constabit penes nos esse, id quod à Christo institutum est. Interim ex fiduciâ probationis prævenio admonens quosdam nihil esse quærendum ultra quæ crediderunt, id esse quod quærere debuerunt: ne quærite & invenieris sine disciplinâ rationis interpretentur.* Hæc ibi Tertullianus: Qui & paulò post ait: nihil ampliùs inquiri, aut inquirendum esse cum creditur quod à Christo institutum est. *Omnem prolationem*, inquit, *quærendi & inveniendi credendo fixisti: hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit, ideoque nec quærere.*

Et infrà. *Adeo finis est & quærendi & pulsandi & petendi. Viderit qui quærit semper, quia non invenit. Illic enim quærit ubi non invenietur. Viderit qui semper pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia numquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit. Nobis etsi quærendum esset, adhuc & semper ubi tamen quæri oportet? apud Hæreticos? ubi omnia extranea & adversaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere: Quis servus cibaria ab extraneo ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus donativum & stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga & rebellis?* Hactenùs Tertullianus.

Sectio XLIII.

In qua Orthodoxus ita probat hæreticorum appellationem ita cadere in Calviniana & Lutherana secta alumnos, ut in Catholicos retorqueri nequeat.

Hæreticus.

NOS ergo Hæreticos appellatis, & nos vicissim hoc injuriosum nomen in vos regerimus. Ergo quis eo tam odioso nomine dignos pronuntiare poterit?

Catholicus

Id faciet Ecclesia Romana, quam vel ipsi vestrarum partium duces & antesignani veram esse Ecclesiam, ut suprà vidimus, litteris prodiderunt. Ipsius igitur judicio utpotè irreformabili, & irretractabili in materiâ fidei standum est, nisi quis ad Hæreticorum castra transire voluerit.

Certissimam hanc veritatem mirabilem in modum astruxit & probavit Concilium Ephesinum ad quod Capreolos Carthaginensis Archiepiscopus pulcherrimam inscripsit Epistolam, in quâ quod asserimus, his verbis explicat: *Vestram*, inquit, *sanctitatem iterùm atque iterùm rogatam cupio (etiamsi Fidem Catholicam per tantam venerandorum sacerdotum Synodum, Dei nostri auxilio in omnibus stabilem ac firmam futuram certò confidam) ut Spiritu sancto cooperante, quem cordibus vestris in omnibus, quæ acturi estis, præsto futurum non dubito, novas doctrinas, & antehac Ecclesiasticis auribus inusitatas, priscæ authoritatis robore instructi è medio profligetis, tantaque constantiâ ac virtute quibuscumque novis erroribus resistatis, ne hos, quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes, Apostolicæ sedis authoritas sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secundæ disputationis prætextu vox jamdudum ablata revocare videatur. Quod si quid fortè novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur, oportet: ut vel rectè dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At verò si quis ea quæ jam olim dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè aliud nihil facere censebitur, quam de fide, quæ hactenùs valuit, ipsemet dubitare. Deinde ad posteritatis exemplum, ut ea quæ nunc pro Catholicâ fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conservare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de Catholicæ fidei ratione statuerit, is non propriâ authoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet; ita ut eâ ratione partim veterum, partim recentiorum Decretis & sententiis placita sua comprobans, unicam Ecclesiæ veritatis jam indè ab initio ad præsens usque tempus simplici puritate invictaque constantiâ & authoritate decurrentem se asserere, docere, & tenere ostendat.*

Cum hanc Epistolam Cyrillus Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus fidei gestorum inserendam esse dixisset, eo nomine quòd antiqua fidei dogmata confirmari, nova verò & absurdè excogitata, & impiè divulgata reprobari & proscribi vellet, omnes Episcopi simul exclamaverunt: *Hæ omnium voces, hæc omnes asserimus, hoc omnium est votum* Hæc omnia legere est Tom. 1. Concilior. Concilii Ephesini parte 2. act. 1. fol. 203. ex editione Binii.

Ex hac Epistolâ & suprà citato Tertulliani loco constat Ecclesiam à Christo esse constitutam, ut omnes qui ad æternam salutem aspirarent, eam in omnibus ut supremam omnium controversiarum circa fidem & bonos mores emergentium disceptatricem & judicem audirent: utpotè quæ sibi pariat fidem per Spiritum sanctum ipsi promissum, atque adeò semper præsentem & semper affuturum in factitandis fidei definitionibus, quas ratio & corruptela temporum exegerit. Ita ut si quis ipsis ejus definitionibus ad scripturæ & traditionis amussim exactis præfractè & pertinaciter refragari audeat, is continuò & sine ullâ tergiversatione desertor & transfuga & rebellis habeatur.

Sectio XLIV.

In quâ vir Catholicus contendit Calvinianos & alios id genus homines nequidem esse audiendos, utpotè qui ab Ecclesiâ Romanâ, (quam per plura sæcula veram esse Christi Ecclesiam prodidere, & credidere,) desciscere non horruerunt.

Hæreticus.

QUID indè colligis, quo Ecclesia reformata quodammodo lædi aut labefactari valeat?

Catholicus.

Indè inferimus vos nullo pacto audiendos esse, tametsi unusquisque vestrùm ad unam scripturam veluti unam dumtaxat & supremam omnium controversiarum judicem provocet: cum omnes ex adverso Catholici cum scripturis & totius antiquitatis traditione doceant credendam esse ante omnia Ecclesiam, & posteà deveniendum ad doctrinam & scripturam. Siquidem cum veram internovimus Ecclesiam, & eam veluti matrem ab omni errore immunem divinâ revelatione amplexi sumus, tunc resciscimus nos ad veram pertigisse doctrinam cum econtrà licet vestri duces & ministri suam doctrinam orthodoxam esse comprobarent, adhuc tamen sese obtinere veram Christi Ecclesiam idoneis argumentis ostendere tenerentur. Siquidem Schismatici, vobis etiam fatentibus, sunt ab verâ Ecclesiâ, atque adeò ab salutis itinere deflexi, tametsi veram Catholicamque doctrinam retineant. Cum igitur nostra fides obsequium debeat, Apostolo prohibenti quæstiones inire, novis vocibus aures accommodare, Hæreticum post unam correptionem convenire, non post disputationem: Adeò interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conveniendi: & hanc unam scilicet, quia non est Christianus Catholicus: ne more Christiani (Catholici) semel & iterùm & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum: Deindè quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè aut stomachi, quâ ineat, eversionem aut cerebri, ut loquitur Tertullianus de præscript. cap. 16.

Sanctus Cyprianus non solùm vetat Catholicos cum Hæreticis disputare de fide, verum etiam contendit, ne ipsos quidem inquirere oportere quid doceant, quippè qui Christiani non sint eo nomine quod ab Ecclesiâ desciverint: sic enim loquitur de Novatiano Epist. 52. *Quod verò ad Novitiani personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi, quam hæresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Ecclesiâ non est. Jactet se licet, & Philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, & etiam quod priùs fuerat, amisit.* Hæc ibi.

Hujus rei ratio est evidentissima, quis enim æquo animo ferat & audiat homines seipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, criminatores, protervos, tumidos, incontinentes, voluptatum amatores magis quam Dei, & demùm corruptos mente & reprobos circa fidem, qui quemadmodum Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & Calvinistæ ex quo conspiratis factionum partibus descivere ab Ecclesiâ Romanâ (quam etiam abhinc suâ defectione esse veram Christi Ecclesiam litteris prodidere) omni veritati ab ipsâ sancitæ, & promulgatæ incredibili pertinaciâ resistere, & ejus oraculis sua commenta mendaciaque opponere non destiterunt. Ut videre est in eo mysterio de quo agimus. Nam Ecclesia legitimè in Spiritu sancto congregata sæpenumerò post diligentem & strenuam discussionem & perquisitionem sacro-sanctæ traditionis ab Apostolis ad nos usque transmissæ, definiit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum.

Calvinistæ econtra docuerunt Corpus Christi esse tantummodò in eo Sacramento, ut in signo, vel figurâ aut virtute.

Ecclesia Dei se numquam ab Apostolicâ doctrinâ recessum ire usquequaque testificata, ab omni ævo docuit illud ipsum Corpus Christi sub speciebus Panis & Vini velut cœleste manna absconditum, ore corporis ab fidelibus & impiis etiam Christianis manducari, sicut ab ipso Judâ proditore manducatum esse docuerunt sancti Patres.

Calvinistæ ex adverso fictitiam quamdam manducationem unâ dumtaxat fidei apprehensione factitandam excogitarunt, ut realem Christi in Eucharistiâ præsentiam (quam efficacissimis ipsius Christi verbis sacerdotum ritè ordinatorum ore prolatis ascribit Ecclesia Catholica) uni suæ fidei attribuerent, & hoc pacto veram Catholicorum fidem commentitio nescio cujus manducationis phantasmate, labefactarent.

Illa ipsa Ecclesia Catholica declaravit sæpenumerò in Augustissimo hoc Sacramento factitari admirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ Panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem manentibus dumtaxat speciebus Panis & Vini. Quam quidem conversionem Ecclesia Catholica aptissimè transsubstantiationem appellari voluit.

Calvinus & ejus asseclæ dicunt transsubstantiationem merum esse figmentum. Imò Calvinus ipse ita de eâ loquitur Inst. Lib. 4. c. 17. §. 14. *Mirum est eò inscitiæ, imò stuporis fuisse prolapsus Catholicos, ut non solùm repugnante scripturâ, sed etiam veteris Ecclesiæ consensu monstrum illud in medium proferrent.* Hæc ille.

Hæreticus.

Possem excerpere testimonia non pauca ex celebrioribus & antiquioribus vestris authoribus, quibus probarem Corpus Christi in Sacramento Cœnæ, esse tantùm in figurâ: nisi nos vel vestris alloquiis indignos ubique prædicaretis: atque ita cætera quæ ex reali præsentiâ consequuntur nullo negotio refellerem.

Catholicus.

Cum scriptura nos admoneat non effundere sermonem ubi non est auditus, credimus nos non prætergredi Christianæ prudentiæ limites, si ut plurimùm vobiscum de controversiis inter Ecclesiam Catholicam & reformatam obortis contendere recusamus. Quotidianâ enim experientiâ novimus hujusmodi concertationes cadere in irritum. Nos sanè aliter ageremus, si vel tenuissima spes vestræ conversionis affulgeret. Verum utcumque sese res habeat, audiamus te, ne fortè dicas cum tuis sodalibus nulla nobis suppetere responsa quibus vestras objectiones diluamus.

SECTIO XLIV.

In quâ Hæreticus de Romanâ Ecclesiâ ut verâ, & solâ Christi sponsâ convictus, disputationem reflectit ad realem Christi in Eucharistiâ præsentiam, quam allatu Tertulliani loco elidere conatur, & ab Orthodoxo refellitur.

Hæreticus.

Quemadmodum Tertullianum passim assumitis adversum nos, ita nos ejus testimonia adversus realem præsentiam proferre possumus, & imprimis locum desumptum ex cap. 40. Lib. 4. adversus Marcion. qui mirificè nostræ de Cœnæ Sacramento doctrinæ astipulatur. Professus itaque (Christus) se concupisse edere Pascha ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum Panem, & distributum Discipulis, verba sunt Tertulliani, Corpus illum suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est figura Corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset Corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea Panem Corpus sibi finxit, quia Corporis carebat veritate: ergo Panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis ut Panis crucifigeretur. Cur autem Panem Corpus suum appellat, & non magis Peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi dicentis per Jeremiam, adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes, venite, conjiciamus lignum in Panem ejus, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse Panem, satis declaravit Corpus suum vocans Panem.

Sic & in Calicis mentione testamentum constituens suo Sanguine obsignatum substantiam Corporis confirmavit. Nullius enim Corporis Sanguis potest esse, nisi carnis. Nam etsi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certè Sanguinem nisi carnea non habet. Ita consistit probatio Corporis, de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio Sanguinis. Ut autem & Sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias, quis, inquit, advenit ex Edum? Rubor vestimentorum ejus ex Bosor. Sic decorus in stolâ vinolentâ cum fortitudine? quare rubra vestimenta tua? & indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato? spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, ut in eâ passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcatæ & expressæ vi passionis, & tanquam de foro torcularis; quia exindè quasi cruentati homines de vini rubore descendant.

Multo manifestiùs Genesis in benedictione Judæ, & cujus tribu, carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Judâ delineabat.

Lavabit, inquit, in vino stolam suam, in Sanguine uvæ amictum suum, stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.

Ecce tibi integrum Tertulliani locum, ut videas nos syncerè vobiscum agere, nihil Tertulliano imponere, & nos rectè ex isto ipsius testimonio colligere Christum non esse realiter in Sacramento Cœnæ, sed tantùm in figurâ: Siquidem hæc verba, hoc est Corpus meum, resolvuntur in hanc propositionem, Hoc est figura Corporis mei.

Catholicus.

Jampridem Ecclesia reformata utitur isto Tertulliani loco veluti triumphali curru, quo sese omnem Catholicorum realem Christi præsentiam in Eucha-

Eucharistiâ divinâ fide credentium turbam obtrivisse & etiamnùm obterere gloriatur. Verum feroces ejus animos comprimere non est ardui laboris: siquidem ex eo nihil potest colligi, quod ejus erroribus astipulari valeat, si sanè & ad authoris mentem exigatur; quod ut fiat aliqua sunt observanda.

1. Observandum est hyperbaton (figuram quam Rhetores definiunt transgressionem, quâ nativus verborum ordo turbatur, esse familiarissimam Tertulliano, quippè qui stylum habeat concisum & intricatum. Unde per hanc figuram ut non interrumperet ordinem verborum Christi, cum dicere debuisset: hoc, scilicet corporis mei figura, est corpus meum, trajicit verborum ordinem, & dicit: hoc est corpus meum, scilicet figura Corporis mei. Quâ in re deprehendi potest alia figura, quæ cum altera penè coincidit, tam in sacris Litteris, quam in sanctorum Patrum monumentis usitata, quæ dicitur ab Rhetoribus Hysteron proteron, seu Hysterologia, per quam quod priore loco dicendum erat, posteriore dicitur: nativus enim ordo exigebat, ut Tertullianus ita & hoc ordine suam mentem aperiret: Hoc scilicet figura Corporis mei (quæ fuit in veteri testamento) est Corpus meum (in novo.) Id Gagnæus illustrat in scholio marginali hujus loci ex Editione Parisiensi, & annotat nihil hîc de veritate Corporis Christi detrahi, propterea quod tota hæc oratio referatur non ad novum Eucharistiæ Sacramentum, tamquam illud vocetur figura, sed ad panem, de quo Hieremiæ locus citatur in allato loco; eâ ratione, quâ Panis oblatus & comestus in sacrificiis naturæ & legis, jam tùm figurabat Evangelii tempore, conficiendum Christi Corpus ex materiâ, & sub specie Panis manducandum.

2. Observandum est Tertullianum in allato loco verba facere de legali figurâ Corporis Christi, & (ut jam insinuavimus paulò antè) declarare Panem, qui sub lege erat figura Corporis Christi (quod non intelligebat Marcion, ut ipsi exprobrat ipsemet Tertullianus) sub novo testamento in Corpus Christi fuisse mutatum, & quotidiè mutari. Nam hæ voces, (figura Corporis mei) non conjunguntur cum his verbis proximè præcedentibus (nempè Corpus meum,) sed cum pronomine (hoc) ita ut hic sit sensus: acceptum Panem Corpus suum fecit, dicendo: hoc, id est Panis, qui in veteri testamento fuit figura Corporis mei, nunc, seu in novo testamento est Corpus meum. Ubi pronomen (hoc) confusè demonstrat Panem, non qui manet, sed qui in substantiam Corporis Christi convertitur. Et ita intelligendum esse Tertullianum indicant hæc verba sequentia: figura autem non fuisset, nisi veritatis fuisset Corpus. Hoc est, numquam in veteri testamento figuratum & adumbratum fuisset Christi Corpus, nisi futurum fuisset verum illud Corpus, quod scilicet ab ipso assumendum erat in stupendo Incarnationis Mysterio, & porrigendum Apostolis & manducandum in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo acceptum Panem Corpus suum ab æterno facere cum Patre decreverat. Eam ob causam sequitur necessariò Corpus Christi figuratum per Panem, de quo vaticinatur Hieremias; & sanguinem, quem per vinum prænuntiat Isaias in hoc ipso, de quo agimus, Sacramento verè & substantialiter contineri.

Quemadmodum enim in novo Testamento condendo, acceptum Panem Corpus suum fecit, ita & in eodem testamento sanciendo, sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc (in veteri testamento) vinum in sanguine figuravit.

Quæ omnia ampliùs elucent ex proposito Tertulliani, qui quidem, ut Marcionis aientis legem ab malo Deo (nempè ab creatore mundi quem appellabat principem hujus sæculi) datam esse, & Christum Jesum melioris Dei Filium venisse in terras, ut eam abrogaret asserentis, hæresim profligaret, in id toto præsertim Libro 4. adversus eum elaborato incubuit, ut ostenderet Christum non esse incarnatum eo animo, ut veterem legem veluti malam, & ab malo Deo promulgatam rescinderet, sed ut ipsam sua exhibendo promissa, & ipsius umbras & figuras ad veritatem transferendo perficeret. Itaque illuminator antiquitatum (Christus) quid tunc voluerit significasse Panem, satis declaravit, Corpus suum vocans Panem: sic & in Calicis mentione testamentum constituens suo sanguine obsignatum, substantiam Corporis confirmavit, ut loquitur Tertullianus.

Sectio XLVI.

In quâ respondetur objectioni ex Tertulliani loco repetitæ, & præfata realis Christi in Eucharistiæ mysterio præsentia variis ejusdem Tertulliani locis astruitur.

Hæreticus.

Semper recurrit objectio repetita ex ipso Tertulliano, aiente disertè acceptum Panem Corpus illum suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est figura Corporis mei. Ergo in Sacramento Cœnæ, Corpus Christi est tantùm in figurâ.

Catholicus.

Jam diximus in verbis Tertulliani esse hyperbaton & hysterologiam in scripturis & sanctorum Patrum monumentis usitatam. Et ita locutus est hic Author, ne ordinem verborum Christi interrumperet, ut anteà insinuavimus, quippè qui interpretationem subjecti suæ propositionis post attributum subjecerit.

Cum enim dicere debuisset, hoc, id est figura Corporis mei, est Corpus meum, dixit, hoc est Corpus meum, id est figura Corporis mei. Quod nemini mirum videri debet, id enim fecit, ut Christi verba nusquam intersecanda debito honore afficeret. Enimverò ipsemet Tertullianus hoc honore prosequitur S. Pauli verba, ut ea non interrumpat, imò malit insuetam Grammaticorum regulis inferre violentiam, quam ea disjungere. Nam ne hanc ejus propositionem (quam citat adversus Praxeam) *Christus mortuus est*, intercideret, subjecti explanationem post attributum collocavit, & dixit, Christus mortuus est, id est, unctus; cum ut videtur dicere oporteret, Christus id est unctus, mortuus est. Quidni igitur eadem reverentiâ prosequetur verba Christi, siquidem non sunt verba simpliciter enuntiativa, ut ita dicam, sed sacramentalia & efficacia, seu operativa, quæ interrumpi nequeunt, quin de suâ naturâ dejiciantur, & in quæ Tertullianus nullam potuisset inserere glossam, quin abjecisset eam mentem & intentionem, quâ declaraverat se relaturum esse ipsissima verba sacramentalia, quibus Christus Jesus Panem in sui Corporis substantiam converterat. Apostolus denique, inquit adversus Praxeam cap. 29. dicendo, Christus mortuus est, id est unctus; id quod unctum est mortuum ostendit, id est carnem.

Quo in loco transponuntur hæc verba (id est unctus) eaque refert non ad propius antecedens, sed ad remotius, non ad attributum propositionis, sed ad subjectum, non ad hoc verbum (mortuus) sed ad nomen (Christus.) Cum hoc liquidò appareat, quidni illud ipsum fecerit in loco quem discutimus? cùm enim dixit: Christus fecit Panem Corpus suum, hoc est Corpus meum, dicendo, id est figura Corporis mei. Proculdubiò postrema hæc verba (id est figura Corporis mei) ad subjectum, non autem ad attributum (ut alibi factitavit) ad pronomen demonstrativum (hoc) sed ad nomen (Corpus) retulit. Siquidem talem ejus extitisse mentem omnis quarti Libri adversus Marcio-

nem contextus, & omnes circumstantiæ tam præcedentes, quam subsecutæ perspicuè demonstrant. Huc accedit, quod Tertullianus nusquam veritatem corporis Christi etiam cum illusus est ab Montano, abnegavit, ut mox videbimus. Observandum itaque

3. Illum ipsum Tertullianum realem Christi præsentiam toto vitæ curriculo credidisse & docuisse, ut patet ex variis locis, in quibus suam hac de re fidem non obscurè significavit, ut puta adversus Judæos cap. 10. utique in corpus ejus lignum missum. Sic enim Christus revelavit, panem corpus suum appellans, cujus retrò corpus in panem prophetes figuravit.

Item lib. 1. adversus Marcion. cap. 14. ait quendam non reprobasse panem quo ipsum corpus suum repræsentat (Christus.) Repræsentat, id est præsens facit, sistit, Tertulliani stylo, ut observavit Pamelius, dante illum ipse Rhenanus adnotavit in lib. de patient. ad cap. 17. hæc verba: *cælestes ignes repræsentari voluisset.*

Item lib. 3. adversus eundem Marcion. cap. 19. *Hoc lignum & Hieremias, inquit, tibi insinuat dicturis prædicans Judæis: venite mittamus lignum in panem ejus: utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans. Ut hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retrò corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo.*

Item in lib. de orat. cap. 6. *corpus ejus in pane censetur: hoc est corpus meum.*

Item ejusdem lib. cap. 14. & ult. *Plerique putant quod statio solvenda sit accepto corpore Domini: ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? nonnè solemnior erit statio tua, si & ad Aram Dei steteris? accepto corpore Domini & reservato utrumque salvum est, & participatio sacrificii & executio officii.*

Item in lib. de idololatriâ cap. 7. ubi graviter increpat idolorum artifices, eò quod suas manus, quas vocat idolorum matres, attollerent ad Deum Patrem, & easdem ipsas manus, quæ dæmoniis corpora conferebant, admoverent corpori Domini. Et paulò post: *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti (fabricatores* Idolorum) *quotidiè corpus ejus lacessunt.* Et paulò post: *quæ manus magis amputandæ, quam in quibus corpus Domini scandalizatur?*

Item in lib. de resurrect. carn. cap. 8. *caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Paucula hæc verba, & realem corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, & oralem seu veram ejus manducationem mirabiliter astruunt.

Item lib. 5. carminum adversus Marcion. editorum (si tamen hujusmodi carmina Tertulliano ascribi debeant) idem quod suprà confirmat:

Acceptum panem pariter vitisque liquorem
Corpus, ait, sanguisque meus, qui funditur, hic est
Pro vobis, fieri semper, quod posteà jussit.

Hi omnes loci ex variis Tertulliani operibus excerpti disertè & manifestè asserunt veritatem corporis & sanguinis Domini in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, vel ex ipsâ Magdeburgensium confessione centur. 2. cap. 4. par. de cœna Domini. Frustrà igitur Calvinistæ & alii Sacramentarii tantum & talem Authorem, qualis est Tertullianus, hac in parte irrefragabilem, utpotè fidei, quæ suis temporibus de reali corporis Christi præsentiâ vigebat in Ecclesiâ, locupletissimum dumtaxat testem, in patrocinium suæ hæreseos advocant. Quâ in re sunt (suprà quam dici potest) iniqui. Quid enim iniquius excogitari potest, quam cujuspiam authoris mentem alloqui velle, & colligere, non ex pluribus ejus locis, quibus apertissimè declaravit; sed ex uno quopiam vel altero obscuriore, quo author spectatis locorum, personarum, temporumque circumstantiis rem sacram, nec passim, nec omnibus proponendam subobscurè & strictim veluti pendente manu præflotaverit. Verum dato non concesso, quod Tertullianus uno vel altero suorum operum loco Eucharistiam figuram corporis Christi appellaverit, contendo nihilo secius neminem sapientem & cordatum repertum iri, quin plures locos contrarium testatos uni vel alteri præponderare oportere fateatur, quicquid obstrepant Calvinistæ. Talis agendi ratio apud hæreticos trita pervagataque eos abripit in præceps, ita ut vel suæ superbiæ fumo vel anticipati erroris fascino, vel alterius cujuspiam cupiditatis illicio, vel denique ab ipso tenebrarum principe obcæcati veritatem in propatulo collocatam, id est in Sanctorum Patrum monumentis undique radiantem intueri nequeant.

Præterea culpandi sunt Calvinistæ, cum Tertullianum in materiâ Eucharistiæ in sui erroris patrocinium accersunt: siquidem illum ipsum realem corporis Christi in ipsâ præsentiam tot in locis, ut vidimus, iisque perspicuis asserentem duabus de causis audire & credere debuerunt.

Prima hujus rei petitur ex eo quod ipsi Calvinistæ non obscurè & passim testificati sunt, & etiamnum testificantur se amplecti doctrinam, quam Ecclesia Romana quatuor prioribus sæculis docuit, & per totum terrarum orbem disseminavit, ergo doctrinam quam Tertullianus, qui tertio Ecclesiæ sæculo floruit, de reali corporis Christi præsentiâ in Eucharistiæ Sacramento ab Apostolis acceptam (id enim profitetur in lib. de Præscript.) se nihil docere & scribere præterquam quod ab Apostolis & viris Apostolicis traditum est, litteris consignavit, sine ullâ tergiversatione amplecti, profiterique debuerunt. Alioquin illusores sunt, qui seipsos primum exinde alios decipiunt fallacium verborum præstigiis, dum doctrinam ab Ecclesiâ Romanâ toto priorum quatuor sæculorum (ab ortu Salvatoris) curriculo, sese retinere dictitant.

Altera ejusdem rei causa indè trahitur quod Tertullianus id, quod antequam ab Ecclesiâ descisceret, de reali corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ scripserat, non recantavit prolapsus in hæresim, imò confirmavit; ut patet ex cap. 9. lib. de pudicitiâ adversus Ecclesiam exarati, ubi sic loquitur: *annulum*, inquit, *accipit tunc primùm quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate dominici corporis vescitur*, Eucharistiâ scilicet.

Hæc ibi. Si igitur Calvinistæ Tertulliano Christiano Catholico credere renuunt, Hæretico saltem & desertori Catholicam Doctrinam asserenti adhibeant fidem, non qualemcumque, sed eò majorem, quo major est & esse debet testificatio in gratiam Ecclesiæ perhibita ab viro ab ipsâ segregato, è cujus ore talem testificationem unâ dumtaxat efficacia veritatis expresserit.

His positis tantùm abest ut Calvinistæ, quod spectat ad realem Christi præsentiam in Eucharistiâ, Tertullianum ceu suis erroribus astipulatum vindicare possint, ut econtrà ipsummet suæ hæreseos hac in parte debellatorem agnoscere, & confirmatam ab ipso etiam Hæretico, fidem amplecti tuerique teneantur quatuor de causis, quarum

Prima est quod locus ex lib. 4. adversus Marcion. cap. 40. objectus, sit intelligendus de figurâ legali, id est de pane quo figurabatur corpus Christi, quod quidem corpus ceu panem supersubstantialem ipsemet Christus suis fidelibus in plenitudine temporum impertiri decreverat. Quod spectat ad verba contextûs facilè explicantur per hyperbaton & hysterologiam, ut ostendimus.

Secunda est, quod dato non concesso, quod iste locus intelligendus esset de Sacramento Eucharistiæ, perindè ac si diceret Tertullianus, hæc verba Christi, hoc est Corpus meum, nihil aliud significa-

significare, quam hoc est figura Corporis mei, nihil tamen indè colligere possent Calvinistæ ex Tertulliano, quippè qui in pluribus aliis suorum operum locis suam hac de re fidem luculenter explanavit, ut patet ex iis, quos suprà retulimus.

Tertia est, quod Calvinistæ dictitant passim se retinere eam doctrinam, quam Ecclesia Romana quatuor prioribus sæculis ab ortu Salvatoris elapsis professa est, ergo doctrinam traditam ab Tertulliano, qui tertio sæculo floruit, amplecti debent, nisi haberi velint illusores, qui specioso illo antiquioris doctrinæ titulo rudiores suas in hæreses allicere moliuntur.

Quarta denique exindè petitur, quod Tertullianus etiam in hæresim miserrimè prolapsus, eamdem de Eucharistiâ doctrinam, quam semper tenuerat, in ipsâ hæresi retinuerit. Siquidem ab Montano fascinatus quinque libros exaravit adversus Ecclesiam, nempè primum de exhortatione castitatis: secundum de monogamiâ: tertium de fugâ in persecutione: quartum de jejuniis adversus psychicos: quintum, de pudicitiâ. In hoc op. cap. 9. ut suprà vidimus realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistiâ mirabiliter astruit, cum ait Christianum opimitate Dominici corporis vesci. Quæ opimitas esset insulsa & deridenda, si in uno dumtaxat panis frustulo corpus Christi figurante, quo suam cœnam instruunt Calvinistæ, consisteret.

SECTIO XLVII.

In quâ Heterodoxus varia objicit sancti Augustini loca, quibus se realem Christi in Eucharistiâ præsentiam labefactare arbitratur, & ex eodem Augustino affatim refellitur, & falsitatis & erroris nomine revincitur.

Hæreticus.

QUid quod S. Augustinus, quem miris laudibus in cælum extollitis, totus noster est hac in materiâ & pluribus in locis Eucharistiam esse dumtaxat corporis Christi figuram perspicuè contestatur. Quis enim versatus in ejus scriptis, id inficiari audeat? imprimis lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 16. nonnè ait hanc locutionem præceptivam, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis esse figuratam.*

Catholicus.

Operæ pretium est hîc subjicere locum integrum, ut genuinus ejus sensus aperiatur. Sic ergo loquitur S. Aug. loco citato. Si *præceptiva locutio est*, inquit, *aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem & beneficentiam jubeas, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis & Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis! facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo, præcipiens Passioni Domini esse communicandum & suaviter atque utiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit.* Ut hic locus in suâ veluti luce statuatur,

1. Observandum est flagitium & facinus distingui & definiri cap. 10. ejusd. lib. 3. de doctr. Christ. *Quod agit*, inquit, *indomita cupiditas ad corrumpendum animum, & corpus suum, flagitium vocatur. Quod autem ut alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum, sed flagitia priora sunt.* Hæc ibi.

2. Observandum eumdem S. Augustinum eod. cap. ejusd. lib. demonstrasse modum inveniendæ locutionis propriané an figurata sit, & *iste omninò modus est*, inquit. *ut quicquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet.* Hæc ibi.

His ita suppositis & observatis certum est, hisce verbis, nisi manducaveritis carnem, &c. neque præcipi flagitium, neque facinus. Cum enim flagitium sit crimen quo quis corpus suum & animam insanæ cupiditatis impetu corrumpit, nemo sanæ mentis dixerit per corporis Christi manducationem corrumpi corpus & animum, cum utrumque per illam ipsam manducationem, plerisque dotibus seu cælestis gratiæ thesauris ornari locupletarique omnis antiquitas, omnis Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa totâ vocis contentione doceat, & prædicet. Neque etiam præcipitur facinus, seu factum aliquod vergens in alterius perniciem: siquidem augustissimo illo Sacramento ita conglutinantur fidelium sibi invicem adhærentium & opitulantium mentes, ut fiant unum corpus, anima una, & cor unum, & sint illis omnia commonia, sicut legimus extitisse in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, in quo Christiani divinæ charitatis ardore succensi erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus. Act. cap. 2. v. 42.

Præterea juxta regulam ab sancto Augustino constitutam, quâ potest locutio propria ab figuratâ secerni, ista locutio: *nisi manducaveritis*, &c. siquidem quidquid hiscè verbis præcipitur, manducatio scilicet corporis Christi, cum debitâ animi præparatione, id est debitâ fide, puritate, humilitate, charitate, & aliis id genus virtutibus conjuncta tota ad morum honestatem, id est ad Dei proximique dilectionem, & ad fidei veritatem, id est ad Dei proximique cognitionem referatur.

Omissis nostris ratiocinationibus juvat audire Guitmundum Aversanum Archiepiscopum, qui floruit sub Gregorio Papâ VII. ut ipsemet testificatur, & qui tres libros de veritate Eucharistiæ insigni doctrinâ facundiaque elaboratos adversus Berengarium edidit. Is enim S. Augustini locum quem Berengariani ceu præcipuum sui erroris fundamentum & argumentum objiciebant, insigniter diluit in 2. præfati operis libro, ubi sic loquitur: *Non nostram opinionem in verbis Augustini sequamur*, ait, *sed ipsum se diligentissimè exponentem audiamus. Exponens enim psalm. 98. sic dicit: durum illis visum est quod ait*, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: *acceperunt stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisuras esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt*, durus est hic sermo. Hæc ibi.

Et aliquantò pòst explicat in quo positum esset flagitium vel facinus, *quod*, ut ait B. Augustinus, *videbatur Dominus jubere non quia*, *inquit*, *flagitium aut facinus juberet, jubendo manducari carnem suam, sed videtur*, inquit, *jubere, illis videlicet qui putaverunt, quod hoc jubendo necessariò, etiam se juberet occidi, & membratim conscindi, atque ita demum carnem ejus crudam, vel coctam manducari, proindè*, inquit, *figura est in hac locutione.*

Posteà idem Guitmundus ostendit adversus Berengarianos, quid velit S. Aug. cum ait in his verbis, *nisi manducaveritis*, &c. esse figuram præcipientem. *Quid præcipiens*, inquit, *quid figurans? hoc enim figurat quod præcipit, Passioni Domini*, inquit, *communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit. Deo gratias. Quicquid igitur illud est, quod Augustinus figuram appellat (nam quid figuram dicat in his ejus verbis agnosci non tam facile potest) non utique corporis Domini, sed crucifixionis ejus, & vulnerationis, & occisionis, nostræque communicationis cum eâ, id est ut imitemur Christum, & communicemus Passioni ejus compatiendo manifestissimè figuram esse demonstrat. Paulo quoque Apostolo concordante, qui ait, quotiescumque manducabitis*

panem hunc & Calicem biberis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, Quod si queramus quid hic figuram Augustinus dixerit, nihil utique tam congruè videtur occurrere, quam id, quod paulò superius Doctor idem jam dixerat, id est celebratio ipsa Corporis & Sanguinis Domini. Quas ob res stultè & insipientissimè Berengariani librum de Doctrinâ Christianâ nobis objiciunt, cum cibus altaris Domini nusquam ibi figura, nusquam ibi signum dicatur: & quicquid illud sit, quod signum ibi & figura dicitur, non utique signum & figura Corporis & Sanguinis Domini, sed Passionis Domini & nostræ communicationis cum eâ certissimè demonstretur.

Pauló pôst fatetur cum Ecclesiâ Catholicâ Eucharistiam esse signum & figuram, & respondet umbratico, sivè Berengariano cuipiam aienti, si figura est, quomodo veritas? si Sacramentum quomodo veritas? *O malè cordati hominis insulsissima ratio, ait. Nonnè legisti in Evangelio ipsum Christum signum appellari? dicente Simeone: Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Quapropter si Christus est, & verus Christus est, & signum: nihil nos impedit, si hoc, quod de altari sumimus, cum sit verum Christi Corpus, dicatur & signum. Sed cujus rei, forsitan, inquies, nisi Dominici corporis est signum? & ego vicissim abs te requiro, cujus Christus est signum? si mihi respondes, tu ipse, quod interrogas, solvis. Si mihi non respondes, nec me respondere hoc cogis.*

Paulò pôst idem declarat Christum, quia est pretium nostrum, esse redemptionis nostræ signum. *Et ideò non absurdè credimus*, inquit, *si simili quoque ratione cibum altaris Dominici, & propter divinitatem in eo plenissimè habitantem nostræ salutis effectivam, & quoniam pretium nostrum est, ejusdem salutis nostræ credimus significativam.* Exindè colligit idem Author Christum in hoc Sacramento verè præsentem licet absconditum esse signum rerum plurimarum.

1. Enim est signum fœderis sempiterni inter Deum & homines initi; nam ut præclarè asserit B. Algerus lib. 1. de Sacram. corporis & sanguinis Dom. cap. 22. *testamento Sanguinis sui datâ redemptione & peccatorum remissione pactum quod habebamus cum morte delevit, vita æterna fœdus nobiscum pepigit: & tanti Testamenti Sacramentum, ad confœderandam sibi sanctam Ecclesiam in commune omnibus reliquit; ut undè habemus gustum in viâ, satietatem quæramus in patriâ, & ipsum per ipsum inveniamus, cum in manifestâ suâ apparuerit gloriâ. Cum enim Corpus Christi sumpserimus, & corpus ejus facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem, transibimus & nos in illo, ut cum illo in tanti transitûs labore unum facti, unum semper simus in perventionis gaudio.* Hæc ibi.

2. Eucharistia est signum alterius Corporis Christi, quod est Ecclesia, quod asserit Guitmundus Archiepiscopus Aversanus de veritate Euchar. lib. 2. *ipsum suum proprium quod de Beatâ Virgine sumpserat corpus, corporis sui, quod est Ecclesia, signum est & figura & Sacramentum.* Hæc ibi.

Enimverò quicquid Christus ad nostram redemptionem consummandam exhibuit, id in memoriam suorum mirabilium in augustissimo Eucharistiæ Sacramento repræsentari voluit, ut nos, qui sumus Ecclesiæ filii, imitaremur in hac carne præcipua mysteria, quæ consummaverat in sacrosancto suo corpore. Tria præsertim in hoc Sacramento mysteria recoluntur: siquidem inter mysteria declaramus non offerre immaculatam Hostiam, id est verum Christi Corpus in memoriam Passionis, Resurrectionis & Ascensionis ejusdem Jesu-Christi Domini nostri.

1. Igitur in hoc Sacramento recolitur memoria Passionis ejus, ut quotidiè sicut ipse præcepit, Crucem nostram bajulemus, quotidiè huic mundo moriamur, mortificationem Crucis in corpore nostro circumferentes, ut recordemur nos non posse, ut par est, vesci corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi nisi ad illum pertineamus. Non possumus autem ad illum pertinere, quin Crucis ipsius mortificationi strenuè studeamus: siquidem, ut ait Doctor gentium, *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: qui ergo carnem suam non crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis, non sunt Christi, atque adeò non sunt digni, qui cum ejus domesticis cælesti mensæ corpus ejus manducaturi accombant, *non est* enim *bonum sumere panem filiorum & mittere canibus*. Matth. cap. 15. v. 26.

2. Istud Sacrificium Corporis Christi offertur in memoriam ipsius Resurrectionis, *ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: & quemadmodum ille ipse Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & nos existimemus nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro, non ergo regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut obediamus concupiscentiis ejus.* Rom. cap. 6. v. 9. & seqq.

Ut autem Christum redivivum tam in mente, quam in corpore circumferamus, id est puritatem, sanctimoniam, & stabilitatem ejus resurrectionis imitemur, in quantum licebit per infirmitatem ex primo primi hominis peccato contractam & efficacissimo secundi hominis auxilio adjutam, nobis porrigitur, panis vivus & redivivus (id est Corpus Christi) ut syncerè & sicut oportet sub sacris velaminibus manducatus nobis novæ vitæ gratiam, & in tali vitâ & gratiâ stabilitatem & perseverantiam impertiat. Est igitur Corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ signum; quod & ejus Passionem repræsentat, & resurrectionem, & nos ad utriusque imitationem incitat.

3. Ipsum Christi Corpus offertur in memoriam Ascensionis quâ reportatis de mundo & mundi principe, & de omni tenebrarum potestate victoriis rediit in cælum, ut doceret nos per quotidiana Christianarum virtutum incrementa, & per flagrantia divinæ fruitionis desideria ascendere oportere in ipsum cœlum, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens, id est sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram, atque ita præcerpere divinitatis sempiternam fruitionem, quam temporalis corporis ejusdem Christi perceptio præfigurat.

Idipsum denique Christi Corpus est signum ardentissimæ conjunctionis, quâ Ecclesia cum suo capite & omnes fideles per hoc Sacramentum charitatis, & vinculum unitatis secùm invicem adunantur. Quòd uberiùs explanavimus in ipso hujus tractatus exordio, ubi de variis hujus Sacramenti nominibus egimus.

SECTIO XLVIII.

In quâ Hæreticus fatetur Eucharistiam esse signum in quo & per quod Christi Passio, Resurrectio, & Ascensio recolitur. Ita tamen ut sit merum signum à quo verum Christi Corpus absit, eo nomine quod Eucharistia ipsa, etiam factâ consecratione panis, passim ab omnibus appellari soleat.

Hæreticus.

FAteor Sacramentum Eucharistiæ esse signum earum omnium rerum, quas recensuisti: sed contendo esse merum nudumque signum, quod quidem ineluctabiliter astruitur ex eo quod in scripturâ semper, id est tam ante, quàm post vestram consecrationem panis appellatur.

Catholicus.

Hanc objectionem quingentis propemodùm annis antequam Lutherus & Calvinus suas hæreses pervulgarent, jugulavit B. Algerus, qui XII. sæculo

floruit, quique ut testificatur Petros venerabilis Abbas Cluniacensis de Sacramento Corporis Christi optimè, plenissimè, & perfectissimè disseruit. Sic enim loquitur lib. 1. de Sacram. Corporis Christi. cap. 6. *Notandum est*, inquit, *quùm divina pagina Corporis Domini Sacramentum panem vocat, non substantialiter, sed mysticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, ejusque nonnullas retinet qualitates, vel quoniam animam pascit, eique vitæ æternæ ministrat substantiam. vel quoniam panis est Angelorum. Solent enim scripturæ quasli bet res vocare nobilibus illarum rerum, ex quibus fiunt, ut cum dicitur homini, quid superbis terra & cinis? cum homo non sit cinis, sed ex cinere factus, seu quæ putantur esse, & non sunt, ut cum legitur Abraham vidisse tres viros, cum essent Angeli; seu quibus similes aliquo modo existunt, ut cum Deus dicitur leo propter fortitudinem. Sic igitur Corpus Domini panis vocatur, vel quia, ut dictum est, ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cum sit caro, panis videtur: vel eâ similitudine, quâ sicut panis materialis carnem, sic ipse spiritualis alit mentem.*

Et sub finem capitis: *Quis ergo dubitet*, inquit, *de veritate Corporis & Sanguinis Domini, quæ spiritaliter creditur, quicquid sensus corporei de ipso, vel formâ, vel odore, vel sapore extrinsecus mentiantur. Non minùs verè erat Christus, cum Maria putaret hortulanum, quàm cum recognovit eum.* Hæc ibi.

Sectio XLIX.

In quâ explanatur quid verè significet istud adverbium (quodammodo) quo abutuntur Hæretici, eo quod sanctus Augustinus in secunda concione in Psalmum tricesimum tertium, dixerit Christum sese manibus quodammodo portasse.

Hæreticus.

QUid quod ipse sanctus Augustinus, qui totus noster est, ait 2. concione in Psalm. 33. quod Christus suis manibus quodammodo ferebatur, quod dixit, ut potè qui crederet, id quod Christus ferebat in manibus fuisse merum dumtaxat ipsius corporis signum, & ideò dixit quodammodò eum se suis manibus portasse.

Catholicus.

Hæc objectio facilè dissolvitur. Quod ut fiat,

Observandum est 1. S. Augustinum conc. 1. in Psal. 33. disertè asseruisse Christum sesemet suis manibus tulisse, cum Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit: *ferebatur enim Christus in manibus suis*, inquit, *quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus suum in manibus suis.* Hoc autem esse supra modum mirabile declarat idem sanctus Augustinus: *hoc*, inquit, *quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus.*

Ergo ex sententiâ sancti Augustini *David non portavit sese suis manibus secundum litteram, sed Christus secundum eamdem litteram sese portavit, cum dixit, Hoc est Corpus meum* Ergo sanctus Augustinus & docuit quod & credidit Christum verum suum Corpus in supremâ Cœnâ (quam cum discipulis celebravit) tulisse in manibus suis, non autem dumtaxat nudum ejus signum.

Observandum 2. eumdem S. Augustinum conc. 2. in eumd. Psalm. nihil dicere quod veritatem in primâ solidè stabilitam labefactare valeat. Quippè qui veritus, ne vel Catechumeni, vel ethnici interessent secundæ illi concioni, hanc ipsam veritatem obscuriùs insinuat, ut ipsam non intelligerent. Quod satis indicat usitata illa & solemnis Sanctis Patribus loquendi formula, (norunt fideles.) Ipsi quippè sancti Patres omnes nondum regeneratos ex aquâ & Spiritu sancto celabant tantum ac tale mysterium, quod nemo usquam crederet, nisi fides divinitùs infusa, ejus mentem supra sensuum rationisque imbecillitatem & modulum ad cælestium Sacramentorum notitiam, voluntariamque professionem attolleret. His de causis usus est hoc vocabulo (quodammodo) non quod per illud excludere vellet veram & substantialem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, & indicare Christum sese duntaxat portasse in manibus suis in sensu figurato & allegorico: siquidem asserit in 1. concione citatâ quod Christus secundum litteram ferebatur manibus suis. Verùm hoc vocabolo (quodammodo) indicat modum specificum & singularem, secundum quem verè, reipsâ, & ad litteram ferebatur manibus suis. Quod facit, eo quod hujusmodi modus non est, ille tritus & pervagatus, quo homines feruntur ab seipsis in propriâ specie & figurâ, sese scilicet proprio pondere virium corporalium adminiculo, sustinendo; sed modus (de quo sanctus Augustinus) est multo nobilior, eminentior, & præstantior, & singulariter annexus huic uni dumtaxat actioni, quâ Christus semetipsum sub externâ & visibili Sacramenti specie verè & substantialiter constitutum, licet absconditum, suis portat manibus. Talis loquendi formula familiaris est sancto Augustino, ut puta cum Epist. 28. dicit: *anima hominis immortalis est secundum quemdam modum suum*: de immortalitate animæ non dubitat, sed insinuat eam non esse immortalem eodem modo, quo Deus, *qui* juxta Apostolum *solus habet immortalitatem*. Item cum Epist. 3. dicit Verbum per incarnationem sese univisse homini quodammodo, id est modo quodam ipsi singulari & proprio, non autem communi & usitato, tametsi vero, reali, & actuali, ut ita dicam. Inde patet sanctum Augustinum opponere istud adverbium (quodammodo) quod usurpat pro quodam modo, non vero modo ad destruendam rei veritatem, sed his vocabulis (quocumque modo) ut illum modum de quo loquitur, in particulari designet.

Quod illustratur evidentiùs ex serm. 11. de verbis Domini, ubi apponit manducationem Christi Jesu, quæ fit certo quodam modo, alteri quâ Christus manducatur quocumque modo. Et ibidem addit juxta verbum Christi Domini blasphemiam in Spiritum sanctum esse irremissibilem quodam modo, & non quocumque modo. In his omnibus exemplis per adverbium quodammodo non excluditur rerum veritas seu præsentia, sed tantum ad certum quemdam modum ipsis rebus peculiarem & proprium seu alteri cuilibet modo oppositum restringitur & determinatur. Istam sancti Augustini respectu locorum citatorum explicationem suppeditavit Cardinalis Perronius vir in profligandis hæreseon monstris exercitatissimus, in libro quo omnia sancti Augustini testimonia ab hæreticis objici solita explanavit, ut videre est in paginis 101. & 197.

Porrò novimus Calvinistas multa alia sancti Augustini loca accersere in erroris sui patrocinium, sed frustrà. Cum enim degeret in Africâ, in quâ populi tam in urbibus, quàm rure commorati paganicis adhuc superstitionibus erant implicati, mirabile Eucharistiæ Sacramentum & humanæ rationis modulum infinito superans intervallo, nec passim, nec apertè explicare debuit, ne tanti mysterii solemnitas eos in Christianæ Religionis contemptum pariter & odium adduceret. Nam ex occasione Eucharistiæ, cujus mysterium ignorabant Cathecumeni & idololatræ, ethnici Christianos, ut homicidas accusare, & eorum sacrificia veluti humano sanguine contaminata allatrare non desinebant, ut legere est apud Tertullian. in Apolog. cap. 9. Et apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 1. & apud Minu-

tium

tium Felicem in Octavio, eam calumniam ab Christianorum cœtu depellentem: *Nobis*, inquit, *homicidium, nec videre fas, nec audire, tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum sanguinem in cibum noverimus.* Hæc ille.

Eas ob res sancti Patres, & sanctus Augustinus præsertim cum ageret de Eucharistiæ Mysterio, utebatur hac loquendi formulâ, *Sacramentum fidelibus notum*, ut lib. 10. de civ. cap. 6. *Sacramento*, inquit, *altaris fidelibus noto*: Item in Psalm. 39. *sacrificium verum, quod fideles norunt. Et corpus quod nostis, quod non omnes nostis: quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis*: Et alibi sæpè, *Sacramentum quod norunt fideles.* Et tract. 11. in Joan. & tract. 96. in eund. Joan. & de verb. Dom. serm. 46.

Sectio L.

In quâ ostenditur frustra Heterodoxos nonnulla sancti Augustini testimonia detorquere in sui erroris verum Christi Corpus in Eucharistiâ constitutum debacchantes patrocinium, cùm vel ipse Lutherus in ultimâ vita lineâ professus fuerit, id citra maximam tanti Doctoris injuriam factitari non posse.

UNdè contigit ut Sacramentarii ex locis quibusdam tanti Patris obscurioribus, suarum Hæreseon ansam arriperent, & omnium Hæreseon debellatorem earumdem Patronum & vindicem prædicarent, & sibi licet infinitis in locis strenuè repugnantem, & toto orbe Christiano reclamante, vindicarent. Immeritò sanè tali Patrono gloriantur. Nam ex universis ejus operibus unum duntaxat colligere possunt, quod aliquot in locis minùs perspicuè de Sacramento Eucharistiæ locutus fuerit; quod autem Orthodoxæ de hoc ipso Sacramento Doctrinæ quippiam contrarium docuerit, ostendere nequeunt. Quod vel Lutherus ipse moriens liquidò declaravit. *Sacramentarii*, inquit, *proprium sibi Patronum adoptant S. Augustinum eo nomine, quod sapiùs utatur hisce verbis: Sacramentum, Mysterium, signum invisibile, intelligibile, meo judicio*. inquit, *ab Apostolicis temporibus Ecclesia inter Doctores sancto Augustino præstantiorem habuit neminem Verum sanctus ille Doctor ab Sacramentariis tam fœdè dedecoratur, tot contumeliis inquinatur, ut illum ipsum venenata, & erroribus pariter & blasphemiis perfusa Hæreseos authorem & assertorem proferant. Ego verò ipsis totâ virium contentione, & quamdiu opitulante Deo animâ spirabo meâ, obsistam & tanto Doctori quantam maximam injuriam irrogari testatum faciam.* Hactenùs Lutherus. Et profectò quicquid præ se ferant aut jactitent Sacramentarii, non ita certi sunt apud se S. Augustinum stare ab suis partibus, sicut extrinsecùs profitentur. Bellè enim vident, tametsi reperiantur apud sanctum Augustinum phrases, seu expressiones quædam ambiguæ, quibus abuti possint apud rudiores; esse tamen clarissimas & validissimas, quæ nullâ arte, nullâ machinâ aut ariete concuti nedum labefactari valeant.

Unde Zuinglius Sacramentariorum ductor vel seductor notissimus testatur in tractat. de Euchar. S. Augustinum alibi asserere contrarium placitis quæ illi ascribebat: *Videri tamen duobus in locis exprimere quid per hoc nomen* (Corpus) *intelligeret. Et rursùm persuasum habemus*, inquit, *Sanctum Augustinum virum extra omnem ingenii aleam positum & perspicacissimum non esse ausum suis temporibus disertè exprimere indubitatam de Sacramento Eucharistia veritatem, quæ jam vigebat in corde fidelium, siquidem sententia de verâ Christi carne & corpore in ipsâ Eucharistiâ præsente alteri cuilibet opinioni præponderaverat.* Hoc in loco Zuinglii multa sunt, quæ Sacramentarios de suis erroribus dejicerent, nisi anticipatâ opinione occupati omnem intercluderent rationi locum.

1. Enim indè patet Zuinglii temporibus jam ab XII. sæculis creditam & prædicatam esse doctrinam quâ contendimus veram Christi carnem in Augustissimo Eucharistiæ Mysterio contineri: Trecentis nimirùm annis post Apostolos, qui illam per se & per Apostolicos viros in omnem terrarum orbem diffuderant. Ergo sunt admodùm rudes & improvidi Sacramentarii, qui doctrinam ab Apostolis traditam & ab tot sæculis stabilitam abjiciant, & ad nova Zuinglii commenta pervicaciter adhærescant.

2. Quo loco habere debent sanctum Augustinum, quo suæ hæreseos assertore gloriantur? Siquidem ipsorum antesignanus non sit ausus asserere Sacramentariorum doctrinam perspicuè ab sancto Augustino doceri & confirmari, utpotè qui dixerit duntaxat eum videri illam duobus in locis perspicuè exprimere; cum interim eumdem sanctum Augustinum alibi aliter de eadem ipsâ materiâ loqui fateatur.

3. Pugnantia loquitur Zuinglius, utpotè qui sanctum Augustinum accusat velut hominem ignavum & timidum qui suis temporibus veritatem exprimere & testificari detrectaverit: quem nihilo seciùs virum omninò pium & religiosum appellat: quæ duo sibi è diametro repugnant. Quis enim cordatus insignem pietate virum appellet eum, qui degeneri metu fractus & debilitatus retinuit necessariam veritatem profiteri, & ubique datâ occasione testari? qui sese ita gereret proculdubiò non pius, sed ab omni pietatis sensu derelictus haberetur, utpotè qui veritatem in injustitiâ detineret.

Quò igitur collineant Sacramentarii, cum sanctum Augustinum ipsis omni ex parte contrarium velut idoneum suæ hæreseos authorem proferunt?

Hac in parte imitari volunt suppositiciam illam matrem, quæ cum prolem (de quâ coram Salomone contendebat) suam non esse rescisceret, eam neque sibi, neque alteri integram dari, sed duas in partes dissecari petiit. Ita Sacramentarii sese habent in isto rerum articulo; cum enim videant se non posse sibi vindicare sanctum Augustinum, illum veluti partiri, vel inter Ecclesiam Catholicam, suamque sectam medium statuere volunt, ut in utramque partem propendere videatur. Ideò Lutherus ex occasione sancti Augustini hoc illis exprobrat, quod scripturæ & Sanctorum Patrum pronuntiata & verba incerta & dubia apud imperitum vulgus reddere unicè cupiant.

Verùm quemadmodum Salomon vetuit ne dissecaretur infantulus, quem judicio pari ad æquitatem religione prolato, genuinæ suæ matri reddidit: Ita Christus, qui est plus quàm Salomon Sanctum Augustinum non partiendum aut dividendum, sed totum veræ suæ Matri Catholicæ nimirùm Ecclesiæ restituendum & asserendum esse ineluctabili totius traditionis authoritate & decretorio summorum Pontificum & omnium Episcoporum, qui ab ejus ætate floruerunt, judicio pronuntiat.

Juvat igitur S. Augustinum quem velut imprimis Orthodoxum & Catholicum, & quem nullus umquam sinistræ suspicionis (ut gravissimus nobis Author est Cælestinus Papa I.) rumor aspersit, ab omni Hæreticorum calumniâ vindicare, & unâ eademque operâ sacrilegam eorum de Eucharistiâ doctrinam ipsissimis ejus verbis profligare operæ pretium est.

Tu ergo profer quid sentiaris de Christi præsentiâ in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & id sancti Augustini authoritate nullo negotio refellam.

Hæreticus.

Credimus in Sacramento Cœnæ nobis duntaxat Corporis Christi figuram exhiberi.

Catholicus.

S. Augustinus contendit verum Christi Corpus in adorando Eucharistiæ Sacramento contineri, ut legere est

1. Tom. 10. Serm. 2. de verbis Apostoli: *Audivimus,* inquit, *veracem Magistrum divinum Redemptorem, humanum Salvatorem commendantem nobis pretium nostrum Sanguinem suum. Locutus est nobis de Corpore & Sanguine suo, quod Corpus dixit escam, Sanguinem potum, Sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles, audientes autem quid aliud quàm vitam audiunt?*

2. Tom. 8. in Psalm. 65. *ipsum Sanguinem,* inquit, *quem per insaniam fuderunt* (Judæi) *per gratiam biberunt.*

3 In eodem Tomo in exposit. Psalmi 33. sub finem: *verè magnus Dominus, & misericordia ejus vera, qui nobis dedit manducare Corpus suum, in quo tanta perpessus est, & Sanguinem bibere.*

4. Tom. 9. in Evang. Joan. tract. 27. in explicat. hujus loci, *verba vitæ æternæ habes: videte quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu sancto intellexit: unde nisi quia credidit? verba,* inquit, *vitæ æternæ habes: vitam enim æternam habes in ministratione Corporis & Sanguinis tui:* Et paulò post: *Quia tu es Christus Filius Dei vivi: id est quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es.*

5. Utraque concio in Psalm. 33. tota nostra est. Ut suprà vidimos.

6. Enarratione in Psalm. 39. *Ablata sunt,* inquit, *verba promissiva, data sunt completiva. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nestis. Quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis.* Et paulò post: *Hujus Corporis participes sumus, quod accipimus, novimus, & qui non nostis, noveritis, & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.*

7. Tom. 9. in Evangelium Joannis tract. 47. *mensa potentis, quæ sit, nostis ubi est Corpus & Sanguis Christi.*

8. In eod. Tom tract. 84. in Evang. Joan. *Nam,* inquit, *quæ est mensa potentis nisi unde sumitur Corpus & Sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis?*

9 Tom. 10. Serm. in Quadrag. *Qui sævientes occiderunt, imitari crediderunt: & quem Sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt.*

10. Ibidem in Serm. ad Neophytos: *hoc accipite in pane quod pependit in cruce, & hoc accipite in Calice, quod effusum est de Christi latere: erit enim illi mors non vita, qui mendacem putaverit vitam.* Hunc locum referunt Ivo Carnotensis & Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis in Lib. de Corp. & Sanguine Domini cap. 19.

Idipsum de reali Corporis Christi in hoc Sacramento præsentiâ docet & confirmat idem S. Augustinus, ut lib. 4. de Trinit cap. 13. & 14. & alibi.

Dies me deficeret si proferre vellem omnia Sancti Augustini testimonia, quibus realis Corporis Christi præsentia in Eucharistiâ ineluctabiliter astruitur, ut solidè demonstratum est ab viris singulari eruditione pariter & pietate notissimis, qui cum essent supparres ætate Berengarii suam hæresim ejusdem S. Augustini authoritate obumbrantis, pulcherrima edidere opera, quibus ipsius S. Augustini verbis apertissimis ejus errorem strenuè refutarunt, ut mox videbimus.

1. Hugo Episcopus Lingonensis qui floruit sæculo XI. id est anno Redemptoris circiter 1030. illo nimirum ipso tempore, quo Berengarius suam de Eucharistiâ spargebat hæresim, extitit inter primos, qui calamum in illam exeruerunt.

Hujus tractatum cum operibus S. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi edidit Domnus Lucas d'Achery vir benè de Litteris Ecclesiasticis meritus: utpotè qui hunc tractatum de Corpore & Sanguine Christi contra Berengarium ex Bibliothecæ Regiæ & Corbeiensis MMS. duplici erutum, sicut & complures alios è Bibliothecarum pulvere extractos publici juris fecit.

Hic Author in id præsertim incumbit, ut probet sanctum Augustinum tantâ fide & constantiâ & perspicuitate docuisse veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ, ut nec Berengarius, nec ejus asseclæ quicquam ex eo extrahere possint, quo ipsorum hæresis fulciri posse videatur.

2. Guitmundus Aversanus in Italiâ Archiepiscopus, qui floruit sub Gregorio Papa VII. ut ipse testificatur, tres Libros de veritate Eucharistiæ exaravit adversus Berengarium impudentissimè Sancti Augustini authoritatem suis erroribus obtendentem. Revera in Lib. 2. cum Berengarius objiceret unum Sancti Augustini locum ex Psalm. 98. qui talis est: *Non hoc Corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* Indè sic argumentabatur, *non hoc Corpus manducaturi, neque illum Sanguinem bibituri erant* (*qui audiebant Christum & alii*) *restat ut quod de altari sumitur, umbra sit tantùm corporis & sanguinis, & figura.*

Hoc argumentum diluit ipse Guitmundus ipsissimis Sancti Augustini verbis: *Hoc, id est quod dixerat Christus se suis daturum carnem suam manducandam & sanguinem bibendum stultè & carnaliter acceperunt. Putaverunt enim,* inquit *sanctus Augustinus, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de Corpore suo, & daturus illis. Putaverunt quod gratia consumeretur morsibus, & carnem quâ indutum erat Verbum, non integram sicut ascendit in Cœlum, sed veluti concisam vel quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, distribueret credentibus: non quomodo spiritu vegetatur, id est non vivam. Nam si spiritu vegetatur, viva est. Quid ergo si putassent se accepturos carnem integram, non per particulas concisam, non mortuam sed vivam: non sicut in macello venditur, sed vivam, sicut spiritu vegetatur, numquid errassent? utique non errassent. Dum enim culpantur, non ideo quia illam carnem, id est ejusdem substantiæ carnem se manducaturos putabant: Sed hoc solo, quia non integram, non vivam; atque consequenter absque culpâ fuissent: si eamdem, id est ejusdem substantiæ carnem se manducaturos putassent integram, & vivam. Quod si consequitur: imò quia consequitur: Vide quam efficaciter Berengarii sententiam omnemque umbraticorum errorem prorsùs interimit.*

Deindè addit, ex istis sancti Augustini verbis hoc in modum intellectis expositione Evangelii suadente, imò necessariò cogente nihil præsidii in his Berengarium collocare posse. Cum enim, ut pergit idem Author, ipsius scripturæ circumstantia, & tractatus Evangelii perspicua ratio, & universalis Ecclesiæ authoritas nostro sese intellectui conferant: nihil hic loci ulterius habens hæreticæ corruptionis infectio conticescat. Et posteà idem Author: me audisse existimo, inquit, quod Berengarius de pronomine (hoc) ad hunc modum ratiocinetur: Hoc, inquit, pronomen est, pronomina autem substantiam sine qualitatibus significant; cum igitur dicit, non hoc Corpus de substantiâ Corporis, non de qualitatibus dicit.

Huic rei respondet hoc modo: ipsâ argumentatione adversarii commodissimâ mihi uti possum dicens: Ipsa, pronomen est, pronomina autem substantiam significant sine qualitatibus: Cum igitur Augustinus dicit: in ipsâ carne ambulavit, & ipsam nobis manducandam ad salutem dedit, substantiam carnis Christi, non figuram nos manducare dicit.

Item (hoc) pronomen est. Cum igitur idem Augustinus dixerit in Sermone ad Neophytos: hoc accipite

in Pane, quod pependit in Cruce, & hoc accipite in Calice quod effusum est è Christi latere: substantiam corporis & sanguinis Christi non figuram nos manducare & bibere declaravit. Hæc igitur argumentatio tua, ô quisquis eâ niteris, siquidem infirma est, nobis adeo coranda non est. Si autem firma, plus nobis quam tibi prodest. Cum eam tu nonnisi in uno loco habeas, nos verò in multis: Cumque sibi Augustinus ita contrarius sit, aut non est jam recipiendus, aut in pluribus testimoniis, magis quam in uno credendus; faciliùs quippè in uno quam in pluribus vel ipse errare, vel codices ejus ab aliquo falsatore corrumpi potuerunt. Hæc hactenùs è Guitmundo recitavimus, ut appareret, quo pacto sanctum Augustinum toto suo opere Sacramentariis eripiat.

3. Domnus Durandus Abbas Troarnensis, qui floruit sub Guillelmo Conquestore, & ut testificatur Ordericus Vitalis lib. 7. Histor. ad ann. 1087. p. 658. fuit ab infantiâ Monachus, religione & sapientiâ præcipuus, Ecclesiastici cantus & divini dogmatis Doctor peritissimus, sibique durus carnifex, aliisque mitis opifex, exaravit pulcherrimum opus distributum in novem partes adversus Berengarium, in quo ejus hæresim refellit authoritate scripturarum, & Sanctorum Patrum, & imprimis sancti Augustini quem ab Berengario & ejus asseclis in sui erroris patrocinium advocari non posse comprobat.

4. Sanctus Lanfrancus primus sancti Stephani Cadomensis Abbas, deindè Cantuariensis Archiepiscopus, & Angliæ Primas inter sui sæculi celebriores & sanctiores Episcopos insigniter effulsit, & quantâ doctrinâ & eloquentiâ polleret, declaravit in Concilio Romano sub Nicolao Papâ II. celebrato anno Redemptoris 1059. ubi fidem Catholicam de reali corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ, strenuè propugnavit adversus Berengarium, quicum in toto suo opere colloquitur. Ejus rationes refellit, & objectiones ex sancto Augustino repetitas mirabili solertiâ & eruditione diluit.

5. Beatus Algerus, qui primò fuit Canonicus & Scholasticus, id est Ecclesiæ Leodiensis Theologus & exindè Christianæ penitus humilitatis impulsu Cluniacensi monasterio, illis adhuc temporibus eruditione pariter & sanctitate florenti, nomen dedit. Hic Author tres libros adversus Berengarium exaravit tantâ elegantiâ & soliditate, ut pluribus aliis in eodem doctrinæ curriculo versatis sapientissimorum judicio antecelluerit.

Testis est hujus rei locupletissimus sanctus Petrus Abbas Cluniacensis, qui in præfatione libri ab ipso de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ elaborati, ipsum Algerum Lanfranco & Guitmundo, geminis etiam sui ordinis alumnis, anteponit. Ubi enim dixit primum benè, alterum meliùs, affirmat Algerum optimè, plenissimè, perfectissimè de Sacramento altaris disseruisse. Reverà totus innititur SS. Patrum & imprimis sancti Augustini testimoniis, & disertè diluit omnia, quæ ex ipsius Augustini operibus ab Berengario & ejus sequacibus excerpi, & contra realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, objici potuerunt.

Eant sanè Berengariani, Calvinistæ, & alii Sacramentariorum discipuli & Sectatores, eant, inquam, & pari ad impietatem insolentiâ sancto Augustino veluti suarum hæreseon patrono glorientur: (si eò prolapsi sunt audaciæ.) Tunc enim authorum & locupletissimorum testium orthodoxæ fidei ab Apostolorum temporibus, usque ad suam ætatem de veritate Corporis & Sanguinis Domini propagatæ testimonio, imò totius Ecclesiæ judicio, in octo Conciliis juridicè prolato, calumniæ sancto Augustino seu Sacramentariorum fautori impactæ & hæreseos disseminatæ sese revictos & condemnatos esse diffiteri non poterunt: quod in seqq. probandum est.

Berengarius patriâ Turonensis, dignitate Archidiaconus Andegavensis, nactus erat magistrum in Theologiâ S. Fulbertum Carnotensem Episcopum, virum sanctissimum omniumque doctissimum, à quo ne disputationis obtentu, extra limites Catholicæ veritatis pedem auderet efferre, sæpè monitus fuit & redargutus.

Verum quia juxta Apostolum 1. Cor. cap. 11. v. 19. *oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant*: Berengarius novam adversus veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ hæresim instigante Diabolo disseminavit. Reverà cum S. Fulbertum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret, ille inter oppositas catervas oculis rimatus Berengarium, visu quo potuit expellendum censuit, quo testatus, immanem dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu & illicitè corrumpere, ut ex Guillelmo Vincentius, & Wilhelmus Malesburiensis commemorant.

Ut igitur hæresim (priusquam dira ejus contagia longiùs & latiùs in incautam plebeculam grassarentur) præfocarent summi Pontifices plura coëgere Concilia, in quibus Episcopali judicio est reprobata.

Sectio LI.

In quâ recensentur octo Concilia adversus ipsum Berengarium ita celebrata, ut suos circa Eucharistiæ Sacramentum errores penitus ejuraverit, ut hîc & in sequentibus lector Catholicus animadvertere poterit.

Primum Concilium adversus Berengarium Romæ celebratum.

PRimam Synodum adversus hæresim Berengarii Romæ celebravit Leo Papa IX. ann. redempt. 1050. vel ut alii probabiliùs existimant, 1053. eo quod Durandus Abbas Troarnensis illi ætati suppar Synodum Vercellensem eodem Romanæ illius anno habitam anno duntaxat 1053. celebratam asserat.

Quid autem gestum sit in hujusmodi Synodo declarat Lanfrancus in lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 4. *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua, Berengari, ad Apostolicam sedem. Qui cum Synodo præsideret ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis à diversis regionibus religiosarum personarum, jussum est in omnium audientiâ recitari, quas mihi de corpore & sanguine Domini, litteras transmisisti. Portitor quippè earum legatus tuus me in Normanniâ non reperto, tradidit eas quibusdam clericis; quas cum legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem animadvertissent, zelo Dei accensi quibusdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt; itaque factum est, ut non deterior de te, quam de me fuerit orta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris, putantibus multis me fovere ac favere quæ à te dicerentur, vel gratiâ, quâ te diligerem, vel fide, quâ reverà ita esse non dubitanter tenerem. Igitur cum à quodam clerico Rhemensi Romam perlatas recitator legeret, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistiâ fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sanctâ ejus communione satagebas. Post hæc præcepit Papa, ut ego surgerem, pravi rumoris à me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris authoritatibus, quam argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi, dixi, quod dixi probavi, quod probavi omnibus placuit, nulli displicuit.*

In hoc Concilio damnatus est Berengarius & absolutus; ejusmodi absolutionis sententiam retulit Lanfrancus, Berengarius quippè veram & avitam de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ fidem coram Pontifice, compluribus Episcopis, & plurimis aliis eruditione & religione præditis ingenuè professus, pravam suspicionem de se sparsam Episcopali judicio profligavit.

Hoc Concilium paulò post Festa Paschalia celebratum est Romæ anno Redemp. ut jam diximus, 1053.

Secundum Concilium habitum adversus ipsummet Berengarium.

Hoc ipso Redemptoris anno nempè 1053. ille ipse Leo Papa IX. coegit Concilium Vercellense, cujus acta sic refert Lanfrancus in Libro de Corpore & Sanguine Domini c. 4. jam citato. *Dehinc*, inquit, *declarata est Synodus Vercellensis, quæ proximo Septembri eodem Præsidente Pontifice est celebrata Vercellis: ad quam vocatus non venisti.* (Berengarium alloquitur.) *Ego verò præcepto ac precibus præfati Pontificis usque ad ipsam Synodum fecum remansi: in quâ in audientiâ omnium qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti Liber de Eucharistiâ lectus est ac damnatus, sententia tua exposita ac damnata, fides sanctæ Ecclesiæ quam ego teneo, & tenendam astruo, audita, & concordi omnium assensu confirmata. Duo Clerici qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim aditu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia numquam discessit sanctus Leo in omnibus Conciliis suis, seu quibus ipse suam præsentiam exhibuit, seu quæ per legatos suos in diversis Provinciis congregari instituit.* Hæc ille.

Tertium Concilium adversus eumdem Hæresiarcham.

Eodem Redemptoris anno 1053. cum Berengarius in Normannorum fines irrepsisset, & suæ hæreseos venenum spargere cœpisset in Brionensi Conventu quò confluxerant multi ex totâ Normanniâ sapientes, qui plurimi & clari babebantur, ipsum cum alio quodam Clerico, in cujus eloquentiâ victoriæ sibi spem posuerat, ita eorum omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt; quatenùs eis silentium imponerent, verborumque quibus Fidem Catholicam tuebantur, assensum extorquerent. Indè cum ingenti verecundiâ Carnotum petiit: Inibi Clericis à quibus de veritate Corporis & Sanguinis Domini fuerat interrogatus per litteras erroribus & injuriis in fidem & Sancti Leonis Papæ IX. contumeliam redundantibus respondit.

Cum autem tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementiùs percelleret, perque multos hujusmodi virus latentes, & apertè jam serperet, contigit ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui consultu sui regni Pontificum procerumque Concilium Parisiis 17. Kal. Novemb. præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta patrum authoritate firmaret, multis sibi obnitentibus, aut si ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obviare non posset, fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtui patrum imperavit.

Intereà condicta venerat dies, frequensque conventus præsulum ac reliquorum sancti Ordinis Clericorum, necnon nobilium Laïcorum Parisiis factus est, sed jam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat, eò venire distulit, seque cum Brunone suo videlicet Episcopo Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpotè tanti viri credulus & ipse noscebatur involvi. Intereà Præsul Aurelianensis quosdam apices in schedâ haud parvâ digestos in conspectu omnium & Regis (intererat enim) protulit.

Et præcipiat, inquit, vestra Sanctitas has litteras à Berengario editas, si libet, recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari nomine Paulo per veredarium dirigeret, violenter rapui: quibus susceptis & ad recitandum traditis omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis, præparantur, sed inter legendum multum repentè fit murmur, & per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissimâ sordebat hæresi, vehementer displicuit; damnato proindè communi sententiâ talium auctore, damnatis ejus complicibus, cum Codice Joannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur, sumpta videbantur. Concilio soluto discessum est eâ conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis cum Ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubicumque convenissent, eousque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ Fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi non multò post in Concilio super fidei suæ statu conventi, ita se sicut Ecclesia tenet Catholica, credere fideliter & sæpe publicè professi sunt, delatisque sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos qui aderant, certos facerent, sacramentum dederunt. Sed omissâ de talibus relatione, quos posthæc ad Apostasiam & priorem vomitum audivimus rediisse, libelli hujus tenorem in quo fidei nostræ synceritatem juxta antiquorum patrum auctoritatem multis exemplis eorum adhibitis, ut potuimus, fideliter ostendimus. Tandem claudamus, Dominum omnipotentem totis præcordiis glorificantes, cujus est donum & gratia ut fideliter credamus, & benè agamus, qui vivit & regnat in Trinitate unicâ & unitate perfectâ per omnia sæcula sæculorum.

Hoc Concilium quod Baronio & Bellarmino latuit, & ejus acta retulimus hactenùs ex Durando Abbate Troarnensi, qui quidem cum esset divini dogmatis Doctor peritissimus, ut testatur Ordericus Vitalis lib. 8. Hist. p. 676. stylum exeruit in Berengarium & sui operis part 9. & ult. commemoravit ejus hæreseos condemnationem factitatam in Concilio Parisiensi an. Redempt. 1053. quo quidem anno habita sunt tria Concilia sub Pontificatu Leonis Papæ IX. Primum habitum est Romæ post Pascha. Secundum Vercellis mense Septembri. Tertium denique Parisiis, quod proximè retulimus ex præfato Abbate Troarnensi, cujus Librum de Corpore & Sanguine Domini unà cum Beati Lanfranci operibus edidit D. Lucas Dachery.

Quartum Concilium apud Turonas coactum adversus eumdem Berengarium.

Duobus annis post Parisiense Concilium elapsis coactum est aliud an. scilicet Red. 1055. De hujusmodi Concilio sic loquitur Bertoldus Constantiensis Presbyter illi ætati suppar in appendice ad Hermannum contractum inter Historicos Germaniæ ann. CXD LVI. Victor Papa, inquit, misso Hildebrando tunc Archidiacono (seu ut corrigit Baronius, Subdiacono) sed posteà Apostolico, Synodum Turonis generalem collegit, in quâ Berengarius Andegavensis Ecclesiæ Canonicus, à quo Berengariana hæresis denominatur, synodaliter & præsentialiter pro eadem hæresi examinatur. Qui cum se defendere non posset, hæresim suam coram omnibus anathematizavit, &

abjuravit secundum formam, quam sancta & universalis Syodus Ephesina præscripsit Hæc ille.

De hoc eodem Concilio Turonensi ita loquitur Baronius ad ann. Christum 1055. num. 23. Hildebrandi, inquit, in Gallia legati sedulitas præcipuè invigilavit, ut Berengarium rursùm hæresim, quam fuerat detestatus, defendentem ac propalantem, in Concilio Episcoporum conventum, vel hæresim rursùs damnare cogeret, vel synodali eum sententiâ Anathematis condemnaret. Quamobrem ne subterfugiendi ampliùs locus esset, domi suæ conveniendum putavit, nempè Turonis, sicque Concilium Turonense (ut legatus Victoris Papæ) Apostolicâ indixit authoritate: in quo ipse Berengarius redargutus & correctus (ut videbatur) detestatus errorem, Fidem Catholicam est professus. Testatur id ejus temporis scriptor Guitmundus Aversanus Episcopus de sacram. Corp. & Sang. Dom. Lib. 3. Indè enim, inquit, ipsa Romana Ecclesia per Beatum Leonem Papam hæc Berengatiana figmenta mox suo exortu damnavit: deindè per hunc ipsum, qui nunc præest, Dominum Gregorium Papam tunc Archidiaconum (Baronius ut jam indicavimus asserit hunc Hildebrandum semper sub Victore Pontifice perseverasse Subdiaconum) ejusdem Romanæ sedis in Concilio Turonensi convicit: ipsumque Berengarinm (ut videbatur) correctum ac propriæ manus sacramento satisfactionem clementer suscepit. Hæc ibi Guitmundus, qui & ipsum ad vomitum rediisse commemorat.

De hoc eodem Concilio prædicat S. Lanfrancus in Lib de Corp. & Sang. Dom. cap 4 Quæ sententia (ab Leone Papâ IX. in duobus Conciliis Romano scilicet & Vercellensi in Berengarium prolata) non effugit ejus Successorem fœlicis memoriæ Papam Victorem, sed quicquid hac de re seu cæteris ipse statuit, statuivè præcepit, hoc etiam iste suâ atque omnium Conciliorum suorum authoritate firmavit. Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius interfuere ac præfuere legati: data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes; confessus coram omnibus communem Ecclesiæ fidem jurasti ab illâ horâ te ita crediturum, sicut in Romano Concilio te jurasse est superius comprehensum. Hæc ibi.

Ita se gerebat hujusmodi hæresiarcha, ut sacros Episcoporum conventus metueret, & quantum in ipso erat, fugeret. Et conventus, & coactus respondere, ne damnaretur, suam damnaret hæresim, quam rursùs inter suos ex animo tueretur. Quod factitavit peracto Concilio Turonensi, de quo agimus. Nam simulans pœnitentiam profectis Sedis Apostolicæ legatis, dimissisque Episcopis damnatam suam ab quatuor Conciliis hæresim denuò propugnare & pro viribus propagare cœpit: ita ut sub Nicolao Victoris Successore eamdem ejus causam ad Episcopale judicium revocare oportuerit.

Quintum Concilium adversus eumdem hæresiarcham Romæ sub Nicolao Papâ II. celebratum.

CUM Berengarius ab hæresi suâ propugnandâ propagandaque licet Episcopali judicio toties damnatus, non absisteret: Nicolaus Papa II. anno Redempt. 1059. generale Concilium celebravit Romæ in Laterano, cui interfuere centum & tredecim Episcopi, ut testatur Lanfrancus in Lib. de Corpore & Sang. Dom. cap. 1. Hujusmodi Concilio ipse affuit Berengarius ab eodem Nicolao Papâ Romam evocatus, ubi in ejus præsentiâ, & multorum Episcoporum examinatus suum confitens anathematizavit errorem, Joannem Scotum igni comburens, cujus lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam, ut legitur in fragmentis Historiæ Francorum ad Glabrum appositis.

Reverà id factitatum in Concilio, testificatur Lanfrancus omnium rerum eo seculo in eâ materiâ gestarum testis locupletissimus in l. de Corp. & Sang. Dom. c. 1. Cætera tuæ doctrinæ capita (Berengarium alloquitur) à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in eum conjecisti, jurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, fidem à patribus qui præsentes erant, traditam inviolabiliter te servaturum, veteremque doctrinam tuam de Corpore & Sanguine Domini ab illâ die aliis non prædicaturum.

Hæc Lanfrancus.

Id autem Berengarium præstitisse in hoc Concilio testatur professio fidei quam ab Humberto Episcopo Cardinali scriptam, & ab toto Concilio recognitam & approbatam jubente Nicolao Papâ universoque Concilio recitavit, approbavit, & suo chirographo roboravit.

Hanc fidei professionem utpotè apprimè Catholicam hic ascribere non pigebit. *Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ sancti Maurilii vel Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de quâ hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter in solo Sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem S. Romanæ, & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Evangelicâ & Apostolicâ tenendam tradidit, mihique formavit, scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per sanctam, & Homousion Trinitatem & per hæc sacro-sancta Christi Evangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno Anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando contra hæc sentire, aut prædicare præsumpsero: subjaceam Canonum severitati. Lecto & perlecto spontè subscripsi.*

Hanc fidei professionem ab Berengario ex scripto coram summo Pontifice Nicolao & centum tredecim Episcopis recitatam & ipsius Chirographo munitam totidem verbis refert Lanfrancus in suo Libro de Corpore & Sang. Dom. cap. 2.

Hanc fidei professionem Calvinus probare non potest. Hanc enim, inquit, palinodiæ formulam dictavit Berengario Nicolaus Papa, quæ pœnitentiæ testis foret: verbis scilicet eò usque prodigiosis, ut glossæ Author exclamet periculum esse, nisi prudenter sibi caveant Lectores, ne hæresim indè hauriant pejorem, quam fuerit Berengarii de consecrat. dist. 2. cap. Ego Berengarius.

Ita Calvinus Institut. Lib. 4. cap. 17. §. 12. & paulò post addit: Petrus verò Lombardus etsi in excusandâ absurditate multum laborat, magis tamen inclinat in diversam sententiam. Hæc ibi.

Calvinus in his verbis duo intendit. Primum per verba glossæ istam Berengarii confessionem ut spuriam labefactare. Secundum, Magistrum sententiarum in suas partes trahere.

Quod spectat ad primum graviter hallucinatur: nihil

enim aliud vult author glossæ, quam monere lectorem, ut sanè intelligat verba Berengarii; nisi sanè, inquit, intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresim, quam ipse habuit: & ideò omnia referas ad species ipsas. Nam de Christi Corpore partes non facimus.

Quid sit autem sanè intelligere verba Berengarii declarat ipse author ibid. in dist. 2. de consecrat. cap. 41. Cum enim explicat istud verbum (frangi) sic loquitur: Non tantùm pondus & reliquas Sacramenti qualitates sensibus corporeis percipi fateor, sed etiam sub illis speciebus fractis & attritis partibus totum & integrum Christi Corpus esse profiteor, totum manducari, totum sumi.

Idem author explicans ejusd. dist. cap. cum frangitur Hostia, hoc totum, inquit, referas ad species exteriores, & secundum hoc dices ipsa accidentia frangi & dare sonitum.

Ex his glossæ locis constat Corporis Christi nomen communicari speciebus externis & sacramentalibus, quæ impropriè & suo modo appellantur Corpus Christi, quia illud significant & demonstrant, quemadmodum species columbæ in hac propositione (*vidi Spiritum descendentem super eum*) vocata est Spiritus sanctus, eò quod Spiritum sanctum significaret pariter & demonstraret.

Quâ in re observandum est glossam non asserere his verbis (*Hoc est Corpus meum*) id quod per ista verba Christus impertiebat, fuisse vocatum ejus Corpus, eo nomine quod ipsum dumtaxat significaret: eò quod pronomen (*Hoc*) comprehendebat non solam speciem externam & accidentariam (ut ita loquar) verùm etiam rem internam & essentialem complectebatur: sed in hujusmodi expressionibus; Corpus Christi immolatur in altari, Corpus Christi frangitur, dentibus atteritur, sola species Corporis Christi, ad quam solam juxta eamdem glossam, hujusmodi actiones terminantur, appellatur Corpus Christi.

Immeritò igitur Calvinus invehitur in authorem glossæ, qui pluribus in locis Catholicam de Eucharistiâ fidem & professionem liquidò testificatur. Nec enim culpandus est, si moneat lectorem de verbis professionis Berengarianæ sanè & Catholicè intelligendis: id enim sæpenumerò factitatur etiam respectu Sanctorum Patrum, quos tamen ut suos Doctores omni exceptione majores Ecclesia per totum terrarum orbem longè lateque diffusa colit & amplectitur.

Quod spectat ad alterum caput, nempè Magistrum sententiarum quem Calvinus suas in partes pertrahere conatur, contendimus illum nullo pacto laborare in excusandâ Berengarianæ professionis absurditate, quæ nulla est, nec in diversam & oppositam eidem professioni inclinare sententiam, ut mox ex allatis ejus verbis liquidò constabit: sic itaque loquitur 4. sentent. distinct. 12. ubi affirmat veram in Eucharistiæ Sacramento fieri fractionem juxta sanctum Ambrosium aientem, nihil falsi putandum esse in Sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est.

Nam reverà fit fractio, cujus autem rei fiat explicat ipse Petrus Lombardus in dictâ dist. 12. littera E. *Sed quia*, inquit, *Corpus Christi incorruptibile est, sanè potest dici, fractio illa & partitio non in substantia corporis, sed in ipsâ formâ panis Sacramentalis fieri, & vera fractio & partitio fit ibi, quæ fit, non in substantia Corporis, sed in Sacramento, idest in specie* Et posteà probat authoritate sancti Augustini Christum manducari per partes in Sacramento, & manere integrum totum in corde nostro. Et sub finem ita sentit de professione Berengarii. *Ideoque*, inquit, *illa Berengarii verba ita distinguenda sunt ut sensualiter non modò in Sacramento, sed in veritate dicatur Corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi quidem & atteri dentibus, verè quidem sed in Sacramento tantùm. Vera ergo est ibi attritio & partitio, sed in singulis partibus totus est Christus.* Hæc ille: qui explicat doctrinam Ecclesiæ, quam professus est Berengarius coram Nicolao Papâ II. in Concilio Romano ex centum & tredecim Episcopis conflato.

Sanctus Thomas in 4. sent. explicans textum Magistri in præfatam distinct. ait Berengarium *non intendere dicere, quod Corpus Christi frangatur, sed quod sub speciebus, in quibus est fractio, verum Corpus Christi sit: & in hoc se dicit consentire Apostolicæ sedi à contrario errore reversus.* Hæc ibi sanctus Thomas.

Ergò perperam Calvinus Magistrum sentent. suas in hæreses pertrahere annititur, est enim eruditus, & Catholicus admodùm, & omnes Lutheranorum & Calvinianarum patrum antesignanos multis partibus antecellit. Hac eum laude cumolat, non vir Catholicus, cui vel nihil, vel parùm fidei hac in occasione haberetur, sed Stancarus tametsi Sacramentarius & transsubstantiationi & Ecclesiæ Romanæ infensissimus: *solus*, inquit, *Petrus Lombardus, centum Lutheris, ducentis Melancthonibus, trecentis Bulengeris, quadringentis Petris Martyribus, quingentis denique Calvinis præponderat.*

De hoc Concilio & ejus exitu sic prædicat Lanfrancus lib. de corp. & sang. Dom. cap. 2. Cum autem sub Nicolao venisses Romam (alloquitur Berengarium) fretus iis, qui plus impensis à te beneficiis, quam ratione à te auditâ opem tibi promiserant: non ausus defensare, quod anteà senseras, protulisti Nicolaum Pontificem ejusque Concilium, quatenùs fidem quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, scripturâ firmaret. Injuncta est hujus rei cura Humberto Episcopo. Itaque verba fidei superiùs comprehensa, scripsit, assensu omnium ad legendum & confitendum tibi tradidit. Tu verò acquiescens accepisti, legisti, confessus es, ita te credere jurejurando confirmasti, tandem manu propriâ subscripsisti.

Nicolaus Papa gaudens de conversione tuâ jusjurandum tuum scriptum misit per urbes Italiæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama tuæ pravitatis potuit pervenire; ut sicut Ecclesiæ scandalizatæ priùs dolebant de te à veritate averso, atque ita posteà gauderent, gratiasque Deo agerent de reverso atque converso, Hæc Lanfrancus. Qui testatur ipsum Berengarium sui propositi & jusjurandi violatorem sacrilegum contra præfatam Synodum, contra Catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum, posteà condidisse, & scriptum è quo fidei professionem superiùs à nobis relatam, legerat, ascripsisse potiùs Humberto quam sibi, quam Nicolao Pontifici, quam ejus Concilio, quam denique omnibus Ecclesiis, quæ id cum debitâ reverentiâ susceperant, & pro conversione ejus Deo gratias retulerant, ut faciliùs persuaderet imperitis potuisse unum hominem errare quam tot personas, tot Ecclesias: quod si hujusmodi scriptum sibi ascripsisset, cum ipsum posteà destruere sit conatus, se esse perjurii reum astruxisset. Tale scriptum Lanfranco, dum adhuc Cadomensi Cœnobio præesset (ut testatur ipse in Epist. 3. ad Alexandrum Papam II. inscriptâ) strenuè refutavit: quippè qui omnibus luculentiùs & mirabiliùs librum de Corpore & Sanguine Domini, contra præfatum Berengarium composuit: in quo singulis illius quæstionibus & oppositionibus laudabiliter respondit, malè dicta ab eo, & intellecta scripturarum testimoniis divinarum improbando convincens; ut asserit Robertus Montensis in Chronico MMS. ad annum 1055.

Sextum Concilium adversus eumdem Berengarium celebratum Pictavis anno Redemptoris 1075.

HUjus Concilii meminit S. Maxentij in Pictonibus Chronicum, quod vulgo Malleacense dicitur. Pictavis, inquit, fuit Concilium quod tenuit Giraudus Legatus, de Corpore & Sanguine Domini, in quo Berengarius fermè interemptus est: fueratque aliud Concilium apud S. Maxentium VII. Kalend. Julii, in quo erat Major Gosselinus Archiepiscopus Burdigalensis qui Archimbaldo successit.

His verbis declarat hujusmodi Chronicon duo Concilia fuisse illo ipso 1075. Redempt. anno celebrata adversus Berengarium, unum Pictavis, cui Giraudum vel Giraldum Legatum præfuisse conjiciunt, alii Gerardum Engolismensem Episcopum Apostolicæ pariter Sedis Legatum præsedisse asserunt. Ut ut sese res habeat, in eâ Synodo damnata est denuò Hæresis Berengarii toties jam damnati, & toties ad vomitum reversi, quem ideò Pictavienses tantùm non enecarunt, utpotè qui avitæ religionis fideique retinentissimi, virulenta ab ipso tam sæpè & tam pertinaciter fidelibus inculcata dogmata, cane pejus & angue, ut vulgari fertur adagio, detestarentur.

Hoc Concilium Pictaviense præcesserat aliud (cujus supra meminimus) adversus eumdem Berengarium in Provinciâ Burdigalensi apud Urbem sancti Maxentii habitum sub Majore Gosselino Bordigalensium Archiepiscopo. Hujus Synodi sicut & aliarum duarum meminit breviter Joannes Chanutius in serie Archiepiscoporum Burdigalensium sub titulo, Gosselinus. *Is*, inquit, *adeò sui officii fuit memor, & Religionis Orthodoxæ acerrimus vindex, ut tres suæ Provinciæ Synodos coëgerit: primam anu. 1075. ad D. Maxentii in Pictonibus contra Berengarianæ hæresis fautores. Secundam apud Mediolanum Sanctonum cui etiam interfuere plures Galliarum Episcopi, præside Amato Apostolicæ Sedis Legato. Tertiam Burdegalæ, in quâ de luxu Clericorum frænando & moribus eorum componendis actum.* Hæc Chanutius.

Septimum Concilium adversus eumdem Hæresiarcham habitum.

ROmæ celebratum est hoc Concilium sub Gregorio Papâ VII. anno Redemptoris 078 In eo auditum esse Berengarium commemorant Hujus Concilii meminit nemo præter Authorem quemdam anonymum, quem non pridem Pater Chiffletius edidit. Ipse Author indicat se hoc opus de Berengarii damnatione multiplici inscriptum, elaborasse anno salutis 1088. quo anno devixit ipse Berengarius.

Octavum & ultimum Concilium adversus eumdem Hæresiarcham sub Gregorio Papâ VII. Romæ celebratum.

ANno Redemptoris 1079. Gregorius Papa VII. coëgit Concilium, cujus acta ipsemet commemorat l. 6. post. Ep. 17. Omnibus, inquit, finitimis & diversarum Regionum & Provinciarum Archiepiscopis, Episcopis, religiosisque personis in Salvatoris Ecclesiâ congregatis habitus est sermo de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hæc, nonnullis illa prius sentientibus.

Maxima siquidem pars panem & vinum per sacræ orationis verba & Sacerdotis consecrationem Spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit, & in sanguinem qui de ejus latere militis effusus est lanceâ, asserebat, atque authoritatibus sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum modis omnibus defendebat; Quidam verò cæcitate nimiâ & longâ perculsi, figuram tantum, substantiale illud corpus in dexterâ Patris sedens esse, seque & alios decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere. Verum ubi cœpit res agi, priùs etiam quam tertiâ die ventum fuerit in Synodum, defecit, contra veritatem niti pars altera; nempè S. Spiritus ignis superflua palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris Magister post longo tempore dogmatizatam impietatem errasse se coram Concilio frequenti confessus veniamque postulans & orans, ex Apostolicâ clementiâ meruit: Juravitque sicut in consequentibus continetur.

SECTIO LII.

In quâ refertur Berengarii jusjurandum quo suas omnes circa Eucharistiæ mysterium hæreses, quæ hic recensentur, ejuravit coram Gregorio Papâ VII. & pluribus Archiepiscopis & Episcopis in Synodo congregatis.

Jusjurandum Berengarii Turonensis Presbyteri, olim Andegavensis Archidiaconi.

EGO Berengarius corde credo & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & Sanguinem Jesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est: non tantùm per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo.

Tunc Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis & SS. Apostolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini numquam ulteriùs cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab eâ recesserant.

Hujus Concilii acta totidem verbis expressa legere est Tom. 3. Concil. general. part. 2. ex Editione Binii fol. 401. Sicut & apud Baron. ad an. Ch. 1079. nu. 1. 2. & 3.

Tale Jusjurandum seu fidei professio, omnes Berengarii atque adeò Lutheranorum & Calvinistarum hæreses adversus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum excogitatas omni ex parte labefactat. Nam prima Berengarii & Sacramentariorum hæresis in eo posita est, quod veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ uno animo negaverint & etiamnùm negent, utpotè qui transsubstantiationem è medio tollant, ut affirmat Durandus Abbas Troarnensis in lib. de Corpore & Sanguine Domini, parte 1. in ipso Libri exordio: *Ipse*, inquit, *virosus anguis, antiqua mortalium pestis quibusdam vana sapientibus, ac perversè non tam alios quam semetipsos decipientibus, persuasit sentire; atque callidis susurrationibus sensim & occultè alius sentiendum intimare, nihil in Sacramentis Dominicis ad veritatem fidei, sed omnia potiùs per figuram, & similitudinem geri.*

Et paulò post: *Prophana novitatis dogma ita temperantes colorant, ut dicant ea quæ ad altare deferuntur panis & vini munera post consecrationem etiam quod fuerant, permanere, & sic quodammodo Corpus Christi*

& sanguinem verum non naturaliter, sed figuraliter esse.

Quod & testatur B. Algerus in prologo librorum suorum de Sacramentis Corporis & Sanguinis Dominici. *Alii*, inquit, *panem & vinum non mutatum, sed solum Sacramentum, sicut aquam Baptismatis, vel oleum Chrismatis Corpus Christi non verè, sed figuratè vocari dicunt: sicut cum dicitur, accipe vestem candidam, quam perferas ante Tribunal Christi, nec tamen ipsam, sed rem ab ipsâ significatam.* Hæc ille.

Altera Berengarianorum hæresis, quam retinuere Lutherani, in eo sita erat, quod dicerent panem, non solùm Sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum. Ut affirmat idem B. Algerus in prologo citato, quod & reperit lib. 1. cap. 6.

Tertia eorumdem Berengarianorum hæresis erat, quod affirmarent mutari quidem panem in carnem Christi, sed malis meritis sumentium non permanere Carnem Christi, sed iterùm reverti in purum Sacramentum panis & vini. Hoc non dicunt Calvinistæ, sed suis principiis congruenter asserunt Corpus Christi per os seu per apprehensionem fidei ab viris bonis & religiosis, non autem ab impiis manducari.

Has hæreses profligat Berengarii jusjurandum seu professio fidei, siquidem profitetur se credere transsubstantiationem & veritatem Corporis Christi, quod in hoc Sacramento per consecrationem sistitur præsens, ita ut illa ejus præsentia nullo pacto ab consecrantium, vel communicantium fide & pietate, vel infidelitate & impietate pendeat. Ergo tale jusjurandum ab Berengario in frequenti concilio coram Gregorio Papâ VII. factitatum redivivas in ipsis Lutheranorum & Calvinistarum conventiculis hæreses, proculdubiò jugularet, nisi præfati tam Lutherani quam Calvinistæ omni rationi, & authoritati, & religioni bellum, cum implacabili Ecclesiæ Romanæ odio conjunctom conspiratis factionum partibus indicerent.

Nihil hic moramur cæteros Berengarii & Berengarianorum errores, cum eos ipse ejuraverit, & hæserit in eo præsertim, quod pertinaciter assereret non esse verum Christi Corpus in Eucharistiâ, sed tantùm ejus figuram; & cum premeretur Catholicorum rationibus, asseveraret Christum quidem esse præsentem in Eucharistiâ, sed substantiam panis & vini cum ipso Christi Corpore remanere. Unde jussus est idem ipse Berengarius in præfato Concilio ex scripto recitare professionem fidei, in quâ expressa transsubstantiationis, & veritatis Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento mentio factitatur.

Præterea maximè probabile est quod asserit Algerus in prologo trium librorum, quos adversus Berengarianas hæreses exaravit, Berengarium scilicet docuisse (cum invictissimis Catholicorum argumentis urgeretur) panem quidem converti in carnem Christi, sed malis sumentium meritis iterum in purum Sacramentum reverti. Credibile est id illum docuisse antequam suam hæresim spargeret in vulgus. Unde legimus apud Helgaldum in vitâ Roberti Francorum Regis verè Christianissimi Leuthericum Senonensem Archiepiscopum ab ipso Roberto de Pontificali sede dejectionem comminato redargutum, eo quod, cum à dante Sacerdote diceretur: *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ & corporis*: ipse ore temerario, ore & polluto diceret: si dignus es, accipe, cum sit nullus qui habeatur dignus. Hæc refert Baronius ad ann. Ch. 1004. nu. 3.

Ista reprehensio, seu correptio indicat Leuthericum Archiepiscopum Senonensem Berengarii adhuc junioris hæresi imbutum præfatam ministrandi Corporis Christi formulam usurpasse, eò quod ipsum Christi Corpus ab impiis non manducari, sed panem & vinum in purum Sacramentum reverti (quod tunc docebat Berengarius) crederet.

Jam, inquit Baronius, (hoc est 1004. Redemptoris anno) *viperini fœtus è portis inferi, tamquam è matris utero enixi in damnum Ecclesiæ emittebantur, qui se spiris sinuosis inferebant in sancta, ut Sanctum Sanctorum Sacramentum Sacramentorum, si possent, auferrent ab eâ. Quod enim Leuthericus legitur insusurrare cœpisse, jam rumor ille tanta blasphemiæ increbrescebat in sæculo: & si tacuit ipse reprehensus timore pœnæ; ne scilicet irâ Regis caderet ab amplissimâ dignitate, & careret Cathedrâ: haud serpens rumor ille est omninò repressus, sed paulatim in dies crescens, in manifestam tandem erupit hæresim sub patrocinio infœlicissimi Berengarii.* Hæc Baronius loco citato.

Hos Berengarii errores tot Conciliis, quot suprà retulimus, profligatos & obrutos denuò excitarunt Lutherus & Calvinus duo Catholicæ fidei portenta, ac penè funera, nec Ecclesiam toties in frequenti Episcoporum apprimè Catholicorum cœtu de mendacio & hæresi triumphantem audire voluerunt. Si enim illam audissent, Berengarium earum, quas disseminabant, hæreseon satorem essent imitati resipiscentem, & pristinos errores ejurantem; sicut ad errantem, & infanda dogmata disseminantem adhæserant.

Hæreticus.

Benè multa de Berengario protulisti, quæ nonnisi difficillimè probare potes.

Catholicus.

Facilè probare potui & reipsâ probavi scripto, quod legere potes. Neque enim in privato colloquio, in quo ea tantùm, & alia multa, quæ sunt uberiùs in hoc ipso scripto pertractata, strictim attigimus. Neque enim prolixiorem earum rerum tractationem ferre potuisses in collatione quam habuimus nobiscum invicem. Quicquid id est si attenderetis æquo animo ad Concilia adversus Berengarii errores habita, proculdubiò resipisceretis, vel certè resipiscere deberetis.

SECTIO LIII.

In quâ refellitur Hæreticus asserens arroganter & falsò Concilia adversus Berengarium habita nova quadam statuisse commenta circa Eucharistiæ Sacramentum, quod egregiè refellit Orthodoxus. Alterum affert & objicit Hæreticus Berengarium nempè nusquam recantasse quod docuerat, primum refellit in hac Sectione hæreticos allatâ Conciliorum Generalium authoritate.

Hæreticus.

QUorsùm resipisceremus, ut ais, siquidem illa Concilia novissimis temporibus habita nova pro præsentium Episcoporum nutu & prolubio definierunt? Unde nec ipse Berengarius ex animo recantavit umquam, quæ de Eucharistiâ docuerat; siquidem obiit in iisdem opinionibus, quas ab primâ juventute tenuerat.

Catholicus.

Duo dicis, pace tuâ dixerim, ab vero penitùs abhorrentia.

Primum Concilia in quibus damnata est Berengarii hæresis, nova definiisse seu novos fidei Articulos suo prolubio condidisse.

Secundum Berengarium nihil obstantibus Conciliis in quibus damnatus fuerat, & in quibus veræ fidei professione jurejurando sanciâ, suam hæresim ejuraverat, semper in priori sententiâ perstitisse, & in ipsâ supremum obiisse diem.

Quod utrumque falsum esse perspicuum est.

Quod spectat ad primum caput falsitatis, facilè revinci potest. Nam pluribus sæculis Berengarii damnationem

tionem antegressis multi Concilia, eaque œcumenica & maximam partem quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis (quibus Apostolicam Doctrinam erroris nesciam in Ecclesiâ Romanâ viguisse conceditis) habita, veram in Eucharistiâ Corporis Christi præsentiam, utpotè ab omni ævo ab fidelibus creditam astruxerant.

Prima Synodus Nicæna anno Redempt. 325. Paulino & Juliano Coss. celebrata ex decem & octo supra trecentos Episcopis composita, præfatam Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam apertissimè declarat in tertio libro de Nicæni Concilii Decretis tom. 1. Concil. general. ex edition. Binii p. 315. sub titulo de divinâ mensâ, & de eo quod in ipsâ est, mysterio Corporis & Sanguinis Christi.

Iterum etiam hic in divinâ mensâ (Verba sunt dicti Concilii) *ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollamus mentem fide intelligamus situm in sacrâ illâ mensâ Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum & pretiosum ipsius Corpus & Sanguinem nos verè sumentes credere, hæc esse nostræ Resurrectionis symbola: propter hoc enim, neque multum accipimus, sed parum: ut sciamus quod non satietati sed sanctimoniæ sumimus.* Hæc ibi.

Quibus verbis statuitur mirabiliter Corporis Christi vera & substantialis præsentia in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Nam jubentur Fideles non humiliter intueri species panis & vini, quæ nostros in oculos & alios sensus incurrunt, sed attollere mentem per fidem & credere ibi incile Agnum Dei ab Sacerdotibus immolatum, & verè non figuratè percipere pretiosum ejus Corpus & Sanguinem, non solum corde, sed etiam corpore. Siquidem Christi Corpus & Sanguis significant per ipsam eorum perceptionem futuram nostrorum corporum resurrectionem: eo quod mortalia nostra corpora per hoc Sacramentum immortali Christi Corpori unita, imò quodammodo adunata impressam ab ipso vim quamdam regenerationis effectricem (ut loquuntur SS. Patres Irenæus & Cyrillus) accipiant. Et ideò dicuntur symbola nostræ resurrectionis. Cum enim non mutemus nos cœlestem illum cibum in nostræ carnis substantiam, sed ille cibus, id est Christus nos mutet in sese, illum percipiendo credimus nos percipere, & reipsa percipimus *Salvatorem, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ.* Cum igitur Eucharistia sit immortalitatis antidotum & seminalis quædam virtus, cujus beneficio nostra corpora reviviscent, quis Corpus & Sanguinem Christi nostræ resurrectionis pignora, signa, seu symbola jure ac meritò appellari dubitet?

Hujusmodi Concilium sub sancto Silvestro & Imperatore Constantino ab decem & octo supra trecentos Episcopis celebratum tantæ fuit authoritatis, ut S. Gregorius Papa I. se sicut quatuor Evangelii libros, quatuor Concilia Nicænum nempè primum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense suscipere, venerari, totâ devotione complecti, integerrimâ demùm approbatione custodire fateatur: quia *in his velut in quadrato lapide, sancta Fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit.* Ita S. Gregor. lib. 1. Epistol. 24.

Qui huic Concilio Nicæno scilicet primo contradicit, non est Catholicus, ideoque excommunicandus, ut declarat sanctus Leo epist. 77. & 78. quod & asserit sanctus Basilius epist. item 78. dum ait *sa pectis de hæresi decreta Concilii Nicæni esse proponenda, propterea nimirùm quod hac ratione hæretici ab Catholicis certissimâ notâ discernantur, & singulorum fides intimè exploretur.* Hæc ille.

Realis Corporis Christi præsentia in Eucharistiâ ex Concilio Ephesino œcumenico comprobatur.

Concilium œcumenicum, seu generale Ephesinum adversus Nestorium sub Cœlestino Papâ I. celebratum anno Redempt. 431. veram Christi Carnem in Eucharistiâ contineri, & ab fidelibus percipi declarat his verbis: *Quin illud quoque non possum hoc loco non adjicere* (verba sunt S. Cyrilli Concilii nomine scribentis ad Nestorium) *nempè dum unigeniti Filii Dei, hoc est Jesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, ejusdemque in Cœlum Assumptionem confitemur, incruentum in Ecclesiâ Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari; utpotè sacra Carnis & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostram Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus: absit hoc; neque rursum tamquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti, sed tamquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cum vita sit, ut Deus secundum naturam, simul atque unum quiddam cum ipsâ suâ carne effectum est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat,* Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, &c. *Neutiquam tamen illam communem, hoc est hominis cujuspiam nostræ conditionis carnem esse existimare debemus: (quomodo enim hominis caro secundum ipsius naturam vivifica esse queat?) sed verè illius propriam, qui nostri causâ Filius Hominis & factus & appellatus est.*

Pulcherrimum illud testimonium, quo & Sacrificii, & veræ Christi carnis & Sanguinis in Eucharistiâ veritas astruitur è duobus Conciliis Alexandrino nimirum & Ephesino emanavit, quorum ultimum est œcumenicum seu generale & unum ex illis quatuor, quæ sanctus Gregorius se veluti quatuor Evangelia amplecti, & venerari toti orbi Christiano declaravit; hoc, inquam, testimonium tale ac tantum legere est tomi 1. part. 2. Concilior. general. ex edit. Græco latii à Binii, Concilii Ephesini part. 1. in Epist. quam sanctus Cyrillus & Synodus ex Egypti provinciâ Alexandriæ congregata Nestorio inscripsit, & habetur fol. 151. & seq.

Eadem realis Corporis & Sanguinis Christi præsentia comprobatur ex II. Synodo Nicanâ quæ est generalis VII. adversus Iconoclastas sub Hadriano Papâ celebratâ anno Redemptoris 787.

Cum Hadrianus Pontifex Sedem Apostolicam obtineret, Irene Augusta mittens convocavit omnes Episcopos qui convenirent in Nicænsium civitatem ad celebrandum Concilium, quod jam ad comprimendam Iconoclastarum hæresim & ferociam indictum fuerat. Ad hujusmodi Synodum convenere quinquaginta Episcopi supra trecentos (ut plerique omnes asserunt) quos inter erant plures præclarissimi Confessores, qui tempore Constantini Copronymi vincula & exilia, sediumque privationem passi fuerant, qui omnes postliminiò restituti ardenti huc animis ad sacrum Concilium tamquam apes ad alveare convolarunt: ut ait Baronius ad præfatum Christi annum,

Tot & tales Episcopi Nicææ Bithyniæ urbe, congregari octavo anno Irenes Augustæ & Constantini incubuerunt in evertendam & condemnandam Iconoclastarum hæresim: Iconoclastæ ex adverso, ut sacræ Synodi condemnationem antevertetent pariter, & eliderent, fabricati sunt quasdam definitiones in pseudoseptimâ (ab eis ita appellatâ Synodo œcumenicâ) cui per singula capita parata fuit ad venenum antidotus, Gregorioque Episcopo Neocæsariensi legente textum hæreticorum per capita singula Epiphanius Diaconus scitam à patribus appositam responsionem perlegit.

Post multa cum præfati Iconoclastæ omnes humanâ operâ factas imagines se detestari & anathemati tradere professi essent, eam se venerari tantùm imaginem dixere, quâ Filius Dei seipsum in Sacramento panis & vini ante passionem expressit. Exhorruere patres vocem istam imaginis in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento. Unde hujus hæreseos venenum propinato statim antidoto compressit, & depulit Epiphanius Diaconus: cui sacro-sanctas Synodi definitiones legendi provincia demandata fuerat.

Christus, aiunt Iconoclastæ, veram sui imaginem in typum & rememorationem evidentissimam propriæ Passionis (sunt ipsissima Concilii verba) tradidit ministris suis, cum dixit; Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus, veluti nullâ aliâ specie ab eo electâ sub cælo, vel formâ imaginari ejus incarnationem volens. Hæc verba sunt eorum, qui aversi à veritate, propter Imaginum fractionem etiam in alteram extremam apoplexiæ insaniam delapsi sunt. Non enim Dominus, neque Apostoli aut Patres Imaginem dixerunt Sacrificium sine Sanguine (incruentum) quod per Sacerdotem offertur, *sed ipsum Corpus & ipsum Sanguinem*. Et ante sanctificationis quidem celebrationem, quibusdam patribus piè visum est antitypum, hoc est exemplar similis formæ nominare: quorum de numero Eustathius constans is propugnator orthodoxæ fidei, & Arianicæ insaniæ expugnator clarus; Item Basilius ejusdem superstitionis averruncator. Unus quidem eorum exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis: edite meum panem, & bibite vinum quod miscui vobis, hæc, inquit, per panem & vinum antitypa membrorum corporalium Christi prædicat. Alter vero ex eodem fonte hauriens (ut omnes Sacerdotii mystæ cognoscunt) in oratione Dominica oblationis ita dicit: confidentes appropinquamus sancto altari, & proponentes antitypa Sancti Corporis & Sanguinis Christi tui, te precamur, & invocamus; & quæ deinceps sequuntur, sententiam Patris ampliùs confirmant, qualiter ante sanctificationem antitypa vocata sint. Post consecrationem autem *Corpus propriè & Sanguis Christi dicuntur, & sunt, & creduntur.* Isti verò Iconoclastæ sacrarum imaginum cupientes contemplationem obscurare aliam Imaginem introduxerunt, quæ non est Imago, sed Corpus, & Sanguis.

Tale ac tantum testimonium, quo veritas Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ ineluctabiliter astruitur, perhibitum ab trecentis & quinquaginta Episcopis legitimè in Spiritu Sancto ad extirpandas hæreses congregatis legere est tom. 3. part. 1. sectio. posteriori ex editione Græco-lat. Binii VII. Synodi act. 6. tom. 3. in quo Gregorius Neocæsariensis Episcopus, & Epiphanius Diaconus alternis legunt, ille venenatos pseudosynodi VII. œcumenicæ errores, & hæreses, hic verò & errorum & hæreseon refutationem ab legitimâ Synodo Nicænâ II œcumenicâ dictante sancto Spiritu conscriptam. Et id totum reperire est loco citato fol. 636.

Ne quis ex hoc loco Concilii aliquid inferre velit contrarium veræ Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiæ, eò quod dixerit S. Basilius ante sanctificationem vocata Antitypa, & indè concludat panem post consecrationem esse dumtaxat figuram Corporis Christi, & ita intelligendos esse patres, quoties Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi appellant antitypa.

Aliquis enim fortè dixerit hanc vocem (antitypa) ab sancto Basilio usurpatam esse post consecrationem, vel consecrationem non fieri per verba Sacramentalia, sed per orationem subsequentem, quæ est damnanda Græcorum Schismaticorum opinio.

Hæc objectio egregiè dissolvi potest, licet hujusmodi terminus, (antitypa) post verba sacramentalia exprimatur, ordo tamen Græcanicæ constructionis præteritum sonat, & refertur ad tempus, quod verba Sacramentalia præcedit, ut patet ex his verbis: Confidentes (verba sunt sancti Basilii) appropinquamus sancto altari, & propositis antitypis Corporis & Sanguinis Christi tui te deprecamur, & te rogamus: versio communis habet, proponentes antitypa Sancti Corporis & Sanguinis Christi tui: sed talis versio ab phrasi Græcâ discrepat. Nam participium ([illegible]) quod legitur in Græco textu Concilii, est Aoristi secundi, seu præteriti temporis indefiniti, atque adeò per præteritum tempus explanari debuit. Hic enim sanctus Basilius declarat, sicut & alibi factitat, se agere de panis & vini propositione jam factâ, atque adeò necessariò præteritâ.

Præterea hoc ipso loco ipse sanctus Basilius variat constructiones & tempus, quo proposita sunt antitypa, veluti præteritum ab tempore quo Sacerdos assistit altari, ceu præsenti secernit. Nam tempus quo Sacerdos accedit ad altare, exprimit per participium præsentis temporis, nempè, confidentes accedimus & antityporum propositionem exprimit per participium Præteriti temporis ([illegible]) atque adeò demonstrat antityporum propositionem antecessisse actionem Sacerdotis ad aram assistentis & mysteria conficientis. Unde Andræas Masius, qui Syriacam editionem Liturgiæ sancti Basilii latinam fecit, vertit secundum Græcum [illegible] qui proposuimus. Quod confirmatur quotidianâ Ecclesiæ Græcanicæ praxi. Nam donorum propositio non fit in eodem altari, in quo Sacrificium & consecratio perficitur, sed fit ante Sacrificium in minori quopiam altari ad lævam in hunc finem constituto, quod propterea dicitur altare protheseos, seu propositionis, vel simpliciter prothesis aut propositio. Quapropter eorumdem donorum collocatio, quâ videlicet posteà in altari Sacrificii statuuntur, non Prothesis aut propositio, sed Apothesis seu depositio nominatur. Undè earum actionum, quæ exercentur in altari, nulla prothesis aut propositio nominatur. Sed ea solùm, quæ fit in altari propositionis, in quo panis & vinum proponuntur, & dicantur Deo, & fiunt figuræ repræsentantes Corpus & Sanguinem Christi Domini per quasdam preces & cæremonias, quas ipsis Græci Sacerdotes adhibent: sed in uno dumtaxat altari sacrificii in Corpus & Sanguinem Christi consecrantur. Unde sanctus Basilius in verbis ex eo in Concilio Nicæno recitatis, dicit panem & vinum ante sanctificationem vocata esse antitypa, & post Consecrationem Corpus & Sanguinem Christi: Reverà omnes Liturgiarum interpretes, id quod proximè diximus, ita factitari asserunt.

1. Duo altaria in Sanctuario Græcorum esse posita testificatur Gentianus Hervetus præfat. in Liturg. Græc. quorum *unum majus est*, inquit, *quod dicitur sacra mensa, Sanctuarium Sanctuariorum, sedes Dei, quies, propitiatorium, magni Sacrificii officina, Christi monumentum, & Tabernaculum Gloriæ ejus: & in isto majori nimirum altari Corpus & Sanguis Christi consecrantur. Alterum altare minus positum est ad lævam, & prothesis seu propositio dicitur, eò quod munera in altare majus inferenda, & ibidem ab Sacerdote consecranda in ipso imponantur.*

2. Panem & vinum fieri & exhiberi, ceu figuras, quibus Christi Passio repræsentatur, dum adhuc remanent in minori altari, quod & altare pro-

positionis dicitur, testantur plerique Græci & imprimis Nicolaos Cabasilas in Liturgiæ expositione cap. 6. *Abscissus panis*, inquit, *donec in propositione situs est, panis est purus & simplex, qui nihil aliud accepit, nisi quod Deo est dedicatus, & donum effectus.* Et paulò post: *Quia autem quæ postea facta sunt in illo corpore passiones propter salutem nostram crux, & mors antiquis prius figurata sunt, eâ de causâ etiam Sacerdos hic priusquam panem ad altare (majus) afferat, & sacrificet illos typos & figuras prius in illo conatur ostendere.*

Item cap. 8. describens cæremonias ad panem adhiberi solitas, ut in eo passionis Christi typi & figuræ: sic ait: *Crucem in pane imprimit, & ita indicat quomodo peractum est Sacrificium, nempè per Crucem. Post hoc etiam ad dexteras partes panem pungit: illius lateris ictum narrans per panis percussionem. Propterea enim ferriculum quod percutit, vocat lanceam, & ipso habet factum instar lanceæ, ut illam lanceam in memoriam revocet. Similiter etiam sanguinem, & aquam, quæ illinc fluxit, & verbo narrat & facto ostendit: infundens quidem in sacrum Calicem vinum & aquam: subjungit autem illud: & statim exivit sanguis & aqua.*

Item cap. 25. descriptâ donorum translatione ab prothesi, seu propositionis altari ad altare Sacrificii sic alloquitur astantes: *Pro eo quod est propositum, Deo supplicemus, ut dona sanctificentur, & ad finem perducatur, quæ fuit ab initio propositio.*

Item cap. 27. ita de consecratione loquitur: *Cum venerandam*, inquit, *cœnam narravit, & quomodo ante Passionem dedit sanctis suis Discipulis, & quod accepit Calicem, & quod accepit Panem, & actis gratiis sanctificavit, & quod dixit ea, per quæ significavit mysterium: & cum ea ipsa verba dixit, deinde procidit, & orat, & supplicat, divinas illas voces ipsius unigeniti Servatoris nostri, etiam in donis propositis applicans, ut suscepto ejus sanctissimo & omnipotente spiritu convertatur quidem panis in ipsum Corpus, & vinum in pretiosum & sanctum ejus Sanguinem. Hæc quum oravit & dixit, universum Sacrificium peractum est & perfectum, & dona sunt sanctificata, & Hostia integra, & perfecta effecta est, & magna Hostia & victima, quæ pro mundo mactata est, supra sacram mensam sita cernitur: panis enim non amplius figura Dominici Corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam descriptionem ipsius Servatoris passionum tamquam in tabula: sed ipsum verum donum, ipsum sanctissimum Corpus Domini, quod omnia illa verè suscepit, probra, contumelias, vibices, quod crucifixum, quod interfectum, quod colaphis appetitum, contumeliis affectum, spata passum est, fel gustavit.* Hæc ille.

Ex hujusmodi testimoniis illustratur locus sancti Basilii aientis dona, panem scilicet & vinum vocata esse antitypa ante consecrationem, siquidem in iis per quasdam preces & cæremonias salutarium Christi passionum & mortis exhibitio, &, ut ait idem Cabasilas, activa narratio fieret.

Suppositâ hac responsione verâ & solidâ, quam acceptam referimus Cardinali Perronio viro in profligandis hæresibus exercitatissimo, solvitur tota difficultas, quam sancti Basilii locus parere poterat, & prætereà colligitur Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi vocata esse antitypa ante consecrationem, & ne quis dicat non esse donata eo nomine post consecrationem fretus authoritate sancti Joannis Damasceni ita loquentis lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. *Quod si nonnulli panem ac vinum Corporis ac Sanguinis Domini antitypa esse dixerunt, quemadmodum ille divinitus afflatus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam ea oblatio consecraretur, hoc vocabulum usurparunt.*

Ne quis, inquam, hoc loco abutatur & dicat nec sanctum Basilium, nec Sanctos Patres Græcos Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi post Consecrationem appellare antitypa, id est repræsentantia, & continentia verum Christi Corpus & Sanguinem, & ejus passionem verè exprimentia, quo sensu Patres Græci Eucharistiam antitypon passim appellant.

Dico 1. allatum sancti Joannis Damasceni locum esse supposititium, siquidem eum ut talem explodit Turrianus in Scholiis suis Græcis in lib. 5. constitut. Apostolicar. cap. 14. eamque propositionem citato Joanni. Damasceni loco ab sciolis quibusdam vel malevolis assutam esse existimat. Ad cujus mentem accedit eruditus Abbas Billius suis notis in orat. 11. sancti Gregorii Nazianzeni. *Nam*, inquit, *negat illic Damascenus panem & vinum à Basilio post consecrationem antitypa vocari, quod apertè falsum est.* Hæc ibi.

Quicquid id est, observatum est ab Cardinale Perronio vocabulum (antitypon) circa sancti Joannis Damasceni ævum, id est sæculum VIII. abrogari cœpisse, ita ut volente usu (penes quem est præcipua loquendi regula) exauthoratum, annis sensim volventibus apud recentiores Græcos exolesceret, eo (ut verisimillimum est) nomine, quod passim ob multiplicem suarum significationum varietatem & discrepantiam suggerere posset multas cavillationes, quibus simpliciores capi & irretiri, callidiores autem ad labefactandam Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam abuti poterant.

Dico 2. Sanctos Patres Græcos Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi vocasse antitypa, id est Christi Corpus & figurantia & continentia, ut patet ex Theodoreto Dialogo 1. ex sancto Machario Ægyptio hom. 27. ex sancto Dionysio Hierarch. Ecclesiast. cap. 3. ex sancto Gregorio Nazianzeno Orat. 1. & orat. 11. in sororem Gorgoniam.

Quod autem antitypa in tremendis Eucharistiæ mysteriis significent figuram pariter & realem Corporis & Sanguinis Christi in iisdem mysteriis præsentiam, insigniter affirmat Elias Cretæ (vulgò Candiæ) Archiepiscopus in excellentissimis Commentariis, quibus sancti Gregorii Nazianz. orationes illustravit. Huic viro hac præsertim in occasione plena fides adhibenda est duabus de causis. 1. quod Concilio Nicæno II. generali VII. (de cujus mente agitur hoc loco) interfuerit. 2. quod exeunte sæculo VIII. floruerit in Græciâ, atque adeò & verba & sensa Græcorum optimè perspecta habuerit, sicut & Concilii mentem, cui cum trecentis & quinquaginta Episcopis eum interfuisse novimus.

Audiamus igitur talem virum: sic enim propositam de antitypis difficultatem explicat in Commentar. in S. Gregorii Orat. 1. *Per antitypum autem*, inquit, *isotypum intelliges, siquidem de magnis illis mysteriis, hoc est de sanctissimo Christi Corpore ac pretioso Sanguine istud accipias (sic enim magnus quoque Basilius hoc appellavit) præpositio enim hæc (ἀντί) nonnumquam æqualitatem etiam significat.) Si autem ad futura mysteria hæc referantur (nec enim desunt, qui hæc verba ad hunc modum acceperint) non tamquam Christi Corpus, non verè sint, antitypa dicantur, sed quia nunc quidem per ea divinitatis Christi participes efficimur, nostris videlicet corporibus commixti ac contemperati, tunc autem spiritualiter per solam contemplationem.* Hæc deprompta sunt ex dicti Archiepiscopi commentariis quæ Abbas Billius latinè reddidit, & cum operibus S. Gregorii Naz. edidit.

Hoc igitur loco contendit eruditus ille Episcopus, quod si per antitypum intelligamus Eucharistiam esse imaginem & repræsentationem sanctissimi Corporis & pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, Ita intelligi oportere, ut antitypum sit isotypum, id est imaginem realem, veritati æqualem, utpote quæ rei, quam repræsentat, veritatem contineat. Sicut columba quæ Christi ab sancto Præcursore baptizati capiti insedit, erat figura Spiritus Sancti, & Spiritum Sanctum reipsâ continebat.

Sic facilè explicari possunt Patres Græci, qui panem & vinum ante & post consecrationem antitypa nominarunt. Ante consecrationem erunt antitypa,

id est meræ figuræ Corporis Christi, in quantum iis per certas preces & cæremonias Christi passio repræsentabatur, cum adhuc essent in prothesi (id est propositionis altari) antequam scilicet deferrentur ad altare majus, in quo uno consecrari consueverant.

Post consecrationem autem erant etiam, & dicebantur antitypa, non ut anteà, id est meræ figuræ, sed figuræ cum veritate conjunctæ; figuræ quidem erant eò quod per species ab suâ substantiâ, per transsubstantiationem separatas Corpus & Sanguinem Christi repræsentarent. Erant autem (sicut & nunc sunt) antitypa, id est isotypa; quippè quæ veram & realem Corporis & Sanguinis Christi substantiam continerent. Est ergo Eucharistia figura extrinsecùs, & intrinsecùs veritas. Est figura secundum speciem in oculos & alios sensus incurrentem, sed est veritas secundum substantiam.

Ex duabus igitur objectionibus abs te propositis unam dissolvimus, & probavimus ex antiquioribus œcumenicisque Conciliis octo Concilia adversus Berengarium habita nihil definiisse, nisi quod ab superioribus longè antè definitum fuerat. Nunc igitur ut alteri satisfiat objectioni

Sectio LIV.

In quâ benè multis probatur adversus hæreticos Berengarium ejuratis suis circa Eucharistiam erroribus in Ecclesia Catholica & Romana sinu & fide devixisse.

Berengarium ejuratâ hæresi in Concilio Romano in Ecclesia Catholicæ sinu obiisse probatur.

Hæreticus.

Quomodo id probare poteris, cum Bertoldus continuator Hermanni ad ann. 1083. suam hæresim, quam in Synodo Romanâ ejuraverat, non dimisisse asserat. Ejus vestigiis Blondellus vir in historicis apprimè versatus & accuratus elucidat cap. 20. & Faucherus lib. 9. de Cœnâ Domini cap. 10. institerunt.

Catholicus.

Non mihi latet talem extare sententiam eorum hominum quos laudas, sed nec mihi latet eos Authorum circa Berengarii tempora viventium & scribentium testimoniis, posse nullo negotio refutari.

1. Refutantur hujusmodi homines testimonio Willelmi Malmesburiensis Angli Monachi Benedictini, qui vivebat anno sal. 1140. is enim commemorat ejus conversionem & pœnitentiam, in quâ ad mortem usque perstitit. Hujusmodi enim Author lib. 3. de gestis Anglor. refert ultima ejus verba, quibus suam professus est de Eucharistiâ fidem: *Licet*, inquit, *Berengarius primum juventutis calorem aliarum hæresçon doctrinâ infamaverit, evo tamen posteriore ita resipuit, ut sine retractatione à quibusdam habeatur sanctus innumeris bonis, maximè autem humilitate & eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo dominium.*

Et iterùm & ibidem. *Berengarius planè quamvis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeò pessimum est alios exemplo vel verbo à bono infirmare, quia fortassis peccatum te gravabit alienum, eum deletum fueris tuum.*

Ac rursùs iofendùs: quin & ipse Berengarius ipso die Epiphaniorum moriens, gemituque producto recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris calore fectâ suâ infecerit: *Hodie*, inquit, *in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus-Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Nos sanè credimus post benedictionem Ecclesiasticam illa mysteria esse verum Corpus & Sanguinem Salvatoris, adducti & veteris Ecclesiæ authoritate, & multis noviter ostensis miraculis.* Hactenùs ille qui satis superque declarat & pœnitentiam, & fidei professionem, quam Bereogarius in ultimâ vitæ lineâ constitutus edidit, atque adeò se verè ad Ecclesiam Catholicam reversum, & in ejus sinu paucis post momentis moriturum esse patefecit.

Reverà ipsum ut hominem verè Catholicum supremum diem obiisse plerique Authores locupletissimi contestantur. 1. Id liquido probat Chronicon sancti Martini Turonensis. 2. Chronicon Joannis Monachi. 3. Matthæus Paris in Histor. Anglic. in Willelmo II. ad ann. 1087. *Licet*, inquit, *Berengarius primum juventutis calorem aliquarum hæreson defensione infamaverit, evo maturiore tamen ita resipuit, ut citra controversiam à quibusdam Sanctus habeatur, utpotè in multis operibus bonis, & maximè humilitate, & eleemosynarum largitionibus approbatus.* Hæc ille, quæ licet suprà retulissemus hic iterùm referre voluimus, ut appareret plures probatæ fidei Authores Berengario in Ecclesiâ Catholicâ defuncto debitum honorem adversùs calumnias ejus memoriæ impactas reddidisse.

4. Ipsum Berengarium in Ecclesiæ sinu decessisse testificatur fasciculus temporum sub Victore II.

5. Idipsum asserit Philippus Bergomas in supplemento ad ann. 1049.

6. Id confirmat Papyrius Masso lib. 3. Annalium Franciæ, ibi quippè ex Chronico Turonensi Joannis Monachi disertè asserit ipsum de quo agimus, Berengarium Ecclesiasticâ sepulturâ cohonestatum, utpotè qui sepultus est in Claustro Sancti Martini Turonensis: non autem in Claustro sancti Cosmæ ad Turonas, sicut nonnulli existimant, qui & aiunt ipsum inibi per plures annos egisse pœnitentiam; sed non propterea illum in S. Cosmæ Claustro sepultum esse inferre & probare possunt. Quo enim tempore idem Berengarius in S. Cosmæ insula in secessit, & inibi pœnitentiæ labores obiit, nondum fundatum, atque adeo nondum erat excitatum illud Monasterium, ejus quippè fundatio (cujus charta legitur inter tabulas sancti Martini) incidit in annum redempt. 1092. quarto scilicet, vel quinto ab obitu Berengarii anno. Nam antequam præfatum sancti Cosmæ Monasterium extrueretur, nihil in dictâ insulâ visebatur præter quoddam sacellum, ad quod cum quidam sancti Martini Canonici arctioris vitæ studio perusti confluerent, iis ejusdem sancti Martini Capitulum & sacellum, & totam insulam concessit, ut patet ex chartâ fundationis, quam inter tabulas ejusdem sancti Martini extare paulò antè diximus.

Constat igitur ex dictis Berengarium Catholico ritu sepultum esse in Claustro sancti Martini Turonensis, atque adeò pœnitentem & Catholicum decessisse. Quod & disertè affirmat Clarius Monachus in Chronico sancti Petri vivi ad ann. Christi 1083. *Berengarius*, inquit, *Turonensis, Magister & admirabilis Philosophus amator pauperum effloruit. Hic composuit orationem illam, quæ sic incipit: Juste judex Jesu Christe; Post hæc fidelis & verè Catholicus vitam finivit, super cujus tumulum hujusmodi epitaphium est*

Quem modò miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit. Hæc ille.

Duo illi versus quos refert Clarius jam citatus, faciunt initium prodixioris Epitaphii, quod integrum refert Baronius ad annum Christi 1088. sicut & Willelmus aote ipsum retulit, ita tamen ut ejus Authorem Hildebertum, tunc cum illud exaravit, Archidiaconum, & postea Cenomanensem Episcopum laudis modum excessisse non obscurè significet.

Quod & Baronius confirmat: siquidem inbilaudes in Berengarium affatim congestas extenuat, quantum in se est, & ideò recitat Ivonis Carnotensis Epistolam ad ipsum Hildebertum inscriptam, & ipsius vitæ solutioris & libidinosæ opprobriis & reprehensionibus refertam, *ne* (subdit ille ipse Baronius) *Berengarius post tot criminum moles laudatus à laudato viro credatur, sed ab amico potiùs amicitiæ gratiâ præconio habenas solvente.* Hæc ille, qui & ibidem ait *ipsum Berengarium propè nonagenarium decessisse, & summam Dei misericordiam consecutum, si post tot iteratos lapsus in hæresim à se damnatam in Ecclesiâ Catholicâ vita periodum clausit.*

Non ita loqueretur Baronius, id est, non dubitaret nec umquam dubitasset Berengarium verè in Ecclesiæ Catholicæ sinu verè Catholicum è vivis excessisse, si vel legisset, vel expendisset vel plura, vel omnia Auctorum quos citavimus, hanc in rem testimonia: imò si vel unicum Willelmi Malmesburiensis (è quo plura excerpsit) animadvertisset locum in Lib. 3. de gest. Ang. in quo profitetur iste Author Berengarium ejuratis erroribus ita resipuisse; ut à plerisque Sanctus habeterur, quod & affirmat Matthæus Paris in Histor. Anglic. ad an. 1087. Utriusque Authoris verba suprà retulimus.

Si quis adversus ea, quæ hactenùs probavimus, objiciat Epistolam ab B. Lanfranco ad Riginaldum Pictavorum Urbis Abbatem & Seutunum Monachum & Henricum Canonicum inscriptam, in quâ verbis acriotibus carpit Berengarium, quem & vocat Schismaticum, utpotè qui S. Hilarium Orthodoxæ fidei propugnatorem acerrimum teterrimis lacesseret calumniis, & veluti de eadem ipsâ fide malè sentientem, & in lib. de divinâ Trinitate improbabiles sententias de Domino Jesu Christo proferentem accusaret. Si quis, inquam, hanc Epistolam nostræ de Berengarii obitu sententiæ opponat.

Audiat Cardinalem Baronium ad an. Ch. 1088. nu. 25. aientem B. Lanfrancum ea quæ in hujusmodi Epistolâ leguntur, asseveraffe de Berengario audacissimo ac mendacissimo, cum adhuc unà cum suis extra Catholicam Ecclesiam exularet. Hæc ibi.

Si quis etiam objiciat Epistolam Brunonis Andegavensis Episcopi (quem aliàs Berengarius suæ hæreseos fautorem habuerat) ut probet ipsum Berengarium extra Ecclesiam obiisse, suam objectionem futilem esse deprehendet, si Andegavensis Ecclesiæ tabulas consulat: in his enim deprehendet Brunonem è vivis excessisse ann. Sal. 1081. VI. Kalend. Sept. Hoc est sex annis saltem antè Berengarium, quem anno Sal. 1088 devixisse commemorant; ideoque malè ratiocinatur quisquis ex hac Epistolâ Berengarium impœnitentem & hæreticum obiisse colligit.

Præterea Bruno per hanc Epistolam Berengario ipsum stare ab suis partibus existimanti respondere voluit. Ad Brunonem igitur scripserat Berengarius eo tempore quo probabiliter arbitrabatur illum nondum hæresim abs se disseminatam ejurasse. Et id in animum suum inducere potuit anno Sal. 1053. sed non ann. 1073. quo omnia Concilia adversus seipsum habita resciebat, fœliciter sub Gregorio Papâ VII. sunt terminata. Si enim illo ipso tempore quo hujusmodi Concilia ad profligandas ejusdem Berengarii hæreses coacta celebrabantur, Brunonis fides circa realem & substantialem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam suspecta vel dubia fuisset; proculdubio vel ad unum ex hujusmodi Conciliis, vel ad plura, si fuisset opus, evocatus esset, ut coram Episcopis in Spiritu sancto congregatis de ipsâ suâ fide circa eos præsertim articulos, qui disceptabantur, rationem redderet; quod quidem cum factitatum non fuerit, magno argumento est omnes, synceram Apostolicæ veritatis professionem, quam Berengarii errores ejurando emiserat, perspectam & cognitam habuisse.

Sectio LV.

In qua contendens Hæreticus Gregorium Papam VII. ex animo non condemnasse Berengarium eo quod ipse Gregorius (ut causantur Hæretici) eorum sententiam circa Sacramentum Eucharistiæ propugnaret, luculenter ab viro Catholico refellitur.

Hæreticus.

Non est credibile Gregorium Papam VII. Berengarium ex animo condemnasse, vel in speciem tantùm, seu ore tenus, & extrinsecus condemnasse, si condemnavit: Siquidem ab ipsis vestrarum partium hominibus reprehenditur, eo nomine quod Apostolicam fidem de Corpore & Sanguine Domini in controversiam evocaverit, & Berengarii Discipulus fuerit: Ideò de Pontificali Sede dejectus est anno 1080. in Conventu apud Brixiam Noricam jussu Regis Henrici congregato, cui interfuere triginta Episcopi, & optimates exercitus, non solùm Italiæ, sed & Germaniæ.

Catholicus.

Verum est congregatum fuisse Conventum, in quo omnes conspiratis factionum partibus Gregorium Papam VII. ab Apostolicâ Sede depellendum & Guibertum Ravennensem Episcopum ipsi subrogandum esse censuerunt: Cujus Decreti conclusio hæc est: *Quia*, inquiunt, *illum constat non à Deo electum, sed à seipso in fraude ac pecuniâ impudentissimè objectum: qui Ecclesiasticum subverterit ordinem; qui Christiani imperii perturbavit Regnum: qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem: qui perjurium defendit Regem: qui inter concordes seminavit discordiam; inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia: & quicquid quietè inter piè viventes stare videbatur.*

Huic Decreto (quod ab Henrico Anathematis jaculo sauciato, & ab Episcopis ab Ecclesiâ separatis, & Principibus ejusdem Anathematis vinculo colligatis consarcinatum est) Schismaticus Conradus Urspergensis Abbas addidit graviora crimina, propter quæ Gregorium Papam VII. depositum esse comminiscitur. *Nos*, (inquiunt Schismatici,) *authore Deo congregati in unum, legatis ac litteris freti decem & novem Episcoporum die sancto præterita Pentecostes Moguntia congregatorum, contra eumdem Hildebrandum* (Gregorium Papam VII.) *procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæstione ponentem, Hæretici Berengarii antiquum Discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & idcircò à verâ fide exorbitantem judicamus canonicè deponendum & expellendum: & nisi ab ipsâ sede, his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum.* Facta sunt autem hæc VIII. Kal. Julii, Feria V. indict. III.

Hujusmodi crimina falsò esse Gregorio Papæ VII. impacta, probatur ex eò quod addantur ab Urspergensi illa ipsa, quæ posteà fuere à Bennone conficta. Reverà sui deformitate sunt adeò monstruosa, ut ante omnia in Decreto illo fuissent ibidem collocanda, si vel excogitata fuissent atque in Gregorium VII. tunc objecta. Præterea de hujusmodi criminibus numquam siluisset Henricus Rex in Epistolâ illâ infamissimâ, quam ad ipsum met Gregorium Pont. max. inscripsit.

Accusatur ergo Gregorius Papa VII. quasi malè senserit de veritate Corporis & Sanguinis Christi in

Eucharistiâ, & hæc accusatio innititur duplici authoritate, nempè Concilii apud Brixiam adversus ipsum Gregorium habiti, & Bennonis Cardinalis idipsum attestantis. Duplicem hanc authoritatem duplex tesitatio profligabit.

Sectio LVI.

In quâ & Concilium apud Brixiam habitum, & calumnias ab Benone Cardinale Gregorio Papæ VII. impactas, esse falsissimas plurium authorum testimonio meridianâ luce clarius ostenditur.

Concilii apud Brixiam habiti adversus Gregorium Papam VII. refutatio.

HUJUS Concilii authoritas nulla est duplici capite.

1. Quia ab Schismaticis & ab proceribus Henrico Imperatori devotis, & eodem cum ipso anathematis vinculo colligatis habitum est, ut Gregorium Papam VII. jam octavum sui Pontificatus annum agentem de Apostolicâ Sede deturbarent, & Gubertum Ravennatem Archiepiscopum illi subrogarent.

2. Criminis, quod objicitur ipsi Gregorio veluti Berengarianæ hæresis conscio, falsitas deprehenditur in Decreto ejusdem Concilii, sed annectitur eidem Decreto ab Schismatico Conrado Abbate Urspergensi. Indè, inquam, ejus criminis falsitas deprehenditur, tùm quia illud cum cæteris in eodem Decreto enumeratis proculdubiò recensitum fuisset, si tunc excogitatum fuisset, ut suprà insinuavimus; tùm quia posteà ab Bennone Cardinale Schismatico & Gregorii VII. hoste infensissimo excogitatum & sanctissimo Pontifici objectum. Atque adeò inter alia crimina, quibus ejusdem Gregorii VII. vita & integritas calumniosissimè appetita est, recensendum.

Refutatio calumniarum quibus Beno Cardinalis Gregorium Papam VII. ceu de Eucharistiæ Sacramento malè sentientem dedecorare conatus est.

DUO hîc sunt præstanda.

1. Proferenda est Bennonis accusatio.

2. Ejus calumniæ Authorum Gregorii Papæ ævo suppariorum, aut certè ab eo non distantium testimoniis refellendæ sunt.

Quod spectat ad accusationem, ipsam explanat his verbis in vitâ & gestis Hildebrandi qui dictus est Gregorius VII. *Et de Corpore Domini signum quæsivit: & misit duos Cardinales, Attonem & Cunonem ad sanctam Anastasiam, ut cum Suppone ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illis tribus diebus singuli per dies singulos psalterium & Missas decantarent, ut supradictum signum eis Christus ostenderet, quod minimè contigit.*

Et ibidem: *Joannes*, inquit, *Portuensis Episcopus, qui intimus & fuerat à secretis Hildebrandi, ascendit ambonem B. Petri, & inter multa audiente Clero & Populo, ait: tale quid fecit Hildebrandus, & nos, unde deberemus igni succendi, significans de Sacramento Corporis Domini, quod Hildebrandus responsa divina quærens contra Imperatorem, fertur injecisse igni, contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei.*

Idem Benno seu Beno pergit calumniis appetere eumd. Gregorium VII. *Idem præsumptor*, ait, *jejunium indixit Cardinalibus, ut Deus ostenderet quis rectiùs sentiret de Corpore Domini, Romanane Ecclesia, an Berengarius per hoc manifestè probatus infidelis, cum in Niceno Concilio scriptum sit: Qui dubius in fide, infidelis est. Et de Corpore Domini signum quæsivit quod petente B. Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando Panis Christi formam accepit digiti, & misit duos Cardinales*, ut paulo antè retulimus.

Tria hæc Bennonis loca duo dicunt, ut ostendant Gregorium VII. malè sensisse & dubitasse de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ.

1. Asserunt Gregorium VII. Eucharistiam projecisse in ignem, & in hac parte Cardinalis Benno suam prodit inscitiam (sicut & eum ait hominem in fide dubium infidelem renuntiari ab Concilio Nicæno) nam ignorare se testatur veterem extitisse consuetudinem, ut reliquiæ divini Sacramenti præter eas, quæ asservabantur ad ægrotantium, absentium aut advenarum Communionem, in ignem projicerentur. Et hæc in re Eucharistiam cum sacrificio quod in veteri lege offerebatur pro peccato comparat Hesychius, siquidem utriusque reliquiæ in ignem conjici consueverant.

2. His in locis accusatur Gregorius Papa VII. quasi dubitaverit de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ, cum ad confundendam & obterendam Berengarii hæresim poposcit idem signum, quod ad firmandam mulieris, quæ subrisetat, fidem (cum audisset eum quem obtulerat Panem, Christi Corpus appellari) cum Clero & Populo Romano petierat S. Gregorius Papa I. Ut scilicet appareret caro in Sacramento, atque ita tam istius mulierculæ, quam cæterorum astantium fides roboraretur, & in dies invalesceret.

Totum ergo crimen impactum Gregorio Papæ VII. vertitur in hoc, quod duos Cardinales Attonem scilicet, & Cunonem miserit ad sanctam Anastasiam & ipsis triduanum jejunium & Missarum celebrationem & Psalterii recitationem toto triduo factitandam indixerit, ut impetrarent à Deo idem in Eucharistiæ Sacramento signum, quod olim ad corroborandam divini Sacramenti fidem sanctus Gregorius Papa I. à Deo poposcerat, & exoraverat.

Si quis eo facto Gregorium VII. quasi de Corporis Christi veritate in Eucharistiâ dubitasse, vel in debitam huic mysterio fidem peccasse contendat, apparebit pariter S. Gregorium Papam I. Peccasse utriusque enim factum, utriusque consilium & propositum omni ex parte consonat. Nihil enim spectabant aliud duo illi Pontifices quam ut omnem de venerabili Sacramento dubitationem ex Christianorum animis expectorarent; ideò non plus in eo rerum articulo deliquerunt quam Elias, cum ad ostendendum unum Deum, Deum scilicet Israël, non autem Baal adorari oportere ardentissimis precibus è Cælo devocavit ignem, qui præparatum ab ipsomet holocaustum absumendo, uni Hebræorum Deo æterno, vero & vivo debitam glotiam idolis quibuscumque abrogatam asseretet.

Præter allatas rationes plura nobis suppetunt argumenta ex authoribus præstantissimis repetita, quibus Gregorii Papæ VII. innocentia & probitas mirabilem in modum astruitur. Hujusmodi Authorum series, quod affirmamus liquidò comprobabit.

Primus Author.

Est Papyrius Masso qui de Cardinale Bennone in *l.* de Episcopis Urbis in Gregorio VII. ita loquitur: *Si quis*, inquit, *Bennonem legit, qui se Archipresbyterum Cardinalem vocat, isque odium eius in omnes retrò Pontifices usque ad Gregorium V. & maximè in Hildebrandum exactè consideras, nullam ei fidem habendam existimabit. Odii enim natura ea est, ut nec dormire cum veritate, nec vigilare possit. Ergo Librum illum plenum maledictis & ab Cæsarianæ factionis homine, ut apparet, dictatum facilè respuo.* Hæc ille.

Secundus Author.

Huic Authori proximè præcedenti congruentes lo-

quitur Marianus Scotus in Chronico ann. 1081. Siquidem commemorat Henricum Imperatorē videntem Papam (Gregorium VII.) aufugisse congregatis triginta Episcopis fautoribus suis, in ipsâ Romanæ Urbis obsidione jussisse haberi Synodum, in quâ Gregorius Papa falsis & inauditis criminationibus ab fautoribus Henrici fictè compositis absens accusatus est. Hæc ille.

Tertius Author.

Lambertus Schafnaburgensis, quem Melancthon diligentissimum sui ævi scriptorem, & Barthius adv. lib. 45. cap. 23. miræ suo ævo eloquentiæ scriptorem appellat, sic de Gregorio Papâ VII. prædicat in Hist. Germanicâ ann. 1073. p. 191. Edit. Wechel. *Alexander Papa decessit*, ait, *cui Romani protinùs inconsulto Rege successerunt; elegerunt Hildebrandum virum sacris Litteris eruditissimum, & in totâ Ecclesiâ tempore quoque priorum Pontificum celeberrimum.* Hæc ibi.

Idem Author memorans falsas suspiciones, quas Cæsarianarum partium fautores spargebant in vulgus ex occasione benevolentiæ quâ Matildis lectissima fœmina, & in Italiâ potentissima prosequebatur Apostolicam Sedem, ipsum Gregorium VII. luculentis laudibus afficit: *Apud omnes*, inquit, *sanum aliquid sapientes luce clarius constabat falsa esse, quæ dicebantur. Nam & Papa* (Gregor. VII.) *eximiè tamque Apostolicè vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret.* Hæc ille in ead. Hist. Germanica p. 247.

Quartus Author.

Otto Frisingensis in Bavariâ Episcopus veritati litavit & nihil obstante propinquitate, quâ Henricum Imperatorem attingebat, de Gregorio Papâ VII. honorificè prædicavit. Quamvis enim Patrem Leopaldum seu Lupoldum Marchionem Austriæ & Matrem Agnetem Henrici Imperatoris Filiam, sortitus esset, atque adeò ipsius Henrici nepos esset, non tamen acquievit carni & sanguini, ut ablegatâ veritate deflecteret ad avi sui partes: his enim laudibus attollit Gregorium Papam VII. ejusdem avi sui hostem infensissimum l. 6. Chron. c. 34. *Gregorius VII.* inquit, *forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia Athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit.* Hæc ille.

Quintus Author.

Hugo Flaviniacensis Gregorii Papæ VII. ævo suppar, & rerum ab ipso magnificè gestarum testis oculatus & scriptor, ipsum miris sed veris laudibus attollit in Cœlum, quem ideò de tanto Pontifice prædicantem audire operæpretium est, sicut & ipsissima ejus verba hîc ascribere necesse est.

Natus est, inquit in Chron. sub ann. 1078. in Urbe Româ parentibus civibus Romanis, & quod maximum est, religiosis, ascribendus civis Curiæ cælestis, & ab ineunte Ecclesiasticis mancipatus officiis: pueritiam suam non sine certis quæ eum illustrem futurum jam tunc esse signarent, documentis Religiosis personis comitatus, excoluit adolescentiam assumpto sanctitatis proposito inter mundi contemptores non sine magnis perfectionis indiciis: Perdomuit juventutem nihilominùs militiæ Christianæ dedicatam: sicut ætate, ità sanâ doctrinâ & firmamento virtutis roboratam sub præclaris totius Christiani nominis tutoribus & præsulibus, publicis sanctæ Ecclesiæ mancipavit utilitatibus.

Hic ob singularem excellentis ingenii prærogativam ab Nicolao Papâ in Archidiaconatum Matris Ecclesiæ provectus, strenuâ & laudabili hujus Officii administratione in totius orbis notitiam, & religiosorum dilectionem brevi devenit.

Decedente verò Papâ Alexandro ad summum Christiani regiminis culmen accitus & electus, divinitate in electi sui exaltatione communem servorum suorum devotionem incitante ad perferendum quod abhorrebat jugum, quodque semper quidem animi, aliquando autem Corporis fugâ declinaverat, mansuetum animal Domino suo cervicem subdidit. Consecratus igitur in justitiâ & sanctitate, miro modo, assiduis votis, pro se & grege sibi commisso excubans urgente pastoralis Officii necessitate distorta perversorum corda ad rectitudinis lineam summâ vi corrigere nitens, veritatem Dei absque personæ acceptione patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob zeli Dei fervorem & justitiæ executionem. Sed quia nulla est societas lucis ad tenebras, perditorum hominum odium & detractionem, imò persecutionem acerrimam incurrit: regiam tamen viam, quam semel intraverat inconcussus, immotus per arma justitiæ à dextris, & à sinistris, fortiter incessit. Ac primò quidem Apostolicâ authoritate, & veridicis sanctorum Patrum animatus sententiis ad eliminandam simoniacam hæresim & præcipiendam Clericorum castitatem pro commissi sibi officii debito vehementer exarsit.

Idem Author ostendit ejusdem mortem respondisse sanctitati, quam toto vitæ pontificatusque curriculo præ se tulerat. Quod apud ipsum legere est ad ann. 1085.

Sciens ergo, inquit, imminere diem vocationis suæ, longè antè convocatis Cardinalibus, Episcopis, & cæteris concaptivis diem obitus sui prædixit: consummatisque omnibus Ecclesiasticæ institutionis Officiis XV Kal Junii prædictos fratres sub districti judicii interminatione & sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut si qua in se corrigenda deprehendissent, nullatenus tacere præsumerent. Quibus collaudantibus & vitæ conversationem & disciplinam doctrinæ suæ, morumque institutionem & secundum scientiam sancti zeli fervorem, compulit eos Apostolicâ authoritate singillatim sibi dexteram dare promissores, quod hæreticum illum invasorem sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ numquam reciperent, nisi fortè Canonicè resipiscens puram confessionem Cardinalibus Episcopis offerret nudatus omni Ecclesiastici ordinis dignitate, contestans & affirmans omnes simul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare præsumpsissent Henrico Archipyratæ usurpatori Imperii, nisi depositâ dignitate regni secundum præceptum eorum & reliquorum Religiosorum in Teuthonico regno commorantium, condignam pœnitentiam ageret. Deinde confirmavit vicem suam, potestatemque ligandi & solvendi omnibus Vicariis suis, sicut ipse per orbem constituerat, ut quos ipse ligaverat, ipsi post condignam satisfactionem absolverent, sed ad Apostolicæ Fidei normam, non sicut quidam, seipsos fallentes, errantes, & alios in errorem trahentes, confingunt: quos omnes excommunicatos indiscretè absolveret, ac si posset, vivificaret omnes qui non vivunt. Deindè quod vanitas ipsa per multa regna dissiparetur, divinâ inspiratione cognovit & prædixit. Demùm absolvit omnes, qui in fide istâ, quæ per illum innotuit, usque ad finem perseveraverint, ab omnibus peccatis suis, & sic spiritum Creatori tradens anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo quinto obiit Martyr & Confessor. Hactenùs Hugo Flaviniacensis, qui res Gregorii Papæ VII. accuratè & uberrimè prosecutus est.

Huc accedit Historia MS. Guillelmo Nangiaco ascripta quæ ad eumdem Sal. ann. nempe 1085. de eodem Gregorio sic loquitur. *Hildebrannus, seu Hildebrandus Papa, qui & Gregorius VII. apud Salernum exulans mortuus est, & post mortem multis miraculis claruit.* Hæc ibi.

Hoc elogium Gregorii Papæ VII. tam viventis quam mortui suppeditavit Domnus L. Dacherius in suis no-

tis ad Epistolam quintam B. Lanfranci Cantuariensis Episcopi, cujus opera anno salutis 1648. edidit.

Quid ex dictis hactenus inferri debeat ab Catholicis & hæreticis.

CUM hactenùs probaverimus realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam ab omni ævo in Ecclesiâ Dei creditam & propugnatam quam nemo palàm & apertè negavit ante Berengarium Sacramentariorum parentem & antesignanom, ut testantur Paschasius in Lib. de verb. instit. Sacram. & Guitmundus Aversanus Episcopus Lib. 3. de Sacram. Corporis & Sanguinis Dom. Nemo erit, opinor, vel tantisper oculatus, quin videat Sacramentarios esse citra controversiam Ecclesiæ rebelles, & hæreticos, utpotè qui in hæresi, id est Doctrinâ, cujus falsitatem arguit novitas, & authoritas ipsius Ecclesiæ, quæ tot in Conciliis à nobis supra enumeratis illam sub anathematis interminatione proscripsit, hæreant, & reclamante toto orbe Christiano hærere gestiant.

Huc accedit quod pertinaciæ (quæ sola crimen hæreseos consummat) quâ suos tuentur errores, tanta est, & tam præfracta, ut ab omni omninò ratione abhorreat: Quis enim non appellet eum hominem ab omni ratione desertum, qui cum suam sententiam erroneam, imò hæreticam palàm proposuerit, & omnibus argumentis quibus eam tuebatur, non unum hominem, sed quamplurimos, non qualescunque, sed sui ordinis primicerios solidè eruditos, altissimâ antiquitatis & Ecclesiasticæ traditionis notitiâ præditos, & singulari pietate conspicuos, respondentes audierit, qui prætereà Concilia illam ipsam doctrinam irreformabili plurium Episcoporum judicio damnantia legerit?

Hujusmodi hominem nemo videbit, nemo audiet, nemo denique attentiùs intuebitur, quin illum recenseat inter ipsos, *quorum mentes Deus hujus sæculi excæcavit, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ magni Dei.*

Quicquid igitur obstrepant Calvinistæ verè & substantialiter verum Christi Corpus, quod ab eo assumptum est in stupendo Incarnationis mysterio, quod ab Judæis appensum est in ligno, quod denique Pater æternus redivivum excitavit è tumulo, in Eucharistiâ continetur.

Et ex hoc primario & fundamentali articulo respectu venerabilis Sacramenti necessariò colligitur transsubstantiatio, adoratio, oralis ejusdem Corporis Christi perceptio, & cætera omnia, quæ ad hujus Sacramenti dignitatem, confectionem, adorationem, & perceptionem pertinent.

Quemadmodum igitur ea omnia, quæ hactenùs diximus & probavimus, ut responderemus Calvinistis realem Corporis & Sanguinis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam negantibus & allatrantibus, eosdem Calvinistas ad seriam Catholicæ veritatis agnitionem allicere, imò adigere possunt, si vel tantillùm sapiant, ita eadem illa Catholicos omnes ad majorem posthac venerabilis Sacramenti fidem, reverentiam, amorem, & frequentiorem devotioremque solito perceptionem incitare debent.

Hujusmodi collationem quam ad multos dies produxeramus Calvinista & ego, qui Heterodoxos in ejus personâ erroris & hæreseos convincere decreveram, litteris mandavi, ad illum misi, ut ea quæ inter colloquendum ejus aures prætervolaverant, illi redirent in memoriam, & actiùs in ea regustanda revolvendaque incumberet, & tandem opitulante Christo sine quo nullum bonum meditari, nullum moliri, nullum denique aggredi possumus ejuratâ hæresi ad Ecclesiam Catholicam ex animo reverteretur.

Ille aliquot post diebus rediit ad me, testificatus est se legisse cum aliquâ voluptate nec sine fructu præfatam collationem, quam ad ipsum transmiseram, & imprimis fuisse permotum duobus potissimùm argumentis, quæ ipsi utpotè solidè comprobata maximè placuerant. Quorum

Primum est in eo positum, quod Calvinistæ ex quo ab Ecclesiâ Romanâ desciverant, nullam haberent Ecclesiam, nullos Pastores, nullam scripturam. Alterum quo se maximè perculsum asseruit, petitur ex multiplici Berengarii damnatione & recantatione & perfectâ, paucis annis antequam obiret, ad Deum conversione, atque adeò ad Ecclesiam Catholicam reversione, si enim, inquiebat, damnata est hæresis in hæreseos satore & propagatore, adhuc vivente, adhuc scribente, & ipsam totis viribus propugnante & Episcoporum in octo Conciliis & pluribus congregatorum rationibus & authoritati succumbente, si denique exeunte vitâ ab ipsomet illam abdicante, proscripta est, procul dubiò damnaremur & nos, imò jam damnati sumus in ejus personâ in iisdem Conciliis, in quibus ipse damnatus est; neque enim validiora nobis, quam illi olim suppetiere, ad ipsam defendendam suppetunt argumenta. Ergo quem secuti sumus errantem, oporteret imitari pœnitentem: quòd reverà facerem nisi me multæ difficultates & rationes ex longo collectæ, in avitâ Religione, id est Ecclesiâ reformatâ continerent.

Postrema illa verba omnem lætitiam, quâ ob speratam ejus conversionem deliquescere cœperam, peremerunt. Nihilo seciùs sciscitatus sum ab homine quanam præsertim difficultate ab amplectendâ credendaque reali Corporis & Sanguinis Christi in venerabili Sacramento præsentiâ revocaretur, dixit, vocabulum istud novum, transsubstantiationem sibi esse offendiculo.

Sectio LVII.

In quâ Hæreticus negat Transsubstantiationem ex reali Corporis Christi in Eucharistia Sacramento præsentiâ rectè inferri, & colligi, quam hæresim egregiè refellit Orthodoxus.

Hæreticus.

COntenditis ab omni ævo creditam esse realem Corporis Christi præsentiam in Sacramento Cœnæ, & indè concluditis admittendam esse Transsubstantiationem, quasi diceretis Corpus Christi est realiter in Sacramento Cœnæ, ergò necessariò est admittenda Transsubstantiatio.

Catholicus.

Hujusmodi consequentia talis est, & tam certa, & tam necessaria, ut eam vel ipsi vestrarum partium antesignani admiserint, Calvinus scilicet & Beza. Ille quidem in defensione 2. piæ & Orthodoxæ de Sacramentis Fidei Tom. 7. p. 775. col. 1. Edition. Genev. 1617. *Non consistet*, inquit, *horum verborum* (Hoc est Corpus meum) *simplicitas, nisi panis consletur in Corpus*: Et inferius: *Papistas meliùs à necessitate tropi eximeret sua Transsubstantiatio.* Beza autem idem affirmat de Cœnâ Domini contra Westphalum pag. 215. & ait *non posse urgeri τὸ ῥητὸν in his verbis Christi: Hoc, id est, hic Panis est Corpus meum, quin Papistica Transsubstantiatio statuatur.* Item p. 216. *Hoc sæpè diximus, quod nunc quoque repetam, retineri reipsâ non posse τὸ ῥητὸν in his verbis Christi, hoc est Corpus meum, quin Transsubstantiatio Papistica statuatur.* Item p. 217. *vel Transsubstantiatio ponenda est, vel tropus.*

Sectio

SECTIO LVIII.

In quâ Hæreticus contendit nos Orthodoxos non posse ex reali Corporis Christi in Eucharistia Mysterio præsentia necessario inferre Transsubstantiationem eò quod) ut ipse causatur Hæreticus (Conclusiones articulos fidei posse constituere negare soleamus. Hanc objectionem ita diluit Orthodoxus, ut quæ Conclusiones, & quo sensu inter fidei articulos recenseri queant luculenter ostendat. Non enim quomodocumque Conclusiones sunt articuli fidei, vel ejusdem fidei articulos constituunt, sed quatenus vel per se & explicitè revelata sunt, ut primarii fidei articuli, vel in primariis illis fidei articulis continentur, & ex iis per necessarias consecutiones eruuntur.

Hæreticus.

HAC in parte aberratis ab vestris principiis. Contenditis enim Conclusionem nusquam posse constituere articulum fidei, quod tamen hîc facitis, cum ex verâ Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento cœnæ præsentiâ transsubstantiationem veluti necessarium & legitimum divinæ fidei articulum ratiocinando concluditis.

Catholicus.

Respondeo nos nullo pacto deflectere ab nostris principiis, cum dicimus nullam umquam Conclusionem (quatenus talis est) id est spectatam sub unâ dumtaxat conclusionis ratione facere & constituere fidei articulum, & hujus rei ratio à priori petenda est, ex eo quod articulum fidei Dei revelantis authoritate, quæ nulli errori obnoxia est, inniti oporteat, atque adeò nulla Conclusio, ut talis est, hoc est humanâ ratione & arte innumeris erroribus obnoxiâ ex quibusdam principiis deducta divinæ fidei articulum efficere valeat. Alioquin Ecclesia quæ stat inconcusso divinæ revelationis fundamento suffulta, seu ex unâ Dei revelantis authoritate suspensa, rueret, & labefactaretur, quoties ab hæreticis novam doctrinam in orbem invehere molientibus lacesseretur, si solo rationis & argumentationis humanæ præsidio niteretur.

Hæreticus.

Vestrates Episcopi sæpenumerò suis in Conciliis Conclusiones veluti fidei articulos toti Ecclesiæ credendos proposuerunt: ergo conclusiones divinæ fidei articulos efficere possunt.

Catholicus.

Non inficiamur aliquas Conclusiones pertinere ad fidem Catholicam, quales sunt illæ quas Episcopi in Spiritu sancto seu legitimè congregati elicuerunt ex aliis fidei articulis ab omni ævo in Ecclesiâ creditis. Unde concedimus Ecclesiam non condere novos articulos fidei primarios seu principales, sed tantùm secundarios, qui quidem ab ipsâ propositi ob idem divinæ revelationis motivum credi debent, propterea quod alii, ex quibus eliciti sunt, ab omni antiquitate in orbe Christiano sunt crediti: ac reipsa quidem creduntur ab fidelibus, cum ab ipsâ Ecclesiâ iis ad credendum sunt propositi, non quia sunt Conclusiones ex quibusdam principiis per humanam ratiocinationem illatæ, sed quia sunt propositiones ex veteribus fidei articulis erutæ, atque adeò in ipsis & cum ipsis virtualiter, ut ita dicam, revelatæ, Quod ut clariùs elucescat,

Observandum est eam propositionem dici actualiter revelatam, quam distinctè & perspicuè Deus Prophetarum, & Apostolorum, & aliorum (quos inter Scriptores Canonicos annumeramus) ministerio Ecclesiæ suæ revelavit: quales sunt hujusmodi propositiones: Deus unus est; tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. & hi tres unum sunt: Verbum caro factum est. & aliæ id genus, quas omnes primariis fidei articulis accenseri oportere concedunt. Propositio autem virtualiter revelata dicitur ea, quæ cum propositione actualiter revelatâ tantam habet connexionem, ut ex eâ per legitimam consecutionem necessariò inferatur. v. g. cum Apostoli dixerunt Christum esse natum ex Mariâ Virgine, annuntiarunt articulum fidei primarium seu principalem in quo continebatur secundarius, nempè, Maria Virgo est vera Christi Mater, ex quâ scilicet veram assumpsit carnem, non autem phantasticam, ut quidam Hæretici confinxerunt. Prima igitur propositio, nempè Christus natus est ex Mariâ Virgine; est actualiter seu formaliter & disertè ab Apostolis annuntiata, sed altera, nempè Maria Virgo est Mater Christi ab iisdem Apostolis implicitè & virtualiter est Ecclesiæ revelata, sicut & illa: Maria Virgo est Mater Dei: & hæ duæ propositiones dicuntur virtualiter revelatæ, quia ex primâ illâ propositione, nempè Christus natus est ex Mariâ Virgine (quæ est propositio explicitè & actualiter revelata) per legitimam consecutionem necessariò inferuntur. Nemo enim nascitur ex fœmina, quin illam matrem habeat, & nulla fœmina mater est, quin aliquam personam pariat (neque enim natura, sed persona generari dicitur) ideò Ecclesia in Concilio Ephesino congregata adhibitâ maturâ diuturnâque disquisitione & allatâ authoritate scripturarum pariter & Sanctorum Patrum Christi divinitatem asserentium, & unam dumtaxat Verbi personam in ipso Christo confitentium Mariam Virginem non tantùm θεότοκον, id est à Deo genitam, sed etiam θεοτόκον, cum acuto in penultimâ, id est, Dei genitricem esse declaravit: & veluti divinæ fidei articulum secundarium quidem, sed in alio primario virtualiter revelatum, & æquali cum aliis necessitate credendum toti terrarum orbi proposuit.

Nihil propterea detrahit Ecclesia, vel addit primariis fidei articulis, sed in Conciliis tota in id incumbit, ut dogmata in principalibus iis articulis inclusa retegantur, eruantur, explicentur distinctiùs & apertiùs, & intelligantur illustriùs, quæ antea obscuriùs credebantur, atque ita posteritas intellectum id gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur.

Ergo illa ipsa Ecclesia eadem quæ accepit ita docet, *ut cum dicat novè, non dicat nova*, ut ait Vincentius Lirinensis, qui Commonitor. 1. cap. 32. mirabiliter explicat quomodo se gerat in Conciliis dignum est citatum illud caput, quod hîc integrum ascribatur. *Christi Ecclesia*, inquit, *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua: non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industriâ hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitùs informata & inchoata, accuret & poliat: si qua jam expressa & enucleata consolidet, firmet: si qua jam confirmata & definita custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur? quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur; quod antea securiùs colebatur, hoc idem posteà sollicitiùs excoleretur. Hoc, inquam, semper, neque quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius à majoribus solâ traditione susceperat, hoc deindè posteris etiam per scriptura chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehenden-*

do, & plerumque propter intelligentiæ lucem non novum fidei sensum nova appellationis proprietate signando. Hæc ille.

Sectio LIX.

In quâ juxta superioris sectionis principia ex reali Corporis Christi in Eucharistia Sacramento præsentiâ ipsius transsubstantiationis admittendæ necessitas astruitur.

Hæreticus.

QUID indè concludis?

Catholicus.

Iodè concludo Transsubstantiationem in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento esse necessariò fidei articulis accensendam & ab omnibus Catholicis admittendam. Siquidem illam Ecclesia in Spiritu sancto congregata ex reali Corporis & Sanguinis D. N. J. C. in eodem Sacramento intulit hoc argumento: verum Christi Corpus & verus ejus Sanguis est realiter in Eucharistiâ, ergo in eadem Eucharistiâ necessariò admittenda est Transsubstantiatio. Hoc enthymema certissimum est; sed quia nonnulli objicere possent hanc propositionem, ergo in eadem Eucharistiâ necessariò admittenda est Transsubstantiatio, non sufficere ad constituendum fidei articulum, nisi objectum materiale, cum illi, (ut faciat articulum fidei, objectum etiam formale, id est divina revelatio conjungi & applicari debeat,) faciamus hunc syllogismum.

Qui revelavit verum Christi Corpus & Sanguinem verè existere in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, is revelavit in eodem Sacramento fieri Transsubstantiationem.

Atqui Deus revelavit in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento verum Christi Corpus & Sanguinem existere.

Ergo Deus revelavit in illo ipso Eucharistiæ Sacramento fieri Transsubstantiationem.

Tota hujus syllogismi vis pendet ex veritate majoris propositionis, quâ contendimus eum qui realem & substantialem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam revelavit, revelasse pariter in eodem Sacramento fieri veram Transsubstantiationem, id est per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinis ejus substantiam. Quâ io re posita est mirabilis illa conversio, quam Ecclesia jam ab quingentis propemodùm annis Transsubstantiationem ad faciliorem tanti miraculi explanationem & intelligentiam appellari voluit. Quâ in occasione nihil venerabilis Sacramenti veritati detraxit, aut addidit, sed veteri fidei articulo novam dumtaxat appellationem indidit. Quod & sæpè factitavit aliis in occasionibus; ut puta cum ad profligandam Arianorum hæresim Christum ὁμοούσιον, appellavit, & Patrem vocavit ingenitum, & Beatam Virginem Mariam θεοτόκον, id est Deiparam, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatem appellari voluit. Revera, si, ut est apud Poëtam, semper licuit, semperque licebit signatum præsente notâ procudere nomen: Qui ini Ecclesia suis mysteriis ab omni ævo institutis & creditis nova nomina facere poterit, tum ut suam fidem manifestiùs profiteatur, tum ut occultis & insidiosis hæreticorum commentis & præstigiis omnem penitùs aditum intercludat?

Fremant igitur licet & distumpantur hæretici, eos tamen compellabimos iisdem verbis quibus olim Arium affatus est sanctus Athanasius: *nominis ne offenderit novitate, an etiam rei ipsius veritate, quæ hoc est fortita vocabulum refugis? Res enim antiqua novam nomen accepit, non vocabulo nova rei veritas accessit.* Siquidem tot oovorum verborum antiquæ veritatis religioso intellectui exritere nomina, quot occasiones fuerunt subministratæ. Desinant igitur Calvinistæ nobis Catholicis obtrudere locum Apostoli jubentis devitare prophanas vocum novitates. Nam ut rectè & solidè loquitur Vincentius Lirinensis Commonit. I. cap. 33. *Quæ sunt*, inquit, *prophanæ vocum novitates? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi: ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est Templum Dei, penitus extraneas. Prophanas, inquit Apostolus, vocum novitates, id est dogmatum, rerum, sententiarum novitates: quæ sunt vetustati, & quæ antiquitati contraria.* Hæc ille. Nihil hic tale nobis objici potest. Nam contendimus Deum qui revelavit substantialem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam revelasse pariter Transsubstantiationem.

Transsubstantiationem saltem virtualiter divinitùs revelatam esse, id est ex reali Corporis Christi in Eucharistiâ per legitimam consecutionem necessariò esse deductam, & illatam nemo cordatus inficiari potest. Cum enim dicit Christus, hoc est Corpus meum, mentiretur, quod citra blasphemiam dici non potest, si adhuc panis substantia remaneret. Non enim esset ejus corpus sed panis, ergo necesse est hujusmodi verbis vel ab ipso Christo, vel ab sacerdote ritè ordinato prolatis fieri Transsubstantiationem id est conversionem totius substantiæ panis in totam substantiam Corporis Christi.

Alioquin (quod eodem recidit) falsa est forma consecrationis, neque dicendum esset, hoc est Corpus meum, sed hic est Corpus meum, ut ait S. Thomas, quod impropriè diceretur. Cum enim illa propositio, hoc est Corpus meum, sit practica & operatoria (ut consentiunt omnes Catholici) absolutâ ejus prolatione substantiam Corporis Christi in locum substantiæ panis subrogari, ut ita dicam, & sub speciebus sacramentalibus constitui necesse est.

Quod rectè confirmatur ex eo quod Christus ut ab hominibus intelligeretur in tanto & tanti momenti mysterio, humano more suam mentem & sua sensa aperuerit. Quemadmodum enim quærit Sanctus Augustinus ab Fausto Manichæo utrum scriptura Dei aliter nobiscum fuerat, quam nostro more locutura? ita quærere possumus ab Calvinistis, utrum Christus tantum instituens mysterium, in quo nobis suum corpus epulandum suumque sanguinem potandum apponere decreverat, aliter nobiscum quam nostro more locutos sit, aut loqui debuerit. Quod cum ita sit certum est eum, cum protulit hæc verba, unam dumtaxat substantiam demonstrare potuisse, sui nempè corporis substantiam: eò quòd homines unam dumtaxat substantiam sub unâ specie demonstrare soleant.

Quod egregiè confirmat sacro-sancta Synodus Tridentina sess. 13. cap. 4. *Quoniam autem*, inquit, *Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit: ideò persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter & propriè ab sanctâ Ecclesiâ Catholicâ Transsubstantiatio est appellata.* Hactenùs verba Concilii.

Nemini latet Deum de potentiâ absolutâ posse duas substantias sub unâ & solâ specie constituere. Quod si faceret, unam humano more loquendo, demonstrare non posset, quin alteram pariter demonstraret. Is enim usus apud homines invaluit, ut cum ipsis res aliqua citra ullam restrictionem demonstratur, totam, & integram, & non solùm aliquam ejus partem sibi demonstrari credant & intelligant.

Reverà impropriè loqueretur quisquis hominem demonstrando diceret: hæc est hominis anima: ità sanè, Christus sine ullâ restrictione non potuisset affirmare, & dicere, ut dixit (hoc est Corpus meum) si Corpus

ipsius extitisset tantum pars ejus rei quam tenebat præ manibus, etsi substantia panis una cum substantiâ Corporis ejus constitisset.

Hæreticus.

Cum res quæpiam in alterâ continetur, nonnè potest per pronomen demonstrativum (hoc) significari res contenta, ita ut non significetur ea quæ continet; nonnè enim quis demonstrando pyxidem unguentis & gemmis refertam dicere posset: hoc est unguentum, & gemmæ.

Catholicus.

Id quod objicitur, habet dumtaxat locum in re ad alteram continendam comparatâ, ut pyxis constituta est ad continenda suffimenta vel gemmas vel os vas quodpiam chrystallinum ad continendos pretiosos liquores comparatum: Hoc posito, si quis aurum vel gemmas in pane recondetet, posset equidem dicere: hoc est Panis: non autem dicere posset; hoc est aurum, vel gemmæ. Et hæc loquendi ratio esset obscûra, nec facile posset intelligi: Ut ergo suæ mentis sensa liquidò quis exprimeret, dicendum esset, in hoc pane aurum & gemmæ delitescunt. Si ergo Christus suum Corpus in Panem inserere & inibi abscondere voluisset, his verbis debuisset suam aperire mentem, meum Corpus est in hoc Pane, non autem dicere, hoc est Corpus meum.

SECTIO LX.

In quâ explicatur quo sensu res continens, & res contenta in eadem propositione possint significari.

Hæreticus.

NONNE' potest in eadem propositione significari res continens & contenta? nonne v. g. demonstrando dolium vino plenum potest aliquis dicere, hoc est vinum? quid igitur prohibebit quominùs sine transsubstantiatione demonstretur Corpus Christi unà cum Pane qui post consecrationem remanserit?

Catholicus.

Respondeo esse duo rerum genera. Sunt enim res quædam, quæ suaptè naturâ & ex communi hominum usu constitutæ sunt ad alias continendas, & illæ simul demonstrantur cum re contentâ; sic quia dolium ex communi hominum usu comparatum est ad continendum vinum, potest aliquis demonstrando dolium vino plenum, dicere: hoc est vinum. Item aliæ sunt res, quæ nec ex naturâ suâ nec ex institutione comparatæ sunt ad alias continendas, sed tantùm per accidens eas continent, indè fit ut respectu ejusmodi rerum, pronomen demonstrativum (hoc) demonstret dumtaxat rem continentem, non autem contentam. Si quis aurum v. g. in pane absconderit, non poterit rectè, & humano more dicere, hoc est aurum, quia licet in pane delitescat aurum, non tamen demonstratur ostenso dumtaxat pane, quia panis nec ex suâ naturâ, nec ex institutione constitutus est ad aurum demonstrandum. Idipsum dicendum est de Corpore & Sanguine Domini. Cum enim panis & vinum ad continendum ipsum Corpus & Sanguinem Domini nostri J. C. non afferantur non potest dici demonstrando panem, hoc est Corpus Christi; neque demonstrando vinum, hic est Sanguis Christi: Neque enim pronomen (hoc) supponit pro substantiâ panis; neque alterum pronomen (hic) supponit pro substantiâ vini, ergo neque Christus, neque sacerdos ritè ordinatus in ejus personâ potest verè consecrare & demonstrare Corpus Christi, quin tota substantia panis in totam substantiam Corporis ipsius Christi per transsubstantiationem conversa fuerit. Ergo cum Christus dixit: Hoc est Corpus meum, admisisset mendacium (quod citra blasphemiam nec cogitari nec dici potest) nisi per Transsubstantiationem tota substantia panis in totam Corporis ipsius substantiam transiisset.

Unde S. Thomas 3. p. q. 78. art. 1. in corp. asserit formam venerabilis hujus Sacramenti differre ab formis aliorum Sacramentorum, in eo quod hujusmodi formæ important usum materiæ, puta baptizationem vel consignationem, sed forma hujus Sacramenti importat solam consecrationem materiæ quæ in Transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur: hoc est Corpus meum, vel, hic est Calix Sanguinis mei. Hæc ibi S. Thomas. Qui & ibidem ait in hoc Sacramento consecrationem materiæ consistere in quadam miraculosâ conversione substantiæ, quæ à solo Deo perfici potest. Unde minister in hoc Sacramento perficiendo non habet aliom actum, nisi prolationem verborum. Hæc ibi idem S. Thomas. Ex cujus doctrinâ irreprehensibili & sanâ nemo potest ab consecratione Corporis & Sanguinis Christi removere Transsubstantiationem, cum in ipsâ consecratio consistat: ergo benè ratiocinatur quisquis ex reali Corporis & Sanguinis Christi in hoc Sacramento præsentiâ, Transsubstantiationem necessariò inferendam esse dixerit.

Minùs rectè igitur asserunt nonnulli Panis & Vini substantiam in nihilum redigi. Cum enim Christi Corpus non aliter sistatur præsens in hoc Sacramento, quam per conversionem panis in ipsum, idque vi verborum conversionem hanc exigentium, & aliundè cum id quod convertitur in aliud, non dicatur in nihilum redigi (siquidem terminus annihilationis, ut ita dicam, est ipsum nihil, terminus autem conversionis est id in quod facta est conversio) rectè dicimus terminum Transsubstantiationis esse ipsum Christi Corpus, in quod tota Panis substantia transiit, & minùs rectè loquuntur, qui ipsam Panis substantiam in nihilum per Transsubstantiationem redigi, vel ipsum Christi Corpus ex nihilo creari asserunt.

Porrò hic juvat compellare Calvinistas iisdem verbis quibus olim compellavit Berengarianos Guitmundus Archiepiscopus Aversanus de Sacram. Corporis & Sanguinis Ch. Lib. 3. exeunte: *Si rem*, inquit sanctus Augustinus quem vestrum dicitis, *plerique omnes credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi, qui non credunt; Si autem res incredibilis est, nulle toto terrarum orbe jam credita est? Quocirca B. Augustini judicio vos stolidi estis, qui de Corpore Christi quod in toto terrarum orbe creditur, credere recusatis.* Item B. Augustinus in 4. Lib. de Bapt. contra Donat. *Quod universa*, inquit, *tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Item in 7. ejusd. Operis Libro. *Id autem*, ait, *fiducia secura vocis possumus asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Quapropter fides quam de Corpore & Sanguine Domini semper Ecclesia universa tenuit, multis insuper Conciliis generalibus roboravit, ex Apostolica authoritate tradita rectissimè creditur. Nam si illud quod semper Ecclesia tenuit nullis munitum Conciliis Apostolicum est: quantò magis illud, quod & semper tenuit, & multis est, ut dixi, Conciliis confirmatum & Apostolicâ authoritate traditum esse credendum est? Sed panem & vinum altaris Domini in Corpus & Sanguinem Christi substantialiter commutari (non sicut delirat Berengarius Corporis & Sanguinis Domini figuras tantùm esse aut umbras, aut intra se latentem Christum tegere) universalis Ecclesia consensione roboratum est.*

Et paulò post; arguit eumdem Berengarium aliquos docuisse in altari esse tantùm umbram & figuram Corporis & Sanguinis Christi, aliis verò subtilius quærentibus respondere solitum in altari quidem Corpus Christi esse sed impanatum latere, ut si qui in quærentibus in priore sententiâ displiceat, transmigret ad alteram, aut si, quid in posteriore abhorreat, redeat ad priorem. Migrando enim ad secundam, priorem reprobat

bat: redeundo ad priorem, alteram damnat. Quo fit ut utramque defendendo, neutram teneat. Sic Berengarius excogitatas circa Augustissimi Eucharistiæ Sacramentum hæreses præformavit & peperit. Notissimum namque est hoc tempore priusquam Berengarius insaniisset, hujusmodi vesanias numquam fuisse, ut affirmat ille ipse Guitmundus loco citato.

Ex hoc ergo fonte hausere suas hæreses Lotherus & Calvinus, ille quidem impanationem Corporis Christi in Eucharistiâ, hic verò ejusdem Corporis umbram, & figuram in eadem Eucharistiâ, sed hujusmodi hæreses ab omni ævo in toto orbe Christiano tradita creditaque transsubstantialis doctrina jugulavit.

Hæreticus.

Quid ex hoc loco inferre potestis adversum nos?

Catholicus.

Tria ex hoc ipso loco colligimus, quibus vestræ hæreses adversus Eucharistiam excogitatæ omni ex parte labefactantur.

1. Colligimus doctrinam & fidem transsubstantiationis in Eucharistiâ ab Apostolis traditam esse; juxta illud aureum S. Augustini pronuntiatum. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

2. Colligimus ex eodem loco eamdem Transsubstantiationis doctrinam esse omninò Apostolicam, quia si illud quod Ecclesia semper tenuit nullis munitum Conciliis, Apostolicum est, multò magis id quod semper eadem Ecclesia tenuit, & multis posteà Conciliis roboravit, ex Apostolicâ authoritate traditum esse credendum est, qualis est doctrina mirabilis illius conversionis de quâ nunc agimus.

3. Indè inferimus falsam esse & hæreticam doctrinam quæ præfatæ Transsubstantiationi adversatur, & vel uno suæ novitatis titulo procul ablegandam, utpotè quæ ab Berengario (ante cujus tempora nemo similia opinionum portenta excogitaverat) in orbem Christianum invecta fuerit.

Ergo doctrina Transsubstantiationis est Orthodoxa & Catholica, quia non solùm eam universa tenuit Ecclesia, sed etiam suorum Conciliorum irreformabili judicio roboravit, & nihil illam, præter prophanam novitatem lacessere & propugnare potuit: quippè quæ præ se ferat tres Catholicæ doctrinæ notas seu characteras, universitatem scilicet, quia nimirùm eam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; consensionem, quia semper sancti Patres sive locorum & temporum spatio dissiti; sivè unum in locum ad celebranda Concilia congregati, in eam sine dissidio doctrinam consensere: & denique antiquitatem, quia in asserendâ ipsâ Transsubstantiatione Catholici nullatenùs recesserunt ab his sensibus, quos sanctos Majores ac Patres suos tradidisse ex ipsius Ecclesiæ ore didicerant. Quæ omnia singillatim sunt probanda.

SECTIO LXI.

In quâ pluribus SS. Patrum locis Transsubstantiationis ab Apostolis ad omnes Catholicos præsertim transmissa fides roboratur.

Primò probatur universalis Transsubstantiationis Fides, ex eo quod ab Apostolicis temporibus semper credita sit, & etiamnùm in totâ credatur Ecclesiâ.

TRanssubstantiationem semper in Ecclesiâ Dei creditam esse utpotè pertinentem ad Orthodoxam fidem (quâ, sine ullâ cunctatione, aut tergiversatione realem Corporis & Sanguinis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam credimus) duo maximè probant.

Primum est testimonium SS. Patrum qui multis sæculis antequam orirentur hæreses eam variis loquendi formulis in eamdem omninò significationem coincidentibus expresserunt.

Secundum caput, quo id ipsum probatur de Transsubstantiatione petitur ex variis suppositionibus, quæ mutationem aliquam in doctrinâ de reali præsentiâ Corporis Christi, & de præfatâ Transsubstantiatione, nullo pacto potuisse contingere, liquidò demonstrant.

Ut ab primo capite probandi initium faciamus.

Antiquissimi quique Patres eam variis phrasibus expressisse perspicuum est.

1. Tertullianus ait Panem fieri Corpus Christi Lib. 4 cont. Marcion. cap. 40.

2. Eusebius Cæsariensis in Lib. 3. Parallelorum S. Joannis Damasceni c. 45. disertè asserit Panem pretiosum Christi Corpus, poculum autem pretiosum ejusdem Domini Sanguinem effici.

3. S. Cyrillus Hierosolymitanus qui floruit quarto sæculo, & scripsit Catecheses adhuc juvenis, id est circa ann. Redempt. 353. vel 354. & obiit anno 386. sic de Transsubstantiatione loquitur in Cathec. myst.

4. *Aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum in Canâ Galileæ solâ voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit.*

Et ibidem paulò post: *Omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi Corpus: & sub specie vini datur tibi Sanguis.* Postrema hæc verba Transsubstantiationem rectè probant, cum factâ totâ conversione Panis in totum Corpus Christi & totius vini in totum Sanguinem Christi remaneant species panis & vini, atque adeò substantias, quibus inhærebant, in alias esse transmutatas. Et in eadem Catechesi exeunte declarat amplùs mirabilem illam conversionem: *Hoc sciendum & pro certissimo habendum, panem hunc qui videtur à nobis non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi.*

Ex his locis rectè colligitur Transsubstantiatio; siquidem remanent accidentia panis & vini, & tamen nec est vinum nec panis: ergo necessariò conversa est utraque substantia in substantiam Corporis & Sanguinis Christi.

4. S. Gregorius Nyssenus S. Basilii Frater qui immortale sibi nomen peperit in Concilio generali Constantinopolitano celebrato anno Redempt. 381. qui & ob singularem eruditionem & provectissimam ætatem dictus est Pater Patrum, mirabiliter Transsubstiationem astruit in oratione Catecheticâ magnâ, quadraginta capitibus comprehensâ: sic enim loquitur ipsius oration. cap. 37. *Rectè nunc quoque, inquit, Dei verbo sanctificatum Panem in Dei verbi Corpus credo transmutari.* Et paulò post: *Panis statim per verbum in Corpus transmutatur, sicut dictum est à verbo: hoc est Corpus meum.* Hæc ille in præfatâ oratione Catecheticâ, quæ tam celebris est, ut ab quingentis & quinquaginta annis ab Euthymio Zigabeno in ipsius panopliâ relata fuerit.

5. S. Ambrosius in Lib. singulari de initiandis, quot & quantis argumentis probat Transsubstantiationem, quam mutationem vocat: *Quantis*, inquit, *utimur exemplis, non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione ipsa etiam natura mutatur.* Et ibidem. *Quod si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsâ consecratione divinâ, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis sermone Christi conficitur. Quod si tantùm valuit*

sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret : non valebit Christi Sermo , ut species mutet elementorum ? Et paulò pòst. *Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat , non potest ea quæ sunt , in id mutare quod non erant?* Hæc sanctus Ambrosius in citato libro cap. 9.

Quid plura ? id ipsum testantur sanctus Justinus Martyr in Apol. 2. sanctus Irenæus lib. 4. cap. 34. S. Joannes Chrysostom. hom. 83. in Matth. Theophylactus in cap. 26. Matth. & alii passim Patres Græci apud quos passim leguntur vocabula conversionis , mutationis , & transelementationis , quæ omnia si benè discutiantur ad stabiliendam transsubstantiationem proculdubiò collineant: Quod ut solidè probetur, duo sunt potissimùm observanda.

1. Quem sibi præstituant finem sancti Patres, eum conversionem , mutationem , & transelementationem in Eucharistiam introducant.

2. Expendendum quam hujusmodi transelementationis causam effectricem assignent , seu quam ad eam factitandam potentiam exigant.

Quod spectat ad primum caput certum est sanctos Patres hujusmodi conversioni,mutationis ad explicandum Eucharistiæ mysterium voces adhibuisse , ut assignarent modum quo Christi Corpus præsens in illo ipso mysterio sistitur. Si igitur Corporis Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento realis est , & substantialis , non est dubitandum quin conversio , mutatio , & transelementatio , per quam realiter & substantialiter Corpus Christi præsens in eodem Eucharistiæ Sacramento sistitur , vera sit & realis mutatio & conversio substantialis , & non simplex dumtaxat mutatio significatrix , eo quòd mutatio significatrix ad efficiendam præsentiam aliquam realem & substantialem adhiberi nequeat.

Cum igitur Patres conversionem panis in Corpus Christi, ceu causam effectricem , & modum veræ & realis Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiæ asseruerint necesse est eos loqui de verâ, reali, & substantiali mutatione non autem de mutatione significatrice dumtaxat, per quam res quæ priùs non significabat, aliquid significare incipiat , ut patet in mannâ & Agno Paschali. Alioquin nulla indè realis præsentia existeret , sed tantum significatrix , quæ nempè significaret Corpus Christi esse in Eucharistiæ Sacramento velut in signo & figurâ. Ita ut Eucharistia nihil discreparet ab mannâ & Agno Paschali : siquidem in his omnibus æqualiter Corpus Christi in signo nimirùm & figurâ contineretur. Quod quidem è diametro repugnat opinioni SS. Patrum , qui , ut nos Eucharistiam manna & agnum Paschalem multis partibus antecellere doceant , asserunt passim manna & Agnum Paschalem Eucharistiæ figuras extitisse , sed Panem in Eucharistiâ converti & transmutari in Corpus Christi : atque adeò non sunt intelligendi de significatrice dumtaxat conversione , quâ res aliqua quæ priùs non erat alicujus alterius rei signum , ejusdem signum constituatur (quod reverà factum est in mannâ & Agno Paschali) sed de conversione reali & substantiali , quâ tota panis substantia in totam Corporis Christi substantiam , & tota vini substantia in totam Sanguinis Christi substantiam convertatur.

Cum ergo sanctus Gregorius Nyssenus in orat. Catecheticâ magnâ, positâ hac thesi , quâ contendit nostram animam Christo conjungi per fidem , nostra autem corpora aliâ ratione eidem Christo copulari , per sui videlicet Corporis in nostra corpora introductionem , solvit propositam quæstionem , quâ quærebatur, quomodo fieri potuerit , ut unum illud Corpus , quod tam multis fidelium millibus in universo terrarum orbe semper distribuitur , totum per partem sit in unoquoque , & ipsum in se totum maneat ? Respondet id fieri per transelementationem panis in Corpus Christi, ut videre est in cap. 37. oration. Cateches. cujus verba suprà retulimus, & ea ad comprobandam transsubstantiationem ita sunt efficacia , ut ministri , & imprimis Aubertinus sanctum Gregorium Nyssenum mirabilem, quam in sancto Eucharistiæ Sacramento conversionem, factitari dicimus , palàm & apertè astruere , ut diffiteri nequeant.

Quod & liquidò probat & variis exemplis confirmat sanctus Ambrosius in lib. singulari de initiandis cap. 9 cujus verba , utpotè superiùs allata , hìc non repetimus.

Secundum caput cujus beneficio veram SS. Patrum de transsubstantiatione sententiam & doctrinam assequi possimus , petitur ex effectrice causâ ejusdem transsubstantiationis. Cum enim mutationes significatrices , per quas res quæ non sunt aliarum rerum signa , earumdem signa statuantur , non fiant in rebus ipsis , sed in uno ejus intellectu , qui eas in signa constituit , vel in eorum mente , qui illas ut signa apprehendunt , & concipiunt , non exigant Dei omnipotentiam , quâ efficiantur , & aliunde sancti Patres uno consensu transelementationem in Eucharistiâ factitati solitam uni dumtaxat potentiæ Creatoris ascribant , eos veram & substantialem in eadem Eucharistiâ conversionem fieri docuisse clariùs est , quam ut probari debeat. Reverà tantum abest , ut mutationes ad constituendum aliquod signum adhibitæ omnipotentiam Creatoris exigant , ut ne ullâ quidem potentiâ activâ reali , nec ulla reali actione indigeant. Quid enim opus erat omnipotentiâ divinâ , vel quænam operatio supra vel præter naturæ ordinem edenda requirebatur , ut Agnus Paschalis , qui non erat signum Corporis Christi , ejusdem Corporis signum efficeretur ?

Quod cum ita sit nemine reclamante , & omnes Patres transmutationem quæ fit in Eucharistiâ divinæ omnipotentiæ acceptam referant , eos substantialem in eo Sacramento transmutationem fieri , docuisse concludimus. Quæ conclusio multò erit evidentior , cum probaverimus propositionem ex quâ conficitur,

1. Igitur dicimus dictam conversionem substantialem scilicet fieri per divinam omnipotentiam. Nam *intra sanctam Ecclesiam Catholicam in mysterio Corporis Christi , nihil à bono majus , nihil à malo minùs perficitur Sacerdote , quia non in merito consecrantis , sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus sancti : si enim in merito esset Sacerdotis , nequaquam ad Christum pertineret : nunc autem sicut ipse est qui baptizat , ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc* (panis) *substantiam efficit carnem & transit vinum in Sanguinem.* Totus hic locus citatur ex Augustino de Consecrat. dist. 2. cap. 72. & lib. 4. sentent. distinct. 10.

2. Sanctus Gaudentius Brixiensis Episcopus Philastrii successor vir singulari pietate & eruditione præditus, sancti Ambrosii ætati suppar, realem Christi præsentiam in Eucharistiâ & transmutationem ita docuit , ut nihil clariùs appareat : sic enim loquitur tract. 2. de ratione Sacramentorum: *In umbrâ*, inquit, *legalis Paschæ non unus Agnus occidebatur , sed plures , singuli enim occidebantur per domos : nam sufficere unus non poterat universis : quoniam figura erat non proprietas Dominicæ Passionis : figura etenim non est veritas , sed imitatio veritatis ;*

Et paulò pòst : *Ergo in hac veritate quâ sumus , unus pro omnibus mortuus est , & idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus , vivificat creditus , consecrantes sanctificat consecratus. Hæc Agni caro est , hic Sanguis est. Panis enim qui de cœlo descendit , ait ; panis quem ego dabo ; caro mea est pro mundi vitâ.*

Et inferiùs : *Ipse igitur naturarum Creator & Dominus qui producit de terrâ panem , de pane rursùs (quia & potest , & promisit) efficit proprium Corpus : & qui de aquâ vinum fecit , & de vino Sanguinem suum facit.*

Et ibidem, *Cum panem consecratum , & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait : hoc est Corpus meum , hic est Sanguis meus , credamus , quæso , cui credidimus : nescit mendacium veritas.*

Et infrà : *Universa quemadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum, hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Hæc ille Gaudentius, cujus tanta, & tam alta fuit humilitas, ut Episcopi qui ad illum in oriente peregrinantem allegaverant virum, à quo de sui in Episcopum electione certior fieret, veriti ne Angelicis humeris formidandum prælationis onus fugiens æternum sibi ab Italiâ exilium indiceret, scripsere ad Episcopos Orientis & rogarunt, ut eum anathemate percellerent, nisi ad regendam suam diœcesim ventitare vellet. Quod cum præstitissent Antistites Græci, ad accipiendum Episcopatum adactus est à Spiritu Sancto: atque ita non ut plures non fecit, ut Episcopus fieret, sed ut Episcopatum acciperet, vim passus est. Quâ in re imitatus est Cornelium Pontificem maximum, quem sanctus Cyprianus simili elogio æternæ bonorum omnium memoriæ consecravit.

3. Sanctus Ambrosius in lib. de Sacram. mirabiliter illam ipsam quam probamus transsubstantiationem astruit. Sed quia sex illi de Sacramentis libri eidem sancto Ambrosio ab recentioribus quibusdam ministris adimuntur, & sub dubio illi ab quibusdam Theologis Catholicis in antiquitatis notitiâ egregiè versatis ascribuntur, sat habemus affirmare iniquissimos protestantium fautores inficiari non posse, quin in hujusmodi libris genuina sancti Ambrosii de Eucharistiæ Sacramento doctrina contineatur: tota enim hausta est è limpidissimis tanti Antistitis fontibus, & præsertim ex cap. 8. & 9. libri de initiandis. Quod quidem effecit, ut præfati libri ex ejus verbis & sententiis effatim concinnati ipsi ut germano authori ab octingentis annis ascripti fuerint. Quicquid sit de hujusmodi librorum authore (quem tamen mille annis antiquiorem esse vel ipsi fatentur heterodoxi) indubitatum est in iis orthodoxam seu Catholicam sancti Ambrosii de Eucharistiæ mysterio doctrinam contineri: atque adeò hæresim contra Eucharistiæ Sacramentum excogitatam ejusdem sancti Ambrosii testimonio & authoritate labefactari.

4. Sanctus Joannes Damascenus eamdem transmutationem acceptam refert omnipotenti Dei verbo, sicut & cæteri Patres, sic enim loquitur libro 4: de orthodoxâ fide cap. 14. *Quid*, inquit, *afferri potest, quin ex pane Corpus suum, ex vino & aquâ Sanguinem suum efficere queat? dixit antiquitus, producat terra herbam virentem atque ea etiamnum orto imbre fœtus suos producit divino præcepto impulsa ac roborata. Dixit Deus: hoc est Corpus meum, & , hic est Sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur.*

Et paulò pòst: *Sancti Spiritus operatio, ea quæ naturam superans, efficit.*

Et paulò pòst: *Tu quæris quomodo panis Corpus Christi & vinum cum aquâ conjunctum Sanguis Christi fiat? Tibi respondeo, Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt.* Et inferiùs. *Panis ipse ac vinum in Corpus & Sanguinem Dei immutantur. Quod si quo pacto id fiat, requiris, sat tibi sit audire, quod per sanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex sanctâ Dei Matre per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi & in seipso carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quam quod verbum Dei verum est, & efficax atque omnipotens: nam modus ejusmodi est, ut nullâ ratione indagari queat.*

Et paulò pòst: *propositionis panis ac vinum & aqua per sancti Spiritûs invocationem & adventum mirabili modo in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur*, Hæc ille.

Hujusmodi testimonia tam clara & perspicua elidere nititur Plessæus ex Calvinistarum primiceriis unus, quod ut faciat, sanctum Joannem Damascenum, citando, eum collocat post citationes Caroli Magni & Alcuini, & ut appareat eum ipsis extitisse posteriorem (qui tamen utrumque pluribus annis antecessit) duodecim folia, eaque ingentia impendit plessæus in investigandis Liturgiis, & cæremoniis circa species Sacramentales antiquitùs observatis, ne scilicet legentis animus plurium rerum varietate fatigatus, & sic tanquam obrutus memoriâ teperat falsam illam protestationem, quâ professus fuerat usque ad octingentesimum Redemptoris annum nullam in libris veterum apparere doctrinam, quæ ad astruendam transsubstantiationem conduceret. Quâ in re (sicut & alibi sæpè) graviter allucinatus est. Nam ante id tempus sexaginta annis & pluribus secundum quosdam, secundum alios quadraginta saltem & quatuor annis, Sanctus ipse Joannes Damascenus è vivis excesserat: qui tamen orthodoxam transsubstantiationis fidem & doctrinam tam luculenter asserit, & explicat, ut eam ab ipso disertis expressisque verbis traditam esse, ne ipse quidem Plessæus inficiari audeat: Tametsi illum primum hac in occasione pòsitos ab antegressis patribus terminos prætergressum esse pari ad falsitatem impudentiâ mentiatur. Tali mendacio freti imò delusi plerique omnes Calvinistæ sancti Joannis Damasceni utpotè recentioris testimonium & authoritatem repudiant. Quod nihil mirandum est: nihil enim ut plurimùm prolixo lubentique admittunt animo, nisi quod suis erroribus suffragari animadvertunt.

Quandoquidem tanti viri (qualis est S. Joannes Damascenus) authoritatem utpotè antiquitatis pondere & pretio ut ipsis videtur destitutam heterodoxi fastidiunt, proferam antiquiorem virum in Sacerdotem & in Ecclesiasten Antioch. ab Archiepisc. Flaviano assumptum ann. sal. 386. & ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ provectum anno item sal. 398. atque adeò S. Joann. Damascen. totis tribus saltem sæculis antegressum.

Is est sanctus Joannes Chrysostomus, cui singularem hac in parte fidem & reverentiam duabus præsertim de causis adhibere necesse est.

Prima est, quod tametsi pluribus calumniis triginta & sex Episcoporum conspiratione & instigatione fuerit appetitus, & ab Joanne quodam Archidiacono de furto, de injuriis, in Sacerdotes prolatis, de criminosâ & occultâ cum mulierculis familiaritate & aliis criminibus, iisque atrocissimis, quæ pervenere ad novem supra viginti accusationum capita, in Conciliabulo dictorum 36. Episcoporum accersitus: numquam tamen in articulis ad veritatem & transsubstantiationem (quam in Eucharistiâ factitari passim & intrepidè prædicabat) pertinentibus, sicut nec in aliis, eum vel minimâ erroris suspicione aspersum esse legimus. Quod quidem doctrinam ejus apprimè sanam, & apostolicam, & in omni Ecclesiâ Orientali (cui facem præferebat ad omnia virtutum cælestiumque doctrinarum genera) nullo reclamante susceptam, creditam & approbatam esse demonstrat.

Altera causa petitur ex eo, quod Ecclesia Dei semper Sanctissimum illum Antistitem suspexerit veluti virum, quem divina providentia præcipuè & insigniter excitaverat, ut Eucharistiæ veritatem assereret, ejusque sanctitatem magnificentiùs, quam cæteri omnes Orientalis Ecclesiæ Patres extolleret. Indè factum est, ut recentiores quidam Ministri obruti maximo locorum clarissimorum & hujus mysterii veritatem perspicuè comprobantium numero, quem in ejus operibus passim videre est, confessi fuerint, ex iisdem locis extrahi varias speciosas objectiones ipsorum doctrinæ contrarias. Usque adeò, inquiunt, eloquentia Chrysostomi, (Sanctum non vocant, utpotè suis commentis nimis infensum & contrarium) ipsum torrentis in morem abripuit, & adegit, ad quasdam phrases, quæ posteris offendiculo fuere, ita ut tunc nascens error nunc ad ultimam projectus lineam hujusmodi phraseon adminiculo adoleverit. Ita Aubertinus in lib. de Eucharistiâ p. 197.

Centuriatores vestratibus ministris synceriores eum caput quoddam inseruissent de singularibus & perniciosis opinionibus, & paleis & erroribus Doctorum quinti sæculi, addidere: *Chrysostomus videtur confirmare transubstantiationem.* Id legere est Cen. 5. cap. 4.

Quam verum sit S. Joannem Chrysostomum divinitus electum esse, ut venerabilis hujus Sacramenti veritatem pariter & transubstantiationem omnium Græcorum solidissimè & magnificentissimè prædicaret, vel ex hoc uno loco ex hom. 83. in Matth. decerpto cognoscere poteris. *Credamus*, inquit, *ubique Deo, nec repugnemus ei, tametsi quod asseris, nostris cogitationibus & sensibus absurdum esse videatur. Sed esto, nostram rationem, nostros sensus, sermo ejus exuperet: credamus illi nihilo, eo ius in omnibus, & præsertim in mysteriis ita nos geramus, at non solum ea qua nostros ob oculos suas proposi a cernamus, sed etiam ejus verba velut in amplexu retineamus. Nam verba ejus nos in errorem inducere nequeunt, noster autem sensus deceptu facillimus est. Ejus verba errori subesse nequeunt, noster autem sensus sæpè sæpius allucinatur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est Corpus meum, id pro comperto habeamus, & credamus, & intellectûs oculis aspiciamus. Nihil enim nobis traditum à Christo, quod in sensus incurreret; sed objecta quidem sensibus obvia & manifesta, res autem intellectu duntaxat percipiendas (id est à sensibus remotas) impertiit. Sic in baptismo per aquam sensibus obviam nobis donum conceditur: quod autem ejus adminiculo perficitur, regeneratio scilicet, & renovatio, est quiddam quod intellectu duntaxat percipitur.* Et paulò pòst: *O quot modò dicunt, vellem formam ejus, & speciem, cuperem vestimenta ipsa, & calceamenta intueri; Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, vestimenta ejus intueri cupis, ipse verò seipsum tibi tradit, non ut videas solùm, verum etiam ut tangas, & in te habeas.*

Et paulò pòst: *Nec satis habuit se hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi; sed nos secum in unam veluti conflat & immiscet massam, nosque non solùm fide, sed reipsâ suum Corpus efficit. Quâ igitur puritate præditum esse oportet eum, qui hujus Sacramenti particeps efficitur? quem solis radium suo splendore superare non debet illa manus, quæ distribuit hujusmodi carnem?* Et inferiùs ibidem. *Non sunt humanæ virtutis ea, quæ in isto Sacramento proposuit dona, ille ipse, qui ea tunc in Cœna confecit, ipse nunc quoque eadem operatur, ipse perficit, nos in ministrorum ordine consistimus, sed qui ipsa sanctificat, & transmutat, ipse est.* Hæc ibi S. Joannes Chrysostomus.

Ne quis autem putaret S. Joannem Chrysostomum hujusmodi dogmata tam apertè realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, atque adeò transubstantiationem seu panis in Corpus Christi conversionem declarantia, ex quopiam æstuantis animi ardore & impetu protulisse, ea tam crebrò & tam manifestè & perspicuè repetit, ut de ejus mente nemini sano dubitare liceat. Nam modò realem illam Corporis Christi præsentiam prædicat, modò transsubstantiationem nominat. Et quid plura? semper utramque profitetur & explicat. Siquidem vel ipsis fatentibus heterodoxis realis Corporis Christi in hoc Sacramento præsentiâ semel admissâ, transsubstantiatio etiam ab ipsis est admittenda non tam libenter quam necessariò.

Cum v. g. S. Joannes Chrysost. hom. 2. ad pop. Antiochen. ita loquitur: *Helias*, inquit, *melotem discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens suam carnem nobis dimisit: sed Helias quidem exutus; Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Item cum hom. 83. in Matth. eamdem Corporis Christi præsentiam in eodem Sacramento probat his verbis: *Desiderio desideravi*, inquit, *hoc Pascha vobiscum comedere, hoc est tradere vobis res novas, & Pascha dare, quo vos spirituales efficiam, ipse quoque bibit ex eo. Ne auditis verbis illis dicerent: quia igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus, ac ideò perturbarentur, primus ipse hoc facit, ut eos tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Hæc etiam Hæreticorum ora sanavit. Nam quando dicant: unde patet immolatum Christum fuisse? præter alia multa, hæc etiam mysteria offerentes, ora ipsorum consuimus: Si enim mortuus Jesus non est, cujus symbolum hoc sacrificium est? Itaper sacram hanc mensam & salvat & docet. Hoc enim caput bonorum omnium est.* Hæc S. Joannes Chrysostomus, qui quidem, ut dicere cœperam, cum hæc pari ad veritatem confidentiâ asserit, ita tam veritatem Corporis Christi in hoc Sacramento, quam panis in idem Christi Corpus conversionem demonstrat, ut hæreticorum suis commentis, imò deliramentis, ne quid deterius proferam, tanti Sacramenti substantiam labefactare conantium ora penitùs obstruat.

Idipsum pulcherrimè declarat & probat idem Chrysostomus Serm. 30 de proditione Judæ. Item hom. 45. in Joan seu secundum Græcum 46. Item 46. secundum version. Latin. Item hom. 7. in 1. Corinth. ubi vocat hoc Sacramentum mysterium divinum & integrum, quia in eo alia videmus, alia credimus. Item probat veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ hom. 17. in Epist. ad Hebræos. Item hom. 51. in Matth. Item hom. 22. de simultate sivè irâ ad pop. Antioch. Item lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. Item hom 7. in Matth. & hom. in Seraphim. Item hom. 24. in 1. ad Corinth. Item hom. 15. in 1. Epistol. ad Timoth.

Hæc hactenùs è pluribus aliis S. Joannis Chrysostomi locis attulisse sufficiat, quò tantum Doctorem non strictim aut molli brachio veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ, & panis in idem Christi Corpus conversionem attigisse, sed deditâ operâ & singulari studio docuisse, prædicasse, & inculcasse sole meridiano clariùs & illustriùs appareat.

Ex dictis hactenus liquidò probatur universitas seu fides universalis, quâ fideles ab omni ævo realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam & transsubstantiationem crediderunt, sicut ex SS. Patribus, qui diversis floruere sæculis, probavimus.

Superest alterum ejusdem universitatis argumentum petitum ex variis suppositionibus, quæ cum sint impossibiles, manifestè probant orthodoxam Doctrinam, & antiquam & Apostolicam, ut semper docuit Ecclesia Dei de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ & transsubstantiatione non potuisse in ipsam Ecclesiam introduci circa decimum sæculum, vel ipso decimo sæculo, ut heterodoxi omnimodis asserere contuntur. De his suppositionibus verba faciemus, cum de doctrinæ, quam probamus, antiquitate agendum erit. Itaque jam proferenda est secunda doctrinæ Catholicæ nota, nempè consensio Patrum, qui semper & ubique eamdem circa Eucharistiæ Sacramentum, in quo verum Christi Corpus per transsubstantiationem ponitur, doctrinam tradiderunt.

SECTIO LXII.

In quâ præfata panis in sacrum Christi Corpus conversio seu Transsubstantiatio irretractabili septem Conciliorum judicio & authoritate statuitur.

Secundò realis Corporis Christi in Eucharistiâ Sacramento præsentia, & panis in idem Christi Corpus Transsubstantiatio unanimi Patrum consensione probatur.

QUamquam SS. Patrum variis in locis & regnis degentium & scribentium doctrina Catholica ex eorum monumentis deprehendatur, numquam tamen illustriùs cernitur & apparet, quam cum iisdem in locis & Conciliis congregati re quapiam maturè discussâ eamdem cujusdam articuli definitionem afflan-

te Spiritu sancto consentiunt. Tunc ut affirmat Facundus Hermianensis Episcopus Lib. 8. de tribus Capitulis cap. 7. *Deus fideliter invocatus dat omnibus congregatis unum cor, & animam unam, ut nullus eorum suam velit esse sententiam, nisi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus & plures paucioribus illo eorum medio* (scilicet Christo) *cedunt? quoties etiam per nescientes scienter operatur ipse qui potest omnia, supra quam petimus, aut intelligimus, aut qui promisit, quod nobiscum sit omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc ille.

His ita prælibatis evidenter apparebit totius Ecclesiæ consensus circa veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ, & Transsubstantiationem in eadem Eucharistiâ factitari solitam, si retulerimus Concilia œcumenica quæ & præfatam Corporis Christi veritatem in venerabili Sacramento & Transsubstantiationem ad Fidem Catholicam necessariò pertinere definierunt. Quod non est ardui laboris. Juvat ergò recensere hujusmodi Concilia. Sit igitur

Primum Concilium œcumenicum adversus Sacramentarios apud Turonas celebratum anno Redemptoris 1055.

HUjusmodi Concilium indictum est ab Hildebrando Victoris Papæ Legato, & est quartum habitum contra Berengarium, qui licet suam hæresim de Corpore & Sanguine Domini in aliis Conciliis ejurasset, eam tamen quia disseminare non desinebat, denuò in hac Synodo Turonensi ejurare coactus est. Hanc Synodum œcumenicam vocat Bertoldus, & alii, ut suprà vidimus, sub titulo: Quartum Concilium apud Turonas coactum adversus eumdem Berengarium.

Secundum Concilium adversus eumdem Berengarium ab Nicolao Papâ II. Romæ in Laterano celebratum anno Redemptoris 1059.

IN hac Synodo idem Berengarius ejuratâ iterùm hæresi, quam adversus realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, atque adeò Transsubstantiationem disseminaverat, professus est coram centum & tredecim Episcopis, ex quibus præfata illa Synodus œcumenica coaluerat, se tenere eamdem de hoc Sacramento fidem, quam Ecclesia Romana per præsentem & ibi præsidentem Nicolaum Papam, & prædictos Episcopos repræsentata profitebatur, ut videre est suprà sub titulo: Quintum Concilium adversus eumdem hæresiarcham sub Nicolao Papâ II. celebratum.

Tertium Concilium Oecumenicum sub Gregorio Papâ VII. Romæ celebratum adversus eumdem Berengarium anno Sal. 1079.

IN hac Oecumenicâ Synodo præscripta est ipsi Berengario professio Fidei clarior & distinctior aliis, quas in superioribus Conciliis ediderat, ut omnis fraudis & effugii aditus intercluderetur Berengarianis, qui dictas fidei professiones variis fraudulentisque interpretationibus infuscare & corrumpere non destiterant ad illud usque tempus. Siquidem in ultimâ illâ professione testificatus est interpositâ jurisjurandi Religione se corde credere, & ore confiteri panem & vinum quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ Orationis & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram, propriam, ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & post consecrationem esse verum Christi Domini Corpus, quod natum est de Virgine, &c. Cætera hujus professionis verba legere est suprà sub titulo: Octavum & ultimum Concilium adversus veterem hæresiarcham sub Gregorio Papâ VII. celebratum.

In hac fide devixit Berengarius, ut probavimus suprà adversus Heterodoxos, qui ut suam hæresim ab ipso Berengario acceptam tueantur, contendunt illam ab ipso nusquam ex animo ejuratam esse, & in illâ supremum diem obiisse dictitant. Quo quidem plurium Authorum testimoniis falsissimum esse probavimus. Constat ergo in eo Concilio Transsubstantiationem velut articulum Orthodoxæ fidei definitam & propositam esse sub terminis apertissimis, quibus nemo refragari queat.

Quartum Concilium Oecumenicum cujus irretractabili judicio Transsubstantiatio statuitur.

UT hnic Concilio longè celeberrimo debitus honos, & debita fides habeatur, operæpretium est hic ascribere quod de illo Abbas Urspergensis qui eo tempore floruit, litteris consignavit. Anno, inquit, « ab Incarnatione verbi M. CCXV. celebrata est sancta « universalis Synodus Romæ in Ecclesiâ Salvatoris, « quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, Præ- « sidente Domino Innocentio Papâ III. Pontificatus ejus « anno 18. in quâ fuerunt Episcopi 412. inter quos ex- « titerunt de præcipuis Patriarchis,duo videlicet Cons- « tantinopolitanus & Hierosolymitanus, Antioche- « nus autem gravi languore detentus venire non potuit, « sed misit pro se Vicarium Antherodensem Episcopum. « Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio consti- « tutus fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum « Germanum: Primates autem & Metropolitani LXXI. « Cæterùm Abbates & Priores Conventuales ultra oc- « tingentos. Archiepiscoporum verò &, Episcoporum, « Abbatum & Priorum, & Capitulorum absentium « Procuratorum non fuit certus numerus comprehensus. « Legatorum verò Regis Siciliæ in Romanorum Impe- « ratorem electi, Imperatoris Constantinopol. Regis « Franciæ, Regis Angliæ, Regis Ungariæ, Regis Hie- « rosolymitani, Regis Cypri, Regis Aragoniæ, nec- « non & aliorum Principum & magnatum, Civitatum, « aliorumque locorum ingens fuit multitudo. Hæc Urs- « pergensis.

In eo igitur Concilio, quo fortè nullum umquam magnificentius, & illustrium personarum numero nobilius extitit, toto orbe Christiano præsente, ut ita dicam, & approbante definita est mirabilis illa conversio totius substantiæ panis in totam substantiam Corporis Christi, & totius substantiæ vini in totam substantiam Sanguinis Christi, & proposita, velut articulus fidei, non quidem ut novus, sed ut antiquus, & præsenti Concilii Oecumenici definitione novo dumtaxat Transsubstantiationis vocabulo declaratus.

Sic enim suam mentem aperit Concilium adversus Almaricum, qui Transsubstantiationem in Eucharistiâ negabat, & dogma Catholicum stabilit his verbis, cap. 1. de Fide Catholicâ: *Una verò est*, inquit, *fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur: in quâ idem ipse sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divinâ, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.* Hactenùs Concilii verba, quibus vel Lutherus ipse in Lib de captivitate Babylonicâ cap. 1. agnoscit in cap. firmiter, quod ex hoc Concilio transcriptum est Transsubstantiationem esse definitam ut articulum fidei, quod tamen alii inficiantur Heterodoxi causati scilicet dictam Transsubstantiationem

Transsubstantiationem non esse definitam nec propositam sub anathematis interminatione. Quæ objectio futilis est & nullo negotio refellitur. Nam illud ipsum Concilium cap. 3. excommunicat omnes qui fidei professionem cap. 1. expressam profitetur detrectaverint. *Excommunicamus, & anathematizamus*, aiunt omnes tantæ tamque magnificæ Synodi Patres, *omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam Orthodoxam, Catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes universos Hæreticos quibuscumque nominibus censeantur.* Hæc ibi.

Cum igitur omnes præfati Concilii Patres anathemate perculerint omnes, qui propositos in primo capite fidei articulos de Trinitate, de Incarnatione, & aliis Christi mysteriis credere detrectarent, & inter hujusmodi articulos Transsubstantiationem recensuerint, indubitatum est eos pariter anathemate perculisse cunctos qui eidem Transsubstantiationi debitam fidem abrogarent. Non est enim potior ratio propter quam anathematis pœna Trinitatis articulum negantibus, non autem Transsubstantiationis dogma oppugnantibus irrogari debeat, siquidem Trinitatem pariter & Transsubstantiationem sacrosancta Synodus ad Fidem Catholicam pertinere declaraverit.

Quantum sit crimen hominum Transsubstantiationem abnegantium, non solùm Ecclesia, verum etiam potestas politica declaravit. Nam cùm Almaricus natione Gallus, patriâ Carnotensis, Doctor Parisiensis disseminasset viginti errores, inter quos erat Transsubstantiationis abnegatio, convocati Episcopi, & Doctores damnaverunt propositos sibi errores, ita ut Almarici sequaces ab illis convicti senatusconsulto damnati fuerint, & primùm exauthorati, deinde flammis ultricibus consumpti, & eorum cineres per sterquilinium dispersi an. Redempt. 1208. & regni Philippi Augusti Adeodati cognomine, 28

Quod spectat ad Almaricum, ab generali Concilio Romæ ad ejus potissimum condemnationem celebrato hæreseos damnatum esse & anathemati subjectum, & ejus ossa in campo profano prius sepulta terossa fuisse, & posteà Lutetiæ exusta plerique commemorant. Hac de re vide Cæsarium in lib. Dialogorum dist. 5. vide etiam Elenchum Alphabeticum de vitis & sectis hæreticorum ab Gabriele Prateolo Doctore Theologo concinnatum.

Quintum Concilium Oecumenicum in quo reprobantur errores, qui Transsubstantiationi repugnant.

Concilium Constantiense generale celebratum an. Redempt. 1414. damnavit quadraginta quinque Joannis Wiclefi errores & dogmatisationes, inter quas primum obtinebant locum tres illæ propositiones.

Prima, substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manet in Sacramento altaris.

Secunda, accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

Tertia, Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter in propriâ præsentiâ corporali.

Hujusmodi errores imò blasphemias superiori anno, id est ann. Redempt. 1413. in Concilio Romano generali damnatas, denuò condemnavit, seu earum condemnationem ab eodem ipso Concilio Romano pronuntiatam approbavit, & confirmavit Concilium Constantiense etiam Oecumenicum, ut legere est in 8. ejus sessione: in quâ & ipse Wiclefus adhibetur veluti notorius & pertinax Hæreticus dum vixit, & ut talis obiit. Ideoque Concilii Promotores petiere ut præfatæ Synodi sententiâ velut Hæreticus notorius & pertinax, & qui impœnitens è vivis excesserat, condemnaretur nomine quatuor nationum, ac ejus ossa si ab aliorum Christi fidelium ossibus separari possent & secerni, exhumarentur & projicerentur, quod & judicatum & executioni mandatum est.

Sextum Concilium quo Transsubstantiatio comprobatur

Concilium Florentinum generale ex centum & quadraginta & uno Episcopis compositum sub Eugenio Papâ IV. anno Redempt. 1438. & 1439. celebratum, Transsubstantiationem luculenter asserit in Decretis super unione Jacobinorum & Armenorum, cum agitur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento: *Forma hujus Sacramenti*, inquit, *sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in personâ Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet parte Hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione factâ totus est Christus.* Hæc ibi.

Septimum Concilium generale quo illa ipsa Transsubstantiatio sub anathematis interminatione statuitur.

Concilium Tridentinum, quod quidem omnium Conciliorum Oecumenicorum postremum locum temporis ordine obtinet, sed eorum nulli quoad rerum definitiones, concedit. Nam eorum vestigiis religiosissimè institit, & doctrinam quam ab Apostolis perseveranti traditione acceptam tradiderunt, ipsam quoque afflante Spiritu sancto tradidit, & toti orbi Christiano credendam proposuit. Quocirca cum singulari reverentiâ audiendum est, quid de Transsubstantiatione definierit.

Si quis, inquiunt hujusmodi Concilii Patres, *in sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Hactenùs Concilium sess. 13. can. 2.

Ex dictis & probatis hactenùs colligere est Transsubstantiationem Heterodoxis iis, ut eam dici potest, exosam ab omni ævo fuisse in Ecclesiâ Dei creditam & perpetuo SS. Patrum sanis in Ecclesiis docentium, quam in Conciliis fidei dogmata declarantium consensu corroboratam ita perstitisse, ut nullus eam umquam lacessere & evertere tentaverit, quin sibi dedecoris, imò & hæreseos notam inusserit sempiternam.

Supererat & alterum caput, quo probanda erat eadem illa Transsubstantiatio peritum ex variis suppositionibus, quæ quidem ut proximè dicturi sumus, cum sint impossibiles, ineluctabile suppeditant argumentum, quo ipsius novitatem commentitiam, & ab recentioribus Calvinistis excogitatam profligare valeamus. Sit ita que

Sectio LXIII.

In quâ ejusdem Transsubstantiationis fides ab omni ævo ab Orthodoxis credita declaratur, & solidè per geminam suppositionem comprobatur.

Tertia probatio Transsubstantiationis repetita ex ejus antiquitate.

Diximus suprà tres esse doctrinæ Catholicæ notas, nempè universitatem, consensionem, & anti-

quitatem. Duas priores, universitatem scilicet & consensionem in Transsubstantiationem cadere facilè probavimus, superest antiquitas, quam illi nullo pariter negotio asserere possumus.

Si enim accuratè & ad sacræ traditionis amussim expendantur illa Christi verba: *Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Indè Transsubstantiatio, substantiali Corporis Christi in venerabili Sacramento præsentiæ coæva, demonstrari potest. Vel enim ista verba prolata sunt à Christo ante, vel post consecrationem Calicis: quicquid dicatur, indè Transsubstantiatio validè stabilitur. Quod ut fiat, & astruatur,

Observandum est duplicem Cœnam ab Judæis in Paschate celebrari solitam esse. Prima ritualis dicebatur, in quâ agnus cum azymis & lactucis agrestibus ex legis præcepto comedebatur; quod cum ad Cœnam justam hominibus numquam paucioribus decem, sæpè etiam viginti, non sufficeret, sequebatur Cœna communis & ordinaria: Itaque Christus post primam Cœnam lavit pedes Discipulorum, & in fine alterius Cœnæ Eucharistiam instituit. Unde colligitur Christum præfata verba protulisse antequam suum sanguinem Apostolis potandum porrigeret. Quod apparet ex cap. 22. S. Lucæ v. 17. & 18. *& accepto Calice*, inquit, *gratias egit, & dixit, accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

Nam duplicis Calicis mentionem facit ipse sanctus Lucas. 1. Loquitur de Calice communi, quem videlicet Christus supremum vale dicturus, utpotè brevi transiturus ex hoc mundo ad Patrem, Apostolis propinavit in Agni Paschalis Cœnâ, in quâ circumferebatur Calix vino plenus, quem pater familiâs primus libabat, deindè mittebat in orbem ad omnes qui ejusdem Agni Paschalis carnes epulabantur. Quam ad consuetudinem allusit Christus hoc loco: quippè qui suam mortem imminere, ac deinceps se cum ipsis Apostolis communi hominum more non manducaturum, neque, ut anteà conversaturum significare voluit, nec ultrà de genimine vitis bibiturum, donec regnum Dei veniret, id est redivivus cum iis ad probandam Resurrectionem suam comederet: vel donec cum iisdem Apostolis in regno Cœlorum juges & perennes epulas celebraret.

Quicquid sit, Christus citato S. Lucæ loco affirmat se non bibiturum de genimine vitis, donec illud novum biberet cum Apostolis in regno patris sui, & tamen illum posteà bibisse certum est, & id tota traditio contestatur.

Nam postquam cœnavit accepit Calicem, & dixit: Hic Calix, Novum Testamentum est in meo Sanguine, ut testatur sanctus Paulus 1. Corinth. cap. 11. v. 25. & sanctus Lucas, cui, ut ipse ait, visum est omnia à principio diligenter ex ordine scribere, primò legalem Paschalis Agni Cœnam, deinde Eucharistiæ institutionem servato ordine commemorat. Et loquitur de Calice quem accepit Christus postquam cœnavit, dicens: hic est Calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. De hoc postremo Calice priorem Christum bibisse, Patres plerique omnes asserunt: Ne Apostoli hujusmodi esculenta poculentaque, id est humanam carnem & Sanguinem exhorrescerent & percipere detrectarent.

Quo posito sic ratiocinari licet: Christus antequam sui corporis & sanguinis mysteria institueret, affirmavit se vinum non esse bibiturum, donec illud biberet novum in regno Patris sui cum Apostolis, qui nondum ad istud regnum pervenerant, & tamen bibit sanguinem suum ob rationem ab SS. Patribus, & imprimis ab sancto Joanne Chrysostomo allatam, ergo substantiam vini in sui sanguinis substantiam converterat: Alioquin si bibisset vinum dumtaxat, procul dubiò vix ac ne vix quidem ab mendacio excusari potuisset: quod quidem cum citra reverentem blasphemiam nec cogitari, nec dici queat, indubitatum est vinum in verum ejus sanguinem per eam, quam Catholica defensat Ecclesia, Transsubstantiationem transiisse.

Si igitur Christus in supremâ illâ Cœnâ cum Apostolis celebratâ dixit: se non ampliùs cum illis & solùs familiaritate bibiturum esse vinum, & id protulit ante institutionem Eucharistiæ, sequitur illum bibisse suum ipsius sanguinem, ut tota traditio contestatur, atque adeò vinum ipsum, de quo in illâ Cœnâ legali se non ampliùs bibiturum esse affirmaverat, in suum sanguinem convertisse: Atque adeò necessariò tunc Transsubstantiationem in eo mysterio peractam esse pertinacissimos quosque Hæreticos confiteri necesse est.

Hæreticus.

Hujusmodi verba de quibus hîc agitur, protulit Christus post consecrationem. Undè illis nemo rectè uti potest ad probandam Transsubstantiationem: siquidem Christus illud ipsum quod erat in Calice, vocat genimen vitis, etiam factâ consecratione.

Catholicus.

Tua illa ratio nihil officit Transsubstantiationi: Tametsi enim Corpus Christi vocetur panis, & ejus sanguis vinum factâ consecratione appelletur, non tamen in venerabili Sacramento substantiam panis & vini remanere credendum est multis de causis.

1. Quia in scripturâ moliæ res in alienam conversæ substantiam, retinent illud ipsum nomen, quo ante hujusmodi conversionem appellabantur, sic Exod. 7. dicitur virga Aaron devorasse virgas Magorum, quod nihil aliud significat, quam Virgam Aaron, quæ in serpentem conversa fuerat, devorasse serpentes, in quos ipsæ etiam Magorum Virgæ conversæ fuerant. Sic Eva in scripturâ dicitur os & caro, illi scilicet nomen rei, ex quâ facta est, attribuitur: eodem planè modo Eucharistiæ, quæ ex pane facta est, panis nomen imponitur.

2. Eucharistia, licet in eâ tota substantia panis in totam Corporis Christi substantiam, & similiter tota vini substantia in totam Sanguinis Christi substantiam convertatur; panis tamen adhuc appellatur propter analogiam, quæ inter panem & vinum, & Corpus Christi & Sanguinem intercedit: Nam sicut panis ille communis quo vescimur, nostra corpora nutrit & corroborat, ita Corpus Christi animas alit, & alendo iis robur & fortitudinem adjicit: & sicut vinum com debitâ mensurâ adhibitum reficit vires, & enr aliundè mœstum exhilarat; Ita & Sanguis Christi sub vini specie delitescens religiosè communicantium animos incredibili gaudio perfundit. Ne tamen aliqois malè, vel non satis Christianè de Christi Corpore sentiret aut loqueretur, appellatum est ab ipso Christo, panis vivus qui de Cœlo descendit, qui dat vitam mundo, & similibus titulis & elogiis passim ab Patribus afficitur, ut pani communi multis partibus antecellere fideles perspectum & cognitum habeant.

3. Corpus Christi panis dicitur, eò quod externam panis speciem nihil obstante Transsubstantiatione retineat: Sic in scripturâ Angeli appellati sunt viri Genes. cap. 18. v. 2. & Act. 1. eo quod externam hominum speciem præ se ferrent. Quod tamen ne rudiorum animos in errorem induceret, sancti Patres ita semper de illo pane locuti sunt, ut se de Christi carne loqui in fidelium cœtibus perspicuè declararent.

Quàm antiqua sit doctrina & fides omnium Ecclesiarum Christianarum, sivè Schismaticæ fuerint, sivè Catholicæ, demonstrat liber inscriptus, Perpetuitas fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Augustissimum Sacramentum, qui editus est Parisiis anno salutis 1664.

Huic libro adjecti sont tres Tomi, qui omnes confirmant omnia argumenta, quibus præfata fidei circa Eucharistiæ Sacramentum perpetuitas astruitur. Ac reipsâ quidem prædicti tres Tomi ad duo præsertim capita collineant: ad demonstrandam scilicet impossibilitatem mutationis, quam Calvinistæ circa realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam & circa transsubstantiationem sæculo decimo accidisse pervicaciter asseverant. Dicunt enim ante illud tempus nec realem Christi præsentiam in Eucharistiâ, nec transsubstantiationem esse creditam in Ecclesiâ Dei.

Secundum caput, quod spectant hujusmodi Tomi, petitur ex consensione omnium Ecclesiarum & præsertim Ecclesiarum Orientalium, quæ tametsi ab Ecclesiâ Romanâ perniciali schismate desciverint, numquam tamen ab avitâ fide circa realem Corporis Christi præsentiam & transsubstantiationem recesserunt.

Asserunt igitur Calvinistæ realem illam præsentiam & transsubstantiationem nova esse commenta, quæ circa decimum sæculum irrepserunt in Ecclesiam. Unde Bertramum Corbeiensem Monachum & Presbyterum Blondellus Elucidationum cap. 18. Faucherus lib. 9. cap. 7. & Plessæus Mornæus affirmant scripsisse adversus Paschasium. Item Antonius de Dominis lib. 5. de Republ. Ecclesiasticâ cap. 5. p. 165. ait eumdem Bertramum scripsisse adversus novellos realistas, & cæteros vulgo, apud quos maximæ fuit curæ, ut liber ille Gallicè & Latinè cum Elogio typis mandaretur.

Quid de libro illo senserint viri clarissimi, mox visuri sumus. Ut igitur ostendamus fidem, quæ de reali Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ & de transsubstantiatione ab Apostolicis temporibus in omniom sæculorum seriem propagata est, nec mutatam esse, nec mutari potuisse, contendimus multa supponi oportere falsa, & multa penitùs impossibilia, unde mutationem illam ab Calvinistis ad elidendam Eucharistiæ fidem excogitatam prorsùs impossibilem esse concludimus.

Prima Suppositio.

Supponunt primò Calvinistæ Bertramum ab suis partibus stetisse & scripsisse adversus Paschasium Ratbertum Monasterii Corbeiensis Abbatem, qui Eucharistiam ab Hæreticorum erroribus doctissimè vindicavit.

Primæ istius suppositionis falsitatem egregriè demonstrat Claudius Xantesius Ebroicensis Episcopus repetitione 2. de Eucharistiâ cap. 14. scribit cum pluribus aliis Bertramum extitisse virum apprimè Catholicum, cui falsò ascriptus est liber de Corpore Christi, de quo nunc agitur. Tum, inquit, editus est liber, quem nostri Hæretici Bertramo ascribunt, sed prohibent multa, quominùs ei tribuatur.

1. Bertramum illum, de quo nunc sermo est, totos annos septingentos nemo hæreseos reprehendit aut accusavit, quasi de aliquo fidei articulo malè & corruptè senserit, aut scripserit, imò annumeratur inter scriptores Ecclesiasticos, & in eorum album inscribitur veluti vir Catholicus, & non minùs vitâ quam doctrinâ, ingenio, & eloquio insignis & conspicuus, nec quicquam de Eucharistiâ scripsisse memoratur.

2. In controversiâ Berengarianâ Catholici Bertramo proximi nihil tale ipsi imputant, ut faciunt Joanni Scoto Erigenæ, quem Berengarius extollebat, & se imitari jactabat non taciturus de Bertramo magni nominis viro, si quid illi de suâ hæresi acceptum ferre potuisset.

3. Paschasius in eo libro, quo contentos in opere quod Bertramo ascribitur, errores impugnat, Bertrami nomini non pepercisset, ne quis tanti viri authoritate falleretur.

4. Hujusmodi liber sapit artem callidi & impudentis cujuspiam Hæretici qui se Catholicum esse simulat.

5. Affirmat idem Xantesius eum librum de corpore Domini falsò Bertramo attributum primùm Oecolampadii operâ & studio typis mandatum, & editum. Hæc ille.

Ex hisce rationibus constat Bertramum fuisse virum Catholicum, quod & insigniter testatur Trithemius in libro de scriptoribus Ecclesiast. *Bertramus*, inquit, *Presbyter & Monachus in divinis scripturis valdè peritus, & in litteris sæcularium disciplinarum egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, nec minus vitâ quam doctrinâ insignis scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca pervenerunt. Ad Carolum Regem fratrem Lotharii Imperatoris scripsit commendabile opus de prædestinatione, & de corpore, & sanguine Domini.* Hæc ille. Sigebertus affirmat pariter Bertramum scripsisse librum de Corpore & Sanguine Domini.

Cum ergo ait Xantesius suprà laudatus nollam fieri mentionem de libro quem de Corpore & Sanguine Domini Bertramus exaraverit, sic est intelligendus, ut ex ejus verbis inferamus multos, quibus perspecta erat Bertrami fides & probitas, illi abrogasse librum de Corpore & Sanguine Domini, qui erat liber Joannis Scoti Erigenæ (ut multi conjiciunt eruditi) cui ut majorem antiquitatem & authoritatem accesserent, Sacramentarii illum sub Bertrami viri singulari eruditione & pietate commendatissimi nomine circumferri curaverant.

Prætereà testatur ipse Paschasius Bertramum non discrepasse ab suâ ipsius sententiâ in materiâ de Eucharistiæ Sacramento: Sic enim loquitur explicans ista verba cap 2[illegible]. Matth. *Cœnantibus autem eis*, &c. *Et ideo*, inquit, *quamvis ex hoc quidam de ignorantiâ errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Hæc ille, qui nusquam id affirmasset, si Bertrami liber elaboratus flagitante Carolo Calvo, & eidem illi dedicatus talis extitisset, qualem nostri adversarii (id est Paschasii libro contrarium) edidere.

Ad has rationes accedunt aliæ.

Prima quod Berengarius, & ejus asseclæ qui ducentis post Bertramum annis eumdem Eucharistiæ articulum labefactare & convellere sunt conati, professi sunt equidem se suum errorem hausisse ex scriptis Joannis Scoti seu Erigenæ, quem Balæus cæterique recentiores Sacramentarii Bertrami auditorem & discipulum extitisse dictitant; nusquàm tamen suam opinionem ad Bertramum, sic tamquam ad ejus authorem & Architectum retulerunt. Quod proculdubiò factitassent si vel aliquam hac de re verisimilitudinis umbram habuissent, ut sibi suoque errori majorem antiquitatis & probabilitatis famam ab tanti viri nomine & authoritate repentam accerserent.

Secunda ratio petitur ex eo quod Concilium Vercellense sub Leone Papâ IX. ann. redempt. 1053. celebratum ut suprà vidimus, ducentis annis circiter post Bertramum, Berengarium refutaverit, & censoriâ virgulâ perstrinxerit, & damnaverit librum Joannis Scoti seu Erigenæ (quem Bertrami sectatorem seu sectarium fuisse volunt) ita ut ejusdem Bertrami scriptum ab omni censorâ sartum-tectum servaverit: Quod profectò illa ipsa Synodus non reli-

quisset intactum, si tale fuisset (id est Eucharistiæ fidei contrarium) quale ab Oecolampadio cæterisque Sacramentariis esse procusum & editum emunctæ naris homines non temerè suspicantur. Atque ita hujus Synodi Patres damnando librum discipuli, id est, Joannis Scoti, magistri quoque, id est Bertrami, utpote talis hæreseos Architecti libro censoriam inussissent notam.

Tertia ratio petitur ex eo quod Trithemius, ut paulò antè diximus, magnis laudibus afficit Bertramum, & ejus opus de corpore & sanguine Domini appellat commendabile, & insuper magnificè de Lanfranco utpote viro erudito pariter & pio prædicat, & inter præstantissima ejus ingenii monumenta recenset librum, quem adversus Berengarium elaboravit, quod profectò non fecisset, si Bertrami opus extitisset tale, quale fabricati sunt Sacramentarii, siquidem Bertrami scriptum, cujusmodi habemus, & Lanfranci opus adversus Berengarium sibi invicem è diametro repugnant.

Quarta ratio declarat nullam Hæreticis habendam esse fidem circa Bertrami librum ab ipsis falsatum & editum. Nam illo ipso tempore quo opus Bertramo perperàm ascriptum edidere, alterum authorem Benedictinum & Cœnobii Corbeiensis Sacerdotem & Monachum (cui Christiano Druthmato nomen erat) acerrimum præsentiæ Christi in v. Sacramento & transsubstantiationis defensorem in lucem emisere, ita aliquot in locis vitiatum, ut ad heterodoxos esset aggregatus, secundum primam illam editionem in Germaniâ factam anno 1530. nisi Sixtus Senensis Dominicanus eum lib. 6. suo Bibliothecæ annotat. 112. ab impacto nefariè hæreseos crimine vindicasset. Ut igitur Hæreticorum hac in parte mendacem impudentiam retundamus, juvat ipsi Sixti Senensis verba hîc ascribere.

Christianus Drothmarus, inquit, recensetur ab Sacramentariis Hæreticis in numero veterum Patrum, quos illi falsò & impudenter impietatis suæ defensores esse jactant, quia in Commentariis super Matthæum ita hanc declarat sententiam (Hoc est Corpus meum) ut asserere videatur Corpus Christi non aliter Sacramento altaris adesse quam in figurâ; scribit namque hoc modo: Dedit discipulis Sacramentum Corporis sui in remissionem peccatorum, & in conservationem charitatis, & memores illi facti semper hoc in figuram facerent, quod pro eis acturus erat, & hujus charitatis non obliviscerentur, hoc est Corpus meum, id est in Sacramento. Et paulò pòst: Sicut si aliquis peregrè proficiscens, dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquit eo tenore, ut omni die hæc agant, ut illius non obliviscantur: Ita Dominus præcepit nos agere, transferens spiritualiter Corpus in panem, vinum in Sanguinem, ut per hæc duo memoremos, quæ fecit de Corpore & Sanguine suo, & non simus ingrati tam amantissimæ charitatis. Scito, Christiane lector, hunc locum sivè scriptorum inscitiâ, sive imprimentium negligentiâ, sivè Hæreticorum fraude turpiter & periculosè mutilatum & corruptum: quod ipse non inani conjecturâ deprehendi, sed ex germanâ & integrâ lectione vetustissimi codicis Lugduni in Bibliothecâ Franciscanorum manuscriptum inspexi. Nam pro eo quod codices in Germaniâ excusi habent, hoc est Corpus meum, hoc est in Sacramento, Lugdunense exemplar plus habet, hoc est Corpus meum, hoc est verè in Sacramento subsistens. Rursùm ubi in impressis voluminibus legimus, transferens spiritualiter Corpus in panem, in vinum Sanguinem; in Lugdunensi legimus, transferens panem in Corpus, in vinum in Sanguinem. Non me latet hujus authoris verba etiam sicut a Typographis sunt edita, facillimè ab Hæreticorum usurpatione vindicari posse. At cum ipsa integritati suæ restituta clarissimè ostendant piam authoris mentem ab illorum insaniâ abhorrere; superfluum duxi aliam huc interpretationem afferre.

Hactenùs Sixtus Senensis qui, hac in occasione insignem toti Ecclesiæ navavit operam: siquidem Sacramentariis heterodoxis ademit authorem qui floruit ix. sæculo, & declaravit eos ejus authoritate nec potuisse nec etiamnom posse uti, ut probent ante x. sæculum (quo realis præsentiæ Corporis Christi in v. Sacramento, & transsubstantiationis doctrinam & fidem furtim in Ecclesiam irrepsisse dictitant) extitisse authores magni nominis qui illam ipsam Christi in Eucharistiâ præsentiam & transsubstantiationem vel omninò negarent, vel certè in antecessum refellerent seu esset divinitùs illis ingenium & rerum fato prudentia major.

Hujusmodi rationes demonstrant opus illud v. Sacramenti veritati & transsubstantiationi contrarium perperàm ascribi Bertramo Corbeiensi Monacho & Presbytero. Nam hujus operis authorem, qualiscunque fuerit, alii callidum fuisse, & impudentem Hæreticum, os durum & camo comprimendum responderunt: alii inter libros falsò Catholicis impositos, & gratioso Patrum titulo involgatos rejecerunt. Et meritò sanè, cum vetus, ut ita loquar, ille Bertramus, totos annos septingentos, nec à quoquam vel Hæreseos fuerit insimulatus, vel reprehensus, quasi malè scripserit, sed in catalogum scriptorum Ecclesiasticorum relatus, ut vir non minùs vitâ, quam doctrinâ, ingenio & eloquio insignis: Et quod non leve est suppositi partus argumentum, hujus in controversiâ Berengarianâ, Catholici sæculo Bertrami tanto propiores non meminerunt, minimè opinor tacituri, si jam tùm liber hic extitisset adeò Berengarianus. Valeat ergo Pseudo-Bertramus. Hactenùs Claudius Espencæus vir de Ecclesiâ Catholicâ in profligandis Hæreticis benè meritus, qui & quinque libros de Eucharistiæ adoratione composuit, & opus de corpore & sanguine Domini quod sub Bertrami nomine malignâ Hæreticorum industriâ circumferebatur, subdititium esse comprobavit, ut legere est apud illum lib. 1. de Eucharist. adorat cap. 19. Qui & ibidem ait hujusmodi authorem, quisquis fuerit, indicare suam doctrinam tunc in Ecclesiâ non fuisse receptam, nec usitatam. Proindè præstabat institutionis Dominicæ verba, quorum, quia ea videbat sibi obstare, non multam fecit mentionem, simpliciter credere, nec quomodo factum sit, sed tenere quod factum sit, & Christi hîc tum præsantiam, tum potentiam venerari. Hæc ille.

Cum igitur heterodoxi falsò supponant Bertramum seu Ratramnum & Christianum Druthmarum viros singulari eruditione & pietate præditos impia sua dogmata docuisse pluribus annis, antequam Berengarius pestifera sua commenta disseminaret, nemo inficiari potest, quin nova sint, & vel uno novitatis titulo ableganda.

Secunda Suppositio.

Cum Berengarius & Berengariani sese contra Catholicam veritatem & contra omnium Ecclesiarum opinionem sentire, scribere, & docere animadverterent, & nihilo seciùs vellent labefactare, quod Catholica per orbem universum prædicabat Ecclesia (quod ipsis ab Durando Abbate Troarnensi & Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi objectum est) deprehenderunt se non posse suam opinionem & hæresim propagare, reclamante passim omnium fidelium multitudine; Unde tandem ad ultimam temeritatis, impietatis & erroris devenere lineam, ita ut Ecclesiam errasse, & ubique gentium periisse, & apud pauculos suam sententiam amplexos remansisse protervè & pervicaciter assererent.

Ita se gessisse Berengarianos commemorat Lanfran-

cus in lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 33. *Adversus tam clara*, inquit, *ipsius Domini & Sancti Spiritus ejus de Ecclesiâ, & de statu Ecclesiæ testimonia objecis eu* (Berengari) *& objiciunt, qui à te decepti alios decipere moliuntur. Itaque dicitis: prædicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit; sed imperitiâ male intelligentium posteà erravit, & periit, in nobis solis, & in his qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit Evangelica veritas, & Prophetarum atque SS. Patrum non violanda authoritas. Unde Ecclesiæ suæ sanctæ in Evangelio suo Dominus pollicetur, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quod minimè diceret, si Ecclesiam suam ante consummationem sæculi perituram esse præcognosceret.* Hæc Lanfrancus.

Hujus hominis verbis fortè nullam aut exiguam habebunt fidem Berengariani & cæteri Sacramentarii, & dicent periisse Ecclesiam, sed sancti Augustini (quo Patrono gloriantur) authoritati acquiescere non recusabunt, nec meritò recusare poterunt. Sic quippè apud ipsum loquuntur hæretici: *Illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt* (respondet sanctus Augostinus) *qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est quia tu in illâ non es? vide ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem, præsumptionis, & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit Spiritus Dei, & tamquam contra illos cum annuntiaret unitatem, in conveniendo populos in unum. Cumque subdidisset, respondit ei, utique laus ejus, utique Hierusalem, mater nostra de peregrinatione revocanda, fœtosa cum multis filiis, magis quam ea, quæ habebat virum. Quoniam quidam dicturi erant contra, fuit & non est: propter illos, qui dicunt, impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit & periit Ecclesia de omnibus gentibus.* Et paulò post: *Quid est quod dicis* (Hæretice) *jam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut possit esse in omnibus gentibus? Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus, & ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne quod finitur, ut jam in æternitatem ab istâ exiguitate transeatur. Pereant Hæretici, pereant quod sunt, & inveniantur, ut sint, quod non sunt.* Hactenùs sanctus Augustinus Conc. 2. de 2. parte psalmi 101.

Ex hujusmodi suppositione, quid inferunt Berengariani & cæteri Sacramentarii? mihi audire videor id genus hominum ita ratiocinantium.

Ecclesia erravit, Ecclesia periit.
Ergo admittenda est doctrina Berengarianorum
Et Sacramentariorum aientium in Eucharistiâ non
Esse substantiam Corporis Christi, sed tantùm ejus figuram.

Si quæras ab hujusmodi hominibus, an Ecclesia ita perierit ut nullibi omninò remanserit. Respondebunt in se solis, & in iis qui sequuntur ipsos remansisse. Ex adverso sic ratiocinantur Catholici.

Ecclesia neque erravit, neque periit, neque in solis Berengarianis, & Sacramentariis remansit.

Ergo ab fide quâ ab omni ævo Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam credidit, nec desciscere, nec novellam Berengarianorum de Eucharistiâ doctrinam admittere potuit.

Ecclesiam non errasse, nec errare potuisse in rebus ad salutem necessariis suprà ostendimus, sicut nec perire posse probavimus, & nunc contendimus in solis Berengarianis remanere non posse, sicut sanctus Augustinus probat ipsam Ecclesiam in solâ Donatistarum parte remanere non potuisse, neque enim Ecclesia consistere potest, quin sit Catholica, id est toto orbe diffusa secundum Scripturas. Unde Guitmundus Archiepiscopus Aversanus lib. 3. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini affirmat Berengarianos non habere Ecclesiam: *De Catholicâ sane Ecclesiâ*, inquit, *Propheta prædixit: fundatur exultatione universæ terræ mons Sion; quod de nostrâ Ecclesiâ vidimus impletum. Berengariana verò portio, non fundatur exultatione universæ terræ: neque enim eis vel una civitatula, vel etiam una villula concessit. Non sunt igitur mons Sion, id est Ecclesia. Unde sanctus Augustinus in Psalm. 95. Si omnis terra domus Dei*, inquit, *qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus. Si Berengariani non hærent omni terræ; non sunt igitur domus Dei, sed ruina.* Hæc ille.

Idem Author in ipso libri primi Exordio declarat hujusmodi hæreticos ab toto terrarum orbe fuisse damnatos: ita ut eorum sententiam nemo præter quosdam sceleratos tenere voluerit: *Si quis*, inquit, *etiam qualitatem vel flagitiosam vitam eorum per quos utrumque pullulavit* (hæresis) *aspiciat, si quis nullum syncera vitæ hominem, nullum penitus sapientem fautorem ejus attendat, si Authoris ejus perjuria, si denique non solum Concilia supradicta, sed etiam totum orbem terrarum contradicentem penset, tacente nostrâ disputatione. Quid magis tenendum sit, satis arbitror judicabit.* Hæc ibi.

His ita constitutis, Sacramentariorum aientium Ecclesiam errasse & periisse, & contendentium licet toto terrarum orbe reclamante in v. Sacramento inesse tantum Corporis Christi umbram & figuram, & abesse ejusdem Corporis veritatem, error, & in errore pertinaciâ, & in pertinaciâ vesania, & in vesaniâ furor, tam perspicuè cernitur & apparet, ut ipsos & Calvinistas & eorum sequaces non tam SS. Patrum & Concil. authoritate refelli, quam meritis pœnis coërceri, vel certè bonorum omnium lachrymis deplorari oporteat.

Ut igitur novitatem circa Eucharistiæ mysterium decimo sæculo introductam astruant Calvinistæ, supponunt realem Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam & transsubstantiationem nono sæculo impugnatam esse ab Bertramo & Christiano Druthmaro, quod falsum esse ostendimus, & prætereà Ecclesiam errasse & periisse, quod cum fieri nec potuerit, nec possit, sequitur impossibilem fuisse mutationem, quam circa idem Eucharistiæ Mysterium invectam esse fœdissimè comminiscuntur.

Sectio LXIV.

In quâ mutationis circa Eucharistiæ fidem, quam sæculo decimo in Ecclesiam Dei introductam esse comminiscuntur Calvinistæ, omnimoda impossibilitas liquidò demonstratur.

Omnimoda præfatæ mutationis, quam circa Eucharistiæ fidem contigisse Sacramentarii Calvinistæ dictitant, impossibilitas demonstratur.

HUjus mutationis impossibilitas petitur ex suppositione plurium rerum & circumstantiarum, quæ stando intra rectæ rationis terminos nullo pacto accidere potuerunt.

1. Supponere oporteret doctrinam de reali Corporis Christi in v. Sacramento præsentiâ, cum antea esset omnibus omnium gentium Christianis ignota & inaudita, ab Paschasio, aut quolibet alio juniore monacho, in quatuor vel quinque unius libri capitibus fuisse propositam velut unicam totius Ecclesiæ doctrinam: quod est longè difficillimum.

2. Supponere oporteret per totos triginta annos neminem extitisse præditum eâ charitate, quâ hujus-

modi novatorem talis & tantæ molitionis conscium admoneret suæ dementiæ, & ab insano, imò furioso proposito deterreret, quod parum probabile est.

3. Supponendum esset recentem illam doctrinam ab ratione, ab sensibus, & ab publicâ omnium Christianorum consensione tantoperè abhorrentem nullo umquam Ecclesiæ judicio fuisse damnatam, imò nec ad ullum tribunal delatam.

4. Sopponere oporteret cunctos fideles ab eo statu in quo nullam habebant fidem realis Corporis Christi in v. Sacramento præsentiæ, esse ita translatos ad eum statum, in quo illam credere cœperunt, ut eorum nemo vel unum de tantâ sui mutatione verbum fecerit, nec defleverit suæ ignorantiæ tempus, nec testificatus fuerit lætitiam, quam ex comparatâ talis tamque gravis arcani notitiâ conceperat.

5. Supponendum esset ex decem hominum millionibus, quos ad persuadendam populis realem illam corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam incumbere oportuisset, neminem animum appulisse, ad elucubrandum aliquod opus, quo eam solidè stabiliret.

6. Supponere oporteret decem milliones Prædicatorum realem illam præsentiam passim probantium & affirmantium uno consenso decrevisse nihil omninò scribere de suarum concionum progressu nec de contrario conatu, quo ipsorum conciones impetebantur, nec conquestos esse de obduratâ populorum pervicaciâ, nec lætatos esse de fœlici exitu, ad quem suos labores opitulante Deo provehi cognoverant.

7. Supponendum esset ex centum millionibus hominum, quibus eam doctrinam propositam oportuisset currente sæculo decimo, neminem elaborasse aliquod opus, quo eam impugnaret.

8. Supponere oporteret innumerabilium hominum animos toto onius sæculi spatio conversos esse ad capessendam opinionem suæ rationi, suis sensibus suæ consuetudini, suis præjudiciis, ipsi denique repugnantem fidei, in quâ educati fuerant.

9. Supponendum esset innumeras propè phrases tritas & pervagatas & in omnium omninò Christianorum ore positas, in alterum penitùs sensum sensim sine sensu, seu nemine cogitante & advertente transiisse, & illis cœpisse novam ideam subsistere: ita ut verum Christi Corpus intelligendum esset sub iisdem vocibus & terminis, quibus alias ejusdem Corporis figura dumtaxat concipi consueverat.

10. Supponere oporteret omnes animi commonitiones & impetus, quibus incitamur adversus eos, qui nos per aliquod vitæ nostræ tempus in ignorantiâ & errore versatos esse contendunt, fuisse penitùs extinctos, nec toto illo decurrente sæculo in solitos effectus erupisse.

11. Supponendum esset odia & dissidia orientales cœtus ab Ecclesiâ Romanâ segregantia, nullo pacto fuisse prohibitura, quominùs hujusmodi cœtus & sodalitia admitterent præfatam Corporis Christi præsentiam, quæ in Ecclesiam Romanam nono dumtaxat sæculo vel decimo esset importata.

12. Supponere oporteret hujusmodi societates sese præbuisse dociles ad unum dumtaxat caput, & earum cupiditates in uno dumtaxat capite cohibitas esse, & cum omnes transsubstantiationis fidem ab Ecclesiâ Romanâ acceperint, noluisse illi adhærescere in ullo cæterorum capitum propter quæ ab ipsâ desciverunt.

13. Supponendum esset sæculo illo decimo innumerabiles missionarios, eosque incognitos extitisse, qui cum multò plura quam Apostoli tantum Mysterium (id est realem Corporis & Sanguinis Christi in v. Sacramento præsentiam) retegendo & explanando præstitissent, suum nihilominùs nomen ad posteros transmitti noluissent.

14. Supponendum esset hujusmodi missionarios ignotos fœlici & æquali successu prædicasse, & certò conversuros fuisse omnes, quibus eam annuntiassent doctrinam.

15. Supponere oporteret, post instructionem illam generalem omnium societatum Christianarum, easdem illas societates consensisse in idem propositum celandi posteros se decimo dumtaxat sæculo cœpisse credere realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam.

16. Supponendum esset omnes, qui Imperatorum, Principissarum, & Sanctorum decimi sæculi res gestas in historiam contulerunt, concidisse, vel conspirasse in idem propositum reticendi, quam partem isti Principes & Principissæ, & Sancti ad hanc doctrinam stabiliendam obtinuerint.

17. Sopponere oporteret universos Authores, qui de Eucharistiâ verba fecere vel casu, vel de industriâ in idem consensisse consilium celandi posteros dissidium, quo fideles circa hoc Mysterium ab invicem dissentiebant.

18. Supponendum esset omnes societates, & omnes totius orbis Ecclesias mirabilem coluisse patientiam in sese invicem tolerandis, interea dum unusquisque alios juxta suæ opinionis principia, vel ut infideles, vel ut improbos, vel ut fatuos, temerarios, & novatores aspicere teneretur.

Omnes hujusmodi hypotheses in unum veluti locum, seu animum coactæ monstrosissimam difficultatum congeriem pariunt, & patefaciunt non posse ad optatos exitus promoveri fictitiam illam fidei mutationem, quam Calvinistæ & novissimè D. Claudius, Ecclesiæ Reformatæ Minister, circa venerabile Eucharistiæ Sacramentum, sensim sine sensu contigisse pervicaciter asserit, quin omnis, & rationis, & sensuum, & humanæ societatis usus, omnis denique agendi ratio apud prudentiores passim & rudiores usurpari solita, sæculo decimo ad nostra usque tempora omnibus hominibus, qualescumque sint, adempta fuerit, & etiamnum adimatur universis, qui se Calvinistarum erroribus, & præstigiis capi, irretirique patiuntur.

Sectio LXV.

In quâ Hæreticus objicit varias mutationes, quas, ut refert Minister Claudius, in Ecclesiâ contigere, & ab Orthodoxo doctè pariter & solidè refellitur.

Hæreticus.

Quandoquidem D. Claudium citasti, meminisse etiam debes ipsum in libris eloquentissimis, quos non pridem edidit, protulisse multa exempla plurium novitatum, quæ sensim, imò furtim irrepserunt in Ecclesiam Romanam, atque adeo non est tantoperè carpendus, si ex hujusmodi exemplis ratiocinando inferat similem quamdam novitatem circa Eucharistiæ Sacramentum eamdem in Ecclesiam Romanam, sensim sine sensu irrepere potuisse.

Catholicus.

Quæcumque Minister Claudius hac in parte protulit, nullo negotio solvuntur, & evanescunt, si spectetur attentiùs maximum discrimen, quod inter praxeos & disciplinæ, & inter opinionis & dogmatis mutationes intercedit; eò quod disciplina suaptè naturâ est obnoxia vicissitudini, & ejus utilitas ex circumstantiarum mutabilium varietate suspensa est. Dogmata autem suaptè naturâ stabilia sunt & inconcussa, & in iis quod certo quopiam tempore verum est, omni tempore propriam sibi veritatem retinet. Omnium animis insitum est disciplinam posse mutari, sicut & omnibus persuasum est dogmata, nullam mutationem posse pati. Non est æquitati consentaneum, condem-

nare disciplinam ipsius novitatis obtentu; contra doctrinæ seu dogmatis novitas ejus falsitatem arguit. Ideò nova disciplina citra hominũ errorem & deceptionem, & citra antiquitatis authoritatem introduci potest: Verum ut novum quodpiam dogma introduci valeat, illius novitas est necessariò dissimulanda; quod sæpenumerò fieri non potest. Dogmatis denique fides opinionis contrariæ condemnationem necessariò importat: cum disciplina quæpiam ab alterâ diversa suscipi possit, nec tamen damnari oporteat illam à quâ deflectitur.

His ita constitutis nemini latet in Ecclesiâ Romanâ sæpè mutatam esse disciplinam: quod argumentum nihil probat adversus realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam. Et si quid indè concludere vellet Minister Claudius, oporteret illum ostendere & probare duas res: mutationem scilicet fidei circa eamdem Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam contigisse, sicut & in disciplinâ factitatum esse spontè & ultrò concedimus. Præterea illi probandum incumberet hanc ipsam mutationem de quâ quæstio est, universalem fuisse, id est in omnibus Ecclesiis toto terrarum orbe diffusis factitatam & admissam & creditam esse, quod nullo pacto probare poterit, quicquid agat, ut mox patebit, ex omnium Ecclesiarum consensione, quam satis superque astruit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in primo Tomo, in quo perpetuitas Fidei Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistiâ adversus Librum D. Claudii Carantoniæ societatis ministri defenditur.

Quod spectat ad primum caput de mutatione fidei circa realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, hanc mutationem impossibilem extitisse & etiamnum impossibilem esse probavimus: Et hujus impossibilitatis ratio à priori petitur ex naturâ dogmatum, apud quæ (sicut & apud Deum ex quo revelante proficiscuntur) nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.

Quod autem ad disciplinæ mutationem pertinet, illam sæpenumerò Ecclesiâ vel decernente, aut certè tolerante contigisse quidem, sed non universim seu in omnibus totius orbis Ecclesiis factitatam aut admissam esse concedimus. Unde nihil inferre potest M. Claudius adversus Eucharistiæ Sacramentum quæcumque mutationis exempla proferat, ut videre est.

1. Enim sic argumentatur ille ipse Min. Claudius: Consuetudo producendi usque ad vesperam jejunii in Ecclesiâ Latinâ mutata est in alteram, quâ ipsâ horâ meridianâ frangitur jejunium, ergo & mutata est fides circa v. Eucharistiæ Sacramentum.

Hujusmodi argumentum nihil efficit. Nam præterquam quod ex rebus disparatis conficitur, quarum una ad disciplinam, altera ad dogmata pertinet, postrema illa consuetudo manavit ex intepescentium Christianorum relaxatione, & eam posteà Ecclesia maternâ indulgentiâ aliquot in locis toleravit. Nam in toto Oriente, & in omnibus societatibus Schismaticis jejunium etiamnùm, ut cum maximè & severissimè observatur: quâ in re observandum est majorem austeritatem non esse certum majoris fidei vel veræ virtutis argumentum.

2. Præfatam fidei mutationem circa v. Eucharistiæ Sacramentum colligit M. Claudius ex abrogatâ consuetudine, quâ recens baptizatis propinabatur lac & mel.

Sed & hoc argumentum in irritum cadit. Nullo enim pacto quadrat in propositam controversiam. Nam dictam consuetudinem universim & in omnibus terrarum Ecclesiis abrogatam esse M. Claudius demonstrare non potest, quin priùs illam in omnibus Ecclesiis observatam esse probaverit: quod quidem nullam verisimilitudinem habet. Cum igitur eadem Eucharistiæ fides in omnibus totius orbis Ecclesiis viguerit, nec in ullâ etiam Schismaticâ exoleverit, ut perspicuum esse videbimus, perperàm ratiocinatur quisquis ex unius consuetudinis non institutione, sed cessatione (quæ nihil in Ecclesias orbis terræ uniforme intulit) universalem novæ cujusdam doctrinæ & inusitatæ constitutionem inferre annititur. Illa enim talis consuetudinis abrogatione nihil obstante, variæ societates inter baptizandum varias adhibuere cæremonias conservato eodem spiritu in hoc posito, ut externis quibusdam signis interna divinæ regenerationis effecta exhiberentur. Uni dumtaxat Calvinistæ hac in parte immutaverunt Ecclesiæ doctrinam, utpotè qui ausu sacrilego abrogavere omnes Baptismi cæremonias ab omni antiquitate receptas, & usurpatas, earumque extinctionem non infimam vindicatæ reformationis partem esse voluerunt.

3. Ille ipse Minister Claudius præfatam fidei mutationem astruere conatur ex abrogatâ consuetudine communicandi sub utraque specie; sed irrito conatu id indè probare nititur. Cum enim Calicis usus ad v. Sacramenti essentiam non pertineat, id est solam panis percipiendo speciem Communionis præcepto satisfieri queat (juxta illud Apostoli effatum: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit, &c.*) Quidni Ecclesia Eucharistiæ perceptionem sub unâ dumtaxat panis specie factitandam decernere aut fieri solitam tolerare, aut eam utriusque speciei percipiendæ consuetudinem abrogare, vel unicuique sub utraque specie communicare liberum relinquere potuit? Id enim liberum fuit unicuique Catholico antequam S. Leo pontificali Decreto omnibus Catholicis Communionem sub utraque specie factitandam indiceret: Ut hoc pacto innotescerent Manichæi, qui se permistè cum Catholicis implicabant in Ecclesiâ & communicabant sub unâ dumtaxat panis specie, utpotè abhorrerent vinum, & Principis tenebrarum fel esse dictitarent. Unde sanctus Augustinus ait hujusmodi hæreticos adorasse vinum in uvâ, & in Calice repudiasse. Si ergo tunc temporis Ecclesiæ consuetudo fideles ad utriusque speciei perceptionem obligasset; cur S. Leo coactus esset sancire Decretum, cujus adminiculo admisti Catholicis Manichæi secernerentur? Certum est igitur ante istud S. Leonis edictum, liberum fuisse Catholicis communicare sub utraque specie, vel sub unâ tantùm, id est sub solâ specie panis, ut tunc temporis Communio parvulis sub unâ dumtaxat vini specie porrigi consueverat. Ut legere est apud S. Cyprian. in Lib. de lapsis. De hoc Decreto vide S. Leonem Serm. 4. in Quadrag. c. 5. ergò perperam ratiocinatur Minister Claudius.

1. Quia Communio sub utraque specie non est dogma fidei & ideò variari potest: realis autem Christi in Eucharistiâ præsentia est dogma fidei, atque adeò nullam mutationem pati potest.

2. Immutatio consuetudinis communicandi sub unâ tantùm specie facta est, non sensim aut furtim sicut M. Claudius contendit contigisse circa Eucharistiæ fidem, sed approbante, vel certè tolerante Ecclesiâ.

3. Hujusmodi mutationem non admiserunt omnes Ecclesiæ, atque adeò non fuit universalis, sicut M. Claudius affirmat mutationem fidei circa V. Sacramentum Eucharistiæ per omnes totius orbis Ecclesias disseminatam & religiosissimè susceptam esse. Nam mutatio consuetudinis communicandi sub utraque specie in eam, quâ sub unâ tantùm specie communicatur, invaluit in quibusdam dumtaxat Ecclesiis. Siquidem Maronitæ in Communione Latinâ perseverati, Græci, Melchitæ, vel Syrii, Moscovitæ, Georgiani, Nestoriani, Jacobitæ, Armeni, Cophtæ, Abyssini illam ipsam sub utraque specie communicandi consuetudinem etiamnùm retinent & observant.

Hujus ergo mutationis exemplum nihil probat adversus Eucharistiæ fidem quam Ecclesia semper & universim toto terrarum orbe tenuit & docuit, sicut

& nihil probat adverſus eamdem fidem conſuetudo Euchariſtiæ parvulis porrigendæ. Nam nec iſtius conſuetudinis ſicut & ſuperioris mutatio fuit univerſalis. Tametſi enim in Eccleſiâ Latinâ Græcaque maximam partem exoleverit : adhuc tamen ab Cophtis, Abyſſinis, Armenis, & Maronitis viridi obſervantiâ colitur.

Sectio LXVI.

In qua refellitur objectio, quam ex imaginum cultu, & ejus mutatione repetunt Heterodoxi, ut Catholicæ Fidei circa venerabile Sacramentum mutationem ſæculo decimo factitatam comprobent. Hujuſmodi objectio refellitur totis ſequentibus paginis uſque ad Titulum in hac verba conceptum: Omnium gentium, & Eccleſiarum in eamdem Euchariſtiæ fidem conſpirantium conſenſio.

Hæreticus.

DOM. Claudius Eccleſiæ reformatæ miniſter ſuis in Libris protulit exemplum mutationis fidei, quæ in Orientales pariter & Occidentales Eccleſias univerſaliter irrepſit circa cultum imaginum, quas paſſim veſtris in Templis ſtatuitis, & coram quibus procumbitis, & eas eodem planè honore quo Deum ipſum colitis, afficitis; Quod ipſa mutatio facta ſit in Eccleſiâ Orientali teſtatur Nicæna Synodus ſecunda, quæ & ſeptima œcumenica dicitur : utpotè quæ duo Concilia Conſtantinopolitana imaginum cultum abrogantia damnavit. Id etiam declarat Concilium Francofordienſe, quod præfatam Synodum Nicænam imaginum uſum te[illegible]entem ſolemni judicio reprobavit.

Catholicus.

Multa objicis, ut D. Claudium de nobis Catholicis triumphaſſe perſuadeas: ſed ſanè tuus iſte labor in irritum cadit, ut mox demonſtrabitur.

1. Dicis mutationem fidei, & illam univerſalem factam eſſe tam in Oriente, quam in Occidente circa cultum imaginum.

2. Contendis nos in idololatriæ crimen incurrere, cum Chriſti, Deiparæ Virginis, cæterorumque Sanctorum Imagines honore proſequimur.

3. Aſſeris prædictatum imaginum cultum in Orientalibus Eccleſiis ab duobus Conciliis Conſtantinopoli celebratis abrogatum, & ab Nicænâ Synodo ſecundâ reſtitutum eſſe.

4. Denique earumdem Imaginum cultum in Eccleſiâ Latinâ abrogatum eſſe ab Concilio Francofordienſi, à quo & damnata eſt Synodus Nicæna ſecunda eo nomine, quod eumdem imaginum cultum in uſum revocaverat. Quæ omnia ſingillatim ſunt à nobis refutanda, & quatuor articulis explananda.

Articulus primus.

Ut reſcias nullam fidei mutationem factam eſſe circa cultum ſeu uſum Imaginum,

Obſervandum eſt fidem Eccleſiæ circa uſum Imaginum hiſce capitibus contineri.

1. Hujuſmodi Imaginibus honorem & venerationem impertiendo, non credimus in iis aliquam ineſſe divinitatem vel virtutem, propter quam ſint colendæ, nec ab iis aliquid petimus, nec fiduciam in illis figimus, veluti factitabant gentes, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant.

2. Honorem, quem ipſis imaginibus exhibemus, ad prototypa, quæ illæ repræſentant, referimus. Sic coram Imagine Chriſti procumbentes ipſum Chriſtum in memoriam revocamus, & interno affectu ſupremo latriæ honore afficimus: Sic ad Deiparæ Imaginem advoluti, eam inferiori honore & veneratione (cui hyperduliæ nomen fecere Theologi) proſequimur: Sic & reliquis ſanctis duliæ honorem exhibemus.

3. Docet & credit Eccleſia per Hiſtorias myſteriorum noſtræ Redemptionis picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & aſſiduè recolendis.

4. Docet & credit Eccleſia Dei ex omnibus ſacris Imaginibus magnum fructum percipi : quia per illas admonentur fideles beneficiorum & munerum, quæ ſibi ab Chriſto collata eſſe reſciunt : & præterea Dei per ſanctos miracula & ſalutaria exempla eorumdem fidelium oculis ſubjiciuntur.

5 Eadem Eccleſia Dei utitur Imaginibus, ut pro miraculis & ſalutaribus exemplis ſanctorum miniſterio editis, & oſtenſis fideles ipſi Deo gratias agant, & ad ſanctorum imitationem vitam moreſque ſuos componant, & excitentur ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Quod ſi M. Claudius hujuſmodi doctrinam, quam ab omni ævo de Imaginum uſu profeſſa eſt Eccleſia Dei, immutatam eſſe in omnibus totius orbis Eccleſiis, probare poſſit, illi ſpontè & ultrò palmam adjudicamus.

His ita prælibatis Eccleſiam vituperare non poſſunt Heterodoxi hac in parte, niſi oſtendant venerationem ſanctorum Imaginibus impendi ſolitam eſſe.

1. Omninò prohibitam.

2. Illicitam & criminoſam.

3. Inutilem & ſupervacaneam.

4. Denique novam ſeu ab paucis annis in fidelium ſocietatem invectam.

1. Non poſſunt probare omnem imaginum uſum eſſe omninò prohibitum. Ergo nec impenſam illis venerationem eſſe omninò interdictam probare poterunt.

Statim objiciunt verba Exodi 20. v. 4. & 5. *Non facies tibi ſculptile*, &c.

Heterodoxi corruperunt hunc locum, & cum textus originalis habeat (idolum) illi ſubſtituerunt (ſculptam Imaginem) ut patet in eorum Bibliis impreſſis Genevæ ab ann. 1554. uſque ad ann. 1616. Similiter & corruperunt Deuteron. c. 5. v. 8 & Deuteron. 27. v. 15. & 2. Reg. cap. 5. v. 21. & 2. Paralipom. cap. 24. v. 18. & cap. 33. v. 7. & 34. v. 4. & 7.

Eſt igitur prohibitum idolum. 1. Quia idolum eſt Imago, quæ fictitiam quamdam divinitatem atque adeò nullam repræſentat. 2. quia idolo idem impenditur honor, qui & ipſi Deo exhibetur.

Quæ duo non cadunt in Imagines Chriſti, Deiparæ & Sanctorum. Præterea Deus in veteri Teſtamento Imagines factitari præcepit, ut declarant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, & ſerpens æneus, quem Deus adverſus lethales ſerpentum morſus juſſit in deſerto erigi.

2. Illa Imaginum veneratio multò inferior eſt latriâ uni Deo exhiberi ſolitâ, ergo non eſt criminoſa & illicita. Nam Calviniſtæ nos ideò idololatriæ crimine acerſunt; quia nos latriæ cultum Imaginibus impendere arbitrantur.

3. Non eſt inutilis illa veneratio, ut paulò antè vidimus ex Concilio Tridentino.

4. Non eſt nova. Quam antiqua ſit Imaginum veneratio declarat Epiſtola Synodica Adriani Papæ I. ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem ejus matrem inſcripta, quam legere eſt in Actione 2. ſecundæ Synodi Nicænæ quæ & ſeptima œcumenica dicitur. Nam in ipſâ præfatus Pontifex laudat Patres tam Græcos quam Latinos, qui omnes ante ſæculum quintum floruerunt, & Imaginum uſum, & venerationem laudabilem & utilem eſſe docuerunt.

Profert hanc in rem teſtimonia ſanctorum Gregorii Nyſſeni, Baſilii magni, Chryſoſtomi, Cyrilli, Athanaſii, Ambroſii, & B. Stephani Epiſcopi Boſtrenſis: ex quo

ex quo Stephano hæc citat : *Omnis Imago, sivè Angelorum, sivè Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum, aut alioqui justorum virorum in nomine Dei facta, sancta est. Non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud quod in ligno datur contemplandum : Atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus, & reverenter salutamus; quid vetat igitur, quominùs non liceat & sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum Imagines statuere, & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant?* Hæc ibi.

Hanc Adriani Pontificis Epistolam universa Synodus (id est trecenti) & quinquaginta Episcopi in Spiritu sancto congregati receperunt & approbarunt in eadem Actione secundâ.

In Actione 3 ejusdem Synodi Nicænæ secundæ approbantur ab universâ Synodo litteræ Episcoporum Orientalium ad Tharasium Patriarcham Constantinopol. inscriptæ, quibus Imaginum usus laudatur, & earum veneratio approbatur : eò quod ex magni Basilii mente honor ipsis exhibitus ad prototypum referatur.

In Act. 4. adducuntur multa scripturarum & sanctorum Patrum testimonia, quibus pius & utilis Imaginum usus & antiquitas astruitur.

In Actione 6. continetur refutatio Hæreticorum, qui in conciliabulo Constantinopolitano sub Leone Hæretico Imperatore Imagines damnaverant, & in eadem Act. earum antiquitas plurium Patrum authoritate comprobatur, ita ut illa ipsa antiquitas in Apostolicam traditionem refundatur.

In Actione denique 7. dicunt omnes istius Synodi Patres se suscipere imaginum usum & venerationem, ut totius Ecclesiæ traditionem; ita tamen ut non exhibeatur illis vera latria, quæ soli divinæ naturæ competit. Sed quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & S. Evangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reverenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est.

Huic definitioni subscripserunt omnes Episcopi, & factâ subscriptione exclamaverunt : omnes sic credimus; omnes idem sapimus; omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines amplexamur.

Calvinus Lib. 1. Institutionis cap. 12. §. 12. ait *se non eâ superstitione teneri, ut nullas prorsus Imagines ferendas censeat; sed quia sculptura & pictura Dei dona sunt, purum & legitimum utriusque usum requiro : ne quæ Dominus in suam gloriam, & bonum nostrum nobis contulit, ea non tantùm polluantur præpostero abusu, sed in nostram quoque perniciem convertantur.*

Hactenùs Calvinus non malè. Sed ejusdem c. §. 13. longè aliter de Imaginum veneratione sentit: *& nos horribili insaniâ*, ait, *quæ ad totius ferè pietatis interitum antehac orbem occupavit, plus nimio sumus experti, simulatque in Templis collocantur Imagines, quasi signum idololatriæ erigi: quia sibi temperare non potest hominum stultitia, quin protinùs ad superstitiosos cultus delabatur.*

Non est ergo omni ex parte damnanda Imaginum in Templis collocatio, sed tantùm damnanda est veneratio, quâ ipsis uni duntaxat Deo debitus honor exhibetur. Hoc damnat Calvinus, hoc & damnat Ecclesia, nec propterea condemnat usum & venerationem Imaginum, utpotè quæ non assentiatur Calvino aienti non posse sibi temperare hominum stultitiam, quin inter honorandas Imagines ad superstitiosos cultus delabatur. Immeritò ergò Idololatriæ & superstitionis crimine Ecclesiam implicari dictitant Heterodoxi, cum Imaginum venerationem approbat, & fidelibus commendat.

Articulus secundus.

Tametsi ea quæ superiùs ex secundâ Synodo Nicænâ retulimus, sufficiant ad propulsandum ab Ecclesiâ Dei Idololatriæ crimen, quod ipsi utpotè Imaginum venerationem commendanti impingere non desinunt Calvinistæ; juvat tamen nonnulla hîc adjicere testimonia, quibus tam fœda calumnia retundatur. Audienda est eadem Synodus Nicæna, in quâ totius Concilii nomine sic loquitur Epiphanius Diaconus : *sanctas Imagines*, inquit, (Patres & Catholici,) *neque Deos nominarunt; neque ut Diis deservierunt, neque spem salutis in eis aliquando habuerunt, neque ab eis expectant futurum judicium, nisi ad recordationem & memoriam eas habentes, & amore circa illarum principalia flagrantes, has & amplexi sunt, & honoranter adoraverunt: non tamen divinæ hic servitutis, seu latriæ vel cultus officium impenderunt : (absit hæc calumnia;) sed neque aliis quibuslibet rebus.* Hactenùs Epiphanius Diaconus, cui præfatæ Synodi definitiones legendi cura demandata fuerat. Hæc & his similia legere est in Action. 6. ejusdem Synodi Tom. 2. ex Editione Binii fol 627.

Si quis in hujus Concilii Oecumenici accuratam studiosamque lectionem incumbere voluerit, deprehendet, nullum Christianorum hominum, qui sub cœlo sunt, imagini latriam exhibuisse. Hoc enim, sæpè & pluribus in locis testificatur. Undè refellitur impudentissimum mendacium Molinæi in suo Clypeo Sect. 120. affirmantis latriam (quam & nos & ipsimet Calvinistæ uni Deo seclusis quibuslibet aliis deberi profitemur) ab Concilio Nicæno imaginibus exhibendam plusquam vicies imperari : quod ne semel quidem indixit : Tametsi illis ipsis imaginibus in templis ad excitandam Christi Domini, Deiparæ, cæterorumque Sanctorum memoriam collocatis, aliquem honorem haberi oportere definierit.

Desinant ergo Calvinistæ referventem hanc calumniam impingere toti Ecclesiæ, siquidem suis in Conciliis severissimè prohibet, ne quis supremum latriæ cultum uni duntaxat Deo debitum ulli omninò creaturæ, aut cuipiam imagini qualiscunque sit, deferat. Quin etiam vetat sub anathematis interminatione ne quis aliter sentiat aut doceat.

Quod si post talem Ecclesiæ declarationem Calvinistæ Christianos Catholicos idololatras appellare pergant, digni sunt, quos omnes boni veluti teterrimos sycophantas & habeant & abhorreant.

Quod si nonnullos abusus ex privatorum quorumdam inscitiâ profectos objicere velint : tametsi jure ac meritò de hujusmodi corruptelis in privatos quospiam conferendis conquererentur, eorum tamen querelæ nihil officerent Fidei Ecclesiæ : siquidem certo certius est eam nihil non moliri, ut eos, quos per Christum & Christo peperit filios, ex hujusmodi incommodis & erroribus eripiat.

Quod ut illustriùs appareat

Observandum est in eo cultu & veneratione, quæ Imaginibus adhibetur tria esse distinguenda, externum nempè signum, mentalem intelligentiam & internum hominis Imaginem venerantis affectum.

Signum externum exhibetur coram Cruce, aut aliis Imaginibus, intelligentia autem mentalis, & interna venerantis affectus efformantur in animâ, & ad prototypum in Imagine expressum & repræsentatum terminantur.

Quod quidem satis superque indicat non Imaginem Christi v. g. sed ipsum Prototypon, id est Christum in Imagine adumbratum adorari.

Hæreticus.

Quâ igitur de causâ honorantur Imagines inanimatæ, quæ sicut simulachra gentium oculos habent & non vident, aures habent, & non audiunt?

Catholicus.

Observandum est honorem quo afficitur aliquod objectum aliquâ dignitate præditum esse vel absolutum, vel relativum.

tam, quod est falsissimum: siquidem constat ex ipsomet Concilio illi adfuisse legatos Adriani Papæ, à quo & citra controversiam est approbatum.

Præterea renuntiatum est eidem Concilio præfatam Synodum Nicænam statuisse eumdem omnino cultum, latriam scilicet, quæ uni Deo impenditur imaginibus exhiberi oportere, cujus rei falsitas meridiano sole clarior est. Concilii Francofordiensis Patres his duabus hypothesibus inducti Nicænam Synodum damnavere.

Ac reipsa quidem hujusmodi hypotheses eò faciliùs persuaderi poterant, quo speciosiores apparebant rationes, propter quas Nicænæ Synodi decreta Francofurtum perlata non erant. Nam

1. Synodus Nicæna egregio tempore antequam Francofordiense cogeretur, in loco remotissimo celebrata fuerat. Nicæa enim sita est in Bithynia ultra fretum quod Asiam ab Europâ disterminat: Francofurtum autem est urbs Germaniæ imposita Mæno, & Rheno finitima. Quæ locorum distantia & exiguum tempus quod inter utrumque Concilium intercurrerat verisimillimè prohibuerunt, quominùs quod in unâ urbe constitutum erat, ad alterius notitiam perveniret.

2. Nondum inventa erat Typographia, cujus adminiculo parari posset, ut nunc notitia earum rerum, quæ remotioribus in locis geruntur.

3. Magna Iconomachorum potestas erat in Oriente, & revera quo major erat, eò difficiliùs acta Concilii in exteras regiones importari poterant.

4. Cum magnæ illius Synodi acta nondum è Græco essent in latinum versa, (ut posteà latinitate donata sunt ab Anastasio) vel ut melius aliis placet, erant in latinum versa, sed corrupta, nemini mirum videri debet, quod Patres Latini, qui Græcè nesciebant, illa vel penitùs ignoraverint, vel certè parùm perspecta habuerint.

Observandum est 2. condemnationem Nicænæ Synodi ab Concilio Francofordiensi pronuntiatam minimi esse faciendam: Ipsum siquidem Francofordiense Concilium suam ipsius authoritatem penitùs elidit. Nam ut patet ex libris, qui sub Caroli Magni nomine prodierunt, illa ipsa Synodus Francofordiensis decrevit ultimum controversiarum judicium pertinere ad Romanum Pontificem, & eo potissimùm nomine reprobat secundam Synodum Nicænam, quod eam sine Summi Pontificis assensu celebratam existimaverit: Atqui illa ipsa Synodus Francofordiensis eodem laborat vitio, de quo Nicænam Synodum accusat. Ergo si Nicæna Synodus reprobanda est, ipsam quoque Synodum Francofordiensem reprobari necesse est. Nam Magdeburgenses Centur. 8. cap. 9. col. 659. conceptis verbis asserunt Adrianum Papam adeò Synodo illi Francofordiensi non consensisse, ut etiam ipsum pariter & ejus legatos ipsi repugnasse contendant. Unde illam ipsam Synodum secum ipsâ pugnare, atque adeò sua decreta convellere, vel ipso Centuriatorum testimonio manifestè colligitur.

Nihil igitur adversus imaginum venerationem ex eo Concilio legitimè inferri potest.

Verum dato non concesso quod legitimum sit Francofordiense Concilium quod nempè assentiente Adriano Pont. Max. sit habitum, tantùm abest, ut ex eo imagines abolendas esse colligere possint Calvinistæ, ut etiam ex ejus decreto, easdem Imagines in templis retinendas esse colligatur. Siquidem ut testantur Centuriatores loco proximè laudato, non definiit Synodus Francofordiensis imagines è templis esse tollendas, sed retinendas, ita tamen ut nulla eis adoratio deferatur. Sileant ergo Calvinistæ, & imagines obterere, frangere & illudere desinant, nec abutantur Concilio Francofordiensi, quo se tuentur, ut in Christi, Deiparæ Virginis, aliorumque sanctorum Imagines per speciem & causam Religionis impunè grassari valeant. Alioquin si præfato Francofordiensi Concilio fidem adhibeant, & imaginum usum abrogare pergant, noverint se ab eodem excommunicari. Nam ut contestantur libri Carolini, Centuriatores, Hincmarus, & alii, illa ipsa Synodus Francofordiensis, anathema dixit iis, qui imagines delere volunt.

Utcumque se res habeat, certum est delusam esse Synodum Francofordiensem & damnasse Nicænam Synodum secundam duabus de causis, ut jam declaravimus. 1. Quod sine Romani Pontificis assensu, celebratam esse crediderit. 2. Quod illam ipsam divinum honorem, id est latriam imaginibus deferendam esse, definiisse persuasum habuerit.

Hæreticus.

Ridiculum est, & reipsâ sese deridendum propinat quisquis persuadere conatur duas illas hypotheses, & quidem falsissimas, quales sunt illæ, quas producitis Francofordiensi Concilio, ceu veras obtrudi, persuaderique potuisse. Non enim credibile est ullum ex Episcopis in eo Concilio congregatis ignorasse quid in Nicænâ Synodo constitutum definitumque fuerit.

Catholicus.

Efficacissima ratio, quâ probatur Concilii Francofordiensis Patribus præposterè renuntiatum esse quid in Nicænâ Synodo gestum decretumque fuerit, petitur ex eo quod ipsis fuerit ab aliquo persuasum Constantinum Constantiæ Cypri Episcopum dixisse se imaginibus eumdem exhibere latriæ cultum, qui sanctissimæ Trinitati debebatur. Quod erat falsissimum. Ipse enim professus tantùm fuerat se admittere, & honorificè amplecti sanctas & venerandas Imagines: ita tamen ut supremam latriæ venerationem uni dumtaxat supersubstantiali & vivificæ Trinitati reservaret.

Ita hujusmodi Episcopum sensisse constat ex Græco contextu, qui sic habet τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω: hujusmodi verba perperàm in latinum conversa latinis patribus utpotè Græcè nescientibus erroris ansam præbuerunt. Cum enim hujusmodi verba ex nativo suo significatu sensum hunc Catholicum redderent: adorationem, quæ per latriam, id est per servitutem Deo debitam exercetur, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo: ab latino quopiam interprete vel ignaro, vel maligno (quem & secutus est librorum Carolo Magno ascriptorum author) contrarium in sensum & hæreticum sunt detorta: sic enim ille vertit totum hunc locum: infaustè & præcipitanter, sivè insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines secundum servitium adorationis; quam supersubstantiali & vivificæ Trinitati emitto.

Hujusmodi traductio procul abest ab ipsis Constantini Episcopi verbis, quæ (si Græco contextui fideliter hæreamus) talia sunt: Constantinus Sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit: in nullo sensu commutatas litteras, quæ nunc lectæ sunt, quæque ab Oriente missæ sunt ad Tarasium Sanctissimum Archiepiscopum & Patriarcham à definitione fidei, quam ipse antè confessus fuerat, inveniens & ego indignus his consentio & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas & venerandas Imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati defero: & eos qui non ita sentiunt, neque glorificant, ab sanctâ Catholicâ, & Apostolicâ Ecclesiâ segrego & anathemati subjicio, & in partem eorum qui negant carnalem & corporalem dispensationem Christi veri Dei nostri transmitto. Ita sensit, & dixit Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, ut legere est tom. 3. Concil. general. ex edition. græco-latin. Binii in sept. Synodi action. 3. pag. 536.

Indè colligitur latina verba cujusmodi leguntur in Hadriani Apologet. & libro Caroli depravata fuisse, non autem Græca, quæ sanum Catholicumque sensum continent, nimirùm imagines admittendas esse, & honore afficiendas, sed non eo adorationis genere colendas

quod soli Deo tribuitur, ac Latrica dicitur. Unde & reprobanda est larina versio, in quâ contrarium docetur: nempè imagines eodem Latriæ cultu prosequendas, quo sanctissimam Trinitatem afficimus.

Hæreticus.

Mihi non fit verisimile Patres Francofordienses tam facilè decipi potuisse, & tam facilè Nicænam Synodum II. damnare voluisse: Cùm præsertim, ut acerrimè prædicatis, & contenditis, vestra Concilia errare nequeant.

Catholicus.

Fatemur & contendimus Concilia in Spiritu sancto congregata errare non posse in rebus ad salutem necessariis, ut puta in definiendis aut declarandis fidei articulis, aut sanciendis morum regulis; sed in rebus facti eadem ipsa Concilia errare posse asserimus. Sic errare potuerunt Patres Francofordienses, rati sacris imaginibus veram latriæ adorationem uni dumtaxat Deo debitam ab Nicæna Synodo esse constitutam.

Quod verisimile fit quotidianâ Calvinistarum audaciâ (ne quid deterius dicam) qui continuò & prædicant & scribunt nos Imagines eodem latriæ cultu prosequi, quo sanctissimam Trinitatem afficimus, quamvis nostri Prædicatores, nostra scripta omnium manibus trita, & nostra Concilia passim contrarium doceant. Quod cum ita sit, quidni impudens quispiam sycophanta Synodum Græcam adulterare, seu heterodoxis placitis, & commentis infuscare, atque ita Patres Francofordienses (quibus ob allatas rationes vix illa Synodus innotuerat) in errorem inducere potuerit?

Hæreticus.

Quicquid id est, Minister Claudius rectè contendit universalem mutationem in Concilio Francofordiensi factitatam esse, circa cultum Imaginum.

Catholicus.

Nihil minus est universale, quam illa mutatio, quam Minister Claudius ex Imaginum occasione & veneratione contigisse asserit. Nam ipsemet opinionem aientem Imagines non esse religioso cultu prosequendas, nemini præterquam Episcopis Francoforti congregatis ascribere potest: nec indè sequitur in eam omnes Galliarum Episcopos, nedùm omnes Sacerdotes & Laïcos consensisse: sed certum est nusquam ab summis Pontificibus approbatam esse, imò illo ipso tempore ab Orientalibus Episcopis fuisse damnatam. Ita ut cum hujusmodi opinio adeo singularis esset, & Francofordiensium Episcoporum propria, jam non oporteat cum M. Claudio quærere, quo pacto contraria sententia illi præponderare potuerit, sed potiùs sciscitandum est, quomodo illi Episcopi sese in eam sententiam implicare potuerint. Nam causa mutationis circa rem, quam stabilire decreverant, obvia est, & apptimè perspicua, totum nempè Corpus Ecclesiæ unam sui partem rapuit in sensum Orthodoxum, & ratio de quæstione nihil sibi cohærente, & præposterâ triumphavit. Francofordienses Episcopi admittebant venerationem Crucis: atqui Cruces quas nostris in templis colimus, nihil aliud sunt, quam veræ Crucis imagines.

Præterea admittebant Historicum Imaginum usum, id est usum illum, cujus beneficio personarum, actionumque memoria vivifcit, & propagatur: & damnabant Iconoclastas, quibus nihil erat antiquius, quam ut ipsas Imagines comminuerent, dissiparent, & omnibus è templis revellerent. Atqui nullo pacto historicus Imaginum usus ab relativo earumdem Imaginum cultu separari potest, quin ipsi naturæ vis inferatur. Nam idem animæ motus, seu affectus qui ingenerat lætitiam derivatam ex signis, quorum adminiculo nostros animos subit earum rerum recordatio, quas diligimus pariter & veneramur, nos etiam incitat ad internam dilectionem & venerationem hujusmodi signorum, quæ nunquam sese nobis offerunt, quin nostris animis imprimant speciem rei, quam aliquâ veneratione prosequimur; Cum autem hæc interna veneratio, sit legitima, nihil prohibere potest, quominùs externos in actus prosiliat: qui quidem cum proficiscantur ex reverentiâ, quam non unio merè humana, sed religio parit, illa ipsa veneratio jure ac meritò religiosa nominatur. Quapropter SS. Patres, & imprimis sanctus Gregorius, qui Serenum Massiliensem Episcopum graviter increpat (ut legere est in Regist. Epistol. lib. 7. indict. 2. Epist. CXI. & lib. 9. indict. 4. epist. 9.) eo nomine quod inconsiderato zelo inflammatus imagines confregerat, & projecerat, ne populus in idololatriam delaberetur, eidem præcipit, ut si quis imagines facere velit, minimè prohibeat, sed easdem imagines adorari non sinat, quia ut ait ille ipse Sanctissimus Pontifex, aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Unde patet eumdem sanctum Gregorium non loqui dumtaxat de historico imaginum usu, quasi ad meram, vel Christi, vel Deiparæ, vel aliorum Sanctorum recordationem ob fidelium oculos proponerentur, sed de historico earumdem imaginum usu, qui cum naturali motu qui ab ipso proficiscitur, id est cum cultu religiosaque reverentiâ arctissimè cohæreat. Cum enim Imagines in eum potissimum finem adhibeantur, ut in personas in ipsis adumbratas noster amor effervescat, proculdubiò ille ipse amor ad sacrarum imaginum cultum collineat. *Hoc enim colitur, quod diligitur*: ut ait sanctus Augustinus in Psal. 77.

Orthodoxam hanc veritatem mirabiliter explicat sanctus Gregorius Regist. epistol. lib. 7. indict. 2. Epist. 54. *Scio quidem*, inquit, *quod Imaginem Salvatoris non ideò petas, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante Divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit animum nostrum, aut de Resurrectione lætificat, aut de Passione demulcet.* Hæc ibi.

Et paulò pòst idem sanctus Gregorius sic affatur eumdem Secundinum ad quem inscripta est Epistola citata, ut ipsi testatum faciat se illi mittere Imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & unam Crucem, ut in ejus amore usque in finem permaneat, pro cujus amore solitarius habitare desiderabat. Hæc ibi.

Quæ cum ita sint, id est cum Imagines collocentur in Templis, non ad meram personarum recordationem (in quâ positus est merè historicus earumdem Imaginum usus) sed præterea ad dilectionem, religiosamque venerationem hujusmodi personarum unicuique pro suâ dignitate exhibendam (quâ in re consistit historicus Imaginum usus cum debito cultu conjunctus) nemini mirum videri debet, quod opinio Episcoporum Francofordiensium propria & insuper naturæ, rationi, generalique Ecclesiæ consensioni contraria penitùs exoleverit. Hac in occasione eluxit summorum Pontificum singularis prudentia, & in hujusmodi Episcopos charitas verè Apostolica, utpotè qui eos non adhibuere severiùs, sed tolerarunt, donec eorum animi densâ veluti caligine circumfusi, remotâ tandem erroris nebulâ resipiscerent: quod reverà cum incredibili bonorum omnium plausu & gaudio factitatum esse novimus. Quod quidem ita contigisse mirabile videri non debet, imò multo esset mirabilius si aliter sese tota illa res habuisset.

Ac reipsa quidem videtur velle toti hominum societati illudere quisquis eam circa cultum Imaginum mutationem, (in quâ nihil mirum aut inauditum deprehendere licet) adducit in medium, ut alteri mutationi, quam circa Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum factitatam esse ministri asserant, aliquam probabilitatem accersant. Nam præfatam mutationem, quam astruere tot artibus & machinis moliuntur, impossibi-

lem esse suprà declaravimus ex variis hypothesibus, quæ omnimodam dictæ mutationis impossibilitatem luce clarius ostendunt.

Ad hujusmodi hypotheses accedunt & alia multa eamdem impossibilitatem demonstrantia, & una potissimùm ratio petita ex undecimi sæculi statu, quem talem Calvinistæ fuisse fateantur necesse est, ut nemo hominum undecimo sæculo viventium prædictam mutationem sæculo decimo in Ecclesiam circa Augustissimum Sacramentum invectam, perspectam & cognitam habuerit. Nemo enim Author illius tati vel suppar, vel proximus, litteris prodidit ullam doctrinam circa realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, vel scripto, vel vivæ vocis oraculo fuisse propositam, præter eam, quam ab Apostolicis temporibus continuatâ Sacerdotum successione ipsa Ecclesia nunquam non credidit, retinuit, & Prædicatorum suorum ministerio in toto terrarum orbe fidelibus annuntiavit.

Si ergo ab omni ævo fides Corporis Christi in Eucharistiâ absennæ perstitisset in Ecclesiâ Dei, nulla circa eamdem fidem mutatio accidere potuisset, quin statim longè lateque manasset in totum orbem Christianum, & multi avitæ fidei, traditionique retinentissimi insurrexissent in novum illud dogma, quo vel Paschasius, vel Bertramus realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam ante illud tempus nec cognitam nec creditam statuere tentassent. Insurrexissent proculdubio defensores antiquæ veritatis illi ipsi Corporis Christi præsentiæ repugnantis, & quidem cum tanto strepitu, & ardore, ut de hujusmodi hominum labore, & flagrantissimo novitans opprimendæ studio, nec illorum siluisset ætas, nec nostra etiamnum conticesceret.

Cum ergo ne umbra quidem hujus mutationis cernatur in undecimi sæculi historiâ, in quo tamen sæculo tot homines insigni eruditione pariter & pietate conspicui, & tot Concilia nullâ factâ mentione mutationis circa fidem Eucharistiæ (quam sæculo decimo factitatam esse dictitant Calvinistæ) incubuere in profligandas hæreses, quibus Berengarius, & Berengariani realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam convellere connitebantur; argumento est esse fictitiam illam mutationem, quam, si revera extitisset, omnes Paschasistæ & Commentitii Bertramistæ, nisi in iis extincti essent omnes affectus naturales, quos suprà in probandâ præfatæ mutationis impossibilitate percensuimus, in omnium sæculorum memoriam tota vitium contentione propagassent.

Quicquid igitur obstrepat Minister Claudius, fictitia est illa mutatio, & futilia sunt aliarum mutationum exempla, quæ profert ad probandam mutationem fidei, quam circa Eucharistiæ Sacramentum contigisse deblaterat. Nam ut vidimus suprà, mutationes illæ, quas adducit ad probandam prædictam mutationem, vel non spectant aliquod dogma fidei, quod variari non potest, vel non irrepserunt sensim & furtim in Ecclesiam quod de mutatione circa Eucharistiæ fidem factâ asserit, vel non fuerunt universales, vel in iis non est mutata Ecclesiæ fides, ut ostendimus: Nam quicquid de imaginibus ab Apostolicis temporibus ad nostrum usque sæculum Ecclesia credidit, & docuit, etiamnùm credit & docet, ut videre est in art. 1. quo dissolvimus objectionem, quâ Hæretici lacessunt Ecclesiam, quasi imagines venerando in idololatriæ crimen impingeret.

Recapitulatio Doctrinæ superioris.

Hactenùs diximus pulcherrimum illum librum; qui perpetuitas fidei circa Eucharistiæ Sacramentum, &c. inscribitur, fuisse ab Min. Claudio appetitum, & postea triplici Tomo ceu triplici vallo circumdatum & munitum, ita ut Min. Claudium & Calvinistas Sacramentarios in primigeniam & antiquam Eucharistiæ fidem grassatos, nihil ex sacrilegio illo ausu præter verecundiam extulisse Ecclesia Gallicana viderit, imò totus orbis Christianus non sine incredibili omnium bonorum lætitiâ conspexerit. Nam tres illi Tomi, ut perpetuam circa Eucharistiæ Sacramentum fidem astruant, in duarum præsertim rerum probationem incumbunt. 1. Enim ostendunt impossibilem fuisse illam, quam Calvinistæ comminiscuntur, immutationem. 2. Probant illam ipsam fidei perpetuitatem ex consensione omnium Ecclesiarum Christianarum sive illæ Schismaticæ sint, sive Catholicæ. Primam partem ex impossibilitate petitam excerpsimus ex primo volumine quod Sanctissimo Patri Clementi nono Pontifici maximo dicavit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus & apprimè Catholicus. Alteram partem; quia etiam nostram in rem maximè convenit ex eodem volumine & aliis exceptam breviter attingemus, ut & nos, & Lectores benevolos non nostris placitis & inventionibus, sed micis, quæ de mensâ Magistrorum nostrorum cadunt, alere, & adversus Hæreticorum divina mysteria semper allatrantium insidias & errores corroborare valeamus. Sit itaque titulus,

Omnium gentium & Ecclesiarum in eamdem Eucharistiæ fidem conspirantium consensio.

Quod apud multos unum invenitur, non est erratum; sed traditum, ut ait præclarè Tertullianus lib. de præscript. cap. 28. Atque fides quâ credimus substantialem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam una est in toto terrarum orbe, & nemo est Christianus, quin eam liberè, apertè, & ex animo profiteatur. Unde authores, qui Berengarii hæresim adversus hanc fidem excogitatam decretorio stylo confoderunt, Berengarium hac in re toti terrarum orbi repugnare & contradicere non uno in loco declararunt. Testis est Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus qui quod asserimus disertè profitetur pluribus in locis in lib. de Corpore & Sanguine Domini & præsertim cap. 8. cap. 17. & 18. explanat Ecclesiæ fidem circa Eucharistiæ Sacramentum & eam semper id est in omni gente perstitisse non obscurè prædicat: *Credimus*, inquit, *terrenas substantias, quæ in mensâ Dominicâ per Sacerdotale ministerium divinitùs sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante supernâ potentiâ, converti in essentiam Dominici Corporis, reservatis ipsorum rerum speciebus & quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda, & cruenta horrerent, & ut credentes fidei ampliora præmia perciperent; ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso*: Et paulò post: *Hanc fidem*, inquit, *tenuit à priscis temporibus & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur*. Hæc ille qui & idem repetit. ejusd. libri cap. 19. exeunte. Et cap. 21. ait Berengarium suam hæresim stabilire molientem, litem movere, ab universali Ecclesiâ dissentire, novum Schisma verbis & scriptis contra Sanctorum Patrum præcepta inferre.

Præterea idem Lanfrancus testatur evidentissimè citati jam libri cap. 22. eam quam profitemur de Eucharistiâ fidem ab omnibus Christianis, & ab omnibus teneri. Sic enim affatur Berengarium: *Si verum est quod de Corpore Christi tu credis & astruis: falsum est quod ab Ecclesiâ ubique gentium de eadem re creditur & astruitur. Omnes enim qui Christianos se & esse & dici lætantur; veram Christi carnem verumque ejus Sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos homines uno ore hanc fidem se testantur habere. Porrò si universalis Ecclesiæ fides falsa extitit: Aut nunquam fuit Ecclesia Catholica, aut periit. Sed non fuisse, aut periisse Ecclesiam, Catholicus nemo consenserit.*

H h iij

Cum nullus Hæreticarum partium alumnus hisce viri sanctissimi verbis contradicere, & respondere unquam tentaverit, aut potuerit, certo certius est Ecclesiæ Romanæ de Eucharistiâ fidem esse Apostolicam, Orthodoxam, universalem, id est longè lateque toto terrarum orbe disseminatam, & ab omnibus omnium gentium Christianis susceptam, & constantissimè ad nostra usque tempora retentam: Ideòque nemo jam Calvinistarum realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam pervicaciter impugnantium erroribus irretiri, nec in Ecclesiâ, quæ se reformatam gloriatur, diutiùs immorari poterit, quin se toti terrarum orbi in unam Ecclesiæ Romanæ fidem consentienti temerè adversari, suamque vel paucolorum hominum nullâ authoritate pollentium opinionem omnium gentium fidei anteponere pati ad impudentiam dementiâ profiteatur.

Alioquin negabit Græcos, & Armenos, & omnes aliarum gentium populos eam tenere de Eucharistiâ fidem, quam Romana ab omni ævo credit & usquequaque profitetur Ecclesia. Quâ in re falsitatis nullo negotio revinci poterit.

Quod spectat ad Græcos certum est eos idem cum Ecclesiâ Romanâ de Eucharistiâ credere, sentire & prædicare, quod quidem solidè probatum oportuit, & reipsâ probatum fuit adversus M. Claudium qui in 1. respons. suâ pag 29. confidentissimè suo more affirmaverat transsubstantiationem & adorationem Sacramenti Eucharistiæ, esse duo capita toti terrarum orbi, prætérquam Ecclesiæ Romanæ incognita. Neque enim, inquit, Græci, nec Armeni nec Russiani, nec Jacobitæ, nec Æthiopes, nec ulli generatim Christiani duos hujusmodi articulos credunt. Quibus verbis contendebat Christianos illos Orientales tam in præsentiæ realis, quam in transsubstantiationis dogmate ab Ecclesiâ Romanâ dissidere.

Quod quidem falsissimum esse animadvertere potest, nisi omnem penitùs aditum rationi & veritati intercluserit. Cum enim vel per se vel amicorum interventu consuluisset Marcum Dolum Cretensem de fide Orientalium circa præsentiam realem & transsubstantiationem, ille respondit per litteras eidem D. Joanni Claudio Reformatæ Parisiensis Ecclesiæ Pastori inscriptas, in quarum Exordio ita loquitur. Notum sit tibi, præstantissime vir, quod totus Oriens consentientem habens & Occidentem, credidit semper & credit à primis Ecclesiæ incunabulis panem & vinum verè & physicè transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Christi depositâ primâ substantiâ, & hanc transsubstantiationem tenet inter articulos fidei necessarios, adeò ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitùs rejicere. Hanc autem fidem habuit à Christo, & per successionem ab Apostolis, & à Patribus Primitivæ Ecclesiæ, qui columnæ fuerunt & fundamentum Orthodoxiæ Græcanicæ.

Paulò pòst subdit, Cardines & Sacerdotes Ecclesiæ Græcanicæ neminem permittere participem fieri sanctissimi Corporis & pretiosissimi Sanguinis, nisi prius hanc edat Confessionem, quæ prolata primò pro simplicibus à Sacerdote, profertur quoque de verbo ad verbum ab iis, qui ad mysticam cœnam accedunt, ut unusquisque noscat non solùm, sed fateatur apertè mysterium.

Et infrà: Romana Ecclesia nunquam à nostrâ discrepavit in hoc articulo, ergo sic ipsa quoque ab initio credidit.

Posteà tota Epistola comprobat realem præsentiam & transsubstantiationem authoritate scripturarum & Patrum Græcorum, qui utrumque prædicarunt & litteris prodiderunt. Epistolam hanc integram legere est tomo 3. ad astruendam perpetuitatem fidei Eucharistiæ elaborato lib. 8. cap. 12. a pag. 664. ad p. 674. in quâ eadem Epistola dicitur missa ex arce Zachyphi die 21. Maii 1672.

Quid objiciet Minister Claudius adversus hasce litteras, mihi persuasum est eum, repudiaturum esse hujusmodi litteras, utpotè ab homine non Græco, sed Græcum hominem ementito profectas. Verum si vel aliquem rationi reliquerit locum, facilè deprehendet, quam futile sit hoc effugium. Numquam enim hominem verè Græcum reperiet; siquidem eam sibi effinxit Græcorum Ecclesiam quam nemo vidit, nemo cogitavit, aut videre, aut cogitare poterit, quin ejus caput (in quo solo residet) perspicacissimus, imò plusquam lynceis oculis introspexerit.

Unde Author citati tomi 3. hoc illi effugium commentitiâ Ecclesiæ Græcanicæ specie innixum sapientissimè præclusit. Nam totum librum octavum eiusdem tomi 3. impendit in referendis testimoniis plurimis Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, Abbatum, Religiosorum, qui omnes subscriptis testificationibus & litteris unionem & omnium Ecclesiarum Orientalium cum Ecclesiâ Romanâ in realis præsentiæ & transsubstantiationis fide consensionem authenticè, & luculenter astruunt.

Illud ipsum anteà præstitum est tomo 1. lib. 2. lib. 3. lib. 4. lib. 5. lib. 7. lib 8. & lib. 10. declarantur & explanantur consequentiæ, quæ necessariò inferuntur ex unanimi consensu omnium societatum Christianarum circa dogma præsentiæ realis & transsubstantiationis. Itaque quisquis de Minist. Claudio, & ejus argutiis triumphare voluerit ad laudem omnipotentis Dei, & Ecclesiæ quam acquisivit Christus Sanguine suo; nocturna diurnaque manu diligenter evolvat tres illos tomos, in quibus refelluntur omnes errores, quibus Sacramentarii Calvinistæ, Berengarii Discipuli & asseclæ venerabile Eucharistiæ Sacramentum recrudescente in Ecclesiam Romanam odio labefactare, & obterere quotidiè moliuntur: Hujusmodi enim opus tribus iis tomis comprehensum æquiparandum turri Davidicæ, quæ ædificata est cum propugnaculis, ex quâ mille clypei pendent, omnis armatura fortium, illi suppeditabit arma non qualiacumque, sed victricia, quorum præsidio Philosophicas hæreticorum argutias explodere, præposteras scripturarum interpretationes, quibus nituntur discutere, & exsufflare, ipsorum objectiones ex Scripturis, & sanctorum Patrum monumentis petitas dissolvere, assiduas eorumdem tergiversationes, & cavillationes retegere & comprimere, monstruosa denique novitatum commenta ad Catholicorum dogmatum stragem instigante dæmone comparata, & ab ipsis pervicaciter, reclamante toto orbe Christiano, quotidianis opusculis propugnata elidere & ad internecionem profligare valeat.

Cum per multos dies heterodoxus Calvinista & nos Catholici hanc de reali Corporis Christi in v. Sacramento præsentiâ & de transsubstantiatione controversiam agitavissemus, & ille nihilosecius ad hæresim, quam cum lacte suxerat, adhæresceret, paululùm otii captandum esse judicavimus, tum ut ille totam disputationem, quam illi studiosè correctam & citationibus, quas inter disputandum integras referre non licuerat, locupletatam miseramus, attentiùs & accuratiùs expenderet; tùm etiam ut animus noster diuturnâ plurium dierum concertatione defatigatus sese paululùm colligeret, & reficeretur, atque ita, si opus esset, ad prælium reverteretur alacrior, & ut cum maximè Apostolicam fidem, quam omni tempore Ecclesia Romana retinuit, & in omni natione, quæ sub cœlo est, docuit adversus nova Berengarianorum, & Calvinistarum placita defenderet.

Explicit primum Colloquium inter Orthodoxum & Heterodoxum de reali Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ, & transsubstantiatione habitum.

In hoc secundo colloquio inter Orthodoxum & Heterodoxum habito discutiuntur & probantur septem dogmata ad Catholicam venerabilis Sacramenti veritatem & venerationem pertinentia, quæ quidem ex reali Corporis Christi in eodem Sacramento præsentiâ necessario consequuntur.

Colloquium secundum in quo tractantur & probantur dogmata quæ ex reali præsentiâ & Transsubstantiatione necessario consequuntur.

POst aliquot hebdomadas reversus ad nos Heterodoxus asseruit se adhuc dubium & ancipitem hærere in bivio, tametsi in legendis & expendendis rationibus & testimoniis (quibus suam de reali præsentiâ & Transsubstantiatione fidem fulciebat Ecclesia Romana) deprehendisset multa, quibus ægrè admodùm Sacramentarii respondere poterant. Nihilosecius velle rescifcere quid supposita reali præsentiâ & Transsubstantiatione eadem Ecclesia Romana ab suis fidelibus exigeret.

Catholicus.

Quid exigat ab suis fidelibus Ecclesia Romana ipsa te docebit; sic enim suam mentem aperit in Concilio Tridentino sess. 13. Can. 6.

Si quis dixerit, inquit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

Item *Canone VII.*

Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

Ex his duobus Canonibus patet Ecclesiam Romanam in Spiritu sancto congregatam exigere sub anathematis interminatione, ut omnes, qui se inter ipsius filios annumerari volunt, sequentia septem capita ex animo credant & profiteantur.

1. Sancit sacro-sancta Synodus Tridentina Christum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento cultu latriæ, etiam externo adorandum esse.

2. Illum ipsum Christum in eodem Sacramento verè præsentem peculiari celebritate, seu solemnitate venerari oportere.

3 In supplicationibus seu processionibus solemniter pro laudabili Ecclesiæ Catholicæ ritu & consuetudine circumferendum esse illud ipsum Christi Corpus in hoc Sacramento, ceu cœleste manna, absconditum.

4. Publicè, ut adoretur, populo proponendum.

5. Ejus Sacramenti adoratores idololatras credere aut appellare eadem sancta Synodus denuntiatâ excommunicationis pœnâ prohibet.

6. Eos anathemate ferit, qui dixerint non licere reservari in sacrario sanctam Eucharistiam, sed statim atque consecrata est, astantibus necessariò esse porrigendam.

7. Denique eodem percellit anathemate, quotquot ipsum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos honorificè deferre illicitum esse dixerint.

Ecce tibi Ecclesiæ Romanæ fidem in œcumenicâ Synodo Tridentinâ, sicut & in aliis Conciliis etiam œcumenicis antea declaratam. Si quid habes quod adversus hujusmodi capita objicias, objicientem te clementer audiemus.

Secundi hujus colloquii sectio prima in quâ latriæ cultus Christo in Eucharistiæ mysterio realiter præsenti debitus certissimis testimoniis & argumentis astruitur.

Primum dogma quo latriæ cultus Eucharistiæ Sacramento decernitur.

Hæreticus.

NON satis perspicio quid sit ista latria, quâ Christum in Eucharistiâ adorandum esse contenditis, & quomodo ab aliâ adoratione, quæ dulia dicitur, secerni debeat?

Catholicus.

Latria seu latriæ cultus est supremus honor, qui soli Deo utpotè summo creatori impenditur ex debito servitutis, quo tenemur non solùm nostra, sed nosmetipsos impendere pro ipsius honore, & ipsius etiam causâ mortem oppetere, si necesse fuerit, & ad promovendam ejus gloriam expediet, idque ad referendam gratiam pro beneficiis quibus nos cumulavit, & ad profitendam immensam illam bonitatem, quam toties patefecit erga nos, & illa ipsi officia præstanda sunt animo contrito, spiritu summoperè demisso, toto affectu, actu, habitu; quin etiam gestibus & signis exterioribus nos ad ejus majestatis pedes supplices advolvi, & eum sacrificiis illi dumtaxat uni, secluso quolibet alio, debitis, venerari oportet: ita ut omnem nostram spem & omnia desideria ad ipsum tamquam in finem ultimum referamus, & velut in eum à quo omnia speramus, omnia expectamus, & imprimis omne meritum & retributionem bonorum pariter & malorum, prout suprema illa, quâ pollet, justitia, decretorio & irrevocabili judicio definierit.

Hujusmodi latriæ descriptio complectitur omnia officiorum genera, quibus summam Dei majestatem homines prosequi tenentur; quæ quidem revocantur ad duplicem adorationem, interiorem nimirùm & exteriorem. Quia enim, ut ait S. Joan. Damascenus l. 4. de Orthodoxâ fide cap. 13. duplici naturâ constamus, aspectabili nimirùm & inaspectabili, hoc est intelligibili & sensibili, idcircò duplicem conditori nostro adorationem offerimus.

Cultus igitur religiosus, seu adoratio secatur bifariàm: Alia enim est interior, quæ in mentis actione consistit, & animat & format exteriorem, quæ alioquin Dei misericordiam non evocaret. Hujusmodi adoratio exigit hominis intelligentiam, & ejus voluntaris affectum, ut ritè Deo Opt. Max. deferatur. Adoratores enim qui Deum adorant in spiritu & veritate & intelligentiâ capiunt ac profitentur excellentem, imò infinitam illius dignitatem qui ab ipsis colitur; & syncero voluntatis affectu & impetu ita in eum rapiuntur, ut omnes omninò homines ipsi flagrantissimo studio mancipatos atque adeò ubique terrarum eum agnitum, adoratum, & in debitâ illustrique gloriâ positum esse cupiant. Interna hæc adoratio comprehendit omnem amorem, omnem timorem, omnem reverentiam, & omnes alios affectos & actus, quibus Deum veluti totidem victimis, in corde velut in arâ oblatis & flagrantissimæ charitatis igne succensis afficimus.

Adoratio exterior ea est, quæ corporis ministerio & externo aliquo gestu utputa capitis inclinatione, genuflexione, & aliis id genus indiciis significatur, & exhibetur.

Ad hanc adorationis speciem pertinet religiosa quædam corporis conformatio, ut genuflexio, capitis inclinatio, in humum depressio, & alia id genus religiosi cultus indicia, quæ externâ specie & gestu exhibentur Deo & creaturis, sed secernuntur diverso voluntatis affectu. Nam impenduntur creatori ut supremo Domino, cui ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine omnia nostra accepta referimus, & ad quem

velut ad ultimum finem contendimus: impenduntur autem hominibus utpotè Deo charis, quos ille donorum cœlestium abundantiâ cumulavit.

Observandum tamen esse quasdam adorationis species, quæ cum ad λατρείαν propriè pertineant, nulli præterquam Deo possunt exhiberi. Tale est sacrificium ita Deo debitum, ut ipsum nulli creaturæ quantacumque gratiæ & gloriæ, sublimitate & amplitudine fulgeat, citra immane crimen offerre valeat. Unde licet pleraque vel etiam omnia adorationis externæ signa ex solâ adorantis intentione ad latriam, vel hyperduliam, vel duliam determinata Deo pariter & sanctis impendantur, semper tamen excipienda sunt templa, altaria, & sacrificia, quæ omnia ut soli Deo propriè sunt debita, ita & illi soli nemine tam Catholico quam heterodoxo reclamante sunt exhibenda.

Quod luculenter astruit S. Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap. 27. *Nec tamen*, inquit, *nos eisdem martyribus templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* Quibus verbis prædicat Augustinus soli Deo erigi templa, consecrari Sacerdotes, & offerri sacra & sacrificia, *Fatemur quidem super tumulos martyrum erigi altaria, in quibus offerantur sacrificia Deo martyrum, ut illi de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoria renovatione adhortemur. Quacumque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tamquam Deorum.*

Hæc ibi S. Augustinus, qui alibi & sæpiùs sepulchra martyrum super quæ erecta erant altaria, vocat memorias martyrum: eo quod illic uni Deo offerrentur Sacrificia in honorem eorumdem martyrum, ut Christiani ardentiùs imitarentur eos, quos olim in terris adversùs veritatis hostes ad sanguinis effusionem dimicasse, & jam in cælo triumphare meminissent.

Ista satis superque declarant latriæ essentiam.

Quod spectat ad duliam definiri potest, cultus qui Angelis pariter & hominibus cum Christo regnantibus ob excellentiam creatam, supernaturalem & intrinsecam, ab fidelibus cum Religiosâ submissione impenditur.

Hæreticus.

Perperàm distinguitis latriam, & duliam, atque adeò præposterè illam Deo, hanc autem sanctis attribuendam esse contenditis. Hujusmodi enim voces indiscriminatim usurpantur, & ejusdem sunt significationis, tam apud prophanos Authores & Grammaticos (sicut ex eorum scriptis planissimum est) quam apud ipsos Græcos veteris testamenti interpretes (ut agnoscunt Laurentius Valla, & Ludovicus Vives explicans cap. 1. libri 10. de civit. Dei) Nam 70. interpretes per vocem λατρείας non modò exprimunt cultum, qui soli Deo debetur, verum etiam illum qui creatoris tribuitur, ut Levit. 23. cap. v. 7. & 8. & Deuteron. 28. cap. v. 48. habetur λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. Iidemque voce δουλείας utuntur passim, cum agitur de Deo & de cultu qui uni illi duntaxat impenditur. Quod quidem pluribus è locis demonstrari potest. Idem quoque constat ex pluribus locis novi Testamenti: ut videre est Matth. 6. v. 34. Act. 20. v. 19. Rom. 7. 6. & 12. v. 11. & 14. cap. v. 18. & cap. 16. v. 18. & Ephes. cap. 6. v. 7. quibus in locis cultus qui Deo tribuitur, per vocem λατρείας exprimitur. At Matth. cap. 4. v. 10. & Rom. cap. 1. v. 9. & pluribus aliis novi Testamenti locis idem cultus exprimitur per vocem λατρείας. Hinc igitur patet latriam & duliam in eumdem prorsùs sensum accipi, & tum apud prophanos Authores, tum apud 70. Interpretes, & in novo Testamento indiscriminatim tam pro cultu, qui Deo, tam pro eo cultu, qui creaturis impenditur, usurpari. Unde vestri Doctores, & Theologi non possunt expedire se ab idololatriæ crimine, quod vobis impingitur, nisi concedant duas esse latriæ & duliæ species, quarum altera civilis, altera verò Religiosa dicatur, ita ut latria & dulia civilis creaturis ipsis etiam hominibus improbis qui dignitate alios antecellunt, communicari possit: latria autem & dulia religiosa, nulli præterquam Deo deferri valeat. Cum igitur cultum (quem Angelis & Sanctis cum Christo regnantibus impenditis) contendatis esse religiosum, quis vos creaturis honorem soli Deo debitum impendere negabit, & proindè quis cultum illum sivè, latria, sivè dulia nominetur, cum teterrimo idololatriæ crimine conjunctum & verè idololatricum esse inficiari poterit?

Catholicus.

Tametsi certum sit ista duo vocabula λατρείαν & δουλείαν indiscriminatim apud Authores sacros & profanos usurpari pro cultu & reverentiâ, quâ non solùm Deum, sed ipsas etiam creaturas prosequimur, nihilominùs tamen usus, qui est loquendi magister & arbiter, pervicit apud Græcos patres & latinos, ut λατρεία peculiare nomen esset supremi cultus & adorationis, quæ nulli rei creatæ, sed uni vero ac sempiterno Deo tribuitur: δουλεία verò significaret cultum religiosum latriâ multò inferiorem, quo & Angelos aliosque sanctos ad æternam fœlicitatem assumptos Christiani Catholici prosequuntur.

Latriam uni duntaxat Deo deberi, atque adeò illi soli ab fidelibus exhiberi testificantur patres plerique omnes & imprimis S. Augustinus lib. 5. de civit. Dei. cap. 15. *Pietas vera non exhibet servitutem Religionis (quam latriam Græci vocant) nisi uni vero Deo.*

Item lib. 10. de civit. Dei. cap. 1. *Latriam*, inquit, *nostri ubicumque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus qua debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem quâ locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut penè semper ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.*

Item lib. 15. cont. Faust. Manich. cap. 21. ait colere nos *martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vitâ coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelicâ veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò securiùs post certamina superata.* Et pauló pòst: *At verò illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè verò uno verbo dici non potest, cum sit quadam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam Doctrinam, sivè ut corrigatur, sivè ut condemnetur, sivè ut caveatur.* Hæc ibi.

Duplex igitur cultus statuitur ab S. Augustino, unus videlicet qui Sanctis impenditur per dilectionem & societatem, quâ nos cum ipsis in Christo & per Christum arctissimè conjunctos esse testificamur, & hunc cultum vocavere duliam majores nostri, ut patet ex Act. 2. 4. & 5. Septimæ Synodi Oecumenicæ quæ est Nicæna Synodus secunda, ut patet ex S. Joanne Damasceno Orat. 3. de imaginibus, & ex S. Thomâ 2. 2. q. 84 art. 1. ad 1. Ad primum, inquit, dicendum, quod Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam: quæ aliquibus creaturis communicatur non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideò aliâ veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. Dulia ergo Angelis & beatis hominibus, latria verò uni Deo impenditur. Porrò ut paucis multa complectar, observandum

vandum est quadtuplicem esse excellentiam & dignitatem, propter quam Angelis & hominibus aliquem cultum exhiberi oporteat; & pro cujus differentiâ variat honos, qui illi tribuitur.

Prima excellentia est ea quam in Deo creaturas omnes infinitis partibus supergressò agnoscimus, & singulari latriæ cultu & veneratione prosequimur.

Secunda excellentia ea est, propter quam nos cum religiosâ nostri submissione Angelos, & beatos homines propter excellentiam supernaturalem, ad quam divinâ misericordiâ gratiaque sunt provecti, ut puta propter gratiam habitualem, charitatem, sanctitatem & beatificam visionem colimus. Et hic cultus pertinet ad religionem. Sicut enim sanctorum intrinseca & supernaturalis excellentia est participatio divinæ amplitudinis & excellentiæ, ita & dulia est divinæ participatio Religionis. Imò contendunt graves Theologi duliam cultumque sanctorum fore virtualem & implicitam religionem, si intrinseca illorum dignitas & excellentia consideretur, velut aliquid ex ipso profectum Deo, & illi considerentur ut prædestinati in adoptionem Filiorum per Jesum Christum, ut hæredes Dei, ut fratres & cohæredes Christi, & ipsius amici: quia tunc formalis ratio hujusmodi cultus nihil erit aliud, quàm excellentia divina, quæ quidem ipsis per gratiæ dona & per gloriæ præmia applicata fuerit.

Prætereà materialis & relativus eorumdem sanctorum cultus actualis & expressæ religionis naturam induet, si propter increatam Dei amplitudinem & præstantiam colantur, ita ut cultus formalis & absolutus, seu testimonium quo testificamur quanti faciamus infinitam Dei magnitudinem ab iisdem sanctis participatam non ad ipsos, sed per ipsos ad Deum in ipsos sua dona inexhaustâ munificentiâ profundentem, & in ipsis ut in templis inhabitantem terminetur.

Unde fit ut honor, cultus, & adoratio, quæ alicui propter excellentiam & dignitatem impenditur, divinæ primò magnitudini (ad quam solam omnia religionis officia collineant) principaliter ac propriè tribuatur: creaturis verò quocumque merito, quacumque dignitate fulgeant, nonnisi secundo loco, & secundum analogiam deferatur. Nihil igitur religiosæ observantiæ & honorificæ testificationis creaturis adhibetur, quin non tam ipsis exhibitum, quam in ipsum Deum omnis excellentiæ supernaturalis, id est omnis gratiæ & gloriæ fontem ubertimum juxta præcipua orthodoxæ fidei dogmata refusum esse censeatur.

Tertia est excellentia, quæ quemadmodum ab supremâ Dei dignitate infinito est intervallo dissita, ita etiam communem Sanctorum præstantiam & dignitatem multis partibus antecellit. Quisquis igitur ad hujus excellentiæ fastigium singulari privilegio provectus est, afficitur eâ veneratione, quam (quia latriâ, inferior erat & duliâ superior) majorum gentium Theologi hyperduliam appellari voluerunt.

Hæc autem hyperdulia definiri potest, veneratio seu cultus, quo creaturam aliquam ob excellentiam creatam supernaturalem, intrinsecam, planè singularem alterique incommunicatam cum religiosâ profundaque nostri ergaeam submissione prosequimur.

Hujusmodi cultus seu veneratio debetur & impenditur Virgini Deiparæ. Cum enim, ut ait sanctus Thomas 3. parte quæstione 25. art. 5. in corp. Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei veneratio latriæ; sed solùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei. Et ideò dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia. Hæc ibi.

Cum enim Beata Virgo eumdem illum numero filium quem Pater æternus ab omni æternitate ex se semper natum, semper nasciturum parit, humano corpore indutum in plenitudine temporum genuerit, atque adeò divinitatis fines eo partu proximè attigerit, (quod sanctorum nemini obtigit) nemini mirum videri debet, si major illi veneratio quam reliquis sanctis adhibeatur, & si omnes verè Christiani ejus maternitatem summè venerati ac ejus superexcellentissimæ dignitati humillimè subesse gestiant.

Quartum denique est excellentiæ genus, quod elucet in hominibus virtutis laude præstantibus, vel in aliquo dignitatis gradu constitutis. Et hujusmodi viris debetur honor, id est testificatio quædam excellentiæ quam in quopiam agnoscimus. Testificatio autem illa exercetur per quamdam adorationem quæ civilis, politica, profana, & naturalis appellatur: & definitur externa veneratio quâ testificamur, quanti faciamus cujuspiam personæ dignitatem & excellentiam naturalem vel moralem, quam & congruâ erga ipsam submissione prosequimur: Talis est honor, quo Reges, Principes viros, Magistratus, & alios virtute aut dignitate præstantes affectos esse legimus in pluribus scripturæ locis; ut Genes. cap. 18. v. 2. & cap. 19. v. 1. & cap. 23. vers. 12. & cap 27. vers. 29. & cap. 33. vers. 3. & cap. 42. vers. 6. & cap. 43. vers. 26. & alibi sæpiùs scriptura usurpat adorationem pro veneratione civili & officiosâ, quâ Reges, Magistratus, parentes, & alios id genus homines virtutis aut dignitatis titulo nobis aliisque superiores prosequimur.

Hic autem cultus dicitur etiam profanus, ut secernatur ab sacro & religioso cultu, quo sanctos, utpote ab ipso Deo maximis gratiæ & gloriæ dotibus & privilegiis cumulatos, non propter ipsos, sed propter Deum afficimus.

Unde nihil divinæ Majestati, nihil debitæ illi uni latriæ detrahitur, si aliquis cultus isque religiosus sanctis adhibeatur, & totus referatur ad Deum. Tunc enim tametsi sanctos suos in omnium bonorum suorum communionem & honoris societatem evocatos iisdem propemodùm venerationis vocabulis, quibus ipse colitur, honestari velit ille Ipse Deus, universa tamen & maximè præcipua religionis officia in ipsum velut inexhaustum bonorum omnium fontem & liberalissimum omnis gratiæ & gloriæ datorem per sese ac primariò proprieque conferuntur.

Sectio II.

In quâ refelluntur objectiones Hæreticorum nos Catholicos idololatriæ nomine, & crimine pervicaciter accusantium, eo quòd venerabile Eucharistiæ mysterium & interno & externo latriæ cultu prosequamur.

Hæreticus.

Ex his omnibus infero adversum vos manifestam à vobis idololatriam admitti. Si enim Sancti Patres Nestorianos (quos & vocabant Anthropolatras, id est hominis adoratores) idololatriæ nomine accusarunt, eò quod humanitatem Christi adorarent, licet non crederent eam esse Verbo in unitate hypostaseos unitam: quidni vos jure ac merito artolatras, id est panis adoratores, vel certè respectu specierum idololatras appellare liceat? quippè qui hujusmodi species ad quas unio hypostatica nullo pacto pertinet, adoratis.

Catholicus.

Quod objicis manifestam importat falsitatem: hac enim in parte maximum inter Nestorianos & Catholicos discrimen intercedit. Nam reverà Nestoriani erant idololatræ eo nomine, quod tametsi Christum simplicem & purum hominem esse arbitrarentur, eum tamen ut verum Deum adorarent.

Quod autem attinet ad species Sacramentales, quas hypostaticè Verbo non esse unitas novimus, eas aliquo cultu, sed latriâ multò inferiore prosequimur, nunquam tamen latriæ cultu adoramus, aut adorandas esse ex Ecclesiæ consensu docuimus.

Hæreticus.

Quidam Scholastici species Sacramentales supremo latriæ cultu adorandas esse docuerunt: & vos hujusmodi hominibus eam habetis fidem, quam divinis oraculis adhibendam esse creditis.

Catholicus.

Theologos Scholasticos sequimur cum, ipsi utramque traditionem scriptam scilicet & non scriptam sequuntur, vel saltem uni sivè scripta sit, sivè non scripta, congruenter scribunt & loquuntur: quod si ab alterutrâ, vel transversum unguem, ut vulgari fertur adagio, discedant, eorum placita utpotè nullam apud nos authoritatem habentia desetimus.

Unde apud nos tritum & pervagatum est hujusmodi axioma: sicubi aliquis Patrum vel Theologorum in aliquo ab veritate in Scripturis divinis traditâ vel ab receptâ Catholicæ antiquitatis doctrinâ devius reperiatur, lapsus iste clementer ab Christiano Catholico excusandus, vel charitate cooperiendus est, non autem in dogmatis confirmationem arripiendus.

Autem hoc pronuntiatum nobis præformavit, sanctus Augustinus epist. cxi. ad Fortunatianum inscriptâ: *Neque enim*, inquit, *quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Hactenùs sanctum Augustinum audiimus.

Nihil ergo moramur quosdam Scholasticos, qui suis ingeniis velificari, plus æquo metaphysicis quibusdam subtilitatibus, vel distinctiunculis in explanandis Orthodoxæ fidei dogmatis indulgent: siquidem ad Ecclesiam utpotè omnis controversiæ judicem, & disceptatricem, unam & irretractabilem scripturarum interpretem, divinæ denique traditionis ab Apostolis traosmissæ fidissimam custodem constanter adhæresimus. Libenter igitur audimus & credimus Ecclesiam in Concilio Tridentino congregatam & Christum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento adorandum esse sess. 13 cap. 5. his verbis pronuntiantem: *Nullus*, inquit, *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi Fideles pro more in Catholicâ Ecclesiâ semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideò minùs est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus: quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæâ, ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Hæc ibi.

Non igitur pertinet ad fidem Catholicam Sacramentum (pro unis dumtaxat speciebus, sub quibus Christus ab hominum oculis oblitescit, usurpatum) eodem latriæ cultu, quo ipse Christus adoratur, adorandum esse.

SECTIO III.

In quâ refellitur objectio Heterodoxi contendentis non posse adorari Christum in Eucharistiâ præsentem, quin uno eodemque cultu species, sub quibus ab hominum oculis oblitescit, afficiantur. Præterea vindicatur Bellarminus ab calumniâ ipsi impactâ ab ipsis Heterodoxis præfracte asserentibus ab ipso specierum Sacramentalium adorationem doceri & propugnari.

Hæreticus.

CUM istud Sacramentum, ut asseritis, constet ex duabus rebus, nempè ex reali Corporis Christi præsentiâ, & ex speciebus, non potest adorari Sacramentum, quod supremo latriæ cultu adorandum esse Synodus Tridentina decernit, quin pariter adorentur species, utpotè quæ Sacramentum cum ipso Christi Corpore constituant.

Catholicus.

Cum declarat Sancta Synodus Tridentina Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum latriæ cultu esse prosequendum, indubitatum est eamde uno dumtaxat Christo esse intelligendam. Ille siquidem unus omnem hujus mysterii majestatem & amplitudinem efficit pariter & includit. Unde cum illa ipsa Synodus (ut patet ex ejus verbis proximè relatis) Eucharistiæ Sacramentum latriæ cultu adorandum esse declaravit, illicò hujus adorationis rationem repetit ex eo quod Pater æternus Filium suum Jesum introducens in orbem terrarum, eum ab Angelis adorari jusserit: Ergo solus Christus in hoc Sacramento latriæ cultu afficitur. Quod quidem clarius illa ipsa Synodus asserit in citatâ sessione, 13. can. 6. in quo sub anathematis interminatione declaratur Christum in sancto Eucharistiæ Sacramento cultu latriæ etiam externo adorandum esse, quod argumento est nihil in hujusmodi Sacramento latriæ cultu præter unum Christum adorari oportere.

Hæreticus.

Quid quod Bellarminus lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 29. ait cultu latriæ per se & proprie Christum esse adorandum, & eam adorationem ad symbola etiam panis & vini pertinere, quatenùs apprehenduntur, ut quid unum cum ipso Christo, quem continent.

Hæc sunt ipsissima ejus verba, ergo ex sententiâ viri, de cujus eruditione tam sæpè & tam honorificè prædicatis, ipsa etiam symbola seu panis & vini species cultu Latriæ adorare necesse est.

Catholicus.

Nusquam opinor ab truncatâ vel depravatâ gravissimorum authorum citatione abstinebitis, quod quidem rectæ rationi, & bonæ fidei penitùs adversatur. Siquidem & recta ratio & bona fides exigit, ut genuina cujuspiam Authoris sententia exploretur, & capiatur non ex aliquâ ejusdem Authoris laciniâ suo è loco dolosè & fraudulenter avulsâ, sed ex integro quopiam loco, cujus antecedentia & sequentia veram Authoris mentem non obscurè patefaciant. Quod pronuntiatum si secutus esses, non impegisses Bellarmino tantam calumniam, neque affirmasses illum docere panis & vini species cultu latriæ adorandas esse. Sic enim loquitur in eo ipso, quem citasti, loco: *Nullus*, inquit, *Catholicus est, qui doceat ipsa symbola externa per se, propriè esse adoranda cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit.* Posteà subdit eum quem protulisti locum, & pergit: *quemadmodum*, inquit, *qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant, neque enim jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo & cogitatione separabant à vestibus, cum adorarent, sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat, adorabant; tametsi ratio adorandi non erant vestes, imò nec ipsa humanitas, sed sola divinitas.* Ecce tibi integrum Bellarmini locum.

Ex hujusmodi loco duo pronuntiata tuam objectionem pessumdantia colliges, si rectè ratiocinaberis.

Primum symbola panis & vini non esse per se & propriè cultu latriæ adoranda, sed minore quodam cultu, quo omnia Sacramenta prosequi consentaneum est.

Secundum est easdem species eo minore cultu (de

quo locutus est hic Bellarminus) quodammodo adorari, quemadmodum Christi vestes quodammodo adoratæ sunt, cum ipse vero & supremo latriæ colto adoraretur, dum in terris degeret, & cum hominibus versaretur.

Sectio IV.

In quâ diluitur Objectio Hæreticorum affirmantium Idololatria crimen admitti ab Catholicis panem ab Sacerdote non consecratum adorantibus.

Hæreticus.

QUicquid dicaris, idololatriæ crimen ab plerisque Christiani depellere non potestis. Nam contenditis non posse confici Eucharistiæ Sacramentum (sicut nec alia) nisi ad ejus confectionem tria concurrant, materia nimirùm & forma, & legitima Sacerdotis intentio : ita ut si trium istorum desit vel unum, nullum Sacramentum conficiatur. Unde seqoitur idololatriæ reos esse, quotquot Hostiam ab impio Sacerdote ostensam, nec tameo rectæ intentionis defecto consecratam adoraverint.

Catholicus.

Si in eo facto aliqua inesset idololatria, esset domtaxat materialis & impropriè dicta. Nam idololatria propriè dicta in eo vertitur & insistit, ut qoi ex pravo nefariæ voluntatis affectu supremum latriæ cultom uni dumtaxat Deo, secluso quolibet alio, debitum alicui creaturæ exhibeat. Quod quidem non cadit in Christianos, qui simpliciter. & bonâ fide adorant Hostiam ab impio Sacerdote non consecratam. Nam ibi certò credunt Christum esse præsentem, atque adeò tantùm abest, ut in idololatriæ crimen incurrant, ot ex adverso verè & formaliter adorent Christum : quippè qui non pani, quem vident, sed Christo, quem juxta fidem Ecclesiæ sub speciebus panis absconditum firmissimè credunt, supremum latriæ cultum toto cordis affectu adhibeant.

Sectio V.

In quâ dissolvitur objectio Hæreticorum perperam asseverantium Christi Corpus non posse vero latriæ cultu affici eo nomine, quod sit creatum. Quæ ratio nihil prohibet quominus vera latria Christo Domino in Eucharistia mysterio præsenti deferatur, ut ex Patribus, & Conciliis mox hoc loco citandis luculenter apparebit.

Hæreticus.

COntendiris soli Deo latriæ cultum ita deberi, ut citra immane crimen creaturæ quantiscumque dotibus ornata sit, exhiberi nequeat, ergo neque etiam ipsum Christi Corpus adorandum est latriæ cultu : quippè quod semper creatura maneat, quantumcumque Verbo sit unitum.

Catholicus.

Sanctus Athanasius qui floruit IV. sæculo, quo Ecclesia nondum ab primâ sanctitatis & doctrinæ integritate desciverat (ut conceditis) tuam illam objectionem pulchrè & solidè dissolvit in Epistolâ ad Adelphium Episcopum & Confessorem contra Arianos inscriptâ : *Non creaturam*, inquit, *adoramus, absit : in Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit : sed Dominum rerum creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei Corpus effecta est ; neque hujusmodi Corpus seorsum discriminatum à Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est, Verbum carnem esse factum, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipiat, ut Domino dicat, recede à corpore ut te adorem ? aut quis ita est impius, ut cum Judæis eum propter corpus ita alloquatur : Cur tu homo cum sis, teipsum Deum facis ?* Et paulò pòst ait leprosum Dominum adorasse in corpore ut Deum. *Neque enim*, inquit, *ob carnem arbitratus est Dei Verbum esse creaturam, neque quia Verbum rerum creatarum opifex erat, carnem, quâ indutus erat, pro nihilo habuit, sed rerum omnium conditorem in creato templo habitantem adoravit, & mundatus est.* Hæc postrema verba sic vertit interpres : *Sed ut in re creatâ Creatorem subsistentem adorabat & mundatus est.*

Et multò pòst ibid. *Qui Verbum carnem factum adorare nolunt, sese ejus Incarnationi ingratos exhibent, qui verò Verbum ab assumptâ carne distrahunt nullam omninò peccati redemptionem, aut mortis destructionem factam existimant. Ubinam verò tales impii carnem illam, quam Salvator assumpsit, seorsim positam invenient, ut dicere audeant : nos non adoramus Dominum cum carne, sed Corpus disjungimus, ipsique Domino soli latria cultum impendimus.* Et infrà in eadem Epist. *Cognoscant nos, qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed Creatorem creato corpore indutum*, ut suprà diximus.

Ex his sancti Athanasii locis constat unam & eamdem adorationem deberi & exhiberi Christo & humanitati, quam hypostaticâ unione nobilitavit. Quemadmodum enim unus honor debetur regi quacumque veste indutus appareat, ita & una adoratio debetur Deo utpotè semper supremo rerum omniom conditori & moderatori, quamcumque naturam assumpserit. Cum ergo asserunt Theologi latriam uni dumtaxat, Deo exhiberi posse, nihil aliud significant, quam latriam unis Sanctissimæ Trinitatis personis adhibendam esse, ita ut nulli alteri personæ, qualiscumque sit, citra immane flagitium impeodi valeat ; Undè fit ot ab illâ unâ adoratione non excludatur natura humana à Verbo in personæ unitatem assumpta, sed magis in eâ comprehendatur. Corpus ergo Christi ritè cum personâ Verbi coadorari dicitor, utpotè quod est proprium Corpus Verbi, & conjunctum ejus personæ, in qoâ, & propter qoam eadem cum ipsâ adoratione, licet creatum sit, adoratur. Nam, ut ait S. Athanasius in lib. de Incarnat. contra Apollinarem, *quod communionem habet cum increato aut counitum est, pertinet ad increatum, propriumque ejus dicitur ; non tamen hoc ipsum increatum nominari poterit : ne benedictio unionis in oblivionem abeat.* Hæc ibi.

Nonnulli, ut Epiphanius in Ancorato §. 51. & alii hanc humanitatis Christi adorationem explicant comparatione ductâ ab Regis purpurâ, quæ simul cum personâ Regis adoratur. Sed inter utramque adorationem maximum discrimen interjacet. Nam humanitas Christi propter Verbum non per accidens, sed per se colitur. Cum enim modo perfectissimo per hypostaticam scilicet unionem conjuncta sit, & devincta personæ Verbi, non potest illa ipsa personâ Verbi adorari, quin cum ipsâ præfata Christi humanitas, id est ejus anima & Corpus adoretur. Quod aliter accidit in purpurâ Regis ; quæ quidem aliquo honore afficitur propter Regem, sed per accidens ipsius corpori circumposita : potuit enim Rex aliâ veste decorari, quod non dicitur de humanitate Christi, quam Deus ab æterno personæ Verbi conjungere, imò perpetuo unionis hypostaticæ fœdere & vinculo devincire decreverat.

Præterea ex Ecclesiæ consensu & traditione constitutum est unicâ tantùm adoratione eâque supremâ (id est latriâ) adorandam esse naturam humanam cum Verbo : Ita ot ipsius naturæ humanæ adoratio nullatenùs ab ipsius Verbi adoratione sejungatur.

& nihil probat adversus eamdem fidem consuetudo Eucharistiæ parvulis porrigendæ. Nam nec istius consuetudinis sicut & superioris mutatio fuit universalis. Tametsi enim in Ecclesiâ Latinâ Græcaque maximam partem exoleverit: adhuc tamen ab Cophtis, Abyssinis, Armenis, & Maronitis viridi observantiâ colitur.

Sectio LXVI.

In qua refellitur objectio, quam ex imaginum cultu, & ejus mutatione repetunt Heterodoxi, ut Catholicæ Fidei circa venerabile Sacramentum mutationem sæculo decimo factitatam comprobent. Hujusmodi objectio refellitur totis sequentibus paginis usque ad Titulum in hæc verba conceptum: Omnium gentium, & Ecclesiarum in eamdem Eucharistiæ fidem conspirantium consensio.

Hæreticus.

DOM. Claudius Ecclesiæ reformatæ minister suis in Libris protulit exemplum mutationis fidei, quæ in Orientales pariter & Occidentales Ecclesias universaliter irrepsit circa cultum imaginum, quas passim vestris in Templis statuitis, & coram quibus procumbitis, & eas eodem planè honore quo Deum ipsum colitis, afficitis; Quod ipsa mutatio facta sit in Ecclesiâ Orientali testatur Nicæna Synodus secunda, quæ & septima œcumenica dicitur: utpotè quæ duo Concilia Constantinopolitana imaginum cultum abrogantia damnavit. Id etiam declarat Concilium Francofordiense, quod præfatam Synodum Nicænam imaginum usum re[...]entem solemni judicio reprobavit.

Catholicus.

Multa objicis, ut D. Claudium de nobis Catholicis triumphasse persuadeas: sed sanè tuus iste labor in irritum cadit, ut mox demonstrabitur.

1. Dicis mutationem fidei, & illam universalem factam esse tam in Oriente, quam in Occidente circa cultum imaginum.

2. Contendis nos in idololatriæ crimen incurrere, cum Christi, Deiparæ Virginis, cæterorumque Sanctorum Imagines honore prosequimur.

3. Asseris prædictarum imaginum cultum in Orientalibus Ecclesiis ab duobus Conciliis Constantinopoli celebratis abrogatum, & ab Nicænâ Synodo secundâ restitutum esse.

4. Denique earumdem Imaginum cultum in Ecclesiâ Latinâ abrogatum esse ab Concilio Francofordiensi, à quo & damnata est Synodus Nicæna secunda eo nomine, quod eumdem imaginum cultum in usum revocaverat. Quæ omnia singillatim sunt à nobis refutanda, & quatuor articulis explananda.

Articulus primus.

Ut rescias nullam fidei mutationem factam esse circa cultum seu usum Imaginum,

Observandum est fidem Ecclesiæ circa usum Imaginum hisce capitibus contineri.

1. Hujusmodi Imaginibus honorem & venerationem impertiendo, non credimus in iis aliquam inesse divinitatem vel virtutem, propter quam sint colendæ, nec ab iis aliquid petimus, nec fiduciam in illis figimus, veluti factitabant gentes, quæ in idolis spem suam collocabant.

2. Honorem, quem ipsis imaginibus exhibemus, ad prototypa, quæ illæ repræsentant, referimus. Sic coram Imagine Christi procumbentes ipsum Christum in memoriam revocamus, & interno affectu supremo latriæ honore afficimus: Sic ad Deiparæ Imaginem advoluti, eam inferiori honore & veneratione (cui hyperduliæ nomen fecere Theologi) prosequimur: Sic & reliquis sanctis duliæ honorem exhibemus.

3. Docet & credit Ecclesia per Historias mysteriorum nostræ Redemptionis picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & assiduè recolendis.

4. Docet & credit Ecclesia Dei ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi: quia per illas admonentur fideles beneficiorum & munerum, quæ sibi ab Christo collata esse resciunt: & prætereà Dei per sanctos miracula & salutaria exempla eorumdem fidelium oculis subjiciuntur.

5 Eadem Ecclesia Dei utitur Imaginibus, ut pro miraculis & salutaribus exemplis sanctorum ministerio editis, & ostensis fideles ipsi Deo gratias agant, & ad sanctorum imitationem vitam moresque suos componant, & exeitentur ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Quod si M. Claudius hujusmodi doctrinam, quam ab omni ævo de Imaginum usu professa est Ecclesia Dei, immutatam esse in omnibus totius orbis Ecclesiis, probare possit, illi sponte & ultrò palmam adjudicamus.

His ita prælibatis Ecclesiam vituperare non possunt Heterodoxi hac in parte, nisi ostendant venerationem sanctorum Imaginibus impendi solitam esse.

1. Omninò prohibitam.

2. Illicitam & criminosam.

3. Inutilem & supervacaneam.

4. Denique novam seu ab paucis annis in fidelium societatem invectam.

1. Non possunt probare omnem imaginum usum esse omninò prohibitum. Ergo nec impensam illis venerationem esse omninò interdictam probare poterunt.

Statim objiciunt verba Exodi 20. v. 4. & 5. *Non facies tibi sculptile*, &c.

Heterodoxi corruperunt hunc locum, & cum textus originalis habeat (idolum) illi substituerunt (sculptam Imaginem) ut patet in eorum Bibliis impressis Genevæ ab ann. 1554. usque ad ann. 1616. Similiter & corruperunt Deuteron. c. 5. v. 8 & Deuteron. 27. v. 15. & 2. Reg. cap. 5. v. 21. & 2. Paralipom. cap. 24. v. 18. & cap. 33. v. 7. & 34. v. 4. & 7.

Est igitur prohibitum idolum. 1. Quia idolum est Imago, quæ fictitiam quamdam divinitatem atque adeò nullam repræsentat. 2. quia idolo idem impenditur honor, qui & ipsi Deo exhibetur.

Quæ duo non cadunt in Imagines Christi, Deiparæ & Sanctorum. Prætereà Deus in veteri Testamento Imagines factitari præcepit, ut declarant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, & serpens æneus, quem Deus adversus lethales serpentum morsus jussit in deserto erigi.

2. Illa Imaginum veneratio multò inferior est latriâ uni Deo exhiberi solitâ, ergo non est criminosa & illicita. Nam Calvinistæ nos ideò idololatriæ crimine accersunt; quia nos latriæ cultum Imaginibus impendere arbitrantur.

3. Non est inutilis illa veneratio, ut paulò antè vidimus ex Concilio Tridentino.

4. Non est nova. Quam antiqua sit Imaginum veneratio declarat Epistola Synodica Adriani Papæ I. ad Constantinum Imperatorem & Irenen ejus matrem inscripta, quam legere est in Actione 2. secundæ Synodi Nicænæ quæ & septima œcumenica dicitur. Nam in ipsâ præfatus Pontifex laudat Patres tam Græcos quam Latinos, qui omnes ante sæculum quintum floruerunt, & Imaginum usum, & venerationem laudabilem & utilem esse docuerunt.

Profert hanc in rem testimonia sanctorum Gregorii Nysseni, Basilii magni, Chrysostomi, Cyrilli, Athanasii, Ambrosii, & B. Stephani Episcopi Bostrensis: ex quo

ex quo Stephano hæc citat: *Omnis Imago, sivè Angelorum, sivè Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum, aut alioqui justorum virorum in nomine Dei facta, sancta est. Non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud quod in ligno datur contemplandum: Atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus, & reverenter salutamus; quid vetat igitur, quominùs non liceat & sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum Imagines statuere, & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant?* Hæc ibi.

Hanc Adriani Pontificis Epistolam universa Synodus (id est trecenti) & quinquaginta Episcopi in Spiritu sancto congregati receperunt & approbarunt in eadem Actione secundâ.

In Actione 3 ejusdem Synodi Nicænæ secundæ approbantur ab universâ Synodo litteræ Episcoporum Orientalium ad Tharasium Patriarcham Constantinopol. inscriptæ, quibus Imaginum usus laudatur, & earum veneratio approbatur: eò quod ex magni Basilii mente honor ipsis exhibitus ad prototypum referatur.

In Act. 4. adducuntur multa scripturarum & sanctorum Patrum testimonia, quibus pius & utilis Imaginum usus & antiquitas astruitur.

In Actione 6. continetur refutatio Hæreticorum, qui in conciliabulo Constantinopolitano sub Leone Hæretico Imperatore Imagines damnaverant, & in eadem Act. earum antiquitas plurium Patrum authoritate comprobatur, ita ut illa ipsa antiquitas in Apostolicam traditionem refundatur.

In Actione denique 7. dicunt omnes istius Synodi Patres se suscipere imaginum usum & venerationem, ut totius Ecclesiæ traditionem; ita tamen ut non exhibeatur illis vera latria, quæ soli divinæ naturæ competit. Sed quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & S. Evangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reverenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est.

Huic definitioni subscripserunt omnes Episcopi, & factâ subscriptione exclamaverunt: omnes sic credimus; omnes idem sapimus; omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines amplexamur.

Calvinus Lib. 1. Institutionis cap. 12. §. 12. ait *se non eâ superstitione teneri, ut nullas prorsùs Imagines ferendas censeat; sed quia sculptura & pictura Dei dona sunt, purum & legitimum utriusque usum requiro: ne quæ Dominus in suam gloriam, & bonum nostrum nobis contulit, ea non tantùm polluantur præpostero abusu, sed in nostram quoque perniciem convertantur.*

Hactenùs Calvinus non malè. Sed ejusdem c. §. 13. longè aliter de Imaginum veneratione sentit: *& nos horribili insaniâ*, ait, *quæ ad totius ferè pietatis interitum antehac orbem occupavit, plus nimio sumus experti, simulatque in Templis collocantur Imagines, quasi signum idololatriæ erigi: quia sibi temperare non potest hominum stultitia, quin protinùs ad superstitiosos cultus delabatur.*

Non est ergo omni ex parte damnanda Imaginum in Templis collocatio, sed tantùm damnanda est veneratio, quâ ipsis uni duntaxat Deo debitus honor exhibetur. Hoc damnat Calvinus, hoc & damnat Ecclesia, nec propterea condemnat usum & venerationem Imaginum, utpotè quæ non assentiatur Calvino aienti non posse sibi temperare hominum stultitiam, quin inter honorandas Imagines ad superstitiosos cultus delabatur. Immeritò ergò Idololatriæ & superstitionis crimine Ecclesiam implicari dictitant Heterodoxi, cum Imaginum venerationem approbat, & fidelibus commendat.

Articulus secundus.

Tametsi ea quæ superiùs ex secundâ Synodo Nicænâ retulimus, sufficiant ad propulsandum ab Ecclesiâ Dei Idololatriæ crimen, quod ipsi utpotè Imaginum venerationem commendanti impingere non desinunt Calvinistæ; juvat tamen nonnulla hîc adjicere testimonia, quibus tam fœda calumnia retundatur. Audienda est eadem Synodus Nicæna, in quâ totius Concilii nomine sic loquitur Epiphanius Diaconus: *sanctas Imagines*, inquit, (Patres & Catholici,) *neque Deos nominarunt; neque ut Diis deservierunt, neque spem salutis in iis aliquando habuerunt, neque ab eis expectant futurum judicium, nisi ad recordationem & monimentum eas habentes, & amore circa illarum principalia flagrantes, has & amplexi sunt, & honoranter adoraverunt: non tamen divinæ hic servitutis, seu latriæ vel cultus officium impenderunt: (absit hæc calumnia;) sed neque aliis quibuslibet rebus.* Hactenùs Epiphanius Diaconus, cui præfatæ Synodi definitiones legendi cura demandata fuerat. Hæc & his similia legere est in Action. 6. ejusdem Synodi Tom. 2. ex Editione Binii fol 627.

Si quis in hujus Concilii Oecumenici accuratam studiosamque lectionem incumbere voluerit, deprehendet, nullum Christianorum hominum, qui sub cœlo sunt, imagini latriam exhibuisse. Hoc enim, sæpè & pluribus in locis testificatur. Undè refellitur impudentissimum mendacium Molinæi in suo Clypeo Sect. 120. affirmantis latriam (quam & nos & ipsimet Calvinistæ uni Deo seclusis quibuslibet aliis deberi profitemur) ab Concilio Nicæno imaginibus exhibendam plusquam vicies imperari: quod ne semel quidem indixit: Tametsi illis ipsis imaginibus in templis ad excitandam Christi Domini, Deiparæ, cæterorumque Sanctorum memoriam collocatis, aliquem honorem haberi oportere definierit.

Desinant ergo Calvinistæ referventem hanc calumniam impingere toti Ecclesiæ, siquidem suis in Conciliis severissimè prohibet, ne quis supremum latriæ cultum uni duntaxat Deo debitum ulli omninò creaturæ, aut cuipiam imagini qualiscumque sit, deferat. Quin etiam vetat sub anathematis interminatione ne quis aliter sentiat aut doceat.

Quod si post talem Ecclesiæ declarationem Calvinistæ Christianos Catholicos idololatras appellare pergant, digni sunt, quos omnes boni veluti teterrimos sycophantas & habeant & abhorreant.

Quod si nonnullos abusus ex privatorum quorumdam insciriâ profectos objicere velint: tametsi jure ac meritò de hujusmodi corruptelis in privatos quospiam conferendis conquererentur, eorum tamen querelæ nihil officerent Fidei Ecclesiæ: siquidem certo certius est eam nihil non moliri, ut eos, quos per Christum & Christo peperit filios, ex hujusmodi incommodis & erroribus eripiat.

Quod ut illustriùs appareat

Observandum est in eo cultu & veneratione, quæ Imaginibus adhibetur tria esse distinguenda, externum nempè signum, mentalem intelligentiam & internum hominis Imaginem venerantis affectum.

Signum externum exhibetur coram Cruce, aut aliis Imaginibus, intelligentia autem mentalis, & internus venerantis affectus efformantur in animâ, & ad prototypum in Imagine expressum & repræsentatum terminantur.

Quod quidem satis superque indicat non Imaginem Christi v. g. sed ipsum Prototypon, id est Christum in Imagine adumbratum adorari.

Hæreticus.

Quâ igitur de causâ honorantur Imagines inanimatæ, quæ sicut simulachra gentium oculos habent & non vident, aures habent, & non audiunt?

Catholicus.

Observandum est honorem quo afficitur aliquod objectum aliquâ dignitate præditum esse vel absolutum, vel relativum.

tam, quod est falsissimum: siquidem constat ex ipsomet Concilio illi adfuisse legatos Adriani Papæ, à quo & citra controversiam est approbatum.

Præterea renunriatum est eidem Concilio præfatam Synodum Nicænam statuisse eumdem omnino cultum, latriam scilicet, quæ uni Deo impenditur imaginibus exhiberi oportere, cujus rei falsitas meridiano sole clarior est. Concilii Francofordiensis Patres his duabus hypothesibus inducti Nicænam Synodum damnavere.

Ac reipsa quidem hujusmodi hypotheses eò faciliùs persuaderi poterant, quo speciosiores apparebant rationes, propter quas Nicænæ Synodi decreta Francofurtum perlata non erant. Nam

1. Synodus Nicæna exiguo tempore antequam Francofordiense cogeretur, in loco remotissimo celebrata fuerat. Nicæa enim sita est in Bithynia ultra fretum quod Asiam ab Europâ disterminat: Francofurtum autem est urbs Germaniæ imposita Mæno, & Rheno finitima. Quæ locorum distantia & exiguum tempus quod inter utrumque Concilium intercurrerat verisimillimè prohibuerunt, quominùs quod in unâ urbe constitutum erat, ad alterius notitiam perveniret.

2. Nondum inventa erat Typographia, cujus adminiculo parari posset, ut nunc notitia earum rerum, quæ remotioribus in locis geruntur.

3. Magna Iconomachorum potestas erat in Oriente, & revera quo major erat, eò difficiliùs acta Concilii in exteras regiones importari poterant.

4. Cum magnæ illius Synodi acta nondum è Græco essent in latinum versa, (ut posteà latinitate donata sunt ab Anastasio) vel ut melius aliis placet, erant in latinum versa, sed corrupta, nemini mirum videri debet, quod Patres Latini, qui Græcè nesciebant, illa vel penitùs ignoraverint, vel certè parùm perspecta habuerint.

Observandum est 2. condemnationem Nicænæ Synodi ab Concilio Francofordiensi pronuntiatam minimi esse faciendam: Ipsum siquidem Francofordiense Concilium suam ipsius authoritatem penitùs elidit. Nam ut patet ex libris, qui sub Caroli Magni nomine prodierunt, illa ipsa Synodus Francofordiensis decrevit ultimum controversiarum judicium pertinere ad Romanum Pontificem, & eo potissimùm nomine reprobat secundam Synodum Nicænam, quod eam sine Summi Pontificis assensu celebratam existimaverit: Atqui illa ipsa Synodus Francofordiensis eodem laborat vitio, de quo Nicænam Synodum accusat. Ergo si Nicæna Synodus reprobanda est, ipsam quoque Synodum Francofordiensem reprobari necesse est. Nam Magdeburgenses Centur. 8. cap. 9. col. 639. conceptis verbis asserunt Adrianum Papam adeò Synodo illi Francofordiensi non consensisse, ut etiam ipsum pariter & ejus legatos ipsi repugnasse contendant. Unde illam ipsam Synodum secum ipsâ pugnare, atque adeò sua decreta convellere, vel ipso Centuriatorum testimonio manifestè colligitur.

Nihil igitur adversus imaginum venerationem ex eo Concilio legitimè inferri potest.

Verum dato non concesso quod legitimum sit Francofordiense Concilium quod nempè assentiente Adriano Pont. Max. sit habitum, tantùm abest, ut ex eo imagines abolendas esse colligere possint Calvinistæ, ut etiam ex ejus decreto, easdem Imagines in templis retinendas esse colligatur. Siquidem ut restantur Centuriatores loco proximè laudato, non definiit Synodus Francofordiensis imagines è templis esse tollendas, sed retinendas, ita tamen ut nulla eis adoratio deferatur. Sileant ergo Calvinistæ, & imagines obterere, frangere & illudere desinant, nec abutantur Concilio Francofordiensi, quo se tuentur, ut in Christi, Deiparæ Virginis, aliorumque sanctorum Imagines per speciem & causam Religionis impunè grassari valeant. Alioquin si præfato Francofordiensi Concilio fidem adhibeant, & imaginum usum abrogare pergant, noverint se ab eodem excommunicari. Nam ut contestantur libri Carolini, Centuriatores, Hincmarus, & alii, illa ipsa Synodus Francofordiensis, anathema dixit iis, qui imagines delere volunt.

Utcumque se res habeat, certum est delusam esse Synodum Francofordiensem & damnasse Nicænam Synodum secundam duabus de causis, ut jam declaravimus. 1. Quod sine Romani Pontificis assensu, celebratam esse crediderit. 2. Quod illam ipsam divinum honorem, id est latriam imaginibus deferendam esse, definiisse persuasum habuerit.

Hæreticus.

Ridiculum est, & reipsâ sese deridendum propinat quisquis persuadere conatur duas illas hypotheses, & quidem falsissimas, quales sunt illæ, quas producitis Francofordiensi Concilio, ceu veras obtrudi, persuaderique potuisse. Non enim credibile est ullum ex Episcopis in eo Concilio congregatis ignorasse quid in Nicænâ Synodo constitutum definitumque fuerit.

Catholicus.

Efficacissima ratio, quâ probatur Concilii Francofordiensis Patribus præposterè renuntiatum esse quid in Nicænâ Synodo gestum decretumque fuerit, petitur ex eo quod ipsis fuerit ab aliquo persuasum Constantinum Constantiæ Cypri Episcopum dixisse se imaginibus eumdem exhibere latriæ cultum, qui sanctissimæ Trinitati debebatur. Quod erat falsissimum. Ipse enim professus tantùm fuerat se admittere, & honorificè amplecti sanctas & venerandas Imagines: ita tamen ut supremam latriæ venerationem uni duntaxat supersubstantiali & vivificæ Trinitati reservaret.

Ita hujusmodi Episcopum sensisse constat ex Græco contextu, qui sic habet τὸ κατὰ λατρείαν προσκύνημα μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω: hujusmodi verba perperàm in latinum conversa latinis patribus utpotè Græcè nescientibus erroris ansam præbuerunt. Cum enim hujusmodi verba ex nativo suo significatu sensum hunc Catholicum redderent: adorationem, quæ per latriam, id est per servitutem Deo debitam exercetur, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo: ab latino quopiam interprete vel ignaro, vel maligno (quem & secutus est librorum Carolo Magno ascriptorum author) contrarium in sensum & hæreticum sunt detorta: sic enim ille vertit totum hunc locum: insaustè & præcipitanter, sivè insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines secundum servitium adorationis; quam supersubstantiali & vivificæ Trinitati emitto.

Hujusmodi traductio procul abest ab ipsis Constantini Episcopi verbis, quæ (si Græco contextui fideliter hæreamus) talia sunt: Constantinus Sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit: in nullo sensu commutatas litteras, quæ nunc lectæ sunt, quæque ab Oriente missæ sunt ad Tarasium Sanctissimum Archiepiscopum & Patriarcham à definitione fidei, quam ipse antè confessus fuerat, inveniens & ego indignus his consentio & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas & venerandas Imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati defero: & eos qui non ita sentiunt, neque glorificant, ab sanctâ Catholicâ, & Apostolicâ Ecclesiâ segrego & anathemati subjicio, & in partem eorum qui negant carnalem & corporalem dispensationem Christi veri Dei nostri transmitto. Ita sensit, & dixit Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, ut legere est tom. 3. Concil. general. ex edition. græco-latin. Binii in sept. Synodi action. 3. pag. 536.

Indè colligitur latina verba cujusmodi leguntur in Hadriani Apologet. & libro Caroli depravata fuisse, non autem Græca, quæ sanum Catholicumque sensum continent, nimirùm imagines admittendas esse, & honore afficiendas, sed non eo adorationis genere colendas

quod soli Deo tribuitur, ac Latrica dicitur. Unde & reprobanda est latina versio, in quâ contrarium docetur: nempè imagines eodem Latriæ cultu prosequendas, quo sanctissimam Trinitatem afficimus.

Hæreticus.

Mihi non fit verisimile Patres Francofordienses tam facilè decipi potuisse, & tam facilè Nicænam Synodum II. damnare voluisse: Cùm præsertim, ut acerrimè prædicatis, & contenditis, vestra Concilia errare nequeant.

Catholicus.

Fatemur & contendimus Concilia in Spiritu sancto congregata errare non posse in rebus ad salutem necessariis, ut puta in definiendis aut declarandis fidei articulis, aut sanciendis morum regulis; sed in rebus facti eadem ipsa Concilia errare posse asserimus. Sic errare potuerunt Patres Francofordienses, rati sacris imaginibus veram latriæ adorationem uni duntaxat Deo debitam ab Nicæna Synodo esse constitutam.

Quod verisimile fit quotidianâ Calvinistarum audaciâ (ne quid deterius dicam) qui continuò & prædicant & scribunt nos Imagines eodem latriæ cultu prosequi, quo sanctissimam Trinitatem afficimus, quamvis nostri Prædicatores, nostra scripta omnium manibus trita, & nostra Concilia passim contrarium doceant. Quod cum ita sit, quidni impudens quispiam sycophanta Synodum Græcam adulterare, seu heterodoxis placitis, & commentis infuscare, atque ita Patres Francofordienses (quibus ob allatas rationes vix illa Synodus innotuerat) in errorem inducere potuerit?

Hæreticus.

Quicquid id est, Minister Claudius rectè contendit universalem mutationem in Concilio Francofordiensi factitatam esse, circa cultum Imaginum.

Catholicus.

Nihil minus est universale, quam illa mutatio, quam Minister Claudius ex Imaginum occasione & veneratione contigisse asserit. Nam ipsemet opinionem aientem Imagines non esse religioso cultu prosequendas, nemini præterquam Episcopis Francoforti congregatis ascribere potest: nec indè sequitur in eam omnes Galliarum Episcopos, nedùm omnes Sacerdotes & Laïcos consensisse: sed certum est nusquam ab summis Pontificibus approbatam esse, imò illo ipso tempore ab Orientalibus Episcopis fuisse damnatam. Ita ut cum hujusmodi opinio adeo singularis esset, & Francofordiensium Episcoporum propria, jam non oporteat cum M. Claudio quærere, quo pacto contraria sententia illi præponderare potuerit, sed potiùs sciscitandum est, quomodo illi Episcopi sese in eam sententiam implicare potuerint. Nam causa mutationis circa rem, quam stabilire decreverant, obvia est, & apprimè perspicua, totum nempè Corpus Ecclesiæ unam sui partem rapuit in sensum Orthodoxum, & ratio de quæstione nihil sibi cohærente, & præposterâ triumphavit. Francofordienses Episcopi admittebant venerationem Crucis: atqui Cruces quas nostris in templis colimus, nihil aliud sunt, quam veræ Crucis imagines.

Prætereà admittebant Historicum Imaginum usum, id est usum illum, cujus beneficio personarum, actionumque memoria viviscit, & propagatur: & damnabant Iconoclastas, quibus nihil erat antiquius, quam ut ipsas Imagines comminuerent, dissiparent, & omnibus è templis revellerent. Atqui nullo pacto historicus Imaginum usus ab relativo earumdem Imaginum cultu separari potest, quin ipsi naturæ vis inferatur. Nam idem animæ motus, seu affectus qui ingenerat lætitiam derivatam ex signis, quorum adminiculo nostros animos subit earum rerum recordatio, quas diligimus pariter & veneramur, nos etiam incitat ad internam dilectionem & venerationem hujusmodi signorum, quæ nunquam sese nobis offerunt, quin nostris animis imprimant speciem rei, quam aliquâ veneratione prosequimur; Cum autem hæc interna veneratio, sit legitima, nihil prohibere potest, quominùs externos in actus prosiliat: qui quidem cum proficiscantur ex reverentiâ, quam non unio merè humana, sed religio parit, illa ipsa veneratio jure ac meritò religiosa nominatur. Quapropter SS. Patres, & imprimis sanctus Gregorius, qui Serenum Massiliensem Episcopum graviter increpat (ut legere est in Regist. Epistol. lib. 7. indict. 2. Epist. CXI. & lib. 9. indict. 4. epist. 9.) eo nomine quod inconsiderato zelo inflammatus imagines confregerat, & projecerat, ne populus in idololatriam delaberetur, eidem præcipit, ut si quis imagines facere velit, minimè prohibeat, sed easdem imagines adorari non sinat, quia ut ait ille ipse Sanctissimus Pontifex, aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Unde patet eumdem sanctum Gregorium non loqui duntaxat de historico imaginum usu, quasi ad meram, vel Christi, vel Deiparæ, vel aliorum Sanctorum recordationem ob fidelium oculos proponerentur, sed de historico earumdem imaginum usu, qui cum naturali motu qui ab ipso proficiscitur, id est cum cultu religiosaque reverentiâ arctissimè cohæreat. Cum enim Imagines in eum potissimum finem adhibeantur, ut in personas in ipsis adumbratas noster amor effervescat, proculdubiò ille ipse amor ad sacrarum imaginum cultum collineat. *Hoc enim colitur, quod diligitur*: ut ait sanctus Augustinus in Psal. 77.

Orthodoxam hanc veritatem mirabiliter explicat sanctus Gregorius Regist. epistol. lib. 7. indict. 2. Epist. 54. *Scio quidem*, inquit, *quod Imaginem Salvatoris non ideò petas, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante Divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit animum nostrum, aut de Resurrectione lætificat, aut de Passione demulcet.* Hæc ibi.

Et paulò pòst idem sanctus Gregorius sic affatur eumdem Secundinum ad quem inscripta est Epistola citata, ut ipsi testatum faciat se illi mittere Imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & unam Crucem, ut in ejus amore usque in finem permaneat, pro cujus amore solitarius habitare desiderabat. Hæc ibi.

Quæ cum ita sint, id est cum Imagines collocentur in Templis, non ad meram personarum recordationem (in quâ positus est merè historicus earumdem Imaginum usus) sed prætereà ad dilectionem, religiosamque venerationem hujusmodi personarum unicuique pro suâ dignitate exhibendam (quâ in re consistit historicus Imaginum usus cum debito cultu conjunctus) nemini mirum videri debet, quod opinio Episcoporum Francofordiensium propria & insuper naturæ, rationi, generalique Ecclesiæ consensioni contraria penitùs exoleverit. Hac in occasione eluxit summorum Pontificum singularis prudentia, & in hujusmodi Episcopus charitas verè Apostolica, utpotè qui eos non adhibuere severiùs, sed tolerarunt, donec eorum animi densa veluti caligine circumfusi, remotâ tandem erroris nebulâ resipiscerent: quod reverà cum incredibili bonorum omnium plausu & gaudio factitatum esse novimus. Quod quidem ita contigisse mirabile videri non debet, imò multo esset mirabilius si aliter sese tota illa res habuisset.

Ac reipsa quidem videtur velle toti hominum societati illudere quisquis eam circa cultum Imaginum mutationem, (in quâ nihil mirum aut inauditum deprehendere licet) adducit in medium, ut alteri mutationi, quam circa Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum factitatam esse ministri asserant, aliquam probabilitatem accersant. Nam præfatam mutationem, quam astruere tot artibus & machinis moliuntur, impossibi-

lem esse suprà declaravimus ex variis hypothesibus, quæ omnimodam dictæ mutationis impossibilitatem luce clarius ostendunt.

Ad hujusmodi hypotheses accedunt & alia multa eamdem impossibilitatem demonstrantia, & una potissimùm ratio petita ex undecimi sæculi statu, quem talem Calvinistæ fuisse fateantur necesse est, ut nemo hominum undecimo sæculo viventium prædictam mutationem sæculo decimo in Ecclesiam circa Augustissimum Sacramentum invectam, perspectam & cognitam habuerit. Nemo enim Author illi ætati vel suppar, vel proximus, litteris prodidit ullam doctrinam circa realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, vel scripto, vel vivæ vocis oraculo fuisse propositam, præter eam, quam ab Apostolicis temporibus continuatâ Sacerdotum successione ipsa Ecclesia nunquam non credidit, retinuit, & Prædicatorum suorum ministerio in toto terrarum orbe fidelibus annuntiavit.

Si ergo ab omni ævo fides Corporis Christi in Eucharistiâ absentiæ perstitisset in Ecclesiâ Dei, nulla circa eamdem fidem mutatio accidere potuisset, quin statim longè lateque manasset in totum orbem Christianum, & multi avitæ fidei, traditionisque retinentissimi insurrexissent in novum illud dogma, quo vel Paschasius, vel Bertramus realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam ante illud tempus nec cognitam nec creditam statuere tentassent. Insurrexissent proculdubio defensores antiquæ veritatis illi ipsi Corporis Christi præsentiæ repugnantis, & quidem cum tanto strepitu, & ardore, ut de hujusmodi hominum labore, & flagrantissimo novitatis opprimendæ studio, nec illorum siluisset ætas, nec nostra etiamnum conticesceret.

Cum ergo ne umbra quidem hujus mutationis cernatur in undecimi sæculi historiâ, in quo tamen sæculo tot homines insigni eruditione pariter & pietate conspicui, & tot Concilia nullâ factâ mentione mutationis circa fidem Eucharistiæ (quam sæculo decimo factitatam esse dictitant Calvinistæ) incubuere in profligandas hæreses, quibus Berengarius, & Berengariani realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam convellere connitebantur; argumento est esse fictitiam illam mutationem, quam, si revera extitisset, omnes Paschasistæ & Commentitii Bertramistæ, nisi in iis extincti essent omnes affectus naturales, quos suprà in probandâ præfatæ mutationis impossibilitate percensuimus, in omnium sæculorum memoriam tota virium contentione propagassent.

Quicquid igitur obstrepat Minister Claudius, fictitia est illa mutatio, & futilia sunt aliarum mutationum exempla, quæ profert ad probandam mutationem fidei, quam circa Eucharistiæ Sacramentum contigisse deblaterat. Nam ut vidimus suprà, mutationes illæ, quas adducit ad probandam prædictam mutationem, vel non spectant aliquod dogma fidei, quod variari non potest, vel non irrepserunt seorsim & furtim in Ecclesiam quod de mutatione circa Eucharistiæ fidem factâ asserit, vel non fuerunt universales, vel in iis non est mutata Ecclesiæ fides, ut ostendimus: Nam quicquid de imaginibus ab Apostolicis temporibus ad nostrum usque sæculum Ecclesia credidit, & docuit, etiamnùm credit & docet, ut videre est in art. 1. quo dissolvimus objectionem, quâ Hæretici lacessunt Ecclesiam, quasi imagines venerando in idololatriæ crimen impingeret.

Recapitulatio Doctrinæ superioris.

Hactenùs diximus pulcherrimum illum librum; qui perpetuitas fidei circa Eucharistiæ Sacramentum, &c. inscribitur, fuisse ab Min. Claudio appetitum, & postea triplici Tomo ceu triplici vallo circumdatum & munitum, ita ut Min. Claudium & Calvinistas Sacramentarios in primigeniam & antiquam Eucharistiæ fidem grassaros, nihil ex sacrilego illo ausu præter verecundiam extulisse Ecclesia Gallicana viderit, imò totus orbis Christianus non sine incredibili omnium bonorum lætitiâ conspexerit. Nam tres illi Tomi, ut perpetuam circa Eucharistiæ Sacramentum fidem astruant, in duarum præsertim rerum probationem incumbunt. 1. Enim ostendunt impossibilem fuisse illam, quam Calvinistæ comminiscuntur, immutationem. 2. Probant illam ipsam fidei perpetuitatem ex consensione omnium Ecclesiarum Christianarum sivè illæ Schismaticæ sint, sivè Catholicæ. Primam partem ex impossibilitate petitam excerpsimus ex primo volumine quod Sanctissimo Patri Clementi nono Pontifici maximo dicavit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus & apprimè Catholicus. Alteram partem; quia etiam nostrant in rem maximè convenit ex eodem volumine & aliis excerptam breviter attingemus, ut & nos, & Lectores benevolos non nostris placitis & inventionibus, sed micis, quæ de mensâ Magistrorum nostrorum cadunt, alere, & adversus Hæreticorum divina mysteria semper allatrantium insidias & errores corroborare valeamus. Sit itaque titulus.

Omnium gentium & Ecclesiarum in eamdem Eucharistiæ fidem conspirantium consensio.

Quod apud multos unum invenitur, non est erratum; sed traditum, ut ait præclarè Tertullianus lib. de præscript. cap. 28. Atque fides quâ credimus substantialem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam una est in toto terrarum orbe, & nemo est Christianus, quin eam liberè, apertè, & ex animo profiteatur. Unde authores, qui Berengarii hæresim adversus hanc fidem excogitatam decretorio stylo confoderunt, Berengarium hac in re toti terrarum orbi repugnare & contradicere non uno in loco declararunt. Testis est Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus qui quod asserimus disertè profitetur pluribus in locis in lib. de Corpore & Sanguine Domini & præsertim cap. 8. cap. 17. & 18. explanat Ecclesiæ fidem circa Eucharistiæ Sacramentum & eam semper id est in omni gente perstitisse non obscurè prædicat: *Credimus*, inquit, *terrenas substantias, quæ in mensâ Dominicâ per Sacerdotale ministerium divinitùs sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante supernâ potentiâ, converti in essentiam Dominici Corporis, reservatis ipsorum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda, & cruenta horrerent, & ut credentes fidei ampliora præmia perciperent; ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso*: Et paulò pòst: *Hanc fidem*, inquit, *tenuit à priscis temporibus & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.* Hæc ille qui & idem repetit. ejusd. libri cap. 19. exeuntè. Et cap. 21. ait Berengarium suam hæresim stabilire molientem, litem movere, ab universali Ecclesiâ dissentire, novum Schisma verbis & scriptis contra Sanctorum Patrum præcepta inferre.

Præterea idem Lanfrancus testatur evidentissimè citati jam libri cap. 22. eam quam profitemur de Eucharistiâ fidem ab omnibus Christianis, & ab omnibus teneri. Sic enim affatur Berengarium: *Si verum est quod de Corpore Christi tu credis & astruis: falsum est quod ab Ecclesiâ ubique gentium de eadem re creditur & astruitur. Omnes enim qui Christianos se & esse & dici lætantur; veram Christi carnem verumque ejus Sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos homines uno ore hanc fidem se testantur habere. Porrò si universalis Ecclesiæ fides falsa extitit: Aut nunquam fuit Ecclesia Catholica, aut periit. Sed non fuisse, aut periisse Ecclesiam, Catholicus nemo consenserit.*

Cum nullus Hæreticarum partium alumnus hisce viri sanctissimi verbis contradicere, & respondere nunquam tentaverit, aut potuerit, certo certius est Ecclesiæ Romanæ de Eucharistiâ fidem esse Apostolicam, Orthodoxam, universalem, id est longè lateque toto terrarum orbe disseminatam, & ab omnibus omnium gentium Christianis susceptam, & constantissimè ad nostra usque tempora retentam: Ideoque nemo jam Calvinistarum realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam pervicaciter impugnantium erroribus irretiti, nec in Ecclesiâ, quæ se reformatam gloriatur, diutiùs immorari poterit, quin se toti terrarum orbi in unam Ecclesiæ Romanæ fidem consentienti temerè adversari, suamque vel pauculorum hominum nullâ authoritate pollentium opinionem omnium gentium fidei anteponere pari ad impudentiam dementiâ profiteatur.

Alioquin negabit Græcos, & Armenos, & omnes aliarum gentium populos eam tenere de Eucharistiâ fidem, quam Romana ab omni ævo credit & usquequaque profitetur Ecclesia. Quâ in re falsitatis nullo negotio revinci poterit.

Quod spectat ad Græcos certum est eos idem cum Ecclesiâ Romanâ de Eucharistiâ credere, sentire & prædicare, quod quidem solidè probatum oportuit, & reipsâ probatum fuit adversus M. Claudium qui in 1. respons. suâ pag 29. confidentissimè suo more affirmaverat transsubstantiationem & adorationem Sacramenti Eucharistiæ, esse duo capita toti terrarum orbi, præterquam Ecclesiæ Romanæ incognita. Neque enim, inquit, Græci, nec Armeni nec Russiani, nec Jacobitæ, nec Æthiopes, nec alii generatim Christiani duos hujusmodi articulos credunt. Quibus verbis contendebat Christianos illos Orientales tam in præsentiæ realis, quam in transsubstantiationis dogmate ab Ecclesiâ Romanâ dissidere.

Quod quidem falsissimum esse animadvertere potest, nisi omnem penitùs aditum rationi & veritati intercluserit. Cum enim vel per se vel amicorum interventu consuluisset Marcum Dolum Cretensem de fide Orientalium circa præsentiam realem & transsubstantiationem, ille respondit per litteras eidem D. Joanni Claudio Reformatæ Parisiensis Ecclesiæ Pastori inscriptas, in quarum Exordio ita loquitur. Notum sit tibi, præstantissime vir, quod totus Oriens consentientem habens & Occidentem, credidit semper & credit à primis Ecclesiæ incunabulis panem & vinum verè & physicè transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Christi depositâ primâ substantiâ, & hanc transsubstantiationem tenet inter articulos fidei necessarios, adeò ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitùs rejicere. Hanc autem fidem habuit à Christo, & per successionem ab Apostolis, & à Patribus Primitivæ Ecclesiæ, qui columnæ fuerunt & fundamentum Orthodoxiæ Græcanicæ.

Paulò pòst subdit, Cardines & Sacerdotes Ecclesiæ Græcanicæ neminem permittere participem fieri sanctissimi Corporis & pretiosissimi Sanguinis, nisi prius hanc edat Confessionem, quæ prolata primò pro simplicibus à Sacerdote, profertur quoque de verbo ad verbum ab iis, qui ad mysticam cœnam accedunt, ut unusquisque noscat non solùm, sed fateatur apertè mysterium.

Et infra: Romana Ecclesia nunquam à nostrâ discrepavit in hoc articulo, ergo sic ipsa quoque ab initio credidit.

Posteà tota Epistola comprobat realem præsentiam & transsubstantiationem authoritate scripturarum & Patrum Græcorum, qui utrumque prædicarunt & litteris prodiderunt. Epistolam hanc integram legere est tomo 3. ad astruendam perpetuitatem fidei Eucharistiæ elaborato lib. 8. cap. 12. à pag. 664. ad p. 674. in quâ eadem Epistola dicitur missa ex arce Zachyphi die 20. Maii 1672.

Quid objiciet Minister Claudius adversus hasce litteras, mihi persuasum est eum, repudiaturum esse hujusmodi litteras, utpote ab homine non Græco, sed Græcum hominem ementito profectas. Verum si vel aliquem rationi reliquerit locum, facilè deprehendet, quam futile sit hoc effugium. Numquam enim hominem verè Græcum reperiet: siquidem eam sibi effinxit Græcorum Ecclesiam quam nemo vidit, nemo cogitavit, aut videre, aut cogitare poterit, quin ejus caput (in quo solo residet) perspicacissimis, imò plusquam lynceis oculis introspexerit.

Unde Author citati tomi 3. hoc illi effugium commentitiâ Ecclesiæ Græcanicæ specie innixum sapientissimè præclusit. Nam totum librum octavum ejusdem tomi 3. impendit in referendis testimoniis plurium Patriarchatum, Metropolitarum, Episcoporum, Abbatum, Religiosorum, qui omnes subscriptis testificationibus & litteris unionem & omnium Ecclesiarum Orientalium cum Ecclesiâ Romanâ in realis præsentiæ & transsubstantiationis fide consensionem authenticè, & luculenter astruunt.

Illud ipsum anteà præstitum est tomo 1. lib. 2. lib. 3. lib. 4. lib. 5. lib. 7. lib. 8. & lib. 10. declarantur & explanantur consequentiæ, quæ necessariò inferuntur ex unanimi consensu omnium societatum Christianarum circa dogma præsentiæ realis & transsubstantiationis. Itaque quisquis de Minist. Claudio, & ejus argutiis triumphare voluerit ad laudem omnipotentis Dei, & Ecclesiæ quam acquisivit Christus Sanguine suo; nocturna diurnaque manu diligenter evolvat tres illos tomos, in quibus refelluntur omnes errores, quibus Sacramentarii Calvinistæ, Berengarii Discipuli & asseclæ venerabile Eucharistiæ Sacramentum recrudescentes in Ecclesiam Romanam odio labefactare, & obterere quotidiè moliuntur: Hujusmodi enim opus tribus iis tomis comprehensum æquiparandum turri Davidicæ, quæ ædificata est cum propugnaculis, ex quâ mille clypei pendent, omnis armatura fortium, illi suppeditabit arma non qualiacumque, sed victricia, quorum præsidio Philosophicas hæreticorum argutias explodere, præposteras scripturarum interpretationes, quibus nituntur discutere, & exsufflare. ipsorum objectiones ex Scripturis, & sanctorum Patrum monumentis petitas dissolvere, assiduas eorumdem tergiversationes, & cavillationes retegere & comprimere, monstruosa denique novitatum commenta ad Catholicorum dogmatum stragem instigante dæmone comparata, & ab ipsis pervicaciter, reclamante toto orbe Christiano, quotidianis opusculis propugnata elidere & ad internecionem profligare valeat.

Cum per multos dies heterodoxus Calvinista & nos Catholici hanc de reali Corporis Christi in v. Sacramento præsentiâ & de transsubstantiatione controversiam agitavissemus, & ille nihilosecius ad hæresim, quam cum lacte suxerat, adhæresceret, paululùm otii captandum esse judicavimus, tum ut ille totam disputationem, quam illi studiosè correctam & citationibus, quas inter disputandum integras referre non licuerat, locupletatam miseramus, attentiùs & accuratiùs expenderet; tùm etiam ut animus noster diuturnâ plurium dierum concertatione defatigatus sese paululùm colligeret, & reficeretur, atque ita, si opus esset, ad prælium reverteretur alacrior, & ut eam maximè Apostolicam fidem, quam omni tempore Ecclesia Romana retinuit, & in omni natione, quæ sub cœlo est, docuit adversus nova Berengarianorum, & Calvinistarum placita defenderet.

Explicit primum Colloquium inter Orthodoxum & Heterodoxum de reali Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ, & transsubstantiatione habitum.

In hoc secundo colloquio inter Orthodoxum & Heterodoxum habito discutiuntur & probantur septem dogmata ad Catholicam venerabilis Sacramenti veritatem & venerationem pertinentia, quæ quidem ex reali Corporis Christi in eodem Sacramento præsentiâ necessariò consequuntur.

Colloquium secundum in quo tractantur & probantur dogmata quæ ex reali præsentiâ & Transsubstantiatione necessariò consequuntur.

POst aliquot hebdomadas reversus ad nos Heterodoxus asseruit se adhuc dubium & ancipitem hærere in bivio, tametsi in legendis & expendendis rationibus & testimoniis (quibus suam de reali præsentiâ & Transsubstantiatione fidem fulciebat Ecclesia Romana) deprehendisset multa, quibus ægrè admodùm Sacramentarii respondere poterant. Nihilosecius velle rescíscere quid suppositâ reali præsentiâ & Transsubstantiatione eadem Ecclesia Romana ab suis fidelibus exigeret.

Catholicus.

Quid exigat ab suis fidelibus Ecclesia Romana ipsa te docebit: sic enim suam mentem aperit in Concilio Tridentino sess. 13. Can. 6.

Si quis dixerit, inquit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

Item *Canone VII.*

Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

Ex his duobus Canonibus patet Ecclesiam Romanam in Spiritu sancto congregatam exigere sub anathematis interminatione, ut omnes, qui se inter ipsius filios annumerari volunt, sequentia septem capita ex animo credant & profiteantur.

1. Sancit sacro-sancta Synodus Tridentina Christum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento cultu latriæ, etiam externo adorandum esse.

2. Illum ipsum Christum in eodem Sacramento verè præsentem peculiari celebritate, seu solemnitate venerari oportere.

3 In supplicationibus seu processionibus solemniter pro laudabili Ecclesiæ Catholicæ ritu & consuetudine circumferendum esse illud ipsum Christi Corpus in hoc Sacramento, ceu cœleste manna, absconditum.

4. Publicè, ut adoretur, populo proponendum.

5. Ejus Sacramenti adoratores idololatras credere aut appellare eadem sancta Synodus denuntiatâ excommunicationis pœnâ prohibet.

6. Eos anathemate ferit, qui dixerint non licere reservari in sacrario sanctam Eucharistiam, sed statim atque consecrata est, astantibus necessariò esse porrigendam.

7. Denique eodem percellit anathemate, quotquot ipsum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos honorificè deferre illicitum esse dixerint.

Ecce tibi Ecclesiæ Romanæ fidem in œcumenicâ Synodo Tridentinâ, sicut & in aliis Conciliis etiam œcumenicis antea declaratam. Si quid habes quod adversus hujusmodi capita objicias, objicientem te clementer audiemus.

Secundi hujus colloquii sectio prima in quâ latriæ cultus Christo in Eucharistiæ mysterio realiter præsenti debitus certissimis testimoniis & argumentis astruitur.

Primum dogma quo latriæ cultus Eucharistiæ Sacramento decernitur.

Hæreticus.

NON satis perspicio quid sit ista latria, quâ Christum in Eucharistiâ adorandum esse contenditis, & quomodo ab aliâ adoratione, quæ dulia dicitur, secerni debeat?

Catholicus.

Latria seu latriæ cultus est supremus honor, qui soli Deo utpotè summo creatori impenditur ex debito servitutis, quo tenemur non solùm nostra, sed nosmetipsos impendere pro ipsius honore, & ipsius etiam causâ mortem oppetere, si necesse fuerit, & ad promovendam ejus gloriam expedierit, idque ad referendam gratiam pro beneficiis quibus nos cumulavit, & ad profitendam immensam illam bonitatem, quam toties patefecit erga nos, & illa ipsi officia præstanda sunt animo contrito, spiritu summoperè demisso, toto affectu, actu, habitu; quin etiam gestibus & signis exterioribus nos ad ejus majestatis pedes supplices advolvi, & eum sacrificiis illi duntaxat uni, secluso quolibet alio, debitis, venerari oportet ita ut omnem nostram spem & omnia desideria ad ipsum tamquam in finem ultimum referamus, & velut in eum à quo omnia speramus, omnia expectamus, & imprimis omne meritum & retributionem bonorum pariter & malorum, prout suprema illa, quâ pollet, justitia, decretorio & irrevocabili judicio definierit.

Hujusmodi latriæ descriptio complectitur omnia officiorum genera, quibus summam Dei majestatem homines prosequi tenentur; quæ quidem revocantur ad duplicem adorationem, interiorem nimirùm & exteriorem. Quia enim, ut ait S. Joan. Damascenus l. 4. de Orthodoxâ fide cap. 13. duplici naturâ constamus, aspectabili nimirùm & inaspectabili, hoc est intelligibili & sensibili, idcircò duplicem conditori nostro adorationem offerimus.

Cultus igitur religiosus, seu adoratio secatur bifariàm: Alia enim est interior, quæ in mentis actione consistit, & animat & format exteriorem, quæ alioquin Dei misericordiam non evocaret. Hujusmodi adoratio exigit hominis intelligentiam, & ejus voluntatis affectum, ut ritè Deo Opt. Max. deferatur. Adoratores enim qui Deum adorant in spiritu & veritate & intelligentiâ capiunt ac profitentur excellentem, imò infinitam illius dignitatem qui ab ipsis colitur; & syncero voluntatis affectu & impetu ita in eum rapiuntur, ut omnes omninò homines ipsi flagrantissimo studio mancipatos atque adeò ubique terrarum eum agnitum, adoratum, & in debitâ illustrique gloriâ positum esse cupiant.. Interna hæc adoratio comprehendit omnem amorem, omnem timorem, omnem reverentiam, & omnes alios affectus & actus, quibus Deum veluti totidem victimis, in corde velut in arâ oblatis & flagrantissimæ charitatis igne succensis afficimus.

Adoratio exterior ea est, quæ corporis ministerio & externo aliquo gestu utputa capitis inclinatione, genuflexione, & aliis id genus indiciis significatur, & exhibetur.

Ad hanc adorationis speciem pertinet religiosa quædam corporis conformatio, ut genuflexio, capitis inclinatio, in humum depressio, & alia id genus religiosi cultus indicia, quæ externâ specie & gestu exhibentur Deo & creaturis, sed secernuntur diverso voluntatis affectu. Nam impenduntur creatori ut supremo Domino, cui ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine omnia nostra accepta referimus, & ad quem

velut ad ultimum finem contendimus: impenduntur autem hominibus orporè Deo charis, quos ille donorum cœlestium abundantiâ cumulavit.

Observandum tamen esse quasdam adorationis species, quæ cum ad λατρείας proprie pertineant, nulli præterquam Deo possunt exhiberi. Tale est sacrificium ita Deo debitum, ut ipsum nulli creaturæ quantacumque gratiæ & gloriæ, sublimitate & amplitudine fulgeat, citra immane crimen offerri valeat. Unde licet pleraque vel etiam omnia adorationis externæ signa ex solâ adorantis intentione ad latriam, vel hyperduliam, vel duliam determinata Deo pariter & sanctis impendantur, semper tamen excipienda sunt templa, altaria, & sacrificia, quæ omnia ut soli Deo propriè sunt debita, ita & illi soli nemine tam Catholico quam heterodoxo reclamante sunt exhibenda.

Quod luculenter astruit S. Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap. 27. *Nec tamen*, inquit, *nos eisdem martyribus templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* Quibus verbis prædicat Augustinus soli Deo erigi templa, consecrari Sacerdotes, & offerri sacra & sacrificia, *Fatemur quidem super tumulos martyrum erigi altaria, in quibus offerantur sacrificia Deo martyrum, ut illi de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoria renovatione adhortemur. Quacumque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tamquam Deorum.*

Hæc ibi S. Augustinus, qui alibi & sæpiùs sepulchra martyrum super quæ erecta erant altaria, vocat memorias martyrum: eo quod illic uni Deo offerrentur Sacrificia in honorem eorumdem martyrum, ut Christiani ardentiùs imitarentur eos, quos olim in terris adversùs veritatis hostes ad sanguinis effusionem dimicasse, & jam in cælo triumphare meminissent.

Ista satis superque declarant latriæ essentiam.

Quod spectat ad duliam definiri potest, cultus qui Angelis pariter & hominibus cum Christo regnantibus ob excellentiam creatam, supernaturalem & intrinsecam, ab fidelibus cum Religiosâ sobmissione impenditur.

Hæreticus.

Perperàm distinguitis latriam, & duliam, atque adeò præposterè illam Deo, hanc autem sanctis attribuendam esse contenditis. Hujusmodi enim voces indiscriminatim usurpantur, & ejusdem sunt significationis, tam apud prophanos Authores & Grammaticos (sicut ex eorum scriptis planissimum est) quam apud ipsos Græcos veteris testamenti interpretes (ut agnoscunt Laurentius Valla, & Ludovicus Vives explicans cap. 1. libri 10. de civit. Dei) Nam 70. interpretes per vocem λατρείας non modò exprimunt cultum, qui soli Deo debetur, verum etiam illum qui creaturis tribuitur, ut Levit. 23. cap. v. 7. & 8. & Deuteron. 28. cap. v. 48. habetur λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. Iidemque voce δουλείας utuntur passim, cum agitur de Deo & de cultu qui uni illi dumtaxat impenditur. Quod quidem pluribus è locis demonstrari potest. Idem quoque constat ex pluribus locis novi Testamenti: ut videre est Matth. 6. v. 34. Act. 20. v. 19. Rom. 7. 6. & 12. v. 11. & 14. cap. v. 18. & cap. 16. v. 18. & Ephes. cap. 6. v. 7. quibus in locis cultus qui Deo tribuitur, per vocem λατρείαν exprimitur. At Matth. cap. 4. v. 10. & Rom. cap. 1. v. 9. & pluribus aliis novi Testamenti locis idem cultus exprimitur per vocem λατρεία. Hinc igitur patet latriam & duliam in eumdem prorsus sensum accipi, & tum apud prophanos Authores, tum apud 70. Interpretes, & in novo Testamento indiscriminatim tam pro cultu, qui Deo, tam pro eo cultu, qui creaturis impenditur, usurpari. Unde vestri Doctores, & Theologi non possunt expedire se ab idololatriæ crimine, quod vobis impingitur, nisi concedant duas esse latriæ & duliæ species, quarum altera civilis, altera verò Religiosa dicatur, ita ut latria & dulia civilis creaturis ipsis etiam hominibus improbis qui dignitate alios antecellunt, communicari possit: latria autem & dulia religiosa, nulli præterquam Deo deferri valeat. Cum igitur cultum (quem Angelis & Sanctis cum Christo regnantibus impenditis) contendatis esse religiosum, quis vos creaturis honorem soli Deo debitum impendere negabit, & proinde quis cultum illum sivè, latria, sivè dulia nominetur, cum reserventi idololatriæ crimine conjunctum & verè idololatricum esse inficiari poterit?

Catholicus.

Tametsi certum sit ista duo vocabula λατρείαν & δουλείαν indiscriminatim apud Authores sacros & profanos usurpari pro cultu & reverentiâ, quâ non solùm Deum, sed ipsas etiam creaturas prosequimur, nihilominùs tamen usus, qui est loquendi magister & arbiter, pervicit apud Græcos patres & latinos, ut λατρεία peculiare nomen esset supremi cultus & adorationis, quæ nulli rei creatæ, sed uni vero ac sempiterno Deo tribuitur: δουλεία verò significaret cultum religiosum latriâ multò inferiorem, quo & Angelos aliosque sanctos ad æternam fœlicitatem assumptos Christiani Catholici prosequuntur.

Latriam uni dumtaxat Deo deberi, atque adeò illi soli ab fidelibus exhiberi testificantur patres plerique omnes, & imprimis S. Augustinus lib. 5. de civit. Dei. cap. 1. *Pietas vera non exhibet servitutem Religionis (quam latriam Græci vocant) nisi uni vero Deo.*

Item lib. 10. de civit. Dei. cap. 1. *Latriam*, inquit, *nostri ubicumque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem quâ locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut penè semper ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.*

Item lib. 15. cont. Faust. Manich. cap. 21. ait colere nos *martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vitâ coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelicâ veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò securiùs post certamina superata.* Et paulò pòst: *At verò illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè verò uno verbo dici non potest, cum sit quadam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam Doctrinam, sivè ut corrigatur, sivè ut condemnetur, sivè ut caveatur.* Hæc ibi.

Duplex igitur cultus statuitur ab S. Augustino, unus videlicet qui Sanctis impenditur per dilectionem & societatem, quâ nos cum ipsis in Christo & per Christum arctissimè conjunctos esse testificamur, & hunc cultum vocavere duliam majores nostri, ut patet ex Act. 2. 4. & 5. Septimæ Synodi Oecumenicæ quæ est Nicæna Synodus secunda, ut patet ex S. Joanne Damasceno Orat. 3. de imaginibus, & ex S. Thomâ 2. 2. 4. q. 84 art. 1. ad 1. Ad primum, inquit, dicendum, quod Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam: quæ aliquibus creaturis communicatur non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideò aliâ veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. Dulia ergo Angelis & beatis hominibus, latria verò uni Deo impenditur. Porrò ut paucis multa complectar, observandum

vandum est quadruplicem esse excellentiam & dignitatem, propter quam Angelis & hominibus aliquem cultum exhiberi oporteat; & pro cujus differentiâ variar honos, qui illi tribuitur.

Prima excellentia est ea quam in Deo creaturas omnes infinitis partibus supergresso agnoscimus, & singulari latriæ cultu & veneratione prosequimur.

Secunda excellentia ea est, propter quam nos cum religiosâ nostri submissione Angelos, & beatos homines propter excellentiam supernaturalem, ad quam divinâ misericordiâ gratiaque sunt provecti, ut puta propter gratiam habitualem, charitatem, sanctitatem & beatificam visionem colimus. Et hic cultus pertinet ad religionem. Sicut enim sanctorum intrinseca & supernaturalis excellentia est participatio divinæ amplitudinis & excellentiæ, ita & dulia est divinæ participatio Religionis. Imò contendunt graves Theologi duliam cultumque sanctorum fore virtualem & implicitam religionem, si intrinseca illorum dignitas & excellentia consideretur, velut aliquid ex ipso profectum Deo, & illi considerentur ut prædestinati in adoptionem Filiorum per Jesum Christum, ut hæredes Dei, ut fratres & cohæredes Christi, & ipsius amici: quia tunc formalis ratio hujusmodi cultus nihil erit aliud, quàm excellentia divina, quæ quidem ipsis per gratiæ dona & per gloriæ præmia applicata fuerit.

Prætereà materialis & relativus eorumdem sanctorum cultus actualis & expressæ religionis naturam induet, si propter increatam Dei amplitudinem & præstantiam colantur, ita ut cultus formalis & absolutus, seu testimonium quo testificamur quanti faciamus infinitam Dei magnitudinem ab iisdem sanctis participatam non ad ipsos, sed per ipsos ad Deum in ipsos sua dona inexhaustâ munificentiâ profundentem, & in ipsis ut in templis inhabitantem terminetur.

Unde fit ut honor, cultus, & adoratio, quæ alicui propter excellentiam & dignitatem impenditur, divinæ primò magnitudini (ad quam solam omnia religionis officia collineant) principaliter ac propriè tribuatur: creaturis verò quocumque merito, quacumque dignitate fulgeant, nonnisi secundo loco, & secundum analogiam deferatur. Nihil igitur religiosæ observantiæ & honorificæ testificationis creaturis adhibetur, quin non tam ipsis exhibitum, quam in ipsum Deum omnis excellentiæ supernaturalis, id est omnis gratiæ & gloriæ fontem obertimum juxta præcipua orthodoxæ fidei dogmata refusum esse censeatur.

Tertia est excellentia, quæ quemadmodum ab supremâ Dei dignitate infinito est intervallo dissita, ita etiam communem Sanctorum præstantiam & dignitatem multis partibus antecellit. Quisquis igitur ad hujus excellentiæ fastigium singulari privilegio provectus est, afficitur eâ veneratione, quam (quia latriâ, inferior erat & duliâ superior) majorum gentium Theologi hyperduliam appellari voluerunt.

Hæc autem hyperdulia definiri potest, veneratio seu cultus, quo creaturam aliquam ob excellentiam creatam supernaturalem, intrinsecam, planè singularem alterique incommunicatam cum religiosâ profundaque nostri ergaeam submissione prosequimur.

Hujusmodi cultus seu veneratio debetur & impenditur Virgini Deiparæ. Cum enim, ut ait sanctus Thomas 3. parte quæstione 25. art. 5. in corp. Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei veneratio latriæ; sed solùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei. Et ideò dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia. Hæc ibi.

Cum enim Beata Virgo eumdem illum numero filium quem Pater æternus ab omni æternitate ex se semper natum, semper nasciturum parit, humano corpore indutum in plenitudine temporum genuerit, atque adeò divinitatis fines eo partu proximè attigerit, (quod sanctorum nemini obtigit) nemini mirum videri debet, si major illi veneratio quam reliquis sanctis adhibeatur, & si omnes verè Christiani ejus maternitatem summè venerari ac ejus supereexcellentissimæ dignitati humillimè subesse gestiant.

Quartum denique est excellentiæ genus, quod elucet in hominibus virtutis laude præstantibus, vel in aliquo dignitatis gradu constitutis. Et hujusmodi viris debetur honor, id est testificatio quædam excellentiæ quam in quopiam agnoscimus. Testificatio autem illa exercetur per quamdam adorationem quæ civilis, politica, profana, & naturalis appellatur: & definitur externa veneratio quâ testificamur, quanti faciamus cujuspiam personæ dignitatem & excellentiam naturalem vel moralem, quam & congruâ erga ipsam submissione prosequimur: Talis est honor, quo Reges, Principes viros, Magistratus, & alios virtute aut dignitate præstantes affectos esse legimus in pluribus scripturæ locis; ut Genes. cap. 18. v. 2. & cap. 19. v. 1. & cap. 23. vers. 12. & cap 27. vers. 29. & cap. 33. vers. 3. & cap. 42. vers. 6. & cap. 43. vers. 26. & alibi sæpiùs scriptura usurpat adorationem pro veneratione civili & officiosâ, quâ Reges, Magistratus, parentes, & alios id genus homines virtutis aut dignitatis titulo nobis aliisque superiores prosequimur.

Hic autem cultus dicitur etiam profanus, ut secernatur ab sacro & religioso cultu, quo sanctos, utpote ab ipso Deo maximis gratiæ & gloriæ dotibus & privilegiis cumulatos, non propter ipsos, sed propter Deum afficimus.

Unde nihil divinæ Majestati, nihil debitæ illi uni latriæ detrahitur, si aliquis cultus isque religiosus sanctis adhibeatur, & totus referatur ad Deum. Tunc enim tametsi sanctos suos in omnium bonorum suorum communionem & honoris societatem evocatos iisdem propemodùm venerationis vocabulis, quibus ipse colitur, honestari velit ille ipse Deus, universa tamen & maximè præcipua religionis officia in ipsum velut inexhaustum bonorum omnium fontem & liberalissimum omnis gratiæ & gloriæ datorem per sese ac primariò proprieque conferuntur.

Sectio II.

In quâ refelluntur objectiones Hæreticorum nos Catholicos idololatriæ nomine, & crimine pervicaciter accusantium, eo quòd venerabile Eucharistiæ mysterium & interno & externo latriæ cultu prosequamur.

Hæreticus.

Ex his omnibus infero adversum vos manifestam à vobis idololatriam admitti. Si enim Sancti Patres Nestorianos (quos & vocabant Anthropolatras, id est hominis adoratores) idololatriæ nomine accusarunt, eò quod humanitatem Christi adorarent, licet non crederent eam esse Verbo in unitate hypostaseos unitam: quidni vos jure ac merito artolatras, id est panis adoratores, vel certè respectu specierum idololatras appellare liceat? quippè qui hujusmodi species ad quas unio hypostatica nullo pacto pertinet, adoratis.

Catholicus.

Quod objicis manifestam importat falsitatem: hac enim in parte maximum inter Nestorianos & Catholicos discrimen intercedit. Nam reverà Nestoriani erant idololatræ eo nomine, quod tametsi Christum simplicem & purum hominem esse arbitrarentur, eum tamen ut verum Deum adorarent.

Quod autem attinet ad species Sacramentales, quas hypostaticè Verbo non esse unitas novimus, eas aliquo cultu, sed latriâ multò inferiore prosequimur, nunquam tamen latriæ cultu adoramus, aut adorandas esse ex Ecclesiæ consensu docuimus.

quo locutus est hîc Bellarminus) quodammodo adorari, quemadmodum Christi vestes quodammodo adoratæ sunt, cum ipse vero & supremo latriæ cultu adoraretur, dum in terris degeret, & cum hominibus versaretur.

Sectio IV.

In quâ diluitur Objectio Hæreticorum affirmantium Idololatriæ crimen admitti ab Catholicis panem ab Sacerdote non consecratum adorantibus.

Hæreticus.

QUicquid dicatis, idololatriæ crimen ab plerisque Christianis depellere non potestis. Nam contenditis non posse confici Eucharistiæ Sacramentum (sicut nec alia) nisi ad ejus confectionem tria concurrant, materia nimirùm & forma, & legitima Sacerdotis intentio : ita ut si trium istorum desit vel unum, nullum Sacramentum conficiatur. Unde sequitur idololatriæ reos esse, quotquot Hostiam ab impio Sacerdote ostensam, nec tamen rectæ intentionis defectu consecratam adoraverint.

Catholicus.

Si in eo facto aliqua inesset idololatria, esset dumtaxat materialis & impropriè dicta. Nam idololatria propriè dicta in eo vertitur & insistit, ut quis ea pravo nefariæ voluntatis affectu supremum latriæ cultum uni dumtaxat Deo, secluso quolibet alio, debitum alicui creaturæ exhibeat. Quod quidem non cadit in Christianos, qui simpliciter, & bonâ fide adorant Hostiam ab impio Sacerdote non consecratam. Nam ibi certò credunt Christum esse præsentem, atque adeò tantùm abest, ut in idololatriæ crimen incurrant, ut ea adverso verè & formaliter adorent Christum : quippè qui non pani, quem vident, sed Christo, quem juxta fidem Ecclesiæ sub speciebus panis absconditum firmissimè credunt, supremum latriæ cultum toto cordis affectu adhibeant.

Sectio V.

In quâ dissolvitur objectio Hæreticorum perperam asseverantium Christi Corpus non posse vero latriæ cultu affici eo nomine, quod sit creatum. Quæ ratio nihil prohibet quominus vera latria Christo Domino in Eucharistiæ mysterio præsenti deferatur, ut ex Patribus, & Conciliis mox hoc loco citandis luculenter apparebit.

Hæreticus.

COntenditis soli Deo latriæ cultum ita deberi, ut citra immane crimen creaturæ quantiscumque dotibus ornata sit, exhiberi nequeat, ergo neque etiam ipsum Christi Corpus adorandum est latriæ cultu : quippè quod semper creatura maneat, quantumcumque Verbo sit unitum.

Catholicus.

Sanctus Athanasius qui floruit IV. sæculo, quo Ecclesia nondum ab primâ sanctitatis & doctrinæ integritate desciverat (ut conceditis) tuam illam objectionem pulchrè & solidè dissolvit in Epistolâ ad Adelphium Episcopum & Confessorem contra Arianos inscriptâ : *Non creaturam, inquit, adoramus, absit : in Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit : sed Dominum rerum creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei Corpus effecta est, neque hujusmodi Corpus seorsum discriminatum à Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est, Verbum carnem esse factum, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipiat, ut Domino dicat, recede à corpore ut te adorem? aut quis ita est impius, ut cum Judæis eum propter corpus ita alloquatur : Cur tu homo cum sis, teipsum Deum facis?* Et paulò pòst ait leprosum Dominum adorasse in corpore ut Deum. *Neque enim*, inquit, *ob carnem arbitratus est Dei Verbum esse creaturum, neque quia Verbum rerum creaturum opifex erat, carnem, quâ indutus erat, pro nihilo habuit, sed rerum omnium conditorem in creato templo habitantem adoravit, & mundatus est.* Hæc postrema verba sic vertit interpres : *Sed ut in re creatâ Creatorem subsistentem adorabat & mundatus est.*

Et multò pòst ibid. *Qui Verbum carnem factum adorare nolunt, sese ejus Incarnationi ingratos exhibent, qui verò Verbum ab assumptâ carne distrahunt nullum omninò peccati redemptionem, aut mortis destructionem factum existimant. Ubinam verò tales impii carnem illam, quam Salvator assumpsit, seorsim positam invenient, ut dicere audeant : nos non adoramus Dominum cum carne, sed Corpus disjungimus, ipsique Domino soli latria cultum impendimus.* Et infrà in eadem Epist. *Cognoscant nos, qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed Creatorem creato corpore indutum*, ut suprà diximus.

Ex his sancti Athanasii locis constat unam & eamdem adorationem deberi & exhiberi Christo & humanitati, quam hypostaticâ unione nobilitavit. Quemadmodum enim unus honor debetur regi quacumque veste indutus appareat, ita & una adoratio debetur Deo utpotè semper supremo rerum omnium conditori & moderatori, quamcumque naturam assumpserit. Cum ergo asserunt Theologi latriam uni dumtaxat, Deo exhiberi posse, nihil aliud significant, quam latriam unis Sanctissimæ Trinitatis personis adhibendam esse, ita ut nulli alteri personæ, qualiscumque sit, citra immane flagitium impendi valeat ; Undè fit ut ab illâ unâ adoratione non excludatur natura humana à Verbo in personæ unitatem assumpta, sed magis in eâ comprehendatur. Corpus ergo Christi ritè cum personâ Verbi coadorari dicitur, utpotè quod est proprium Corpus Verbi, & conjunctum ejus personæ, in quâ, & propter quam eadem cum ipsâ adoratione, licet creatum sit, adoratur. Nam, ut ait S. Athanasius in lib. de Incarnat. contra Apollinarem, *quod communionem habet cum increato aut connitum est, pertinet ad increatam, propriumque ejus dicitur ; non tamen hoc ipsum increatum nominari poteris : ne benedictio unionis in oblivionem abeas.* Hæc ibi.

Nonnulli, ut Epiphanius in Ancorato §. 51. & alii hanc humanitatis Christi adorationem explicant comparatione ductâ ab Regis purpurâ, quæ simul cum personâ Regis adoratur. Sed inter utramque adorationem maximum discrimen interjacet. Nam humanitas Christi propter Verbum non per accidens, sed per se colitur. Cum enim modo perfectissimo per hypostaticam scilicet unionem conjuncta sit, & devincta personæ Verbi, non potest illa ipsa personâ Verbi adorari, quin cum ipsâ præfata Christi humanitas, id est ejus anima & Corpus adoretur. Quod aliter accidit in purpurâ Regis ; quæ quidem aliquo honore afficitur propter Regem, sed per accidens ipsius corpori circumposita : potuit enim Rex aliâ veste decorari, quod non dicitur de humanitate Christi, quam Deus ab æterno personæ Verbi conjungere, imò perpetuo unionis hypostaticæ fœdere & vinculo devincire decreverat.

Præterea ea Ecclesiæ consensu & traditione constitutum est unicâ tantùm adoratione eâque supremâ (id est latriâ) adorandam esse naturam humanam cum Verbo : Ita ut ipsius naturæ humanæ adoratio nullatenùs ab ipsius Verbi adoratione sejungatur.

Hanc traditionem liquidò Concil. œcumen. declarant.

1. Concilium Ephesinum parte 1. can. 8. in hæc verba: *Si quis (inquiunt istius Concilii patres) hominem assumptum unà cum ipso Dei Verbo adorandum, unà cum illo glorificandum, unà cum illo tamquam alterum in altero existentem, Deum appellandam esse dicere ausus fuerit (hanc enim intellectum seu sensum particula, con, perpetuò & necessariò afferre consuevit) & non unà potiùs adoratione Emanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenùs Verbum Caro factum est: anathema sit.*

2. Concilium Chalcedonense action. 5. hunc Canonem Ephesinum Concilium approbando suâ approbatione roboravit in definitione fidei.

3. Quinta Synodus œcumenica, Constantinopolitana autem secunda in collatione 8. eamdem Concilii Ephesini doctrinam & fidem amplexa est, eamque orthodoxam irreformabili judicio declaravit. Præterea illam ipsam Ephesinæ Synodi doctrinam & fidem peculiari Canone roboravit in hæc verba: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quâ duas adorationes introducat, separatim Deo Verbo, & separatim homini: vel si quis ad interemptionem vel ad confusionem deitatis & humanitatis, unam naturam, sive substantiam eorum quæ convenerunt, introducens, sic Christum adorat, sed non unâ adoratione Deum Verbum Incarnatum, cum propria ipsius Carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.*

Hactenùs quinta Synodus œcumenica Constantinopolitana secunda in collatioo. 8. Can. 9. quem istius Concilii Patres condidere, postquam professi sunt se suscipere sanctas quatuor Synodos, id est Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & declararunt sese ea quæ pro unâ fide quatuor præfatæ Synodi definierant, prædicasse & prædicare. Declararunt insuper eos, qui hæc non susciperent, se alienos Catholicæ Ecclesiæ judicare.

4. Concilium Lateranense Romanum, ex centum & quinque Episcopis conflatum sub Martino Papâ I. anno Redempt. 642. celebratum exhibet Symbolum Synodi Ephesinæ, in quâ ducenti Patres Canonem 8. de unâ Christi Dei & hominis adoratione à nobis suprà relatum condiderunt.

Item illud ipsum Concilium sanctæ Chalcedonensis Synodi definitionem refert, in quâ eadem fidei doctrina stabilitur.

Præterea sanctæ quintæ Synodi definitionem ex quatuordecim Canonibus sub anathematis interminatione conditis, promulgatisque constantem illud ipsum Lateranense Concilium refert, & imprimis Can. 8. Concilii Ephesini qui est nonus quintæ Synodi, exscribit his verbis: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, & semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis & humanitatis unam naturam, sive essentiam convenientium portentosè dicens, sic adorat Christum, sed non unâ adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod Sancta Dei Ecclesia ab initio traditum est, talis anathema sit.*

Hæc omnia legere est in citatâ Lateranensi Synodo in Secretario seu consultatione 4. à fol. 412. ad fol. 455. in Tomi 2. parte posteriori ex edition. Græco latinâ Binii.

Antequam hujusmodi Concilia celebrarentur, & unicam personæ Verbi & ejus humanitati adorationem impendi oportere definirent, idipsum sancti Patres sacrosanctam traditionem amplexi verbo pariter & scripto docuerant. Unde S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. *Adoravit*, inquit, *Christum Maria Adoraverunt & Apostoli. Adoraverunt & Angeli, de quibus scriptum est: & adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non solùm divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus: quia scriptum est: & adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.* Et paulò pòst idem Ambrosius explicat quid sit scabellum, cujus adorationem sacratiores litteræ præcipiunt: *Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus. Neque cum adoraretur tanquam Dei Filius natus ex Virgine negabatur. Ac ne quis*, ut pergit ibidem S. Ambrosius, *hoc derivet ad Mariam Virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideò ille solus adorandus, qui operabatur in templo.* Hæc ibi Sanctus Ambrosius.

SECTIO VI.

In quâ Heterodoxus contendit sanctum Augustinum discrepare ab sancto Ambrosio docente Christum in Eucharistiâ esse adorandum. Cujus objectionis falsitas perspicuis sancti Augustini verbis ostenditur & revincitur.

Hæreticus.

ITa quidem S. Ambrosius, sed aliter S. Augustinus, quippè qui multis in locis declarat in Eucharistiâ esse tantùm signum & figuram Corporis Christi.

Catholicus.

Næ vehementer erras cum S. Augustinum hac in materiâ ab Sancto Ambrosio, quem in fide Doctorem & in regeneratione patrem habuit, discrepare asseris. Nam illam ipsam Sancti Ambrosii sententiam ita arripuit, & explanavit, ut ad astruendam Corporis Christi in Eucharistiâ præsentis adorationem nihil aut illustrius, aut efficacius afferri posse videatur. Sic enim loquitur in enarrat. Psalm. 98. *Qui in nobis*, inquit, *coronatarus est non merita nostra, sed dona sua, quantum debet exaltari? exaltate Dominum Deum nostrum; & adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est. Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus, suppedaneum dicitur scabellum. Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco scriptura dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos jubet adorare, quia dicit alio loco, quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicit apertè scriptura: Dominum Deum tuum adorabis & hic dicit, adorate scabellum pedum ejus? exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum ejus, dicit, terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum? timeo adorare terram ne damnet me, qui fecit Cœlum & Terram. Rursùm timeo non adorare scabellum pedum Domini, quia Psalmus mihi dicit: adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus: & dicit mihi scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsâ carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini: & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsâ commendatione ejusdem terræ loqueretur? Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. Ideò & ad terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras: Ideò & hic subjecit: Adorate scabellum ejus, quoniam sanctum est. Quis sanctus est*

in cujus honore adoras scabellum pedum ejus ? & cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non vivificeris : spiritus enim, inquit, vivificat, caro autem nihil prodest. Tunc autem quando hoc Dominus commendavit, de carne suâ locutus erat, & dixerat : nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam.

Insignem hunc, licet prolixum S. Augustini locum integrum hîc exscriptum oportuit, ut Calvinistarum ejusdem S. Augustini authoritate, ad evertendam realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam & adorationem passim abutentium, animadvertenda temeritas & insolentia retunderetur. Quod reverâ fieret, si hujusmodi homines suæ superbiæ fumo excæcati, vel puncto temporis sapere vellent. Nam vel ex loco citato duo dogmata ad fidem Catholicam necessariò pertinentia discerent, realem nempè Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam, & ejusdem Corporis adorationem, quam illi ab omnibus ipsum manducantibus exhiberi necesse est. Quæ duo & aliis in locis asseverat idem S. Augustinus, ut puta enarrat. 1. in Ps. 21. in hæc verba : *manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ*, seu divites terræ, & in ista, *edent pauperes & saturabuntur.* Item & Epist. 120. ad Honoratum cap. 27. & in Psalm. 48. conc. 1.

Calvinistæ ergo S. Augustinum Orthodoxum & apprimè Catholicum, quippè quem nullus umquam sinistræ suspicionis rumor aspersit, ut testatur Cælestinus Papa I. in suarum Hæreseon patrocinium advocare, & velut suarum partium fautorem & vindicem sibi vindicare, & totum suum esse vociferari & deblaterare desinant.

Hæreticus.

Enimverò totus noster est Augustinus, utpotè qui plurima nobis suppeditaverit loca, quibus Corporis Christi figuram dumtaxat in Eucharistiâ inesse palàm & apertè docuit.

Catholicus.

Aliquot S. Augustini locis in sensum hæreticum ab vestrarum partium primiceriis artificiosè detortis suprà respondimus. Aliis autem quibus præfatam Corporis Christi in venerabili Sacramento præsentiam appetere non cessatis, responderunt ante annos non minùs quingentos B. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, Guitmundus Episcopus Aversanus, Algerus Leodiensis Theologus, & alii quos ad debellandam, & obruendam Berengarii Sacramentariorum antesignani hæresim divina providentia excitavit. Respondit etiam hujusmodi locis Cardinalis Perronius, & novissimè diebus istis Author trium tomorum, qui non pridem adversùs Ministri Claudii technas & argotias elaborati, omnia Calvinistarum commenta, imò portenta ad internecionem transverberarent, nisi instigante diabolo ad acuendam eruditionem eruditorum diligentiam, & ad amplificandam Catholicorum fidem identidem permittente Deo repullularent. Inter hæc quibus verbis vestram cæcitatem pariter & pertinaciam increpare par est ? Iisdem profectò verbis vos corripere oportet, quibus olim Arianos S. Ambrosius increpavit : Ergo, inquit, nec Ariani (Calvinistæ) sibi usurpato nomine blandiantur, quia Christianos se esse dicunt. Nam respondebit eis Dominus : nomen meum prætenditis, & substantiam (Corporis mei in Eucharistiâ denegatis) sed non agnosco nomen meum, ubi non agnosco doctrinam meam : non agnosco nomen meum, ubi non agnosco spiritum meum. Ita S. Ambrosius Lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18.

De adoratione Christi seu de supremâ latriæ veneratione, quâ eum affici necesse est, ubicumque sit, & præsertim in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento uberiùs agere visum est, tum ut vestram confunderemus pertinaciam, tum ut idololatriæ crimen, quod nobis Christum, quem reipsâ præsentem credimus in v. Sacramento adorantibus impingere soletis, ab Ecclesiæ Catholicæ puritate & sanctimoniâ depelleremus.

Sectio VII.

In quâ satisfit Hæretico objicienti nullum scripturæ locum reperiri, quo vera adoratio Christi humanitati exhibenda præcipiatur.

Hæreticus.

Immeritò sanè Christum adoratis in Eucharistiâ, cum nullum scripturæ locum invenire sit, in quo hujusmodi adoratio præcipiatur.

Catholicus.

Quemadmodum scriptura divinitùs inspirata eo ipso, quod Spiritum sanctum Deum esse disertè asserit, necessario divinum illi cultum, id est supremam latriæ adorationem exhibendam esse declarat, licet hujusmodi adorationem conceptis verbis non præcipiat : Ita igitur cum scriptura nobis realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam divinâ fide credendam exhibeat nos ex necessariâ consecutione ad ejusdem Corporis Christi adorationem obligat. Nemo enim est quin Deum in unitate naturæ & in personarum Trinitate, & Christum utpotè, verum etiam in assumptâ humanitate Deum (etiamsi nullum talis adorationis expressum in scripturis præceptum appareat) supremo latriæ cultu afficere teneatur.

Si quis a nobis hujus venerationis præceptum ex ipsâ scripturâ repetitum exigat, reponam, quod sanctus Augustinus respondet Maximino Arianorum Episcopo flagitanti scripturæ testimonia, quibus S. Spiritus adoratio indiceretur : *Et vos* (Ariani) inquit, *Spiritum sanctum non permittitis adorari, ut ipsi Dei gratiæ remaneatis ingrati. Sed da, inquis, testimonia ubi adoratur Spiritus sanctus, quasi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus.* Hæc Sanctus Augustinus Librum 3. cont. eumdem Maximin. cap. 3. Quæ verba bellè quadrant in Calvinistas : Et vos (Calvinistæ) Christum Jesum in Eucharistiâ præsentem non vultis, non permittitis adorari, ut ipsi Dei tantæ liberalitati & gratiæ, quâ suum nobis corpus epulandum impertiit, remaneatis ingrati ; sed date, ut passim dicitis, scripturæ testimonia, quibus hujusmodi adoratio sanciatur. Ita contenditis & scripturæ testimonia passim exigitis, quasi non ex iis, quæ de Christo legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus.

Legimus v. g. Christum in supremæ nocte Cœnæ instituisse Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum & dixisse hoc est Corpus meum, & per hanc propositionem indicativam virtualiter & implicitè sui corporis, quod tunc porrigebat Apostolis, adorationem præcepisse : quamvis tale præceptum disertis verbis ab ipso non sit expressum. Multa enim sunt, quæ ita cohærent cum aliis rebus antecedentibus, ut ab iis divelli nequeant. Si quis adorationem Corporis Christi in Eucharistiâ hujusmodi rerum numero accensuerit, neutiquam errasse dicendus est. Nemo enim dubitat, quin Christo sivè in Cœlo residenti, sivè in v. Sacramento ab hominum oculis sub speciebus panis & vini oblitescenti suprema latriæ veneratio debeatur : Utpotè quæ ex ejus reali præsentiâ tam in Cœlo quam in v. Sacramento consequatur necessariò, tametsi alioquin nullo scripturarum evidenti testimonio fulciatur. Quia enim Christum qui ubicumque & in qualicumque statu

fuerit, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo supremo latriæ cultu prosequendum esse inficiari voluerit? Quis, inquam, illum in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter eadem, quâ Deum ipsum colimus, veneratione afficiendum esse negaverit? Quis denique unigenito patris æterni filio ipsi æterno patri per omnia simillimo divinum honorem supremumque cultum abrogari oportere dixerit? Nemo sanè. Cum igitur in v. Sacramento sit æqualis Deo, & in ejus carne, quâ vescimur, inhabitet omnis plenitudo divinitatis, & ipse sit ab omni retrò æternitate unigenitus Dei Filius, nemo nisi in ultimâ temeritatis & impietatis lineâ constiterit, illi supremos, id est uni duntaxat Deo debitos honores detrahere, aut denegare poterit.

Quia igitur in carne quâ vescimur in v. Sacramento, ut anima de Deo saginetur, ut loquitur Tertullianus; cum, inquam, in hoc ipso Christi Corpore, in Eucharistiâ præsente inhabitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ex quo per stupendum Incarnationis mysterium nostra caro facta est caro deitatis, ideò Christum cum illâ ipsâ ejus carne, quam in illo cælesti convivio manducamus, supremo latriæ cultu afficimus.

Cum enim incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis, facta est caro Deitatis, ut ait S. Leo Serm. 15. de Passione Domini.

Hac fide ipsum Sacramentum quasi divinum quiddam adoramus, quasi vivum quiddam & rationabile alloquimur & rogamus: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis: quia non videtur, sed quod verè est, Christum ibi esse credimus, ut asserit B. Algerus Lib. 2. de Sacramento Corp. & Sang. Domin. cap. 3. exeunte.

Verùm quorsùm hæc pluribus persequimur, & in proferendis sanctorum Patrum testimoniis immoramur, cum vel ipsi adversarii suppositâ Christi in v. Sacramento præsentiâ illum inibi necessariò adorandum, palàm sine ullâ tergiversatione fateantur.

Quid quod Theodorus Beza in Lib. de Cœnâ Domini contra Westphalum pag. 245. vehementer carpit ipsum Westphalum Lutheranum eo nomine quod Christi in Eucharistiâ præsentis adorationem liberam relinqueret: *Illud*, inquit, *præ cæteris demiror, qui adorationem istam liberam relinquat, qui tamen Christum reipsâ corporaliter ut in Cælis cum pane adesse, dari & sumi fatearis: Id enim si ita crederem, adorationem illius profectò non modo tolerabilem & religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer.*

Idem affirmat Schlusseburgius quæstion. de adorat. Christi in Cœnâ fol. 160. *Si vere*, inquit, *credimus Jesum Christum Filium Dei in illâ actione adesse peculiari modo præsentia; ita quod ibi verè & substantialiter exhibeat vescentibus Corpus suum & Sanguinem: si hæc, inquam, ex animo, & toto corpore credimus, quæstio de adoratione & veneratione plana est. Jacob cum videret Dominum innixum scalæ, non habebat peculiare mandatum ut illum ibi adoraret, nec Moyses, nec Helias: sed quia credebant Deum peculiari modo gratia ibi adesse, & se patefacere, certè non fuisset vera fides, si non secuta fuisset vera invocatio, seu adoratio, id est honos Deo debitus.* Postea conqueritur de nonnullis aientibus panem (quem cum Christi Corpore in hoc Sacramento remanere Lutherani asserunt) ab ipsis adorari. *Calvinista*, inquit, *diffamans nos docere panis adorationem, quia Christi præsentiam & adorationem astruimus; quæ sophistica illusio similis est illi, si impudentes sophistæ cavillentur nos docere Templum esse adorandum, quia affirmamus Deum in Templo esse adorandum, vel asserere quod Cælum sit adorandum, quia statuimus quod Christus sit adorandus in Cælo. Cum Christus verus Deus & homo tempore suæ dispensationis adoratus sit, & ipse non prohibuerit se adorari, cur superstitiosum judicatur adorare Christum, postquam exaltatus est ad dextram Dei in medio populi sui, secundum verbum suum, præsentem?*

Hæc ille, qui & sanctorum Patrum Theodoreti, Eusebii Emysseni, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Ambrosii & sancti Augustini, utpotè hominum suæ doctrinæ suffragantium testimonia profert. Quâ in parte esset omninò Catholicus (quippè qui realem in v. Sacramento Corporis Christi præsentiam & adorationem amplectitur & defendit) si Transsubstantiationem ab Ecclesiâ Catholicâ ab omni ævo traditam & professam ejuratâ Lutheranorum impanatione ex animo admitteres.

Kemnitius Lutheranus in examine sessionis 3. Concilii Tridentini pag. 151. ais neminem inficiari adorandum esse Christum in Eucharistiâ, nisi illum in eâ præsentem esse vel neget, vel dubitet.

Dallæus Calvinistarum Minister in suâ Apologiâ quam Mestrezatius, Drelincourtius & Aubertinus ejus sodales & Collegæ suâ approbatione & chirographo munierunt, disertè profitetur adorationem Christi in Eucharistiâ necessariò ex Ecclesiæ Romanæ doctrinâ tam ratione juris quam facti inferri. Ita ut si subjectum quod Sacramentum Eucharistiæ dominatur, substantialem Corporis Christi præsentiam contineat, ut ipsa prædicat Ecclesia Romana, certo certius est illud adorari posse & oportere eo nomine quod Corpus Christi adorari debeat.

Quæ doctrina sana est & innoxia vel ipso Calvinistarum judicio. Cum enim ab multis jam annis Lutheranorum Corporis Christi præsentiam cum pane consistentem profitentium doctrinam ceu pestiferam abhorrerent, anno 1631. in Synodo Carantoniâ illam ipsam doctrinam nullo erroris veneno perfusam esse declararunt, & jam Christi Corpus suppositâ ejus in v. Sacramento præsentiâ adorari posse & oportere in propatulo prædicant.

Usque adeò verum est Hæreticus omni vento doctrinæ circumferri, & modò unam sententiam, modò alteram pro temporum ratione profiteri, sicque habere fidem temporum non Evangeliorum, atque adeò fucatæ duntaxat religionis & reformationis larvâ miserrimè circumscribi. Quis enim cordatus in animum inducat suum illam esse veram Religionem & Ecclesiam reformatam cujus doctrina ex plurium hominum modò in unam, modò in alteram partem priori penitùs appositam propendentium prolubio pendeat? Ita sanè sapere desipere est. Itaque transeamus ad alia. Sit itaque

Sectio VIII.

In quâ proferuntur rationes propter quas peculiaris Corporis Christi Festivitas in Ecclesiâ sit instituta.

Secundum dogma quo Corporis Christi peculiaris Festivitas jam à multis annis celebrata ab eodem Concilio Tridentino statuitur.

Hæreticus.

ESTIS sanè viri minimè mali, qui hanc Corporis Christi Festivitatem sic tamquam ex divinâ revelatione institutam prædicatis; cum ejusmodi Festivitas orta sit ex cerebro cujusdam mulierculæ Leodiensis quicum Urbanus rem habuerat, antequam ad Pontificale ministerium perveniret.

Catholicus.

Gaudeo sanè quod nos minimè malos existimetis, sed dolendum est quod vos maximè malos experiamur, utpotè qui hujus Festivitatis sanctitatem fictis fabulis

& immanibus calumniis elidere ſtudeatis. Hac in re ſecuti Joannem Baleyum Miniſtrum Anglicanum qui hac de re dubitando loquitur: *Ex hac*, inquit, *muliercula ſuperſtitioſâ ſolemne Sacramenti Feſtum per illuſionem diabolicam originem traxiſſe videtur.* Quod autem præfatus Baleyus dubium habuit, & ut dubium prodidit, vos ut certum & pro veritate Evangelicâ venditatis. Nec advertitis Centuriatores Magdeburgenſes non minùs quam Baleyum in Romanos Pontifices animatos, cauſam inſtitutionis hujus Feſti conferre in S. Thomam, cujus rogatu illud ab Urbano Papâ IV. inſtitutum fuiſſe commemorant. Hanc opinionem utpotè probabiliorem amplectimur, ſicut & amplexi ſunt plerique omnes qui magnâ eruditionis laude floruerunt

Hunc igitur Feſtivitatem inſtituit Urbanus Papa IV. anno Redempt. 1264. ut patet ex Bullâ datâ Orvieti 8. Septemb. ann. 1264. quæ & relata eſt in Corpus juris, & legitur Lib 3. Clementin. tit. 16. cap. unico de reliq. & venerat. Sanct.

Talis Feſtivitas non eſt celebrata in totâ Eccleſiâ ſub Pontificatu Urbani Papæ IV. qui juxta Eccleſiaſticum Onuphrii Chronicon devixit 2. Octob. 1264. Nam Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus in divinorum Officiorum rationali, quod elaborabat anno 1286. id eſt viginti duobus annis ab Urbani obitu elapſis, ut ipſe teſtatur, nihil meminit hujus Feſti, qui tamen omnia Eccleſiæ Feſta ſuo ſæculo celebrari ſolita explanavit.

Admodùm probabile eſt hoc Feſtum in totâ Eccleſiâ celebrari cœptum eſſe anno duntaxat 1311. quo celebratum eſt Concilium Viennenſe generale XV. ex trecentis & pluribus Epiſcopis compoſitum, ubi præfata conſtitutio Urbani Papæ IV. quæ non fuerat recepta ab omnibus, innovata eſt ab Clemente Papâ V. qui & illam ab omnibus obſervari præcepit.

Unde probabiliſſimum eſt hanc ſanctiſſimi Sacramenti Feſtivitatem in toto terrarum orbe quadraginta & ſeptem annis ab obitu Urbani Papæ IV. elapſis fuiſſe celebratam. Deinde eadem ipſa Bulla ab Martino Papâ V. & Eugenio Papâ IV. ipſius Succeſſore confirmata eſt, ita ut duo illi Pontifices ut Chriſtianorum Catholicorum animos ad majorem tanti Sacramenti amorem & venerationem accenderent, auxerint Indulgentias, quibus Urbanus Papa IV. per hujus Feſti octavas Eccleſiaſticis Officiis interfuturos impertierat. Noviſſimè ſanctæ iſtius Feſtivitatis inſtitutio hæreticorum & præſertim Calviniſtarum ingratiis confirmata eſt ab ſacro-ſanctâ Synodo Tridentinâ, quæ multos Canones ad tanti Sacramenti ſubſtantiam & veritatem & venerationem, & perceptionem commendandam & fidelibus inculcandam accommodatiſſimos, & ideò ab unoquoque Catholico religioſiſſimè colendos retinendoſque ſub anathematis interminatione condidit, ſanxit, promulgavit.

Hæreticus.

Quænam rationes veſtros Pontifices ad peculiarem hanc iſtius Sacramenti Feſtivitatem, vel inſtituendam, vel confirmandam impellere potuerunt?

Catholicus.

Noſtri Pontifices ad hujus ſolemnitatis inſtitutionem perpulſi ſunt iis rationibus, quas ne teterrimi quidem Calviniſtarum aſſeclæ improbare poſſunt.

Prima ratio.

Peſtitur ex debito gratitudinis, quâ omnes Catholici tantam divini ſalvatoris charitatem pariter & munificentiam proſequi tenentur. Quiſquis enim tantum & tale Sacramentum oblivi ſceretur, dignus eſſet, qui expungeretur ex hominum albo. Unde Urbanus Papa IV. ita loquitur: *In inſtitutione hujus Sacramenti dixit ipſe Chriſtus Apoſtolis: hoc facite in meam commemorationem, ut præcipuum & inſigne memoriale ſui amoris eximii, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum & venerabile Sacramentum, memoriale, inquam, mirabile ac ſtupendum, delectabile, ſuave, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum, in quo innovata ſunt ſigna, & mirabilia immutata.* Et pauló poſt: *Hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſacratiſſimum, memoriale ſalvificum, in quo gratam Redemptionis noſtræ recenſemus memoriam, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profectò proficimus ipſius corporali præſentiâ Salvatoris.*

Et multò poſt prædicta exclamat Pontifex: *O memoriale nobiliſſimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reſervandum in cordis utero, & meditatione ac celebratione ſedulâ recenſendum! Hujus memorialis debemus continuam celebrare memoriam, ut illius, cujus ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus: quia cujus donum vel munus frequentiùs aſpicitur, hujus memoria ſtrictius retinetur.* Hæc ibi.

Secunda ejuſdem inſtitutionis ratio.

Alteram iſtius inſtitutionis cauſam ſuppeditat ille ipſe Pontifex, ut ſcilicet tanti Sacramenti memoria celebrior hæreticos tantum myſterium oppugnare auſos graviori pudore ſuffunderet. *Licet igitur*, inquit, *hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolemniis frequentetur: conveniens tamen arbitramur, & dignum, ut de ipſo ſemel ſaltem in anno ad confundendam ſpecialiter Hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolemnior, & celebrior habeatur.*

Ac reipſa quidem ſi Eccleſia Dei profligatâ Arianorum Verbi conſubſtantialitatem negantium hæreſi peculiarem ſanctiſſimæ Trinitatis Feſtivitatem ad celebrandam inſignem illam, quam de ipſis Arianis victoriam reportaverat, inſtituit, ne infanda illa hæreſis ſic tamquam rediviva denuò caput attolleret, an ideò quiſquam ex illâ feſtivitate recens inſtitutâ novam eſſe ſanctiſſimæ Trinitatis fidem inferet, (ſicut infertis nos inſtitutâ v. Sacramenti Feſtivitate novam pariter ejuſdem Sacramenti Fidem in Eccleſiam intuliſſe) an, inquam, colliget Catholicos ante hujus Feſti inſtitutionem non credidiſſe ejuſdem ſanctæ Trinitatis myſterium, ſicut poſt inſtitutam illius celebrationem crediderunt? Quod ſi ad perpetuam debellatæ & obrutæ in I. Nicænâ Synodo hæreſis Arianæ memoriam, & ad recolendam omnium gentium in unius & ſummæ Trinitatis fidem conſpirantium unionem Eccleſia Catholica poſt tot certamina cum Arianis inita, novam peculiaremque in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ſolemnitatem inſtituere potuit, ad inſtar Synagogæ, quæ indicebat Feſta ad recolendas quas Populus Dei de incircumciſis gentibus reportabat victorias. Cur mirum videbitur, ſi eadem Eccleſia extinctis hæreſeos Berengarianæ reliquiis, & omnibus omnium Regionum Populis ad unam venerabilis Sacramenti Fidem fœliciter opitulante Deo vel adductis, vel revocatis, inſtituat & indicat peculiare quoddam Feſtum in honorem venerabilis Sacramenti, in quo de triumphatâ hæreſi & Deo gratias agere, & ſancto quopiam gaudio perfundi ſuum denique ſponſum tot munerum largitorem, tot victoriarum Authorem, in eodem ipſo Sacramento ſolitò ardentiùs amplecti & religioſiùs venerari valeat!

Quod ſi Calviniſtæ hujus Feſti inſtitutionem pejorem in partem accipiant, & nos Catholicos cum hujus Feſti novitate, fidei quoque novitatem circa venerabile Sacramentum in Eccleſiam importaſſe contendant; meminerint pleraque feſta inſtituta eſſe variis in locis,

ita tamen ut illorum institutio & celebratio nihil celebrantium fidei adderet, siquidem fideles illam eamdem, quam ab pluribus annis alicujus mysterii fidem professi fuerant, illustriùs quam antea externo celebrationis ritu patefacerent. Cum v. g. Festivitas Nativitatis D. N. J. C. quæ S. Joannis Chrysostomi temporibus recens instituta est Antiochiæ (ut legere est apud ipsum Chrysost. Tom. 5. Serm. 31. in Christi natalem.) An aliquid ad fidem Antiochenorum addidit? Numqoid longè ante sancti Chrysostomi ætatem istius Nativitatis mysterium credidere? Nonnè & omnes Catholici per terrarum orbem longè lateque dispersi sanctissimæ Trinitatis mysterium, ut jam credimus, credidere, antequam ob reportatam de Arianis illud ipsum mysterium oppugnantibus victoriam, consecratam eidem adorandæ Trinitatis mysterio solemnitatem celebrarent? Ergò pessimè ratiocinantur, quotquot per recentem Festorum institutionem Fidei novitatem in Ecclesiam importatam esse dictitant.

Tertia ejusdem institutionis ratio.

Ille ipse Urbanus Papa IV. in præfatâ Bullâ ratiocinatur à minori ad majus hoc pacto: *Si*, inquit, *nihil obstantibus Festis Sanctorum, quæ quotannis celebrantur in Ecclesiâ, instituta est peculiaris solemnitas omnium Sanctorum meritis consecrata, ut quicquid aliàs in Festis peccatum esset, vel omissum in illâ resarciretur: potissimè igitur, inquit, exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum Corporis & Sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, ut Festivitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenùs in eo quod in aliis Missarum Officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devotâ diligentiâ suppleatur, & fideles Festivitate ipsâ instante intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis, sæcularibus forsàn agendis implicitì, aut aliàs ex negligentiâ vel fragilitate humanâ minùs plenè gesserunt: tunc attentè in humilitate spiritus & animi puritate restaurent.*

Hisce verbis summus ille Pontifex nos ad alia studiosiùs perpendenda evocat: si enim specialem Festivitatem instituit in honorem ven. Sacramenti, ut quod in Missarum solemniis toto anni curriculo, vel ex negligentiâ, vel fragilitate humanâ peccatum est, seu prætermissum; id in præfatâ v. Sacramenti solemnitate ardentiori pietate sarciatur; quanto magis in memoriam revocanda sunt peccata per indignam & sacrilegam tanti Sacramenti celebrationem & perceptionem admissa? Quanto studio Sacerdotes huic potissimùm mysterio celebrando populisque ministrando suâ ordinatione addicti consecratique in eâ celebritate intimos animi recessus explorare debent, & in memoriam revocare negligentiam & irreverentiam, quâ quotidiè ab pluribus forsan annis sine ullâ emendatione & solâ forsitan mercedulæ spe tantum tamque terribile mysterium tractavere.

Præterea Laïcos qui semel dumtaxat quotannis ad divinam accedunt mensam, & præmissâ qualicumque Confessione cum levissimo, imò ut plurimùm nullo emendationis proposito conjunctâ verum Christi Corpus percipere nihil dubitant, admonere necesse est ipsis insuper majorem & vehementiorem in modum declaranda est immanitas sacrilegii, quo se devinciunt & quantum & quale judicium sibi manducant & bibunt, cum Christi Corpori nondum paractâ convenienti pœnitentiâ vim inferunt, illudque in animam grandi flagitiorum acervo contaminatam, & in carnem in omnium libidinum cœno volutatam nullâ scelerum suorum conscientiâ stimulati trajiciunt.

In id præsertim debent incumbere prædicatores, qui per octavas hujus solemnitatis prædicant, ut fideles doceant, quâ animi puritate, quanto Christi amore, quanto desiderio & fervore, quantâ fide, quantâ spe ad hoc Sacramentum accedere debeant, ne suam in perniciem convertant cœlestem illum cibum, quem Christus nobis porrexit ad salutem.

Præterea ea debent adhibere hortamenta, quæ adhibenda esse monet ille ipse Urbanus Papa IV. ut scilicet fideles per veram & puram Confessionem eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes, possintque ipsum suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Hæc ille.

Ad has rationes propter quas Corporis Christi solemnitatem institutam esse dicimus, cæteræ revocari possunt. Nam

1. Si hujusmodi Festivitas instituta est ne tanti beneficii, tantique Sacramenti gratia, & Christi ejus institutoris & largitoris memoria senesceret apud homines, & temporis diuturnitate sensim abolesceret, nemini dubium est; quin sæpenumerò tantum mysterium memoriâ repetere, & pro illo æternæ Trinitati per Christum gratias quantas maximas persolvere debeamus.

2. Si peculiaris hujus mysterii Festivitas instituta est ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, quis ignorat nos toto vitæ curriculo, & præsertim eo tempore, quo Ecclesia hoc mysterium speciali reverentiâ prosequitur, omnes Catholicos ad majorem ejus venerationem obligari, ut hæretici, qui resipiscere noluerint, meritò percellantur verecundiâ, cum animadvertent Christum Jesum ab densissimis Catholicorum gregibus adorari, & ab pauculis Calvinistis non solùm non adorari, sed etiam Corporis ejus in eo Sacramento præsentissimi veritatem pervicaciter abnegari.

3. Denique si instituta est illa solemnitas, ut expiaretur & repararetur quicquid admissum esset contra reverentiam tanto Sacramento debitam, par est nos Christum in hoc mysterio comprehensum majori quàm anteà alacritate & submissione, & dilectione in hac solemnitate venerari. Ad talia Religionis officia mirabili Sacramento exhibenda nos insigniter incitat Urbanus Papa IV. sub finem Bullæ toties citatæ, ubi ait se certum ad hoc celebrandum mysterium designare & describere diem, proximam videlicet feriam quintam post octavam Pentecostes: ut in ipsâ quintâ feriâ, inquit, devotæ turbæ fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuosè concurrant, & tam Clerici quam Populi gaudentes in Cantica laudum surgant; tunc enim omnium corda, & vota, ora & labia Hymnos persolvant lætitiæ salutaris: Tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur; Tunc singoli alacri animo, pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo tanti Festi solemnia celebrantes: Et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc & alia proficientibus meritorum cumulis apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitæ decursum eis se in præmium largiatur.

Hæc Urbanus Papa IV. qui Indulgentiarum largitione Bullam claudit.

Sectio IX.

In quâ v. Sacramenti in solemni omnium ordinum supplicatione, seu Processione circumgestatio ab Hæreticorum calumniis asseritur.

Dogma tertium quo v. Sacramenti in solemni Processione circumgestatio sancta & legitima ab Concilio Tridentino declaratur.

Hæreticus.

JUre sanè ac meritò viri clarissimi hujusmodi Processionem meritis nominibus lacessere potuerunt. Calvinus Lib. 4. Institut. cap. 17. eam vocat superstitionem. Gualterus, quem Protestantes ob eloquentiam & homiliarum multitudinem suum appellant Chrysostomum, illam fraudem & fallaciam vocat hom. 169. in Luc. Centuriatores Magdeburgenses eam nominant horribilem idolomaniam, ut legere est in centur. 13. Kemnitius eam novitatis & idololatriæ nomine infamat, & addit eam verbis, quibus Eucharistia instituta est, adversari, ut videre est apud ipsum 2. parte exam. Concil. Trid. Item Rivetus in Lib. 1. de adulteratâ Cœnâ Domini contendit in hujusmodi Processione renovari, quicquid olim apud Ethnicos in honorem Ceteris, Isidis, & Dianæ factitari consueverat.

Catholicus.

Quos homines appellas clarissimos, nos Catholici desertores & transfugas appellamus, utpotè qui ab Ecclesiâ Romanâ, quam pro verâ & legitimâ Ecclesiâ agnoverunt ab ipso etiam suæ defectionis tempore, desciverunt: Quibus proindè omnem fidem abrogare necesse est. Quis enim aliquam fidem habeat hominibus, quibus nihil est antiquius, quam ut suam illam defectionem novis artibus & strophis prætexant, ne semel errasse, & alios doctis dolis & technis suarum Hæreseon veneno imbuisse videantur.

Sed prætermissis acrioribus verbis, quibus tales personæ excipi possent: videamus an ista supplicatio seu Processio sit criminosa, ut tot injuriis affici debeat.

Hæreticus.

Hujusmodi Processio duplici nomine damnanda est. Ratione scilicet innovationis, & ratione facti.

Catholicus.

Si per innovationem intelligas fidei novitatem, quæ in Ecclesiam per hujus institutionem Festivitatis invecta fuerit, næ pace tuâ dixerim, graviter erras. Nam ista solemnitas instituta est ab Urbano Papâ IV. anno scilicet 1264. & in totâ Ecclesiâ celebrari cœpta est anno dumtaxat 1311. quo tempore constitutio Urbani Papæ IV. denuò promulgata est, & confirmata in Concilio Viennensi ab Clemente Papâ V. Berengarius autem qui jam in aliis septem Conciliis damnatus fuerat, tandem denuò & ultimò damnatus est in Concilio Romano VI. quod sub Gregorio Papâ VII. celebratum est anno Redemptionis 1079. quo in Concilio suam hæresim ex animo ejuravit: ut testatur pœnitentia quâ persunctus est, antequam è vivis excederet, ut suprà probavimus, ergo inter istud Concilium (in quo confirmata est denuò Eucharistiæ fides ab pluribus aliis Conciliis longè antè stabilita) & inter hujus Festivitatis institutionem anni circiter octoginta & quinque intercurrerunt, & usque ad solemnem ejusdem Festivitatis in totâ Ecclesiâ celebrationem effluxerunt anni septem suprà quadraginta, ergo neque per hujus solemnitatis institutionem, quæ facta est ab Urbano Papâ IV. neque per universalem ipsius in totâ Ecclesiâ celebrationem fidei novitas circa venerabile Sacramentum importari potuit: siquidem ut insinuavimus hîc, & pluribus probavimus superiùs, antiqua Eucharistiæ fides in Concilio Ephesino & aliis Conciliis, quæ suprà recensuimus, irreformabili Ecclesiæ in ipsis congregatæ judicio constituta, & corroborata fuerat, & tandem novitas ab Berengario adversus Eucharistiæ veritatem excogitata, ab Gregorio Papâ VII. in Concilio Romano damnata & proscripta, ab ipso denique Berengario Orthodoxam circa v. Sacramentum fidem professo, syncerè recantata & ejurata fuerat.

Hæreticus.

Per istius Festivitatis institutionem & celebrationem & Processionem innovata est Fides Eucharistiæ, & adulterata est Cœna, quam ab Christo institutam esse credimus.

Catholicus.

Ostendimus modo per hujus Festi institutionem & celebrationem Eucharistiæ fidem non potuisse innovari, si meminisse libeat. Si dicas per Processionem simul cum ipsâ Festivitate institutam, invectam esse fidei novitatem circa Eucharistiam.

Tunc asseto multis de causis hanc Processionem esse & Urbano Papâ IV. & Corporis Christi Festo posteriorem.

1. Quia id multi Authores testificantur, ut puta Nauclerus, Polydorus Virgilius, Gualterus, & alii.

2. Quia Petrus de Natalibus Urbani Papæ IV. ætati suppar ab eo institutam esse Corporis Christi solemnitatem commemorat, Processionis autem nullo pacto meminit.

3. Quia Durandus Mimatensis Episcopus in Rationali de Processionibus Ecclesiæ tractat, de hac autem ne verbum quidem facit: quam proculdubiò non omisisset, si ab Urbano Papâ IV. fuisset instituta; siquidem vigesimo secundo post istius Pontificis obitum anno scribebat.

4. Quia S. Thomas qui S. Sacramenti Officium imperante eodem Urbano Papâ IV. composuit, silet de hujusmodi Processione, de quâ proculdubiò locutus esset, si suis temporibus viguisset. Cum enim verba faciat de Indulgentiis ab præfato Pontifice concessis omnibus qui per istius solemnitatis octavas Ecclesiasticis Officiis interessent, de ipsâ pariter Processione quæ non facit postremam tantæ solemnitatis partem magnificè prædicasset.

5. Probabile est eam Processionem non esse institutam ab Urbano Papâ IV.

Cum enim in Bulla, transiturus, institutam à se v. Sacramenti Festivitatem celebrari ardentiùs cuperet, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui matutinali Officio Festi ejusdem in Ecclesiâ in quâ idem celebrabitur, interfuerit, centum dierum Indulgentias concessit.

Qui verò Missæ totidem.

Qui autem in primis ipsius Festi Vesperis interfuerint, similiter centum.

Qui verò in secundis totidem.

Illis verò qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ ac Completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta.

Illis autem qui per octavas illius Festi matutinalibus, vespertinis, Missæ, ac prædictarum horarum Officiis interfuerint, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordiâ ac

Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli authoritate confisi de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Hæc ibi.

Cum igitur, ut dicere cœperamus, Urbanus Papa IV. tantas & tam uberes Indulgentias hominibus Ecclesiasticis Officiis per ejus Festi octavas interfuturis concesserit, haud dubiè Indulgentias concessisset pariter iis qui interfuissent præfatæ Processioni, si illam cum v. Sacramenti Festo instituisset, sicut posteà factitatum est ab Martino Papâ V. & ab Eugenio Papâ IV.

Nam constat Martinum Papam V. in Bullâ, quæ incipit, Ineffabile Sacramentum datâ vigesimo sexto Maii anni 1429. duplicasse Indulgentias ab Urbano Papâ IV. concessas iis qui per octavas Corporis Christi divinis Officiis interessent. Insuper alias addidit in gratiam eorum qui præfatæ solemnitatis pervilegio jejunarent, & ipso ejus die communicarent, & eodem diem Sacramentum in publicâ supplicatione seu Processione circumgestatum sequerentur, sicut & cum deferretur ad infirmum. Ut legere est apud Joannem Naucletum Tubingæ Præpositum volum. 2. Chronol. general. 43.

Eugenius Papa IV. Indulgentias ab Martino Papâ V. concessas novis pariter Indulgentiis ejusdem finis gratia duplicavit, ut constat ex ejus Bullâ, quæ incipit, Excellentissimo, datâ etiam 26. Maii ann. 1433. Sicut igitur duo præfati Pontifices largiores Indulgentias impertierunt omnibus prædictæ Processioni, sicut oportet, interfuturis, ita etiam haud dubiè universis eidem Processioni affuturis Urbanus Papa IV. concessisset Indulgentias, si illam suo sæculo celebrari voluisset.

Hæreticus.

Quorsum prolixa illa tot Indulgentiarum commemoratio quæ proculdubio ab vestris Pontificibus concessæ sunt, ut faciliorem in animos isto Indulgentiarum fuco delinitos aditum patefacerent novitati fidei, quam circa Eucharistiæ Sacramentum in orbem Christianum invehere decreverant?

Catholicus.

Ista commemoratio Indulgentiarum (quarum largitio fundata est in scriptura, ut videre est. 2 cor. c. 2. v. 6. usque ad 12. eo pertinet, ut sciatis Ecclesiam Dei eo semper animo fuisse erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum (quo nihil pretiosius habet) ut omnibus sæculis non molita fuerit, quo suos fideles ad ejusdem Sacramenti firmissimam fidem, flagrantissimum amorem, humillimam venerationem, religiosissimam denique perceptionem impelleret. Nam minas intentavit quibusdam Christianis qui culpabili negligentiâ ad sacram synaxim accedere detrectarent; excommunicationis pœnam (quâ nullam majorem habet) inflixit aliis, qui statutis ab ipsâ temporibus v. illud Sacramentum suscipere renuerent: aliis denique non adeò malis, sed tepidis proposuit Indulgentias quarum beneficio pœnas suis flagitiis debitas vel minuerent, vel maximam partem exolverent, si pro suarum facultate virium sustinerent pœnitentiæ labores, quos ab quolibet verè pœnitente tolerari necesse est, qualiscumque illi Indulgentia concessa fuerit. Non enim conceduntur Indulgentiæ, ut tollatur omnis pœnitentiæ labor, sed ut per illas suppleatur quicquid defuerit necessariis pœnitentiæ operibus & laboribus, quos homo verè pœnitens pro suo modulo esorbuerit.

Ecce tibi causam propter quam Indulgentias verè contritis & pœnitentibus & cum verâ fide v. Sacramentum adorantibus impertiere summi Pontifices, non autem ad innovandam Eucharistiæ fidem, quam ab omni ævo Ecclesia Catholica ita tenuit, ita prædicavit, ita suis in Conciliis definit, ut illam vel tantisper immutari, nec umquam passa sit, nec pati potuerit.

Hujus mutationis impossibilitatem suprà probavimus, nec hîc allatas probationes prolixitatis vitandæ gratiâ repetimus.

Porrò præfata Processio non est adeò recens, ut comminiscuntur hæretici, siquidem illius meminit Concilium Provinciale Senonense celebratum ann. Redempt. 1320. in quo dicitur eam supplicationem sivè Processionem divinâ inspiratione institutam videri. Hujusce Processionis meminit Donatus Bossius in Historià Mediolanensi, ubi ait 29. Maii die Jovis ann. Dom. 1404. Corpus Christi solemniter, ut posteà factitatum est per Papiam Urbem circumferri cœptum fuisse. Hæc ille.

Quicquid id est nullum potest assignari certum & determinatum tempus, quo hæc Processio factitari cœperit: sed quovis tempore in laudabilem & religiosam Ecclesiæ consuetudinem venerit, nemo cordatus ex eâ novitatem fidei (quam per eam circa Eucharistiæ Sacramentum introductam esse fabulantur hæretici) colligere potest. Quis enim dicat Ecclesiam innovasse fidem sanctissimæ Trinitatis, seu aliquid de novo proposuisse fidelibus credendum cum debellatis Arianis cæterisque Trinitariis, indixit peculiare Festum in honorem ejusdem sanctissimæ Trinitatis, & ad recolendam jugiter Catholicæ fidei victoriam hoc Epinicium seu triumphale & velut intercalare carmen (Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum) ad cujusque Psalmi clausulam adjici voluit? Hoc sanè nemo dixerit. Quamvis enim tunc nova colendæ Trinitatis forma novis scilicet verbis concepta usurpari cœperit, non tamen indè inferri potest innovatam esse fidem, quam de sanctissimâ Trinitate Ecclesia Catholica omnibus, ex quo fundata est, sæculis credidit, scripsit, prædicavit.

Quod si hujusmodi triumphus sanctissimæ Trinitati ob reportatam de ipsius adversariis victoriam per triumphale carmen deferri potuit, quidni triumphus Christo Domino per triumphalem & solemnem adorandi ejus Corporis in Processione circumgestationem deferri poterit, ne abolescat memoria insignis illius victoriæ, quam de Sacramentariis non uno in loco, nec uno incertamine reportavit?

Nihil ergo innovatum circa Eucharistiæ fidem ex ejus Festivitate & Processione colligi potest, quicquid obstrepant Heterodoxi: sivè illa Processio ab Urbano Papâ IV. (à quo instituta est ejus Festivitas) sivè ab alio Pontifice primùm indicta fuerit.

Hæreticus.

Hujus Processionis crimen & enormitas vertitur & insistit in facto: in quo manifesta deprehenditur idololatria.

Catholicus.

Non poteris inficiari, quin Christum, ubicumque sit, sivè lateat, sivè appareat, supremo latriæ cultu adorari oporteat. Cum ergò suprà multis argumentis ex scripturâ & Patribus & ex ipsâ ratione repetitis Christum substantialiter sisti præsentem in Eucharistiæ Sacramento non per fidem, ut dicitis vos, sed per verba ab ipsomet Christo Apostolis & in eorum personis Ecclesiæ ad efficiendam in hoc ipso Sacramento Corporis sui præsentiam tradita: Cum, inquam, talem Christi præsentiam in Eucharistiâ satis superque astruxerimus, & præcipuis vestratium ministrorum objectionibus responderimus, quidni Christum in divino mysterio absconditum & per compita in triumphali solemnitate circumgestatum supremâ adoratione prosequamur. Hac in re, & in eâ,

quam tenemus, fide, nemo nisi iniquè nobis idololatriæ crimen objicere poterit.

Si enim Deus arcam hujus Sacramenti figuram eo jussit honore affici, ut circa muros Hiericuntinos efficacissimâ ejus præsentiâ & virtute dejiciendos circumvectionis factâ mentione Moyseo illam ædificare jusserit: & si cæteri Hebræorum duces hujusmodi exemplum secuti eamdem illam arcam secùm in castra deportari voluerunt; quod crimen aut qualem idololatriam admisere Christiani Catholici, si per quamdam analogiam eumdem honorem, qui arcæ v. Sacramenti figuræ adhibitus fuerat, ipsi Sacramento non jam in figuris adumbrato, sed per Christum figuras ipsâ rerum veritate dissipantem exhibito, deferri posse censuerunt, & reverà detulerunt, & etiamnùm deferunt?

Hæreticus.

Eo facto, si ab idololatriæ crimine absolvi potestis, vos saltem deridendos propinastis toti terrarum orbi: utpotè qui anili quapiam superstitione in eam circumferendæ Eucharistiæ consuetudinem estis devoluti.

Catholicus.

Exigua Calvinistarum factio non facit totum terrarum orbem, atque adeò si Calvinistæ nos ob solemnem Eucharistiæ circumgestationem habuere, & nunc habent ludibrio, non propterea nos toti terrarum orbi deridendos propinavimus, imò unusquisque Christianus Catholicus imitabitur David saltantem totis viribus ante Dominum, & incredibili gaudio deliquescet eo nomine, quod Christum Jesum in suo Sacramento, velut in triumphali curru circumgestatum, & ab confluentibus undique populis adoratum animadvertat. Neque morabitur Michol, id est hæresim in sacros Ecclesiæ ritus, religiosasque cæremonias insultantem: siquidem illam velut alteram Michol æterno pudendæ sterilitatis opprobrio puniendam, & mortalium omnium facetorâ dicacitate prosequendam esse resciat. Neque enim umquam Filios Christo peperit, aut parere potuit, aut poterit, utpotè quæ satorem diabolum nacta, unos dumtaxat iræ, maledictionis, & gehennæ filios æterno nempè inferorum igne cruciandos progenerat, atque adeò æternum sibi ludibrium & opprobrium accersit. Illâ itaque desertâ audiamus sacram Synodum de v. Sacramenti peculiari Festivitate & Processione Corporis Christi prædicantem: declarat sancta Synodus piè & religiosè admodùm in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rarâ quadam significatione gratos ac memores testentur animos erga communem Dominum ac Redemptorem pro tam ineffabili & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere: ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tantâ universæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.

Hactenùs sacro sancta Synodus Tridentina sess. 13. de Enchar. cap. 5. Faxit Deus ut ista Spiritus sancti verba per œcumenicam Synodum enuntiata, tuam mentem ab hæreseus erroribus & argutiis explicatam ad Orthodoxam fidem transferant. Interim ulteriùs progrediamur. Sit itaque

S E C T I O X.

In quâ v. Sacramenti publica expositio legitima & rectè Ecclesiæ authoritate sancita declaratur.

Dogma quartum quo v. Sacramenti publicè expositi adoratio ab Concilio Tridentino indicitur.

PRæter dogmata ad v. Sacramenti cultum pertinentia, quæ hactenùs recitavimus, Concilium Tridentinum alia proponit, & imprimis prohibet ne quis laudabilem v. Sacramenti certis temporibus exponendi consuetudinem improbet ut illicitam.

Hæreticus.

Plurimi vestrarum partium viri multa in publicâ hac v. Sacramenti expositione improbanda deprehendunt & expostulant.

Catholicus.

Si nonnulli Sacerdotes aut monachi peccent hac in parte, culpa in ipsos conferenda est, non in Ecclesiam, quam omni culpâ vacare comperiet quisquis hac in ipsâ re ejus mentem introspicere voluerit. Quod ut fiat, tria sunt potissimùm observanda.

1. Unde originem traxerit sancta illa consuetudo v. Sacramentum exponendi oculis fidelium, & quibus præsertim temporibus talis expositio fieri possit & debeat.

2. Quo ritu & cultu prosequi oporteat v. Sacramentum ita expositum.

3. An frequenter hujusmodi expositio fieri debeat.

Quod spectat ad primum articulum, probabilior sententia asserit hanc v. Sacramenti expositionem suam originem traxisse ex Processione, quæ in ejus honorem instituta est; quando autem vel à quo instituta sit ea Processio, non liquet, ut paulò antè vidimus, cum diximus Indulgentias ab Urbano Papâ IV. Festi v. Sacramenti institutore concessas tale Festum celebraturis, duplicatas ab duobus summis Pontificibus Martino nimirùm V. & Eugenio IV. qui ambo alias addidere Indulgentias in gratiam eorum qui huic Processioni jam institutæ interessent.

Quicquid sit probabilissimum est eam de quâ agimus v. Sacram. publicam expositionem referendam esse ad hujusmodi Processionem. Cum enim in ipsâ admirabile hoc Sacramentum perspicuè & evidenter ob fidelium oculos proponi in Templis & per publica loca de more circumferri cœperit; creditum est etiam certis temporibus & horis extra ordinem posse exponi in Templis dumtaxat in editioribus nempè altarium locis, primùm inter aliquot Officia divina, deinde per totum diem vel maximam partem diei tanto mysterio consecrati, deinde per totam octavam, & deinde per multos alios dies, & Festa per anni curriculum celebrari solita, donec tandem ad eam, quæ nunc viget, consuetudinem deventum est.

Quo autem tempore celebrari cœperit perspicua illa & manifesta v. Sacramenti expositio facilè conjiceremus, si constaret quando adhiberi cœperint in Ecclesiâ vasa illa pellucida seù tabernacula portatilia, quæ vulgò Ostensoria, soles, aut sacræ Pyxides appellantur, & ab Concilio Coloniensi ann. 1452. celebrato monstrantiæ nominantur.

Quicquid dicatur de hujusmodi vasorum origine cùm Christus Jesus etiam in hoc Sacramento totus sit in splendoribus Sanctorum, ingeniosa fidelium pietas se

operæ pretium facturam esse credidit, si illum adorandum exponeret in Vasculo in solis speciem elaborato, cujus tegumentum esset vitreum, aut crystallinum radiis aureis vel ex pretiosâ quapiam materiâ conflatis affabrè circumfusum, utpotè quod meliùs & illustriùs exhiberet adorandas illas dotes, quas verus ille sol justitiæ Christus obtinet in æterni parentis sinu, quas & Angelis patefacit in Cœlo, & hominum oculis subducit in v. Sacramento.

Hujusmodi soles ab ducentis circiter annis in Ecclesiâ usurpatos esse plerique conjiciunt. Quicquid sit de hujusmodi rebus, quæ curiositatem potiùs, quam ædificationem redolent, veniamus ad alteram quæstionis propositæ partem, quâ quæritur quibus præsertim temporibus v. Sacramentum propalam exponi possit & debeat juxta mentem Ecclesiæ & præscriptas ab ipsâ regulas.

Prima Conclusio.

Tametsi Festivitas Corporis Christi ab Urbano Papâ IV. ad factitandam publicam v. Sacramenti expositionem (siquidem Bulla institutionis nihil ejus meminit) cum tamen iste dies sit peculiari ratione consecratus Eucharistiæ institutioni, & anniversariæ recordationi victoriæ, quam Christus Dominus de mendacio & hæresi suum Sacramentum oppugnanti reportavit, nemo nobis succensere poterit, si illud ipsum Sacramentum ob omnium oculos proponatur, ut Christum in eo residentem ardenti præter solitum reverentiâ prosequamur, & illi reportatam de Orthodoxæ fidei adversariis victoriam, eique succedentem triumphum gratulemur, ipsique gratias agamus super inenarrabili dono ejus.

Potest igitur & debet exponi v. Sacramentum ipso die quo Festivitas in ejus honorem instituta celebratur: id enim in totâ servatur Ecclesiâ ut illo ipso die in altaribus remoto quolibet integumento statuatur, & in solemni processione in aperto ac propatulo circumferatur.

Ita quippè constitutum est in pluribus Conciliis, ut puta in Provinciali Concilio Coloniensi ann. 1452 in Conciliis Mechliniensibus ann. 1570. & 1607 habitis, in Synodo Carnotensi an. 1587. in Synodo Viterbiensi ann. 1614. Idipsum sæpenumerò in Comitiis generalibus Cleri Gallicani & statutum & renovatum est.

Secunda Conclusio.

Cum octavæ nihil sint aliud quam Festorum ad quæ pertinent, continuata celebratio, ut testatur Rupertus & alii, qui ad explicanda Ecclesiæ officia animum appulerunt, quemadmodum v. Sacramentum illo ipso suæ Festivitatis die exponi potest, per ipsas etiam ipsius octavas singulis diebus exponi poterit, ut in plerisque omnibus orbis Christiani Ecclesiis, utpotè ab omnibus ferè Synodorum & Episcoporum statutis permissum factitatur.

Ista tamen consuetudo variat pro varietate locorum & personarum. Nam quibusdam in locis per totos & singulos octavarum dies v. Sacramentum in altari expositum adoratur; in aliis certis dumtaxat horis, eo quod Populi solito labore implicati Templum adire & Christo adorationem alioquin exhibendam impendere nequeant.

His in rebus servanda est salubertima prudentissimaque regula quam præscripsit S. Augustinus in Epist 118. ad Januar. *Totum*, inquit, *hoc genus rerum quæ per loca terrarum regionesque variantur, liberas habet observationes; nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est.* Et paulò post: *Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva: si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Et posteà subjungit: *Ego verò*, inquit, *de hac sententiâ etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo susceperim.* Ita S. Aug. præfatâ Epist. 118. c. 2.

Tertia Conclusio.

Non solùm ipso Corporis Christi Festo die & per totas ejus octavas v. Sacramentum fas est exponere juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, verum etiam idipsum factitare licet in gravi quapiam causâ, quæ ad Religionis & regni utilitatem conservationemque pertineat. Id esse licitum declarat Provinciale Concilium Coloniense ann. 1452. Item tertium Concil. Mediolanense Provinciale, Rituale Ambrosianum, undecima Synodus Diœcesana S. Caroli Borromæi, Synodus Aurelianensis ann. 1644. Synodus Rothomagensis ann. 1639. Item aliæ duæ Rothomagenses ann. scilicet 1645. & ann. 1652. Item Cleri Gallicani in Comitiis generalibus congregati statuta ann. 1625. 1635. 1645. 1655. 1665. & 1670.

Istius Eucharistiæ circumgestationis in calamitatibus, quibus Ecclesia vel Respublica conflictatur, rationem reddit Joannes Gropperus in suâ Institut. Catholicâ pag. 205. *Ecclesia*, inquit, *grassante calamitate nostræ salutis Hostiam circumfert in publicâ Processione, ut significet se spem liberationis suæ ex omnibus tribulationibus & angustiis in nullum alium reponere, quam in hunc unicum salvatorem & mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, qui & nisi custodierit domum, frustrà vigilant, qui custodiunt eam.* Hæc ille.

Quarta Conclusio.

Ad legitimam v. Sacramenti expositionem non solùm exigitur causa, quæ multùm intersit ad commune Religionis & regni commodum, verumetiam requiritur ut Episcopus approbatâ tali causâ præfatæ expositionis facultatem faciat: alioquin tantum mysterium in aperto & propatulo collocare nefas est.

Ita enim nominatim statutum est in Provinciali Concilio Coloniensi sub Cardinale de Cusâ celebrato, in Congregatione Cardinalium Concilii Trid. in generalibus Comitiis Cleri Gallicani, in Synodo Coloniensi sub Maximiliano Coloniæ Archiepiscopo, in Synodis Rothomagensibus ann. 1645. & 1652. Item in Aurelianensi ann. 1664. Item in Synodis Lemovicensibus ann. 1619. & 1629. In statutis Cadurcensis Diœcescos, in statutis Synodalibus Diœceseon Bellovacensis, Sagiensis, & Meldensis, in statutis Ebroïcensibus.

Ad hæc omnia accessit Senatusconsultum, seu Arrestum, ut vocant, factum in sanctiori Regis Consilio, quo cavetur, ne sæculares, aut regulares, exempti aut non exempti ullum ineant contractum, aut conventum, aut ullam admittant fundationem, quâ adopertum Eucharistiæ Sacramentum exponere teneantur, nisi ejusmodi contractibus, conventis, fundationibus, & earum acceptioni Diœcesanus Episcopus consenserit.

Hujusmodi prohibitio clariùs pellucebit ex prædicti Senatusconsulti tenore quem hîc contraximus in pauca: *Plurimi privatâ suâ authoritate peculiaris cujusdam cultus studio suscipiunt & accipiunt fundationes* (verba sunt Arresti) *quibus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum suis in Ecclesiis in aperto & propatulo exponere teneantur: Quod quidem debitam tanto Sacramento reverentiam imminuit & elevat: Ad coercendam hujusmodi licentiam plenissimè vetamus illud ipsum Sacramentum adopertum in altari exponere, & in processionibus circumferre, præterquam eo tempore quo Ecclesia officium Corporis Christi celebrabit, vel iis diebus, quibus Fideles incumbent in extraordinarias orationes susceptas pro causâ publicâ, eaque ab Episcopo approbatâ, ita ut facultati ab ipso factæ prædicta expositio accepta referatur. Præterea non licebit deinceps Sacerdotibus sive sæcularibus sivè regularibus*

qualicumque privilegio gavisi inire contractus aut conventiones, quibus sanctissimum Sacramentum adopertum exponere teneantur, aut admittere fundationes in eum finem factitatas, nisi illas Episcopus Diœcesanus suo mandato vel consensu ratas habuerit.

Hæc est summa Senatusconsulti in sanctiori Regis Consilio dati, adversus Dominicanos Morlaixienses, qui nescio cujus fundationis obtentu inconsulto Trecorensi Episcopo certis temporibus in prædictâ fundatione designatis exponebant in propatulo sanctissimum Sacramentum, & in processionibus circumferebant.

Qui totum hoc Arrestum datum in sanctiori Regis Consilio 6. Novemb. ann. 1665 legere voluerit, consulat tractatum de v. Sacramenti expositione ab Joanne Thiers Baccalaureo Theologo editum, & præsertim lib. 3. cap. 20. p. 433. & seqq.

Cum igitur Regulares nihil ab observatione Canonum & legum Ecclesiasticarum eximat, nemini dubium est, quin ab exponendo Eucharistiæ Sacramento abstinere debeant, & illud duntaxat discoopertum exponere statutis ab Ecclesiâ temporibus & casibus. Quod si aliis temporibus id facere gestiant, adeant ad Episcopum, & apud eum proferant rationes, ob quas ad eam expositionem recurrant: quas si probaverit, ejus permissu v. Sacramentum ritè suis in sacellis exponant. Si se aliter gesserint, verendum est ne se in cujusdam rebellionis & contumaciæ crimen implicent.

Cum enim quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum sit, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 21. de reform. cap. 8. quotquot etiam in Ordinarii diœcesi commorabuntur, cujuscumque conditionis sint, eidem Ordinario in rebus ad Dei cultum spectantibus obtemperare necesse est, quibuscumque privilegiis sese donatos asserant. Quænam enim immunitates vel sæculares, vel regulares eximere possunt ab obedientiâ Episcopis debitâ, sine quâ nemo potest secundum Ecclesiæ spiritum obire functiones hierarchicas, utpotè administrare Sacramenta, annuntiare Evangelium, aut alia id genus exercere officia quæ pertineant ad cultum Dei? Siquidem certo certius est neminem sæcularem aut regularem posse indicere populis extraordinarias preces, jejunia, supplicationes, seu processiones, publicam adoperti v. Sacramenti expositionem, aut alia cælestis iræ placamina, quibus divini numinis clementia implorari solet, quin hujusmodi rerum factam ab Episcopo diœcesano facultatem habeat. Si enim Monachi existimant se eo ipso quod Monasticam vitam sunt amplexi, ab Canonum & statutorum Episcopalium observatione eximi, graviter errant, & egregiè refelluntur ab Pothone Prumiensi præstantissimo ordinis Benedictini Monacho; sic enim versat eam ipsam rem, quam hîc prosequimur: *Monastica professio*, inquit, *quæ particularia instituta, ex quavis Regulâ Sanctorum Patrum servanda suscepit, ab universalibus institutis, quibus canonica authoritas omnem Ecclesiasticum ordinem instruit, nequaquam excluditur.* Et paulò pòst: *Sunt qui Monachi simul & Clerici vocantur, quorum videlicet & propositum Sacerdotio, & proposito Sacerdotium ornatur. Isti nimirum & regulæ suæ obedientiam, & Sacris Canonibus reverentiam exhibere debent: habent enim ex regulâ vivendi præcepta, quibus obtemperent, habent ex canonicâ traditione ritum ministrandi quem servent.* Hæc ille & alia plura in idem, quod tractamus argumentum, bellè quadrantia: quæ legere est lib. 3. de statu Domus Dei Tom. 9. Biblioth. Patrum edition. Parisiens. ann. 1644. fol. 580 & seqq. floruit ille sæculo XII. devixit quippè ann. 1152.

Expenditur secunda Quæstio quâ quæritur quâ reverentiâ v. Sacramentum propalàm expositum affici oporteat?

Ut Venerabile Sacramentum propalàm expositum iis honoribus afficiatur, quibus ab hominibus verè Christianis & Catholicis affici potest, nonnulla sunt observanda sine quibus ista cæremonia parum ad fidelium ædificationem conducibilis appareret.

Primò.

Templa, capellæ, altaria, in quibus venerabile Sacramentum in propatulo collocabitur, majori, magnificentiorique, quo habitâ locorum, personarumque ratione, ornatu decorari poterunt, honestari necesse est, ut vel ex ipso apparatu externo discant populi quanta tanto tamque mirabili Sacramento reverentia debeatur. Hunc autem ornatum decentem ac religiosum esse oportere admonet sanctus Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi Provinciali IV.

Secundò.

Ille ipse sanctus Carolus in prædicto Concilio Mediolanensi IV. sub titulo quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent, edicit, ut cerei in altari accensi ad summum decem, minimùm verò sex, decenti crassitudine ac longitudine colluceant: lampades item non plures quam duodecim aut tredecim, nec verò pauciores quam tres: licebit tamen Episcopo ob causam permittere, ut major summum numerus aliquando adhibeatur. Antonius Godeau in statutis Synodalibus tit. 8. de Eucharist. cap. 5. jubet duos saltem cereos in altari constitui, qui coram sanctissimo Sacramento ardeant.

Tertiò.

Dum v. Sacramentum in altari propositum est, interdiu clerici duo supe pelliceô induti, capite aperto, ad altare semper assistant, quorum alter Diaconus saltem sit, nocto verò saltem unus, isque in sacro Ordine constitutus. Ita sanctus Carolus loco proximè laudato. D. Godeau Vinciensis Episcopus in statut. Synodal. jam cit. mandat eo tempore, quo nullum celebratur officium, ante altare cernuum prostratumque Sacerdotem in orationem incumbere. Quod si solus quopiam in loco sit Parochus eum sub Missæ finem v. Sacramentum reponere, illudque in ipso duntaxat vesperarum exordio è tabernaculo promere præcipit.

Porrò omnes in hoc conveniunt, semper (dum sacra Eucharistia in aperto & propatulo est collocata) ad altare semper assistere oportere aliquot Sacerdotes aut Monachos, qui inibi fundant preces, exceptis officiorum temporibus, quibus adesse debent. Quod quidem intelligendum est de locis, in quibus est Sacerdotum & Religiosorum copia; Nam aliter iis in locis in quibus esset Ecclesiasticorum penuria, v. Sacramentum inter divina dumtaxat officia in aperto exponere sufficeret.

Quartò.

Episcopos, Ecclesiasticos, Religiosos divinis officiis, quæ sanctissimâ Eucharistiâ in aperto propositâ celebrantur (si interesse voluerint) rectos & adoperto capite assistere necesse est, prout cujusque vires ferre potuerint. Ita statuit sanctus Carolus in plerisque suis Conciliis tam Provincialibus, quam Diœcesanis. Ita statuit & Cæremoniale Episcoporum, Synodus Viterbiensis, & pleraque alia Concilia, cæremonialia, ritualia, & statuta synodalia.

Expenditur tertia Quæstio, quâ quæritur utrum v. Sacramenti expositionem crebrò factitari oporteat?

HUjusmodi v. Sacramenti expositionem raram esse oportere multæ rationes probant.

Prima ratio.

Quæ probat raro v. Sacramentum in propatulo collocandum esse, petitur ex eo quod omnia, quorum est aspectus & usus frequens, homines ut plurimùm aspernantur & fastidiunt.

Tametsi ad hujus pronuntiati probationem sufficiat, vel una experientia, quæ omnia passim oculis exposita in contemptum adduci, satis & plusquam satis probat, insuper & aliquot argumenta ex SS. Patribus hausta proferre juvat.

Sanctus Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 27. ait, *Moysen unum, id est veteris Testamenti Pontificem ex omnibus selectum in adyta recepisse: ac ne id quidem semper, sed uno tantùm die quotannis: rursus & hujus diei certam horam, quâ fas esset ingredi, præstituit, quò propter novitatem & insuetudinem, cum stupore intueretur Sancta Sanctorum: probè sciens pro suâ sapientiâ, res usu tritas, & undecumque parabiles expositas esse contemptui: Cæterùm ei, quod sepositum est, quodque rarum est, huic naturâ conjunctam esse summam admirationem ac studium.* Et pauló pòst: *Hac est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum.* Hæc ibi sanctus Basilius.

Idem probat sanctus Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 12. *Quamvis*, inquit, *miracula visibilium naturarum videndi assiduitate viluerint, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis, rarissimisque majora sunt. Nam & omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo.* Hæc ibi.

Idem sanctus Augustinus lib. 50 homil. hom. 32. idem asseri: *Videt*, inquit, *homo insolita, & miratur, unde est ipse homo, qui miratur? ubi erat, unde processit? unde forma corporis? unde membrorum distinctio? unde habitus iste speciosus? de quibus primordiis? de quam contemptibilibus? & miratur alia cum sit ipse mirator, magnum miraculum.* Hæc ibi.

Item in lib. de verâ Religione cap. 25. idem confirmat: *Accepimus*, inquit, *majores nostros eo fidei gradu quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula, non enim aliter poterant, secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Quem locum sic explicat ipse sanctus Augustinus lib. 1. retract. cap. 13. *sed non sic accipiendum est quod dixi*, inquit, *ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando ipsum istum librum* (de verâ Religione) *scripsi ad Mediolanensium corpora martyrum, in eadem Civitate cæcum illuminatum fuisse jam noveram, & alia nonnulla qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus.* Hæc ibi.

Vult igitur sanctus Augustinus non tam crebra ubique terrarum suâ ætate edita esse miracula, sicut visa sunt iis temporibus, quibus toto orbe diffundenda & fundanda erat Ecclesia, ne illa ipsa, quæ olim expetita fuerant miracula, volventibus annis in populorum fastidium devenirent.

Hoc ipsum metuendum est in frequentiori v. Sacramenti expositione. Reverà, si manna Eucharistiæ figura extitit, illam in multis, ut ita dicam, convenientiis & in istâ etiam adumbravit, quod scilicet quemadmodum Hebræi totos quadraginta annos illo ipso manna, ceu pane cælitùs delapso refecti roboratique illud tandem nauseanti stomacho ex frequentiori aspectu & usu fastidierunt, ita etiam multi Christiani degeneres, & parùm in fide fundati cum v. Sacramentum passim in templis expositum vident, cum ex ejus aspectu, sic tanquam ex fonte ignibus æstuante, ut loquitur sanctus Joannes Chrysostomus, flammas concipere deberent, criminoso tanti tamque mirabilis mysterii tædio fastidioque capiuntur. Si enim quod præclarum & rarum est appetitur, quod sanè frequens est, profectum ex raritate pretium amittit, & haud dubiè contemnitur. Reverà, si hoc sanctissimum Sacramentum in uno tantùm celebraretur loco, & ab uno tantũ Sacerdote consecraretur in mundo: quanto putas desiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari viderent. Nunc autem multi facti sunt Sacerdotes, & in multis locis offertur Christus, &, ô lugenda hominum cæcitas, & ingratitudo! quantò major est Christi charitas in seipso per Sacramentum Corporis sui ubique gentium communicando, tantò immanior in ipso contemnendo plurium Christianorum improbitas cernitur & apparet.

Secunda ratio.

Cur v. Sacramentum rariùs exponi debeat petitur ex decretis Conciliorum & Episcoporum, qui frequentem illius expositionem damnaverunt & prohibuerunt.

1. Damnavit hujusmodi expositionem sanctus Carolus Borromæus in XI. sua Synodo diœcesanâ sub tit. Monita executionis decretorum, quæ ad Sacramenta & Sacramentalia pertinent, & in Rituali Ambrosiano sub tit. de Sacram. sanctiss. Eucharist. & de exponendâ sacrâ Eucharist. in orat. 40. horar. sic enim loquitur: *Ne quavis causâ Eucharistia palam & apertè exponatur, sed publicâ tantùm eaque gravi, aliis verò de causis orationem licebit instituere, sed non Sacramento apertè exposito.* Hæc ille.

2. Idem facit Gropperus Coloniensis Archidiaconus, quem in Cardinalium Collegium summus Pontifex ob insigne ejus meritum cooptare voluit, qui scribebat ann. 1560. de frequenti illâ expositione conqueritur his verbis: *Venerabile Sacramentum in processionibus nimis crebrò circumfertur, & populo plus nimio & plerumque palam spectandum exhibetur.* Et ibidem. *Hæretici*, inquit, *& improbi quique offendicula, inde nascentia ad suas hæreses & improbitates stabiliendas ac tuendas arripiunt.* Hæc ille in art. 3. primario de Christo in Eucharistiâ adorando cap. 30.

3. Idipsum asserit Concilium Provinciale Mechliniense ann 1570. celebratum sub Pio Papâ V. statuit enim v. Sacramentum raro in processionibus circumferendum præterquam in festo Corporis Christi, & per ejus Octavas, aliis autem temporibus non esse circumgestandum, nisi id gravissimæ rationes, pax procuranda, & ab ipso Deo flagitanda, aut necessitas publica poposcerit. Ita istud Concil. in tit. de Sacram. cap. 7. & hujus statuti rationem reddit, ne videlicet debita tanto tamque mirabili Sacramento reverentia minuatur.

4. Frequentem hanc expositionem improbavit congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut patet ex attestatione Cardinalis Grimaldi cum Nuncii Apostolici munus exerceret in Galliâ, hanc istius Congregationis sententiam ille ipse Cardinalis ad se missam declaravit & suo chirographo munit 3. Januar. 1644.

5. Jacobus Bayus S. Theologiæ Doctor, Professor Regius, Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Lovanii Decanus lib. 2. de Eucharist. cap. 15. ait non solùm uno aliquo certo die, sed quotiescumque rei gravitas exposcit, licere Eucharistiam debito cultu venerandam in publicis conventibus offerre & circumgestare, ut fidelis populus tam spiritualem, quam corporalem opem à

Christo vero Deo & homine in illo Sacramento præsente admoneatur supplicitee implorare. Hæc ille qui non passim, sed quoties rei gravitas exposcit v. Sacramentum exponi oportere asserit.

6. Synodus Diœcesana Viterhiensis celebrata 15 16. & 17. die Januarii 1614. sub Tiberio muto Domicello Viterbiensi Episcopo, vetat ultra jam dictum tempus, & tertios quosque mensium Dominicos dies, neque à sæcularibus Clericis, & multò minùs à confratribus sanctissima Eucharistia in altare exponatur, aut in processione deferatur: qui secùs faxint, severissimis arbitrio nostro pœnis subjaceant. Ita statutum istius Synodi cap. ta.

7. Eadem frequens v. Sacramenti expositio damnata est in Comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1625. & 1635. sicut & ab Synodo Coloniensi 1639. & ab alterâ Synodo Coloniensi habitâ 1651. sub Maximiliano Colon. Archiepiscopo.

8. Eadem frequens expositio damnata est ab Synodo Cadurcensi 1638. & proscripta statutis Synodalibus duorum Episcoporum Bellovacensium, Augustini nempè Potier, & Nicolai Choart de Buzanval, nunc Bellovacensem diœcesim insigniter administrantis.

9. Hæc eadem expositio damnata est in Synodo Rothomagensi habitâ ann. 1639. in quâ sic statutum est hac de re ab D. de Harlay Rothomagensi Archiepiscopo: Ad vitandos, inquit, frequentiores abusus plenissimè vetamus, his præsertim temporibus hæresi tefert issimis factam Eucharistiam in propatulo collocare, præterquam per octavas Corporis Christi, nisi quæ ingruere possint calamitates nos ad tale solatium scripto fidelibus impertiendum adigant.

10. Synodus Aurelianensis habita 10. Martii ann. 1644. sub D. Denets Episcopo Aurelianensi liquidò declarat se penitùs adhærescere ad mentem & decisionem Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui regulariter censuerunt non licere v. Sacramentum propalàm adorandum sis etiam in sacellis exponere, nisi ob causam publicam, eamque ab Ordinario approbatam: Item eos ob privatam causam posse ex, onere illud ipsum v. Sacramentum, modò non extrahatur è tabernaculo, & ita remaneat velatum, ut hostia oculis usurpari nequeat.

Dies me deficeret si vellem sigillatim percensere omnia statuta, quibus Synodi & Episcopi frequentem hanc v. Sacramenti expositionem damnatam & proscriptam esse voluerunt. Porrò omnia hujusmodi statuta eo collineant, ut nemo sivè sæcularis, sive regularis v. Sacramentum exponere audeat extra tempora Festi Corporis Christi & Octavarum ejus, nisi urgente gravi quapiam causâ eâque Diœcesano Episcopo propositâ, à quo & talis expositionis facultatem obtinuerit.

Tertia ratio propter quam rara esse debet venerabilis Sacramenti expositio.

HÆC ratio ducitur à minori ad majus hoc pacto: Quod si Reliquiæ Sanctorum non passim omni tempore, sed certis tantùm Festorum dierum celebritatibus exponendæ sunt, nullo autem modo unquam illæ ab opertimentis aut à velis nudæ ostendendæ, aut exponendæ sunt, ut sæpenumerò Ecclesia declaravit, & ad illius mentem declarat sanctus Carolus Borromæus in Concilio IV. Mediolanensi Provinciali sub tit. de sacris Reliquiis, miraculis, & imaginibus. Si, inquam, hujusmodi honor defertur corporibus sanctorum, ut rarò & velata exponantur, multò magis talis honos adhibendus est Corpori Christi, quod quidem cum sit Sanctorum ossibus & reliquiis multò sacratius & pretiosius, eâ proculdubio prosequendum est veneratione, quæ exhibendam præfatis reliquiis reverentiam infinitis partibus antecellat.

Hujus rei exemplum illustre suppeditat sanctus Paulinus Nolanus Episcopus in Ep. 11. ad Severum inscriptâ: ubi ait conditam esse in loco passionis Basilicam, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus arcano positam sacrario Crucem servat: quam Episcopus urbis ejus quotannis cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem, quâ Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quædam sacræ solemnitatis insigne profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causâ illò peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio, quasi in pretium longinquæ peregrinationis def ratur. Hæc ibi.

Si Crux in quâ Filius Dei pro totius mundi salute affixus est, Hierosolymis tam raro exponebatur, an tam frequenter nostris in templis exponendum est adorandum Corpus ejusdem Filii Dei, à quo omnem suam dignitatem & omne meritum accepit, & cujus causâ illam religioso cultu prosequimur? An minor veneratio deberur divino illi Corpori, quam ligno, quod suo attactu consecravit? An nostræ salutis, & vitæ author minori afficiendus est cultu, quam lignum, quod ejusdem salutis inanime instrumentum extitit? Porro si Episcopus Hierosolymitanus nonnisi gravissimis rationibus ad exponendam Christi Crucem fidelium oculis impelli potuit; an nostrates Episcopi hac de re nihil sæpenumero consulti, & levi de causâ (ut fit in pluribus locis) Corpus Christi impiorum, sacrilegorum, libidinosorum, homicidarum, & alio um id genus hominum oculis exponi æquo animo tolerare poterunt?

Hoc igitur argumentum ab rarâ Reliquiarum expositione petitum eo efficacius est ad probandum quod intendimus, raro scilicet v. Sacramentum propalam exponi oportere, quo sæpiùs Concilia easdem reliquias extra suas capsas, seu thecas ostendi & frequenter populo inspiciendas proponi prohibuerunt.

1. Id prohibitum est in Concilio œcumenico Lateranensi IV. sub Innocentio Papâ III. celebrato: Præsenti decreto statuimus, inquiunt istius Concilii Patres, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, ut videre est ejusdem Concilii cap. 62.

2. Idem sancitum est in Concilio Mediolan. I. Provinciali habito sub ingenti Carolo Borromæo sub tit. de Sanctar. Reliquiar. veneratione his verbis: è loculis vero & receptaculis, ubi conditæ sunt (reliquiæ) ne educantur: ne temerè omnium oculis exponantur, nevè quæstus gratiâ. Idem ferè repetitur in Concilio Mediolan. IV. ut paulo antè vidimus.

3. Idem sancit & iisdem verbis Provinciale Concilium Aquense habitum anno sal. 1585.

4. Concilium Provinciale Tholosanum ann. 1590. idem statuit, nudæ, inquit, passim populo non ostendantur reliquiæ.

5. Concilium Bituricense ann. 1584. idem sentit; Reliquiæ, inquit, non ostendantur extra capsam, nisi ex solemni more & ritu alicujus Ecclesiæ id fiat, sed cum honore & reverentiâ serventur. Ita statuit istud Concilium Titulo 10. de Reliquiis Sanctorum Canonum 2.

6. Concilium Avenionense Provinciale ann. 1594. eas frequentiùs populo ostentari vetat. Tit. 25. Non vulgo, inquit, neque facilè nimis frequentervè populo inspiciendæ proponantur. Hæc ibi.

Quorsùm tot Canones, totque Synodorum decreta, quem, inquam, in finem condita sunt? quid in iis sanciendis sibi proposuere Episcopi in Conciliis congregati? Id unum potissimùm spectasse videntur, ut nempè tollerent omnem abusum, qui ex frequentiori rerum etiam sacratiorum conspectu & usu proficiscitur, atque adeo debitam sanctorum Reliquiis reverentiam infidelium animos imprimerent.

Cum igitur rara Reliquiarum expositio majorem

ipsis reverentiam accersat, quidni rata v. Sacramenti expositio factitata duntaxat temporibus ab Ecclesiâ præstituris majorem erga illud ipsum v. Sacramentum devotionem & reverentiam in Christianorum animis ingenerabit? Cujus rei veritatem cum satis superque astruat experientia quotidiana, nemo posthac futurus est, opinor, si modò aliquo Christi & ejus præstantissimi Sacramenti amore studioque teneatur, quin hujusmodi Sacramentum raró & ipsis duntaxat temporibus & casibus suprà memoratis exponendum esse censeat, & ratam illam ejusdem Sacramenti expositionem aliis pro suo modulo, & status sui ratione suadeat, ne debita Christo in isto suorum mysteriorum miraculorumque nobilissimo corporaliter inhabitanti, reverentia vel penitus adimatur, vel certè majorem in modum quorumdam Christianorum ex frequentiori tanti mysterii expositione intepescentium fastidio minuatur.

Hactenùs de apertâ v. Sacramenti expositione tria edisseruimus.

1. Unde primam originem traxerit publica & adoperta venerabilis Sacramenti expositio, & quibus temporibus factitari debeat.

2. Quo ritu, quove cultu v. Sacramentum ita expositum adorari oporteat.

3. An freqoenter hujusmodi expositio fieri debeat.

In his pertractandis usus sum, ut liberè & ingenuè fatear. i signi tractatu de expositione v. Sacramenti, quem Joannes Baptista Thiers sacræ Parisiorum Facultatis Baccalaureus singulari industriâ diligentiaque elaboravit & edidit ann. 1673. Ex eo tractatu in hoc opus transtuli omnia, quæ mihi ad venerationem sanctissimi Sacramenti conducibilia visa sunt; ut ardentem zelum quem in Eucharistiâ ab omni Catholicorum contemptu & fastidio, & hæreticorum risu ludibrioque vindicandâ patefecit, pro meâ tenuitate imitarer, & quodammodo adjutarem. Nihil ergo mihi succensere poterit, si me in ejus propositi societatem offeram, & ex ipsius Libro extraham arma victricia, quibus omnis abusus, & omnis irreverentia erga v. Sacramentum ab plerisque admitti solita profligari valeat.

SECTIO XI.

In quâ Eucharistiæ adoratio ab idololatriæ crimine vindicatur.

Dogma quintum, quo Concilium Tridentinum v. Sacramenti adoratores idololatras appellari denuntiatâ anathematis pœnâ prohibet.

TAle idololatriæ crimen Catholicis in Eucharistiâ Christum præsentem adorantibus ab hæreticis impactum satis superque refutavimus suprà, cum de latriæ cultu exhibendo venerabili Sacramento egimus, & ostendimus & ipsâ etiam adversariorum sententiâ Christum suppositâ reali ejus in hoc mysterio præsentiâ non solùm posse, sed etiam debere adorari citra ullam idololatriæ suspicionem. Quod hoc argumento facilè probari potest:

Angeli Christum in Eucharistiâ præsentem citra ullam idololatriam adorant.

Ergo & homines eumdem Christum in ipso v. Sacramento præsentem citra idololatriæ crimen adorare possunt.

Hujus enthymematis antecedens præfractè negant adversarii nostri. Sed facilè est eos hac in parte convincere authoritate S. Joannis Chrysostomi qui floruit v. sæculo, quo nondum corrupta erat Ecclesiæ fides, ut ipsi fatentur, cui proinde fidem citra temeritatem abrogare nequeunt. Sic igitur probat Christum inter sacra mysteria ab Angelis adorari: *Tempore illo* (sacrificii) *mi frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes, movere reges consueverunt, eoque arboris genere misericordiam humanitatemque commemorant: Sic Angeli tunc pro ramis oleaginis ipsum Domini Corpus protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem oppeteres, animam in cruce efflares; pro his supplicamus pro quibus ipse suum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus Corpus hoc immolasti.* Hactenùs S. Joannes Chrysostomus Tom. 1. Hom. 28 ad Pop. Antioch. quæ est tertia de incomprehensibili Dei naturâ contra Anomæos.

Ne quis hujusmodi dogmata tanto viro temerè excidisse crederet, eadem ipsa sæpenumerò alibi repetit: sic enim loquitur Hom. 1. in hæc Isaiæ verba: vidi Dominum: *Miser & infelix*, inquit, *oportebat te cum tremore & reverentiâ Angelicam glorificationem resonare, cumque terrore confessionem reddere conditori, per hanc delictorum veniam postulare: Tu verò mimorum & saltatorum mores huc inducis, dum indecorè manus jactas, pedibus subsultas, totoque corpore circumageris. Et qui fit ut non metuas neque horrescas hæc audiens adversus talia eloquia! non cogitas ipsum ibi invisibiliter adesse Dominum, qui uniuscujusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet: Non cogitas quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, & hanc cum reverentiâ circumvallant? verum tu ista non cogitas, quoniam ea, quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt: & ideò quæ illic geruntur in Ecclesia ritus inducis.* Hactenus idem S. Joannes Chrysostomus Tom. 3 Homil. suprà citatâ.

Illud ipsum confirmat Lib. 6. de sacerdotio cap. 4. *Quum autem ille* (sacerdos) *& Spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quære ex te quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? considera enim quales manus hæc administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat, quâ denique re non puriorem sanctioremve esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum spiritum receperit? Per id tempus, & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam virum admirabilem, & cui multa revelationum mysteria divinitùs fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse (quatenùs aspectus humanus ferre poterat) candidis vestibus indutorum, ipsum altare circumdantium: deinque sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes videat. Id quod facilè mihi ipse persuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de hac vitâ emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum purâ ac mundâ conscientiâ fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis ipsos satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc rectà in Cælum abducuntur.* Hactenùs S. Joannes Chrysostomus Tom. 4. Lib. 6. de Sacerdot. cap. 4. jam citato

Illud ipsum idem S. Joannes Chrysostomus asserit Hom. 21. in Acta Apost. *Quid dicis*, inquit, *in manibus est Hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei,*

cum

cum tanto horrore astant omnes, astant illi clamantes, silentibus omnibus, & putas simpliciter hæc fieri?

Item idipsum repetit Hom. 3. in Epist. ad Ephesios. *Cogita*, inquit, *qui veteris participes erant sacrificii, quantâ utebantur frugalitate & abstinentiâ, quid non agebant, quid non faciebant? undique & semper expurgabantur & expiabantur: Tu autem accedens ad sacrificium, quod ipsi stupent & venerantur Angeli volventibus temporum cursibus rem definis ac circumscribis.* Et istâ in eadem Hom. *Considera, quæso, & animum huc adverte, regalis adest mensa, adsunt Angeli ministrantes, adest rex ipse, & tu stas oscitans?* Et paulò post: *Hic dum profertur sacrificium, aut elata est Hostia, Christus id est ovis Dominica immolatur: quando audieris (Oremus omnes communiter) cum vela videris, & biforet adyti valvas subductis repagulis retrahi & aperiri, tunc tecum reputa Cœlum supernè diduci & reserari, & Angelos descendere cogita.* Hæc ibi.

Plura alia ejusdem S. Chrysostomi testimonia præfatam Eucharistiæ adorationem luculenter astruentia proferre possem, nisi me satis & hîc & superiùs in eâ adoratione probandâ commoratum, cæteri Concilii Tridentini de Eucharistiâ sanciti Canones ad sui explanationem evocarent.

Quod antequam aggrediar, observandum est allatis S. Joannis Chrysostomi locis duo stabiliri dogmata, quorum primum ad realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, alterum verò ad Eucharistiæ, imò Christi in eâ residentis adorationem pertinet. Hujusmodi dogmata sufficerent ad obterenda Sacramentariorum, vel commenta, vel portenta adversus divinam Eucharistiam in quasdam regiones ab nonnullis transfugis invecta, nisi plerique lumini rebelles ab Diabolo in Angelum lucis transfigurato effascinati in hæresi, quam semel amplexi sunt, ineluctabili pertinaciâ perseverarent.

Reverâ oportet Sacramentarios ad ultimam pervicaciæ lineam pertigisse, utpote qui sacro-sanctæ traditioni ab Apostolis ad nostra usque tempora propagatæ obsistant, & nemini præterquam Calvino & paucis desertoribus fidem adhibeant. Dicunt sancti Patres adorandam esse Eucharistiam ut supra benè multis probavimus, illi contradicunt: sed temerè. Quid enim respondere possunt vel uni Chrysostomo in multis divinorum operum locis affirmanti Christum in Eucharistiâ ab Angelis adorari? Quod cum ita sit, necessè est Christum in eadem Eucharistiâ esse præsentem. Si enim in ipsâ esset sola duntaxat Corporis Christi figura, eam proculdubiò non adorarent Angeli, quippè qui semper videant faciem Patris æterni, qui illos in talem idololatriam implicari nec pateretur, nec pati posset. Sed de his satis.

Si modo duo meminerint prædicti Sacramentarii, quorum primum est Eucharistiam ab hominibus esse adorandam, & reverà citra idololatriam adorari: Siquidem ab Angelis, in quos idololatria cadere non potest, adoratur, ut ex multis S. Joannis Chrysostomi locis proximè ostendimus. Quod & superiùs aliorum Patrum testimoniis ostendimus, & imprimis ex sancto Augustino, quem sibi Calvinistæ pari ad falsitatem impudentiâ vendicant. Reverà si alia ab iis, quæ ex ipso testimonia protulimus, exigant, legere poterunt Concion. 1. in exposit. Psalmi 21. & cap. 27. Epistol. 120. ad Honoratum & cap. 13. Lib. 20. contra Faustum. & Serm. 58. de verbis Domini qui est in appendice octavus. *Sed*, inquit, *dicent hæretici: quid quod carnem ejus quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, atque ei non minùs quam divinitati deservis? Ego Dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à divinitate suscepta atque Deitati unita est: ut non alium atque alium, sed unum eundemque Deum, & hominem Dei Filium confitear. Denique si hominem separaveris à Deo, ut Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego numquam credo, nec servio. Velut si quis nostrum aut purpuram aut diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cum verò eâ Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit? Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, aut nudam, sed divinitati suæ unitam, unum Dei Filium Deum verum & hominem verum qui adorare contempserit, æterna mortis pœnam patietur.* Hæc ibi.

Alterum, quod Calvinistarum animo altissimè impressum velim, est certissimum S. Augustini effatum ex ejus Epist. 118 c. 5. depromptum: *Si quid*, inquit, *tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Hæc ibi Quod profectò in nostrates quadrat hæreticos: siquidem exploratum habent in Ecclesiâ per totum terrarum orbem longè lateque diffusâ Christum in Eucharistiâ præsentem ut verum Deum, & verum hominem adorari, & tamen toti Ecclesiæ reluctantur, perindè ac si soli veritatis tramitem insisterent. Usque adeo verum est eos susceptum semel dogma pertinaci animo rueri, nec interim æquo examine expendere recta, an mala sint, quæ pertinaciter tenent, sed eum inter omnes maximè cæcutiant, suâ superbiâ excæcati alios benè oculatos & videntes cæcitatis arguant, in hoc æquiparandi ægrotis, qui quidem dum æstu febrique jactantur, amara cuncta credunt, seque unos sapere existimant, cum omnium maximè desipiant.

Sectio XII.

In quâ Eucharistiæ reservatio peracto sacrificio astruitur.

Dogma sextum quo sacro-sanctæ Eucharistiæ, post sacrificium reservatio ab Concilio Tridentino statuitur.

Calvinus Lib 4. Institut. cap. 17. § 37. contendit Catholicos excogitasse ritus ab Cœnæ institutione prorsus extraneos, & imprimis quod Eucharistiam reservandam esse docuerint, ut Christum adorarent, quod fieri nec posse nec debere asserit, eo nomine quod Corpus Christi esse tantum in Eucharistiâ in usu dum sumitur, non autem ante vel post hujusmodi usum remanere doceat. *Nunc verò quo prætextu* (inquit loco citato) *se Christum in illo pane honorare jactant, quam nullam habent hujus rei promissionem? consecrant Hostiam ut vocant, quam circumferant in pompâ: quam spectandam, colendam, invocandam solemni spectaculo exhibeant. Quæro quâ virtute putent ritè esse consecratam. Nempe verba illa proferent: hoc est Corpus meum. Ego verò contra objiciam simul dictum esse, accipite & manducate. Neque id de nihilo faciam. Quum enim precepto annexa sit promissio, dico hanc sub illo ita inclusam, ut separata fiat omninò nulla. Id simili exemplo fiet clarius. Mandatum dedit Deus, cum diceret, invoca me: promissionem addidit, exaudiam te. Si quis invocato Petro aut Paulo hac promissione glorietur, nonne omnes clamabunt eum perperàm facere? Et quid aliud, quæso, faciunt, qui de omisso mandato de manducatione mutilam promissionem abripiunt, hoc est Corpus meum, ut ea in alienos à Christi institutione ritus abutantur? meminerimus ergò hanc promissionem iis esse datam, qui mandatum cum eâ conjunctum observant: eos autem omni verbo destitui, qui Sacramentum aliò transferunt.* Hæc ille.

Kemnitius examinans caput 5. sessionis 13. Concilii Tridentini statuit generalem hanc regulam, Sacramenta nempè extra usum divinitùs institutum non habere rationem Sacramenti, quinetiam ab hac regulâ ipsum Eucharistiæ Sacramentum non excipi ibidem probare annititur, quod & uberiùs prosequitur in examine cap. 6. ejusdem sessiõ. 13. ubi affirmat:

Ll

1. Christum Dominum nec magisterio nec exemplo reservationem Eucharistiæ vel præscripsisse, vel mandasse, imò eam ab verbis institutionis Christi esse penitùs alienam.

2. Nec ostendi posse Apostolorum, vel traditionem, vel exemplum, quo hæc reservatio fulciatur.

3. Nec in veteri Ecclesiâ ubique, & ab omnibus hujusmodi reservationem, vel probatam, vel usurpatam fuisse, imò non defuisse, qui morem istius reservationis reprehenderent, idque ex verbo Dei.

4. Aliquando equidem Eucharistiam ad Communionem infirmorum fuisse reservatam, sed hoc non fuisse universaliter receptum.

5. Aliquando ipsam Eucharistiam ab aliquibus quibus tradebatur, reservatam fuisse, sed non fuit, ut ait ibidem, universalis ejusmodi consuetudo, imò qualiscumque tandem fuerit, mutata est, abrogata & severè prohibita.

6. Denique pro infirmis communicandis posse privatim consecrari.

Huic Heterodoxorum falsitati opponimus doctrinam & Fidem Ecclesiæ ab sacro-sanctâ Synodo declaratam sess. 13. can. 4.

Si quis, inquiunt ejus Concilii Patres, dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem antè vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

Item Can. 7. ejusdem session. 13. Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

Ex hujusmodi Canonibus colligitur permanentia Eucharistiæ & reservatio, ex quâ præfata permanentia rectè & Theologicè conficitur.

Eucharistiam esse Sacramentum permanens, & non in usu formaliter positum probant multæ rationes, quarum

Prima hæc est, cum Christus ferebatur manibus suis, ut loquitur S. Augustinus, cum, inquam, prolatis hisce verbis, hoc est Corpus meum, instituisset v. Sacramentum, reipsa verum ejus corpus continebatur sub speciebus panis, & tamen illud nondum de manu ejus susceperant Apostoli, nondum illud manducaverant, & nihilo secius erat verum consummatumque Sacramentum, ergo non in usu seu sumptione positum est illud Eucharistiæ Sacramentum, utpotè quod vel in ipsâ sui institutione ex corpore & speciebus panis ante omnem usum constiterit.

Revera nemo non videt realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, imò & veritatem verborum, quibus suum Corpus consecrari, seu in hoc Sacramento præsens exhiberi sibique voluit, pendere ex arbitrio communicantis, si tantùm est ipsum Christi Corpus in usu fidelium: ita ut si communicans mutato consilio jam accipere nolit illud ipsum Sacramentum, ad cujus perceptionem sese anteà deliberatè accinxerat, inefficacia & falsa efficiat verba, quæ Sacerdos ad conficiendum illud ipsum Eucharistiæ Sacramentum in ipsius Christi personâ protulerat.

Secunda ratio petitur ex eo quod Calvinistæ, vel quilibet alii Heterodoxi qui contendunt in Eucharistiæ Sacramento Christi Corpus & Sanguinem in usu duntaxat inesse, & per usum, id est dum sumitur, & vi sumptionis, nequeunt ullum proferre scripturæ locum, quo hujusmodi dogma fulciatur, vel ex quo per evidentem & necessariam consecutionem inferatur. Quod si dicant illud necessariò inferri ex præcepto, quo Christus v. Sacramentum instituens, sui corporis manducationem imperavit, & hoc falsum est, perperàm enim ratiocinaretur qui diceret.

Christus suum Corpus Apostolis, & in eorum personâ fidelibus manducandum præbuit, & ab iis manducari præcepit,
Ergo ejus corpus est tantùm in Eucharistiæ Sacramento in usu, id est cum sumitur.

Ita enim ratiocinatio admodum vitiosa est. Cum enim Christus suum Corpus Apostolis & fidelibus epulandum apposuit, id ita fecit, ut corporis sui veritas non ex manducantium arbitrio penderet: alioquin mendacium admisisset (absit verbo invidia) cum dixit, hoc est Corpus meum, nondum enim erat ejus corpus in Sacramento, nec fuisset, nisi ad ejus consecrationem communicantis intentio, seu ejusdem Corporis percipiendi voluntas accessisset. Enimverò quotusquisque est tam à ratione desertus, ut cum quis illi porrexerit panem, & dixerit, hic est panis accipe & comede, respondeat ille ipse, quem mihi porrigis panem, non est panis, nisi in usu, seu cum illum sumam, tunc enim vi meæ sumptionis efficiam illum panem, quem tu mihi porrigi asseris, quippè qui antequam illum sumam talis appellari non potest.

Vel enim verba Christi (hoc est Corpus meum) sunt efficacia & operatoria, id est efficiunt quod significant, vel non sunt; si quis respondeat: revera illa Christi verba non sunt efficacia & operatoria, ille contradicit scripturæ, quam suprà in simplici, litterali & primùm se offerente sensu intelligendam esse satis superque suprà probavimus, & insuper toti refragatur antiquitati, quæ id constantissimè docuit, & imprimis per quatuor prima vel quinque ab ortu Christi sæcula, quibus nondum Ecclesia Romana primævæ suæ fidei doctrinæque puritati & integritati decoxerat, ut vel ipsi fateri coguntur adversarii, ut patet ex supra dictis.

Si quis ex adverso fateatur ipsa Christi verba esse efficacia & operatoria, non potest, quin admittat istam propositionem (hoc est Corpus meum) continere veritatem, quam æstimari necesse est ex naturâ propositionis operativæ, quæ quidem exigit, ut in ipso prolationis termino efficiatur reverà, quod per illam significatum fuerit. Si autem reipsa effectum fuerit, quod per illam significatum fuit, nemo nisi insanus dicere poterit, id quidem effectum esse, sed factâ statim prolatione illud ipsum desiisse. Quod dicimus, insigniter confirmat Cyrillus Alexandrinus in Epistolâ ad Calesyrium, in quâ quosdam Nestorianos negantes extra usum verum Christi Corpus in Eucharistiâ remanere, velut insanos adhibet. *Insaniunt*, inquit, *dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ ejus reliquiæ remanserint in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacro-sanctum Corpus Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in ea est.* Hæc ibi.

Tertia ratio quâ v. Sacramenti permanentia astruitur, petitur ex communi sententiâ & expressione sanctorum Patrum, qui omnes uno animo calamoque asserunt, non esse hominem, qui Corpus Christi faciat & Sanguinem, sed illum ipsum qui pro nobis crucifixus est, Christum, cujus verba sacerdotis ore proferuntur & Dei virtute proposita consecrantur & gratiâ. Hoc enim, ait, est Corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Ita S. Joan. Chrysostomus hom. de Judâ proditore. Hom. 2. in 2. ad Timoth. Hom. 83. in Matth. Hom. 60. ad Pop. Antioch. & alibi. Ita S. Ambrosius & alii Patres quorum testimonia suprà retulimus. Cum igitur Corpus Christi conficiatur per verba Christi, per eadem verba permanet, & nullo pacto ab hominum sumptione dependet.

Probatur v. Sacramenti permanentia ex perpetuâ Ecclesiæ praxi, quâ vel primis ab ortu Christi sæculis Eucharistiam peracto Sacrificio reservatam esse legimus.

1. SAnctus Justinus Philosophus & Martyr, qui floruit secundo Ecclesiæ sæculo & ann. Redemptionis 150. obtulit Antonino Imperatori ejusque filiis Cæsaribus primam pro Christianis Apologiam (quam Eusebius, & Anastasius Bibliothecarius contendunt reipsa esse primam, licet vulgò secunda nominetur) testatur Eucharistiam absentibus per Diaconos mitti solitam. Distributio, inquit, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur. Hæc ille. Quod hic testificatur sanctus Justinus, factitatum est ab Luciano Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero, qui Nicomediæ ineunte IV. sæculo illustre martyrium obiit. Cum enim in carcere, careret altari, supra stomachum Corpus Christi consecravit, præsentibus porrexit, absentibus autem per Diaconos misit, ut legere est apud Surium 1. Januarii in Actis sancti Luciani.

2. Sanctus Irenæus II. Lugdunensium Archiepiscopus, qui floruit II. sæculo usque ad tertii initium in Epist. ad Victorem Papam inscriptâ, nomine fratrum quibus præerat in Galliâ, testatur summos Pontifices qui illum in Apostolicâ sede præcesserant, ut puta Anicetum, Pium, & Hyginum cum Telesphoro & Xisto, licet in celebrando paschate & in jejunii formâ dissiderent, ab multis Presbyteris, pacem nihilominùs cum iis coluisse, & in signum pacis & unitatis iisdem ipsis Eucharistiam transmisisse, ut legere est apud Eusebium Pamphili lib. 5. histor. Eccl. cap. 24. quem morem ex Concilio Laodiceno constat fuisse promiscuum, & non tantum ab Romano Pontifice, sed etiam ab omnibus passim Episcopis usurpatum, ut ad aliarum civitatum Episcopos Eucharistiam benedictionis nomine transmitterent.

3. Tertullianus qui floruit ann. Redempt. 203 id est ineunte sæculo III. reservatam Eucharistiam testatur lib. 2. ad Uxorem. Et in lib. de oratione sub finem: *Accepto*, inquit, *Corpore Domini & reservato utrumque salvum est & participatio Sacrificii, & executio officii.* Hæc ibi.

4. Sanctus Cyprianus qui floruit III. sæculo, utpotè qui provectus est ad Episcopale Carthaginensis Ecclesiæ regimen an. salutis 248. & martyrio coronatus est ann. item sal. 258 hunc morem Eucharistiæ in ædes privatas importandæ, & inibi servandæ suo tempore viguisse commemorat. *Cum quædam*, inquit, *arcam suam, in quâ Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere. Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutatur.* Hæc narrat sanctus Cyprianus in libro de Lapsis.

5. Sanctus Basilios cognomento Magnus in Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopum ann. sal. 369. vel 370. assumptus, quod dicimus, insigniter confirmat in Epist. 289. de communione ad Cæsariam Patriciam inscriptâ. *Quoniam verò*, inquit, *per illa persecutionum tempora cogebantur homines necessario sacerdote vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter, & iniquè ferendam; eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum reipsa confirmatum dederat.* Posteà affirmat omnes solitarios, ubi non suppetebat copia Sacerdotis, habuisse domi communionem, quam de suis manibus perciperent. Quod & testatur de plebeio quolibet Alexandriæ & per Ægyptum commorante. Hæc ibi.

Possem hîc plurium Patrum adjicere testimonia, quibus asservandæ Eucharistiæ antiquitas probaretur, sed ista delibasse sufficiat ad probandam ejusdem Eucharistiæ permanentiam ex multis rationibus, & ex ejus perpetuâ reservatione deductam & illatam. Non enim solùm ab privato quolibet reservabatur in propriis ædibus Eucharistia, sed etiam in loco sacratiori tam pro Viatico morientium, quam ad usum fidelium reservabatur. Nam licet tempore sancti Basilii vigeret adhuc antiqua consuetudo tradendæ fidelibus Eucharistiæ, quam singuli suis in ædibus reservarent, suisque manibus ingruente necessitate perciperent, prætereà tamen reservabatur in sacrario, includebatur scilicet in vasis aureis, vel argenteis in columbæ speciem elaboratis; cujus consuetudinis pulcherrimum extat monumentum in sancti Basilii vitâ ab Amphilochio Iconii Episcopo conscriptâ (ut conjiciunt docti.) Nam inibi refertur sanctum Basilium Dominum obsecrasse, ut daret ei gratiam, sapientiam & intellectum Sacrificii offerendi, & mysticæ scribendæ Liturgiæ, viso noctu cum Apostolis Domino propositionem pànis in altari facie te, eumque exaudiente, & excitante, surgentem ad altare accessisse, celebrasse officium, post orationum finem panem exaltasse, eum in tres divisisse partes, quarum unam cum timore multo communicaverit, alteram columbæ aureæ super altare pendenti imposuerit, &c.

Hujusmodi columbarum in quibus Eucharistia recondi & asservari consueverat, fit illustris mentio in Synodo Constantinopoli celebratâ sub Mennâ an. Redempt. 536. adversus Anthimum & Severum, & alios Acephalorum Principes.

Nam in istius Synodi actione V. Clerici & Monachi Antiocheni, de sacrilegâ Severi rapacitate & insolentiâ conqueruntur his verbis: Neque utique sanctis altaribus pepercit, neque sacris vasis parcens, alia autem conflans, similibus suis erogat. Præsumptum est autem ab ipso & hoc, ô Beatissimi: nam columbas aureas & argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra & altaria appensas unà cum aliis sibi appropriavit, dicens non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare. Id legere est in præfatâ Act. V. in supplicatione Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham & Synodum congregatam, contra Severum.

Eamdem expostulationem adversus ipsum Severum repetiit Antonius Monachus in act. V. secundæ Synodi Nicænæ seu VII. œcumenicæ: *Porrò*, inquit, *præsumptum est ab eo etiam hoc, ô beatissimi: eas enim quæ in typum Sancti Spiritus sunt, aurea & argentea Columba suspensa supra divina Sacramenta (sacros fontes) & altaria, cum aliis defraudabat dicens, non oportere columbas nominari Spiritum Sanctum.* Hæc ibi.

Ex antiquo igitur Ecclesiæ ritu columba super baptisteria, & altaria appendebatur, ut Spiritum Sanctum his in locis maxima operari miracula Christiani rescirent.

Super Baptisteria sub Columbæ specie repræsentabatur Spiritus Sanctus, eoquod in hujusmodi specie super Christum ab sancto Præcursore baptizatum apparuerit: Prætereà, quia aquas ad fidelium regenerationem idoneas efficit: Undè sanctus Paulinus epist. 12.

Sanctus in hunc Cælo descendit Spiritus amnem
Cælestique sacras fonte maritat aquas.

Alia etiam ejusdem ritus ratio peti potest ex eo quod Deus Spiritum sanctum Infideles effundat abundè per lavacrum regenerationis, ut loquitur Apostolus. Super altaria repræsentabatur Spiritus Sanctus in columbæ effigie, & in hujusmodi columbâ ex auro,

vel ex argento conflatâ recondebatur Corpus Christi, ut inde Christiani discerent neminem illud ipsum Corpus Christi percipere oportere, quin Spiritum Sanctum in se residentem habeat, & nativas columbæ dotes, seu proprietates sanctioris vitæ candore, simplicitate & innocentiâ referat.

Hujusmodi pronuntiatum mirabili facondiâ illustrat gloriosissimus martyr Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ: *Sacramenta Pascha*, inquit, *nihil aliud in Exodi lege continent, quam ut Agnus, qui in figurâ Christi occiditur in domo unâ edatur. Loquitur Deus dicens: in domo unâ comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Caro Christi & Sanctum Domini ejici foràs non potest, nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis hospitium designat, & denuntiat Spiritus Sanctus in Psalmis dicens: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo. In domo Dei, in Ecclesiâ Christi unanimes habitant, concordes & simplices perseverant. Idcirco & in columbâ venit Spiritus Sanctus. Simplex animal & lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cum generant simul filios edere, cum commeant, volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesiâ noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo, & lenitas, agnis & ovibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale serpentum? & cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesiâ separantur, ne columbas, ne oves Christi sævâ suâ & venenatâ contagione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.* Hactenùs sanctus Cyprianus declaravit in unâ domo, id est in unâ Ecclesiâ manducari Corpus Christi, sicut olim Agnus Paschalis eximia ejus figura in unâ domo ex plenissimo Dei præcepto comedi consueverat. Ut autem ritè comedatur in ipsâ Ecclesiâ contendit imitandas esse columbarum dotes, & imprimis mansuetudinem & concordiam, quam Spiritus Sanctus in fidelium animis ingenerare solet, ut quis adorandum Christi Corpus in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, sicut oportet & decet, percipere valeat. Id proculdubio significare voluit sanctus Basilius & alii, qui ejus exempla secuti adorandam Eucharistiam in vasis in columbæ speciem efformatis reposuerunt, ut nimirùm universis Ecclesiæ filiis ostenderent neminem ritè Corporis & Sanguinis Christi Sacramenta percipere posse, quin Spiritum Sanctum in se inhabitantem haberet, & talem in se Spiritus Sancti inhabitationem per columbæ (sub cujus effigie ipse Spiritus Sanctus supra Christi baptizati caput apparuit) simplicitatem, innocentiam, mansuetudinem, dilectionem, concordiamque patefaceret.

Hoc ipsum illustriùs declarari potest ex eo quod primi Christiani, quorum cor unum erat & anima una, & quibus erant omnia communia, non nisi post perceptionem Spiritus Sancti qui in ipso Pentecostes die ipsos non tam eodem in loco versatos, quam uno corde adunatos repleverat, quotidianâ Corporis Christi manducatione vesci, & ut testificantur Apostolorum Acta, in fractione panis perseverare cœperunt. Unde & anniversaria ejusdem Corporis Christi festivitas sic ab Urbano Papâ IV. instituta est, ut Feriâ quintâ Pentecostes octavas proximè consecutâ, celebraretur quotannis, & reverà celebratur, ut omnes se ad sacram synaxim eâ, quâ par est, puritate accedere non posse meminissent, qui Spiritus Sanctus in ipsorum animis & corporibus velut in templis inhabitaret.

Ignoscat benevolus lector, si ex occasione columbarum, quæ supra altaria appendi consueverant, paululùm ab proposito digressi sumus.

Ex testimoniis hactenùs allatis patet peractu sacrificio reservatam esse sacram Eucharistiam tam in privatorum ædibus, quam in templis. Non igitur immeritò Calvinus Institution. lib. 4. c. 17. §. 39. ait eos qui sic faciunt (id est Eucharistiam reponunt seu reservant, ut ægrotis extra ordinem distribuatur) habere veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor, verum, inquit, in re tantâ, & in quâ non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam veritatem sequi: sed quæro utrum secuti simus veritatem, si ipsum Calvinum audiamus aientem Christianos Catholicos magicam aliquam incantationem imaginari, cum prolatis ab Sacerdote Christi verbis credunt ejusdem Christi Corpus eorumdem verborum efficaciâ præsens in Eucharistiâ sisti. Siquidem per illa verba, ut asserit idem Calvinus, intelligenda est prædicatio, quæ auditores ædificet, quæ intùs penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur ac insideat, quæ efficaciam in complemento ejus quod promittit, exerat. An, inquam, tuti antiquitati per ipsissima Christi verba ejus Corpus consecrari, post consecrationem non tantum in usu & sumptione, sed etiam citra usum contineri sub speciebus panis constantissimè docenti abrogabo fidem, eamque transferam ad amplectenda Calvini vel commenta, vel portenta anterioribus Ecclesiæ sæculis inaudita? Absit, absit. Cum enim de fide agitur, antiquitas omnem omninò novitatem explodendam esse prædicat, & si quid ab quopiam hæresiarchâ illi contrarium afferatur, id eo habetur falsum quia non est traditum, & hoc uno duntaxat nomine repudiandum.

Audiam igitur antiquos Patres, quos & rara eruditio, eximia pietas, & collecta ex longo authoritas æternitati consecravit. Audiam Gregorium Nazianzenum in orat. 11. quam in laudem defunctæ Gorgoniæ sororis suæ habuit, narrantem quo pacto illa desperatis omnibus aliis auxiliis, ad altare procubuerit, & invocato & adorato in Eucharistiâ Christo, pristinam sanitatem recuperaverit.

Audiam sanctum Ambrosium, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides; qui scriptorum inter latinos flos quidam speciosus enituit; cujus fidem & purissimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere, ut de illo prædicat infensissimus Dei gratiæ hostis Pelagius; ipsum, inquam, audiam commemorantem quo pacto Satyrus ipsius frater nondum perfectioribus initiatus mysteriis, instante naufragio ab his, quos initiatos esse cognoverat, divinum fidelium Sacramentum poposcerit, ut fidei suæ consequeretur auxilium, & ligari fecerit in orario, & orarium involverit collo, atque ita se dejecerit in mare, & primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus Dei Ecclesiam requisierit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ majus esse officium. Hactenus Ambrosius in lib. de obitu fratris sui.

Audiam sanctum Augustinum in Psal. 33. non aientem Corpus Christi inesse in v. Sacramento in usu & sumptione, & vi sumptionis, ut aiunt Sacramentarii, sed docentem ipsum Christi Corpus substantialiter præsens in Eucharistiâ sisti & contineri vi verborum, quæ Christus in tanti mysterii institutione protulit: *Manibus aliorum*, inquit, *portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum, ait, hoc est Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus suis.* Ita sanctus Augustinus, quem sese tanti facere prædicat, vel simulat Calvinus, qui si tantillum ratiocinari voluisset, animadvertisset haud dubiè Christi Corpus in Eucharistiâ præsens sisti per verba ab Sacerdote in ipsius personâ Christi prolata, non autem per usum vel sumptionem. Siquidem ex sancto Augustino Christus ferebat

Corpus suum in manibus suis, antequam illud Discipuli manducarent.

Audiam S. Optatum Milevitanum in Africâ Episcopum, qui aliquot annis ante S. Augustinum floruit & elaboravit pulcherrimum Opus adversus Donatistas (qui fœdo Schismate Ecclesiæ unitatem infregerant) & illis exprobravit multa scelera, & horrenda sacrilegia in sacro sanctum Christi Corpus, & altaria in quibus illud ipsum Corpus reponebatur, admissa: sic enim loquitur secundo citati operis Libro: *Quod vobis, inquit, leve videtur, facinus immane commissum est. Ut omnia sacro-sancta supra memorati Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi; non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie ipsos Dominos suos, quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.* Iste locus S. Optati satis superque declarat Catholicos isto sæculo IV. scilicet, sicut & aliis antegressis, & subsecutis credidisse etiam extra usum Corpus Christi sub panis speciebus, quamdiu perseverant, contineri. Alioquin tanti sacrilegii non fuissent conscii Donatistæ, si Corpus Christi revera tradidis ab ipso verbis consecrari, & ab semetipsis id sacrificari, quoties celebrarent, sed non ab Catholicis, (quos perditos, & impios arbitrabantur,) & ideò adduci non poterant ut oblatas ab ipsis Hostias ab Spiritu sancto sanctificari & in substantiam Corporis Christi converti transmutarique crederent. Undè easdem Hostias utpotè non consecratas canibus projicere nihil dubitabant. Quâ in re superiores sæculi hæretici Donatistarum furorem multis partibus antecesserunt. Nam cum destruxissent v. Sacramenti veritatem in ipsomet Sacramento, & in personâ Catholicorum, quantum in ipsis fuit nostra Templa subruerunt, everterunt altaria, & plurimas hæreses, quarum venena plures in Urbes, Provinciasque sparsere, teterrimi Schismatis violentiâ & rabie cumulare nullatenùs horruerunt.

Audiam decem & octo supra trecentos Episcopos qui in 1. Synodo Nicænâ eaque œcumenicâ congregati duos Canones condidere, 13. nimirùm & 14. quibus Ecclesiæ fidem circa Eucharistiæ permanentiam perspicuè declararunt.

Audiam Concilium Carthaginense IV. ex ducentis & quatuordecim Episcopis compositum, in quo idem constitutum est circa Eucharistiæ permanentiam, quod & in Nicænâ Synodo primâ sancitum fuerat, ut videre est in ejus Concilii Canone 77. & 78.

Audiam S. Joannem Chrysostomum, qui rem nostram insigniter probat in 1. suâ Epistolâ ad Innocentium Pontificem Romanum inscriptâ: in quâ graphicè depingit furorem & sævitiam militum in sese, suosque grassantium, & inter cætera sic loquitur: *Locum in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia quæ intus erant; quin & sanctissimus Christi Sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est, fiebantque quasi in barbaricâ captivitate omnia.* Quo in loco idem S. J. Chrysostomus verba facit de Calice asservato de more, non autem eodem die consecrato. Quod constat ex eo quod tumultus ille contigerit ipso magno sabbato quo Baptismus Catechumenis conferri consueverat. Unde & ibidem ait mulieres, quæ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, nudas aufugisse. Cum igitur, antequam Catechumenorum Baptisma celebraretur, loquatur S. Chrysostomus de Calice Sanguinis Christi, haud dubiè intelligendus est de Calice reservato de more, non autem eodem die consecrato. Nam statim atque Catechumeni Baptismatis Sacramento erant initiati, celebrabatur Missa, cui & intererant Neophyti, & sacro Christi Corpore reficiebantur. Cum igitur de Calice Sanguinis Christi effuso ante Missæ celebrationem conqueratur S. Crysostomus, argumento est illum de Calice non ipso magno sabbato, sed altero die consecrato intelligi oportere.

Hujusmodi probationum complementum faciet Missa præsanctificatorum ab Græcis sæpius, ab Latinis rariùs usurpata. De hujusmodi Missâ extat Canon 52. Concilii Trullani in hæc verba: *In manibus sacræ Quadragesimæ jejunii diebus præterquam sabbato & Dominicâ, & sancto Annuntiationis die fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.* Item extat eadem de re Canon 49. Concilii Laodiceni sancientis, quod non oportet in Quadragesimâ panem offerre (id est conficere Corpus & Sanguinem D. N. J. C.) nisi sabbato & Dominicis tantùm. Alexius Aristenus in can. 58 Concilii Laudiceni ait: exceptis sabbato & Dominicâ & sancto Annuntiationis die in Quadragesimâ panis non offerri & præsanctificata celebrari: hujus ritus rationem reddit: *Propterea quod,* inquit, *reliqui Quadragesimæ dies humiliationis sunt tempus, debetque unusquisque propria delicta recognoscere, & non de illis curâ neglectâ ad festivitates animum advertere, & propter ea mœrore affici, nec spirituali lætitiâ præter tempus impleri.* Hæc ille. Apud Latinos præsanctificata celebrantur semel quotannis, nempè feriâ sextâ in parasceve. Nemini enim latet pridiè ejus diei nempè feriâ V. in Cœnâ Domini duas Hostias consecrari, quarum una eodem die in ipso sacrificio absumitur, altera vero in sequentem reservatur consumenda ab sacerdote nihil eo die consecrante; utpotè qui summi sacerdotis, cujus personam in mysteriis consecrandis sustinet, & cujus verbis mysteria conficit, mortem, & in morte silentium recolere jubeatur.

Hujusmodi praxis in utraque Ecclesiâ Orientali scilicet & Occidentali usurpari solita liquidò demonstrat utramque Ecclesiam annumerare inter divinæ fidei articulos v. Sacramenti permanentiam, quæ ex Christi verbis ab sacerdote ritè ordinato, & cum debitâ intentione prolatis, non autem ex usu necessario consequatur; alioquin utraque illa Ecclesia populos suo in sinu educatos induceret in errorem, & quantum in se esset ad idololatriam, seu artolatriam impelleret. Quod citra blasphemiam nec cogitari, nec affirmari potest.

Sectio XIII.

In quâ solvitur objectio ex Hesychio, & duobus Conciliis accersita, quâ Eucharistiæ reservationem Hæretici oppugnant.

Hæreticus.

BEnè multa dicis de Eucharistiæ reservatione, quam duo argumenta destruunt, quorum primum petitur ex consuetudine, quæ invaluerat in Ecclesiâ Latinâ, ut scilicet v. Sacramenti reliquiæ projicerentur in ignem, vel innocentibus puerulis distribuerentur. Primum nititur authoritate Hesychii in Leviticum, alterum verò probatur ex duobus Conciliis Matisconensi scilicet II. & Turonensi III. celebrato sub Carolo magno. Undè duo inferuntur. Primum non esse reservatam Eucharistiam. Alterum verò Christum non esse præsentem in ipsâ Eucharistiâ nec illam ejus præsentiam creditam esse ab fidelibus, qui nunquam passi essent Christi Corpus tam indignè tractari, ut in ignem conjiceretur.

Catholicus.

1. Solvenda sunt duo illa argumenta quæ ex Hesychio, & duobus Conciliis repetita objecisti.

Quod spectat ad primum, Hesychius Presbyter Hierosolymitanus sic loquitur de re propositâ Lib. 2. cap. 8. in Levit. *Est locus sanctus altare,* inquit, *ibi enim Sanctus Sanctorum requiescit. Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia spiritus? nullam quippe dubietatem hujusmodi intellectui dereliquit, propterea carnes cum panibus comedi præcipiens Moyses, ut nos in-*

telligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut Corpus Christi panis vivi, qui de Cœlo descendit. Et ibid. paulò post: *Sed hoc quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit ipse Moyses; Quod nunc videmus etiam insensibiliter in Ecclesiâ fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit, inconsumpta.* Hactenùs Hesychius. Cujus mens ut capiatur investiganda est accuratiùs Ecclesiæ Latinæ hac in parte consuetudo.

Hujus consuetudinis nonnulla vestigia deprehendere possumus in quodam Concilii Arelatensis III. Canone ab Yvone Carnotensi citato ab annis quingentis & pluribus. *Omne Sacrificium*, inquit Yvo Decret. part. 2. cap. 59.) *sordidâ vetustate perditum, igne comburendum est: & cinis juxta altare sepeliendus.*

Hoc ipsum confirmatur ex cap. 4. Concilii Aurelianensis, quod citat idem Yvo eod. Decret. p. 2. c. 22. *Illud etiam*, inquit Concilium, *annectendum videtur, ut oblata quæ in altari offeruntur, de Sabbato in Sabbatum semper innoventur; quia panes propositionis, qui super mensam Domini ponebantur à Sabbato in Sabbatum mutabantur, ne diu servati mucidi fiant, & ut quidam sentiunt, igni concrementur.*

Hanc eamdem rationem ne videlicet Hostiæ consecratæ mucidæ fiant, attingit Concilium Turonense cap. 4. ideò eas septimo quoque die semper mutari illud ipsum Concilium præcipit, ut testatur idem Yvo ead. p. 2. Decret. cap. 19.

De apparenti illâ Sacramenti seu Corporis Christi combustione sic loquitur Guitmundus Archiepiscopus Aversanus lib. 2. de veritate Eucharistiæ: *De igne*, inquit, *grandis quoque oritur quæstio; pro eo quod in quibusdam, ut aiunt, carminibus igni tanquam absumenda sacra mysteria tradi jubentur. Veruntamen non ut combustione consumantur, id præcipitur, sed tamquam omnium elementorum purgatissimo ac mundissimo dignissimoque, quod omnia reliqua elementa purgat, ipsum verò ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter committi jubentur.*

Eadem de re sic loquitur Algerus Leodiensis Theologus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sang. Dom. cap. 1. *Quod autem*, inquit, *etiam à religiosis incendio tradi & ibi disparere dicuntur ipsæ sacramentales species, non ad indignitatem Christi fit, quasi ignibus exurendus tradatur, quod impossibile est, cum sit omnium elementorum Deus: sed quoties aliqua talis indignitas ipsi Sacramento negligenter acciderit, ut horrorem sumendi incutiant ipsæ sensuales species, quas ibidem Deus altissimo suo consilio post mutationem suæ substantiæ remanere voluit, ignibus traduntur: ut ostendant quod suum est, deficiendo & disparendo sine omni fœditate in illo purissimo ignis elemento. Quapropter sicut summâ sumi reverentiâ, sic summâ etiam servari debet diligentiâ: quia res tanta dignitatis tantæque salutis, negligentiæ vel oblivioni subjacere non debet: sed quod magnâ Dei gratiâ agitur, decet & oportet, ut magnâ Ecclesiæ sollicitudine devotè & indesinenter super omnia honoretur.* Hæc ibi.

Jam respondendum est consecutionibus quas elicis ex consuetudine comburendi Eucharistiæ reliquias, vel eas insontibus puerulis distribuendi, quæ in Ecclesiâ Latinâ olim inolevit.

1. Inde colligis non esse asservatam Eucharistiam.

Sed contra contendimus semper esse asservatam Eucharistiam in utraque pariter Ecclesiâ Orientali scilicet, & Occidentali. De Orientali nulla potest esse difficultas, siquidem in eâ Eucharistiam reservari solitam esse satis superque paulò antè probavimus authoritate sancti Basilii, sancti Gregorii Nazianzeni, S. Joan. Chrysostomi, & ex can. 52. Concilii in Trullo; & 49. Concilii Laodiceni, quæ duo Concilia jubent celebrari præsanctificata, id est reservari Corpus & Sanguinem D. N. J. C. ut iis uterentur Sacerdotes in diebus quadragesimæ, quibus illud ipsum Christi Domini Corpus & Sanguinem conficere seu consecrare vetitum erat.

Quod spectat ad Ecclesiam Latinam, Eucharistiam pariter in eâ asservari esse solitam constat ex Tertulliano, ex S. Cypriano, ex S. Optato Milevitano, ex S. Ambrosio, quorum omnium testimonia, quia suprà retulimus, hìc non referimus. Nec illam Eucharistiæ reservandæ consuetudinem labefactare potest Canon V. Concilii Arelatensis III. quo sancitur Eucharistiæ reliquias sordidâ vetustate perditas igne comburendas esse. Nam præterquam quod hujusmodi Concilium, in quo prima dictæ combustionis mentio celebratur, posterius est plerisque omnibus patribus quorum authoritate præfata v. Sacramenti asservatio statuitur. Allata consuetudo residuas Eucharistiæ particulas in ignem projiciendi non servabatur in universâ Occidentali Ecclesiâ, sed tantùm quibusdam in locis. Unde objectio ex eâ consuetudine deducta prædictæ Eucharistiæ reservationi nihil officit.

Præterea solæ reliquiæ v. Sacramenti mucore seu situ vitiatæ dumtaxat projiciebantur in ignem, non autem illæ quæ integræ superfuerant, & citra nauseam accipi poterant: idque probari potest ex Evagrio. Siquidem lib. 4. histor. Ecclesiast. cap. 35. commemorat, ipsâ Hesychii ætate in Ecclesiâ Græcâ Eucharistiæ reliquias populi communioni superstites puerulis nondum de baptismatis innocentiâ dejectis solemni ritu distributas fuisse.

Quin etiam ex Concilii Matisconensis II. can. 6. easdem Sacrificiorum reliquias, quæ post peractam Missam in sacratio supersederant quartâ vel sextâ Feriâ innocentes adhuc puerulos, quibus indictum erat jejunium, vino conspersas percepisse discimus: sicut & idipsum in Concilio Turonensi III. sub Carolo Magno habito legimus in ejus Canone 19.

Ex hisce Conciliis nihil inferri potest quod v. Sacramenti reservationi repugnet, imò hujusmodi reservatio magis statuitur. Siquidem reliquiæ fidelium communioni superstites reservabantur in sacratio saltem ab ipso die Dominico usque ad quartam vel sextam feriam, in quâ prædictæ reliquiæ innocentibus puerulis porrigi consueverant. Quod autem spectat ad Hostias pro absentibus & ægrotantibus reservari solitas, non dicebantur factæ Communioni superstites: Nam destinabantur communioni in privatorum ædibus post publicam Ecclesiæ communionem factitari solitæ, atque adeò inter reliquias insontibus puerulis tradendas non recensebantur.

SECTIO XIV.

In quâ solvitur objectio quæ realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam labefactare moliuntur Hæretici ex eo quod aliquando quæ supererant ex fidelium communione reliquiæ, vel flammis sint crematæ vel infantulis porrecta.

Hæreticus.

NON respondes ad alteram objectionis partem; quâ contendimus fidem veterum discrepasse ab eâ, quâ nunc realem Corporis Christi in Sacramento cœnæ, præsentiam tantâ contentione prædicatis. Si enim prisci illi Christiani Christum substantialiter in Eucharistiâ contineri credidissent, nusquam essent passi eam tam indignis tractari modis, ut vel in ignem conjiceretur, vel parvulis absumenda porrigeretur.

Catholicus.

Nulla in v. Sacramentum admissa est indignitas; sivè Hostiæ, quæ senescere & temporis diuturnitate vel jam erant corruptæ, vel brevi erant corrumpendæ in ignem projicerentur, vel reliquiæ quæ ex publicâ fidelium communione superfuerant, innocentibus parvulis absumendæ traderentur, atque adeò nulla

indè fidei circa realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam varietas aut mutatio colligi & inferri potest. Nam quod spectat ad dictam combustionem in Ecclesiâ occidentali usurpari solitam, adeò nihil officiebat antiquæ Ecclesiæ Fidei circa realem Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam, ut Humbertus Cardinalis de Sylvâ candidâ denominatus, qui Berengarianam hæresim omnium acerrimè oppugnavit, ipsique Berengario suæ hæreseos ejurandæ formulam porrexit: Cum Ecclesiæ Latinæ Apologiam exarasset adversus accusationes Græcorum ipsos vituperaverit, quod eas quæ superfuerant factâ populi communione, Hostias non comburerent. Si igitur Ecclesia Latina Humberti tempore, id est illo ipso tempore, quo Sacramentariorum hæresim damnavit, comburebat species sacramentales, quæ peractâ fidelium communione superfuerant; & si Humbertus ipse maximus Transsubstantiariorum, id est Catholicorum propugnator, & qui Sacramentariis implacabile bellum indixerat, increpabat Græcos eo nomine quod Hostias Latinorum adinstar non comburerent; quâ ratione testimonium Hesychii Hierosolymitani affirmantis species sacramentales suâ ipsius ætate in ignem projici, & inibi absumi solitas, adhiberi poterit ad demonstrandum Ecclesiæ fidem circa realem Corporis Christi in v. Sacramento præsentiam priscis illis temporibus discrepasse ab eâ, quam nostrâ hac ætate profitetur & usquequaque prædicat? nonnè Algerus Cardinale Humberto posterior declaravit Lib. 2. cap. 1. de Sacram. Corporis & Sang. Dom. nullam propterea in v. Sacramentum admitti indignitatem, si species sacramentales absumendæ in igneo projiciantur? ejus verba suprà retulimus.

Quod spectat ad Hostias quæ ex Popoli Communione superfuerant, & ne corrumperentur, porrigebantur innocentibus parvulis, an decentiùs & tanto Sacramento congruentiùs species sacramentales corruptioni obnoxiæ, & tandem aliquando substantiali Corporis Christi præsentiâ spoliandæ, absumi poterant, quam ab iis de quibus Christus ipse dixit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum Cælorum.* Ac reipsa qui tam quidni Christi carnem manducarent in terris, quos, vel ipso affirmante Christo sanctorum hæreditas manet in Cœlis? Nihil ergo vel fidei vel reverentiæ tam mirabili Sacramento debitæ detrahitur, aut detrahi potest, si innocentibus parvulis, & præsertim jejunio ab II. Matisconensi Concilio ipsis indicto præparatis, adoranda Christi caro porrigatur.

Talem parvulorum communionem sibi non ingratam esse Deus Opt. Max. ingenti miraculo comprobavit; ut legere est apud Evagriom Lib. 4. cap. 35. ubi commemorat Menæ Constantinopolitani Episcopi temporibus filium cujusdam hominis, opinione Hebræi, arte Vitriarii, qui cum suis sodalibus particulas puri & immaculati Corporis Christi Dei nostri se manducasse, sciscitanti patri renunciasset ab ipsomet in clibanum ardentem, in quo vitrom formare solebat, conjectus est. Ubi toto triduo incolumis & illæsus constitit: utpotè qui crebrò invisereturab muliere purpureâ veste amictâ, quæ illi porrigebat aquam, quâ carbonum flammas corpus ambientes extingueret, & præbebat cibum quoties esuriret. Eâ re ad Justinianum perlatâ puerum cum matre regenerationis lavacro tingendos decernit. patrem autem pueri. qui recusavit in Christianorum numerum ascribi, in Sycis cruci suffigendum curavit. Hanc ipsam Historiam referunt Gregorius Turonensis Lib. 1. de gloriâ martyr. cap. 10. & Nicephorus Lib. 17 Histor. Eccles. cap. 25. qui & addit sese adhuc puerum sæpius Eucharistiæ reliquias comedisse.

Sectio XV.

In quâ Eucharistia ad infirmos deportatio ipsius Ecclesiæ authoritate & praxi statuitur.

Dogma septimum quo sacro-sancta Eucharistia honorifica ad infirmos deportatio ab Concilio Tridentino statuitur.

EUcharistiam ob varios fines olim fuisse reservatam certo certius est.

1. Peracto sacrificio reservabatur, ut aliquot ejus particulæ deferrentur ad absentes, qui sacrificio interesse non potuerant ut suprà vidimus ex S. Justino.

2. Ab summis Pontificibus reservabatur, ut ad alios Episcopos in signum pacis & unionis transmitteretur, quod non ab solo summo Pontifice, sed ab aliis Episcopis factitatum esse legimus, & paulò antè probavimus.

3. Reservata est Eucharistia ab privatis, qui eam suas in ædes deportatam asservarent, donec ad eam accipiendam eos necessitas adigeret. Quæ praxis non solùm grassante persecutione, sed etiam longo tempore eâ desitâ viguit. Baronius ipsam in Ecclesiâ Occidentali perseverasse usque ad Pontificatum Hormisdæ, qui in summum Pontificem assumptus est 20. Jul. an. 514. juxta Onuphrii Chronicon, & in Oriente diutiùs viguisse existimat. Quæ tamen consuetudo abrogata 1. ab Concilio Cæsaraugustano quod anno 381. primùm perculit anathemate eos, qui alibi præterquam in Ecclesiâ Eucharistiam consumerent.

Posteà anno 400. Concilium Toletanum edixit eos haberi oportere veluti sacrilegos, qui Corpus Christi non comederent eodem tempore, quo illud de manu sacerdotis acciperent.

Tandem Concilium Rothomagense illud ipsum edixit ann. sal. circiter 808.

4. Legimus reservatam fuisse Eucharistiam, ut in peregrinationibus deportaretur, ut videre est in exemplo Satyri fratris S. Ambrosii, qui cum navigaret, ab iis quos initiatos esse noverat. poposcit divinum Sacramentum, cujus beneficio è naufragio imò è lethi faucibus ereptus ad portum salvus & incolumis enatavit, ut supra recitavimus.

5. Ipsa Eucharistia reservabatur ad communionem mortuorum, qui dum vita maneret, eam percipere non potuerant, ut observatum est ab Gabriele Albaspinæo Lib. 1. observat. 9. & 10.

Quod tamen prohibitum est in Concilio Carthaginensi III. Can. 6. Item in Concilio Trullan. Can. 83.

6. Denique ipsa Eucharistia reservata est ut ad ægrotos deferretur. Quod quidem liquidò constat ex Can. 11. & 14. 1. Synodi Nicænæ; & ex Can. 77. & 78. Concilii Carthaginensis IV. Omnium denique Conciliorum ea est mens, & indulgentia, ut nemo moriens viatico privetur, id est Corpore & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi: decedentibus, ut aiunt Canones, antiqua & Canonica lex servetur. Ut si quis decedat, ultimo & maximè necessario viatico non privetur. Ita Concilium Nicænum 1. cap. 13. Mart. Bracar cap. 83. Triburiense Concil. cap. 31. Burchard. Lib 18. cap. 6. Yvo parte 15. Decreti, & omnia Concilia ita passim loquuntur & omnibus pœnitentibus viaticum concedendum esse declarant, exceptis duobus casibus, in quibus morientibus illud ipsum viaticum denegari volunt duo antiqua Concilia.

Primum casum sic enuntiat Concilium Illiberitanum Can. 47. *Si quis fidelis*, ait, *habens uxorem, non semel, sed sæpè fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus: quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio, si resuscitatus, rursùs fuerit mœchatus, placuit ulteriùs eum non ludere de Communione pacis.* Quod & ipsummet Concilium decrevit Can. 7.

Alter casus ab Concilio Arelatensi 1. cap. 23. exprimitur his verbis: *De his qui apostatant, & autequam se ad Ecclesiam repræsentent, petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos pœnitentiæ fructus.*

Etsi Canones hoc loco citati non intelligantur de Eucharistiâ, sed de reconciliatione ad salutem necessariâ, ut volunt eruditi, possunt tamen ad Eucharistiam, quæ Viaticum per antonomasiam dicitur, juxta hodiernum Ecclesiæ usum accommodari, atque ita probari laudabilis Ecclesiæ consuetudo, quæ nemini, nisi gravissimis de causis Eucharistiam vult denegari.

Ex his igitur patet reservatam esse Eucharistiam, quæ brevi morituris deferri consueverat. Hujus rei exemplum perillustre suppeditat nobis Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus qui floruit III. sæculo Nam hujusmodi miraculum ex ejus litteris excerptum sic commemorat Eusebius Pamphili lib. 6. histor. cap. 44. Erat, inquit, in hac urbe Serapion quidam senex è numero fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat Sed in persecutione lapsus, sæpenumerò veniam petierat, nec quisquam ei attendebat, eò quod sacrificasset. Idem posteà morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduò permansit: quarto demum die paululùm recreatus, nepotem ex filiâ ad se vocat: Et quousque tandem, inquit, me detinetis, fili? propetate, quæso, & me quantociùs absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit. Jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat: sed quoniam in mandatis dederam ut morituris si peterent, & maximè si anteà supplicitet postulâssent, venia indulgeretur, quo bonæ spei plenus ex hac vitâ migrarent, exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit jubens ut in aquâ intinctam seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens. Et eum appropinquaret: priusquam ingrederetur; recreatus iterum senex: venisti, inquit, Fili, ac Presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu verò fac citiùs quod imperatum est: & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os senis infudit, qui eâ paulatim absorptâ continuò animam exhalavit. An non igitur perspicuè apparet, eum reservatum fuisse, ac tantisper in vitâ permansisse, quoad reconciliaretur & delecto jam crimine pro multis quæ gesserat bonis operibus à Christo agnosci posset, & prædicari. Hæc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Pamphili lib. 6. histor. Ecclesiast. cap. 44. jam citato.

Quod si post tot testimonia Kemnitius & cæteri vel Lutherani, vel alii quilibet Hæretici contendant in v. Eucharistiæ Sacramento Corpus & Sanguinem D. N. J. C contineri tantum in usu, seu dum sumitur, non autem antè vel post, & in hostiis consecratis, seu earum particulis quæ post Communionem reservantur & supersunt.

1. Dicimus istam Eucharistiæ reservationem non esse à Christo in ipso institutionis tempore demandatam nec etiam ab ipso prohibitam, nec esse alienam ab verbis institutionis, ut patet, licet enim Christus tunc suum ipsius Corpus, quod Apostolis porrexit, jussent manducari, non proptereà teservari vetuit, imò vel hanc reservationem ipsos docuit. Cum post resurrectionem suam per quadraginta dies apparuit loquens de regno Dei, vel ipsam Ecclesiæ suæ arbitrio permisit.

2. Si dicat Kemnitius eamdem ipsam reservationem nullâ Apostolorum traditione fulciri, reponemus, id non posse ab ullo probari: siquidem Corpus Christi in Eucharistiâ reconditum ab hominibus Apostolorum ætati supparibus reservatum esse legimus, apud sanctum Justinum, sanctum Irenæum, Tertullianum, sanctum Cyprianum, Dionysium Alexandrinum & alios, qui omnes nunquam id factitassent, nisi ab Apostolis aut viris Apostolicis factitari & posse & oportere didicissent. Meminerint igitur heterodoxi, aut discant pulcherrimum illud effatum sancti Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hactenùs sanctus Augustinus libro 4. de Baptismo contra Donat. capite 24.

3. Si dicat idem Kemnitius eamdem Eucharistiæ reservationem non fuisse usurpatam in Ecclesiâ, imò non defuisse, qui eam reprehenderent.

Quæram ab eo utrùm in veteri Ecclesiâ vixerit S. Cyprianus, qui in Epist. 54. ad Cornel. Synodi Africanæ nomine de pace lapsis dandâ. *Meritò enim*, inquit, *trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subvenire se ò morientibus in infirmitate patiebatur. At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Domini muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus; munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Quia, ut ait paulò pòst: *Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesiâ non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* Hæc ibi.

Ex hisce verbis constat reservatam esse Eucharistiam, quæ in persecutione lapsis & verè pœnitentibus in ipso oppetendæ mortis periculo porrigeretur & quâ, veluti cælesti quadam panopliâ Christi milites contra gentilium sævitiam & tyrannidem armarentur. Et id servabatur tertio Ecclesiæ sæculo, id est anno Redemptoris 248. quo S. Cyprianus ad Carthaginensem Cathedram est provectus, & posteà observatum est, sicut & antea saltem in gratiam infirmorum factitatum est.

Si dicat hanc reservationem ab multis improbatam esse, respondebo hanc Eucharistiæ reservandæ consuetudinem a nemine reprehensam, & reprobatam esse, nisi profanationis aut gravioris cujuspiam reverentiæ periculum immineret.

4. Si dicat Eucharistiam quidem in gratiam infirmorum fuisse reservatam, sed id non fuisse universaliter receptum. Contrarium certum est, nec ullâ probabili authoritate vel ratione labefactari potest.

5. Si dicat ab pluribus, quibus tradebatur, Eucharistiam fuisse reservatam sed id non fuisse universaliter receptum, ex allatis testimoniis probari potest, talem reservationem in plerisque omnibus Ecclesiis inolevisse, sed tandem abrogatam esse, ne v. Sacramentum, quod singulari reverentiâ usquequaque prosequendum est, apud fideles temporis diuturnitate vilesceret. Quicquid sit, sive ista reservatio Eucharistiæ in privatorum ædibus repositæ universim, seu in aliquot dumtaxat locis usurpata fuerit, probat ejusdem Eucharistiæ permanentiam, quam cum Christus ex unâ verborum suorum caciâ suspenderit, ex usu seu communicantium sumptione & fide pendere noluit.

Quod si urgeat hanc reservandæ in privatorum ædibus Eucharistiæ consuetudinem abrogatam esse, nihil mirum, siquidem variis temporibus, varias consuetudines, quæ nihil ad Sacramenti substantiam pertinerent abrogare coacta est, ne debita tanto Sacramento reverentia volventibus sæculis magnâ ex parte, sensim, ut fieri amat, minueretur, & tandem apud plerosque exolesceret.

1. Tria Concilia Constantiense, nimirum, Basileense, & Tridentinum Communionem sub utraque specie laicis interdixere: tametsi in totâ passim antiquitate celebrata fuerit usque ad nonum circiter sæculum, ut probant acta sanctæ Odiliæ Abbatissæ. Idque prohibitum ne Sanguis Christi sub vini specie delitescens effunderetur, & indignis haberetur modis, ut contigit temporibus

temporibus sancti Joannis Chrysostomi, cum videlicet ipso magno Sabbato milites essent ingressi in locum in quo sancta condita servabantur, Christi Sanguinem super suas vestes effusum non horruerunt, ut suprà retulimus.

2. Non approbaret Ecclesia quod olim factitatum est, ut scilicet infantibus Corpus Christi porrigeretur, vel Sacramentum in specie Sanguinis, Sacerdotis digito ministraretur, sicut olim administratum fuisse testatur Hugo Victorinus lib. 1. cap. 20 *pueris recèns natis idem Sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis: quia tales naturaliter sugere possunt.* Hæc ille. Hoc autem Sacramentum porrigebatur infantulis, non quia necessarium erat absolutà necessitate ad obtinendam sanctorum fœlicitatem, ut nonnulli sanctum Augustinum existimasse putant, sed ex laudabili consuetudine, quæ priscis illis temporibus invaluerat. Nam quotquot in Christo regenerantur, ejus Corpus, citra Eucharistiæ perceptionem non quidem actu, sed in voto percipiunt. Ex quo enim sese ipsi Christo per solemne votum, quod emittitur in Baptismo, consecrarunt polliciti se in ejus Corporis compage seu unitate mansuros, habent jus in re respectu utriusque Corporis Christi, id est vi suæ regenerationis habent potestatem legitimam in utrumque illud Corpus, in naturale quidem (cujus præsentiam in Eucharistiâ de fide divinâ credimus, & veneramur) utpotè in Filios Dei per Sacramentum regenerationis adoptati, atque adeò jus ad patris mensam accumbendi ipsis nullo pacto denegari potest. In alterum verò Corpus (quod est Ecclesia) non minus habent jus quam membra in corpus, cui sunt annexa & agglutinata. Cum enim Deus Christum dederit caput supra omnem Ecclesiam, quotquot in ipso regenerantur, ipsi arctissimè copulantur veluti capiti, atque ita inter ejus membra annumerantur, siquidem membri nomen omni promiscuè Corporis parti, si modò capiti cæterisque membris ipsi adunatis cohæreat, ex communi omnium æstimatione debeatur.

Quod cum ita sit, duplici titulo omnes regenerati habent jus ad Christi Corpus in Eucharistiâ percipiendum, quatenùs scilicet ad Filios Dei per regenerationem sunt aggregati, & quatenùs per eamdem regenerationem Christo capiti veluti membra sunt adunati. Quatenus ergo sunt filii ritè patri obsequentes & subditi ab ipsius patris mensâ excludi non possunt; quatenùs autem membra sana, integra & suo capiti id est Christo, & membris ex quibus coalescit Ecclesia, quod est Corpus ejus, sicut oportet, cohærentia, de alimento, quod est Eucharistia, in universas istius Corporis partes diffundi solito, citra injuriam depelli nequeunt. Unde certum est eos per votum quo se astrinxere Domino Jesu, in Baptismo voluisse percipere Corpus Christi in v. Sacramento, atque adeò vi istius voluntatis & desiderii eos percipere fructum Sacramenti, quem aliter Ecclesiâ vetante percipere non possunt.

3. Non jam approbaret Ecclesia quod factitatum est ab Gorgoniâ sancti Gregorii Nazianzeni sorore sanctissimâ, quæ cum lachrymas quibusdam Corporis Christi particulis quas reservaverat, admiscuisset, & hoc veluti cælesti pharmaco totum sibi corpus inunxisset, pristinam sanitatem recuperavit. Sicut nec jam ab eadem Ecclesiâ probaretur factum S. Satyri fratris S. Ambrosii, qui alligato ad collum orario, in quo erat involutum Christi Corpus, sese immisit medias in undas, & ad portum sæviente licet horribili tempestate incolumis enatavit.

4. Nostris etiam temporibus improbaret Ecclesia quod in Annalibus refert Theophanes sub ann. 20. Heracl. Theodorum nempe Papam primum ad sepulchrum S. Petri accedentem divina mysteria celebrasse, & ex Calice distillatis in atramentarium aliquot Sanguinis Christi guttulis Pyrrhi Constantinopoleos pseudopatriarchæ necnon inter Monothelitarum antesignanos annumerati, qui jam ante ob hæresim depositus fuerat, & ejurata Romæ hæresi coram ipso summo Pontifice, cui pœnitentiæ libellum obtulerat, & posteà in ipsam revolutus, & unà Pauli excommunicationem & abdicationem conscripsisse. Quod factum quamvis imitata sit VIII. Synodus œcumenica Constantinopolitana adversus Photium, ut testatur Nicetas in vitâ sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, non tamen propterea probari debet. Neque enim Christus nobis sacra sui Sanguinis mysteria impertit, ut ad hujusmodi res adhiberentur.

5. Non jam pateretur Ecclesia v. Sacramentum multo offerri adorationis causâ ad confundendam Hæreticorum pertinaciam & improbitatem, quod aliàs ab sancto Antonio de Paduâ factum esse legimus.

6. Nec ipsa Ecclesia approbaret consuetudinem quæ apud aliquos invaluerat, ut scilicet hostia vel aquâ vel vino madefacta communicantibus porrigeretur, ut Serapioni porrecta est, ut suprà retulimus. Id prohibet Concilium Bracarense III. can 1. vetante Eucharistiam vino madidam pro complemento communionis porrigere. Qui hac de re plura desiderabit, legat Radulphum de Rivo de Canonum observant. lib. propos. 23. sub finem. Inibi enim plura testimonia legere est, quibus quod dicimus, astruitur. Id etiamnum prohibitum est, neque enim Hostiam ullo liquore perfundere licet, ut faciliùs deglutiatur, licet quidem Hostiam, quam integram æger deglutire nequeat, in particulas dividere, & unam illi tribuere, & posteà liquorem porrigere, quò faciliùs sorbeatur, non autem Hostiam, vel ejus particulam madefacere. Sed quia hic de ægrotantium communione agimus.

Nonnulla in ipsâ eorum communione observanda perstringere necesse est.

1. Quolibet tempore deferri potest v. Sacramentum ad ægrotantes etiam ipsâ feriâ sextâ in Parasceve, nisi consuetudo contraria obstet, vel aliquod scandalum inde oriturum appareat.

2. Non est deferendum Eucharistiæ Sacramentum ad ægros, qui cum illud præ infirmitate percipere nequeant, sibi illud ad intuendum & adorandum afferri cupiunt. Id enim nominatim vetitum est quocumque pietatis nomine prætexatur.

3. Si ægrum ab ipsâ statim Sacramenti perceptione vomere contigerit, si integræ species appareant, illi denuò sunt porrigendæ, si eas absumere queat, sin seriùs in quopiam tabernaculi loco, eoque nitido sunt recondendæ. Si species non appareant, sufficiet quicquid vomitu egestum fuerit vel stupâ vel re quapiam simili colligere, comburere & cineres in piscinam conjicere.

4. Si Hostia è manibus Sacerdotis elapsa ciderit in pavimentum v. g. radendum est ipsum pavimentum, & ramenta deportanda sunt ad Ecclesiam, & in loco sanctiori, in quo nullum sit sepulchrum, sepelienda. Si supra pannum vel linteum ciderit, ea pars, in quam ciderit, strennè est abluenda, & aqua in Ecclesiam importanda & in piscinam injicienda.

5. Si Hostia in ægrotantis linteamina vel lectum inciderit, Sacerdos solus ciborio corporali imposito, eam quæritare debet donec invenerit, & quantum licebit, abluere locum Hostiæ contactu nobilitatum, ita ut aqua in piscinam projicienda in Ecclesiam deferatur.

6. Si Hostia delabatur in ægrotantis corpus, attollenda est, ut decet, & locus aquâ subtepidâ abluendus est, & abstergendus linteo, vel purificatorio in bursâ recondito, & aquâ in Ecclesiam, ut suprà dictum est, deferenda.

7. Si moriatur æger antequam acceptam Hostiam deglutire potuerit, species ex ejus ore sunt extrahendæ & collocandæ in quopiam vasculo & in tabernaculo asservandæ donec corruptæ fuerint. Antequam huic parti, quâ præcipua dogmata ad v. Eucharistiæ Sacramentum spectantia stabiliuntur adversus heterodoxos suus veluti colophon imponatur, juvat in gratiam or-

thodoxorum discutere utrum liceat Eucharistiam deferre ad incendia testinguenda, & utrum hujusmodi deportatio aliquid reverentiæ ipsi debitæ dettahat. Sit itaque.

SECTIO XVI.

In quâ discutitur utrum sacram Eucharistiam ad restinguenda incendia deportare deceat & liceat.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum venerabile Eucharistiæ Sacramentum ad restinguenda incendia ex mente Ecclesiæ deportari possit & debeat.

Videtur id esse penitùs ad mentem Ecclesiæ, ut v. Sacramentum ad incendia restinguenda deferatur, siquidem id factitatum est ab viris, qui ab hujusmodi v. Sacramenti deportatione abstinuissent, si Ecclesiæ spiritui contraria extitisset.

1. Legimus in Chronico Episcoporum Albigensium & Abbatum Castreosium tempore Geraldi XVIII. Castriorum Abbatis qui vivebat an. sal 1090. oblato Christi Corpore restinctum esse incendium, quo igne cœlitus delapso Monasterium Castrense corripuerat, ut narratur Tom. VII. Spicileg. D. Lucæ d'Acherii p. 34.

2. Idem contigit 31. Julii an. sal. 1638. quo Antissiodorum grassante Incendio conflictatum est.

3. Exoldunum in Bituricensium territorio situm eamdem gratiam v. Sacramenti beneficio expertum est, nam ab dirissimo incendio sese ipsius oppositu liberatum obstupuit 21. Septembris ann. sal. 1651.

Sed contrà.

Si licet argumentari ex praxi Ecclesiæ & ex ipsâ colligere ejus mentem

1. Dico id abhorrere ab ejus spiritu: quia vetat deferri v. Sacramentum ad ægros qui illud percipere nequeunt, ut illud videant & adorent. Id esse vetitum Cardinales Concilii Tridentini interpretes declarant hoc decreto; Nota, inquiunt, non convenire quod Parochi apportent Sacramentum infirmis, ut adorent illud, quia Pius Papa V. prohibuit hoc, & Domini Cardinales vetant dicentes: Non licet sacro-sanctam Eucharistiam deferre ad ægrotantes, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratiâ solent eam deosculari; etsi fortè aliquo in loco talis est consuetudo, pro ius est tollenda. Hujus decreti meminerunt Emanuel Sa in Aphorismis Confessar. v. Eucharistia num. 6. Zerola in praxi Episcop. v. Eucharistia, qui hanc praxim abusum appellat: meminerunt & Emanuel Rodriguez in summ. cas. conscient. & Victorellus Doctor Theologus, in notis, quas in Possevini lib. de Officio Curatorũ edidit.

Idipsum prohibent multa Ritualia, Pauli nempè Papæ V. Rituale item Carnotense 1640. editum. Aurelianense 1642. Meldense 1645. Parisiense 1654. statuta Maclovięsia 1618. Synodus Aurelianẽsis ann 1664. habita sub Domino Delbene Episcopo Aurelianensi.

Ex his omnibus sic ratiocinari par est. Si toties prohibetur deportatio v. Sacramenti ad ægros, qui cum illud suscipere nequeant, videre cupiunt & adorare, an Ecclesia illud ad restinguenda incendia deportari sineret? Hoc affirmari non potest. Licet enim aliquando ab viris sancti Spiritus impulsu præditis deportatum fuerit v. Sacramentum ad incendia comprimenda & reipsâ ejus præsentia grassantes ignes represserit, ut supra retulimus; nemo tamen diffiteri potest, quin aliquando etiam ad incendiorum restinctionem adhibitum fuerit idem v. Sacramentum, nec propterea prohibitæ sint flammæ, ita ut ultra grassari desinerent: Quâ ex re sæpenumerò scandala prodierunt. Inde enim impii & vitæ solutioris homines, & hæretici non nunc primùm acriùs carpsere Catholicos eo nomine, quod in figurâ Corporis Christi & in pane Christi in Eucharistiâ præsentiam ad incendia restinguenda deportarent, & nullum ex ejus præsentiâ miraculum ut speraverant, ederetur; atque ita eo commentitiam Christi in Sacramento Cœnæ præsentiam & semetipsos utpotè fœmineæ credulitati deditos toti terrarum orbi deridendos propinarent: quod ne denuo faciant ab hujusmodi Eucharistiæ ad incendia deportatione penitùs abstinere necesse est, siquidem sacrolæ, imò sacrilegæ eorum dicacitati proponitur v. Sacramentum, quoties citra ullam sperati ex ejusmodi deportatione effectus, vel miraculi certitudinem ad incendia defertur.

2. Concilium Salegunstadiense aon. Redempt. 1023. Aribone Moguntinæ Sedis Archiepiscopo celebratum vetat corporalia in ignem ad restinguenda incendia projici; sic enim loquitur c. 6. Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis presbyteris, ut quando incendium videant, corporale Dominico Corpore consecratum, ad extinguendum incendium temerariâ præsumptione in ignem projiciant: Ideoque decretum est sub anathematis interminatione, ne ulteriùs fiat. Hæc ibi.

Si hujusmodi Concilium vetat corporale Corporis Christi attactu consecratum, in ignem projici ad restinguenda incendia (quod ab stultissimis quibusdam sacerdotibus fieri consueverat) quantò magis Christi Corpus ad incendia deferri vel illud ipsum Corpus in flammas extinguendas conjici prohiberet? Ropertus Abbas describens Tuitiense incendium quod contigit ann. sal. 1128. cujus ipse testis oculatus fuerat, affirmat ad illud restinguendum projectum esse corporale, quod tamen Salegunstadiense Concilium sub anathematis interminatione vetuerat.

3. S. Carolus Borromæus Ecclesiasticæ disciplinæ instaurator & vindex acerrimus procul abest ab eorum sententiâ, qui arbitrantur ex Ecclesiæ Spiritu Eucharistiam ad incendia esse deferendam, ut conjicere est ex edicto, quo docet modum avertendæ tempestatis: *Cum nimbi*, inquit, *procellæ, turbines, aut grandines impendent, ne sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur: sed tabernaculum, ubi illud in altari reconditur, patefaciat, licet: tumque in ejus conspectu litanias, aliasque religiosas preces, ejus rei causâ institutas piè sancteque pronuntiet.* Hactenus S. Carolus in Concilio Mediolan. III. Provinciali sub Tit. de iis quæ ad sacram Eucharistiam pertinent.

Si vir sanctissimus rerumque Ecclesiasticarum peritissimus pyxidem asservandæ Eucharistiæ destinatam ad avertendas tempestates deferri vetuit, sed tantùm tabernaculum in quo reconditur, patefieri, & ante altare coram ipsâ religiosas preces pronuntiari permisit, an pluia incendiorum respectu permitteret? nullatenus. Ne videlicet debita tanto Sacramento fides & reverentia nullo consecuto ex ejus præsentiâ miraculo, gravem quampiam decessionem, imminutionemque ex plurium instabilitate pateretur.

4. Si Ecclesia talem approbaret cæremoniam & eam Eucharistiæ ad incendia deportationem Christo Domino gloriosam & acceptam fore judicasset; id proculdubiò significasset aliquo Canone, & nobis assignasset regulas, ad quas eam cæremoniam exigere oportuisset, sicut & in omnibus aliis rebus factitavit.

Cum igitur nihil hac in parte præscripserit, nullas preces recitandas fidelibus impertierit, argumento est eam nihil de tali Eucharistiæ ad incendia delatione cogitasse. Unde si Episcopi, Parochi, & Regulares, qui priscis vixere temporibus, existimassent se posse citra ullam profanationem aut peccatum sacro-sanctam Eucharistiam ad incendia deportare, id factitassent, & talis eorum praxis etiamnum apud nos Litteris consignata (sicut & infinita alia) vivisceret.

Quod si privati quipiam singulari S. Spiritus afflatu perpulsi incendia deportatæ Eucharistiæ præsentiâ

repressérunt, non propterea nobis id ipsum adversus exitiales flammas remedium usurpare licet. Non enim singularia quorumdam hominum præcipuâ sanctitatis laude florentium facta vim obtinent legis, aut nobis ad ipsa imitanda facem præferunt: siquidem ea nobis ad stuporem & admirationem, non autem ad imitationem sunt proposita, atque adeò reponenda inter quasdam praxes olim usurpatas, quas suprà ab Ecclesiâ, nostrâ hac ætate vel esse reprobatas, vel reprobatum iri suprà monuimus.

5. Talis Eucharistiæ ad incendia deportatio propiùs abest ab criminosâ atque adeò illicitâ Dei tentatione, ut colligere est ex sententiâ Theologorum, & imprimis ex doctrinâ S. Thomæ ita de tentatione Dei disserentis 2. 2. q. 97. art. 1. in corp. Homo, inquit, tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis, verbis, quando Deo colloquimur orando: Unde in suâ petitione expressè aliquis Deum tentat, quando eâ intentione aliquid à Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem. Factis autem expressè aliquis Deum tentat; quando per ea quæ facit, intendit experimentum de Deo sumere divinæ potestatis sivè pietatis aut scientiæ. Sed quasi interpretativè Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim in 2. Paralipon. cap. 20. *Cum ignoramus quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te:* Quando verò hoc agitur absque necessitate & utilitate, hoc est interpretativè tentare Deum. Unde super illud Deuteron. 6. *non tentabis Dominum Deum tuum:* dicit glossa, *Deum tentat qui habens quod faciat sine ratione committit se periculo: experiens utrum possit liberari à Deo.* Hactenùs S. Thomas loco citato.

Ex hoc loco facilè infertur vix posse sacro-sanctam Eucharistiam ad incendia deportari, quin incurratur saltem in interpretativam Dei tentationem. Cum enim hujusmodi tentatio in hoc præsertim posita sit, ut quis prætermittat media ordinaria, quibus impendens malum ab suis cervicibus propulsare posset, & citra necessitatem & utilitatem, ad inusitata remedia perfugiat: Cum ista cadant in præfatam v. Sacramenti ad incendia deportationem, ad eam sanè nemo recurrere potest, quin saltem interpretativæ tentationis in Deum admissæ reus habeatur. Nam v. Sacramentum adhibet ad restinguendos ignes, qui aliter comprimi possunt, nulla ergo necessitas Eucharistiam ad incendia deportare cogit. Præterea nulla utilitas ad id impellit. Nam quotusquisque est qui miraculum ex v. Sacramenti præsentiâ in restinguendis ignibus edendum sibi polliceri vel possit, vel audeat? Nemo sanè nisi temerarius id in animum inducat suum: Cum præsertim sacro-sanctum illud Sacramentum non sit ab Christo Domino institutum, ut ipsum quilibet & ad omnia passim vel impetranda vel depellenda suo arbitratu & prolubio assumeret. Reverà mysteriis & rebus divinitùs institutis utendum est congruenter institutoris voluntati. Neque enim licet hujusmodi res detorquêre in usus aut fines, quos ipse institutor nullo pacto ante, vel inter, vel post earum institutionem indicaverit: quod sanè perspicuum est hac in parte: Cum nulla ad nos de prædictâ v. Sacramenti ad incendia deportatione traditio pervenerit. Perperàm igitur consuetudo talis Eucharistiæ ad incendia delationis quibusdam in locis invaluit, ad restinguendos ignes, Deus scilicet nobis miracula per hujusmodi Eucharistiæ delationem postulantibus obtemperabit & obsequetur nostræ vel voluntati, vel cupiditati. Absit: siquidem in eo incendiorum articulo clamat, non tentabis Dominum Deum tuum. Id est media ordinaria ad comprimendos ignes comparata adhiberi imperat.

Quod si quibusdam temporibus nonnullis hominibus singularem hanc gratiam indulsit; ut oblato v. Sacramento flammas urbes integras, aut Monasteria, aut Templa alioquin populaturas compresserint, id ascribendum est divinæ bonitati, quâ fidelissimos sibi servos miraculorum gloriâ apud homines inclarescere voluit. Ille igitur ab ratione omninò desertus appareret qui talem gratiam sibi in præfatâ v. Sacramenti deportatione concedendam esse crederet. Neque enim Deus talia privilegia promiscuè omnibus impertiri solet, sed iis duntaxat, quibus velut instrumentis ad propagandam sui nominis gloriam idoneis utitur.

Huc accedit quod plurimi iique insigneà pietate viri immania quædam incendia fusis precibus extinxere.

Testis est Leo Papa IV. qui ut ab Anastasio Bibliothecario in ejus vitâ proditum est, Romæ in Saxonum vico precibus & signo crucis horribile incendium cõpescuit.

Testis est S. Gallus Claramontanus apud Arvernos Episcopus, qui ut testificatur Gregorius Turonensis, cum aperto Evangeliorum Libro, quem habebat præ manibus & objiciebat flammis, omnem incendii sævientis impetum repressit.

Testis est S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui ut refert ipse natali decimo in honorem S. Felicis Nolani etiam Episcopi decessoris sui elaborato, cum vidisset conflagrantem domum magnificentissimo ejusdem S. Felicis Templo contiguam veritus ne incendium in sacram ædem involaret, de v. Sacramento ad illud extinguendum deferendo ne cogitavit quidem, sed reversus domum prompsit sumptum de crucis æternæ fragmine lignum, quod quidem tenens manu adversis flammis procul opposuit & retinuit pro pectore veluti clypeum, quo sese tegeret, & hostem umbonem collatum relisum arceret, ut ipse loquitur: & extempló vis crucis ignem tenuit: ita ut in eo ipso de quo surrexerat loco flammam ceu præscripto limite circumseptam sidere, & moriente fremitu restingui coëgerit. Unde exclamat ille ipse S. Paulinus:

Quanta Crucis virtus! ut se natura relinquat,
Omnia ligna vorans ligno Crucis uritur ignis.

Testis est mulier illa nobilis, cujus domum, quæ in Rabdo est, cum invasisset incendium, quam circumiotam complexo igni, propius nihil erat, quam ut suas omnes facultates flammis absumi cerneret: Et cum nec injecta vis aquæ, nec machinæ ullæ ad restinguendum aptæ domare flammas possent, tanto impetu cuncta comprehenderant. In hoc rerum articulo subiit ejus animum Theodori Studitæ Epistolam quam ab eo nuper acceperat, è perâ tollere, atque in ignem injicere, si fortè illam reveritus vehementem illum impetum aliquo modo repelleret. Ut ergo ad rem venit, & venerandas litteras flammæ injecit, hoc simul inclamans: sancte Theodore, adjuva periclitantem famulam tuam: vidit mox atrocem illam vim ignis restinctam subitó languere, ac cinerem solum, fumumque post se relinquere. Hactenùs Baronius ad an. Christi 825. num. 72.

Testis est S. Remigius qui signo Crucis compressit incendium quod universis Rhemorum civibus supremum intentabat exitium.

Testis est S. Martinus qui unâ sui præsentiâ majoris incendii flammas compescuit.

Testes denique sunt innumerabiles alii, qui vel signo Crucis, vel fusis orationibus, vel Sanctorum reliquiis, vel suarum vestium attactu, vel aliâ denique ratione, non autem v. Sacramenti ad incendia deportatione acerrimos flammarum longè lateque grassantium impetus oppresserunt.

Quid quod multis in Urbibus sunt Sanctorum reliquiæ, quæ si ad incendia deferantur, cohibent ignes, & penitùs obruunt.

Tali potissimùm præsidio freti in Domino gloriari possunt nostrates Mondiderini. Si enim aliquam domum ignis corripuerit, deferuntur sanctorum Martyrum Luglii & Lugliani capita thecis honorificis inclu-

sa, in quam immerguntur, aqua in ignem projicitur, ignis è vestigio ita comprimitur, ut ulterius progredi grassative nequeat. Quod haud dubiè accidit, qualecunque incendium exarserit. Haud ignota loquor: tot enim sunt hujus miraculi oculati testes, quot in urbe Mondiderinâ degunt cives. Tale miraculum in hymno in hujusmodi Martyrum honorem à nobis per Christi gratiam elaborato & in ipsorum solemnitate decantari solito, expressum est hisce versiculis,

Si repentino glomerata casu
Flamma correptas populatur ædes,
Martyrum thecæ reprimunt obortos
Ocyùs ignes.

Ut sacræ lympham tetigere thecæ,
Lympha divinum referans vigorem
Cernitur jam tùm malè pertinaces
frangere flammas.

Sparsa nimirùm rapidos in ignes
Ignium diros inhibet furores,
Sic ut obtusi stupeant, nec ultrà
serpere possint.

Ex allatis rationibus & præsertim ex eâ, quæ petitur ex interpretativâ Dei tentatione, in quam per Eucharistiæ ad incendia deportationem incurritur, nemo non inferet, hujusmodi deportationem illicitam esse, cum alia suppetant media, quibus incendia restingui valeant: & præfata illa v. Sacramenti ad incendia deportatio vix citra scandalum, & hæreticorum ludibria & insultationes fieri queat. Inde, inquam, rectè conficitur non utcumque, sed necessariâ consecutione illam nusquam usurpandam esse, nisi Ecclesia, quæ est firmamentum & columna veritatis, aliter se sentire declaraverit, vel ipsi, qui hoc ad incendia restinguenda remedium adhibere voluerint, miraculorum dono sint prædíti, & hujusmodi rem sperato exitu coronatum iri plenâ certitudine perspectum, & cognitum habeant.

Conclusio hujus partis quâ v. Eucharistia veritas, & alia id genus dogmata ad ipsius reverentiam & venerationem pertinentia statuuntur.

CUm animadverterem hæreticos jam toties victricibus doctissimorum hominum armis profligatos, recrudescente in sacro-sanctam Eucharistiam odio, etiamnum instaurare bellum, quod jampridem restinctum & obrutum oportuit; non potui mihi temperare, quin arma omnibus Catholicis ab Doctoribus veritatis, & debellatoribus erroris suppeditata corriperem; & novos vetustarum hæreseon assertores, non meis viribus, utpotè qui cum præstantissimis viris omni pietatis & eruditionis laude cumulatis, qui toties cum illis manus conseruere, centesimâ parte non sim conferendus, sed valentissimâ causâ & certissimâ veritate fretus aggrederer: Et si non omninò eorum pertinaciam vincerem, aliquâ saltem ex parte debilitarem, & tandem sanctum Augustinum quem protervè & impudenter veluti errorum suorum satorem aut certè patronum & vindicem sibi vindicant, inducerem; Ministrum Claudium v. g. & alios ejusdem sectæ antesignanos, & affectus alloquentem, iisdem verbis, quibus olim Julianum Pelagianum gratiæ Dei hostem infensissimum, & ejus asseclas compellavit,

At ego ubicumque sis, ait sanctus Augustinus, ubicumque legere ista poteris, te ante istos in tuo corde constitui, quos non amicos meos & inimicos tuos, aliquâ in meam partem gratiâ propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis aversos, & ob hoc tibi adversos, in hac nostrâ disceptatione constitui cognitores. Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi; sed Sanctos & in sanctâ Ecclesiâ illustres Antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis aliisque hujuscemodi Græcis vel Latinis, quamquam & istis aliquos eorum; verum omnes sacris litteris eruditos, nominatim (sicut oportebat) expressi, eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ullâ editas ambiguitate digessi, ut in eis timeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utilia vasa formavit, & sancta templa construxit: qui tunc de istâ causâ judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam adversari, vel favere potuisse. Nondum enim extiteratis contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum. Nondum enim eratis, qui diceretis, quod in libris tuis ponis, quia de vobis multitudini mentiti fuerimus, & quod Celestianorum (Lutheranorum) vel Pelagianorum (Calvinistarum) nomine homines terreamus; & quod terrore ab omnibus extorqueamus assensum. Certè ipse dixisti, quod omnes judices ab odio, amicitiâ, inimicitiâ, irâ vacuos esse deceat. Pauci tales potuerunt inveniri, sed Ambrosium aliosque collegas ejus, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est. Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viverent, suo judicio definierunt. Ad hanc tamen causam tales erant: quando de illâ sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos mirati sunt. Quod invenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus & apud eos acta est causa nostra. Nec vos nec nos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias; nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus. Quos oportet ut populi Christiani vestris profanis novitatibus anteponant, eisque potiùs eligant adhærere, quàm vobis.

Hactenus sanctus Augustinus lib. 2. contra Julian. c. 10.

Ita sanè affari possum hæreticos, quibus juxta ejusdem sancti Augustini monitum nihil objicio, nisi quia non sunt Catholici. Cum enim animadverterem hæreses de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini jampridem meritis Episcoporum in Spiritu sancto congregatorum anathematis afflatas nostrâ hac ætate repullulare, de veritate & virtute ipsius aspirante divinâ gratiâ quantò fideliùs potui absolvi (si B. Algeri Canonici & Scholastici, id est Leodiensis Theologi verba hunc in locum transferre liceat) non humanâ quidem ratione, quæ ad hoc non suppetit, sed ipsius Christi sanctorumque testimoniis, quibus Ecclesia roborata consistit: à quibus quò firmiùs veram obtinet fidem, eò certiùs æternam assequitur salutem. Non enim, ut ait Apostolus, in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed per stultitiam prædicationis placuit salvos facere credentes: quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, videtur enim stultum, sed stultis, Christum in specie panis & vini, brutâ scilicet, præsentem nobis corporaliter fieri: tantillâ formulâ panis tantam majestatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat quod in ipso pium, nobis autem est necessarium? Congruere quidem non videtur ejus dignitati, ut corruptibilis substantia panis incorruptibile ejus Corpus fiat: sed congruit nostræ saluti, ut tali Sacramento pane Angelorum nos reficiat. Sapientissimè quidem, ut occulto mysterio fides exerceatur ad meritum: fortissimè autem ut mens tali cibo roborata, hoste devicto fortiùs nitatur ad Regnum. Sapientissimè, inquam, & fortissimè, ut tanti sui operis de re minimâ & maximâ nec comprehendi possit potentia, nec arti-

ficium. Super omnis enim mirabile est existentem substantiam panis in coëxistentem substantiam carnis suæ convertere: quod est non videri, quod videtur non esse; ipsamque carnem cum sit localis, præsentem in Cœlo & in terrâ verè & substantialiter esse: Et cum verè caro comesta, & Sanguis ejus bibitus fuerit à populo, ipsum tamen Christum vivum & integrum suo permanere in regno. Sed hæc rationi cæca, fidei sunt manifesta. Quod ergo ex se Christus tam mirabiliter tamque salubriter dignatur pro nobis operari, non parvipendendum, sed jugiter à nobis venerandum est & colendum: quia cum potens sit de lapidibus suscitare Filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in suam convertit substantiam: multò magis fideles suos sub tantæ spei imagine & virtute in corporis sui transfigurabit gloriam, non pro merito, sed pro gratiâ dans gratiam. Unde Augustinus mysterium vestrum de mensâ accipitis: estote quod videtis, accipite quod estis.

Hactenùs B. Algerus in Prologo quem elegantissimis & doctissimis de Sacramentis Corporis & Sang. Dom. libris præfixit. Ipsissima ejus verba hanc in conclusionem transtuli, ut ex iis omnes tam Catholici, quam Hæretici discerent hujus mysterii magnitudinem non esse admetiendam vel ad humanæ rationis tenuitatem, vel ad Aristotelis evanidam subtilitatem: siquidem Christus non assumpsit Aristotelem ad fundandam Ecclesiam. Quod quidem delapsa de Cœlo vox Bonifacio Lausanensi declaravit, ut legere est apud Bolandum ad 19. Februarii. Cum enim ipse Bonifacius maximè miseraretur Aristotelem, & ejus damnationem lugeret, & pro ipsius salute ardentiùs oraret, cœlesti hac voce objurgatus est: cessa, cessa jam, & noli orare pro animâ ejus, quia non fundavit Ecclesiam meam, sicut Petrus & Paulus, nec legem meam docuit. Ita author ejus vitæ apud Bolandum ad 19. Februarii, ut diximus.

Ad hanc veritatem omnium sæculorum veneranda canities Christo propter, & ab lite inter Catholicos & Hæreticos de præsentiâ Corporis ejusdem Christi in v. Sacramento obortâ remotior sic adhæsit, ut omnium Philosophorum argutias supra quàm dici potest, numquam non aversata fuerit. Ut legere est apud Sanctos Patres, qui ab omni ævo Ecclesiæ Catholicæ fidem ad posteros tam scripto, quàm vivæ vocis oraculo transmiserunt.

Quisquis clarissima eorumdem Sanctorum Patrum hac de re testimonia lectitare voluerit, consulat Joannem Launoium Parisiensem Theologum in pulcherrimo & doctissimo, de variâ Aristotelis in Academiâ Parisiensi fortunâ, libro. Ibi enim reperiet quicquid de hoc argumento ab homine studiosissimo ex opulentâ Ecclesiasticæ traditionis aurifodinâ erui potuit.

Clarissimorum & ex omni memoriâ sanctissimorum hominum authoritas hæreticos ab Philosophorum strophis avocare non potuit: licet purum putum Dei verbum inclament, seseque hominum commenta aversari passim asserere soleant. In his Christi verbis v. g. Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, an aliquid est ænigmaticum, an aliquid est loquendi caligine offusum? Nemo id nisi contentiosus profiteri audeat. Nihilosecius heterodoxi variis & tortuosis interpretationibus & consequentiis hujusmodi verba corrumpere, & in alienos sensus detorquere non desinunt. Nihil hic diutiùs immoramur, eorum quippè technas suprà reteximus & explosimus. Ad utramque traditionem scriptam scilicet & non scriptam omnia, quæ protulimus, admensi sumus, obsecuti sumus Apostolo Christianos Catholicos his vocibus admonenti: *videte* ne quis vos circumveniat per Philosophiam & inanem seductionem, secundum *traditionem hominum, præter providentiam Spiritus sancti.* Reverà cum Tertulliano prædicamus miserum Aristotelem, qui hæreticis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem ne quid omninò tractaverit. Quid enim Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoïcum & Platonicum & Dialecticum Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est, post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debeamus. Talia Tertulliani verba cap. 7. & 8. libri de præscription. adversus Hæret. comprehensa si attentiùs expenderent Calvinistæ, & alii Hæretici, proculdubiò non se segregarent ab Ecclesiâ Romanâ, imò ipsius fidem inter tot errores & hæreses variis temporibus adversus inconcussam ejus firmitatem exortas, integrè castéque ad nos usque Traditionis veluti sacri cujusdam canalis adminiculo transfusam amplecterentur, in eoque amplexu viverent & morerentur. Utinam aliquid nostro hoc opusculo ad id conferamus. Verum neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat: Deus, id solus præpotenti gratiâ id efficere potest. Rogandus ergo est ex animo ut Catholicis fidem adaugeat, Hæreticis errorem eripiat, & omnibus in Ecclesiæ suæ sinu collocatis veram charitatem & pacem impertiat.

Quicquid hactenùs in hoc Tractatu de venerabili Sacramento cum viro hæretico colloquendo asseruimus, & hausimus ex uberrimis Christianæ veritatis fontibus, Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ judicio eâ, quâ par est, sinceritate submittimus.

Finis primæ Partis,

In quâ v. Sacramenti veritatem & omnia dogmata ad ejus venerationem pertinentia per Christi gratiam astruere conati sumus.



ALTERA PARS DISSERTATIONIS

DE AUGUSTISSIMO

EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

IN QUA DE EJUS PERCEPTIONE

ET USU DISSERITUR.



UM hactenùs venerabilis Sacramenti dignitatem & amplitudinem ex reali Corporis Christi in ipso præsentiâ profectam ad refellendas Sacramentariorum hæreses, & stabiliendam Catholicorum fidem longiore cum Calvinistâ colloquio astruxerimus, ut & Calvinistæ, vel ipsis suorum sodalium testimoniis revicti sese ad meliorem frugem reciperent Catholicam veritatem amplexi, & ipsi Catholici discerent quo animo cælestem cibum, seu panem Angelorum, id est Corpus Christi capessere oporteret; jam ad legitimam ejus perceptionem explanandam, & ad dispositiones hujusmodi perceptioni necessarias singillatim edisserendas, implorata sancti Spiritus ope & gratiâ aggredi necesse est; sit itaque

---

QUÆSTIO I.

Utrum Christus speciale de Corporis sui in Eucharistiâ perceptione preceptum indixerit; & quo tempore olim hujusmodi preceptum fideles obligaverit, & nunc obliget.

Prima Conclusio.

CErtum est Christum Dominum indixisse præceptum, quo fideles omnes ad sui Corporis perceptionem obligavit. Hujusmodi præceptum promulgavit ipse Christus Jesus Joan. cap. 6. v. 54. *Amen, amen*, inquit, *dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nobis non latet hunc locum ab nonnullis sic intelligi, ut dicant manducare Carnem Christi, & bibere ejus Sanguinem, nihil aliud significare quam incorporari mystico ejus Corpori, quod est Ecclesia, sivè id per Baptismum, sivè per Eucharistiam, sivè aliâ quacumque ratione efficiatur. Et hunc sensum tradit S. Aug. in cap. 6. Joan. explicans citata à nobis ejusdem capitis verba. Item lib. 3. de peccator. meritis cap. 4. Idem tradit sanctus Innocentius Papa I. in Epistolâ quæ est inter Augustinianas 93. ad Concilii Milevitani Patres inscriptâ. Sed iste sensus nihil prohibet quominùs allata Christi verba intelligantur de præcepto quo Christus omnes etiam parvulos suam ipsius Carnem manducare jussit. Siquidem ut testatur Hugo de sancto Victore lib. 2. de Sacramentis cap. 20. Ex Augustino, inquit, nulli est aliquatenùs ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismo membrum Corporis Christi efficitur. Nec alienatur ab illius panis consortio, infans etiamsi antequam illum panem comedat, & Calicem bibat, de hoc sæculo in unitate Corporis Christi decadat. Adrianus de Sacramento Baptismi art. 2. intelligit sanctum Augustinum de spirituali manducatione, quæ fit per fidem & charitatem ut patet de consecrat. distinct. 4. cap. nulli.

Ex allato igitur sancti Joannis loco rectè colligitur percipiendæ Eucharistiæ præceptum ad omnes nullo discrimine fideles, ad ipsos etiam parvulos statim atque baptizati sunt, porrigi & impleri, atque adeò rectè eos sancti Augustini mentem assecutos esse, qui dixerunt infantulos regenerationis Sacramento initiatos participes fieri Corporis & Sanguinis Christi Domini eo nomine, quod per illud ipsum regenerationis Sacramentum ejusdem Christi membra efficerentur.

Illud ipsum de Corpore Christi in Eucharistiâ percipiendo præceptum rectè colligitur ex verbis Christi inter ipsam v. Sacramenti institutionem imperantis id factitari, quod ipse fecerat: Nam ut testificatur Apostolus 1. Cor. cap. 11. v. 24. & 25. factâ sui Corporis & Sanguinis consecratione jussit idipsum fieri quod ipse fecerat, id est suum Corpus & Sanguinem consecrari & ipsum Corpus consecratum manducari, & similiter suum Sanguinem potari. Quâ in re duo præcepta contineri supra observavimus. Nam Apostolos ut Christianos, utpotè qui omnes Fideles ad Ecclesiam secuturis suum temporibus aggregandos in tali cœnâ repræsentarent, ipsius Corpus manducare & Sanguinem suum bibere jussit: ipsis autem, quos tunc ad supremi sui Sacerdotii societatem assumpsit, Corpus & Sanguinem suum consecrare & in Sacrificium ad annuntiandam ipsius mortem donec veniret, æterno Patri offerre verbis luculentissimis imperavit.

Hujusmodi igitur præceptum duplex Sacerdotes ad Sacrificium factitandum, & ad Corporis & Sanguinis Christi ab ipsis consecrati perceptionem, laicos verò ad unam dumtaxat sui partem nempè ad ejusdem sacrosancti Corporis & Sanguinis perceptionem obligat.

Christus igitur in eâ v. Sacramenti institutione affatur Apostolos, & in eorum personâ Sacerdotes, ut

sui corporis mysteria conficiant, offerant, sumant, distribuant; Laicos autem ut eadem ipsa mysteria de eorumdem sacerdotum manu percipiant.

Secunda Conclusio.

Ad generale Christi Domini præceptum (quod est divinum positivum) quo omnibus adultis sui compotibus Corporis ejusdem Christi Sacramentalis perceptio indicitur, accessit speciale præceptum, quo Ecclesia determinavit quando, & quoties Eucharistiæ Sacramentum ab fidelibus accipi oporteret. Hujus præcepti executio pro varia Christianorum dispositione variavit. Nam

1. In ipso Ecclesiæ nascentis exordio quando magna vigebat devotio fidei Christianæ statutum fuit ut quotidiè fideles communicarent, ut ait S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. ad 5. Revera primi fideles accepto Spiritu sancto erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus, ut legere est Act. c. 2. v. 42. Hujus autem Communionis quotidianæ Apostolicum extitisse præceptum testatur nonus, vel ut aliis placet, decimus Apostolorum Canon in hæc verba: Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes Communione privari necesse est.

Omnes videlicet communicabant, qui intererant mysteriorum celebrationi, cui nemo intererat, quin offerret, nemo offerebat, quin pariter communicaret. Si quis autem huic officio deesset, saltem in pœnitentium ordinem detrudebatur. Ex hoc Canone, ut id obiter dicam, tres Missæ partes colliguntur, quarum prima posita erat in recitatione scripturarum, & prædicatione Episcoporum, cui & infideles adesse poterant. Secunda in precibus quæ super Catechumenos & pœnitentes recitari consueverant. Tertia denique consistebat in sacrificio, & hujusmodi pars inchoabatur ab oblatione, & dicebatur Missa fidelium. Quicquid sit, ex hoc Canone constat præceptam fuisse quotidianam illam fidelium communionem, siquidem eos, qui sanctam communionem non percipiebant, ab fidelium cœtu segregandos esse decernit.

2. Anacletus si bene refertur à Gratiano de consecr. dist. 1. cap. Episcop. & dist. 2. cap. peractâ. *Peractâ*, inquit Anacletus, *consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Hoc Decretum refert etiam S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. jam citato ad 5.

Hujusmodi quotidianæ Communionis consuetudinem suo tempore Romæ viguisse testatur S. Hieronymus Epist. 50. Item eamdem consuetudinem in Hispaniâ invaluisse declarat Epist. 28 ad Lucinium Bœticum inscriptâ. Illam ipsam quotidianæ Communionis consuetudinem viridi observantiâ in Ecclesiâ Orientali valuisse colligi potest ex S. Joanne Chrysostomo Hom. 3. in Epist. ad Ephes. Quorsùm enim eo loco ita loqueretur: *Frustra assistamus altari: nemo est qui participet: hæc dico, non ut solum participetis, sed ut vos dignos reddatis. Non es dignus sacrificio, neque participatione; ergo nec prece. Audis præconem stantem & dicentem: quicumque estis in pœnitentiâ, abite, omnes, qui non participant, sunt in pœnitentiâ. Et paulò post: venit quotidiè* (Christus) *ut videat accumbentes, omnes alloquitur, & nunc in vestrâ dicit conscientiâ; Amici quomodo hic statis non habentes vestem nuptialem? non dixit, cur accubuisti? sed ante accubitum & ingressum eum dixit esse indignum. Non dixit enim cur accubuisti? sed cur intrasti? hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter & inverecunde stamus. Quicumque enim est, qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat, & nimis audacter.* Hæc ibi.

3. Circa annum salutis 260. diminuto fidelium fervore Fabianus Pontifex instituit, ut saltem ter quotannis omnes Christiani communicarent, ut habetur de consecrat. dist. 2. Et si non frequentiùs, ait, saltem in anno ter Laici homines communicent, (nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paschâ videlicet, & Pentecoste & Natali Domini. Huic Fabiani Decreto congruit Concilii Agathensis Canon 18 in hæc verba conceptus: sæculares qui in Natali Domini, Paschâ & Pentecoste non communicaverint Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. Hunc Canonem legere est de consecrat. dist. 2. c. sæculares.

4. Denique Concilium Lateranense IV. ex 400. Episcopis conflatum anno Redempt. 1215. sub Innocentio Papâ III. celebratum, consuetudinem semel quotannis in Paschali solemnitate communicandi, quæ ubique terrarum inoleverat, convertit in legem, ut patet ex vulgatissimo illo Canone, *Omnis utriusque sexus*, &c. quo annua confessio proprio sacerdoti vel alieno priùs a proprio sacerdote impetratâ veniâ, factitanda indicitur, sicut & Eucharistiæ perceptio ad minus in Paschâ celebranda, nisi ab imperatâ ejus perceptione illum proprius sacerdos abstinere oportere censuerit.

Quispiam gravis Author, qui paulò antè hujusmodi Concilii celebrationem scripsit, de tali consuetudine sic loquitur: *Nunc autem*, inquit, *quoniam dies mali sunt & omnes ferè declinaverunt, & inutiles facti sunt, non audeo dicere ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tantâ permissione ipsius introductum est, ut semel in anno congregentur in Ecclesiâ, quod preterire fas non est.* Hæc ille.

Talem igitur consuetudinem, quæ non ex præcepto, sed ex tacitâ Ecclesiæ permissione apud fideles invaluerat, legis authoritatem corroboravit usus, ita ut ipsam nemo fidelis citra crimen refringere valeat.

Illum ipsum Concilii Lateranensis Canonem sub anathematis interminatione sanxit Concilium Tridentinum sess. 13. Can. 9. *Si quis*, inquit, *negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Ex dictis hactenùs rectè colligitur

Tertia Conclusio.

Non solùm fideles generali præcepto ab ipso Redemptore promulgato ad ipsius carnem in v. Sacramento saltem spiritualiter manducandam obligantur, sed etiam astringuntur ad ejusdem carnis manducationem celebrandam eo ipso tempore, quod speciali Ecclesiæ præceptum constitutum est, nisi eos ab sacrâ communione gravibus de causis viri docti prudentisque judicio abstinere oporteat. Ex hujusmodi conclusione quatuor inferuntur corollaria.

Primum Corollarium.

Quisquis gravioribus seu lethalibus peccatis implicatus, nec ab iis per legitimos pœnitentiæ labores purgatus, & verâ Dei dilectione animatus, Christi Corpus in Paschate percipit, non satisfacit præcepto Ecclesiæ; quis enim dicat filium malè erga patrem animatum, ipsi obtemperare si vel ejus mandata exequendo in ipsius offensam incurrat? hunc igitur hominem lethalibus vitiis inquinatum non satisfacere præcepto Ecclesiæ multa persuadent.

1. Præfatum Ecclesiæ præceptum est quædam explicatio & determinatio præcepti divini, quo quilibet fidelis rationis compos Corpus Christi in Eucharistiâ percipere imperatur, ergo talem præcipit communionem, qualem ipse Christus præcepit, id est sanctam, cum fide, spe & charitate, & aliis Christianis virtutibus conjunctam. Neque enim ab sui sponsi spiritu

ullatenùs desciscere potest. Unde Canon, *Omnis utriusque sexus*, &c. ita de re propositâ loquitur: *Et suscipiat* (fidelis) *reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*.

2. Ecclesia actus internos vel directè vel indirectè præcipit: si directè haud dubiè internas animi dispositiones ad communionem ritè obeundam idoneas & necessarias imperat: si autem indirectè quatenùs scilicet actus interni cum exterioribus, quos præcipit, sunt conjuncti, proculdubiò præcipiendo communionem, indirectè præcipit internas dispositiones, quibus ritè Corpus Christi & dignè Deo percipi valeat. Sivè igitur directè sivè indirectè actus internos ad dignam communionem necessarios injungat, nemo ejus de anniversariâ communione præceptum implere potest, quin abdicatâ omni peccandi voluntate, Christum Jesum ex toto corde, & ex totâ animâ & ex totâ mente diligat.

3. Quemadmodum naturæ suum cuique vitam idoneo victu tueri præcipientis mandato non satisfaceret, quisquis ad victum, cibum & potum nihil sibi profuturum, imò pernicialem & graviter obfuturum adhiberet: ita nec Christianus Christi & Ecclesiæ ejusdem Christi Corpus percipere jubentis mandato satisfacit, qui sacro sanctam illam carnem, quam ad æternam salutem assequendam comedere debuerat, præposterâ animi præparatione, atque adcò sacrilegâ communione suam in perniciem converrit.

Secundum Corollarium.

Fideles non solùm tenentur cōmunicare in Paschate, seu Paschali tempore, (quod juxta declarationem Eugenii Papæ IV. comprehendit Dominicam Palmarum & sequentes dies usque ad Dominicam in albis inclusivè) verum etiam in loco debito communicare tenentur, id est in suâ Parochiâ: ita ut peccent lethaliter nisi in aliquo quindecim dierum Paschalium inter Dominicam Palmarum & Dominicam in albis intercurrentium in ipsâ communicent. Quod quidem docent vel ipsi, qui alioquin pro privilegiis veluti pro aris & focis dimicant. Hic verò (ait Suarez in 3. part. q. 80. art. 11. disput. 70. sect. 2.) advertendum est teneri fideles ad hoc præceptum servandum Eucharistiam sumere de manu proprii Pastoris (per quem diximus 3. part. intelligi Parochum) aut alterius, qui vicem ejus gerat, seu de ejus facultate.

Idem docet Toletus Instruct. Sacerdot. Lib. 6. c. 17. num. 1.

Notandum tamen quod licet Parochianus quivis aut devotus præcepto satisfaceret communicando in aliquo ex diebus quindenæ Paschalis, non propterea tamen ei licet ipsomet die Resurrectionis alibi communicare, quam in suâ propriâ Parochiâ de manu sui Parochi aut Vicarii ejus. Et ideò nec potest illo die communicare de manu Religiosorum privilegiatorum.

Nam Leo Papa X. tametsi privilegiatis Eucharistiæ quolibet anni die ministrandi facultatem fecerit, diem tamen Dominicæ Resurrectionis exemit. Idem resolvit Congregatio Cardinalium ann. 1586. Concordat Navarrus Man. cap. 21. num. 52. ut & Azorius Tom. 1. Lib. 7. cap. 41. quæst. 7.

Poteramus hîc uberiùs pertractare quæstionem seu controversiam de obligatione annuæ confessionis proprio sacerdoti, id est Parocho juxta Canonem omnis utriusque sexûs, &c. vel alteri de ejus licentiâ factitandæ, sicut & de obligatione communionis in propriâ Parochiâ Paschali tempore peragendæ, sed quia id ab pluribus jam satis superque factitatum est, ad alia properandum esse duximus. Si quis tamen hæc de re plura desideret, legat Theophilum Parochialem, seu Parochophilum ab R. P. Bonaventurâ Bassean Prædicatore Capucino luculenter elaboratum & ann. 1636. Duaci excusum, & ann. 1650. Parisiis recusum & editum. Ibi enim deprehendet quænam officia quilibet fidelis in propriâ Parochiâ persolvere teneatur.

Tertium Corollarium.

Cum omnes fideles ad minus in Paschâ communicare teneantur, tenentur Paschalem communionem anticipare, si prævideant notabile quodpiam impedimentum propter quod vel nonnisi post longum ab Paschali tempore, spatium communicare valeant.

Ratio hujus conclusionis est evidens; si enim quispiam fidelis nullo pacto communicaret, proculdubiò Ecclesiæ semel in anno Paschali tempore communicare præcipientis mandatum infringeret, quod & faceret, si in longius post Pascha tempus communionem extraheret, si v. g. sineret elabi octo vel decem menses ab ipso Paschate, quia præceptum de Christi Corpore semel quotannis suscipiendo promulgatum haud dubiè violaret. Cum igitur in isto rerum articulo adeat periculum violandi præfatum annuæ communionis intra quindecim Paschalis temporis dies peragendæ præceptum, nemo inficiari potest, quin Paschalem communionem anticipare teneatur: Si enim juxta Canonem *Omnis utriusque sexûs*, &c. potest quilibet fidelis ex proprii sacerdotis, vel alterius ab eo delegati consilio & arbitrio propter legitimum impedimentum Paschalem ipsam communionem in aliud tempus rejicere, quidni & illam propter legitimum etiam impedimentum, quod eventurum prospicit, antevertere seu anticipare poterit?

Corollarium quartum.

Ex proximâ conclusione sequitur etiam eum, qui communionem, quam in Paschate obire debuerat, omisit ad eam communionem pro isto eodem anno obligari. Neque enim hic locum habet eorum opinio qui dicunt, dum aliquid præcipitur cum determinatione temporis, eo elapso cessare obligationem, v. g. obligatio audiendæ Missæ die Dominico, ut ratiocinantur, jejunium tali die servandi, horas recitandi elapsis diebus, quibus indicta erat, extinguitur.

Non, inquam, valet ista ratio hoc in casu. Nam ista omnia sunt onera diei affixa, ita ut obligationis ratio sit talis dies: Confessio autem & Communio non sunt onera diei, nec ratio obligationis earum est tale tempus, sed jus divinum, propter quod Ecclesia utramque secundum substantiam præcipere principaliter intendit. Quemadmodum igitur in contractibus, quando præfigitur aliquod tempus ultra quod solutio extrahi nequeat, si tamen debitor ultra hujusmodi tempus solutionem protrahat, non propterea ipsius solutionis obligatio extinguitur, imò perseverat. Ita in præsenti casu non constituitur annuus Confessioni & Communioni obeundæ terminus, ut utriusque cesset obligatio, sed ut utriusque executio ulteriùs extrahi nequeat.

Quarta Conclusio.

Nemini Theologo dubium est, quin quilibet fidelis Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum veluti saluberrimum viaticum & tutissimum adversus Dæmonum insidias præsidium, in ipso mortis articulo suscipere teneatur. Hac in parte consentiunt omnes, tametsi alii dicant fideles ad istam v. Sacramenti perceptionem in mortis periculo factitandam jure divino obligari, ut Richardus in 4. dist. 12. Durandus dist. q. 2. Gabriel q. 1. Adrianus q. 3. de Confess. ad 3. Alii autem asserant fideles ad id obligari ex perpetuâ Ecclesiæ consuetudine, quæ ex Apostolicâ traditione (ut asserunt insignes Theologi) ad nos usque transmissâ præcepti vim obtinuit. Reverà hujusmodi consuetudinem nemo sine scandalo violare potest: imò si quis

ad ultimam

ad ultimam vitæ lineam adactos deliberatè sanctissimum Sacramentum percipere detrectaret, præter scandalum quod obtruderet fratribus, semetipsum gravissimo peccato constringeret: quippè qui animadvertendâ suæ salutis (quam rebus universis vel ipso jure naturali antefette debet) incuriâ tutissimum, absolutissimum, & potentissimum Viaticum, quod brevi morituris suppeditari possit, non sine aliquo & fortè magno æternæ salutis periculo recusaret. Undè Martyres grassante persecutione deportabant secum v. Sacramentum, illudque percipiebant, ut adversus infensissimos Christiani nominis insectatores impavidi dimicarent: ut proditum est ab gloriosissimo Martyre Cypriano.

Quod ut luculentiùs aperiatur, observandum est Viatici nomine non semper Eucharistiam in Conciliorum canonibus significari. Nam v. g. canon. 6. Concilii Ancyrani de reconciliatione illâ sumi debet, quæ instar Viatici ad salutem satis esset, non autem de Eucharistiâ. Nam in illo Canone agitur de iis qui ingressi sunt pœnitentiæ curriculum, quique in eo decurrendo morte ipsâ intercepti ex hac vitâ migrant. In eumdem sensum accipiendi sunt Canones 76. VII. VIII. IX. Concilii Carthaginensis IV. Siquidem statuunt discrimen inter Viaticum absolutionis & Viaticum Eucharistiæ. Nam Canone 76. decretum est, ut cuivis morienti Viaticum subministretur, quod de reconciliatione, de quâ proximè locuti sumus, intelligendum est. Nam in ejusdem Concilii Canone sequenti, ubi de Eucharistiâ fit mentio, non simpliciter nominatum est viaticum, sed Viaticum Eucharistiæ cum additamento vocitatum est.

Porrò generatim loquendo duo erant Viatici genera, quorum unum Ecclesia tribueret, alterum quod quivis in se accesseret & applicaret, talis erat contritio, eleemosyna, & alia pietatis opera.

Viatici quod Ecclesia largiebatur, duo item erant genera: alia absolutè necessaria ad salutem, talis erat absolutio pœnitenti, & baptismus Catechumeno: alia autem non merè necessaria ad promerendam Ecclesiæ communionem erant illa, quæ conferebantur ad majorem gratiæ accessionem, ut videlicet ille ipse qui moriebatur ad perferendas æquo & forti animo tentationes instructior & munitior redderetur: talis erat Confirmatio, Eucharistia & Extrema-unctio, ut observavit Albaspinæus lib. 1. observat. 11.

Varia Viatici genera, quæ antè attigimus, hic ex Albaspinæo denuo & strictim recensere placuit, ut omnes Eucharistiam Viaticum per antonomasiam appellari rescirent, atque adeò fidelibus periculosè laborantibus esse porrigendam, in ipso præsertim mortis articulo, ut tanti tamque efficacis Viatici vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem in terris sub sacris velaminibus ederint, absque ullo velamine manducaturi, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. Unde magno semper studio cautelâque provisum est, ne quis fidelium acciditi vel lethali morbo conflictatus ex hac vitâ sine saluberrimo hoc Viatico discederet. Inde manavit decretum Concilii Lateran. IV. cap. 22. in hæc verba comprehensum: *Medici ante omnia curent advocare medicos animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur.* Hæc ibi.

Reverà omnes Christiani maximam spem in v. Sacramento ab omni ævo collocarunt, utpotè qui se illo munitos majori fiduciâ ad Christi tribunal asturos esse certissimè crediderunt. Testis est Serapion, cujus historiam suprà ex lib. 6. Historiæ Ecclesiast. Euseb. cap. 44. retulimus. Quid quod sanctus Joannes Chrysostomus lib. 6. de Sacerdot. affirmat animas fidelium qui ante obitum sacro-sanctum Christi Corpus eâ, quâ par est, pietate perceperunt, ab Angelis utrimque stipantibus in cælum importari. His de causis nemini Christiano in ultimâ vitæ lineâ versato denegandum est v. Sacramentum, nisi gravissimas ob rationes illud ipsi subduci oporteat.

Quæret aliquis utrum fidelis qui paucis mensibus, vel diebus communicavit antequam ad mortis articulum adigeretur, denuò imminente mortis periculo communicare teneatur?

Respondeo teneri petere & suscipere sacro-sanctum Christi Corpus (si potest) etiamsi vel graviori morbo, vel aliquo alio casu incurrerit in mortis periculum paucis mensibus vel diebus post Pascha in quo communicavit; quia quamvis Paschalis Communionis præceptum impleverit, non tamen satisfecit alteri præcepto quo cunctis fidelibus brevi morituris Eucharistiæ perceptio indicitur; ideoque ad Communionem in eo mortis periculo seu articulo factitandam obligatur.

Explicato hactenùs præcepto quo quisque Christianus Catholicus sacrosanctum Christi Corpus saltem in Paschate & in ipso mortis periculo percipere tenetur, jam properandum est ad dispositiones, quibus cum ad tantum Sacramentum accedere necesse est, id est explicandum est quo pacto unusquisque sese juxta Apostoli præceptum probare debeat, ut cum fructu & dignè Deo, Christi Jesu Corpus suscipiat. Primò enim sese probare debet homo hunc panem manducaturus respectu peccatorum lethalium pariter & venialium, deinde respectu virtutum, & præsertim dilectionis Dei sine quâ quisquis communicat, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans Corpus Domini. Sit itaque

---

Quæstio II.

Utrum insontes haberi debeant qui Corpus Christi percipiunt in statu peccati lethalis, quo se implicatos esse nesciunt.

Conclusio unica.

Certum est apud Theologos peccare graviter & sacrilegæ communionis crimen incurrere, quotquot communicant in lethalis peccati statu, in quo se suapte culpâ implicatos esse nesciunt.

Hanc Conclusionem luculenter astruit sanctus Thomas 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quod hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati potest contingere per culpam suam: vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum (puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale) vel quia negligens est in examinatione sui ipsius: contra id quod Apostolus dicit 1. Cor. 11. probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Et sic nihilominus peccat peccator sumens Corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.* Hactenùs sanctus Thomas.

Ex pulcherrimo illo Doctoris Angelici loco constat eos qui laborant juris ignorantiâ quæ non excusat, & qui culpabili negligentiâ se lethalis peccati reos esse nesciunt, fieri reos Corporis & Sanguinis Domini, quoties communicant.

Nemo enim sanæ mentis dixerit ob ignorantiam juris excusari ab sacrilegæ Communionis flagitio innumeros homines, qui se in statu peccati mortalis esse nesciunt.

1. Ab isto Sacrilegæ Communionis flagitio apud Deum liberari nequeunt infiniti propemodum homines, quibus nihil est antiquius, quam ut sibi voluntariam offundant caliginem, suisque criminibus latebras quærant: tametsi in peccatum lethale sese immersos esse nesciant.

2. Ab eodem crimine eximi nequeunt innumerabiles avari, qui dum speciosis nominibus usuras præte-

xerunt, arbitrantur se posse illudere Deo sicut & hominibus illudunt.

3. In idem sese flagitium implicant innumeri Sacerdotes & Clerici qui cum ardeant arcanâ opum cupiditate, pauperumque facultatibus locupletari saginarique gestiant, fœdis rerum sacrarum nundinationibus, in quas incumbunt ardentiùs mille technas speciosissimis titulis & coloribus incumbratas obtendunt, ut beneficia, & alia id genus sacta vel sacris annexa vendicare, emere, & defrugare impunè, id est in factitandâ hujusmodi mangoniâ nullâ apud homines simoniæ labe & infamiâ respergi dedecorarique valeant.

4. Illud ipsum sacrilegæ Communionis facinus admittunt plurimi sacerdotes, qui se ab omni scelere immunes existimant, cum ab suâ cupiditate abstracti & illecti nullatenus autem à Deo vocati, nullâ virtute præditi, nullis dotibus ad ædificandam Ecclesiam necessariis instructi, uno temporalium commodorum intuitu grassantur in beneficia & cæco impetu prosiliunt ad regimen animarum, quod ab omni ævo sanctissimi quique viri, velut onus Angelicis humeris formidandum capessere horruerunt.

5. Eodem criminosæ Communionis flagitio sese devinciunt plerique, qui quidem Sacerdotium amplexi sunt, velut plebeiam quandam & sordidam artem, ut ejus adminiculo quæritarent victum, quique vel nusquam, vel rarissimè operarentur sacris, nisi lenocinante decem aut quindecim assium mercede ad aras perpellerentur.

6. Ab eodem crimine eximi nequeunt innumerabiles cujuslibet status & conditionis mulierculæ, quæ quæsitis coloribus ora depingunt, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis, ut loquitur Sanctus Ambrosius, & præterea mundum muliebrem novis quotidiè accessionibus exaggerant, quo in sese omnium convertant oculos, & animos in sui amorem illiciant, atque ita sui aspectu interficiant innumerabiles animas quas inextricabilibus fœdarum libidinum vinculis irretire non desinunt. Hujusmodi fœminas qualescumque sint nemo sapiens ex hominum indignè communicantium numero excerpere poterit, tametsi in statum peccati lethalis se implicatas esse nesciant, imò ab eo statu se procul abesse persuasum habeant.

7. Sacrilegæ Communionis rei sunt quotquot ita sunt affecti ut peccatum admittere, imò sese in omnium libidinum cœno volutare cupiant, si possent impunè æternam Dei legem infringere. hujusmodi homines qualescumque latebras suis Communionibus quærant, debitam suis sacrilegiis pœnam seriùs ocyùs persolvent: ipsorum enim status est mera servilitas, quam omnes Theologi veluti infandam reprobant, ut pluribus probavimus in dissertatione de Pœnitentiâ. Tales igitur homines & ita animati, sunt in statu peccati lethalis, etiamsi se in hujusmodi statu versari nesciant, atque adeò judicium sibi manducant & bibunt, quoties Christi Corpus percipiunt.

Ne quis autem nos hic timorem servilem ab ipso Christo in Evangelio commendatum, ceu malum damnare existimet, meminerit aliud esse quempiam eo animo animatum esse, ut admitteret quodlibet crimen, si eo admisso impunitatem secuturam esse resciscerer; aliud autem ita esse infirmum, ut facilè prolaberetur in peccatum, nisi pœnam suo peccato propositam metueret. Hoc enim pluribus etiam Novi Testamenti filiis accidit, qui quamvis Deum ex toto corde dilectum omnibus anteponant, facilè tamen ab eâ dilectione, & divinorum mandatorum observatione desciscerent, nisi eos pœnæ timor à peccato revocaret.

Unusquisque de hujuscemodi hominibus & infinitis aliis similibus, prout libuerit, sentiat, mihi quoque liberum fore arbitror, quid sentiam eloqui, & sine ullâ tergiversatione profiteri tales personas à nobis proximè depictas, quibus falsò persuasum est se esse ab peccato lethali immunes, indignè manducare Christi Corpus atque adeò non posse effugere cōdemnationem ab Apostolo indignè communicantibus intentatam.

Præterea confidenter asserere ausim sæpenumerò indigniorem hisce hominibus communicare neminem, qui licet suis circumsepti vitiis sese tamen insontes sceletisque puros existimant: eò quod tenebræ eorum animis offusæ, quibus bonum & malum internoscendi vis ipsis adimitur, nihil sunt aliud quam perspicua depravatæ mentis indicia & occulta quædam supplicia, quibus Deus infatigabili lege spargens justas cæcitates super injustas cupiditates (ut loquitur S. Augustinus) eorum peccata prosequitur.

Quod spectat ad alterum caput (de quo S. Thomas) id est ad culpabilem negligentiam quæ ab pluribus in levi desultoriaque, vel præposterâ sui probatione admittitur, nemo dubitat, quin pleræque omnes sacrilegæ Corporis Christi perceptiones ex ipsâ sic tanquam ex teterrimo fonte prosiliant. Cum enim omnes vulgò iique sanctiores existiment illam ipsam sui probationem ab Apostolo commendatam esse dumtaxat positam in accuratâ diligentique suorum flagitiorum investigatione, neminem propemodùm invenire est qui intimos animi recessus & latebras exploret, & interroget conscientiam de vero constantique proposito, quo necesse est pœnitentem, ad assequendam peccatorum veniam, sese ea animo Deo mancipare, ad meliorem frugem sese recipere, æternoque peccati servitutem excutere, & in posterum vivere congruenter voto solennique professioni, cui nos in ipso regenerationis Sacramento, conscribentibus Angelis, ut ait S. Augustinus, astrinximus.

Hoc effatum insigniter Gregorius Papa VII, qui circa sæculum XI. Romanam regebat Ecclesiam. *Quisque*, inquit, *dignè vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque ejus abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia, illi peccatorum suorum remissionem Apostolicâ freti potestate largimur: insuper æternæ beatitudinis gaudia de omnipotentis Dei misericordiâ confisi promittimus.* Hactenùs Gregorius Papa VII. Epistol. lib. 7. Epist. 10.

Cum igitur plerique peccatores animi recessus affectusque negligentiùs discutiant, [illegible] ad venerabile nihilo seciùs Sacramentum accedant, nec animadvertant se sua peccata recogitare eo dumtaxat fine, ut ipsa exinde confiteantur, quod ita præstant, ut ex tali confessione nihil emergat, præterquam quod peccatorum onus memoriæ non autem cordi detrahant. Inde rectè conficitur eum, qui ore dumtaxat non autem corde verè contrito confitetur, non confiteri ut oportet, sed loqui, ut præclarè asserit Nicolaus Papa I. atque adeò hujusmodi homines qui strictim, vel nullatenùs scrutantur latebras cordis in flagitiosos affectus, quos non abdicant, immersi, non posse justificari coram supremo scrutatore cordium, nec posse Corpus Christi percipere, quin novo se sacrilegio constringant.

Ac reipsâ quidem gravi cæcitate percussi sunt, quotquot satis habent sua peccata remetiri, ore tenus confiteri, nec incumbunt in profligandos vitiosos habitus, & affectus, quibus redundant ipsorum corda mirabilem in modum depravata. Si enim vel tantillùm essent oculati, hoc est, si vel tantillùm ratiocinarentur, proculdubiò deprehenderent se sacrilegis communionibus violare Christi Corpus & convertere in suam perniciem cæleste illud manna, quod nobis porrectum est ad salutem. Quis enim credat eo, quo par est, animo eos Christi carnem vivam & vivificam comedere, qui nullam ea hujusmodi manducatione gratiam, nullam opem, nullas vires (quas tamen omnibus ipsam cum debitâ fide, cum firmâ spe, & cum ardenti charitate manducantibus suppeditat) percipiunt, imò effecta tanus

muneribus & auxiliis, quæ v. Sacramentum impertiri solet, omninò contraria perseveratis criminibus ostendunt?

Nam Christi Corpus in hoc mirabili mysterio est tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap 2. Illi autem de quibus sermonem instituimus, perceptâ Christi carne non liberantur à culpis quotidianis, nec præservantur à peccatis mortalibus, imò solitâ facilitate in eadem semper crimina flagitiaque revolvuntur. *Eucharistia sedat (cum per illam in nobis maneat Christus) sævitem membrorum nostrorum legem*, ut ait sanctus Cyrillus Alexandrinus, *illi autem ardentius suorum legi membrorum magis ac magis in eorum cordibus in dies invalescenti mancipantur & obtemperant. Christus in hoc Sacramento ægrotos curat, collisos redintegrat, id ab omni nos erigit casu*, ut testificatur idem sanctus Cyrillus, illi autem v. Sacramenti perceptione non curantur, nec collisi redintegrantur, nec ab omni casu eriguntur, imò lethales ipsorum morbi ingravescunt in dies, & dum alia ex aliis peccant, de integro quotidie colliduntur, & quia Christum Dominum ore suscipiendo, corde sacrilego deserunt, ab ipso vicissim deseruntur, atque ita in omnia peccatorum genera, atque adeò in interitum ruunt sempiternum.

Ex his rectè colligimus eos dignè suscipere Christi Corpus, qui manent in Christo & Christus in ipsis. Et hoc est certissimum dignæ religiosæque communionis argumentum, ut ex ipso Christo discimus: *Qui manducat*, inquit, *meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Unde sanctus Aug. tract. 27. in Joan. *Signum*, inquit, *quia manducavit & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret, ut non deseratur.* Hæc ibi.

Ista igitur Christi verba, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: ex SS. Patrum sententiâ præparationem ad dignam Eucharistiæ perceptionem necessariam pariter & effectum ex illâ ipsâ perceptione proficisci solitum includunt, eò quod istud Sacramentum nos Christo conjungat & nos eidem conjunctos & adunatos esse supponat, alioquin frustrà seu citrà ullam utilitatem illud acciperemus. Quemadmodum enim alimenta ad reficiendas corporum vires adhiberi solita prosunt iis dumtaxat membris corpori adunatis, ita Christi Corpus cæleste animarum alimentum prodest iis dumtaxat, qui in ejus Corporis compage, ceu viva membra, id est sancto ejus Spiritu animata perstiterint.

Indè duo eaque pulcherrima pronuntiata extrahuntur: quorum

Primum docet nos cum ad manducandam Christi Carnem nos in ipso Christo manere oporteat, ut asserit sanctus Augustinus, eam præcipuamque penes nos curam excubare debere, ut ante sacrosanctam communionem verè in Christo maneamus: Id est juxta vim istius verbi strenuâ bonorum operum exercitatione fixam & stabilem in Christo sedem mansionemque comparaverimus, non autem temporariam dumtaxat habitationem ex levi quapiam conversione sæpenumerò existentem, unde anima nihil permanens & solidum capiat.

Alterum est quod Eucharistia nostram in Christo habitationem fixam & stabilem constituere debeat, ita ut in ipso, id est in ejus charitate radicati & fundati, nec ipsum deseramus, nec ab ipso deseramur. Præclarè ergo sanctus Augustinus, ut paulò antè vidimus, affirmat legitimam dignamque Communionem ab spuriâ sacrilegâque discerni in eo quod Christus in nobis maneat, & nos vicissim in ipso maneamus: Unde maximè metuendum est, ne plerique, qui exiguo ab Eucharistiæ perceptione spatio, ab saluris itinere in præterita flagitia revolvuntur, Christi Corpori vim intulerint, & in nefariæ communionis sacrilegium incurrerint.

QUÆSTIO III.

Utrum peccata lethalia ante sacram Communionem pœnitentiæ laboribus expiari oporteat?

COmmunis est SS. Patrum sententia neminem lethalium peccatorum conscium ad Eucharistiæ Sacramentum accedere oportere, quin priùs hujusmodi peccata per aliquod tempus pœnitentiæ laboribus expiaverit. Ea est proculdubio mens Ecclesiæ quæ communionis anniversariæ præceptum ad Paschæ solemnitatem determinavit; ut scilicet fideles per totam quadragesimam pœnitentiæ laboribus perfuncti Christi Corpus in Paschate dignè Deo perciperent. Nam licet Ecclesia communionis annuæ præceptum solemnitati Paschatis affixerit; non tamen annuæ Confessionis præceptum illo ipso Paschatis tempore impleri se velle significavit. Ista duo videlicet præcepta ab invicem sejunxit, ut homines de peccatis lethalibus confessi non statim ad Eucharistiam prosilirent, sed in pœnitentiæ labores toto anni curriculo, si vellent, incumberent, nec ante Pascha ad sacram Corporis Christi participationem accedere tenerentur. Unde ab ipsius Ecclesiæ mente deflectere videntur, imò penitùs deflectunt degeneres quidam Confessarii, qui quosdam homines ex omnium veluti criminum colluvione concretos ceu nullatenus conversos, confitentes audiunt, absolvunt, & ad Corporis Christi participationem nullâ morâ interpositâ protrudunt. Hujusmodi, inquam, homines aberrant à mente Ecclesiæ, quæ post diuturnos pœnitentiæ labores ab peccatoribus totis duodecim sæculis exantlari solitos, posteà hac indulgentiâ Christianos lethalium peccatorum conscios impertiit, ut transactâ in factitandis pietatis operibus quadragesimâ in Paschate communicarent.

Quod ut exequerentur sanctiùs & fructuosiùs; eos sæpenumerò invitavit, ut morem ineunte quadragesimâ confitendi studiosiùs retinerent, licet nullum ex præcepto confessioni annuæ determinatum tempus assignasset.

Hunc morem confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore quadragesimæ in universâ Ecclesiâ cum ingenti animarum fidelium fructu observari tradit Concilium Tridentinum sess. 14. de pœnit. cap. 5. eumque morem utpotè salutarem & pium & meritò retinendum sancta ipsa Synodus se maximè probare & amplecti perspicuè contestatur.

Hujusmodi consuetudinem verè piam & religiosam & œcumenici Concilii oraculis approbatam in præposterum sensum detorquent plerique Christiani, qui arbitrantur se satis superque æternæ suæ saluti consulere, si exeunte quadragesimâ perfunctoriè confiteantur: quâ in re graviter allucinantur. Nam ut observavit Cardinalis Bellarminus in notis ad Decreta Concilii Tridentini in ipsius Bibliothecâ repertis: *Non in fine quadragesima*, inquit, *confitendum est, ut abusus irrepsit, sed initio hujus temporis, ut olim rectè constitutum fuerat.* Hæc ille.

Hujus constitutionis indicia deprehendi possunt apud Burchardum lib. 19 decret. de pœn. cap. 1. ex Pœnitentiali Romano in hæc verba: *Hebdomadâ priori ante initium quadragesima Presbyteri plebium convocent ad se populum, & discordantes canonicâ authoritate reconcilient, & omnia jurgia sedent: & tunc primùm confitentibus pœnitentiam dent: ita ut antequam caput jejunii veniat, omnes confessi pœnitentiam acceptam habeant, ut liberiùs dicere possint, dimitte nobis debita nostra.* Hæc ille.

Idem testatur Alcuinus, qui floruit anno 813. sic enim loquitur in lib. de divinis Officiis cap. 13. *Imprimis*, ait, *prænonere debent Sacerdotes omnes Christianos ex sacris Scripturarum testimoniis, quatenus in capite jejunii id est hodie* (diem Cinerum designat) *ad veram confessionem veramque pœnitentiam festinantiùs accedant.* Hæc ille.

Idipsum testatur Petrus Comestor seu manducator, qui Concilium Lateran. IV. toto quinquennio supra quadragesimum annum antecessit: *Cum initio jejunii*, inquit, *debes esse initium confitendi. Unde in fine quadragesimæ de ablutione pedum Discipulorum legitur, vel dicitur; qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Non dixit: qui lavandus est, sed, lotus: nec dixit: nisi ut faciem, & pedes lavet, sed tantùm pedes. At si dicat; In principio jejunii debes quis criminalia peccata purè & humiliter confiteri: in fine venialia quæ contraxit.* Hæc ille serm. 18.

Hunc locum nonnulli aliuquin eruditi velut ex Petro Blesensi promptum laudavere secuti videlicet Busæum, qui Petri Comestoris sermones sub nomine Petri Blesensis edidit. Cum enim in unico exemplari quod ipsi Lovanio missum fuerat legisset hunc titulum, Sermones Magistri Petri, suspicatus est esse sermones Petri Blesensis, quos tamen esse genuinos Petri Comestoris fœtus egregiè demonstravit Petrus de Gussanvillâ Presbyter Carnotensis vir egregiè doctus, & pius in præfatione ad lectorem quam præfixit operibus Petri Blesensis ab ipsomet studiosè conquisitis, laboriosè recognitis, & feliciter editis ann. sal. 1667.

Hujus constitutionis meminit Theodulphus Episcopus Aurelianensis in monitis ad suæ parochiæ sacerdotes inscriptis ann. sal. circiter 835. sic enim loquitur in admonit. 36. Hebdomadâ, inquit, unâ ante initium quadragesimæ confessionis sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi & omnia jurgia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberiùs dicant, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et sic ingredientes in beatæ quadragesimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Et quia post baptismum peccator denuò non potest baptizari, hoc pœnitentiæ medicamentum à Domino datum est, ut per eum vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti seu expiari scripturæ sanctæ demonstrant.

1. In baptismo qui propter remissionem peccatorum datus est.

2. Per martyrium.

3. Per eleemosynam juxta Danielem qui profano Nabuchodonosor regi ait: peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum: & illud, ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccatum. Et Dominus in Evangelio: verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

4. Si remittat quis peccanti in se peccata sua juxta illud, dimittite & dimittetur vobis.

5. Per prædicationem suam si quis, & per bonorum operum exercitium alios ab errore suo convertat, juxta illud quod ait Apostolus: quoniam si converti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, cooperiet multitudinem peccatorum.

6. Per Charitatem juxta illud, Charitas Dei cooperit multitudinem peccatorum, Per Jesum Christum Dominum nostrum.

7. Per pœnitentiam quadragesimali tempore ut cum maximè peragendam. Hæc ille ipse Theodulphus.

Hujusmodi veritatem pœnitentiam scilicet in Quadragesimâ esse strenuè obeundam docet egregiè S. Thomas, vel ut aliis placet, Albertus magnus in Opuscul. 21. aliàs 58. cap. 16. Hinc statuti sunt, inquit, ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, ut his peractis in jejuniis & orationibus, & continentiâ, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis. Hinc super illud 1. ad Corinth. 11. 31. si nosmetipsos dijudicaremus &c. dicit Augustinus: Ab ipsâ mense pœnitentis talis sententia proferatur, ut se indignum judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini, ut ad tempus per ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis separetur. Indignè enim accipit, si tunc accipit, cum debet agere pœnitentiam, id est quando incipit. Ergo se priùs judicet, ut à se judicatus non judicetur à Domino. Hæc ibi S. Thomas, vel Albertus magnus in citato Opusculo, quod de Sacramento Altaris inscribitur.

Quid quod Concilium Tridentinum satis superque indicat oportere fideles Quadragesimæ tempore confiteri, cum sess. 14. de pœnit. can. 8. interminatur anathema, iis qui dixerint suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ.

Concilium autem non esse intelligendum de fine quadragesimæ, sed de initio, satis superque declarat S. Carolus quo fideliorem ejusdem Concilii interpretem habemus neminem: siquidem in Concilio Mediolan. 5. sub titulo, Quæ pertinent ad sacrament. pœnit. administrationem indicit Parochis ut sæpè cohortentur & moneant fideles, ne confessionem, quæ Paschæ tempore fieri debet, usque ad sanctam hebdomadam differant. Et in Act. Eccles. Mediolan. Tit. de sacram. pœnitentiæ. Parochus, inquit, ante quadragesimam moneat fideles parochiæ suæ qui confessionis frequentem usum non habent, quemadmodum decreto Concilii Provincial. V. jubetur, ut se ad confessionem parent; neque eam differant in postremos quadragesimæ dies. Prætereà vetat ne hujusmodi homines admittantur ad pœnitentiæ sacramentum postremis illis quadragesimæ diebus in pœnam socordiæ & incuriæ, quâ confessionem in tantum temporis spatium extraxerunt. S. Caroli exempla secuti plures Episcopi laudabilem illam consuetudinem habitis Conciliis in usum revocare studuerunt.

Id videre est in Synodo Diœcesanâ Cameracensi ab Maximiliano de Bergis celebratâ. Quia verò (verba sunt Concilii) salutis suæ tam sunt quidam immemores tamque ad omnem virtutem tardi, ut protrahant quantum possint suorum peccatorum confessionem in proximos ultimosque dies festos paschæ, imò horas, cum maximo pastorum & divini officii impedimento. Idcircò admoneri omnes volumus, ut à principio quadragesimæ se ad peccatorum confessionem præparent, ac dignis pœnitentiæ operibus vacent. Hæc ibi.

Idem edictum promulgavit Concilium Bituricense ann. 1584. siquidem Titul. 21. can. 10 indicit omnibus qui curam animarum habent, ut ab initio Quadragesimæ confessiones incipiant audire, ut advenien̄te festo Paschæ omnes fideles Eucharistiam suscipiant. Hæc ibi.

Prætereà Tit. 22. de Eucharistiâ Can. 5. vetat ne quis accedat ad v. sacramentum, quin priùs per contritionem, confessionem & per opera satisfactoria seipsum probaverit. Nemo, inquit, sine contritione, confessione & satisfactoriis operibus dignè præmunitus ad Eucharistiam sumendam accedat. Hæc ibi.

Idipsum factitarunt & alii complures Episcopi, quorum edicta eamdem consuetudinem instaurantia prolixitatis vitandæ gratiâ prætereo.

Hæc omnia à nobis uberiùs recitata, eò spectant ut omnes verè Christiani persuasum habeant sibi non licere Christi Corpus in Eucharistiâ percipere, quin priùs dignis pœnitentiæ laboribus peccata lethalia, quorum se conscios norunt, expiaverint. Quod & insigniter astruit Maldonatus Jesuita in cap. 13. Joan. quippè qui per ablutionem pedum, quâ Christo Apostolos repurgare placuit, pœnitentiæ sacramentum cum Cypriano intelligi oportere asserit.

Mihi Cyprianus, inquit, verum hujus lotionis mysterium videtur enucleasse, nempè hæc pedum ablutione sacramentum pœnitentiæ significari, qui velut secundus quidam baptismus est, quia nostris quodammodo lachrymis iterùm baptizamur. Pœnitentiam igitur antequam ad percipiendam Eucharistiam accedamus, agendam nobis esse: probet enim seipsum ho-

mo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hoc esse, qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, id est qui jam baptizatus est, non indiget, ut iterùm baptizetur, sed ut pedes lavet, id est ut agat pœnitentiam eorum peccatorum, quæ post Baptismum, ut Augustinus & Bernardus dicunt, in terrâ, id est inter res humanas gradiens admisit, & quæ veluti lutum & pulvis ejus pedibus adhæserunt. Hinc una intelligitur causa quamobrem per lotionem potiùs pedum, quàm alterius partis pœnitentia significetur. Alteram Cyprianus reddit, quod pedes ultima atque infima pars hominis sint, & debemus per pœnitentiam, non solùm summa quæque flere peccata, sed usque ad ultimas infimasque conscientiæ nostræ partes descendere, intimas quasque animi nostri cogitationes excutere atque purgare. Suprà diximus, inquit ille, semel lotos baptismate, eodem lavacro ulteriùs non egere: sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum & jugis retractatio usque ad novissima veniens, & omnia debet opera cogitatus singulos perscrutari, & affectus per vitia discurrentes vagam instabilemque animam per inania evehentes corrigere & lavare: Neque quicquam in vitâ prætermittere indiscussum, quod gemitibus & suspiriis non fuerit expiatum. Eodem modo videtur Gregorius interpretari. Certè intelligendum hoc putat de pœnitentiâ & Pacianus. Hæc ibi Maldonatus.

Cum hactenùs ostenderimus eam esse Ecclesiæ mentem, ut Christiani peccatorum lethalium conscii ineunte quadragesimâ confiteantur, quo sacro illo tempore pœnitentiæ labores inter jejunandum obeant, & in opera pietatis incumbant. jam operæ-pretium quo pacto jejunare, & cum jejunio quas mortificationes sibi indicere, & ad quæ præsertim opera animum appellere debeant.

Sit itaque

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit jejunium ab Ecclesiâ imperatum.

UT huic quæstioni cum aliquâ methodo respondeatur, observandum est jejunium multifariam dividi. Nam

Jejunium, quod rectè definitur, parsimonia major quam communis temperantiæ regula postulet, aliud est naturale, aliud medicinale, aliud Philosophicum, aliud morale, aliud spirituale, aliud pœnitentiale, aliud denique Ecclesiasticum. Quæ omnia singillatim sunt definienda.

Jejunium naturale est omnimoda externi cibi & potûs per fauces in stomachum trajecti abstinentia, quæ ab mediâ nocte inchoatur. Unde Sacerdotes postridie celebraturi sicut & Laici communicaturi ab mediâ nocte nihil cibi aut potûs adhibere possunt, alioquin infringerent legem Ecclesiasticam quâ utrisque, id est sacerdotibus celebraturis, & Laïcis communicaturis naturale jejunium indicitur. *Hoc enim placuit Spiritui sancto* (ut ait S. Augustinus Ep. 118.) *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per universum orbem mos iste servatur.* Et pauló post: *Non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Hactenùs S. Augustinus Epist. citatâ.

Jejunium medicinale illud est, quo quis ab esculentis poculentisque, vel ad tuendam, vel ad recuperandam corporis sanitatem abstinet.

Jejunium Philosophicum illud est, quo quispiam ab cibo & potu abstinet, ut animo nullis cibi aut potûs vaporibus infuscato liberiùs & expeditiùs in pervestiganda, vel rerum naturalium, vel divinarum arcana incumbere valeat. Unde Ecclesiastes cap. 2. v. 3. dicit: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam devitaremque stultitiam.*

Jejunium morale est voluntaria ab cibo & potu abstinentia, quæ ad alicujus finis moraliter boni assecutionem assumitur, ut si quis jejunet ad comprimendos rebellantis concupiscentiæ motus, &c.

Jejunium spirituale illud est, quo quis sese à peccatis abstinet.

Jejunium pœnitentiale illud est, quo quis sibi cibum potumque delectabilem abjudicat, ut tali abstinentiâ Dei iram ipsius criminibus accensam placare & eorumdem criminum remissionem impetrare valeat.

Jejunium denique Ecclesiasticum est voluntaria cibi, & potûs abstinentia quâ sese macerant fideles juxta Ecclesiæ præscriptum

His ita constitutis jam quomodo illud jejunium observari, id est quibuscum rebus conjungi debeat, seu quid in toto quadragesimali tempore fugere, quid amplecti, & factitare oporteat. Sit itaque

---

QUÆSTIO V.

Quibus præsertim in operibus Christiana Quadragesima transigi debeat?

QUibus potissimùm operibus toto quadragesimæ spatio Christianos insistere oporteat, satis superque declarat Ecclesia, utpotè quæ in ipso jam tum sanctissimi illius temporis exordio nobis Christum Dominum in deserto jejunantem, cum diabolo dimicantem, de diabolo triumphantem, & tandem cibis ipsi Angelorum ministerio porrectis, epulantem exhibet.

Ut igitur ritè quadragesima decurratur, oportet nos aspicere in Authorem fidei & consummatorem Jesum, & pro viribus imitari quicquid ab eo gestum est in deserto per quadraginta dies & noctes, quibus illud incoluit.

1. Igitur ductus est in desertum ut tentaretur à diabolo, nobisque mundum fugiendum esse suo in desertum secessu patefaceret.

2. Jejunavit, & oravit, & misericordiam in homines exercuit.

3. Cum diabolo dimicavit, & illum gladio spiritus, quod est verbum Dei, profligavit.

4. Denique cibos sibi ab Angelis porrectos adhibuit.

§. *Primus.*

1. Igitur si Christianam quadragesimam, sicut oportet, celebrare delectat, nobis fugiendum est sæculum omnibus corruptelarum generibus inquinatissimum. Unde S. Petrus Epist. 2. cap. 1. v. 4. *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Si quis igitur ad divinæ naturæ consortium & participationem provehi capiat, & in solitudine, ut loquitur S. Augustinus, deificari, fugiat sæculum, id est omnia peccata quibus redundat, & in uno Deo omnem spem suam collocatam habeat.

Ubi primum dicimus fugiendum esse sæculum, illicò omnes ejusdem sæculi filii sibi ob oculos proponunt vastam quamdam solitudinem ab omni mortalium commercio dejunctissimam, in quam unumquemque salutis procurandæ gratiâ sese recipere oporteat. Verum hunc illis errorem eripit S. Ambrosius in lib. singulari de fugâ sæculi cap. 8. *Fugiamus hinc*, inquit, *potes animo fugere, etsi retineris corpore. Potes hîc esse & adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide non specie vias eius sequaris: si ad ipsum confugias. Est enim refugium & virtus, cui dicit David, ad te confugi, & non sum deceptus.* Et pauló post. *Quid ergo confugimus ad Deum ad mundum revertemur? qui peccato mortui*

sumus, peccata repetemus? qui renuntiavimus sæculo & usui ejus, iterum in luto ejus hærebimus? fugimus hinc, quia tempus breve est. Audi quomodo fugias. Et qui habent uxores, ita sint, ac si non habeant, & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui hoc mundo utuntur, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Non ergo cum prætereunte figurâ mundi, opera nostra prætereant, ne etiam ipsi prætereamus, sed in veritate, id est in Christo maneamus. Itaque si volumus non præterire opera nostra, non prætereamus mandata Dei, non prætereamus requirendi Jesu Domini diligentiam, emerendi ejus gratiam. Hæc ibi.

Idem S. Ambrosius ejusdem libri cap. 9 explicat quinam sint ii, qui rectè & sicut oportet, sæculum fugiant. *Benè fugis*, inquit, *si cor tuum non imitetur peccatorum consilia & cogitationes eorum. Benè fugit, si oculus tuus fugiat calices & phialas, ne fiat lividus dum moratur in vino. Si oculus tuus aliena declinet, & lingua tua veritatem custodiat. Benè fugis, si non respondeas imprudenti ad imprudentiam illius. Benè fugit, si auferat gressum pedum tuorum ex ore insipientium. Citò enim nutis ducibus erratur.* Hæc ibi.

Si pulcherrimo isti S. Ambrosii loco adjicere liceat, dicam neminem sanctiùs & certiùs fugere sæculum seu mundum (quem totum in maligno positum esse sacræ Literæ contestantur) quàm eum qui verè cum Doctore Gentium (cujus memoriæ hodiernus dies sacer est) *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Id est qui possit affirmare cum S. Bernardo eum Apostoli locum explicante: *Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* Ita S. Bernardus serm. 7. de quadrag.

Quod quidem ut ab fidelibus verè affirmari possit Concilia recensuere ea, quæ præsertim ab iis essent fugienda, & quænam ab iisdem amplectenda; quæ omnia cum retulerit S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolan. V. Provinciali sub titulo, quæ ad dies festos & sacra tempora pertinent, ejus vestigiis insistere necesse est.

1. Inquit, iis quadragesimalibus, aliisve jejunii, pœnitentiæ, & publicæ supplicationis diebus, fideles sese vitæ disciplinâ severiori astringant; sanctisque institutis & moribus sacro illi tempori convenientibus, se suosque, qui patres-familias sunt, quam rectissimè in omnes partes conforment.

2. Pretiosas vestes non induant, sed amictum, si non humilem, & demissum omninò, at cum pœnitentiæ jejuniique tempore congruentem.

3. Simultatem, odium, inimicitias, rixas deponant, pacem cum omnibus concilient.

4. Carnis vim, impetum non modò religiosâ abstinentiæ jejuniique lege, sed cilicio, & verberationis disciplinâ coërceant, & humi aliquando cubent, ut ab piis etiam laïcis factum esse memoriæ proditum est.

5. Omni tempore à jocis Christianum hominem abstinere convenit, at quadragesimæ ac jejunii tempore tantò diligentius quantò frequentius studiosiusque orationi, abstinentiæ, omnique pœnitentiæ generi incumbendum est. A jocis igitur, à verborum scurrilitate, à colloquio inani, otioso, longeque cautiùs à noxio & criminoso se continere sacro pœnitentiæ tempore studeat ut Pontificio, Apostolicoque rescripto cavetur. Reverà id statuitur in cap. 47. in Nicolai Papæ I. responsis ad Consulta Bulgarorum.

6. Christianos ab venationibus abstinere oportere quadragesimali tempore declarat ille ipse Nicolaus Papa I. in iisdem responsis ad Consulta Bulgar. cap. 44. quia sacro illo tempore nec carne vesci, atque adeò nec carnes captare, ne omissis orationibus, & aliis pietatis operibus carnalia consectari videantur.

7. Nemo Christianus ciborum quadragesimalium suavitates, ac delicias exquirat, nec multiplici epularum apparatu mensam extruat, sed frugalem parsimoniam adhibeat.

8. Convivia in quadragesimâ non condicat, nec verè apparet, ne dominicis quidem diebus, ut idem Nicolaus Pontifex rescribit.

9. Ille ipse Nicolaus Papa I. in iisdem responsis ad Consulta Bulg. cap. 9. vult conjugatos per quadragesimam, quæ major dicitur abstinere ab omni commercio conjugali. Si enim, inquit, *aliis temporibus ipsi abstinent ex mutuo consensu, ut vacent orationi, quanto potiùs isto, quo Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentiâ Dominum imitamur, quo non solùm illicita, verum etiam multa à nobis quoque licita meritò resecamus, omni est voluptati renuntiandum, & ut licenter orationi vacetur, castitati mentis & corporis incumbendum.* Hæc ibi.

Hujusmodi abstinentiæ Decretum legitur apud Bedam de remedio peccatorum cap. 2. & 10. Similem constitutionem Liberii Papæ ex codice vetusto 16. librorum lib. 13. cap. 10. refert Surius ad finem Epistolarum ejusdem: *Abstinendum est*, inquit, *in his sacratissimis quadraginta diebus à conjugibus, & caste & piè vivendum, ut sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, donec perveniatur ad diem sanctum Paschæ: quia penè nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant: adeò est verus hujus continentiæ quadragesimalis observatio.* Hæc ille.

Hujusmodi decretum refert & Theodulphus in suo Capitulari cap. 43. Ejusdem ipsius continentiæ ab Christianis conjugibus per totam quadragesimam observari solitæ meminit S. Ambrosius sermone quem habuit in feriâ v. post diem Cinerum: *Licet*, inquit, *Deo inspirante semper vos monui, ut supervenientibus festivitatibus castitatem ante plures etiam dies cum propriis uxoribus unusquisque custodiat: non tamen superfluum est (quod vos facere credo) charitatis contemplatione, nunc etiam commonere, ut per totam quadragesimam usque ad finem Paschæ castitatem Deo auxiliante servetis: ut in illâ sacrosanctâ solemnitate Paschali charitatis luce vestiti, eleemosynis splendidi, orationibus & vigiliis ac jejuniis, velut quibusdam cælestibus spiritalibusque margaritis ornati, non solùm cum amicis, sed etiam cum inimicis pacifici, liberâ, & securâ conscientiâ ad altare Domini accedentes corpus & sanguinem Domini non ad judicium, sed ad remedium possitis accipere.* Hactenus S. Ambrosius.

De servandâ hujusmodi continentiâ toto quadragesimæ tempore decretum refert Pœnitentiale Romanum apud Antonium Augustinum Tit. VII. de variis criminibus cap. 8. in hæc verba: *Qui in quadragesimâ ante Pascha cognoverit uxorem suam & noluerit abstinere ab ea, unum annum pæniteat, aut pretium videlicet viginti quinque solidorum ad Ecclesiam tribuat aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pæniteat.* Hæc ibi.

Hoc ipsum decretum referunt Burchardus lib. 19. decret. cap. 75. Ivo p. 15. Decret. cap. 88. qui sicut & Pœnitentiale Romanum hujusmodi decretum adscribunt Concilio Illiberitano; quod non placet Ferdinando de Mendoza: sed tametsi in ejus sententiam concederemus, hujusmodi tamen decretum antiquissimum esse contenderemus: ut potè quod authoritate S. Ambrosii & Pœnitentialis Romani ab 800. annis & pluribus editi testimonio fulciatur.

Quod si nostrâ hac ætate omnium scelerum colluvione dedecoratâ, ille mos vel decretum apud multos obsolevit, id sicut & alia multa conferendum est in degenerem plurium Christianorum inertiam, qui in rerum humanarum cupiditatem & sollicitudinem prodigialiter immersi, & pietatis opera pertæsi, suæ saluti, sicut oportebat, consulere refugerunt & quotidiè refugiunt.

Sed, dixerit aliquis, an rei sunt coram Deo, qui quadragesimalem illam ab conjugali commercio abstinentiam servare negligunt vel renuunt?

Respondeo eos qui laudabilem illam talis continentiæ per quadragesimam observandæ consuetudinem aut Decretum contemnerent, peccaturos graviter, quippè qui Ecclesiam hujusmodi continentiam, vel præcipientem, vel certè suadentem contemnerent.

Quod si negligant tale Ecclesiæ Decretum, seu illud observare renuant, etsi possint, haud dubiè peccant, quia pœnitentiam agere nolunt eo tempore, & eo modo, quo ipsa Ecclesia legitimos pœnitentiæ fructus & labores omnibus promiscuè fidelibus indicit.

Si quæras an peccatum censeri debeat?

Respondeo reipsa posse & debere censeri peccare eos qui ita sunt affecti ut nullos velint facere dignos pœnitentiæ fructus. In quos omnes, & præsertim eos qui ex ipsâ Baptismatis innocentiâ per lethale flagitium exciderunt, propositâ damnationis æternæ pœnâ incumbere necesse est.

Hujusmodi enim personæ præposterâ illâ criminosâque volontate duo simul præcepta violarent: quorum uno omnes universim homines etiam sanctissimi fructus facere, id est opera pietatis edere; altero verò criminum seu peccatorum lethalium conscii dignos pœnitentiæ fructus facere, seu prosilire jubentur ad opera pœnalia, quæ criminum ab ipsis admissorum numero & qualitati respondeant.

Quod si adeò infirmi & carnales sunt Christiani, ut ab actu conjugali per quadragesimam abstinere nequeant, duo saltem præstent, ut Ecclesiæ Decretum seu spiritum se non aspernari, sed aliquo honore prosequi testatom faciant.

1. Ingemiscant coram Deo & deplorent de suâ fragilate quæ ipsos de tali continentiâ Christianæ perfectioni apprimè consentaneâ dejicit, & incumbant in alia pietatis opera, in frequentiores scilicet orationes, in uberiores eleemosynas, & âlia id genus, quorum beneficio meritorum (quæ in ipsâ servandâ compararent) jacturam quodammodo resarciant.

2. Ita exerceant hujusmodi actum, ut sit meritorius, & ab omni culpâ sivè mortali, sivè veniali repurgatus: id est exerceatur talis actus, & ordinetur ad bonum prolis procreandæ & educandæ ad cultum Dei, sic enim est actus Religionis: vel fiat causâ reddendi debitum, sic enim est actus justitiæ. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si sit cum charitate; ut docet S. Thomas lection. 1. in cap. 7. 1. ad Corinth.

Si igitur conjugati divinâ sint charitate prædıti, & exerceant actum conjugalem ad suscipiendam prolem, & educandam seu informandam ad Dei cultum vel ad reddendum invicem debitum; & præterea cum summâ humilitate suam infirmitatem agnoscant & lugeant, divinam in se misericordiam accersent, & uberrimam meritorum segetem sibi comparabunt.

Quæ qoadragesimali tempore fugienda sunt hactenùs edisseruimus; nunc igitur ad ea quæ sunt illo tempore factitanda, properamus. Sit itaque

§. *Secundus.*

Quæcumque per totam quadragesimam ab fidelibus exerceri possunt & debent, revocantur ad tria potissimùm capita, ad jejunium scilicet, ad orationem & ad eleemosynam. Ista tria ita secum invicem sunt colligata ut separari nequeant. Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam, ait Angelus Raphaël Tob. cap. 12. v. 8. & 9.

De istis tribus sigillatim dicendum est.

§. *Tertius.*

De jejunio quadragesimali.

JEjunium quod per totam quadragesimam Christianis indicitur, non potest ritè, & cum animarum fructu, observari, quin cum qoinque conditionibus sit conjunctum. Quarum

Prima est, ut sit spirituale, id est cum omnimodâ ab lethalibus flagitiis abstinentiâ sit conjunctum.

Secunda, ut sit pœnitentiale, id est ad placandam Dei iram, & ad impetrandam peccatorum veniam susceptum.

Tertia, ut qui jejunant, certa ciborum genera sibi ex Ecclesiæ præscripto abjudicent.

Quarta, ut ab pluribus refectionibus in die seu intra viginti quatuor horarum spatium abstineant.

Quinta, denique ut ab jejunantibus certa & determinata refectionis hora ex Ecclesiæ mente præscriptoque teneatur.

1. Igitur jejunium quadragesimale exigit ut jejunans ab omni peccato lethali abstineat. Id enim liquidò testatur Deus Isai. cap. 58. v. 5 *Numquid*, ait, *tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? nonnè hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne opus dirumpe.*

Ita loquitur Deus: perindè ac si diceret: rescinde pacta usuraria, & obligationes impias & iniquas, quibus in plures, & præsertim in pauperes grassari soles. Solve fasciculos deprimentes, id est relaxa, condona, conscinde vel combure fasciculos syngrapharum, chyrographa obligationum, quibus miseros ad usurarum solutionem adigis, atque adeò violentis & iniquis contractibus, & syngraphis eos tametsi fratres & proximos sic tamquam duriore jugo deprimis & opprimis. Dimitte igitur eos, qui suâ paupertate pariter & ære alieno duriter obruuntur; dimitte, inquam, eos liberos, seu debitum condona, si non sint solvendo: Et hoc est potentissimum ad assequendam peccatorum veniam adjumentum. Unde S. Gregorius Hom. 16. in Evang. *Jejunium sanctificare*, inquit, *est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia, incassum enim caro atteritur, si à pravis suis voluptatibus animus non refrenatur; cum per Prophetam Dominus dicat; Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores vestros repetitis. Neque enim qui à debitore suo hoc quod dedit, repetit, aliquid injustum facit: Sed dignum est ut quisquis se in pœnitentiâ macerat, etiam hoc quod sibi justè competit, interdicat. Sic sic nobis afflictis & pœnitentibus à Deo dimittitur, quod injustè egimus, si pro amore illius, & hoc quod nobis justè competit, relaxamus.* Hæc ibi.

Ne igitur creditores in suos debitores sævirent sacris præsertim quadragesimæ diebus & meminissent præcepti, quod Deus per Prophetam confractos dimitti liberos imperat; Theodulphus Aurelianensis Episcopus omnem litium tumultum per hujusmodi dies cohibet in suo Capitulari cap. 41. *In his jejuniorum diebus*, inquit, *nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus & in opere necessario persistendum. Arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesima tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam dicens: Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis & percutitis pugno impiè.* Hæc ibi.

Hoc statutum promulgatum est ann. Redempt 797. quod quidem sicut & alia in eodem Theodulphi Ca-

pitulari constituta declarant quantâ Religione quadragesima autem illis temporibus colcretur.

Oportet igitur jejunantes, si rectè & cum animarum fructu obire velint jejunium Apostolicâ traditione consectatum & omnium fidelium observantiâ commendatum, abstinere necessariò ab omni peccato lethali, & ab venialibus, sine quibus in terris non vivitur, sibi temperare, ita ot nemo eorum aectu teneatur, & in subreptitia tantùm quæ vitari nequeunt, incurrat.

Quod spectat autem ad lethalia, nemo rectè jejunare poterit, quin convertatur ad Dominum Deum suum in toto corde suo, id est, tria præster.

1. Ut ex talium peccatorom statu sinceriter emergat.

2. Ut omnem eorum affectum ex intimo cordis recessu radicitùs evellat.

3. Denique omnem, quæ in ipsa impellere potest, occasionem studiosissimè effugiat.

Quæ omnia sese præstare declarabit, si dignis pœnitentiæ fructibus anteactæ vitæ flagitia expiare studeat. *Tunc enim*, ot ait S. Gregorius in cap. 15. Lib. 1. Regum *peccatorem risè conversum cernimus, si dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod confitendo loquitur.*

Ut ergo laudem promereatur jejunium, non est per se satis temperare à cibis, sed *jejunium jejunemus*, ut ait S. Basilius Hom. 1. de laudibus jejunii, *acceptabile, Deo gratum. Verum jejunium est, à vitiis immunem esse: verum jejunium est, continentia linguæ, iræ cobibitio, concupiscentiarum, obtrectationis, mendacii, perjurii amputatio.* Ab his abstinere verum est jejonium. Hæc ille.

§. *Quartus*

De jejunio Pœnitentiali.

QUadragesimale jejunium pœnitentiale debet esse, id est cum pœnitentiæ laboribus conjunctum. Si enim Christus Jesus, qui est Princeps pœnitenoæ & caput eorom qui salvantur per pœnitentiam (ut loquitur Hieronymus in c. 3. Isaiæ) carnem suam innocentissimam unâ cum Verbo hypostasi devinctam, & ab ipso in carnis peccati similitudinem assumptam tam duriter habuit, ut illam productâ ad quadragiuta dies, & quadraginta noctes inediâ, & aliis austerioris pœnitentiæ laboribus toto vitæ suæ mortalis curricolo maceravit, & tandem durissimis verberibus & flagellis, & probrosissimo crucis supplicio affici, atteri, & excarnificari voluit: An nobis nostram carnem, quæ verè est caro peccati, in quâ non habitat bonum, & quæ toties pravis concupiscentiis obtemperavit; an, ioquam, hujusmodi carnem indulgentiùs alere licebit? Absit, absit: imò mortificationem Christi Jesu in omni, at præserti u quadragesimali tempore, circumferamus: & *sicut exhibuimus membra nostra servire immunditia & iniquitati ad iniquitatem, ita* sacro saltem quadraginta dierum spatio *exhibeamus* eadem *membra servire justitia in sanctificationem*, ut loquitur Apostolus Rom. 6 cap. v. 19.

Istud autem factitari, id est carnem macerari oportere egregiè declarat S. Augustinus in Lib. de otilitate jejunii cap. 3. *Non vobis videatur*, inquit, *levis res aut superflua, ne quisquam fortè hoc faciens (carnem macerans) Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se & dicat sibi ipsi, ut suggerentem intrinsecùs audiat tentatorem: Quid facis, quia jejunas, defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo placet quia te crucias? ergo crudelis est qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi tentatori: excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille inveniat, ut plageam oculis ejus & delectem suavitatem ejus. Nam & victima cruciatur ut in aram imponatur. Minùs premit mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo servo ventris responde per hanc similitudinem, & dic: Si jumento fortè insideres, & si equo utereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securiùs iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea jumentum meum est, iter ago in Hierusalem, plerumque me rapit, & de viâ conatur excludere; via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat quàm utiliter jejunetur. Numquid enim caro ista quæ nunc domatur, semper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægravatur, habet exultationes suas manifestas, & periculosas menti nostræ. Caro est enim adhuc corruptibilis, nondum resurrexit. Nam non semper sic erit, nondum habet statum proprium cœlestis habitudinis. Nondum enim facti sumus æquales Angelis Dei.* Hactenùs S. Augustinus loco citato.

S. Bernardus oniversis corporum nostrorum membris, quibus or plorimùm ad peccandum abutimur, suum jejunium seu mortificationem assignat in hæc verba: *Jejunet*, inquit, *oculus, qui deprædatus est animam tuam: jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus à curiosis aspectibus & omni petulantiâ, ut benè humiliatus coerceatur in pœnitentiâ, qui malè liber vagabatur in culpâ. Jejunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & fugiat quæcumque otiosa sunt & ad salutem minimè pertinentia. Jejunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis: Interdum quoque ob gravitatem silentii, & ab ipsis quæ videri poterunt, necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus, quæ non sunt imperata; sed & multò magis anima ipsa jejunet à vitiis, & propriâ voluntate suâ.* Hactenùs S. Benardus serm. 3. de jejun. quadrag. nu. 4.

Oportet igitur unumquemque Christianum pati cum Christo, si verè cupiat regnare com Christo. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi: si tamen compatimur ut & conglorificemur.* Rom. c. 8. v. 17. Reverà *ibi est certa expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis*, ut ait S. Leo.

§. *Quintus.*

De prohibito in quadragesimâ carnium usu.

IStam ab carnibus abstinentiam universa traditio testatam facit.

1 S. Cyrillus Hierosolymitanus testatur in Catech. 4. ad Illuminatos, jejunantes à vino & carnibus abstinere: *Jejunamus*, inquit, *à vino & carnibus abstinentes, non quod hæc tamquam abominationes oderimus, sed quod præmium expectamus.* Hæc ille sæculo IV.

2. S. Epiphanius ad calcem Librorum adversus hæreses de quadragesimali jejunio & variis jejunandi ritibus ita prædicat num. 23. *Sunt & alia in eadem Catholicâ Ecclesiâ instituta vivendi præstantia, nimirum quod alii carnibus prorsùs abstineant tam quadrupedum & avium quàm piscium, necnon ovis & caseo.* Hæc ille, qui & num superiore scilicet 22. affirmat *sex Paschatis dies* (id est majorem hebdomadam) *xerophagiis, hoc est arido victu transigere populum omnem assuevisse: hoc est panem dumtaxat cum sale & aquâ ad vesperam adhibere solitum esse.* Hæc Epiphanius qui IV. pariter sæculo floruit.

3. S. Joannes Chrysostomus hujosmodi abstinentiæ meminit Hom. 3 ad Pop Antioch. *Quæ utilitas*, inquit, *cum avibus quidem & piscibus abstinemus, fratres verò mordeamus, & comedamus?* Et hom. 4. ad eund.

Populum.

abstinentiâ æmulantes, & mirabilem contentionem facientes, & hi quidem integros duos dies transigunt: Illi verò non vini tantum & olei, sed & omnis ferculi usum à suâ mensâ rejicientes, pane & aquâ utentes dumtaxat quadragesimam omnem expediant: sic & nos quidem inter nos contendamus, ut juramentorum frequentiam tollamus, hoc enim omni jejunio utilius, hoc omni vitæ asperitate compendiosius. & studium quod circa ciborum abstinentiam habemus, hoc circa juramentorum abstinentiam exhibeamus. Hactenùs S. Joann. Chrysost. qui V. sæculo floruit.

Ex hoc loco videre est quanto pœnitentiæ studio illis temporibus effervescerent Christiani, qui non solùm ab animantium carnibus abstinerent: sed etiam pane dumtaxat, & aquâ toto sacræ quadragesimæ curriculo vescerentur.

4. Theophilus Alexandrinus Epist. Paschali 3. fideles à vino & carnibus abstinere jubet: *Jejunia*, inquit, *rite celebremus, ut solemnitatis quoque participes simus. Nequaquam diebus quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent, vini poculum suspiremus, neque in proeliatu & prælio, ubi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur.* Et post alia: *Qui legum*, inquit, *præcepta custodiant, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant, & insatiabilem avaritiam Dei timore compescunt.* Hæc ille qui & sæculo IV. floruisse dicitur.

5. Sanctus Augustinus de eadem ab vino & carnibus abstinentiâ magnificè prædicat serm. 64. de tempore. *Sed & illa est* inquit, *in quadragesimæ diebus grandis utilitas, quod dum etiam à licitis abstinemus, magis admonetur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo ista vitamus quæ aliquando licent, imprimis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent. Itaque si volumus benè jejunare à cibis, ante omnia jejunemus & à vitiis.* Hæc ibi.

Item serm. 65. de temp. *Cessent*, inquit, *lavacra, vina, vel carnes, non quod creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies vivamus & Domino.* Hæc ibi.

Vide quantâ religione fideles V. sæculi sicut & superiorum ætatum quadragesimam Apostolicâ traditione consecratam observaverint, & animadverte quanto intervallo hac in parte sicut & in multis aliis, plerique omnes Christiani ab illorum studio & ardore dissideant.

Sanctorum Patrum vestigiis institit Concilium Toletanum IV. anno Christi 633. celebratum, utpote quod decimum suum Canonem de victu quadragesimæ condidit in hæc verba: *Statuimus, ut omnibus diebus quadragesima Alleluia non cantetur, quia tempus mœroris est. In temporibus vero reliquis, id est Calendis Januarii, quæ propter errorem gentilium aguntur, omnino Alleluia decantabitur. In quibus etiam præter piscem & olus, sicut & in illis quadraginta diebus cæteris carnibus abstinetur; & in quibus etiam nec vinum bibitur. Si quis autem Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus contrà fecerit, ordinis sui Officio carere cogatur, & communione ejusdem Paschæ privetur.*

Hunc canonem spectare omnes tam laïcos quam Clericos patet, ex eo quod omnia carnium genera in ipso præter pisces & olera prohibeantur, sicut & in quadragesimâ in quâ vini usus interdicitur. Quis enim credat hanc abstinentiam ad solos dumtaxat Episcopos, aut Presbyteros, aut Diaconos pertinere, siquidem indefinitè nullo personarum discrimine indicitur. Si autem nominantur Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, quibus & pœna intentatur, id indè videtur profectum, quod nonnulli vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi Calendis Januarii gentilium ritu peragi solitis erant astipulari, atque adeo ad propudiosa gentilium festa celebranda facem prætulerant.

Huic canoni alterum ex Concilio Toletano VIII. quod anno Christi 653. habitum est, excerptum, & de carnium abstinentiâ sancitum annectere juvat. *Quisquis* (sunt verba Canonis) *sine inevitabili necessitate & evidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit Resurrectionis Dominicæ, verumetiam alienus ab eiusdem diei Communione; & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ob omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non prohibita violare præsumant, quam à Sacerdote permissam percipiant.* Hactenùs Canon 9. Concilii Toletani VIII. quod satis superque indicat quam religiosè quadragesimalem ab carnibus abstinentiam coli oporteat.

---

§. Sextus.

Jejunantes unâ refectione contentos esse oportere.

QUi Jejunium Ecclesiasticum accuratiùs definierunt, dixerunt illud esse quo juxta certum Ecclesiæ morem atque præscriptum, certis diebus & carnium esum nobis subtrahimus, & unicâ dumtaxat refectione contenti sumus.

Revera hujusmodi jejunium Apostolicæ traditionis authoritate consecratum, omnibus omninò sæculis retinuere Christiani, ut debitum Deo cultum religiosiùs exhiberent: ut edomarent carnem, & spiritui subjicerent, ut dignos pœnitentiæ fructus factitarent, ut Ecclesiæ Dei ubique terrarum jejunium indicenti obtemperarent: ut suâ denique inediâ & voluntariâ carnis afflictatione divinam placarent iram, divinamque misericordiam commoverent, & quamlibet gratiam consequerentur.

Ista omnia præstabunt fideles si jejunium Ecclesiasticum observent, ut oportet, & inprimis si à mediâ nocte in mediam noctem, semel tantum comedant, prout obligat universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ jampridem vim legis obtinuit: ita ut ieiunium cum duabus refectionibus conjunctum ab patribus ieiunium non appellaretur.

1. Quæret aliquis ubinam extet præceptum Ecclesiasticum de unicâ refectione in ieiunii diebus adhibendâ?

Respondeo hujus præcepti originem non reperiri scripto aliquo canone sancitam, sed videri magis ab Apostolis primùm verbo traditam hoc ipso quo legem ieiunii condiderunt, tum deinde facto, cum ipsimet conditam à se legem religiosissimè observarunt. Unde unica comestio magis videtur in præcepto ieiunii præsupposita tanquam communiter intellecta quam expressa, ut ait Cajetanus in art. 6. quæst. 147. 2. 2. Eò quod, inquit, Ecclesia in indicendis ieiuniis institerit vestigiis Patrum veteris Testamenti, qui dum ieiunia celebrabant, semel dumtaxat in die refici consueverant.

Ac reipsa quidem cum ieiunium ad refrænandam concupiscentiam sine ullo notabili naturæ (quam tueri necesse est) dispendio sit institutum, & ad id præstandum sufficere videatur una comestio, per quam homo ita naturæ necessitati consulere, & satisfacere potest, ut tamen refectionum vices minuendo aliquid concupiscentiæ detrahat, ideò Ecclesiæ moderatione & singulari prudentiâ statutum est, ut ab jeiunantibus semel in die comederetur, ut docet sanctus Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. in corp.

2. Quæres utrùm violet ieiunii præceptum qui bibit per diem, vel qui vesperè cœnulam (seu ut vocant vulgò collationem) sumit?

Respondeo hac in parte posse, & non posse peccari.

1. Non peccat ieiunans qui pluries merum adhibet potum, id est meram aquam vel parum vini frigidâ temperati, si gravis necessitas premat, ut alibi diximus. Siquidem hujusmodi potus magis sumitur ad alterationem corporis & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem licet aliquo modo nu-

triat. In hoc casu non solvitur ieiunium, quia Ecclesia instituendo ieiunium abstinentiam potus interdicere non intendit, (cum gravis premit necessitas) ut ait S. Thomas 2. 2. q. & art. citat. ad secundum. Si quis autem immoderatè potu utatur, potest peccare & ieiunii meritum perdere: sicut etiam si immoderatè cibum in unâ comestione assumat. Ita S. T. loco citato.

2. Solvit ieiunium quisquis vel modicum vinum extra tempus refectionis accipit in fraudem ieiunii.

3. Violaret ieiunii præceptum qui uteretur liquoribus quibusdam pinguioribus, quorum potatione sitis restingueretur, & fames sedaretur: Si quis v. g. uteretur vino factitio, quale est hippocratium, & alia id genus vina medicata, quibus inest alimenti vis, ab Ecclesiastici jejunii infractione excusari non potest, neque ad hujusmodi peccatum requiritur, ut aliquis in hujusmodi potus usu ita excedat, ut peccet per intemperantiam, sed sufficit ut eam adhibeat talis vini copiam, unde multùm nutriatur.

4. Infringit ieiunii præceptum qui sine rationabili causâ refectionem tanto dividit intervallo, ut moraliter loquendo non sit una refectio sed plures, tametsi singulæ non sint omninò plenæ, frangit ieiunium, tametsi unicam tantùm refectionem adhibere intenderit.

Quod spectat ad cœnulam quæ paulatim introducta est in Ecclesiam adhiberi potest ab fidelibus sine ullo unicæ refectionis dispendio. Ut id intelligatur,

Observandum est cœnulam è nihilo produisse, qui enim ad vesperam usque inediam producere non potuerunt, crediderunt etiam se ab uno meridie ad alterum nullo adhibito potu & cibo non posse pertingere, & ideò vesperante cœlo poculenta adhiberi cœpta sunt propter sitim ex ieiunio accensam. Religiosi eò faciliùs in id inclinarunt quò certiùs eam sibi bibendi facultatem concessam esse noverant, etiam antequam ieiunii horæ contorquerentur.

Sæculares brevi hanc licentiam ad quamdam refectiunculam adegerunt, tametsi nondum eam proprio nomine designarent. Religiosi autem suis poculentis frustulum panis adjecere, ne noceret potus, ut videre est in Carthusianorum aliorumque Monachorum constitutionibus. Verùm ne istud aliquam eis temporis iacturam afferret, illis ipsis diebus quibus celebrabant esuriales Ferias, vespertinam lectionem quæ alias in claustro vel capitulo factitari consueverat, in triclinio seu refectorio, ut vocant, fieri voluerunt, idque ire ad Collationem, vel, ut loquitur S. Benedictus, accedere ad lectionem collationum appellarunt: Cum nomen nollent imponere actioni quæ servatâ Canonum severitate exerceri nec poterat nec debebat. Præterea quod inibi capiebant, ab nihilo propiùs aberat. Sic Collationis vocabulum sensim sine sensu ad vespertinam cœnulam translatum est, & in hoc significatu ab laicis usurpatum, ut conjicit Haeften lib. 9. tract. 5. disqui. 2. & Francolinus cap. 38. nu. 9.

Utcumque sese res habeat seu quâcumque modo Collatio introducta sit in Ecclesiam, solliciitè videndum est ne cœnula vertatur in cœnam, imò nec æquivaleat ei, quod pro ientaculo solet accipi: Quod tamen plerique omnes Christiani factitant, & paucissimi imperatum ab Ecclesiâ ieiunium observant. Nam tale jejunium (ut docent gravissimi Theologi) non observatur nisi ab iis qui unâ duntaxat refectione sunt contenti, & ea semper fuit mens Ecclesiæ. Quod si cœnula usurpata est ab fidelibus ipsâ non reclamante, id materoæ eius indulgentiæ & tolerantiæ ita est ascribendum, ut nemini illâ ipsius indulgentiâ ad plures refectiones factitandas abuti liceat.

Tam pauca enim sivè esculenta, sivè poculenta in præfatâ cœnulâ sumenda sunt, ut unicæ refectioni nihil officiant. Quod quidem docet S. Thomas 2. 2. q. 147. de ieiunio art. 6. Cum enim sibi obiecisset electuaria, quæ sunt quidam cibi à multis in diebus ieiunii post comestionem sumi soliti, & intulisset indè unitatem comestionis non esse de ratione jejunii, eam objectionem solvit his verbis: *Ad tertium*, inquit, *dicendum quod electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magnâ quantitate assumat per modum cibi.* Hactenùs sanctus Thomas.

Ex isto Doctoris Angelici loco patet electuaria, id est condita quædam medicamenta seu fructus conditaneos, eo quo vivebat sæculo, in cœnulâ ab fidelibus adhibitos esse non per modum alimenti, sed cujusdam veluti medicamenti, cujus adminiculo non tam corpus aleretur, quam ciborum anteà perceptorum concoctio perficeretur. Unde rectè unius comestionis in diebus jejunii usurpari solitæ præceptum colligitur, & astruitur.

Iste electuariorum usus videtur in cœnulam introductus temporibus S. Thomæ. Nam antea ieiunium ita producebatur ad vesperam, ut mox videbimus, ut jejunantes ulteriori refectiunculâ non indigerent, prædictis autem S. Thomæ temporibus horâ nonâ, seu horâ post meridiem tertiâ solvebatur ieiunium, & post aliquod tempus edebantur electuaria, quorum beneficio inchoata concoctio juvaretur.

---

§. *Septimus.*

Quo determinata comestionis hora ab jeiunantibus necessariò observanda statuitur.

AUreis illis Ecclesiæ sæculis quibus Christiana charitas fidelium corda inflammaverat, nemo per quadragesimam solvebat jejunium, quin advesperasceret. Et reverà jejunium quadragesimale in hoc præsertim positum erat, ut jejunantes sua prandia pauperibus erogarent, & ipsi vesperante cœlo esculentis poculentisque parcè admodum uterentur. Id ex S. Augustino discimus; sic enim loquitur serm. 56. de temp. qui est sermo 2. de Feriâ IV. in capite jejunii. *Ante omnia*, inquit, *in diebus jejuniorum quod solebamus prandere, pauperibus erogemus, ne fortè aliquis sibi sumptuosas cœnas & exquisitis saporibus epulas studeat præparare, & corpori suo magis commutasse, quàm subtraxisse ciborum abundantiam videatur. Nihil prodest totâ die longum duxisse ieiunium, si posteà ciborum suavitate, vel nimietate anima obruatur. Illicò mens repleta torpescet, & irrigata corporis nostri terra, spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & numquam nimium venter repletus, & plus semper de cibo cordis quàm de cibo corporis cogitemus.* Hæc ibi.

Vesperam fuisse solvendo fidelium jejunio destinatam probat S. Paulinus Epist. 25. quæ est 6. ad sanctum Amandum inscripta. *Cum*, inquit, *in diebus quadragesimæ advenisset* (Cardamas) *& eum ut clericum fraterno excepissemus affectu, quotidiana ieiunia non refugit, & pauperem mensulam vespertinus conviva non horruit.* Hæc ibi.

Hoc ipsum discimus ex eodem S. Paulino qui in majorum solemnitatum pervigilio fideles ad vesperam inediam produxisse testatur Natali VII. in honorem S. Felicis martyris elaborato: sic enim canit,

Nostis eum morem, quo jejunare solemus
Ante diem, & serò libatis vespere sacris,
Quisquis suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœtibus à templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies sumptâ dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & Psalmis producere noctem.

Portò jejunantium Christianorum inediam ad vesperam usque protractam esse testatur sanctus Basilius orat. 1. de jejunio, ubi de quadragesimâ sic loquitur:

Expectas, inquit, *vesperam, ut cibam capias.* Idem affirmat sanctus Joannes Chrysostomus hom. 4. in Genes. ubi horam solvendi jejunii quadragesimalis fuisse vesperam indicat: non existimemus, inquit, inediam usque ad vesperam ad salutem nobis sufficere. Quod & asserit homil. 6. in eamd. Genesin.

Nonnulli crediderunt jejunium quadragesimale solvi solitum esse horâ nonâ, non autem vespertinâ, quod quidem non affirmassent, si plura jejuniorum in Ecclesia vigentium genera distinxissent. Quapropter operæpretium est observare tres apud veteres Christianos extitisse jejuniorum species.

Primum jejunii genus fuit jejunium quartæ & sextæ feriæ, quod solvebatur horâ diei nonâ post finem stationis seu *στάσεως*. Quare à Tertulliano vocantur stationum semi-jejunia. In Typico Monasterii sancti Sabæ dicitur [illegible] id est jejunium ad horam nonam protrahi solitum.

Secunda species fuit jejunium quadragesimale, quod sub vesperam solvebatur, nam horâ nonâ fiebat synaxis, & post Missarum solemnia vespertinum canebatur officium, ac deinde populus dimittebatur, ut tradunt sanctus Epiphanius, Amalarius, Fortunatus, & Concilia Anglicana.

Tertium jejunii genus fuit omnium strictissimum, quod observabatur in majori hebdomadâ quæ est Quadragesimæ suprema, & producebatur usque ad galli cantum & primæ lucis exortum, & dicebatur *ὑπέρθεσις*, id est superpositio, eo quod jejunio per antegressos Quadragesimæ dies observato, novam seu majorem austeritatem adjiceret.

Hæc tria jejuniorum genera apertè distinguit Epiphanius in expositione fidei Catholicæ, quæ legitur ad calcem librorum illius contra hæreses. Postquam enim de jejunio quartæ & sextæ Feriæ, itemque de jejunio quadragesimæ locutus est, transiens ad jejunium Paschalis hebdomadis, ait fideles per eam hebdomadam solo pane & aquâ ad vesperam vesci solitos esse. Verùm hi, inquit, qui studiosi sunt, biduum ac triduum & quatriduum superponunt: quidam totam hebdomadam solo pane & aquâ vesci solent ad vesperam.

Dionysius Alexandrinus distinguit jejunium ab hyperthesi seu superpositione: siquidem jejunium est inedia ad vesperam usque producta, hyperthesis autem seu superpositio est abstinentia à cibo ad galli cantum usque producta: quapropter S. Irenæi locus qui refertur ab Eusebio Pamphili lib. 5. hist. Eccl. c. 24 & à nobis mox referendus, non potest intelligi de jejunio quartæ & sextæ Feriæ, seu de jejunio stationum. Siquidem significat jejunium diei solidi, non autem dimidiati, quod non cadit in jejunium quartæ & sextæ Feriæ, quod non erat plenum nec diei solidi jejunium. Superest ergo ut de jejunio quadragesimali ad vesperam solvi solito vel de superpositione id de austeriori illo jejunio quod observabatur per majorem hebdomadam intelligatur: & hæc interpretatio probabilior apparet.

Unde licet major illa hebdomada ab reliquis quadragesimæ hebdomadis interdum distinguarnt: non est tamen ab iis distinguenda, nisi ut pars à toto. Cur autem aliquando ab præfatis quadragesimæ diebus distincta fuerit, duplex ratio afferri potest.

Prima petitur ex eo, quod hæc hebdomas propriè ad Pascha pertineat, Feriæ enim hebdomadis denominantur à sequente Dominicâ & ad eam pertinent. Cum igitur hæc hebdomas Dominicam Paschæ seu Resurrectionis proximè antecedat, meritò ad eam pertinet. Ideo per antonomasiam magna dicitur. Cur autem ita vocetur multas rationes affert sanctus Joannes Chrysostomus hom. 30. in Genes. *Quare ergo*, inquit, *illam hebdomadem vocamus magnam? quia magna quadam & ineffabilia bona nobis in illâ contigerunt. In illâ enim solutum est bellum diuturnum, extincta mors, maledictio interempta, Diaboli tyrannis dissoluta, vasa ejus direpta, Deus hominibus reconciliatus est, Cœlum penetrabile factum est, Angeli hominibus conviventes, distantia conjuncta sunt, sepes sublata, septum remotum, Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris. Et hac de causâ magnam hebdomadam vocamus, quia tantam nobis donorum multitudinem in illâ Dominus impertiit. Et idcircò multi & jejunium intendunt & vigilias & pernoctationes sacras & eleemosynas faciunt, ut hebdomadæ huic honorem habeant. Præterea ostendit quo honore hanc ipsam hebdomadam reges prosequantur, siquidem forense justitium indicunt, & captivis carceres aperiunt.* Hactenus S. Joan. Chrysostomus.

Vel si placet ratio quam attulimus, Ferias videlicet hebdomadis ab sequente proximè Dominicâ denominari, & ad eam pertinere cum ipsa Paschæ dies vocetur magna Paschæ Dominica, rectè hæc hebdomas magna, & singuli ejus dies magni vocabuntur, ut & reipsa vocantur in Typico sancti Sabæ.

Altera ratio, cur magna illa hebdomada, quæ est pars & complementum Quadragesimæ interdum ab ipsâ quadragesimâ distincta fuerit, petitur ex eo quod districtiori severiorique jejunio (quod superpositio dicebatur) celebraretur ab fidelibus. Quod quidem discimus ex epistolâ quam sanctus Irenæus scripsit nomine Fratrum quibus præerat in Galliâ, quæ legitur apud Eusebium lib. 5. histor. Eccles. cap. 24. De hoc enim severiori jejunio ita eo loco juxta versionem Musculi interpretationem prædicatur: *alii sibi unum diem jejunandum esse putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes diem suũ statuunt.*

Quo loco indicat sanctus Irenæus quosdam in magnâ illâ hebdomadâ jejunasse unum diem, alios toto biduo, alios plures dies, alios denique extitisse qui computatis quadraginta horis diurnis pariter & nocturnis diem suum metirentur, id est quadraginta horas continuas ad celebrandum superpositionis in præfatâ hebdomadâ jejunium, velut unum diem sibi constituerent.

Cur autem ad quadraginta horas easque continuas inediam producere voluerint, varii varia sentiunt. Nobis autem videtur ad hujusmodi jejunium per horas quadraginta perseveratum perpulsos esse veteres Christianos, ut cum stupendam illam, & humanas vires prætergressam inediam, quam Christus ad quadraginta dies & totidem noctes in solitudine produxerat, imitari non possent, eam si non quadraginta dierum & noctium, quadraginta saltem continentium horarum spatio pro viribus æmularentur.

Ex isto sancti Irenæi loco tria colligi rectè observat Henricus Valesius in suis annotationibus in lib. 5. Histor. Eccles. Eusebii Pamphili.

Primum est jejunium ante Pascha, jam inde ab Apostolicis temporibus semper in Ecclesiâ usitatum fuisse.

Alterum, jejunium illud in honorem quadragesimæ quadragenario Christi jejunio consecratæ fuisse celebratum.

Tertium denique ab variis variè hujusmodi jejunium esse observatum.

Ex hujusmodi jejuniorum distinctione liquidò colligitur quadragesimæ ieiunium ad vesperam duntaxat solvi solitum esse: Ita ut quisquis ad vesperam dictum ieiunium non protraheret ieiunii legem infringere censeretur: ut patet ex Canone Concilii Cabilonensis in hæc verba concepti: *Solent*, inquit, *plures qui se ieiunare putant in quadragesimâ, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenùs ieiunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur Officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus & vespertinis Officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ ieiunium solvat, vel absolvere debet*, ut alicubi legitur. Hactenùs Canon dicti Concilii Cabilonensis, qui licet non extet in Conciliis editis, non

1. Hujusmodi jejunium debet esse *spirituale*, id est excludere debere omnem peccati præsertim lethalis actum & affectum, alioquin reprobatur à Deo, ut patet ex capite 58. Isaiæ, v. 3. & seqq.

2. Debet esse *pœnitentiale*, id est conjunctum cum legitimis pœnitentiæ laboribus, qui quidem admissorum criminum quantitati qualitatique respondeant, prout pœnitentium facultas tulerit.

3. Ut jejunantes ab certis ciborum ab Ecclesiâ prohibitorum generibus abstineant.

4. Ut intra viginti quatuor horarum spatium semel tantum comedant.

5. Denique ut certâ dumtaxat horâ Ecclesiæ vel præscripto vel tolerantiâ determinata reficiantur.

His ita positis deducenda sunt quædam corollaria, quibus omnes, & singuli deprehendere possint utrum quadragesimale jejunium observent, sicut oportet, vel illud infringant. Sit itaque

Corollarium primum.

Contra primam jejunii quadragesimalis conditionem peccant quotquot in vitiosis habitibus perseverant. Cum enim Deus in scripturis reprobet jejunium peccatorum lethalium fœditate contaminatum, certum est Ecclesiam non præcipere jejunium quadragesimale, quin unâ eademque operâ omnimodam ab peccatis lethalibus abstinentiam desideret. Cum igitur talis ab criminibus abstinentia in ipso jejunii præcepto ab Ecclesiâ sancito promulgatoque contineatur, haud dubiè saltem indirectè hujuscemodi præceptum violat qui omni, ac præsertim quadragesimali tempore, in lethalibus peccatis debitâ operâ perseverat. Nemo igitur suæ improbitati latebras quærat & dicat Ecclesiam præcipere externum dumtaxat jejunii actum, non autem interiorum animi statum, quo omnes & singuli fideles, omne crimen seu peccatum lethale & peccati lethalis affectum ipso jejunii quadragesimalis tempore abdicare teneantur.

Nam dato non concesso, quod Ecclesia internam illam animi ab omni crimine abhorrentis dispositionem in obeundo quadragesimali jejunio non præcipiat, illam exigit, & imperat ipse Deus, ut videre est Isaiæ cap. 58. & Joel cap. 2. & alibi, & ideò ad illam omnis jejunans obligatur.

Insuper id ipsa pariter exigit Ecclesia, utpotè quæ divino spiritu animatur & continuò regitur.

Huc accedit ratio, quod scilicet omnia Ecclesiæ præcepta spectent ad æternam salutem fidelium, quos materno suo sinu complectitur & alit. Cum ergo fideles non per externos dumtaxat actus, sed maximè per internam animi dispositionem ad hujusmodi salutem pervenire oporteat, nemini cordato & erudito dubium est, quin communis illa eorumdem fidelium mater non solùm externos jejunii actus, sed etiam animi præparationem ad ipsos ritè perficiendos idoneam & necessariam, divinâ, quâ pollet, authoritate præcipiat.

Corollarium secundum.

Peccant contra secundam quadragesimalis jejunii conditionem, qui cum legitimos pœnitentiæ labores perferre valeant, eos suscipere detrectant. Neque enim Christianis indictum est jejunium, ut mollem vitam agant quadragesimali tempore, ut aliis temporibus assolent; sed ut sæculi voluptates abdicent, & quamvis ipsorum vita pœnitentia perpetua esse debeat, ut pronuntiat Concilium Tridentinum, ipsos tamen majori præter solitum ardore in vitæ severioris que pœnitentiæ exercitationes per quadragesimam incumbere necesse est. Siquidem parùm religiosus alio tempore demonstratur, qui in his quadragesimæ diebus non religiosior invenitur, ut ait S. Leo Ser. 2. de quadrag.

Quod & confirmat S. Augustinus Lib. 2. quæst. Evang. quæst. 18. *Scriptura*, inquit, *docet generale jejunium non à concupiscentiâ ciborum tantùm, sed ab omni lætitiâ temporalium delectationum.* Hæc ibi. Vide quæ diximus suprà de jejunio pœnitentiali § 4.

Corollarium tertium.

Peccant contra tertiam quadragesimalis jejunii conditionem qui quadragesimæ tempore extra necessitatis casum prohibitis animalium carnibus vescuntur. In hanc classem referuntur plerique nobiles, & viri & fœminæ qui omnes nimio & criminoso sui corporis amore capti dictitant esum piscium suæ sanitati graviter officere, & ideò se excusari ab jejunio, nec teneri ad servandam abstinentiam carnium, quibus alio tempore vesci licet.

Causantur nimirùm capitis & stomachi dolorem & exæstuantium viscerum ardores, fumos, vapores ex quibus existunt morbi, quibus ut plurimùm sese afflictari conqueruntur. Qui etiam consulunt medicos, quos prospiciunt suis cupiditatibus obsecuturos, iis aperiunt commentitia quædam incommoda, quæ vera videri volunt, & tandem ab ipsis vel obtinent, vel extorquent schedulas, quarum adminiculo edendarum carnium facultatem ab Parochis impetrant. *Sed Deus non irridetur: quæcumque enim seminaverit homo, hæc & metet.*

Interim advertant medici & caveant ne spe mercedulæ temporalis, indulgentiùs agant cum hujusmodi hominibus, & rerum cælestium jacturâ perituras opes seciùs ociùs relinquendas congerant. Vide §. 5 quæ sit ab Conciliis denuntiata pœna perfidis illis Christianis qui imperatam ab animantium carnibus abstinentiam violare non dubitant.

Corollarium quartum.

Peccant contra quartam quadragesimalis jejunii conditionem, qui plures uno die refectiones factitant: vel qui plus cibi adhibent quam jejunii regula patiatur. v. g. qui semel in die jejunii comedit, & stomachum tantâ refercit ciborum copiâ, quanta sufficit ad omnem explendam famem, hujusmodi, inquam, homines jejunii præcepto non satisfaciunt. Unde graviter errant nonnulli, qui contendunt eos implere præceptum, cum tamen legis intentionem quæ jubet fame aliquâ carnem macerare, defraudent. Ergo juxta talium Theologorum sententiam licet illudere Ecclesiam per actiones ejus instituto contrarias, etiam cum quis ejus imperiis obtemperare videtur.

2. Peccant & quidem graviter contra refectionis unitatem, qui in prandio inter edendum & bibendum excedunt, & arbitrantur se notabili temporis spatio posse ad mensam accumbere, & satiari, modo hujusmodi refectio nullam interruptionem patiatur.

Inde patet repudiandam esse doctrinam quorumdam Theologorum aientium in continuâ quantitate prandii non esse servandam mensuram ratione prandii, sed quamvis aliquis multùm excedat, non ob id solvere jejunium, etsi peccet contra sobrietatem.

O insignem Theologiam; imò popinalem doctrinam. Nam per tres aut quatuor horas licebit assidere mensæ in morem Germanorum inexplebili potandi aviditate flagrantium, & compotare & comedere quantum libuerit illæso jejunio & salvo Ecclesiæ præcepto. Poterit igitur impleri præceptum criminosâ ciborum & vini ingurgitatione; jejunabitur sine sobrietate; fiet pœnitentia admittendo crimen & per crimen ipsa; denique caro, ipsum abdomen, quod in jejunio durius habiteri necesse est, per ingluviem & intemperantiam macerabitur. Quæ omnia quam sint absurda nemini vel tantillum erudito latet.

3. Violant præceptum jejunii qui crebriùs in die bibunt, freti eo axiomate *potus non frangit jejunium*. Huc

toties peccat, quoties reficitur, utpotè qui toties contra præceptum agat.

Si quis dicat secundam dumtaxat refectionem jejunii lege, non autem ulteriorem prohiberi, id sine ullâ probatione proferet, maximè cum non solùm secunda, sed etiam quævis ulterior refectio æquè saltem ac secunda, imò etiam magis fini jejunii, quæ est maceratio carnis, adversetur. Non enim per tertiam aut quartam refectionem minùs, imò magis quàm per secundam caro saginatur. Certum est enim ut plurimùm eum magis saginari, qui majori ciborum copiâ reficitur.

Præterea sicut qui carnes comedit in die jejunii, toties nemine reclamante peccat, quoties iis vescitur, quia scilicet sicut prima earum comestio, ita etiam secunda & reliquæ saginant corpus, quemadmodum & tertia & reliquæ; ergo non minùs criminosa est tertia, & quarta refectio quàm secunda.

Si quis objiciat jejunium postquam secundâ refectione violatum est, non posse servari, atque adeò qui sic violavit, non ampliùs ad jejunium obligari, cum nemo ad impossibile teneatur, quod in hoc casu contingeret quia jejunium jam est fractum, neque fieri potest ut non sit fractum.

Respondeo posse servari jejunium ab eo, qui illud secundâ refectione violaverit. Sicut enim is qui fregit jejunium vetitas carnes comedendo, potest adhuc aliquâ ex parte illud servare, si nimirùm ab carnibus pluribusque refectionibus abstineat: Ita qui jejunium fregit sumendo secundam refectionem, quamvis non possit præceptum jejunii integrè observare, potest tamen observare quoad aliquid, quoad ulteriores refectiones scilicet, quæ omnes jejunii præcepto, quod supra negativum esse diximus, censeri debent esse prohibitæ. Neque oportet fieri ut jejunium non sit fractum, sed satis est quod fracto jejunio supersint actus prohibiti à quibus ipse jejunii infractor abstinere valeat.

Quemadmodum enim qui vovit continentiam adhuc voti reus est, seu ad illius observantiam obligatur, licet semel in fornicationem prolapsus sit, atque adeò suum illud votum violaverit: Ita etiam quamvis ille ipse qui secundam refectionem accepit, jam non possit jejunium observare perfectè, quia nimirùm illud ex parte violavit, potest tamen & debet illud observare, quoad reliquarum refectionum prohibitionem.

Objiciunt nonnulli quod inter confitendum numerus refectionum, nec ab Confessario rogari, atque adeò, nec à pœnitente qui se accusat de violato jejunio, declarari & explicari soleat.

Respondeo hoc argumenti genus, vel parum, vel nihil ponderis habere in moralibus. Sunt enim multa in Sacramentali confessione aperienda, de quibus tamen nulla fit mentio, vel ob Confessariorum, vel pœnitentium inscitiam & negligentiam, vel aliam ob caussam, quæ nihilosecius sunt aliquando gravissima peccata & Confessario declaranda, non tamen declarata propter culpabilem pœnitentium socordiam, qui intimos animi recessus, sicut oportet, explorare negligunt. Id etiam proficisci potest ex eo quod Confessarii aliâ opinione sunt imbuti, aut rem utrimque probabiliter disputari, & ideò se tutò alterutram partem amplecti posse existimant. Quicquid sit, nostram hanc opinionem alterâ multò probabiliorem esse, contendimus.

Corollarium quintum.

Quinta jejunii quadragesimalis conditio in eo posita est, ut jejunantes horâ ex Ecclesiæ præscripto, vel certè tolerantiâ determinatâ reficiantur. Quâ de re ita Cajetanus in Summ. v. Jejunium cap. 5. num. 2. horam convenientem ad comedendum, inquit, in tantum exigit jejunium, ut ab horâ nomen acceperit: ut patet ex eo quod dicimur jejunare, vel usque ad nonam, vel vesperam, quasi tota vis jejunii consistat in prorogatione inediæ usque ad horam tardiorem. Et verè sic esse testatur Ecclesiastica observatio. Propter quod tantò plus tardâ horâ comeditur, meliùs jejunatur: Non enim præcipit Ecclesia manducari horâ nonâ, sed negativam scilicet non manducari antè. Et num. 3. sequenti pergit. Et hora quidem conveniens antequam non est comedendum est meridies grossâ æstimatione. Sed ubi communiter non servatur à jejunantibus, potest quis illâ horâ, quâ communiter jejunantes ibi comedunt. Et hoc ideo dico: quia paulatim detractum multum videtur horæ. Nam trecenti anni adhuc non sunt, ex quo hora prandii in jejunio erat hora tertia post meridiem, ut patet in D. Thomæ scriptis. Nunc autem Religiosi etiam multùm ante meridiem æstivo tempore, & in quadragesimâ videntur comedere. Ita servabatur jejunium vertente sæculo XV. quo Caietanus floruit. Quomodo relaxatio jejunii quoad horam, in Ecclesiam irrepserit, diximus §. 8. superiore. Hoc posito.

Certum est eum qui notabiliter anticipat refectionis horam ab Ecclesiâ determinatam, vel toleratam citra causam legitimam, peccare mortaliter, quia transgreditur præceptum Ecclesiæ in re notabili, id est in infractione temporis & horæ ad refectionem constitutæ, quæ quidem hora ad Ecclesiastici jejunii observationem maximè pertinet. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 15 q. 3. a 4. in solut. quæstiunc. 3. *Ad tertiam quæstiunculam*, inquit, *dicendum quod ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat: Undè cum Ecclesia instituerit tertium tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit: Non enim Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam: Unde sufficit, si circà horam illam quam Ecclesia instituit, jejunans sumat cibum, etiamsi aliquantulùm propter aliquam necessitatem anticipet.*

Quibus verbis significat S. Thomas horam comestionis non ita subtiliter, & accuratè inquirendam & explorandam esse ut ab eâ ne transversum quidem unguem, ut aiunt, discedere liceat.

Si quis objiciat jejunium esse actum abstinentiæ & abstinentiam impediri, non solùm per anticipationem horæ comestionis, sed etiam per alias conditiones hoc versu comprehensas

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Ergo cum nimis comedere quantum ad quantitatem non solvat jejunium, nec ardenter quantum ad aviditatem comedendi, nec lautè quantum ad pretiosa quæ in cibum quæruntur, nec studiosè quantum ad exquisitum modum cibaria præparandi, aliàs mortaliter peccarent qui in diebus jejuniorum hoc facerent quasi transgressores præcepti Ecclesiæ (quod durum est dicere) videtur quod nec præproperè comedere, quod est tempus anticipare, solvat jejunium.

Solutio S. Thomæ est quod ea in quibus non potest accipi certa mensura, non cadunt sub determinatione legislatoris. Et ideò quia non potest accipi certa mensura in quantitate cibi, vel aliis conditionibus numeratis, sicut in tempore accipi potest, ideò quatuor aliæ conditiones non cadunt sub determinatione præcepti Ecclesiæ: & ideò quamvis per inordinationem circa illas circumstantias peccet aliquis, & meritum jejunii amittat, vel in toto, vel in parte, non tamen Ecclesiæ statutum transgreditur, & ideò jejunium non solvit. Ita S. Thomas loco citato in solut. quæst. 3. ad 2.

Hanc eamdem sententiam propugnant Covarruvias l. 4 var. resol. n. 20. n. 16. Navarrus c. 21. n. 27. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 4. Sylvester v. Jejunium quæst. 4. Cajetanus in 2. 2. ad quæst. 147. art. 7. apertè docet eum frangere jejunium qui notabiliter horam refectionis anticipat absque causâ rationa-

bili. Et in summ. v. Jejunium cap. 1. num. 2. jam cit. ait nos jejunare usque ad horam nonam, vel usque ad vesperam quasi tota vis jejunii consistat in prorogatione inediæ usque ad horam tardiorem.

Quæres quinam refectionis horam solvendo jejunio constitutam, notabiliter anticipare censeantur.

Respondeo eos notabiliter præfatam refectionis horam anticipare, qui duabus horis; vel etiam unâ prandium anteverterunt, eosque lethaliter peccare, nisi legitimam huiusmodi anticipationis causam habeant. Ratio est quia duæ horæ, vel etiam hora una notabilem temporis ad ieiunii Ecclesiastici observantiam pertinentis & necessarii partem efficiat, atque adeò sine crimine anticipari nequeat.

Hinc patet censoriâ virgulâ perstringendos esse quosdam Authores, qui sibi nomen facere arbitrantur cum Ecclesiæ decreta relaxant, & molliunt, & asserunt unâ horâ posse anticipari horam refectionis illæso ieiunii præcepto: quod ut probabiliùs affirmare videantur, dictitant Religiosos eo gaudere privilegio, ut prandii tempus unâ horâ anticipare valeant.

Huiusmodi privilegium, commentitium sanè, ut omnes cordati existimant, non redundaret in laudem Religiosorum si verum esset. Siquidem supposito tali privilegio homines, qui abdicato sæculo subiere claustra ad maiorem pœnitentiam peragendam sibi hac in parte austeritatis & pœnitentiæ meritum præripi sinerent ab sæcularibus, quibus ad omnia pœnitentiæ severioris opera facem præferre debent. Tardiùs enim & diutiùs quam ipsi, atque adeò meliùs & devotiùs Laici ieiunarent. Illud enim ieiunium sanctius & Deo acceptius, & ipsius Ecclesiæ menti congruentius est, quod plures in horas protrahitur.

Facessant ergo procul homines sæculi cupiditatibus & corruptelis obsecuti qui dicunt, vel duabus horis, vel unâ, refectionis tempus ab ieiunantibus anticipari posse. Id enim multis de causis illicitum & criminosum est, & potissimùm ob maternam indulgentiam, quâ Ecclesia fideles quos totis duodecim sæculis ad vesperam usque post lucernarium (id est officium seu sacrificium vespertinum quod accensâ lucernâ reddebatur, ut videre est apud S. Hieronymum in Epist. ad Lætam) inediam producere voluerat, novissimis temporibus ipso meridie, vel circa meridiem ieiunium solvere permiserit. Ideò non licet citra graviores causas anticipare horam solvendo ieiunio destinatam, ne illa ipsa Christianorum parens amantissima de nostrâ ignaviâ, imò nequitiâ conqueratur. Si enim pater familiâs querulum vinitorem sic affatus in Evangelio legitur: An oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum? nonnè nos illa ipsa mater iisdem compellaret vocibus, si ieiunii tempus contraheremus? nonnè nobis exprobraret nostram nequitiam, quæ eò procederet ut maternâ eius tolerantiâ ad alendam nostram mollitiem abuteremur?

Ac reipsâ quidem quotquot refectionis horam ab ipsâ non tam constitutam, quam toleratam anticipant, imitantur quodammodò perditissimos homines, qui vitam vivunt eò deteriorem quò maiorem & diuturniorem Dei sustinentis in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, misericordiam experiuntur. Sed de his hactenus. Cætera ad ieiunium quadragesimale pertinentia per quasdam quæstiunculas explanare iuvat.

Quæstiuncula I.

Utrum qui ob rationabilem causam jejunium integrè servare non potest, ab eodem jejunio penitùs excusatus habeatur?

UT huic quæstiunculæ respondeatur, observandum est Ecclesiastici ieiunii præcepto tria prohiberi. Quorum

1. Vetatur usus carnium quibus aliis temporibus vesci licet.

2. Plures refectiones in diebus ieiunio consecratis prohibentur.

3. Denique horæ solvendo ieiunio ex Ecclesiæ si non præcepto at certè tolerantiâ constitutæ anticipare interdicitur.

His ita prælibatis consentiunt Theologi eum qui non potest tres illas jejunii conditiones simul observare, teneri ad illas quas potest. Unde si propter stomachi debilitatem liceat ei pluries comedere; non item licebit ei vesci carnibus quadragesimali tempore prohibitis: aut si justis de causis refectionis horam antevertere, non propterea pluries comedere poterit. Quod adeò probandum videtur ut quamvis iustam & legitimam edendarum carnium dispensationem quispiam obtinuerit, non ideò tamen secunda refectio eidem indicetur concessa, nisi subsit legitima causa propter quam indulgenda videatur.

Quæstiuncula II.

Utrùm qui non potest jejunare totam quadragesimam bis aut ter in hebdomadâ, si vires suppetant, jejunare teneatur?

REspondeo affirmativè. *Nam*, ut ait egregiè Caietanus, *ieiunantes ter in hebdomadâ in quadragesimâ audientes à Doctoribus stultis, quod qui unum diem non servat, reus est totius quadragesimæ, omittunt etiam trium illorum dierum ieiunium, hoc in utrorumque damnationem redundat. Si enim cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt. Satisfacit enim Ecclesiæ præcepto qui impotentem se putans ad ieiunium totius quadragesimæ, alternis diebus ieiunat, aut bis, aut semel in hebdomadâ iuxta vires suas. Et similiter qui jentaculo serotino seu collatione eget pro sustentatione naturæ, & cum illo potest pertransire, non est propterea licentiatus ut cœnet. Moralia enim præcepta moraliter sunt interpretanda in exequutione, ut mos bonus intentus in exequutione quantum fieri potest servetur.* Hactenus Caietanus in summ. v. Jeiunium cap. 3. num. 8. Idipsum docet Navarrus in Man. cap. 21. num. 20.

Quæstiuncula III.

Utrùm abstinentia ab animalium carnibus ità ad ieiunii rationem pertineat, ut qui ab iis non abstinet, ieiunii præceptum infringere censeatur?

REspondeo abstinentiam ab præfatis carnibus non ita conjunctam esse cum jejunio, ut prohibere possit, quominus ille, qui legitimam ab ipsâ dispensationem obtinuerit, ad instar cæterorum, quibuscum dispensatum non est, jejunii præceptum implere teneatur.

Qui contrarium docent, id est qui contendunt abstinentiam ab carnibus sic ad jejunii substantiam pertinere, ut qui absolutè carnes comedit, jejunare non teneatur, suam illam opinionem nec Theologicè probant, nec canonicè.

1. Theologicè non probant. Nam duo sunt principia veræ Theologiæ, sacra nempè scriptura, & Ecclesiæ Catholicæ sacra pariter traditio (quæ & verbum Dei non scriptum apposito vocabulo nominatur) ab hujusmodi principiis quisquis in rebus fidei & morum non utendo vel abutendo deflectit se ex Theologorum albo, quicquid aliunde moliatur, expungit.

2. Hujusmodi homines suam illam opinionem canonicè non probant. Non enim proferunt Canones,

oec

nec summorum Pontificum decreta ex iisdem Canonibus promulgata, sine quibus id est Canonibus & Sedis Apostolicæ Decretis nulla probatio Canonica censeri potest.

Ita duo probationum genera, quorum unum ex Theologiâ, alterum ex jure Canonico promitur, liquidò declarat, & communem Ecclesiæ legem nominat & constituit Silvester Papa II. in Epist. ad Sigmnum aut Seguinum Senonensem Archiepiscopum inscriptâ: *Sit*, inquit, *lex communis Ecclesia. Evangelium, Apostoli, Propheta, Canones Spiritu Dei constituti & totius mundi reverentiâ consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Hæc ille.

Si quis objiciat Bonacinam quæst. 1. de præceptis Ecclesiæ punct. 11. aientem eum qui absolutè carnes comedit ad jejunium quadragesimale, vel aliud non obligari, adhibeat authorem.

Utar iisdem vocibus, quibus usus est Baronius in ipso Tomi 1. Annal. Ecclesiast. exordio num. 12. adversus recentiorem asserentem de re veteri quod nullus Author antiquus asseuerat: *Quod*, inquit, *à recentiore authore de rebus adeò antiquis sine alicujus vetustioris authoritate profertur, contemnitur.*

Si quis urgeat plurimos Authores eamdem illam opinionem profiteri, ut puta Lessium, Navarrum, Reginaldum, Emanuelem Sa, Cordubam Victoriam, & alios non inferioris notæ viros: qui omnes ab annis pluribus eam litteris consignarunt.

Huic objectioni satisfaciam iisdem verbis, quibus similem objectionem exsufflavit ille ipse Baronius à nobis proximè laudatus: *Jura*, inquit, *veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quippè quæ nullâ plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi; nec innumerâ testium multitudine obrui atque labefactari* Hæc ille ad an. Chr. 109. num. 51.

Revera si ad Ecclesiasticam antiquitatem recurrere liceat, varia occurrent exempla, quibus carnium usum cum jejunio constitisse atque adeò consistere potuisse, & etiamnùm posse cernatur & appareat.

Hujus rei pulcherrimum nobis exemplum suppeditat Sozomenus Histor. Eccles. Lib. 1. cap. 11. in quo illustre Spiridionis Trimythuntis oppidi Cypri Episcopi factum commemorat: *Præterea*, inquit, *quam humaniter & benignè hospites excipere soleret, hinc cognoscere poterimus. Cum jam instaret quadragesima, ex itinere quidam fortè ad eum venit illis ipsis diebus, in quibus unà cum suis jejunia peragere consueverat, & ad statutum diem cibum degustare cum diebus interpositis sine cibo omninò remansisset. Cumque Spiridion videret hospitem valdè de viâ fessum: Age, inquit, ô filia, primùm viri hujus pedes lava, deinde cibum ei appone. Ubi verò respondit virgo, neque panem in ædibus esse, neque polentam, (supervacanea namque fuisset istarum rerum apparatio propter jejunium) Spiridion cum precibus Deum invocasset, veniamque petivisset, dedit mandatum filiæ, ut carnes suillas, quas fortè in ædibus habebat, sale conditas, coqueret. Quibus coctis hospitem facit secum accumbere, deque carnibus appositis comedere cæpit; hortatur hospitem ut ipsum imitetur, qui cum illud facere recusaret diceretque se Christianum esse, hanc ob causam, inquit Spiridion, minùs recusare deberes. Nam omnia munda mundis, sacræ litteræ pronuntiant.* Hactenùs Spiridionis Historia ex Sozomeno deprompta.

Ex hac narratione quatuor inferuntur.

1. Quadragesimalem cibum in Ecclesiâ S. Spiridionis fuisse panem & polentam.

2. Illum ipsum Spiridionem cum pane & polentâ careret, hæc esculenta non aliundè quæsisse, sed postulatâ priùs à Deo veniâ, carnes suillas coqui, & epulandas apponi jussisse.

3. Ut ad hujusmodi carnes edendas hospitem invitaret, priorem ex illis comedisse.

4. Denique illum ipsum hospitem suâ ipsius ratione, quâ sanctissimo Antistiti reluctabatur, revictum prædictas carnes nullo Christiani nominis dispendio ad victum adhibuisse.

Hujusmodi animadversiones præfatæ Historiæ subtexuit Joannes Launoius Ecclesiasticæ antiquitatis peritiâ notissimus, ut ostenderet carnes illæso jejunio in ipso necessitatis articulò posse manducari. Quis enim credat Spiridionem virum religiosissimum, miraculis clarum, qui & Nicæno Concilio interfuit, voluisse suillarum carnium esu non solùm violare jejunium, sed etiam ad illud infringendum hospitem impellere voluisse? Nemo sanè id in animum inducat suum. Numquam enim vir tantus prolapsus esset in id peccatum, quo & jejunium violaret, & hospiti offendiculum præberet.

Ex hoc exemplo rectè colligitur carnium abstinentiam non pertinere ad jejunii substantiam. Si enim ita se res haberet illam ipsam abstinentiam in omne jejunium convenire & cadere oporteret; quod esse falsissimum probat factum Spiridionis & authoritas S. Epiphanii & Socratis, qui multos carnes ad victum adhibuisse, & nihilosecius jejunasse commemorant. Id S. Epiphanius testatur in expositione Fidei Catholicæ quam edidit ad calcem Librorum adversus hæreses, ut legere est num. 23. *Socrates* item id asserit Lib. 5. Histor. cap. 21.

Hanc veritatem aut certè verisimillimam propositionem, carnes nempè manducari cogente necessitate & nihilosecius jejunari posse, mirabilem in modum astruit sequens argumentum à majori ad minus repetitum. Si enim unica refectio & vespertinum tempus illi capessendæ constitutum, totis duodecim sæculis respectu quadragesimalis jejunii perseveravit, seu religiosissimè ab fidelibus observatum est; ita ut quisquis horum alterum infringeret, jejunium pariter infringere crederetur: Si, inquam, hæc duo tacitâ dumtaxat Ecclesiæ concessione & tolerantiâ sensim annis volventibus sine ullo Ecclesiæ veteris exemplo immutata sunt; id est præter unicam refectionem permissa est cœnula & refectio, quæ adhibebatur horâ dumtaxat vespertinâ, quodam quasi regressu revocata est ad meridiem, nec tamen violati jejunii quadragesimalis crimine accusantur, qui meridianâ reficiuntur horâ & sub noctem cœnulam accipiunt: Multo minùs violati quadragesimalis ieiunii nomine insimulari poterunt fideles, qui grassante publicâ ciborum quadragesimalium penuriâ superiorum permissu carnes alioquin vetitas ad unicam eamque moderatam, & ad ieiunii severioris amussim exactam refectionem adhibuerint: cum istud ipsum ieiunii genus luculenter S. Spiridionis, & eius hospitis aliorumque fidelium (ut suprà ex S. Epiphanio & Socrate tenuimus) exemplo, nullâ penitùs sequentium sæculorum censurâ notato fulciatur.

Quæstiuncula IV.

Utrùm qui totam quadragesimam jejunare nequeunt, aliquot saltem uniuscujusque hebdomadæ diebus etiam obtentâ edendarum carnium facultate jejunare teneantur: & utrùm totam etiam quadragesimam jejunare debeant, si aliundè sani sunt, & cum iis de abstinentiâ carnium dispensatum est eo nomine, quod cibis quadragesimalibus penitùs planeque uti nequeant.

HÆC quæstio bipertita est. Quod spectat ad primam eius partem, cujus solutio petenda est ex solutione primæ quæstiunculæ & secundæ, ubi eum probatis Authoribus liquidò definiimus eum qui non potest totum observare quadragesimale ieiunium, ad eam, quam præstare potest, eius partem observandam obligari.

Quod spectat ad alteram eius partem, utrùm scilicet ille cui concessa est edendarum carnium facultas eo uno nomine quod esculentis quadragesimalibus omninò uti nequeat, & aliundè sit sanus & incolumis, totam quadragesimam ieiunare teneatur? Asserendum est

huiusce quadragesimale ieiunium obligati. Siquidem carnium esus ad victum cum legitimâ super... facultate adhibitus, neminem ab impetratâ ieiunii quadragesimalis observantiâ eximit, aut eximere potest, ut colligere est ex testimoniis & argumentis quæ in superioris quæstiunculæ solutione protulimus.

Quæstiuncula V.

Utrùm illi quibus ob infirmitatem facta est edendarum carnium facultas, quibuslibet ciborum generibus citra culpam uti valeant?

Respondeo huiusmodi homines cibis dumtaxat ad tuendam suam sanitatem idoneis & necessariis uti posse, non autem aliis, qui ad voluptatem adhiberi possunt. Cum enim quadragesima ad retundendas libidines macerandamque carnem sit potissimùm instituta, æquum est ut fideles omnes sibi delicias abiudicent, & ea dumtaxat esculenta poculentaque adhibeant, quibus ob adversam valetudinem carere nequeunt. Alioquin verendum esset ne huius Prophetici maledictionis fulmine afflarentur: *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum facci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum: comedamus & bibamus: cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Isai.c. 22.v. 12. 13. 14 & 15.

Hoc ipsum quod asserimus egregiè præscribit Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari: *Abstinentia verò in his diebus* (quadragesimæ) *omnium deliciarum esse debet, & sobriè, inquit, & castè vivendum, qui verò ovis, caseo, piscibus & vino abstinere potest, magnæ virtutis est: qui autem ab his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere abstinere non potest, utatur. Tantum ut se unum usque ad vesperam solemniter celebret, & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat: à caseo verò, lacte, butyro, & ovis abstinere, & non jejunare, dementissimum est, & ab omni ratione esse semotum. Vini ebrietas & luxuria prohibita sunt, non lac & ova. Non enim ait Apostolus: Nolite comedere lac & ova, sed nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hæc ille.

Istud Capitulum totidem verbis repetitur Tom. 1. Concilior. Angliæ num. 40. ex isto Theodulphi Aurelianensis Epicopi præscripto tria inferuntur.

1. Toto quadragesimæ tempore pœnitentiæ laboribus destinato, ab omnibus deliciis abstinendum esse.

2. Eum qui propter infirmitatem ab ovis, caseo, piscibus & vino abstinere non potest, iis uti posse. Quod proculdubio prudentissimus Antistes edixisset respectu carnium, si suo tempore fideles esculentorum quadragesimalium copiâ destitui animadvertisset.

3. Nihil obstante ovorum, casei, piscium, & vini usu proferendum esse ieiunium usque ad vesperam & vinum non ad ebrietatem, sed ad corporis refectionem esse adhibendum. Quod quidem monitum seu præscriptum indicat esum carnium, si, vel ob penuriam quadragesimalium ciborum, vel ob nonnullorum hominum, cætera valentium, immedicabile alioquin fastidium permittatur, non debere violari ieiunium, quod cum carnium alioquin veniarum usu consistere potest, modo in huiusmodi usu adhibeatur ea moderatio, quæ uni dumtaxat consulat necessitati, non autem voluptati, vel ingurgitationi serviat. Tunc enim nihil in fine ieiunii nec proinde in ieiunio mutabitur, tametsi aliquid in ieiunii modo mutatum appareat. Nam adhibitâ eâ, quam prædicamus, moderatione servabitur intentio Apostolorum ex quorum traditione quadragesimam observandam esse di... imus. Siquidem temperato & ad ieiunii parsimoniam accommodato carnium usu, ieiunantium caro domari & macerari poterit, sicut & leguminum & piscium esu maceratur. In hoc proposito præclarè convenit aureum illud axioma, quod nobis suppeditat S. Thomas in Opuscul. 34. aliàs 19. contra impugnantes Religionem cap. 4. *Servatur, inquit, intentio statuentium, etiamsi non serventur verba statutorum, quia non possunt in omnibus casibus, & in omnibus temporibus observari, servatâ intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ.* Hæc ille. Sic dum usus carnium iustis de causis in quadragesimâ permittitur, servatur intentio Apostolorum à quibus instituta est, tametsi ab eorum verbis aliquantulùm discessum esse videatur.

Quid quod omnes qui nec ieiunare, nec ab cibis in quadragesimâ vetitis abstinere possunt, lugere debent & in intimo cordis recessu ingemiscere, imo & incumbere in alia pietatis opera, quorum adminiculo abstinentiæ Christianæ meritum de quo sua eos infirmitas deficit, recuperate, eiusque iacturam alioquin imminentem, eo quo poterunt meliore modo propulsare & sarcire valeant.

Eò proculdubiò spectavit Joannes Baptista Gault proponendo monita quæ in eius vita leguntur. Iste vir omni virtutum laude cumulatus ex celeberrimâ Oratorii Congregatione ad Massiliensem Episcopatum assumptus, ea præbuit pietatis documenta quibus sese Apostolicæ sanctuaris pariter & dignitatis successorem esse toti Ecclesiæ declaravit. Tantus vir (quem adhuc baptismali innocentiâ, quod in exolcerato hoc sæculo ratissimum est, ornatum ad Episcopale onus Angelicis humeris formidandum accessisse locuplentissimi testes non semel, nec uno in loco asseruerunt) Tantus vir, inquam, ut patet ex ejus vitæ lib. 3. Sect. 16. condidit multa monita ad quadragesimam ritè transigendam imprimis idonea; quæ quidem hic strictim attingere iuvabit.

1. Dicit unumquemque Christianum venerari oportere ieiunium Christi ad quadraginta dies & totidem noctes productum, & præterea gratias agere pro tali abstinentiâ quam nostri causâ pertulit, & exin eam quam inchoabit mediam, illi offerre, & libenti animo indictum ab Ecclesiâ eâ de re præceptum amplecti, orando ut acceptam habeat obedientiam illi ipsi exhibendam in expiationem & detestationem tam primorum parentum inobedientiæ, quam peccatorum nostrorum, & eorum præsertim quæ ad gulam pertinent.

2. Populum Christianum oportere sese profiteri sacro illi tempori ritè transigendo imparem, ideoque vel singulis diebus, vel certè in ipso cuiuscumque hebdomadis exordio ab Christo Domino studiosiùs flagitandam esse gratiam & opem, cuius beneficio, tali, sicut oportet, officio perfungatur.

3. Docuit Christianorum jejunium in hoc verè positum esse, ut quicquid sibi inter jejunandum subducerent, pauperibus erogarent: atque ita, ut ait S. Leo, fieret refectio pauperis, abstinentia jejunantis.

4. Ait eos qui jejunare non possent ad altissimam humilitatem recurrere oportere, eo nomine quod alios in hac sanctissimâ saluberrimâque abstinentiâ comitari non possint, & exin testificari se id ardentiùs expetere, ut ad hoc præstandum idoneæ sibi vires suppeterent.

5. Affirmat hujusmodi homines debere hanc virium inopiam cum aliquo alio pœnitentiæ aut eleemosynæ opere compensare.

6. Iniunxit nemini ab ieiunio immunitatem seu dispensationem petenti esse concedendam, quin illi imponeretur aliqua pœnitentia, quam ipse præscriberet.

7. Denique voluit ita doceri ægrotos, ut suos dolores, & alia morborum incommoda ad implendam hanc sanctæ quadradagesimæ obligationem amplecterentur, & animo Christiano id est humili, patienti & ad divinæ voluntatis nutum composito tolerarent.

Hæc ad Lectorum ædificationem hîc ascribere placuit, ut & ipsi alios talibus monitis datâ occasione imbuerent.

Quæstiuncula VI.

Quænam sit causa rationabilis excusans à jejunio, & quænam comprehendantur sub causâ rationabili?

Respondeo causam rationabilem trifariam accipi. Nam

1. Sumitur pro causâ quæ talis est nemine reclamante, v. g. infirmitas evidens, qualis est ægrotantium aut senum viribus destitutorum imbecillitas.

2. Dicitur causa rationabilis ea; quæ ab homine religioso & verè Christiano ad jejunium obligato citra fraudem æstimatur talis, qualis ad legitimam ab jejunio immunitatem accipiendam sufficiat, v. g. dolor, aut debilitas, quâ vir, qualem depinximus, se ab jejunio excusari existimat.

3. Ea etiam dicitur causa rationabilis & excusans à jejunio, de quâ dubitatur ad tollendam jejunii obligationem, si sufficiens ab Episcopo declaratur, inter causas rationabiles, si cætera sint paria, proculdubiò numeratur.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem comprehenduntur tria sub causâ rationabili, impotentia scilicet, necessitas, & meliori modo incumbens pietas.

Quæstiuncula VII.

Quinam ab jejunio excusantur per impotentiam.

Respondeo senes longo annorum spatio debilitatos excusari à jejunio per impotentiam. Verum quia moralia moraliter sunt tractanda, diversi senectutis gradus expendendi sunt: Neque enim omnes eadem ætate consenescunt. Nam aliis anno ætatis quadragesimo, aliis quinquagesimo, aliis serius, aliis citius, non intellecta senectus obrepit. Communiter tamen habentur senes qui septuagesimum annum attigerunt. Scriptum est enim, *dies annorum nostrorum septuaginta anni.* Unde qui ad hanc ætatem pertigere, absolvuntur ab jejunii obligatione, nisi evidenter constet ex valentiori corporis habitu eos citra sanitatis dispendium jejunare posse: Tunc enim ad jejunium obligantur. Cum enim, ut diximus, moralia moraliter tractari & determinari oporteat, nulla ætas cui adhuc solidæ vires suo stant robore, à jejunio eximitur, eò quod unusquisque in quodlibet bonum, quo suam vocationem certam facere possit, incumbere teneatur: juxta illud Ecclesiastæ cap. 9. v. 10. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Hæc ibi.

Nemo ergo senex sibi blandiatur, sed jejunet, si possit nec perperam fatiscentem causetur ætatem, sed audiat Salomonem Prov. cap. 24. v. 12. aientem: *Si dixeris: vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Hæc ibi.

Senes ergo sive senuerint quadragesimo, sive quinquagesimo, sive sexagesimo ætatis anno, non excusantur à jejunio, si satis virium ad colendam ipsius observantiam habeant, si præsertim sese in ipso juventutis flore fœdæ libidini & voluptati tradiderint; siquidem æquum est eos pro viribus pœnitentiæ labores aggredi & pati in ipso ætatis flexu, ut cum fiduciâ possint stare ante filium hominis. Quod si sint defecti viribus, ingemiscant apud se & cum orationibus, eleemosynis, & aliis pietatis operibus eam quam inter jejunandum perferrent inediam, sedulò compensare studeant. Ista ad arbitrium viri prudentis referenda sunt & exigenda.

Diximus senes adhuc robustos ad jejunium obligari, Observandum tamen eos ab jejunii observantiâ absolvi, cum de provectiori eorum ætate constat, & de eorumdem viribus ex æquo & bono dubitatur. Neque enim expectanda est postrema virium defectio, quæ cum ingruerit, insanabilis efficitur.

Quæstiuncula VIII.

Utrùm pueri ab jejunio ob impotentiam excusentur, utrùm aliquandò antequàm attigerint 21. ætatis annum, & quibus in casibus jejunare teneantur, & quâ ætate ad Ecclesiastica jejunia obligari censeantur.

Hæc quæstiuncula tripartita est. Nam

1. Quærit utrum pueri ob impotentiam excusentur à jejunio.

2. Quibus in casibus antequam ad vicesimum ætatis annum pervenerint, jejunare teneantur.

3. Denique quâ ætate ad jejunia Ecclesiastica obligari censeantur.

Hæc tria ut solvantur, dicimus

1. Pueros cæteris paribus ob impotentiam à jejunio excusari, neque ad illud obligari nisi ad finem tertii septennii, id est ad vicesimum primum ætatis annum eumque completum pervenerint. Quemadmodum enim senes infirmi & imbecilles absolvuntur ab lege jejunii, ut eorum fessa sustentetur ætas, ita & pueri eximuntur ab illâ ipsâ jejunii lege, ne ipsorum ætas frangatur incipiens, ut loquitur S. Hieronymus. Prudenter igitur Ecclesia eos promulgatis de jejunio legibus comprehendi noluit, eò quod & uberioribus & frequentioribus alimentis ad nutritionem pariter & augmentum indigeant, atque adeò citra notabile sui incommodum jejunare nequeant.

Quod spectat ad secundam quæstiunculæ partem; contendimus pueris posse imperari jejunium in communi necessitate, quod factitatum est apud Ninivitas, qui ut intentatam stragem ab suæ civitatis cervicibus propulsarent, suis etiam infantulis jejunium indixerunt. Jon. cap. 3.

Quod si pueri non sint adhuc doli capaces, non tenentur ullo pacto ad jejunium, sive spectetur jejunium quoad abstinentiam a cibis jejunii tempore vetitis, sive consideretur quoad unicam refectionem, quæ ad legitimam jejunii observantiam exigitur: quia nondum ad eas leges obligari possunt. Quod si sint doli capaces obligantur ad jejunium (ut affirmat Innocentius IV.) id est ad jejunium secundum abstinentiam ab cibis vetitis consideratum. In hoc enim omnes Theologi consentiunt pueros, qui ratiocinari incipiunt, ab cibis jejunii tempore prohibitis, non autem ab pluribus refectionibus, quibus indigent, abstinere oportere.

Iidem ipsi pueri doli nimirùm capaces seu rationis compotes tenentur jejunia Jubilæo indicta observare, si Jubilæum lucrifacere cupiant.

Quod spectat ad tertiam quæstiunculæ partem, dicimus adolescentulos juxta communem Doctorum sententiam ad Ecclesiastica jejunia obligari, cum ad tertii septennii finem id est ad vigesimum primum ætatis annum pertigere. Quod tempus communi fidelium consuetudine ad servanda jejunia determinatum nihil prohibet quominùs extra ejusmodi tempus aliquando jejunare teneatur; Si v. g. voto privato sese ad quædam jejunia astrinxerint, vel solemni voto cujuspiam ordinis approbati regulam aliquot jejunia præscribentem sint amplexi, ad ea observanda obligantur, ut asserit Sylvester. v. Jejunium. quæst. 6.

Ita etiam tenentur observare jejunia sibi ab prudente Confessario ad peragendam pœnitentiam imposita; sicut & ratione consuetudinis quibusdam in locis laudabiliter introductæ & conservatæ ad aliquot jejunia cum suis popularibus obeunda, sicut & ad observandam ab carnibus abstinentiam omni jejunio comitari solitam obligantur.

Porrò huius rei (id est temporis vigesimum primum ætatis annum antegressi quo ad ieiunandum astringuntur adolescentuli) determinationem Confessariis & Superioribus relictum esse rectè docet Lessius c. 2. Lib. 4. de iustitia & iure dub. 6. num. 40. ut videlicet quibus & quando opus esse videbitur, ieiunia præscribant. Si v. g. aliquis adolescentulus qui præ ætatis ardore carnis tentationibus sese lacessitum esse fateatur, debet Confessarius illi imponere ieiunia eius facultati consentanea, si illa ad huiusmodi tentationes compescendas superandasque necessaria judicaverit. Ad quæ acceptanda & præstanda obligabitur dictus adolescentulus, licet nondum attigerit vicesimum primum ætatis annum, utpotè qui (sicut & cæteri in eo rerum & tentationum articulo versati) remedia ad procurandam suam ipsius salutem necessaria lege naturali acceptare teneatur.

Quæstiuncula IX.

Quinam præter senes & pueros ab ieiunio propter impotentiam eximantur.

PRopter impotentiam excusantur à ieiunio non solùm ægroti lecto affixi, sed etiam languidi, & profligatæ, vel dubiæ sanitatis viri, & cuncti qui recèns revalescunt, & qui nondum tantùm alimentum unâ refectione adhibere possunt, quantum ad naturæ sustentationem exigitur, aut refectionis horam expectare nequeunt. In his annumerantur homines infirmi quos inedia in vertigines conjicit vel ipsis noctu unam quietem penitùs adimit. Ob eamdem impotentiam eximuntur à ieiunio pauperes, quibus non suppetit quod ad iustam refectionem uno tempore faciendam requiritur: Si enim id haberent, & aliundè ieiunio pares essent, nihil obstante paupertate à ieiunio non excusarentur. Ob eamdem impotentiam prægnantes mulierculæ; & quæ suos infantulos alunt, eximuntur à ieiunio, sicut & universi, quos medici religiosè & religiosè timorati ab ieiunio eximendos esse iudicant.

Quæstiuncula X.

Quinam ob necessitatem à jejunio excusari debeant?

AB ieiunio excusantur ob necessitatem.

1. Opifices, Agricolæ, Vinitores, & alii id genus homines, quorum labor, quo victum quæritant, & sine quo suam familiam alere non possent, talis est, ut ab ieiunantibus exerceri, tolerarique nequeat.

2. Excusantur pariter, qui inter ieiunandum salutem animæ vel corporis tueri, vel grave aliquod damnum, vel sibi, vel aliis intentatum effugere non possunt.

Quod spectat ad Sutores, Aurifices, Pictores, Advocatos & universim omnes quos non tam gravat consuetus labor, quam ut eos à ieiunio eximere debeat, non excusantur ab præfato ieiunio, nisi eos prudens Confessarius expensis, perspectisque personarum circumstantiis, vel obligandos ad ipsum ieiunium, vel ab eo eximendos esse judicaverit.

3. Denique ab ieiunio eximuntur omnes, qui ad opus aliquod, quod cum ieiunio consistere non potest, vel ob necessitatem publicam, vel ex eo tantùm, quo funguntur officio, obligantur. Sicut enim ieiunii præceptum necessaria opera non impedit, ita nec debita exercere prohibet.

Quæstiuncula XI.

Quodnam à jejunio excuset opus aliquod pietatis.

REspondeo opus pietatis, quod ieiunio antecellit, quodque inter ieiunandum fieri non potest, quod tamen ab eo ab ieiunium alioquin obligato vel ex officio, vel ob singularem aliquam utilitatem ex eo profectoram præstari necesse est, excusare à ieiunio etiam eos, qui ex merâ charitate in ipsa pietatis opera incumberent. Eo nomine excusantur à ieiunio Concionatores, qui proculdubiò insignem toti Ecclesiæ navant operam, cum acerrimo divinæ gloriæ studio inflammati sese totos tradunt lectioni scripturarum & SS. Patrum, ex quibus sic tanquam ex uberrimis, & limpidissimis fontibus dogmata ad astruendam fidem, & ad informandos reformandosve omnes idonea, necessariaque haurire valeant. Cum igitur ita sunt comparati, ut & lectionis, & prædicationis labores exorbere nequeant, excusantur à ieiunio, suas tamen vires hac in parte experiri debent. Si enim prædicarent pariter & ieiunarent multò magis ædificarent fideles, maioremque meritorum segetem sibi compararent. Eodem titulo ab Ecclesiastico ieiunio excusantur Doctores, Confessarii, & similes, functionibus ad procurandam Ecclesiæ utilitatem necessariis addicti, nec citra notabile sanitatis incommodum huiusmodi operibus incumbere, & efuriales ferias celebrare valeant. Nam ieiunium præcipitur, ut per illud promoveatur bonum, non autem maius bonum impediatur.

Quæstiuncula XII.

Utrùm jejunium propter invitantem aut ad nos advenientem amicum solvere liceat?

REspondeo non licere solvere ieiunium nisi ob causas ab Ecclesiâ declaratas, quarum pleraque omnes retulimus in hoc toto de ieiunio tractatu. Ita enim nos semper obligant Ecclesiæ præcepta, ut seclusâ rationabili causâ prætermitti nequeant: Atqui invitatio vel adventus amici non potest censeri causa rationabilis propter quam alia eiusdem Ecclesiæ præcepta prætermitti possint; ergo nec iusta causa ab ullo prudente censeri poterit, propter quam indictum ab ipsâ Ecclesiâ de ieiunio præceptum perinde ac cætera obligans infringi valeat.

Quæstiuncula XIII.

Utrùm jejunium Christianum cum eleemosynâ & oratione coniungi oporteat?

REspondeo ieiunium Christianum, ut suos omnes numeros habeat, esse coniungendum cum eleemosyna & oratione: ita ut si Christianorum egentissimus ritè ieiunare cupiat, eleemosynam saltem in præparatione animi, seu affectu, erogare & pro viribus orationi incumbere teneatur, ut hoc pacto eius ieiunium iuxta SS. Patrum effata, eleemosyna & oratione veluti duabus alis libratum efferatur, & perveniat usque ad Pontificem magnum qui penetravit Cœlos Jesum Filium Dei, & ex throno gratiæ eius misericordiam & gratiam nobis in tempore opportuno allaturum referat.

Hæc tria quæ scriptura arctissimo fœdere invicem vinculo colligat, ut patet ex cap. 12. Tob. v. 8. & ex cap. 58. Isai. vers. 7. & 8. & seqq. coniunxit Ecclesia Dei quadragesimali potissimùm tempore coli, & exerceri voluit tribus præsertim de causis, quarum

Prima est ut purâ conscientiâ seu ab omni peccati saltem lethalis reatu & affectu repurgatâ corporis Christi mysteria in augustissimâ Paschæ solemnitate perciperemus. Hanc rationem affert S. Joannes Chrysostomus sermon. 52. in eos qui Pascha jejunant: *Quam igitur ob causam jejunamus, inquit, per hos dies quadraginta? multi quondam te nerè ac sine judicio, præcipuè verò hoc tempore quo Christus ea tradidit, ad fa-*

cra mysteria accedebant. Cum igitur intelligerent patres quantum ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenienter quadraginta dies jejunii, precum, auditionis verbi Dei, & conventuum designarunt, ut in his diebus omnes, per preces, per eleemosynas, per jejunium, per vigilias, per lachrymas, per confessionem, ac per catera omnia diligenter expurgati, ita pro captu nostro cum conscientiâ purâ accedamus. Hactenùs S. Joann. Chrysost. serm. citat. Tom. 5. p. 614.

Secunda ratio ob quam jejunium cum oratione & eleemosynâ quadragesimali prasertim tempore conjungere oporteat.

ISTA ratio petitur ex eo quod instituta sit potissimùm quadragesima, ut eo ipso tempore quo Christus Jesus in deserto jejunans & suæ Passionis opprobria sustinens, & tandem dirissimam in cruce, id est in arâ totius mundi, ut loquitur S. Leo, mortem oppetens, atque adeò pro totius mundi peccatis satisfaciens nobis ob oculos proponitur, meminerimus nos oportere satisfaciendo pati pro peccatis, & Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes effici: ita tamen ut omnis gloriatio nostra sit in illo ipso Christo Jesu: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes dignos fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre, ut loquitur Concilium Tridentinum.

Si quis dicat, eum non rectè ratiocinaturum, qui dixerit nos Deo pro peccatis nostris quadragesimali præsertim tempore (quo Ecclesia generale fidelibus jejunium indicit) satisfacere oportere, ergo in ista tria in eleemosynam scilicet, in jejunium, & in orationem quadragesimali præsertum tempore incumbere necesse est.

Respondeo hanc ratiocinationem esse legitimam tribus de causis, quarum prima iodè petitur quod vera satisfactio, quam pœnalem esse par est, exigit ut peccatori subtrahatur aliquid, quod in honorem Dei cedat. Undè cum tria nobis bonorum genera suppetant, bona nimirum animæ, bona corporis, & bona fortunæ, non possumus ritè Deo satisfacere, quin ex hujusmodi bonis nobis aliquid subtrahatur.

Revera ex bonis animæ nihil nobis reipsa detrabitur, per ea quippè sumus accepti Deo, sed ea per orationem (quam semper gratiarum actio comitari debet) in Deum sic tanquam inexhaustum bonorum omnium fontem refundimus, & hoc pacto illa ipsa nobis quodammodò detrahimus, dum illa, sicut & omne donum perfectum ab patre luminum descendere profitemur.

Quod spectat ad bona & commoda corporis, aliquid ex iis per jejunium sicut & ex bonis fortunæ nobis aliquid per eleemosynam subtrahimus.

Secunda ratio petitur ex eo quod satisfactio peccatorum radices excidat. Quod non facit nisi per jejunium, per eleemosynam & orationem. Tres enim sunt radices ex quibus omnia peccatorum genera pullulant, nempè concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Ut habetur 1. Joan. cap. 2. Ad evellendam ergo carnis concupiscentiam jejunium, ad extirpandam oculorum concupiscentiam eleemosyna, ad profligandam denique vitæ superbiam adhibetur oratio, quæ cassa est & irrita, nisi illam altissima humilitas acceptam Deo reddiderit.

Tertia denique bujus rei ratio inde petitur quod satisfactio peccatorum suggestionibus aditum intercludat: quia omne peccatum vel in Deum committitur, & contra hoc ordinatur oratio, vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna; vel in nos ipsus, & contra hoc ordioatur jejunium, ut docet sanctus Thomas Supplem. 3. p. q. 15. art. 3. in corp.

Tertia ratio propter quam jejunium quadragesimale cum oratione & eleemosynâ conjungi necesse est.

ISTA ratio petitur ex eo quod quadragesima instituta veluti messis aut vindemiæ tempus, quo colligamus eas virtutes & ea subsidia, quorum adminiculo anima nostra ad vitam æternam provehi valeat: Et ideò in jejunium & orationem & eleemosynam unumquemque nostrum incumbere necesse est. Quod egregiè declarat S. Ambrosius serm. in feriâ 4. cinerum, vel S. Augustinus serm. 2. in capite jejunii, apud otrumque enim legitur. *Si nos alio tempore* (inquit quisquis est hujus sermonis Author) *impedimenta mundi desinent obligatos, vel in diebus sancta quadragesima in lege Dei sicut scriptum est, die noctuque meditemur, & ita cor nostrum divina legis dulcedine repleamus, ut in nobis nullum locum virtutibus vacuum, quem obtinere possint vitia, relinquamus. Sicut enim tempore messium vel vindemiarum, unde caro nostra sustentari possit, colligitur; Ita etiam diebus quadragesima quasi in spirituali vindemiarum vel messium tempore, unde in aternum anima nostra possit vivere congregetur. Quia sicut negligens quispiam si tempore vindemiarum, vel messium nihil collegerit, per totum anni spatium fame torquebitur: Ita qui hoc tempore spiritale triticum & caleste mustum jejunando, orando, legendo, in horreis anima sua providere & congregare neglexerit, in aternum durissimam sitim & crudelem inopiam sustinebit.* Et pauló pòst. *Considerate fratres, si & horreum & cellarium annis singulis replemus, unde uno anno cibum habeat caro nostra, quantum debemus recondere unde in aternum sustentetur anima nostra?* Hactenùs S. Ambrosius vel S. Augustinus.

S. Joannes Chrysostomus hom. 22. ad Popul. Ant. declarat eos non esse dignos qui Corpus Christi in Paschate percipiant, qui nullam sibi per totam quadragesimam virtutem comparavere. Usque adeò verum est universos & singulos fideles toto quadragesimali tempore, in vitia profliganda, & parandas virtutes incumbere oportere. *Ob hoc*, inquit, *jejunium & quadragesima, & tot dierum synaxes, auditiones, preces, & doctrina suscepta sunt, ut abstersis sceleribus per istiusmodi studium, qua nobis hoc anno quocumque modo illita inhaserunt, cum spirituali securitate illius, incruenti sacrificii participes efficeremur. Quia nisi id assequamur, temerè frustraque & cum nullâ utilitate tanti labores tolerati sunt. Quisque igitur secum reputet quem defectum correxit, quam virtutem acquisivit, quod peccatum abjecit, quam maculam eluit. quâ in parte melior factus sit: quod si invenerit pulchras istas merces sibi ex ieiunio adauctas esse, certusque sit plurimam se vulneribus adhibuisse curam, ad mensam Domini accedat. Quod si isthic negligens, solum ieiunium ostentare poterit, nec in ullis aliis rebus se castigatiorem factum probare poterit, foris maneat, ac tùm introeat, cum se ab omnibus peccatis expurgarit. Nullus in solo ieiunio fiduciam habeat, qui vitiis sine emendatione inhasit.* Hactenùs S. Joan. Chrysostomus serm. citat. Tom. 1. fol. 147. & 248.

Ex his S. Ambros. vel S. Augustini & S. Joan. Chrysostomi testimoniis perspicuum est neminem posse, ut par est, quadragesimam Apostolicâ traditione consecratam colere, quin strenuam in profligandis vitiis parandisque virtutibus operam impendat, atque adeò efficaciora ad tantarum rerum assecutionem adjumenta adhibeat. Cum ergo nemine reclamante hujusmodi adjumentorum principatum obtineant, jejunium, oratio & eleemosyna, nulli cordato dubium est, quin fideles ad ea omni tempore at præsertim quadragesimali recurrere debeant.

1. Jejunium ad aliquid ab ipso Deo impetrandum efficacissimum est: utporè quod misericordiam extorqueat. Unde Tertullianus in Apologia capite 40.

nos, inquit, *jejunii, aridi, omni continentiâ expresse, ab omni vita fruge* (id est deliciis) *dilati in sacco & cinere volutantes, invidiis cælum tundimus, Deum tangimus, misericordiam extorquemus*. Hæc ibi.

Et id verum esse potest omni tempore, at præsertim quadragesimali, quia scilicet omnes veri Christiani toto terrarum orbe diffusi tunc jejunant, & jejunio carnem macerant, & veluti conspiratis factionum partibus preces ingeminant, ita ut vi quadam adversus Deum adhibitâ repulsam pati nequeant. *Corpus sumus*, inquit idem Tertullianus Apologet. cap. 39. *de conscientiâ religionis & disciplina unitate, & spei fœdere coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Hæc ille.

2. Eleemosyna ad hanc vim ipsi Deo, ut ita dicam, inferendam aptissima est. Unde Jesus Filius Sirach: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Eccles. cap. 29. v. 15. & 16. Id est, eleemosyna antecellit armis quibus homines suos hostes appetere solent, & ipsummet Deum, quem constituit hominum debitorem, ut ait sanctus Joannes Chrysostomus hom. 36. ad pop. Antioch. ad defensionem hominis eleemosynas erogantis tantùm non adigit. Ideò sanctus Ambrosius ipsam jejunio anteponit. *Pro eo*, inquit, *quod non potest aliquis jeiunare, amplius erogare pauperibus debet, ut peccata quæ non potest ieiunando curare, possit eleemosynas dando redimere. Bonum est ieiunare, fratres, sed melius est eleemosynam dare, si tamen aliquis utrumque potest, duo sunt bona. Si verò potest eleemosynam dare, & possibilitas non fuerit ieiunandi, eleemosyna sufficit sine ieiunio; ieiunium verò sine eleemosynâ non sufficit. Ergo si aliquis ieiunare non potest, eleemosyna sine ieiunio bona est, si verò prævalet, ieiunium cum eleemosynâ duplex bonum est.* Et paulò pòst. *Ne quis pauper de percipiendis eleemosynæ fructibus desperaret*, subdit: *sed quis est qui se poterit excusare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ, dixit? Ne fortè se possit aliquis pauper de lignorum penuriâ excusare, aut dicere se vasculum ubi aquam calefaceret non habere. Denique & per Beatum Prophetam Dominus ita hortatur, & admonet eleemosynam fieri, ut propè nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sic enim ait: Hoc ieiunium est quod elegi, dicit Dominus: frange esurienti panem tuum. Non dixit, ut integrum dares: cum pauper ille alium fortè non haberet: sed frange, inquit: hoc est dicere: etiamsi tanta tibi paupertas sit, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.* Hæc ibi.

Quod si eleemosyna ipsi Deo quodammodò vim inferat, utpotè quæ mereatur, ut virum ad factitandas eleemosynas propensum, instar scuti protegentis & lanceæ ferientis & referientis sartum tectum ab omni hostium impetu conservet: quidni etiam illum ipsum ad impertienda salutis æternæ adiumenta quodammodo adigat: Revera eum hilarem datorem diligat Deus, ut testatur scriptura, si libenti prolixoque animo & Christianâ liberalitate proximorum inopiam recreaverimus, vix continere se poterit, quin suam in nos munificentiam vicissim testatam faciat. Ergo potens ieiunium, potentius est, cum est cum eleemosynâ coniunctum: sed potentissimum redditur, & efficacissimum est, quando orationem ex flagranti corde profectam velut individuam comitem ascivit.

Ista igitur tria, quæ Deus coniunxit, homo non separet, si necessaria suæ saluti præsidia consequi cupiat. Addat igitur ieiunio eleemosynam, quia ut eleganter explicat sanctus Petrus Chrysologus serm. 8. de ieiunio & eleem. *Esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia tota ieiunii semina producit in florem, in cælestem messem, totam ieiunii facit fructificare virtutem. Quod dici sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio. Sicut iubar solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem: sic eleemosyna ieiunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur.* Et paulò pòst. *Est ieiunium invictus militia Christiana principatus, sed in virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triomphat, cum duce misericordiâ pugnat. Misericordia & pietas jejunii sunt alæ per quas tollitur & portatur ad cælum, sine quibus jacet & volutatur in terrâ.* Et infrà. *Manus pauperis est Gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias Cælum. Da nummum ut accipias regnum. Da micam ut accipias totum. Da pauperi ut det tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus, misericordiam volo, Qui quod vult Deus Deo negat, à Deo sibi quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo. Homo petit Deus, sed tibi non sibi, humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam.* Hæc ille congruenter cæterorum Patrum effatis, quibus prolixitatis vitandæ gratiâ supersedeo.

3. Oratio numeratur inter arma, quibus justitia divina exarmatur, & misericordia, ut ita dicam, extorquetur. Hanc veritatem insigniter probat iste locus petitus ex cap. 18. Sapient. v. 21. *Properans homo sine querela* (is est Aaron) *deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati: ostendens quoniam tuus est famulus.*

Si ergo Aaron Sacerdos se hac in parte præbuit Dei famulum, eò quod sui ministerii arma orationem scilicet & thymiama ad placandam Dei rebellem populum punientis iram; quidni & Christiani, quos scriptura gentem sanctam & regale Sacerdotium appellat, eadem arma ad impetrandam, imò quodammodò extorquendam ipsius Dei misericordiam arripere, id est orationem adhibere, & thymiama offerre, id est varias virtutes orationi adiungere poterunt? Thymiama enim ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum fit, quia quantò virtus virtuti iungitur, tantò incensum boni operis sincerius exhibetur. Ut ait S. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 19.

Sicut igitur thymiama ex variis aromatum generibus, ex stacte scilicet & onychâ, & galbano, & thure compositum erat, ita & oratio ex variis virtutibus per huiusmodi aromata significatis constare debet. Nam

1. Stacte quæ est flos seu lachryma myrrhæ, pura liquor spontè à myrrhâ defluens & distillans, & hæc myrrha lectissima, suâ amaritudine carnis seu cordis mortificationem significat.

2. Onycha nardi odorem referens significat castitatem, quæ suavissimos odores eosque Deo & Angelis iucundissimos longè lateque iaculatur.

3. Galbanum utpotè calidum & pingue charitatem significat.

4. Thus designat ardorem & odorem, seu fragrantiam, quæ orationem comitari debet.

Porrò orationis huiusmodi dotibus seu virtutibus comitatæ, tres sunt gradus tribus hisce verbis comprehensi, nempè, petite, quærite, pulsate. Huiusmodi gradus nihil ab invicem discrepant, prætérquam quod unus alterum pietatis ardore superat.

1. Est muta declaratio quâ creatura suam suo Creatori egestatem & inopiam aperit, & explicat.

2. Duplicatum est & ardentius studium, quo quis conciliandæ eiusdem Creatoris gratiæ occasiones aucupatur, eumque bonis operibus & insigni quapiam fidelitate inflectere & allicere annititur, ut flagitatam

tandem gratiam impertiat.

3. Orationis gradus acerrimus est conatus, quo anima, quæ novit Deum inter orandum velle quodammodo cogi, omnem machinam adhibet, ut præsidia ad æternæ salutis assecutionem necessaria ab ipso vel impetret, vel illatâ deneganti violentiâ, ut ita dicam, extorqueat.

Istud orationis genus ab multis, tam in veteri quam in novo testamento usurpatum esse legimus.

In veteri illud usurpavit Jacob, & de Deo triumphavit, ut refertur Gen. cap. 32. v. 23. & seqq. Cum enim cum Deo id est cum Angelo Deum repræsentante usque manè luctatus esset, & ille surgente aurorâ sese dimitti flagitaret; Jacob autem ex adverso instaret testareturque se non dimissurum eum, quin ipsi benediceret, ab eo postulatam tandem benedictionem adhibitâ vi extorsit, sicque de illo victoriam reportavit; quod & confiteri Angelus nihil dubitavit. Siquidem sic eum affatus est: *Nequaquam*, inquit, *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Id est non tantùm Jacob, sed etiam Israel appellaberis. Quia cum in scriptura novum alicui nomen imponitur, non adimitur prius, sed posterius adjicitur priori: Ita ut Jacob. v. g. modò Jacob, modò Israel (id est dominans Deo) appellari potuerit. Item Moyses cui cum Dominus Hebræorum idololatriâ exulceratus diceret: *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam, orabat Dominum Deum suum, dicens; Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti in fortitudine magnâ & in manu robusta?* perseveratâ tandem oratione, id vel obtinuit, vel extorsit, *ut placaretur Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.* Ut narratur Exodi cap. 32. v. 9. & seqq.

In novo Testamento mulier Chananæa ab ipsomet Christo repulsam passa eodem violentæ orationis genere usa est. Siquidem tantâ tamque constanti perseverantiâ orationi institit, ut ipse Christus tam ipsius, quam Apostolorum (quos precatores adhibuerat) improbitate propemodum fatigatus & adactus ejus petitioni annuerit. Matth. cap. 15.

QUÆSTIUNCULA XIV.

Quid Christus in deserto præter jejunium & orationem cum ingenti erga homines misericordiâ conjunctam ad nostram ædificationem præstiterit?

RESpondeo præter ista dimicasse cum tentatore Diabolo, eumque gladio spiritus, quod est verbum Dei protrivisse.

Christianum esse militem nemini dubium est. Reverà illi veluti Cataphracto militi cælestem panopliam ascribit sanctus Paulus Ephesior. cap. 6. v. 13. & seqq. Quo loco assignat illi pro galeâ spem salutis, id est spem in Christum: pro thorace justitiam, id est, opera justa & sancta: pro baltheo veritatem, id est fidelitatem & integritatem quam Deo pariter & hominibus exhibere necesse est: pro calceis & ocreis præparationem & alacritatem ad ineundam & ad indicandam aliis Evangelii viam: pro galea verbum Dei: pro scuto fidem. Hæc sunt arma victricia, quibus instructi Christiani omnes Dæmonum impetus facilè superare possunt.

Ex hujusmodi armis Christus Jesus arripuit præsertim gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, & debellavit Dæmonem, & eodem etiam modo debellandum esse declaravit. Quod quidem sanctus Augustinus mirabiliter suo more explanavit in lib. de verâ relig. cap. 38. *Omne*, inquit, *quod in mundo est, sicut divinitùs dictum est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Hoc modo tria illa sunt notata: Nam concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum curiosos, ambitio sæculi superbos. Triplex etiam tentatio in homine quem veritas ipsa suscepit, cavenda monstrata est. Dic, inquit tentator, lapidibus istis, ut panes fiant. At ille unus solus magister: non, inquit, in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit. Sed fortè dominationis temporalis fastu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit: Omnia ergo regna mundi monstrata sunt ei, & dictum est: omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. Cui responsum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ita calcata est superbia.*

Subiecta est autem extrema etiam curiositatis illecebra: Non enim ut se de fastigio templi præcipitaret, urgebat, nisi causâ tantùm aliquid experiendi. Sed neque hic victus est, & ideò sic respondit, ut intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum tentationibus visibiliter divina explorare molientibus: Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur, non quærit in istâ eremo voluptatem. Qui uni Deo tantùm subiectus est, non quærit in monte, id est in terrenâ elatione iactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhærescit, non per fastigium huius corporis, id est per hos oculos præcipitatur, ut temporalia & inferiora cognoscat. Hactenùs S. Aug. loco citato.

Inde patet quomodo per scripturam divinitùs inspiratam obterere oporteat voluptatem, superbiam & curiositatem. Sic enim nos docuit Christus utpotè qui testimoniis ex eadem illâ scripturâ repetitis superavit dæmonem, & domuit triplicem illam cupiditatem ex quâ velut ex teterrimâ scaturigine omnia peccatorum genera prosiliunt.

Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ profert varia scripturæ loca quibus illa utebatur ad profligandas tentationes. Studiosus lector hæc omnia apud S. Hieronymum legere poterit.

Recapitulatio doctrinæ Superioris.

QUia longiùs provecti sumus ex occasione quæstionis quâ quæsiimus utrum peccata lethalia ante sacram communionem pœnitentiæ laboribus expiari oporteret, ideò hîc in pauca contrahere juvat pleraque omnia quæ pluribus edisseruimus.

1. Probavimus ex Conciliis & probatis Authoribus bonum Christianum & maximè lethalibus peccatis constrictum, in ipso quadragesimæ exordio de suis peccatis confiteri oportere.

2. Ut ostenderemus quibus præsertim in operibus transigenda esset quadragesima, proposuimus ob oculos Christum Jesum, quem nobis Ecclesia illâ ipsâ primâ quadragesimæ Dominicâ in deserto jejunantem & cum tentatore dimicantem exhibet: ut ejus exemplo animati secessum coleremus, & in omnia, quantum liceret, pietatis opera incumberemus.

3. Diximus esse servandum quadragesimale jejunium, quod, sicut oportet, observari non potest, quin Christianus tria præstet. 1. Ex peccatorum lethalium statu emergat. 2. Omnem eorum affectum abjiciat. 3. Omnem eorum occasionem studiosissimè effugiat.

4. Diximus istud jejunium pœnitentiale esse oportere, id est cum mortificatione conjunctum.

5. Probavimus eos non jejunare, qui plures refectiones adhibent. Præterea solvimus plures quæstiunculas ad jejunii vel integritatem, vel infractionem pertinentes.

6. Declaravimus jejunium suis carere dotibus & numeris, nisi ad illud & eleemosyna & oratio accesserint.

7. Denique diximus exemplo Christi scripturæ testimoniis tentationes ritè debellari. Quæ omnia si præ

viribus Christiani præstiterint, contendimus eorum quadragesimam eodem exitu coronatum iri, quo quadragesimale Christi jejunium coronatum esse novimus. Sicut enim Angeli esurienti Christo post inediam ad 40. dies, & totidem noctes productam cibos attulere, ita & Sacerdotes (quos Ecclesiæ Angelos jure ac meritò nominamus) bonis Christianis quadragesimali jejunio & mortificatione ritè perfunctis, porrigent in ipso Paschate cæleste manna, id est sacrum illud Corpus, quod Christus Jesus suis Apostolis, & in eorum personâ omnibus in ipsum credituris pridiè quam pateretur, epulandum apposuit.

Cum hactenùs de peccatis lethalibus per salutarem pœnitentiam ante v. Sacramenti perceptionem expiandis egerimus; jam de venialibus agendum est, & dissentiendum quænam sint, & quid ex iis detrimenti anima capiat, & quomodo ab lethalibus differant, & quâ pœnitentiâ expiari debeant: & quando propter illa ab v. Sacramenti perceptione abstinere oporteat. Sit itaque

QUÆSTIO VI.

Quænam sint peccata venialia, & quid ex iis detrimenti anima capiat?

SAnctus Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus, qui sæculo VI. floruit, & Concilio Agathensi præfuit anno sal. 506. aliquot hujusmodi peccata enumerat serm. 8. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est ut ex iis vel aliqua nominemus.

1. Quoties aliquis aut in cibo, aut in potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata noverit pertinere.

2. Quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet quam expedit.

3. Quoties pauperem importunè petentem exasperat.

4. Quoties cum sit corpore sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, & somno deditus tardus ad Ecclesiam surgit.

5. Quoties excepto desiderio filiorum uxorem suam cognoverit.

6. Quoties in carcere positos tardiùs requisierit, infirmos tardiùs visitaverit.

7. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit.

8. Si plus aut proximum aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit, quam oportet, vel si amplius blanditus fuerit, quam expedit.

9. Si cuiquam majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit.

10. Si pauperibus esurientibus nimiùm deliciosa, vel sumptuosa sibi convivia præparaverit.

11. Si se aut in Ecclesiâ, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis (de quibus in die judicii ratio reddenda est) occupaverit.

12. Si dum incautè juramus, & eum hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique perjuramus, & cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, cum scriptum sit: neque maledici regnum Dei possidebunt.

13. Cum temerè aliquid suspicamur quod tamen plerumque non ita (ut credimus) comprobatur, sine ullâ dubitatione delinquimus.

Hæc & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ (sicut jam dixi) enumerari vix possunt, & à quibus non solùm omnis populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquandò, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie repentè deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cælestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Hactenùs sanctus Cæsarius Arelatensis loco citato.

Quod spectat ad detrimenta per hujusmodi peccata leviora in animas importari solita, ea præclarè persequitur Joannes Thaulerus institutionum cap. 2.

1. Quamvis, inquit, omnia peccata venialia evitare non possimus, ita tamen nos ipsos ex gratiâ Dei, & possumus & debemus sollicitè custodire ac observare, ut raro ex improviso, ex proposito verò nunquam, etiam pro morte evitandâ in illa incidamus.

2. Sicut densa nebula oculos carnis impedit, sic peccata venialia mentis oculum obfuscant, ut Deum inspicere nequeamus.

3. Divinæ dilectionis fervorem extinguunt.

4. Orationes nostras difficiliùs, quam si ea non admitteremus, exauditi faciunt.

5. Animam deturpant atque commaculant: undè Spiritus sanctus contristatur, malignus verò Spiritus exultat.

6. Dei ab animâ familiaritatem, quamdiu non emendantur, excludunt.

7. Hominem ad majora gravioraque peccata pertrahunt.

8. Vires animæ ad resistendum pravis inclinationibus debiliores reddunt.

9. Hominem ad benè agendum pigrum & acediosum efficiunt.

10. Desideria ad temporalia inclinant.

11. Purgatorii pœnas prolongant, & à Dei præsentis intuitu diutissimè retardant. Perpendat jam quisque, utrum parva sint hæc detrimenta maximè si ex proposito, vel pravâ consuetudine peccata hujusmodi fiant. Hæc ille.

QUÆSTIO VII.

Utrùm aliquem ob peccata venialia ab Corporis Christi participatione removere oporteat?

UT huic quæstioni respondeatur, observandum est, varia esse peccatorum venialium genera. Licet enim hujusmodi peccata non importent æternam à Deo separationem, sunt tamen plura ipsorum genera, eaque accuratè ab invicem secernenda, ut dijudicari possit quænam liberum permittant ad Eucharistiam aditum, & quænam intercludant. Nonnulla enim sunt voluntaria, alia verò involuntaria, ut loquuntur Patres; nonnulla sunt quæ ex pravâ nostri cordis propensione existunt, alia verò quæ ex adventitiâ tentatione proficiscuntur. Aliqua deliberatè, alia verò ex quadam dumtaxat imprudentiâ admittimus. Nonnulla ex diuturno habitu, alia verò ex prætervolanti occasione oriuntur. Nonnulla ex negligentiâ & merâ fragilitate, surreptione, affectu, vel ex ignorantiâ prosiliunt. Alia intrinsecùs, alia extrinsecùs admittuntur. Nonnulla magis alia minùs animæ nostræ puritatem populantur. In nonnullis proximi charitas magis, in aliis minùs violatur. Nonnulla quoddam præbent offendiculum, alia citra scandalum efferuntur. Nonnulla nostros animos majori, alia minori perturbatione concutiunt. Nonnulla denique esse numerosiora, alia verò pauciora evidentius est quàm ut pluribus probari oporteat.

His ita prælibatis quisquis ob hujusmodi peccata (etsi præ mortalibus levia sint) non oportere aliquando hominem ab Corporis Christi perceptione removere contenderet, convelleret profectò maxima pietatis Christianæ fundamenta. Et damnaret complures viros eosque insigni sanctitate præditos, qui suis, & monumentis & exemplis nos, utpotè venialibus culpis implicatos ab v. Sacramento minori alioquin reverentiâ, quam par est, prosequendo, abstinere oportere docuerunt.

Ac reipsâ

Ac reipsâ quidem si hujusmodi peccata sint voluntaria, ex pravâ corrupti cordis propensione manantia, consulto & cogitato, & ex diuturno habito admissa, & non parum in animæ potitatem & proximi charitatem grassantia, & in fratrum scandalum redundantia, & numerosiora. Si, inquam, reapse levia alioquin peccata talia sint, quis aliquando homines propter illa ab altaris participatione removendos esse dubitet? ne pravâ cordis præparatione judicium sibi manducent & bibant, utpote qui animos tanti mysterii sanctitati contrarios & infensos habeant. Nam

1. Christus in hoc Sacramento vult instar sponsi in animas fidelium, & eas veluti sponsas suo sanguine redemptas amplecti, & ex adverso peccata venialia nos ab ejusmodi amplexibus avellunt, ut testatur S. Augustinus Serm. 41. de Sanctis, qui est de igne purgatorii: *Quibus peccatis*, inquit, *licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* Hæc apud S. Augustinum, quæ & leguntur apud Cæsarium Arelat. Serm. 8. quem suprà citavimus.

Illud ipsum vel repetit, vel asserit S. Aug in lib. 50. hom. homil. 50. cap. 2. in quo enumeratis variis peccatorum venialium generibus ita loquitur: *Piget*, inquit, *cuncta colligere: quæ quisque in seipso certiùs comprehendit, atque reprehendit, si divinarum scripturarum speculum non negligenter attendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiatur, sicuti homicidium, & adulterium vel cætera hujusmodi: tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt necant, & nostrum decus ita exterminans, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desiccentur.* Hæc ibi.

2. Christus se veluti omnium gratiarum fontem ab fidelibus in hoc Sacramento percipi voluit, ut eos divina suarum gratiarum abundantiâ, locupletaret, sed tamen ejus liberalitatis opulentiam & profusionem inhibent peccata venialia; quod luculenter explicat Joannes Thaulerus Serm. 4. de v. Sacramenti festivitate. Nam ibi distinguit tria personarum ad sacram Synaxim accedentium genera. Alii, inquit, sacramentaliter tantùm, non etiam spiritaliter, ideoque nec salubriter Christi Corpus accipiunt quales sunt omnes, qui cum mortalis peccati certâ conscientiâ accedunt, qui sunt socii Judæ proditoris. Alii & Sacramentaliter & spiritualiter in animas suas ipsum recipiunt, sed modicum tamen indè reportant fructum, gratiam, consolationem: quales sunt qui cum multis venialibus peccatis impatati ac indevoti accedunt. Alii cum ingenti fructu, utilitate immensâ & non modico sanctitatis augmento ipsum accipiunt. Alii denique spiritualiter tantùm non Sacramentaliter sumunt, homines videlicet pii & mundicordes, qui vellent quidem & desiderant etiam Sacramentaliter accipere, sed pro illo tempore, quo id optant assequi non valent: qui tamen pro desiderio & intentione suâ gratiam Sacramenti multò fortasse consequuntur uberiorem quam alii Sacramentaliter ipsum percipientes. Et paulò pòst. Multi prætereà Sacramentum hoc recipiunt quidem in animas suas, eodemque fortassis in vitâ beatâ perenniter fruituri sunt, & singularem ex frequentatione mercedem seu præmium consecuturi, si tamen in gratiâ sine peccato mortifero decesserint; sed amorosos effluxus divinos & innumera sancti Spiritus Charismata, quæ in hoc Sacramento conferuntur, percipient nunquam: Soli namque exteriori significationi seu signo inhærentes ad ipsum fundum minimè pertingunt. Cum multis etiam venialibus culpis tepidè accedunt, & ideò nihil reportant gratiæ, quippè cui ob multa magnaque ipsorum impedimenta nullus patet ad eos accessus, sicque vani, dissoluti, inanes, frigidi perseverant, nec aliquem referunt fructum, imò deficiunt.

Sed quæret fortasse aliquis, quænam sint illa impedimenta propriè quæ tanta eis damna irrogant pretiosissimosque divinæ gratiæ thesauros cælum & terram locupletantes ac divitiis implentes ab eis excludunt, ita ut quamlibet sæpè communicent, vacui tamen semper & inanes permaneant, sicut in multis quotidiè videre pronum est?

Cui planè respondetur, impedimenta hæc venialia esse peccata, quæ nimirùm Charitatis actualem fervorem diminuunt infrigitantque, cor distrahunt, devotionem expellunt, sanctam labefactant, vel etiam extinguunt strenuitatem, Dei familiaritatem auferunt, & quamvis gratiam charitatemque non enecent penitùs, hæc ipsa tamen damna inferunt, multumque disponunt ad mortalia peccata & gratiæ amissionem.

Ille ipse author ibidem duo peccatorum venialium genera distinguit, quorum alia vocat perseverantia & inhærentia, alia verò fluxa.

Inhærentia vocat ea per quæ aliquis præpostero creaturarum amore irretitus in illis sensuum voluptatem & delectationem principaliter quærit. Tunc in peccata venialia, quæ perseverantia dicuntur, incurrit. Et illa gravia sunt. Siquidem exempli gratiâ diligit nescio quis creaturas, & delectationes memoratas, & iis propter Deum mori renuit, quod quandiu facit creaturæ locum Dei in ipso occupant, ita ut Deus in eo nec habitare nec operari possit. Hoc autem in seipso quisque non negligenter observare debet, studiosè perscrutando ubinam creaturæ in se lateant, & fortassis ipsemet est, aut aliqua propria inordinatio, vel quia de amicis suis, aut divitiis, nonnihil extollitur, aut forsitan vanè in propriis institutis & exercitiis suis complacet sibi.

Est etiam vitium quoddam, heu! nimis hodiè vulgare & usitatum, puta quod omnes & singuli tam Religiosi & Ecclesiastici quam sæculares, privatis lucris inhiant, divitias cumulare ac recondere satagunt, adeoque tenaces sunt, & avari, ut satis dici nequeat. Unde hominum amicitias superfluas ac vanas, animi recreationes & levitates expetunt, cum tamen in eis nec intendant nec quærant, & multò minùs inveniant Dominum Deum creatorem suum. Isti nimirum in mortalium peccatorum velut præcipitio sunt constituti, jamque propè est ut vel intùs, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnum incurrant. Imò frequenter antequam advertant, ipsi in multa gravia peccata collabuntur. Hæc ergo sunt impedimenta perseverantia, & culpæ inhærentes, cum quibus tamen multi, proh dolor! ad reverendissima Christi Sacramenta accedere non metuunt, suas nihilominùs consuetudines & modos retinentes, nec aliquid ex prædictis repudiare volentes. Cumque hac de causâ nec Deum nec sancti Spiritus intùs sentiant consolationem, non magnoperè id curant, sed suis studiis & consuetudinibus inhærent, atque ad creaturas cum delectatione & amore se convertunt, sicque nonnunquam quadraginta, vel quinquaginta, & eò ampliùs annos sub habitu sancto & opinione bonâ transigunt. Verum utrum isti feliciter hinc decessuri & ad extremum salvandi sint vehementer incertum est, eò quod fundus eorum spontè scienterque diuturno quodam & insolito creaturarum amore & delectatione irretitus est, atque constrictus. Ubi verò necessitas extrema ingruerit, omniaque coram divino judicio detegentur, nescient prorsùs quo in statu res suæ sint, nec facilè Deum invenire poterunt. Et paulò pòst.

Si quis eos reprehendere voluerit, aut secùs instruere, eum errare affirmant. Fitque tandem ut dum in istis perseverant, impedimenta, id est peccata hæc inhærentia, adeò in eis consenescant, & in habitum quemdam convertantur, ut nullam indè conscientiæ patiantur accusationem sivè remorsum. Ista, dilectissi-

mi. peccata magna & fortia sunt divini effluxus ac operationis impedimenta, & quasi densa quædam antemuralia, nec poterunt his subsistentibus sancti Spiritus in animâ suâ operationem sentire quicquid etiam agant. Quantum enim creaturæ implent à tanto Deum cum suâ gratiâ abscedere oportet. Hactenùs Thaulerus de peccatis venialibus perseverantibus & inhærentibus. Nunc de fluxis seu non inhærentibus ita loquitur ibidem.

Fluxa verò, inquit, & non inhærentia peccata sunt v.g si quis nullius creaturæ inordinato amore captus detineatur, semperque se paratum inveniat ad relinquendum omnia, quæ certò sciret Deum ab ipso velle relinqui, qualiacumque etiam illa forent, vel homines, vel amici, vel bona temporalia: Interim tamen non tam studiosè seipsum custodit, ut meritò deberet: facileque à naturâ & vitiis naturalibus qualiacumque demum sint illa, vincitur, ut ab irâ, à superbiâ, à torpore & ignaviâ, a verborum levitate, quorum omnium necnon & aliorum vitiorum dum se illi offert occasio, in his ipsis excedit, estque vel loquax nimium, vel potùs cibique intemperantior, aut plus satis hilaris, aut demùm immodicè sollicitus & occupatus.

Quamvis autem ex his vitiis interdum aliqua peccatis prioribus inhærentibus queant esse graviora, dum tamen ex infirmitate, vel subreptione fiunt, multò quam illa minùs impediunt: Quandoquidem fundus ipse purus est, & tantùm accidens malum. Si quis tamen in crastinum aut hodie accessurus, minùs se ab his vitiis custodisset, quod ad divinam unionem attinet, multùm certè hanc ipsam impediunt, fiduciam minuunt, mentem distrahunt, & dilacerant, hominemque divini amorosi influxus, & corusci luminis efficiunt incapacem. Nihilominùs si peccata, vel impedimenta hæc contra voluntatem heri contigissent, atque cum verâ cordis contritione defleantur, non perindè nocebunt, neque impedient, ut facerent, si hodiè accidissent. Ipsa namque pœnitentiæ amaritudo & pressura ac dolor cordis, quibus hæc deflentur, magnâ ex parte rubiginem horum vitiorum abstergunt. Jam si quis heri in ista cecidisset, hodieque denuò sui ipsius curâ posthabitâ in hæc ipsa incideret, simulque ex his mentis quamdam contraheret distractionem, potà vel ex garrulitate nimiâ, vel immodicâ occupatione, tùm certè non parùm ista impedirent, dum unum impedimentum jungeretur alteri: Nec tamen propterea semper à communione sacrâ abstinere, nec penitùs eam intermittere necesse est. Si enim accedit, nihil peccat, modò illum in hujusmodi peccata incidisse pœniteat. Poterit enim sequenti die suum recuperare damnum. Sæpenumerò etiam ipsa natura indisposita impedit, putà quando aliquis vel somni vel cibi fuit intemperantior, plus aut minùs inde capiendo. Certè ita quemque sui deceret esse sollicitum, ut ad singulos penè morsus, si natura citra sui gravamen eos ferre posset, examinaret. Satis enim mundum, purumque fit oportet, cui Deus ineffabile suum mysterium infundere debeat. Hæc itaque sunt, quæ divinum impediunt influxum, & pretiosissimos divinæ gratiæ thesauros in hoc dignissimo Sacramento latentes ab animâ excludunt.

Hunc locum etsi proliziorem ex Thauleri serm. 4. in festivitate v. Sacram. exscribere placuit eo nomine quod salubertimam de peccatis venialibus (quæ nos aliquando ex docti prudentisque Confessarii judicio ab sacrâ Communione removere debent) doctrinam eamque paucis Christianis, & fortè Sacerdotibus cognitam contineret. Sed redeamus ad propositum, & ostendamus peccata venialia augustissimo Eucharistiæ Sacramento esse omni ex parte contraria.

3. Igitur peccatum veniale mirum in modum Eucharistiæ adversatur: Siquidem in eâ nobis Corpus Christi porrigitur in alimentum; quod confirmet cor hominis, illique ad profligandas tentationes & obterendum omne peccatum suppeditet. Reverà Christiani Christi Corpus ritè suscipientis iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus Isaiæ capite 27. vers. 9. Unde sanctus Bernardus sermone 1. in Cœnâ Domini numero 3. *Duo*, inquit, *illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Hæc ibi.

E diametro igitur peccatum veniale repugnat Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, siquidem disponit ad peccatum mortale, vel directè, vel indirectè: directè quidem, quia ex consensu omnium Theologorum peccatum ex suo genere veniale potest disponere directè ad aliquod peccatum, quod est mortale ex parte agentis, eo quod ex frequenti peccatorum venialium iteratione augeatur prava dispositio, seu ad peccandum pronitas & propensio, eâ autem sdauctâ rei consequendæ appetitus ita adolescere & corroborari potest, ut ultimus finis statuatur in re expetitâ, id est ejus amore homo paratus sit ab ipso Deo desciscere per peccatum mortale. Si v. g. quispiam vanis colloquiis & lusibus in muliercularum cœtu indulgeat, & perceptâ inde voluptate capiatur, facile fieri potest, & frequentiùs, proh dolor! accidit, ut tandem prolabatur in fœdas mortiferasque libidines; è quibus sese posthac ægerrimè extricare valeat.

Indirectè autem peccatum veniale disponit ad mortale ex genere, removendo scilicet prohibens: Qui enim in minoribus suam voluntatem divino ordini subjicere assuescit, vel renuit, ita sensim sine sensu afficitur, ut eam finis ultimi ordini subtrahat. Siquidem voluntatis suæ sub Deo subjectionem, quâ excluditur omnis inordinatio, removet.

Præterea peccatum veniale minuit fervorem charitatis, tam illius quâ Deum prosequitur, quàm illius, quâ nos Deus complectitur, animæ vires maximè debilitat, hominem divinis destituit auxiliis, quorum ope roboratus peccatorum lethalium tentationibus obsisteret. Adde quod habitus ex frequenti actuum venialium iteratione comparatus maximam ingenerat propensionem ad peccatum lethale, ad cujus genus & similitudinem propiùs accedit. Quisquis v. g. levioribus seu venialibus furtis assuevit, facilè delabetur ad graviora & lethalia, nisi studiosissimè caveat. Habitus quippè ad actionem eamque consummatam collineat, & ad eam hominem incitat; sic furandi habitus per leviora venialiaque furta comparatus ad majora & lethalia citra scrupulum admittenda vehementiùs extimulat.

Ex pluribus Sanctorum Patrum locis quibus demonstrari potest hominem parva venialiaque peccata facilè admittentem in lethalia tandem prolabi, juvat proferre unum S. Joanis Chrysostomi locum, quo id liquidò comprobatur. *Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo*, inquit, *solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva & vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa natura peccati efficit: Hæc autem hac ipsâ re quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis magna fiunt negligentiâ nostrâ. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Judâ maximum proditionis malum exortum est; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Judæi quoque nisi putassent inanis*

gloria delictum minimum esse, usque ad eadem Christi lapsi non fuissent. Hac viâ omnia scelera fieri videbis: nemo enim repentè ad extremam improbitatem insilit. Habet quippè insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare & projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentiâ perit. Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus hom. 86. secundum Græcos codices, secundum alios 87. in quâ pulcherrimè probat, quomodo Dæmon à minimis ad maxima perpulsos homines in desperationem conjiciat.

Quæstio VIII.

Quid sentiendum de Christianis qui non curant abstinere ab minimis venialibusque peccatis.

HAnc quæstionem solvit sanctus Bernardus serm. 1. quem habuit in Conversione sancti Pauli num. 5. *Ignotum*, inquit, *persequebatur* (Paulus) *& ideò consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc, fratres, justum judicem Deum, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat, considerate & cavete deinceps, ne quis parva reputet quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in Spiritum Sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate: non in Spiritum Sanctum blasphemans: ideò consecutus est misericordiam.* Hactenùs ipsissima sancti Bernardi verba.

Ex isto sancti Bernardi loco tria colliguntur.

1. Propositum hærendi in peccatis venialibus, quia minima sunt, esse impœnitentiam.

2. Esse blasphemiam in Spiritum Sanctum.

3. Denique esse blasphemiam irremissibilem.

1. Ergo istud propositum hærendi in venialibus minimisque peccatis esse impœnitentiam certius est, quam ut probari oporteat. Nam pœnitentia cujuslibet peccati etiam venialis & minimi tria necessariò complectitur. 1. Contritionem cum proposito non peccandi de cætero, 2. Confessionem quæ vel apud unum Deum fieri potest, si tantùm de venialibus (quæ non sunt necessaria Sacramenti materia) eam fieri oporteat, vel apud Deum pariter, & apud homines fieri necesse est, si de peccatis lethalibus sit agendum. 3. Denique pœnitentia, sive in Sacramento sive extra Sacramentum peragatur convenientem satisfactionem necessariò includit.

Cum ergò quispiam deditâ operâ hæret in venialibus peccatis, nec de illis contritionem concipiat, nec de iis saltem apud Deum confiteatur, nec ullo pacto pro ipsis satisfacere studeat, rectè certa ejus impœnitentia ex ejusmodi rerum defectione & absentiâ colligitur.

Inde etiam gravissima existunt mala. Siquidem multi hujusmodi peccatorum citra ullam emendationem, confessionem ad salutem sufficere arbitrati, toties debitam pœnitentiæ Sacramento reverentiam infringunt & violant, quoties ad illud adeunt. Ad hujusmodi mala advertere debent Sacerdotes, Religiosi, Moniales & omnes universim personæ eximiam præ cæteris pietatem professæ, quæ ut plurimum satis habent levia illa peccata confiteri; ita tamen ut in illa ipsa citra scrupulum assiduè revolvantur: Et hæc est subtilissima techa Diaboli, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hoc enim pacto tales homines semper tepidos detinet, & prohibet, quominus progrediantur in viâ Dei, imo efficit ut ab eâ in dies longiùs recedant.

Unde nullam non adhibet machinam, ut in ejusmodi hominum & his similium animos altiùs hunc errorem imprimat, venialia scilicet peccata nihili esse ducenda, & hominem ipsis obnoxium suo affatim officio fungi, si de illis, ut fieri amat, confiteatur, etiamsi sine ullâ emendatione in eadem revolvatur.

Quâ in re graviter peccat quisquis in tali impœnitentiâ perseverat. Cum enim ex sancto Augustino, & cæteris Patribus triplex pœnitentia in Ecclesiâ Dei semper observata fuerit, una nempè ante baptismum, duæ verò post baptismi perceptionem, quarum una suscipitur pro peccatis lethalibus ab percepto baptismate admissis, altera verò peragitur pro levioribus peccatis, sine quibus nemo vivit in terris: indè rectè conficitur neminem esse Christianum, quin leviora saltem, venialiaque peccata commiserit, atque adeo pœnitentiam ad illa expianda peragere teneatur. Unde S. Augustinus Epist. 89. in principio: *Qui misericordiâ Dei adjutus*, inquit, *& gratiâ se ab iis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus hic non vivitur, mundare operibus misericordiæ & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamvis cum hic viveret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia, quibus purgarentur, affuerunt.* Hæc ibi.

In duobus ergo capitibus boni Christiani justitiam seu sanctitatem constituit sanctus Augustinus, nempè in fugiendis peccatis lethalibus, & venialibus per opera misericordiæ & pias orationes expiandis.

Quid quod sanctissimi quique homines levia esse peccata gravissimis pœnis expungere studuerunt? Usque adeo illa Deo esse exosa perspexerant. Quod quidem insigniter de sanctâ Paulâ in ejus Epitaphio prædicat sanctus Hieronymus: *Mollia etiam*, inquit, *in gravissimâ febre lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus penè orationibus dies noctesque jungebat: illud implens de Psalterio: lavabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo. In quâ fontes crederes lachrymarum: Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Hæc ibi.

Nemini ergo Christiano latet, quin etiam levia peccata studiosissimè pœnitentiæ remediis, orationibus, eleemosynis redimi, & constantissimis propositis executioni mandatis, & operibus ipsorum malignitati contrariis deleri, & expiari debeant. Si v. g. quis in hujusmodi peccata prolapsus est, eo quod sese in improborum consuetudinem immerserat, fugiat deinceps tale consortium, seseque in privatum ædium secessu contineat. Si per otium ea peccata peccavit, legitimis posthac negotiis incumbat: silentio profluentem loquacitatem coërceat, laudibus & honorificâ de proximo testificatione ejus existimationem verbis inconsideratis quodammodo exulceratam aut imminutam sarciat: benigniori interpretatione sinistras suspiciones expiare, & majorem parsimoniam Christianâ in pauperes liberalitate compensare studeat: demissis & humilibus factis intumescentis arrogantiæ elationem comprimat: frigidam proximorum exceptionem benignâ salutatione & hilari amoris significatione eluat: acediam experrectâ vigilantiâ pervincat: affectatam quamdam voluptatum captationem eâ, quâ par est, maceratione puniat: pro acerbitatibus denique quibus & domesticos & alios intempestivè læserit, omnes honestiùs & benigniùs adhibendo satisfaciat. Sic hujusmodi peccata alioquin maximè nocitura contrariis remediis ab unoquoque Christiano deleri & expiari poterunt.

Quæstio IX.

Quo sensu propositum perseverandi in peccatis venialibus, blasphemia in Spiritum Sanctum appellari possit & debeat?

QUemadmodum æterno Patri potentia, Filio sapientia & Spiritui Sancto bonitas ascribitur: ita & peccata in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum admitti dicuntur. Qui enim ex humanâ imbecillitate vel fragilitate peccant, dicuntur peccare in Patrem Patrisque potentiam; qui ex ignorantiâ in Filium seu in Filii sapientiam: qui autem (quod longè gravius est) peccant ex malignitate & pervicaciâ mentis, peccant in Spiritum Sanctum, utpotè qui ejus bonitatem suâ malitiâ graviter offendunt. Hoc posito

Blasphemia sivè cordis, sivè oris, sivè operis propriè loquendo consistit in contemptu divinæ cujuspiam personæ, cum scilicet aliqua ejus perfectio deliberato contemptu, vel corde, vel ore, vel opere violatur, ut si quis malè animatus sit erga patris potentiam, vel filii sapientiam, vel aliquid proferat, vel aliquid exequatur adversus Patrem, vel Filium, admittet proculdubio Blasphemiam vel cordis, vel oris, vel operis, quâ in gravem Patris, vel Filii offensam incurrat: Ita etiam si quis verbum cordis, vel oris, vel operis protulerit contra Spiritum Sanctum, immanem sanè blasphemiam adversus eumdem Spiritum Sanctum admiserit, v. g. quisquis deliberatè perseverat in peccato lethali usque ad mortem, peccat & blasphemat in Spiritum Sanctum duobus modis.

1. Quia talis in peccato perseverantia est contra remissionem peccatorum, quæ fit per Spiritum Sanctum, qui est charitas Patris & Filii.

2. Quia talis in peccato perseverantia proficiscitur ex certâ malitiâ, id est ex ipsâ electione mali, quæ quidem cum gravissimâ in Spiritum Sanctum blasphemiâ conjuncta est: eo quod per contemptum abjiciatur & removeatur id, quod electionem peccati impedire poterat, sicut spes per desperationem, & timor per præsumptionem: & quædam alia hujusmodi. Hæc autem omnia quæ peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus Sancti in nobis. Et ideò sic ex malitiâ peccare, est peccare in Spiritum Sanctum, ut ait sanctus Thomas 2. 2. q. 14. art. 1. in corp.

His ita prælibatis, quid prohibere poterit, quominùs hominem in peccatis venialibus perseverare volentem blasphemiæ in Spiritum Sanctum admissæ, si non omninò, at certè quodammodo reum esse profiteamur? Siquidem obfirmata ejus in talibus peccatis perseverandi voluntas adversatur remissioni peccatorum, quæ fit per Spiritum Sanctum. Numquam enim vel levissimum peccatum remittitur, quin peccator de illo doleat & conteratur: Et ideò quisquis sciens & volens hæret in venialibus peccatis, blasphemat in Spiritum Sanctum.

Deinde per hujusmodi voluntatem removentur ea quæ per Spiritum Sanctum hominem à peccato revocare possunt. Ista duo sunt: quorum unum est inordinatio & turpitudo actus, cujus consideratio inducere solet in homine pœnitentiam de peccato commisso: & contra hoc ponitur impœnitentia, secundum quod importat propositum non pœnitendi.

Alterum est parvitas & brevitas boni, quod quis in peccato quærit: secundum illud Rom. 6. quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc, quod ejus voluntas in peccato non firmetur. Et hoc tollitur per obstinationem, quando scilicet homo firmat suum propositum in hoc, quod peccato inhæreat, ut docet sanctus Thomas loco proximè citato art. 2. in corp.

Quæ duo cum cadant in hominem deliberatè in peccatis venialibus hærentem, & deinceps hærere statuentem, non poterit ille, si credamus sancto Bernardo, ab impœnitentiæ, atque adeò blasphemiæ in Spiritum Sanctum admissæ referventi crimine eximi, si præsertim projectus sit ad omne peccatum veniale passim & nullo discrimine committendum.

Quod quidem eò probabiliùs apparet, quò certiùs multa effecta profluunt ex venialibus peccatis, in quibus nemo perseverare potest, quin illa pariter utpotè necessariò consecutura sese acceptare profiteatur.

1. Præstantissimum Dei opus animam scilicet justi hujusmodi peccata dedecorant.

2. Peccatum veniale est offensa in Deum, quâ ejus majestas injuriâ afficitur, ejus bonitas impugnatur, ejus gloria imminuitur, omnis denique ejusdem perfectio violatur.

3. Prohibet ne quis in viâ Dei progrediatur.

4. Auxiliis actualibus (quibus adversus peccata nostra fulciretur infirmitas) aditum intercludit: ita ut propter unicum peccatum veniale, vel propter plura plerumque plectamur, & relinquamur in infirmitate naturæ.

5. Disponit ad peccatum mortale. Utpotè quod removeat ea, quibus nostra in peccata prolapsio prohibetur, perturbat enim ordinem rationis, alioquin Creatori subditæ, sanctas cogitationes, pios affectus, & alia id genus adjumenta peccatum à nobis propulsantia labefactat, & aditum aperit tentationibus; quibus acriùs ad lethale peccatum impellimur & propemodùm adigimur.

6. Denique venialia peccata, vel uno eo nomine maximè sunt fugienda imò detestanda quod Deo quam maximè displiceant, & ab ipso gravissimis acerrimisque purgatorii flammis, & quidem per plurimos annos afficiantur. Reverâ quotquot animæ degunt in Purgatorio duplici pœnâ cruciantur, pœnâ scilicet damni, & pœnâ sensus.

Ista damni pœna, quæ beatificam visionem remoratur, tanta est, ut nec ejus acerbitas concipi, nec ipsi ulla hujus sæculi pœna æquiparari valeat. Maximum malorum & suppliciorum dirissimum, quo apud Inferos torquentur reprobi, in hoc positum est, quod per omnem æternitatem ab ipsius Dei fruitione sint amandati: At secundum illud, quod propter æternitatem excipi debet, nullum excogitari potest majus & intolerabilius, quam retardari ab ipsius Dei possessione, in quâ unâ suprema creaturarum intelligentium fœlicitas vertitur & insistit Unde juxta Sanctorum effata, acerrima animarum in Purgatorio degentium pœna ex æternæ beatitudinis retardatione proficiscitur.

Ratio hujus pœnæ multò gravissimæ petitur ex impetu quo anima ex hujus veluti corporis ergastulo abstracta ad ultimum suum finem supremamque beatitudinem evolat, & ex inenarrabili dolore quo percellitur, cum se ab illo suo fine etiam ad minimi spatium temporis ablegatam aspicit ob levium peccatorum maculas, quas sibimet suâ negligentiâ aspersit, dum versaretur in terris. Quanta sit hujusmodi pœna ignoramus, tum quia per phantasmata corporalia, & sensuum ministerium obscurè intelligimus quicquid intelligimus; tum quia deliniti corporalibus oblectamentis, in his acquiescimus, spiritualia autem parvipendimus, perinde ac si ad nos nihil omnino pertinerent. Cum autem animæ nostræ ruptis veluti vinculis nostris è corporibus eruperint, tunc demùm inexplicabili ardore, & impetu sese proripient ad primam illam veritatem, cujus intuendæ & fruendæ causâ sese creatas fuisse ut cum maximè intelligent. Unde quotquot sese divinæ charitatis igne perustos esse sentiunt cælestem suspirant patriam, Deumque inextincto desiderio depereunt & ne ab ejus aspectu (cum excesserint è vivis) possint retardari, ingenti studio omnia peccati vel leviora & eorum occasiones velis remisque fugiunt,

ut vulgari jactatur adagio, & insuper ea quæ olim admisere, & etiamnum ex surreptione admittunt, frequenti mortificatione & pœnitentiæ laboribus eluere & expiare totis viribus annituntur.

Quod spectat ad pœnam sensus ejus atrocitatem graphicè depingit S. Augustinus in Psal. 17. *Domine ne in indignatione arguas me: Non sim inter illos*, inquit, *quibus dicturus es, ite in ignem æternum, &c. neque in irâ tuâ emendes me, ut in hac vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? Nisi quia ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos & de utroque igne securi essent: Non solùm de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati; & nostis, quanta hic passi sunt mali, & possunt pati: tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quid non pertulit Martyr in confessione Christi? Ista ergo quæ hic sunt mala, multò faciliora sunt, & tamen videte quemadmodum ea homines, ne patiantur, quicquid jusserint* (ipsi homines) *faciunt. Quantò melius faciunt, quod jubet Deus, ne illa graviora patiantur?* Hæc ibi S. Augustinus.

Idem hac de re prodidere alii SS. Patres: Quippe qui cum reicirent post vitæ hujus exitum alios flammis expiari purgatoriis, alios subire sententiam æternæ damnationis, & præterea pro comperto haberent transitorium illum ignem omni tribulatione præsenti esse intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis optavere non argui, sed etiam in irâ transeuntis correptionis purgari timuerunt.

Reverâ si ad ista serio animum appellerent Christiani, longè meliùs & studiosiùs Christo Domino famularentur. Quid enim prodest vanis cogitationibus distineri, & otiosis sermonibus, jocis & scurrilitatibus oblectari: Siquidem in his maxima pars nostræ vitæ & temporis (cujus unius avaritia laudabilis est) elabitur & perit. *Volat irrevocabile tempus*, ait S. Bernardus suos Monachos affatus, *& dum creditis vos cavere pœnam istam minimam* (quam in pœnitentiæ laboribus oppetere necesse est) *incurritis ampliorem. Illud enim scitote quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hîc neglecta redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego, quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere: Sed durius & multò durius erit, futuras illas molestias tolerare.* Hactenùs sanctus Bernardus in Serm. de obitu Humberti devoti Monachi.

Ad hujusmodi pœnarum (quibus cruciantur sanctorum animæ nondum ad levium vel gravium peccatorum sordibus repurgatæ) gravitatem, accedit temporis diuturnitas, quæ certè ad multos annos, vel etiam ad plura sæcula porrigitur. Testis est Innocentius Papa III. qui (ut legere est apud Surium Tom. 3. ad diem Junii 16.) cum se visendum præbuisset sanctæ Ludgardi, ipsi declaravit se æternam quidem mortem evasisse, sed se pœnis atrocissimis usque ad diem judicii cruciandum esse. Hæc apud Surium loco cit. lib. 2. vitæ sanctæ Ludgardis.

Testis est Eva uxor Guillermi Crispini, quæ quidem (ut refertur in Chronico Beccensi ad an. Redempt. 1089.) paucis ab obitu diebus sese exhibuit fratri Rodulpho (ut ipsi repromiserat) eique revelavit se sexaginta annos pœnitentiæ accepisse, quia parvos canes & alia hujusmodi varia quæ homines pro nihilo ducunt, amaverat, & in iis ultra modum delectata fuerat.

Testes denique innumerabiles alii, qui acerrimis & diutissimis purgatorii flammis cruciantur ob levia venialiaque peccata, quæ orationibus, eleemosynis, synceràque acceptarum offensionum condonatione & aliis pietatis operibus, dum hîc viviscerent, abstergere neglexerunt.

Ex his patet quo sensu S. Bernardus perseverantem in peccatis venialibus atque adeo in eorum affectu voluntatem, impœnitentiam, & blasphemiam in Spiritum sanctum appellaverit. Cur autem eam in Spiritum sanctum blasphemiam irremissibilem esse dixerit, non potest alia proferri ratio propter illam, ob quam peccata in Spiritum sanctum irremissibilia nominantur.

Illa siquidem dicuntur irremissibilia, vel quia post hanc vitam nulla est pœnitentia: Unde fit ut finalis impœnitentia sit omninò irremissibilis; vel quia quantum est de se habent meritum ut non remittantur, vel denique dicuntur irremissibilia secundum suam naturam, in quantum excludunt ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 14 art. 3. in corp. Ac reipsa quidem peccata venialia servatâ proportione habentur irremissibilia, sicut & peccata in Spiritum sanctum, quamdiu in iis deliberata voluntate perseveratur, nullum enim peccatum quantumvis leve remittitur, nisi saltem virtuali quadam displicentiâ deleatur, puta cum aliquis hoc modo fertur in secundum affectum in Deum, & res divinas: Ut quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hoc commisisse: etiamsi de illo, actu non cogitaret, ut ait S. Thomas 3. par. q. 87. artic. 1. in corp.

Porrò deliberatam in peccatis venialibus perseverandi voluntatem esse nominis impœnitentiam, esse veram in Spiritum Sanctum blasphemiam, eamque irremissibilem juxta S. Bernardi sententiam assererem, si constaret hominem in peccatis venialibus deliberatè hærentem ita esse affectum, ut quodlibet peccatum veniale, quia veniale est, passim admitteret, & contra certam Theologorum omnium sententiam se in eo statu & peccati licet venialis affectu citra Dei offensam & nullo suæ salutis dispendio hærere posse pervicaciter in animum induceret suum. Hujusmodi, inquam, hominem esse impœnitentem & blasphemiæ in Spiritum Sanctum admissæ reum sine ullâ cunctatione pronuntiat sanctus Bernardus. Quia quisquis projectus est ad quodlibet peccatum veniale passim & nullo discrimine admittendum, hoc ipso in reatum peccati lethalis incurrit, ut docent majorum gentium Theologi. Siquidem sese mittit in probabile discrimen damnationis æternæ, utpotè qui sciens & prudens sese implicare velit in omnia mala in animas per peccatum veniale, importari solita. Nam amplectitur peccatum veniale, quod est offensa Dei, eaque gravior, quam hujus sæculi homines sibi persuadeant. Non vult progredi in viâ Dei: hunc enim progressum impedit peccatum veniale. Vult item destitui necessariis ad assequendam salutem auxiliis; iis enim peccatum veniale aditum intercludit. Vult disponi ad peccatum mortale, ad id enim veniale disponit. Vult dæmonum tentationibus impugnari, iis enim peccatum veniale aditum aperit. Vult denique displicere Deo qui gravissimis tam hujus quàm alteriùs vitæ pœnis quibus veniale peccatum afficit, satis superque declarat quanto ejusdem peccati (quod plerique omnes Christiani nihili ducunt) odio teneatur.

Talem hominem seu tam perdito animo animatum, nemo Sacerdos ad sacram Synaxim admittere poterit, quin se ad teterrimi immanissimique sacrilegii societatem adjungat.

Quæstio X.

Quomodo se ad Corporis Christi perceptionem comparare debent Christiani qui ex surreptione in peccata venialia prolabuntur?

1. Hujusmodi homines qui in peccata lethalia divinâ gratiâ suffulti non impingunt, & in venialia dumtaxat ex surreptione, & naturæ infirmitate incidunt, ubi ea animadverterunt ad internam pacem & tranquillitatem recurrere necesse est, ut obsistant Dæmoni qui cum resciat fieri non posse quin septies in die cadat justus, ejus animum perturbat molestaque sollicitudine afficit, utpotè qui nihil deprehendat aptius quo illum in præcipitium detrudat.

2. Hujusmodi peccata agnoscenda sunt & confitenda sedato animo. Nusquam enim magis elucescit humilitas, quam in tali pace & confessione, quibus sic tanquam duobus indiciis animam de Deo vivere, & inconcussa firmitate illi adhærescere & inservire cernitur & apparet.

Omnem in talium peccatorum agnitione abigendam esse sollicitudinem (quâ perturbatur animus) & amplectendam esse humilitatem docet insigniter S. Bernardus: *Levia illa peccata non sunt parvipendenda. Non ideo tamen*, inquit, *pro eis necesse est nobis esse sollicitos: ignosces facilè, imò & libenter si tantummodo nos agnoscamus. In hujusmodi namque quasi inevitabilibus, & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est quod in Oratione quam ipse constituit quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiscentiâ diximus, quod licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum, nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu, tamen ad humiliandos nos, ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus: Sic & de minoribus istis peccatis piâ dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superemus; semperque timorati & omninò sollicisi simus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.* Hactenùs S. Bernard. serm. 1. in Cœnâ Domini.

3. Hominem talium peccatorum aspectu perciturn oportet sese, qualis est in intimo, & arcano cordis recessu, etiam cum ad statum gratiæ provectus est, intueri & admirari nostræ naturæ primo primi hominis flagitio profligatæ imbecillitatem & concupiscentiæ in nos ab vitiatâ origine transfusæ vim, quæ tanta est, ut nec ipso præsente Deo, & ejus gratiâ opitulante moriatur.

4. Oportet animum attollere ad Deum, & cotam eo tranquillâ & humili nostræ culpæ agnitione nostram imbecillitatem & miseriam profiteri: Id autem exerceri decet per religiosum & mirabile silentium, & per quamdam suspensionem animi, qui suam professus culpam testificatur unum dumtaxat Deum esse totam animarum vim & robur, & ab illo uno proficisci omnes victorias, quibus in singula momenta Dæmonum artes, insidiosæ hujus sæculi illecebræ, præteritorumque peccatorum imagines obteruntur. Ista numinis invocandi ratio præstantissima est & efficacissima ad exorandam gratiam quâ nostra infirmitas alioquin ruitura fulciatur. Ad ipsam igitur ab ipso statim casu confugiendum, si eam nostram in utilitatem convertere cupiamus.

5. Peccata venialia aliquâ satisfactione sunt eluenda. Quibus autem adjumentis eluantur docet S. Augustinus Ench. de fide, spe, & charitate cap. 71. *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in cælis: qui jam patri tali regenerati sunt ex aquâ & Spiritu Sancto. Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: Si quemadmodum veraciter dicitur; dimitte nobis peccata nostra, quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: id est si fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.* Hæc ibi S. Augostinus qui & ibidem varia eleemosynarum genera recenset.

Idem S. Augustinus in lib. de 10. chordis cap. 11. percenset remedia quibus curari possunt peccata quotidiana: *Si quæ delectationes sæculi*, inquit, *subrepunt in animam; exercete vos in misericordiâ, exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt non surrepere in animam propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere quia minora sunt: Sed time quia plura sunt.* Et paulò post. *Illa dico quotidiana peccata, quæ aut linguâ facile committuntur, ut est verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. In ipsis concessis peccata sunt, & ipsa talia peccata quotidiana eleemosyna mundant. In ipsis alimentis, quæ utique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis, quam necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista quæ dico: Sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis etsi non magnitudinis. Talia peccata dicimus, fratres, quotidianis eleemosynis posse mundari, sed facite eleemosynas, & nolite cessare. Attendite vitam vestram quotidianam, ipsis peccatis scatentem, minutis ipsis dico.* Hæc ibi.

Delentur ergo venialia peccata & per idoneam satisfactionem expiantur.

1. Si de iis justus dolor concipiatur.

2. Si quis ea Sacerdoti confiteatur, non ut obtemperet præcepto (nullum est enim præceptum quo Christiani hujusmodi peccata confiteri teneantur) sed ut majorem exerceat humilitatem & uberiorem ad ea pervincenda gratiam in Sacramento pœnitentiæ consequatur.

3. Si quis pro iis satisfaciat per orationem fidelium, per jejunia & eleemosynas: quæ quidem omnia rectè præstare poterit, si in praxim conferat monita, quæ in ipso hujus quæstionis exordio retulimus.

Hujusmodi adjumenta ab omni ævo in Ecclesia ad minores culpas eluendas adhibita mirabili efficaciâ pollent, utpotè quæ animæ vires suppeditant & in occasionibus similibus iis quæ illi aliàs offendiculum præbuere, insuperabilem efficiunt.

Usque adeò verum est hujusmodi culpas leviores nihil officere Christianis, qui eas præfatis exercitationibus resarciunt: Siquidem sæpenumerò in majorem eorum utilitatem exeunt. Inde enim altiorem humilitatem, majorem sui diffidentiam, firmiorem in Deum fiduciam, experrectiorem vigilantiam, sagaciorem dictorum omnium atque factorum moderationem, consideratiorem prudentiam, acriores denique percipiunt inimicitias adversus communem humani generis hostem & insidiosas omnium creaturarum illecebras, quibus homines divino obsequio strenuè mancipatos in errorem inducere & ad peccatum allicere machinatur.

Quæstio XI.

Utrùm Sancti Patres aliquando ab Sacrâ Corporis Christi Communione ob peccata venialia abstinendum esse docuerint?

Respondeo SS. Patres id & scripto & exemplo docuisse, ut in hujus quæstionis discussione donante Deo declarabimus.

1. S. Joannes Chrysostomus (ut commemorat Palladius Helenopolitanus Episcopus in ejus vitâ quam ipse conscripsit) pulcherrimè id præstitit.

Hortatur (inquit Palladius) *Joannes Constantinopolitanus Episcopus Paulum Heraclea Episcopum, qui Antonino Episcopo Ephesi studere videbatur, ut eos in amicitiam copulare contenderet. Surgensque Ecclesiam ingressus est unà cum Episcopis; erat enim sacrificii tempus. Pacem vero populo ex more imprecatus sedit cum Episcopis reliquis. Clàm autem introgressus accusator Eusebius, Valentinopolitanus Episcopus, coram populo omni, & Episcopis, libellum aliam porrigit eadem continentem, adjurans Joannem sacramentis horrendis, quibus salutem quoque principum addidit tanto cum tumultu, ut putarent populi ejus impudentiâ territi, cum à Joanne petere, ut vitam sibi à rege impetraret. Joannes, ubi viri advertit instantiam, ne in populo perturbatio ulla oriretur, libellum sumpsit, lectisque divinis eloquiis Pansophium orat Pisidia Episcopum divina offerret ut munera: ipse cum Episcopis reliquis exiit: Cavebat enim animo turbido, juxta Evangelium Sacrificia offerre. Si obtuleris*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Hactenus Palladius in vitâ S. Joannis Chrysostomi.

Quod S. Joann. Chrysost. docuit exemplo, docuit & verbo: Oportere scilicet quemlibet Christianum ab omni peccato repurgatum esse ut ad sacrosanctam Synaxim ritè accedere valeat. *Ob hoc*, inquit, *jejunium & quadragesima & tot dierum Synaxes, auditiones, preces & Doctrina suscepta sunt, ut abstersis per hoc studium peccatis omnibus, quæ nobis hoc anno quocumque modo allita inhæserunt, cum spirituali securitate illius tremendi sacrificii participes efficeremur.* Hæc ille Tom. 1. hom. 22. quæ est de simultate sivè irâ ad pop. Antioch.

Perspicuum est S. Joannem Chrysostomum hoc loco de abstergendis peccatis ad percipiendam Eucharistiam intelligendum esse de peccatis lethalibus pariter & venialibus; siquidem ait susceptam quadragesimam & prædicationes & alia id genus, ut Christiani per varia pœnitentiæ opera abstergerent omnia peccata, quæ sibi illo anno quocumque modo allita inhæserant, & hoc pacto sese ad percipiendum Christi Corpus strenuè compararent. Quod & repetit homil. 24. in 1. ad Corinth. *Absterge*, inquit, *ab omni sorde animum, prepara mentem ad horum mysteriorum susceptionem.* Volebat ergo Christianos ab omni vel peccatorum venialium labe repurgari, ut ad tremenda mysteria dignè Deo accederent.

Hujus viri authoritas magni hac præsertim in occasione facienda est. Ille est enim quem veluti præcipuum Eucharistiæ Doctorem ad stabiliendam ejus veritatem, & ad ingenerandam in animis fidelium ejus reverentiam divinitùs excitatum universa suspexit antiquitas.

2. Quid quod Ambrosius Gerontium (qui indicaverat se noctu Onoscelidem, hoc est Dæmonum genus asininis cruribus apparens, apprehensum capite raso in pistrinum conjecisse) ut indigna Dei ministro locutum, præscripto tempore manere domi, & pœnitentiâ expiari jussit? Ut commemorat Sozomenus Eccles. Histor. lib. 8. cap. 6.

Ille ipse S. Ambrosius magnificè prædicat de Theodosio Imperatore Romano post hominum memoriam sapientissimo & religiosissimo, eo nomine, quod cum insignem victoriam utpotè magnis partam miraculis & celeberrimi Poëtæ huic ætati supparis versibus decantatam, de Eugenio Imperii prædone seu usurpatore reportasset, quia hostes in acie straverat, abstinuit à consortio Sacramentorum donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu: Ut ipse loquitur S. Ambrosius in Oratione funebri de ejus obitu.

Reverâ id ab ipso factitatum est juxta mentem Ecclesiæ, quæ quidem, ut testatur S. Basilius, statuerat, ut quotquot suos hostes inito belli certamine enecassent, diutissimè ab Eucharistiæ mysterio segregarentur. Eo decreto testificata est Ecclesia quantam puritatem exigeret ab iis, qui ad tanti mysterii participationem aspirarent. Hujusmodi Decreto obtemperavit religiosissimus Imperator: quippè qui stravit omne, quo utebatur insigne Regium, deflevit in Ecclesiâ publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam, neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Ut loquitur idem S. Ambrosius loco citato.

Cum ista duo pœnitentia scilicet & humilitas ex eodem fonte prosiliant, patet eumdem gratiæ impulsum, quo quis exemplo tanti Imperatoris ab Eucharistiâ totis octo mensibus segregati, eamdem ab ipsâ Eucharistiâ segregationem non gravatè patitur ad expianda crimina, id est pœnitentiæ laboribus eluenda, eamdem etiam inspirare pietatem, quâ quis sponte sibi divina mysteria ob peccata venialia & interdum etiam in rebus indecorum magis quam peccatum redolentibus abjudicat. Pœnitentiæ Spiritus ad utramque ab Eucharistiâ segregationem pro lethalibus & pro venialibus peccatis libente animo perferendam incitat, sicut impœnitentia utramque repudiat. Illa ipsa denique humilitas Christiana hominem aliquando ab terribilis mysterii participatione revocat, sicut & humana superbia nonnullos ita impellere potest, ut in aras insiliant, & Sanctum Sanctorum citra ullum timorem, & passim & omnibus criminum peccatorumque generibus inquinatissimi arripiant, id est, ut loquitur S. Cyprianus, Corpori Christi vim inferant.

3. S. Hieronymus si iratus fuerat, & aliquid mali suo in animo cogitaverit, si illum nocturnum phantasma deluserat, non audebat ingredi basilicas martyrum, ita totus corpore & animo pertremiscebat, ut testatur ipsemet adversus Vigilantium; Quid eum facturum fuisse credimus si de Eucharistiæ perceptione actum esset? An levi quapiam irâ correptus, an aliquâ mali cogitatione perstrictus, an aliquo phantasmate nocturnam inter quietem delusus: An, inquam, ob hujusmodi peccata ut plurimùm levia, sæpè autem nulla, sese contulisset ad percipiendum Sanctum Sanctorum in eo statu, in quo non audebat ingredi basilicas martyrum? An majorem Sanctorum reliquiis quam ipsius Christi Sanctorum omnium Regis & dominatoris corpori adhibuisset? An ejus præsentia cujus gloria & majestas Angelos sacro & amoris plenissimo tremore percellit, minori illum terrore & horrore affecisset, quam sacra illa martyrum ossa, quæ adhuc ingemiscunt in terris expectantia Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ? An denique majori reverentiâ prosecutus esset exanimata illa corpora, quam adorandam illam Christi carnem, ex quâ illa ipsa corpora suam omnem sanctimoniam & dignitatem sicut & incorruptionis & vitæ semen ipsis ex immortalis & vivificæ Christi carnis attactu impressum relictumque, ut ex Sanctorum Patrum oraculis discimus, acceperunt.

4. S. Gregorius Papa I. cognomento magnus omni virtutum doctrinarumque laude cumulatus, quod asserimus interdum scilicet ab mysteriorum perceptione & celebratione ob peccata venialia abstinendum esse, scripto pariter & exemplo comprobavit.

Scripto quidem id docuit lib. 2. in primi Reg. cap. 1. explicans hæc verba: *Et famelici saturati sunt.* Ita enim loquitur: *Qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait: probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de*

calice bibat. Quid enim est hoc loco probare nisi evacuatâ peccatorum nequitiâ se probatum ad Dominicam mensam & purum exhibere? De repletis etiam subdit: qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Qui ergo quotidiè delinquimus, quotidiè ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipsa sola virtus est quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc verè famelici saturamur, quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eò uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione. Hæc ibi S. Gregorius, qui & hanc ipsam doctrinam religiosissimo facto & exemplo roboravit. Cum enim pauperem in angustiis andronarum recessibus à vespillonibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopiâ periisse, ita per aliquot dies à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dicto nefas est, peremisset. Ut legere est cap. 29. lib. 2. in ejusdem S. Gregorii vitâ per Joannem Diaconum conscriptâ.

Quod si Pontifex sanctissimus cæteros fideles sanctitate pariter & dignitate supergressus, quem flagrantissima charitas factitandis mysteriis parem non tunc primùm reddiderat, & quem velut primum Ecclesiæ Pastorem omnium Ecclesiarum sollicitudo ad victimam illam pro omnium fidelium salute assiduè offerendam incitare debuerat, sese ab altari sponte & ultrò abstrahit, suspicatus dumtaxat se quapiam in occasione proximi charitati defuisse; an aliquis perspecto tanti Pontificis exemplo vituperare poterit homines verè Christianos, qui sibi ob peccata venialia cælestium mysteriorum participationem, vel sponte vel ex prudentis & docti moderatoris arbitrio, vel etiam jussu interdum abjudicare voluerint, ut majorem venerabili Sacramento reverentiam exhibeant? Neminem sanè reperire erit tam morosum, qui talem humilitatem cum maximâ tanti Sacramenti reverentiâ conjunctam carpere vel ausit vel possit.

5. S. Malachias, ut refert S. Bernardus in ejus vitâ cap. 29. no. 65. increpavit Diaconum eo nomine quod nocturnam illusionem passus sibi sacrificanti ministraverat. *Cui injungens pœnitentiam: non debueras*, inquit, *hodie ministrasse, sed verecundè te subtrahere sacris, & deferre tantis tamque divinis mysteriis, ut hac humilitate purgatus, dignius exinde ministrares.* Hæc ibi.

6. S. ipse Bernardus nostram hanc doctrinam astruit in libro de præcepto & dispensat. cap. 19. nu. 57. *Interrogatis*, inquit, *quid consulam homini qui adversus quempiam commotus fuerit: Sed non adeò, ut eum lædere ipse velit, adeò tamen ut libenter accipiat, si quo modo aliunde lædi contigerit: Sitne videlicet tutum ita commoto accedere ad altare; an se subtrahere interim debeat, donec compescatur commotio. Numquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium: cum irâ & disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi. Certe non recipitur munus quodcumque meum quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me læsisse meminero: quamò minus si meipsum non pacavero priùs.* Hactenùs S. Bernardus loco citato.

7. S. Bonavent. illam doctrinam asseritio tract. de præparat. ad Miss. c. 5. *Proba teipsum*, inquit, *ex quantâ charitate, & quali fervore accedis. Non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissoluta vita, & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres & stipulæ venialium peccatorum per afflatum Spiritus & flammam charitatis ventilentur, & consumantur exardescente igne cordis, & ex consideratione propriæ vilitatis. Ideò cave ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indignè sumis, si non accedis reverenter, circumspectè, & consideratè.* Hæc ibi.

8 Joannes Thaulerus idem affirmat: Illi, inquit, qui pro suæ vivunt arbitrio voluntatis, nec peccata deserunt, quique pro solâ laudis captatione accedunt, & qui in seipsis tumidi & propriæ perseverant voluntatis, garruli, pleni judiciis iniquis, impatientes, in suo sensu turbidi, alios corripere, & murmurare assueti, voluptatibus carnis dediti, sensibus astuti, & vafri, atque his similibus vitiis & culpis obnoxii, accedere non debent. Utrum autem nunquam accedere debeant, ipsorum judicio relictum esto. Equidem consuluerim eis, ut non accedant, quando plus inde detrimenti quam fructus & utilitatis mihi reportare videntur. Quo enim sæpiùs communicant, eò pejores, & perversiores intùs efficiuntur, atque à veris virtutibus longiùs recedunt. Hoc autem eis indè potissimùm accidere solet; quod necdum veram unquam resignationem adepti sunt, nec in eâ se virtute diligenter exercuerunt, quodque vitam Christi necdum sequi cœperunt, licet id sibi persuasum habeant, eo quod interdum passionem ejus meditari sciunt: quæ dum illis sapit, putant se perfectionem adeptos: Dumque interdum sensibili devotione moventur, putant hoc magnæ cujusdam sanctitatis esse indicium. Sed errant planè: adhuc infimus hic gradus est, & facilè hæc evanescunt & abscedunt. Nisi enim amabilem Salvatoris vitam & passionem in vera resignatione & omnium tam spiritualium quam corporalium vitiorum mortificatione stabiliter perseveranterque sedentur, omnia hæc nonnisi sensualia exercitia sunt, proprique conceptus, & assumptæ consuetudines sivè instituta, quæ cuncta facilè rursùs decidunt ac deseruntur, quando tentationes insurgunt. Hactenùs Thaulerus in serm. 2. de Dom. vij. post Trinit.

9. S. Franciscus Salesius olim Genevensis Episcopus & nuperrimè solemni ritu ad sanctos indigetes aggregatus, egregiè traditam à nobis doctrinam astruit in litteris ad lectissimam religiosissimamque fœminam inscriptis: Id, inquit, a te præclarè factum est, quod Confessario tuo paroeris, sivè te frequentioris communionis solatio carere voluerit, ut te probaret: sivè id egerit eò quod segniùs in emendandâ eâ, quâ æstuare soles, impatientiâ laborares. Ego verò id utriusque rei causâ ab illo factitatum arbitror, & sentio te in tali pœnitentiâ consistere oportere, quamdiu præscripserit: Cum tibi justæ suppetant rationes quibus credas nihil ab eo nisi accuratâ consideratione factitari. Quod si ea, quâ par est, humilitate illi obtemperes, majorem ex unâ communione capies fructum, quam ex duabus aut tribus aliis, quas aliter obieris. Nihil enim alimenta nobis salubriora reddit quam appetitus & exercitatio, quæ eorum sumptionem & usum antecesserint: Atqui tibi indita retardatio tuum lacesset & provocabit appetitum, & exercitatio quâ in edomandam eam, quâ flagras, impatientiam incumbes, tuæ, ut ita dicam, animæ stomachum novarum vitium accessione roborabit. Intereà stude demissioni, & humilitati, & repetitis actibus testificare tibi charam esse tuam ipsius abjectionem & vilitatem. Consiste paululùm in statu Chananææ & ita loquere: Verum est, Domine Jesu, indigna sum quæ vescar pane filiorum, verè canis ego sum, quæ proximos allatrare, & asperioribus verbis & impatientiâ plenissimis, velut impresso morsu lædere soleo: Verùm si panis integer canibus denegatur, iis delapsæ de mensâ dominorum micæ non subducuntur. Ita Christe Jesu à te flagito, si non dignissimum tuum corpus, saltem aliquas postulo benedictiones & gratias ex iis quibus ad te cum amoris ardore accedentes cumulare soles. Hæc ille 2. Epist. lib. Epist. 39.

Recapitulatio Doctrinæ superioris.

IGnoscet, opinor, lector Christianus, si prolixius tractavimus propositas de peccatis venialibus quæ-

stiones. Id enim præstitimus, ut profligaremus tritum & pervagatum errorem quo plerique omnes Christiani persuasum habent peccata venialia nihil omninò officere saluti, nec prohibere quominùs quilibet homines etiam innumerabilibus hujusmodi peccatis onusti, sacra Corporis Christi mysteria percipiant. Quod pronuntiatum ut everteremus ostendimus.

1. Quænam essent peccata venialia, & quæ mala in animas importarent, ut videre est quæst. 6.

2. Quæst. 7. distinximus varia peccatorum genera, & ostendimus ea, quæ committuntur ex affectu v. Eucharistiæ Sacramento adversari.

3. Quæst. 8. explanavimus quid sentiendum esset de Christianis, qui se ab peccatis venialibus abstinere negligerent: & quo sensu S. Bernardus dixerit hujusmodi homines impœnitentiæ & irremissibilis in Spiritum Sanctum blasphemiæ reos esse: quod & quæst. 9. declarare perreximus.

4. Quæst. 10. quæsiimus quo pacto se ad sacram Communionem præparare deberent, qui ex surreptione in peccata venialia prolabuntur.

5. In quæst. 11. expendimus utrùm Patres aliquando ab sacro-sanctâ Communione ob peccata venialia abstinere oportere docuerint. Et hanc quæstionem pluribus sanctorum Patrum testimoniis & exemplis solvimus, & ostendimus sanctos Patres ob peccata venialia semetipsos, & alios ab Corporis Christi participatione removisse.

Ex testimoniis & exemplis tot hominum omni virtutum doctrinarumque laude præstantium rectè conficitur aliquando accidere posse, ut quis genuino Christianæ humilitatis sensu, & majoris reverentiæ causâ sibi Corporis Christi participationem abjudicet ob peccata venialia, quæ tametsi non semper hominem ab cælesti mensâ abstrahere debeant (si præsertim ex fragilitate potiùs, quam ex culpâ vel negligentiâ oriantur) nemo tamen inficiari potest, quin talis ab Eucharistiâ separatio maximo sit nobis emolumento, cum Deo duce illam suscipimus: & cum hujusmodi pœnam tam ad eluendas maculas, quas nobis quotidie allinimus, quam ad ipsas studiosius in posterum declinandas necessariam esse deprehendimus.

Non latet nobis, nedum latuit sanctissimis illis hominibus, quorum verba & exempla protulimus, maximos fructus & uberrimos ex dignâ mysteriorum celebratione & susceptione percipi, sed non existimarunt hujuscemodi fructibus omninò privari eos qui factitandæ pœnitentiæ gratiâ ab Eucharistiæ celebratione, si essent Sacerdotes, & ab ejus perceptione, si essent laici, etiam ob levia peccata abstinerent. Prolata enim à nobis eorum effata & exempla proximè commemorata satis, superque demonstrant peccata venialia justam Religiosis hominibus afferre causam, propter quam Eucharistiæ celebrationem pariter & perceptionem citra scrupulum omittere valeant.

Juvat ulteriùs progredi, & profiteri voluntariam hanc ab Eucharistiâ segregationem & abstinentiam ad aliquod tempus pœnitentiæ, & erga v. Sacramentum reverentiæ causâ, susceptam magni apud Deum esse meriti. Nam quotusquisque ignorat Deum ab solis humilibus honorari & ab illo contriti cordis, & in altissimam suæ vilitatis notitiam depressi sacrificium, ut gratissimam oblationem in odorem suavitatis acceptari? quis nescit Angelos tanto gaudio super uno peccatore pœnitentiam agente perfundi solitos, incredibiliter & jam perspectâ innocentium pœnitentiâ lætari? Nemo Christianus ignorat peccatores eò magis gratiam promereri, quo se illâ indigniores judicaverint. Omnibus perspectum est & cognitum justos, qui se sponte & ultrò ab altari removerint ad majorem admirabilis Sacramenti reverentiam se per spiritum humilitatis, & per animum contritum præstare dignos, qui à Deo consequantur dona & præsidia ritè communicantibus impertiri solita, atque adeò peccatoribus misericordiam, justis gratiam, mortuis indulgentiam, Ecclesiæ donorum spiritualium abundantiam, & demùm sibi gratiarum copiam accersant & attrahant.

Quis enim neget S. Joannem Chrysostomum omnia illa quæ proximè retulimus, consecutum esse, cum ob levem animi commotionem, de quâ diximus, ab terribilium mysteriorum celebratione, ne illa minori, quam par est, reverentiâ tractaret, abstinuit? Quis inficias iverit S. Carolum Ecclesiasticæ disciplinæ instauratorem acerrimum eadem quæ S. Joannes Chrysostomus obtinuit, impetrasse beneficia, cum ob aliquam culpam inter celebrandum ad Missam per multos dies ab divinorum oblatione mysteriorum abstinuit, diutiùs in humili illâ ab Eucharistiæ separatione perseveraturus, nisi flagrantissimis fidelium ipsius sacrificia participare gestientium votis ad cæleste altaris ministerium esset revocatus. Quis denique contendere velit dona cælestia, quæ ex Corporis Christi perceptione proficiscuntur, iis hominibus denegari, qui ob leves culpas syncerâ pœnitentiâ & altissimâ humilitate diluendas sibi sacram Corporis Christi Communionem abjudicant, ne quapiam irreverentiâ tantum mysterium afficiant, vel ut illud majori animi præparatione & affectu, & ardore percipiant?

Si quis pervicaciùs tueri velit sententiam impugnantem religiosa sensa SS. Patrum declarantium suis verbis & exemplis interdum ab sacrâ Communione ob peccata venialia abstineri posse, consulat Officium Dedicationis Ecclesiæ & præsertim tertiam lectionem secundi Nocturni: Ibi enim audiet irretractabile S. Aug. judicium hujus controversiæ decretorium: *Si enim*, inquit, *agnoscens quis reatum suum, ipse se à divino altari subtraxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet. quia sicut qui se exaltat, humiliabitur, ita è contrario qui se humiliat, exaltabitur. Qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo & cælesti convivio excommunicari penitùs non timebit.* Cum ista leguntur attentiùs & accuratiùs perpenduntur, liquido cernitur & apparet non solum quid de propositâ quæstione senserit Augustinus, sed etiam quid hac in parte senserit Ecclesia, quippè quæ toto terrarum orbe diffusa solidam illam S. Augustini doctrinam, quam sibi veluti propriam vindicavit, ubique gentium privatim & in publicis omnium Ecclesiarum cœtibus lectitari, decantari & inculcari voluit: ita ut qui sanctissimam illam praxim ab sacrâ Communione ob peccata vel gravia, vel levia abstinendi humilitatis, pœnitentiæ, & emendationis causâ susceptam convellere voluerit, non jam S. Augustinum, sed ipsam Ecclesiam S. Augustini doctrinæ publico testimonio suffragatam provocare, & lacessere videatur.

Multi zelo fortè fervidi, sed parum Dominicâ electione fundati, objiciunt pervagatissimum illum V. Bedæ locum: *Sacerdos*, inquit Beda, *non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantùm in eo est, privat S. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ; in purgatorio existentes refrigerio: Ecclesiam spirituali Christi beneficio, & seipsum medicinâ & remedio.*

Ista V. Bedæ verba nihil officiunt doctrinæ quam hactenùs SS. Patrum vestigiis insistendo stabilivimus. Nam hujus loci vis & intelligentia pendet ex his vocibus, *non legitimè impeditus*; Ergo si Sacerdos legitimo impedimento sit implicatus, ista Bedæ sententia nihil ad ipsum pertinebit. Atqui SS. Patres peccata venialia esse legitima mysticæ oblationis impedimenta scripto & exemplo docuerunt, ut à nobis hactenùs probatum est; ergo hujusmodi objectio ex V. Bedæ verbis repetita cadit in irritum.

Revera Sacerdotem sese ob peccata venialia quæ ad majorem v. Sacramenti reverentiam per humilem pœnitentiam eluere cupit, ab sacris mysteriis abstinentem sacro-sanctæ Trinitati deferre gloriam, Angelis afferre lætitiam, peccatoribus procurare veniam, justis accersere subsidium, animabus in purgatorio detentis obti-

Re

nere refrigerium, Ecclesiæ spiritale Christi impertare beneficiũ, sibi ipsi denique medicinam & remedium accersere & attrahere, meridianâ luce clariùs ostendimus.

Hoc ipsum non mediocriter confirmat aureus de Imitatione Christi libellus l. 4 c. 10. Si *quis*, inquit, *interdum abstinet à Communione humilitatis gratiâ aut legitimâ impediente causâ, laudandus est de reverentiâ.* Et paulò pòst. num. 6. *cum verò legitimè præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti.* Hæc ibi.

Ex dictis hactenùs facilè quilibet colligere potest peccata venialia, sine quibus nemo vivit, aut vivere potest in terris, esse legitima percipiendæ Eucharistiæ impedimenta, si præsertim admittantur ex affectu, ex quo dijudicandum est, quando propter hujusmodi peccata hominem Christianum ab altaris participatione removere oporteat. Nam quo minor ejusmodi fuerit affectus, eò minùs ab altari removendus est Christianus; quo autem major & tenacior extiterit, eò etiam frequentius homini taliter animato Corporis Christi Communio subducenda est. Quin etiam talis venialium peccatorum affectus eò progredi potest, ut homini in eo ipso affectu pertinaciùs hærenti Eucharistiâ sit omninò deneganda, ut puta si passim sciens & volens impingat in peccata venialia quasi nihili facienda, & ea quotidianâ fidelium oratione & pœnitentiâ expiare negligat (quod plurimis hujus sæculi filiis solemne est & familiare) tunc enim promiscua illa & voluntariè repetita peccatorum venialium admissio eum hominem versari in statu peccati lethalis ex gravissimorum Theologorum sententiâ declararet. Quicquid id est, id totum permittendum est arbitrio religiosi, prudentis, & eruditi Confessarii, penes quem est animas ita moderari ut nihil unquam admittant in percipiendo Christi Corpore, quod ipsis perniciem afferre, & ipsi Christo qui se nobis in hoc mysterio epulandum apposuit, contumeliam irrogare valeat.

Quod ut fiat, observanda sunt tria ad legitimum animarum regimen apprimè conducibilia.

Primum est confessionem, tametsi maximè opportunam & utilem ad expianda peccata venialia, non tamen esse necessariam ad fugiendum periculum sterilium & infructuosarum communionum (siquidem ea praxis apud pios & Eucharistiam frequentare solitos invaluit, ut non semper confessionem communioni præmittant) modo levia illa peccata fidelium oratione, eleemosynis, & offensionum condonatione deleantur.

Secundum est, confessiones de hujusmodi peccatis factitatas non semper removere pravas animi affectiones, quæ licet lethiferæ non sint, liberum tamen & inculpatum ad Eucharistiam accessum impediunt: eo quod hujusmodi confessiones desultoriâ perfunctoriaque operâ, & ex quadam consuetudine repetantur, nec pœnitentiæ spiritum, nec synceram ab iis in posterum abstinendi voluntatem adjunctam habeant: Unde confessarii animæ maculas non abstergunt, quin imò illam ipsam animam novis sordibus dedecorant: atque ita longissimè absunt ut illam ad frugiferam Corporis Christi perceptionem accingant; siquidem unius Sacramenti abusio ad condignam alterius perceptionem nullo pacto conferre valeat.

Tertium est peccata venialia, quæ ante Communionem non fuerint abstersa, non semper animam tam malè afficere, ut prohibeant quominùs frugifera sit Communio, & prætereà religiosâ illâ actione peccatorum etiam venia obtineatur: sed prava illa mentis affectio intelligenda est de peccatis venialibus, quæ per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum, ut loquitur sanctus Bonaventura, in tract. de præparat. ad Missam c. 5. cujus verba suprà retulimus q. 11. nu. 7.

Quæ omnia confirmant non solùm sancti Patres, sed etiam multi recentiores, ut mox videbimus. Si qui sint qui hujusmodi doctrinam impugnare velint, reperire erit, vel unam puellam quæ viris singularem alioqui doctrinam professis concurrere velit & audeat, & eos ingenti verecundiâ percellat, utpotè ignaros veritatis; quam nemo verè Christianus & in adorandum Eucharistiæ Sacrario benè animatus hactenùs ignoravit.

Illa illa est Virgo Mediolanensis, quæ superiori ætate sub nomine Virginiæ Negryæ in sæculo, & sub nomine Angelicæ, Paulæ, Antoniæ in claustro floruit, cujus epistolæ in Concilio Tridentino approbatæ sunt referente Patre Laynezio Jesuitarum Generali Præposito, cui ipsas recognoscendi Provincia ab præfati Concilii Legatis demandata fuerat. Beata illa Virgo Epist. 19. primò perstringit eos qui Communionem refugiunt, utpotè qui probè teneant se, si frequentiùs illo Angelorum pane reficiantur ad imitandam in terris Angelorum vitam obligari.

Exindè disertè asserit juxta Apostolum, non solùm manducare indignè Corpus Christi, quotquot communicant in statu peccati lethalis, verum etiam eos, qui illud ipsum Christi Corpus percipiunt, nec ejus mortem annuntiant. Nam nos docet magnus Apostolus eum hominem indignè manducare panem hunc qui non dijudicat Corpus Domini ipsius causâ mortui: Quod quidem illum ita astringit, ut omni peccato, sibimetipsi, suis cupiditatibus mori, cum sancto Paulo Stigmata Domini nostri in suo corpore circumferre, ea quæ desunt passionum Christi adimplere, & demùm in ejus Cruce, & in suis infirmitatibus gloriari teneatur. Quodnam est autem judicium quod sibi manducat hujusmodi anima? hic sileri patior de animâ in peccato lethali perseverante: sed loquor animam quæ communicat & omnem sui ad virtutem, & ad Christianam perfectionem progressus curam & sollicitudinem abjicit: sed in suo tepore degenerique negligentiâ commoratur. Audite sanctum Paulum prædicantem: Ideò, inquit, inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Is est status hominum in eodem semper animo perseverantium, suis cupiditatibus flagrantium, nulli bono parium, infirmorum & fragilium, ignorantium & cæcorum, tardorum & somniculosorum, stupore laborantium, nullatenùs ferventium, in tenebris ambulantium, & nusquam ad vitæ sanctimoniam proficientium. Cum cernitis homines, qui ex longo communicant, & nusquam ab priscâ vivendi consuetudine abeunt, hi sunt proculdubio in quibus religiosa mortis Christi recordatio nullum parit sibimetipsis moriendi desiderium, ut in ipsis reviviscere incipiat. Et si fortè eorum animos aliqua cogitatio, vel aliquod desiderium subeat, sunt evanidæ duntaxat cogitationes, & imaginaria, seu transvolantia quædam desideria, eò quod non respondeant gratiæ Sacramenti, nec exequantur ea, quorum adminiculo experita ex eo beneficia percipere possent. Ipsis quippè satis est, si inter communicandum tres aut quatuor lachrymas molliter suis ex oculis effundi perspexerint. Quod tempus statim atque diffluxit ad solitas ambitiunculas, ad affectus & ad præpostera laudum desideria, ad distractiones, ad vanitates, & ad alia id genus sese celerrimè referunt.

Hactenus præstantissima illa Virgo, cujus animam Spiritus Sanctus cælestibus monitis, & ad Eucharistiam dignè percipiendam saluberrimis imbuerat.

Hanc eamdem doctrinam tradidere plurimi & insignes viri & imprimis Author Comment. in Epist. Pauli sic aientis in c. 11. 1. Cor. *Indignè*, inquit, *manducat & bibit* (Corpus & Sanguinem Christi) *qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit; & non confitetur ea, priusquam ad communionem accedat.*

Hæc ille Author, cujus opera ab eruditissimis tanti sunt facta, ut existimata fuerint digna quæ S. Anselmo ascriberentur.

In istis hujusce Commentarii verbis Pater Suffren Jesuita Religiosissimus stabiliit hanc propositionem insignem sanè ac notatione dignissimam: *Semel*, inquit, *percipere Corpus Christi cum veneratione singulariter debitâ utilius ac convenientius est, quam centies cum*

irreverentiâ illud manducare: at quisquis illud cum peccato veniali & citra preparationem accipit, haud dubiè irreverenter accipis & juxta sanctum Anselmum indignam præstò Communionem, tametsi levem & venialem faciat, id est. non admissis peccatum lethale, cum in eâ licet præposterâ animi præparatione, Eucharistiam accipit. Hæc rlle Ann. Christ. part. 3. cap. 9. §. 7.

Hujusmodi pronuntiatum maximè perpendendum est, ne peccatum aliquod veniale prohibeat & comprimat uberiores fructus & gratias quas alioquin ex v. Sacramento boni Christiani perciperent. Non tamen passim ab sacrâ Communione repellendi sunt, qui ex fragilitate in venialia peccata incidunt: imò quibusdam expedit ad præstantissimum hoc & saluberrimum accedere Sacramentum, etiamsi non ita magno semper illius desiderio flagrent, quando per hoc quotidianos mores atque modos suos in bonâ consuetudine & a peccatis abstinendi proposito conservant, imò quotquot ejusmodi sunt, tametsi quandoque minus se dispositos minosque præparatos, & absque desiderio sentiant. non tamen ab hoc salutifero debent edulio abstinere, ut asserit Thaulerus serm. 2. de Dom. 7. post Trinit.

Hactenùs de fugâ & pœnitentiâ peccatorum tam lethalium, quam venialium egimus, & pro modulo nostro ex bonis Authoribus declaravimus, quo pacto utraque expiari oporteret. ne percipiendos ex divinâ Eucharistiâ fructus in fidelium cordibus, vel minuerent, vel penitùs perimerent.

Jam agendum de propioribus dispositionibus, cum quibus in aliquo saltem gradu comparatis unumquemque ad v. Sacramentum accedere necesse est. Quod ut præstari possit, factitandum est, quod Prov. cap. 23. secund. 70. præcipitur: *Accedens*, inquit Salomon, *ad mensam divitis, vel potentis, considera ea quæ apponuntur tibi, sciens quod talia te oportet præparare.* Hujusmodi mensam nihil esse aliud, quam Eucharistiam affirmant sancti Patres, sanctus Joannes Chrysostomos hom. in Psalm. 22. & in psalm. 116. & sanctus Augustinus tract. 47. & 48. in Joann. *Quæ est*, inquit, *mensa potentis nisi unde sumitur Corpus & Sanguis ejus qui animam suam posuit pro nobis?* Hæc ibi.

Cum igitur nobis in cœlesti illo convivio apponatur Christus, diligenter & strenuè considerandum est, quas potissimum dotes virtutesque in tali convivio exhibeat, ut easdem vitæ integritate referamus, & hoc ipsum qood & in ipso Christo Jesu, juxta præceptum Apostoli, sentiamus.

Prima dispositio ad Eucharistia perceptionem necessaria sanctitas.

SANCTA Sanctis. Quemadmodum Christus Jesus sivè consideretur ut Pontifex, sivè ut Hostia, sanctus est, ita & ipsos qui illum manducare cupiunt, sanctos esse necesse est. Ut Pontifex est sanctus, *talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Hebræor. cap. 7. v. 26. ut Hostia est, sanctus est, neque enim Pater æternus Hostiâ impurâ & contaminatâ hominum generi reconciliari potuisset. Unde in Canone Missæ quotidie tota per totum terrarum orbem Ecclesia profitetur, se offerre Deo Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & Callcem salutis perpetuæ. Ergo sanctos esse oportet quotquot talem Hostiam, & panem manducare voluerint.

Unde magnâ voce, terribili clamore, tamquam præco manum tollens in altum stans excelsus & omnibus manifestus, & in tremendo illo silentio vehementer vociferans alios quidem vocat. alios verò arcet Sacerdos, non hac manu faciens, sed linguâ clariùs & apertiùs quam manu. Nam vox illa nostras in aures incurrens, tamquam manus, alios quidem expellit & ejicit, alios autem introducit & sistit, ut testatur S. Joan. Chrysostomus hom. 17. in Epist. ad Hebræos. Quo loco declarat quid sit esse sanctum. *Quando dicit Sacerdos*, inquit, *sancta sanctis: hoc dici; si quis non est sanctus, non accedat Non solum, inquit, à peccatis purus. sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus & bonorum operum ubertas, & opulentia. Non solum, inquit, volo vos ab vitiorum cœno repurgatos, sed candidos esse & pulchritudine conspicuos. Nam si Rex Babylonius juvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros specie & vultu decoros, multo magis eos, qui astant mensa regia pulchros esse oportet specie animæ, mundum habentes aureum, mundum vestimentum, regales calceos, formosum animæ vultum, cingulum veritatis. Qui talis est, accedat, & pocula tangat Regia, si quis autem pannis obsitus, sordidus & squallidus ad mensam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, quum non sufficiant quadraginta dies ad abluenda, quæ omni tempore sunt admissa delicta. Nam si non sufficit gehenna, licet sit æterna, idcircò enim est æterna. multò magis hoc breve tempus. Non enim validam sed imbecillam suscepimus pœnitentiam.* Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus.

Ad condignam Eucharistiæ perceptionem exigi sanctitatem satis superque probat sacra illa consuetudo, quâ aureis illis Ecclesiæ temporibus, ab ejus participatione, pariter & aspectu ablegabantur, non solùm Catechumeni, & cum iis apostatæ vitæ sanctioris. & pœnitentes, tametsi quondam ejus compotes. & arreptitii, seu energumeni: sed etiam illi qui profligatæ quidem vitæ nuntium remiserant, nondum tamen ab phantasmatis & priscarum libidinum imaginibus per habitum & amorem divinum, eumque purissimum & impermistum erant repurgati: & insuper ab cælestium mysteriorum perceptione & aspectu removebantur illi, qui nondum perfectam cum Deo unionem erant adepti, & ut scripturæ phrasi utar, non omninò immaculati & incontaminati erant. Ut legere est apud sanctum Dionysium in lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 3. Vult ergo ille ipse sanctus Dionysius hominem adorandâ Christi carne vescentem esse sanctum, & ab fœdis anteactæ vitæ phantasmatis repurgatum. Verùm ne quis existimet sanctos quosque viros carnis tentationibus lacessitos, ab Corporis Christi participatione esse propterea segregandos,

Observandum est hujusmodi phantasmata, quorum meminit sanctus Dionysius, discrepare plurimùm ab impuris cogitationibus, quæ vel sanctissimorum hominum animos transvolare possunt: siquidem ex omnium Theologorum consensu nihil sunt aliud quam quædam perturbationes, & quædam, ut ita dicam, hebetudines & evagationes mentis, quæ vitam fœdas in libidines immersam excipiunt. Hujusmodi, inquam, phantasmata sunt quædam oblectationes & quædam veluti lenocinia, quibus libidinosi sua flagitia recordati permulcentur, & quæ fœdas cogitationes, libidinososque motus & impetus facile concitant. Non sunt igitur nebeculæ, quas Dæmon, vel objecta in animo excitare possunt, sed nebulæ, quas expertum se refert sanctus Augustinus libro 2. Confessionum cap. 2. *Exhalabantur*, inquit, *nebulæ de limosâ concupiscentiâ carnis & scatebrâ pubertatis, & obnubilabant atque obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis. Utrumque in confuso æstuabat & rapiebat imbecillam ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum.* Hæc ibi.

Ex hac doctrinâ sanâ pariter & solidâ nonnulli homines intemperanter otio, & litteris abusi, ansam arripuere, ut referventem in sanctum Paulum blasphemiam admitterent, & assererent illum scilicet fuisse indignum, qui Corpus Christi manducaret, utpote qui careret ea animi præparatione, quam sanctus Dionysius ab fidelibus communicaturis exigit.

Quam turpiter allocinati sint hujusmodi homines nemo non videt. Nam tametsi sanctus Paulus crebris carnis tentationibus premeretur, & conquereretur sibi

datum esse stimulum carnis, & Angelum Satanæ, qui ipsum colaphizaret, & frequentissimè Dominum rogaret, ut discederet a se, non propterea removeri poterat ab Corporis Christi perceptione. Quis enim dicat adventitiam tentationem & ex Dæmonis malitiâ profectam, vel concupiscentiæ motus omni ex parte involuntarios, Apostolum ardentissimâ charitate perustum aggregasse ad pœnitentes de baptismatis gratiâ dejectos, de quibus prædicat sanctus Dionysius: qui vitam quidem virtuti contrariam abdicarunt, nondum tamen ab anteactæ vitæ phantasmatis per habitum & amorem divinum & eum syncerum & impermistum sunt repurgati? Absit, absit, ut tantum Apostolum invictum Christi Athletam, carnis tentationibus lacessitum, sed victrice Christi gratiâ munitum, qui quot cum carne, cum mundo & cum Dæmone certamina iniit, tot ex ipsis victorias reportavit. Absit, absit, inquam, ut Paulum qui Christo Cruci confixus erat, qui sine sumptu ponebat Evangelium, qui castigabat corpus suum, & in servitutem redigebat, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur, qui optabat anathema esse à Christo (si fieri potuisset) pro fratribus suis; qui exhibebat semetipsum in omnibus sicut Dei ministrum in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, & castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non fictâ: qui cupiebat dissolvi & esse cum Christo: qui denique instante resolutionis suæ tempore gloriabatur in Domino se bonum certamen certasse, cursum consummasse, fidem servasse, & in reliquo sibi repositam esse coronam justitiæ quam redditurus erat justus judex, non solum ipsi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus. Absit, absit, ut hoc tertiò repetam, ut tantum Apostolum, tot tantarumque virtutum laude cumulatum, cui reportatæ de carnis tentationibus victoriæ incredibilem meritorum triumphorumque materiam & segetem afferebant, atque adeò Corporis Christi manducatione digniorem efficiebant, ab altaris participatione removendum fuisse censeamus, utporè qui careret iis dispositionibus, quas sanctus Dionysius Apostolicæ traditioni congruenter elocutus, ab fidelibus communicaturis exigit.

Si quis id pervicaciùs urgere vellet, sese proculdubiò toti terrarum orbi deridendum propinaret, & cordatorum judicio haberetur dignus, qui ad Anticyras amandaretur.

Secunda dispositio ad frugiferam Corporis Christi perceptionem necessaria.

CUM Christus Dominus toto amoris impetu, quo prosequebatur hominum genus adorandum hoc Sacramentum instituerit, nemini dubium est, quin nos omnes tantum amorem, nobis indignissimis in tali institutione exhibitum & impensum, rependere debeamos. Quantus autem Christi tantum mysterium instituentis in nos amor extiterit, declarat insigniter Discipulus, quem diligebat Jesus. Cum enim tres Evangelistæ, & Apostolus recensuissent præcipua istius institutionis capita & adjuncta, ille paucissimis verbis nihil præter divinam dilectionem redolentibus tanti mysterii amplitudinem adumbravit.

Cum, inquit, *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Perinde ac si diceret, Christum Jesum qui toto vitæ curriculo discipulos quos per Spiritum sanctum elegerat, ingenti amore affecisset, eos quanto maximo amoris ardore deperiit, seu iis sacrum suum Corpus epulandum, & sanguinem potandum apponendo dilectionem suam ad ultimam dilectionis & beneficentiæ lineam protulit.

Ac reipsa quidem si paulò attentiùs juvat intueri quæ & quanta in nos hujus mysterii interventu contulerit Christus Jesus, animadvertemus tot & tanta per illud nobis impertiisse, ut ea nulla dicendi vis, vel complecti orando, vel numerando percensere valeat.

Joannes Thaulerus, quem omnes pii pariter & docti suspiciunt veluti præstantissimum mysticæ Theologiæ ducem & magistrum, affirmat in hoc Sacramento, nos quinque specialiter accipere, quorum

Primum est corpus sanctissimum, quod Dei Filius ex intemeratâ Virgine Mariâ Matre suscepit. Unde quando fidelis illud ipsum Christi Corpus accipit, particeps efficitur omnium illorum bonorum, quæ Christus in suâ vitâ, in pœnis, in morte prometitus est, imò, & omnium illorum bonorum, quæ ab Adæ temporibus unquam facta sunt, & ad ultimum usque fient electum.

Secundum, Sanguis Dei, quem Christus in sacrâ Cruce pendens effudit, qui verissimè sub panis quoque specie continetur. Unde qui Sanguinem Christi sumit, ab omnibus peccatis emundatur, etiam mortalibus illis, quæ nescit, inculpabiliter, quæque si sciret, & confiteri & pro illis pœnitentiam agere paratus esset.

Tertium anima Christi, quam Deus pater ex corde paterno misit in corpus illius. Unde quando Christi Corpus recipiens preciosum animæ illius pignus in sinum Dei Patris mittit & offert in conspectu ejus, omnium, quæ unquam admisit, peccatorum libens ille vult oblivisci.

Quartum vita Christi cum charitate illius. Unde quando fidelis Sacramentum percipit, hoc est vitam Christi cum charitate illius, in Deum transformatur, sicut cibus & potus in ipsum mutantur, hincque robur accipit, & virtutem vitiis omnibus resistendi, & cunctarum virtutum actibus insistendi.

Quintum, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & tota Trinitas Sancta. Unde dum fidelis Corpus Christi sumit in quo tota Trinitas, totaque Deitas inhabitat omni ejusdem beatissimæ Trinitatis impletur gratiâ.

Hactenùs Thaulerus in serm. 1. in Domin. –. post Trinit. qui & ibidem recenset præcipuas dispositiones cum quibus ad v. Sacramentum accedere debet, qui tot & tanta bona ex ipso manantia percipere cupit.

Si ergo utiliter, inquit, accedere voles, cura ut cum peccati contritione, cum corporis & cordis puritate, cum ardenti ac sitienti devotione, cum commemoratione amoris, pœnarum ac mortis Christi, cum promptâ & alacri ad virtutes omnes voluntate, cum humili voluntatis propriæ in gratissimum Dei beneplacitum resignatione, cum studiosâ denique vitiorum omnium mortificatione secundum perfectionis regulam accedas. Hæc ibi.

Secunda illa dispositio ad dignam Corporis Christi perceptionem omninò necessaria continuatur & explanatur.

CUM Christus tantum in nos amorem divini institutione Sacramenti testatum fecerit, nemo nostrûm ad illud accedere potest, quin aliquâ divinæ charitatis flammâ ardeat, id est Deum & Christum Jesum super omnia diligat: ita ut illam ipsam dilectionem vitâ verè Christianâ, id est bonorum operum ex charitate impellente pariter & imperante proficiscentium exercitatione & frequentatione patefaciat.

Si quærat aliquis qualem ejusmodi amorem esse oporteat.

Respondeo duplici præsertim dote illum præditum esse oportere.

1. Enim illum dominantem esse oportet; ita ut in omnes cordis affectus dominetur.

2. Eumdem ipsum amorem crescere necesse est. Hæc

duo nobis modò sunt explananda.

Quod spectat ad primam divini amoris dotem in imperio, quo cæteros cordis affectus moderatur, positam, præclarè & luculenter edisseritur ab indigete Francisco Salesio in Lib. 10. de divino amore cap. 6. Noster, inquit, in Deum amor, omnibus nostris amoribus præponderare, & in omnibus nostris affectibus regnare & dominari debet: & hoc à nobis Deus exigit, ut noster in ipsum amor altiores nostro in corde radices agat, & in ipsum quantumcumque est impetium exerceat: cæteris nostris amoribus sit studiosior, & nostram omnem animam impleat: sit generalior, & nostras facultates, quantæcumque sint, sanctis operibus admoveat: sit etiam excelsior, & nullam nostræ mentis facultatem vacuam relinquat; sit denique firmior & constantior, & omnem nostram vim & vigorem exerceat. Et paulò post. Est suprema illa dilectio, quæ tantam de Deo opinionem nostris animis ingenerat & acceptum illi obsequium eo ponimus loco, ut illud omnibus anteponamus & super omnia diligamus. Quisquis igitur Deum tali amore complectitur præ se fert animam & totam vim, ipsi Deo addictam & consecratam: siquidem illi constitutum est semper & æternùm & passim Dei benevolentiam & amicitiam rebus omnibus antefetre, & in eâ stare animi præparatione, quæ totum terrarum orbem deserat, ut debitum divinæ bonitati amorem ab omni piaculo sartum-tectum retineat. Et ut paucis dicam, amor est excellentiæ, vel excellentia amntis omnibus universim mortalibus & singulis (ex quo ad rationis usum pervenerunt) imperati. Hic amor singulis sufficit & omnibus ad æternam salutem assequendam necessarius est. Hæc sanctus Franciscus Salesius olim Gevevensis Episcopus. Ex luculentissimâ illâ Sanctissimi Præsulis doctrinâ colligimus nostrum in Deum amorem nostris omnibus affectibus dominari oportere, ita ut illi nostri cordis motus seu passiones, ut vocant, obsequantur. Quod quomodo fiat, docet S. Augustinus Lib. 14. de civit. Dei cap. 9. *Apud nos*, inquit, *juxta scripturas sacras, sanamque doctrinam, cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt adoptionem expectantes redemptionem corporis sui. Gaudent in spe, quia fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam: Item metuunt peccare, cupiunt perseverare: dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Ut enim metuant peccare, audiunt; quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ut cupiant perseverare, audiunt quod scriptum est: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ut doleant in peccatis audiunt; si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ut gaudeant in operibus bonis, audiunt: hilarem datorem diligit Deus. Item sicuti se infirmitas eorum firmitasque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. Ut enim metuant tentari, audiunt: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens teipsum, ne & tu tenteris. Ut autem cupiant tentari, audiunt quemdam virum fortem civitatis Dei dicentem: Proba me Deus & tenta me: Ure renes meos & cor meum. Ut doleant in tentationibus, vident Petrum flentem; ut gaudeant in tentationibus audiunt Jacobum dicentem: omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. Non solum autem propter semetipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos, quos liberari cupiunt: & ne pereant, metuunt, & dolent si pereunt, & gaudent, si liberantur.* Hæc ibi S. Augustinus.

Hi sunt affectus de amore boni, & de sancta charitate venientes, ut ibidem affirmat idem S. Augustinus, qui satis superque demonstrat charitatem humani cordis secundum Deum moderatricem eos in ipso corde affectus excitare: ita ut omnes contendant ad Deum summè dilectum in hoc sæculo per gratiam & in altero quanto maximo consummatæ charitatis ardore & impetu diligendum per gloriam.

Quisquis ergo debitam Deo dilectionem profitetur, exploret intimos animi recessus, & discutiat attentiùs utrùm divina charitas sui cordis principatum obtineat, & omnes ejus ipsius cordis affectus ejusdem charitatis impulsu & imperio ad Deum in omnibus & super omnia diligendum, sicut oportet, referantur.

Si quis enim Deum diligit, timeat ne pereant homines Christo, ut ait S. August. contristetur cum perit aliquis Christo: concupiscat acquirere aliquos Christo; lætetur cum acquiruntur homines Christo, timeat & sibi ne pereat Christo; contristetur peregrinari se à Christo: concupiscat regnare cum Christo; lætetur dum speat se regnaturum esse cum Christo, ut docet ipse S. Augustinus tractat. 60. in Joan.

Tunc igitur diligitur Deus ex toto corde cum omnes affectus, quibus percellitur, ad illum unum collineant.

In hujusmodi amore quo Deum rebus omnibus anteponimus, posita est Christianæ perfectionis essentia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 184. art. 3. in quo quærit utrum perfectio consistat in præceptis an in consiliis; & sic respondet in corpore art. Perfectio, inquit, dicitur in aliquo consistere dupliciter. Uno modo per se essentialiter: alio modo secundario & accidentaliter. Per se quidem & essentialiter consistit perfectio vitæ Christianæ in charitate; principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis. Non autem dilectio Dei & proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram ita quod id quod est plus, sub consilio remaneat: ut patet ex ipsâ formâ præcepti quæ perfectionem demonstrat: ut cum dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Totum enim & perfectum idem sunt secundum Philosophum in 3. Physicor. Et cum dicitur: diliges proximum tuum sicut teipsum: Unusquisque enim seipsum maximè diligit. Et hoc ideò est, quia finis præcepti charitas est, ut Apostolus dicit 1. Timoth. cap. 1. in fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his quæ sunt ad finem, ut Philosoph. dicit 1. Politic. sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quantâ medicinâ vel diætâ utatur ad sanandum. Et sic patet quod perfectio essentialiter consistit in præceptis, secundariò autem & instrumentaliter in consiliis, quæ ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: sicuti est matrimonium, occupatio negotiorum sæcularium, & alia hujusmodi. Hactenùs S. Thomas loco citato.

Ex aureo illo Doctoris Angelici loco colligimus & inferimus necessariò pleraque omnia, quæ sancti Patres ad dignam Corporis Christi perceptionem exigunt, (qualia sunt puritas cordis, ardor charitatis, mortificatio libidinum, contemptus creaturarum & inita cum Deo societas) non ad consilia dumtaxat, sed in aliquo saltem gradu ad præcepta pertinere. Hujus effati ratio à priori petenda est ex eo quod præfatæ dispositiones ab SS Patribus ad communionem ritè factitandam assignatæ sint veluti quædam appendices, quæ ab ipsâ charitate universis & singulis fidelibus imperatâ divelli nequeant. Nam primò si secundum omnes liturgias (sancta sanctis) id est mysteria sanctis dumtaxat sunt porrigenda, per unam dumtaxat charitatem efficimur sancti: siquidem juxta Apostolum Deus nos elegit in Christo, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.

Quemadmodum igitur Christus sese nobis totum, id est & divinitatem & animam & corpus & sanguinem in augustissimo Sacramento tradit, ita vicissim

nos ipsos per charitatem & sanctitatem totos addicere & consecrare necesse est; ita ut cum Psalte regio ex animo dicere valeamus: *Tuus sum ego:* id est ita dicamus Christo; Tuus sum, ut audiamus a Christo, meus es. Rectè ergo Propheta David dixit: Tuus sum qui semper in Deo mansit. Et quâ ratione dixerit: Tuus sum, addidit: Justificationes tuas exquisivi, hoc est, ut ait Sanctus Ambrosius in eum Prophetæ locum, *nihil alienum quæsivi, sed id solum quod tuum est desideravi. Alii quærunt monilia pretiosa, ego solus justificationes tuas quasi quædam serta justitiæ: Alii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitare possint in terrâ hac, & elementum volunt occupare commune: Alii possessionem aëris ipsius vindicare: mihi in tuis justificationibus omne patrimonium est: Nescio possidere nisi quod tui juris est: in tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti: mihi portio Deus est, Tuus sum ego, quia pars mihi hæreditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Jesu.* Hactenus sanctus Ambrosius in citat. Psalm. 118. versic. Ex cujus verbis discimus quomodo & quando hominem verè ad Christum pertinere, atque adeò sanctum esse affirmare liceat.

2. Fidelis ad v. Sacramentum accedere cupiens debet recessisse ab hominum statu, quos præteritarum libidinum phantasmata ab altaris participatione removent, juxta S. Dionysium. Quæ sint autem hujusmodi phantasmata ex carnalium fœditatum veluti limoso lacu erumpentia, & horrendam animo caliginem offundentia paulò antè declaravimus.

Ex hac conditione inferimus graviter allucinari nonnullos, qui Concilium Tridentinum perperàm interpretati, contendunt hominem qualibuscumque vitiis contaminatum, imò adhuc densissimis æstuantium libidinum nebulis circumfusum, posse citra scrupulum virginalem purissimamque Christi carnem accipere & manducare statim atque de illis confessus fuerit. Quâ in re suam allucinationem liquidò deprehenderent, si eos præfati Concilii verba accuratiùs expendere juvaret.

Nam ait equidem Concilium Ecclesiasticam consuetudinem declarare eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Hactenùs Concilium sess. 13. cap. 7 hoc ipsum decretum sancit idem Concilium sub anathematis interminatione, ut patet ex 11. ejusd. session. Canone. Sed tale decretum ab sacro-sanctâ Synodo sancitum non dicit hominem statim atque ad Confessarii pedes numerosa, referventiaque crimina evomuit, posse percipere Corpus Christi; siquidem illud nemo ritè percipere potest, quin flagitia etiam confessa condignis pœnitentiæ laboribus & operibus expiaverit.

Enimverò Concilium equidem Confessionem sacramentalem ab homine, vel omnis peccati lethalis conscio ad sacram Communionem præmitti oportere statuit, sed illam ipsam Confessionem sufficere non decernit. Unde non ratiocinatur ut oportet, qui dicit:

> Concilium Tridentinum declarat neminem peccati lethalis conscium absque præmissâ Confessione sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debere.
>
> Ergo Concilium Tridentinum declarat quemlibet peccatorem & qualiumcumque criminum conscium, statim atque confessus fuerit, posse citra scrupulum accedere ad Eucharistiæ Sacramentum.

Falsa est hujusmodi consecutio. Licet enim decernat Concilium necessario ad percipiendam Eucharistiam præmittendam esse Confessionem sacramentalem ab homine peccati lethalis conscio, non tamen adversatur sanctis Patribus aientibus crimina debitis satisfactionibus esse expianda, & unumquemque communicare volentem ab semetipso congruenter Apostoli præcepto probari oportere, antequam ad Christi Corpus percipiendum accedat. Si enim quidpiam ad alicujus rei perfectionem necessarium asseritur, non continuò sufficiens appellatur. Si v. g. medicus accersitus ad restituendam ægrotanti sanitatem, celebrandam venæ sectionem, utpote necessariam præstituat, non proptereà hujusmodi venæ sectio ad recuperandam ægri sanitatem sufficere dicetur.

Ac reipsa quidem dies me deficeret, si enumerare vellem omnia, quæ in communi mortalium usu, & in ipso salutis negotio necessaria sunt, non tamen ad salutem assequendam sufficiunt. Baptismus tam parvulis quam adultis necessarius est, non tamen ad æternæ salutis assecutionem adulto sufficeret, nisi solemne votum quod emisit in Baptismo consentaneis suæ professionis operibus adimpleret. Et ita de cæteris de quibus prolixitatis vitandæ gratiâ sileo.

Pater Perlinus Jesuita in eo Libro, quem adversus frequentiorum communionum abusus elaboravit, quam insulsa sit consequentia ex præfato Concilii Trident. loco deducta optimè declarat his verbis: *Neque*, inquit, *Tridentinum aliter sensit cap. illo 7. sess. 13. ubi haudquaquam invenies, quod adversarii putant, dignè communicare illum, qui absque lethali communicat.*

Quod si dixerint apertè legi, cum asseras communicare indignè, qui lethali astrictus scelere communicat: hinc enim rectè colligitur à contrario dignè communicare, qui ab illo immunis communicat.

Respondebimus eos falli, & malè colligere, malum namque ex quovis defectu, bonum ex integrâ causâ, ut omnes sciunt. Hæc Pater Perlinus olim Theologiæ Professor Coloniæ sacri convivii distinct. 2. cap. 6.

Complures alii Authores, qui quantâ maximâ reverentiâ prosecuti sunt, ut par est, omnia decreta, & omnes Concilii Tridentini Canones, non crediderunt se quicquam sacræ tanti Concilii authoritati detracturos, si docerent fideles lethalium peccatorum conscios, & de ipsis confessos, non posse ritè & cum debitâ v. Sacramento reverentiâ communicare, quin priùs sese per bona & satisfactoria opera ad dignam tanti convivii participationem accingerent.

Quid quod Casuistæ celebriores qui ab cordatis & eruditis, majoris potiùs indulgentiæ quam rigoris severitatisque nomine accusari solent, peccati lethalis aut certè venialis conscios, pronuntiare nihil dubitaverunt, quotquot in aliquod & præsertim impudicitiæ crimen prolapsi & de illo confessi, & de illo etiam ab sacerdote absoluti, nullâ morâ interpositâ ad percipiendam Eucharistiam prosiliunt.

De peccato lethali damnat hujusmodi homines Covarruvias in Clement. si furiosus, part. num. 8. *Impium est*, inquit, *negare peccare mortaliter eum sacerdotem qui post fornicationem præcedenti nocte commissam, sequenti die celebrat, etiamsi contritus sit, & confessus.* Hæc ille.

In hujusmodi peccatum incurrunt Laïci pariter & Sacerdotes, utrique enim rei sunt Corporis & Sanguinis Domini, nihil enim inter utrosque interest hoc in casu, præterquam quod Sacerdotes graviori sese sacrilegio devinciunt, quam Laïci, eo nomine, quod ad altioris sacerdotii fastigium provecti, illa ipsa, quæ sui ordinis potestate conficiunt mysteria, majori pietate, & reverentiâ tractare teneantur.

Ex tali Covarruviæ celeberrimi Canonistæ sententiâ verisimillimâ patet, quanto in errore versati fuerint, & quantum in errorem alios inducere tentaverint recentiores quidam Casuistæ, qui docere non horruerunt, Sacerdotem post habitam eo die cum fœminâ carnalem copulam, aut pollutionem voluntariam posse sine culpâ veniali rei divinæ incumbere. Idque locum habere non in fornicatione modo, sed generatim in qua-

licumque pollutione mortaliter peccaminosâ, seu habitâ secum, vel cum complice, & hoc sivè habeatur per fornicationem, sivè per adulterium, sivè per peccatum contra naturam, seu quocumque alio modo.

Quis hujusmodi doctrinam æquo animo audire possit? Quis non talia opinionum portenta sacris litteris, sanctis Patribus, & omnibus Canonum sanctionibus è diametro repugnantia non perhorrescat? O singularem hujusmodi hominum imperitiam pariter & impudentiam! O insolentem doctrinam! dignam quam docti gravibus censuris afficiant, & imperiti, seu plebeii ultimi exempli imprecationibus prosequantur.

Quis, amabo vos, eos inter legitimos orthodoxosque Casuistas recenseat, quos viderit non solùm in altissimâ Canonum (ad quorum amussim suas resolutiones exigere debent) ignoratione versati, verum etiam ea ignorare quæ ne minimis quidem sacerdotibus ignorare licet. Consulant Rubricas omnibus sacerdotibus Ecclesiæ Catholicæ authoritate porrectas, & inibi deprehendent, quanto intervallo ab ejusdem Ecclesiæ spiritu diffideant. Legant imprimis articulum 9. de defectibus corporis, & discent quid de pollutionibus nocturnis sentire oporteat.

Si præcesserit pollutio nocturna, (inquit Missale Roman.) quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illâ cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causâ, aut ex diabolicâ illusione, potest communicare & celebrare; nisi ex illâ corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur. Hac de re satis.

Talem irreverentiam eâ, quâ par est, severitate reprehendit Ludovicus Granatensis in memoriali tract. 3. cap. 5. Maximè, inquit, corripiendi sunt Christiani, qui cum vitam omnibus vitiis inquinatissimam egerint, evoluto anno confitentur, & vix mille criminum abominationumque genera apud sacerdotem evomere desierunt, cum sese ad cælestem mensam proripiunt, & manducant panem Angelorum, ad cujus dignam perceptionem, vel ipsa Angelorum puritas exigeretur, si ad illam homines pervenire possent. Hæc ille.

3. S. Dionysius & cæteri Patres volunt Christianum communicare cupientem amore divino eoque impermisto esse præditum, id est eo amore erga Deum esse animatum, ut ille amor præponderet cunctis cordis affectibus, quibus dominari debet, nec umquam hominem rerum creatarum illecebris capi, & in illicita abripi patiatur.

4. Eumdem Christianum ad communionem accedere volentem, volunt adhærere Deo & juxta Apostolum esse unum spiritum cum ipso, quod per charitatem in Christiano corde regnantem efficitur.

5. Volunt esse perfectum juxta illud Evangelii pronuntiatum: *Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Jubemur scilicet pro modulo virium, seu gratiarum quibus per Christum nostra imbecillitas adjuta & erecta fuerit, imitemur patrem illum cælestem, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, atque ita non solùm amicos, verum etiam inimicos diligamos, & ipsos licet nos odio etiam injusto prosecutos, & calumniatos nostris beneficiis devinciamus exemplo tanti patris qui adeò non animadvertit in peccatores quos jure ac meritò in inferos dejicere posset, ut etiam eos toleret, & suis etiam beneficiis, sicut & sanctissimos quosque cumulare non desinat: quod præsertim tempore sacram communionem antecedente factitandum est, eò quod in ipsâ recolatur memoria passionis in quâ sese ipse Christus ignoscentissimum præbuit, utpotè qui pro hostium sese crucifigentium & mille contumeliis & blasphemiis inquinantium veniâ, excusatâ eorum ignorantiâ Patrem æternum nullis cum adorando sanguine lachrymis exoravit. Itaque cæteris Christianæ pietatis operibus philophandum est, servatâ proportione: Nam sic imitabimur patrem cælestem, in cujus imitatione tota Christianæ religionis perfectio vertitur & insistit, ut ait S. Gregorius Nyssenus.

6 Iidem Patres volunt hominem communicare cupientem esse irreprehensibilem, non quod jam perfectus sit, sed quod ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currat, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis, ut ait S. Augustinus de perfect. just. cap. 9.

7. Volunt illi ipsi Patres hominem communicaturum mortuum esse peccato, & mundo, & sibi ipsi, & uni duntaxat Deo vivere. Revera omnes Christianos mori peccato necesse est; *qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Rom. 6. v. 2. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà non serviamus peccato.* Ibid. v. 6. Item nos oportet mori mundo, id est non plus diligere mundum quàm diligunt mortui: Ita enim præcipit Discipulus quem diligebat Jesus. *Nolite*, inquit, *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* 1. Joan. cap. 2. v. 15. Nos autem uni Deo vivere oportere ubique prædicant Literæ Apostolicæ. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato. viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Rom. cap. 6. v. 11. Item Roman. cap. 14. v. 7. *Nemo nostrùm sibi vivit & nemo sibi moritur. Sivè enim vivimus, Domino vivimus; sivè morimur, Domino morimur. Sivè ergo vivimus, sivè morimur, Domini sumus.* Et alibi.

8. Docent S. Patres eos qui aspirant ad dignam Corporis Christi perceptionem oportere esse aquilas, id est oportere *eum, qui ad hoc corpus accedit esse sublimem & cum terrâ nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assiduè sursum volare & in justitiæ solem intueri, acutosque & perspicaces habere mentis oculos. Aquilarum enim non gracculorum hæc est mensa*, ut loquitur S. Joan. Chrysostomus hom. 24. in 1. Epist. ad Corinth.

Quo loco cùm affirmasset idem S. Joann. Chrysostomus omnes qui dignè Corpus Christi in terris manducaverint, in consummatione sæculi ad vitam immortalem excitandos esse, & rapiendos in nubibus obviam Christo in aëra, indicavit posteà, quo pacto nos ex hac jam indè vitâ per accessum ad Christi Corpus, quod nobis præsens in Eucharistiâ sistitur, volatum illum, quo ad illud ipsum Christi in sede majestatis suæ continuò sessuri corpus, efferendi sumus, quadam veluti prolusione præveniamus, in eo quod, ut dignè ad illud accedamus, nos ad exprimendas dotes aquilarum nidum suum in arduis ponentium terrenos affectus exuendo, jam nunc aggredi oporteat: ita ut nostra conversatio in Cælis sit, & quæ sursùm sunt quæramus, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursùm sunt sapiamus, non quæ super terram. Col. c. 3. vers. 1.

Eos autem qui sunt præpostera rerum humanarum cupiditate succensi (ut putà insanâ nefariaque auri & argenti fame confecti, ab mensâ illâ cælesti arcendos esse, non obscurè significat loco citato, ubi disertè asserit hanc mensam esse aquilarum, non monedularum mensam, id est avarorum opes non tam comparantium quam furantium. Nam monedula est avis cui soli furacitas auri & argenti præcipuè mira est, ut testatur Plinius Histor. natural. lib. 10. cap. 29.

Unde idem S. Joan. Chrysostomus hom. 51. in Mat. *Nullus ergo Judas, nullus Simon hanc mensam adeat, quorum uterque æris cupiditate periit. Quare fugiamus ore hanc foveam, neque putemus satis nobis esse ad sa-*

lutem, si cum viduas & orphanos spoliaveris, aureum calicem & gemmis ornatum huic mensæ offeras. Vis hoc sacrificium honorare? animam tuam offeras propter quam Christus immolatus est, eam auream facito? Et paulò post. *Illa aurea, uni & pretiosa, quæ avaritiâ non maculantur; non enim auri vel argenti officina, sed Angelorum celebritas Ecclesia est.* Hactenùs Chrysost. qui & ibi multa eloquitur, ut probet eleemosynam esse multò acceptiorem quam vasa pretiosa, quæ ad mysteriorum celebrationem offeruntur.

Quod & repetit idem Chrysostomus hom. 83. in Matth. ubi postquam dixit, illa ipsa mysteria quæ Christus in supremâ cum Discipulis Cœnâ confecit, ab ipso etiamnùm ministrorum operâ perfici, infert: *Nullus itaque Judas, nullus avarus* (φιλάργυρος) *assistat.*

Ex dictis hactenùs nemo non inferet prædictas dispositiones, quas ad dignam Corporis Christi perceptionem sancti Patres exigunt, non ad mera consilia, sed ad veri nominis præcepta pertinere. Cum enim ex præcepto unusquisque fidelis communicare volens, charitatem ad cælestem illam mensam afferre teneatur, & hujusmodi dispositiones saltem pleræque omnes ab ipsâ charitate sejungi nequeant, meridianâ luce clarius est neminem dignè posse communicare, quin cum charitate hujusmodi dispositiones utpotè ab ipsâ inseparabiles in aliquo saltem gradu possideat.

Revera quisquis habet charitatem, imò vel infimum charitatis gradum in eo positum, ut nihil supra Deum, nihil contra Deum aut æqualiter Deo diligatur (ut docet S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2) Sanctus est ejus Deum amor, cæteris cordis ejus affectibus præponderat, adhæret Deo; est perfectus sicut pater ejus cælestis perfectus est: peccato mortuos est, & sibi, & mundo, & vivit uni Christo, qui in hoc mortuos est & resurrexit, ut vivorum dominetur & mortuorum; imitatur aquilas, quæ in arduis ponunt nidum suum, & desideriorum suorum ardore & sublimitate transcendit creaturas, & in tali animi præparatione in antecessum evolat ad Christi Corpus in Eucharistiâ sumendum, ad eum penè modum quo in consummatione sæculi sancti omnes velot aquilæ pernicissimo volato congregabuntur illic, ubi illud ipsum Christi Corpus exstiterit.

Hactenùs primam secundæ dispositionis, id est amoris animo prædominantis dotem explanavimus, jam ad secundam in ejusdem amoris progressu positam aggredi necesse est. Sit itaque

---

Continuatur secunda dispositionis explanatio & declaratur præceptum quo omnes & singuli fideles ad charitatis profectum incumbere tenentur.

HIC quatuor sunt explicanda.

1. Præceptum quo omnes ad charitatis progressum obligantur.

2. Explicandi sunt varii hujusmodi progressionis gradus, seu variæ hominis interioris ætates.

3. Quibus adjumentis unusquisque ad charitatem proficere potest & debet.

4. Denique quibus indiciis charitatis profectus in unoquoque deprehenditur. Hæc omnia breviter sunt explananda.

---

§. Primus.

Statuitur præceptum quo fideles ad profectum charitatis obligantur.

HUjusmodi præceptum scripturæ & S. Patres loculenter astruunt.

1. Scriptura illud liquidò declarat Matth. cap. 25. in quo Dominus qui sua bona servis suis ad lucrum factitandum impertierat, servum inutilem, talento quod absconderat, spoliari, & ipsum in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium, præcipitem detrudi imperat. Quæ parabola significat Christum Dominum omnia gratiarum seu charismatum dona, quæ nobis sui Sanguinis pretio comparavit, impertiri Christianis eâ conditione, ut iis utantur, seu castè & integrè vivendo, & veluti negotiando quæstum faciant, & consentaneam suæ negotiationi mercedem referant, sin secùs, priventur gratiis sibi concessis & ad inferos detrudantur. Unde Christus terribilem hanc profert sententiam. *Omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo, & inutilem servum eiicite in tenebras exteriores.* Perindè ac si diceret: Omni habenti, id est juxta S. Joan. Chrysostomum & sanctum Augustinum Lib. 2. quæst. Evangelic. quæst. 46. Omni negotianti, id est benè creditis sibi talentis utenti, plura adhuc remunerationis loco dabuntur; ab illo autem qui habet quidem aliquod talentum, illudque otiosum relinquit, ita ut propterea non tam illud habeat, quam habere videatur, aufertur. Sic enim sancti tam in terris quam in Cœlo tot tantisque charismatis & dotibus affluunt & affluent, ut omnia reproborum dona in ipsos transfusa esse videantur.

Ex his patet ex præcepto unumquemque dona Dei adhibere oportere ad lucrum, seu ad profectum omnium virtutum & præsertim charitatis, quæ earumdem virtutum principatum obtinet. Si enim hujusmodi profectus pertineret dumtaxat ad consilium, nusquam malus ille servus & piger æternis inferorum flammis ob ejus omissionem esset addictus, Nemo enim unquam propter omissum consilium acerrimis Dæmonum suppliciis mulctatum esse vel legimus, vel audiimus.

2. Apostolus ad Ephes. cap. 4. idem præceptum insinuat v. 15. & 16. Cum enim dixisset v. 14. *Ut non simus parvuli:* addit. v. seq. *veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Ex pulcherrimo illo & difficillimo Apostoli loco rectè colligitur præceptum quo quisque Christianus in charitate progredi tenetur; cum enim dixisset nobis faciendam esse veritatem, id est, amplectendam esse veram doctrinam quam Apostoli, Pastores & Doctores, quos Christus Ecclesiæ suæ præfecit, prædicarunt, addidit: in charitate crescamus in illo per omnia (membra) qui est caput Christus: id est crescamus in charitate seu secundum text. Græc. augeamur in ipsum (Christum) qui est caput totius corporis; ut hujusmodi incrementis proficiamus, & tandem respondeamus capiti nostro, cujus membra sumus, id est Christo, qui omninò perfectus est. Inde sic ratiocinari possumus, & debemus: Præcipit Apostolus veritatem facere, id est veram Christi doctrinam ab Apostolis, ab Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ traditam amplecti, ergo & in charitate crescere jubet. Neque enim ulla ratio ab Theologis afferri potest, cur præfatam doctrinam ex Apostoli præcepto amplecti potiùs, quam in charitate crescere teneamur. Nullum enim vestigium apparet undè primum potius, quam alterum veluti præceptum ab eodem Apostolo indictum esse colligatur.

Imo contrarium omninò colligitur, siquidem Ecclesiam quæ est Corpus Christi, toto consequentium sæculorum curriculo crescere necesse est, donec omnes prædestinati ad vitam perducantur, & perveniant in unam eamdemque fidem & veram cognitionem Christi Filii Dei, cum eo in charitate profectu, ut evadant in virum perfectum, id est ut virile robur & constantiam in fide & cognitione Christi assequantur tanquam mensuram

mensuram plenæ & perfectæ ætatis Christi in corpore suo mystico. Unde sic ratiocinari licet. Corpus Christi mysticum quod est Ecclesia, crescere debet in fide per charitatem operante, ergo & singulos fideles id est singula Ecclesiæ membra in eadem fide, per charitatem operante, seu quod idem est, in charitate crescere necesse est. Neque enim aliquod corpus augescere potest, quin unumquodque membrum illi annexum secundum mensuram & rationem ipsi propriam pariter augeatur. Quod quidem bellè cadit in Ecclesiam quæ est Christi Corpus (quod nos sumus.) Cum enim à Christo capite omnino dependeat illud ipsum Corpus per connexionem omnium inter se membrorum, ex quibus constituitur, aptè compositum & coagmentatum, per efficacem ejusdem capitis operationem, pro mensurâ ac ratione cujusque membri augescit, ædificatur, & proficit in charitate, id est per charitatem. Unde Apostolus addidit in charitate: quia Ecclesia quod est Corpus Christi spirituale, propriè non ædificatur, nec proficit nisi per charitatem, cum sine eâ nihil sint cætera, ut patet ex 1. Corinth. cap. 13.

Ex hac doctissimi Estii interpretatione rectè conficitur neminem esse Christianum, quin in charitate denuntiato mortis æternæ supplicio proficere teneatur.

3. S. Petrus idipsum præceptum inculcat his verbis: *Crescite in gratiâ, & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.* 2. Petr. cap. 3. v. 18. qui locus de charitate intelligendus est. Quid enim prodesset gratia & cognitio D. N. J. C. nisi adjunctam haberet charitatem.

4. Illud ipsum præceptum repetitur Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.*

Ad scripturam adjicere juvat sanctos Patres legitimos scripturarum interpretes & imprimis S. Augustinum, qui serm. 15. de verbis Apostoli cap. 15. illud ipsum præceptum scripturarum authoritate comprobatum luculenter astruit. *Videtis*, inquit, *quia viatores sumus. Dicitis, quid est, ambulare? breviter dico, proficere, ne fortè non intelligatis, & pigrius ambuletis. Proficite, fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas, & jactes te. Est ibi: sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba & teipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & periisti Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in viâ remanere, noli retrò redire, noli deviare. Remanet qui non proficit, retrò redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat, deviat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.* Hæc ibi.

Illud ipsum præceptum probat in lib. de perfect. justitiæ cap. 8. *Post hanc vitam*, inquit, *merces perficiens redditur, sed eis tantum, à quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem justitiæ cum hinc exierit quisque perveniet, nisi ad eam, cum hic est, esuriendo & sitiendo cucurrit. Beati quippè qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hæc ibi.

Vulgatissimum est illud S. Bernardi effatum: *In viâ Dei non progredi, regredi est*: quod quidem satis superque proficiendi præceptum indicat, ut patet ex ejusdem S. Bernardi Epistolâ 253. *Indefessum*, inquit, *proficiendi studium & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni esse perfectum est, profectò nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores quam patres nostri. Non vis proficere? Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: fugit velut umbra, & numquam in eo statu permanet.* Hactenus sanctus Bernardus loco citato.

Ex his sequitur profectum in charitate omnibus & singulis fidelibus esse imperatum; cum enim regredi in viâ Dei sit omninò prohibitum, in illâ ipsâ Dei viâ progredi præceptum est. Sicut enim nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei, ait Christus Jesus Luc. cap. 9. v. 62. ita qui non obliviscitur ea quæ retro sunt, ut currens in stadio sese extendat ad priora, ut loquitur Apostolus, non est aptus promerendo Dei regno, quod nemo comprehendet, nisi legitimè currendo ad majorem vel minorem progressum suis viribus respondentem, infusam sibi charitatem provexerit.

Unde S. Augustinus apud S. Prosperum ita loquitur: *Nemo fidelium quantumvis multum profecerit, dicat, sufficit mihi. Qui enim dixerit, remansit & hæsit in viâ ante finem qui non perseverabit usque in finem*: Ita S. Prosper in sententiis ex S. August. excerptis sentent. 234.

Hactenùs stabilitum est præceptum, quo quisque fidelis ad charitatis profectum obligatur. Alio igitur properemus. Sit itaque

---

§. *Secundus.*

Quinam sint gradus per quos in nobis augescit Charitas, seu quæ sint ætates, quibus interior homo perficitur?

Hujusmodi gradus seu ætates pulcherrimè recenset S. Augustinus in Libro de verâ Religione cap. 26. ut mox visuri sumus.

Novus homo, inquit, & interior & cælestis, habet & ipse proportione non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas.

I. Primam in uberibus utilis Historiæ quæ nutrit exemplis.

II. Secundam jam obliviscentem humana & ad divina tendentem, in quâ non authoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam & incommutabilem legem passibus rationis innititur.

Hic loquitur sanctus Augustinus non de solâ ratione naturali, sed de ratione pietatis adminiculo repurgatâ, & quæ ab fide ad intelligentiam provehitur.

III. Tertiam jam fidentiorem & carnalem appetitum rationis robore maritantem gaudentemque intrinsecùs in quadam dulcedine conjugali: cum anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, ut jam rectè vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat.

IV. Quartam multò firmiùs ordinatiùsque facientem & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus & persecutionibus & mundi hujus tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis.

V. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus, & abundantiâ incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis sapientiæ.

VI. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam & usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei.

VII. Septima enim jam quies æterna est & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ.

Quod si aliquid præter istos gradus seu hominis interioris ætates requirat studiosus Lector, unde possit deprehendere varios gradus quibus, pervenitur ad veram sapientiam, quæ nihil est aliud quam charitas,

Si

legat caput 6. libri 2. de doctrinâ Christianâ. Nam ibi animadvertet septem gradus, per quos itur & proficitur ad sapientiam.

---

§. *Tertius.*

Quibus adjumentis charitatis incrementum impetrari valeat.

SAnctus Augustinus hujusmodi adjumenta nobis suppeditat, quibus qui, sicut oportet, usus fuerit, charitatis incrementum dubiò procul obtinebit.

Hac est nostra, inquit, *in ipsâ peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos sunt commissa, peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo, & hoc faciendo in doctrinâ sanâ, quâ ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Hac est nunc nostra justitia quâ currimus esurientes & sitientes ad perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ut eâ posteà saturemur*. Hactenus S. Augustinus in lib. de perfectione justit. cap. 8. Quo exeunte, eodem penè modo de dictis augendæ charitatis adjumentis prædicat. *Curramus*, inquit, *credendo, sperando, desiderando: curramus corpus castigando & eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando. & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.* Hæc ibi: quæ sans indicant fidem, spem, desiderium, voluntariam prudentemque corporis castigationem, & hilarem eleemosynarum largitionem, & injuriarum syncetam alacremque condonationem? fervidam denique & crebram orationem esse adjumenta divinitùs constituta, per quæ fideles ad verum charitatis in hac vitâ incrementum, & ad summum ejus fastigium in alterâ pertingere valeant.

Tunc enim in plenitudine charitatis præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ. Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex totâ animâ diligitur Deus: non enim caro sine animâ concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omninò peccato, quia nulla lex erit in membris repugnans legi mentis ejus, sed prorsùs toto corde, totâ animâ, totâ mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vitâ nemo habeat? non enim rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur: quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus ut comprehendamus. Hactenùs S. Augustinus lib. & cap. proximè citatis.

Quod & confirmat idem S. Augustinus in lib. de spirit. & litt. cap ult. *Hoc est*, inquit, *primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ mente, quod in illâ vitâ complebimus, cum videbimus facie ad faciem.* Hæc ibi.

Porrò charitas in nobis augebitur, si ea omnia quæ ab S. Augustino enumerata recensuimus, præstabimus cum eo fervore, quem Deus à nobis exigit, ut testatur S. Bernardus: *Qui judicat me*, inquit, *Dominus est, qui fervorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. Ignem, inquit, veni mittere in terram & & quid nisi ut accendatur? hoc nempè commune mandatum: hoc est quod exigitur ab universis, nec ullis, si deesse contigerit, admittitur excusatio.* Hactenùs sanctus Bernardus in serm. de Lucerna ardente & lucente n. 3.

Ac reipsâ quidem non augetur charitas nisi per fervorem, quo quispiam ad opera pietatis incumbit. Quod egregiè tradit S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 6. in quo quærit utrum quolibet charitatis actu charitas augeatur; Nam in corp. istius art. sic respondet: *Non quolibet actu charitatis charitas actu augetur: sed quilibet actus charitatis, disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior ad agendum iterùm secundum charitatem: & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum: & tunc charitas augetur in actu.* Hæc ibi.

Non augetur ergo charitas nisi aliquis adhibeat conatum quò augeri valeat: quemadmodum enim quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam sed suo tempore. Ita etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum, ut docet sanctus Thomas art. proximè citato ad 1.

Omnes igitur qui ad charitatem proficere volunt oportet esse spiritu ferventes, sicut præcipit Apostolus Rom. cap. 12. Quis sit autem spiritu fervens explicat S. Basilius in Reg. breviorib. interrog. 259. *Is est*, inquit, *spiritu fervens, qui cum ardenti studio, & inexplebili cupiditate, & assiduâ diligentiâ voluntatem Dei facit in charitate Christi Jesu Domini nostri, congruenter his Scripturæ verbis: in mandatis ejus volet nimis.* Hæc ibi.

Quisquis ergo cum tali fervore divina mandata impleverit, si non per omnes & singulos charitatis actus, at certè per plures jam infusæ sibi charitatis augmentum promerebitur, & haud dubiè consequetur ab eo, quo donante ipsa charitas diffunditur, & magis magisque augescit & accenditur in cordibus nostris usque dum ad consummatum alterius sæculi amorem ardoremque pervenerit. Ut autem innotescant proficientis charitatis indicia, esto

---

§. *Quartus.*

Quænam sint potissima roboratæ seu proficientis charitatis indicia.

PRimum proficientis charitatis indicium est diligens & ardens studium omnia peccata etiam minima, & eorum occasiones declinandi: Tunc enim fidelitas Deo (cui vel minima venialiaque non mediocriter displicent) hac in parte exhibita declarat Christianum in charitate progredi. Itaque quisquis ad charitatem proficere voluerit, sæpe memori animo revolvat aureum illud S. Augustini pronuntiatum, *minimum minimum est, sed in minori fidelem esse maximum est. Qui enim fidelis est in minimo & in majori fidelis est*, ait Christus Jesus Luc. cap. 16. v. 10.

Secundum proficientis charitatis indicium in se quisque deprehendere poterit, si se majori, quam anteà soleret, hilaritate ad edenda pietatis opera incitari videat. Quo enim major in bonis nostris operibus apparebit hilaritas, eo etiam ardentior in cordibus nostris effervescet charitas. Quod insigniter declarat S. August. in lib. de perfect. justit. cap. 8. *In ipsâ verò beneficentiâ, quâ justus consulit proximo: quædam sunt, quæ obsint, cum prodesse putata sint, & aliquando per infirmitatem, vel cum minus sufficitur necessitatibus aliorum, vel parùm in eis proficit, quod benignitatis ac laboris impenditur, surrepit tædium, quo sufficitur hilaritas, in quâ datorem diligit Deus. Surrepit autem tantò magis, quanto minùs quisque, & tantò minùs quantò magis profecerit.*

Ex his S. Augustini verbis patet tanto minùs tædium in animam inter bona opera irrepere, quantò magis quispiam in charitate profecerit. Cum igitur mi-

nus tædium majorem ostendat in charitatis operibus hilaritatem, argumento est eum in charitate progredi, qui majori hilaritate opera charitatis exerceat.

Tertium proficientis charitatis indicium præ se fert, qui quicquid egerit, obliviscitur, & in ea dumtaxat quæ sibi supersunt exequenda intuetur: Hoc est qui verè de se affirmare potest, quod de se prædicavit Apostolus Philipp. 3. v. 13. *Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Vide*, inquit, *S. Joannes* Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Philipp. *Apostolum his verbis ostendere. quia illud sit, quod ipsum faciebat, ad anteriora se extendere. Ergo qui se jam perfectum putat, ad virtutis ultimam perfectionem, is à cursu cessabit, quasi qui totum jam teneat. Atqui se adhuc à metà abesse cogitat, is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos semper existimare debemus, etiamsi sexcenta obierimus virtutis officia: etiamsi Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum cogitabat, multo magis nos; nondum, inquit, animo concidi, quamvis post tantum cursum, nondum pervenerim; non ideò tamen desperavi: sed adhuc curro, adhuc certo, hoc unum specto, ut assiduè proficiam. Id nobis etiam faciendum est: Oblivioni mandanda sunt benefacta & omittenda, quæ retrò sunt. Nam & cursor non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent. Ita & nos non quantum in virtute progressi simus, cogitemus: sed quantum adhuc progrediendum restet. Quid enim nobis prodest, quod progressi sumus; nisi etiam quod restat, confecerimus?*

Hactenùs S Joan. Chrysostomus, qui & paulò post observat Apostolum dixisse se persequi ad destinatum id est ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu, & per hæc verba eum ostendere gratum & memorem animum, *in Christo Jesu*, inquit, *hoc facio. Non enim sine illius impulsu tantum spatii conficere fas est, magno subsidio opus est: seque ille nobis in pugnà socium præbeat oportet.* Hæc ille.

Subdit Apostolus: *Quicumque ergò perfecti sumus, hoc sentiamus*: id est quotquot *perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quo perfectè adhuc currimus.* Ut ait S. Aug. qui & asserit in lib. de perfect. just. jam toties citat. nos ad charitatis plenitudinem perventuros dumtaxat, non jam, non hic, ubi per speculum & in ænigmate videmus, sed cum facie ad faciem, ipsum qui charitas est, videbimus.

Nemo ergo suis confisus operibus & meritis dicat se charitatis perfectionem assecutum esse, & proptereà in aperto Christianæ virtutis stadio currere desinat. Nam proculdubio experiretur in se tremendum illud S. Bernardi pronuntiatum: *Omnia illi desunt, qui sibi nihil deesse putat.*

Quartum proficientis charitatis indicium est verum ulterioris perfectionis desiderium, sine quo nullum impetratur cœleste, vel donum, vel auxilium, ut passim in scripturis animadvertere est.

Quintum proficientis charitatis indicium in eo positum est, ut quo magis se quispiam per Christi gratiam in charitate progressum esse cognoverit, in altiori seu profundiori sese humilitate contineat, Apostoli exemplo provocatus, qui cum per omnes & singulos charitatis actus, utpotè ferventissimos infusam sibi charitatem mirabiliter adaugeret, sese tamen continuo humilitatis profectu omnium ultimum & abjectissimum profitebatur. Nam in 1. ad Corinth. Epist. scriptà anno Redempt. 57. id est viginti quatuor annis ab Christi passione, sese vocat minimum Apostolorum. 1. Cor. cap. 15. v. 9. quinque post annis, id est anno Redempt. 62. viginti scilicet & novem annis ab ejusdem Redempt. passione, quo tempore scripta est Epistola ad Ephesios, sese vocat sanctorum id est Christianorum minimum. Ephes. cap. 3. vers. 8. Prætereà in 1. ad Timoth. Epistolà circa annum Christi 66. id est triginta tribus annis ab ejusdem Christi passione scriptà, & ad ipsum Timotheum è Macedonià missà, in quantum humilitatis altitudinem sese deprimeret, his verbis liquido declaravit: *Fidelis*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideò misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* 1. Timoth. c. 1. v. 15. & 16.

Istum explicans locum sanctus Joannes Chrysostomus Apostolum nusquam majorem edidisse humilitatem, quam cum se primum peccatorum, id est profligatissimum & teterrimum appellavit, & cum addidit, ut Christus in me primo ostenderet omnem patientiam. Ac si apertiùs diceret; nullus est in quo major habenda sit patientia, neque inveniri potest peccator, qui omni ejus misericordià & patientià indigeat. Hæc S. Joan. Chrysostomus.

Exemplo igitur Apostoli quisquis vult verè ad charitatem proficere, nec deficere, debet eò majorem colere humilitatem, quò majorem in charitate progressum se facitare cognoverit. Nam quod rectè ab Authore pulcherrimæ ad Demetriadem Epistolæ observatum est: *Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, surrepat elatio, & ut homo de bono opere in se potiùs quam in Domino glorietur. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicens: cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bonà voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis & tremoris; ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi conscia & laudis avida in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Hæc ille.

Quam porrò periculosa sit illa ipsa superbiæ tentatio declarat S. Augustinus. *Et hæc quidem*, inquit, *ita dixerimus, ut altius Dei consilium me fatear ignorare: cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet, pro quà sanandà illi pia anima cum lachrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodo calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsà lætitià caput erigit, & dicit: ecce ego vivo, quid triumphas? & ideò vivo, quia triumphat.* Hactenus S. Aug l. sing. de nat. & grat. contra Pelagianos cap. 31.

Quò igitur magis proficiunt, eo sese magis deprimunt boni Christiani: hæc enim sanctis causa est tremendi atque metuendi: *ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ & remaneant in infirmitate naturæ*, ut prædicat S. Leo serm. 8. de Epiphan. Dom.

Hactenùs præcipuam ad dignam Eucharistiæ perceptionem dispositionem, charitatem nimirùm explanavimus, probavimusque eam duplici dote præditam esse oportere, ita ut

1. Dominetur & regnet in omnes humani cordis affectus

2. Ut non plantantis neque rigantis operà, sed ejus qui dat incrementum, gratià proficiat & augeatur; atque ita quodammodo respondeat amori, quem Christus Jesus in venerabilis institutione Sacramenti ad ultimam usque dilectionis & beneficentiæ lineam protulit. Antequam igitur Christianus ad Eucharistiam accedat, convertatur ad cor, & audiat quid loquatur in se Dominus Deus. Si enim habet aures audiendi, audiet Christum Jesum per scripturas, & sanctos Patres legitimos earum interpretes prædicantem, & his ipsum vocibus compellantem: Si vis manducare carnem meam & manducando ad æternam perveni-

te vitam, dilige me, & quia cibos sum grandium, cresce in amore, & sicut oportet, manducabis me, & tu mutaberis in me.

Tertia dispositio ad dignam Corporis Christi perceptionem necessaria.

QUemadmodum Christus Jesus suam passionem, quam baptismum vocat, & Eucharistiæ institutionem quam in ejusdem passionis memoriam sempiternam erigere decreverat, perfici consummarique quanto maximo desiderio expetiit: ita & nos, quos, quantum per carnis fragilitatem licet, intimos Christi affectus in luere necesse est, oportet ardentibus votis concupiscere sacri ejus corporis in v. Sacramento perceptionem, ut sancto desiderio, id est appetitu, capessamus cælestem illum cibum, quo soli, ut ait S. Gregorius, famelici satiantur.

Quale autem hujusmodi desiderium esse debeat luculenter explicat Joannes Thaulerus serm. 2. Dom. 7. post Trinit. Manna hoc cœlicum, inquit, ut de agno Paschali præcipitur, cum festinatione sumendum est, hoc est cum ingenti desiderio, ita ut sapiat tibi, & appetas illud secundum interiorem hominem. Non enim oberit, si fortassis exterior homo totus torpeat, & malè affectus & indispositus sit. Nam si voluntatem habes, peccata omnia, & quicquid divino noveris honori, verisque virtutibus repugnans, pro viribus, & quantum ea scire licet, vitare paratam; si, inquam, illius propositi es, talemque te intùs, non fallaciter sentis si præterea peccandi occasiones omnes extrinsecùs fugis, & ad extremum, si virtutis actibus juxta Ecclesiæ sanctæ & status tui constitutionem foris incu bis, salubriter accedis, nec tamen sine devotione multâ, etiamsi exterior homo admodum frigidus, torpidus, indevotus sit: quod nihil refert quin hæc omnia in solâ naturâ agantur. Si verò interior voluntas recta non adfuerit, parùm contulerit tibi. Hactenùs Thaulerus loco citato.

Ut autem verum & legitimum communicandi desiderium habeatur, oportet cum duabus conditionibus esse conjunctum, ut scilicet Christianus, qui ad cælestem Ecclesiæ mensam cum eâ, quâ par est, animi præparatione accedere cupit, nullo peccato lethali, nec ullo qualiscumque peccati lethalis affectu implicatus sit, & non quidem careat peccato veniali (hoc enim non patitur concupiscentia baptizatis omnibus, ut loquitur Concilium Tridentinum, ad agonem relicta) sed nullo peccati venialis affectu teneatur. Quod si Christiani eo animo sint animati, diligent Dominum Deum suum, & proculdubiò cælesti ejus convivio refici flagrantique ardentibus votis expetent.

Franciscus Salesius, quem nunc Ecclesia Catholica velut Indigetem veneratur, certam hanc regulam & indubitatam statuit: Omnem Christianum, inquit, octavo quoque die communicare cupientem, omne peccatum lethale, & omnem qualiscumque peccati lethalis affectum exuisse & non quidem omne peccatum veniale, sed omnem peccati venialis affectum abjecisse, & præterea magno communicandi desiderio teneri necesse est. Hactenùs ille in Philoth. 2. p. c. 20.

Quod spectat ad peccatum lethale & ejus affectum satis superque ostendimus quantoperè ab v. Sacramenti perceptione abhorreret, & quomodo expiandum esset, antequam ad Christi Corpus accederetur.

Quod verò ad peccati venialis affectum, quem sæpiùs communicare cupientem abdicasse oportuit, multi graviter allucinantur, utpote qui virtutis penuriam, culpabilemque, in evellendo peccati venialis affectu negligentiam, in communem hominum fragilitatem conferunt. Ideò utrùm corda nostra ab omni peccati lethalis affectu sint expedita sincerè dijudicare non possumus quin actos nostri, qui veluti fructus ex affectibus in intimo nostrorum cordium recessu delitescentibus erumpunt, testatum faciant, nos pro viribus declinare ejusmodi peccata, omni studio effugere occasiones quibus ad ipsa allici possumus, & ex adverso omnes amplecti opportunitates, quæ nobis idonea ad illorum fugam adjumenta suppeditant. Hæc autem adjumenta posita sunt præsertim in secessu, & in fugiendis filiorum hujus sæculi colloquiis, & in abdicandis rebus, & negotiis omnibus, præter ea quorum procurationem humana societas & urbanitas, imò Christiana charitas a nobis exegerit.

Ad fugienda ergo peccata venialia, ita ut quis jure ac merito se ab illorum affectu expeditum existimet, occasionem & negligentiam effugere necesse est. Nam (quod de peccatis lethalibus pariter & venialibus affirmari potest) ille proculdubiò tacitam denuò peccandi voluntatem, atque adeò peccati affectum alit, qui & peccati occasiones fugere & necessaria ad emendationem vitæ præsidia capessere abnuit. Ut loquitur ipse Franciscus Salesius Philoth. 1. part. cap. 6.

Ex hujusmodi peccatorum affectu & neglectu existit ingens malum, quod videlicet cum tanta charismata hoc Sacramentum contineat & præstet, in multos tamen etiam in gratiâ viventibus, crebròque illud percipientibus nulli aut perexigui illius fructus appareant.

Revera mirandum est quod tanta spiritualium bonorum inopia in Christianis vitam Christianam professis, nullis criminibus implicatis, ad hoc Sacramentum bonorum omnium fontem ubertimum crebrò accedere solitis, cernatur & appareat. Hujus rei duas causas profert Joannes Thaulerus, quarum

Prima est, quod hujusmodi homines veniales quotidianasque culpas suas non vigilanter observent, nec eas nisi velut in sopore quodam conspiciant: & ipsæ tamen quoddam inter gratiam & influxum Spiritus sancti medium præstant & impedimentum. Certè oportebat quemque vitam & conversationem suam tam diligenter inspicere ac observare, ut nullum omninò inhærens seu perseverans in se motari pateretur vitium, & maximè ante omnia, verba otiosa & frivola cavenda sunt. Otiosa autem omnia illa verba sunt, quæ nihil utilitatis habent, aut sine utilitatis intentione proferuntur. Quæso, Dilectissimi, totis viribus invigilate verbis vestris, & linguæ vestræ temperamentum adhibetote.

Secunda causa est, quod actualem devotionem non habeant, nec maneant introversi, sed nimis ad exteriora ferantur & excurrant, nec Dei præstolentur gratiam, nec illi denique in se operandi per mentis introversionem locum præbeant. Nam post biduum triduumve sæpius hoc Sacramentum operatur, si tantum non pigeat ipsius operationem observare. Quisquis autem fructus & effectus hujus dignissimi Sacramenti in se felicitet cupit experiri, ex Ægypto, id est sæculo tenebroso & mundanâ conversatione exierit oportet, ut pane cælesti sive mannâ quod pro cujusqua desiderio sapit, refici sit dignus. Verum sicut manna populo illi electo cælitùs non præstabatur, quamdiu aliquid supererat farinæ illius, quam secum ex Ægypto asportaverant, quâ consumptâ dedit illis Dominus manna de Cœlo omne delectamentum in se habens. Ita & fidelis quisque posteaquam Ægyptum, id est mundum & sæcularem vitam deseruit, jamque se evasisse omnia & spiritualem effectum arbitratur, quamdiu farinam vel propriæ naturæ, vel creaturarum, propensionem quoque ad vitia & terum creaturarum imagines in se habet, præclarissimos ac divinissimos cibus iste nunquam illi pro suâ dignitate & verâ interiorum sius delectatione sapit. Attamen quicumque cibi hujus cælestis saporem aliquem intùs unquam perceperunt, affectus creaturarum & ad malum procivitatem intra se observare debent, atque ita ad divinissimum cibum hunc accedere, non de suâ præ u mendo perfectione, sed potiùs ob nimiam infirmitatem suam.

Hactenùs Joannes Thaulerus in serm. 1. Dom. 2. post Trinit. docuit nos duo ad percipiendos Eucharistiæ fructus necessaria, quorum primum est sollicitè observanda esse peccata levia & venialia, ne eorum affectu irretiamur. Secundum verò esse relinquendam Ægyptum, id est abdicanda esse desideria sæcularia, ut cæleste Eucharistiæ manna, & ritè desiderare & verè gustare valeamus.

Quemadmodum igitur justitiam, id est charitatem in æternâ sanctorum felicitate consummandam esurire & sitire, id est flagrantissimo desiderio appetere debemus, ita ut quisquis ad illam esuriendo & sitiendo in hac vita non cucurrerit, ad illam in alterâ pervenire non possit, ut asserit S. Augustinus: ita etiam quisquis Christi Corpus non esurierit, nec ejus sanguinem sitierit, id est ardentibus votis non expetierit, Corpus Christi dignè Deo manducare non poterit: utpotè qui careat divinâ illâ charitate, atque adeò non agatur Spiritu Dei, à quo percipiendi Corporis Christi ardentissima sitis nostris in cordibus accenditur.

Unde ingens illud communicandi desiderium quod S. Franciscus Salesius ab Christianis octavo quoque die communicare volentibus exigit, appellatur ab S. Bonaventurâ devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Ut videre est apud ipsum lib. 2. de profect. Religiosor. cap. 77.

Hujusmodi sitis existit ex animâ per salvatoris gratiam sanatâ, sicut appetitus ex bonâ corporis habitudine proficiscitur. Unde S. Augustinus asserit animam Deo penitùs adhærentem continuato desiderio ardere sempiternam divinitatis fruitionem, quam pretiosi Corporis & Sanguinis Christi temporalis perceptio præfigurat: ita ut progressus ad pietatem ex istius potissimum desiderii accessione & incremento pelluceat.

Verùm ne quis hac in parte decipiatur, observandum est ex eodem S. Francisco Salesio duplicem esse famem seu esuriem; una nimirum est, quæ ex rectâ legitimaque concoctione; altera verò ex facultatis attractricis immoderatione proficiscitur. Ad stomachum scilicet propriè pertinet appetentia, quam ut benè habens secundum naturam excitat, sic malè affectus inappetentiam & vitiosum appetitum inducit: ut docent medici. Ut igitur ab physicis ad moralia, seu ab corporalibus ad spiritualia transeamus, Christiani hominis stomachus est ipsius cor, quod quidem si coram Deo rectum fuerit, sanctam Corporis Christi esuriem & appetentiam seu desiderium concipiet ex amoris nimirùm ardore, quo conflagrabit, adorandam Christi carnem in Eucharistiâ percipiendam esuriet; quod si Corporis Christi appetentia non ex præfato amoris ardore, sed ex adventitiâ quapiam causâ, seu vitiosâ quadam habitudine oriatur, fallax est, insidiosa, & simulata.

Hujusmodi famem seu esuriem aliquando in hominibus malè moratis & flagitiosè viventibus deprehendi observavit Thomas de Argentinâ, quam dæmonis operationi, & ut ejus verbis utar, Dæmonii meridiani ardori, non autem Spiritui sancto attribuit.

Ut autem dijudicari valeat utrum dicta mentis & cordis esuries bona sit & sancta, animadvertendum est, utrum alimentum quod stimolante tali fame percipitur, in uberiorem animæ sanitatem & pinguedinem redundet, tunc enim hujusmodi esuries Corporis Christi, ejusque sanguinis sitis divinæ charitatis ardore accensa judicanda est. Sin autem illud ipsum Christi Corpus perceptum, ejusque sanguis in stomachum trajectus nullam animæ, vel virium, vel pinguedinis, ut ita dicam, accessionem afferat, ardentiora communicandi vota in falsitatis illusionisque suspicionem sunt evocanda.

Neque enim credendum est rectè pinguem Christi panem, regibus (id est generosis & regalibus viris) delicias præbentem ritè appeti & manducari ab homine, cujus animam nullâ pinguedine, nec illis deliciis afficiat.

Ut huic dispositioni finem imponamus, juvat explicare sancti Gregorii Papæ I. verbis, quinam sint verè famelici, qui cælesti pane saturantur. *Qui sunt famelici*, ait, *nisi à cibis vitiorum vacui, à tumore jejuni? famelici ergo saturati sunt, quia sancti viri humilitatis arce præditi, dum de se alta non sentiunt, alta virtutum dona promerentur. Valde ergo saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles Spiritus sanctus requiescit.* Et posteà, *Non saturantur ergo nisi famelici; quia à vitiis perfectè jejunantes divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.*

Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidiè conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ suavitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait. probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Quid enim est hoc loco probare, nisi evacuatâ peccatorum nequitiâ, se probatum ad dominicam mensam, & purum exhibere? De repletis etiam subdit: qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidiè ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipsa sola virtus est, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc verè famelici saturantur, quia quò studiosiùs mundamur lamento pœnitentiæ, eò uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione.

Hactenùs S. Gregorius lib: 2. exposition. in 1. Reg. cap. 1. in hunc versum, *Repleti prius pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.*

Ex hac solidissimâ S. Gregorii doctrinâ constat tunc veram & laudabilem esse Corporis Christi esuriem, cum Christianus quotidiana leviaque peccata sine quibus non vivitur in terris, condignis pœnitentiæ operibus expiare annititur, ut se purum ad cælestem mensam conferat.

Indè retegitur turpis allucinatio quorumdam hominum aientium desiderium, & quidem sanctum & de cælo delapsum percipiendæ Eucharistiæ desiderium posse reperiri in ægrotantibus & imperfectis seu vitiosis hominibus, ut ab infirmitate transferantur ad robur & ad sanitatem, quam nondum sunt assecuti. Quod hujusmodi homines suam illam doctrinam accommodari velint ad ægrotos & imperfectos, id est ad peccatores, qui sua flagitia non abdicant, tale desiderium non est divinitùs excitatum, utpotè quod ex eorum cæcitate vel ex erroris spiritu profectum, & sit luxuria quædam spiritualis, ut loquuntur nonnulli Theologi, quam adhibet Diabolus ut hujusmodi personas in majora immanioraque flagitia detrudat. Nemo enim nescit veros gratiæ motus, quibus homines flagitiosos percellit Deus, eos ad synceram impellere pœnitentiam, & ad meliorem incitare vitam, antequam recipiant vitam, id est panem vivum, quem Christus suis fidelibus porrigit, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Quotquot enim peccatores è suis emersere flagitiis, & Corpus Christi sicut oportet, excepere, sese pane lachrymarum aluerunt, antequam Angelorum pane vescerentur.

Quæ a dispositio ad dignam Corporis Christi perceptionem necessaria in hoc posita, ut qui communicant, mortem Domini annuntient, id est, memoriâ impressam habeant, & sanctioris vitæ austeritate expressâ in imitatione referant.

CUM Christus Jesus acerbissimæ Passionis suæ desiderio perustus, verum Pascha in veteris Testamenti imaginibus adumbratum, id est, Corpus suum cum discipulis suis manducare concupierit, & reipsâ manducaverit, nos si dignè Deo communicare volumus, ad ejus exemplum componere, & ejus mortem, passionemque memoriâ repetere, eamque Christianis moribus exprimere necesse est. Siquidem sui Corporis & Sanguinis mysteria celebravit, & a nobis usque ad consummationem sæculi celebrari voluit, ne unquam mortis quam in arâ Crucis inter immanissima supplicia oppetiturus erat, memoria ex fidelium animis volventibus sæculis revelleretur & abolesceret. Hoc autem ad dignam Communionem exigi testatur ratio ex ipso Evangelio accersita. S. Joannes Chrysostomus observat Christum concupisse manducare Pascha, seu Corpus suum non promiscuè cum omnibus hominum generibus, sed cum suis dumtaxat discipulis, id est, cum Christianis ipsius doctrinam, vitamque doctrinæ ab ipso traditæ consentaneam professis, ut sancta sanctis, non aliis impertienda esse declararet.

Atqui juxta Christi pronuntiatum Lucæ cap. 14. v. 27. *Qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ergo, qui non bajulat crucem suam & non sequitur Christum, seu non tollit crucem suam quotidiè, ut ait ipse Christus, Lucæ cap. 9. v. 23. non est Christi discipulus; ergo indignus est, qui cælesti & vivo, & vivifico pane, id est, Christi Corpore reficiatur, siquidem inter ejus discipulos (quos unos ad sacrosanctum illud Convivium admitti voluit) annumerari nequeat.

Præterea nemo dignè communicare potest, quin ad Christum pertineat, seu de ejus spiritu vivat, ut loquitur S. Ambrosius, at qui non offert sese in societatem passionum Christi, nec adimplet ea, quæ desunt earumdem passionum Christi in carne suâ pro corpore ejus, quod est Ecclesia, non habet Spiritum Christi, atque adeò non est Christi: ergo indignus est sacrâ Corporis Christi participatione.

Hanc doctrinam luculenter explicat S. Gregorius Papa I. hom. 22. in Evang. *Quid sit sanguis Agni, inquit, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur; quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque etenim poste sanguis Agni est positus, quando Sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? cujus domus superliminare est ipsa intentio quæ præeminet actioni. Qui ergo intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ Passionis dirigit, in superliminari domus Agni sanguinem posuit.* Hæc ibi S. Gregorius.

Hoc ipsum pulcherrimè declarat S. Basilius in moralibus in Regulâ 80. cap. 22. in quo proponit varias quæstiones quæ ad Christianæ perfectionis statum, & imprimis ad demonstrandam præparationem Christianis communicantibus necessariam collineant.

Quid, inquit, proprium Christiani?

Fides quæ per charitatem operatur.

Quid proprium ejus quæ est in Deum charitatis?

Mandata ejus servare eo animo ut ille glorificetur.

Quid proprium ejus quæ est in proximum charitatis?

Utilitatem propriam non quærere, sed utilitatem ejus qui diligitur, cùm animæ, tùm corporis.

Quid proprium ejus qui natus est ex aqua?

Ut quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita ipse etiam mortuus sit, & ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est: Quicumque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus.

Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, hoc scientes quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato.

Quid proprium hominis in Ecclesiâ regenerati?

Exuere veterem hominem unà cum actibus ejus, & cupiditatibus, & induere novum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem illius, qui creavit illum, sicut scriptum est: Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis.

Quid proprium Christiani?

Mundari ab omni inquinamento carnis & spiritus & perficere sanctitatem in timore Dei, & charitate Christi, & nullam habere neque maculam, neque rugam, aut aliud quippiam id genus: sed esse sanctum & immaculatum, & edere Corpus Christi & bibere Sanguinem. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.

Quid est proprium illorum qui manducant panem & bibunt poculum Dei?

Servare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Quid proprium Christianorum?

Ejusmodi dilectio inter ipsos, cujusmodi ea fuit quâ dilexit nos Christus.

Ille ipse S. Basilius lib. 1. de Baptismo, cap. 3. declarat inutilem, imò perniciosam esse Communionem iis qui juxta Apostoli præceptum, quo unusquisque nostrûm non sibi, sed Christo vivere tenetur. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Quid itaque utilitatis habent hæc verba? Ut edentes ac bibentes perpetuò memores simus ejus qui pro nobis mortuus est & resurrexit, atque ita instruamur necessariò custodire, in conspectu Dei ac Christi ejus traditum Apostolo dogma, quo dicit: Charitas enim Dei constringit nos judicantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, omnes itaque mortuos esse. Et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi ipsis vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Qui namque edit ac bibit, videlicet in memoriam indelebilem ejus, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit J. C. D. N. rationem verò memoriæ, obedientiæque Dominicæ ad mortem usque juxta doctrinam Apostoli non adimplet, qui, ut dictum est, dicit: Constringit enim nos charitas Dei, judicantes hoc quod si unus pro omnibus est mortuus, itaque omnes esse mortuos (quod in Baptismate professi sumus) & pro omnibus est mortuus, ut qui vivunt, jam non sibi ipsis vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est ac resurrexit, nihil habet utilitatis, juxta sententiam Domini dicentis, Caro non prodest quicquam. Accersit autem sibi ipsi qui talis est, judicium, quoque dicente Apostolo: Qui edit ac bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè: Accedens verò, reus fit Corporis ac Sanguinis Domini: sed otiosè & inutiliter edens ac bibens in eo, quod non per memoriam ejus qui pro nobis est mortuus & excitatus ad vitam, videlicet Jesu Christi D. N. custodit illud Apostoli: constringit enim nos Charitas Dei, judicantes hoc quod si unus pro omnibus mortuus est, igitur mortuos esse omnes, & quæ sequuntur. Nam veluti sine conscientiâ & inutiliter tantum ac tale bonum irritum facit, & sicut absque ullâ gratiarum actione, acce-

dit ad tale mysterium, judicium habet segnitiei; cùm Dominus, nec eos innoxios esse sinat, qui verbum aliquod otiosum proferunt, & vehementius quoque otiositatis judicium declaret in eo, qui talentum acceptum in otio & desidiâ integrum servaverat: Apostolus verò tradiderit nobis quod & is qui bonum verbum prolatum non ad ædificationem Fidei dispensat, contristet Spiritum sanctum; ita debemus etiam attendere quod sit judicium eius, qui indignè edit ac bibit. Nam si qui fratrem quoque per cibum contristat, à charitate excidit, sine quâ magna quoque charismata & justificationes quasque operantia nihil prosunt: quid de eo dicendum est, qui otiosè & inutiliter edere audet Corpus, & bibere Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & hâc ratione plus aliquando contristat & infestat Spiritum sanctum, dum sine charitate vescitur, quæ urget, ut æstimet se sibi ipsi non vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est & resurrexit, Christo Jesu Domino nostro, edere & bibere? Oportet igitur accedentem ad Corpus & Sanguinem Domini ad rememorationem ejus qui pro nobis mortuus est & resurrexit, non solum purum esse à quovis inquinamento carnis & spiritus, ne ad judicium edat & bibat, sed & evidenter ostendere & exprimere memoriam, ejus qui pro nobis mortuus est, & resurrexit in eo quod & mortificatus est peccato, mundo & sibi ipsi, & Deo vivit in Christo Jesu Domino nostro. Hactenùs S. Basilius loco citato.

Illud ipsum affirmat idem S. Basilius lib. 2. de Baptismo quæst. 3. quam claudit hisce verbis: Habebimus, inquit, vitam æternam, sicut promisit qui mentiri nequit, Dominus ac Deus noster Jesus Christus, si edentes ac bibentes memores fuerimus ejus qui pro nobis mortuus est, & servaverimus sententiam Apostoli aientis: Dilectio namque Dei nos constringit, judicantes hoc quod si unus pro omnibus mortuus est, omnes itaque mortuos esse, & pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, jam non ampliùs sibi ipsis vivant, sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, quod & in Baptismate professi sumus & polliciti. Hæc ibi.

Hactenùs vidimus nos omnes Christianos cum volumus percipere mysteria Corporis & Sanguinis Christi, in quibus recolitur memoria passionis ejus illam ipsam passionem recordari, & toto vitæ curriculo mortificando membraque nostra quæ sunt super terram, imitari oportere, si ad cæleste æternumque Convivium unis prædestinatis apparatum, quod jam nunc præcerptum in v. Sacramento, admitti concupiscimus.

Quo pacto autem Christi passionem imitari oporteat, egregiè declarat Joannes Thaulerus serm. 2. Dom. 7. post Trinitat. Deinde, inquit, & cum lactucis agrestibus manna hoc cælicum sumendum est, quæ amaram passionis Christi compassionem, ita ut ad honorem illius ipse quoque vitam rigidam & pœnitentialem assumas. Hæc autem Pœnitentia primo quidem in afflicto, pœnis affecto, & patiente corpore, in cibi, potusque subtractione, in asperioris vestimenti, stratique durioris usu, in jejuniis, & vigiliis consistit. In quibus, si Christum, cujus omnis caro & sanguis nimiis doloribus affecta erant, sequi voles, etiam in hoc subsequi debebis, ut animam habeas tristem & compatientem, sicut & ipse habuit, quando ait: Tristis est anima mea usque ad mortem, ut & tu similiter passionem illius induas, sensuum voluptates, & oblectamenta tibi interdicendo, vanam repudiando complacentiam, concupiscentias, & noxia desideria restringendo, propriam conculcando voluntatem, & omnem denique propriam prudentiam & existimationem funditùs deserendo & abnegando. Hæc est, dilectissimi, vera passionis Christi meditatio, deploratioque, sine quâ cætera exercitia vix ullius pretii sunt. Hactenùs Joannes Thaulerus loco citato.

Quinta dispositio ad dignam Communionem repetita.

CUM Christus Jesus ad nostra per mysterium Incarnationis descendens sese exinanierit, etsi à paternâ gloriâ non recesserit, negari non potest, quin se pariter & maximè depresserit in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Cùm enim istud Sacramentum sit Incarnationis extensio, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, nemo inficiari potest quin exinanitionis, quam in stupendo Incarnationis mysterio exhibuit, sit etiam extensio & continuatio, imò & amplificatio appellari debeat. Siquidem Christus in ipso magis quam Incarnationis mysterio sese dejicere videatur. Nam in Incarnatione assumpsit equidem naturam humanam; sed omnibus iis dotibus ornatam, quæ ejus infinitæ dignitati & amplitudini consonarent. At in Eucharistiâ ingreditur in homines corpore & mente inquinatos, in quibus non habitat bonum, imò inhabitat, & sæpè regnat peccatum, seu teterrima illa concupiscentia, quæ non est ex Deo, sed ex diabolo & mundo: eam quippè Deus naturæ non inseruit, sed Deo deserente surrexit: Trajicitur, inquam, Christi Corpus in stomachum hominum, qui licet sint justi, Christo tamen horrorem incutere possint propter inhabitantem in se concupiscentiam exsecrabilem, utpotè quæ sit peccatum, pœna peccati & causa peccati, ut testatur S. Aug. lib. 5. cont. Julian. cap. 3. *Sicut*, inquit, *cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur; & causa peccati cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Hæc ibi S. Augustinus.

Si Christus quanto maximo odio peccatum prosequitur, concupiscentiam profectò è quâ velut è pestiferâ quapiam origine prosiliunt, omnia omninò peccata & crimina perhorrescit. Undè nos omnes admirari decet & oportet tantam ejusdem Christi charitatem & humilitatem, ut in hoc Sacramento etiam proditori Judæ suum Corpus suis manibus porrexerit, & etiamnum teterrimis hominibus ex omnium scelerum colluvione concretis, sese porrigi, & in eorum præcordia trajici patiatur.

Quod si igitur Christus ita sese deprimit in hoc Sacramento, ut etiam in hominum pessimorum & suis concupiscentiis & libidinibus omnia obsequentium ora & pectora ingreditur, nec iis suam subtrahit præsentiam (ut pari ad falsitatem impudentiâ deblaterant hæretici) nos tanto humilitatis exemplo provocatos, nos, inquam, ad ultimam humilitatem provocat, & inflammat Ecclesia Dei, cum in ipso sacræ Communionis articulo nos ista Centurionis verba (*Domine non sum dignus*, &c.) ore & corde pronuntiare imperat.

Ac reipsâ quidem, si in eo statu, quem divinæ jubent Litteræ, accedamus ad Christi Corpus, digni sumus, qui illud percipiamus per ipsius Christi gratiam & misericordiam, at indigni propter inhabitantem (licet in nobis non regnet) concupiscentiam. Hinc est quod *nondum Deo sumus omninò subjecti*, ut præclarè asserit S. Fulgentius, *quia ex nobis nascitur quod divinæ renititur jussioni. Nam licet ex gratiâ Dei sit voluntas nobis bona, quæ nos Deo reddat humiles, non nobis tamen deest pravæ cupiditatis exortus qui nos faciat contumaces. Per Dei ergo gratiam sumus jam Deo ex parte subjecti, per culpam verò nostram sumus adhuc ex parte non subjecti. Propter quod ad Hebræos dicitur: nec*

dum omnia Christo esse subjecta. Sic enim ait: In eo enim quod ei subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei, Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Subjecti sumus igitur Deo ex eo quod ipso in nobis operante condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem: necdum autem sumus subjecti, ex eo quod videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, & captivantem nos in lege peccati, quæ est in membris nostris. Subjecti sumus Deo, quia ipsius miseratione eripimur à tentatione, ipsi enim cantamus: In te eripiar à tentatione: sed necdum sumus subjecti, quia tentatio est vita hominis super terram. Subjecti sumus Deo in quo gressus nostros dirigit secundum verbum suum ut non dominetur nobis omnis iniquitas: sed necdum sumus omninò subjecti, quia in multis offendimus omnes. Subjecti sumus in quantum sumus ipso donante in carne ambulantes, non secundum carnem militamus: sed necdum sumus omnino subjecti, quia etsi habemus ex dono Dei, ut mente serviamus legi Dei, habemus tamen ex reliquiis peccati, ut carne serviamus legi peccati.

Hactenùs S. Fulgentius Epist. 4 ad Probam. c. 6. Sunt igitur Christiani digni & indigni, perfecti & imperfecti, ut in pluribus Scripturæ locis animadvertere est. Istæ tamen Scripturæ phrases aut propositiones, quæ in speciem ab invicem dissident, nullam implicant contradictionem, utpotè quæ ad diversos terminos, id est, ad duos homines, vel in justis quibusque positos, & assiduo certamine secum invicem præliatos referantur. Sancti ergo in se gerunt duos homines, quorum unus carnalis est & vænumdatus à peccato; unus vetus, alter novus, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis; unus denique terrenus, alter verò cælestis, utpotè qui homines ab rerum terrenarum cupiditate triumphali gratiâ liberatos, ad cælestia subvehat.

Talem duorum hujusmodi hominum sibi invicem adversantium differentiam mirabiliter in Apostoli personâ exhibet S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 15. *Nunc enim*, inquit, *divinorum munerum* (ut ita dicam) *nondum est perfecta perfectio, utpotè ubi omnis perfectus perfectionis est indigus. Namque ille qui dicit quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: idem dicit: Non quod jam acceperim aut perfectus sim. Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis, & mortalitatis: Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit perfectus, quod mente serviebat legi Dei, fuit imperfectus, quod carne serviebat legi peccati. Fuit perfectus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, fuit autem imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à Domino. Fuit perfectus plenissimè sciens, quia Deus quæcumque promisit, potens est & facere; fuit autem imperfectus, quia Deus in Sanctis suis quædam nondum fecit, quæ promisit.* Hactenus S. Fulgentius loco citato.

Suam igitur vilitatem Christum percepturi Christiani profitentur, ad quantamcumque vitæ sanctimoniam & puritatem pervenerint, & sese tantâ gratiâ & munificentiâ prædicant indignos, & verè & ex animo se tales confitentur, ut Christo Domino ad tantam humilitatis altitudinem in Eucharistiâ depresso sese penitùs conforment, atque ita in illum transformari valeant. Neque hic audiendi sunt nonnulli, qui dictitant sanctos homines in ipso Communionis articulo se quidem profiteri indignos humilitatis dumtaxat exercendæ gratiâ, non quod tales sint. Talis siquidem propositio in maximam Ecclesiæ redundat injuriam. Si enim communicaturis eam humilitatis testificationem nullâ eorum indignitate fundatam indiceret, eos ad teterrimum mendacium & hypocrisim inter sacra mysteria exhibendam adigeret, quod nemo citra blasphemiam asserere potest. Verè ergo & ex animo omnes Christiani suam indignitatem confiteri debent, ut eos communio Corporis Christi ad æternam Sanctorum communionem provehat. Illi enim soli futuri sunt sine fine felices, qui sine fictione fuerint humiles. Quemadmodum enim Centurio, ut ait S. Augustinus, serm. 6. de verbis Dom. dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret: Ita veri Christiani suam humilitatem syncerè & ex animo professi, dignos se præstant, in quorum corda Christus sub sacris velaminibus obtrescens ingrediatur, & eorum animas uberrimis cælestium gratiarum thesauris impleat.

Sexta dispositio quæ ad dignam Corporis Christi perceptionem requiritur, nempè corporis puritas, seu castimonia.

CUM hujusmodi dispositio duplicem habeat respectum, unum ad omnes promiscuè Christianos, alterum ad conjugatos, utrorumque gratiâ discutienda est, quod ut fiat

Observandum est fœdas carnis libidines v. Sacramento maximè adversari, ut testatur B. Algerus lib. 1. de Sacram. Corp. & Sang. Dom. cap. 22. Sciendum est, inquit, quia Agnum Dei sine maculâ, qui Virginis est filius, luxuriosi sumunt periculosiùs: quia cum in Sacramento Christi ei uniri debeamus, conformitate passionis & munditiæ nihil sic adversatur passioni Crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ ut fœditas; nihil sic ejus unioni ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittit, & nisi validâ manu misericordiæ Dei subventum fuerit, miserabili fine suo, amatores suos sine fine perdit. Hæc enim pestis quò præ cæteris vitiis est naturæ familiarior, eò ad cavendum difficilior: quia cum repellitur, nolenti se ingerit importuna: cum admittitur, volenti incumbit blandè onerosa: & dum sic sensim infundit amorem suum, prorsus extirpat amorem cælestem. Sed quid econtrà faciendum est, ne pereamus? quia ad vitam non pervenitur nisi per angustam viam, difficilem, sed cooperante Deo non impossibilem ingrediamur semitam; ut quia humanâ non proficimus, Angelicam in terris vitam ducamus; quatenùs castitatis munditiâ, corde & corpore Christi munditiæ conformes, ne cælesti alimoniâ indignè reficiamur, simus spe & conversatione cælestes; quia panis Angelorum non nisi Angelicæ vitæ est stipendium. Unde etiam pravi, dum communicare præsumunt cibo, qui incommunicabilis est pravitati, ut ait Apostolus, imbecilles fiunt, & dormiunt multi, quia non dijudicant Corpus Domini, ut vel corporalis infirmitatis molestiâ corrigantur per Dei misericordiam, vel dormitione mortis corporalis, vitam amittant æternam. Hæc B. Algerus loc. cit.

S. Augustinus vult impudicos ab Corporis Christi perceptione removeri: *Qui audiunt*, inquit, *dicentem me, quicumque non servatis castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur. Et ego nollem hoc dicere, sed quid facio? Timebo hominem, ut taceam veritatem? Ergo si illi servi non timent Deum, etiam ego non timeam: quasi non sciam dictum esse, serve nequam & piger, tu dares, & ego exigerem? Ecce dedi Domine Deus meus, ecce in conspectu tuo & Angelorum tuorum, & in conspectu ipsius plebis tuæ, erogavi pecuniam tuam: timeo enim judicium tuum. Ego dedi, tu exige: etsi non dicam, facturus es. Ergo hoc potiùs dico, ego dedi, tu converte, tu parce, fac pudicos, qui fuerunt impudici, ut simul in tuo conspectu, cum judicium venerit, gaudeamus, & qui erogavi, & cui erogatum est. Placet hoc? placeat. Quicumque impudici estis, corrigite vos, dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui possum, impudicos autem & in nequitiâ perseverantes, de judicio Dei & damnatione liberare non possum.* Hactenùs S. Aug. serm. 46. de verbis Dom. in Evang. secund. Joann. cap 4. tom. 10. fol. 68. & 69.

Reverà

Reverà hæc fuit semper mens Ecclesiæ, ut fœdatum libidinum conscii communione prohiberentur per longum tempus, quo se probare, id est, ex suarum turpitudinum cœnoso gurgite emergere, & ad vitam verè Christianam per idoneos pœnitentiæ fructus & labores assurgere valerent. Neque id ullo pacto abrogatum est, quæcumque consuetudo præposterâ quorundam Theologorum indulgentiâ gliscens in Sacramentorum usum irrepserit. Id enim maximam partem pertinet ad jus naturale, ut nemo mysteria divinitùs instituta irreverenter & illoto animo adire, tractare, & dispensare audeat. Unde secundum omnes Liturgias nusquam conficiebantur Sacra, quin clarâ, vel Diaconi, vel Sacerdotis voce ingeminarentur hæc verba: *Sancta Sanctis.*

Quod spectat ad conjugatos, nemini cordato dubium est, quin per aliquot dies communionem antegressos ab conjugali commercio abstinere debeant.

Hanc propositionem probat S. Hieronymus isto Apostoli loco: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Paulus Apostolus dicit, quando coïmus cum uxoribus, nos orare non posse. *Si per coïtum,* inquit ipse S. Hieronymus, *quod minus est, impeditur, id est, orare: quantò plus, quod majus est, id est, Corpus Christi prohibetur accipere? Petrus ad continentiam hortatur; ne impediantur orationes nostræ. Quod hic quæso peccatum meum est? quid commerui, quid deliqui? si turbida & nebulosæ aquæ fluunt, non est alvei culpa, sed fontis. An iccircò arguor, quod de meo ausus sum adjicere: quale illud bonum est, quod Corpus Christi accipere non permittit?*

Ad hoc breviter respondebo. Quid est majus, orare, an Christi Corpus accipere? utique accipere Corpus Christi. Si per coïtum, quod minus est, impeditur: multò magis quod majus est. Diximus in eodem volumine, panes propositionis ex lege non potuisse comedere David & socios ejus, nisi se triduo mundos à mulieribus abstinuisse respondissent: nō utique à meretricibus, quod damnabatur à lege, sed ab uxoribus, quibus licitè jungebantur. Populum quoque quando accepturus erat legem in monte Sinâ, tribus diebus jussum esse ab uxoribus abstinere. Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in suo sensu abundet, sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coïtum communicant, & juxta Persium noctem flumine purgant, quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus? quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud eum. Probet se unusquisque & sic ad Corpus Christi accedat: non quod dilata Communionis unus dies aut biduum efficiant Christianum, ut quod hodiè non merui, cras vel perendiè merear: sed quod dum doleo me non communicasse Corpori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis, amorem Christi præferam. Durum est & non ferendum. quis hoc secularium sustinere potest? qui potest sustinere, sustineat: qui non potest, ipse viderit. Nobis cura est, non quid unusquisque possit aut velit, sed quid scriptura præcipiant, dicere. Hactenùs S. Hieronymus in Epist. 50. quæ est Apologia pro libris adversus Jovinian. ab ipsomet Hieronymo exaratis ad Pammachium inscripta.

Idem sentit & injungit S. Augustinus in serm. unico de Dom. 2. Advent. Dom. quæ est 3. vel 2. de tempore. *Cogitemus,* inquit, *ad quales nuptias, consideremus ad qualem sponsum, vel quale convivium invitati sumus. Invitati enim sumus ad mensam, ubi non invenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum.* Et paulò post. *Et ideò quotiescumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ Festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete. ab omni iracundiâ vos alienos efficite, peccata præterita per eleemosynam redimantur. Contra nullum hominem odium in corde teneatur. Quod solebat vanitas per gulam perdere, incipiat justitia per misericordiam pauperibus erogare, quod luxuria vel gula dissipavit in mundo, pietas reponat in cœlo.* Hæc ibi S. Augustinus.

Ille ipse sanctus Augustinus idem confirmat serm. 244. de tempore. *Si*, inquit, *post pollutionem quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi priùs præcedat compunctio & eleemosyna: & si infirmitas non prohibet etiam jejunium, quis est qui potest dicere illud quod vigilantes & volentes facimus, non esse peccatum? Denique mulieres quando maritos accipiunt, per triginta dies in Ecclesiam intrare non præsumant. Quod etiam similiter viri observare deberent. Sed dicis peccatum quidem est: sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentiùs exerceatur, & jejuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis animam immundam facit. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt: Nam & pluviarum guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis quia parvum peccatum est: velim scire, quotiens tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis?* Et paulò post. *Cum nullus homo velit cum tunicâ sordibus plenâ ad Ecclesiam convenire, nescio quâ conscientiâ cum animâ per luxuriam inquinatâ præsumis ad Altare accedere, non times illud, quod Apostolus dixit: Qui enim manducat Corpus & sumis Sanguinem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus ipsam Eucharistiam in animâ pollutâ suscipere.* {*Et infrà. Ante omnia ut quoties dies Dominicus aut aliæ Festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat.* Hactenùs sanctus Augustinus, sermon. 5. in Domin. vigesimam secundam post Trinitat. qui est de castitate conjugali.

Ita passim sancti Patres. Quando autem propter conjugale commercium ab sacrâ Communione abstinere oporteat, egregriè declarat sanctus Thomas 3. part. quæstion. 80. art. 7. ad 2. Dicendum, inquit, quod coitus conjugalis, si sit sine peccato, purà, si fiat causâ generandæ prolis, vel causâ reddendi debitum, non aliâ ratione impedit sumptionem Sacramenti, nisi sicut dictum est, de pollutione nocturnâ, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem & mentis distractionem; ratione cujus Hieronymus (cujus verba referuntur 33. quæstion. 4. cap. Sciatis) dicit super Matthæum. Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, concedi non poterant: quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus, violari atque contingi: Non quod nuptias contemnamus, sed quod eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus: sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, Gregorius dicit, quod talis est suo judicio relinquendus. *Si verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere* (ut ibidem Gregorius subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum. Hæc ibi sanctus Thomas.

Ex his inferri possunt tria, quorum

Primum est esse conveniens, ut ab sacrâ Communione abstineant conjuges, qui eodem ipso Communionis die reddidere debitum, sive alter eorum debitum dumtaxat reddiderit, non autem petierit, alter verò petierit. De consecrat. dist. 2. c. Omnis homo, nisi justa quæpiam causa ad obeundam Communionem impellat.

Secundum est eum qui debitum dumtaxat reddi-

dit, posse citra culpam communicare: & quandoque etiam eam qui petiit, ut si petierit unius dumtaxat prolis suscipiendæ, & ad Dei gloriam educandæ causâ: si autem explendæ libidinis causâ debitum exegerit, exigendo peccavit venialiter, & eodem ipso die communicando venialiter etiam peccabit: nisi justa quæpiam causa indecentiam cum hujusmodi Communione conjunctam resarciat.

Tertium est communicaturam conjugem non excusari ab reddendo debito propter Communionem, ad quam eo ipso die aditura est, si maritus exigat; sicut nec excusatur ab eodem debito reddendo exigenti marito, ex eo quod illo ipso die Corpus Christi susceperit: Quamvis si honestè possit conjugi suadere dilationem, vel ab ipso flagitare, id facere debeat ex decentiâ & reverentiâ tanto Sacramento debitâ; propter quam, si se ab instante marito ab commercio conjugali eo die expedire nequeat, animum ab ipso voluptatis sensu abstrahere debet ut poterit.

Cæterùm ignorare non debens conjugati sacro tempore, quale est tempus Communionis destinatum, non licere petere debitum, ut docet S. Thomas supplem. 3. p. q. 64. art. 5. in corpore. Quam sententiam astruit cap. Proposuisti, dist. 82. ex 3. Epist. Innocent. Papæ I. quæ est ad Exuperium ubi Pontifex scribit Apostolum præcepisse laicis 1. Cor. 7. abstinere ad tempus, ut vacent orationi. Quibus verbis consonantia leguntur ex Augustino & Ambrosio 33. q. 4. capit. Quocumque & capit. Fratres. Qui contra hanc doctrinam exercent actum conjugalem sine ullâ rationabili causâ, peccant venialiter, quippè qui non exhibent debitam tanto Sacramento reverentiam. Eodem involvuntur peccato qui omittunt contritionem venialium, ex quibus actualis fervor, seu devotio impeditur: quia non se parant ut debent ad hoc Sacramentum, ut docet Cajetanus in summ. v. Communio, num. 6.

Ad hanc quoque continentiam fideles hortatur Cath. Rom. part. 2. num. 61. Postulat etiam, inquit, tanti Sacramenti dignitas, ut qui Matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propositionis à Sacerdote accepturus esset, purum se & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies esse, professus est. Hæc ibi.

Appendix ad hanc dispositionem sextam positam in corporis puritate.

QUIA pollutio sæpenumerò ab Communione nonnullos arcere debet, ideò hic tractandum, quando ex necessitate, quando autem ex decoro, seu congruentiâ homines ab cœlesti Mensâ excludere debeat.

S. Thomas eam rem pulcherrimè edisseruit 3. p. q. 80. art. 7. in corp. idcò hic ipsissima ejus verba exscribere non pigebit.

„ Circa pollutionem, inquit, nocturnam duo possunt considerari. Unum quidem ratione cujus ex necessitate impedit hominem à sumptione hujus Sacramenti: Aliud autem ratione cujus non ex necessitate impedit hominem ab hujusmodi Sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentiâ. Ex necessitate quidem impedit hominem ab hujus Sacramenti perceptione solum peccatum mortale. Et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse possit; nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum, & ideò consideranda est causa pollutionis nocturnæ.

[1. Causa poll. noct.] Quandoque enim provenit à causâ extrinsecâ spirituali, scilicet ex dæmonium illusione, qui sicut in 1. parte habitum est, phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur.

[2. Causa poll.] Quandoque verò provenit pollutio ex causâ intrinsecâ spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus.

[3. Causa poll.] Aliquando autem ex causâ intrinsecâ corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi & potus.

Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato, & cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, inexistere, non ex necessitate impedit sumptionem hujus Sacramenti: ita scilicet, quod homo sumendo sit reus Corporis & Sanguinis Domini.

Si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentiâ præparationis ad devotionem, quæ potest esse & veniale & mortale peccatum.

Quandoque verò provenit ex solâ nequitiâ dæmonum volentium impedire hominem à sumptione hujus Sacramenti. Unde legitur in Collationibus Patrum quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in Festis, in quibus erat communicandum, seniores, comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt quod propter hoc a Communione non cessaret, & ita cessavit illusio dæmonum.

Hæc de primâ pollutionis nocturnæ causâ S. Thomas, jam transit ad secundam. Similiter etiam præcedentes cogitationes lascivæ quandoque possunt esse omninò sine peccato, putà cum aliquis causâ lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentiâ & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ, ex quibus tamen pollutio sequi potest: sicut patet ex authoritate Augustini inductâ in argum. 1.

Quandoque verò cogitationes præcedentes sunt ex concupiscentiâ & delectatione, & tunc si adsit consensus, erit peccatum mortale; si autem desit, erit veniale.

Hæc de secundâ pollut. noct. causâ S. Thomas, idcò transit ad tertiam.

Similiter etiam, inquit, & causa corporalis quandoque est sine peccato, putà cum est ex infirmitate naturæ. Unde & quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiam si sit ex superfluitate naturæ: sicut enim contingit sanguinem fluere sine peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis secundum Philosophum.

Quandoque verò est cum peccato, putà cum provenit ex superfluitate cibi vel potus, & hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale, licet frequentiùs peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi & potus.

Unde Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo, dicit cessandum esse à Communione quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit.

Sic igitur ex causâ pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus Sacramenti.

Ex quadam verò congruentia impedit quantum ad duo, quorum

Unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere (unde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant) nisi fortè talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi.

Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imagi-

» natione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex
» congruitate provenit, postponi debet propter aliquam
» necessitatem, purà, ut Gregorius dicit, cum fortasse aut
» festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod
» alius Sacerdos deest: ipsa necessitas compellit. Ha-
» ctenùs S. Thom. loco citato, art. 4.

Idem S. Thomas in 4. sent. dist. 9. q. 1. in solutione quæstiunc. 2. in corpore, docet, propter pollutionem abstinere oportere ab Communione, quia difficile cognoscitur ex quâ causâ proveniet: Et quia, » inquit, non ita de facili potest percipi ex quâ causâ » contingat, ideò tutius est semper abstinere, nisi ne- » cessitas incumbat: Debet autem abstinere, ut dicunt, » usque ad viginti quatuor horas; quia in tali spatio » natura deordinata per corporalem immunditiam & » mentis hebetationem reordinatur. Hæc ibi.

» Et ibidem in solutione ejusdem quæstiuncul. 2. » ad 2. dicendum, inquit, quod non esset consulen- » dum alicui, quod statim post peccatum mortale » etiam contritus & confessus ad Eucharistiam accede- » ret; sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per » aliquod tempus propter reverentiam abstinere: siqui- » dem Confessio purgat maculam mentis, non autem » immunditiam corporalem & hebetudinem quæ con- » tingit in mente ex depressione ipsius ad carnem. Hæc » ibi.

Licet igitur aliquis contritus & confessus sit de lethali quopiam peccato impudicitiæ, non propterea debet communicare, quia Confessio etiam ritè facta non tollit immunditiam corporalem & hebetudinem mentis, per quam actualis devotio ad condignam Communionem necessaria tollitur.

Quæres quid sentiendum sit de actuali devotione ad dignam Communionem necessaria?

Hanc quæstionem solvunt Authores optimi.

„ 1°, Cajetanus in summ. v. Communio: de eâ sic „ loquitur. Coram Deo, inquit, tenentur mentis com- „ potes ad devotionem actualem, non per solam vo- „ luntatem communicandi, sed per meditationem & vo- „ luntatem pascendi animam suam de Christo: hoc est, „ de morte Christi, de virâ Christi, de imitatione „ Christi, de humilitate, de patientiâ, constantiâ, „ charitate Christi, &c. quia si devotio actualis non „ procuratur, non se parat homo quantum in se est, „ ad hoc Sacramentum ut debet: quia non se parat „ ad actualiter masticandum spiritali masticatione ci- „ bum animæ, qui Corpus Christi est. Hæc ille.

2°, S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 43. docuit nos hujusmodi devotionis actualis praxim, his verbis: *Non calumnientur mihi superbi: Quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo. Ecce Augustinus*, inquit Durandus Abbas Troatnensis, *Christum cogitat pretium suum, eumque sic manducare dicit, quia cibus est; & bibere, quia potus est, utpotè caro & sanguis; & erogare, Episcopus enim erat, & pauperem cupere ex eo saturari, quia humilis nesciebat fastidium divini Sacramenti.* Hactenùs Durandus Abbas Troatnensis in lib. de Corpore & Sanguine Domini, p. 5. pag. 94. inter opera Lanfranci edita Parisiis anno sal. 1648.

3°, Eandem devotionem actualem quam & manducationem vocat, luculenter explicat B. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in lib. de Corp. & Sang. Dom. quem adversus Berengarium exaravit: Sumitur, inquit, Caro Christi per se, & Sanguis per se non sine certi mysterii ratione. Quamvis alio locutionis modo totus Christus manducari dicatur & edatur, scilicet cum virâ æternâ, quæ ipse est, spirituali desiderio appetitur, cum recordatio mandatorum ejus super hoc mel & favum, dulcior in mente habetur; cum fraterna charitas, cujus signum hoc Sacramentum gestat, pro Christi amore diligitur, cum dulciter atque salubriter in memoria reconditur, quod pro salute hominum contumeliis sit affectus, cruce suspensus, clavis affixus, lancea vulneratus. Utraque comestio necessaria, utraque fructuosa. Altera indiget alterius, ut boni aliquid operetur. Nam prior si desit, posterior non solùm peccata non purgat, sed etiam auget, & præsumptores judicat. Porrò posterior sine priore esse non potest aut debet. Hinc namque panis quotidianus à Domino dicitur, sicut à B. Ambrosio & Cypriano exponitur. Hactenùs B. Lanfrancus libri cit. cap. 15.

Quia igitur hebetudo sive evagatio mentis ex fœdarum libidinum cœno emersa præfatam devotionem obruere solet, ideò SS. Patres, ut suprà ex S. Dionysio animadvertimus, hominem communicare cupientem ab omnibus libidinosæ vitæ phantasmatis repurgatum esse oportere docuerunt.

Septima dispositio ad dignam Eucharistiæ perceptionem necessaria est fraterna Charitatis redintegratio.

CUM Christus Jesus instituerit admirabilem Eucharistiam, ceu Sacramentum pietatis & signum unitatis, & vinculum charitatis, cujus adminiculo nos sibi veluti membra capiti annecteret, nosque omnes veluti membra sibi invicem cohærentia arctissimo charitatis, sui Corporis, Sanguinisque mysterio, ceu fonte igneo, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, accensæ, vinculo conglutinaret, fatendum est nihil esse, quod magis ab hujus perceptione Sacramenti abhorreat, quam dissidia, quibus fraterna charitas abrumpitur. Ideò ipse Christus in sermone de monte hoc præceptum indixit. *Si offers*, inquit, *munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. versf. 23. & 24.

O admirabilem benignitatem atque ineffabilem erga homines amorem Dei, exclamat S. Joannes Chrysostomus hom. 16. in Matth. cap. 5. *honorem suum despicit dum in proximo Charitatem requirit, interrumpatur, inquit, cultus meus, ut tua Charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio, quam fieri jubet etiam inchoato sacrificio, ut ostendat quanto honore charitatem velut acceptissimum sibi Sacrificium afficiat, fine quâ qualibet alia dona, sacrificiaque despiciat, & præterea ut irretractabilem reconciliationis necessitatem imponat*, & ostendat neminem inimicitias cum proximo exercentem, ad Communionem accedere oportere, quin cum illo in gratiam sincerè & ex animo redierit, ut disertè asserit sanctus Joannes Chrysostomus loco citato.

Reverà quicquid offeratur Deo, nihili ab ipso ducitur, nisi cum proximi dilectione conjunctum fuerit: siquidem ab hominibus, excepto Christianorum sacrificio, quod non tam ab ipsis quam ab ipso Christo (quem ideò Sacerdotem Catholicum appellat Tertullianus) offertur & perficitur, nihil Deo acceptius offerri potest, quam ipsiusmet Dei & proximi dilectio. Ut scilicet Deus diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis, ut patet ex Evangelio, Marc. cap. 12. v. 33.

Quomodo autem istud factitandæ reconciliationis præceptum exerceri debeat, docet S. Augustinus de sermon. Domin. in monte, lib. 1. capit. 10. *Si in mentem venerit*, inquit, *quod aliquid habeat adversum nos frater; id est, si nos eum in aliquo læsimus, tunc enim ipse habet adversum nos. Nam nos adversus illum habemus, si ille nos læserit, ubi non opus est pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit injuriam, sed tantùm dimittes, sicut tibi à Domino dimitti cupis, quod ipse commiseris.*

Tt ij

Pergendum est ergo ad reconciliationem tam in mentem venerit, quod nos fortè fratrem in aliquo læsimus. Pergendum est ergo non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem charâ cogitatione cucurreris, in conspectu ejus, cui munus oblaturus es. Ita enim etiam, si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris: pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu. Atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum. Hæc ibi S. Augustinus.

Ex istis S. Augustini verbis patet in ipso Domini præcepto non tam spectanda esse verba quam præcipientis intentionem, quæ est, ut pro ratione circumstantiarum, temporis, loci, personarum, & negotiorum omnia postpositis omnibus faciamus, quo fratrem offensum nobis reconciliemus. Quod si uterque læsit, is prior de reconciliatione agere incipiat, qui alterum ad inferendam injuriam provocavit.

Qui non læsit, per se loquendo non tenetur istam reconciliationem procurare, licet non solùm illatam injuriam in animo & ex animo condonare, verum etiam reconciliationem rationabiliter oblatam acceptare teneatur. Dicitur autem reconciliatio rationabiliter oblata, cum is qui læsit, de suâ culpâ confitetur, & paratus est pro suo modulo, & juxta rectam rationem & probatam, receptamque cujusque loci consuetudinem resarcire damnum quod alteri per injuriam intulit. Quæ omnia rectè inferuntur ex duobus Evangelii locis, quorum primus est Matth. 5 v. 23. Si *offert munus tuum*, &c. Alter verò Luc. cap. 17. v. 3. & 4. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pænitet me, dimitte illi.*

Atque hæc adeò certa sunt, ut si notorium sit quod alteruter nolit inire reconciliationem, id est, vel eam procurare, & sicut oportet offerre, vel ritè oblatam acceptare renuat, non est dubium quin illum veluti publicum peccatorem & proximis grave offendiculum præbentem ab Ecclesiæ Sacramentis; & imprimis ab Eucharistiâ ad Christianam maximè concordiam stabiliendam & alendam institutâ, amandari, imò & ab Ecclesiâ ejici oporteat. Id enim à pluribus Conciliis, & imprimis ab Nannetensi, cujus extat 1. canon conceptus in hæc verba: *ut Dominicis & Festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesiâ sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire, quem si invenerint, statim ab Ecclesiâ ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inventi fuerint, statim reconcilientur, Quod si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesiâ ejiciantur, usquequò ad charitatem redeant. Non enim possumus munus, vel oblationem ad Altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis Sacerdotes Missarum solemnia ritè peragant.*

Hactenùs verba citati Canonis, cujus posttema pars satis, superque declarat homines qui inimicitias & odia in proximum suscepta deponere abnount, ab Corporis Christi perceptione removendos esse: illos siquidem ex cœtu fidelium mysteriis astantium extrudi sanciat, quoad in gratiam secum invicem reversi fuerint.

Diximus equidem per se loquendo eum, qui non læsit, non obligari ad procurandam, aut ambiendam reconciliationem, hoc verum est, ut plurimum & in praxi tutum, si tamen quispiam resciscetet suum inimicum tam pertinaci flagrare odio, ut nulla spes reconciliationis affulgeret, nisi ipse prior ad eam facilitandam aditum aperiret, in eo rerum articulo Apostolo in bono malum vincere præcipienti obtemperare, id est, prior ad amicitiæ redintegrationem incumbere, & proximi animam, alioquin perituram, ab omni piaculo, periculoque sartam tectam (quocumque id factum putaretur erupturum) asserere teneretur. Nos enim certis in casibus, in quibus nostra salus esset in tuto, ipsa autem proximi salus adduceretur in probabile damnationis æternæ discrimen, illam ex lethi, imò ex ipsis inferorum faucibus, vel ipso nostræ hujus vitæ dispendio eripere teneremur: quia sicut Christus posuit animam suam pro nobis, ita & nos (in hujusmodi casibus) pro fratribus animas ponere debemus, ut sacræ Litteræ contestantur.

Quisquis ergo cum implacabili proximi odio adorandum Christi Corpus percipit, præterquam quod debitam unitatis Sacramento reverentiam immani sacrilegio violat, æternam sibi perniciem & damnationem accersit.

Quod si quis nec Scripturarum, nec sanctorum Patrum authoritate moveatur, ad deponenda odia in proximi ruinam suscepta, antequam ad Eucharistiam accedat, saltem erubescat se Christianum hâc in parte Gentilium adumbratâ religione, imò sacrilegâ superstitione superari. Nam (ut commemorat Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. de Matrimon. ritu numer. 8) Convivium solemne instituerant Romani, idque Charistia appellaverant, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Hæc ille. Dicuntur autem sacra Mensæ, quia Mensa sacra quædam res est, per quam Deus, amicitiæ conciliator atque hospitalis honoratur, ut ait Synesius Epist. 47.

Quod si Ethnici densâ superstitionum caligine circumfusi, ita se instigante diabolo gesserunt; quantâ in supremo Judicio verecundiâ percellent Christianos, qui imperante Christo, & ad concordiam suos per cæleste Convivium incitante cum implacabili proximorum odio, illud ipsum Convivium adire & dedecorare, & incredibili audaciâ violare non horruerunt?

QUÆSTIO XII.

Quosnam homines ab sacrâ Communione excludere oporteat?

SYNODUS Augustana anno reparatæ salutis 15.8. Othone Cardinale & Episcopo Augustano, præsidente sub Paulo Papa III. Dilingæ celebrata, varia personarum genera percenset, quibus v. Sacramentum denegandum est, ut patet ex cap. 19. de pœnitent. & remission. in quo legere est statuta eum in finem condita, è quibus nonnulla seligemus ad fidelium ædificationem conducentia.

Primum Statutum.

Ne hoc præcellens Sacramentum aliquâ afficiatur injuriâ & contemptu, ex SS. Patrum Decreto & Institutione infames omnes ab ejus perceptione prohibendi sunt, cujusmodi sunt præstigiatores, incantatores, publicè rei, & scurræ, & qui ludis vacant jure Pontificio prohibitis. Itemque scorta ac lenones, ii omnes ab Altaris Sacramento removendi sunt, donec vitâ suâ improbâ penitùs abdicatâ, irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam persolverint.

Secundum statutum.

Cum unus quilibet Christianus ad idem sacratissimum Sacramentum percipiendum per veram contritionem & peccatorum suorum puram Confessionem sese præparare obstrictus sit, illis omnibus ejus sumptione interdictum est, qui absque contritione & confessione in suis maneat peccatis & speciatim illis, qui secundum sanctæ Ecclesiæ præceptum, singulis annis semel non confitentur. Tales enim ab Ecclesiâ ejiciendi sunt, & in extremis, si sic decedant, Christiana sepultura eis neganda est.

Tertium statutum.

Cum confessio integra & indivisa esse debeat, & cum proposito deinceps peccata non admittendi, eam ob rem quicumque in publicis ac notoriis degunt scelenbus, or sunt manifesti adulteri, & adulteræ, aut qui aliàs in lupanaribus simul victitant, & publici fœneratores, & qui alios ad eâdem inducunt, & id genus alii, ad hujus venerandi Sacramenti communionem admittendi non sunt, donec reipsâ & factis testatum faciant se suis omninò valefecisse criminibus, & pœnitentiæ satisfactionem recepisse.

Quartum statutum.

Supradictis annumerandi sunt, qui alearum lusui perpenio vacant: quibus non est porrigendum venerabile Sacramentum, donec inde abstineant.

Quintum statutum.

Qui ebrietati & crapulæ ac comessationibus perpetuò dediti sunt & inhærent, & maximè, qui Festos dies aut noctes in tabernis exigunt, illis post factam confessionem venerabilis hujus Sacramenti perceptione per triginta dies est interdicendum, uti ab his vitiis sese emendent.

Sextum statutum.

Item quicumque iniquâ mensurâ, vel pondere emunt aut vendunt, triginta dies jubentur abstinere à sacrâ communione, posteaquam ex Canonum præscripto irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam susceperint.

Septimum statutum.

Item qui sacerdotem è suggestu concionantem impediunt, atque in ejus contemptum ex sacris ædibus abscedunt, à sacrâ communione arcendi sunt, donec sese emendent & agant pœnitentiam.

Octavum statutum.

Item quotquot ex Ecclesiastici decreti sivè præcepti contemptu, Dominicis aut aliis festivis diebus sacrum Missæ auscultare nolunt, nec in ipso Missæ officio perseverant, donec sacerdos ultimam benedictionem impertiatur, pro judicio Confessoris sui à communione prohibeantur, donec agant pœnitentiam.

Nonum statutum.

Item qui Dominicam Orationem & Symbolum Apostolorum ex desidiâ aut contemptu discere nolunt, poterunt à suo Confessore communione prohiberi, donec ea addiscant.

Decimum statutum.

Item quicumque omnipotentem Deum aut sacratissimam Dei genitricem, vel alios sanctos palam blasphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina, vel membra indignè ac impiè jurant & imprecantur seu maledicunt, ab Ecclesiæ ingressu & sacrâ communione excludendi sunt, donec publicam egerint pœnitentiam.

Undecimum statutum.

Item quotquot sacerdotalem dignitatem, & sacerdotes ipsos publicè dehonestant aut conviciantur, iis similiter Ecclesiæ aditu, & sacrâ communione interdictum est, donec pœnitentiam egerint.

Duodecimum statutum.

Item qui animo deliberato homicidium perpetrant, & qui erga proximum inimicitias aut invidentiam ulcisci meditantem animo gerunt, aut qui proximos iniquè opprimunt, aut eorum existimationi & honori falsò derogant, ii omnes ad venerabilis Sacramenti perceptionem non sunt admittendi, donec vel pacem conciliando vel aliena damna restituendo satisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam persolverint.

Hujusmodi statutis subdit eadem Synodus Augustana saluberrima monita, quæ hîc attexere operæ pretium est.

Potest unusquisque Confessor, ait, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, præ peccatorum magnitudine & gravitate eisdem sibi confitentibus seu filiis confessionis suæ, ex causâ quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacrâ communione interdicere, eique tales pœnitentes morem gerere debent: nisi à superiori Ecclesiasticâ potestate aliud impetraverint. Quod si peccatum occultum sit, & talis quispiam ad altare accedens, venerabile Sacramentum sibi porrigi publicè petat, non id illi sacerdos negare debet: quanquam hoc ipso quod contra sui Confessoris prohibitionem accedit, peccatum admittit. Hactenùs cit. Synodi verba.

Ex isto præfatæ Synodi loco multa eaque ad regimen animarum imprimis accommodata colligi possunt.

1. Quemlibet Confessarium præ peccatorum etiam secretorum magnitudine, & gravitate suos pœnitentes ab Eucharistiâ removere ad tempus ex causâ, quæ ipsi justa videbitur.

2. Hanc eum pœnitentibus agendi methodum testificari, Confessarios veram bonorum sibi confitentium gerere curam.

3. Pœnitentes Confessario sibi sacrâ communione interdicenti morem gerere oportere: Nisi hac de re ab superiori potestate, ab Episcopo nimirùm, non autem ab altero ejusdem cum priore potestatis presbytero, cum ipsis dispensatum fuerit.

4. Denique neminem pœnitentem posse tale Confessarii edictum ad Eucharistiam accedendo infringere, quin sese novo crimine devinciat.

QUÆSTIO XIII.

Utrum frequentior communio rariori sit anteponenda.

Respondeo cum S. Thomâ 3. p. q. 80. art. 10. in corp. circa hujus Sacramenti usum, duo posse considerari. Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideò utile est sæpiùs, imò quotidie ipsum sumere, ut homo quotidiè ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius in lib. 4. de Sacramentis cap. 6. *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.*

Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magnâ devotione & reverentiâ ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò si aliquis quotidiè ad hoc se paratum inveniat, laudabile est,

quot quotidie sumat. Unde S. Augustinus cum dixisset serm. 28. de verbis Dom. *Accipe quotidiè, ut quotidiè tibi prosit*, subjungit: *sic vive, ut quotidiè merearis accipere*. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurront propter corporis indispositionem vel animæ: non est utile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum.

Ex isto S. Thomæ loco perspicuum est frequentem, vel raram communionem non tam ad uberrimos fructus ex ipsâ Corporis Christi perceptione (si cætera sint paria) percipi solitos, quam ad dispositionem communicantium velut ad certiorem amussim exigi oportere.

Quod pulcherrimè explicat Gennadius lib. singulari de Ecclesiast. dogmat. cap. 53. Quotidiè, inquit, Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideò quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & secretâ satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato priùs sæculari habitu & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu miserante Deo ita dumtaxat, ut contraria pro iis, quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex, submissus usque ad mortem percipiat.

Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere & admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Hactenus Gennadius cujus ipsissima hæc verba à nobis proximè relata tanti ponderis doctis quibusdam & piis visa sunt, ut illa S. Augustino Patrum omnium præstantissimo ascribere nihil dubitaverint.

Ex hoc loco tria colliguntur, quorum

Primum est hominem nullo peccati etiam venialis affectu irretitum posse securè omnibus Dominicis diebus communicare, si modò communicaturus pro peccatis levioribus & minimis lachrymis & orationibus satisfaciat. Quod si nondum peccandi voluntatem penitùs abjecerit, affirmat Gennadius eum gravari magis Eucharistiæ perceptione, quam purgari.

Secundum est hominem peccatis mortalibus post Baptismum admissis constrictum pœnitentiam agere oportere; quod etiamnum verissimum est, sed ad hunc effectum non exigimus pœnitentiam publicam, (ut quidam malè feriati probatissimis authoribus imponere voluerunt) neque etiam homines in claustra detrudere volumus, ut salutarem pœnitentiam peragant. Multi enim monasticam professionem amplecti nequeunt. Id tantùm exigimus ab iis, ut in pietatis opera suorum criminum gravitati & numero respondentia, ipsorumque facultati attemperata studiosiùs incumbant.

Tertium denique monitum est ut pœnitentes peccare desinant, & aliàs admissa flagitia defleant, eorumque causas & occasiones radicitùs excidant.

Primi generis homines nullo etiam venialium peccatorum affectu implicati, alias atque alias respectu communionis vias seu praxes iniere. Alii enim rariùs, alii frequentiùs ad v. Sacramentum accesserunt: qui rariùs, id majoris reverentiæ causâ factitarunt: qui autem frequentiùs majorem amoris testificationem Christo Domino exhibere voluerunt.

Mirandum est quod Carthusienses maximam solitudinem, & præcipuam in solitudine pietatem professi rariùs olim celebrare voluerint: ut discimus ex Epist. 86. quam ad Alexandrum monachum Petrus Blesensis inscripsit. Hoc in ordine Carthusiensi, inquit, causasis & arguis, quod singulis diebus missas non faciunt, atque hujus religionis aut potiùs superstitionis obtentu, tuum machinaris egressum. Scis quia monachorum pares & sacri ordinis institutor (S. Benedictus) nec etiam Sacerdotii gradum attigit, experſque missarum multo tempore, etiam in die Paschæ, utrum Paschalis esset solemnitas ignoravit. Paulus primus eremita & Antonius, Petrus & Paulus Apostoli, atque cæteri quorum laus est in Evangelio, non leguntur singulis diebus salutis Hostiam immolasse. Frequentia contemptum parit, & ex ipsâ raritate crescit reverentia Sacramenti. Peccamus quidem assiduè, & ubi continuantur peccata, continuum oportet esse peccati remedium: Verumtamen mundi pretium inæstimabile, communemque humanæ salutis hostiam, nisi in spiritu humilitatis & corde contrito immolare non licet. Hæc ibi.

Revera Carthusianos, quos Joannes Sarisberiensis in Polycratico vocat accuratum absolutæ religionis exemplar, rariùs sacrificasse in ipso sui ordinis exordio testatum faciunt eorum statuta, & testificatur Guilbertus Abbas de Nogento S. Brunonis ætati suppar, lib. 1. de vitâ suâ cap. 11. ubi Carthusianorum mores & instituta prosequitur. Missas, inquit, nisi fallor, Dominicâ & solemnibus audiunt.

Idipsum asserit Petrus Cluniacensis S. Brunone paulò recentior lib. 2. de miraculis cap. 28. *Festivis*, inquit, *tantùm diebus antiquorum eremitarum æmulatione, ne ab aliis sacris operibus, dignitate inferioribus impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute suâ ac mundi offerunt*. Et posteà. *Sacris diebus qui singulari privilegio à Domino vel ejus Resurrectione Dominici dicuntur ac ipsius vel sanctorum ejus solemnitatibus Missas celebrant*. Hæc ille.

Idem affirmat Petrus Cantor qui centum ferè annis post S. Brunonem scripsit: Si S. ordo Carthusiensium, inquit, Verbi abbreviati c. 28. in holocaustum hic etiam oblatorum à Deo, à labe mundi per abstinentiam & macerationem carnis purgatorum, & jam volantium super pennas ventorum, nonnisi in Festis & profestis spirituali officio intitulatis audet conficere, quomodo peccator audes? &c.

Quid quod non solùm ab Carthusianis hæc consuetudo sacrificandi rariùs, observata est, verùm etiam ab omnibus propemodùm religiosis, qui ante quadringentos annos in Ecclesiâ floruerunt illa ipsa consuetudo retenta est. E multis exemplis unum proferam & excerpam ex Epistolâ ab S. Francisco Minorum institutore ad sui ordinis sacerdotes inscriptâ.

Moneo, inquit, *& exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres una tantùm celebretur missa in die secundum formam Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit amore charitatis alter contentus audire celebrationem sacerdotis alterius, quia absentes & præsentes replet, qui eo digni sunt; Dominus noster Jesus Christus.*

Hanc sancti Francisci Epistolam legere est tom. 5. Biblioth. SS. Patrum edition. Parisiens. fol. 827. 828. & 829.

Hujusmodi homines vitam sanctissimam & ab omni sæculi commercio dissitam professi se v. Sacramentum sacrificando & communicando rariùs majori reverentiâ prosequi crediderunt, alii verò sæpiùs sacrificando & communicando sese Christum Dominum in illo ipso Sacramento residentem majori honore & cultu afficere persuasum habuerunt; atque ita neutri ex-

honorarunt Corpus & Sanguinem Domini, ut probat S. Augustinus Epist. 118. exemplo Zachæi & Centurionis, qui ambo salvatorem diverso & quasi contrario modo coluerunt, sicut & hi de quibus agimus. Nam alii honorando Corpus Christi quotidiè sumere contremiscunt: alii verò etiam honorandó ejusdem corporis perceptionem, vel uno die prætermittere religioni ducunt.

Talis extitit Cassius Narniensis Urbis Episcopus, de quo magnificè prædicat S. Gregorius hom. 37. in Evang. *Multi vestrum, fratres charissimi, inquit, Cassium Narniensis Urbis Episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo Hostias offerre, ita ut penè nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo Hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valdè etiam concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magnâ cordis contritione mactabat.* Hæc S. Gregorius loco citato. Qui & ibidem narrat stupendam revelationem ter ejus presbytero de felicis ejus interitus die factam commemorat: quam & paucis repetit lib. 4. Dialogor. cap. 56. *Vir*, inquit, *vitæ venerabilis Cassius Narniensis Episcopus qui quotidianum offerre Deo consueverat sacrificium, seque in lachrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per cujusdam sui visionem presbyteri suscepit, dicens: age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam; qui post annos septem ipso natalitio Apostolorum die, cum Missarum solemnia peregisset, & mysteria sacra communionis accepisset, è corpore exivit.* Hæc ibi S. Gregorius.

Quæres quibus indiciis sacerdos sacerdotali animo animatus deprehendere valeat, sibi quotidiano sacrificio insistendum, vel ab eo desistendum esse.

Cajetanus ad Art. 10. S. Thomæ 3. part. q. 80. hanc quæstionem pulcherrimè dissolvit. Circa quotidianam celebrationem, inquit, nota illud Augustini, vel potiùs Ambrosii: sic vive, ut quotidiè merearis accipere: quoniam per (sic vivere) intelligendum spiritualem vitam sic ducere, ut quotidianâ communione semper augeatur, alioqnin non sic vivimus, ut quotidiè meremur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus, ut fructum Eucharistiæ percipiat: fructus autem spiritualis hujus cibi non est solùm actualis refectio spiritus, sed augmentum gratiæ. Quoniam per totum tempus præsentis vitæ sumus in statu augmenti: propter quod crebrò aut quotidiè celebrantes, discutiant in seipsis fructum præteritæ refectionis, & secundum profectum vel defectum quem experiuntur in se prosequantur, vel à prosecutione desistant; qui enim multis celebrationibus peractis ad actus virtutum non meliùs se habet quam priùs, parum, aut nihil celebrando proficit. Dico autem, parum, quia quoad aliquam actualem devotionem profecit. Dixi quoque, post multas celebrationes, quoniam non audeo asserere, oportere celebrantem in omni celebratione esse dispositum sic, ut in eo per omnem celebrationem augeatur habitus gratiæ.

Hæc Cajetanus in 3. part. ad citat. S. Thomæ art.

His ita constitutis, jam videndum est, quinam frequentiùs, quinam rariùs communicare debeant. Sit itaque

---

Solutio propositæ quæstionis, quibus videlicet frequentiùs, & quibus rariùs ad Eucharistiam accedere liceat & conveniat?

Sanctus Bonaventura cujus doctrinam cæterorum omnium scholasticorum doctrinis anteponit Gerson tom. 1. de examine doctrin. ventilatâ in utramque partem quæstione de frequenti vel rarâ communione, disputationem ad exitum adducit, omnemque controversiam dirimit hisce verbis: *Si ergo*, inquit, *quæritur utrùm expediat frequentare alicui, dicendum quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidiè communicare; si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpotè frigidum & tardum, laudandum est quod rarè: si autem in medio modo, medio modo debet se habere: & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquandò accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor, & tunc secundum illam partem secundum quam viderit se magis proficere, ad illam magis declinet, quod homo solùm experientiâ discit. Omnes ergo rationes intelliguntur salvâ debitâ præparatione, quæ est in paucissimis, ut semper.*

Hactenùs S. Bonaventura in 4. sentent. distinct. 12. part. 2. art. 1. quæst. 2.

Sanctus Bonaventura complectitur hoc loco tria hominum genera qui vel frequentiùs vel rariùs pro variâ, in quâ versantur dispositione, communicare possunt & debent.

Primum genus est eorum, qui primorum fidelium fervorem suæ charitatis ardore imitantur & exprimunt. Et hi laudabiliter quotidianâ Corporis Christi perceptione refici possunt. Si enim Apostoli quotidianam communionem vel indixerunt, vel certè indulserunt fidelibus, quos nunc primùm veteri homine Sacramentum regenerationis exuerat, quos Apostolicarum impositio manuum Spiritus sancti plenitudine cumulaverat; quorum fides innumera quotidie miracula edebat; quibus expectata spes jam provectis in Cœlum singularem opum terrenarum contemptum fastidiumque ingeneraverat; quorum charitas (Christianæ scilicet perfectionis apex & fastigium) ita suis erat expleta numeris, ut omnes in unum cor & animam pariter unam coalescerent. Si denique Apostoli ad quotidianam communionem eos admisere, qui erant perseverantes in ipsorum doctrinâ & orationibus, quos ideò Ecclesia semper aspexit & obstupuit ceu viros admirabili omnium virturum laude cumulatos & dignos, quos velut absolutissima Christianæ sanctitatis & omnium ordinum exemplaria omnibus omnium sæculorum fidelibus imitanda proponeret; quidni eadem ipsa Ecclesia hominibus ad eorum perfectionem toto conatu adnitentibus, illam ipsam quotidianæ communionis gratiam impertiatur?

Alterum genus est eorum qui sunt in statu Ecclesiæ finalis; antequam ulteriùs progrediamur, observandum est istud vocabulum (finalis) apud ultimæ ætatis Authores dumtaxat ositatum, duplicem eamque diversam sortiri notionem.

Nam 1. significat id quod est ultimum seu supremum, ut cum judicium, in sæculi consummatione celebrandum, finale nominamus, ut cum Theologi appellant perseverantiam finalem, gratiam finalem, impœnitentiam finalem, & alia id genus, quæ finalia dicuntur, quia sunt ultima, vel quæ cum extremo decedentium habitu sunt conjuncta.

2. Aliquid finale dicitur, quod jam labitur, & ad interitum incumbit, & semper properat ad finem sibi præstitutum, licet nondum ad ultimam ævi sui lineam pervenerit. Sicuti nunc mundum finalem dicimus eodem omninò sensu, quo Apostolus designans ultimam mundi ætatem, quæ scilicet ab Christi adventu ad sæculi consummationem usque porrigitur, sic eam explicat: *Scripta sunt autem hæc*, inquit, *ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt*; id est per hypallagen, in fines sæculorum, id est ultima tempora ad mundi finem vergentia properantiaque incidimus. In eum omninò sensum accipiendus est S. Bonaventura cum vocat Ecclesiam finalem, id est finientem & ad finem seu terminum in hoc sæculo sibi constitutum properantem; non autem in primum sensum ejus verba detorquenda sunt: Neque enim sanctus ille Doctor tam erat ignarus aut tam malè animatus, ut

eo tempore quo scribebat Ecclesiam vel jam interiisse, vel brevi interituram esse crederet.

Sicut nec viri graves & eruditi & apprimè Catholici cum ista ejus verba (*Ecclesiæ finalis*) in hæc vernacula (*de l'Eglise finissante*) Ecclesiam jam periisse, vel brevi perituram esse significare voluerunt, (quod est hæreticum) utpotè qui illam ad ultima tempora devolutam ad suum finem dumtaxat properare liquidò declararunt.

His ita prælibatis ad illustriorem rerum explanationem, contendimus cum Seraphico Bonaventurâ eos qui sunt in statu finalis Ecclesiæ rarò ad sacram synaxim admitti oportere. Illi autem censentur in statu finalis Ecclesiæ positi, qui frigidi & tardi sunt, id est tenui admodùm dilectione prosequuntur Deum & Christum Jesum, qui tepescunt & frigescunt cum ad propriam salutem, & ad pietatis opera, quibus procuratur & promovetur, incumbere necesse est: Illi denique sunt qui propiùs accedunt ad eos qui nec calidi sunt nec frigidi, quosque, quia sunt tepidi, Christus se ex ore suo evomere inceptutum esse sacris in litteris minitatur. Facessant ergo homines qui quoslibet quantumvis frigidos & tardos & tepidos, & ab omni devotionis sensu & gratiâ derelictos; præpostero denique sui & sæculi amore irretitos, maximum Christo Domino honorem adhibere asserunt, si frequentiùs ad sacra ejus corporis sanguinisque mysteria confidenter adeant.

Tertium hominum genus, quorum meminit S. Bonaventura loco citato, complectitur eos, qui medium quemdam obtinent locum, id est aliquatenùs ad Ecclesiæ primitivæ statum & fervorem, & aliquatenùs ad finalis seu senescentis Ecclesiæ statum seu tepiditatem pertinent. Isti autem, juxta Doctoris Seraphici decisionem, interdum ab sacrâ communione recedere debent, ut Corpus Christi revereri addiscant, aliquando ad illam accedere, ut ex eâ divini amoris flammas concipiant: ita ut, cum propriâ experientiâ didicerint, utrùm ex frequentiori, vel rariori communione magis ad pietatem progrediantur, illam ineant viam, quam potiorem & suæ ad charitatem & salutem progressioni accommodatiorem esse perspexerint.

Illam ipsam de frequentiori vel rariori communione quæst. Id S. Bonav. de integro dissolvit l. 2. de profectu Religiosorum c. 70. Si verò aliquis, inquit, desiderat experiri, utrùm Corporis Christi suscipere Sacramentum, debeat videtur mihi quod non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, & diversi etiam status in religione. Et ideò sicut ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs, aut sæpius, aut majori, aut minori quantitate, eadem medicina datur; ita & de medicinâ spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati, rariùs possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti. Et alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodiâ vitæ suæ, & morum, & conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii verò quodammodo terrentur cum deberent accedere: & nisi conscientia urgeret, & consuetudo religionis induceret, vel timor majoris elongationis à Deo impelleret, valdè rarò accederent ad illud mirificum Sacramentum: vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur & sanctus, exceptis sacerdotibus quin semel in septimanâ sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, Infirmitas superveniens vel singulariter Festivitas solemnis, vel inusitatæ devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetu non nisi Spiritus sanctus, ut creditur, infunditur, ideò legibus humanæ consuetudinis & statutis mortalium non arctatur. Hæc ibi S. Bonaventura.

Ille ipse Seraphicus Doctor Breviloquii parte 6. c. 9. de integritate Eucharistiæ luculenter edisserit, quantâ animi devotione ad hoc Sacramentum accedere oporteat, & quid agendum iis, qui nullâ, vel exiguâ devotione afficiuntur erga tantum mysterium.

Quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu; non in ventre, sed in mente: & mens Christum non attingit nisi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem; ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad devotionem: ideò ad hoc quod aliquis dignè accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, & per devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potiùs trajiciatur in ejus mysticum corpus. propter quod manifestè colligitur, quod qui tepidè, indevotè & inconsideratè accedit, judicium sibi manducat & bibit: quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideò consilium est his qui se sentiunt minùs mundos mente vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quousque parati ad esum veri Agni, mundi & devoti, circumspecti accedant. Propter quod etiam hoc Sacramentum præceptum est celebrari, cum solemnitate præcipuâ tam quantum ad locum, quam etiam ad tempus, & quantum ad verba & orationes, & quantum ad vestimenta in celebratione Missarum: Ut tam ipsi sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur, & in ipsum Christum per excessivum amorem ardentissimè transferantur. Hactenùs S. Bonaventura loco citatato.

Quæstio XIV.

An porrigenda sit Eucharistia peccatoribus quos Confessarius nec ad primitivæ, nec ad finalis, seu senescentis Ecclesiæ, nec ad medium quemdam statum pertinere deprehenderit.

HUjus quæstionis solutio petenda est ex variis circumstantiis, in quibus versati fuerint hujusmodi peccatores.

Vel enim sunt sani & incolumes, vel quopiam morbo conflictati.

Considerandum est si sani & incolumes confiteantur.

Vel an confessi, vel non confessi Eucharistiam, vel propalàm & publicè, vel occultè & remotis arbitris petunt.

Si petunt vel sunt publici peccatores, vel occulti.

Si aliquo sunt morbo conflictati, vel periclitantur, vel non.

Pro hujusmodi circumstantiarum varietate, vel ipsis porrigenda est Eucharistia, vel deneganda, ut ex sequentium quæstionum resolutione constabit. Sit itaque

---

Quæstio XV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius erga homines in superioris quæstionis titulo designatos.

COnfessarii pro suâ virili peccatores in crimina lethalia & præsertim in peccata carnis immersos & diuturnâ peccandi consuetudine implicatos, qui adhuc integrâ sunt sanitate ab Corporis Christi perceptione avocare & abstrahere debent ne sancta mysteria

steria porrigendo canibus profanationis & contumeliæ, quâ hujusmodi canes, id est homines ad vomitum seu priora flagitia revoluti, ea polluere & dedecorare solent, participes efficiantur.

Hæc conclusio tria insinuat hominum genera.

Primum est eorum, qui lethalium peccatorum sunt conscii.

Secundum est eorum, qui in fœdas carnis libidines sunt implicati.

Tertium denique est eorum, qui diuturnâ lethalium peccatorum consuetudine sunt retenti.

Omnes illi tribus illis generibus comprehensi ab Altaris participatione removendi sunt juxta sanctorum Patrum sententiam. Omnes enim Patres ab omni ævo, uno animo calamoque cunctos lethalium peccatorum conscios excommunicatione, id est Corporis Christi substractione mulctandos esse docuerunt. In hoc igitur nihil ab invicem differunt præfati illi peccatores, atque adeò omnes ab Corporis Christi perceptione removendi sunt, cum hoc tamen discrimine, quod iis qui pluribus & gravioribus criminibus, & magis ab Eucharistiæ Sacramento abhorrentibus, & diuturniori consuetudine instus obstricti sunt, majorem prolixioremque, aliis verò mitiorem, brevioremque pœnitentiam injungere oporteat.

Quod spectat ad primos, vel unius lethalis peccati, vel plurium conscios, eos pœnitentiam suorum criminum numero & gravitati consonantem agere necesse est, antequam ad Eucharistiam vel ipsi accedant, vel ab eruditio, & divinæ gloriæ studioso directore accedere sinantur. Id enim tritum est & pervagatum apud SS. Patres axioma: Hoc est indignè accipere (Corpus Christi) si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam, ut legere est apud S. Augustinum & alios Patres, quos suprà retulimus cum de pœnitentiâ communioni necessariò præmittendâ ageremus.

Quod sanè præclarissimè & verissimè docuit Pater Aimericus de bonis Jesuita in tractatu, quem de august. Altaris Sacr. edidit: Optandum esset, inquit, ut universi Pastores congruenter Ecclesiæ spiritui, & prout à S. Carolo constitutum est, suos admonerent populos suis in concionibus, ut in ipso quadragesimæ exordio confiterentur (ut fit in pluribus Galliarum Diœcesibus, cum ingenti fructu) & toto sacri illius temporis decursu pœnitentiam agerent, & si per illud tempus ad necessarias dispositiones pertigissent, id est vixissent vitam ab omni crimine repurgatam, ita ut peractâ pœnitentiâ reconciliatione dumtaxat indigerent, ad Paschalem communionem admitterentur.

Quis enim verisimile aut ferendum existimet authorem puritatis excipi & in conscientiam peccatorum impuritate contaminatissimam & caliginosis æstuantium adhuc libidinum phantasmatis obsitam, ut loquitur sanctus Dionysius, intromitti? Quis, inquam, Christianus æquo animo patiatur ad Eucharistiam nullam aliam afferri dispositionem, quam absolutionem sacerdotis, cum quâ vellent peccatores Corpus Christi percipere cum fiduciâ, perindè ac si semper Christo Domino essent fideliter obsecuti, nec unquam eum è suis cordibus expulissent perpetratis sceleribus, quæ Dæmoni ad illa ipsa corda aditum de integro aperuerunt. Hactenùs Aimericus de Bonis.

Huic praxi obstrepunt nonnulli qui causantur scandalum quod offerent suis æqualibus, vel domesticis, si certis diebus, quibus communicare solent, non communicent. v. g. in quibusdam anni solemnitatibus omnes unius familiæ convictores communicare solent, & patresfamiliâs videre volunt omnem familiam suam, id est liberos & servos & ancillas ad sacram communionem accedentes, & si quis desit è liberis veretur ne pater succenseat, si quis etiam famulantium desit huic officio, timet ne in hominis parùm religiosi suspicionem veniat, atque ita ejiciatur, & ideò licet omnes hi peccati propter quod ab Corporis Christi perceptione abstinere debeant, sint conscii, nihilosecius communicant. Quid sentiendum, quid dicendum de talibus personis?

Hanc objectionem & proposuit & solvit ille ipse Pater de Bonis.

Ita communicare, inquit, nihil est aliud quam humanis rationibus tangi & commoveri, non autem veræ pietatis impulso ad sacram communionem incitari. In propositâ hypothesi, inquit, mea mens est, hujusmodi homines per plures dies eorum peccatum, vel peccata consecuturos, ab Christi corpore segregandos esse ob debitam divinis mysteriis reverentiam, cum præsertim ad talem communionem, ut supponimus, nullo præcepto teneantur.

Sed quid de scandalo statuendum?

Respondeo eos ipsos posse illud obtentu causæ probabilis amoliri. Porrò eos suam conscientiam committere necesse est prudenti Confessario, qui dijudicare valeat, quid erit opus facto, & utrum satius sit communicare, vel dare locum scandalo quod, utcumque res cadat passivum dumtaxat existeret.

Si moderatrix aut moderator monialium v. g. aut monachorum, aut præfectus alicujus sodalitii, quærat ab aliquo è suis cur ad communionem sicut & cæteri non accesserit?

Respondere poterit se ad id non fuisse paratum ob angorem quo torquebatur, vel Confessarium ipsi communicandi facultatem facere noluisse.

Sed dixerit aliquis, si hanc attulero rationem, de me aliquis malè suspicabitur.

Respondeo te illi in suspicionem nullo tuo delicto venturum esse, & si ita se gerat, de te temerè judicaturum esse, eò quod Confessarius cuilibet è suis pœnitentibus communionem denegare possit, non solùm propter lethalia, verum etiam propter levia venialiaque peccata, vel, ut eum pudore afficiat, vel ut eum ad cujuspiam imperfectionis emendationem adigat, vel ut ad divina studiosiorem, & expertectiorem efficiat, vel ob alias id genus causas.

Quod spectat ad alios id est ad libidinosos in peccata carnis prolabi solitos, quorum alii nullam abire patiuntur hebdomadam, quin bis aut etiam pluries in peccata carnis incidant & nihilosecius octavo quoque die communicare gestiunt, alii verò hujusmodi peccata rarius admittunt, sed illis ipsis diebus, quibus solent, communicare volunt, tametsi ab brevissimo tempore, seu paucissimis horis sese in hujusmodi peccatum denuò immerserint.

Priores illi libidinosi in teterrimo abusu & errore versantur, quippè qui non perpendunt quantoperè propudiosum illud peccatum adversetur puritati virginalis illius carnis, & sanctissimæ humanitatis, & eminentissimæ divinitatis, quam in hoc Sacramento percipimus. Si enim ejus præstantiam & amplitudinem perspectam haberent & cognitam, vel resipiscerent & ad meliorem se reciperent frugem, vel rariùs, vel nunquam ad illud accederent, nisi urgeret præceptum Ecclesiæ quæ unam duntaxat communionem quotannis in Paschali solemnitate celebrandam fidelibus indicit, ita tamen ut ipsos ad hanc communionem ritè comparatos accedere jubeat, alioquin illam vel omitti, vel sacerdotum judicio in aliud tempus rejici cupiat.

Nihilosecius reperire est nonnullos ita audaces, imò effusè petulantes, ut citra ullam libidinosæ vitæ emendationem sæpiùs Christi Corpus percipere nihil erubescant. Quod si Confessarius iis sacrâ communione interdicere velit, (ad quod ex officii religione obligatur) indignantur acerbiùs, dictitant eum, nimiis teneri scrupulis, nihil dubitabunt adversus eum contendere, & objicere alios esse Confessarios, qui ab ejus opinione dissideant, & communicare permittant: quod si autem malè in suo illo statu communicando agerent, Deus, inquiunt, non nos spirituali suavitate & gaudio perfunderet, ut factitat. Quod si, ut pergunt rariùs communicaremus, frequentiùs etiam præter solitum, peccaremus. Ut igitur eorum perhibent

verba, eam saltem utilitatem ex communione percipiunt, quod rariùs peccant.

Ego autem, inquit idem Pater de Bonis, etsi cuiquam leges imponere nolim, dicam ingenuè quod sentio, nec mea sensa mala, & repudianda esse puto: Mihi videntur hujusmodi homines pessimè comparati ad celebrandam communionem, cum tam citò, & tam sæpè in vomitum seu in turpissimum carnis flagitium revolvantur, maximè verendum est, ne indignæ communionis atque adeò sacrilegii perpetrandi periculum adeant. Nam continuatæ illæ & toties repetitæ prolapsiones eos malè dispositos ad v. Sacramentum accessisse liquidò contestantur.

Si enim hujus ipsius Sacramenti vim suaptè naturâ efficacissimam nihil in ipsis inhiberet aut perimeret, sua proculdubiò in eorum animis exereret effecta quorum unum pellucet ex eo quod qui frequentiùs eo, & ut par est, reficiuntur mysterio, ad insignem castimoniæ gloriam efflorescant: siquidem concupiscentiam maximè imminuat, & sic imminuta & repressa nullo negotio superari valeat, ut in pluribus cernitur & apparet, qui jam vitam agunt multò castissimam, tametsi antequam frequentiori devotiorique communione munirentur, nefariis carnis voluptatibus erant addictissimi. Cum igitur isti ad bonam frugem redierint, & inierint sanctioris vitæ semitam, quid ni & ipsi de quibus sermo est idem præstare poterunt? Vultis rescire cur idem, quod illi præstitere non faciunt, id inde proficiscitur, quod idipsum exequi refugiunt. Quod cum ita sit, si quis hujusmodi viros communione imperriret, panem filiorum mitteret canibus, & margaritas projiceret ante porcos, quod quidem nominatim ab Christo Domino prohibitum est.

Quapropter Confessarii & Directores omnia hac præsertim in parte circumspicere debent, ne (quod horrendum est) incidant in manus Dei viventis, qui ab ipsis repetiturus est severissimam rationem dispensationis, quâ tanti, tam pretiosi, tamque divini mysterii thesaurum commissis sibi gregibus porrexerint. Perpendant attentiùs molliorem illam in concedendâ communione indulgentiam plurimos ad eum stuporem adegisse, ut ne animum quidem advertant ad miserabilem statum, in quo velut altissimo sopore obruti conquiescunt. Unde fit, ut cùm aliàs cum timore & tremore ad v. Sacramentum accederent, nunc ad illud ab omni timoris & reverentiæ, & devotionis sensu derelicti prosiliant, idque testatum faciunt in eo, quod illo ipso communionis die in assueta flagitia revolvuntur. Quod sanè ita horrendum est, ut vel ipsos Angelos horrore perfundere, soli tenebras offundere, terram tremefacere, & elementa permiscere & confundere valeat.

Idem sentio de iis, qui in sua flagitia remergontur postridie communionem, vel perendino, vel quarto ab ipsâ die, sicut & de iis qui vel triduò, vel pridiè quam communicarent, sese lethali flagitio constrinxere. Ita ut unius hebdomadis decursu vix biduo aut triduo sibi ab lethalibus temperent, & nihilo seciùs ipso dominico die communicare gestiant.

Quod spectat ad id quod objiciunt alios extare Confessarios, qui ipsis, in eo quem depinximus statu, communionis gratiam indulgeant, mihi sat est respondere, quod nollem ego obligari ad reddendam rationem mollioris istius indulgentiæ, quâ tales utuntur Confessarii.

Probè teneo superioribus sæculis extitisse & etiamnùm extare plures viros, eosque doctos & religiosos, qui sentiunt sæpè utile esse, imò & aliquando necessarium denegare absolutionem hujuscemodi hominibus, utpotè qui nullum præbeant indicium perfectæ contritionis, imo nec attritionis (quæ est contritio imperfecta, ut loquitur Concilium Tridentinum) sine quâ nemo sacerdos absolvere, nemo pœnitens citra sacrilegium absolvi potest quin etiam Paschali communione iis interdicunt, quos paucis ante diebus in aliquod crimen incurrisse deprehendunt, eosque ad vitam castè & integrè per aliquod tempus exigendam obligant, antequam ad divina mysteria accedere patiantur & sinant. Solemnes enim illi frequentioresque relapsus, cum nullâ vitæ emendatione conjuncti, possunt æquam Confessario dubitationem afferre, eos homines toties in sua crimina revolutos, ne ipsam quidem attritionem habere: Quo in casu eos non solùm potest, sed etiam denegatâ absolutione dimittere tenetur.

Quod spectat ad homines quos diuturna consuetudo peccati jugo mancipavit, explorandi sunt ab prudente Confessario, & in pœnitentiæ laboribus exercendi, donec prava illa consuetudo per actus vitiosos contracta roborataque, contrariis actibus si non omninò profligata, at certè imminuta debilitataque ita cernatur, ut non dubia spes emendationis in ipsis pœnitentibus affulgeat.

Porrò omnes illi homines, quos hactenùs percensuimus, ablegandi sunt ab sacrâ communione usquedum Confessariis remedia etiam duriora & propulsandis peccatis eorumque occasionibus & causis idonea præscribentibus obsecuti sese ex luctuosissimo illo statu in quem sese immerserunt, emergere velle testificati fuerint, nec sibi falsò persuaserint breve quodpiam tempus ad tantum & tam arduum opus sufficere posse.

Quemadmodum enim vetusta quæpiam arbor patulis diffusa ramis non potest uno actu excidi & dejici: & quemadmodum vas gravi quopiam & tetro odore imbutum non potest unicâ frigidæ ablutione repurgari, siquidem tetrum illum odorem pertinaciter retinebit, nisi diu multumque in cinere & actiori lixivio fervefactum fuerit: ita peccata quæ nostris in animis inoleverunt, revelli & expiari nequeunt, quin eum in finem multa pietatis & ardui laboris opera ex prudentis Confessarii præscripto pro cujusque facultate idoneo temporis spatio exerceamus.

Quod ut ritè fiat toto illo tempore ab altaris participatione sunt removendi. Si quispiam ex oris grassante pestilentiâ conflictatis, in patriam redeat, non admittetur ad pristinam popularium suorum consuetudinem & familiaritatem, quin de ejus incolumitate totos quadraginta dies tentata periclitataque constiterit. Quidni etiam cum de Corporis Christi perceptione agitur, periclitanda erit habitudo peccatoris tam fragilis & infirmi, qui toties & tam sæpè in sua flagitia relabitur?

Solvuntur objectiones adversus hujusmodi doctrinam proponi solitæ.

SI dicant præfati homines se solatiis gaudiisque spiritualibus in ipsâ communione deliquescere.

Respondeo ista omnia magnis illusionibus esse obnoxia, & hujusmodi suavitates ex aliâ causâ quàm ex communione proficisci posse, vel esse quasdam illusiones ab Dæmone in animum & phantasiam injectas, quæ veræ devotioni ascribi nequeunt. Quid quod Turcis vel ipsa Mahumedis commemoratio lachrymas ex gaudio ortas elicit, quas tamen nemo veræ pietati aut consolationi spirituali ascribendas esse dixerit.

Si dicant se in sua peccata relabi rariùs, & hanc utilitatem se percipere ex frequenti communione.

Respondeo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non esse institutum ut homines ab frequentioribus piaculis sartos-tectos conservaret (licet id & alia majora efficiat in iis, qui illud dignâ animi præparatione suscipiunt) sed ut ipsos spirituali alimento reficeret & ad perfectionem Christianam proveheret. Hujusmodi autem viri de quibus sermo est, non aluntur hoc spirituali cibo, quandoquidem vita spiritus nullum habet commercium cum carne; cui tamen ita obtemperant & serviunt, ut se aliud vitæ genus ingredi non posse palam & apertè profiteantur.

In tales personas bellè convenit id quod prædicat S. Joannes Chrysostomus Hom. 7. in Matth. *Cave, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: Ut & ego veniens adorem eum: Cumque veneris, interimere coneris. Hujus enim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterii. Reus est enim iste, inquit, Corporis & Sanguinis Domini. Qui enim hujusmodi sunt, habent in se tyrannum & regno Christi semper invidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cultores mittit ad Christum, ut specie quidem adorare videantur, quantum verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorant.* Hæc ibi.

Si iterùm obstrepant homines illi ab Eucharistiæ perceptione removendi, & dicant, omnes communicaturi sunt tali, vel tali die quo magna solemnitas celebratur, quidni & nos cum aliis ad Eucharistiam accedamus?

Audiant isti S. Joannem Chrysostomum hujusmodi objectionem pulcherrimè refellentem hom. 3. in Ep. ad Eph. *Multos video*, inquit, *qui Christi Corporis sunt participes inconsideratè & temerè, & magis ex consuetudine, & ex præscripto, quam ex cogitatione & consideratione. Si advenerit*, inquit, *tempus sanctæ quadragesimæ, qualiscumque fuerit quispiam, fit particeps Sacramentorum, etsi advenerit dies Epiphaniorum. Atqui tempus ad ea accedendi non facit Epiphania, neque quadragesima facit dignos, qui accedunt, sed animæ sinceritas & puritas. Cum eâ semper accede, sine ipsâ nunquam.* Hæc ibi.

Illud ipsum monitum repetit idem S. Joannes Chrysostomus hom. 28 in 1. ad Corinth. caput 11. *Non*, inquit, *eo spectamus, ut accedamus parati & malis nostris expiatis, & pleni compunctione, sed ut in diebus Festis, & quando omnes accedunt. Sed non sic jussit Paulus: sed unum novit tempus accessus, & communionis, puritatem conscientiæ. Si enim mensæ sensibilis non sumus participes dum febricitamus, utpote malignis humoribus referti, ne pereamus: multò magis nefas est hanc mensam attingere cum pravis cupiditatibus, quæ febres suâ malignitate superant. Quando autem pravas dico cupiditates & corporum & pecuniarum, & iræ & odii, & acceptæ injuriæ recordationis, & omnes, ut simpliciter dicam, perversas cupiditates intelligo. Unde oportet accedentem, his omnibus exhaustis ita mundum illud contingere sacrificium, & neque segniter & miserè affectum necesse habere propter diem Festum accedere, neque rursus compunctum & paratum prohiberi, propterea quod non sit dies Festus. Dies enim Festus est bonorum operum demonstratio, & pietas animæ & vita rectè instituta. Etsi hæc habeas, poteris semper diem Festum agere & semper accedere.* Hæc ibi S. Joannes Chrysostomus.

Si denique peccatores, de quibus hîc agimus, conquerantur, & dicant se vel toto vitæ curriculo ne semel quidem communicaturos, si tantâ in ipsos severitas exerceatur. Mihi fortè non credent, S. autem Joanni Chrysostomo eorum querelas diluenti fidem adhibebunt, ut in animum induco meum.

Sic igitur ille hom. 17. in Epist. ad Hebræos *Multi*, inquit, *hujus sacrificii toto anno sunt participes: alii autem bis, alii verò sæpè. Ad omnes ergo habetur oratio, non solùm ad eos, qui hic sunt; sed ad eos etiam, qui sedent in deserto. Nam illi semel in anno sunt participes; sæpè etiam post duos annos. Quid verò, quinam erunt nobis magis accepti, an qui semel, an qui sæpè, an qui raro? nec hi, nec illi, sed ii, qui cum mundâ conscientiâ, qui cum mundo corde, qui cum vitâ, quæ nulli est affinis reprehensioni. Qui sunt hujusmodi, semper accedant. Qui non sunt hujusmodi, ne semel quidem. Quamobrem? quoniam sibi sumunt judicium & condemnationem, & pœnam & supplicium. Nec mireris. Sicut enim nutrimentum, quod suapte naturâ vim habet nutriendi, si in eum inciderit, qui malis cibis & humoribus redundat; omnia perdit & corrumpit, & morbi fit occasio: Ita etiam hæc veneranda mysteria. Frueris mensâ spirituali, mensâ regali: & iterùm os tuum luto inquinas? Ungis unguento, & rursùm imples fœtore? Dic mihi, cum post annum os particeps communionis, existimas-ne quadraginta dies tibi sufficere ad emundationem peccatorum totius temporis, & cum rursus præterierit hebdomada, te dedis prioribus? Dic mihi, si cum quadraginta diebus ex longiore morbo revalueris, rursus te dedas cibis illis, qui morbos procreant, non etiam priorem perdis laborem? si ergo mutantur naturalia, multò magis quæ nostri sunt instituti, & liberi arbitrii.* Hactenùs S. Joannes Chrysostomus loco citato.

Hanc quæstionem maximam partem dissolvimus auctoritate R. Patris Americi de Bonis Jesuitæ, qui doctissimo suo devotissimoque de Sacramento altaris libello benè meritus est de omnibus bonis, quos debitam hunc eidem Sacramento reverentiam studiosissimè adhibere, & uberes fructus ex piâ religiosaque ejus perceptione colligere juvabit.

Quæstio XIV.

Utrùm hujusmodi peccatoribus quos superiori quæstione delineavimus sacerdos Eucharistiam petentibus denegare possit & debeat?

ANtequam hujus quæstionis solutionem aggrediamur, observandum est denuò quod in quæst. 14. observavimus, hujusmodi nempè peccatores, vel esse publicos & notorios, vel occultos: insuper animadvertendum est eos petere Eucharistiam, vel propalàm & publicè, vel clàm & occultè.

His ita prælibatis, sit

Prima Conclusio.

Hujusmodi peccatoribus, quorum crimen est manifestum seu notorium, Eucharistiam etiam propalam & publicè, nedum clàm & occultè petentibus denegandam esse docent omnes passim Theologi.

Tunc autem crimen est notorium, atque adeò peccatores sunt notorii, cum illud ipsum crimen in publicam notitiam erupit, vel per evidentiam facti, quæ nullâ possit tergiversatione celari, vel per judicium sæculare aut Ecclesiasticum, in quo rei de peccato suo, vel fuêre confessi, vel convicti, tales sunt publici usurarii, aut publici raptores & prædones, quibus etiam petentibus debet sacra communio denegari, ut ait S. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 6. in corp. Ratio manifesta est, quia tales peccatores cum sint in crimine notorio, id est in communem omnium notitiam effuso, nullum jus habent ad mensam Domini, ne in facie quidem Ecclesiæ. Ideoque si eos sacerdos istius mensæ participes faceret, injustæ dispensationis reus efficeretur, & iram Domini in seipsum evocaret, ut ex S. Joanne Chrysostomo hom. 83. in Matth. Estius observavit.

Unde & Toletus Instruct. Sacerdot. lib 6. cap. 17. num. 7. asserit Eucharistiæ ministros delinquere, si illam administrent publicis peccatoribus ante pœnitentiam publicam & manifestam, & publicis concubinariis, usurariis, histrionibus, & similibus: his enim neganda est Eucharistia, nisi pœniteant, & ita sit nota pœnitentia, ut notum est crimen; ita prohibetur de consecrat. dist. 2. cap. pro dilectione. Hæc ille.

Hujusmodi doctrina consonat sanctis Patribus, ut videre est apud S. Cyprianum (cui hodiernus dies sacer est) Cum enim consultus esset ab Euchratio rogante utrum ad communionem Ecclesiasticam admittendus esset histrio, ita respondit: *Pro dilectione tuâ & verecundiâ mutuâ consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & Magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicerit, cæteris quoque insinuat: an talis debeat communicare no-*

liscum. Puto nec majestati divinæ, nec Evangelica disciplinæ congruere, at pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Hactenùs S. Cyprianus Epist. 61. ad Euchratium inscriptâ.

Secunda Conclusio.

Suspectis de aliquo crimine, si sit suspicio publica, vehemens seu violenta, deneganda est pariter communio, sicut & peccatoribus publicis, de quibus in superiori Conclusione diximus. Ut docet S. Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. in solut. quæstiunc. 2. in corp. Dicendum, inquit, quod triplex est suspicio, quædam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio, sicut si inveniatur solus cum solâ, nudus in lecto, loco secreto & tempore apto ad commixtionem: Alia est probabilis, sicut si inveniatur solus cum illâ colloquens in locis suspectis & frequenter. Tertia est præsumptuosa, quæ ex levi conjecturâ ortum habet. Hæc autem ultima deponenda est: In secundâ non debet denegari (communio) quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur: sed de primâ idem est judicium quod de peccato. Unde si sit suspicio procedens ex famâ publicâ non debet ei dari neque in occulto, neque in manifesto: si autem sit singularis ipsius sacerdotis, sic debet dari in publico, sed non in occulto. Hæc ibi S. Thomas qui & ibidem ad 1. dixit quod quamvis non habeatur in 1. suspicione certitudo sensibilis, vel per demonstrationem, tamen habetur talis certitudo quæ sufficit ad probationem juris: Non enim in omnibus similiter certitudo est requirenda, ut dicitur 1. Ethic. cap. 2. Illa igitur certitudo, quæ proficiscitur ex primâ suspicione quæ est publica & violenta, sufficit ad denegandam communionem homini in quem præfata illa suspicio caderet.

Neque hîc audiendi sunt nonnulli qui sibi ratiocinari videntur cum dicunt: è duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur, vel etiam si ei Hostia non consecrata detur, quam si sumens Corpus Christi, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potiùs eligendum quod vel infametur peccator, vel etiam quod ei detur Hostia non consecrata.

Hanc objectionem ita diluit S. Thomas. Dicendum, inquit, quod licet pejus sit peccatori occulto, peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quam infamari: tamen sacerdoti ministranti Corpus Christi, pejus est peccare mortaliter infamando injustè peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet à peccato. Unde S. Augustinus dicit in l. quæstion. super Genesim q. 42. Periculosissimè admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat. Peccator tamen occultus potiùs deberet eligere infamari, quam indignè ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ: quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse Hostiam consecratam, sivè alios præsentes, sivè etiam ipsum sumentem, quia, ut ait sanctus Augustinus, nemo carnem Christi manducet, nisi priùs adoret. Unde extra de celebratione Missarum c. de homine, dicitur: licet is qui pro sui criminis conscientiâ reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, graviùs tamen videtur offendere qui fraudulenter illud præsumpserit simulare. Hactenùs S. Thomas 3. p. q. 60. a 6. ad 2.

Inter publicos peccatores quibus publicè petentibus est deneganda Communio, recenseri excommunicatos & publicè denuntiatos, nemini dubium est.

Porrò si quispiam peccator uno in loco publicus communionem petat publicè in loco ubi talis non habetur, ab cælesti mensâ repelli non potest, præsertim si fama criminis non videatur facilè eò perventura, ut tradit Victoria q. 80. de Eucharistiâ.

Tertia Conclusio.

Peccatori, cujus peccata sunt occulta, Eucharistia in occulto petenti est deneganda, si autem in manifesto petat, ipsi est porrigenda.

Hanc conclusionem insigniter enucleat S. Thomas in 4. sentent. distinct. 9. quæst. 1. art. 5. in solut. 1. quæstiun. in corp. Dicendum, inquit, quod si sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit, per confessionem, vel alio quolibet modo, distinguendum est: quia aut peccatum est occultum, aut manifestum: si est occultum, aut exigit in occulto aut in manifesto: si in occulto, debet ei denegare & monere ne in publico petat: si autem in manifesto petit, debet ei dare.

1. Quia peccato occulto pœnam inferens publicam revelator est confessionis, aut proditor criminis.

2. Quia quilibet Christianus habet jus in perceptione Eucharistiæ, nisi illud per peccatum mortale amittat: Unde cum in facie Ecclesiæ non constet istum amisisse jus suum, non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari; aliàs daretur facultas malis sacerdotibus pro suo libito punire maximâ pœnâ, quos vellent.

3. Propter incertitudinem status sumentis, quia spiritus ubi vult, spirat, Joan. 3 Unde subitò potest esse compunctus, & divinitùs à peccato purgatus, & divinâ inspiratione ad Sacramentum accedere.

4. Quia esset scandalum si denegaretur: si verò peccatum est manifestum, debet ei denegari, sive in occulto, sive in manifesto petat. Hactenùs S. Thomas loco citato.

Hæc doctrina Doctoris Angelici consonat pronuntiatum S. August. hac de re ita pronuntiantis: *Nos à communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis; nisi aut sponte, aut in aliquo sivè sæculari, sivè Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?* Ita S. Aug. in lib. 50. homil. hom. 50. & ultimâ.

Quamquam ad hanc S. Augustini sententiam adhærescere oporteat: potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occultè monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant & Ecclesiæ reconcilientur, ut egregiè monet S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. in corp.

Satisfit objectioni quam afferunt utplurimùm, vel peccatores ipsi, vel ipsorum patroni.

MUlti quibus annuntiatur hæc Ecclesiæ sanctio (de quâ suprà diximus) quâ pœnitentiæ ante communionem peragendæ omnibus in peccata lethalia implicatis necessitas indicitur, objiciunt utplurimùm peccatores, vel occultos, vel publicos quibus communio denegatur, ut per idoneum tempus (sicut omnibus Canonibus statutum est) per justos pœnitentiæ labores ad illam sese comparent, de suâ salute desperare, & sese ad omne scelus projicere solere: atque adeò procul ablegandam esse hujusmodi severitatem, utpotè quæ pluribus alioquin ad æternam salutem perducendis desperationis, & vitæ liberioris ansam præbere, & tandem in desperationem ipsos conjicere soleat.

Hanc objectionem luculenter diluit S. Augustinus serm. 57. de temp. *Sæpè*, inquit, *advertimus, fratres dilectissimi, nonnullos ex vobis communionem Ecclesiasticam declinare, & hoc intelligo fieri ex conscientiâ gravium atque ingentium peccatorum. Unde admoneo vos, dilectissimi, quod pravum est hoc insalubri consilio duplicatur: quia homines ista facientes & delictorum sarcinam cumulant, & munus æternæ salutis amittunt: hoc est enim reatum congregare & remedium devitare. Ergo vos, dilectissimi fratres, hortor, atque commoneo, ut si quis ex vobis conscius criminum suorum, indignum se communione Ecclesiasticâ putat, dignum se esse faciat. Dicitis quomodo aliquis dignum se facere possit? quomodo, nisi ut*

errores pristinos relinquat, & pœnitentiam petat: ut qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Hæc ibi.

Quomodo autem sese gerere debeat peccator lethalium criminum reus, ut sacrâ Communione coram Deo, & coram hominibus dignus habeatur, explicat idem sanctus Augustinus in lib. 50. homil. homil. 50. paulò antè citatâ. *Majorem*, inquit, *quisque in se severitatem debet exerere, ut à seipso judicatus, non judicetur à Domino, sicut Apostolus ait: Si nos judicaremus, à Domino non judicaremur. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ: Existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Constituto in corde judicio: adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremò ab ipsâ mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui separari à regno cælorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis Panis interim separetur: versetur ante oculos imago futuri judicii: ut cum alii accedunt ad Altare Dei, quò ipse non accedit, cogites quam sit contremiscenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim Altare quod nunc in Ecclesiâ est in terrâ positum, terrenis oculis expositum ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere: quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem suam. Accedunt etiam ignorantes, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit. Illi autem secundum duritiam cordis sui & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Ad illud autem Altare, quò præcursor pro nobis introivit Jesus, quò caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis: nullus eorum accedere poterit, de quibus dixit Apostolus: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adjuncto scilicet corpore, cui caput est: quod jam ascendit in cælum. Ipse est cui dixit Apostolus Petrus, plebs sancta, regale sacerdotium. Quomodo ergo in interiora veli, & in illa invisibilia sancta sanctorum intraire audebit, aut poterit; qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens noluit paulisper à visibilibus separari? qui enim noluit humiliari ut exaltaretur, cum exaltari voluerit, dejicietur, & in æternum sejungetur ab æternis Sanctis quisquis hoc tempore per meritum obedientiæ & per satisfactionem pœnitentiæ non sibi providit locum in corpore Sacerdotis.*

Ex istis S. Augustini locis constat quàm temerè & præposterè nonnulli contendunt præscriptam ab Ecclesiâ pœnitentiæ ante sacram Communionem peragendæ regulam peccatores in desperationem conjicere, cum econtra illa ipsa constitutio omnium Conciliorum Canonibus approbata, & ab iis quibus stat integra valetudo, observanda, peccatores omnes in spem & remissionis & Communionis & æternæ beatitudinis erigat, siquidem, ut asserit idem sanctus Augustinus, illi qui voluerint paulisper à visibilibus (id est, Eucharistiæ Sacramento nobis ob oculos per species exhibito) separati, in illa proculdubio invisibilia Sancta Sanctorum introire audebunt & poterunt.

Quod si nonnulli peccatores ita obdurati & excæcati fuerint, ut pœnitentiæ labores & dilatæ ad aliquod tempus Communionis moram pertæsi sese projiciant ad omne scelus, tales judicio Dei occulto, sed justo, *ambulant sicut gentes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Ephes. c. 4. v. 18. & 19. Alii verò qui non *ita didicerunt Christum & illum audierunt, & in ipso edocti sunt, sicut est veritas in Jesu*, longè aliter sapiunt, *& per varia pietatis opera, quæ Communioni præmittunt*, deponunt per gratiam Salvatoris, *veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; & per mirabile Sacramentum transformantur in Christum*, id est, *induunt novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis*. Ibid. v. 22. & seqq.

Ita igitur objectio nihil officit primæ nostræ Conclusioni; quâ dicimus peccatoribus, quorum crimina sunt publica & manifesta, Eucharistiam, sive publicè, sivè occultè, petentibus esse denegandam.

Nihil etiam adversatur secundæ, quâ asserimus suspectis de aliquo crimine, si sit suspicio vehemens seu publica, seu violenta, esse denegandam Communionem, sicut & publicis peccatoribus.

Nihil etiam illa ipsa objectio repugnat tertiæ Conclusioni, quâ contendimus occulto peccatori Eucharistiam in occulto petenti esse denegandam, publicè verò petenti esse porrigendam, idque exemplo Christi, qui in Cœnâ Corpus suum ipsi etiam Judæ proditori porrexit, ut docent sancti Patres.

Quarta Conclusio.

Post pœnitentiam & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est Communio deneganda, præcipuè in articulo mortis. Undè in Concilio Carthag. legitur, scenicis atque histrionibus, cæterisque ejusmodi personis vel Apostatis conversis ad Deum reconciliatio non negetur. Ut habet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 6. in corp.

Indè rectè colligitur publico peccatori in articulo mortis pœnitenti posse dari Eucharistiam, quantum est ex naturâ Sacramenti, si autem aliquid occurrat debitæ Sacramento reverentiæ, perceptionique contrarium, Sacerdos Christi in eo rerum articulo ita se gerat, ut id duntaxat quod spiritus & prudentia suggesserit, executioni mandasse videatur.

De his hactenùs. Jam videndum est quomodo Eucharistiæ respectu tractandi sint rei capitali supplicio plectendi. Sit itaque

---

QUÆSTIO XVII.

An reis ultimo supplicio afficiendis Eucharistia porrigi debeat?

REspondeo de hujusmodi quæstione in contrarias partes disputari posse, & regionum hac in re consuetudinem retineri oportere.

Denegandam hujusmodi hominibus Eucharistiam multa probant.

In Galliis id ita factitatum esse constat ex Canonibus Concilii Remensis Ecclesiæ sub Sonnatio Episcopo conditis. Siquidem in hæc verba conceptum est Statutum XI. *Et cur ad mortem condemnatis renuitur (Eucharistia) cum iis maximè conducat ad spem & securamen certi decessûs & præsentis agonis? Nunc autem etiam denegatur silente Ecclesiâ & veluti consentiente, non obstantibus iis Canonibus, qui vel nunquam recepti, vel saltem per usum contrarium sunt abrogati.* Hæc ibi.

In eam praxim jam ab multis sæculis non solùm nostram inclinasse Galliam, sed etiam eam constanter retinuisse discimus ex eo quod in ipsâ pœnitentiæ Sacramentum reis morti addictis usque ad annum 1396. esse denegatum, sicut & in hunc usque diem in omnibus, vel certè in plerisque ejusdem Galliæ Provinciis perseverasse commemorant usque ad Carolum VI. qui primus hunc morem plurium Procerum Ecclesiasticorum & virorum Principum rogatu sustulit edicto Parisiis dato VI. Non. Februar. ann. 1396. Istud edictum integrum refert Fontano tom. 1. Edictorum

& Constitution. Regum Franciæ. tit. 68. num. 5. Editionis anni 1611, pag. 660.

Hujus severitatis, quæ exercebatur, & etiamnum Eucharistiæ substractione exercetur in reos, *non desperatione indulgentiæ* (ut docet S. Aug. Epist. 50. in causâ simili) *sed rigore disciplinæ*, locupletissimæ rationes afferri possunt, quarum

Prima indè repeti potest, quod plerique omnes ab flagitiis immanioribusque peccatis, non tam amore Justitiæ, quam timore pœnæ abstineant, & ideò v. Sacramentum, id est saluberrimum Viaticum, quo cæteri omnes Christiani muniri solent, furciferis jure ac meritò denegatur, ut tam ipsi, quam ipsorum similes rescisant tanta esse scelera, quibus sunt implicati, ut ea in hac jam indè vitâ Eucharistiæ denegatione, quæ est excommunicatio adumbrans segregationem reproborum ab Christo in supremo judicio faciendam, Ecclesiâ, vel sanciente, vel certè suo silentio approbante puniantur.

2o, Iis hominibus meritò Eucharistia denegatur, quia ut plurimùm monstra sunt ex omnium scelerum colluvione concreta, seu perditissimi sunt homines, qui nec Deum, nec homines reveriti nihil antiquius habuerunt, quam ut ex aliis alia peccarent, & in omnium fortunas & vitam intrepidè grassarentur. Unde nihil est in iis, quod non ab animi præparatione ad debitam Eucharistiæ perceptionem necessariâ penitus abhorreat. Si enim S. Cyprianus, ut patet ex Epistolâ ad Antonianum inscriptâ, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum, & manifestâ lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omninò censuit a spe Communionis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum.

Si, inquam, ita censuit & prædicavit S. Cyprianus de iis, qui reconciliationem in extremâ vitæ lineâ postularent; an Eucharistiæ Sacramentum porrigendum crederet iis, quorum vita nihil aliud extitit ut plurimùm quam series ex omnium flagitiorum importunitate conflata?

Tertia ratio hujus rei ducitur ex ipsorum reorum consternatione, quæ ut plurimùm eos de omni gradu ita dejicit, ut ab omni ratione & sensu deserti esse videantur. Cùm igitur ad eas redacti sint angustias, in quibus de Christo Domino, (qui in v. Sacramenti perceptione sui memoriam recoli, celebrarique jussit) cogitare nequeant, jure ac meritò ipsis denegatur Eucharistia, quam haud dubiè in suam perniciem, vel certè sine ullo fructu perciperent. Reverà vel rescivere se capitali judicio addictos esse, vel ignoravere.

Si rescivint se brevi morituros, jam eos mortis mox oppetendæ metus exanimat, & de omni rationis usu deturbat, ergo tunc non est ministranda illis Eucharistia. Si enim (ut ostendimus supra) hebetudo & evagatio mentis ex peccatis carnalibus orta virum libidinosum Communionis accessu prohibet & prohibere debet ex omnium Theologorum consensu an quispiam sacram Communionem hominibus metu exanimatis, & ab omni ratione pariter & pietate derelictis impertiendam esse judicabit?

Si autem nesciant se capitali supplicio plectendos, nec ipsis etiam confessis concedenda est Eucharistia. Nam hujusmodi cruciarij (quandiu aliqua libertatis & vitæ spes ostenditur) omnia peccata propter quæ sese capite damnandos existimant, cælare, dissimulare, negare solent, utpotè qui sua illa crimina judicibus ab Confessariis indicari, patefierique metuant. Unde sine sacrilegio non confiretur, quod quidem ad denegandam iis Communionem sufficit.

Quarta ratio petitur indè quod hujusmodi reis, vel eodem die quo sunt ultimo supplicio plectendi, vel alio venerabile Sacramentum porrigeretur, sed neutrum videtur asserendum. Nam si eodem die, quo condemnantur, & interficiuntur, Corpus Christi percipiant, maxima tali facto eidem Christi Corpori videtur irrogari contumelia; siquidem trajectum fuerit in corpus omnibus fortè libidinum generibus dedecoratum, plurium hominum cæde & sanguine respersum, omnium denique flagitiorum horrore inquinatissimum, & (quod magis ad rem nostram facit) implacabili tortoris manu cum omni dedecore & ignominiâ tractandum, & in prædam avibus & immanibus belluis authoritate publicâ tradendum: quæ omnia in Christi Corpus, quod forsan speciebus adhuc integris in patibulati cadavere superest, redundant, & supra quam dici potest, dedecorant.

Si autem alio die, recurrit ratio superiùs allata, quâ diximus Cruciarios gravium scelerum & ultimo supplicio expiandorum sibi conscios, sese inter confitendum novo flagitio, immani nempè sacrilegio anteactæ vitæ facinora cumulare solitos, utpotè qui crimina morte plectenda suos Confessarios, ne illa prodant judicibus, celare soleant.

Afferuntur rationes quibus Eucharistia capite damnatis concedendæ praxis probabiliter astruitur.

PRima hujus rei ratio petitur ex 13. q. 2. c. Quæsitum est, &c. Hujus c. verba sunt: Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post Confessionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & Missæ celebrandæ, an non?

Quibus respondimus, Si omnibus de peccatis suis puram Confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine secundum Canonicum jussum danda est: cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim, non vindicat Deus bis in idipsum. Hæc ibi.

Reverà in Concilio Moguntino Ann. Redempt. 848. celebrato, quæsitum est ab nonnullis, utrum reis capite damnandis administrandum esset pœnitentiæ Sacramentum, & preces pro iis offerendæ, & Missæ celebrandæ, responsum est ut patet ex c. 27. ita fieri oportere, sicut & iisdem dignè pœnitentibus Communionem porrigendam esse.

Idipsum statuit Concilium Vormaciense, c. 80. sicut Concilium Triburiense c. 31. Hunc ipsum Canonem ex Concilio Moguntino recitat Ivo Decreti p. 14. c. 124.

Secunda ratio petitur ex Italiæ praxi, in quâ Canones proximè citati viridi semper observantiâ viguerunt, ut patet ex motu proprio Pii Papæ V. quo quidem confraternitas quæ ab misericordiâ in reos ab Confratribus exerceri solitâ, nomen induit, confirmata est ann. sal. 1569.

Tertia ratio petitur ex praxi Hispanorum, apud quos cum Eucharistiæ reis denegandæ consuetudo, per aliquod tempus viguisset, volventibus tamen annis exolevit, ut observatum est ab Sylvio in 3. p. q. 80. art. 6. sub tit. quæritur 10. qui dicantur manifesti, seu publici peccatores.

Quarta ratio indicatur ab Toleto Instruct. sacerd. lib. 6 c. 16. ubi contendit eos qui capite damnantur, non esse Eucharistiâ privandos: omnia, inquit, omnes conditiones ad legitimam Communionem necessarias habere possunt.

Has autem conditiones enumerat, Confessionem scilicet mundiriem, seu ab criminosâ pollutione immunitatem, debitam denique præparationem positam.

1o, In fide quâ hujus mysterij excellentia credatur, & cibus ille spiritualis ab cibis communibus secernatur.

2°. In judicio ut communicaturus excutiat intimos conscientiæ recessus, ut etiam ab veniali peccato, si fieri possit, repurgatus communicet, aut saltem doleat de omni culpâ & imperfectione suâ.

3°. In reverentiâ, quia Christum sumpturus accedit; & in amore, quia summum ab eo beneficium accepturus ad illum accedit: tunc ergo quis bene paratus erit, si præfatas conditiones habeat, id est, fidem, judicium, seu strictam suæ conscientiæ discussionem, & denique reverentiam & amorem, quo Christum in Eucharistiâ percipiat & amplectatur.

Quia igitur quotquot capite damnantur, dictas conditiones habere possunt, ideò sunt ad sacram Communionem admittendi, ait Toletus. Undè & subjicit, optimè fieret, si in locis, in quibus non est talis consuetudo, ea introduceretur deinceps; nam in antiquis Canonibus hoc habetur præceptum, ut patet 13. q. 2. c. quæsitum, & cap. super eo, de hæretic. in 6. Hæc ille.

His ita positis, & in utramque partem disputatis, quæritur quid sit potiùs sequendum in praxi?

Respondeo 1°, absolutè loquendo reos capite damnatos posse sacrâ Corporis Christi Communione impertiri: Id enim ab tribus Conciliis Moguntino scilicet, Vormaciensi, & Triburiensi constitutum est, ita tamen ut id debito fiat modo, id est, hujusmodi hominibus porrigatur Corpus Christi non promiscuè, sed iis dumtaxat, quos Sacerdos animadverterit dignè pœnitentes. Quod cum rarò reperiatur inter hujusmodi reos, rarò etiam ad Communionem admitti debent, propter rationes quas supra recensuimus.

Respondeo 2°, si Communio præfatis hominibus præbeatur, non esse præbendam illo ipso die, quo capitali supplicio sunt afficiendi: ut monet S. Carolus in Concilio Mediolanensi V.

Respondeo 3°, videri tutiùs tales reos privare sanctâ Communione, ne aliquid reverentiæ tanto Sacramento debitæ detrahatur.

Respondeo 4°, unicuique Sacerdoti retinendam esse consuetudinem vigentem iis in regionibus & locis in quibus commoratur: talis siquidem consuetudo si non omninò, magnâ saltem ex parte vim legis obtinet, atque adeò illi (nisi gravissimæ interveniant causæ) derogari non debet.

Utcumque sese res habeat, juvat hîc compellare Sacerdotes iisdem verbis, quibus eos ad vigilantissimam & circumspectissimam venerabilis Sacramenti dispensationem sanctus Joannes Chrysostomus adhortatur. Ad hanc mensam, inquit, nullus crudelis adeat, nullus immisericors, nullus impurus quovis modo: Hæc tam ad vos qui communicatis, quàm ad vos qui ministratis, dicta esse volo: Oportet enim etiam eadem ad vos dicere, ut magno studio & diligenti curâ dona hæc distribuatis. Non enim parva vobis imminet pœna; si quem aliquâ improbitate teneri scientes, et hujus Mensæ participationem permittatis. Sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Si dux igitur quispiam, si Consul ipse, si qui diademate ornatus, indignè adeat, cohibe ac coerce, majorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidissimus aquæ fons, ut intactum gregi servares, tibi commissus esset, cum periculosos sues ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluenta illos descendere, nec fontem ab his perturbari: Nunc verò cum non aquæ, sed sanguinis & spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos homines accedere videbis, non indignaberis, non prohibebis? Et quam veniam hujus contemptûs consequeris? Idcircò vos Deus tanto voluit honore decorare, ut hæc diligentissimè discerneretis. Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non ut tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis. Sed undè, inquies, ego illum atque illum, qualis sit, cognoscere possim? Non de ignotis, sed de notis hæc dispuro. Dico horribile quoddam atque tremendum: Non est ita malum dæmoniacos intùs esse, sicut istos, qui peccatorum sordibus polluuntur: quos, ait Paulus, Christum conculcare, & testamenti sanguinem ducere communem, & spiritus gratiam contumeliâ afficere. Multò igitur dæmoniaco, pejor est qui peccati sibi conscius accedit: Illi enim, quia à dæmone vexantur, non puniuntur: qui verò indignè accedunt, æternis tradentur tormentis. Omnes igitur simpliciter repellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo sicut Judas panem assumat, ne similia patiatur. Corpus Christi etiam hæc multitudo est: quare cavendum tibi est, qui hæc mysteria ministras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas: sed siquidem aliquis præ vecordiâ & amentiâ mensam adiverit, nullo timore territus abjice: Deum non hominem timeas: si hominem times, ab eo ipso quem times, derideberis: Sin verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. Quod si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ita fieri; animam potiùs tradam meam, quàm dominicum alicui corpus indignè, sanguinemque meum effundi potiùs patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam. Quod si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si multam priùs adhibueritis diligentiam. Nam hæc mihi de notis ac manifestis disputata sunt, quibus emendatis, citò nobis Deus etiam ignotos nobis manifestabit. Sin verò notos admittemus, quâ de causâ ignotos nobis notificabit? Hæc mihi dicta sunt, non ut coërceamus solùm & excidamus, sed ut corrigamus & reducamus, & curam omnium habeamus: Sic enim & Deum nobis propitium faciemus, & eos multiplicabimus qui dignè communicare possint, ut tam proprii studii ac diligentiæ, quàm piæ in alios curæ magna præmia consequamur gratiâ & misericordiâ Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Hactenùs S. Joannes Chrysostomus homil. 83. in Matth.

Quæstio XVIII.

Undè fit ut Sacerdotes ex frequenti celebratione, & sæculares ex frequenti Communione tam exiguos vel nullos fructus percipiant?

Respondeo primam hujus rei causam refundendam esse in varios obices, quibus tanti Sacramenti efficaciam Sacerdotes pariter & sæculares oppugnant, & in semetipsis periment. Quos obices, ut omnes removeant, hîc recensere operæ pretium est.

Primus est, natura immortificata & inordinata, quæ cum amore & delectatione rebus creatis inordinatè adhæret. Hac qui præditi sunt, citò temporalium, sive undecumque accidentium rerum odio vel amore permoventur: sicque Dei dilectionem amittunt, & in suis vitiis ac passionibus immortificati perseverant.

Secundus est amor privatus, propria voluntas, propriùs sensus & propria quæsitio, quæ sæpè pacem auferunt & corda dividunt. Quisquis enim Deum super omnia etiam supra seipsum non diligit, nec intendit, ille divini honoris, virtutum omnium ac ipsius Dei incuriosus ad seipsum, ad suum videlicet commodum, honorem, delectationem semper reflectitur, atque à diversis tentationibus nullo negotio superatur.

Tertius est quod per sensus nimis facilè extrovertimur, humanâ societate delectamur, in verbis superflui sumus, & absque necessitate multis nos ingerimus ac immiscemus, quæ utique secreta Dei familiaritate ac dulcedine nos privant.

Quartus est, quod vehementes, impetuosi, audaces sumus, minoresque culpas ac defectus parvipen-

dimus, per quæ cordis puritatem & pacem amittimus.

Quintos eſt quod de virtutibus ac bonis operibus, quæ tamen revera noſtra non ſunt tanquam à nobis, cito nimis cum vanâ complacentiâ ac propriâ reputatione exsollimur, & ex ſuperbo fundo ab aliis quoque in pretio haberi appetimus, quò ſanè veram humilitatem perdimus, & à Deo ſæpè relioqui meremur.

Sextus eſt quod ad judicandum viſa vel audita, ad ſuſpiciones quoque malas & invidiam nimis proni ſumus: quod fraternam in nobis deſtruit charitatem.

Septimus eſt quod in oratione pigri ac tepidi ſumus: & per hoc intima ad Deum ſuſpiria, deſideriaque amittimus.

Octavus eſt quod fundum noſtrum intùs minimè obſervamus, neque divinis inſtinctibus per noſtri ipſorum abnegationem conamur ſatisfacere, nec vivâ quadam cum ſtrenuitate divinæ præſentiæ aſſiſtimus. Et quia mentem noſtram à ſimplici illo lumine, quod in nobis eſt, averteotes, ad multiplicitatem extrovertimur, idcircò nec à Deo illuminamur, nec nobis ipſis innoteſcimus, intuſque multiplices ac inſtabiles, foris autem in ſenſibus inexplebiles permanemus.

Nonus eſt quod cuncta opera noſtra magis ex bonâ conſuetudine, quam interno affectu, ſive ſentire interno perficimus, pluriſque æſtimamus ſingulares quoſdam modos, ſive inſtituta, bonorumque operum magnitudinem ac multiplicitatem, quam puram intentionem ac ferventem Dei amorem: ideòque nec experimur, quomodo Deus ipſe cum plenitudine gratiæ ſuæ commoveretur in nobis.

Decimus eſt quod ea quæ à ſolo Deo accipere deberemus, à creaturis ſuſcipimus; multaque in hujuſmodi electione ac ſollicitudine diſtendimur, nec Deo verâ cum fiduciâ innitimur: Quò ſanè fit ut numquam veram reſignationem, numquam veram pacem cordis obtineamus.

Hujuſmodi obices totidem verbis percenſet Joannes Thaulerus in Inſtit. cap. 5. qui & ibidem ſuppeditat adjumenta iſtis obicibus contraria, & ad rectè Chriſtianéque vivendum idonea, & ad ineundam præparationem, quâ dignè Corpus Chriſti percipiatur, apprimè conducibilia, quæ quidem cum omnibus hominum generibus prodeſſe poſſint, hîc ea exhibere non pigebit.

Adjumenta quibus obices animi propulſari poſſunt, ut ex Euchariſtiâ percipiantur fructus qui ab viris optimè diſpoſitis percipi ſolent.

PRimum eſt, Quod homo in omnibus purè Deum ſuum intendet, ſeſe omni tempore abnegabit, nec in ullâ re quæret ſeipſum.

Secundum eſt, Quod omnia in melius interpretabitur, & ex cunctis, quæ vel videre, vel audire contigerit, ſuæ capies ſalutis augmenta.

Tertium eſt, Quod omnes homines communi dilectione proſequetur, omnes fratrum habebis loco, nec aliud abſens quam præſens de ullo loquetur.

Quartum eſt, Quod omnia de ſolâ manu Domini ſuſcipiet, eique ſe cum creaturis omnibus offerens, cuncta in illum in perenne ſacrificium, perpetuamque referet laudem. Sicque Deus ei vicem reddet, & ipſe in omnibus pacem inveniet.

Quintum eſt, Quod pacificos eris & patiens in eis, quæ Deus ei toleranda miſerit, ita ut nec de Deo, nec de hominibus ullo pacto queſator ſibi aliquid minùs aut graviùs obtigiſſe: ſed in omnibus contentus ſine ullâ intrinſecùs electione in eiſdem æquanimis perſiſtet, & ita pace ac gaudio perfruetur.

Sextum eſt, Quod ſic totus diſpoſitus ac ordinatus erit, ut ipſe Dei ſis totus in omnibus, & Deus illi viciſſim ſit omnia in omnibus: Deumque in cunctis creaturis, & creata omnia in Deo cognoſcat, diligatque, creatoras quoque omnes nobiliſſimo modo aſpiciet, capietque ſicut videlicet ex Deo ſuâ profluxere origine.

Septimum eſt, Quod puram, expeditam, incommutabilem mentem ſuper omnia caduca ac tranſitoria in Deum ſublevatam habebit, ſemperque ſolus, unicus, indiviſus in ſeipſo, & conſtans ac devotus perſeverabit in exercitiis ſuis: Deoque omnipotenti cum amore, cunctiſque viribus ſuis totùs inhærebit, ita ut omnibus hominibus virtutum ac ſanctæ vitæ exempla præbeas in ſeipſo, & univerſos in Deum verbis, operibus, modis ac vitâ reducas, dirigatque.

Erit prætereà ſpontaneè pauper, in adverſis patiens, voluntatem propriam abnegabit, Deo ſine medio obediet, & amore proſequetur etiam inimicos. Hæc enim divinum amorem, omnemque ſpiritualem vitam in homine latentem manifeſtant.

Hactenùs Thaulerus loco citato, cujus ipſiſſima verba referre placuis eo nomine quod doctrinam à nobis ſuperiùs & uberiùs explicatam continerent, & prætereà paucis diſpoſitiones ad Euchariſtiam ritè percipiendam ab Patribus explanatas, & à nobis anteà recitatas comprehenderent.

Altera cauſa exigui profectus, quem vel Sacerdotes ex frequenti celebratione, vel ſæculares ex frequenti etiam Communione percipiunt.

HUjuſmodi cauſa petitur ex obliquis & tortuoſis finibus, quos ſibi vel Sacerdotes in celebrando, vel ſæculares in communicando præſtituunt.

1°, Enim nonnulli Sacerdotes mercenarii, qui Sacerdotium veluti populare quoddam opificium capeſſere non erubuerunt, illecti decem aſſium mercede extrinſecùs lenocinante, celebrant, ita tamen ut niſi hac mercedulâ pollicerentur ad celebrandum, nuſquam vel raró admodum celebrarent. Et hi receperunt mercedem ſuam: quippè qui inſtar Judæ proditoris Chriſtum, ſeu divina myſteria venditant.

Tales Presbyteros ultimis imprecationibus proſequitur & onerat S. Bonaventura in Tractatu de præpatat. ad Miſſam, cap. 8. quem locum, etſi alibi retulerimus, Hic deintegrò repetere juvabit, ut Sacerdotes, de quibus ſermo eſt, eum intuendo miſerabilem, in quo degunt, ſtatum, & erubeſcant & horreant. Eo igitur loco ita loquitur Seraphicus Doctor.

Primò, inquit, vide quid deſideres, ne propter avaritiam aut tumorem, aut vanam gloriam, aut conſuetudinem, aut alicujus mondanæ complacentiæ, aut temporalis favoris causâ accedas: ſicut multi diebus iſtis abutuntur ad ſui perditionem, quod datum eſt ad ſalutem. Væ, væ, væ. Domine Deus, quanti hodiè infelices ad ſacros Ordines accedunt, & divina myſteria accipiunt, non cæleſtem panem, ſed terrenum quærentes, non ſpiritum, ſed lucrum: Non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem: Non ſalutem animarum, ſed quæſtum pecuniarum: Non Chriſto ſervire mundo corde & corpore in ſacris myſteriis, ſed delitiari, ditari, ſuperbire, & luxuriari de patrimonio Chriſti, & de eleemoſynis pauperum, ac Eccleſiaſticas dignitates ambiendo multis litigiis, & ſimoniis potiùs rapiunt quam aſſequantur non vocati à Deo, ſed impulſi à Diabolo, tamquam Dathan & Abiron. Tu autem, homo Dei, dirige vota tua & deſideria ad Deum, & vide quibus affectionibus & deſideriis trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda.

Hiſce verbis ſanctus Bonaventura indicat pravos nefarioſque fines, quos aliqui in celebrandis myſteriis ſibi conſtituunt, & diris increpationibus proſequitur eos qui vel avaritiæ, vel ſuperbiæ, vel denique ſuæ

libidinis

libidinis explendæ gratiâ Sacerdotium capessunt & dedecorant, & toto vitæ mercenariæ curriculo sacris operantur.

2°, Sæculares plerique omnes tortuosos fines & illicitos sibi suis in Communionibus præfigunt. Alii enim communicant ut ab hominibus videantur, & sibi apud illos nomen faciant, quales sunt nonnulli Politici, qui ut ad aliquam dignitatem ex populorum suffragiis aptam & suspensam, vel ad pinguiorem fortunam ascendere valeant, ad Sacramenta frequentiùs accedunt, & hoc pacto populares auras aucupantur. Id autem vitiosum est, imò criminosum. Nam licet non sit culpa benefacientes videri, est tamen grande peccatum velle videri ad colligendam hominum existimationem & laudem. Quod ideò damnavit Christus Jesus, Matth. c. 6. à v. 1. ad 7. Nihil ergo mirandum est si hujusmodi homines nullum percipiant fructum ex Eucharistiâ, quam humanæ & fugacis gloriæ desiderio in suam perniciem convertunt.

Alii Corpus Christi percipiunt, vel frequentiùs, vel rariùs, ne sibi aliquam aspergant infamiæ notam & hominum indevotorum, & vix Deum, nedum in Deum credentium numero populari judicio & famâ reponantur.

Alii devotiores sui commodi dumtaxat gratiâ communicant, & hi non omnes, imò exiguos ex v. Sacramento fructus percipiunt.

Hac de re audire juvat Joannem Thaulerum serm. 4. in fest. v. Sacramenti: Sunt præterea, inquit, spiritualia quædam divini influxûs impedimenta, ut quod homines seipsos dumtaxat in hujus dignissimi cibi sumptione quærunt, sui videlicet consolationem, devotionem sensibilem, & bonam pacem, quibus si frustrarentur, haudquaquam accederent. Hi ergo seipsos potiùs, licet occultè, quam Deum quærunt. Sed quid facit eis Deus? Sæpenumerò quò ad sese redeant, gravia illis extrinsecùs adversa, & intus pressuras intolerabiles, ut quasi infernum sibi sentire videantur, evenire permittit. Qui verò nihil horum patiuntur, certi sunt horribile se purgatorium experturos. Isti semper in eodem luto hærent, nec aliquem in veris virtutibus faciunt profectum. Sic etiam aliqui boni homines adeò cæco quodam timore tenentur, ut si non sensibilem amoris ardorem, aut grandia opera intra se sentiant, quamvis notabile aliquod nesciant impedimentũ, accedere non ausint, qui & ipsi ad altiora non proficiũt.

Illi autem præclarissimos Sacramenti hujus fructus & effectus uberius assequuntur, qui fundum & intentionem puram habentes, super Dei misericordiâ accedunt, illius relinquentes arbitrio, utrum dare vel auferre velit: nec ideò abstinent, si nullam devotionem sensibilem percipiant, sed Deo suo tamquam in inopiâ, quam abundantiâ spirituali, plenâ cum fiduciâ se totos credunt & inhærent eidem. Isti in Deo nascuntur, & Deus in eis. Et si aliquod in eis impedimentum, ut huic exilio proprium est, intus vel foris occurrat, celeriter inde se avertunt, nec illi immorantur diutiùs, multum se circa illud occupando, seque scrupulosiùs reprehendendo; sed Deum amant & intendunt, nec Dei dona, sed ipsum potius respiciunt Deum: cunctaque de illius manu suscipientes, eadem in ipsum refundunt. In his ergo venerabile Sacramentum mirabiles & præclarissimas operatur illuminationes, nec aliquid æquè ipsorum profectum promovet, ut hujus perceptio Sacramenti.

Enimverò possent isti cum tanto fervore & strenuitate ad hoc Sacramentum accedere, ut si impræsentiarum eum charitatis obtinerent gradum, quod post mortem suam, in primum Angelorum ordinem evolarent, vel unico hoc accessu consequerentur, ut in secundo, vel tertio, vel quarto ordine Angelorum collocarentur; Imò tam crebrò hac possent ratione accedere, ut per hunc modum ad supremum Angelorum Chorum sublevarentur. Verum hoc ipsi nec desiderare, nec ex intentione quærere debent, sed solum dumtaxat gratissimum Dei beneplacitum & honorem. Hæc ille loco citato, qui & subdit saluberrimum hoc monitum. Animum nos masculinum assumere atque spontè, viriliterque ab omni nos creaturâ mortali avertere, & ad Deum Creatorem ex toto convertere oportet. Alioqui nulla nostri profectûs spes superest. Hæc ille.

Quod si nos ad saluberrimum istud Thauleri monitum componeremus, rectos tantum fines nobis in Communione proponeremus, & ex venerabili Sacramento immensum, inexplicabilemque meritorum, spiritualiumque gratiarum & fructuum messem cum inenarrabili gaudio perciperemus.

Propositis finibus, quos sibi nonnulli Sacerdotes celebrando, & sæculares communicando perperàm constituunt, juvat percensere fines honestos, & verè Christianos, quos utrique sibi præstituere possunt. Hosce fines luculenter edisserit sanctus Bonaventura in citato Tract. de præp. ad Missam, c. 8. his verbis.

1°, Te trahet conscientia & remorsus delictorum sperans per eum, quasi per hostiam oblationis, ab omni peccato purgari.

2°, Tuæ infirmitatis intuitus & consideratio, ut eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate defendaris.

3°, Pressura alicujus tribulationis, & per eum qui omnia potest, ab omni adversitate citiùs libereris, & protegaris.

4°, Desiderium alicujus gratiæ, vel spiritualis beneficii impetrandi, ut per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas.

5°, Gratiarum actio pro omnibus beneficiis temporalibus & spiritualibus tibi & aliis impensis, cum nihil habeamus Deo retribuere pro omnibus quæ retribuit nobis, aliud quam Calicem salutaris accipere, & sacrificare hostiam laudis, id est, Jesum Christum.

6°, Charitas & compassio proximorum, cum pro salute vivorum, & requie defunctorum, nihil efficaciùs interpellet, quam Christi Sanguis effusus in remissionem peccatorum.

7°, Laus Dei & Sanctorum, cum nihil habeamus quo possimus Deum & Sanctos pro suâ dignitate laudare, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre & immolare.

8°, Dei amor & dilectio, & cum invites ad te, ac per invisceratione spiritualis refectionis in teipso eum delectabiliter amplexeris.

9°, Sitis & desiderium augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum & sanctificationum, & authorem continet salutis Dominum nostrum Jesum Christum, ideò dicitur Eucharistia, id est, bona gratia. Cætera verò Sacramenta fluenta sunt & rivuli gratiarum, quibus sanctificamur.

10°, Ardor & suspirium, quo totis visceribus virtute hujus excessivæ charitatis & dulcissimæ refectionis, cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & eripi ab omnibus periculis & tentationibus, ac inseparabiliter uniri Christo Salvatori, & conservari in ipsius amore. Unde inquit Christus Patri: quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, illi sint mecum, & sint unum, sicut & nos sumus, ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum. Hactenus S. Bonavent. in tract. de præpar. ad Missam. cap. 8. citato.

Porrò Sacerdos celebraturus uniri Christo Domino summo Sacerdoti ardentissimè concupiscat in unione illius admirabilis Sacrificii, & quod ipse Christus in Cœnâ instituit, & in Cruce consummavit, factus Sacerdos suæ victimæ, & sui Sacerdotii victima, toto amoris impetu offerat illud ipsum Sacrificium æterno Patri ad maximam ejus laudem & cultum & gloriam, in protestationem supremæ ejus excellentiæ, & summi in omnes creaturas imperii, & nostræ subjectionis, & perpetuæ ab ipso dependentiæ; in cultum latriæ illi soli debitum cum omnibus intentionibus, tam cognitis

quam ignotis quas Christus Jesus ab primo jam tum suæ Incarnationis momento sese illi ipsi æterno Patri, & per singula totius vitæ divino-humanæ, & humano-divinæ momenta offerendo, & eamdem ipsam oblationem oppetitâ morte in Crucis arâ consummando habuit.

Cum tali desiderio quo Sacerdos sese arctissimam cum Christo sacrificante societatem & unionem deperire testificabitur; ita ut nihil quærat præter gloriam Dei, & unigeniti ejus Jesu Christi, cum sanctâ fiduciâ offeret fidelium Sacrificium in honorem & memoriam vitæ, passionis, mortis, resurrectionis, & ascensionis ejusdem Christi, & in obedientiam mandati, quo præcepit ut idem, quod ipse obtulerat Sacrificium, in ejus commemorationem offeremus.

Si ita se gerat Sacerdos, seseque ipsum cum incruentâ Christi oblatione, veluti Hostiam sacram, Deo placentem, cum obsequio rationabili juxta Apostoli præceptum offerat, erit verus Christi Sacerdos: illi ut suo capiti adunatus, & ad intimam Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, tam in cœlo triumphantium, quàm in terris militantium, Communionem procul dubiò admittetur.

Quæ omnia, ut consequatur Sacerdos, adhibere poterit hanc orationem multò devotissimam, quam suis in Confessionibus toti Ecclesiæ tradidit sanctus Augustinus.

„ Quomodo, inquit, nos amasti, Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? Quomodo nos amasti? Pro quibus ille non rapinam arbitratus esse, æqualis tibi factus est subditus usque ad mortem Crucis, unus ille in mortuis liber potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterùm sumendi eam: pro nobis tibi victor & victima, & ideò victor, quia victima: pro nobis tibi Sacerdos & Sacrificium; & ideò Sacerdos, quia Sacrificium: faciens tibi nos de servis filios de te nascendo nobis serviendo. Meritò mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, multi sunt & magni, sed amplior est medicina tua.

„ Ecce Domine jacto in te curam meam, ut vivam, & considerabo mirabilia de lege tuâ. Tu scis imperitiam meam & infirmitatem meam: doce me & sana me. Ille tuus unicus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi: quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo inter illos qui edunt & saturantur, & laudant Dominum, qui requirunt eum. Hactenùs sancti Augustini verba quæ legere est libro Confessionum X. cap. 43. & ejus libri ultimo.

Quod si Sacerdos sese pro suarum modulo virium ad tanti mysterii celebrationem disposuerit, haud dubiè unitus Christo Domino, cujus personam inter celebrandum sustinet, percipiet immensam illam gratiarum messem, quam Christus Jesus diligentibus se, & dignè Deo communicantibus præparavit.

Tertia causa ex quâ existit vel nullus, vel exiguus Communionum frequentiorum fructus, tam respectu Sacerdotum, quàm respectu secularium.

JOannes Bona Cardinalis, in Tractatu Asceticu de Sacrificio, cap. 6. §. 7. Talem penuriam fructuum & gratiarum inopiam, quâ laborant plerique, tam Sacerdotes, quàm sæculares, refundit in plurium, tam Sacerdotum, quàm Laicorum, terram & detestabilem irreverentiam, quæ eò procedit audaciæ & impudentiæ, ut multi Sacerdotes statim atque peregere sacrum, & sæculares, ubi primum Christi Corpus excepere, ad externa defluant, nec Sacramentum, suam in seipsis virtutem exerere patiantur.

Nam ut asserit Cardinalis Cajetanus, hoc Sacramentum suam vim impendit animæ recipientis non solum cum reipsa suscipitur; verum etiam toto illo tempore, quo v. Sacramenti species integræ in hominis pectore perseverant Tunc enim implacabile peccati odium in animis ingenerat, tunc vires ad obterenda peccata suppeditat, tunc auget gratiam, tunc rerum terrenarum fastidium parit, tunc ad rerum cœlestium amorem, & ardentius desiderium animos accendit, tunc intellectum divinæ charitatis radiis perfundit, inflammat affectum, confert animæ & corpori puritatem, tunc denique conscientiam pace & lætitiâ diffundit, & fideles ad inseparabilem cum Deo & Christo Jesu unionem provehit.

Cum tot & tanta gratiarum genera conferat mirabile Sacramentum, cur post frequentem celebrationem & Communionem tot Sacerdotes & tot Laici non potiuntur effectibus?

Ratio inde petenda est, quod plerique omnes tantum Dominum ad se venientem indignè & irreverenter excipiunt, non enim cum ipso colloquuntur, non adorant, non gratias agunt, econtrà illum veluti despicatissimum quempiam hominem, suas in ædes ingressum deserunt, & ne suo quidem alloquio dignantur.

Si Deus numquam deserit, quin prius deseratur, ut ait Concilium Trident. post S. Augustinum, quid mirum est, si tales & Sacerdotes & Laici deseruntur à Christo, quem ipsi priores suo in pectore præsentem animaævertendâ irreverentiâ dicam, an impudentiâ deseruerunt? Quid mirum, inquam, si priventur iis gratiis & beneficiis, quibus fideles Christum Dominum in Eucharistia susceptum debitâ reverentiâ prosecuti, affici & cumulari solent.

Ludovicus Granatensis Tract. 3. sui memorialis c. 5. de Sacerdotibus (quod & de pluribus Laicis affirmari potest) nihil ex continuatis plurium annorum Sacrificiis proficientibus conqueritur his verbis: Multorum, inquit, Sacerdotum increpanda est audacia, siquidem nullâ prævià præparatione, ubi primum sunt accersiti, surgunt, sese ad celebrandum conferunt, inter eundum confabulantur, jocantur, rident, vel alia quæpiam negotia temporalia taciti meditantur, & se sistunt ad Altaria panem Angelorum manducaturi eodem planè animo, quo ad vulgarem mensam communi pane reficiendi accumberent.

Et indè fit, quod evoluto tot annorum curriculo quo cælestem hanc medicinam percipere perrexerunt, nullum ex eâ commodum reportarunt. Nam si quoties sacro-sancta Missæ mysteria peregerunt, perciperent notabilem quamdam gratiæ accessionem totis viginti annis ingentem cælestium gratiarum thesaurum & acervum haud dubie collegissent.

Quod quidem in ipsis non deprehenditur, siquidem in eodem semper luto hæreant, quippe qui semper sint sensuum voluptatibus addicti, non majori quam antea pietate præditi, imò sæpius in deteriorem statum devoluti cernantur & appareant. Quid igitur mage metuendum est quam quotidie ad gratiæ fontem, ad Angelorum Mensam, ad omnium remediorum officinam sese sistere, & post tot annos exarescere ut antea, & eadem semper inediâ confici, & eadem virium infirmitate perpetuò conflictari. Hactenus Granatensis loco citato.

Ne igitur in hanc incidamus culpam, & careamus divinis muneribus & gratiis, quibus Christus Jesus digne communicantes afficit, peracto Sacrificio Sacerdotes sicut & perceptâ communione sæculares quinque præstare debent.

1°, Varios virtutum actus exercere debent in Christum, quem in se præsentem habent.

2°, Quantas maximas gratiarum actiones illi ipsi, & per ipsum Deo Patri propter tantum beneficium, seu propter ejusdem Christi Corpus in Eucharistiâ susceptum, agere debent.

3, Sese offerre velut hostiam Christo Domino, & per ipsum æterno Patri in honorem & unionem Sacrificii, quod in arâ Crucis consummavit, & in toto terrarum orbe ab Sacerdotibus ritè ordinatis usque ad consummationem sæculi recoli, celebrarique voluit.

4°, Eidem Christo, veluti præpotenti Medico, suos languores debent aperire, & intimos animi recessus & latebras nudare, & ab ipso pati ad humilitatem ardore flagitare remedia, quibus vitia suas in animas grassantia comprimi valeant. Tunc ipse eos profectò exaudiet, si petant eum flagranti amoris impetu. Nam apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor. Undè Cassiodorus in Psal. 16. ipsius est oratio perfecta, cujus & causa clamat & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio. Hæc ille.

5, Concipiet Sacerdos propositum dignè Deo & coram Deo ambulandi.

Omnia ista præstare debent Sacerdores & Laici, prout illis sua pietas, & erga Christum gratitudo cum ingenti veneratione conjuncta suggeret. Sed præsertim in humillimas & amantissimas gratiarum actiones eos incumbere necesse est. Cum enim istud Sacramentum ab ipso Christo gratias agente, & ad agendas gratias sit institutum; & ab gratiarum actione sit denominatum, maximæ ingratitudinis reatum admittit quisquis illud sine gratiarum actione suscipit.

Agendæ sunt igitur Christo Domino gratiæ, eo præsertim tempore, quo illum in nobis residentem agnoscimus, Est enim gratiarum actio Sacrificium, quo (si ipsius Christi Sacrificium quotidiè nostris in aris exhibitum exceperis) vix ullum præstantius Deo Opt. Max. impendi valeat. Undè sanctus Augustinus eum D. Pauli exemplo hanc vocem (*Deo gratias*) frequens usurparet, ut constat ex disputat. 2. contra Fortun. in fine, ex lib. 2. contra Petilian. cap. 54. & cap. 99. & ex lib. 3. contra Crescon. cap. 54. author fuit, ut eadem vox apud omnes passim frequentaretur, & potissimùm apud suos. *Nam quid melius*, inquit, *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Hactenùs sanctus Augustinus Epist. 77.

Quomodo autem gratias agere oporteat, docet S. Joannes Chrysostomus homil. 19. in cap. 5. ad Ephesios. *Inteadamus*, inquit, *gratiarum actionem non verbis, neque linguis, sed rebus & factis, & cogitatione & corde. Totâ animâ agamus illi gratias. Magis enim nos diligit quam qui nos genuerunt.* Hæc ille.

Agamus igitur gratias Christo Domino, & per illum Patri æterno, pro beneficiis quibus & totum genus humanum, & nos nominatim, licet indignissimos affecit; pro beneficiis, inquam, innumerabilibus, quibus ad hanc usque diem nos tam in naturæ, quàm in gratiæ ordine cumulavit, & per singula momenta cumulare non desinit. Non enim omnia ejus beneficia novimus, aliqua quidem perspecta habemus, & cognita, sed alia sunt arcana & nobis ignota, quæ quidem tot & tanta sunt ut ea nemo, vel Angelus, vel homo complecti orando, & percensere numerando valeat.

Pro cognitis igitur & ignotis grates referamus, sed Christo per Christum, & nos divinâ liberalitate & munificentiâ superari, atque adeò gratiis referendis impares esse fateamur. Offeramus igitur Christo & æterno Patri omnes gratiarum actiones ipsi ab ipsomet Christo persolutas, insuper omnes gratiarum actiones addamus, quas beata Virgo & omnes Sancti, tam in cœlo quam in terris hactenùs persolverunt, & per totam æternitatem in cælesti gloriâ sunt persoluturi.

Imprimis gratias agamus Deo, quod nos ab pluribus piaculis, quibus implicari poteramus, sartos tectos conservaverit.

Dicamus cum sancto Augustino: "Diligam te Domine, & gratias agam, & confitear nomini tuo: quoniam tanta dimisisti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala, quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? & omnia mihi dimissa esse fateor; & quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci." Hactenùs S. August. lib. 2. Confess. cap. 7.

De his hactenùs. Ut igitur finem imponamus quæstionibus ad usum Eucharistiæ pertinentibus, juvat quasdam solvere quæstiunculas in eodem Eucharistiæ usu occurrere solitas. Sit itaque

---

Quæstiuncula I.

Quid agere debeant Sacerdotes & Laici cum in actu Communionis, recordantur alicujus peccati lethalis?

REspondeo Sacerdotem, qui post inchoatum Sacrum meminit alicujus peccati lethalis, debere conteri, & continuare Sacrum, & peracto Sacro citiùs confiteri: Quod si spectat ad Laicum, qui jam est ad Altare, ut communicet, debere recedere à loco Communionis, & de peccato lethali, cujus meminit, confiteri, si Confessarii copiam habeat, & extra scandalum ad illum adire queat: Sin secus conteratur, & perceptâ Communione, oblatâ, vel etiam quæsitâ occasione, quamprimùm confiteatur.

Quæstiuncula II.

Utrùm Sacerdos, qui contritus celebravit in casu necessitatis cum conscientiâ peccati mortalis, quamprimùm & quâ lege confiteri teneatur?

REspondeo talem Sacerdotem ad Confessionem quamprimùm factitandam obligari lege purè Ecclesiasticâ. Ista autem lege non tenentur Laici, neque Sacerdotes, qui extra Sacrificium, id est, non celebrando in necessitatis casu communicarunt. Cur autem istâ lege non teneantur Laici, nec Sacerdotes, qui Laicorum duntaxat more communicarunt, hæc videtur ratio probabilior petita ex eo quod major sanctitas & accuratior præparatio ab Sacerdotibus celebraturis, quam ab sæcularibus communicaturis exigatur. Undè Ecclesia ad demonstrandum istius sanctitatis necessitatem Sacerdotibus celebraturis incumbentem, sancitâ lege voluit eos peracto Sacrificio quamprimùm confiteri, ut lethale peccatum sacramentali Confessione celerrimè eluerent, & eo pacto discerent, quantam ab ipsis religionem & pietatem illa ipsa exigeret Ecclesia, quippè quæ eos in peccati lethalis conscientiâ, vel brevissimo tempore degere ægrè admodum sese pati testificaretur.

Hujusmodi responsio innititur authoritate Concilii Tridentini, sess. 13. c. 7. declarantis neminem sibi conscium peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debere. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc sancta

perpetuò servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævià Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur. Hactenùs Concilium loco citato.

Vult igitur Concilium Sacerdotem, qui absque prævià sacramentali Confessione in necessitatis casu celebravit, non expectare Sacerdotis occursum, sed jubet eum ocyùs quærere Confessarium, à quo de peccato lethali, cum cujus conscientià celebravit, ritè confessus absolvatur.

Neque istud Concilii Edictum inter consilia (ut nonnulli recentiores & liberioris Theologiæ Architecti perperam docere voluerunt) sed inter præcepta reponendum est.

Nam Alexander Papa VII. non pridem duos Articulos in mollioris Theologiæ officinà procusos Decreto Pontificio damnavit Anno salutis millesimo sexagesimo-sexto, Martii die decimo-octavo.

Hujusmodi Articulorum

Primus est: Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

Secundus est: Illa particula (quamprimùm) intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

Juxta hanc talium Articulorum condemnationem, ad quam adhærescere necesse est, asserendum est Sacerdotem cum conscientià peccati mortalis contritum, & sacris mysteriis operatum, ad Confessionem sacramentalem quamprimùm factitandam Ecclesiasticà lege obligari. Undè perspicuum est sacro sanctam Synodum, curato Sacerdoti, cui non suppeteret copia Confessoris, & celebrandi necessitas incumberet, fecisse celebrandi facultatem, nè fidelis populus ob Pastoris sui culpam & defectum necessario sibi Sacrificio privaretur. Atque ita paret Concilium id statuisse per epikeiam, sivè æquitatem, quæ nihil est aliud quam virtus, diligens ad agendum juxta habitualem Legislatoris intentionem, contra verba legis. Divinam quippè legem, quæ Eucharistiæ percipiendæ sacramentalem Confessionem & Absolutionem præmitti jubet, Sacerdotem in præfato necessitatis articulo in fidelis populi gratiam non obligare declaravit; ita tamen ut hujusmodi Sacerdotem peracto Sacro ad Confessionem ocyùs factitandam obligaret.

Utique juxta antiquum Ecclesiæ Canonem, ex quo huic quæstioni, si puellus Cathecumenus utpotè septem annorum, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportunè affuerit, ejusque nescius particeps sit factus, quid debeat de eo fieri, respondit Timotheus, Patriarcha Alexandrinus: debet illuminari, à Deo enim vocatus est. Nam Ecclesia Dei, quæ per Spiritum sanctum novit quantà veneratione sanctam Eucharistiam prosequi oporteat, promulgatà lege sanxit, ut necessaria per acceptam in Baptismo, vel in Pœnitentiæ Sacramento peccatorum remissionem præparatio, (quæ ad illam ritè suscipiendam exigitur) cum legitimis de causis prætermissa fuerit, ejus perceptionem nullà, vel brevi morà interpositâ subsequatur.

Hinc eorum qui Tridentinam de Confessione post Communionem illicò factitandâ legem ad solos dumtaxat Sacerdotes, non autem ad alios, qui nullà cogente necessitate sine prævià Confessione & Absolutione, ideoque palàm & indignè communicant, pertinere contendunt, opinio velut erronea, & nullo pacto tuta, procul ableganda est. Hujusmodi enim homines ad confitendum quamprimùm longè strictiùs, quam Sacerdotes obligari docent graves Theologi. Non enim potest in eorum gratiam afferri sententia plurium Theologorum aientium, Sacerdotes, qui cum conscientià peccati mortalis in dicto necessitatis articulo celebrant, ab sacro-sanctà Eucharistià justificari, ac peccatorum remissione donari per accidens. Hæc enim est ratio propter quam sancta Synodus Sacerdotibus, quibus celebrandi necessitas incumberet, absque prævià sacramentali Confessione celebrandi facultatem impertiit: quippè quæ eos per Eucharistiam justificari credidit. Quod enim Sacramenta vivorum, & ipsa potissimùm Eucharistia legitimè quandocumque sumantur à peccatoribus, ipsisque primam gratiam per accidens conferant, est antiquissima Theologia. Etenim Serapioni in persecutione lapso, & de suo illo crimine non confesso madefactam Eucharistiam in ejus os infusam, & illum unà dumtaxat Eucharistiæ perceptione justificatum esse commemorat Dionysius Alexandrinus, his verbis: *An non igitur satis constat Serapionem fuisse reservatum, & usque eò in vità mansisse, quoad esset penitùs culpæ vinculis solutus, & ita labe, qua erat idolis immolando aspersus, omninò deletà, posset pro multis bonis, qua in vità gessisset, in numerum Confessorum referri.* Hæc verba, sicut & totam illam Serapionis Historiam a nobis superiùs relatam, legere est in Epistol. Dionysii Episcopi Alexandrini, ad Fabium Antiochiæ Episcopum inscriptâ, quam refert Eusebius Cæsariensis, lib. 6. Histor. Ecclesiast. capite 44. ex Editione Henrici Valesii.

Quæstiuncula III.

Quomodo Sacerdos sese gerere debeat erga mulieres quæ composito ad lasciviam ornatu ad sacram Synaxim accedunt?

Respondeo, In frequenti & publico fidelium consessu denuntiandum esse nemini fœminæ Eucharistiam porrectum iri, nisi ad illam decenti habitu, & Christianam redolente modestiam accesserit.

Quod si quæpiam ex earum numero, quæ quæsitis coloribus ora depingunt, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultûs meditantur adulterium castitatis, ut loquitur sanctus Ambrosius, sese ad sacrum Eucharistiæ Convivium contulerit factà hac denuntiatione, prætermittenda est inter communicandum, & quod aliis porrigitur, Corpus Christi illi subducendum est, si publico mandato Ordinarius id decreverit.

Ne id temerè assertum esse videatur, operæ pretium est observare rationes propter quas tali fœminæ Eucharistiam subtrahere necesse est.

Prima est, Quod illæ fœminæ quæ ad cælestem Mensam accedunt reserato sinu, nudatis cervicibus, vel byssino velamine pellucentibus, contortis arte crinibus, aut auro intertexto, aut pendulis ab auribus, collove margaritis, aut aliis id genus ornamentis visendæ & circumdatæ, præ se ferant diaboli pompam, ad quam hæc omnia, ut in confesso est apud omnes, pertinent. Atque adeò Christi Corpus percipere non debent. Quod enim atrocius crimen, aut perpetrari, aut excogitari potest, quam diaboli pompam deportare ad Christi Mensam; atque ita in ipsum insultare Christum, cui nulla major injuria irrogari potest, quam ipsam diaboli pompam quam nos omnes inter ipsa Baptismatis mysteria solemni professione abdicavimus, proculcato ejus Evangelio amplecti & (quod omnem prætergreditur impudentiam) ipso præsente, suamque carnem nobis Sacerdotum ministerio porrigente, deliberato animo consectari.

Secunda ratio cur mulierculis holosericâ purpureave veste fulgentibus & ascititiis ornamentis formam suam commendantibus sacro sancta communio subduci debeat, petitur ex Apostolo aiente omnem mulierem orantem aut prophetantem non velato capite deturpare caput suum. Unum enim est, inquit, ac si decalvetur. 1. Cor. cap. 11. v. 5. Unde & ibidem v. 10. Debet, inquit, mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.

His verbis declarat Apostolus mulierem fidelium conventibus nonnisi velatam assistere oportere, & se adhibito capiti flammeo, suo viro subditam profiteri. Quod si illa ipsa mulier eò processit impudentiæ ut testes hominum oculos nihil vereatur, saltem ob Angelos testes qui præfatis fidelium conventibus intersunt, caput, quod alioquin dehonestat, operiat.

Hoc loco Apostolus meminit præsertim Angelorum, quia Christum in Eucharistiâ præsentem circumstant veluti prætoriani milites, ut legere est apud S. Joan. Chrysostomum lib. 6. de Sacerdotio. Ut igitur ostendat mulierculis cum quantâ reverentiâ ad omnes Ecclesiæ cœtus adire, & Eucharistiam (de quâ præsertim io cit. cap. 11. 1. ad Corinth. prædicat) percipere debeant, adhibet argumentum petitum ab Angelis, quorum exemplo ad omnem modestiam & omnimodam erga Christum reverentiam eas incitari, & eorum præsentiâ ab omni penitùs irreverentiâ deterreri necesse est. Nam si Christus Dominus pusillos & humiles in se credentes oblato offendiculo contemni vetat, eo nomine quod Angeli eorum semper videant faciem Patris qui in cælis est, id est sint præsentissimi, familiarissimi, & intimi Deo, cui astant velut honorarii principes, atque adeò illatas pusillis sibi creditis injurias facilè ulcisci valeant: Quidni ipsimet Angeli Christum in Eucharistiâ præsentem eum reverentiâ quantâ maximâ comitati, eodem divinæ gloriæ studio ardeant, & irrogatas ipsi vel ab mulierculis Christianæ modestiæ limites prætergressis, vel ab aliis indignè ad ipsum accedentibus injurias & contumelias ulcisci queant, ideoque incusso terrore omnes universim homines ab contumeliis quibus plerumque in Eucharistiâ inquinatur, avocare & deterrere debeant?

Quæstiuncula IV.

Utrùm præceptum quo omnes Christiani ad Eucharistiam in ipsâ Paschatis solemnitate accedere tenentur, impellere debeat Confessarios ad impertiendam pœnitentibus absolutionem vel communionem, quam ipsis aliàs denegarent.

Respondeo Confessarios non posse nec debere esse indulgentiores respectu communionis Paschalis, quam alio tempore esse possent aut deberent, si cætera sint paria. Nam ita se gerere debent, ut quocumque aut qualicumque tempore sese veluti fideles cælestium mysteriorum dispensatores exhibeant, nec unquam ea, quantum in ipsis erit, sacrilego accessu violari patiantur.

Hominum v. g. in vitiosos habitus implicatorum aut in proximis peccati occasionibus degentium communionem in aliud tempus rejicere possunt & debent, eam enim facultatem ipsis facit celeberrimus Canon, omnis utriusque sexûs, &c.

Præterea pœnitentium saluti consulere tenentur, ita ut eos faciliori percipiendæ Eucharistiæ permissu non conjiciant in apertum, aut certè probabile damnationis æternæ periculum.

Nonnulli, ut nostram hanc doctrinam eludant, causantur scandalum, quod oriturum est, si in Paschate quo omnes nemine prorsùs excepto communicant, talis vel talis huic officio, quo omnes ioternoscuntur Christiani, defuerit.

Respondeo unumquemque Christianum erga Deum & Christum Jesum, sicut oportet, animatum, nihil antiquius habere oportere, quam ut placeat Deo, ita ut cum de ejus gloriâ & de reverentiâ ipsi debitâ agitur, omnia omnium hominum judicia divinæ charitati derogantia contemnat, & universis de se conquerentibus respondeat, & dicat cum Apostolo: *mihi pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die.*

Quod si hujusmodi homines quos justis de causis prudens, eruditusque Confessarius sacræ communionis accessu vel in ipso Paschate interdixerit, de suo Confessario conquerantur, noverint sibi in honorem & unionem contumeliarum, quibus se Christus inquinari voluit & pertulit, subeundam esse in terris temporariam confusionem, ne sempiternam apud inferos inter æterna Dæmonum supplicia patiantur.

Præterea cum Jesus Christus sit heri & hodiè: ipse & in sæcula, ut ait Apostolus Hebræor. cap. 13. v. 8. id est cum Christus sit semper & unigenitus æterni Patris filius, splendor gloriæ ejus, & figura substantiæ ejus portans omnia verbo virtutis suæ & purgationem peccatorum faciens, & sedens ad dexteram majestatis in excelsis tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit, Hebræor. c. 1. v. 3. & seqq. Cum, inquam, Christus Jesus sit semper in eodem amplitudinis & dignitatis gradu, in quo ab omni retrò æternitate per æternam generationem ab æterno patre, & per stupendum Incarnationis mysterium in plenitudine temporum est constitutus, eadem semper reverentiâ, quantâ scilicet maximâ, ipsum ab Angelis & hominibus affici & adorari necesse est.

Unde jure ac meritò concluditur Sacerdotes Domini non posse, nec debere respectu communionis Paschalis faciliùs impertiri communionem hominibus malè ad ipsam comparatis, quibus illam ipsam communionem alio tempore denegarent, ut sequens ratio liquidò declarabit.

Talibus scilicet viris in vitiosos habitus & proximas peccandi occasiones immersis in ipsâ Paschatis celebritate potiùs quam alio tempore Corporis Christi perceptio interdicenda est. Nam ad vitiosos habitus, quibus sunt irretiti, & ad proximas peccandi occasiones in quas sunt implicati, & crimina ex longo collecta, quibus sunt onerati, lethalem contumaciam addidere, utpote qui observandæ quadragesimæ præceptum fidelibus ab Ecclesiâ impositum criminosâ suæ salutis incuriâ violarunt.

Nemo enim nescit Ecclesiam Dei omnibus passim fidelibus observandæ quadragesimæ præceptum indixisse, ut omnes Christiani Catholici, & præsertim lethalium peccatorum sibi conscii ipsâ ineunte quadragesimâ ritè confessi condignis pœnitentiæ fructibus, id est orationibus, eleemosynis, jejuniis, & aliis id genus pietatis operibus ad satisfaciendum, ad impetrandum, & ad promerendum, divinitùs institutis, non solùm sua expiarent crimina, sed etiam vitiosos habitus malè vivendo comparatos ex animo revellerent & incumberent in parandas Christianas virtutes, atque ita ad dignam communionem cum veris fidelibus in ipsâ Paschatis solemnitate celebrandam, sese omni studio diligentiaque compararent.

Quod quidem præceptum cum infregerint hujusmodi homines, an ab viro cordato & erudito judicabuntur digni qui accedant, vel in ipso Paschate ad Corpus Christi, ad cujus perceptionem (quæ maximam animi corporisque sanctimoniam & puritatem exigit) nullam præparationem adhibuerunt?

Neminem opinor fore tam ab omni pietatis sensu desertum, qui id vel suadeat vel sinat. Si quis dicat oriturum indè scandalum, dicam cum SS. Patribus Gregorio, & Bernardo, meliùs est ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur.

Quæstiuncula V.

Qua dispositio necessaria sit ei, qui solum opinatur, vel dubitat de peccato mortali non confesso?

Respondeu huic homini necessatiam esse confessionem, quia conscius est peccati mortalis, etiamsi sua fortassis illum fallat opinio. Quod ut explicari possit,

Observandum est conscientiam verè esse dubiam cum neque in aientem nequo in negaotem partem, ne opinativè quidem inclinatur, id est, ita suspensa est, ut existimet quidem rem aliquam tali vel tali modo se babere, sed cum formidine de opposito.

Qui igitur communicat memor alicuius peccati mortalis, sed quod vel non putat se commisisse, vel existimat se esse confessum, non peccat, sicut nec ille qui cum vero scrupulo Eucharistiam accipit.

Ad verum scrupulum tria concurrunt.

1. Ratio futilis, cujus solutio non apparet.

2. Inde profecta vana quæpiam formido de peccato, de obligatione, inhabilitate, defectu, aliave re simili.

3. Sollicitudo animum stimulans & excrucians.

Ex his ista scrupuli theologicè accepti definitio conficitur.

Scrupulus propriè dictus est cum aliquâ de re futili dumtaxat ratione nisi judicamus in alterutram partem cum formidine de opposito: ita tamen ut sese offerat argumentum in contrarium, propter quod mens non discedit quidem ab priore judicio, sed nonnihil pungitur, & stimulatur, seu ad præfatum judicium abdicandum invitatur.

Quæstiuncula VI.

Utrùm is qui probabiliter prævidet se non posse in Paschate percipere Corpus Christi, istud communicandi tempus anticipare teneatur?

Respondeo affirmativè eò quod aliàs sese objiceret probabili periculo violandi præceptum, quo Ecclesia omnibus Christianis Paschalis communionis necessitatem indixit. Siquidem mens legis, à quâ recedere nec potest, nec debet, ea est, ut communio ultra Pascha non estrahatur, idque liquidò declaratur per ista Canonis omnis utriusque sesus, &c. verba (ad oinùs in Pascha.) Quapropter aberrat à lege quisquis Paschalis communionis prætermittendæ periculo sese committit.

Quæstiuncula VII.

Utrùm qui non communicavit in Paschate, primâ datâ occasione communicare teneatur?

Respondeo affirmativè, quia Ecclesiæ præceptum de Paschali communiooe eò collineat, ut præfata communio ultra Pascha non differatur. Cum igitur es communi Theologorum sententiâ aliquod præceptum in eum finem indicitur, ut res imperata ultra tale vel tale tempus noo protrahatur, semper obliget, si ipsi præscripto tempore non est obtemperatum; sequitur eum qui non communicavit in Paschate tempore videlicet ad factitandam communionem ab Ecclesiâ constituto, ad illam ipsam communionem (cum sese opportuna dederit occasio) peragendam obligari. Quemadmodum enim qui certam pecuniarum summam Paschali tempore solvere tenebatur, nec solvit, hujusmodi debito obnoxius est usque dum solverit: ita dubium non est, quin is, qui Paschalis communionis officio in Paschate defuit, alio tempore quo se opportunitas obtulerit, communicare teneatur.

Neque hic objiciendum est hominem qui vel breviarium, vel jejunium statis diebus assignatum prætermisit, elapsis hisce diebos nec ad breviarium recitandum, nec ad jejunium observandum obligari, licet ea præscriptis diebus omittendo peccaverit.

Est enim magna disparitas inter breviarium, jejuniumque & inter communionem Paschalem. Nam hujusce communionis præceptum non est affixum certæ cuipiam diei, sicut recitatio breviarii, aut observatio jejunii: Siquidem tempus Paschale (ad quod Ecclesia divinum de factitandâ communione præceptum determinavit) oon est ratio obligationis, sed est dumtaxat assignatio temporis, ultra quod communionem semel saltem quotannis factitandam, illa ipsa Ecclesia prorogari vetuit. Unde illud ipsum ejus præceptum magis post Pascha, quam in ipso Paschate obligat.

Quæstiuncula VIII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius erga viatores erraticos respectu communionis.

Respondeo. Id est dijudicandum ex eo statu, in quo eos Confessarius versari perspexerit. Quod si ipsi omninò sint ignoti & palam sacram communionem petierint, ipsis eam porrigere debet. Si autem ex totum confessione eorum statum cognoverit, deprehenderitque esse homines vitiosos & vitiosis habitibus es longo comparatis, implicatos, & probabiliter in pristina peccata revolvendos, neque eos absolvere, nedum iis Corpus Christi porrigere debet. Si tamen probabile mortis periculum iis imminere cerneret, posset eos absolvere, & si eos benè dispositos animadverteret, Corporis Christi Communionem pariter impertiri posset. Quicquid agat hac in parte Confessarios, accuratè circumspiciat, ne sanctum canibus impertiatur.

Quæstiuncula IX.

An hoc Sacramentum ab jejunis dumtaxat sumi oporteat, & quibus de causis.

Respondeo affirmativè. Et id tota traditio & universalis Ecclesiæ consuetudo liquidò contestatur, ut patet ex Sancti Augustini Epist. 118. ad Januar. et Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 5 ex Sancto Joan. Chrysostomo hom. 27. in 1. ad Corinth. & ex Concilio Constantiensi sess. 13.

Quibus autem de causis fidelibus communicaturis Ecclesia indixerit naturale jejunium (quod nihil est aliud quam omnimoda externi cibi & potûs trajecti per fauces ad stomachum, abstinentia ab mediâ nocte usque ad diem consequentem observata) declarat S. Thomas 3. p. q. 80 art. 8. in corp.

Impeditur, inquit, fidelis à sumptione hujus Sacramenti post cibum & potum assumptum triplici ratione.

1. In honorem hujus Sacramenti: ut scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo aut potu infectum, ut ait S. Aug. Ep. 118. cit.

2. Propter significationem, ut detur intelligi, quod Christus (qui est res hujus Sacramenti) & charitas ejus debet primò fundari in cordibus nostris secundum illud Matth. cap. 6. quærite primùm regnum Dei.

3. Propter periculum vomitûs & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinatè cibis utuntur. Hactenus S. Thomas.

Indè colligitur neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi aut potûs, vel etiam medicinæ in quantumcumque parvâ quantitate, licere hoc Sacramentum accipere.

Nec refert ustum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi & potûs. Reliquiæ tamen cibi remanentis in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur: dummodò non trajiciantur in magnâ quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest. Ita S. Thom. q. & a. citatis ad 4.

Quæstiuncula X.

Quid requiritur ut aliquid ore perceptum, nec in stomachum trajectum jejunium naturale solvere dicatur?

REspondeo requiri ut id quod assumitur, per modum rei extrinsecæ assumatur à comedente, & ab ipso deglutiatur.

Dicitur 1. non solvi jejunium naturale nisi per aliquid assumptum per modum rei extrinsecæ, & per hoc non censetur solvi jejunium naturæ per salivam & alios humores, qui ad hominis interiora pertinere vulgò existimantur.

Quod egregiè declarat sanctus Thomas in 4. sentent. dist. 8. q. 1. a. 4. in solutione quæst. 2. Ad tertium dicendum, inquit, quod jejunium naturæ dicitur per privationem actus comestionis, secundum quod etiam potionem includit; comestio autem principalis dicitur a sumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad trajectionem cibi in ventrem & ulterius ad nutritionem, & ideò quæ interiùs geruntur sine exterioris cibi sumptione non videntur solvere jejunium naturæ nec impedire Eucharistiæ perceptionem, sicut deglutitio salivæ. Et similiter videtur de, his, quæ intra dentes remanent & etiam de eructationibus, tamen propter reverentiam, nisi necessitas incumbat, potest sine periculo abstineri. Hæc ibi S. Thomas.

2. Ad solutionem jejunii naturalis exigitur, ut id quod extrinsecùs assumptum fuerit, in stomachum trajiciatur. Si enim id dentibus atteratur & expuatur illicò, non solvit jejunium naturæ, cum tunc non fiat vera comestio, vel potatio, siquidem nihil in stomachum per modum cibi aut potûs trajectum fuerit, quod tamen ad veram manducationem & potationem requiritur.

Unde nec illud ipsum jejunium naturæ solvitur, cum quis nonnihil vini, vel condimenti in os ad gustandum inserit, & statim expuit, quia quamvis contingat aliquid ex vino, vel condimento salivæ permisceri & cum eâ deglutiri, non tamen propterea solvitur jejunium naturæ, quia quod transmissum est in stomachum per modum salivæ dumtaxat assumptum esse reputatur.

Ex adverso solveretur jejunium naturale ab eo, qui deditâ operâ aliquam vini aut condimenti sorbitiunculam sumeret, etiamsi talem sorbitiunculam mox evomeret. Tunc enim fieret vera manducatio & potatio, id est cibi vel potus in stomachum trajectio, quæ quidem propriâ & actione per se vitali factitata jejunium naturæ solvit ex communi omnium Theologorum sententiâ.

Idem sentiendum de eo qui aliquam saccari portiunculam in os ante somnum insereret & inter dormiendum, ut fit, deglutiret. Is enim postridiè nec celebrare nec communicare posset, nisi moralem certitudinem haberet se prædictam saccari portiunculam omninò ante mediam noctem deglutiisse, vel quod residuum erat, abstulisse. Ita Sylvius ad art. 8. quæst. 8. suprà cit.

Idem etiam judicandum est de eo qui voluntariè post mediam noctem deglutit cibi reliquias, quæ in dentibus, vel aliter hæserunt in ore. Nam juxta probabiliorem Gavanti sententiam part. 3. tit. 9. de Rubricis haustæ ejusmodi reliquiæ communionem impediunt, utpotè quæ per modum cibi in stomachum trajectæ videantur. Ad hanc sententiam accedit S. Thomas cum 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. asserit reliquias cibi remanentes in ore non impedire sumptionem hujus Sacramenti, si casualiter transglutiantur, si igitur à contrario voluntariè & de industriâ sumantur, communionem ex mente Doctoris impedient. Ita sentit etiam Victoria q. 83. de Sacram. & alii.

Idem etiam affirmandum de iis qui tabacum in os ingerunt, & deglutiunt, quia sumitur per modum medicinæ, licet pluribus noceat.

Porrò his omnibus addenda sunt pronuntiata Missalis Romani in cap. 9. de defectionibus dispositionis corporis ita statuentis.

1. Si quis non est jejunus post mediam noctem etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potûs aut cibi per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parvâ quantitate, non potest communicare aut celebrare.

2. Si ante mediam noctem cibum, aut potum sumpserit, etiamsi postmodùm non dormierit, nec sit digestus, non peccat; sed ob perturbationem mentis ex quâ devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem: Hactenùs Missale Romanum.

Postremum hoc Missalis Romani monitum generale quidem & indefinitum, sed restringendum ad mentem S. Thomæ aientis cibi reliquias, quæ superfuerunt in dentibus casualiter transglutitas non impedire communionem, non autem si deliberato animo in stomachum trajectæ fuerint: ut suprà ex eodem S. Thomâ & aliis Doctoribus observavimus.

Quæstiuncula XI.

An Communioni ac Missæ celebrationi somnum post refectionem præmitti oporteat?

REspondeo quod ad perceptionem v. Sacramenti nihil referre utrum post cibum, vel potum assumptum dormierit communicaturus aut celebraturus, aut etiam digestus sit quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem aut indigestionem. Ex quibus si mens multùm perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem hujus Sacramenti, ut docet S. Thomas 3. p. q. 80. a. 8. ad 5.

Solvitur objectio de Sacerdote, qui ut legere est 5. decretal. de accusat. Tit. 1. c. si constiterit.

DIcunt aliqui hujusmodi Sacerdotem gravi pœnâ affectum esse, utpotè qui Ecclesiâ suâ spoliatus fuerat eo nomine, quod nullâ præmissâ dormitione Missam celebrasset.

Respondeo hujusmodi Sacerdotem fuisse ebriosum, & ab Ecclesiæ quam habebat commendatam, regimine fuisse amotum in pœnam ebriositatis cui erat addictus; Quod judicium in se latum cùm existimaret imprimis iniquum, & illatam sibi injuriam passim expostularet, Consultus hac de re Alexander Papa III. ita respondit: Si constiterit, inquit, quod D. Ecclesia non perpetuò concessa, sed ad tempus fuerit commendata, & de violentiâ, & quod in tabernâ pernoctaverit, ita quod alterâ die nullâ præmissâ dormitione Missam cantasset; Et infrà: Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Episcopum suum, sivè accusatus; vel ad rationem positus sine coactione fuerit confessus:

ei super eadem Ecclesiâ perpetuum silentium imponatis, ipsum ab impetitione desistere compellentes.

Ex hujus loci glossâ duo colliguntur.

1. Istum Sacerdotem propriè loquendo suâ Ecclesiâ non fuisse spoliatum, utpotè qui non intitulatam, sed commendatam dumtaxat eam, de quâ loquebatur, habebat Ecclesiam. Unde eadem glossa, Nota, inquit, quod qui Ecclesiam habet commendatam non dicitur eam propriè possidere, quare non dicitur spoliatus, si indè removeatur vel expellatur per commendatorem, aut quemlibet alium superiorem, Ista sunt glossæ verba.

2. Inde colligimus eum sacerdotem non fuisse damnatum, & ab Ecclesiâ sibi commendatâ remotum eo nomine quod somnum Missæ sacrificio non præmiserat, sed quia in popinâ epotandis calicibus totâ nocte incubuerat, & indè ad Missam publicè celebrandam sese contulerat in Templum Dei. Unde præsumptio juris erat, ut asserunt Paludanus & Sylvester v. Eucharistia 3 q. 7. quod non jejunus, sed benè potus celebraverat. Huc accedit quod non sine scandalo & manifestâ Sacramenti irreverentiâ id egerat.

Inde patet Alexandrum Papam III, approbasse sententiam in hujusmodi sacerdotem (quem ritè & ex formâ juris de ebriositate & sacrilegâ celebratione convictum supponit) ab Episcopo prolatam. Atque adeò suâ illâ approbatione satis superque indicat ebriosos sacerdotes (qui cibos & vina quibus se ingurgitarunt ructantes exhalantibus etiam ebriositatem faucibus & intempestiva convivia redolentibus Domini Corpus invadunt, ut loquitur S. Cyprianus) eadem pœnâ esse afficiendos, quâ mulctatus est ille, cujus pœnam ipsi ab proprio Episcopo juridicè irrogatam præfatus Papa ratam habuit.

Quæstiuncula XII.

Utrum sint aliqui casus in quibus Eucharistia ab non jejunis percipi possit?

Respondeo olim fuisse quosdam, in quibus non jejuni communicare poterant, ut puta in aniversariâ Cœnæ (in quâ institutum est venerabile Sacramentum) celebratione: in quâ quibusdam in locis fideles cibum ante communionem capessere consueverant, ut discimus ex Concilii Carthaginensis III. can. 29. in hæc verba concepto: Sacramenta Altaris non nisi ab jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Hæc ibi.

Hoc ipsum tradit S. Augustinus Ep. 118. c. 7. *Nonnullos*, ait, *probabilis quadam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini.* Hæc ibi.

Apud Ægyptios hanc invaluisse consuetudinem testatur Sozomenus l. 7. c. 19. verum hanc consuetudinem secutis temporibus exolevisse patet ex can. 16. Concilii Bracarensis I. anno Redempt. 563. sub Joanne Papâ III. celebrati. Sic enim loquitur istud Concilium: *Si quis quintâ feriâ Paschali qua vocatur, Cœna Domini, horâ legitimâ post nonam, jejunus in Ecclesiâ Missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani, Festivitatem ipsius diei, ab horâ tertiâ per Missas defunctorum soluto jejunio colit, anathema sit.* Hactenùs præfati Concilii Canon.

Nemo igitur Sacerdos celebrare, nemo Laïcus communicare potest, nisi servaverit jejunium naturale, quod importat abstinentiam à qualibet re etiam modicâ comestibili per modum cibi & potûs, ut statutum est in Concilio Bracarensi II. anno Redempt. 572. post obitum Joannis Papæ III. interregni Pontificii tempore celebrato. Nam ipsius Concilii can. 10. statuitur sacerdotem qui non jejunus, sed quocumque jam cibo præsumpto, oblationem consecraverit, continuò officio suo privatum ab proprio Episcopo esse deponendum. Hæc ibi.

Si quis objiciat Christum Dominum Apostolis benè cœnatis Corporis & Sanguinis sui mysteria ab ipsomet recens instituta porrexisse.

Audiat S. Augustinum eam objectionem ita diluentem. Neque enim, inquit, quia post cibos dedit Dominus, propterea à pransi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator, quò vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctiùs infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat: servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cùm vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens: propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis: statim subtexit: Cætera autem cum venero, ordinabo, unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistolâ totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nullâ morum diversitate variatur. Hactenùs S. Augustinus Ep. 118. jam citatâ cap. 6. exeunte.

Cum ea consuetudo communicandi fracto naturæ jejunio anniversario die Cœnæ Dominicæ Synodorum Canonibus sit abrogata, nihilosecius ex ipsâ discimus in variis casibus posse sacerdotes non jejunos celebrare, sicut & Laicos communicare.

Enumerantur aliquot casus, in quibus & Sacerdotibus non jejunis celebrare, & Laicis pariter non jejunis communicare licet.

Primus Casus.

Si Sacerdos celebrans repentinâ ægritudine corripiatur, ita ut cœptum consecrationis mysterium explere nequeat, liberum est Episcopo, vel alteri Presbytero consecrationem exequi officii cœpti, Ut statuitur in Concilio Toletano VII. can. 1.

Hoc posito si Sacerdos celebrans, vel unam, vel utramque, panis scilicet, & vini speciem consecraverit, vel moriatur, vel in eam incidat ægritudinem propter quam sacrum perficere nequeat, non solùm quilibet Sacerdos, qui jejunus, vel non jejunus inventus fuerit, potest, sed etiam debet inchoatam Missam absolvere, ne sacrificium imperfectum remaneat.

Nam licet ordinariè loquendo Sacerdos jejunus sacrificium offerre teneatur, ut decrevit Soter Papa apud Gratianum de consecrat. d. 1. cap. ut illud. Item Concilium Autisiodorense cap. 19. Item Bracarense I. cap. 16. & II. can. 10. & Carthaginense III. cap. 29. & Salegunstadiense cap. 4. nihil tamen prohibet, quominus Sacerdos etiam non jejunus inchoatum sacrificium absolvat: siquidem præceptum perficiendi sacrificii strictiùs, quam Eucharistiæ cum jejunio percipiendæ lex obligat.

Unde si Sacerdos celebrans nondum ad consecrationem pervenerit, vel nondum eam, vel quoad unam speciem fecerit, & vel moriatur, vel eo corripiatur morbo, quo inchoatam Missam absolvere nequeat, nemo tenetur istam perficere Missam, cum in eo casu nullum sit sacrificium quod ab altero Sacerdote perfici oporteat.

Secundus Casus.

Si Sacerdos se per errorem & incogitantiam aquam non vinum in Calicem infudisse & consecrasse in ipsâ communione, etiam post aquæ sumptionem deprehenderit, tenetur vinum cum aquâ, ut fieri solet, in Calicem infundere, & incipiendo ab hisce Canonis verbis (*simili modo*, &c.) consecrare, & licet non jejunus bibere: quia consecratio vini pertinet ad sacrificii consummationem & integritatem, quæ quidem cum ad jus divinum pertineat legi Ecclesiasticæ quâ jejunium naturale Sacerdotibus & Laicis communicantibus indicitur, præponderat. De hujusmodi casibus in quibus Sacerdos celebrans graviter infirmatur aut in syncopen incidit, aut moritur, consulendum est Missale Romanum in capite 10. de defectibus in ministerio occurrentibus num. 3.

Tertius Casus.

Potest Sacerdos non jejunus, sumere Eucharistiam, si id debita v. Sacramento reverentia postulet. Si verbi gratia prospiciat Hostias in tabernaculo inclusas ab infidelibus aut hæreticis, aut ab militibus, quibus ut plurimùm nulla fides pietasque inest, eas omnes, quas aliter ab imminentibus contumeliis asserere non potest, etiam fracto naturæ jejunio sumere poterit: neque hac ratione ullatenùs Ecclesiæ legem jejunium naturale communicantibus imperantem violabit, imò legis & Legislatoris ipsius mentem religiosissimè retinebit. Cum enim hujusmodi lex promulgata sit, ut debita tanto Sacramento reverentia exhiberetur, eam profectò violare non censebitur quisquis etiam non jejunus Hostias alioquin ab impiis mille contumeliis inquinandas sumpserit. Eo siquidem facto majorem v. Sacramento reverentiam adhibebit, quam si illud (servando præceptum de jejunio naturali communicantibus impositum) ab teterrimis hominibus arripi, pedibus conculcari, canibus projici, aut aliis modis multò indignissimis accipi pateretur.

Quartus Casus.

Qui inter ipsa Missæ initia se aliquid per modum cibi vel potus in stomachum post mediam noctem trajecisse meminit Sacerdos, debet ab altari discedere, & ab celebrando eo die abstinere, nisi ex hujusmodi recessu, & cessatione scandalum probabiliter emersurum appareat. Tunc enim etsi non jejunus sacrum persequi, id est consecrare & communicare non solùm potest, sed etiam tenetur. Neque enim lex Ecclesiastica de jejunio naturali ab communicantibus observando promulgata, tanti est, ut etiam cum aliquo fidelium scandalo retineri debeat.

Quod spectat ad Hostiarum consecratarum reliquias, nonnulla sunt explicanda.

1. Si Sacerdos post sumptam ablutionem aliquas palato affixas habeat, potest novam ablutionem sumere, ut eas in stomachum trajiciat: Nihil enim vetat præcedens ablutio, quin hujusmodi reliquiarum perceptio censeatur unica actio cum eâ quam jejunus Sacerdos inchoavit.

2. Post haustam ablutionem & recitatas orationes potest Sacerdos Hostiæ à se in illâ quam tunc celebravit Missâ consecratæ particulam etiam grandiorem in patenâ, vel corporali repertam statim sumere Quia tota illa actio, quæ consecrationem & communionem, & alicujus particulæ sumptionem complectitur, ad veram unius ejusdemque sacrificii rationem consummationemque pertinet. Secùs loqui oporteret si Sacerdos recederet ab altari & magna inter ablutionem & reliquiarum sumptionem interponeretur mora: Tunc enim nec Sacerdos jejunus, nec hujusmodi reliquiarum sumptio una cum sacrificantis communione actio censeretur.

3. Sacerdos qui peracto sacrificio in aliis communicandis aliquo tempore commoratus potest vasa purificare & reliquias, si ab ipsomet consecratæ fuerint sumere, cum & sacrificium, & ista reliquiarum sumptio pro unâ actione morali habeantur.

4. Tales reliquias non potest Sacerdos impertiri Laicis, nisi eas cum hostiolâ ipsis porrigendâ conjungat.

5. Si Sacerdos animadvertat hujusmodi particulas, de quarum consecratione dubitat, potest eas sumere post sumptionem utriusque speciei, vel etiam post ablutionem, cum id totum ad unam duntaxat actionem pertinere censeatur.

Quintus Casus.

In quo fidelibus non jejunis communicare licet.

1. Ægrotus non jejunus communicare potest, si præsertim jejunium naturale sine gravi incommodo servare nequeat: Si enim illud observare posset, jejunus communicare teneretur. Quicquid sit, cavere debet ne propter infractum naturæ jejunium Corporis Christi perceptionem in sequentem diem rejiciat, atque ita sine sacro Eucharistiæ viatico decedendi periculum adeat.

2. Infirmus maximè is qui periculosè laborat, non tenetur cum gravi incommodo differre medicinæ, vel communis cibi sumptionem, ut jejunus communicet.

3. Ita sibi consulere debet, ut Christi Corpus cum pleno (quantum licebit per morbum) rationis & sensuum usu percipiat, atque ita supremam suam communionem cum reverentiâ quantâ maximâ obeat.

4. Non tenetur curare, ut sibi nocte deferatur Eucharistia, ut eam jejunus percipere possit. Neque enim ipsam Eucharistiam ad infirmos honorificè deferendam, ut loquitur Concilium Tridentinum, horis intempestivis ad ipsos infirmos deportari consentaneum est, nisi gravis & improvisa necessitas id exigat.

QUÆSTIUNCULA XIII.

Utrùm infirmus periculosè laborans qui semel non jejunus communicavit, pluries etiam non jejunus communicare valeat?

Respondeo nemini dubium esse quin talis ægrotus, qui semel non jejunus divinissimo Eucharistiæ Sacramento procuratus est, possit denuò non jejunus eodem Sacramento procurari.

Respondeo 2. hujusmodi infirmum multoties illud ipsum Eucharistiæ Sacramentum, etiam non jejunum percipere posse perseverante morbo & ingruente, vel ingravescente mortis periculo, si inter utramque communionem seu viatici perceptionem sex vel octo circiter dies interfluxerint; Et id ita factitandum esse docent Theologi plerique omnes, si æger jejunus commodè communicare nequeat.

Quin etiam si ex imminente mortis periculo emerserit, & in illud deintegrò inciderit, eodem privilegio Eucharistiæ fracto jejunio naturali percipiendæ gaudere poterit, materna Ecclesiæ indulgentiâ, quæ

quidem in Concilio Constantiensi congregata eam facultatem ægrotantibus impertiit, ut non jejuni communicarent, ne viatico tam salutari & morientibus necessario destituti ex hac vitâ discederent.

Quæ quidem præfati Concilii facultas, cum non sit ad unam vicem redacta, sed indefinitè concessa, patet eam ab ejus Concilii Patribus indultam, ut quoties justa necessitas exigeret, ægrotantibus non jejunis venerabili jam semel Sacramento procuratis, interjecto inter utriusque Viatici perceptionem sex aut octo dierum spatio, iisdem etiam non jejunis salobettimum denuò Viaticum concederetur.

Unde in prædicto tantum necessitatis articulo duntaxat id permittitur. Neque enim ægrotantem non jejunum quotidie communicare licet, ne debita tanto Sacramento reverentia aut exolescat, aut minuatur.

jejunio Eucharistiam recipere, quando recepturus in periculo mortis existit. Hæc ille.

Suarez Tom. 3. in 3. part. Sancti Thomæ disput. 68. sect. 3. declarat rectè ac convenienter ab Ecclesiâ præceptum esse, ut hoc Sacramentum tantùm à jejunis sumatur; & hoc esse de fide, idem ibidem asserit.

Unde in Synodalibus quarumdam Diœceseon statutis declaratum est eum, qui non jejunus Eucharistiam percipit, peccare mortaliter. Et ideò sub anathematis interminatione omnes omninò Parochi, aliique Presbyteri non jejunis (excepto gravioris morbi casu aut mortis periculo) Eucharistiam porrigere prohibentur. Ut videre est in statutis Synodalibus Diœceseos Macloviensis editis anno Redempt. 1619. num. 36. in tract. de Eucharistiâ fol. 770.

Quæstiuncola XIV.

Quali se peccato devinciant, qui extra propositos casus non jejuni communicant.

UNA est omnium Theologorum sententia hujusmodi homines peccare lethaliter, ut pote qui Ecclesiæ præceptum, in materiâ gravi transgrediuntur & violant.

Hæc responsio innititur authoritate Concilii Constantiensis, ita hac de re pronuntiantis sess. 13. Præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu Sancto legitimè congregatum, maturâ plurium Doctorum tam divini quam humani juris deliberatione præhabitâ, declarat, decernit, & definit quod licet Christus post Cœnam instituerit, & suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis ac vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesiâ concesso, vel admisso. Hactenùs præfatum Concilium sess. citatâ.

Hoc ipsum egregiè tradit S. Thomas in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. in solut. quæst. 1. Dicendum, inquit, quod hoc Sacramentum à jejunis tantùm percipi debet, nisi propter necessitatem imminentis mortis, ne contingat eos sine viatico ex hac vitâ transire: quod oportet in reverentiam tanti Sacramenti præcipuè propter tria institutum esse.

1. Propter ipsam sanctitatem Sacramenti, ut os Christiani, quo sumendum est, non sit alio cibo priùs imbutum, sed quasi novum & purum ad perceptionem ejus reservetur.

2. Propter devotionem, quæ exigitur ex parte recipientis, & attentionem quæ ex cibis acceptis impediri posset fumis à stomacho ad caput ascendentibus.

3. Propter periculum vomitûs, vel alicujus hujusmodi. Hæc ibi S. Thomas.

His rationibus perpulsa Ecclesia condidit legem, sanxitque ne quis vel Sacerdos, vel Laicus non jejunus Eucharistiam perciperet. Unde sequitur neminem fracto naturæ jejunio posse communicare (exceptis necessitatis casibus à nobis paulò antè declaratis) quin mortaliter peccet. Ita passim omnes Theologi.

Unde Joseph Angles Flor. Theol. qq. p. 1. q. de suscipiendâ Eucharistiâ art. 6. Conclus. 1. Qui soluto, inquit, naturæ jejunio Eucharistiam recipit, mortaliter peccat. Et Conclus. 2. Licitum est soluto naturæ

Quæstiuncula XV.

Utrùm ille qui in statu peccati mortalis per modum viatici communicavit, Ecclesiæ precepto satisfecerit, & propterea revalescens deintegrò communicare teneatur?

RESpondeo 1. hominem qui in probabili mortis periculo sacrum percepit viaticum in statu peccati lethalis, non satisfecisse Ecclesiæ præcepto, quo omnes Christiani Catholici Eucharistiam in ipso mortis periculo percipere jubentur.

Hujusmodi assertionis ratio petitur ex mente ipsius Ecclesiæ: quæquidem materno amore & charitate, nihil habet antiquius salute fidelium: Unde quicquid imperat, eò collineat, ut quotquot fideles seu filios suo sinu complectitur, ad æternam salutem perveniant, ad quam pertingere nequeunt, nisi omnia ipsius præcepta non extrinsecùs solùm, sed etiam intrinsecùs, id est animo divinâ charitate omnibusque Christianis virtutibus in aliquo saltem gradu prædito, adimpleant.

Perperàm ergo ratiocinantur nonnulli recentiores, qui contendunt præcepta Ecclesiæ adimpleri per externam duntaxat actionem eo nomine quod Ecclesia internos actus non præcipiat, quod alibi falsum esse demonstravimus.

Cum enim v. g. in Conciliis in Spiritu sancto congregatis aliquem articulum fidei è veteribus, primatioque revelatis articulis eruit, & illum fidei pariter articulum esse declarat, & ut talem omnibus fidelibus credendum esse pronuntiat, nonnè jubet etiam internum mentis assensum, & voluntatis inclinationem quâ omnes fidei articulos excipere, & admittere necesse est.

Similiter cum nos ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum accedere jubet, nunnè etiam imperat actos internos ad legitimam talium Sacramentorum perceptionem necessarios, vel uno eo nomine, quod jure naturali & divino omnia sacra seu divino cultui dedicata, cum debitâ interioris hominis præparatione & sanctitate celebrari & suscipi oporteat.

Hanc esse mentem Ecclesiæ satis superque testificantur pœnitentiæ labores, quos olim exorbere tenebantur lethalium peccatorum conscii, antequam ad sacram communionem admitterentur.

Id etiam liquidò declarant hæ voces, *sancta sanctis*, quæ inter mysteria ab Sacerdotibus vel Diaconis, ex edito quopiam loco pronuntiari consueverant ut Ecclesia omnes indignos quibus mysteriorum participatio indulgeretur, hisce verbis sese expellere, seseque hoc facto non solùm extremam unctionem, sed

magis internam animi sanctitatem ; quæ in divinâ charitate potissimùm vertitur & insistit, exigere declaratet.

Respondeo 2. hujusmodi hominem qui sacrum viaticum in probabili mortis periculo recepit in statu peccati mortalis, ad novam communionem in statu gratiæ factitandam obligari : quia licet externum præcepti Ecclesiastici actum exercuerit, non tamen eidem præcepto satisfecit (ut in superiori hujus quæstiunculæ responsione & alibi probavimus) & ideo illud ipsum præceptum cum debitâ animi præparatione adimplere tenetur.

Quemadmodum enim is, qui Paschalis Communionis præcepto, constituto tempore non paruit, tenetur primâ datâ occasione illud adimplere, ita etiam qui viaticum in statu peccati lethalis accepit, tenetur præceptum, quo omnes Christiani in probabili mortis periculo versati Eucharistiam percipere jubentur, adimplere : tametsi ex prædicto mortis periculo emerserit, atque adeò destinatum præfatæ communioni tempus elapsum sit, & ideò ejus obligatio desiisse videatur.

Sicut enim Communionis Paschalis præceptum magis post Pascha quam antè obligat, quia Paschale Festum non est ratio obligationis, sed assignatio dumtaxat temporis, ultra quod anniversariam Communionem Ecclesia extrahi vetuit : ita etiam præceptum Eucharistiæ in probabili mortis periculo recipiendæ, non tam est ratio obligationis quam assignatio temporis, quo læget probabiliter & brevi moriturus suæ sa'uti ut cum maximè consulere, seseque Sacramentis Ecclesiæ munire debet, ut oppetitâ morte sese ad Christi tribunal in sanctitate & justitiâ sistere valeat : & ideò tale præceptum non minùs, imò magis pòst, quàm ante probabile mortis periculum obligat.

Hoc ipsum nonnullis exemplis ritè & solidè comprobari potest. Sicut igitur qui deditâ operâ nullum in recitandis horis attendendi propositum habet, non satisfacit præcepto, sed ad eas deintegrò recitandas obligatur, (ut docent graves Theologi) ità sanè qui sacrilegam communionem in probabili mortis periculo fecit, ad illam denuò, & in statu sanctiore faciendam obligatur.

Præterea qui inter orandum exercet opus orationis attentioni contrarium, vel illi afferens impedimentum, orationem tenetur repetere ; quia hoc faciens scienter, & voluntariè vult attendendi proposito carere, & ex consequenti Ecclesiæ præceptum (quo omnes Clerici horas Canonicas cum debitâ attentione & pietate recitare imperantur) observare renuit. Unde si quis inter recitandum Officium scribit, confabulatur, aut quidpiam id genus facit, quod debitam attentionem interrumpat, non satisfacit præcepto, ut constat ex Concilio Basileensi.

Istâ insignium Theologorum doctrinâ ita constitutâ, quidni idem asseramus de sacrilegâ communione quam quis in mortis periculo fecerit ? Quidni, inquam, asseremus virum sacrilegii, quod in flagitiosâ communione admisit, reum, ad alteram sanctioremque communionem obligari ? Si enim Clericus, qui alicui rei debitam attentionem in officio recitando interrumpenti, dat operam, ad officium deintegro recitandum obligatur, quidni Christianus in statu peccati lethalis communicatus, alteram communionem eamque cum debitâ pietate conjunctam obire teneatur ? Siquidem sicut Clericus tenetur repetere officium, quia inter ejus recitationem exercuit actum attentioni debitæ contrarium ; ita etiam ille de quo sermo est, tenetur iterare communionem quam in statu peccati mortalis ab debitâ v. Sacramento reverentiâ penitùs abhorrentis obiit.

Præterea hujusmodi homo qui ex gravi morbo divinâ ope & misericordiâ receptus est, uno saltem memoris animi titulo redire debet in gratiam cum Deo suo, cujus inexhaustam liberalitatem summamque charitatem in venerabili Sacramento potissimùm exhibitam, in probabili mortis periculo sacrilegâ communione violavit. Si hunc gratitudinis officio defuerit, nemini dubium est, quin sese devinxerit gravissimo, teterrimoque ingratitudinis vitio, quo vix ullum sceleratius & atrocius aut admitti, aut excogitari potest. Itanè Christianus qui incredibili Dei misericordiâ è lethi faucibus ereptus revaluit tantæ gratiæ immemor erit, & eo cæcitatis & iniquitatis procedet, ut illum ipsum Deum unum restitutæ salutis authorem inexplicabili afficiat contumeliâ, & ab ipso ad infensissimum, & capitalissimum ejus hostem diabolum perseveratâ voluntate descisear, & superbissimi istius Tyranni sævam fœdamque tyrannidem præpotentis Dei imperio, & obsequio excæcatæ mentis impetu anteponat ? Neminem arbitror fore qui hunc hominem gravissimi peccati reum esse pronuntiet.

Quæstiuncula XVI.

Utrùm energumenis concedenda sit sacra Communio ?

Respondeo cum distinctione. Vel enim energumeni seu arreptitii habent lucida quædam intervalla vel non habent : Si lucidis gaudent intervallis & Baptismatis Sacramento sunt initiati, haud dubiè iis est concedenda communio, ut constat ex can. 37. Concilii Illiberitani, qui talis est : *Eos qui ab spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet : si verò fideles fuerint, dandam esse eis communionem.* Hæc ibi.

Hoc ipsum statuitur ab Concilio Arausicano 1. can. 14. in hæc verba : Energumeni jam baptizati si de purgatione suâ curent, & se sollicitudini Clericorum tradant non risque obtemperent, omnimodè communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonum quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior. Hactenùs cit. Canon.

Hujusmodi Canones probant arreptitiis olim denegatam fuisse communionem, nisi lucidis gauderent intervallis, id est ad tempus ab importunâ Dæmonum infestatione liberati cernerentur, & interim precibus, & aliis pietatis operibus incumberent pro suâ emundatione impetrandâ & communionem peterent.

Ac re, sa quidem nonnulli arreptitios Eucharistiæ beneficio & adminiculo ab Dæmonum infestâ vexatione liberatos esse locupletissimi Authores commemorant.

Testis est puella ex Arabum gente oriunda, quæ (ut legere est apud sanctum Prosperum in libro de promissionibus & prædictionibus Dei sub titulo dimidium temporis de signis Anti-Christi capite sexto) cum ablueretur in balneo simulachrum quoddam Veneris impudicè respiceret, & seipsam ipsique se consimulans domicilium se Diabolo præbuit. At peracto sacrificio cum breve particulam Corporis Dominici tinctam à sacerdote percepisset, per septimanas mandens trajicere non potuit, cum ejus faciem sustentasset Sacerdos, ne sanctum projiceret, & suggerente quodam Diacono Calicem salutarem ejus gutturi Pontifex applicasset, statim atque locum illum, quem Diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit ; Sacramentum quod ore gestabat, cum laude Redemptoris sese transglutiisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei ; quod post octoginta, & duos dies diabolo expulso, puellæ de potestate inimici erepta fuerat. Oblatio itaque gratiarum actionis pro eâ fit. sacrificiique percipiens certam partem, prisco est reddita usui. Hactenùs S. Prosper.

Præterea communionem etiam energumenis fuisse

concessam probatur insigniter ex Cassiani Collationum 7. capite 29. & 30. ubi Germano Abbati de energumenorum communione sciscitanti respondet Serenos his verbis : Communionem arreptitiis sacrosanctam à senioribus nostris numquam meminimus interdictam : quin imò si possibile esset, etiam quotidiè eis impertiri eam debere censebant : Nec enim secundum Evangelii sententiam quam congruè huic sensui coaptatis : Nolite sanctum dare canibus, ad Dæmonis escam sacro-sancta Communio, & non potiùs ad purgationem ac tutelam corporis animæque pervenire credenda est : quæ ab homine percepta, eum qui in membris ejus insidet spiritum, seu in ipsis latitare conatur, velut exurens fugat incendio. Hoc namque modo Curatum & Abbatem Andronicum aspeximus aliosque quamplures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cum eum à cælesti medicinâ viderit segregatum, tantoque diriùs ac frequentiùs attentabit. quanto eum ab spirituali remedio longiùs senserit abdicatum. Hæc apud Cassianum loco cit. legere est.

Huic loco subjicit monitum de arreptitiorum communione, Illiberitani scilicet Concilii Canonem (29.) observandum esse, nec licere Communionem Corporis Domini Dæmoniacis (dum eo spiritu exagitantur) vel furiosis impartiri, nec eorum nomina singulatim & publicè in sacrificio recitare ; etsi generali oratione pro energumenis Sacerdos orare possit : ut divinâ sacrificii, & orationis virtute fovente, cesset perversa tentatio : quod docuit nos D. Clemens ipsius orationis formulam tradens lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 7. & 8.

Ad hæc accedit authoritas Timothei sanctissimi Alexandrinorum Episcopi qui in suis Responsionibus cap. 3. dicit obsessos à dæmonibus esse, non singulis diebus, sed statis dumtaxat temporibus communicandos & iisdem in fine vitæ constitutis (si baptizati fuerint) communionem non esse denegandam, si nimirùm, id citra irreverentiæ periculum factitari valeat : Quod & Concilii Illiberitani can. 37. constitutum est ut suprà vidimus.

Tametsi duo illi Concilii Illiberitani Canones, vicesimus scilicet nonus & tricesimus septimus, quos suprà recitavimus, sibi invicem repugnare videantur : facilè tamen conciliari possunt ; si nimirùm Canon 29. intelligatur de energumenis nondum baptizatis, in quibus scilicet nondum est vis Dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum, ut ait S. Thomas q. 80. cit. a. 9 ad 2. Vel si ipse Canon intelligatur de energumenis integrà sanitate potius ; Canon autem 37. de energumenis lethali morbo correptis, & quantum conjicere licet, depositis accipiatur ; Iis enim ad ultimam vitæ lineam adactis, & ad fideles per Baptismum aggregatis communionem impartiendam esse illo ipso Canone statuitur. Ita quippè susceperat veteris Ecclesiæ consuetudo ut arreptitii in ipso imminentis mortis dumtaxat periculo cõmunicarentur : quia etiamsi aliquando viri boni & insontes occulto Dei judicio ab erratico spiritu arriperentur, frequentiùs tamen ab eodem ipso spiritu vexabantur, qui ex Baptismaris innocẽtiâ per grande quodpiam & capitale peccatum & excommunicatione plectendum, exciderant. At hujusmodi consuetudo tem S. Thomæ temporibus exolevisse, creditur : siquidem loco proximè citato asserit de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, eamdem esse rationem, id est idem esse sentiendum & dicendum ac de aliis amentibus, quorum amentia, si intervallata fuerit, nihil prohibet, quominùs iis, sicut & cæteris fidelibus Eucharistia porrigatur.

QUÆSTIUNCULA XVII.

Utrùm rationis usu carentibus Eucharistia administrari debeat ?

HÆC quæstio non potest meliùs resolvi quam ipsis S. Thomæ verbis ita loquentis 3. p. q. 80. a. 9. in c. Dicendum, inquit, quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter : uno modo quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui malè videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum.

Alio modo dicuntur aliqui non habere usum rationis totaliter : aut igitur numquam habuerunt usum rationis, sed sic à nativitate permanserunt : & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullomodo præcessit hujus Sacramenti devotio : aut non semper caruerunt usu rationis, & tunc si priùs, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitûs, vel expuitionis. Unde in Concilio Carthaginensi IV. c. 76. ut & refertur in Decret. 26. q. 2. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam ; etsi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Hactenùs Conc. Carthag.

Amentibus igitur & phreneticis, quorum infirmitas intervallata fuerit, & qui inter lucida quæ habuerint intervalla suæ erga v. Sacramentum devotionis signa ediderint, illud ipsum v. Sacramentum in articulo mortis porrigendum est, modo vomitionis, vel alterius indignitatis, seu irreverentiæ & incommodi periculum nullum metuendum appareat.

QUÆSTIUNCULA XVIII.

Utrum surdis & mutis à nativitate Eucharistia in ipso mortis articulo sit porrigenda ?

RESpondeo hujusmodi hominibus impertiendam esse Eucharistiam, si dum essent sani & incolumes divinis mysteriis & officiis libenter, & religiosè interfuerint, si cum honoris & reverentiæ testificatione Deum adoraverint, & externo corporis habitu testati fuerint se realem Corporis Christi in hoc Sacramento adorandi præsentiam credere, & ardens quodpiam ejusdem corporis percipiendi desiderium nutibus & signis patefecerint, si denique præmissâ Sacramentali Confessione, quæ ab iis per nutus, & signa extorqueri potuerit, pectoris tunsione, & aliis id genus indiciis conceptum de peccatis dolorem, sicut & piam & religiosam animi voluntatem, præ se tulerint : Haud dubiè ipsis impertienda est Eucharistia. Ex adverso si nulla id genus suæ erga divinissimum Sacramentum pietatis indicia, vel certè pauca & frigida, dederint ipsis deneganda est. Neque enim passim porrigi debet sed iis dumtaxat qui Corpus Domini dijudicare possunt.

Unde licet divina lex de percipiendâ Eucharistiâ ab Christo Domino, & ad certum tempus ne in plures annos ejus perceptio differretur, Ecclesiæ authoritate (per Canonem Omnis utriusque sexus, &c.) determinata ad omnes fideles pertineat, dicendum est tamen eos excipi, qui nondum per ætatis imbecillitatem ad rationis usum pervenerunt, utpotè qui nec sacrum Christi Corpus ab profano vulgarique pane sciant secernere, neque ad illud accipiendum debitam ani-

mi pietatem & religionem afferre valeant. His de causis vetus & quibusdam in locis usurpata Eucharistiæ pueris porrigenda consuetudo prudentissimo Ecclesiæ judicio & authoritate abrogata penitùs exolevit.

Quâ verò ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo meliùs constituere poterit, quam pater & Sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, & à pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant: ut insigniter monet Catechismus Romanus.

Quæstiuncola XIX.

Utrùm grassante pestilentiâ Parochi suis Parochianis pœnitentia & Eucharistiæ Sacramenta sub pœnâ peccati lethalis administrare teneantur?

Respondeo, Parochos ad administranda suis Parochianis pestilentiâ correptis pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta sub pœnâ peccati lethalis obligari: nec ullam afferri posse rationem, per quam ab hoc onere eximi valeant. Si enim afferretur aliqua ratio, peteretur maximè ex periculo, ad quod Parochi inter administranda hujusmodi Sacramenta accederent.

Sed ista ratio scripturarum authoritate eliditor. Id enim declarat Spiritus sanctus, 1. Joann. c. 3. v. 16. *In hoc cognovimus*, ait, *charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: Id est, voluntariam mortem oppetere, si cætera paria sint, ne fratres nostri in æternum ruant interitum. Nam id charitatis præceptum & ordo à nobis exigit, ut plus animam proximi, quam corpus nostrum diligamus, & honorem & gloriam Dei, quæ in animarum salute potissimùm vertitur & insistit, aliis omnibus anteponamus. Postulat autem interdum honor & gloria Dei, ut pro tuendâ, conservandâque temporali proximorum vitâ nostram ipsorum vitam periculo offeramus; quoties scilicet ea res ulterius ad æternam ipsorum salutem ordinatur: quam ad rem, etsi fideles non ex officio teneantur, debent tamen eam tenere charitatem, quâ parati sint mortem pro fratribus oppetere, quoties tale charitatis testimonium eorumdem fratrum salus & gloria Dei ab ipsis exegerit.

Si hoc præceptum in eo rerum articulo universos fideles obligat, multo magis Parochos obligabit: utpotè qui non solum ex præcepto cæteris fidelibus indicto, sed etiam ex officio ab Ecclesia ipsis nominatim imposito eximium illum charitatis actum debitis temporibus & locis exercere teneantur. Hanc Parochorum obligationem insigniter inculcat sanctus Carolus Ecclesiasticæ disciplinæ instaurator acerrimus, in Concilio Mediolan. V. in Constitutionum parte 2. de cura pestilentiæ sub tit. de præsentia & constantia omnium:

Parochi autem, inquit, animarumve curatores tantum abest, ut necessario eo tempore populum, cujus curam gerunt, aliquo modo destituant, ut fixa animi deliberatione sibi statuendum putent omnia prorsùs etiam mortis pericula paratissimo animo subire potius, quam fideles Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipuè in curam traditos, in summa penè omnium adjumentorum penuria deserere. Hæc ibi.

Ac reipsa quidem omnes animarum Pastores ad vitam pro suarum salute ovium impendendam adhortatur Christus Jesus in persona Petri, quem primum Pastorem Ecclesiæ suæ præfecit his verbis; Pasce oves meas: Hoc est eo modo pasce & dilige, quo & pavi & dilexi: Pasce igitur & dilige ita ut earum causâ sanguinem effundas, si id à te earum salus exegerit; Hunc esse Christi sensum testatur S. Augustinus tract. 5. inc. 3. 1. Joannis. *Quid illi*, inquit, *poterat retribuere Petrus qui amabat illum? audi quid. Pasce oves meas. Id est, fac pro fratribus, quod pro te feci. Omnes sanguine meo redemi: Nolite dubitare mori pro veritatis confessione & ut cæteri vos imitentur.* Hæc ibi.

Si quis igitur inveniatur Pastor qui suas oves pestilentiâ conflictatas deserat, id est, Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ ipsis in eo morbi lethalis articulo apprimè necessaria porrigere abnuat, nonne ad Pastores mercenarios, tam in hoc sæculo, quam in altero aggregabitur, & horrendo illo percelletur anathemate, quo Doctor gentium omnes qui non amant Dominum nostrum Jesum Christum perculit? In hoc enim verus Pastor ab mercenario sejungitur, quod animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves. Non sunt Pastores, sed mercenarii, sua quærentes, id est, non gratis Christum diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes, ut ait sanctus Augustinus Tractat. 46. in capite 10. Evang. Joannis.

Cum hujusmodi Pastores (si tam sancto & augusto nomine appellati possunt) in perpetuo lethalis flagitii statu & affectu jaceant, an ab peccato lethali eximi poterunt, cum fugiunt videntes lupum, id est, cum debita & necessaria pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta denegant suis ovibus ad ultimam vitæ lineam redactis, ne vitæ mortalis & caducæ periculum adeant, ad quod tamen eos duplici nomine genimo nempè Christianæ charitatis & Pastoralis officii titulo propositâ mortis æternæ pœnâ accedere necesse est.

Quis enim v. g. ab peccato lethali eximat hominem, qui panis frustulum proximo alioquin brevi morituro denegaret, eumque suâ immanitate inediâ confici pateretur, imò ipse conficeret? Qui enim pauperem non pascit, interficit. Quis, inquam, inhumanum illum ab peccato lethali immunem pronuntiare velit? Nemo, sanè: Ergo multò magis Parochus incusandus est, & eo graviori flagitio accersendus, quo certius æterna proximi salus temporariam hanc corporis vitam antecellit: utpotè qui subtrahendo suis ovibus, tam necessaria pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, præsidiaque ipsis non brevem, fugacemque, sed vitam (quantum in ipso est) adimit sempiternam.

Cum igitur Pastor, ut constat ex dictis, degeneri quopiam metu fractus suis Parochianis præfata Sacramenta porrigere abnuit, peccet contra charitatem & contra justitiam, an quispiam eum in lethalis peccati reatum incurrere inficiabitur? Nemo sanè id inficiari potest, quin se plerisque omnibus Theologis deridendum præbeat. Quis enim ignorat quantâ severitate arguantur Pastores Israël, qui neglecto grege suis dumtaxat commodis inserviebant.

Quid quod apud Ezechielem Prophetam, cap. 34. hæc dicit Dominus Deus. Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonnè greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, comedebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentiâ. Et dispersæ sunt oves meæ; eo quod non esset Pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Et non erat, inquam, qui requireret. Hæc ibi.

Si Pastores hisce verbis ab ipsomet Deo adombrati insontes habeantur, omni pariter culpâ vacare dicendi sunt Parochi, qui suos Parochianos grassante pestilentiâ correptos sine saluberrimo pœnitentiæ pariter & Eucharistiæ viatico decedere patiuntur: quod longè abhorret à vero. Nam idem omninò criminosâ su

incuriâ factitant, quod prædicti Pastores Israël factitasse memorantur. Suos enim eo pacto deserendo quod infirmum est, non consolidant, quod ægrotum est, non sanant, quod confractum est, non alligant, quod abjectum est, non reducunt, quod denique perit, non quæritant. Ergo proculdubiò nisi hominibus pestilentiâ laborantibus præfata Sacramenta vel per se, vel per alios administrent, peccant lethaliter, ita ut ab lethali flagitio excusari nequeant.

Quod peccatum, ut fugerent omnes ad animarum regimen admoti, omnes Parochos & Sacerdotes suis & exemplis, & verbis, ad opem dirâ lue correptis, in porrigendis præsertim Sacramentis afferendam, mirabilem in modum incitavit S. Carolus Borromæus, quem Ecclesia Dei velut vitiorum omnium debellatorem acerrimum, & virtutum omnium exemplar absolutissimum toto terrarum orbe veneratur.

Exemplis enim peste conflictatos sic adjutandos esse docuit, ut ipse prior ad omnia, quæ in eo rerum articulo adiri possunt, pericula impavidus accesserit. Sacramentis quippè hujusmodi homines communire, panemque ipse cælestem moribundis porrigere, quodque, ob majus à contagio periculum, mirabilius est, illos ipsos extremam ad luctam ritu Catholico inungere non refugiebat. Quid quod lactentis infantuli miseratione permotus, cui inter utrumque parentem lue jam extinctum jacenti certum exitium supererat, casam intrepidus subiit, arreptum manu infantulum ulnis excepit, è lethi faucibus extraxit, stupentibus qui aderant, qui & tale factum, eo quod incredibile videretur, interpositâ jurisjurandi religione posteà prodiderunt.

Dies me deficeret si vellem, vel complecti orando, vel percensere numerando omnia officia & beneficia, quæ ingeniosâ pariter & indefessâ charitate in hujusmodi homines omni alioquin humanâ ope destitutos contulit. Uno tantùm verbo complectar omnia, si dicam ab ipso in publicâ calamitate esse præstitum, quicquid illi flagrantissima charitas, quicquid effusissima liberalitas, quicquid pastoralis vigilantia, quicquid ardentissimum divinæ gloriæ studium, quicquid zelus animarum, quicquid denique fides, spes, charitas, humilitas, fortitudo & cæteræ virtutes Christianæ suggerere potuerunt. Ita ut & veri Christiani, & Præsulis dignissimi, & parentis supra modum & amantis, & amabilis, partes omnes & numeros, non solum explesse, sed etiam infinitis accessionibus cumulasse videatur.

Præterea pulcherrimam & efficacissimam orationem habuit ad Sacerdotes universos, quos per illam Seraphicis propemodùm ardoribus inflammavit. Quid enim hisce verbis ad animos accendendos aptiùs afferri potuit? Neque verò, inquit, novum ad vos nunc affero charitatis ardorem. Ita Patres nostri, Dei Spiritu incitati, in re simili fecerunt (grassante pestilentiâ mortis periculum adierunt) & ita faciendum docuerunt: quemadmodum ex veterum scriptis, jussu nostro collectis, editisque satis apparet. Imò opus ejusmodi ita extulerunt, quod ad animos nostros stimulandos maximè valeat, ut martyrii genus esse confirmarent. Optabile sanè tempus, quo absque tyranni crudelitate, sine equuleis, sine ignibus, sine bestiis, & omninò sine illâ cruciatuum asperitate, quæ humanæ imbecillitati maximè solet esse formidabilis, martyrii palmam consequi possumus: imò & sine eâ acerbitate possumus, quæ solet semper cum hujusmodi morbo esse conjuncta, ut ægroti destituantur ab omnibus, nulliusque ope subleventur. Quod ægro cuicumque dabitur, id multò minus negabitur ægrotum patri, nobisque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit. Sperare quisque potest incolumem se fore id multo majori ratione quam alii ferè innumerabiles, quos videmus, nullâ cautione, nullâ etiam temperantiâ, in medio pestilentiæ æstu assiduè versari: sed si morbum quis contraxerit, quando alii deficient, ego ipse, qui egenorum causâ inter vos quotidiè versabor, adero, mihi curæ erit. Utraque salus vestra, ego libenter subveniam, ego me, si opus fuerit, factorum ministrum jam nunc vobis offero; qui quidem divinâ ope fretus, neque laboribus, neque periculis ullis parcere decrevi, ut pastorali officio meo satisfaciam, & quibuscumque rebus potero, gregis mihi commissi saluti serviam.

Hujus orationis vim talem ac tantam se auditores sensisse testati sunt, ut ex eâ sibi aculeos & vincula injici arbitrarentur, & humanâ quidem facultate nihil efficacius fieri posse judicarent.

Res ipsa declaravit quid Caroli oratio divinâ vi roborata posset: Continuò enim Sacerdotes circiter viginti octo sese ad ægros sacris rebus omnibus adjuvandos promptos esse professi sunt; quo quasi fundamento jacto alii multi præsto fuere: neque unquam posteà defuerunt toto ipso pestilentiæ tempore qui mortuis succederent, & ubi Carolus juberet, operam suam liberè ponerent. Hæc ex quarto libro S. Caroli vitæ ad legentium ædificationem excerpere placuit.

Ex ista sanctissimi Præsulis oratione duo colligere licet.

1o, Obligationem succurrendi hominibus pestilentiâ laborantibus, quam ipse S. Carolus confirmat sanctorum Patrum authoritate, & ex suo officio sibi & aliis Pastoribus impositam esse profitetur.

2o, Illâ ipsâ oratione declaratur quanta merces proposita sit iis omnibus, qui vel ex merâ charitate, vel ex charitate pariter & officio inter ministeria personis dirâ lue conflictatis, impensa decesserint. Illi nimirùm qui talem oppetunt mortem, illustre martyrium obeunt: Et eos ut Martyres fidelium pietas venerari solet: & eorum pietati Catholica suffragatur Ecclesia. Nam Martyrologium Romanum pridiè Kalend. Martii hujusmodi hominum memoriam celebrat his verbis: Alexandriæ commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit. Hæc ibi.

Reverà heroïcis illis Ecclesiæ temporibus hujusmodi viris Martyrii lauream uno fidelium assensu fuisse delatam testatur Dionysius Episcopus Alexandrinus in Epistolâ ad Hieracem Episcopum inscriptâ, quæ legitur apud Eusebium Pamphili hist. Eccl. lib. 7. c. 20. 21. & 22. ex Edit. Valesii, in quo c. 22. de præfatis hominibus ita prædicat: Neque à nobis abstinuit lues illa, licet in Gentiles plurimum sit grassata. Plurimi quidem ex fratribus nostris ob nimiam charitatem, curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuò adhærescentes, dum ægros securè atque audacter invisunt, eisque assiduè ministrant, & curationem adhibent in Christo, unà cum illis interierunt. Et paulò pòst. Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, & alii ex populo laudatissimè mortem oppetiere: Adeo ut hoc mortis genus ob pietatem, fideique constantiam martyrio nequaquam inferiùs habeatur. Hæc ibi.

Ex dictis satis constat quanta peste laborantibus duo prædicta potissimùm Sacramenta ministrandi necessitas universis animarum Rectoribus incumbat. Si quis dicat talem necessitatem non pertinere ad Sacramentum Eucharistiæ, sicut ad pœnitentiæ Sacramentum pertinet.

Respondeo hîc non nos disputare, utrùm æquali necessitate Parochi duo illa Sacramenta dirâ lue correptis porrigere teneantur. Ut enim probem ipsis porrigendam esse Eucharistiam, mihi sufficit elicitum ex diuturnâ consuetudine præceptum, quo Ecclesia omnibus Christianis in probabile vitæ discrimen addu-

ctis Eucharistiæ perceptionem indixit. Inde enim colligo Parochis Eucharistiæ fidelibus ad ultimam vitæ lineam redactis ministrandæ præceptum esse pariter impositum. Cum enim omnia Parochorum & Parochianorum munia, officiaque sese mutuò & necessariò respiciant, seu, ut loquuntur Logici, sint correlata, nihil potest ex hujuscemodi officiis Parochianis injungi, quin illud ipsis Parochi præstare teneantur. Christiani, verbi gratiâ, tenentur audire verbum Dei, ergo & Parochi tenentur ipsis annuntiare illud ipsum verbum Dei: Et sic de cæteris.

Unde infero. Ecclesia jubet omnes Christianos in probabile mortis periculum illapsos suscipere Corpus Christi, ut in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei: ergo Parochi illud ipsum iis Christi Corpus administrare debent, quodcumque ipsis ex tali Corporis Christi administratione periculum emergat, ut paulò antè probavimus.

Reverà illa percipiendæ in articulo mortis Eucharistiæ consuetudo, ab Apostolis & Apostolorum successoribus tot jam sæculis volventibus transmissa jam pridem legis, velut ab Ecclesiâ promulgatæ vim obtinuit, quæ sine ingenti scandalo violari nequeat. Unde Concilium Nicænum Can. 12. Ancyranum Can. 6. Agathense, Can. 11. Arelatense. 11. Can. 12. Arausican. 2. Can. neminem è corpore exeuntem necessario suæ saluti Viatico defraudandum esse statuerunt.

Quapropter omnes Christiani in publicis conventibus & orationibus verum Christi Corpus ex & in Virgine assumptum, & in Cruce immolatum, sibi in mortis examine prægustatum expetunt & flagitant, ut in Christo Jesu oppetitâ morte repleantur sempiternâ divinitatis ejus fruitione, quam ejusdem pretiosi Corporis & Sanguinis temporali perceptione præfiguratam toto amoris impetu præcerpserint.

Si quis objiciat plures Parochianos ab suo Pastore derelictos omni ope destitutum iri, si Parochus paucorum peste laborantium & periclitantium saluti consulat, & præsentissimum (quantum conjicere licet) mortis periculum adeat.

Respondeo unumquemque semper majori & urgentiori sui, vel proximorum necessitati, ut patet vel ex ipso lumine naturali, succurrere oportere, atque adeò relinquendos esse sanos & incolumes, ut periclitantium, vel paucorum æterna salus in tuto pro humanarum virium modulo statuatur. Quod satis, superque demonstrat parabola Evangelici Pastoris, qui, ut est apud S. Lucam cap. 15. cum haberet centum oves, & ex illis, vel unam perdidisset, reliquit nonaginta novem in deserto, & perditam, & errabundam illam quæritavit, donec inveniret & sublatam in humeros cum ingenti gaudio reportaret.

Hujusmodi Pastoris unam sui gregis oviculam amor, primis Christianis ita placuit, ut ipsius inventam illam oviculam in humeros impositam, reportantis imaginem sacris passim calicibus appingerent, ut commemorat Tertullianus.

Porrò si quis Parochus, aut quilibet alius animarum rector, allatis testimoniis, rationibus & exemplis adduci nequeat, ut arbitretur ex gemino charitatis & justitiæ præcepto sibi incumbere necessitatem personis dirâ lue correptis, etiam cum probabili periculo mortis opitulandi, & salutaria morituris pariter & necessaria Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta administrandi, perpendat quæso divina illa Christi Jesu verba, qui, ut refert S. Lucas Evangelii sui cap. 9. v. 23. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* Et ibidem v. 24. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nā qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Et v. 25. seq. *Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?*

Item Joann cap. 12. v. 25. *Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quisquis hæc Christi Domini oracula seriò & totâ mentis contentione & attentione perpenderit, haud dubiè nullum mortis quantumlibet impendentis periculum extimescet oblatâ occasione, quâ desperatæ alioquin aut periclitatæ proximorum pestilentiâ flagrantium saluti consulere oporteat.

Quod si quis Parochus pulcherrimam hanc mortis, imò martyrii obeundi occasionem elabi, suosque Parochianos peste illigatos necessario pœnitentiæ & Eucharistiæ Viatico defraudatos interire patiatur, non propterea vitam suam ab omni pestilentiæ afflatu sartam-tectam existimet. Nam accepimus ab idoneis & oculatis testibus quemdam Parochum de procurandis Sacramentorum administratione Parochianis, in quos pestis sævissima grassabatur, admonitum respondisse, se non esse Parochum hominum dirâ lue laborantium, & paucis pòst diebus illo ipso pestilentiæ morbo percitum obiisse. Qualis autem illa mors, an videlicet pretiosa mors Sanctorum, an mors peccatorum pessima extiterit, nemo judicare potest, aut debet, ne animadvertendâ temeritate in cœlum os suum posuisse videatur. Omnes tamen talia Dei judicia semper occulta, numquam injusta, formidare debent, & singulari humilitate flagitare Salvatoris gratiam, cujus adminiculo nusquam declinent ab officii sui religione, cum præsertim eorum opem proximorum salus alioquin desperata, aut certè periclitata postulabit.

QUÆSTIUNCULA XX.

Utrùm hominibus periculosè laborantibus concedenda sit Communio, quæ ipsis aliàs deneganda crederetur, & præterea utrùm qui sani & incolumes communicare volunt, sese ad sacram Communionem comparare teneantur; perindè ac si ad ultimam vitæ periodum essent devoluti?

AD primam hujus Quæstiunculæ partem respondeo affirmativè, fretus authoritate Conciliorum; quæ quidem, ut superiori Quæstiunculâ vidimus, neminem ex hoc sæculo exeuntem necessario Viatico fraudandum esse statuunt. Tunc enim quilibet Ecclesiæ Minister usurpat has S. Augustini voces, pœnitentiam do, securitatem non do. Christianis scilicet, sivè vitam verè Christianam egerint, sivè aliam ab ipsa abhorrentem duxerint, porrigantur Sacramenta si pœnitentiæ signa dederint, ne Ecclesia, quæ semper suos maternâ teneritudine & indulgentiâ complectitur, ipsos in mortis articulo, in quo spiritualibus & divinis, ut cum maximè præsidiis indigent, duriùs adhibere & deserere videatur.

Tali indulgentiâ erga moribundos utendum esse docuit Clerus Romanus in litteris ad S. Cyprianum de recipiendâ lapsorum pœnitentiâ inscriptis. *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus* (verba sunt Cleri Romani) *sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur. Eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ & professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus, dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit; ita demùm cautè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat; & qualiter judicii sui examinet pondera: nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Hactenus Clerus Romanus qui in Synodo consistâ ex indigenis & alienigenis Episcopis, qui per-

placentia locutum, seu suis cupiditatibus obsecutum nancisceretur. Quæ quidem sententia ab quibuscumque procusa fuerit, & in vulgus edita, perniciosa est & pestifera: quippè quæ homines à veritate auditum avertentes, & non solùm ad fictas fabulas, sed etiam ad pravas libidines conversos, in æterna inferorum supplicia detrudat.

Quod sanè veriùs est, quàm ut probari debeat. Ex quo enim aliquis quæritat Doctorem suis desideriis, pravisque cupiditatibus astipulantem, reus est apud Deum eo nomine, quod non quærat divinam legem, cui pareat, sed latebras quærat suæ cupiditati, cui toto corruptæ mentis imperio satisfaciat.

Ex adverso quisquis benè animatus est erga Deum & Christum Jesum, si aliquâ de re stimulante conscientiâ dubitet, adibit ad peritiores, severioresque magistros, ex quorum ore divinam voluntatem & legem excipere valeat: & hoc pertimescit unum, ne vanis, & pestiferis adulantium hominum opinionibus, & commentis imbutus, & illusus ab angusto salutis tramite deflectat.

Quæstiuncula III.

Quanto & quam immani se flagitio devinciant, qui indignè Corpus Christi percipiunt?

Quamquam plures nec infimæ notæ Theologi rectè doceant peccata immediatè in Deum admissa, qualia sunt infidelitatis, & blasphemiæ, & alia quæcumque crimina Theologicis virtutibus opposita, esse omnium peccatorum gravissima, atque adeò peccatum indignè communicantium, non esse omnium peccatorum gravissimum; est tamen tantum & tam immane & detestabile, ut sancti Patres, verbis ad ejus immanitatem graphicè depingendam idoneis carere videantur.

Istius autem criminis atrocitas in eo potissimùm posita est, quod indignâ Communione Christus Jesus in propriâ personâ gravi contumeliâ inquinatur. Nam si injuria, quâ ipsamet Principis persona violatur, judicatur omni condonatione indigna, an ullâ veniâ dignus censebitur qui lacessiverit Deum ipsum, & in sanctissimo, augustissimoque nostræ Religionis Mysterio, referventi sacrilegio violaverit.

Huc accedit quod Christianus indignè communicans, admittit teterrimam ingratitudinem, utpotè qui præstantissimum donum, & nobilissimum divini in homines amoris pignus & monimentum nobis à Christo collatum, ad inferendam ipsimet Christo contumeliam adhibeat: eoque procul per sacrilegam Communionem ablegato, ceu perfidus desertor ad dæmonis partes & castra transeat, ipsius Christi ingratiis, qui instituerat venerabile Sacramentum, ut fideles sibi arctissimo divinæ charitatis vinculo copularet.

Istud sacrilegium primo aspectu immane & horribile apparet, sed multò immanius & horribilius apparebit homini, qui sanctorum Patrum maledicta, imò fulmina in ipsum vehementiùs contorta, attentiùs expendere voluerit.

Sanctus Basilius Ecclesiæ Græcanicæ clarissimum lumen, qui sanctissimas ad legitimam Eucharistiæ perceptionem dispositiones, si quispiam alius, exegit, & explanavit, hujus criminis atrocitatem mirabiliter adombravit libro secundo de Baptismo in respons. ad quæstion. 3. *Gravissimum*, inquit, *in lege Deus adversum eos decrevit, qui cum sint immundi, sacra audent contingere. Typicè namque illis quidem, nobis verò admonitionis gratiâ scriptum est ad hunc modum: & locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Dic Aaroni & filiis ejus, & attendant à sanctis filiorum Israël, & non profanabunt nomen sanctum meum, quicumque illi mihi sanctificant. Ego Dominus. Dic illis in generationibus ipsorum: quisquis hominum ab omni vestro semine ad sancta, quæcumque filii Israël Domino sanctificant, in immunditiâ suâ constitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie meâ, Ego Dominus. Si tales minæ adversus eos positæ sint, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum, de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hîc est templo, secundum Domini vocem, tantò gravius & terribilius est in anima impuritate constitutum Corpus Christi temerè contingere, quam sis accedere ad arietes vel tauros.* Et paulò post.

Quod si in immunditiâ tantùm constitutus tam terribile judicium habet, quantò magis, qui cum in peccato sit, Corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium? mundemus itaque nos ab omni inquinamento, atque ita ad sancta accedamus, ut judicium eorum qui Dominum occiderant, effugiamus. Propterea quod quisquis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Hactenùs S. Basilius, quem tantis laudibus extulit S. Gregorius Nazianzenus, quem tantoperè suspexit S. Ambrosius, quem denique universæ terræ lumen appellari non dubitavit Theodoretus.

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus, qui præcipuâ castitatis & eloquentiæ, vitæ & doctrinæ laude effloruit ad gloriam, ut testatur S. Hieronymus, indignæ Communionis sacrilegium verbis fulminantibus persequitur. *Vos ergo*, inquit, *primum appello fratres, qui criminibus recusatis*, inquam, *post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri: qui cum malâ conscientiâ Dei sancta contingitis, & Altare Domini non timetis: qui ad manus Sacerdotis qui in conspectu Angelorum sub fiduciâ innocentia acceditis, qui divinæ patientiæ insultatis, qui tacenti Deo, velut nescienti pollutam animam, & profanum corpus ingeritis. Audite quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit. Cum populus Hebræorum Hierosolymis arcam Domini reportaret, & ex domo Aminadab Israëlitis, Oza, qui non exploratâ conscientiâ latus arcæ attigerat, occisus est, & tamen ille, non ut aliquid ex eâ sumeret, sed ut declinantem ad lapsum vituli, contineret, accesserat: Tanta fuit cura divinæ reverentiæ, ut audaces manus, nec ad auxilium sustineret. Clamat idem Dominus, & dicit: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque contigerit de carne sacrificii salutaris, & immunditia super illa est, pereat anima illa de populo. Clamat Apostolus, & dicit: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non discernens Corpus Domini. Intremuistis, an non? Reus erit*, inquit, *Corporis & Sanguinis Domini. Humana animæ reus, non posset absolvi, Dominici Corporis violator evadit? Evigila peccator, time in visceribus tuis præsens judicium, si quid tale fecisti; Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Jam si quis futura non metuit, vel præsentem ægritudinem, præsentemque obitum reformidet.* Et paulò pòst, *Intellige quantum sceleris admittat, qui ad Altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissolvitur.* Hactenùs sanctus Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam.

Sanctus Joannes Chrysostomus serm. 30. de proditione Judæ Tom. v. declarat exemplo Judæ quantis afficiantur pœnis qui indignè communicant. *Nullus*, inquit, *fictus accedat, nullus fucato animo tantis audeat appropinquare mysteriis, ne condemnetur, & sententiam mereatur, & quod Judas sustinuit, patiatur. Nam in illum post Communicationem Mensæ diabolus intravit, non quod contemneret Dominicum Corpus, sed contemnens Judam propter ejus improbitatem & impudentiam, ut discas, quod in eos maximè, qui indignè divina mysteria participant, Diabolus frequenter insilit & invadit, ut tunc in Judam insiluit.*

S. Ambrosius in Psal. 118. asserit facilè in omnia

flagitiorum genera ruiturum eum qui indignè Corpus Christi percipere non horruerit. *Vos*, inquit, *miramini, quod Judas Dominum suum tradiderit, & ego non miror, Qui enim indignè communicare non trepidas, quæque flagitia perpetrare non dubitabit.* Ita S. Ambrosius, qui talibus verbis satis, superque significat eos, qui Corpus Christi sacrilegâ Communione violare non dubitant, ita deseri à Deo, ut sibi, seu suæ improbitati relicti, sese in omnia promiscuè flagitia immergere non exhorreant.

S. Augustinus ait minus fuisse Judæis crucifigentibus Christum mortalem in terris, quam indignè sacra sumentibus regnantem in cælis. Nam Judæi qui Christum Dominum in Crucem egerunt, utcumque ob ignorantiam possunt excusari; si enim dæmones quorum impulsu perciti Christum interfecere, cognovissent Dei sapientiam, id est, sapientiæ consilia, quibus Deus ab æterno suos fideles per unigeniti filii mortem ad gloriam adoptionis filiorum assumere decreverat, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, id est, Christum Jesum gloriæ nostræ, seu glorificationis nostræ Dominum, seu principem, authorem & consummatorem numquam crucifigendum procurassent, si per illud ejus supplicium viam nobis parari ad redemptionem, ad salutem & gloriam (quod erat mysterium à sæculis absconditum in Deo) vel suspicati fuissent, ut declarant sancti Patres, & imprimis S. Leo, ut legere est apud illum in sermonibus de Passione Domini, & præsertim serm. 9 17. & 18. Atque ita Judæi non fuissent hac in parte dæmonum ministri, ergo aliquatenùs excusari possunt eo nomine, quod Christum ignoraverunt. Quam excusationem sacrilegis suis Communionibus plerique omnes Christiani obtendere nequeunt: siquidem Christum Jesum Dominum gloriæ ignorare non possunt, & indè ipsis dæmonibus per indignam Corporis Christi perceptionem quodammodo sceleratiores evadunt: Dæmones enim Christum ignorando crucifixerunt; Nostri autem Christiani Christum indignè in v Sacramento suscipiunt, mille contumeliis inquinant, & quantum in ipsis est, rursùm in semetipsis crucifigunt, & in fidelibus per venerabile Sacramentum vivere gestientem interficiunt: utpotè qui illum suis in cordibus manere, vivere & operari prohibeant.

Sanctus Paulinus Epist. 31. quæ est 3. ad Aprum & Amandam, inscripta testatur eos æternis inferorum ignibus cruciandos, qui indignè ad venerabile Sacramentum accesserint: *Filii Aaron*, inquit, *ignem alienum Domino accendentes exusti sunt igne divino, quo ipsi carebant. Ignem autem mihi alienum videtur accendere, quisquis corporea, vel sæcularis alicujus cupiditatis ignem in sacrario sui cordis accendens audeat appropinquare Altaribus Domini, quæ non recipiunt nisi ignis illius accensionem, de quo ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Hoc igne nos Domine Jesu semper accende, ut illuminemur sensibus, deflagremus in vitiis. Hic enim solus, qui à te est ignis, igni resistet æterno. Habentes autem cor ardens in viâ Domini, non alienum, sed suum ignem Domino accendimus & inter ignes sæculi hoc igne muniti, sicut illi in camino pueri inter sibilantes impetu flammas rorabimur: & hymnum Domino inter incendia refrigerantia Dei filio concinente cantabimus.* Hactenùs sanctus Paulinus loco proximè citato.

Quid quod S. Joannes Chrysostomus asserit minus malum esse dæmoniacos ad Corporis Christi perceptionem, quam Christianos lethalis peccati conscios admittere. *Dico*, inquit, *horribile quoddam atque tremendum: non est ita malum dæmoniacos intùs esse, sicut istos qui peccatorum sordibus polluuntur, quos ait Paulus, Christum conculcare, & testamenti sanguinem ducere communem, & spiritus gratiam contumeliâ afficere. Multo igitur dæmoniaco pejor est, qui peccati sibi conscius accedit. Illi enim quoniam à dæmone vexantur, non puniuntur: qui verò indignè adeunt, æternis tradentur tormentis, omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Judas panem assumat, ne similia patiatur.* Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus homil. 83. in Matth.

QUÆSTIUNCULA XXII.

Quibus potissimùm pœnis Deus indignè communicantes afficiat.

SAnctus Joannes Chrysostomus hanc quæstionem ita dissolvit homil. 5 in capit. 2. 1. Epist. ad Timoth. Quia Sacerdotes, inquit, ignorant eos, qui peccatis obnoxii indignè mysteria veneranda percipiunt, Deus, eos Satanæ tradit. Quoties denique morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitatesque contingunt, & alia quælibet hujusmodi, hujus rei gratiâ fiunt. Id Paulus quoque signanter expressit. Ideò, inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Et quomodo, inquies, ista perpetimur, quùm semel tantùm per annum ea Sacramenta sumamus? Hoc nempè est quod universa perturbat, quia non munditiâ animi, verùm intervallo temporis longiore constare meritum putas, & summam arbitraris reverentiam ac religionem esse, si non sæpius cæleste illam adeas mensam: Ignoras quoniam indignè accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit: dignè verò etiamsi sæpè accedas, salutem in te conquiris? Non est audaciæ sæpius accedere ad Dominicam Mensam, sed indignè accedere, etiamsi semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, ut cum innumera per totum annum scelera perpetremus, *nihil ea curemus exuere: cæterùm satis arbitramur si non assiduè præsumamus, atque contumeliosè Christi Corpus attingere: neque intelligimus miseri, quod hi qui Cruci Christum affixerunt, semel tantùm id fecerunt. Non igitur quia semel crucifixerunt, minùs idcircò delictum est: & qui Christum prodidit, semel tantum prodidit: Numquid ergo hoc illum supplicio eripuit?* Hactenùs sanctus Joann. Chrysostomus.

Ex hoc pulcherrimo S. Joann. Chrysostomi loco duo inferuntur pœnarum genera, quibus afficiuntur quotquot indignè Christi Corpus accipiunt.

Primum genus continet pœnas quibus indignè communicantium animæ mulctantur, & hoc genus declarat S. Joannes Chrysostomus, cum affirmat Deum hujusmodi homines tradere Satanæ.

Alterum genus exprimit cum morbos & alia, quæ enumerat propter indignas Communiones, imò propter unam hujusmodi Communionem accidere asserit.

Quod spectat ad primum pœnæ genus haud dubiè gravissimum est. Quid enim terribilius excogitari potest illâ pœnâ, quâ quis Satanæ traditur, & hæc pœna infligitur indignè communicantibus, ut ex S. Joanne Chrysost. vidimus. Undè Judas, sicut instigante diabolo Christi Corpus indignè perceperat; ita & eodem vehementiùs incitante abjecit fidem Christi, ut Dei, ut Redemptoris, ut justificatoris à peccato: abdicavit omnem veniæ spem adinstar fratricidæ Caïn, omnem denique affectum amoris in offensum Deum, procul ablegavit. Itaque ingens ille dolor quo se conflictatum esse declaravit confessus se peccatum peccasse tradendo sanguinem justum, non fuit, is qui animum erigeret ad emendationem, sed horrore quodam cruciaret & obrueret conscientiam & ad desperationem damnatorum desperationi non absi-

milem ineluctabiliter impelleret.

Mirabile est & occulto Dei judicio ascribendum, quod duo Apostoli illo ipso tempore, quo Christus patiebatur, in horribile præter cæteros crimen impegerint, Judas scilicet Christum prodidit, & triginta argenteis vænumdedit, Petrus verò eumdem triplici negatione ejuravit. Si quærat aliquis, undè contigerit, ut unus desperabundus informem sibi mortem consciverit, alter verò per veram pœnitentiam ex syncero in Deum & Christum amore profectam, referventissimum trinæ negationis flagitium expiaverit?

Respondere possumus, quantum hominibus conjicere licet, istam quæ inter Judam & Petrum intercedit, differentiam probabiliter repeti posse ex eo, quod Judas indignâ Corporis Christi perceptione sibi omnem misericordiæ & veniæ aditum interclusit. Petrus verò dignâ, religiosâque Communione peccati humano timore admissi, veniam quodammodo meruit, & lacbrymis obtinuit.

Quæ ratio nihil prohibet quominùs & Judæ desperatio & Petri pœnitentia refundantur in incomprehensibilia Dei judicia, & investigabiles vias ejus quas universos homines, & maximè Christianos, religioso silentio venerari necesse est.

Huc accedit quod Christus, qui sacris in litteris Sol justitiæ nominatur, se solem in hoc Sacramento potissimùm exhibet, solem, inquam, justitiæ, utporè qui non solùm justitiam, seu sanctitatem in Christiania ad sui perceptionem ritè comparans augeat, sed etiam ultricem justitiam in sui Sacramenti violatores exerceat. Quod autem veros Christianos suo corpore & sanguine refectos suæ gratiæ uberrimis opibus impleat, nemini dubium est; quod autem in sacrilegos sui Sacramenti contemptores ultricem pariter justitiam exerceat, clarius est quam ut probari debeat.

Quemadmodum enim sol, qui quotidiè nobis oritur & occidit, lutum & alia id genus indurat, & ceram emollit; ita Christus verus sol, non temporis, sed æternitatis, corda in nefarios rerum humanarum affectus immersa indurat, non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, ut loquuntur sancti Patres. Ex adverso corda flexibilia, cerea & ut Scriptura loquitur, carnea jam suæ gratiæ victrici suavitate mollita, mollit magis ac magis, id est, uberioribus suæ misericordiæ thesauris nobilitat in dies, donec ad consummatæ gratiæ, id est gloriæ fastigium provehantur.

Quod spectat ad alterum pœnarum genus, certum est humanis corporibus, quorum ministerio sacrilega Communio perpetratur, suas pariter, sicut & animabus infligi pœnas, ut testatur S. Joannes Chrysostomus, post Apostolum aientem inter Corinthios olim, sicut & nunc inter Christianos, multos fuisse infirmos & imbecilles, & dormiisse multos, utporè qui Corpus Christi manducaverant indignè, nec illud dijudicaverant: id est, ab vulgaribus cibis non discreverant.

Cum igitur nostro hoc sæculo omnibus vitiis exaggerato, sacrilegis Communionibus omnia redundent, jure ac meritò iisdem conflictamur malis, quæ & Apostolus, & eius Interpres Joannes Chrysostomus in populos suis temporibus grassata esse commemorant.

Ex tali enim sacrilegio in Christi Corpus utplurimùm admitti solito existunt innumera mala longè, latèque per totum terrarum orbem effusa. Indè enim sic tanquam è perniciali fonte prosiliunt, bella in plurimis terrarum partibus & oris mirabilem in modum accensa; indè pestes, indè repentinæ mortes, indè assidua familiarum dissidia, indè denique profluunt infinita impietatis & scelerum genera, quæ orbem Christianum summo bonorum omnium dolore, gemituque populantur.

Multi enim, (ut S. Joannis Climaci verbis utar) insensibili mentis stupore perculsi sunt, inter preces saxei & duri, confusique, ceu cæci sunt: sacramque intuentes Mensam, nullo pietatis sensu tanguntur, & ad cæleste illud donum, quasi ad gustandum communem panem, cum venerint, affecti sunt. Ita sanctus Joannes Climacus grad. XVII. n. 9.

Indè tam multi variis afficiuntur pœnis, ut declarat S. Cyprianus in Tract. de lapsis. *Quam multi*, inquit, *quotidiè pænitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes immundis spiritibus adimplentur. Quam multi usque ad insaniam mentis excordes, dementia furore quatiuntur. Nec necesse est ire per exitus singulorum cum per orbis multiformes ruinas, tam delictorum pœna sit varia, quam multitudo delinquentium numerosa. Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si tum interim pœna distulerit; cum plus timere debeat, quem sibi Dei judicis censura servavit.*

Ita loquitur S. Cyprianus in cit. Tract. de lapsis, & ibidem refert plura exempla hominum qui debitas sacrilegæ Communioni pœnas irrevocabili Dei sententiâ pependerunt: & imprimis terribile exemplum puellæ jam adultæ, quæ indignè Christi Corpus accipiens repentino interitu est intercepta. *Ea puella*, inquit, *quæ ætate provecta & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens angi & animâ exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulata conscientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.* Hæc ibi.

Usque adeò verum est indignæ Communionis sacrilegium variis pœnis, & teterrimâ præsertim morte vindicari. Nam si non præsenti plectuntur interitu quotquot indignè communicant, pessimam profectò peccatorum mortem, utplurimum oppetunt, nisi præpotenti Salvatoris gratiâ adjuti verâ cordis conversione revertantur ad Dominum Deum suum. Quod raro peccatorè accidit. Nam plerumque dæmonum præstigiis effascinati suorum criminum mensuram impœnitentiâ finali cumulant, ut videre est in proditore, qui quemadmodum indignè communicantium primicerius extitit, ita etiam acerbissimam eorum pœnam per desperationem & finalem impœnitentiam primus exclvit, ut tristissimo ejus exemplo secuturis temporibus saperent Christiani, & ex eo discerent; quanta & qualis pœna maneret eos, qui peccatorum lethalium sibi conscii Corpus Christi manducare, & Sanguinem ejus bibere non dubitarent.

Quod si Christiani sobriorum hominum mentem & sensa, vel temporis puncto susciperent, & proditoris, ejusque similium mirabilem interitum & æternam damnationem attentiori perpenderent animo, si non majori se diligentiâ ad Corporis Christi perceptionem compararent, at certè quorum facta & sacrilegia imitarentur, eorumdem luctuosissimos exitus, nisi essent ab omni ratione deserti, perhorrescerent.

Reverà si peccatores, qui Corpus Christi indignè percipere non erubescunt, insolito perfunderentur horrore, si animum adverterent ad horrenda supplicia, quibus Christus tale sacrilegium coërcere solet.

Agapius Monachus Montis, qui nunc sanctus ob innumerabilium Monachorum inibi degentium sanctimoniam dicitur (aliàs Athos denominatus) pulcherrimum libellum de præparatione ad sacram Communionem edidit, quem & salutem peccatorum inscripsit.

In hujusmodi opusculo duo sibi præsertim explananda & inculcanda proposuit.

1°, Incredulos de venerabilis Sacramenti veritate, seu de reali Corporis Christi in ipso v. Sacramento præsentiâ convincere voluit.

2°, Fideles ad dignam tanti mysterii participatio-

nem hortatus est, atque adeò universos ab indignâ ejusdem mysterii perceptione pro suarum virium modulo deterruit propositis pluribus exemplis, in quibus justitia divina justam severitatem, tam in Sacerdotes impios sacris mysteriis in statu peccati lethalis operatos, quam in Laicos indignè pariter communicatos exeruit, ut legere est citati libelli capite 3. & 4.

Inter exempla quorum commemoratione fideles ab indignâ Communione revocari possunt, unum ex Historiâ Ecclesiasticâ deprom̃ptum omittere non possum, utpotè quod vel teterrimis terrorem ex pœnâ indignè communicantibus inflictâ conceptum incutere valeat. Hujusmodi exemplum narrat Rhegino Abbas, Ordinis S. Benedicti, qui floruit IX. sæculo.

„ Anno, inquit, octingentesimo sexagesimo nono Lotharius Romam profectus est. Quò cum pervenisset, ab Adriano Pontifice honorificè susceptus est. Qui ab eodem Præsule sciscitatus, si monita pii Patris D. Nicolai, cum omni vigilantiâ hactenùs observata haberet, & præstitum juramentum inviolato fœdere custoditum. Qui ab illo deceptus, qui in veritate non stetit, qui non solùm mendax, sed etiam pater omnis mendacii, respondit se ita omnia observasse, ac si divinitùs sibi essent imperata. Cumque Proceres & Optimates, qui cum eo venerant, eadem testificarentur, nec ulla persona opposita inveniretur, qui adversus Regiam authoritatem legitimum auderet inire controversiæ certamen, universalis Papa talia prosequitur: Si vestræ testificationis veritas suffragatur, cum omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Restat ergo, fili charissime, ut ad Confessionem S. Petri accedas. Ibi Deo propitio hostiam salutarem pro tuâ, non tam corporis, quam animæ incolumitate immolabimus: Ex quâ nobiscum te participare oportet, ut per hanc participationem membris Christi, unde abscissus esse videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Missarum solemnibus, invitat summus Pontifex eumdem Regem ad Mensam Christi: acceptoque in manibus Corpore & Sanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis, à prohibito atque interdicto tibi à Nicolao adulterii scelere, & hoc fixâ mente statutum habes, ut numquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miscearis, fiducialiter accede, & Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conscientia te accusat, teque lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis in mœchiæ volutabrum nequaquam sumere præsumas, ne fortè ad judicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium divina providentia præparavit. Qui mente captus, obduratus & obcæcatus absque retractatione Communionem Corporis & Sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expavescens sententiam illam, quæ dicit: horribile est incidere in manus Dei viventis; Et; qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Deinde conversus idem Præsul ad sequaces & fautores Regis, unicuique Communionem obtulit in hæc verba: Si Domino & Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensum tribuisti & Waldradæ, & aliis ab hac Sede Apostolicâ excommunicatis non communicasti, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis se læsum sciens auso temerario Communionem sub tali contestatione porrectam sumere præsumpsit, divino judicio percussus, ab hac luce subtractus est, antequam subsequentis anni rediret principium, perpauci qui se à Communione subtraxerunt vix mortis periculum evaserunt. Porrò Lotharius Româ egressus morbo corripitur, & Placentiam civitatem perveniens, diem clausit extremum sexto Idus Augusti. „

Hanc Historiam totidem verbis ex Rheginonis Chronico relatam legere est Tomo III. Conciliorum Galliæ ex Editione Sirmundi ad annum Christi 869. fol. 378.

Ex hac Historia nonnulla inferuntur monita, quæ adhibuit Adrianus Papa II. respectu Lotharii meretricis amoribus implicati: quæ & ille ipse Pontifex suo exemplo adhibenda monstravit, antequam hominibus in suarum libidinum cœno volutatis Communio porrigatur.

1o enim diligenter interrogandi sunt hujusmodi, utrùm suo Confessario necessaria ad ipsorum emendationem procurandam adjumenta, & remedia præscribenti paruerint, sicut præfatus Pontifex petiit ab Lothario, utrùm ab adulterio ipsi ab Nicolao decessore suo vetito abstinuisset, & ejus monita ad ipsius peccati fugam conducentia servasset.

2o, Ab talibus personis in carnis flagitia prolapsis sciscitandum est, utrùm verum, firmumque nusquam ad ejusmodi peccata redeundi propositum conceperint.

3o, Interrogandi sunt, num in intimo cordis recessu delitescat arcana quæpiam voluntas ad ea carnis flagitia, quæ sunt difficillimæ emendationis, lentiùs ocyùs redeundi, & utrùm per aliquod tempus occasiones fugerint.

4o, Nisi probabilia emendationis indicia antequàm confiterentur, apparuerint, ipsis deneganda est Communio: quam prædictus Pontifex nec ipsi Lothario, nec ejus comitibus & proceribus porrigere voluit, quin priùs ex ipsorum ore eorum innocentiam edisceret.

5o, Indignam Communionem teterrimum esse sacrilegium, utpotè quod immaturâ morte in ipsius Lotharii, ejusque procerum persona vindicatum fuerit, & quotidiè puniatur in personâ libidinosorum hominum, qui cum rarissimè ex suarum libidinum cœnoso, & tantùm non ineluctabili gurgite emergant, & nihilo seciùs communicent, in gehennæ antecessum, vel temporariis morbis, & acutissimis doloribus conflictantur, vel præcipiti obitu intercepti in æterna inferorum supplicia detruduntur.

Ista monita in praxim sunt evocanda respectu hominum, quos diuturna quorumlibet peccatorum lethalium consuetudo irretiit, & quos præsertim propudiosus muliercolarum amor effascinavit. Tales enim homines nonnisi ægerrimè curantur, & nonnisi magno & diuturno labore ad eum protruduntur statum, in quo vel cum infimâ dispositione ad tolerabilem hujus Sacramenti perceptionem necessariâ admitti possint & debeant.

Unde innumerabiles propè Sacerdotes sese infinitis devinciunt criminibus, quippè qui adulteris, scortatoribus, pellicibus, & aliis id genus personis indulgeant communicandi facultatem, quam illis vix in ipso mortis periculo, articulove concedere oporteret.

Si quis causari velit nimiam suo judicio à nobis in concedendâ sacrâ Communione severitatem adhiberi, perpendat, quæso, quid responderit Christus interrogatus, an pauci salvarentur: *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intraverit paterfamiliâs, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis, & respondens, dicet vobis: Nescio vos undè sitis: Tunc incipietis dicere, manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti: & dicet vobis: nescio vos undè sitis: Discedite à me operarii iniquitatis.* Luc. cap. 13. v. 24. & seq.

Tametsi ista Christi verba de Judæis primò & per se sunt intelligenda, ad Christianos tamen pertinere nemo inficias ierit: si enim paterfamiliâs

id est Christus cum in regni sui possessionem inierit, & Judæi quos hoc loco affatus est, pulsaturi sunt ostium, id est misericordiam, quam neglexerunt, frustra flagitaturi, responsurus est se nescire, unde sint, licet se coram illo manducasse, & bibisse, & ab illo se doctos esse profiteantur; quidni ille ipse Paterfamilias Christianos, quos multo majoribus beneficiis quam Judæos affecit, eodem modo, imò severiùs ob reserventiorem ingratitudinem adhibebit? quidni eos repellat iisdem verbis, quibus se pervicaces Judæos repulsurum esse declaravit? quidni regni cælestis aditum sibi patefieri flagitantibus respondebit, nescio unde sitis, quia scilicet non estis ex Deo, nec eâ, quâ straveram viâ, ad me ventitare voluistis? Si respondeant hujusmodi Christiani se coram illo manducasse & bibisse, imò & ejus corpus manducasse & sanguinem bibisse, vicissim & ipse respondebit: vos quidem meam carnem manducastis, & meum sanguinem potastis, sed quia manducastis & bibistis indignè, judicium vobis manducastis & bibistis, nec dijudicastis illud ipsum Corpus quod vobis, ceu cibum animarum & uberrimum fontem gratiæ, & pignus futuræ gloriæ porrexeram. Ideò nescio vos. Nec aliud vos manet quam inflictum Judæ proditori supplicium, siquidem sacrilegam ejus perfidiam estis imitati, & illud ipsum Sacramentum, quod summi in vos amoris testificatione institueram ad vestram salutem, immani ingratitudine pariter & impietate convertistis in vestram perniciem.

Omnes pœnæ seu spirituales seu corporales indignè communicantibus alias inflictæ, & usque ad sæculi consummationem infligendæ, omnes Christianos admonent de diligentiâ quâ intimos animi recessus & affectus explorare debent, & quantâ eos puritate & charitate ad hoc Sacramentum charitatis accedere necesse est. Eligant igitur doctum & prudentem Confessarium, cujus judicio, vel Corpus Christi percipiant, vel ab ejus perceptione abstineant, & caveant ejus imperium detrectare, si quando eos ab sacrâ communione abstinere jusserit. Hanc enim contumaciam non ferent, impunè ut declarat Historia, quam hîc ex Nicolao Suessionensi referre juvat.

Adventante, inquit, quadragesimæ sacro-sancto jejunio plebs frequens advenit in ædem B. Firmini Episcopi & Martyris. Adfuit etiam Beatus Godefridus more suo nudis pedibus & cilicio indutus. Inter cætera sanctæ exhortationis verba omnibus interdixit esu carnium, donec Dominicæ Resurrectionis solemnitas adesset. Sed id multi surdâ aure accepere. Nam proximo die Dominico carnibus abstinere noluerunt; dicentes Episcopum de suo corde fingere dura, proferre inaudita, se assueta nec velle, nec posse relinquere, par esse non solùm uti cibis, sed etiam abuti, & suavibus ætatem docere oblectamentis. Nec id latuit Episcopum, sed tempus expectavit quo posset mulctam irrogare. Ipso igitur Cœnæ Dominicæ die, populo ad memorati Martyris basilicam ob impetrandam peccatorum veniam confluente, eò venit Sacerdotalibus vestimentis indutus. Habuit suo more concionem. Inter alia pergit exprobrare illis, quod noluerint obtemperare ipsi, imò Christo per ipsum prohibenti, ne carnes ederent. Certè, inquit, meritas hodiè lueris pœnas. Hæc Episcopo dicente certatim omnes se humi prosternunt, palàm fatentur culpam suam, veniamque impetrare admodùm submissè contendunt: Ille verò ait ad eos: dignos pœnitentiæ fructus facite, & Christum propitium vobis reddere conamini.

Interim tam impuræ transgressionis hæc mulcta esto, ut à sacro-sanctâ Eucharistiâ usque ad secundam Paschatis feriam abstineatis. Abeunt igitur cum multo rubore & mœrore, atque inter se queritantur, quod pro momentaneâ delectatione tam solemni die communione priventur. Et ecce ipso Dominicæ Resurrectionis sacro die fidelibus ad percipiendam Eucharistiam accedentibus, quidam ex mundi hujus sapientibus, vel potiùs insipientibus, cum se reum sciret ejus quam diximus transgressionis, nec tamen abstinere vellet à sacrâ communione, muliebrem habitum induit, sexumque fœmineum adeò mentitur, ut non aliud quam fœmina videretur. Vult hominum oculos fallere, sed omnia videntis Dei oculos fallere non potest. Reverendissimus Fulco qui Sacerdotio fungebatur, hominem non agnoscens, porrigit ei Eucharistiam: sed ille divinâ eum persequente vindictâ, corruit, acerrimis viscerum doloribus cruciatur, spumasque cruentas ab ore ejiciens, quod indignus sumpserat, cum multo sanguine cunctis cernentibus evomit. Ille declarat, quis sit, clamatque: reipsa jam comperi facienda esse quæ jubet Episcopus: Christus enim per eum locutus est.

Hactenus Nicolaus Suessionensis Monachus lib. 3. de vitâ Godefridi Ambianensis Episcopi cap. 12. Huic Authori temerè quis abrogaret fidem siquidem eodem vixit Sæculo, XII. scilicet quo floruit ipse Godefridus, qui & vixit regnante Philippo I. Francorum Rege & regnante Ludovico crasso ejus filio decessit 8. Novembris anno Christi 1118. Episcopatus undecimo, ætatis quinquagesimo. Ejus vitam ab præfato Nicolao fidelissimè conscriptam legere est apud Surium ad octavum Novembris diem.

Ex hac Historiâ discimus.

Primum est eos perperam ratiocinari, qui credunt posse Christianos vitulinis, vervecinis, & aliis id genus carnibus Dominicis quadragesimæ diebus posse vesci eo nomine, quod istis diebus non jejunent. Hic enim erat error Ambianensium, qui pravâ consuetudine imbuti, arbitrabantur se citra scrupulum posse uti, & etiam ad delectationem abuti carnibus vitulinis & aliis, omnibus quadragesimæ Dominicis, quod malum cum profligare vellet sanctissimus Antistes Godefridus illi sic tamquam homini de suo corde dura fingenti, & inaudita proferenti restitere, ut factitare solent Populi pravæ cuipiam consuetudini addicti.

Quam autem prudenter & congruenter Spiritui Ecclesiæ S. Godefridus esum carnium cunctis quadragesimæ diebus Dominicis prohiberet, patet ex eo quod antiquitùs abstinentia à carnibus per totam quadragesimam observabatur tantâ Religione, ut quisquis eam violasset, capitali supplicio dignus haberetur.

Quid quod Carolus magnus in Capitulari de partibus Saxoniæ, quod cum aliis rei Ecclesiasticæ monumentis Romæ nuper editum est, censuit eos morte plectendos, qui contemnerent quadragesimale jejunium & sine necessitate, & Sacerdotis consilio carnes in quadragesimâ manducarent. Si quis, inquit, quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur, sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causa necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat. Hæc ibi.

2. Ex hac eadem Historiâ colligitur communionis ab omnibus Christianis in ipso Paschatis die celebrari solitæ interdictionem seu privationem maximæ pœnæ loco antiquitùs numeratam esse: siquidem illi ipsi qui S. Godefridi, imò ipsius Christi ejus ministerio, & ore prolocuti præceptum carnibus ipsis quadragesimæ Dominicis utendo violaverant, magno rubore perfusi, & ingenti mœrore affecti sunt eo uno nomine, quod in tantâ solemnitate ipso nimirùm Paschatis die sacrâ communione, (sic tanquam ex albo fidelium expuncti) privarentur.

Talis animadversio Christianos omnes sic afficere, & inflammare debet, ut totam quadragesimam in jejuniis, in orationibus & eleemosynis, & universim in operibus pietatis pro suâ facultate transigant, atque ita per Salvatoris gratiam sese præbeant dignos, qui Corpus Christi, velut æternæ gloriæ pignus & authoramentum, in antecessum futuræ Resurrectionis accipiant.

Sanctissimus Pontifex suis ovibus præfatam dumtaxat injunxit pœnitentiam, quia cæteris totius quadragesimæ diebus præter Dominicos a carnibus abstinuerant. Si enim per totam quadragesimam carnibus ab Ecclesiâ vetitis victitassent, eis longè graviorem indixisset, eam scilicet quam hujusmodi hominibus indixit VIII. Synodus Toletana anno Redempt. 653. celebrata. Siquidem can. 9. eos qui sine evidenti languore & necessitate in quadragesimâ carnibus usi fuerint Paschalis communionis accessu prohibet, & illis ipsis carnium esu toto unius anni curriculo interdicit.

3. Ex hac ipsâ Historiâ colligitur Superioribus (quales sunt Episcopi, Parochi, Confessarii) obsequi oportere, si quando justis de causis aliquem sibi subditum ab mysteriorum, id est Corporis & Sanguinis Christi perceptione arceant. Tunc enim uberiores ex debitâ obedientiâ fructus percipient, quam ex Eucharistiâ per inobedientiam, propriâ voluntate susceptâ, qualemcumque ad cælestem mensam præparationem attulerint, colligere valeant. Hic loquor de personis benè animatis, quæ sibi sapere videntur, si contra mentem Confessarii ipsis sacrâ communione ob levia peccata v. g. interdicentis, communicent. Quod si sermo fiat de viris gravioribus peccatis redundantibus, quibus subtrahitur sacra communio, ut pœnitentiam agant, & tanto bono privati resipiscant, tenentur sub pœnâ peccati lethalis Superioribus obtemperare, qualicumque communionis desiderio vel ardeant, vel ardere se existiment. Ista enim Eucharistiæ subtractio indicitur in satisfactionem, quam pœnitens circa crimen recusare non potest, ideoque in culpæ & pœnæ reatum incurrit, si in eo rerum articulo suis Confessariis parere abnuat: Ut videre est in eo qui mentitus sexum contra S. Geofridi prohibitionem communicare voluit, & pœnas suo sceleri & sacrilegio debitas exolvit, ut relata proximè Historia contestatur.

Hic multa superessent pertractanda de dispositionibus, quæ sacram communionem prægredi, comitari, & subsequi debent. Sed quia ista à pluribus sunt explanata, hic ea omittenda duximus; utpotè quæ ex supradictis quæstionibus & quæstiunculis satis superque inferri & percipi valeant.

Conclusio hujus partis in quâ legitimum divinæ Eucharistiæ usum tenuitate exposuimus.

DE industriâ pauló diutiùs hæsimus in hac parte, in quâ varias quæstiones & quæstiunculas de legitimo v. Sacramenti usu propositas expendimus, & opitulante Deo pro nostrarum virium modulo dissolvimus, ut aliquid conferremus ad laborem & studium Doctorum pariter, & piorum hominum qui hoc maximum Catholicæ & Apostolicæ Religionis mysterium impiis Hæreticorum dogmatis, & plurium Christianorum sacrilegiis appetitum pari ad veritatem & pietatem constantiâ propugnarunt, & pro suâ virili parte ab utrisque, Hæreticorum nempè mendaciis, & Christianorum sacrilegiis asserere contenderunt. In primâ parte hujus dissertationis de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Hæreticorum realem Corporis Christi in illo ipso Sacramento præsentiam allatrantium technas & argutias retegere & retundere conati sumus; & in alterâ ejusdem dissertationis parte, quâ pietate ad hoc mysterium accedere oporteret, ex sacrâ traditione ab SS. Patribus ad nos usque transmissâ ostendimus, probavimus, & quantum in nobis fuit, inculcavimus.

Nostrum hunc conatum si non omninò ab eruditis, quibus nostra hæc redundat ætas approbatum, at certè toleratum iri confidimus; Quod si prolixiùs moralem hujus ipsius dissertationis partem executi sumus, nemo, ut opinor, nostram hanc prolixitatem incusabit, si attendat, nos id eo animo factitasse, ut quantum in nobis est, impelleremus Evangelicos prædicatores ad docendos fideles legitimam & crebram Corporis Christi perceptionem, & ad eosdem avocandos ab sacrilegis communionibus, quibus quotidiè terribilia, ut loquitur S. Joann. Chrysostomus mysteria inquinantur. Cum enim viri cordati non pauci divini verbi præcones per octavas Corporis Christi nihil aliud præter speculationes quasdam ab communi Populorum intelligentiâ remotissimas, sine ullo, vel perexiguo audientium fructu resonare animadverterent, eos ad utiles conciones de Eucharistiæ usu, & abusu per illud præsertim tempus habendas excitandos esse censuerunt. Quam ad rem ut aliquid conferremus, necessarias ad percipiendos hujus mysterii fructus dispositiones pauló uberiùs explanavimus eo animo, ut si nihil ipsis aut melius aut ad fidelium ædificationem accommodatius suppeteret, nostro hoc opusculo ad majorem Dei Opt. Max. gloriam elaborato, in Christo Jesu uterentur. Quod si ita contingat Deo per Christum Jesum gratias quantas maximas referemus, quod nos licet indignissimos ad aliquam suæ Ecclesiæ ædificationem procurandam non indigentiâ, sed indulgentiâ, ut loquitur S. Bernardus, adhiberi voluerit. Vale, Lector Christiane, & inter orandum nos commendatos habe, & precare ut susceptam ethicen Christianam perficiendi vires per Christum Jesum nobis per ingentem, quâ nos hactenùs prosecutus est, misericordiam impertiatur.

Cum hactenùs divinam Eucharistiam sub ratione Sacramenti consideratam pro nostrarum tenuitate virium explanaverimus, nunc ad illam ipsam sub ratione sacrificii pertractandam, & explicandam aggredi, sicut & huic parti finem imponere necesse est.

Explicit secunda pars hujus de Eucharistiâ dissertationis, in quâ ipsius & usum, & abusum sic tanquam in propatulo collocavimus.



TERTIA PARS
HUJUS DE
EUCHARISTIA
DISSERTATIONIS.

In quâ contendimus illam ipsam Eucharistiam, hactenùs sub ratione Sacramenti à nobis consideratam, esse pariter sub ratione sacrificii adversus Heterodoxos deinceps considerandam. Sit itaque

QUÆSTIO I.

Quâ præsertim in re posita sit controversia de Sacrificio Missæ inter Catholicos & Hæreticos agitari solita.



T talis quæstio solidè resolvatur, operæ pretium est nonnulla prælibare, ut controversiæ nodus luculenter appareat.

1. Igitur observandum est non hîc agitari quæstionem de sacrificio crucis, utrum scilicet solum nostram redemptionem meruerit: Siquidem Ecclesia Catholica illud nostram illam Redemptionem promeruisse integram, nec ullum aliud sacrificium illam promereri potuisse palàm & disertè profiteatur, & doceat.

2. Supponendum non hîc in controversiam evocari utrùm cruentum crucis sacrificium ab omni ævo fuerit duntaxat absolutum, id est utrum ad illud omnia quæcumque fuerint, velut ad prototypon & exemplar velut illius imagines & figuræ relata fuerint, & referri debuerint; quandoquidem liquidò asserimos incruentum novæ legis sacrificium esse veram sacrificii crucis imaginem, & figuram, sicut & legis Mosaitæ sacrificia ejusdem adumbratæ imagines extiterunt: cum hoc tamen discrimine quod hujusmodi sacrificia meræ duntaxat figuræ fuerunt, & umbræ præfati sacrificii, utpotè quæ erant accommodata ad legem habentem duntaxat umbram futurorum, ut loquitur Apostolus; sacrificium vero novæ legis, sit equidem figura sacrificii crucis, sed cum veritate conjuncta, utpotè quod Corpus Christi in cruce immolatum, & sanguinem ejus ibidem spectantibus Angelis & hominibus effusum contineat, tametsi & dictam immolationem & sanguinis effusionem mysticè & incruento modo repræsentet, & nostræ fidei oculis exhibeat.

3. Non hic disputamus utrùm Missæ appellatio quam nostro sacrificio indidimus, propria sit necnè, & per eam incruentum Ecclesiæ Catholicæ sacrificium appositè designetur. Quamquam enim hujusmodi vocabulum sit legitimum & perantiquum, ut suo loco declarabitur, in hoc tamen non est posita præsens controversia.

Huc accedit quod ipse Calvinus lib. 4. Institut. c. 19. §. 1. fatetur Christianos ut verborum sic rerum omnium esse dominos, posse igitur pro suo arbitrio voces rebus accommodare, modo pius sensus retineatur, etiam si qua sit in loquendo improprietas. Hæc ille.

4. Non hic dimicamus de cæremoniis ad nostri sacrificii celebrationem adhiberi solitis, nec quærimus utrum ad ejusdem sacrificii essentiam pertineant, cum disertè profiteamur, eas ad tanti mysterii decus & ornamentum adhiberi; ita ut salvâ ejus efficaciâ & dignitate possint ab ipso separari. Nec enim nobis latet varias variis temporibus ab Ecclesiâ huic sacrificio additas esse preces, & cæremonias usque ad tempora Gregorii Papæ I. à quo tempore, id est ab mille annis nihil in ipsis immutatum esse concedunt Hæretici.

5. Non litigamus de earumdem cæremoniarum institutore, utrum scilicet ab Christo Domino sint institutæ: siquidem censentur eo nomine permissæ quod ab ipso non fuerint prohibitæ. Adde quod adversarii nostri multa in suâ Cœnâ factitant quæ adeò non sunt ab Christo imperata, ut etiam iis quæ ipsemet fecit è diametro repugnent. Cœnam quippè matutinis horis accipiunt, Christus vespertinis accepit: eam jejuni recipiunt, Christus cœnatus accepit: illam denique stantes, vel in genua procumbentes accipiunt, Christus verò sedens percipere voluit.

Controversia igitur inter nos & adversarios nostros oborta in hoc vertitur & insistit, ut discutiatur &

innotescat, an quemadmodum varia in lege veteri extitere sacrificia, quæ in antecessum, sacrificium crucis antequam offerretur, ad umbrarent declararentque: ita etiam Deus in novâ lege voluerit instituere aliquod sacrificium, cujus oblatione sacrificii crucis jam in temporum plenitudine, ut loquitur Apostolus, consommatis memoria recoletetur & vivificeret.

His ita prælibatis, quicquid obstrepant Heterodoxi, contendit Ecclesia Catholica Christum Jesum tale sacrificium instituisse, utpote qui in supremæ noctè Cœnæ suum corpus epulandum Apostolis secum recumbentibus veluti Sacramentum porrexerit; idemque cor us & sanguinem suum æterno Patri, ceu verum sacrificium, ut Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sub speciebus panis & vini obtulerit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, qoos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradiderit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepetit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.

Ex hac traditione manavit ille Canon quem sacrosancta, œcumenica seu generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, suis de sacrificio Missæ Canonibus præfixit sess. 22.

Si quis dixerit, inquiunt ejus Synodi Patres, *in Missâ non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: Anathema sit.*

Hujusmodi Canone sacro-sancta Synodus profligare voluit errores Lutheri, & Calvini Hæresiarcharum, quibus nihil antiquius fuit, quam ut sacro-sanctum Missæ sacrificium ex orbe Christiano revellerent. Unde Lutherus scandalum speciosissimum, inquit, quod Missa creditur passim esse sacrificium quod offertur Deo. Repugnat Missam esse sacrificium, cum illam recipiamus, hoc verò demus. Ita ille.

Calvinus longè atrocius in illud ipsum sacrificium debacchatur Institut. l. 4. c 18. §. 1. Missa Papali & similibus inventis (inquit) conatus est satan velut offusis tenebris sacram Christi Cœnam infuscare & inquinare: ne saltem ejus puritas in Ecclesiâ retineretur. Sed horrendæ abominationis caput fuit, cum signum extulir, quo non modo obscuraretur, & perverteretur, sed penitùs obliterata & abolita evanesceret, & ex hominum memoriâ excideret: nempè cum pestilentissimo errore totum penè orbem obcæcavit, ut crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem.

Item §. 2. ait per Missam Papalem intolerabilem blasphemiam ac contumeliam Christo irrogari. Et ibid. contendit subrogatione Sacerdotum, seu Vicariorum, quos Ecclesia Catholica ordinat, & destinat sacrificio in personâ, & authoritate Christi peragendo, non modo Christum suo honore spoliari, & æterni Sacerdotii prærogativam illi eripi: sed Catholicos prædictâ subrogatione è dexterâ Patris deturbare ipsum conari.

Idem Calvinus ibid. §. 3. Missa, inquit, Christi crucem & passionem opprimit, & obruit. Hoc quidem certissimum est, inquit, everti Christi crucem, simul ae erigitur altare. Nam si in cruce semetipsum in sacrificium obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, & æternam Redemptionem nobis acquireret: haud dubiè vis atque efficacia ejus sacrificii nullo fine perstat. Alioquin nihilo honorificentius de Christo sentiremus, quam de bobus & vitulis qui sub lege immolabantur: quorum oblationes, ex eo inefficaces arguuntur, & imbecillæ quod sæpiùs iterabantur.

Item ejusdem cap. 18. §. 10. si de approbando sacrificii commento, quale in Missâ confinxeruut Papistæ, agitur, nes ondemus ejusmodi sacrilegio veteres nequaquam patrocinari. Utuntur quidem illi sacrificii vocabulo: verum simul exponunt se aliud nihil intelligere, quam memoriam veri illius, & unici sacrificii quod in cruce peregit Christus, unicus ut ipsis passim prædicant, noster Sacerdos.

Hactenùs Calvinus, cujus locum si quis expendere voluerit, illum ridiculum & explodendum veritatis oppugnatorem appellare non dubitabit. In eodem enim quem citavimus loco profert duo testimonia sanctorum Patrum quibus astruitur liquidò sacrificium, quod destruere & labefactare connititur.

Primum testimonium reperit ex lib. 10. contra Faustum Manich. cap. 18. ubi sic loquitur S. Augustinus: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tantâ dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacro-sanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi. Manichæi verò nescientes quid damnandum sit in sacrificiis gentium, & quid intelligendum in sacrificiis Hebræorum, & quid tenendum, vel observandum in sacrificio Christianorum: vanitatem suam sacrum offerunt Diabolo, qui eos decepit.* Ecce S. Augustini locum qoo abutitur Calvinus, ut probet veteres, seu sanctos Patres incruento Christianorum sacrificio, quod Ecclesia Catholica toto terrarum orbe quotidiè celebrat, & est ad consummationem usque sæculi celebratura, nullatenùs patrocinari. Quod quam falsum sit apparet ex illo ipso S. Augustini loco indicante S. Augustinum docuisse celebrari inter Christianos Catholicos non solùm memoriam sacrificii, quod crucis in crucis arâ consummavit, sed etiam illud ipsum recoli & verè celebrari oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi. Ergo ex mente S. Augustini est aliquod Christianorum sacrificium, in quo offertur & participatur Sanguis Christi. Ergo non solùm in recolendâ Passionis Christi memoriâ positum est hoc sacrificium, quod ab omni ævo Catholica prædicavit & celebravit Ecclesia. Neque enim nuda recordatio sacrificii crucis efficere potest veram & realem & visibilem oblationem & participationem Corporis & Sanguinis Christi, de quâ prædicat S. Augustinus loco citato.

Ac reipsa quidem sub finem libri 10. contra Faustum Manichæum meridiano sole clarius est eumdem S. Augustinum loqui de sacrificio vero qood in Ecclesiâ celebratur. Nam ejusdem libri cap. 21. palàm & disertè Christianorum sacrificium offerri soli Deo asserit; *Nulli martyrum*, inquit, *sed ipsi Deo martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum Corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit.*

Et aliquantò post: *At verò illo cultu, qua Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cum sit quadam propriè divinitati debita servitus. Nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sivè ut corrigatur, sivè ut condemnetur, sivè ut caveatur. Ipsi enim sancti vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt.*

Item eodem cap. non multò post evidentissimè præfatum sacrificium astruit. *Longè minoris peccati est*, inquit, *ebrium redire à martyribus, quam vel jejunum sacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi, non dixi sacrificare Deo in memoriis martyrum: quod frequentissimè facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit, quod pertinet ad illum cultum, qua latria dicitur, & uni Deo debetur.*

Ex

Ex his locis constat S. Augustinum loqui de vero & visibili sacrificio, quod in Ecclesiâ Catholicâ celebratur, & quod uni dumtaxat Deo offertur. Ergo perperam S. Augustinus detorquetur in sensus Heterodoxos ab Calvino & ejus asseclis aientibus illum ipsum S. Augustinum & cæteros Patres nostri sacrificii incruenti & invisibilis assertores, de nudâ dumtaxat sacrificii crucis memoriâ intelligi oportere, cum de Missæ sacrificio verba faciunt.

Alterum testimonium profert ibidem Calvinus depromptum ex c. 19. Libri de fide ad Petrum Diaconum: *Firmissimè tene*, inquit ibi S. Fulgentius, *& nullatenus dubites ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & Hostiam Deo in odorem suavitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est tempore novi Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta Ecclesia Catholica per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse erat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio, atque commemoratio est carnis Christi quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit.* Hactenus sanctus Fulgentius, ex cujus verbis sic ratiocinatur Calvinus.

In sacrificio Papistarum est gratiarum actio atque commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit, ex mente S. Fulgentii.

Ergo ex ejusdem mente præfatum sacrificium nihil est aliud quam memoria veri illius, & unici sacrificii quod Christus in cruce consummavit.

Quod enthymema quàm falsum sit, appatet ex simili, quod afferri potest. Si v.g. dicam,

Calvinus est Hæresiarcha:

Ergo nullus præter ipsum hæreses superiore sæculo disseminavit.

Vitiosum est istud enthymema, quia lumine naturali notum est ex aliquâ propositione cætera, ad quæ potest porrigi, non excludente, non posse aliam inferri, quæ cætera excludat, & ad singularia quædam sine ullâ distinctione transferat.

Verum quicquid id est, Calvinus qui se absterso fuco omnia Religionis arcana simplicioribus propositurum esse profitetur, hac in parte omnibus fucum facere machinatur; cum enim S. Fulgentius verè & Catholicè allato loco affirmaverit sacrificium panis & vini in fide & charitate ab Ecclesiâ Catholicâ per universum orbem terræ indesinenter Patri & Filio, & Spiritui sancto offerri, ipse Calvinus omissâ istâ ejus loci parte, præposterè in sua sensa detorquet S. Fulgentium aientem in illo ipso panis & vini sacrificio inesse gratiarum actionem & commemorationem carnis quam pro nobis Christus obtulit, & indè malignè & petulanter infert prædictum sacrificium, nihil esse aliud quam memoriam unici sacrificii, quod Christus in cruce consummavit.

Quæ agendi ratio ab viro benè animato penitùs abhorret: sana enim & genuina S. Fulgentii mens eò collineat, ut probet esse in Ecclesiâ Catholicâ incruentum sacrificium, quod sub speciebus panis & vini celebratur, ita ut illo ipso sacrificio æterno Patri impendatur gratiarum actio, & ipsius Christi qui hujusmodi sacrificii primarius est, & Catholicus, & summus imò & unicus Sacerdos pariter & victima, passionis memoria recolatur.

Hæc adversus Calvinum sua mendacia in sanctos Patres refundentem effundere placuit in antecessum refutationum, quibus calumnias & hæreses in sacrosanctum Missæ sacrificium excogitatas ab ipso pariter & deblateratas in ultimâ hujus dissertationis parte retundere, & opitulante Deo profligare conabimur, quod ut ordiamur, esto

---

Quæstio II.

Quomodo definiatur sacrificium propriè dictum.

Anteqoam ad hujus quæstionis solutionem aggrediamur, operæ-pretium est observare aliud esse sacrificium impropriè dictum, aliud verò propriè & strictè ita denominatum.

Sacrificium in latiori significatione usurpatum describitur ab S. Augustino lib. 10. de civ. cap. 6. *Proindè*, inquit, *verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus: Unde & ipsa misericordia, quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.* Et paolò post. *Ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum faciat: Propterea scriptum est: miserere animæ tuæ placens Deo: Corpus etiam nostrum cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, sacrificium est. Si ergo*, inquit, ibidem S. Aug. *corpus cum eo ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur, fit sacrificium?* Hactenùs S. Aug. loco cit.

In quo animadvertendum est non definiri ab eodem S. Aug. sacrificium generatim aut propriè dictum, sed describi dumtaxat sacrificium internum, quod sacrificiis legalibus & merè externis, utpotè dignius & præstantius opponitur. Omne igitur opus bonum relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse valeamus, dicitur verum sacrificium, non quod habeat rationem formæ & essentiæ sacrificii propriè dicti: ita ut sacrificia interna sint sacrificia magis propriè dicta, quam externa; id enim nemo concesserit: sed ideò dicuntur vera sacrificia eo nomine quod externis comparata sint ipsis præstantiora, ipsi Deo acceptiora, & ad placandam ejus iram citra controversiam, si cætera paria sint, aptiora.

Omne igitur opus bonum ad finem illius boni quo veraciter boni esse valeamus, relatum, dicitur verum sacrificium, non autem sacrificium propriè dictum. Aliud est enim esse verum, aliud autem propriè dictum. Cum enim Christus Joann. cap. 15. sese appellat vitem, non tamen sese vocat vitem propriè dictam, sed vitem veram *non per proprietatem, sed per similitudinem*, ut ait S. Aug. in eum Joannis locum: Et in quo posita sit ista similitudo declarat ibidem ipse Christus v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Hæc ibi.

Quemadmodum igitur Christus est vera vitis per similitudinem, non per physicam proprietatem; ita etiam internum, & invisibile sacrificium, verum quidem est sacrificium, non tamen propriè, sed per quamdam analogiam & similitudinem ita denominatum. Nam sicut perspicuũ & visibile sacrificium offertur uni Deo

ad testificandam ejus omnipotentiam, & supremam illam authoritatem quam in eo, veluti summo vitæ & necis authore & arbitro iater sacrificia agnoscimus & profitemur: ita etiam per internum & invisibile sacrificium quod illi in arâ contriti cordis, & ejus flagrantissimæ charitatis igne succensi offerimus, nos totos illi, ut supremo rerum omnium moderatori & arbitro mancipatos esse, & ab illo, ut tali in tempore, & in æternitate usquequaque pendere velle quantâ maximâ sinceritate & reverentiâ contestamur.

His ita constitutis sacrificium propriè dictum definiri potest hoc modo: sacrificium est oblatio externa rei sensibilis & permaneutis soli Deo facta, & illi uni ex interno devotæ mentis affectu exhibita, legitimâ authoritate instituta, ab legitimo ministro, in loco debito celebrata, & ab eodem ritu mystico consectata & transmutata, ut nostram tali obsequio infirmitatem, & omnimodam ab præpotenti creatoris, utpotè supremi vitæ & necis arbitri majestate dependentiam, rerum, quas ipse jusserit ab usu profano abstrahi, segregatione & oblatione profiteamur.

In hac definitione exprimuntur omnia ad veri & propriè dicti sacrificii tationem pertinentia. Nam

1. Sacrificii genus, oblatio nimirùm exprimitur.

2. Illa oblatio dicitur externa ut secernatur ab internâ, quæ in invisibili & impropriè dicto sacrifitio adhibetur.

3. Dicitur oblatio rei sensibilis & permauentis, ut aperiatur materia sacrificii propriè dicti.

4. Additur soli Deo facta, ut appareat sacrificium ita Deo deberi & exhiberi, ut nemini præterquam ipsi citra immaue sacrilegium offerri valeat.

5. Additur, illi uni ex interno devotæ mentis affectu exhibita, ut omnibus innotescat verum & propriè dictum sacrificium non ritè offerri, nisi internam erga Deum, cui offertur, reverentiam, & fidem, & charitatem adjunctam habuerit.

6. Additur, legitimâ authoritate instituta, ut declaretur cultum illum externum non pendere ex privatorum prolubio, nec posse usurpari, nisi ejus ratio præscripta fuerit, vel ab ipsomet Deo sicut in lege Mosaica & Evangelicâ factitatum esse novimus, vel certè ab iis penes quos erat publica authoritas. Hujusmodi enim homines publicâ illâ authoritate prædiri in lege naturæ divinitùs afflati præscribebant sacrificiorum ritus & cæremonias, quas ab ipso Deo, quomodo coli vellet, revelante acceperant.

7. Additur, ab legitimo ministro, id est Sacerdore,

8. Additur, in loco debito celebrata, id est in altari,

9. Additur in præfatâ definitione, ritu mystico consecrata, qoia rem quæ offerebatur, oportebat ex profanâ fieri sacram & Deo dicatam. Nam sacrificium dicitur ex eo quod homo facit aliquid sacrum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. & hæc coosecratio fiebat certo quopiam ritu & cæremoniâ, non sine mysterio ad hanc consecrationem adhibitâ, vel enim oblatio seo res oblata attollebatur in altum, ut significaretur ipsam Altissimo dedicari, vel victimæ imponebautur manus, ut hoc ritu Sacerdos se ipsius in nomine Dei, cujus gerebat vices, possessionem inire, & in ejusdem Dei dominium transferre declararet.

10. Additur, transmutata. Non enim sufficit ad sacrificium propriè dictom rei cujuspiam simplex oblatio ad altare Domini, sed præterea requiritur realis rei oblatæ immutatio, quæ in veteri lege, vel per mactationem viventiom, vel per combustionem carnium, vel effusionem libamentorum factitari consueverat. Talis autem rerum oblatarum fiebat immutatio, non quod ad sacrificii propriè dicti essentiam pertineret, sed quod Deus Christi mortem, ad ejus fidem rudiori populo altiùs imprimendam, figuris in sensos efficaciùs incurrentibus adumbraret. Nam ad sacrificii propriè dicti rationem sufficere videtur ea immutatio, per quam Hostia ad humiliorem suæ naturæ statum redacta propiùs ad destructionem & interitum, quam ad ejusdem suæ naturę conservationem & perseveratam durationem accedat. Tali siquidem rei oblatæ mutatione summa veneratio, seu latria uni Deo à nobis exhibenda, & nostræ ad eum subjectionis testificatio satis superque referatur.

11. Denique additur, ut nostram tali obsequio infirmitatem & omnimodam ab præpotenti Creatoris utpotè supremi vitæ & necis arbitri dependentiam majestate, rerum oblatarum destructione profiteamur. Ideo enim instituta suot sacrificia, ut homines sese totos in intimo cordis recessu divino traderent obsequio, idque testatum facerent non solùm per bona opera, quæ ideò censentur sacrificia, quia propter Deum, Deique reverentiam facta pertinent ad determinatam virtutem, scilicet religionem, etiamsi ab aliquâ aliâ virtute eliciantur, sed etiam per externa sacrificia propriè dicta, ut per illa ceu per certa & visibilia suæ servitutis testimonia & aothoramenta sese illi utpotè Deo creatori suo & supremo vitæ & necis moderatori & arbitro penitùs mancipatos esse declararent. In hoc enim positus est essentialis veri proprieque dicti sacrificii finis, ut uni Deo in supremi dominii testimonium exhibeatur: ad quem ideò finem, vel explicitè, vel saltem implicitè omnes qui ritè sacris operari volunt, intendere necesse est.

QUÆSTIO III.

Utrum sacrificium Missæ vera oblatio possit appellari.

TAmetsi plura ex utriusque Testamenti libris possint excerpi testimonia quibus incruentum Missæ sacrificium ineluctabiliter adversus Hæreticos astruatur, unum tamen ex 1. Malachiæ Prophetæ capite depromptum, tam perspicuè & luculenter illud ipsum sacrificium prænuntiat & probat, ut si vel solum afferatur, omnia Hæreticorum commenta adversus ejusdem ipsius sacrificii veritatem excogitata deblaterataque profligare valeat. Sic enim loquitur Deus & sic Sacerdotes Aaronicos increpat 1. Malach. cap. jam citato. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Mal. cap. 1. v. 10 & 11.

Ex hoc loco patet Dominum exercituum exosa habuisse sacrificia, quæ ipsi ab Hebræorum Sacerdotibus irreligiosis rerum sacrarum contemptoribus offerri consueverant. Ideo se illa repudiaturum esse denuntiat, & asserit affuturum tempus, quo ab ortu solis usque ad occasum in omni loco ipsius nomini sacrificetur & offeratur oblatio munda, & ipsius Religio, & cultus vigeat inter gentes, quæ arcano quodam judicio, fractis naturalibus ramis in bonam olivam, contra naturam, cum oleastri essent, ut loquitur Apostolus, erant inserendæ.

Hunc locum Hæretici instigante tenebrarum principe in sua sensa detorquent, & variis glossematis obscurare gestiunt. Sed quicquid obstrepant, ex hujusmodi loco tale conficitur argumentum.

Deus per Malachiam Prophetam asserit se legis antiquæ sacrificia repudiaturum & reprobaturum esse, & in lege novâ institutum iri alterum, peragendum ex hostiâ purâ & sanctâ, & illud in toto terrarum orbe sibi net offerendum esse denuntiat:

Atqui illud sacrificium nullum esse potest præter Eucharistiam.

Ergo in lege novâ sacrificium Eucharistiæ verum est, & veri nominis sacrificium.

Cum hoc loco scriptura novæ legis sacrificium Mosaicæ, seu antiquæ legis sacrificiis opponat, & in eorum locum substituat, satis superque declarat hoc ipsum sacrificium veri nominis sacrificium esse oportere, sicut & illa, quibus sub lege adumbratum est, vera sacrificia extitere.

Hujus Syllogismi major negari non potest; sola ergo minor probanda superest. Illud nempè sacrificium quod allato loco ab Malachiâ prænuntiatum est, non posse aliud esse præter Eucharistiam, quicquid obstrepant Hæretici.

Si enim contendant præfatum illud vaticinium de sacrificio Crucis intelligendum esse, refelluntur

1. Ex genuinâ significatione vocis Hebraïcæ, Mincha, quam consulto & sancti Spiritus afflatu adhibuit Propheta, ut apertè significaret incruentum Eucharistiæ sacrificium. Nam Mincha nihil erat aliud, quàm sacrificium, puta farinæ & panis, ut videre est Levitic. 2. quod proindè suâ specie & formâ Eucharistiæ Sacramentum pariter & sacrificium luculenter adumbrabat: siquidem cum hujusmodi sacrificio farreo, Mincha, scilicet, quotidiè libabatur vinum, in jugi sacrificio agni juxta legem Exod. 29. 40. quo repræsentabatur altera Eucharistiæ species scilicet vini, sub quâ ex vi verborum consecrationis Sanguis Christi ponitur & immolatur, quemadmodum eorumdem verborum vi ejusdem Christi Corpus sub panis specie præsens sistitur.

Insuper, cum Mincha adolebant offerebant Sacerdotes oleum, thus & sal; oleum jussum erat in hoc sacrificio adhiberi, ut adumbraretur ingens illa misericordia, quam Christus quotidiè novam & veluti redivivam in admirabili Eucharistiæ Sacramento & sacrificio in plenitudine temporum exhibiturus erat: adhibebatur etiam thus in eodem illo sacrificio, ut exprimeret ejusdem Christi religionem, & flagrantissimam charitatem, quâ se æterno Patri in odorem suavitatis obtulit & immolavit in arâ crucis, & immolaturus erat in quotidiano Christianorum sacrificio. Sal denique offerebatur in præfato sacrificio, ut designaretur incorruptio, quâ nostra corpora vivificæ Christi carnis contactu consecrata, sunt induenda, cum tubæ clangore in consummatione sæculi suis è tumulis excitata reviviscent.

In sacrificio crucis nihil tale cernitur. Neque enim in illo farina & panis offertur. Non vinum libatur, nec denique oleum, thus & sal adoletur. Ergo Propheta nominatim expressit novum illud, quod prænuntiabat sacrificium per vocem Hebraïcam, Mincha, ut se sacrificium in pane & vino perficiendum, & ideò ab crucis sacrificio diversum innuere & prædicere liquidò declararet. Nam omnes Catholici profitentur sanguinolentū crucis sacrificium adumbratum fuisse in cæde animalium, quæ in veteri lege ex divinâ institutione sacrificabantur; sed incruentum novi Testamenti sacrificium in aliis sacrificiis, & in iis potissimùm in quibus panis & vinum offerebatur, esse adumbratum asserunt & credunt. Id siquidem Catholica omnium sæculorum & sanctorum Patrum traditio contestatur. Revera si consulere libeat sanctos Patres, qui ab ipsis Ecclesiæ, ut ita dicam, incunabulis floruerunt, & acceptam ab Apostolis fidem in consecuta sæcula seu scripto, seu vivæ vocis oraculo propagarunt, neminem erit invenire, quin hunc Malachiæ locum de incruento Missæ sacrificio intelligi oportere docuerit.

Ac reipsa quidem Propheta conceptis verbis prædicat de oblatione, seu sacrificio Christianæ Religioni affectato. Illa illa est oblatio universalis in Judaïcarum oblationum locum substituta. Oblatio una & nihilo seciùs in omni loco oblata, oblatio nova, & novi Testamenti dignitati propria, oblatio munda & pura & ideò longè remota ab nostris operibus, quorum fœditatem, Hæretici menstruatæ pannis æquiparare non desinunt. Oblatio tam pura & ipsi Deo accepta, ut illi propter offerentium improbitatem displicere nequeat, tametsi Hebræorum oblationes propter offerentium scelera cum ingenti fastidio repudiaverit: hujusmodi enim oblatio omnis puritatis fontem, sanctificationis originem, Filium Dei unicè dilectum, somnium æterni Patris delicium, & in quo sibi singulariter placet, & agnum immaculatum peccata mundi purgantem & oblitterantem continet.

Oblatio, inquam, quæ etiamnum ex puriore farinâ in omni loco conficitur & offertur, ut vel ipsi fatentur Heterodoxi in Annotationibus Genevæ excusis an. sal. 1588. & hic est insignis & perspicuus Christiani sacrificii character, quem Propheta singulari sancti Spiritus impulsu in hoc vaticinium quod versamus, altiùs impressit, ut secuturis temporibus Christiani quoties, vel Christum panem ex puriore farinâ delibatum tractantem, & in sui corporis sacra mysteria convertentem in sacris litteris animadverterent, vel Sacerdotes in Ecclesiæ praxi eumdem panem ex institutione divinâ ad mysteriorum celebrationem adhibentes intuerentur, nullo pacto vel de Prophetici textûs intelligentiâ, vel de hujus Prophetiæ eventu & consummatione, vel de Eucharistiæ sacrificio & oblatione dubitarent.

Hanc doctrinam ab Apostolis traditam & ab Apostolorum Discipulis ad nos usque transmissam esse constanter asseverabit quisquis sanam & sacro sanctam Ecclesiæ traditionem vel à limine salutaverit.

S. Justinus Philosophus Christianus & Martyr citatum Malachiæ locum de incruento Missæ sacrificio interpretatur in dialogo cum Tryphone Judæo. *De sacrificiis à vobis tum oblatis Deus, sicut supra dixi, per Malachiam unum ex duodecim* (minoribus Prophetis) *ait, non est voluntas mea in vobis dicit Dominus exercituum, &c. De nostris vero gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ jam tum loquutus prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

Huic testimonio fidem abrogare non possunt Heterodoxi, utpotè quod profectum sit ab antiquissimo Patre & ab Sacramentariorum ætate remotissimo: Siquidem secundo ab Redemptoris ortu, sæculo floruit, & sæviente Marci Aurelii persecutione quæ inter Ecclesiæ persecutiones quinta numeratur, cum & isti Imperatori & Senatui alteram obtulisset Apologiam, quâ Christianorum innocentiam & Religionem ab Crescentis Philosophi Cynici, aliorumque Sycophantarum calumniis assereret, anno ejusdem Redempt. 163. illustre martyrium obiit.

Juvat & alterum proferre Patrem, magnum scilicet Irenæum secundum Lugdunensis Ecclesiæ, tunc omnium Galliarum celeberrimæ Archiepiscopum, virum Apostolicum & Apostolici temporis. Virum juxta SS. Basilium & Hieronymum ab S. Polycarpo Smyrnensium Episcopo & Martyre, & S. Joannis Apostoli Discipulo divinis rebus & mysteriis imbutum, quem ideò certissimis Apostolorum (quorum temporibus proximè successit) doctrinis ad veram fidem & Theologiam insigniter informatum audire debent quotquot legitimo pernoscendæ traditionis Ecclesiæ studio tenentur. Brevissimum hoc eloquium præmisimus, ut omnes Heterodoxi pariter & Orthodoxi tanti Præsulis & Martyris authoritatem, ut par est, exciperent, & omnium ejus verborum pondera diligenter examinarent: & ab ipso citatum Malachiæ locum de incruento nostræ Religionis sacrificio intelligi oportere discerent.

Eum, inquit, *qui ex creaturâ panis est, accepit, & gratias egit, dicens: hoc est Corpus meum: & Calicem*

similiter, qui est ex eâ creaturâ, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias præsignificavit. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens. & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: Omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum, nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

Hactenùs S. Irenæus lib. 4. adv. hæres. cap. 32. qui & eamdem ipsam doctrinam confirmat ejusdem libri cap. 34. *Ecclesiæ oblatio*, inquit, *quam Dominus docuit in universo mundo purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei.* Et exeunte eod. cap. *Idipsum verbum*, inquit, *dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideò nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.* Hactenùs S. Irenæus.

Hujus sanctissimi Antistitis & Præsulis scripta suis ponderibus & momentis examinata maximam fidem omnibus ingenerare debent. Siquidem elaborata sunt ab viro, cui summa intèr scriptores Ecclesiasticos authoritas denegari non potest: utpotè qui habeat omnes numeros, & titulos quibus hujusmodi conciliatur authoritas. Si enim illa comparatur Magistrorum nobilitate & excellentiâ, sanctus Antistes, de quo sermo est, S. Polycarpum Smyrnensem Episcopum & Martyrem, & prætereà S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Discipulum, Magistrum singulari numinis providentiâ nactus est: Si authoritatem afferat doctrinæ certitudo & veritas; Sanctus ille Præsul nullam aliam doctrinam præter Apostolicam habere & tradere potuit, utpotè qui eam recens ex limpidissimis Apostolorum fontibus haustam, & S. Polycarpi Apostolorum Discipuli ministerio transfusam, atque adeò omni certitudinis & veritatis præsidio præditam acceperat: si sanctitas viro cuipiam authoritatem accersat: sanctissimus Præsul de quo prædicamus magna apud omnes authoritate pollere debet, quippè qui multa & ingentia promerita toto viginti quinque annorum spatio, (quo Ecclesiæ Lugdunensi præfuit) parta, grassante sextâ Ecclesiæ persecutione sub Severo Imperatore martyrii laureâ cumulavit: Si antiquitas ad comparandam authoritatem conferat, non parva ad tantum virum ex antiquitate derivabitur authoritatis accessio, utpotè qui præstantissimum adversus hæreses sub Eleutherii pontificatu inter centesimum septuagesimum septimum, & centesimum octogesimum quintum Redemptoris annum exaravit, & ducentesimo secundo vel tertio ejusd. Redempt. anno gloriosam mortem oppetiit. Si denique plurium virorum eorumque illustrium perseverata per plures annos, imò per plura sæcula approbatio, stabilem & inconcussam authoritatem alicui parere potest, S. Irenæus in cujus laudes paululùm excurrimus, maximam in Ecclesiâ Dei authoritatem obtinet. Nam ex quo suos adversus hæreses edidit libros, nemo Patrum, extitit quin ejus doctrinæ tanquam Apostolicæ subscriberet.

Revera plerique omnes sancti Patres præfatum Malachiæ locum de incruento Missæ sacrificio passim intelligendum esse docuerunt. Ita docuerunt Tertullianus lib. 3. contra Marcionem S. Cyprianus lib. 1. cont. Judæos cap. 16. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de demonstrat. Evangelicâ c. ult. sanctus Joannes Chrysostomus in Psalm. 95. obi ait nostrum sacrificium per antonomasiam vocari mundum, ut omnia alia illi comparata immunda esse videantur. Theodoretus & sanctus Hieronymus in eum ipsum Malachiæ locum: Sanctus Augustinus Tomo 6. lib. 1. contra Adversarium leg. & Prophetar. cap. 20. Item eod. Tomo in orat. contra Judæos cap. 9. Item Tomo 5. lib. 18. de civit. Dei cap. 35. Item & eod. Tomo. de Civit. Dei 19. cap. 23. S. Joannes Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 14. Huic Prophetici textûs interpretationi constanter institit: sic enim scribebat sæculo VIII. *Hoc videlicet illud est*, inquit, *purum & incruentum sacrificium, quod Dominus à solis ortu usque ad occasum oblatum iri per Prophetam prædixit:* Concilium Tridentinum congruenter universali illi traditioni declaravit novi Testamenti sacrificium esse mundam illam oblationem, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco offerendam prædixit. Ita citata Synod. sess. 22. cap. 1. De sacrificio Missæ.

Habentes tantam taliumque testium nubem credimus & contendimus citatum Malachiæ locum de uno novi Testamenti sacrificio ita explicandum esse, ut ista illius loci interpretatio & intelligentia orthodoxæ fidei articulis ab Ecclesiâ Catholicâ ritè, ut assolet, declaratis accenseri debeat.

Perperàm igitur Hæretici hunc locum de sacrificio crucis intelligendum esse deblaterant. Nam

2. Præpostera illa ipsorum interpretatio refellitur ex eo quod sacrificium crucis in uno dumtaxat loco, id est in Calvariæ monte oblatum est, & ideò discrepat ab incruento Missæ sacrificio, quod Malachias in omni loco (ut nunc offertur) offerendum esse prænuntiavit.

Refelluntur aliæ Hæreticorum interpretationes, quibus sacrificium nostræ Religionis ab Malachia prænuntiatum labefactare conantur.

1. Dicunt per oblationem mundam, de quâ prædicat Malachias, nihil esse aliud quam bona opera. Sed hoc effugium eliditur.

1. Authoritate scripturæ quam si seriò expenderimus, deprehendemus fide certum, esse non omne opus bonum esse sacrificium strictè & propriè sumptum. Siquidem scriptura non uno in loco sacrificium ab bonis operibus secernit, quod frustrà fieret, si bona opera essent sacrificia propriè dicta. Ut quid enim Samuel lib. 1. Reg. cap. 15. vers. 22. ita Saülem ob inobedientiam increparet his verbis: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimæ. & auscultare magis, quam offerre adipem arietum?* Hoc loco obedientia quæ est opus bonum, opponitur, & antepositur sacrificio, quod repugnaret si ipsa obedientia esset sacrificium propriè dictum, sicut erant holocausta quæ, secundum legem Mosaicam offerri consueverant.

2. Bona illa opera non possunt veri nominis sacrificia denominari. Nam veri nominis seu propriè dicta sacrificia non possunt offerri, nisi ab Sacerdotibus strictè & propriè dictis, id est aliquâ authoritate, vel divinâ, vel humanâ in Sacerdotium assumptis, & aliquo rito consecratis: Nemo enim sumit sibi honorem, ut testatur Apostolus, Hebræorum capite 5. vers. 4. Ergo non omnes qui bona opera facitate possunt, sunt Sacerdotes propriè dicti, utpotè qui ad sacerdotale ministerium non sunt assumpti, sicut oportet: Ergo concludendum est bona opera non denominari Sacrificia, nisi impropriè quippè quæ sunt præstita ab simplicibus Christianis, qui Sacerdotes quidem sed impropriè dicti dumtaxat, (quia scilicet sunt unius summi Sacerdotis membra) vocitantur.

3°, Judæi tametsi moribus utplurimum essent corrupti, non tamen ab omni bonorum operum notitiâ & praxi erant imparati. Præterquam quod Mosaica lex, in quam Deus suam voluntatem suo ipsius digito impresserat, talia opera eos ignorare non sinebat. Undè adversarii nullâ scripturarum (ad quarum amussim omnia exigi oportere dictitant) authoritate, suffulti perperàm in sensum hæreticum detorquent citatum Malachiæ locum, & præposterè contendunt ad una dumtaxat pietatis opera esse restringendum. Quod ab Prophetico sensu, textuque penitus abhorrere constat. Perspicuè enim Malachias de legis Evangelicæ sacrificio prædicat, illudque prænuntiat veluti novam oblationem Judæis ad illud usque tempus, nec annuntiatam, nec cognitam, & in omnibus universim gentibus offerendam, ex quo veram in verum Deum, & in ipsum quem missurus erat, Jesum Christum, fidem ab Apostolis & Apostolicis viris per Evangelii prædicationem longè, lateque disseminatam abdicato Idolorum cultu capesserent.

4°, Ut Malachiæ Prophetiam manifestè de novo novi Testamenti Sacrificio prolatam eluderent Heterodoxi, dixerunt eam de Evangelii prædicatione intelligendam esse.

Sed hic sensus est omninò explodendus. Nam oblatio illa quam in omnibus gentibus offerendam, & ex ejus oblatione magnam in Deum gloriam refundendam esse, citatus Propheta vaticinatur, supponit gentibus jam annuntiatum esse Deum vivum & verum, & quem miserat Jesum Christum, cujus fidem amplexæ hujusmodi, gentes illi in omni loco mundam oblationem seu (ut ex omnium Patrum testimonio suprà comprobatum est) incruentum novi testamenti sacrificium offerant. Non igitur potest Malachiæ locus in Evangelii prædicationem detorqueri: Siquidem illa Evangelii prædicatio ad gentes perlata non supponit nomen Dei ipsis gentibus anteà prædicatum, dubitisque bonoribus affectum; cum ex adverso per Evangelii prædicationem illud ipsum Dei nomen primum annuntietur, & disseminetur inter populos qui exinde sanctum illud nomen interno primum externo deinde cultu, per vera sacrificia, & alia id genus supremi honoris indicia prosequantur.

4°, Contendunt citatum Malachiæ locum de Sacramentorum administratione intelligendum esse, sed perperàm. Nam

In eo loco testatur Dominus exercituum se oblationes Judaicas repudiaturum esse, & in gentibus (à quibus in omni loco oblatio munda ipsi erat offerenda) magnum fore nomen suum; ergò præposterè omninò illa Prophetia Malachiæ de Sacramentorum administratione intelligenda dicitur. Nam nemo hactenus, vel tantisper eruditus asseruit Sacramentorum administrationem esse veri nominis sacrificium quod offerretur Deo: siquidem ad hominum sanctificationem pertineat. Licet enim omnes Catholici fateantur Eucharistiam diverso respectu esse Sacramentum & Sacrificium, non tamen concedunt ejus administrationem præcise hominibus impensam offerri Deo, sicut & præcise oblata Deo non exhibetur hominibus: Ergo citata Malachiæ prophetia de vero Sacrificio intelligenda in Sacramentorum administrationem ab Sacrificio penitus distinctam, ab Hæreticis malignè contorta & deflexa, iure ac meritò exploditur.

Quæstio IV.

Utrùm Missæ Sacrificium sit oblatio externa rei sensibilis & permanentis?

Respondeo 1. Sacrificium Missæ esse oblationem, ut proximè probavimus ex citato & explicato Malachiæ loco, quæ quidem oblatio est externa seu sacrificium externum & aspectabile, ut secernatur ab sacrificiis latè sumptis, qualia sunt præsertim misericordiæ opera, pœnitentiæ, & similium; quæ quidem quia eliciuntur, vel imperantur ab virtute, quæ non cadit sub sensus, ab SS. Patribus invisibilia nominantur.

Duplex istud sacrificium luculenter astruit sanctus Gregorius Nazianzenus in Orat. 1. Apologeticâ, in quâ priùs à seipso repudiari Episcopatûs rationem reddit: *Cum hæc igitur nossem*, ait, *& illud propterea, neminem dignum esse magno Deo, & Sacrificio, & Pontifice, nisi qui seipsum priùs obtulerit Deo hostiam viventem, sanctam & rationabile obsequium gratum exhibuerit, Deoque sacrificium laudis immolarit, & spiritum contritum; quod solùm à nobis omnium largitor sacrificium postulat; quonam pacto sacrificium illud externum, magnorumque mysteriorum Antitypon habens offerre ipsi non metuerem, aut quomodo Sacerdotis habitum & nomen subirem, antequam sanctis operibus manus consecrassem?*

Hoc loco sanctus Gregorius Nazianzenus evidenter duplex agnoscit Sacrificium unum internum, quod ab omnibus promiscuè Christianis per bona opera ad Deum, velut ad ultimum finem relata factitatur, alterum verò externum, quod ab unis dumtaxat Sacerdotibus ab Ecclesiâ ad tale ministerium assumptis & consecratis quotidiè celebratur.

Si quis objiciat Sacrificium ab Malachiâ prænuntiatum, quod verum & externum novi Testamenti Sacrificium esse contendimus, ab nonnullis Patribus de spirituali Sacrificio intelligi.

Respondemus nihil prohibere quominùs unum, idemque Sacrificium sit veri nominis Sacrificium & spirituale, quale est sacro-sanctum Missæ Sacrificium; quod quidem spirituale appellari potest. 1°. Quia continet Hostiam, id est, Christum præsentem, & sub panis & vini speciebus spirituali modo existentem. 2°, Quia Christi Corpus sicut & sanguis in illo sistitur præsens per Spiritum sanctum, ut testatur sanctus Joannes Damascenus libr. 4. de Orthod. fide, cap. 14. *Tu quæris*, inquit, *quomodo panis Corpus Christi, & vinum cum aquâ conjunctum Sanguis Christi fiat? Tibi respondeo, Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt.* Hæc ibi. Igitur per verba Consecrationis superveniente in Sacrificium Spiritu sancto, panis & vinum transmutantur in substantiam Corporis & Sanguinis Christi: Atque ita mirabile Sacrificium spirituale pariter, & aspectabile efficitur & consummatur. 3°, Illud ipsum Sacrificium spirituale dicitur, quia Hostia in ipso immolata, spirituali modo, & insensibili consumitur. 4°, Denique spirituale hoc Sacrificium appellatur, quia ita ut offertur uni Deo & Trino, per Christum Jesum in Altari, immolatum, omni benedictione cælesti, seu spirituali, & gratiâ repleamur.

Respondeo 2°. Sacrificium Missæ esse oblationem externam rei sensibilis, eo nomine quod sub panis & vini speciebus in sensum incurrentibus, præsentem latitantemque Christum offerimus, colimus & manducamus.

Respondeo 3°. Illud ipsum Missæ Sacrificium esse oblationem externam rei sensibilis, pariter & permanentis, quia in illâ ipsâ oblatione, seu Sacrificio, symbola ad nostros sensus pertinentia, sicut & substantia Corporis & Sanguinis Christi continentur.

Cur autem istud Eucharistiæ Sacramentum & Sacrificium stabile & permanens Christus instituerit, multæ rationes afferri possunt, & imprimis illa quod scilicet nos docere voluerit nobis in ipso esse religiosissimè permanendum, sicut ipsi in nobis per ipsa sacri sui Corporis & Sanguinis mysteria residere & permanere voluit. Revera nemo cum debitâ fide &, charitate sacro-sanctâ Christi carne & sanguine

vescitur, quin maneat in Christo, & Christum in se vicissim manentem habeat juxta ipsiusmet Christi pronuntiatum: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joann. cap. 6, v. 57. Unde sanctus Augustinus, colligit eum non manducare Christum, sicut oportet, qui non habet Christum in se manentem, & in quo non manet ipse Christus. *Qui non manet in Christo*, inquit, *& in quo non manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: sed magis tanta rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta.* Ita sanctus Augustinus Tract. 26. in Joann.

Idem sanctus Augustinus docet quid sit mandocare spiritualiter Corpus Christi, & saturari; Explicans enim ea Prophetæ verba: *Edent pauperes, & saturabuntur*, sic loquitur: *Quid edunt pauperes? quod sciunt fideles. Quomodo saturabuntur? imitando passionem Domini sui, & non sine causâ accipiendo pretium suum.* Hactenùs sanctus Augustinus in Psalm. 48. concion. 7.

Ac reipsa quidem propter ipsa Christi verba: Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo, sanctæ & Christianæ perseverantiæ donum inter præcipua tanti Sacramenti & Sacrificii effecta, ab omnibus passim Theologis recensetur. Eam ob tem inter sacro-sancta mysteria recitatur Oratio Dominica, cujos petitiones pleræque omnes ad postulandam, & impetrandam prædictæ perseverantiæ gratiam collineant: ut ex S. Cypriano probat sanctus Augustinus lib. 2. de dono perseverant. totis capp. 2. 3. 4. 5. 6. & imprimis 4. ubi sic loquitur: *Quarta petitio est*, ait: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ubi B. Cyprianus ostendit, *quomodo & hic intelligatur perseverantia postulari: ait quippè inter cætera: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad Cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi Corpore separemur. Hæc verba sancti hominis Dei perseverantiam prorsùs à Domino sanctos indicans poscere, quando hac intentione dicunt, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne à Christi Corpore separentur; sed in eâ sanctitate permaneant, quâ nullum quo indè separari mereantur, crimen admittant.* Hæc ibi sanctus Augustinus, qui & cap. 5. proximè sequenti affirmat hac solâ petitione, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non postulari perseverantiam.

Cum igitur Christus Jesus per cruentum Crucis Sacrificium omnia nobis meruerit suæ gratiæ præsidia, & præsertim strenuam in bono perseverantiam, sine quâ nemo (tametsi alias legitimè certaverit) coronari potest, eaque præfatæ gratiæ subsidia, & imprimis perseverantiæ donum, omnium omniuò gratiarum fastigium, nobis per incruentum novi Testamenti Sacrificium efficacius & certius quam cogitare possimus, applicet, meritò Ecclesia nos inter ipsa mysteria nostram in Christo perpetuitatem & individuitatem à corpore ejus (ut loquitur Tertullianus in lib. de orat. cap. 6.) per suam, ut ita dicam, permanentiam & stabilitatem adumbrantia & efficentia, recitare jubet Orationem Dominicam, in quâ multiplici, & crebriùs iteratâ petitione perseverantia in bono quotidiè, imò in singula momenta ab universis fidelibus flagrantissimo corde pariter, & ore flagitatur.

Altera ejusdem rei ratio petitur ex institutione Christi, qui sese in hoc permanenti Sacrificio & Sacramento panem non qui perit, sed qui permanet, in vitam æternam immolari, & fidelibus porrigi voluit; ut illum ipsum panem quem sub sacris velaminibus ederent in terris, se æternùm in cœlo absque ullo velamine manducaturos esse præsciscerent.

Quæstio V.

Utrùm sacrosanctum Missæ Sacrificium uni duntaxat Deo ita debeatur, ut nemini præterquam ipsi citra sacrilegium offerri valeat.

Lutherani & Calvinistæ Catholicos referventis blasphemiæ accusant, utpotè qui dictitant nos Sanctis offerre Sacrificium Missæ, & contendunt eorum patrocinium apud Deum non posse per illud ipsum Missæ Sacrificium postulari. Quæ duo utpotè Catholicæ fidei è diametro repugnanoa, in hac quæstione refellere necesse est. Sit itaque

Prima Conclusio.

Nemini præterqoam uni Deo Saurificium generatim sumptum, & nominatim Missæ Sacrificium citra immanem blasphemiam offerri potest. Undè Exodi cap. 22. jubetur occidi qui immolat Diis, præterquam Domino soli. Reverà, *Sacrificium certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo*, ut ait sanctus Augustinus lib. 10. de civit. Dei, capit. 4. & ibidem *Quis verò*, inquit, *sacrificandum censuit nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit* Hæc ibi.

Hoc ipsum confirmat idem sanctus Augustinus lib. 1. cont. Adversar Legis & Proph. cap. 18, *Dæmon*, inquit, *sibi Sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret. Nam obsequia cætera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbia fastu homines arrogare; rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificaretur, cum regiâ potestate possent, ausi fuerint imperare; quicumque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt.* Hactenùs sanctus Augustinus, qui & idem tradit Ep. 49. ad Deogratias quæst. 3.

Cur autem Sacrificium uni Deo debeatur, pulcherrimam rationem affert sanctus Thomas 2. 2. q. 85. a. 2. in c. *Oblatio*, inquit, *Sacrificii fit ad aliquid significandum: significat autem sacrificium, quod offertur exteriùs: interiùs spirituale Sacrificium, quo anima Deo seipsam offert, sicut principio suæ creationis & fini suæ beatitudinis; Et ideò sicut soli Deo debemus spirituale Sacrificium offerre, ita ei soli debemus offerre exteriora Sacrificia. Hoc etiam videmus in omni Rep. observari, quod suum Rectorem, seu Principem aliquo signo singulari honorant: quod si alteri deferretur, esset crimen læsæ Majestatis.* Hæc ille.

Ista Doctoris Angelici ratio fundatissima est in doctrinâ sancti Augustini, ita loquentis lib. 10. de civit. Dei, cap. 5. *Sacrificium visibile*, inquit, *invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est. Undè Propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium, si voluisses*, inquit, *Sacrificium, dedissem: utique holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et pauló post, *In hujus Prophetæ verbis utrumque Sacrificium distinctum est, trucidati nempè pecoris & contriti corde.* Hæc ibi sanctus Augustinus, qui satis, superque declarat Deum abominari Sacrificia, quæ sine interno contrio cordis affectu & Sacrificio ipsi fuerint oblata. Nam cæteris paribus interna misericordiæ, pœnitentiæ, & aliarum id genus virtutum Sacrificia, externis Sacrificiis anteponit. Undè idem sanctus Augustinus ibidem expendens eum Prophetæ locum, *Misericordiam magis volo quàm Sacrificium. Nihil aliud*, inquit, *quàm Sacrificio Sacrificium prælatum oportet intelligi; quoniam illud, quod ab omnibus appellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Porrò autem misericordia, verum Sacrificium*

est : Undè dictum est , quod paulò antè commemoravi, talibus enim Sacrificiis placatur Deus. Hæc ibi.

Ergo certo certius est, quod uni Deo duntaxat secluso quolibet alio, Sacrificium offerri potest, & debet. Undè graviter sanctus Epiphanius increpat nonnullos in iis quæ ad sanctissimam Virginem spectant, eò amentiæ progressos, ut pro Deo nobis illam obtrodere vellent, ac de eâ velut mente capti & furiosi loquerentur. *Ferunt enim mulierculas quasdam in Arabiâ, quo è Thraciâ profectæ erant, novum illud dogma commentas fuisse : adeò ut in Virginis nomen & honorem collyridem, sive tortam panis sacrificantes offerant, & conventus habeant in sanctissimæ Virginis nomen modum omnem prætergressos, nefariam rem, & cum Dei contumeliâ conjunctam aggredi, hoc est, in illius nomen per mulieres Sacrificia facere.*

Quod quidem impium ac scelestum est, & ab sancti Spiritus doctrinâ prorsùs alienum. Quare totum illud ab Dæmonis afflatu & impuri spiritus disciplinâ profectum est. Hactenùs sanctus Epiphanius adversus hæref. lib. 3. Tomo 2. in hæresi Antidico-marianitarum, fol. 1054. & 1055.

Idipsum legere est apud eundem sanctum Epiphanium adversus Collyridianos, qui hujusmodi mulierculatum errore & insaniâ decepti per aliquot dies panem proponebant, & in Mariæ nomen offerebant. Ita sanctus Epiphanius lib. & Tom. cit. in hæresi Collyridianorum, quæ est 79. fol. 1057. & 1058. Intolerandus igitur error infuscavit animos eorum hominum, qui Virgini Deiparæ, vel hominibus sanctis, vel Angelis Sacrificeia, vel obtulerunt, vel offerre voluerunt; Quod liquidò declararunt sancti vel homines, vel Angeli qui exhiberi sibi noluerunt quod uni Deo deberi omni tempore docuerunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnabâ, cum commotì miraculis, quæ per eos facta sunt, ipsis Lycaonii, tamquam Diis immolare voluerunt. Conscissis enim vestimentis suis, confitentes & persuadentes se Deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum.*

His exemplis demonstrat sanctus Augustinus libr. 20. contra Faustum Manich. cap. 21. sanctos homines & Angelos semper recusasse sacrificia & adorationes, quas uni dumtaxat Deo debitas esse noverant. Sit itaque

Secunda Conclusio.

Docet Ecclesia Catholica Missæ sacrificium rectè in honorem & memoriam Sanctorum celebrari, tametsi illud uni dumtaxat Deo, non autem Sanctis offeratur.

Orthodoxam hanc doctrinam disertè tradit sacrosancta Synodus Tridentina œcumenica, sess. 22. cap. 3. *Et quamvis*, inquit, *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit : Undè nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

Hanc doctrinam sacræ traditioni omni ex parte consentaneam eadem Synodus omnibus & singulis fidelibus sub anathematis interminatione credendam proposuit citatæ sess. can. 5. *Si quis*, inquit, *dixerit imposturas esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum & pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Hujusmodi Sanctorum commemorationem in Missæ Sacrificio celebrari solitam, esse antiquissimam, testificantur Authores antiquissimi, ut legere est apud sanctum Dionysium Areopagitam, vel alium Authorem Eccles. Hierarch. cap. 3. apud sanctum Clementem Constitution. Apostol. lib. 8. cap. 13. apud S. Cyprian. lib. 3. Ep. 6. apud sanctum Joannem Chrysostomum homil. 21. in Acta Apost. aientem ingentem honorem esse Sanctis, quod nominentur Deo præsente, dum terribile & tremendum illud Sacrificium peragitur. Illud ipsum legere est apud sanctum Augustinum lib. 22. de civit. Dei, cap. 10. *Illi*, inquit, *talibus Diis suis, & templa ædificaverunt, & statuerunt aras, & Sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum spiritus vivunt, fabricamus : nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo Martyrum, & nostro, sacrificium immolamus : ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus Confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippè non ipsis sacrificat, quamvis in memoriâ sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium Corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quod sunt & ipsi.* Hæc ibi.

Ex hoc loco patet nos non sacrificare Martyribus, ideò sanctus Augustinus asserit Martyres nominari quidem in Sacrificio, sed ab Sacerdote sacrificante non invocari, id est, non invocari eo modo quo Deus inter sacra mysteria & colitur & invocatur; eam ob rem significat sanctus Augustinus Sacrificii verba non dirigi ad eos, sicut diriguntur ad Deum, cui uni, utpotè summo vitæ & necis dominatori & arbitro Sacrificium offertur.

Quod fidei dogma luculenter astruit idem S. Aug. lib. 8. de civ. Dei c. 27. *Nec tamen*, inquit, *nos eisdem Martyribus templa, Sacerdotia, sacra & Sacrificia constituimus : quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera Religio, falsis religionibus, fictisque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque constructum dicere in precibus : Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriano, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit in illâ celebritate, & Deo vero, de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoria renovatione adhortemur? Quæcumque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum, tamquam Deorum.* Hactenùs sanctus Augustinus loco citato.

Non igitur Martyribus, aut aliis Sanctis, quorum nomina recitantur in Canone, Sacrificium offertur, sed quia per Sacrificium Missæ, in quo Christi Corpus immolatur, protestamur nos remanere in compage Corporis Christi, quod est Ecclesia, atque adeò nos persistere in vera Communione Sanctorum, quæ per veram naturalis Corporis ejusdem Christi manducationem perficitur, ideò Sancti jam in cœlo coronati, qui ad Corporis Christi, id est, Ecclesiæ unitatem pertinent, inter sacra mysteria, id est, in Altaris Sacrificio suo ordine, nominari & invocari debuerunt.

Quod non sic est intelligendum, ut dicamus Sanctos regnantes in cælo eadem ratione invocari per oblationem Sacrificii, quâ Deus, ut supremus rerum omnium moderator & arbiter, invocatur, ut nostræ imbecillitati, quam inter sacrosancta mysteria testatam facimus, opem afferat (hoc enim nos in gravissimum idololatriæ flagitium implicaret) sed cum sanctis Patribus asserendum est sanctos Martyres & alios ab Sacerdotibus in Altari invocari, eo nomine

quod à Deo cum omnibus fidelibus petant, ut ipsis intercedentibus nostram sublevet infirmitatem, & medicinalem nobis gratiam per Christum impertiatur.

Ad declarandam igitur istam fidelium, tam in terris militantium, quam in cœlo triumphantium Communionem tota ipsa redempta Civitas, hoc est, Congregatio, societasque Sanctorum universale Sacrificium offertur Deo per Sacerdotem magnum, ut ait sanctus Augustinus lib. 10. de civit. cap. 6.

Revera, ut ait idem sanctus Augustinus, eodem libro de civit. cap. 7. cum ipsis, id est, beatis, sumus una civitas Dei, cui dicit in Psalmo: gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur.

Hujus commemorationis, per quam inter tremenda mysteria Sanctorum in cœlo regnantium nomina recitantur, rationem reddit Nicolaus Cabasilas, quem Liturgistarum omnium optimum & præstantissimum appellat Cardinalis Perronius, sic enim in Liturgiæ expositione cap. 33. loquitur. Pro iis, inquit, Patribus, scilicet, Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Continentibus, & quolibet spiritu in pace consummato, præcipuè autem sanctissimâ intemeratâ Dominâ nostrâ Deiparâ & semper Virgine Mariâ, offert (Sacerdos) rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & præ cæteris omnibus pro beata Dei Matre, utpotè quæ omnem sanctitatem excedat. Proptereà nihil pro eis orat ille ipse Sacerdos, sed potiùs eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur; quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem. Post hæc verò affert etiam supplicationem, & enumerat ea, pro quibus supplicat, & precatur omnibus salutem, & si quod bonum est, unicuique congruens & conveniens. Et paulò post, ille ipse Cabasilas confirmat sua effata ex Liturgiis sanctorum Joannis scilicet Chrysostomi & Basilii, quem ait meminisse etiam Sanctorum, quorum & S. Joannes Chrysostomus meminit in eodem etiam Sacrificii loco, sed non eodem modo. Postquam enim oravit, ut omnes digni habeantur Communione Sanctorum, non in judicium, vel condemnationem; subjungit, sed ut inveniamus gratiam cum omnibus Sanctis, qui tibi à sæculo placuerunt, majoribus nostris, avis, patribus, Patriarchis, & quæ sequuntur: deindè præcipuè Sanctissimâ. Sed hæc quidem verba habent supplicationem: ostendunt autem etiam gratiarum actionem, & Deum generis benefactorem prædicant, ubi meminit eorum hominum, qui ab ipso sanctificati sunt & consummati: propemodum dicens: Ut des nobis gratiam quam Sanctis priùs dedisti: ut nos sanctifices, Sicut & alios priùs sanctificasti, qui sunt ejusdem generis nobiscum. Hæc ille loco citato.

Ex hac traditione hausere suam doctrinam quotquot Sacrum Missæ Canonem interpretari voluerunt. Undè Alcuinus capit. de celebratione Missæ, & Florus Magister in expositione Missæ, istam ejusdem Canonis partem, *Communicantes* &c sic explicant. Hoc Sacrificium, inquiunt ut possit esse acceptum, & placitum, non alibi hoc offerunt, & Sacerdotes, & Ecclesia cum Sacerdotibus, nisi in communione & societate Sanctorum, de quibus Apostolus dicit: Estis cives Sanctorum & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.

Odo Cameracensis exponens eamdem Canonis partem: extra Communionem, ait, non est locus offerendi Deo verum Sacrificium, vel vota solvendi. Stephanus Eduensis de Sacramento Altaris, cap. 13. idem affirmat. Alter enim, inquit, nec convenienter offerrent Deo, nec vota redderent, nisi digni è communicarent: quia extra Communionem fidelium, & venerationem Sanctorum non est locus offerendi verum Sacrificium.

Innocentius Papa III. lib. 2. myster. Missæ cap. 9. Et quoniam, ait, extra Communionem Ecclesiæ non est locus offerendi Sacrificium unitatis: ideò Sanctorum memoriæ communicamus in Sacrificio, quatenùs in Communione Sanctorum Sacrificium offerâmus Nam sicut unus panis ex multis granis, &c.

Albertus Magnus, Communicamus, inquit, cum Sanctis, quia quod illi percipiunt in rei veritate, nos frequentamus in sacramentali specie. Hæc ille.

Quæ hactenùs allata sunt, satis, superque probant Missæ Sacrificium offerri uni Deo & trino, licetin honorem Sanctorum, in quorum communionem speciali quodam modo ingredimur, offeratur.

Additur in Sacrificii definitione, Uni Deo ex interno devotæ mentis affectu exhibita, oblatio scilicet, &c. Sit itaque

---

Quæstio VI.

Utrùm sacro-sanctum Missæ Sacrificium cum interno devota mentis affectu, seu Sacrificio conjunctum esse oporteat?

Respondeo affirmativè. Ubique enim sacræ litteræ contestantur Deum Opt. Max. aversari victimas, quas homines suis flagitiis contaminati obtulerint, quod satis, superque testificatur Isaias cap. 1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Ne offeratis ultra Sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & Festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Undè ibidem subdit ipse Deus. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite bene facere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ita Isaias cap. 1. v. 10. & seqq.

Iste Prophetæ locus satis, superque declarat Deum reprobare Sacrificia quæ ab homine impuro, suisque sceleribus contaminato fuerint oblata: S. Irenæus lib. 4. advers. hæreses toto 34. capit. probat nullum sacrificium acceptari à Deo ex parte offerentis, nisi cum syncero corde, & ab omni crimine repurgato conjunctum fuerit; ibi enim post multa concludit: *Igitur*, inquit, *non Sacrificia sanctificant hominem: Non enim indiget Sacrificio Deus, sed conscientia ejus, qui offert, sanctificat Sacrificium, pura existens, & præstat acceptare Deum quasi ab amico, Peccatori autem, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate offert Ecclesia, justè munus ejus purum Sacrificium apud Deum deputatum est. Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententiâ purâ & fide sine hypocrisi, in spe firmâ, in dilectione ferventi, primitias earum, quæ sunt ejus, creaturarum offerentes. In hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creaturâ ejus.* Hactenùs sanctus Irenæus.

Ex scripturis & ex sanctis Patribus constat ista duo Sacrificia, internum scilicet in fide syncerâ, in spe firmâ, & in ferventi dilectione positum, & externum in externâ & visibili oblatione constitutum, numquam esse separanda, cum Deus utrumque à nobis exigat, internum tamen externo penitùs anteponat. Undè irrident quodammodo Deum, qui illi externum rei sensibilis Sacrificium offerunt, nec eidem seipsos in intimo cordis recessu, veluti victimas,

mas; quas potissimùm exigit, offerunt, Hujusmodi homines, inquam, in Deum illudunt, utpotè qui Sacrificium externum, quod esse debet, & reverà est, interni Sacrificii, in vero & contrito corde positi, signum, illi offerunt, & ab interno exulceratâ conscientiâ sejungunt, & imitantur populi nequitiam, de quo scriptura prædicat his verbis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Reverà ejusmodi homines imitantur perfidiam proditoris, qui cum extrinsecùs osculabatur Christum, intrinsecùs ejus perniciem eum ipsius insensissimis hostibus tradendo, moliebatur.

Quisquis igitur vult offerre Sacrificium acceptabile Deo, vel interesse Sacrificio sicut oportet, necesse est ut Deo, cui soli offertur Sacrificium externum, se sistat veluti victimam in arâ contriti cordis, ne animo vitiis redundante divinam ultionem evocet, & convertat in suam damnationem Sacrificium, quod uni Deo ad assequendam salutem impenditur.

In quo autem positum sit illud Sacrificium, luculenter & paucis explicat sanctus Augustinus lib. 10. de civit. Dei capit. 4. *Cum ad illum sursum est, ejus est Altare, cor nostrum: & ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in arâ cordis igne fervidæ charitatis.*

Ex his verbis patet cor nostrum esse Altare Dei, cum ad illum sursum est: & in hujusmodi Altari Sacrificium internum igne fervidæ charitatis inflammatum perfici.

Istud autem Sacrificium cum externo Missæ Sacrificio conjunctum à nobis exigi, satis declarant Sacerdotis voces paulò ante mysteriorum celebrationem proferri solitæ: Quid enim aliud significat, imò in personâ Christi præcipit ille ipse Sacerdos, dum elatiori voce dicit, *Sursum corda*, nisi ut corda per veram peccati detestationem, per charitatis ignem, & per religiosam rerum humanarum oblivionem, efferantur in Deum, atque ita per Christum Jesum sese Sacerdotis ministerio sacrificantem, & passionis suæ memoriam recolentem, omni benedictione cælesti & gratiâ repleantur?

Hunc sensum docet nos sanctus Cyprianus in tract. de orat. Dom. in finem. *Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare*, inquit, *& incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quicquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur: ideò & Sacerdos ante orationem, Præfatione præmissâ, parat fratrum mentes, dicendo*: Sursum corda: *ut dum respondet plebs*, Habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat; nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur.* Hæc ibi.

Illud ipsum tradit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. mystagog. 5. *Clamat*, inquit, *Sacerdos*: Sursum corda: *Verè enim circa illam maximè tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaque negotia deprimere.* Hæc ille.

Hujus etiam admonitionis ab Sacerdote mysteriorum celebrationi præmitti solitæ meminit sanctus Augustinus serm. 44. de tempore, item serm. 54. etiam de tempor. & in lib. de verâ religion. cap. 3. item de bono viduitatis cap. 16. & in psalm. 148. & lib. 14. de civit. Dei, cap. 13.

Utriosque igitur Sacrificii, interni scilicet, & externi conjunctio necessaria est, ut Sacrificium externum Deo acceptum offeratur, & ex eo fructus, ad quos institutum est, percipiantur. Cujus veritatis luculenta probatio colligitur ex oratione, quæ ad Deum ab Sacerdote post Calicis oblationem dirigitur: *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te Domine, & sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.*

Hujusmodi sacrificiorum individua oblatio illustriùs cernitur & apparet in sacrificiis ab fratribus Cain & Abel oblatis, Siquidem *respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus: ad Caïn autem, & ad munera illius non respexit.* Id est, rata & grata habuit munera servi sui Abel, Caïn autem munera reprobavit. Nam igne cælitùs illapso Abelis munera concremavit, ut factitabat in sacrificiis ipsi ritè oblatis, ut legere est Lev. c. 9. 2. Paralipom. cap. 7. & 3. Reg. cap. 18. Caïn autem munera, quæ despiciebat, tali signo honestare noluit. Undè sanctus Hieronymus in traditionibus hebraïcis super Genesim, hunc Genesis locum, *respexit Deus ad Abel*, &c. juxta translationem Theodotionis sic legit: & inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus, super Caïn autem, & super sacrificium ejus non inflammavit. *Neque enim in sacrificiis quæ Abel & Caïn primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur*, ut ait S. Cyprianus in Tractat. de Orat. Domin. *ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & justus Deo sacrificat innocenter; docuit & cæteros, quando ad Altare munus afferunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiâ pace. Meritò ille dum in sacrificia Dei talis est ipse, postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens: initiaret sanguinis sui gloriâ Dominicam Passionem, qui & justitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino vindicabuntur.* Hactenùs sanctus Cyprianus veram attulit rationem, propter quam Deus munera Abel accepta habuerit. Cur autem munera Caïn reprobaverit, declarat Scriptura, 1. Joann. cap. 3. v. cum jubet nos diligere alterutrum. *Non sicut Caïn*, inquit, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.*

Talibus Scripturæ verbis, apparet Caïn fuisse ex maligno, id est, ex patre diabolo, quem sacræ litteræ passim & per antonomasiam malum, seu malignum appellant, & patris sui opera factitasse; utpotè qui, cum vidisset fratris sui munera igne cælitùs immisso concremari, & hoc signo à Deo approbari, sua verò despici, & reprobari, geminâ odii & invidiæ face in fratrem exarsit, eumque inaudito ad illud usque tempus homicidio jugulavit. Ab his fratribus initium accepere duæ civitates, hoc est, duæ societates hominum: quorum est una quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera æternum supplicium subire cum diabolo. Ut affirmat sanctus Augustinus lib. 15. de civitat. Dei cap. 1. qui & pergit ibidem. *Cum primum*, inquit, *duæ illæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere civitates, prior natus est civis hujus sæculi* (Cain) *posterius autem isto* (Abel) *peregrinus in sæculo, & pertinens ad civitatem Dei gratiâ prædestinatus, gratiâ electus, gratiâ peregrinus deorsum, gratiâ civis sursùm.* Quod & confirmat idem sanctus Augustinus, exeunte citato capite, cum ait *scriptum esse de Caïn, quod condiderit civitatem. Abel autem tanquam peregrinus non condiderit. Superna est enim Sanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni ejus tempus adveniat.* Hactenùs sanctus Augustinus, cujus verba hic exscribere placuit, ut omnes, quotquot Christianâ professione censentur, discerent hoc potissimùm intercedere discrimen inter hujusmodi civitatum habitatores, quod ii qui pertinent ad civitatem hujus sæculi, seu diaboli, satis habeant externa offerre sacrificia: qui autem pertinent ad civitatem Dei, cives nempè Sanctorum, & domestici Dei flagranti primùm charitate

succensi, sese victimarum in morem totos Deo & Christo Jesu, & per Christum Jesum devoveant, & suam illam oblationem per externa Sacrificia divinitùs præscripta & imperata idoneo tempore testatam faciant. De his satis. Pergamus igitur ad cæteras definitionis allatæ partes, & ad illam præsertim quâ dicimus Sacrificium esse oblationem legitimâ authoritate institutam. Sit itaque

QUÆSTIO VII.

Utrum Missæ sacrificium sit legitimâ authoritate institutum.

INcruentum Missæ sacrificium ab Christo Domino pridiè quam pateretur, institutum, ab Apostolicis temporibus ad nostram hanc ætatem propagata traditio tantâ perspicuitate & constantiâ ubique docuit & prædicavit, ut nemo citra hæresços notam ejus authoritati refragari valeat.

Quamvis enim Deus & Dominus noster Jesus Christus semel seipsum in arâ Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœnâ novissimâ, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ, Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum, declarans Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.

Ex istis sacro-sanctæ Synodi verbis, vel veriùs oraculis, tria colliguntur ad fidem Catholicam pertinentia. Quorum

Primum est Christum instituisse Sacrificium secundum ordinem Melchisedech, cum scilicet in novissimâ cœnâ, quam pridiè mortem cum Apostolis celebravit, seipsum æterno Patri sub speciebus panis & vini obtulit, & illud ipsum, quod in eâ oblatione fecerat, ab Apostolis factitari, id est, suum Corpus & Sanguinem sub iisdem Symbolis offerri voluit.

Secundò incruentum illud Sacrificium instituit Christus, ut per illud Sacrificium semel dumtaxat in Cruce consummandum repræsentaretur, nec unquam ejus memoria ex hominum animis revelleretur & abolesceret.

Tertiò denique institutum est illud ipsum Missæ Sacrificium, ut ejus virtus nobis in quotidianorum peccatorum remissionem applicaretur. Quæ omnia uberius explicanda sunt; si priùs demonstraverimus adversus Heterodoxos incruentum Missæ Sacrificium ineluctabiliter astrui ex Sacerdotio Melchisedech, qui quidem æternum Christi Sacerdotium, incruentumque Sacrificium per oblationem panis & vini ab illo ipso factitatam, mirabiliter in modum adumbravit. Unde istud Enthymema efficacissimum est ad retundendam eorumdem Heterodoxorum hac in parte pertinaciam.

Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem seu similitudinem & ritum Melchisedech.

Ergo in pane & vino sacrificavit sicut Melchisedech.

Ut hujus Enthymematis vis illustriùs appareat, juvat rem altiùs repetere ex sacris litteris, & imprimis ex Epistulâ ad Hebræos inscriptâ, in quâ mirabilis, eaque multiplex Melchisedech, & summi Sacerdotis Christi analogia declaratur.

Prima, quæ inter Melchisedech & Christum intercedit Analogia.

HUjusmodi Analogia posita est in nomine, & in nominis Etymologia. Melchisedech enim idem sonat ac rex justitiæ, id est, rex justissimus, & æqui servantissimus. Qui titulus insigniter cadit in Christum, sivè spectetur ut Deus, sivè consideretur ut homo. Nam quâ Deus ipsa est justitia; quâ homo Rex est justitiæ, utpotè qui tanto, tamque incredibili justitiæ retinendæ, conservandæ, exercendæ, & in fidelium ipsius sanguine redemptorum animos diffundendæ studio & ardore teneatur, ut in sacris passim litteris justus, imò & ipsa justitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. c. 1. vocitetur. Unde Psaltes psal. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Perindè ac si diceret, sceptrum tuum est sceptrum rectitudinis, æquitatis, & justitiæ, regnum tuum scilicet incredibili justitiâ, & singulari æquitate moderaberis, nec sicut alii principes quorum sceptra obliqua sunt, & incurva, deflectes in tortuosas iniquitatis vias, utpotè qui ab ineluctabili justitiæ & æquitatis amore desciscere, & aberrare nequeas.

Secunda, inter Melchisedech & Christum Analogia.

MElchisedech dictus est rex Salem, id est, rex pacis. Quod egregiè quadrat in Christum. Si enim Melchisedech dicitur rex Salem, id est, Hierusalem (quæ primùm Salem, postea Jebus, & tandem Hierusalem appellata est) ut tradit Josephus, verè profiteri possumus Christum Jesum fuisse pariter regem Hierosolymæ, quæ Ecclesiam in terris militantem, & eamdem Ecclesiam in cœlo triumphantem anagogicè significat, & haud dubiè Christus in utraque regnat Ecclesia. Et reverà Ecclesia ejusdem Christi Sanguine redempta in Hierusalem nata, & ex Hierusalem propagata creditur juxta illud Isaiæ oraculum, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Ergo Christus rectè dicitur rex Salem, id est, rex pacis. Undè *Princeps pacis* vocatus est ab eodem Isaiâ octingentis annis, antequam in terris nasceretur.

Ac re ipsâ quidem, *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne suâ legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè* Eph. c. 2. v. 14. & 15. Ideò mori & à ligno regnare voluit in Hierusalem, ut se & justitiæ & pacis regem esse declararet.

Tertia, inter illum ipsum Melchisedech & Christum Analogia.

TErtiò igitur in eo conveniunt Melchisedech & Christus Jesus, quod uterque sit sine patre, sine matre, & sine genealogiâ, respectu Sacerdotii, id est, neuter ortus est ex eâ tribu & familiâ, ex quâ Sacerdotes Levitici, seu Aaronici assumi consueverant. Undè Apostolus probare incipit Sacerdotium Melchisedech longè præstantiùs esse Sacerdo-

tio Levitico, atque adeò Sacerdotium Christi in Sacerdotio Melchisedech adumbratum, multis partibus antecellere Sacerdotium Aaronicum. Undè ille ipse Apostolus concludit translato Sacerdotio, necesse esse ut & legis translatio fiat. Ex quibus verbis Theologicè concludimus eumdem ipsum Apostolum ideò cum Sacerdotio conjunxisse legem, ut intelligerent Hebræi cæremonialibus, judicialibusque Mosaicæ legis præceptis præposterè & pervicaciter addicti, Sacerdotium sine lege transferri non posse, sed dum transfertur, ipsam quoque legem esse necessariò transferendam. Ne quis autem existimet priùs Sacerdotium in aliam Tribum transferri, & posteà legem immutari, seu ad alia, quam cæremonialia, judicialiaque præcepta transferri, meminerit istud Participium, *Translato*, Græcè per Participium præsentis temporis exprimi: quod quidem Sacerdotii & legis translationem uno, eodemque tempore factam esse comprobat, cum scilicet Christus Jesus suo Sacerdotio functus est in arâ Crucis, & sese æterno Patri pro totius mundi peccatis obtulit, & per Spiritum sanctum sanguinolento sacrificio immolavit. Tunc enim Sacerdotii pariter & legis facta est translatio. Tunc enim ille ipse Christus Jesus medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne suâ legem mandatorum decreti evacuavit, ut ait Apostolus Ep. cap. 2. suprà cit.

Christus igitur, qui erat oriundus ex Tribu Juda, non autem ex Tribu Levi, & Aaronis familiâ (quales oportebat esse Sacerdotes omnes legis Mosaicæ Sacerdotes) non secundum legem mandati carnalis factus est Sacerdos, sed secundum virtutem vitæ insolubilis, ut testatur Apostolus Hebræor. cap. 7. id est, Christus non est constitutus Sacerdos per carnalem successionem filiorum Aaron, qui quidem cum vicissim morerentur, sibi pariter invicem in Sacerdotio succedebant, juxta legis præscriptum, sed factus est Sacerdos ea virtute divinâ, quæ illi vitam insolubilem, seu immortalem præstat. Ita ut quemadmodum priorem, cui succederet, non habuit Sacerdotem, sic nullum post se sui Sacerdotii relinqueret successorem: tametsi plures haberet Vicarios, quorum ministerio cruentum suæ Crucis sacrificium, incruento Missæ sacrificio usque ad consummationem sæculi celebraret.

Hoc pacto sempiternum habet Sacerdotium in personâ Melchisedech insigniter adumbratum. Non enim casu, sed deliberato silentio Melchisedech patrem & matrem, & prosapiam seu genealogiam sacræ litteræ suppresserunt, ut nimirùm ostenderent in Melchisedech summo Sacerdote, neque initium dierum, neque vitæ finem habente, in plenitudine temporum Christum in eo constitutum iri Sacerdotio, quod nulla temporum circumscriptio metiretur.

Ideò enim dicitur Melchisedech assimilatus Filio Dei, id est, in eo dicitur figuram expressisse summi Sacerdotis Christi, quod scriptura, nec ejus patris, nec matris, nec genealogiæ, vel tantillum meminerit, atque ita Sacerdotii ejus symbolicam æternitatem, in quam verè propagandum erat Christi Sacerdotium suo, illo silentio mysteriis plenissimo declararet.

Quamvis igitur Christus Jesus, ex quo per stupendum Incarnationis mysterium naturam assumpsit humanam, & in unâ, eademque secum hypostasi devinxit, habuerit Patrem æternum, à quo semper natus, semper nasciturus generari non desinit, necnon Deiparam Matrem, quæ illum cælesti fœta partu gravidataque effudit è virgineo sinu, cum tamen Leviticorum Sacerdotum genealogia recenseretur, de ipsius Christi genealogiâ, alioquin ab Evangelistis Matthæo & Lucâ contexta tacerent, quippè *qui de aliâ Tribu est, de quâ nullus Altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Judâ ortus sit Dominus noster: in quâ Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est:* ut ait Apostolus, Hebræor. cap. 7. v. 13 & 14.

Huc accedit quod ut testificatur idem Apostolus, eodem capite, versu 11. consummatio per Sacerdotium Leviticum non erat (populus enim sub ipso legem accepit) & ideò necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici.

Ex his patet Christum, sicut & Melchisedech appellari sine patre & sine matre duabus de causis, quarum prima petitur ex eo, quod Melchisedech evectus est ad Sacerdotium Levitico præstantius, & Christus assumptus est ab æterno Patre ad Sacerdotium quod non solum Leviticum, sed etiam Melchisedechianum Sacerdotium multis partibus antecellit. Ideò eorum nomina in Leviticorum Sacerdotum ab ipsis longè dissidentium genealogiâ recenseri non debuerunt.

Secunda causa est, quod Sacerdotium Leviticum temporarium erat, & in plenitudine temporum, id est, tempore, divinitùs constituto, cum lege transferendum erat ad æternum Christi Sacerdotium in Sacerdotio Melchisedechis adumbratum. Ideò enim Melchisedech sine patre, sine matre, & sine genealogiâ, neque initium dierum, neque vitæ finem habentem scriptura suo silentio (quo prætermittit ejus patrem & matrem, natalem & mortem) repræsentavit, ut Christi, ejusque Sacerdotii ab Aaronico longè dissiti æternitatem in se sic tamquam in pulcherrimo antitypo repræsentaret. Revera enim Melchisedech mortali conditione natus est, sicut & cæteri homines, sed ut immortalis apparet in scripturâ, quæ hac in re declarare voluit, quantum & quale discrimen inter Aaronicum & Christi Sacerdotium intercederet. Siquidem in lege *plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere, Christus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ut testatur Apostolus, Hebræor. capit. 7. jam citat. v. 23. 24. & 25.

Cum igitur Levitici Sacerdotes vicissim morerentur, & invicem succederent, nec eorum sacrificia homines ad justitiam & salutem provehere possent, oportuit alium exurgere Sacerdotem secundum similitudinem Melchisedech, qui in cœlo pariter & in terris cruentum suæ Crucis sacrificium incruento Missæ sacrificio jugi commemoratione cum laude & gratiarum actione recoleret, & offerret æterno Patri, veluti redemptionem æternam, quam hominum generi æternùm applicandam oppetitâ morte promeruit.

Ac reipsâ quidem, ex quo Christus Jesus cœlum hominibus primi hominis prævaricatione interclusum per admirabilem Ascensionem reseravit, seipsum in terris per vicarios Sacerdotes, quos ipse instituit, sub sacris velaminibus immolare, & in cœlo semetipsum æterno Patri absque ullo velamine offerre non desiit, nec per totam æternitatem in odorem suavitatis offerre desinet, quippè qui ab illo ipso æterno Patre constitutus est summus Pontifex, ut æterno per æternam sui oblationem Sacerdotio fungeretur.

Quarta Analogia inter Melchisedech & Christum in eo posita, quod uterque Sacerdotium Levitico præstantius habuerit.

Melchisedechis Sacerdotium, Levitico seu Aaronico Sacerdotio antecellere probat Apostolus ex duplici præsertim Capite.

1°, Quod Levitici Sacerdotes ex Abrahæ sanguine orituri decimati fuerint in personâ Abrahæ Patriar-

ehæ, qui decimas Sacerdotales Melchisedech impertiit.

2°, Ex eo quod ille ipse Melchisedech Abrahamum, qui habebat repromissiones, benedixit.

Ex duobus hisce Capitibus probat Apostolus ipsius Melchisedecis, atque adeò Christi Sacerdotium adumbratum, Leviti eo esse multò præstantius.

Quod spectat ad primum Caput, Apostolos Hebræos ad majorem attentionem adhortatur. *Intuemini*, inquit, *quantus sit hic*. Perindè ac si diceret, vobis hactenùs proposui Historiam Melchisedecis, at nemo vestrûm hæreat in litteræ cortice, sed attentiùs incumbat in inquisitionem sensuum allegoricorum in hujusmodi Historia latitantium, quippè qui multa, eaque sublimia mysteria ad Christum, ejusque Sacerdotium & Sacrificium, ejusque Ministros pertinentia contineant: quantum enim & qualem in typo & significatione extitisse creditis hujusmodi virum, cui Abraham Patriarcha decimas de præcipuis dederit, id est, præcipua quoque ex spoliis & præstantissima selegerit, quæ pro decimis ipsi Melchisedech summo Sacerdoti, seu Pontifici impertiret.

Talis decimarum solutio eidem Melchisedech impensa, mirabilem in modum extollitur ab ipsius Abrahami personâ, qui ab Apostolo singulari epitheto Patriarcha nominatur, id est, vel pater Princeps, seu pater non utcumque, sed primus alicujus familiæ, seu cognationis ex se procreatæ, aut patrum Princeps, id est, vir, ex quo patres originem traxerunt.

Ex hac igitur voce (Patriarcha) colligit Apostolus, quam magnum oportuerit esse Melchisedech, quem talis ac tantus Patriarcha (qualis extitit Abraham) tanto affecerit honore, ut ipsi sic tanquam majori Sacerdoti decimas impertierit.

Prætereà Apostolus Abrahamum appellando Patriarcham prævertitur tacitam Hebræorum objectionem: utpotè qui objicere poterant: Esto Abraham decimas ipsi Melchisedech, ut Sacerdoti seipso majori dederit, non proptereà minus est Aaronis Sacerdotium, quam ipsius Melchisedech: quamvis enim ex Abrahami sanguine progerminatus sit Aaron, est tamen peculiari quadam ratione electus à Deo, & assumptus ad novum sui populi Pontificatum, ita ut vel ipso Abrahamo major esse videatur.

Hanc objectionem obruit Apostolus per vocem (Patriarcha) quasi diceret: Abraham primus & magnus Patriarcha per antonomasiam denominatus est, quod non solùm per carnalem generationem, sed etiam per Sacerdotium familiarum capitibus annexum, atque adeò omnium Patriarcharum, & Sacerdotum, Aaron scilicet & posterorum ejus parens extiterit: ita ut ipsius Aaronis Sacerdotium ab Abrahamo, ejusque Sacerdotio descenderit. Cum igitur Abraham totius suæ familiæ, omniumque duodecim Tribuum pater, Patriarcha, & summus Sacerdos & Pontifex extiterit, & Melchisedech, veluti majorem se, & in altiori, quam ipse esset, Sacerdotii gradu constitutum decimarum porrectione divinitùs agnoverit, multò magis idipsum Aaronem, & omnes Abrahæ filios, ad quos per carnalem generationem devolutum est ejus Sacerdotium, agnoscere necesse est: siquidem nemini dubium, est quin Abraham, Aaronem, & omnes ejus posteros multis nominibus antecelluerit.

Indè colligit Apostolus Sacerdotes Leviticos, quibus Hebræi adhærescere, & Legis Mosaicæ cæremonias & sacrificia retinere gestiebant, ex Abrahamo esse progenitos, qui quidem voluntariâ decimarum oblatione Melchisedech Sacerdotem seipso superiorem agnoverat, atque adeò ipsos esse ipso Melchisedech inferiores, & promdè Sacerdotium Christi, cujus typum præ se tulit Melchisedech, Levitico multis partibus antecellere protestatur.

Hujusmodi ratiocinationem magis astruit ille ipse Apostolus aiens Sacerdotes mandatum habere decimas sumendi à populo secundum legem. Nam habebant legis decretum, cujus vi decimas à populo ex suis fratribus, id est, ab Hebræis ex Abrahami sanguine (sicut & ipsi) procreatis, accipere poterant: Non quod soli decimas ab suis fratribus perciperent, nam & Levitæ accipiebant decimas, in quantum erant ministri Sacerdotum, sed hujusmodi decimæ erant decimandæ, id est, Levitæ decimam decimæ Sacerdotibus persolvere tenebantur, ita ut soli Sacerdotes decimas acciperent, nec alteri cuipiam, sicut Levitæ persolvere tenerentur.

Quiquid id est, ita ratiocinatur Apostolus. Sacerdotes Levitici legis beneficio accipiebant decimas à fratribus suis, qui eas ipsis denegare poterant, nisi se ex Tribu Levi non solùm, sed etiam ex Aaronis familiâ oriundos esse patefacerent, ita ut nemo alienigena eo decimarum accipiendarum jure gaudere posset. Atqui Melchisedech, cujus generatio non annumeratur in eis, id est, cujus genus non recensetur inter hujusmodi Sacerdotes, qui decimas accipiebant à fratribos, id est, ab posteris Abrahæ; decimas accepit ab ipso Abrahamo, & ab omnibus Leviticis Sacerdotibus, de ipsius Abrahæ lumbis suo tempore egressuris; ergo manifestè Melchisedech erat Sacerdos alterius, & altioris cujuspiam ordinis, quam Abraham Patriarcha, ex cujus stirpe Sacerdotes Levitici, seu Aaronici erant orituri. Siquidem Abraham divino afflatu, impulsuque majorem in eo dignitatis & Sacerdotii agnovit amplitudinem, quæ suum ipsius Sacerdotium, alioquin magnum, antecelleret. Venerabatur scilicet in illo Christum Sacerdotem summum, ejus pulcherrima, luculentissimaque figura in ejus Sacerdotio, sacrificioque præmonstrabatur, ut in illum ipsum Messiam, seu Christum in temporum plenitudine venturum fides corroboraretur in dies, & annis volventibus augesceret.

Quod ita esse liquidò comprobatur ex eo quod Abrahamum nihil aliud ad talium decimarum voluntariam oblationem, præter insolitæ cujuspiam dignitatis notitiam & venerationem, impellere potuit. Nam nullum in eo jus ad hujusmodi decimas agnoscere poterat. Siquidem ejus genus in Sacerdotum Leviticorum serie non recensetur, erat quippè alienigena ergo præfiguratam in eo duntaxat summi Sacerdotis Christi amplitudinem divinitùs revelatam agnovit, & præfatâ decimarum oblatione coluit. Undè Theologicè concludimus Sacerdotium Melchisedech, atque adeò ipsius Christi esse Levitico Sacerdotio majus, & citra ullam comparationem præstantius.

Si quis objiciat ex dictis videri Christum fuisse decimatum in Abrahamo Melchisedech, Sacerdoti decimas exolvente, sicut Sacerdotes & Levitæ decimati ab Apostolo dicuntur.

Respondet S. Augustinus lib. 10. de Genesi ad litt. cap. 20. *Non autem*, inquit, *& ille* (Christus) *ibi decimatus est, cujus caro indè non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam medicaminis pertineat, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud undè curabatur.* Hæc ibi.

Alterum Caput, ex quo probat Apostolus Sacerdotium Melchisedecis Sacerdotium Aaronicum antecelluisse, repetitur ex benedictione, quâ Melchisedech Abraham Patriarcham, & repromissiones habentem, benedixit: Nam sine ullâ contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.

Ut Apostolicæ probationis vis illustriùs appareat, Observandum est varia esse benedictionum genera in scripturis usitata.

1°, Enim recenserne ea benedictio, quâ Deum benedicere dicuntur homines, & in hoc sensu benedicere Deum

nihil est aliud quam Deum laodare, celebrare, & eidem gratias agere, ut constat ex Genesi c.9. v. 26. & 14. c. v. 20. & cap. 24. v. 47. & 48. & Exod. cap. 18. v. 10. & Deuteronom. cap. 8. v. 10. & passim in utroque testamento.

2. Alia est benedictio quâ homines sibi bona invicem apprecantur. Hujus benedictionis meminit Salomon Prov. cap. 11. v. 11. Hæc benedictio usurpatur pro sermone quolibet quo proximis benè precamur, vel eos laudamus & commendamus Jacob. cap. 3 vers. 10 Hac benedictione quæ nullam authoritatem aut publicum officium exigit, uti possunt erga proximos omnes promiscuè homines. Nam æquales æqualibus, majores minoribus & vicissim minores majoribus benedicere possunt & quotidiè benedicunt. Hæc autem benedictio vulgaris dicitur, ut secernatur ab solemni, quâ populis benedicunt, qui publico funguntur officio, ut Sacerdotes, qui tanquam Ministri & Vicarii Dei benedicunt populis: quod in veteri testamento ipsis præscriptum est sub certâ verborum formulâ Numer. cap. 8. & ibidem pollicetur Deus se iis invocantibus nomen suum super filios Israël, iis benedicturum.

His ita constitutis facile est concludere Sacerdotium Melchisedech Levitico præstantius extitisse: siquidem Melchisedech, qui erat Sacerdos Dei summi pro sacerdotali, quo fungebatur officio, benedixit ipsi Abrahamo, & omnibus leviticis sacerdotibus ex ipso nascituris, quemadmodum ab ipso Abrahamo decimas accipiendo ab omnibus pariter leviticis sacerdotibus ex ejus semine orituris accepit. Indè colligimus præcellentiam Sacerdotii Melchisedeciani supra Sacerdotium leviticum, quod nisi inferius esset, perperàm (quod absit) ratiocinaretur Apostolus, cum præsertim id quod minus est, à meliore benedici disertè asserat.

Cum igitur Abrahamo & omnibus leviticis Sacerdotibus ex ejus femore proditoris benedixerit Melchisedech summus Sacerdos, magno argumento est ipsum Melchisedech Abraham, & leviticis sacerdotibus, ex eo nascituris meliorem id est majorem extitisse: Quod proculdubio verissimum est. Cum enim Abrahamus, & ipse suæ familiæ summus Sacerdos, & Patriarcha se ab ipso Melchisedech solemni & pontificali benedictione benedici passus est, se illo ipso Melchisedech minorem & inferiorem esse professus est: Nec alio titulo ab ipso benedici voluit. Nam Abraham ipsi Melchisedech utpotè alienigenæ, nullo pacto subditus erat. Illi ergo honoris causâ citra ullam obligationem decimas obtulit, & ab eo benedictionem accepit, ut summam in eo præstantissimi Sacerdotii dignitatem, quam ut Propheta divinitùs revelatam agnoverat, debitâ veneratione prosequeretur.

Ac reipsa quidem in Melchisedech summo Sacerdote panem & vinum offerente agnovit & coluit Christum, quem pater æternus summum novi Testamenti Sacerdotem seu Pontificem secundum ordinem ipsius Melchisedech, cum jurejurando instituere, & renuntiare decreverat.

Igitur secundum Apostoli ratiocinationem Melchisedech Abrahamo Sacerdoti, & Patriarchæ benedixit eo eo nomine, quod ipsum singulari nobilioris Sacerdotii amplitudine superaret. Siquidem sine ullâ contradictione quod minus est, à meliore benedicitur.

Ex dictis patet Melchisedecis atque adeò ipsius Christi Sacerdotium multis partibus Sacerdotio levitico antecellere: siquidem Melchisedech in cujus personâ Christus novi Testamenti Pontifex adumbrabatur, decimas accepit ab Abrahamo Patriarchâ, atque adeò ab omnibus leviticis Sacerdotibus ex ejus femore egressuris; & præterea ipsi Abrahamo repromissiones habenti & summo suæ familiæ Sacerdoti solemnem benedictionem impertiit, quæ duo altiorem Sacerdotii gradum in Melchisedech, quam in Abrahamo, & Sacerdotibus leviticis ex ejus stirpe prosemiaatis extitisse comprobant.

Sunt & alia signa quibus Sacerdotium Christi Sacerdotio levitico antecellere demonstratur. Ut puta quod Christus sit Sacerdos secundum virtutem vitæ insolubilis, Sacerdotes autem levitici mortales invicem morientibus succederent: quod Christus cum jurejurando sit constitutus Sacerdos, Sacerdotes verò levitici sine jurejurando Sacerdotium capesserent: quod denique Sacerdotes levitici pro suis ipsorum peccatis sacrificia offerre tenerentur; Christus autem sit Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui se velut Hostiam puram & immaculatam in arâ crucis obtulit, ut illic operaretur æternam redemptionem, & se ad recolendam tanti sacrificii memoriam in terris per incruentum sacrificium usque ad consummationem sæculi offerri voluit, ut æternam illam redemptionem credentibus in se populis applicaret.

Quinta analogia inter Melchisedech & Christum, quod scilicet uterque panem & vinum Deo in sacrificium obtulerit.

TAmetsi Heterodoxi Melchisedech & Christum ab ipso adumbratum in multis capitibus ab Apostolo enumeratis convenire fateantur, hanc tamen analogiam oblationem scilicet panis & vini ab utroque factitatam ine'uctabiliter astruentem acerrimè insectantur, quippè qui eâ positâ suarum Hæreseon commenta, imò portenta adversus Missæ sacrificium, quod allatrare non desinunt, excogitata omni ex parte convelli labefactarique videant. At irrito conatu illud ipsum Missæ sacrificium in Melchisedech præfiguratum & ab Christo institutum, & per præfatam analogiam comprobatum appetunt. Quicquid enim obstrepant, ex hoc ipso quod jurejurando Pater æternus Christum Jesum suæ dilectionis filium fecit Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, non autem secundum ordinem Aaron incruentum Missæ sacrificium necessariò concluditur.

Quod quidem cum coram ipsis asseritur, illicò cantantur silentium Apostoli, qui cum de Melchisedecis & Christi Sacerdotio verba faceret, dictæ oblationis non meminit, quam tamen non omisisset, aiunt, si utramque illam oblationem verum extitisse sacrificium & ad orthodoxæ pietatis, & religionis essentiam pertinere credidisset.

Hanc objectionem facilè diluere possumus. Nam Hebræi ad quos scribebat Apostolus, vel omnes erant Christiani, vel quod probabilius est, partim erant adhuc Judæi nondum Christianam Religionem amplexi. Qualescumque fuerint sic incruentum Missæ sacrificium ab Christo Domino secundum ordinem Melchisedech Sacerdote institutum explicari non potuit. Si enim erant Judæi pariter & Christiani, analogia quæ inter sacrificium Melchisedecis & Eucharistiam intercedit apud eos ita communis & pervulgata erat, ut ejus commemoratio, vel uberior explanatio supervacanea videretur.

Nam ut Judæi veteris testamenti lectioni assueverant, atque adeò ubi primùm Apostolus, vel minimam de Melchisedecis sacerdotio mentionem ingessisset, fieri non poterat: quin illicò eorum animis recursaret sacrificium quod ipse Melchisedech in ipso Abrahami ab cæde regum regressi occursu, obtulerat in pane & vino ad referendas ipsi Deo gratias, cujus ope sanctus ille Patriarcha memorabilem victoriam de prædictis regibus retulerat Cum enim illud ipsum sacrificium referatur in ipso Geneseos exordio, & ad insignem Abrahami gloriam pertineat, Judæi qui se filios ipsius passim gloriabantur, illius non meminisse non potuissent.

Quatenus autem erant Christiani, fieri non poterat, quin statim analogiam inter sacrificium Melchi-

ſedecis, & inter incruentum Miſſæ ſacrificium intercedentem, vel ipſo primo aſpectu animadverterent.

Revera cum Apoſtolus tot analogias (quibus Chriſtus ipſi Melchiſedech, ut ſuo antitypo comparatur) tam ſtudioſè percenſuerit, licet ad ejus Sacerdotium non directè pertinerent, & tamen ejuſdem ipſius Sacerdotii amplitudinem Chriſti Sacerdotium adumbrantem levitici Sacerdotii dignitatem antecellere demonſtrare vellet; an ejuſdem Sacerdotii præcipuum munus, id eſt ſacrificium in pane & vino peractum tacitus prætermiſſet, niſi Hebræos promis mentibus illud ipſum ſacrificium ſuam in memoriam revocaturos in animum induxiſſet ſuum? eâ nimirùm adductus ratione quod apud ipſos nihil eodem ipſo ſacrificio notius, nihil vulgatius & teſtatius haberetur.

Talibus igitur Hebræis qui Judæi erant, necnon, & Chriſtiani ſacrificium Melchiſedech, & ipſius Chriſti ab Apoſtolo explicari non oportuit, ſicut nec iis, qui nondum abdicatis legalibus cæremoniis Chriſtianam Religionem profeſſi fuerant, ne quid deterius contingeret. Hanc rationem indicat S. Hieronymus in Epiſt. 226. ad Evagrium inſcriptâ, in quâ teſtatur eam fuiſſe Græcorum opinionem: *Super quo* (Melchiſedech) inquit, *multus nobis ſermo eſt, & ininterpretabilis: non quia Apoſtolus non potuerit id interpretari: ſed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id eſt Judæis perſuadebat, non jam fidelibus, quibus paſſim proderet Sacramentum.* Hæc ibi.

Ne igitur Epiſtola ad Hebræos inſcripta deveniret in manus Judæorum, legalibus cæremoniis pervicaciter adhuc inhærentium commemorato Euchariſtiæ ſacrificio (ad cujus fidem nondum erant idonei) ſcandalum paterentur, Apoſtolus illud ſilentio premere, quam eum tanto talique periculo aperire & explanare maluit.

Illud ipſum conſecutis temporibus factitatum eſt ab SS. Patribus, quippè qui Euchariſtiæ ſacrificium & Sacramentum infidelium, & hominum nondum initiatorum oculis ſubduci, & cognitioni ſubtrahi providâ Religione voluerunt, ne tantum ac tale myſterium, quo majus nullum habet Eccleſia Dei, in profanorum hominum facetioſam dicacitatem, vel ſacrilegam impietatem incurreret.

Solutâ hujuſmodi objectione ad alteram recurrunt, quæ tam facilè quam prima diſſolvitur.

Tametſi, inquiunt, concederemus Melchiſedech utpotè Sacerdotem panem & vinum Deo in ſacrificium obtuliſſe, non tamen veſtra ſtaret Analogia: cum à vobis non panem & vinum adinſtar Melchiſedecis, ſed Chriſti Corpus & Sanguinem offerri doceatis.

Reſpondemus ſpecies & ſenſibilia panis & vini accidentia, quæ factâ conſecratione remanent, ſufficere ad hoc ut ſacrificium Melchiſedecis incruento Euchariſtiæ ſacrificio ſimile extitiſſe aſſeramus, cum hac in parte non agatur de ſubſtantiali & eſſentiali ſimilitudine, ſed de eâ dumtaxat, quam inter imaginem & exemplar, inter figuram & veritatem, inter ſignum & rem ſignificatam intercedere neceſſe eſt.

Nihil igitur hujuſmodi objectiones prohibent, quo minùs Miſſæ ſacrificium in Melchiſedecia oblatione adumbratum ineluctabiliter aſtruatur.

Analogia, qua conſtituitur ſacrificium in pane & vino in Melchiſedech adumbratum, & ab Chriſto Domino celebratum & inſtitutum, ex ſcripturâ probatur & aſtruitur.

HÆC ratiocinatio ſola ſufficit ad convellendas technas, quibus Hæretici incruentum Miſſæ ſacrificium labefactare & evertere moliuntur.

Si Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum ordinem ſeu ſimilitudinem Melchiſedech, neceſſariò fatendum eſt eum obtuliſſe ſacrificium ſimile ſacrificio, quod oblatum ab ipſo Melchiſedech ſacra ſcriptura commemorat.

Atqui certum eſt, & de fide eſt Chriſtum Dominum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech.

Ergo certum eſt, & de fide Chriſtum Dominum obtuliſſe ſacrificium ſimile ſacrificio, quod ab ipſo Melchiſedech oblatum eſſe ſacra ſcriptura commemorat.

Quale autem ſacrificium obtulerit Melchiſedech, declarat ſcriptura Geneſ. cap. 14. ibi quippè ait Melchiſedech protuliſſe panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.

Ex iſto ſcripturæ loco conſtat Melchiſedech utpotè Dei altiſſimi Sacerdotem panem & vinum obtuliſſe in ſacrificium ad agendas Deo gratias de victoriâ ab Abrahamo de profligans regibus reportatâ. Nam proferre hoc in loco idem ſanat ac offerre, & ita ſumitur in aliis ſcripturæ locis, ut puta Judic. cap. 6. v. 19. *Ingreſſus eſt itaque Gedeon & coxit hædum & de farinæ modio azymos panes, carneſque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.* Ita habet vulgata noſtra. Sed S. Hieronymus & 70. legunt aliter. Nam verbum Græcum [illegible] explicant per Latinum verbum, adoravit. Unde rectè infertur verbum Hebr. Jotſe quod explicant per verbum Græcum [illegible], idem ſonare ac ſacrificare. Quod luculenter obſervatum eſt ab Genebrardo Hebraicarum litterarum olim in Academiâ Pariſienſi Profeſſore doctiſſimo; ſic enim habet in ſuâ Chronologiâ in ipſo tertiæ ætatis initio: *Et certè*, inquit, *hotſi, quo Moſes uſus eſt, & noſter interpretatur, protulit, & 70. obtulit, verbum eſt ſacrificantium & reddentium Deo oblationes, & ſacrificia.* Hæc ille.

Idipſum obſervaverat Vatablus in primis ſuorum Bibliorum editionibus anni ſcilicet 1545. ſic in cap. 14. Geneſeos loquebatur. *Protulit panem & vinum, intellige ut ſacrificaret, vel offerret Deo. Nam, inquit ſcriptura, erat ſacerdos Dei altiſſimi* In editionibus verò Genevenſibus in locum hujuſmodi verborum alia ſubrogata ſunt; inibi quippè dictum eſt Melchiſedech protuliſſe panem, ut laſſum & famelicum Abrahami exercitum regiâ liberalitate reficeret. Addunt Genevenſes Melchiſedech protuliſſe panem & vinum, ſed non ad ſacrificandum.

Sed ejuſmodi commentum refellitur teſtimonio omnium verſionum, quæ omnes collineant, ut aſſerant uno conſenſu eo Geneſeos loco ſignificari ſacrificium in pane & vino fuiſſe ab ſummo Sacerdote Melchiſedech oblatum, ut gratias perſolveret Deo altiſſimo, ob victoriam, quam Abrahamo de regibus adverſariis præpotenti manu impertierat. Nam ſivè verbum iſtud, protulit, idem ſonat ac obtulit, ut ſuprà ex ſcripturâ probavimus, ſivè illud ipſum verbum idem ſignificat, ac adduxit ſeu appoſuit: rectè indè oblatum ab Melchiſedech ſacrificium & infertur. Obtulit enim in primâ ſignificatione, idem ſonat ac ſacrificavit: Si in ſecundâ, deſignat ſacrificium ab ipſomet Melchiſedech fuiſſe oblatum, & eo oblato ſeu conſummato eumdem Melchiſedech protuliſſe reliquias panis & vini, & epulandas appoſuiſſe Abrahamo & ejus copiis, non ut urgentem implerent famem & inediam: Jam enim refecti fuerant, ut patet ex v. 24. ejuſdem cap. 14. Geneſeos. Unde conſtat Abraham noluiſſe quicquam retinere de prædâ ex Regum profligatorum manibus extortâ præter ea, quæ juvenes comederant. Non ergo ipſis Melchiſedech porrexit panem & vinum ad propulſandam inediam, ſed participandas ſacrificii reliquias, quæ juxta conſuetudinem in talibus ſacrificiis ad gratiarum actionem oblatis, uſurpatam aſtantibus comedendæ diſtribui conſueverant. Nam panis cremabatur, pars vini libabatur, id eſt effunde-

batur Deo in gratiarum actionem, reliquiæ panis & vini astantibus libandæ seu participandæ dispertiebantur, vel absentibus reservabantur, ut posteà videbimus.

Sivè igitur verbum, protulit, adhibeatur in duplici significatione, quam proximè attulimus (sivè denique usurpetur pro hujusmodi verbis, attulit, adduxit, produxit, seu ut habet alia versio, exire fecit panem & vinum) semper ex præfato Geneseos loco oblatum ab Melchisedech sacrificium colligitur & asseritur. Nam protulit seu produxit panem & vinum ut sacrificaret, vel offerret Deo, quemadmodum cum omnibus Doctoribus Catholicis observaverat Vatablus, & in ejus Bibliis legebatur, antequam ab Genevensibus corrumperentur.

Reverà summus Sacerdos Melchisedech citato Geneseos loco, protulit panem & vinum, id est Deo in sacrificium obtulit, vel protulit panem & vinum, id est porrexit Abrahæ velut sacrificii jam peracti reliquias; vel denique protulit panem vinum, ut ea Deo in sacrificium offerret. Quicquid dicatur, ratio quæ isti loco annectitur, perspicuè demonstrat sacrificium, quod ab ipso Melchisedech oblatum esse contendimus. Quorsom enim subjungeretur: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi* si quidpiam aliud nihil ad Sacerdotium pertinens significaretur? Respondent Hæretici in Hebræo lectitari duntaxat, (*&*) meram copulativam, non autem, (*enim*) causalem.

Sed istud est imbelle effugium. Nam apod Græcos, & sæpiùs apud Hebræos particulam copulativam pro causali usurpari nemini erudito latet. Sic Genes. cap. 28. v. 3. *habet enim virum*, Hebraicè & habet virum. Item Genes. cap. 27. vers. 36. *supplantavit enim me*, Hebraicè, & supplantavit me: & 59. vers. 13. *Quia vana salus hominis*, Hebraicè & Græcè, & vana salus hominis. Ut observavit ibidem Theodoretus.

Reverà observarunt eruditi Hebraic. *vau*, id est, *&*, sæpè usurpari pro rationali ki, id est quia, nam, enim, ut Psal. 94. vers. 5. *Ipsius est mare*, *&* (id est quia ut vertit S. Hieronymus) *ipse fecit illud*. Item Isaiæ 64. cap. v. 5. *tu iratus es & peccavimus*, id est quia, peccavimus. Item Loc. 1. cap. v. 42. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris sui*, id est quia benedictus fructus ventris tui.

Unde Samaritana versio habet, quia ipse erat Sacerdos Dei.

Hoc ipsum sæpè etiam apud Græcos factitari, id est particulam καὶ pro γὰρ, usurpari observavit Theophylactus io 1. Lucæ caput, & ipse sic explicavit salutationem Angelicam, ut anteà annotavimus, id est, istam salutationis Angelicæ particulam, *&*, benedictus, &c. explicavit per, quia.

Hæretici hac in parte convicti, quæritant aliud effugium, & dicunt Melchisedech pro eo quo fungebatur Sacerdotio benedixisse Abraham, non autem sacrificasse. Licet enim ista particula (*&*) in his verbis: *Et erat Sacerdos*, sit causalis, ut aiunt, non tamen ad oblationem panis & vini ab Melchisedech factitatam, sed ad benedictionem, quam Abrahamo impertiit, est referenda.

Sed contrà, multò justius est causalem illam particulam, & locum ipsom referre ad antecedentia, quam ad conseqoentia, cum sacerdotium non requiratur ad impertiendam benedictionem, sed ad sacrificium offerendum necessario exigatur.

Locum autem Genes. ad oblationem panis & vini ab Melchisedech factam, non autem ad benedictionem Abrahamo datam referri, liquidò testantur Hebræa, Græca & Chaldaïca, quæ periodom terminant in voce altissimi, & sic referunt ad præcedentia, ut explicent ritum magni illios Sacerdotii Melchisedech, secundum cujus ordinem & oon Aaronis, Christus Sacerdos in æternum dicitur

Quam aotem immeritò Hæretici Melchisedecis Sacerdotium ad benedictionem Abrahamo datam restringant, patet ex eo quod solemnis, & publica benedictio non necessariò Sacerdotium, sed publicam dumtaxat authoritatem exigat. Nam legimus in scripturis plures politicos Principes, nec Sacerdotes, Populos solemni benedictione impertiisse.

Testis est Josue qui benedixit populo Israël. Jos. cap. 8. v. 33. & ejusd. lib. cap. 22. v. 8.

Testis est David qui Populo benedixit 2. Reg. cap. 6. v. 18.

Testis est & ejus filius Salomon qui benedixit omni Ecclesiæ Israel, ut refertur 3. Reg cap. 8. v. 14.

Ex his locis colligitur noo satis explicari Sacerdotium Melchisedech per hujusmodi benedictionem, atque adeò explicandum esse per sacrificium, in quo præcipuum & maximum Sacerdotum munus vertitur & insistit. Et reverà ita præfatum Geneseos locum intelligendum esse docuerunt, non solùm omnes sancti Patres, verum etiam ipsimet Judæi, quorum testimonium utpotè ab omni suspicione remotissimum, locupletissimum haberi debet. Rabbi Samuël in cap. 14. Geneseos huic veritati litat his verbis: *Actus*, inquit, *Sacerdotii tradidit* (Melchisedech) *erat enim ipse sacrificans panem & vinum Deo sancto, & benedicto*. Hæc ille.

Rabbi Phinees in cap. 28. Numeror. *Tempore Messiæ*, inquit, *omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini non cessabit. Sic dictum est Genes. 14. Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Melchisedech enim, id est Rex Messias excipiet à cessatione sacrificiorum, sacrificium panis & vini, sicut dicitur Psalm. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hæc ille.

Quod si quis hunc Psalmistæ locum accuratiùs discutere velit, deprehendet non solùm sanctos Patres, sed etiam plures ex Judæis, imò & multos ex Hæreticis, ut puta Tremelium, Franciscum Jonium, Piscatorem, Munsterium, & alios intellexisse de vero Sacerdotio, quod ad aliquod sacrificium necessariò referretur: siquidem ut testificatur Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro pecatis.* Hebræor. 5. cap. v. 1.

Cum igitur Melchisedech citra controversiam summus Sacerdos seu Pontifex fuerit, & æternum Christi Sacerdotium adumbraverit, illum sacrificium aliquod obtulisse, & offerendom ab Christo Sacerdote secundum ejus ordinem, id est ritum, morem, & analogiam, in temporum plenitudine constituendo, præfigurasse necesse est: Atqui ipse Melchisedech nullum aliud præterquam panis & vini sacrificium obtulisse, atque adeò Christi sacrificium præfigurasse legitur; Ergo rectè & Theologicè ipsum Melchisedech per oblationem panis & vini incruentum Missæ sacrificium in pane & vino peragendum, & ab Christo instituendum, & Presbyteris non ipsius Sacerdotii Successoribus, sed Vicariis & Ministris indicendum adumbrasse concluditur.

Objiciunt Hæretici sept. in Cod. Regio habent, protulit ipsi, id est Abrahæ panem & vinum.

Fatemur Melchisedech protulisse Abrahamo panem & vinum, sed peracto sacrificio, id est juxta morem pacificorum, panis parte crematâ, & parte vini libatâ, & effusâ in honorem Dei, reliquum sanctificatum Abrahæ, & copiis ejus epolandum apposuisse. Hanc enim apud Hebræos consuetudinem inolevisse testatur scriptura pluribus in locis, ut quæ essent oblata Deo in sacrificiis pacificorum mensis apposita consumerentur, ut videre est lib. 1. Reg. cap. 1. v. 4. Ubi legitur Elcana immolasse, & dedisse Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus & filiabus partes.

Idipsum legitur 1. etiam Reg. cap. 9. v. 23. & 24. ubi cocus dicitur levasse armom & posuisse ante Saül, cui dixit Samuel: *Ecce quod remansit, pone ante te*,

& comede: quia de industriâ servatum est tibi quando populum vocavi.

Id ipsum legitur lib. 1. Paralipom. cap. 16. v. 2. & 3. ubi dicitur David offerens holocausta & pacifica, benedixisse populo in nomine Domini, & divisisse universis per singulos à viro usque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis bubulæ, & frixam oleo similam.

Sic igitur Melchisedech quod ex sacrificio in gratiarum actionem ob reportatam ab Abrahamo victoriam oblato superfuerat, id est residuum panis & vini sanctificati ipsi Abrahamo, & ejus copiis epulandum apposuit, non tam ut inediam propulsarent, quam ut ad præfati sacrificii participationem assumerentur.

Si hujusmodi argumentis Heterodoxi de suâ circa Missæ sacrificium hæresi dejici nequeant, omnibus saltem Patribus & præsertim antiquioribus, quos omnes in eam, quam profitemur doctrinam consensisse (vel ipsi asserunt) debitam habeãt fidem & reverẽtiam, & tot homines tantâ eruditione & sanctitate, quantâ præditos esse novimus, omnibus retrò sæculis approbatos ab verâ fide in re tanti ponderis & momenti (quale est augustissimum Religionis Catholicæ sacrificium) nec aberrare potuisse, nec voluisse persuasum habeant. Alioquin Ecclesia, quam quatuor prioribus sæculis incorruptam in verâ & Catholicâ fide perstitisse, vel ipsi confitentur Hæretici, iisdem ipsis sæculis descivit ab veritate, atque adeò portæ inferi adversus eam utpotè Hæreseon virulentis erroribus jam tum infectam prævaluerunt; quod nemo Christianus, nemo Catholicus, nemo denique Hæreticus citra referventem blasphemiam & eam in Christum redundantem proferre possit, vel audeat.

Quid quod Clemens Alexandrinus S. Hieronymi & Theodoreti judicio Patrum Græcorum doctissimus, idemque antiquissimus, utpotè mortuus circa ducentesimum Redemptoris annum lib. 4. strom. sub finem, quod asserimus evidentissimè contestatur: *Salem*, inquit, *pax exponitur, cujus noster Servator Rex describitur, quem dicit Moses, Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.* Hæc ille.

Si quis existimabit hunc Clementis Alexandrini locum esse subobscurum, audiat gloriosissimum martyrem Cyprianum, eumque pariter antiquissimum, cujus opera sole clariora S. Hieronymus appellat, & omni obscuritate discussâ, & veritatis luce perspectâ, ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertatur.

Item, inquit, *in Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici Sacramentum videmus, secundum quod scriptura divina testatur, & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portarit, declarat in psalmis Spiritus sanctus ex personâ patris ad filium dicentis: Ante luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & indè descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.*

Et paulò post: *Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit antè Imago sacrificii Christi in pane & vino scilicet constituta; quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & Calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ Imaginis adimplevit.*

Hunc locum ex 63. S. Cypriani Epist. de Sacramento Dominici Calicis ad Cæcilium inscriptâ excerptum laudat S. Aug. l. 4. de doct. Christ c. 21 Et hunc eumdem locum licet tritum & in omnium ore versatum hic exscripsimus, eò quod controversiam inter Catholicos & Orthodoxos circa incruentum Missæ sacrificium repullulantem ita dirimat, ut solus ad factitandam Hæreticorum conversionem sufficeret, nisi eorum animos justo Dei judicio, sed occulto omnium errorum Sator diabolus excæcaret. Nam ille ipse S. Cyprianus Catholicæ traditionis retinentissimus ab nostrâ hac ætate, sicut ab omni erroris aut favoris suspicione remotissimus, acceptam ab Apostolis & Apostolicis viris doctrinam suo sanguine obsignatam asseruit. Quippè qui decimo quarto Septembris ann. Redempt. 258. Valerio & Galieno Imperantibus & ipsis octavâ, quam excitaverant, persecutione in Ecclesiam Dei grassantibus, illustre martyrium obiit.

His Patribus adjungendus est S. Hieronymus, de quo utporè viro egregiâ trium linguarum peritiâ prædito, magnificè prædicat S. Aug. Is enim pluribus in locis incruentum Christianæ Religionis sacrificium in panis & vini oblatione ab Melchisedech factum solitâ adumbratum esse non obscurè significat: Ut puta Epist. 17. ad Marcellam, ut Bethleem commigret, inscriptâ. *Recurre*, inquit, *ad Genesim: Et Melchisedech Regem Salem hujus Principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit.* Hæc ibi.

Idem S. Hieronymus in Epist. 126. ad Evagrium inscriptâ idipsum luculenter astruit: *sic & Melchisedech*, inquit, *eo quod Chananæus fuerit, & non de genere Judæorum, in typum præcessisse Sacerdotis Filii Dei, de quo dicitur in 109. Psalmo: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ordinem autem ejus multis modis interpretantur* (Græci) *quod solus & Rex fuerit & Sacerdos, & ante Circumcisionem functus Sacerdotio; ut non gentes ex Judæis, sed Judæi à gentibus Sacerdotium acceperint: neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt, sed oleo exultationis & fidei puritate: neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, & brutorum animalium sanguinem dextrâ susceperit, sed pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicaverit Sacramentum* Hæc ibi.

Ille ipse S. Hieronymus Tom. VII. in Ps. Davidicos, explicans istum Ps. 109. vers. *Tu es Sacerdos, &c. Hoc solum dicamus*, inquit, *quare dixerit, secundum ordinem ceu diceret: Secundum ordinem, nequaquam Sacerdos eris secundum victimas Judaicas, sed eris Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quomodo enim Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum: sic & tu offeres corpus tuum & sanguinem, verum panem & verum vinum. Iste Melchisedech ista mysteria quæ habemus, dedit nobis. Ipse est qui dixit: qui manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum. secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis Sacramentum suum.* Hactenùs S. Hieronymus to. præfato in Psal. David. fol. 335.

Istum Psalmistæ locum: *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. de eodem Christi Sacerdotio & sacrificio interpretatur idem S. Hieronymus aliis in locis, ut inq. super Genesim, & in Epist. 's. ad Demetriadem de virginitate, ubi disertè asserit Melchisedech sacrificio panis & vini mysterium corporis & sanguinis expressisse ac Sacerdotii sui typo Christi Sacerdotium figurasse cui à Patre dicitur: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Catholicam hanc doctrinam hausit Sanctus Hieronymus ex antiquis Patribus SS. scilicet Irenæo, Hyppolyto, utroque Eusebio, Cæsariensi scilicet ac Emisseno, Appollinario, & Eustatio, erat quippè Ecclesiasticæ traditionis indagator acerrimus. Præterea erat versatissimus in libris & traditionibus Hebræorum, ex quibus didicerat Christi Sacerdotium & sacrificium in Melchisedech summo Sacerdote panem & vinum

vinum offerente fuisse adumbratum. Nam Rabbi Samuel in cap. 14. Geneseos & Rabbi Phinees in cap. 28. onm. quorum verba supra retulimus, liquidò testantur, Melchisedech utpotè Sacerdotem Dei altissimi, panem & vinum Deo in sacrificium obtulisse, & Christi Sacerdotium & sacrificium præfigurasse.

Reverà persuasum habuerunt Hebræi Melchisedech sacrificasse, & id intulerunt ex cit. Gen. cap. 14. ut probat Galatinus liber 10. de arcanis Catholicæ Religionis capit. 5. & Genebrardus in prima suæ Chronolog. parte affirmat Rabbinos convivium Abrahamo ab Melchisedech apparatum, appellare Mincha venesec, id est oblationem & libamen. Volunt enim, inquit ipse Genebrardus, Rabbini hunc panem & hoc vinum benedictum ac sacratum priùs Deo fuisse, & ritu sacro solemnique hæc priùs oblata & consecrata; Abrahæ deinde ac ejus pueris in charitatis ac Religionis symbolum porrecta ac distributa, volunt ergo sacrificasse. Hæc Genebrardus.

Cum ergo his ex locis constet inolevisse apud Hebræos hanc traditionem de sacrificio Melchisedech, quod videlicet ut Sacerdos panem & vinum obtulerit in sacrificium, haud dubiè hanc ab eis traditionem jam ab sanctis Patribus acceptam sanctus Hieronymus arripuit eò ardentiùs, quo efficaciùs ex illâ ipsâ traditione ex ipsius Christi hostibus profectâ, ejusdem Christi Sacerdotium incruentumque sacrificium astruendum existimavit.

Verum utrum S. Hieronymus Catholicam hanc de Christi Sacerdotio sacrificioque doctrinam, vel ex unis & sanctis Patribus, vel etiam ex ipsis Hebræorum fontibus repetitam litteris prodiderit, parùm refert, modo (quod negari non potest) appareat & constet, omnes omnium sæculorum Patres, & ipsos etiam Judæorum Magistros hoc uno animo calamoque in Christum elugium consensisse, quod nempè fuerit Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, id est panem & vinum in sacrificium obtulerit, & illud ipsum sacrificium usque ad sæculi consummationem per novi Testamenti Sacerdotes in sui Sacerdotii communionem & societatem assumptos offerri præceperit.

Quod sanè indubitatum est apud sanctos Patres & apud Rabbinos, quos in hujus veritatis patrocinium advocavimus, non quod tali auxilio, vel defensoribus istis tempus egeat, sed ut majorem Hæreticis incuteremus pudorem, qui Judæis deteriores suum Christo Domino Sacerdotium & sacrificium in pane & vino ab ipsomet secundum ordinem Melchisedech oblatum, & institutum, reclamante toto terrarum orbe, abrogare non horruerunt.

Possem hîc adhibere plurium Patrum tam Græcorum quam Latinorum testimonia quæ ineluctabili authoritate Heterodoxorum præpostera novitiaque circa incruentum Missæ sacrificium placita commentaque satis & plusquam satis obruerent. Verum ne actum agere videremur, id est acervatim colligere sanctorum Patrum ac de re pronunniata jam coacervata ab plerisque controversiarum tractatoribus, & imprimis ab Roberto Bellarmino, & ab illostri Perronio viris de fide Orthodoxâ bene meritis, ab hujusmodi labore abstinendum existimavi, eâ tamen conditione, ut mihi liberum esset nonnulla S. Augustini loca ab iis vel prætermissa, vel tantùm indicata hîc apponere, ne ulla gloriandi de S. Augustino) veluti suarum Hæreseon Patrono) Hæreticis occasio, vel materia relinqueretur.

Ut ergo hujusmodi hominum sacrilega impodentia retundatur, & ipsis subtrahatur vindicatum sancti Patris patrocinium, audiant illum sexcentis locis de quotidiano Christianorum sacrificio prædicantem, & teterrimas eorum hæreses multis antè sæculis quam vel emergerent, vel reviviscerent gladio spiritus quod est verbum Dei, strenuè jugulantem.

Nam 1. Epist. 120. cap. 19. sic de præfato sacrificio loquitur: Hinc gratias agimus, inquit, Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur; cum foeris baptizatus invenies.

2. Epist. 95. ad Innocentium Papam I. ab ipsomet sancto Augustino ipsius & aliorum & quidem plurium Episcoporum nomine inscriptâ, idem paucis verbis astruitur Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.

3. Idipsum asserit sanctus Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. *Sed planè*, inquit, *tunc benedictus est* (Abraham) *à Melchisedech qui erat Sacerdos Dei excelsi.* Et paucis interjectis: *Ibi quippè primùm apparuit sacrificium quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.* Hæc ibi.

4. Item lib. 17. de Civit. Dei cap. 5 exeunte illud ipsum sacrificium explicat idem sanctus Augustinus. *Quod ergo addidit, manducare panem: etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit Sacerdos ipse: panis quem ego dedero caro mea est pro seculi vitâ: ipsum est sacrificium non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech: qui legit intelligat:* Et paulò post. *Quia enim dixerat superiùs, dedisse se domui Aaron cibos de victimis veteris testamenti, ubi ait: dedi domui Patris sui, quæ sunt ignis filiorum Israël in escam: Hæc quippè fuerant sacrificia Judæorum: ideò hic dicit manducare panem, quod est in novo Testamento sacrificium Christianorum.* Hæc ibi.

5. Item lib. 17. de Civitat. Dei idem sacrificium secundum ordinem Melchisedech luculenter asserit: *Quod adjungis*, inquit, *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod jam nusquam est Sacerdotium & sacrificium secundùm ordinem Aaron, & ubique offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur de quo ista dicuntur?* Hæc eo loco.

6. Item in lib. 10. de Civit. Dei cap. 35. *Hoc sacrificium*, inquit, *per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, sacrificium autem Judæorum quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt.* Hæc eo loco.

7. Idem sanctus Augustinus lib. 20. contra Faostum Manichæum cap. 18. quod in citatis hactenùs locis asseruit probare pergit. *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tantâ dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti jam ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacro sanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi.* Hæc ibi.

8. Idem confirmat lib. 1. cont. Advers. legis & Prophet. c. 20. *Ibi quippè* (in Ps. 109.) *& hoc dictum est*, inquit, *juravit Dominus & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham; & jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc*

Sacerdotium non mutabit. Mutavit quippè Sacerdotium secundum ordinem Aaron. Unde alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & Hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, & dicit: quia ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus. & in omni loco incensum offertur nomini meo, & Hostia pura, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Ecce quod est secundum ordinem Melchisedech. Hæc ibi.

9. Hoc ipsum sacrificium, id est incruentum Missæ sacrificium luculenter astruit idem sanctus Augustinus 83. qq. l. singul. quæst. 61. *Dominus noster Jesus Christus ostenditur Rex noster: ipse est etiam Sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in sua Passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesiâ videamus offerri.* Hæc ibi.

Ne quis autem ex his sancti Augustini verbis (*ejus sacrificii similitudinem celebrandam in sua Passionis memoriam commendavit*) erroris ansam arripiat, observandum est ex Cardinale Perronio viro egregiè docto duo reperiri in nostro Missæ sacrificio, rem scilicet oblatam & oblationis modum. Quantum ad offerendi modum, nostrum illud sacrificii est symbolum, signum & similitudo, & imago seu repræsentatio cruenti illius sacrificii, quod Christus in cruce suâ morte commendavit: quantum autem ad rem oblatam idem est omninò sacrificium; nam nostris in aris idem Christus qui olim in arâ crucis immolatus est, quotidiè ministerio sacerdotum ejusdem Christi personam sustinentium immolatur, ut disertè testatur S. Joannes Chrysost. hom. 17. in Ep. ad Hebræos. Quod & affirmat S. Epiphanius advers. hæres. l. 2. tom. 1. in Melchisedecianorum hæresi 55. num. 4. *Cum enim Christus esset Sacerdos*, ait, *secundum ordinem Melchisedech à patre constitutus imprimis semetipsum obtulit.* Quod sanè intelligit S. Epiphanius de oblatione incruentâ quâ seipsum obtulit in Cœnâ, in istâ enim so â oblatione sese Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech exhibuit, & Sacerdotio suo quod tunc suis Apostolis, & eorum successoribus communicavit, inconcussam firmitatem impertiit. *Unde sicut & tunc extitit, ita & æternum erit*, ut ait S. Epiphanius, *idem ipse victima: ipse sacrificium: ipse Sacerdos; ipse altare; ipse Deus; ipse homo; ipse Rex; ipse Pontifex; ipse ovis; ipse agnus; adeoque omnia in omnibus propter nos est factus, ut nobis omnibus vita suppeteret ac Sacerdotii sui constantem & immutabilem firmitatem in sempiternum statueret.* Hactenùs S. Epiphanius.

Ex his & aliis supradictis constat Christum Dominum duplex instituisse sacrificium, ita ut unum esset cruentum, alterum verò incruentum, quod ab altero offerendi dumtaxat ratione discreparet. Vel si mavis unum dumtaxat Christus instituit sacrificium si rei oblatæ unitas attendatur, ab se autem quodammodo diversum si ad diversum oblationis modum respectus habeatur.

10. Sanctus Augustinus Concion. I. in Psalm. 33. mirabili perspicuitate, ut assolet, duplex illud sacrificium, vel si mavis unum secundum ordinem Melchisedech, ut proximè dicebamus, explicat: *Erat autem*, inquit, *ut nostis sacrificium anteà secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in mysterio. Nondum erat sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, & illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. De quo dicitur, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. De quo dicitur, tu es Sacerdos, &c. De Domino nostro Jesu Christo.* Et paucis interjectis: *De quo alio dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, nisi de illo cujus nostis sacrificium? sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech.* Hæc ibi.

11. Idem sanctus Augustinus illud ipsum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech declarat verbis apertissimis concione 2. de eod. Psalm. 33. *Diximus autem*, inquit, *nomina mutata esse, ut Sacramentum ostenderetur: ne si idem nomen repetitum esset in titulo Psalmi, non nobis prophetasse aliquid in Sacramento, sed quasi gesta narrasse videretur. Utrumque ergo nomen magnum continet Sacramentum. Nam Achis interpretatur, quomodo est. Abimelech interpretatur, Patris mei regnum. In illo verbo, quomodo est, dicitur, ignorantia significatur, ut verbum mirantis, & non agnoscentis intelligas. In isto autem, quod dicitur Abimelech, regnum Judæorum significatur. Ex Christi enim personâ potest dici Patris mei regnum, quia Pater ipsius secundum carnem David: & regnum David erat in gente Judæorum. Coram regno ergo Patris sui mutavit vultum suum, & dimisit eum, & abiit; quia erat ibi sacrificium secundum ordinem Aaron, & posteà ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo vultum suum in Sacerdotio, & dimisit gentem Judæorum & venit ad gentes.* Hæc ibi.

12. Idem sanctus Augustinus explicans istum versic. Psalm. 109. *Juravit Dominus*, &c. *Juravit*, inquit, *ergo Dominus, juravit, firmavit, non eum pœnitebit, non mutabit: Quid? tu es Sacerdos in æternum. Ideò in æternum, quia non pœnitebit eum. Sed Sacerdos secundum quid? Numquid erunt illæ Hostiæ, victima oblata à Patriarchis, ara sanguinis & tabernaculum, & illa veteris Testamenti Sacramenta? absit, jam illa sublata sunt everso jam Templo, remoto illo Sacerdotio, pereunte eorum victimâ & sacrificio. Hæc nec Judæi habent. Vident periisse jam Sacerdotium secundum ordinem Aaron, & non agnoscunt Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est mysteria promere, scriptura vobis intiment, quod est Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.* Hæc ibi.

Eant igitur Hæretici & quærant, ut assolent, diverticula, anfractus & effugia, quibus innumera & ineluctabilia omnium Patrum testimonia vel eludant, vel in sua placita detorqueant, nunquam tamen sanctum Augustinum antiquæ fidei conditorem, ut ab sancto Hieronymo appellatur, & Hæreseon suis temporibus vel emergentium, vel repullulantium debellatorem acerrimum in pestiferorum dogmatum, quæ in orbem Christianum invexere, patrocinium advocare poterunt, quin omni hominum generi propinent risum, & sese velut ab omni ratione desertos ad anticyras ablegandos esse patefaciant. Quis enim amabo vos allato huic à nobis argumento & hactenùs probato respondere poterit?

Si Christus est Sacerdos secundum ordinem seu similitudinem Melchisedech, necessariò fatendum est obtulisse sacrificium simile sacrificio quod ab ipso Melchisedech oblatum esse scriptura commemorat.

Atqui certum est, & est de fide, Christum Dominum esse Sacerdotem secundum ordinem seu similitudinem Melchisedech.

Ergo certum est, & de fide Christum Dominum

obtulisse sacrificium æterno Patri simile sacrificio, quod ab ipso Melchisedech oblatum esse scriptura commemorat.

Majorem propositionem nemo negare potest præter Hæreticos, qui pari ad imperitiam audaciâ contendunt Sacerdotium Melchisedech, & ejus ordinem in eo dumtaxat fuisse positum, quod Abrahamo ab Regum cæde regresso benedixerit. Sed præposteram illam interpretationem tam ex sacris litteris quam ex plurimis, & ipsorum Judæorum, & sanctorum Patrum testimoniis suprà refutavimus, &, ni fallor, obtrivimus. Quâ in re non frustra nobis gratulamur & gloriamur in Domino. Nam & Ecclesiæ praxis, & tota sanctorum Patrum traditio ab Apostolorum temporibus ad nostram hanc ætatem transmissa, & propagata nobis incredibili consensu concentuque suffragatur. Quod vel ipsi fatentur adversarii, & eo criminosiores se præbent eo nomine quod toti antiquitati incruentum Missæ sacrificium omnimodis asserenti reluctari audeant.

Hactenùs probavimus plerasque partes, ex quibus sacrificii generatim sumpti definitio coalescit, convenire in incruentum Missæ sacrificium, utpura quod sit oblatio externa rei sensibilis & permanentis soli Deo facta, & illi uni ex interno religiosæ mentis affectu exhibita, legitimâ authoritate instituta. Jam devenimus ad eam definitionis partem quâ illam ipsam oblationem ab legitimo ministro ritu mystico consecrari oportere contendimus. Sit itaque

QUÆSTIO VIII.

Quinam sint legitimi ministri ab quibus incruentum Missæ sacrificium offerri oporteat?

SI Hæretici qui Calvinum secuti sunt errantem, illum pariter sequerentur Catholicè loquentem, citò gravis controversia inter nos & ipsos de incruento Missæ sacrificio & legitimis ejus ministris oborta dirimeretur. Sic enim loquitur lib. 4. Institut. cap. 9. §. 8. *Priscas illas Synodos, ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam I. Chalcedonensem ac similes quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur. Nihil enim continent quam puram & nativam scripturæ interpretationem quam SS. Patres spirituali prudentiâ ad frangendos Religionis Hostes, qui tunc emerserant accommodarunt.* Hactenùs Calvinus.

Ab hujusmodi verbis nec ipse Calvinus nec ejus Discipuli citra æternam infamiæ notam recedere nequeunt. Si igitur incruentum Missæ sacrificium & ministros ab quibus illud offerri debet, ostendere valeamus, ex dictis Conciliis Calvianos vicimus.

Audiamos igitur Synodum Nicænam I. & œcumenicam de re proposita, id est de incruento Missæ sacrificio & ejus ministris ita statuentem can. 18. *Pervenit*, inquiunt ejus Concilii Patres, *ad sanctum magnumque Concilium quod quibusdam in locis & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant. Necnon & illud innotuit, quod quidam è Diaconis ante Episcopos Eucharistiam contingant: Hæc igitur omnia resecentur, & in suâ Diaconi mensurâ permaneant, scientes, quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergo post Presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episcopo eis aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.*

Ita præfata Synodus declaravit quinam essent nostri sacrificii ministri legitimi, nempè Sacerdotes seu Episcopi seu inferiores Presbyteri, penes quos erat offerendi facultas ab Ecclesiâ concessa. Hoc Concilium incredibili totius orbis assensu exceptum nemo contempsit, quin è Catholicorum albo expungendus seu excommunicatione feriendus haberetur. Ut constat ex sancti Leonis Epist. 77. & 78. Quod & affirmat sanctus Basilius Epist. item 78 dum ait, suspectis de hæresi Decreta Nicæni Concilii esse proponenda, eo quod scilicet hac ratione Hæretici ab Catholicis sic tanquam certissimo indicio secernerentur. Nec mirum si tantus huic Concilio honos adhiberur. Siquidem ex 318. Episcopis mirabili sanctitate & eruditione & confessionis gloriâ præditis conflatum est: Ita ut Theodoretus lib. 1. cap. 7. in hac Synodo Dei ministros totius orbis lumina martyrumque multitudinem in unum collectam convenisse prodiderit. Hoc autem Concilium ann. Redempt. 325. omnium eruditorum judicio celebratum est, & confirmatum tanto omnium Catholicorum plausu & gaudio, ut Concilia generalia illud subsecuta ejus Canones, & Decreta veluti de Cœlo delapsa suspexerint, coluerint, & identidem, ne sensim abolescerent, revocaverint in usum, ut posteà videbimus. Alterum Nicæni Concilii I testimonium de incruento sacrificio videre poterit Lector in ipso XI. quæstionis exordio.

Concilium Constantinopolitanum I. generale II.

HUjusmodi Concilium ex centum & quinquaginta Patribus conflatum, & anno Redempr. 381. habitum, non minùs quam Nicænum Calvinianam hæresim in incruentum Missæ sacrificium grassatam jugulat. Siquidem in ipso jam tum suorum Canonum exordio edicit, ut ea quæ apud Nicæam statuta sunt, immota permaneant. Sic enim sancitum est ipso primo ejus Canone. Custodiendam esse fidem trecentorum decem, & octo Patrum qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt, ad anathematizandam omnem hæresim. Atqui Concilium Nicænum declaravit Episcopos & Sacerdotes inferiores esse ministros incruenti Missæ sacrificii, & dispensatores Corporis Christi, quod in ipso dumtaxat conficitur & offertur. Ergo si Calvinus, ut profitetur, Synodum Nicænam I. & Constantinopolitanam amplectitur & reveretur, ut sacro-sanctas quantum ad fidei dogmata, suam illam circa Missæ sacrificium hæresim recanter necesse est, alioqoin veluti teterrimus sycophanta excipiendus est, quippè qui impostoris veritatem uno in loco profitentis, & in altero proterentis infamiam, effugere nequeat.

Quod autem Concilium Constantinopolitanum incruentum Missæ sacrificium Nicæni Concilii Canonem 18. à nobis suprà relat[illegible] approbando ad fidem Catholicam pertinere declaraverit, à nemine melius quam ab Episcopis, qui eo sæculo floruerunt, & præfatum sacrificium nunquam non docuerunt tam ante quam post celebrationem dicti Concilii centum quinquaginta, cui interfuerunt sic tanquam Episcopi, id est veluti judices divinitùs constituti, qui controversias circa fidem & bonos mores inibi emersitas discuterent senili maturitate & prudentiâ, discussasque juridicè definirent. Hujus rei testes sunt sanctus Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, sanctus Gregorius Nazianzenus, & S. Basilii frater S. Gregorii Nysseni, qui huic Concilio interfuerunt, ut diximus, & stabilitam in eo de incruento Missæ sacrificii fidem litteris prodiderunt, & imprimis S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui in Catechesi mystagog. 5. omnes & maximè præci-

puos Missæ ritus, qui observantur etiamnum, ita recenset, ut nihil ad ejusdem Missæ probationem aut efficacius aut illustrius afferri posse videatur.

Deum, inquit, *benignissimum oramus, ut super illa proposita sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi: Omninò enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deindè verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsâ propitiationis Hostiâ, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace*, &c. Hæc ille.

Doctissimos Cardinalis Perronius ex hoc & aliis ejusdem Cyrilli locis, colligit multa ad astruenda incruenti sacrificii mysteria, & ad comprobandam Corporis & Sanguinis Christi in eodem sacrificio veram realemque præsentiam apprimè conducibilia & ideò hîc ascribenda. Hujusmodi Authoris verba, inquit, sunt dilucida, & ad eam rem nata. Nulla hîc recensentur ænigmata, nullæ adhibentur præstigiæ: Non erat illud tempus hyperbolis, catachresibos & vanis luxuriantis eloquentiæ flosculis & ostentationibus opportunum. Teneriores enim Ecclesiæ plantas purâ & simplici fidei veritate perfundere & imbuere oportebat. Hoc loco S. Cyrillus Neophytos, id est recens mysteriis initiatos erudit, & informat ad veram syncerámque tanti Sacramenti fidem, ut ad illud adeant dignè Deo, nec judicium sibi manducent & bibant, non dijudicantes Corpus Domini. Non est hic porrigendus lapis pro pane, nec serpens pro pisce. Nec etiam calumniis, mendaciis, & idololatriæ flagitiis imbuendi sunt. In eorum igitur animos velut in recentem mollemque terram eam imprimit doctrinam, quam toto vitæ curriculo retinere debent, ut in gratiæ & electionis vasa ad sacri illius thesauri perceptionem idonea componantur. Norunt fideles, aiunt Patres, id est quotquot in Christo sunt regenerati. Nam Catechumeni excolebantur toto triennio, ut integram in Christum fidem docerentur, & in ejus potestatis plenitudine, & in certissimâ omnium ejus verborum veritate spem omnem fiduciamque defigerent. Hujusmodi triennium emensi Christo, & ipsius Ecclesiæ solemne dicebant Sacramentum, & regenerabantur ex aquâ & Spiritu sancto, quo facto illis Christi Corpus & Sanguis porrigebatur, & sacro-sanctum Eucharistiæ mysterium ad illud usque tempus eis occlusum obseratumque, remotâ omni verborum ambiguitate aperiri, reserarique consueverat. Tunc primùm glorioso fidelium titulo donabantur, ut præclarè observatum est ab ipso Cardinale Perronio in doctissimo de Eucharistiâ libro pag. 278.

Ex dictis colligat Calvinus quænam fuerit fides Ecclesiæ circa incruentum Missæ sacrificium, eo tempore, quo habitum est hujusmodi Concilium Constantinopoli, quod quidem Concilii Nicæni Canones (in quibus sancitur illud ipsum sacrificium) usque ad summos apices amplexum est, & tunc, nisi sibi voluntariam offundat caliginem, incruentum Missæ sacrificium ab omni ævo in Ecclesiâ Dei prædicatum & celebratum esse deprehendet. Sed alia duo supersunt Concilia quæ idem sacrificium astruunt, & quæ Calvinus veluti sacro-sancta veneratur. Sit itaque

---

Tertium Concilium generale ab Calvino approbatum: Concilium scilicet Ephesinum I. generale III.

HOC Concilium Ephesinum scilicet I. anno Redemptoris 431. celebratum in capitibus, quæ subsequuntur Canones, c. 7. decrevit alteram fidem nemini licere proferre, aut scribere, aut componere præter eam quæ definita est à sanctis Patribus apud Nicæam Urbem in Spiritu sancto congregatis.

Eos autem, qui fuerint ausi aliam fidem componere, sive porrigere, aut proferre his qui volunt ad cognitionem veritatis converti, vel ex gentibus, vel ex Judæis, vel etiam ex qualibet hæresi istos, si quidem Episcopi fuerint, aut Clerici, alienos esse Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos autem à Clericatu, si verò Laici fuerint, anathematizari. Hæc ibi.

Quod Ephesina Synodus prima hisce verbis indixit, ipsa religiosissimè præstitit. Institit quippè religiosissimè Nicænæ Synodi vestigiis, & imprimis quod de incruento Missæ sacrificio Nicæni Patres statuerant, sine ullâ tergiversatione credidit, & ita credendum esse declaravit, ut legere est in declaratione XI. Anathematismi II. *Sanctum*, inquit, *ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potiùs tanquam proprium corpus effectum, & sanguinem etiam verbi, quod omnia vivificat accipientes. Siquidem communis caro vivificare non potest: & hoc Salvator ipse testatum facit: Caro, inquiens, non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat. Quia enim caro Verbi facta est propria, ob id intelligitur & est vivifica, quemadmodum ipse Salvator ait: sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Cum itaque Nestorius & qui cum illo sentiunt, mysterii hujus virtutem temerè dissolvant; propterea & id quidem convenienter, editus est hic Anathematismus.* Hactenùs verba Concilii Ephesini I. part. 3. fol. 317.

Præfati Concilii verba luculenter astruunt bina nostræ fidei dogmata, incruentum scilicet Eucharistiæ sacrificium, & realem Corporis & Sanguinis Christi in eodem Eucharistiæ sacrificio, sacramentoque præsentiam, quæ duo non oppugnaret Calvinus, si quatuor Conciliis quæ recenset, eam adhiberet, quam profitetur reverentiam, cum nemo, nisi datus sit in reprobum sensum, tam perspicuis citatarum Synodorum definitionibus reluctari valeat. Superest quartum Concilium ab Calvino approbatum, scilicet

---

Concilium Chalcedanense generale IV. cum tribus Conciliis suprà memoratis ab Calvino admissum & approbatum.

HOC Concilium ex 630. Patribus conflatum & ann. Redempt. 450. & 451. celebratum non magis Calvino incruentum Missæ sacrificium oppugnanti suffragatur, quam cætera, quæ se libenter amplecti profitetur. Nam præterquam quod confirmat in 1. suo Canone superiorum Synodorum illud ipsum sacrificium inter fidei articulos annumerantium Decreta, seu decernit regulas sanctorum Patrum per singula, tunc usque proprium robur obtinere, illustre nobis suppeditat exemplum, quo incruentum quod defendimus sacrificium ineluctabiliter astruatur: Ut legere est in libello, quem Ischyrion magnæ Alexandrinæ civitatis Diaconus Leoni Papæ & Concilio Chalcedon. obtulit. Hujus libelli verba ad majorem rei certitudinem & perspicuitatem referre necesse est.

Tanta autem, inquit, *contra omnes (non sicut decebat Episcopum & maximè tanta civitatis, & Evangelica illius sedis præsulem constitutum) perpetrare ausus est* (Dioscorus) *ut etiam & frumentum: quod à piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Libyæ propter ariditatem illius Provinciæ, & quia ibi omninò triticum non nascitur, præstitum est, imprimis quidem ut incruenta ex ipsa Hostia offeratur, deinde ut & peregrini, necnon etiam & Provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius Provinciæ, sed adunaret & coëmeret memoratum

frumentum largissimis pecuniis, ipsum verò in tempore famis gravissimis æstimationibus venumdaret. Et ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est, neque (sicut dixi) peregrini aut Provinciales hoc solatio fruiti sunt. Hanc inter cæteras accusationem adversus Dioscorum Alexandrinum Episcopum, & profligatissimis moribus virum, totidem verbis expressam legere est in præfato Ischyrionis Diaconi libello, in priori parte tom. II. Conciliот. edition. Colon. in Concilii Chalcedon. att. 3. p. 183.

Catholica incruenti sacrificii fides non solùm ab præfatis Conciliis generalibus confirmata & declarata est, verum etiam ab aliis Provincialibus, ut putà ab Concilio Toletano I. quod anno Redempt. 400. ab novemdecim Episcopis celebratum est; quod quidem etsi non sit œcumenicum, est tamen magnæ authoritatis, utpotè quod ad certam divinæ traditionis amussim & regulam sit exactum, & insuper ab S. Leone Papâ I. confirmatum esse videatur, ut paret ex d. 20. c. de libellis. Hujus Concilii Capitulum 5. vel Can. 5. sacrificium, de quo prædicamus, hisce verbis astruit: *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut Castella, aut vici sunt, aut villa, si ad Ecclesiam aut ad sacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluit promereri.* Hæc ibi.

Hic evidenter agitur de sacrificio quotidiano, non interno, sed externo & aspectabili, quod non potest esse aliud, quàm Missæ sacrificium, quod celebratur in Ecclesiâ, & cui homines in eo Canone nominati, sese præsentes sistere tenebantur.

Quod si Calvinus & ejus Asseclæ hujusmodi Concilium, utpotè ex paucis, novemdecim scilicet Episcopis constitutum parvifaciant, debitum saltem honorem & fidem habeant Concilio Nicæno I. ex 318. Episcopis, iisque omni pietatis & eruditionis laude cumulatis composito: Assentiantur Concilio Constantinopolitano I. ex 150. Patribus conflato: credant Concilio Ephesino I. ex 200. saltem Episcopis constituto: fidem denique habeant Concilio Chalcedon. ex 630 Patribus conflato. Debitam, inquam, fidem adhibeant trecentis supra mille hominibus, quos divina Providentia in variis terrarum partibus & oris ad Ecclesiam ædificandam ad veram, Catholicamque fidem astruendam, & demum ad profligandas hæreses excitavit, armavit, & reportatis pluribus de mendacii & hæreseon satore victoriis coronavit.

Resipiscant igitur Calvinistæ, & ad Synodos Nicænam I. Constantinopolitanam, Ephesinam I. & Chalcedonensem, quas se ut sacro-sanctas revereri, quantum ad fidei dogmata Calvinus asseruit; suam admetiantur fidem. Neque cum suo illo authore vel deceptore dicant ex recentioribus apparere, quantum subindè Ecclesia ab puritate sæculorum, in quibus celebrata sunt præfata Concilia, degeneravit. Hoc enim omnibus id genus Hæreticis solemne est, ut ubi in causæ suæ defensione omnia rationis præsidia labascere sibi deprehendunt ad extremum miserumque suffugium concedant, & pari ad errorem audaciâ, impudentiâque Ecclesiam Dei primigeniæ fidei & veritati, quâ per quinque priora sæcula refulsit, decoxisse asserant: perindè ac si Spiritus sanctus, cujus afflatu perpetuo regitur & animatur, illam contra Christi repromissionem desereret, & in rebus ad salutem necessariis, hoc est, in controversiis ad fidem & bonos mores pertinentibus educatos in ipsius sinu populos circumveniri, decipi, falli, & in errorem induci pateretur. Quod quam impium sit, supra declaravimus eo nomine quod Christus promiserit nusquam fore, ut adversus Ecclesiam, quam suo Sanguine redempturus erat, portæ inferi prævalerent.

Porrò quod spectat ad Concilia recentiora, quæ ab priorum Orthodoxæ fidei descivisse Calvinus impudenter asserit, nihil detestabilius excogitari potest. Nam neque ullum Concilium œcumenicum, neque ullum Provinciale proferri potest, quod vel tantillum ab veterum Synodorum Sanctionibus deflectere videatur. Imò nullum extitit Concilium; quin incruentum Missæ sacrificium, ubi id occasio poposcit, luculenter explanaret.

Hujus rei pulcherrimum testimonium ex Concilio Toletano XII. reperiri potest. Hoc siquidem Concilium ex 35. Episcopis constitutum anno Redempt. 681. celebratum nostrum illud sacrificium comprobat Can. 5. in hæc verba concepto: *Relatum nobis est quosdam de Sacerdotibus, non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in unâ die videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à Communione suspendant, & in solâ tantùm extremi sacrificii oblatione Communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt Hostias, participes sunt Altaris? Certum est quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino Altari sacrificium oblaturus accesserit, & se à Communione suspenderit, ab ipsâ, quâ se indecenter privavit gratiâ Communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans Corpus & Sanguinem Jesu Christi Domini nostri in Altario immolat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis Christi se participem præbeat.* Hactenus præfatum Concilium, cujus Patres divinæ traditionis retinentissimi teterrimam Calvini, & ipsi similium, doctrinam, circa incruentum Eucharistiæ sacrificium & Sacramentum mille annis antequam emergeret, jugularunt. Si enim nefarius ille Apostata realem Christi præsentiam in Eucharistiæ sacrificio & Sacramento convellere, & ejusdem sacrificii oblationem, & Sacramenti dispensationem solis Sacerdotibus ritè ab Ecclesiâ ordinatis commissam abrogare voluit, omnia ista errorum monstra citatum proximè Concilium eo uno, quod retulimus Capitulo profligavit.

Quod si ab Adversariis reposcatur œcumenicum aliud Concilium, quod quidem idipsum quod asserimus, disertè docuerit, audiant quid adversus ipsos declaraverit Concilium Tridentinum in sess. 22. quæ tota in explanando Missæ sacrificio versatur. *Christus*, inquiunt ejus Concilii Patres, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit. & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Ita loquuntur præfati Concilii Patres, sessione 22. cap. 1. Quod & confirmat, & ad fidem Catholicam pertinere sub anathematis interminatione declarat ejusdem session. Can. 2. *Si quis*, inquiunt, *dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.*

Ex his satis, superque explanatis patet Christum celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitûs de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituisse Pascha, seipsum scilicet ab Ecclesiâ per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in

Marcus, cum hîc utitur verbo εὐλογήσας, ille verò ponit εὐχαριστήσας. Nam in utraque dictione rectè intelligitur utrumque, Christum nempè in posteriore Cœnâ, in quâ seipsum veluti novi Testamenti Pascha abrogatu veteri immolare, & seipsum Apostolis, & eorum ministeriu omnibus in se credituris epulandum apponere decreverat, gratias egisse Deo Patri, & benedixisse panem & calicem, hoc est, precationem & invocationem divinæ beneficentiæ super illa effudisse.

Gratias ergo egit illi ipsi Deu Patri, tum quod panis ille corporalis donum erat Dei; tum quod jam advenisset legis consummatio, & ex singulari Dei munere hominibus per ipsum erat mox instituendum: Benedixit autem, quia Dei beneficentiam & potestatem super panem & vinum invocavit, quo panis tota substantia in totam sui Corporis substantiam, & tota vini substantia in totam sui Sanginis substantiam, converteretur. Et ideò nostri Sacerdotes ejus exemplo pariter & imperio, cum gratiarum actione pani & calici benedicunt, præmissis ad Deum precibus, quibus panis & calicis consecrationem precantur. Fuit autem hæc Christi benedictio non simplex, sed operatoria, & panem communem in mysticum panem convertens, maximè accedentibus ejusdem Christi Domini verbis: HOC EST CORPUS MEUM.

Cum ergo benedictionem, de quâ nunc agimus, constet esse distinguendam ab gratiarum actione, quam sequitur, & ab consecratione quam antecedit, dicendum est Christum pani & vino benè precatum esse oratione nimirùm super utrumque fusâ ad Deum Patrem oculis elevatis in cœlum, ut habet Canon, quâ ipse ut homo & Sacerdos peteret utriusque illius creaturæ, panis scilicet & vini sanctificationem utique mox futuram per mirabilem panis in suum ipsius corpus conversionem, & per admirabilem etiam vini in suum Sanguinem transmutationem, quam idem ipse ut Deus præpotenti suâ virtute unà cum Patre & Spiritu sancto erat effecturus.

Jure igitur ac meritò sacro-sancta Synodus Tridentina benedictionem distinxit à consecratione sess. 13 cap. 1. cum affirmat hoc admirabile Sacramentum in ultimâ Cœnâ Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. Hæc ibi.

Cum igitur Apostolus ait, *Calix benedictionis cui benedicimus, &c.* sacrificium proculdubiò designat: quia Calix benedictionis ita dicitur, eo quod in mysteriis preces super eo funduntur (ideò benedici dicitur) & vinum quod continet in verum Christi Sanguinem convertatur. Atqui istæ preces non funduntur super calicem, id est, super liquorem in eo contentum (est enim hîc metonymia, quâ sæpè in Scripturâ continens pro contento ponitur) nisi inter ipsa divini sacrificii mysteria; neque enim aliter Calix Commonio Sanguinis Christi appellari posset ab Apostolo, ergo proculdubiò illum ipsum Apostolum de incruento Missæ sacrificio intelligi necesse est.

Huc accedit quod istæ voces hîc ab eodem Apostolo usurpatæ, Communio scilicet & participatio seu communicatio, secondum textum Græcum, satis indicant illum alludere ad morem sacrificiorum, in quibus astantes de re ab Sacerdotibus oblatâ participabant, & sic in quamdam inter se unitatem coalescebant: quod hîc apertè in hoc capite significatur his verbis: *Quia unus panis, unum corpus multi sumus qui de uno pane & de uno calice participamus.*

Si quis objiciat Apostolum non meminisse cæterarum actionum quæ juxta Christi exemplum & mandatum exerceri debent in ipsâ mysteriorum celebratione, atque adeò de sacrificio illum intelligi non oportere: siquidem omittit gratiarum actionem rerum consecrandarum benedictionem, ipsam denique consecrationem, quæ tamen omnia etiamnum ex Christi institutione in incruento Missæ sacrificio religiosissimè observantur.

Respondeo, hoe nihil prohibere, quominus citatus ejusdem Apostoli locus intelligatur de vero Christianorum sacrificio. Cum enim sequenti capite 11. de institutione sacrificii & Sacramenti Eucharistiæ plura dicturus esset, satis habuit per benedictionem, per quam divina munificentia & potentia invocatur super oblata, ut consecrari valeant, hîc indicare sacrificium quod tamen apertius significat ejusdem capitis v. 21. cum ait: *Non potestis Mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*, id est, secundum Orthodoxam Concilii Tridentini explicationem, comedere Corpus Christi quod in Ecclesiæ Catholicæ Altari consecratur & offertur, & vesci idolothytis quæ ab gentibus in dæmoniorum Altaribus immolantur, siquidem quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, ut ait idem Apostolus eod. cap. 10. 1. ad Corinth. Ergo ex hoc loco rectè colligitur sacrificium per mensam, id est, Altare: ut constat ex pluribus scripturæ locis, in quibus Mensa pro Altari ponitur: Unde Isaiæ cap 5. in quo minatur Deus se abjecturum Judæos propter eorum idololatriam, iis inter cætera hoc exprobrat v. 11. *Ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam.*

Item Malach. cap. 1. v. 12 *Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est cum igne, qui illud devorat.* Eo loco vocat Mensam id, quod v. 10. Altare appellat; *Quis est*, inquit, *qui incendat Altare meum gratuitò?* quod & probatur ex ejusd. c. v. 7. & 8.

Revera cum de Altari agitur sacrificium pariter indicatur, ut constat ex antiquissimis Patribus. Sancto Irenæo lib. 4. advers. hæres. cap. 34. quod suprà citavimus, ibi enim agit de sacrificiis & oblationibus: *Nos quoque*, inquit, *offerre vult munus ad Altare frequenter sine intermissione.* Hæc ibi.

Item sanctus Cyprianus multis in locis, & præsertim Epist. 66. ad Clerum & Furnitanorum plebem inscriptâ de Altari loquitur: *Episcopi*, inquit, *Antecessores nostri censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Et ideò Victor cum contra formam nuper à Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesiâ frequentetur, ut Sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum servetur à nobis simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & ministros Dei, Altari ejus, & Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet.* Hæc ibi quæ satis, superque Altaris & sacrificii connexionem indicant.

Illustre etiam hujus affinitatis quæ inter Altaria & Christianorum sacrificium intercedit, exemplum suppeditat sanctus Optatus Milevitanus in Africâ Episcopus: in septem libris, quos adversùs Donatistas exaravit anno Redempt. 368. id est IV. sæculo, quo nondum Ecclesia ab primigeniâ suæ fidei, doctrinæque puritate desciverat, ut vel ipsi fatentur Hæretici. Sic enim hujusmodi homines Schismaticos & Altarium eversores afflatur in ipso jam tùm libri 6. exordio: *Quid est tam sacrilegum quam Altaria Dei (in quibus aliquando, & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere? in quibus vota populi & membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus: Unde à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munere non jussit Salvator poni, nisi quæ essent*

de pace condita. Depone, inquit, *munus tuum ante Altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut possit pro te Sacerdos offerre. Quid est enim Altare, nisi sedes & Corporis & Sanguinis Christi?* Et paocis interjectis: *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta Corpus & Sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sanctè (ut arbitramini) obtulistis?* Et paulò post. *Cur vota & desideria hominum cum ipsis Altaribus evertistis? illac ad aures Dei ascendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam? Et nè ad Deum supplicatia de more solito ascensum haberet, impiâ manu quodammodo scalas subducere laborastis?* Et post multa in alterâ paginâ: *Hoc*, inquit, *immane facinus* (in frangendis, aut radendis, aut removendis Altaribus admissum) *geminatum est, dum fregistis etiam Calices Sanguinis Christi portatores.*

Hactenùs sanctissimus & doctissimus ille Episcopus Donatistarum in Altaria & Calices, atque adeò in Catholicorum sacrificia sævientium immane crimen aperiendo realem Christi præsentiam in Eucharistiâ, & ejosdem sacrificium, tam perspicuè (& eo sæculo, quo ot & ipsi concedunt Hæretici, vigebat adhuc primigenia & Apostolica Ecclesiæ Catholicæ fides) declaravit, ut ejus testimonium ad revincendam nostratium Hæreticorum pertinaciam sufficeret, nisi sacrilegi illi ejusdem Ecclesiæ Catholicæ desertores, ipsos Donanstas suâ impietate superarent. Nam Donatistæ frangebant quidem vel radebant, vel removebant Altaria, non quod negarent realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam, non quod existimarent incruentum ejusdem Eucharistiæ sacrificium non oponere celebrari: (ista enim fidei dogmata sine ullâ tergiversatione profitebantur) sed in hoc positus erat eorum error, qood crederent Altaria, in quibus divina mysteria celebrabant Catholici esse frangenda, vel radenda, vel removenda, eo nomine quod arbitrarentur Hostias consecratas ab iisdem Catholicis (quos habebant, ceu viros teterrimos & perdinssimos) non esse sanctificatas ab ipso Dei Spiritu, neque conversas in substantiam Corporis & Sanguinis Christi: sicuti credebant sanctificatas & transmutatas eas, quas ipsi utpotè suo judicio sancti & immaculati consecraverant. Hæretici verò superioris sæculi non solùm Eucharistiæ veritatem in Catholicorum personâ, sed etiam in ejus substantiâ labefactare, & perimere voluerunt. Undè nihil mirum est, si Donatistarum furorem vel expresserunt, vel etiam superarunt, & majori sacrilegio templa pariter & Altaria diruerunt: siquidem schismatis violentiam & furorem viruleutâ plurium hæreseou accessione cumularunt.

Ex dictis constat sacrificium & Altare esse correlata, atque adeò quemadmodum nulli præterquam Deo sacrificium offerri potest, ita nemini, præterquam ipsi Deo erigi potest. Igitur templa quæ ædificantur propter Altaria, & Altaria quæ eriguntur propter sacrificia, & Sacerdotes qui assumuntur ex hominibus ad offerenda sacrificia, soli Deo consecrantur, ita ut alteri citra immanem blasphemiam consecrari nequeant. Et hujus rei ratio petenda est ex eo quod ista omnia sint correlata, id est, simul naturâ, ut loquuntur Logici, id est, unum necessariò respiciat alterum, atque adeò, coi unum ex his debetur, debeantur & reliqua, cum unum ex altero necessariò inferatur. Nam Sacerdos est sacrificii Sacerdos: & vicissim sacrificium est Sacerdotis sacrificium. Rursum Sacerdos & sacrificium est Altaris & Templi Sacerdos & sacrificium: ac vicissim Altare & Templum est Sacerdotis & sacrificii Altare & Templum. Qui ergo unum ex his assumit ad alterius probationem, rectè & Theologicè ratiocinatur, ergo argumento ab Altaribus toto terrarum orbe in Ecclesiâ Catholicâ erectis rectè incruentum Christianorum sacrificium statuitur. Qui enim dicit Altare, innuit & dicit sacrificium, qui dicit sacrificium, dicit & Sacerdotem ad offerenda sacrificia divinitùs institotum, cum ergo nullom aliud sacrificium externum & publicum in Ecclesiâ Catholicâ celebrari solitum assignari possit præter illud incruentum, quod quotidiè ab Sacerdotibus Catholicis offertur, rectè per argumentum ab Altarium erectione repetitum, ejusdem ipsius sacrificii veritas & necessitas astruitur.

Porrò ad majorem hujus rei probationem observandum est esse duplex Altare super quod sacrificia Ecclesiæ Catholicæ offeruntur Deo. Nam unum est Altare in terris, in quo nostri Sacerdotes Christi Corpus & Sanguinem in ejusdem Christi personâ conficiunt & offerunt. Alterum est in cœlis, cujus meminit sanctus Irenæus lib. 4. advers. Hæres. cap. 34. & in hoc Altare sua sacrificia, & vota & preces, & alia Religionis officia inter sacrificandum ab Sacerdotibus & populis usurpari solita, deferri postulat Ecclesia in Canone, cum ait: *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, &c.* Christus est magni consilii Angelos, qui consilio Patris per Filium, id est, per seipsum mundum redemptum iri nuntiavit. Sublime Altare in conspectu Dei est ipsemet Christus in dexterâ Dei: super quod Altare Ecclesia spirituales Hostias immolat, & super quod Deus vota fidelium & sacrificiom justitiæ acceptat. Hic Angelus hæc Sacramenta in sublime Altare fert, dum interpellans pro nobis vultui Dei apparet. Qui ex hoc Altari scil. Christo participant, omni benedictione cælesti & gratiâ replebontur, ut legitur apud Honorium Augustodunensem Presbyterum, in gemmâ animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1 cap. 106.

Idipsum egregiè confirmat & explicat B. Algerus lib. 1º. de Sacrament. Corporis & Sanguinis Domini, cap. 14. *Sacerdos*, inquit, *vice Christi Corpus Dominicum in terreno Altari conficient, nec tamen aliquid suis meritis, sed totum divina potentia & gratia attribuens, orat in Canone Deum Patrem, dicens: Jube hæc oblata tibi per manus & virtutem filii tui Angeli tui, qui est Angelus magni consilii, non in hoc humile & visibile Altare, ubi modo est, sed in sublime Altare tuum, id est, Filium tuum, quem usque ad dexteram tuam in conspectu Majestatis tuæ sublimasti, deferri: ut fiat nobis (in salutem) Corpus & Sanguis dilecti Filii tui; ostendens ipsum Filium jussione Patris esse offerentem & Hostiam, id super quod offertur: quia omnino fidei & gratiæ ejus innitimur & quod terrena corpora in Christum converti, ipsumque in cælestibus ad dexteram Patris sedentem, pro nobis interpellare, & in Sacramento Altaris consecrari, & esse credimus.* Hactenùs B. Algerus loco citato.

Sacrificium Eucharistiæ & Sacramentum probatur præterea ex testimoniis Patrum, & insignibus titulis, quibus Altare afficere non possent, nisi in eo Corpus Christi immolaretur & resideret. *In Altari Deo sacrificatur*, ut ait S. Augustinus lib. 20. contra Faust. Manich. cap. 21. Item *in Altari Corpus Domini offertur, Sanguisque Christi pro peccatoribus effunditur.* ait idem Augustinus, serm. 11. de Sanctis.

Item S. Joann. Chrysostomus, hom. 20. in 1. ad Corinth. *Tu autem hoc quidem Altare honoras, quod accipit Corpus Christi.*

Item passim ab S. Cypriano Sacramentum Altaris Eucharistia nominatur.

Item ab S. Augnst. Ep. 50. *Christus in Altari jacere dicitur, utpotè qui in ipso veluti mortuus exhibeatur.*

Item S. Joann. Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio, de mysteriis verba faciens, idipsum præclarè testificatur: *Per id tempus*, inqoit, *& Angeli Sacerdoti assident, & cælestium Potestatum universus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui in Altari jacet, Angelorum Choris plenus est.*

Idem sanctus Chrysostomus hom. de Eucharistiâ.

In

In Encæniis vocat Altare Mensam mysticam. Et hom. 6. ad pop. Antioch. Mensam regalem appellat. Hic sileri patior de aliis titulis, quibus ab sanctis Patribus honestantur Altaria, in quibus Christus immolatur, & contendo adversus Hæreticos Ecclesiam Catholicam ab omni ævo statuisse, & observasse, ut incruentum nostræ Religionis sacrificium in locis sanctioribus, ut putà in Templis & Altaribus solemni ritu consecratis offerretur, atque ita hujusmodi viros divino lumini rebelles de vero Eucharistiæ sacrificio, in quo Christus ab Sacerdotibus immolatur & sumitur, & de augustissimo ejusdem Eucharistiæ Sacramento, quod passim ab fidelibus percipitur, convictos æterno pudore suffunderet. Duo igitur sunt Altaria in quibus quotidiè Christus, tam per seipsum, quam per suos Ministros & Vicarios offertur. Unum est Altare visibile, in quo Sacerdotes ab Ecclesiâ ritè ordinati, Corpus & Sanguinem conficiunt & offerunt: Alterum est invisibile, & in cœlo ad dexteram Dei collocatum, quod est Christus Jesus, ad quem sic tamquam ad sublime & divinum Altare omnia nostra sacrificia, preces & omnia veræ pietatis opera, quæ ex illo vim habent, & ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. De his satis.

Pergamus igitur ad cæteras definitionis partes, in quibus diximus rem in externo sacrificio oblatam oportere ritu mystico consecrari, & transmutari, quod reverà efficitur per ipsa Christi verba, quibus panem & vinum in suum Corpus & Sanguinem transmutavit. Sit itaque

QUÆSTIO X.

Quænam ad verum sacrificium transmutatio requiratur, & quænam in Missæ sacrificio transmutatio reperiatur?

UT hujusmodi quæstio liquidò resolvatur, præmittendæ sunt aliquot Conclusiones ad veri sacrificii notitiam necessariæ. Sit itaque

Prima Conclusio.

Verum, perfectumque sacrificium non exigit necessariò rei oblatæ destructionem. Hujus rei exemplum, & quidem illustre suppeditat nobis Abraham, qui quidem licet non jugulaverit filium in morem victimarum, quæ immolabantur, eum tamen fide obtulit, cum tentaretur, ut ait Apostolus, Hebræor. c. 11. v. 17. Reverà Abraham tunc temporis sacrificasse testatur sanctus Joannes Chrysostomus, hom. 52. in S. Eustath. Antioch. Abraham, inquit, non gladium cruentavit, non Altare rubefecit, non Isaac jugulavit, sed tamen sacrificium perfecit. Quis hoc ait? Ille ipse qui sacrificium suscepit. Non pepercisti enim, inquit, filio tuo dilecto propter me. Atqui vivum eum recepit, & incolomem reduxit. Quomodo igitur non pepercit? Quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententiâ, inquit, de ejusmodi sacrificiis judicare soleam. Non mactavit manus, sed voluntas mactavit, non gladium pueri jugulo immersit, non cervicem incidit, sed est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus. Propterea & illud sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit. Vides in veteri Testamento imaginem multò ante adumbratam, noli veritati fidem denegare. Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus hom. citat. tom. 1. pag. 574.

Audiant Hæretici & S. Joan. Chrys. divinitùs ad propugnandum Eucharistiæ Sacramentum, & sacrificium excitato fidem adhibeant. Non igitur quicquid oblatum est semper destrui necesse est, ut verum offeratur sacrificium, licet aliqua nonnumquam rerum oblatarum pars destructa fuerit. Nam duo passeres, de quibus fit sermo Levit. c. 14. quorum jugulabatur alter, alter verò emittebatur, unum dumtaxat constituebant sacrificium: sicut & duo hirci, quorum unus pariter jugulabatur: alter verò populi peccatis onustus emittebatur in desertum faciebant unum dumtaxat, idemque sacrificium, non tamen ambo mactabantur, ergo vera sacrificii ratio non exigit, ut quicquid offertur in sacrificium, destruatur.

Secunda Conclusio.

Sacrificium Crucis est unum & idem cum sacrificio Altaris. Siquidem utrobique unus est, & idem Sacerdos, una est, & eadem Hostia, nempè Christus Jesus, qui se utrobique immolat, licet sese diversâ ratione in illo uno, eodemque, quoad substantiam sacrificio, æterno Patri offerat.

Hanc conclusionem tam perspicuè tradit sanctus Joannes Chrysostomus hom. 17. in Epist. ad Hebræos, ut hic ad Hæreticorum confusionem istum ejus locum exscribi oporteat. Propterea, inquit, Deus jussit semper offerri (Hostias legales) propter infirmitatem, & ut peccata revocarentur in memoriam. Quid verò nos non quotidiè offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, & ipsa una est, non multæ. Quomodo una est, non multæ? quoniam semel fuit oblata, illa illata fuit in Sancta Sanctorum. Hæc est figura illius, & ipsa illius. Eumdem enim semper offerimus: non nunc quidem alium, sed semper eumdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quomodo multis in locis offertur, multine sunt Christi? nequaquam, sed unus ubique Christus: qui & hic est plenus, & illic plenus unum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus unum est corpus, & non multa corpora: ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit Hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliam Hostiam, sicut Pontifex (veteris Testamenti) sed eamdem semper offerimus, vel potiùs Hostiæ, seu sacrificii facimus recordationem.

In hujusmodi hom. S. Joan. Chrysostomus nihil aliud propemodùm probat, quam juxta Apostoli doctrinam varias & plures Hostias in veteri Testamento identidem offerri oportuisse, eò quod essent ejusmodi Hostiæ, velut infirma quædam & egena elementa, quæ offerentium conscientiam ab operibus mortuis emundare non poterant ad serviendum Deo viventi. Cum autem id abundè præstiterit Christus Jesus, qui se obtulit Deo Hostiam viventem in odorem suavitatis, non oportuit plures Hostias, sed unam tantùm ad exhaurienda peccata multorum offerri, quam idcò unam & eamdem offerunt quotidiè Sacerdotes, ut legere est apud eumdem sanctum Joannem Chrysostomum, hom. 17. superiùs citata, ex Commelianâ edition. pag. 1871.

His ita prælibatis. Esto

Tertia Conclusio.

Tametsi Hostiam in ipso actu sacrificii, ut compleretur sacrificium occidi oporteret, non esset tamen mactandus Christus in Altari, utpotè qui semel mactatus est in sacrificio Crucis, quod quidem ab novi Testamenti Sacerdotibus quotidiè mystico ritu citra violentam & aspectabilem sanguinis effusionem vel continuatur, vel iteratur. Nam filius Dei inexplicabili, quâ pollet, virtute & sapientiâ, quæ nostrorum sensuum & animorum limites prætergreditur, suorum mysteriorum veritatem illæsâ suæ naturæ integritate insigniter perfecit. Huic quippè mysterio immolationem sine occisione, manducationem sine concoctione, & perfectum sine perspicuâ & evidenti cruoris effu-

stione sacrificium mirabilem in modum inservit. Si enim propriè & generatim loqui oporteat, non pertinet ad essentiam sacrificii, ut Hostia juguletur, sed ut ab communi, vulgarique duntaxat excerpatur usu, & ad sacrum, religiosumque negotium transferatur.

Quin etiam, tametsi Hostiam interficere & destruere oporteret, non tamen in illo sacrificii actu esset jugulanda, sed illam, vel huic immolationi destinatam, vel anteà immolatam esse sufficeret. Hujus rei luculentam probationem suppeditat sacrificium quotannis pro peccatis offerri solitum, in quo Deus veri & incruenti Eucharistiæ sacrificii mysterium insigniter adumbravit. Nam alter ex duobus hircis & passeribus (qui constituebant totum quoddam mysticum & morale, in quantum simul offerendi erant) ut perfectum fieret sacrificium, non jugulabatur, sed peracto sacrificii actu egrediebatur vivus & incolumis, ita ut ab prophano dumtaxat segregaretur usu, & in desertum emitteretur. Eximia sanè figura & rara secundum Calvinum (qui id unum in totâ lege incruentum agnoscit sacrificium) cujus veritatem exhiberi cernimus in hoc mysterio, in quo Agnus oblatus, in ipsomet etiam dum peragitur sacrificio, eoque peracto, remanet vivus: ita ut sine ullo suæ vitæ, glotiæque dispendio immolatus fuerit.

Dicamus igitur Christum in hac sanctâ & postremâ, quam cum Apostolis obiit actione, sacrificium pariter & Sacramentum instituisse. Dicamus illud ipsum sacrificium in sacrificio Crucis esse omninò fundatum: Ex quo suam omnem naturam & virtutem extrahit. Nam sine Cruce Christum equidem in hoc mirabili Convivio præsentem & haberemus & ederemus: sed non haberemus ut præsentem victimam, eo quod per sacrificium Crucis victima efficiatur, & eo nomine offeratur.

Istud victimæ nomen nihil naturali Christi Domini vitæ officit, nihil detrahit, siquidem illum semper, tam in cœlo, quam in Sacramento vivum & gloriosum credimus & adoramus. Et quemadmodum ille ipse, qui nobis in Sacramento porrigitur cibus, eo nomine antecellit manna, Agnum Paschalem, & alia legis Mosaicæ Sacramenta, quod sumptus & manducatus, nec consumatur, nec in sumentis, manducantisque substantiam convertatur: sed vivus & ab omni consumptione dissitus, immunisque remaneat. Ita Eucharistia sub ratione sacrificii considerata, seu potiùs hujus sacrificii victima eo gaudet privilegio, quod non consumatur ipso sacrificii actu (sicut nec manducatione consumitur,) nec de suâ vitâ & gloriâ dejiciatur: sed tam in sinu fidelium per Sacramentum, quam in sinu & in Altari Ecclesiæ per sacrificium indesinenter, imò & in æternum utraque potiatur.

Non igitur consumitur Christi Corpus, vel destruitur cum in Christianorum sacrificio immolatur. Si enim consumeretur, eo consumptu videretur interiisse Religio, cui nequaquam ulteriùs victima superesset, ut ait Arnoldus Carnotensis, vel quisquis est author Tractatûs de cœnâ Domini, qui legitur inter opera Cypriano ascripta: Ibidem post multa idipsum confirmat idem author. Perpes est hoc sacrificium, inquit, & semper permanens holocaustum: nulla panem hunc multitudo consumit, nullâ antiquitate veterascit: sicut ergo Christi Corpus non consumitur, dum percipitur in Sacramento, est enim inconsumptibilis cibus, (ut eum appellat proximè citatus author) ita nec oblatum in sacrificio incruento destruitur. Cum enim semel oblatum sit in Cruce, & inibi semel Judæorum sævitiâ destructum, ut ita dicam, & illud quod in Ecclesiâ Catholicâ quotidiè celebratur, sacrificium sit unum & idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis, quia una, eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ, ut loquitur Concilium Trident. session. 22. de sacrif. Missæ, capit. 2. iniquè sanè comparatum videretur; si una, eademque Hostia, in uno, eodemque sacrificio oblata, & jam destructa, iterùm & de integro destrueretur.

Istud fidei dogma luculenter asseruit S. Andræas Apostolus. Cum enim martyrio proximus urgeretur ad gentium sacrificia peragenda: *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidiè: non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari; cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.*

Idipsum asserit S. Eligius Noviomensis Episcopus in hom. 8. in die Cœnæ Domini ad Clerum & plebem, & publicè pœnitentes habitâ, in quâ epulas reverso ad Patrem prodigo apparatas ad nostrum propositum accommodat: *Epulæ istæ*, inquit, *nunc in Ecclesiâ per totum orbem dilatatâ celebrantur: quotidiè enim in sanctâ Ecclesiâ vitulus ille sacerrimus Deo Patri per Sacerdotes offertur, & in vitam æternam pascit percipientes: qui cum quotidiè immolatur, semper integer permanet, & immaculatus & vivus.* Ita sanctus Eligius tomo secundo Bibliothec. Patrum, pagin. & col. 101.

Hactenùs igitur sacrificii generatim & propriè sumpti definitionem, quæ talis est, expendimus.

Sacrificium propriè dictum est oblatio externa rei sensibilis & permanentis soli Deo facta, & illi uni ex interno devotæ mentis affectu exhibita, legitimâ authoritate instituta, ab legitimo Ministro, debito in loco celebrata, & ab eodem ritu mystico consecrata, ut nostram infirmitatem, egestatem & omnimodam ab ipso Deo, utpotè supremo vitæ & necis arbitro dependentiam, rerum quas ipse præscripserit, ab profanis usibus segregatione & immulatione profiteamur,

Hactenùs discussimus omnes hujus definitionis partes, ita tamen ut supersit una dumtaxat, quæ indicat præcipuum finem, cujus gratiæ sacrificium Deo est offerendum. Ideò nempè illi ipsi Deo Hostias offerre debent homines, ut suam tenuitatem, & suam ab ipso utpotè supremo vitæ & necis arbitro dependentiam, non solùm intrinsecùs, interno scilicet religiosæ mentis affectu, sed etiam extrinsecùs externo scilicet cultu per rei cujuspiam oblationem testatam faciant.

Hujusmodi testificatio per incruentum Missæ sacrificium liquidò declaratur. Nam per quatuor præsertim syncerae Religionis officia omnis homo, ex quo omnes in Adam peccavimus, Deum Opt. Max. ut Creatorem, & ut supremum vitæ & necis arbitrum, & omnium bonorum Authorem, largitoremque colere tenetur.

1°, Per devotam sui veluti oblationem.

2°, Per gratiarum actionem.

3°, Per legitimam satisfactionem.

4°, Denique per divinæ gratiæ postulationem.

Duo priora dumtaxat, id est, sui veluti victimæ oblationem & gratiarum Deo impendere tenebatur in statu naturæ innocentis & integræ. Nam ad supremum honorem illi exhibendum: & ad seipsum veluti sanctam, innocentem, & ipso Deo dignam puri amoris impulsu offerendum, sicut & ad continuam gratiarum actionem pro innumerabilibus beneficiis, quibus cumulabatur in singula momenta persolvendam obligabatur. At nunc iisdem honoribus & officiis illum ipsum Deum pro mysteriis & beneficiis quibus naturam humanam reparare dignatus est, prosequi tenetur, quod numquam præstare posset, nisi Pater æternus dilexisset mundum & dedisset Filium suum unigenitum, per quem sic tamquam unum Dei & hominum mediatorem

ipse mundus ejus Sanguine redemptus omnia Religionis officia ipsi æterno Patri necessariò reddenda persolveret.

Quod spectat ad alia, duo officia imposita sunt homini, in primo homine ab sui Creatoris obedientiâ desciscente, lapso & profligato. Unde colligere est ad ista quatuor officia, nostri nempè oblationem, gratiarum actionem, satisfactionem, & divinæ gratiæ postulationem nos omnes obligari, & ad ea præstanda nos per unum & idem Crucis sacrificium nostris in Altaribus quotidiè continuatum, vel iterato repræsentatum adjuvari: ut nempè Deum Opt. Max. velut supremum vitæ & necis arbitrum debitis honoribus afficiamus.

Quatuor illa officiorum genera in quatuor sacrificiorum generibus in veteri lege usurpatis nobis adumbrata esse perspicuum est. Nam 1°, erat holocaustum. 2°, Hostia pro peccato. 3°, Sacrificium Eucharisticum, quod & sacrificium Hostiæ pacificæ dicebatur. 4°, Sacrificium impetratorium, quod & sacrificium Hostiæ pacificæ dicebatur.

Quatuor ista sacrificiorum genera Christus, qui non venit legem solvere, sed adimplere, uno suo Crucis & Altaris sacrificio perfecit & consummavit, & quotidiè perficit & consummat, atque ita debitum honorem æterno Patri, & summo vitæ & necis arbitro exhibet, & nos per illum semel in Cruce immolatum, & in Altari ejusdem immolationis, non tam iteratione, quam continuatione oblatum, eidem æterno Patri, penes quem est summum vitæ & necis jus & arbitrium, infinito Filii ejus merito confisi, supremum sacrificii cultum deferimus.

1°, Igitur in holocausto jugulatæ victimæ igni penitùs absumebantur in honorem Dei, ita ut offerentes nihil ex ipsis decerperent, quod converterent in cibum: atque ita per hoc sacrificium omnium perfectissimum in lege summus Deo adhibebatur honos, & colebatur suprema illa potestas, qua creaturas revolvere potest in nihilum, è quo eas in lucem evocavit: utpotè qui solus vocat ea, quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Tale sacrificium Deo Patri per Spiritum sanctum obtulit Christus, semel nimirùm immolatus in semetipso, ut ait S. Augustinus, cum scil. sese exinanivit quantum potuit in Cruce, qui se priùs exinaniverat in incarnatione: Et ea oblatio fuit externa & aspectabilis; remoto enim omni velamine Christus in humanâ quam assumpserat naturâ, & in propriâ personâ in ipsâ Cruce immolari voluit: sed in Altari, & in Sacramento omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari, ut asserit S. Augustinus Epist. 23. ad Bonifac. Episcopum inscriptâ.

Immolatur ergo Christus, & in Cruce, & in sacrificio Missæ, cum hoc tamen discrimine, quod in sacrificio Missæ oblatio externa sacræ illius victimæ, quæ ut olim in Cruce, ita & in Altari immolatur, licet ab oculis oblitescat sub velamine, nempè sub visibilibus panis & vini symbolis; atque adeò vera est immolatio, sed mystica & sacramentalis, ut docent omnes passim Theologi. Undè Missam verum esse sacrificium colligitur. Nam mors, seu immolatio mystica sufficit ad constituendam veri sacrificii rationem, seu essentiam, quod ut elucescat,

Observandum est supremum Dei jus in hominum vitam & mortem posse nos per Hostiæ oblatæ immutationem bifariàm testificari, Hostiam nempè destruendo verè & physicè, vel duntaxat mysticè. Quandoquidem natura signi multò magis consistat in specie, quam in rei veritate, quæ tantùm significat, quantum cernitur & apparet; perspicuum est Mortem Christi mysticam, vel mysticam mortis ejus in Altari repræsentationem sufficere, ad testificandam professionem & venerationem, quâ supremum Dei in vitam & mortem Dominicam prosequimur; Et hoc est, propriè loquendo, quod veri sacrificii essentiam constituit.

Atqui Christus in cœnâ, sicut & in Cruce apparet mortuus: quandoquidem nunc in Altari, sicut & olim in cœnâ ejus Corpus & Sanguis sub diversis speciebus separatim collocantur & apparent: ita ut ipse Christus sub ejusmodi speciebus delitescens omni motu, & omni sensu quemadmodum & in Cruce carere videatur.

Undè si vera, seu physica Christi mors, satis, superque supremam Dei authoritatem & potestatem in eo positam, quod penes se summum vitæ & mortis imperium habeat, & pleno jure secundum consilium voluntatis suæ exerceat, in Cruce testificari voluit, ejusdem Christi mors mystica, quæ in Altari exhibetur, potest etiam significare, & testatam facere eamdem illam supremam Dei potestatem, quæ significatur etiam per mortem, quatenus nostros ob oculos proponitur & observatur, sive vera illa sit, sive ut talis duntaxat appareat.

Per hanc mysticam & sacramentalem Christi immolationem fungimur primo hominis officio, quo semper omnes homines, sive in statu naturæ integræ, sivè lapsæ, sivè reparatæ sese velut holocausta Deo Opt. Max. sistere debuerunt. Cum enim Christus sit nostrum Caput, sese offerre non potest velut holocaustum æterno Patri, quin nos veluti membra pariter offerat. Quemadmodum igitur Christus in incruento sacrificio mortuus repræsentatur, etsi vitam vivat immortalem, (etsi absconditam,) ita nos veluti mortuos in hoc sæculo degere necesse est, ut in nos conveniant ista Apostoli verba: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

2°, In lege veteri offerebatur Hostia pro peccato, & talem se Christus offert: siquidem in consecratione Calicis dicimus in personâ Christi verum ejus Sanguinem in Calice contentum effundendum, vel effundi (secundum Græcum text.) in remissionem peccatorum. Per Christum ergo mysticè in Altari immolatum, præstamus secundum officium Deo debitum, utpotè qui Hostiam Deo dignam & omnino obtinendæ peccatorum remissioni parem & idoneam offeramus.

3°, Erat in eadem lege sacrificium gratiarum actioni destinatum, & illud pariter offerimus per Christum in Altari immolatum: Nihil enim tunc crebriùs & solemniùs auditur quam ut gratias agamus Domino Deo nostro per Christum, quem, ut ita dicam, rependimus Deo Patri pro innumerabilibus, tam naturæ quam gratiæ beneficiis, quibus omnes & singulos homines, & maximè Christianos in singula momenta cumulat.

4°, Denique si in Lege Mosaïcâ offerebatur sacrificium impetratorium, quod & Hostiæ pacificæ sacrificium dicebatur, & offerebatur ad impetranda nova quædam beneficia, in quibus victima eadem omninò ratione dividebatur, quâ in sacrificiis ad gratiarum actionem institutis, dividi consueverat, cum eo tamen discrimine quod in hujusmodi sacrificiis gratiarum actioni destinatis oportebat illam eodem consumi die, quo oblata fuerat: ex adverso autem in sacrificio impetrationis aliqua ejus pars in posterum diem reservari poterat, ut indè disceremus nos ubi primùm aliquo Dei beneficio sumus devincti, statim sine ullâ cunctatione ad agendas gratias prosilire oportere: sed cum ab ipso aliqua postulatur gratia, nec statim nostræ postulationi annuit, nos æquo animo donec nostras orationes audiat, præstolari, & erigi oportere in spem impetrandæ, perseverantis precibus, istius misericordiæ, quam denegare videatur.

Jam pridem abrogata sunt omnia illa Legis Mosaïcæ sacrificia, quibus nostrum, id est, novi Testamenti sacrificium adumbratur; siquidem *Lex*

per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. id est, umbræ & figuræ, quæ visebantur in veteri Lege, evanuerunt per Christi mortem, & jejunis ejusmodi elementis successere omnia novi Testamenti dona, & privilegia, & imprimis incruentum sacrificium, quod legales Hostias tantùm superegreditur, quantum umbras & figuras ipsa rerum adumbratarum veritas antecellit. Nihil mirum igitur, si per Christum in illo ipso sacrificio mysticè immolatum omnia gratiæ præsidia (sine quibus ad æternam salutem nemo pervenire potest) impetraturos esse credimus: Quid enim nobis in illo sacrificio, & remissionem peccatorum, & necessaria gratiæ præsidia petentibus Pater æternus, qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui etiam cum illo omnia nobis donavit. Quid, inquam, nobis Pater æternus post tot & tanta divini amoris monumenta & pignora denegabit?

Ex dictis igitur patet per hoc sacrificium nos omnia obire officia, quibus Deum Opt. Max. colere jubemur. Nam sivè celebremus, ut Sacerdotes, sivè huic ipsi sacrificio intersimus, ut Laici, nosmetipsos æterno Patri per Christum nos ut sua membra eidem Patri offerentem offerimus: item per eumdem Christum seipsum immolantem, seu immolationem sui olim in Cruce peractam continuantem peccata nostra expiari credimus. Et præterea per eumdem Christum, quo nihil majus & acceptius æterno Patri offerri potest illi ipsi debitas, & ejus infinitâ majestate dignas gratiarum actiones persolvimus, pro innumeris beneficiis, quibus nos inexhaustâ liberalitate & misericordiâ cumulavit, nec cumulare desinit: per eumdem denique Christum, qui nobis omnia salutis æternæ adjumenta suâ morte promeruit, ea poscimus divinæ gratiæ auxilia, per quæ in cælum, quod ipse Christus sui Sanguinis pretio, meritoque reseravit, cum Sanctis æternùm regnaturi seriùs ocyùs ascendere valeamus.

Quæ cum ita sint, nobis statuendum est nihil acceptum esse æterno Patri, quin ad hujusmodi sacrificium referatur. Ex quo enim per primum primi hominis peccatum corrupti & profligati sumus, nihil Deus accipit à nobis: præter id quod cum ipsius Filii unici nostri Mediatoris, oblatione conjunctim oblatum fuerit. Atque ita cum simus hîc sic tanquam viatores, & nobis unum dumtaxat suppeditat Missæ sacrificium, in quo Christus semetipsum offerat; ad illud sanè sacrificium omnia nostra vota, omnes orationes, omnia denique pietatis opera referre necesse est, ut adunata sacræ illi oblationi qua se Christus in Altari immolat, Deo offerantur in odorem suavitatis, & ab illo acceptentur in Christo & per Christum.

Hactenùs incruentum Missæ sacrificium & ejus existentiam probavimus: siquidem veri & propriè dicti sacrificii definitionem illi convenire adversus Hæreticos ex Scripturis & sacrâ traditione pro nostrâ tenuitate ostendimus, jam ergò properandum est ad cætera Capita quæ ad elidendam hujus sacrificii veritatem adhibent. Sed antequam ad controversiam descendamus, operæ pretium expendere, quâ præsertim in re incruenti sacrificii essentia consistat. Sit itaque

---

Quæstio XI.

Quâ in re, vel actione posita sit incruenti sacrificii essentia?

SI quis pervicaciter inficiari vellet esse veri nominis sacrificium & externum in novâ lege, quod quotidiè in Ecclesiâ Dei toto orbe diffusâ incruento ritu cum omni antiquitate offerri prædicamus, præter omnia argumenta quæ ad ejus probationem attulimus, revinci de errore posset authoritate Concilii Nicæni I. & œcumenici, cujus hæc sunt verba: *Iterùm hic etiam in divinâ Mensâ ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem intelligamus situm in sacrâ illâ Mensâ Agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius Corpus & Sanguinem nos verè sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum: ut sciamus quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.* Hactenùs verba Conc. Nicæni quæ legere est tom. 1. Concilior. general. edition. Colon. in lib. 3. de ejusdem Nicæni Conc. decretis pag. 345. col. 2. sub tit. de divinâ Mensâ, & de eo quod in ipsâ est, mysterio Corporis & Sanguinis Christi.

Hæc strictim ad uberiorem incruenti sacrificii probationem attingere placuit. Jam igitur ad hujus ipsius sacrificii rationem formalem, seu essentiam discutiendam aggredi necesse est. Sit itaque

Prima Conclusio.

Oblatio vocalis quæ consecrationem vel antecedit, vel subsequitur, non constituit essentiam incruenti Missæ sacrificii. Hujus rei ratio à priori petitur, eo quod essentia, cujuslibet sacrificii consistit in oblatione rei in ipso offerendæ cum intentione mentali colendi Deum: veluti supremùm dominatorem vitæ & necis, & tamquam authorem bonorum omnium, quæ inexhaustâ liberalitate in genus humanum effundit: atqui per vocalem illam oblationem, sive consecrationem antecedat, sive subsequatur, non offertur quod offerendum est in sacrificio Missæ, neque enim per utramvis hujusmodi oblationum Corpus Christi, & ejus Sanguis præsens sistitur in Altari, quod tamen fieri oporteret, si in utraque, vel certè alterutrâ hujusmodi sacrificii essentiâ consisteret: ergo concludendum est neutram talium oblationum pertinere ad essentiam præfati sacrificii.

Præterea per duplicem illam oblationem nihil immutatur: nam per priorem materia dumtaxat sacrificii præparatur ad consecrationem, in quâ, ut mox videbimus, tota dicti sacrificii essentia posita est. Per alteram verò, quæ consecrationem subsequitur, nihil pariter immutatur, sed immutatio quæ duntaxat per ipsa Christi verba reipsâ facta est, recalitet factitari potuit, supponitur; cur autem Sacerdos factâ consecratione dicat, *Undè & memores, &c. Offerimus de tuis donis ac datis Hostiam puram, Hostiam sanctam, &c.*

Responderi potest Sacerdotem ritè ordinatum duplicem in Altari repræsentare personam, Christi nempè summi, primi, & unici Sacerdotis, cujus authoritate & verbis divinissimum ejus Corpus & Sanguinem præsentem in Altari constituit & offert, & per hoc veri nominis sacrificium efficit, & exhibet æterno Patri: & hac in parte potissimùm Christo Domino vicariam navat operam, in reliquis verò ad majorem sacrificii reverentiam & integritatem pertinentibus, sustinet personam Ecclesiæ, quæ ipsius ore, velut organo hunc in finem consecrato testatur se consecratam Hostiam offerre æterno Patri ut Christo Domino, summo Sacerdoti, Sacerdotum ministerio semel immolanti, & sanguinolentum Crucis sacrificium, vel repetenti, vel continuanti sese penitùs adhærescere, & in illo, & per illum, & cum illo Deo sua officia, ut putà gratiarum actiones, orationes, vota, & alia id genus ad divinum cultum necessariò pertinentia sese adhibere & persolvere, Angelis, hominibusque testatum faciat.

Huc accedit authoritas S. Thomæ, aientis omnia quæ

ante vel post Eucharistiæ consecrationem fiunt à Sacerdote ad sacrificii oblationem quæ in consecratione perficitur, esse referenda veluti præparationes, aut explicationes mysterii in ipsâ consecratione peracti. Non igitur consistit incruenti sacrificii essentia in oblatione vocali, sivè consecrationem antecedat, sivè subsequatur. Unde sic loquitur idem S. Thomas 3. p. q. 83. a. 4. *ad Primum*, inquit; *dicendum quod consecratio solis verbis Christi conficitur: alia vero necesse est addere ad præparationem Populi sumentis, ut suprà dictum est.* Hæc ibi. Ex dictis rectè infertur hæc

Secunda Conclusio.

Neque Hostiæ fractio, neque mixtio, neque distributio pertinet ad essentiam incruenti sacrificii.

Hæc Conclusio rectè probatur eodem argumento quo primam Conclusionem astruere conati sumus. Fractionem Hostiæ consecratæ non pertinere ad dicti sacrificii essentiam docet evidenter sanctus Thomas 3. p. q. 83. a. 6. ad 6. *Dicendum*, inquit, *quod fractio Hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in Calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat Populum. Et ideò horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.* Hæc ibi.

Indè colligitur Hostiæ consecratæ fractionem, mixtionem & distributionem esse de necessitate præcepti, non autem de necessitate sacrificii, quod significat Sacerdotem, qui has actiones omitteret, peccaturum graviter contra integritatem Sacramenti, tametsi factâ consecratione sacrificium quoad essentiam perfectum peragerei.

Et indè colligitur præfatas actiones ad sacrificium adhiberi non ut partes essentiales, sed veluti cæremonias ab Ecclesiâ ex Apostolicâ disciplinâ, & traditione introductas, ut fidelium mentes per hæc visibilia Religionis & pietatis signa impellerentur ad majorem tanti, tamque terribilis sacrificii reverentiam, & ad rerum altissimarum, quæ in ipso delitescunt, contemplationem excitarentur.

Quod spectat ad distributionem Eucharistiæ, non pertinet pariter ad essentiam hujus sacrificii. Nam præterquam quod non jussit Christus inter hujusmodi sacrificii institutionem toties Eucharistiam distribui, quoties celebraretur, Ecclesia ab omni ævo probavit & commendavit Missas, in quibus solus Sacerdos communicaret, quas tamen hæresis superiori sæculo, vel exorta, vel ex veterum Hæreseon situ eruta carpere velut illicitas, & ut tales damnare non dubitavit, ut legere est in Concilio Trident. session. 22. de sacrificio Missæ cap. 6.

Tertia Conclusio.

Quamquam celebrans sub suspensionis & excommunicationis interminatione, utramque speciem quam ipse consecraverit, sumere teneatur, illa tamen sumptio non pertinet ad essentiam sacrificii utporè quæ pars dumtaxat integralis, & inter partes integrales principalis ab gravioribus Theologis habeatur.

Hujusmodi sumptionem non pertinere ad essentiam Sacramenti patet, ex eo quod Christus ab ipso primò suæ Incarnationis momento constitutus sit ab æterno Patre Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, certo certius est illum sacrificasse secundum ritum Melchisedech. Ergo licet ipse de oblato in Cœnâ sacrificio cum Apostolis comederit, est tamen certum illum hoc sacrificium non ita instituisse, ut quotquot hoc sacrificium celebrarent, vel ejus celebrationi interessent, illius tamen manducationem velut eidem sacrificio essentialem frequentare tenerentur; ut scilicet hujusmodi sacrificium hoc præter alia haberet commune cum sacrificio Melchisedech quod oblatum & peractum fuerat in pane & vino priusquam aliquis de illo comederet. Licet igitur comestionem ad integritatem sacrificii pertinere fateamur, ad essentiam tamen spectare abnuimus; manducatio enim potius ad usum & effectum Eucharistiæ refertur, quam ad formalem nostri sacrificii rationem, quippè quæ potiùs est de necessitate præcepti quam de necessitate sacrificii vel Sacramenti.

Adde quod sumptio seu manducatio non est de sacrificii propriè dicti essentiâ. In veteri enim lege multa erant sacrificia propriè dicta, sacrificia scilicet effusionis vini, sanguinis, aut aquæ, ita tamen ut nec sumerentur, nec effusione substantiam deperderent. Ut legere est Levit. 2. 5. 7. 23. Prætereà cum Hostiæ sumptio sit communis Sacerdoti pariter, & Populo, certum est eam non pertinere ad essentiam incruenti sacrificii: Laici enim fideles, nemine reclamante, nullo sunt charactere, vel supernaturali potestate præditi, cujus vi istius sacrificii essentiam attingere valeant, & ideò de dicto sacrificio participare, illud autem conficere non possunt. Postremò Eucharistiæ sumptio non peragitur in personâ Christi, nec ut aliis, sed utenti prosit, nec sumendo, Deo propriè munus offerimus, sed Hostiæ visibilis participes efficimur; ut sic Christo uniamur, fœdusque societatis & amicitiæ cum Deo habere atque nosmetipsos intrinsecùs Deo in sacrificium offerre profiteamur. Sumendo enim ostendimus sacrificium ad nos pertinere, & id quod externo sacrificio significatur invisibiliter, nos offerendo adimplere: necnon per sacrificium ac divinorum consortium, donorumque Deo jam oblatorum participationem acceptari.

Porrò tametsi utriusque speciei sumptio non pertineat ad essentiam incruenti sacrificii, semper tamen Ecclesia illam ipsam utriusque speciei sumptionem sub pœnæ interminatione ad integritatem ejusdem sacrificii adhiberi voluit. Ut patet ex can. 5. Concilii Toletani XII. & refertur de consecrat. dist. 2. cap. relatum, ubi uno anno suspenditur celebrans qui à sumptione abstinuerit, & excommunicandus decernitur 7. q. 1. c. nihil.

Cum in omnibus hactenùs enumeratis non consistat essentia nostri sacrificii, jam discutiendum est quâ in re sit posita. Sit itaque

Quarta Conclusio.

Incruenti sacrificii (de quo quæstio est) essentia consistit propriè loquendo in consecratione conjuncta cum oblatione mentali, quatenùs celebrantis intentio hujusmodi est, ac esse debet, ut hoc quod consecrando facit, Deo sistere, & in sacrificium offerre velit.

Hanc doctrinam utporè ex ubertimis sacræ traditionis fontibus haustam disertè asserit S. Thomas 3. p. q. 82. a. 10. in c. ubi ait consecratione hujus Sacramenti sacrificium offerri.

Et in eod. art. ad 1. ait hoc Sacramentum perfici in consecratione Eucharistiæ, in quâ sacrificium Deo offertur.

Et ead. 3. p. q. 83. a. 1. in c. sic loquitur. Celebratio, inquit, hujus Sacramenti Imago quædam est repræsentativa Passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio: & ideò celebratio hujus Sacramenti dicitur Christi immolatio.

Et ibid. ad 2. Sicut, inquit, celebratio hujus Sacramenti est imago repræsentativa Passionis Christi, ita altare est repræsentativum crucis ipsius, in quâ Christus in propriâ specie immolatus est.

Hujus Conclusionis potissima ratio petenda est ex ipsius Christi institutione, in quâ cum peregit illud ipsum sacrificium incruentum, quod quotidiè toto orbe terrarum Sacerdotes ritè ordinati offerunt, suum dumtaxat corpus sub speciebus panis, & suum sanguinem sub vini speciebus consecratum obtulit, nec

aliud afferri potest quod ad hujusmodi sacrificii essentiam pertinere videaror, ergo hujusmodi essentia in consecratione quæ & oblationem includit, ex omnium, vel certè plerorumque omnium Theologorum sententiâ, statuenda decernitur.

Quod autem Christos in Cœna semetipsum per onam dumtaxat consecrationem immolaverit, tam perspicuè declarat S. Gregorius Nyssenus orat. 1 in Christi Resurrectionem, ut citra culpam luculentissima ejus verba præteriri nequeant. *Qui potestate suâ, inquit, cuncta disponit, non ex proditione impendentem sibi necessitatem, nen Judæorum quasi prædonum impetum, non inquam Pilati sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium & causa: sed consilio suo antevertit, & arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis Hostiam offert, & victimam immolat, Sacerdos simul existens, & Agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum Discipulis edendum & sanguinem bibendum præbuit; tunc apertè declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quarè cum corpus edendum & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcanâ & non aspectabili ratione corpus erat immolatum; ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat. Et anima in illis erat, in quibus eadem ipsa potestas deposuit, simulque cum divinâ virtute, quæ cum illâ erat conjuncta, in eâ regione cordis versata est. Itaque si quis inde tempus incipiat dimetiri, cum sacrificium Deo factum est ab magno illo principe Sacerdotum, qui ratione quæ nec verbis explicari, nec oculis perspici potuit, seipsum pro communi hominum salute tanquam Agnum obtulit, non recedet à veritate.*

Hactenus S. Gregorius Nyssenus magni Basilii frater, cujus testimonium maximi apud omnes ponderis esse debet: quippè qui cum maximam in Concilio Constantinopolitano, eoque œcumenico eruditionis & sanctitatis famam sibi peperisset & delectus esset inter centum & quinquaginta Patres ut meritis elogiis magni Meletii Patriarchæ Antiocheni, & Flaccillæ Imperatoris Theodosii filiæ funeribus justa persolveret; in ipso tandem ætatis admodum provectæ flexu dignus habitus est qui Pater Patrum appellaretur, ut discimus ex VII. Synodo œcumenicâ id est Nicænâ II. pro cultu imaginum anno salutis 787. celebratâ.

Ex citato tanti viri loco patet Christum Dominum fuisse immolatum atque adeò incruentum novi Testamenti sacrificium instituisse in illâ ipsâ Cœnâ, quam pridie quàm pateretur cum Apostolis celebravit. Quod & testatur S. Irenæus loco supra citato.

Ac reipsâ quidem verum illud extitit sacrificium quod S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14. vocat sacrificium Corporis Christi. Et Epist. 59. sancti altaris oblationem. Et Ep. 23. & in Psalm. 79. dicit Christum immolari in Sacramento Idem declarat S. Cyrillus in Ep. ad Nestor. Ephesini Concilii nomine inscriptâ, & vocat hanc immolationem incruentum sacrificium. Sed ut ad nostræ Conclusionis probationem propiùs accedamus,

Contendimus totam istius sacrificii essentiam consistere in utriusque speciei consecratione.

Duo igitur nobis probanda sunt.

Primum incruenti sacrificii essentiam consistere in consecratione.

Secundum in utriusque speciei consecratione consistere: ita ut hujusmodi sacrificium non sit essentialiter perfectum, nisi ad panis consecrationem vini quoque consecratio accesserit.

Quod spectat ad primom, sacrificii hujus essentia posita est potissimùm in immolatione & oblatione Corporis Christi: atqui Corpus Christi non potest immolari & simul offerri quin præsens sistatur; atqui non potest præsens sisti, atque adeò nec immolari nec offerri. quin per ipsa Christi verba in ipsâ consecratione expressa sistatur præsens, & immoletur & offeratur.

Ergo necessariò concludendum est hujus sacrificii essentiam in consecratione, quâ Christi Corpus immolatur & pariter offertur, esse positam.

Quod Christus immoletur in ipsâ consecratione satis superque declaravit S. Gregorius Nyssenus proximè citatus, cum ait Christi Corpus immolatum esse, cum corpus suum Discipulis edendum & sanguinem suum bibendum apposuit.

Ac reipsa qoidem cum duo potissimum in quolibet sacrificio reperiri oporteat, & ipsa reperiantur in consecratione Corporis Christi, fatendum est in ipsâ consecratione Corporis Christi consistere hujus sacrificii essentiam.

1. Igitur ad constituendum veri nominis sacrificium requiritur immolatio, quæ ab oblatione non disjungitur, sivè illa immolatio per mortem physicam fiat, sivè per aliquam rei oblatæ mutationem, seu mortem mysticam exhibeatur.

2. Requiritur interna offerentis intentio ad offerendum necessaria. Hoc est, requiritur ut Sacerdos, cujus potissimum munus in offerendis sacrificiis vertitur & insistit, intendat Hostiam offerre Deo in sacrificium & propositum ob oculos habeat finem, id est testificationem humanæ ad Deum subjectionis, & supremæ illius potestatis, & dominationis quâ hominum mortem, & vitam summo pleoque jure moderatur.

Cum igitur, ot diximus, in incruento sacrificio quod Christus instituit in Cœnâ pridiè quam pateretur, vera reperiatur immolatio mystica scilicet & sacramentalis, & offerentis intentio, qualem in sacrificante reperiri necesse est, necessariò concludendum est illud verum extitisse sacrificium, sicut & nunc est, ut ab omni ævo Ecclesia Dei intellexit & docuit. Cum ergo nihil Evangelistæ, nec Apostolus tradiderint, quod ad constituendam veri sacrificii essentiam pertinere aut sufficere viderentur præter utriusque speciei panis & vini consecrationem, in consecratione proculdubio constituenda est istius sacrificii essentia.

Adde qood nihil legitur io novo Testamento per quod Christus Jesus summus & primarius, imò & unicus Sacerdos secondum ordinem Melchisedech sui istius Sacerdotii munus obierit, id est secundum ordinem seu ritum Melchisedech sacrificaverit, & illud ipsom sacrificiom in pane & vino Apostolis, quos tunc Sacerdotes instituit in suâ ipsius personâ celebrandum indixerit, præter verba consecrationis, ergo in consecratione statuenda est hojusmodi sacrificii essentia.

Prætereà cum Christus Jesus per illud sacrificium, quotiescumque celebraretur soam ipsius mortem, donec veniret, annuntiari voluerit, & nominatim jusserit, oportuit in illo ipso sacrificio aliquid constituere quod eamdem illam mortem in cruce ab ipso oppetitam repræsentaret. Quod quidem per aliud quam per consecrationem fieri non potest. Per illam enim corpus vi verborum ab sanguine separatum, & vicissim sanguis ab corpore separatus eorumdem vi verborum in altari constituitur, atque ita Christi Passio in mysticâ illâ immolatione repræsentatur; & per consecrationem mystica illa immolatio perficitur, ergo jure ac meritò istius sacrificii essentia in ipsâ consecratione statuitur.

Cum enim nihil aliud sit Deo aliquid offerre, quam in ejus cultom directè & immediatè exhibere, sistere atque præsentare, & per consecrationem Christi Corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini ad Dei cultum actu religioso sistantur, quis non videat illud ipsum Christi Corpus & Sanguinem ipsi Deo in verum propriumque sacrificium offerri?

Si quis contendat Christum equidem offerri Deo

generali oblatione quæ nullam rei oblatæ mutationem exigit, sed non actione quæ sacrificio necessariò sit annexa.

Respondeo Christum in hoc sacrificio sacrificali actione quæ requirit aliquam mutationem offerri Deo: ita ut hujusmodi mutationem Christus hic verè existens patiatur, non in seipso, & sub nativâ specie, sed sub alienis panis nimirùm & vini speciebus, & secundum esse sacramentale, atque ita sacramentaliter tantùm & incruentè, non autem in seipso patiatur, & mactetur, dum vi verborum consecrationis sub distinctis speciebus præsens in altari sistitur.

Christi igitur corpus in incruento Missæ sacrificio patitur hanc mutationem, quod tametsi in propriâ nativaque specie remaneat, sub alienis tamen panis nimirùm & vini symbolis seu speciebus divinâ consecratione constituatur. In eo nempè statu licet resurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ut asserit sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58.

Et ex isto S. Gregorii loco, & ex aliis SS. Patrum testimoniis tam supra citatis quam infrà citandis, colligitur immolatio illa seu mors mystica & sacramentalis, quæ nobis in sacrificio altaris exhibetur, & per quam physica mors ab Christo in cruce oppetita toti Ecclesiæ repræsentatur.

Cum hactenùs probaverimus incruenti sacrificii essentiam consistere in consecratione, nobis probandum superest quod paulò antè indicavimus illam ipsam videlicet essentiam in utriusque speciei consecratione consistere.

Conclusio quinta.

Nemo Theologus dubitat, quin utriusque speciei consecratio ad incruenti sacrificii essentiam pertineat.

Hujus Conclusionis ratio potissima petenda est ex eo quod incruentum sacrificium cruenti sacrificii in cruce peracti expressam repræsentationē exhibere oporteat, juxta divinum Christi præceptum, qui cum illud offerri præcepit in sui, & in suæ mortis memoriam celebrari jussit, ergo utriusque speciei consecrationem factitari imperavit. Nam sanguis seorsum consecratus (ut reipsâ in Calicis benedictione consecratur) expressè Passionem Christi repræsentat: Ideò potiùs in consecratione sanguinis fit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione corporis, quod est Passionis subjectum, ut ait S. Th 3. p. q. 78. a. 3. ad 2.

Hæc ratio uberiùs explanari & illustrari potest, ex eo præsertim quod Christus cum Apostolos Sacerdotes instituit, eos illa ipsa quæ fecerat, facere jussit per hæc verba: *Hæc quotiescumque feceritis*, &c. Atqui tunc & panem, & vinum separatâ consecratione sanctificaverat: ergo & utramque speciem ab ipsis, & ab eorum in Sacerdotio Successoribus usque ad finem sæculi consecrari nominatim imperavit. Ut scilicet ipsius Passionis memoria altiùs in hominum animos imprimeretur: Siquidem ut ait S. Thomas 3. p. q. 78. a. 3. ad 7. *Sanguis seorsum consecratus à corpore expressius repræsentat Passionem ipsius Christi: & ideò potiùs in consecratione sanguinis fit mentio de Passione Christi & fructu ipsius quam in consecratione corporis.* Hæc ibi.

Quod autem Christus Eucharistiæ sacrificium instituerit, ut cruentum crucis sacrificium repræsentaret, constat non solùm ex eo quod jusserit Apostolos inter celebrandum sui meminisse, & suam mortem annuntiare, sed etiam ex eo quod in mysticâ illâ Cœnâ, in quâ institutum est istud sacrificium, suum sanguinem prævertendo tortorum sævitiam effuderit, quicquid obstrepant Calvinistæ.

Id enim patet ex verbis S. Lucæ Calicis consecrationem referentis: *Hic est Calix*, inquit, *novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis effunditur.* Quæ verba perperàm Hæretici detorquent in unam duntaxat sanguinis effusionem, quam passus est Christus in cruce. Nam Evangelistæ non unam, sed triplicem sanguinis effusionem ex Christi Corpore prosiluisse commemorant. Hujusmodi effusionum primam sacram & mysticam declaravit Christus in altari inter Apostolos: alteram violentam & miraculo plenam in horto ostendit (ut credere dignum est) inter Angelos: tertiam denique violentam, sed ordinariam in crucis supplicio subiit inter tortores immanissimos.

De primâ illâ sanguinis effusione quæ facta est in illâ ipsâ Cœnâ in quâ Christus incruentum, de quo loquimur, sacrificium instituit, S. Lucam intelligendum esse clarius est quam ut probari debeat: Quicquid in contrarium deblaterent adversarii, qui illam ipsam effusionem ad eam quam Christus in cruce subiit, referre gestiunt, sed irrito conatu. Quia

1. Illa effusio quæ participium præsentis temporis in Græco contextu exprimitur, refertur non ad sanguinem, qui in eo S. Lucæ loco dicitur effundi, sed ad Calicem, in quo & ex quo dicitur effundi. Siquidem verbum Græcum ἐκχυνόμενον (quo utuntur etiam præter S. Lucam duo alii Evangelistæ, sanctus nimirùm Matthæus & Marcus, est nominativi casus, sicut & τὸ ποτήριον. Ergo ad illud referendum est præfatum participium, non autem ad sanguinem qui in citato sancti Lucæ loco per dandi casum exprimitur: τῷ αἵματί μου. Cum ergo poculum seu Calix dicatur effundi, illa effusio non potuit fieri in cruce, in quâ nullum fuisse Calicem audimus, aut legimus. Sed in Cœnaculo Sion Calicem ad divina mysteria celebranda & instituenda ab Christo Domino adhibitum esse non obscurè scriptura significat; ergo cum Christus dixit, Calicem effundi non potuit intelligi de violentâ sanguinis effusione, quam postridiè passurus erat in cruce, sed de aliâ mysticâ quæ facta est in ipso Calice, & ex ipso Calice quem ipse consecraverat.

Reverà cum dixit Christus Calicem effundi, id est sanguinem in ipso contentum (per metonymiam (ut jam observavimus) ipsa ejus verba neque de vase, neque de vino (ut etiam fatetur ipse Theodorus Beza) debent intelligi; Non ergo Calix hoc loco significat Calicem vini, sed demonstrat Calicem sanguinis Christi: Verè igitur sanguinem suum effundi Christus asseruit. Unde adversus Sacramentarios Missæ hostes acerrimos duplex Orthodoxæ fidei dogma statuitur.

Primum realis sanguinis Christi in consecrato Calice præsentia

Secundum vera incruenti sacrificii existentia. Nam quod

2. Observandum est, illa Calicis effusio, quam tunc in Cœnâ non faciendam in futuro, sed fieri in præsenti pronuntiavit Christus, incruentum sacrificium ineluctabiliter astruit. Nam ad constituendam sacrificii essentiam mactatio rei oblatæ vel physica, vel mystica, & sacramentalis exigitur: Atqui tunc ejusmodi mactatio intelligitur & creditur fieri, cum sanguis, si non physicè, mysticè saltem & sacramentaliter effunditur. Quod sanè factum est in Cœnâ. Siquidem tres Evangelistæ hujusmodi effusionem per τὸ ἐκχυνόμενον, participium præsentis temporis non temerè aut casu, sed dictante Spiritu sancto expresserunt.

Ergo per hæc Christi verba quibus Calix seu sanguis in Calice contentus in Cœnâ dictus est effundi, intelligenda est effusio, quæ fiebat, non solùm dum sanguis sub specie vini in astantium Discipulorum ora è Calice effundebatur, sed etiam & præcipuè intelligenda est mystica illa effusio quæ facta fuerat in consecrato Calice (antequam ex illo Discipuli biberent) & per illam enim sanguis Christi mysticè & sacramentaliter effusus seu libatus æterno Patri in sacrificium oblatus fuerat.

Indè igitur rectè probari potest incruentum Missæ

sacrificium, quod omnes faciunt Catholici, ita tamen ut non excludant relationem quam importat illud ipsum sacrificium, ad cruentam crucis immolationem, quam postridiè Christus peracturus erat, ut omnia quæ de se per Prophetas prænuntiata fuerant, inter acerbissima supplicia consummaret.

Cum duo dogmata nempè realem Sanguinis Christi in Calice præsentiam, & incruentum Missæ sacrificium, ex isto sancti Lucæ loco ineluctabiliter astrui videret Theodorus Beza, sese in referventem blasphemiam implicare, & Evangelistam admissi solœcismi reum facere, & Evangelium de corruptelâ accusare, & ipsius Dei testamentum adulterare, quam suam hæresim abdicare maluit. Quod sanè cum incredibili impietate conjunctum est. Nam fatetur in omnibus exemplaribus legi ἐκχυνόμενον in recto, non autem in dativo sicut ipse vult, ut concordet accommodatè ad ipsius hæresim cum dativo τῷ αἵματι, & tamen ad suavissimos veritatis amplexus revocari non potuit: sicut nec ejus asseclæ, quorum Biblia citatum sancti Lucæ locum adulteratum retinent: Sic enim vertunt, sanguis, qui pro vobis effunditur: Cum secundum originalem contextum legere oporteat: *Hic Calix*, &c. *qui pro vobis effunditur.* Hunc locum ita corrupere Heterodoxi, ne juxta veritatem textus Evangelici realem Sanguinis Christi in Calice præsentiam & (cum nullus alius liquor præter verum Christi sanguinem effundatur in novo Testamento) sacrificalem pariter etiam & sacramentalem ejusdem sanguinis effusionem admittere cogerentur.

Ex dictis hactenùs constat incruenti sacrificii essentiam consistere in utriusque speciei consecratione; ita ut si unius consecratio desit, sacrificium essentialiter imperfectum habeatur.

Si ergo quis objiciat per consecrationem unius speciei aliquid ex profano fieri sacrum cum sui mutatione, & repræsentatione Passionis Christi, quæ omnia pertinent ad essentiam sacrificii: Ergo per unius dumtaxat speciei consecrationem verum & perfectum efficitur sacrificium.

Respondeo tunc inchoatum esse sacrificium, sed quoad essentiam esse imperfectum: Siquidem, ut probavimus hactenùs, nunquam incruentum sacrificium perficitur, quin juxta Christi institutionem per utriusque speciei consecrationem compleatur.

In geminâ igitur illâ consecratione, incruenti sacrificii essentia constituitur. Et reverà licet superiùs expenderimus singulas partes definitionis sacrificii, easque in Missæ sacrificium ritè quadrare ostenderimus, est tamen asserendum præfatam sacrificii definitionem convenire dumtaxat in eam Missæ partem quæ passim, & ab omnibus consecratio nominatur. Ut patebit ex sacrificii definitione, quam suprà retulimus, & hîc ex occasione repetimus, ut nostra probatio luculentiùs appareat.

Sacrificium igitur propriè dictum, est oblatio externa rei sensibilis, & permanentis, soli Deo facta, & illi uni ex interno devotæ mentis affectu exhibita, legitimâ authoritate instituta, ab legitimo ministro debito in loco celebrata, & ab eodem ritu mystico celebrata, ut nostram infirmitatem & omnimodam ab ipso Deo utpotè supremo vitæ & necis arbitro dependentiam, rerum, quas ipse præscripserit, ab profanis usibus segregatione & immolatione, profiteamur.

Singulæ hujus definitionis partes egregiè conveniunt in unam dumtaxat specierum consecrationem, ut videre est, licet nonnullæ ad illam non tam ex sacrificii quam ex præcepti necessitate pertinere videantur.

Cum igitur dixerimus duo præsertim ad sacrificii propriè dicti essentiam concurrere, rei scilicet oblationem quæ nempè vel per mortem physicam, vel mysticam fieret, & prætereà offerentis intentionem, quæ dirigeretur ad testificandam supremam illam Dei potestatem, quæ in nos nostramque vitam mortemque dominatur.

Hujusmodi rerum primam probavimus, superest igitur altera, id est offerentis intentio, quæ ipso sole clarius in ipsâ consecratione cernitur & apparet.

Cum Christus in Cœnâ instituit incruentum Missæ sacrificium in sui corporis & sanguinis consecratione positum, eam habebat intentionem quâ nulla sanctior, & ad exhibenda Deo Religionis officia accommmodatior excogitari poterat. Si enim ad externum sacrificii cultum debitam offerentis intentionem accedere oporteat, nihil profectò hac in parte Christo Domino deesse poterat.

Si enim offerentis intentio eò dirigi debet ut, in sacrificali oblatione Deum agnoscat, & colat sic tanquam unicum bonorum omnium Authorem largitoremque, nonnè Christus Dominus Patrem æternum ut talem supremo honore coluit, ut potè qui debitas illi gratias & ipso dignas, id est infinitæ ejus majestati pares consentaneasque persolvit, antequam incruentum Eucharistiæ sacrificium institueret? Nonne etiam hoc idem sacrificium instituit, & per illud eidem æterno Patri bonorum omnium inexhausto fonti gratias, quibus alioquin sumus impares, ageremus?

Hanc rationem præclarè explicat S. Joannes Chrysostom. hom. 83. in Matth. capite 26. *Gratias porrò egit*, inquit, *ut nos instrueret quomodo mysterium hoc facere debeamus, & simul ut ostenderet spontè se ad passionem proficisci. Præterea ut nos doceret omnia, quæ patimur cum gratiarum actione esse ferenda, ac ut bonam nobis spem immitteret ac foveret.*

Et in ead. hom. longè post citata: *Audiatis*, inquit, *quicumque ultimam mysteriis actionem non expectatis quæ illius symbolum est: gratias enim egit antequam Discipulis daret, ut etiam nos ab gratiarum actione incipiamus. Gratias egit, posteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus.* Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus.

Si prætereà sacrificantis intentio talis esse debet, qualis exigitur ad protestationem supremæ potestatis & dominationis, quam Deus exercet in omnium hominum mortem & vitam, & si hujusmodi offerentis intentio extrinsecùs apparere debet per aliquam destructionis, vel immutationis notam, ut ea istâ destructione, vel immutatione oblatæ victimæ, præfata illa Dei in necem & vitam potestas, & dominatio pelluceat, quis unquam majorem & Deo digniorem supremæ illius potestatis testificationem præstitit aut præstare potuit, quam Christus Jesus, qui in ipso jam tùm suæ incarnationis articulo sese sponte, & ultrò subrogavit in locum holocautomatum & hostiarum, quæ sub priori testamento sæpiùs mactatæ æterno Patri placere non poterant, ut testatur Apostolus Hebræor. cap. 10. v. 4. & seqq. Impossibile est, inquit, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautamata pro peccato tibi non placuerunt: Tunc dixi: ecce venio: In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superiùs dicens: quia Hostias & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.

Hoc loco Apostolus designat quatuor sacrificiorum genera, quæ usurpabantur in veteri lege, nec tamen Deo placere, nec peccata auferre poterant.

1. Recenset Hostiam per quam significat victimas pacificorum seu gratiarum actionis.

2. Oblationem, per quam intelligitur quævis rerum inanimatarum oblatio, ut puta similæ, thuris, panum, laganorum, & primitiarum; hujuscemodi oblationes hujus Epist. cap. 5. 8. & 9. vocantur ab ipso Apostolo dona seu munera.

3. Recenset holocautomata seu holocausta quæ (juxta nominis etymon) tota cremabantur exceptâ pelle, quæ

quæ cremabatur extra castra.

4. Denique prioribus sacrificiorum generibus Apostolus adjicit sacrificia, quæ propitiatoria dicebantur, utpotè quæ pro peccatis offerrentur.

Cum igitur nulla legis Mosaicæ sacrificia, cujuscumque generis essent, (quatenus erant ejusmodi) Deo placita fuisse; nec cuiquam potuisse prodesse ad veram justitiam, vel ad ullam justitiæ partem constet ex citato Apostoli loco; Christus sese offert in victimam, constituto ab ipsomet æterno Patre tempore, mactandam, ut per proprium sanguinem & mortem injuriam Deo per primum primi hominis peccatum irrogatam resarciat & restetur supremum æterni Patris nostram in mortem, & vitam dominium. Quod abundè præstitit primò per incruentum sacrificium quod in cruce inter immanissima supplicia consummavit. Et hoc est sacrificium absolutum, independens, per se Deo gratum & consummativum, ut ita dicam, non typicum seu ad alterius commemorationem institutum, neque in aliquo communi Religionis, legisque ritu positum: sed omnium sacrificiorum præstantissimum, absolutissimum, & efficacissimum, ad quod omnia sacrificia tam in naturali, quam in Mosaicâ lege usurpata referebantur, ut adumbratæ quædam figuræ & imagines, & ad quod omnia, quæ in lege Evangelicâ geruntur & imprimis incruentum Missæ sacrificium ab illo solâ offerendi ratione diversum referri necesse est. Illud enim Missæ sacrificium, cum ab eodem Sacerdote Christo per novi Testamenti Sacerdotes ipsius hoc in ministerio vicarios eadem Hostia, id est ipsius Christi corpus & sanguis in Ecclesiâ Dei toto terrarum orbe diffusâ offeratur, nihil est aliud quam ejusdem cruenti sacrificii non nuda dumtaxat commemoratio, sed continuatio, vel certè repetitio, per quam Christianis Catholicis applicantur innumerabilia dona, & subsidia quæ ille ipse Christus Dominus eidem Ecclesiæ suæ, infinito sanguinis sui pretio meritoque comparavit.

Cum ergo Christus factus est obediens usque ad mortem, & perdidit vitam ne perderet obedientiam, ut loquitur S. Bernardus, nonnè satis superque testificatus est, quantâ Pater æternus in hominum vitam & necem authoritate polleret, siquidem ejus imperio, quod detrectare non poterat, amisit vitam non qualemcumque, sed vitam divino-humanam & humano-divinam cujus, vel unum momentum omnium angelorum, & hominum vitæ præponderasse nemo, vel tantillum eruditus inficiari voluerit.

Præterea ne tantæ tamque magnificæ testificationis æterno Patri seu summo vitæ, & necis arbitro exhibitæ primò per incruentum sacrificium in Cœnâ inter Apostolos oblatum, & deinde & maximè per cruentum sacrificium in cruce inter carnifices peractum, memoria apud homines volventibus sæculis obsolesceret, & eadem illa supremæ potestatis testificatio eidem æterno Patri exhiberi desineret, illam non solùm per semetipsum in Cœlo regnantem continuari, sed etiam per Sacerdotes novi Testamenti suos in terris Vicarios usque ad consummationem sæculi in quotidiano Christianorum sacrificio instaurari, vel continuari, vel indesinenter iterari recolique voluit.

Hujusmodi testificatio ab Christo Domino æterno Patri exhibita, ita ipsi placuit, ut nos per unigeniti sui oblationem seu mortem sanctificari voluerit, & hoc indicat Apostolus loco proximè citato. Cum enim dixisset de Christo, aufert primum ut sequens statuat, id est vult abrogari omnia veteris legis sacrificia, utpotè quæ æterno Patri non erant placita ut testantur his verbis: *Holocautomata tibi non placuerunt quæ secundum legem offeruntur, ecce primum quod aufert*, & hoc primum est abrogatio legalium sacrificiorum: sequens verò quod statuit exprimitur his verbis: *Tunc dixi, ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*, id est me offeram tibi in holocaustum, atque ita me substituam in locum legalium sacrificiorum, tum quia tibi non sunt placita, tum quia meo sacrificio locus esse non potest, quin vetera illa auferantur. Id enim significat Apostolus cum ait, *aufert primum, ut sequens statuat:* id est Corporis & Sanguinis Christi oblatio statui non potest, quin primum, id est legalia sacrificia penitùs auferantur.

Cum, inquam, hoc dixisset Apostolus de Christo, proximè subdit: in quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel. Per voluntatem intelligit Apostolus voluntatem Patris æterni de quâ loquitur Christus, cum ait: tunc dixi, ecce venio: ut faciam Deus, voluntatem tuam. Et docet eam esse voluntatem quâ Pater æternus per oblationem unigeniti sui eos sanctificari voluit, quos legalia sacrificia sanctificare non poterant.

Unde pulcherrimè Theophylactus hunc locum supplet & sic interpretatur. *In qua voluntate Patris sanctificati sumus, qui per oblationem Corporis Christi semel factam sanctificati sumus. Hoc enim, inquit, subaudiendum est. Nam credentes sanctificati per oblationem unigeniti in voluntate Patris sanctificati sumus.* Hæc ille.

Hactenùs de incruenti sacrificii essentiâ & existentiâ egimus, nunc agendum de ejus efficaciâ & proprietatibus, ut puta utrum sit latreuticum, impetratorium, Eucharisticum, & propitiatorium, id est per illud peccatorum remissionem consequamur.

De tribus aliis hujusmodi sacrificii dotibus & proprietatibus tractandum erit, cum adversus Hæreticos illud esse verè propitiatorium ex scripturis, & traditione ostenderimus. Sit itaque

QUÆSTIO XII.

Utrùm incruentum Missæ sacrificium propitiatorium appellari possit & debeat.

UT hæc quæstio ritè dissolvatur operæ-pretium est Ecclesiæ Catholicæ fidem explanare iisdem verbis, quibus illam ipsamet Ecclesia in Concilio Tridentino legitimè congregata dictante Spiritu sancto declaravit. Et quoniam inquiunt præfatæ Synodi Patres, in divino hoc sacrificio quod in Missâ peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & rectâ fide, cum metu & reverentiâ, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippè oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc ubertimè percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.

Hactenùs sancta Synodus Tridentina session. 22. c. 2. hanc ipsam orthodoxæ fidei doctrinam eadem ipsa Trid. Synodus sub anathematis interminatione definiit ejusdem session. 22. can. 3. in hæc verba concepto: *Si quis dixerit, Missa sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus*

esse i debere, anathema sit. Hactenus Canon ille tertius cui & quartum subtexuit eadem ipsa Synodus, ut Hæreticorum per incruentum sacrificium blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, aut illi derogari causantium errorem obtereret.

Si quis (verba sunt istius Canonis) *dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.*

Duos hosce Canones condidit sacro-sancta Synodus Tridentina, ne quis fidei articulos unis Conciliorum Canonibus sub anathematis interminatione conditis ordinariè ita sanciri solitos, ut nullo pacto in eorum Conciliorum Decretis, quoad uberiorem rerum explicationem contineri causaretur, atque ita Canonum explicationes ex Decretis repetitas eluderet. Quæ quidem agendi ratio & ipsorum Canonum nervos, & eorumdem explicationem ex Decretis accersitam magno Catholicæ veritatis detrimento elidere videretur, ut facilè deprehendere poterit Lector benevolus in exemplo, quod pertractamus, si legere voluerit dicti Concilii cap. 2. sessionis vicesimæ secundæ, & ejusdem sessionis Canonem tertium, & quartum: quamvis igitur fidei articuli non sanciantur præcisè per Conciliorum Decreta, per ea tamen liquidò explicantur.

Hæc est fides Ecclesiæ, quæ ab omni ævo sacrificium incruentum esse verè propitiatorium ex Apostolicâ traditione credidit, & usquequaquè prædicavit. Ex adverso Hæresis, ex quo suorum errorum venena disseminare cæpit, illud ipsum sacrificium oppugnare & per diversas & adversas opiniones lacessere non destitit. Nam quia fidei confessio ab ipsius asseclis procusa, agnoscebat unicum duntaxat sacrificium ab Christo Domino in cruce consummatum, pernegavit illum in Ecclesiâ dari posse sacrificium externum, eo nomine quod Eucharistiam esse duntaxat Sacramentum, nullo autem pacto sacrificium, incredibili, ut assolet, pertinaciâ contenderet.

Alios deinde peperit alumnos, qui sacræ traditionis, & rationis authoritate, & pondere ab Catholicæ veritatis assertoribus convicti sensim eò devenerunt, ut Eucharistiam non tantùm Sacramentum, sed etiam sacrificium impropriè duntaxat sumptum, esse concederent.

Sed quia Hæreticorum dogmata, vel commenta temporum sunt, non Evangeliorum, alii extitere qui Eucharistiam veri quidem nominis sacrificium, sed laudis duntaxat, & gratiarum actionis esse concederent. Alii tandem admittere eamdem Eucharistiam esse sacrificium, in quo Passio & mors Christi recoleretur, imò etiam sacrificium crucis repræsentaretur. Sed ex iis inventus est nemo qui illud ipsum quod admittebant Eucharistiæ sacrificium propitiatorium esse, seu salutarem sacrificii crucis virtutem per illud in remissionem eorum, quæ a nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicari fateretur & admitteret.

Hæreticos in opiniones tam contrarias distractos esse testatur Colloquium Poissiacum habitum sub Pio Papâ IV. & Carolo IX. ann. sal. 1561. Hac in parte sui Authoris aut Patriarchæ Calvini vestigiis institere. Cum enim institut. lib. 4. cap. 18. §. 1. dixisset conatum esse satanam velut offusis tenebris sacram Christi Cœnam infuscare & inquinare; ne saltem ejus puritas in Ecclesiâ retineretur: posteà subdit: *Sed horrenda*, inquit, *abominationis caput fuit, quùm signum extulit, quo non modo obscuraretur & perverteretur, sed penitus obliterata & abolita evanesceret, & ex hominum memoria excideret: nempè quum pestilentissimo errore totum penè orbem obcæcavit, ut crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem.* Hæc ille hæresiarcha, qui Ecclesiæ Romanæ fidei implacabile bellum indixerat.

Sed si res accuratiùs expendatur, facile erit deprehendere, quantoperè sibi mentiatur iniquitas. Nam Calvinus & ejus asseclæ nihil frequentiùs clamitant, quam fidem ad purum syncerumque Dei verbum nullo glossemate infuscatum nullove humanarum interpretationum fuco deformatum, velut ad perfectam amussim & regulam exigi oportere, & tamen ipsimet scripturam etsi claram, & perspicuam in hæretica commenta detorquere non desinunt. Nam amabo, quid clarius hisce verbis Christi illud ipsum quod asserimus sacrificium instituentis. *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis funditur in remissionem peccatorum.* Ita legitur in Græco contextu novi Testamenti.

Quid, inquam, hisce verbis clarius & illustrius afferri potest ad probandum incruentum Missæ sacrificium? Nihil sanè. Nam ex eo loco hujusmodi sacrificium efficacissimo hoc syllogismo astruitur.

Ubi est victima, & sanguis effusus in remissionem peccatorum, ibi est sacrificium propitiatorium:

Atqui in Eucharistiâ est victima nempè Christi corpus & sanguis effusus in remissionem peccatorum.

Ergo in Eucharistiâ est sacrificium propitiatorium.

Huic Syllogismo alterum opponunt Calvinistæ in hunc modum.

Si sacrificium in cruce peractum sufficit ad obtinendam remissionem peccatorum, nullum aliud ad hunc effectum adhiberi potest, quin illi blasphemia irrogetur, aut certè illi ipsi per hoc derogetur.

Atqui certum est secundum scripturas sacrificium in cruce peractum sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum.

Ergo nullum aliud (quale est sacrificium Missæ) ad hunc effectum adhiberi potest, quin eidem illi sacrificio crucis irrogetur blasphemia, vel certè illi derogetur.

Duo illi syllogismi ab Catholicis & Heterodoxis propositi ita sunt à nobis discutiendi, ut in primi discussione veritas Catholica statuatur; in secundi autem examine hæretica falsitas solidè revincatur.

Quod spectat igitur ad priorem syllogismum, majorem ejus propositionem ab nemine præterquam ab indocto negatum iri contendimus.

Ac reipsâ quidem ubi est victima & sanguis effusus in remissionem peccatorum, ibi est sacrificium propitiatorium. Nam primò ibi est destructio seu immolatio victimæ, sivè illa sit physica, seu mystica duntaxat, & sacramentalis, & harum immolationum alterutram efficit & probat sanguis seu physicè seu mysticè & sacramentaliter effusus. Quod si autem victimæ sanguis effundatur in remissionem peccatorum, haud dubiè sacrificium erit propitiatorium.

Quæ cum ita sint superest probanda minor, quæ talis est: Atqui in Eucharistiâ est victima, nempè Christi corpus & sanguis effusus in remissionem peccatorum. Hanc propositionem probant ipsa Christi verba, *Hic est Calix*, &c. *qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Nam, ut suprà ostendimus, hæc sanguinis effusio, non potest referri ad aspectabilem sanguinis effusionem, quæ facta est in cruce, in quâ nullus erat Calix, ex quo, vel in quo fieret sanguinis effusio; ergo effusio illa, de quâ loquitur Christus, necessario referenda est ad mysticam illam effusionem, quæ facta est in Cœnâ, in qua suum corpus separatim ab suo sanguine, suumque sanguinem separa-

ab suo corpore consecravit. Atqui Christus addidit suum illum sanguinem pro præsentibus Apostolis, & pro aliis multis absentibus fundi in remissionem peccatorum, ergo in illâ ipsâ Cœnâ fuit victima, fuit & sanguis effusus in remissionem peccatorum: Ergo in Cœnâ celebratum & institutum est sacrificium propitiatorium: quod sacrificium cum tunc temporis celebrare in posterum jussi sint Apostoli, nec aliud prætetquam incruentum Missæ sacrificium peregerint, certo certius est in Cœnâ institutum esse incruentum sacrificium, quod & fuit, & etiamnum, & propitiatorium, ut ab omni ævo propagata traditio contestatur. Conferat studiosus Lector quæ diximus in conclusione 5. quæstionis superioris, ubi expendimus quomodo debeat explicari mystica illa sanguinis effusio, quam in Cœnâ factam esse contendimus.

Ne quis autem Hæreticus existimet, nos hac in parte nostro genio philosophari, juvat ex sacrâ traditione ea promere testimonia quibus incruentum Missæ sacrificium solidè astruatur, & errores adversus illud excogitati funditus obruantur.

1. Igitur Origenes hom. 13. in Levitic. cum protulisset verba Christi, quibus jubentur Sacerdotes offerre sacrificium illud incruentum in ipsius Christi commemorationem, subdit: *Ista est commemoratio sola quæ propitium facit Deum hominibus.* Hæc ille.

2. Eusebius Pamphili Cæsareæ in Palæstinâ Episcopus qui I. Concilio Nicæno ann. Redempt. 325. celebrato interfuit insigniter incruentum sacrificium propitiatorium esse asserit: *Quando igitur*, inquit, *secundum testimonia Prophetarum inventum est magnum magnique faciendum pro redimendis & Judæis pariter & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro animâ cunctorum hominum sacrificium, illa pro omni maculâ & peccato purissima Hostia.* Et paulò post: *qui de gentibus assumpti sunt, & quicumque Judæi in illo spem habuerunt, remissionem priorum peccatorum invenerunt, & meritò sunt, quando illius memoriam corporisque ejusdem ac sanguinis recordationem quotidiè celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium, & munus assumpti sunt, quam illud antiquius fuerit.* Hactenùs ille lib. 1. de demonstrat. Evang. cap. 10. ubi de incruento, novi Testamenti sacrificio uberiùs disserit.

3. Sanctus Basilius in ipso suæ Liturgiæ exordio idipsum testatur his verbis: *Deus dator gratiæ*, inquit, *salutis Author, atque omnium conditor, in omnibus concede nobis, ut sit accepta coram te hæc nostra oblatio pro peccatis meis; & præcipuè pro iniquitatibus populi tui, quia pura est sicut donum Spiritus sancti per Jesum Christum Dominum nostrum.*

4. Idipsum constat ex Liturgiâ S. Gregorii Theologi seu Nazianzeni ita precantis ante mysteriorum celebrationem. *Mitte*, inquit, *Domine super me Spiritum sanctum tuum, ut assistam altari tuo sancto, neque id mihi proveniat in judicium, sed offeram tibi hanc oblationem, rationalem, incruentam, cum conscientiâ purâ in remissionem peccatorum & iniquitatum mearum, veniam delictorum populi tui, requiem & refrigerium patrum nostrorum qui requieverunt in fide orthodoxâ & gratiâ.*

5. Idem affirmat S. Joan. Chrysostomus in suâ Liturgiâ his verbis: *Idoneos*, inquit, *nos redde ad inferenda tibi dona & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis.*

6. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus idem probat in Catech. mystag. 5. *Christum*, inquit, *pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & illis & nobis eum qui est benignissimus, propitium reddamus.*

7. Sanctus Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum idem quod alii Patres docent, tradidit de incruento sacrificio. *Quid de Episcopo*, inquit, *sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?*

8. S. Augustinus lib. quæst. super Levitic. quæstion. 57. quod asserimus luculenter astruit. *Quid sibi vult*, inquit, *quod à sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur in quo vera fit remissio peccatorum: à cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur qui volunt habere vitam?*

9. Sanctus Gregorius Papa I. idipsum asserit hom. 37. in Evang. *Mittamus*, inquit, *ad hanc levationem nostrum flendo, tribuendo, sacras Hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris Hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro n[illegible]iterum patitur. Nam quoties ei Hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, Passionem illius reparamus.* Hæc ibi.

Paulo post narratâ Historiâ de viro cujus toties vincula solvebantur, quoties pro illo sacra offerebantur mysteria, sic loquitur: *Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certâ consideratione colligite, oblata à nobis Hostia sacra, quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero solvere vincula corporis.* Hactenus S. Gregorius.

10. Idem S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 58. *Pensemus*, inquit, *quale sit pro nobis hoc sacrificium quod pro absolutione nostrâ Passionem unigeniti filii semper imitatur.* Hæc ibi.

11. Ad probandum Missam esse sacrificium propitiatorium, non parùm conducunt preces quas inter ipsa mysteria ab Sacerdotibus adhiberi jussit Ecclesia. Si enim sanctus Augustinus veritatem prædestinationis & gratiæ Christianæ probavit adversus Hæreticos ex eo quod de illâ ipsâ veritate, nunquam in precibus suis illa ipsa Ecclesia tacuerit, ut constat ex lib. de bono perseverant. cap. 22. & 23. qui ini eodem argumento utamur adversus Hæreticos hujus temporis, atque ita incruento Missæ sacrificio propitiatorii titulum & dotem asseramus.

Sancta igitur Ecclesia non uno in loco sua munera Sacramentum Redemptionis effici postulat. Sic enim precatur in oratione secretâ quæ recitatur octavo Novembris pro commemoratione sanctorum Martyrum quatuor Coronatorum: *Benedictio tua, Domine*, inquit, *larga descendat: quæ & munera nostra deprecantibus sanctis Martyribus tuis, tibi reddat accepta, & nobis Sacramentum Redemptionis efficiat.*

Item idipsum confirmat in oratione secretâ Dom. 9. post Pent. *Concede nobis*, inquit, *quæsumus, hæc dignè frequentare mysteria, quia quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur.*

Idipsum pellucet ex Canone Missæ in quo sic orat Sacerdos. *Memento*, &c. *Et omnium circumstantium, &c. pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro Redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ.*

Quod si Calvinista quispiam hujusmodi preces aspernari & suos errores cum pertinaciâ, quæ omnibus Hæreticis gentilitia est, tueri audeat, illum oportebit hisce S. Augustini vocibus affari: *Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & si quando audieris Sacerdotem Dei ad altare Dei proferentem à nobis allatus hic orationes, subsanna pias voces, & dic te non credere, nec facere, quod ipse pronuntiat.*

Quisquis ita loqueretur immanem superbiam ostenderet, utpotè qui toti antiquitati reluctaretur, & Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, vel ignorantiæ, vel erroris accusaret: sed irrito conatu. Nam illa ipsa Ecclesia quam Christus acquisivit sanguine suo, est firmamentum & columna veritatis atque adeò nec ipsa errare, nec ullum in errorem inducere potest.

Cum ergo inter celebranda mysteria munera Sacerdotuo ministerio oblata perit Sacramentum redemptionis effici, vel cum asserit quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur opus nostræ Redemptionis exerceri: quid aliud intendit nisi ut noverint fideles incruentum Missæ sacrificium esse verè propitiatorium per qood nobis Redemptionis semel in cruce peractæ pretium & meritum applicatur Neque enim adeo est cæca & ab ratione deserta, ot postulet Christum de integro crucifigi & novam Redemptionem operari; didicit enim ab Apostolo nos esse sanctificatos per oblationem Corporis Jesu Christi semel. Necesse est igitur ut petat sibi applicari necessaria ad salutem assequendam præsidia & auxilia. (& imprimis peccatorum remissionem.) quæ Christus per sanguinolentam illam oblationem populo suo comparavit. Cum ergo Sacerdos dicit in Canone fideles offerre sacrificium laudis pro Redemptione animarum suarum, nihil aliud significat, quam ipsos petere peccatorum Redemptionem: ut explicat Alcuinus in libro de div. Offic. p. 286. *Ee hoc*, inquit, *quâ spe faciant* (fideles) *subjungitur: quia non pro aliquo terreno appetitu, non pro temporali lucro, sed solummodò pro Redemptione animarum suarum quia in ipso habemus Redemptionem per sanguinem ejus, remissionemque peccatorum.* Hæc ibi.

Eumdem illum Canonis locum in eumdem pariter sensum præclarè explicat Srephanus Eduensis in lib. de Sacramento altaris cap. 13. sub titolo de Canonis declaratione: *Facta est*, inquit, *nostra Redemptio, Christo semel in Cruce passo. Nam Passione Christi redempti sumus, & liberati de manu inferi. Culpis nostris exigentibus quotidie labimur, ab hoc lapsu iteratâ immolatione quæ fit in altari, resurgimus & renovamur. Immolatio iteratur, non Christus occiditur, sed ipso præsente Passio ejus repræsentatur. Superabundante misericordiâ majus fuit pretium quam nostrum delictum. Deus enim homo factus, mortuus est, ut deificetur homo, & non moriatur.* Hæc citatus Episcopus loco laudato. In quo sicut & in cæteris authoribus suprà memoratis videre est, quam antiqua sit traditio, quæ docet Missæ sacrificium esse propitiatorium. Licet enim floruerit anno dumtaxat Redempt. 950. apparet tamen eum SS. Patrum vestigiis institisse.

12. Authores qui posterioribus floruere sæculis idipsum quod & antiquiores tradidere, & imprimis B. Algerus lib. 1. de Sacram. altaris cap. 15. *Ut ergo & in Cælo, & in terrâ omnipotentiam se habere ostenderet Christus, deïficum corpus suum Cælo illaturus & mundo daturus, quod quantum ad humanam formam nobis abstulit, non minus tamen substantialiter, & verè in Sacramento Corporis & Sanguinis sui nobis obtulit, ut hic & ibi præsens etiam corporaliter, utpotè qui unius persona cum illo est, qui nusquam deest, & ibi reconciliationem cum Patre, & hic in altari Redemptionem remissionemque peccatorum nobis operetur, sicut semel fecit in cruce: dum ipsum corpus suum in ora fidelium datum, & singulis dividitur, & unum totum universis individuum & integrum habetur, sumptum, non consumptum, ut sicut individuum cum dividitur, sic incorruptum, cum sumptum fuerit, credatur.* Hactenùs Algerus loco citato.

Confirmatio doctrinæ superioris repetita ex verbis quibus juxta Ecclesiæ Canonem Calix consecratur.

POstquam Innocentius Papa III. extra de celebratione Missarum cap. Cum Marthæ, ita locutus est de Canone quo utimur inter mysteria: Credimus, inquit, qood formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum acceperint Soccessores, non dubitamus ejusdem ipsius Canonis verba & authoritatem adhibere ad astruenda fidei dogmata, & revincendos errores quibus eorum veritas appetitur.

Cum ergo ista sit forma quà quotidiè Calicem consecramus: Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Rectè ex istâ formâ quâ Calicis consecratio perficitur, colligitur Missæ sacrificium esse propitiatorium, qoia io illâ ipsâ Calicis consecratione repræsentatur passionis mysterium, in quod velut in omnium gratiarum originem & fontem peccatorum remissio refunditur. Undè S. Thomas ad dist. oct. q. 2. lib. 4. sentent. art. 2. in solut. quæstiunc. 1. ad secundum, dicendum, inquit, quod cum Eucharistiæ Sacramentum sit memoriale Dominicæ Passionis, in consecratione Corporis Christi non repræsentatur nisi Passionis subjectum, sed in consecratione sanguinis repræsentatur Passionis mysterium; non enim à Corpore Christi sanguis ejus seorsum fuit, nisi per passionem, & ideò conditiones Dominicæ Passionis exprimuntur per verba sequentia magis in consecratione sanguinis quam in consecratione Corporis. Hæc ibi.

Idem S. Thom. ibid ad 3. quod dixit, illustriùs aperit: Ad tertium, inquit, dicendum quod quamvis illa quæ sequuntur, sint ut proprietates consequentes Christi Sanguinem, in quantum hujusmodi, sunt tamen essentiales Sanguini Christi, in quantum est per Passionem effusus: Non autem seorsum a corpore consecraretur Sanguis Christi, sicut nec aliæ partes ejus, nisi pro eo, quod est in Passione effusus: & ideò illa, quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini prout in hoc Sacramento consecratur, & ideo oportet, quod sint de substantiâ formæ. Hactenus S. Thomas, qui & citato proximè loco in solut. quæst. 3. doctrinam hanc explicatiùs illustrat.

Ad tertiam quæst. inquit, dicendum quod verba illa quæ adduntur in consecratione sanguinis, exprimunt conditiones Passionis & præcipuè secundum quod operatur in Sacramentis. Sunt autem tria à Passione consideranda secundum quod in Sacramentis operatur.

1. Effectus quem inducit qui est remissio peccatorum: & hoc tangitur in hoc quod dicit, qui pro vobis & pro multis. &c.

2. Medium quo iste effectus in alios traducitur, quod est fides quâ mediante habet effectum, & in his qui præcesserunt, & in his qui sequuntur, & quantum ad hoc dicit, mysterium fidei, quod quidem potest referri ad ipsam Passionem, quæ est mysterium fidei, ut occultum quoddam latens in fide omnium Christi fidelium, & præcipuè antiquorum, apud quos quæ erant in mysterio abscondita, erant diversimodè figurata, & ad ipsum sanguinem prout in Sacramento continetur, quod quidem latet sub speciebus, & maximam habet difficultatem ad credendum. Undè antonomasticè dicitur mysterium fidei.

3 Finis ad quem perducit qui est æternorum bonorum perceptio, ad quam introducit Christus per sanguinem propriæ Passionis, in quo novum Testamentum confirmatur, non quidem promittens temporalia ut priùs, sed æterna; & quantum ad hoc dicit, novi & æterni testamenti. Et quia finis priùs est intentione, ideò fine præmisso per medium ad effectum Passionis ostendendum verba formæ perducunt.

Ex his sancti Thomæ locis constat Missam esse sacrificium propitiatorium, & maximè propter Calicis consecrationem, in quâ exprimuntur conditiones Passionis & præcipuè secundum quod operatur in Sacramentis. Siquidem in eâ conspicitor 1. effectus, qui est remissio peccatorum, quæ ibi non ponitur ut proprius effectus hujus Sacramenti, sed ut effectus Passionis quæ per consecrationem sanguinis exprimitur, ut ait S. Thomas in 4. dist. & quæst. cit. in solut. q. 3. ad 8.

2. In eadem Calicis consecratione exprimitur medium, quo iste effectus in alios traducitur, nempe fides.

5°, Denique finis, id est, salus æterna ad quam fideles ipsius passionis merito perducuntur. Unde in consecratione Calicis dicimus in personâ Christi : *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti.* Nam novum Testamentum, propriè loquendo, in Christi Sanguine, sivè incruentè oblato in Calice, sivè modo aspectabili, & cruento in Cruce effuso dedicatum & sancitum est. Hoc autem Testamentum dicitur novum, & ratione hujus Sacramenti, quod in renovatione mundi institutum est tempore gratiæ, & iterùm ratione promissionis per Sanguinem Christi confirmatæ, quæ vetus impedimentum consequendæ hæreditatis amovit ; & sic quædam quasi innovatio promissionis per mortem Christi facta est. Æternum autem dicitur Testamentum, vel ratione bonorum æternorum, de quibus est Testamentum, vel ratione hujus Sacramenti continentis Christum, qui est persona æterna, vel ratione Prædestinationis æternæ hanc gratiam præparantis, ut ait S. Thomas loco citato ad 2. & ad 3.

Cur autem potiùs in Calicis quam in Panis consecratione dicatur mysterium Fidei.

1°, Alii cum S. Thomâ dicunt, duo hæc verba in consecratione Calicis adhiberi, quia quod Sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc Sacramento, solâ fide tenetur. Reverà mysterium, ut asserit S. Joan. Chrysostomus hom. 7. in 1. ad Cor. vocatur divinum & integrum, quando non quæ videmus, aspicimus ; sed alia videmus, alia credimus. Est enim hujusmodi natura nostrorum mysteriorum. Hæc ille.

2°, Alii dicunt Calicem Sanguinis Christi esse sigillum, signaculum & munus & pignus novi Testamenti. De corpore autem hoc non dicitur, at de Sanguine solùm prædicatur, quia, ut ait Apostolus, sine Sanguinis effusione non fit remissio. Cum igitur in Calice Sanguis Christi præsens per consecrationis verba sistatur, & ejusdem ipsius Sanguinis fiat effusio mystica, & sacramentalis in remissionem peccatorum, rectè concluditur remissionem peccatorum & nostræ redemptionis mysterium, non tam in corpore, quam in Sanguine, non tam in pane, quam in Calice consummari. Undè fit ut Calix ille salutaris mysterium Fidei per antonomasiam ex Apostolorum traditione appellatus fuerit. Reverà quicquid gessit Christus, quicquid pertulit, quicquid denique meruit, ut nos è potestate tenebrarum ereptos ad æternam gloriam proveheret, illi ipsi, quem tam in cœnâ, quam in Cruce effudit, Sanguini ascribitur.

Cum igitur nostra redemptio non solùm posita sit in remissione peccatorum, quam nobis in Cruce Christus promeruit, sed etiam in resurrectione, in quâ perficietur redemptio Corporis nostri, ut loquitur Apostolus, & in ipsâ gloriâ, in quâ complebitur adoptio filiorum Dei, ad quam Deus per Christum nos prædestinavit, & ista omnia per ejusdem Christi Sanguinem in Calice consecrato effusum & ad Sanguinis effusionem in Cruce peractam relatum efficiantur, nonnè meritò ille ipse Calix mysterium Fidei per excellentiam appellari debet ?

Eam ob rem Ecclesia Dei trium præsertim mysteriorum in quotidiano suo sacrificio memoriam recolit, Passionis scilicet, Resurrectionis & Ascensionis, ut testatur S. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 6 & idem lib. 5. de Sacram. cap. 4. quod & testificantur alii Patres, ex quibus Alcuinus lib. de divin. Officiis cap. de celebrat. Missæ didicit quod tradidit his verbis : *Quid dignius*, inquit, *& salubrius fieri potest, quam ut hac mysteria frequentando memor sit Ecclesia beata Passionis, qua totius mundi peccata delevit : & quia non solum mortuus est pro nobis propter delicta nostra, sed etiam resurrexit propter justificationem nostram, ac sic mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit : memores sumus Resurrectionis quoque ejus per quam spoliavit infernum, & quando assumptus est in cælum, & viam nobis ascendendi patefecit, sumus memores etiam gloriosæ Ascensionis.* Hæc ille.

Tria illa mysteria merito Sanguinis Christi in ipso primum velut in capite exhibita in plenitudine temporum in nobis, velut in membris perficientur, ejusdem Sanguinis pretio & merito. Siquidem *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium Sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventâ*, Hebr. cap. 9.

3°, Alii dicunt in consecratione Calicis adhiberi hæc verba : *Mysterium Fidei*, eo nomine quòd ante vel post Incarnationem nemo salvari potuerit, quin in Christum, vel incarnandum, vel incarnatum atque adeò passurum, vel passum, & Sanguinis ejus pretio meritoque universum mundum ab vetustâ peccati servitute, & ab æternâ morte redemptum iri, vel jam redemptum esse crederet. Cum ergo Fides in Christum, & in redemptionem per ipsius Sanguinem efficiendam, vel effectam omni homini, ex quo omnes in Adam peccavimus ad assequendam salutem æternam necessaria fuerit, nonnè meritò Calix cui benedicimus, vel Sanguis Christi in Calice contentus, mysterium Fidei per antonomasiam appellatur ?

4°, Alii dicunt consecratum in Calice Sanguinem vocari *Mysterium Fidei*, eo quod Christus hujusmodi pignore liberaverit Fidem, quam æterno Patri de hominibus suæ mortis & Sanguinis pretio, meritoque redimendis obligaverat, & præterea ad immensi in nos amoris testificationem condiderit Testamentum novum, & consecraverit in Sanguine suo, & omnia nostræ Fidei mysteria, eodem illo Sanguine, veluti sacro sigillo per incruentum sacrificium cum ejusdem Sanguinis mysticâ effusione ab ipsomet penitus peractum, & deinceps ab Sacerdotibus ejus hac in parte vicariis peragendum obsignaverit, dedicaverit, & æternâ stabilitate donaverit : Atque ita redemptionem miserit populo suo juxta Prophetam, mandaverit in æternum Testamentum suum : rectè profectò iste Sanguis mysterium Fidei dicitur.

5°, Potest Sanguis Christi in Calice consecratus appellari *Mysterium Fidei*, eo nomine quod nos doceat Catholica Fides neminem in hac vitâ legitimè certare posse, quin sacro illo Sanguine muniatur. Et præterea neminem ad æternam Sanctorum gloriam provehendum esse, quin ad sanguinem usque peccato, & omnibus dæmonum insidiis & tentationibus restiterit. Ita ut quemadmodum Christus nihil nobis præposuit, nec, ut nos redimeret, suæ pepercit vitæ (quâ in re nimiam illam charitatem, quâ dilexit nos, testatam fecit) ita illi ipsi Christo summum rependamus amorem, nec quicquam illi anteponamus, imò & ipsam vitam, quâ secundum Deum, nihil charius habemus in terris, profundamus ejus causâ, si id occasio poposcerit, & per nostrum sanguinem ejus Sanguini adunatum per charitatem, quam in nobis per Spiritum sanctum accenderit, immortalem gloriam, ejusdem ipsius Sanguinis pretio, meritoque comparatam, eo donante, qui coronat nos in misericordiâ & miserationibus, assequamur.

Eâ de causâ Martyribus Eucharistia impertiri consueverat, ut est apud sanctum Cyprianum, *At verò*, inquit, *nunc fortibus & viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi, quos tutos contra adversarium volumus, munimento Dominica securitatis armemus : Nam quo modo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis Christiani sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus ? aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesiâ poculum Domini jure communicationis admittimus ?* Hactenùs S. Cyprianus in Epist. 54. ad Cornelium Synodi Africanæ nomine inscriptâ.

Omnibus hisce rationibus, propter quas Calis novi Testamenti mysterium Fidei dicitur, adjicere possumos & aliam. Ita nempè Calicem ab ipso Christo consecratum, & ab eodem Mysterium Fidei appellatum, eo nomine quod per ipsum illum Sanguinem nuvum Testamentum sanxerit, & Fidem in seipsum utpotè ejusdem Testamenti Mediatorem asseruerit. Igitur per Calicis consecrationem, seu per Fidei mysterium sese Christianæ & Catholicæ Fidei Authorem & Consummatorem liquidò declaravit, & quod in veteris Testamenti promulgatione per sanguinis effusionem adumbratum fuerat, exhibitâ sui Sanguinis effusione repræsentavit. Sicut enim in institotione prioris Testamenti taurorum sanguinem in duodecim crateras, quibus repræsentabantur duodecim Tribus Israël, qui erat secundum carnem, effundi voluit: ita etiam in instituendo, sanciendoqoe novo fœdere, seu Testamento suum Sanguinem suâ veritate novi Testamenti veritatem penitùs adæquantem non jam in duodecim crateras Israël secundum carnem significantes, sed in Apostolorum Israël Dei repræsentantium ora & pectora effundi voluit. Et quemadmodum præfata sanguinis in duodecim crateras effusio ab taurorum immolatione differebat: ita & lex in incruento sacrificio, Christi Sanguinis effusio ab ipsâ, quæ in Cruce peracta est, effusione distinguitur. Nam præfatorum craterum effusio extrinsecùs populum aspersit, prout sanctificatio Legis, & antiqui fœderis extrinsecùs dumtaxat celebrati ratio ferebat; Hæc autem Sanguinis effusio, quâ conditur, & sancitur novum Testamentom sactiatur intrinsecùs, & io novi, redemptique populi corda trajicitur. Veteris denique Testamenti sanguis non remittebat peccata, sed Christi Sanguis pro multis, attestante Christo, io peccatorum remissionem effunditur: si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis Sanguis Christi, qoi per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam oostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Heb. c. 9. vers. 13.

Recapitulatio Doctrine superioris.

CUm animadverteremus Catholicos impietatis & abominationis accusari, eo nomine quod ex Apostolicâ traditione incruentum Missæ sacrificium propitiatorium esse contenderent, hunc articulum fidei eo ardentiùs & solidiùs judicavimus propugnandum, quo acerbiùs & stolidiùs ab Calvini stolonibus oppugnaretor.

Revera probavimus illum ipsum fidei articulum omnibus modis, quibus ab nostratibus Theologis probari debet & potest.

1°, Illum probavimus authoritate sanctorum Patrum, quibus nemo prudens fidem abrogare potest, tum propter antiquitatem, tum propter authoritatem, quam sibi ab multis sæculis eximiâ singularis pietatis, eruditionisque laude pepererunt. Eorum verba eum locis, è quibus sunt excerpta, protulimus.

2°, Idipsum probavimus ex Liturgiis sanctorum Basilii, Gregorii Naz. & Chrysostomi.

3°, Ex precibus Ecclesiæ exemplo S. Augustini, qui olim hujusmodi preces, velut arma victricia corripuit, cum veritatem prædestinationis & gratiæ adversus Pelagianos asseruit.

4°, Eandem illam veritatem astruximus ex consecrationis verbis, qoibus Calix Sanguinis in remissionem peccatorum effundi disertè, nominatimque declaratur.

5°, Id etiam probavimus ex eo quod Calix ille Sanguinis Christi mysterium Fidei per antonomasiam appellatur.

His ita constitutis revertamur ad syllogismum debellandis hac in parte Hæreticis idoneum, nisi terribilem in modum excæcati oblatum veritatis lumen, ut hactenùs, repudiare pergant. Sic igitur argumentati sumus.

Ubi est Victima & Sanguis effusus in remissionem peccatorum, ibi est sacrificium propitiatorium.
Atqui in Eucharistiâ est victima, & Sanguis effusus in remissionem peccatorum.
Ergo in Eucharistiâ est sacrificium propitiatorium.

Hujus syllogismi majorem negari non posse diximus, & reverà eam, vel ab pervicacissimus Hæreticis admitti necesse est.

Undè in probandâ minore totam posuimus operam, ut videre est. Et hanc esse doctrinam ab Apostolis ad nos usque transmissam testantur antiquissimi quique Patres, qoos suprà citavimus, quorum testimoniis adjicere juvat S. Ambrosium ita loquentem lib. 4. de Sacr. c. 6. *Si quotiescumque, inquit, effunditur Sanguis in Christi remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere.* Hæc ille.

Cum hactenùs doctrinam Orthodoxam statuerimus, nunc operæ pretium est respondere Heterodoxis nostrum sacrificium oppugnantibus hoc syllogismo, quem invictum existimant.

Si, inquiunt, sacrificium in Cruce peractum sufficit ad obtinendam remissionem peccatorum, nullum aliud ad hunc effectum adhiberi potest, quin illi blasphemia irrogetur, aut certè illi ipsi derogetur.
Atqui certum est secundum Scripturas sacrificium in Cruce peractum sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum.
Ergo nullum aliud ut putà sacrificium Missæ ad hunc effectum adhiberi potest, quin eidem illi sacrificio Crucis irrogetur blasphemia, vel certè illi derogetur.

Ut respondeamus in formâ, concedimus sacrificium Crucis esse satis, superque sufficiens ad obtinendam peccatorum remissionem, sed distinguimus alteram majoris istius partem, aientem, nullum aliud sacrificium offerri posse ad obtinendam remissionem peccatorum, qoin illi (sacrificio Crucis) irrogetur blasphemia. Si enim Hæretici per aliod sacrificium intelligunt aliud sacrificiom, tam propter Hostiæ, quam offerentis differentiam ab Crucis sacrificio distinctum, quod ad obtinendam remissionem peccatorum requiratur, quasi eam ad rem non sufficeret sacrificium Crucis; fatemur per hoc sacrificium, si admitteretur blasphemiam, & quidem maximam irrogatum iri sacrificio Crucis. Verum si per aliud sacrificium intelligant incruentum Missæ sacrificium, quod unum & idem est cum sacrificio Crucis, tam quoad Hostiam, quàm quoad offerentem solâ scilicet offerendi ratione ab eo distinctum, si, inquam, id ita intelligant, & nihilo seciùs contendant sacrificium Crucis ita sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum, ut illud ad hunc effectum nequidem applicari oporteat, negamus istius majoris sequelam.

Ad minorem verò dicimus reipsâ sacrificium Crucis esse sufficientissimum ad obtinendam peccatorum remissionem, sed cum distinctione id asserimus, si enim illod ipsum Crocis sacrificium spectetur in semetipso, id est, in potentiâ pretii, ut loquitur S. Prosper, satis, superque sufficit ad omnimodam remissionem omnium peccatorum, quæ umquam ab hominibus, vel admissa sunt, vel admitti potuerunt: sed si consideretur respectu fidelium, sive etiam omnium hominum, negamus sufficere singulis ad salutem, nisi illis ejus pretium & meritum, per media

divinitùs instituta applicetur. Ut autem meliùs & illustriùs Catholica veritas eluceat, nonnulla sunt observanda.

Prima Observatio.

1°, Igitur observandum est sacrificium Crucis & Missæ sacrificium esse unum & idem, quoad substantiam, ita ut unum & idem illud sacrificium à semetipso secundum diversam offerendi rationem differat. Quod ut meliùs appareat, juvat explicare in quibus cruentum Crucis sacrificium ab incruento Missæ sacrificio conveniat, & in quibus ab illo ipso distingui debeat.

In tribus incruentum Missæ sacrificium cum cruentâ Christi Domini immolatione in Cruce peractâ convenit: in principali scilicet offerente, in ejusdem victimæ oblatione, & in eodem oblationis fine.

Quod spectat ad offerentem, certum est, tam in Cruce, quam in Altari Christum esse primarium Sacerdotem, qui utrobique se in sacrificium offert æterno Patri. Hæc est indubitata Conciliorum & SS. Patrum doctrinâ, ut patet ex Concilio Lateranensi 3. sub Innocentio Papâ III. cap. Firmiter. *Christus idem ipse est Sacerdos & sacrificium.*

Idem decernitur in Concilio Florentino sub Eugenio Papâ IV. in decreto unionis; *Sacerdos in personâ Christi loquens, hoc mysterium conficit.*

Idem asseritur in Concilio Tridentino sess. 22. c. 2. *Una, eademque est Hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum in Cruce obtulit.* aiunt istius Concilii Patres.

Hanc doctrinam ante hujusmodi Concilia tradidere SS. Patres, S. Cyprianus Ep. 63. S. Joann. Chrysostom. homil. 83. in Matth. S. Ambrosius lib. 1. Officior. cap. 48. Item in Psal. 38. in hæc verba: *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* S. August. lib. 10. de civit. cap. 20. *Per hoc*, inquit, *Sacerdos est, ipse offerens, ipse oblatio, cujus rei Sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium.*

2°, Missæ sacrificium in eo convenit cum sacrificio Crucis, quod utrobique eadem offeratur victima, ut suprà ex S. Joanne Chrysostomo id perspicuè declarante hom. 17. in Epist. ad Hebræos, vidimus.

3°, In cruento & incruento sacrificio Christus eumdem sibi proposuit finem, id est, redemptionem populi sui, quem ab æterno per suæ Crucis meritum ab peccatis ipsius liberare, & in hæreditatem Sanctorum, de quâ dejectus fuerat per primi hominis peccatum, restituere, & postliminiò revocare decreverat. In his tribus Capitibus convenit incruentum Missæ sacrificium cum sacrificio Crucis, sed ab ipso in tribus aliis Capitibus secernitur.

1°, Quod Christus in Altari, hoc est, in incruento Missæ sacrificio sub specie panis & vini, quæ veræ, licet latentis Hostiæ signa sunt, offeratur; in Cruce verò ille ipse Christus in propriâ specie fuerit immolatus.

2°, Quod in Missa immoletur per mysticam oblationem, in Cruce verò per realem, physicamque mortem oblatus fuerit.

3°, Denique quod Christus utrobique, hoc est, tam in Altari, quam in Cruce sese offerat, cum eo tamen discrimine, quod in Cruce se solus & per semetipsum obtulerit æterno Patri, at in incruento Missæ sacrificio suam ipsius oblationem, vel continuatam, vel iteratam, Sacerdotum, quos ipse instituit, ministerio peragat.

Observatio secunda.

Nemini Catholico latet Christi semet immolantis sacrificium, sivè cruento modo peractum fuerit, ut olim in Cruce, sivè incruento ritu peragatur, ut in Altari quotidiè spectasse, & etiamnum spectare redemptionem, quam quidem Christus suâ Cruce & morte promeruit, & nobis per diversa media, & imprimis per incruentum Missæ sacrificium communicari voluit.

Undè Eucharistia non est dumtaxat purum nudæ, simplicisque cujusdam commemorationis sacrificium. Nam ad alios, & multò plures usus assumitur religionis sacrificium, quam nudæ commemorationis sacrificium adhibeatur. Quapropter asserunt omnes Catholici sacrificium Crucis esse sacrificium redemptionis ex se, & ex suâ virtute, non autem per alterius applicationem ad commemorandum & applicandum Crucis sacrificium, & ut per illius commemorationem & applicationem perpetuus latriæ cultus exhiberetur Deo: atque ita oblatio Christi omnis creaturæ primogeniti, cui subjiciuntur omnes creaturæ, sic tamquam capiti, illi adhiberetur, ut supremo rerum omnium Domino, & illa ipsa oblatio nobis perpetuum Redemptionis, non quidem primariæ & originalis, sed secundariæ, ut ita dicam, & applicandæ medicamentum foret. Undè hoc discrimen intercedit inter sacrificium, cui originalis Redemptio ex ipsiusmet virtute profecta ascribitur, & inter Religionis & Redemptionis applicativæ, ut ita dicam, sacrificium, quod sacrificium primariæ Redemptionis semel dumtaxat offerri potuerit; sacrificium verò Religionis in perpetuum celebrari oportuerit.

Undè S. Augustinus, explicans illa verba Psalmi 39. *Sacrificium & oblationem noluisti*: sic loquitur: *Sacrificium*, inquit, *& oblationem ideò noluisti. Quid ergo nos jam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? absit. Corpus autem perfecisti mihi. Ideò illa noluisti, ut hoc perficeres: illa voluisti antequam hoc perficeres.* Et paulò post. *Hoc* (Corpus scilicet immolandum) *promittebatur quibusdam signis, ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. In hoc corpore sumus, hujus corporis participes sumus, quod accipimus, novimus, & qui non nostis noveritis, & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.*

Hactenùs S. Augustinus sacrificium Christianorum insigniter probat per hæc potissimum verba: Nos jam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit. Per illud tempus non potest intelligi tempus illud quo Christus voluntariâ sui oblatione cruentum sacrificium in Cruce consummavit, tum quia S. Augustinus quadringentis propè annis post Crucis sacrificium sua opera edidit. Tum quia illud ipsum Crucis sacrificium nulli tempori est affixum, nulli Legi singulariter alligatum, sed inter veterem, novamque legem interjectum, & sic tamquam in Meditullio constitutum, in quantum ejus fructus utrique Legi communis extitit, & Christus Jesus peræquè mortuus est pro fidelibus, qui ipsius in terras adventum, in naturæ & Mosis Lege antecesserant, ac pro iis, qui in Lege gratiæ vivunt & moriuntur. Et hæc est vera ratio, propter quam in Apocalypsi Agnus ab origine mundi occisus prædicatur.

Constat igitur ex S. Augustino nos habere sacrificium, quod alibi quotidianum Christianorum sacrificium appellat. Et revera cum in omni Lege, in omni gente, quantumvis barbara & execœcata instituta fuerint sacrificia, vel Deo vivo & vero, vel dæmoni sibi divinos honores insolenter arroganti offerenda, an credibile est Christum Jesum, qui est summa Sapientia, ita condidisse novum Testamentum, & ita ædificasse Ecclesiam, quam suo Sanguine acquisierat, ut nullum in eâ sacrificium relinqueret? Meliùs & sanctiùs de Christo sentiendum & loquendum est. Nam omnes omninò rationes propter quas olim sacrificia Deo æterno, vivo & vero offerri oportuit, vigent etiamnum, atque adeò ad sacrificia Deo adhibenda homines incitare debent; & eas rationes Christus, qui est summa ratio, vi-

dit, introſpexit. & earum intuitu, illud ipſum quod propugnamus ſacrificium, inſtituit.

Nam primò, ſi ſacrificia externa ab hominibus exigit Deus, ut externa oblatione teſtatam faciant omnimodam ab ſummâ ejus poteſtate & dominatione dependentiam, an ab illo Religionis officio eximendi ſunt homines novi Teſtamenti, perinde ac ſi talem dependentiam profiteri non tenerentur. Abſit.

2o, Si Deo ſacrificare oporteat ad referendas gratiarum actiones, pro innumeris muneribus & beneficiis, quibus hominum genus (alioquin æternâ morte mulctandum) olim cumulavit, & in dies cumulat, an ab eâ ſacrificandi obligatione abſolvendi ſunt homines, per novum Teſtamentum ſingulari quadam ratione & beneficentiâ ipſi Deo & Chriſto Domino addicti, conſecrati, mancipati? Nullatenus. Niſi enim Chriſtiani Chriſto Domino, ſic tamquam veræ viti per Baptiſmum, veluti palmites inſiti, & omnium gratiarum, quas ſuo Sanguine & morte promeruit, participes effecti, haberent aliquod ſacrificium, per quod beneficiorum acceptorum ab ipſo Deo per Chriſtum, memoriam ſuis in animis viviſcere teſtarentur, viderentur omnium nationum, vel ingratiſſimi, vel miſerrimi, quippè qui carerent ſacrificiis, per quæ innumerabilia beneficia, quibus per Incarnationem, & Chriſti Crucem ſunt locupletati, cognoſcerent, & pro ſuarum virium modulo ſuo creatori, per humillimam gratiarum actionem rependerent. Nam univerſæ gentes, vel in ipſo Barbariæ ſinu educatæ, vel vero Deo, vel ſuis idolis per ſacrificia de acceptis beneficiis gratias egerunt. Quis igitur Chriſtianos aliquo haberet numero & loco, ſi nullum offerrent Deo vivo & vero ſacrificium, pro tot & tantis beneficiis, quibus ſingulari privilegio, omnes totius orbis populos infinitis partibus antecelluerunt?

3o, Si Deo ſacrificium eſt offerendum ad impetranda æternæ ſalutis adjumenta, & alia auxilia, quibus paſſim indigemus: quis Chriſtianos, quaſi hujuſmodi auxiliis nihil indigerent, ab offerendo Religionis ſacrificio eximendos eſſe aſſerere audeat? Nam etiamſi potuerit Chriſtus per incruenti ſacrificii oblationem quælibet à Deo, & pro quibuſcumque petere, impetrare: tamen petere noluit, nec impetrare, niſi ut pro ſingulis oblationibus applicaretur certa menſura fructus Paſſionis ſuæ, ſivè ad peccatorum remiſſionem, ſivè ad alia auxilia, quibus opus eſt nobis ad ſalutem, ſivè ad alia beneficia, quibus in hac vitâ indigemus, videtur autem Chriſtus id voluiſſe, tum ut hoc modo frequentaretur hoc ſacrificium, ſine quo Religio conſiſtere non poteſt: tum quia id requirebat ordo divinæ Providentiæ, quæ eſt etiam cauſa, cur Chriſtus aſſiduè pro nobis interpellet in cœlo, cum tamen videatur unicâ interpellatione potuiſſe omnia ſtatim impetrare. Eamdem ob cauſam pretium infinitum, quod in Cruce acquiſivit, quo totus mundus continuò ſalvari potuiſſet, non niſi quibuſdam & in certâ menſurâ applicari voluit. Horum enim omnium cauſa eſt, quia voluit Chriſtus omnia fieri ſecundum ordinem divinæ Providentiæ. Hactenùs Bellarm. lib. 2. de Miſsâ, capite 4. exeunte.

Obſervatio tertia.

In hoc conveniunt Catholici, quod omnes uno animo, calamoque profiteantur cruentam Chriſti oblationem in Cruce factam diſtingui ab incruentâ in Altari fieri ſolitâ, eo nomine quod illa ſit cauſa univerſalis meritoria noſtræ redemptionis & gratiæ quæ nobis communicatur ad ſalutem: hæc verò (incruenta oblatio) ſe habeat ad peccatorum remiſſionem, & ad alia æternæ ſalutis adjumenta, ſicuti particularis cauſa, per quam fructus & meritum cruenti ſacrificii (quem verum & inexhauſtum Redemptionis noſtræ fontem appellamus) nobis ſingulariter applicatur; ut ſuprà vidimus ex Concilio Tridentino.

Quomodo autem per incruentum Miſſæ ſacrificium fiat applicatio meritorum, quæ Chriſtus nobis ſuo Sanguine in Cruce effuſo comparavit, diſputant Theologi, quorum nonnulli aiunt ſacrificium Miſſæ habere vim ex opere operato ad modum Sacramentorum: alii idipſum impugnant, & dicunt ſacrificium Miſſæ non juſtificare immediatè ad inſtar Baptiſmi & Abſolutionis, ſed donum Pœnitentiæ impetrare, per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, & per illud juſtificetur. Undè fit ut illi omnium optimè dicant, qui contendunt totam Miſſæ efficaciam per modum impetrationis, ad homines verè contritos & pœnitentes, ut aſſerit Concilium Tridentinum, derivari.

Hanc doctrinam luculenter explicat S. Thomas in 4. ſent. diſt. 1. 2. q. 2. art. 2. in ſolut. quæſtione 2 in corp. Ad ſecundam quæſt. dicendum, inquit, quod effectus Sacramenti reſpondet his quæ exteriùs in Sacramento geruntur, exteriùs autem uſus hujus Sacramenti eſt per manducationem, quæ non debetur niſi rei viventi: & ideò effectus hujus Sacramenti præſupponit vitam in ſumente: & quia peccatum mortale vitam ſpiritualem tollit, ideò hoc Sacramentum non eſt ad abluenda peccata mortalia in ſumentibus, ſed illos ſolùm defectus, qui cum vitâ ſpirituali eſſe poſſunt.

Et ibid. ad 4 idem S. Thomas ipſam rem pleniùs illuſtrat: Ad quartum, inquit, dicendum, quod Euchariſtia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam ſacrificium: in quantum autem eſt Sacramentum, habet effectum in omni vivente, in quo requirit vitam præexiſtere, ſed in quantum eſt ſacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentiâ tantùm: & ideò ſi eos diſpoſitos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri ſacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit: & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. Et quod in contrarium dicitur, quod non offertur niſi pro membris Chriſti, intelligendum eſt pro membris Chriſti offerri, quando offertur pro aliquibus, ut ſint membra Chriſti.

Ex duobus illis S. Thomæ locis conſtat Euchariſtiam ſub ſacrificii ratione conſideratam delere peccata in his hominibus, qui ejus celebrationi interſunt ſicut oportet, diſpoſiti, non quidem ut cauſam proximam, ſed in quantum dumtaxat gratiam contritionis eis impetrat.

Si quis quærat, quomodo diſpoſitos eſſe oporteat eos qui per Miſſæ ſacrificium quod frequentant, ut illius virtute gratiam contritionis obtineant?

Reſpondeo, hujuſmodi diſpoſitiones inſigniter expreſſas reperiri in Concilio Tridentino ſeſſione 22. cap. 2. *Docet*, inquiunt iſtius Concilii Patres, *ſancta Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Hactenùs Concilium Tridentinum loco citato.

His ita obſervatis tria proponimus, quorum

Primum eſt incruentum Miſſæ ſacrificium eſſe unum & idem cum ſacrificio Crucis, quoad Hoſtiam, & quoad principalem offerentem, nempe Chriſtum, & ab eo differre dumtaxat quoad offerendi modum.

Secundum, quod ex his obſervationibus colligimus, in eo poſitum eſt, quod Chriſtus in ipſo Crucis & Miſſæ ſacrificio ſibi propoſuerit Redemptionem populi ſui.

Tertium denique, quod ſacrificium Crucis eſt fons & caput

& caput nostræ Redemptionis, quam per incruentum sacrificium præscitum, nobis Christus applicari voluit.

Ex primo Capite contendimus adversus Hæreticos per incruentum Missæ sacrificium nullam irrogari sacrificio Crucis injuriam aut ipsi, vel tantillum derogari. Imò sacrificium Crucis per illud ad summum honoris fastigium provehi. Nam etsi incruentum illud sacrificium celebretur, & ejus celebratio in Ecclesiâ crebrò repetatur, contendimus tamen sacrificium Crucis esse tantum & tot meritis conspicuum & prædictum, ut ultrà illud nullum aliud ad Redemptionis meritum expetere liceat. Ac reipsâ quidem post illud nullum aliud requiri potest ad pretium Redemptionis nostræ, vel acquirendum, vel augendum. Quisquis igitur tale sacrificium peteret in lege gratiæ, maximam injuriam Christi Salvatoris Cruci irrogaret. Undè si sacrificium habemus in lege novâ, non solùm non derogat abundanti Redemptioni Christi, verùm potiùs eam in nobis perficit & applicat. Cum igitur Apostolus ait unâ oblatione Christum in sempiternum consummasse sanctificatos, loquitur de sacrificio cruento mortis Christi, per quod sufficiens pretium peccatorum nostrorum solutum est, & de hoc affirmat esse unicum tantum, neque posse iterari sicut vetera sacrificia. Undè illud Hebræor. capite 10. v. 18. jam non est oblatio pro peccato.

Secundò ex nostris observationibus colligimus Christum in sacrificio Crucis, & in sacrificio Missæ sibi proposuisse populi sui Redemptionem quam in Cruce, velut sempiternum & inexhaustum omnis benedictionis fontem promeruit & consummavit, & per sacrificium Missæ nobis singulariter applicari voluit. Et hoc est

Tertium Caput, quod ex nostris observationibus intulimus.

Præfatæ applicationis veritas & necessitas astruitur.

QUod spectat ad veritatem dictæ applicationis perspicua est, neque ullo Apostoli loco labefactari potest, ut contendunt adversarii.

Si enim objiciunt illum ejusdem Apostoli locum Hebræor. 9. v. 25. *Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per Hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Si objiciant alia Apostoli testimonia deprompta ex cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, & inprimis eum locum: *In quâ voluntate* (Patris æterni) *sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens Hostias, quæ numquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens Hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Ista & alia quæ proferri possent Apostoli testimonia, quæ nos unicâ dumtaxat oblatione redimi potuisse significant, nihil prohibent quominùs Christus Jesus sese assiduè offerat in cælo aliâ quapiam ratione, quâ se olim obtulit in Cruce, nihil etiam prohibent quominùs sese indesinenter offerat in Altari aliâ ratione discrepante ab eâ, quâ sese in Cruce obtulit, sicut & ab eâ quâ sese in cœlo etiamnum offerre non desinit. Nam, ut ait ille ipse Apostolus in eadem ad Hebræos, Epistolâ Christus Jesus cum ascendisset in cælum, ubi sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, offert Patri, imò ut Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech suam Hostiam, seu suam ipsius personam & mortem in Cruce semel oppetitam offerre pergit. Rectè igitur eadem Hostia offerri potest in terris, & usque ad consummationem sæculi ejus oblatio continuari: Ita ut Christum sæpiùs mori non oporteat, nec id repugnet effatis, quibus oblationem semel in Cruce ab Christo Domino peractam Apostolus asserit.

Semel sese Christus obtulit in Cruce ad promerendam nobis Redemptionem, quam reipsâ promeruit: & sese indesinenter offert in cœlo & in Altari, quò nobis eam, quam in Cruce promeritus est, Redemptionem applicet.

Atque ita sacrificium Missæ non est institutum in eum finem, ut Redemptionem jam Christi Domino meritò comparatam promereretur, sed ut illam nobis applicaret.

Unicum Crucis sacrificium nihil obstat, quominùs in Lege plura fuerint sacrificia, quæ & illud adumbrarunt, & ejus virtutem applicuerunt, & ipsa sacrificia ad peccatorum remissionem fuerint adhibita. Undè & sacrificia pro peccato dicebantur, eo quod Deus in istâ Lege ab hominibus celebrari voluerit, ut sibi ipsius Filii meritum & fructus mortis applicarent, inter quos peccatorum remissio tantum non principem sibi locum vindicat.

Ita planè sacrificium Crucis nihil prohibet, quominus in novâ Lege extet sacrificium quod nobis remissionem peccatorum Christi meritò comparatam applicet.

Prætereà, si in novâ Lege remissio peccatorum & alii fructus mortis ejus per Baptismum, per contritionem, per eleemosynas, & per alia pietatis opera derivantur ad nos, quidni per sacrificium Altaris nobis communicari poterunt?

Porrò quemadmodum sacrificium Crucis alia sacrificia, quæ illud antequam offerretur, prænuntiarent & promitterent, antecedere debuerunt: Ita oportuit alia offerri sacrificia, quæ illud subsequerentur utpotè ad retinendam, & in omnia tempora propagandam ejus jam ab Christo in Cruce consummati memoriam instituta.

Quicquid obstrepant adversarii, conticescent, si doctrinam Catholicam ab SS. Patribus & Theologis ab omni ævo traditam audire velint. Hanc præ cæteris G. Estius, insignis Apostoli interpres, explanavit in c. 10. Ep. ad Hebr. explicans quippè hunc locum: *Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; sic rem totam edisserit; Dicendum igitur, inquit, unam Christi oblationem in Cruce peractam, cujus virtute secundum Apostolum fit omnis sanctificatio, nequaquam excludere Missæ sacrificium, sicut excludit veteris Legis sacrificia. Nam sacrificium Missæ, cum ex suâ institutione sit subordinatum sacrificio Crucis, & quidem eo modo, ut per ipsum virtus sacrificii Crucis ad nos derivetur, nobisque applicetur: non est habendum tanquam ab illo diversum Neque enim sanctificandi, aut Deum propitiandi vim ei tribuimus, nisi dependenter ab illo cruento sacrificio, cujus est commemorativum, præcipiente Domino; *Hoc facite in meam commemorationem*. Vetera autem sacrificia, quoniam sacrificio Crucis non erant subordinata, id est, non sic instituta, ut ad illam unam in Cruce factam oblationem, à quâ sanctificandi vim acciperent, referrentur; idcircò non debent unum cum eâ reputari, sicut Missæ sacrificium; sed simpliciter diversa Quare ex unâ oblatione Christi consummativâ, rectè sequitur vetera sacrificia non potuisse peccata auferre, & proindè cessare debuisse. Nec tamen eadem est de sacrificio Missæ consequentia. Nam sacrificium Missæ in Cœnâ à Christo institutum & peractum dependebat ab oblatione, quæ facta est in Cruce, & nonnisi per illam fuit acceptabile. Undè cum Apostolus locò citato ait, unâ oblatione in sempiternum fuisse sanctificatos, intelligendus est de oblatione, quæ peracta est in Cruce,

per quam utpotè primatiam, & ab quolibet alio sacrificio independentem perficitur, & olim perfecta est omnis sanctificatio. Quemadmodum enim nemo sanctificari potest nisi per meritum Christi in Arâ Crucis semel immolati; ita priscis illis temporibus, quibus promittebatur ipse Christus, nec dabatur utpotè qui in plenitudine temporum incarnandus erat, nulla fuit sanctitas, aut vera justitia, nec esse potuit, quin veluti fructus ex salutari Crucis ejus arbore decerperetur.

Hactenus stabilita est prædictæ applicationis veritas, nunc ejus necessitatem aperire necesse est. Hanc luculenter astruit Concilium Tridentinum, sess. 6. de justific. cap. 3. Verum, inquit, etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur. Nam sicut reverà homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum eâ propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant; ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum Passionis ejus, gratiâ quâ justi fiunt, illis tribuatur.

Hæc ibi Concilium, quod & ejusd. sess. cap. 7. declarat, quo præsertim tempore fiat hujusmodi applicatio. Quamquam, inquit, nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret, undè in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Nam Fides, nisi ad eam Spes accedat & Charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit.

Hactenùs Concilium satis, superque declaravit applicationis meritorum Christi in Cruce immolati necessitatem, & quomodo, & quando fieret.

Fit nimirùm hujusmodi applicatio per veram pœnitentiam, per eleemosynas, per alia pietatis opera, quibus ejusdem ipsius applicationis adminiculo vitam promeremur æternam.

Præfatam applicationem non solùm per veram cordis contritionem & eleemosynas, & alia pietatis opera, sed etiam per Altaris sacrificium & Sacramentum factitari nihil implicat Nam ut anteà probavimus, sacrificium Altaris nobis, si illi, sicut oportet, afferimus, importat remissionem peccatorum, in quantum hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Et tunc meritum Passionis Christi nobis applicatur ad justificationem. Si autem justificati & reconciliati Deo per Christum nos inter tremenda mysteria per illum, & in illo offeramus æterno Patri in holocaustum, tunc nobis illud ipsum Passionis Christi meritum ad Fidei, Spei & Charitatis, ad novam denique gratiæ accessionem & incrementum applicatur.

Adversarii hanc ipsam meritorum Christi applicationem Eucharistiæ ascribere non detrectant, imò perspicuè profitentur, ut legere est apud Calvinum lib. 4. Institut. cap. 18. § 3. apud Molinæum in libr. qui inscribitur, Papismi novitas ex Typographiâ Genevensi, ann. 1627. lib. 9. c. 5. & 6. p. 338 & 339. Apud Dallæum in Apol. in reformatar. Ecclesiarum gratiam elaboratâ impressâ ann. 1641. p. 68. affirmat cum Mestrezatio, Drelincourtio, & Aubertino suis Approbatoribus nobis per Eucharistiam legitimè celebratam omnes cæli thesauros, Christi Carnem & Sanguinem peccatorum remissionem, conscientiæ pacem, animæ sanctificationem, jus denique ad beatam immortalitatem communicari.

Aubertinus in lib. de Eucharistiâ ... cum S. Ambrosio redemptionem effe... guinem nobis per Sacramentum Sanguinis ... & peccatorum remissionem comparatam ... Eucharistiam communicari. Faucherius libr. 6. de Cœnâ, capit. 18. pagin 579. disertè asserit in sacrâ Cœnâ meritum sacrificii Crucis nobis in remissionem peccatorum, in sanctificationem & vitam æternam communicari.

Excitatis Adversariorum locis patet nos per Eucharistiam assequi remissionem peccatorum, eamque ... bis hanc in usum & finem esse donatam: Ergò si Eucharistia pretiosissimum est donum, quod ab ... Deo accepimus, & ab ipso acceptum illi offerre ... sumus, quidni & illud ad ipsum propinandum ... candumque, & ad impetrandam remissionem ... torum illi offerre poterimus?

Præterea cum doceant Adversarii per fractionem Corporis & per effusionem Sanguinis Christi remissionem peccatorum, quæ in sacræ Cœnæ institutione commemoratur, oblationem & immolationem ... ratam & mysticam in Eucharistiâ intelligi oportere, nonnè nobiscum hac in parte consentiunt & quicquid in hac controversiâ flagitamus, annuunt? Non enim hîc disputamus de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia, quam suprà satis, superque probavimus; sed hîc dumtaxat quæritur, utrum Eucharistia Deo in peccatorum remissionem offeratur. Quod quidem sufficit ad astruendam veritatem, quâ Eucharistiam oblationem veram & propitiatoriam esse contendimus, qualicumque dote fulgeat, sivè reipsâ, & verè Corpus & Sanguinem Christi contineat, sivè non contineat. Quemadmodum Hostiæ legales erant propitiatoriæ, tametsi non continerent Corpus & Sanguinem Christi, ex quibus velut ex unico fonte remissio peccatorum in omnia hominum genera derivatur. Ut observat Cardinalis Richelius in suâ methodo.

Si quis inde inferre velit supervacaneum esse Missæ sacrificium ad applicandum Passionis Christi meritum & ad obtinendam peccatorum remissionem cum alia suppetant, per quæ illud ipsum Passionis Christi meritum applicari, & remissio peccatorum impetrari valeat, ut putà per Baptismum, per veram pœnitentiam, per eleemosynas, & alia id genus, ineptè proculdubio ratiocinabitur. Quis enim vel tantillum oculatus non videt multiplicitatem mediorum ad unum, eumdemque finem collineantium nullam importare contradictionem? Tantum enim abest ut mirabilis illa præsidiorum ad vitam æternam perducentium varietas tendat ad contradictionem, ut ex adverso nobis præbeat uberrimam segetem & materiam admirandi opes divinæ bonitatis, quæ quidem eo præsertim nomine, ut cum maxime prædicanda est, quod per tot adjumenta hominibus suppeditata, relictaque mollem, planam, facilemque ad æternam fœlicitatem viam, alioquin arduam, clivosam, difficilemque omnibus aperiat.

Quisquis igitur ita ratiocinaretur, dignus esset, cui Christus os occluderet iisdem verbis, quibus patremfamilias querulum vinitorem increpavit: *An oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum?*

Quemadmodum igitur poculum istud salutare (Sanguinis Christi) nisi bibatur, non medetur, ut ait sanctus Prosper: ita & meritum Passionis Christi non medetur, nisi applicetur, & per Baptismum, & per Altaris sacrificium, & per alia media ad factitandam hanc applicationem divinitùs instituta.

Objiciunt Adversarii: si eo quod per Missam seu Eucharistiam mortis Christi virtus nobis applicatur in remissionem peccatorum, & mortis ejusdem memoria annuntiatur, Missa est verum, propitiatoriumque sacrificium: à pari Baptismus & prædicatio Evangelii erunt vera & propitiatoria

sacrificia, quia in eis mors Christi nobis annontiatur & applicatur. Ergo adeò Missæ sacrificium non est propitiatorium, ut etiam sit omnino supervacaneum.

Respondemus hoc argumentum nihil concludere in sacrificium Missæ, imo & in ipsos adversarios strenuè retorqueri posse: Nam si dicant Missam non posse appellari sacrificium propitiatorium, eo nomine, quod per illam Passionis Christi meritum (quod communicatur per Baptismum, & alia media) nobis applicatur, imò esse supervacaneam.

Dicam pariter supervacaneam esse Cœnam Domini, quia Passionis Christi meritum satis per Baptismum applicatur: inò & ipsum Baptismum esse supervacaneum, eò quod solâ prædicatione verbi possit excitari Fides, per quam illud ipsum meritum Passionis Christi credentibus communicatur; Quod cum adversarii concedere nequeant, nos vicissim asserimus cum Ecclesiâ Catholicâ Missam esse verum, propitiatoriumque sacrificium, ita ut propitiatorii sacrificii nomen, Baptismo, prædicationi, bonis operibus, & aliis id genus, quibus meritum Passionis Christi communicatur, attribui non possit. Nam Missa instituta est a Christo ceu sacrificium Religionis, per quod debitus Deo latriæ cultus usque ad sæculi consummationem exhiberetur, & Passionis ejus memoria recoleretur, & ejusdem Passionis virtus & meritum, licet per alia etiam media communicandum, peculiari quadam ratione nobis applicaretur. Cætera autem à nobis proximè commemorata, tametsi ad applicandum Passionis Christi meritum sint ordinata, non sunt tamen instituta, ut eodem modo, quo Missa, id est, veluti sacrificia Deo, ceu supremo necis & vitæ dominatori & arbitro extrinsecùs oblata, illud ipsum Passionis Christi meritum nobis applicarent.

Quamvis igitur per alia media, quam per Missæ sacrificium Passionis Christi meritum nobis applicetur, non tamen supervacaneum censeri, aut appellari potest: quia præterquam quod placuit Deo, varia instituere media (quibus faciliùs, suaviùs, & pleniùs Passionis Christi fructus perciperemus) inter quæ Missa non postremum obtinet locum: illud etiam ad ejus laudem & necessitatem asserendum est, quod ipsâ sublatâ, & ex orbe Christiano, ut Hæreticis placet, revulsâ, tota pariter Religio Christiana, quæ sine sacrificio consistere non potest, sicut nec ulla, seu vera fuerit, seu falsa ab orbe condita constitit, aut consistere potuit, omni ex parte labefactata concideret. Quæ ratio, vel si sola suppeteret, omnes penitùs Hæreticorum, tam temerè & impudenter in Catholicorum Missam grassantium cavillationes, objectiones, argutias, & contumelias obtereret: nisi animo indurato, & ad omnem errorem projecto, Catholicorum dogmatum veritatem, quam assiduo & inexpiabili bello lacessunt, à se, suisque procul amandarent.

Porrò *Evangelium est virtus Dei ad salutem omni credenti*; quia *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Ait Apostolus, Romanor. 1. vers. 16. & Roman. 10. vers. 17. Baptismus est lavacrum aquæ in verbo vitæ, quo per gratiam Salvatoris regeneramur ad salutem. Eucharistia est cibus nutriens ad vitam æternam, & est prætereà pignus & divinum quoddam semen futuræ Resurrectionis, & ideò ab sanctis Patribus pharmacum immortalitatis & mortis antidotum appellatur.

Licet igitur omnia Sacramenta, & quæcumque ad æternam salutem sunt conducibilia, suam omnem vim & efficaciam hauriant ex merito Passionis Christi, sed diversâ ratione: inter hæc omnia tamen principem sibi locum vindicat Eucharistia, utpotè quæ Christum Jesum omnis gratiæ fontem, & salutis autorem contineat: cum in aliis Sacramentis duntaxat quædam ejus virtus participata contineatur.

Huc accedit, quod Baptismus & reliqua Sacramenta, sint Sacramenta duntaxat, Eucharistia autem sit Sacramentum, & insuper sacrificium, in quo Christus quotidiè per suos Sacerdotes, seu Ministros, & Vicarios immolatur. Undè fit ut in Baptismo v. g. fiat remissio peccatorum per modum lavacri & purificationis: in Missâ autem per modum propitiationis & expiationis, eo nomine quod in ipsâ ipsum Redemptionis pretium & contineatur, & æterno Patri in remissionem peccatorum offeratur.

Non igitur Missæ sacrificium est typicum duntaxat & figurativum, ut Hæreticis placet; illud enim Patres passim appellant veram & mysticam oblationem. Veram, quia in ipsâ, illa ipsa quæ olim in Cruce immolata est Hostia, quotidiè immolatur, non deintegro, sed ejus ipsius Hostiæ immolatio continuatur, aut repetitur: mysticam verò oblationem Missam appellant Patres respectu ritûs mystici, quo Christus in Altari sub speciebus panis & vini mortuus repræsentatur; quæ repræsentatio nihil prohibet, quominus ejus Corpus & Sanguis verè in sacrificium æterno Patri offerantur. Quapropter Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonstrat. Evang. cap. 10. Missæ sacrificium appellat sacrificium Deo plenum.

Hactenùs de sacrificio Missæ quod propitiatorium esse probavimus adversus Hæreticos, quos & de necessariâ ejus applicatione convincere potuimus, si eorum pertinacia convinci, superarique valeat. Sed quia in hoc tractatu, non solùm Hæreticorum pertinacem ignorantiam, vel audaciam obterendam, verùm etiam Catholicorum fidem ædificandam suscepimus, ideò inquirere juvat, quo animo animatos esse oporteat Catholicos, qui incruento Missæ sacrificio intersunt, ut ejus fructus percipere possint. Sit itaque

---

Quæstio XIII.

Quomodo oporteat affectos esse Catholicos, ut annexos Missæ sacrificio fructus percipere possint?

Ut hæc quæstio resolvatur, operæ pretium est observare, tria Catholicorum, qui Missæ sacrificio ut plurimum intersunt, genera recenseri posse. Nam

1°, Huic augustissimo sacrificio intersunt veri Christiani, qui quidem ab omni crimine penitus alieni levia duntaxat admittunt peccata, sine quibus non vivitur in terris.

2°, Adsunt eidem sacrificio alii, qui cum in peccata lethalia impegerint, Christum in Altari immolatum in spiritu humilitatis, & in animo contrito venerantur.

3°, Alii lethalium flagitiorum conscii sese quidem præsentes sistunt eidem ipsi Missæ sacrificio, sed ex damnabili illo statu adeò emergere non proponunt, ut etiam in ipso perseverare, & oblatâ occasione alia ex aliis peccare gestiant. Hæc tria hominum genera totidem conclusionibus expendere necesse est.

Prima Conclusio.

Veri Christiani levium duntaxat peccatorum quæ potiùs ex surreptione quam ex deliberatâ voluntate committunt, conscii maximos & uberrimos ex sacrificio, de quo sermo est, fructus percipiunt. Cum enim oret Sacerdos, ut quotquot ex Altaris participatione sacro-sanctum Corpus Christi percipiunt omni benedictione cœlesti & gratiâ repleantur, & veri Christiani, quoties intersunt quotidiano

Ecclesiæ sacrificio, vel sacramentali Eucharistiæ perceptione, vel saltem spirituali affectu communicent, ut declarat Concilium Tridentinum, sessione 22. cap. 6. haud dubiè maximos ex hujusmodi sacrificio fructus percipiunt.

Quis enim dubitet asserere vi communionis illius spiritualis quâ reficiuntur fideles inter mysteria, illis peccata quotidiana seu venialia dimitti. Nam ut ait S. Thomas 4. dist. 12. q. 2. a. 2. in sol. quæst. 1. Virtute hujus Sacramenti fit quædam transformatio hominis ad Christum per amorem, & hoc est proprius ejus effectus: & quia ex fervore charitatis peccata venialia dimittuntur, propter hoc quod dicto fervori contrariantur, ideò ex consequenti virtute hujus Sacramenti venialia delentur.

Quis prætereà dubitet veros illos Christianos multis aliis benedictionibus & donis in spiritnali communione locupletari. Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramentum salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris: in quo vitia nostra curantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas ignescit ac dilatatur. Ut præclarè enuntiat aureus de Imitatione Christi libellus lib. 4. cap. 4.

Ista sunt mirabilis hujus sacrificii & Sacramenti effecta, quæ quidem si non omnia nec in tantâ plenitudine spirituali dumtaxat affectu communicantibus, quantâ sacramentali Eucharistiæ perceptione vescentibus conferuntur, at certè, vel plura, vel omnia ad ipsos pro ejus (quâ flagrant) charitatis ardore derivantur.

Hujus rei potissima ratio repetenda videtur, ex eo quod hujusmodi homines non solùm Christi corpus & sanguinem cum Sacerdote æterno Patri, sed etiam seipsos veluti victimas offerant eidem æterno Patri; quod ut magis elucat,

Observandum est quod egregiè docuit Innocentius Papa III. lib. 3. de mysteriis Missæ cap. 6. explicans ista Canonis verba: *Vel qui tibi offerunt: non solùm*, inquit, *offerunt Sacerdotes, sed & universi fideles. Nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium.* Hæc ille.

Idem affirmat Petrus Damiani in eo libro qui appellatur (Dominus vobiscum) quique inscriptus est ad Leonem eremitam, sic enim loquitur istius Opusculi cap. 8. ubi sic explicat etiam ista Canonis verba: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. In quibus verbis*, inquit, *patenter ostenditur, quod à cunctis fidelibus non solùm viris, sed & mulieribus sacrificium illud offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intentâ mentium devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur:* Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias: *Quibus verbis luce clarius constat quia sacrificium quod à Sacerdote sacris altaribus superponitur, à cunctâ Dei familiâ generaliter offeratur.* Hæc ille qui hujus rationem repetit ex eo quod ait Apostolus, quia unus panis, unum corpus multi sumus. Id est omnes qui Christi Corpus in Ecclesiâ dignè percipiunt, unum absque dubio Christi Corpus fiunt. Ex hac veritate idem ipse Author in ejusdem libri cap. 9. hoc pronuntiatum elicit: *Quod ergo membrum quodlibet agere cernitur, hoc ab ipso corpore fieri irreprehensibiliter perhibetur: & è diverso, quod corpus facit, multitudo partium cooperando consentit.* Hæc ille.

Veri igitur Christiani non solùm Corpus Christi cum Sacerdote, sed etiam seipsos offerunt in sacrificium, quod quidem est gratissimum Deo, imò sacrificium illud internum quo sese Christiani veluti victimas per Christum æterno Patri offerunt, ipsius Corporis Christi oblationi quodammodo antecellit. Quod quidem videtur asserere sanctus Gregorius Nazianzenus, oration. 41. num. 10. *Omnia*, inquit, *quispiam donet, omnia ei qui seipsum Redemptionis pretium pro nobis, ac culpæ nostræ succidaneum dedit, offerat. Nihil autem daturus est tantum, quantum si seipsum obtulerit.*

Ex his S. Gregorii verbis videtur omnia sacrificia qualiacumque fuerint extrinsecùs oblata, nihili coram Deo æstimatum iri, nisi ad illa interna offerentium oblatio accesserit. Quod & in eamdem orat. 14. explicat illustriùs Nicetas, Græcus S. Gregorii Nazianzeni commentator. *Offeramus*, inquit, *sacrificium Agni, cujus celebrationem edocti sumus. Imò majus aliud in hoc positum offeramus, ut nos scilicet offeramus, & totos ipsi Deo devoveamus.* Hæc ille.

Verum ne quis existimet nos oblationem, quâ nos per internum sacrificium Deo dedicamus, anteferre velle oblationi, quâ sese Christus Jesus nostris in Aris immolari voluit, contendimus nullam posse reperiri, vel concipi oblationem Corporis Christi oblatione sanctiorem aut præstantiorem, si spectetur opus operatum, ut loquuntur Theologi, id est, si spectetur res oblata in se, & ejus expendatur valor & pretium, quo nullum majus excogitari potest: Non autem si respectus habeatur ad opus operantis, ut loquuntur iidem Theologi, id est, ad ea, quæ ipsi inter ipsa mysteria conferre possumus, aut reipsâ conferimus. Nam respectu operis operantis (quod pendet ex interno offerentium affectu) multæ sunt oblationes ipsi Deo multò acceptiores, quam externa illa actio, quâ Christi Corpus & Sanguinem ipsi offerimus, imò tales sunt, ut vel ipsam externam Corporis & Sanguinis Christi oblationem præiatis oblationibus destitutam acceptam non habeat. Hujusmodi sunt cordis contritio, nostrorum vitiorum immolatio, nostrorum affectuum oblatio, internum nostrarum animarum pariter & corporum sacrificium.

Cum hujusmodi rebus, veluti cum totidem sacrificiis internis externum Corporis & Sanguinis Christi sacrificium conjungi necesse est, sic tamquam cum veritate rerum, quas adumbrat & protestatur nostro nomine, si illud, ut à nobis profectum, Deo gratum & acceptum esse cupiamus. Eam ob rem ab ipso nostrâ in Missâ flagitamus, ut sacrificium Corporis & Sanguinis Filii sui acceptum habeat, sicut acceptum habere dignatus est munera pueri sui Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, sicut & ejus sacrificium quod illi obtulit, summus Sacerdos Melchisedech: non respectu operis operati, sed operis operantis, id est, non respectu valoris absoluti, quo externum Abelis, Abrahæ & Melchisedechi sacrificium in se solo consideratum, præditum esset, sed respectu valoris relativi, quem externum talium virorum sacrificium trahebat ex interno sacrificio, quo sacrificium externum sanciebatur, sic tamquam externâ protestatione, & quodam veluti sigillo muniebatur. Nam præterquam quod externa Sanctorum, qui Christum antecessere, sacrificia generatim adumbrabant futurum Crucis sacrificium, id etiam præ se ferebant, ut repræsentarent interna sacrificia, quibus ipsimet, à quibus offerebantur, significabant externâ illâ & aspectabili actione sese offerre Deo suas animas & corpora, id est, tam omnes mentis facultates & affectus, quam corporis membra justitiæ deinceps in sanctificationem servitura. Undè S. Augustinus lib. 10. de civit. cap. 5. *Sacrificium visibile est invisibilis Sacramentum, seu sacrum signum.*

Idem sanctus Augustinus lib. 10. de civitat. cap. 6. disertè asserit Christianos per sacrificium internum offerri cum externo Corporis & Sanguinis Christi sacrificio. *Hoc est*, inquit, *Sacrificium Christianorum: multi unum corpus sumus in Christo: quod etiam Sacramento Altaris fidelibus, noto frequentat Ecclesia.*

ubi eidem, demonstratur, quod in eâ oblatione, quam offert, ipsa offeratur.

Idipsum confirmat eodem lib. cap. 20. *Per hoc*, inquit, *& Sacerdos est* (Christus) *ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, quæ cum ipsius Capitis corpus sit, seipsam per ipsum dicit offerre.* Hæc ibi.

Sanctus Gregorius Nazianzen. orat. 1. num. 161. æstimat sacrificium internum ita esse necessarium, ut illud solùm Deus à nobis exigat. Non quod repudiet sacrificium externum, ut placet Hæreticis, sed quod nostri res, ectu illud potissimùm exposcat, ut explicaturi sumus, cum sancti Gregorii locum protulerimus. Cum ergo nossem, inquit, neminem magno & Deo, & sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui priùs seipsum Deo Hostiam viventem, sanctam exhibuerit, ac rationabile obsequium gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis ac spiritum contritum obtulerit (quod solùm sacrificium is qui omnia dedit, à nobis exposcit) quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo Sacerdotis habitum & nomen subire.

Ne Hæretici abutantur hoc loco ad labefactandum Corporis & Sanguinis Christi sacrificium, cujus frequentatione seipsam in sacrificium cum ipso Christo & per Christum æterno Patri offerre Catholica protestatur Ecclesia, sciant S. Gregorium dixisse Deum à nobis exigere solum sacrificium internum, id est, illud solum absolutè exigere, ita ut ejus absentia, seu defectus per nihil aliud suppleri possit: eo quod sacrificium externum à nobis non reposcat Deus nisi statutâ & appositâ conditione, id est, cum illud offerre possumus, cum suppetunt personæ, quibus illud offerre liceat, & cum illâ circumstantiâ, ut sit conjunctum cum interno mentis affectu & sacrificio sine quo nullo pacto ipsi placere poterit.

Quod autem spectat ad sacrificium internum, illud ipse Deus omninò & absolutè, & omni tempore, & ab omnibus exigit, ita ut ejus defectum nihil aliud supplere valeat: & satis, superque habeat quod ipsi solum fuerit oblatum, quando alterum (externum scilicet) non potest ad illud adjici. Quod autem Hæretici hunc locum in suam Hæresim trahere nequeant, patet ex eo quod sanctus ipse Gregorius quærat quo pacto externum sacrificium offerre audeat, qui se prius in Hostiam viventem Deo non obtulerit? Ut igitur sese ad id, undè digressa est, referat oratio, viri verè Christiani sese in tremendo Missæ sacrificio cum Christi Corpore & Sanguine offerunt per sacrificium internum (quod tam accuratè, & tam severè exigit Deus) ut suprà ostendimus. Undè fit ut tam uberes fructus ex illo ipso Missæ sacrificio (cui pari ad frequentationem Religione intersunt) cum ingenti animarum profectu percipiant. De peccatoribus autem lethalium peccatorum consciis, quid sit, statuendum in sequenti Conclusione aperiemus. Sit itaque

Secunda Conclusio.

Cum Missæ sacrificium sit propitiatorium (ut satis, superque probavimus hactenùs) possunt citra irreverentiam & peccatum, ejus celebrationi interesse peccatores, modo sint animati, sicut oportet.

1°. Igitur sese circumspicere debent veluti reos, qui post tot flagitia, quibus divinam Majestatem violare non sunt veriti, non audent attollere oculos in cœlum ad flagitandam remissionem, sed in maternum Ecclesiæ sinum involant, ut pro ipsis lugeat, & suis precibus & lachrymis misericordiam, quâ sunt indigni, & veniam de quâ alioquin desperarent, ipsis obtineat.

Ad hujusmodi praxim homines insigniter adhortatur S. Ambr. in c. 5. Evang. S. Luc. Sic enim loquitur explicans hæc verba: *quorum fidem ut vidit, dixit, homo, remittuntur tibi peccata tua. Magnus Dominus*, inquit, *qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata: Cur apud te, homo collega non valeat, cum apud Deum servus & interveniendi meritum & jus habeat impetrandi? disce qui judicas, ignoscere: disce qui æger es, impetrare: si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cujus contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscat.* Hæc ibi S. Ambrosius.

Et hoc est quod præstat sacra & benigna mater Ecclesia, quippe quæ suas peccatorumque lachrymas Deo cum ipsius filii nostris in altaribus immolati oblatione offerat & flagitet, ut denuò gratiæ ex ejusdem ipsius filii fonte & plenitudine scaturientis infusione impleat suos filios, quos peccatum ferali gladio transverberavit.

2. Oportet hujusmodi homines interesse sacro Missæ sacrificio cum vero pœnitentiæ spiritu & affectu, & offerre Deo contriti cordis & humiliati sacrificium, illo ipso tempore quo Ecclesia æterno Patri offert Christum Jesum, ut Hostiam propitiationis pro flagitiis in quæ sese præcipites immerserunt.

Ad hanc dispositionem ardentiùs incitari debent exemplo Christi Domini, qui cum in cruce egerit pœnitentiam, ut omnium hominum peccata expiaret, sese nihilo seciùs quotidiè in statu pœnitentis æterno Patri exhibet. Quamvis enim ipsa esset innocentia, nec vel minima peccati umbra ullam ejus vitæ partem infuscaverit; quia tamen sese nostrum caput effecerat per incarnationis mysterium, sibi pariter nostrarum iniquitatum onus imposuerat, easque in se, velut ab semetipso admissas, transtulerat. Indè factum est, ut se sic tamquam mortalium omnium nocentissimum, imò pro universis mortalibus reum inspexerit & obtulerit ad oppetendas (quæ cunctis hominibus erant irrogandæ) pœnas, & suâ morte veluti publicâ quadam & generali pœnitentiâ omnia crimina, in quæ soli dumtaxat incurramus, expiare voluerit.

Cujus rei, ne memoria ullis umquam temporibus abolesceret, illud ipsum mysticâ quadam & arcanâ ratione nostris in altaribus quotidiè, id est in Missæ sacrificio factitare pergit, quod olim in omnium oculis in cruce consummavit. Se enim sistit Patri adinstar pœnitentis, qui se profitetur circumdatum omnium hominum flagitiis, quibus se sciens & prudens oneravit.

Et quod olim dixit ingrediens mundum, quotidiè repetit in altari; quia Hostias & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi: tunc dixi: ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam. Cum igitur Christus sese offerat Patri, ceu piacularem victimam ad expianda omnia hominum flagitia suopte merito dumtaxat idoneam, peccatores, qui vel minimo suæ salutis tenentur studio, sese per syncerum contriti & humiliati cordis sacrificium comparare debent ad percipienda effecta divinæ illius oblationis, quam Christus in cruce consummavit, & in terris usque ad consummationem sæculi continuari voluit.

Porrò quantâ vi polleat vera pœnitentia cum Corporis Christi oblatione conjuncta, liquidò declarat beatus ille latro pœnitentiæ regula, confessionis forma, indulgentiæ præco, spei exemplum, qui dum ingemit, subitò quod quærit, invenit quod petit, accipit, & illicò audit: hodiè mecum eris in paradiso. Unde tam subita extitit inspiratæ mercedis retributio, nisi ex pœnitentiâ, quam ex Christi morientis fontibus ad se derivatam incredibili humilitate, charitate & oratione patefecit. Ejus pœnitentiam enim multis aliis virtutibus conjunctam graphicè depingit Arnoldus Carnotensis in tractatu de septem verbis Dom. in cruce super

verbo illo: *Amen tibi*, &c. Ille ipse latro quem ibidem pœnitentiæ regulam, confessionis formam, indulgentiæ præconem, spei denique exemplum appellat, ut supra insinuavimus, quasi plagatum & Sanguinis Christi immemor, dictator Evangelii efficitur: & (quod persuaderi illâ horâ difficile erat) Christum Deum in cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur: Credit & timet, compungitur & pœnitet, confitetur & prædicat, amat, confidit, & orat. Fide illuminatur, timore subditur, compunctione mollitur, pœnitentiâ concutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentiâ sperat, oratione impetrat. Hactenùs Arnoldus Bonævallis Abbas loco citato Tom. 3. Biblioth. Patrum.

Hoc exemplo provocati peccatores intersint divino Missæ sacrificio, & suas lachrymas veluti contriti cordis sanguinem cum Christi sanguine misceant & offerant æterno Patri per veram pœnitentiam, atque ita in veniæ per ejusdem Christi meritum assequendæ spem erigantur.

Quod si nondum sese conteri, sicut oportet animadvertant, possunt tamen præfato adesse sacrificio citra peccatum & irreverentiam, dummodo ad illud sese conferant & intendant ab ipso Deo per Christum in altari immolatum flagitare veræ pœnitentiæ gratiam, cujus adminiculo syncerè convertantur & abdicatâ anteriore vitâ, ad meliorem sese frugem recipiant. Ideò sese debent adjungere ad cœtum fidelium, non ut cum ipsis offerant (hujusmodi enim officio sese penitùs indignos per sua flagitia reddidere) sed ut adunatis eorum orationibus adjuti nonnullas micas ex ipso gratiæ pane decisas, & ex filiorum mensâ relapsas catellorum adinstar colligere, & tandem ad expetitæ reconciliationis gratiam pervenire valeant.

Quod si sint adeò miseri miserandique, ut ab hujusmodi dispositionibus absint, quam deplorandus sit eorum status, declarabimus sequenti conclusione.

Tertia Conclusio.

Nemini dubium esse debet, quin homines qui in statu peccati lethalis adsunt sacrificio Missæ, nec ex teterrimo illo statu per pœnitentiam emergere, imò alia ex aliis (quoties sese peccandi opportunitas obtulerit) peccare, & in tam detestabili proposito perseverare statuunt, gravi se flagitio devinciant.

Hujus conclusionis veritas majorem in modum elucescet, si quis cogitet, quid sit sentiendum de viro perduellionis seu læsæ majestatis reo, qui sæpenumero de sui principis vitâ nefariè cogitavit, qui in ejus regni perniciem conjuravit, qui commissam sibi provinciam Hostibus prodidit, & exindè adit ad Regem, sese abjicit ad ejus pedes, ot tot tantaque perfidiæ proditionisque scelera sibi petat condonari, & inter hæc nihil obstante supplicantis habitu, adhuc animum adversùs ipsum Regem retinet armatum, & obstinatam prodendæ denuò patriæ voluntatem alit in intimo cordis recessu, & in perseveratam cum ipsius Hostibus conspirationem consentit. Ita se gerunt erga Christum Christiani, qui tametsi divino intersunt sacrificio, non tamen ab nefariâ peccandi voluntate resiliunt, imò peccata peccatis cumulare consultò volunt.

Possunt prætereà hujusmodi homines æquiparari filio cuipiam immemori, ingrato, & ab omni naturæ sensu derelicto, qui perfractâ violataque illâ, quam debet patri, reverentiâ, in illum involaret, & in ejus personam pariter & honorem contumeliosè grassaretur, & sub hæc ipsius genibus advolutus, alisque apparentibus indiciis observantiam testatus, veniam flagitaret, & nihilo seciùs in suâ contumaciâ in patriæ potestatis contemptu, & in inferendis, ut anteà contumeliis, oblatâ occasione perseverare apud animum statueret.

Neminem fore opinor, nisi sit ab omni ratione desertus, quin nobiscum hac in parte consentiat, & talem filium eo animo tamque criminoso animatum, nocentiorem & majori crimine constrictum esse fateatur. Unde si Pater introspiceret intimos exulcerati cordis motus & impetus, adeò nihil sibi hujusmodi summissionum externâ illâ testificatione satisfactum esse crederet, ut etiam majori in illum indignatione propter adhibitam in se ludificationem effervesceret. Quid quod ipsa illa doctrina, quam hîc astruimus, propalam ab Theologis in Sorbonâ propugnatur in his terminis: peccat autem nec leviter homo sceleribus pollutus, qui sine ullo pœnitendi desiderio, obstinatâ in mala voluntate, tremendo sacrificio interest. Quæ propositio hisce verbis concepta propugnata est in Sorbonâ nec semel, sed variis & in variis Thesibus est asserta, quæ jam mihi non suppetunt. Peccatores igitur qui non solùm de suis sceleribus per veram pœnitentiam eluendis nihil cogitant, imo quibus statutum & decretum est in suis perseverare flagitiis eaque novis cumulare, quoties sese ostentaverit occasio, & inter ea per speciem religionis & obedientiæ Ecclesiastico præcepto exhibendæ Missæ sacrificio interesse nihil dubitant, nihil ab præfato filio patrem gravioribus contumeliis afficiente differunt. Cum enim hoc sacrificium sit divinitùs institutum, ut per illud, ceu per signum externum & aspectabile, & summum honorem quo divinam prosequimur majestatem, & debitam beneficiorum, quibus ab illâ sumus affecti recordationem & veniam peccatorum quæ in illam admisimus, & altissimam humilitatem, quâ ejus imploramus gratiam, Angelis hominibusque testatam faceremus: cum peccatores, de quibus sermo est, ab hujusmodi dispositionibus longissimè absint, nemo cordatus dubitare potest, quin per talem irreverentiam ex pertinaci in peccatum propensione, & perseverantiâ profectam, Christo Domino nostris in altaribus immolato, gravem contumeliam & severiùs animadvertendam inferant.

Istam indignitatem & irreverentiam prolixiùs hîc insectaremur, nisi jam illam affatim tractaremus in primâ secundæ hujus operis, cum de temporibus quibus primum & maximum divinæ dilectionis præceptum obligat, agimus.

His ita constitutis quis dubitet graviter peccare homines qui cum pertinaci perseverandique voluntate intersunt hujusmodi sacrificio, quod venerabundi circumstant Angeli, quòd reverentiâ quantâ maximâ prosequuntur veri Christiani, quod denique ipsi perhorrescunt inferi.

Nemo nescit tria hominum genera cruento sacrificio crucis affuisse.

Alii enim affuerunt cum intimo flagrantissimoque pietatis & charitatis affectu. Tales extitere Deipara, quæ stabat juxta crucem Jesu, & soror matris ejus Maria Cleophæ & Maria Magdalene, & Discipulus quem diligebat Jesus, qui omnes seraphicâ charitate perusti compatiebantur Christo, & cum illo confixi erant cruci, & ideò hauriebant aquas in gaudio in fontibus Salvatoris.

Alii qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

Alii denique teterrimi dicteriis & blasphemiis insultabant in Deum crucifixum, & omnibus contumeliis inquinatum insectabantur omnibus cavillis, & modis quos ipsis & splendida bilis, & potestas tenebrarum suggerere poterant.

Quemadmodum igitur sacrificio crucis astitere tria hominum genera, ita & Missæ sacrificio per quod recolitur & repræsentatur illud ipsum crucis sacrificium, tria, ut vidimus, intersunt hominum genera: viri nem-

pè religiosi, pœnitentes, & peccatores ita peccato addicti, ut sacra mysteria cum deliberatâ in peccatis perseverandi voluntate adire & violare non horreant.

Si quis hujusmodi homines a peccato eximere velit, erraret gravissimè, cum constet illos pessima dispositione divinis interesse mysteriis.

Et si quis eam vel audaciam, vel improbitatem, vel impudentiam, levem existimet, peccata profecto pleraque omnia, etiam quæ omnium judicio censentur graviora, in levium futiliumque peccatorum numero sunt collocanda.

Quæstio XIV.

Utrùm Ecclesia ad peccandi necessitatem adigat homines peccato pertinaciter addictos, cum eos jubet interesse sacrificio Missæ, & utrùm illi qui perseverant in affectu peccati, peccent, cum diebus ab Ecclesia constitutis absunt ab ipso Missæ sacrificio.

Duplex hæc quæstio geminâ est conclusione solvenda. Sit itaque

Prima Conclusio.

Absit ut Ecclesia Dei quempiam ad peccandi necessitatem suis præceptis aut legibus adigat: cum enim sui sponsi spiritu sit animata, omnes impellit ad meliora, & quemadmodum ille sic & illa has Prophetæ voces (*vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat*) indesinenter repetit, & ingeminat. *O nos beatos, quorum causâ Deus jurat*, ait Tertullianus, *ô nos miseros, si nec Deo juranti credimus!* Illud ipsum de Ecclesiâ profiteri licet: illa quippè omnem adhibet machinam, ut nos ab nefariâ peccandi libidine & consuetudine revocatos ad gloriam provehat sempiternam.

Cum igitur omnes & singulos fideles diebus Dominicis & Festis sacro-sancto Missæ sacrificio adesse præcipit, nihil hac in parte facit, quod ab rectâ ratione & Religione abhorreat. Si enim reperiantur nonnulli continuandis sceleribus nefariè mancipati, & ideò indigni quibus ad sacram illam oblationem aditus pateat, non proptereà Ecclesiæ legem expostulare, aut incusare debent, perindè ac si eos induceret in necessitatem quâ vel irreverenter, & criminosè hujusmodi oblationi interesse, vel ab ipsâ indictum hac de re præceptum infringere cogerentur. Exulcerata enim voluntas & tenacissima flagitiorum vincula quibus sunt miserabiliter irretiti, eos duntaxat in tales angustias impulerunt. Inde fit ut de se solis, & de sui affectûs cordis corruptelâ per vitiosos affectus habitosque comparatâ conqueri debeant. Abjiciant igitur peccandi necessitatem, confugiant ad veræ pœnitentiæ spiritum, eumque pro viribus capessant, aut saltem ipsum à Deo flagitare statuant, cum eo animo fuerint animati, nihil prohibebit quominùs, & Ecclesiæ præcepto obsequi & sacris mysteriis citra irreverentiam aut scrupulum interesse valeant.

Hanc doctrinam luculenter explicat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap 6. in quo dubit. 3. quærit, an qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perseverat, possit hac oratione aliquid impetrare? Huic quæstioni satisfacit cum distinctione. Vel enim, inquit, is qui in peccato voluntariè perseverat, cupit sibi dari gratiam à Deo perfectæ conversionis eamque seriò postulat: si cupit gratiam conversionis quamvis interim à concupiscentiâ victus, peccatum non relinquat, non inutiliter dicit Deo: dimitte nobis debita nostra, & si ex corde dimittat fratri suo injuriam, disponetur ad gratiam perfectæ conversionis adipiscendam. Nam qui cœpit opus bonum inspirando illi desiderium & petitionem veræ conversionis & condonationem injuriarum, perficiet sine dubio, si perseveret ille pulsando & orando, ut Deus adjuvet infirmitatem ipsius, & rebellem ad se convertat propitius voluntatem.

Si autem non cupit gratiam conversionis, neque ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis ex consuetudine, vel (quod gravius est) ut videatur ab hominibus; is non solùm nihil impetrat, sed etiam oratio ejus illi fiet in peccatum, cum in singulis ferè petitionibus mentiatur. Quomodo enim dicere potest, Pater noster, qui non vult esse filius? &, sanctificetur nomen tuum; per quem nomen Dei assiduè blasphematur? &, adveniat regnum tuum: qui nihil magis quam adventum Dei timet? &, fiat voluntas tua: qui suam non Dei voluntatem semper facit? Hactenùs Bellarminus loco laudato.

Hanc doctrinam ad propositam quæstionem accommodare non est ardui laboris. Nam si quis sibi lethalis peccati conscius intersit divino Missæ sacrificio, & veram peccati detestationem & veram ad Deum conversionem habeat, vel saltem expetat, & inter sacra mysteria petat, hujusmodi mysteriorum sanctitatem nihil omninò violabit. Verùm si suâ ad Deum conversione nihil cogitet, si illam non expetat, imò in peccato hærere apud se statuat, nemini dubium est, quin Christo Domino in altari immolato gravem inferat injuriam, & sese immani flagitio devinciat.

Secunda Conclusio.

Quisquis interest sacrificio Missæ in statu & affectu peccati lethalis, in quo hærere & perseverare apud se statuit, peccat: peccat & ille qui versatus in eodem statu affectuque peccati lethalis, eidem sacrificio adesse renuerit.

Ne hujusmodi Conclusio detorqueatur in præposteros sensus, nonnulla in collationibus Rupellanis observata, hîc adscribere necesse est.

1. Igitur Conclusio non asserit generatim loquendo omnes lethalis flagitii reos peccare si adsint præfato sacrificio, vel non adesse oportere. Imò contendimus eos oportere illi adesse, & benè sibi consulere si adsint in spiritu humilitatis & in animo contrito, vel saltem cum proposito flagitandæ suæ conversionis sivè suis, sivè Ecclesiæ orationibus obtinendæ.

Sed eò collineat Conclusio ut disertè asserat eos abuti tali sacrificio, qui in statum & affectum peccati lethalis, & in obstinatam in eo perseverandi voluntatem immersi, nihilque de pœnitentiâ & suâ ad Deum conversione meditati Christo Domino in mysteriis præsenti & immolato sese præsentes sistere non pertimescunt.

2. Ne quis dicat nos docere homines in detestabilem illum statum & affectum implicitos, (ita ut ex suâ illâ improbitate & malitiâ emergere abnuant) benè se gerere, cum se ab Missæ sacrificio abstinent diebus ab Ecclesiâ constitutis. Ex adverso contendimus eos pessimè sese habere hac in parte, & in gravem Dei offensam incurrere, utpotè qui supremum latriæ cultum, quem tunc illa ipsa Ecclesia divinæ ejus majestati exhiberi jubet, sacrilego animo consilioque subtrahant. Sed affirmamus eos in isto rerum articulo peccare sicut & alios, qui cum sint in eundem statum & affectum implicati, huic sacrificio adesse nihil dubitant, & non solùm de abdicandis anteactæ vitæ flagitiis nihil cogi-

tant, ut etiam præterita scelera novorum accessione cumulare, & suis cupiditatibus usquequaque obsequi gestiant.

3. Nemo, dum ita loquimur, existimet nos talibus personis significare velle immunitatem ab Ecclesiæ præcepto, quo universi & singuli fideles diebus Festis & Dominicis sese Missæ sacrificio præsentes sistere tenentur. Id multi cogitare possent, si diceremus ipsos prædicto sacrificio citra peccatum adesse non posse.

Sed cum illis contrarium diserè asseratur, illis ostentantur miserabiles angustiæ, in quas se ita conjecere, ut nec huic sacrificio adesse, nec ab illo abesse possint, quin se peccatis obstringant. Unde ipsis inculcandum est quarto qualique studio, ex teterrimo illo statu per veram pœnitentiam emergere aut certè ad Ecclesiæ orationes confugere debeant: ut ipsis hanc gratiam obtineat merito ejusdem ipsius oblationis, quam Deo singulis diebus pro peccatoribus pariter & justis offerre non desinit.

4. Cum dicimus esse peccatum adesse divino Missæ sacrificio, & pariter esse peccatum abesse, cum quis firmum in peccato perseverandi propositum concepit, id intelligendum est rebus in sese consideratis nullâ habitâ ratione circumstantiarum aut dispositionum, quæ in iis, qui huic intersunt sacrificio vel ab eo absunt, deprehenduntur: Nam hujusmodi circumstantiæ aut affectiones animi aliquando hominis sese ab Missæ sacrificio abstinentis gravius crimen efficiunt, ut pota cum ejusmodi ab dicto sacrificio absentia ex deliberato rerum sacrarum, Religionis, vel etiam ex ipsius Dei contemptu proficiscitur: aliquando etiam imminuunt peccatum hominis sese indignè eidem sacrificio sistentis, ut puta, cum quispiam vel præ ignorantiâ, vel aliâ quapiam causâ non advertit animum ad profanationem, quâ istud sacrificium violat. Quamvis enim talis ignorantia in homine, minimo sensu Religionis imbuto excusari nequeat, est tamen semper verum, malitiam non esse tantam, nec tam altè in voluntatem impressam, quamdiu mens istius ignorantiæ nubeculâ infuscatur.

Eò igitur spectat nostra Conclusio, ut omnes Catholici rescriscant homines in peccati statum & affectum, & in peccato perseverandi voluntatem pertinaciter implicatos, in gravem Dei offensam incurrere, si divino sacrificio intersint.

Quod quidem ex scripturis liquidò probari potest. Ut puta ex cap. 1. Isaiæ cujus verba suprà retulimus. Et ex ejusdem Isaiæ cap. 66. patet etiam ex aliis scripturæ locis, in quibus Deus se viros dolosos abominari prædicat. Unde Spiritus sanctus Ecclesiastici cap. 1. v. 36. & seqq. *Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocryta in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem & revelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogæ elidat te: Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallaciâ.* Hæc ibi.

Et Amos c. 5. v. 21. & seq. *Odi & projeci Festivitates vestras: & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocautomata & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.*

Hæc & alia scripturæ testimonia satis superque demonstrant ab ipso Deo reprobari omnia sacrificia, quæ ab peccatoribus in peccato, & in peccatu affectu præstactè perseverantibus offeruntur. Unde roboratur & elucescit veritas Conclusionis asentis peccare homines in hujusmodi statum immersos, si intersint divinæ Missæ sacrificio, & peccare alios, qui in eumdem statum implicati sese ab audiendâ Missâ abstinent, si cætera, ut diximus, sint paria.

Nam quemadmodum homines suorum sibi scelerum conscii, qui nullo tenentur pœnitentiæ, & emendationis desiderio, abstinent ab Paschali communione, ad quam ex præcepto Ecclesiæ obligantur, peccant, sicut & peccant illi, qui tametsi sint plurimis criminibus nefariâ voluntate continuandis onusti, ad sacram tamen Synaxin accedere nihil verentur, ne abeant in omnium ora, & ab omnibus omni impietate contaminati habeantur. Ita etiam cum agitur de Missæ sacrificio, peccant homines in eum, quem proximè depinximus statum implicati, cum ab illo abesse malunt, peccant & alii, qui licet in eodem statu constituti, illi interesse, illudque suâ præsentiâ polluere non dubitant; ne sibi conspicuâ evidentique impietate imminentem alioquin aspergant infamiam.

Cum hactenùs Missæ sacrificium propitiatorium esse probaverimus adversus Hæreticos, jam de aliis ejus titulis & insignibus agere necesse est. Sit itaque

---

QUÆSTIO XV.

Utrùm Missa sacrificium sit latreuticum, eucharisticum & impetratorium?

Conclusio prima.

Missæ sacrificium esse latreuticum, id est, sacrificium ab Christo Domino institutum, ut supremus latriæ cultus æterno Patri in terris usque ad consummationem sæculi indesinenter exhiberetur, nemo Catholicus negavit, aut negare potuit.

Reverà per oblationem Corporis & Sanguinis Christi supremo illo latriæ cultu ita colitur Deus, ut illa adoratio infinitæ ejus majestati respondeat. Nam ex quo Christus naturam humanam per incarnationis mysterium assumpsit, Deum debitâ & infinitæ ipsius amplitudini consentaneâ adoratione coluit. Nam ante præfatum illud incarnationis mysterium adorabatur quidem Deus ab Angelis & hominibus, sed non ita, ut ille cultus, ille amor, quo eum prosequebantur, & Angeli & homines infinitæ ejus magnitudini, ejus essentiæ divinitati, & ejus personarum majestati & amplitudini responderet. Ab omni enim æternitate extitit Deus infinito cultu adorandus, sed nondum erat qui illum infinitâ adoratione coleret. Itaque per totam retro æternitatem infinito illo cultu & honore caruit: sed in plenitudine temporum Verbum caro factum est, & tunc ab Deo incarnato infinitâ potestate, qualitate, & dignitate prædito, debito, & ipsius infinitati consentaneo cultu cœpit adorari, & per totam deinceps æternitatem adorabitur. Ideò enim incarnationis mysterium (quod ne reservent ssi no quidem Deicidii flagitio dissolvi potuit) voluit esse æternum, ut Patrem quem infinito prosequebatur amore, æternâ latriâ veneraretur, & coleret. Præterea divinum instituit sacrificium quo adoratio ab ipsomet eidem Patri ab primo jam tum incarnationis momento exhiberi cœpta, continuaretur in terris, & illa ipsa ipsius oblatio absque ullo velamine factitanda permaneret in Cœlis, atque ita Pater æternus Deum adorantem & sibi debitos, & suæ divinitati congruos honores adhibentem indesinenter aspiceret.

Reverâ in Eucharistiæ sacrificio Christus adorat pro nobis, adorat in nobis & adoratur à nobis. Adorat scilicet pro nobis, est enim caput suis adunatum membris, quæ quidem cum sint persolvendæ æterno Patri latriæ imparia, pro illis eo perfungitur officio. Adorat in nobis: Nam per baptismum illi conjungimur, sed pleniùs per Eucharistiæ Sacramentum arctèctimur; siquidem ut ipse testificatur in illo manemus, & ipse vicissim in nobis manet. Portò adoratur à nobis: in ipso enim habitat omnis plenitudo divinitatis

corporaliter

corporaliter, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.

Secunda Conclusio.

Incruentum Missæ sacrificium esse eucharisticum, tum quia cum gratiarum actione institutum est, tum quia ad referendas æterno Patri gratias Christus illud celebrari voluit, ne ipsi quidem Heterodoxi negant. Nam Molinæus in novit. Papism. controvers. 10. cap. allatis quibusdam rationibus ob quas SS. Patres Eucharistiam sacrificii nomine designant, dicit: Eucharistiam ab SS. Patribus sacrificium appellari, quia est commemoratio sacrificii Jesu Christi: siquidem in sanctâ Cœnâ sacrificium est gratiarum actionis, quod & SS. Patres indicarunt, cum Eucharistiam sacrificium eucharisticum id est gratiarum actionis appellarunt.

Hæc igitur in re nobiscum consentiunt, sed dissentiunt in eo quod esse labialem dumtaxat oblationem, non autem realem, quod asserimus ob realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi quem revera in sacrificium æterno Patri offerimus, & prætereà dissident à nobis in altero capite, eo quod pertinaciter contendant Eucharistiam esse dumtaxat sacrificium laudis & gratiarum actionis, non autem Religionis, & propitiationis, sicut ab omni ævo Ecclesia Catholica docuit, ut suprà probavimus.

Incruentum Missæ sacrificium esse eucharisticum docent antiquissimi quique Patres.

S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses id disertè asserit, sic enim loquitur: *Offerimus ei*, (Eucharistiam) *non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiges eorum, quæ à nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo: sicut Salomon ait: qui miseretur pauperi, fœneratur Deo, qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum.* Hæc ille, qui & paulò post subdit: *sicut igitur non his indigens, attamen à nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi.*

Idipsum quod S. Irenæus passim tradidere sancti Patres. Nam illo ipso S. Irenæi sæculo ista verba, quæ etiamnum usurpamus in Missæ præfatione concinebantur in Oriente & Occidente, & id declarant Liturgiæ Chrysostomi, Basilii & aliæ Et id disertè asserunt Patres Græci & Latini.

1. S. Joannes Chrysostomus hom. 26. in Genesim, & hom. 18 in 1. ad Cor. & hom. 16. ad Pop. Antiochen.

2. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystag. 5.

3. S. Cyprianus in Tractatu de oratione Dominicâ.

4. S. Aug. Epist. 57. q. 1. Epist. 59. item Epist. 120. c. 19. Item in lib. de sanctâ viduitate c. 16. Item lib. 2. de dono persleverant. c. 13. Item lib. 1. contra Adversar. legis & Proph. c. 18. Item in lib. de Spiritu & litt. c. 11. Item serm. 43. de tempore.

5. Cæsarius Arelatensis hom. 5.

6. Rabanus Maurus lib. 1. cap. 32.

Unde cum Sacerdos antequam ad Corporis & Sanguinis Christi consecrationem aggrediatur, canit, *gratias agamus Domino Deo nostro.* Respondet Ecclesia, *Dignum & justum est.* Quæ verba sic explicat Florus Magister qui floruit regnante Carolo Calvo. Quod est justum, inquit, hoc est & æquum. sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis. Et paulò post. Verè ergo, ut incessanter gratias agamus, dignum est pro tantis beneficiis, justum nostris obsequiis, æquum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis. Per Christum Dominum nostrum: Tota oratio & gratiarum actio, quam ubique debemus, offertur Deo Patri per Christum Dominum nostrum, tanquam per mediatorem Dei & hominum, de quo Apostolus ait: Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Hactenùs Florus Magister in Opuscul. quod inscribitur, Exegesis, seu expositio Missæ.

Incruentum igitur Missæ sacrificium institutum est ad exolvendas æterno Patri gratias pro beneficiis quibus hominum genus hactenùs cumulavit, & in singula momenta cumulare non desinit: at præsertim ad agendas gratias Deo super inenarrabili dono ejus, id est Incarnatione Verbi: sic enim dilexit mundum, ut non solùm filium suum unigenitum daret, sed etiam eidem filio suo non parceret, & pro nobis omnibus illum traderet, & eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum faceret, ut nos efficeremur Justitia Dei in ipso: & (quod omnem superat intelligentiam & admirationem) cum illo omnia nobis donaret.

Tertia Conclusio.

Missæ sacrificium non solum est propitiatorium, latreuticum & eucharisticum, sed etiam impetratorium, ita ut plerique omnes Theologi omnem ejus efficaciam per modum impetrationis exeri doceant.

Hanc conclusionem insigniter astruit Apostolica traditio quâ constitutum est ut inter tremenda mysteria recitaretur Oratio Dominica, in quâ omnia tam ad salutem æternam quam ad temporariam hanc vitam spectantia & necessaria continentur.

Sic docuit Christus Apostolos suos ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: *Pater noster, qui es in Cœlis*: ut ait S. Hieronymus lib. 3. advers. Pelagianos.

Item testatur S. Augustinus lib. 50. hom. homil. 42. *In Ecclesiâ*, inquit, *ad altare Dei, quotidie dicitur ipsa Oratio Dominica & audiunt illam fideles.*

S. Gregorius Papa I. meminit hujus traditionis lib. 7. Epist. 63. in quâ testificatur morem fuisse Apostolorum ad ipsam Orationem Dominicam Hostiam immolationis consecrare. Cum igitur ex Apostolicâ traditione inter tremenda mysteria Oratio Dominica omnes omnium rerum, & præsidiorum ad sustentandam hanc vitam, & æternam comparandam pertinentium petitiones complexa recitetur, indubitatum est per eadem ipsa mysteria omnia ad hujus vitæ sustentationem & ad alterius assecutionem spectantia impetrari. Unde Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. declarat hoc sacrificium, non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè, juxta Apostolorum traditionem offerri.

Sanctissimam illam consuetudinem pro omnibus in quotidiano Christianorum sacrificio orandi ab Apostolo ad omnes Ecclesias derivatam esse asserunt SS. Patres: sic enim loquitur 1. ad Timoth. cap. 2. vers. 1. & seqq *Obsecro igitur primum omnium*, inquit, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Quod autem omnia ista præstentur in Missæ sacrificio testificantur SS. Patres & imprimis S. Augustinus in Epist. 59. ad Paulinum novem quæstiones proponentem inscriptâ. Nam in solutione 5. quæst. postquam observavit in iis, quos habebat codicibus lectitari juxta græcam vocem, *δεήσεις*, deprecationes, non autem obsecrationes, & postquam animadvertit eos qui distinctiùs latinè loquuti sunt, precationibus usos esse in optandis bonis, deprecationibus verò in devitandis malis. Eo quod precari dicerent esse precando bona optare: imprecari mala, quod vulgò jam dicitur, maledicere: deprecari autem mala precando depellere. Cum igitur hæc, ut dicebamus, animadvertit: omnia ista, id est obsecrationes seu deprecationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones ad omnes Missæ partes applicat: *Eligo*, inquit, *in his verbis intelligere quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut deprecationes seu obsecrationes accipiamus dictas, quas facimus in cele-*

bratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit.

Et paulò post: *Interpellationes autem, sivè ut vestri codices habent, postulationes fiunt cum Populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis & participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem*, inquit ibidem S. Augustinus, *causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis non putaretur negligendum esse quod sequitur: pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate & charitate: ne quisquam (sicut se habet humana conditionis infirmitas) existimaret ista non esse facienda pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda.* Hactenùs S. Augustinus qui hanc doctrinam sic tanquam ex Apostolicæ traditionis fonte haustam, & ad posteros derivandam litteris consignavit.

Hujus Apostolicæ, atque adeò perantiquæ traditionis meminit Tertullianus in Apologet. cap. 30. *In Cœlum*, inquit, *suspicientes Christiani manibus expansis quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus: Denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.*

Hæc ibi Tertullianus qui & ad Scapulam cap. 2. *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, sed quomodo præcepit Deus, purâ prece.* Et paulò post. *Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris ab eo eam postulantes, qui potest præstare.* Et paulò post, ut ostenderet Christianos obtemperare Christo jubenti orare pro persequentibus & calumniantibus nos: *Absit*, inquit, *ut indignè feramus ea nos pati, qui optamus, aut ultionem nobis aliquam machinemur quam à Deo expectamus. Tamen (sicut suprà diximus) doleamus necesse est, quod nulla civitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem.* Hæc ibi.

Ita loquitur Tertullianus eo quod suis temporibus cerneret Imperatores, quibus nihil erat antiquius, quam ut omne acerbitatis & immanitatis virus in Christianos effunderent, atque ita redemptos à Christo Populos ad internecionem deletos ex omnibus omnium gentium finibus exterminarent. Hujus traditionis, cujus authoritate jubemur orare pro regibus, & aliis inter ipsa mysteria, meminerunt S. Joan. Chrysostomus & S. Basilius in suis Liturgiis, & S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 4. Arnobius lib. 4. exeunte adversus gentes, & S. Cyrillus Hierosolymitan. catech. mystag. 5. quæ sola ad probandum Missæ sacrificium adversus Hæreticos sufficeret, si illi vel minimum audiendæ & excipiendæ veritati locum relinquerent. Per illustre ejusdem traditionis testimonium suppeditat nobis Eusebius Cæsar. lib. 4 de vitâ Constantini cap. 45. in quo commemorat varia pietatis exercitamenta, quibus Episcopi ad Basilicæ Hierosolymitanæ dedicationem semel quotannis per octo dies continuos celebrari solitam ab ipso Constantino evocari, fidelium animos attollebant ad Deum; & inter cætera sic ad rem nostram accommodatè loquitur: *Qui ad hæc*, inquit, *aspirare non poterant, incruentis sacrificiis & mysticis immolationibus Deum placabant pro pace communi, pro Ecclesiâ Dei, pro Imperatore tot bonorum Authore* (magnificentissimam enim Basilicam Salvatori Hierosolymis extruxerat, ut loco cit. legere est, cap. 46.) *ejusque piissimis liberis preces Deo suppliciter afferentes.* Hæc ibi.

Hactenùs præfata traditio probata est insigniter, sed addendum est summos Pontifices Francos ad orationes pro suo Rege fundendas indulgentiarum largitione incitare voluisse. Nam

Pro Rege Francorum orantibus Innocentius Papa IV. decem Indulgentiarum dies impertiit, ut legere est in gloss. Pragmat. Sanction. in proœmio 3. verbo, tueremur. De Selva in Tractat. de benefic. quæst. 23.

Clemens centum dies, ut testatur Joannes Ferrald. Privileg. 3. Regis Franciæ Leo Papa X. an. adjecit.

Hic non immoror in recensendis Conciliorum Canonibus, quibus statuitur orandum esse inter mysteria pro summo Pontifice, pro Episcopo proprio, & aliis, hoc enim clarius & illustrius est quam ut ulteriori probatione indigeat.

Ex dictis patet hoc sacrificium impetratorium esse, id est per illud impetrari non solùm adjumenta supernaturalia, sine quibus ad æternam salutem assurgere non possumus, sed etiam naturalia subsidia, ut puta alimenta, & alia id genus, quibus hæc vita continetur. Omnia enim per primum primi hominis peccatum amisimus, & in omnem amisissemus æternitatem, nisi Christus qui venit salvum facere quod perierat, omnia nobis tam gratiæ quam naturæ dona præsidiaque infinito suæ passionis mortisque pretio redempta reddidisset.

Indè fit ut Christi omnia illa nobis suâ morte promeriti merita per incruentum Missæ sacrificium nobis applicari postulemus ministerio Sacerdotum, qui Deo fideles commendant, utpotè qui offerant ipsi sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro Redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ. Cum enim primariò & per se universi & singuli homines ad vitam æternam contendere, atque adeò adjumenta ad illam assequendam necessaria primariò flagitare, bona autem temporalia nonnisi secundariò petere debeant, eo nomine quod hæc vita tota quantacumque est ad æternæ salutis assecutionem referenda, sine hujusmodi bonis propagari nequeat. Ergo Ecclesia offert per Sacerdotes sacrificium laudis, ut ex crucis sacrificio per Missæ sacrificium repræsentato continuatoque fideles primò Redemptionem animarum suarum, spem salutis, & exindè incolumitatem corporis & omnia bona ad illam vel continendam, vel recuperandam necessaria percipere valeant. Sic enim illam Canonis partem intelligendam esse docuerunt Innocentius Papa III. Alcuinus Gabriel Biel, Alexander de Hales, Odo Cameracensis, Florus Magister, & alii qui in sacri Canonis interpretationem operam contulerunt.

Hoc nempè ex SS. Patribus docuerunt. Nam S. Joan. Chrysostomus hom. 77. ita loquitur: Communes inquit, pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus. Et alibi, & in Liturgiis ejusdem S. Chrysostomi, & S. Basilii legimus sacrificium offerri pro pace reip. tranquillitate aëris & temperie.

Porrò per Missæ sacrificium bona temporalia impetrari, & per illud ipsum incommoda hujusmodi bonorum stragem importantia, propulsari declarat vir Tribunitius Hesperius, qui ut commemorat S. Aug. lib. 22 de civit. cap. 8. cum haberet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset rogavit ipso absente S. Augustino Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deo protinùs miserante cessavit. Hæc ibi.

Cum hactenùs de sacrificii nostri veritate, & efficaciâ egerimus, jam quærendum est pro quibus offerri possit & debeat. Sit itaque

Quæstio XVI.

Pro quibus Missa sacrificium offerri possit?

HÆC quæstio potest de multis personarum generibus intelligi. Nam quæri potest

1. Utrum offerri possit pro SS. in Cœlo regnantibus.
2. Utrum pro damnatis.
3. An pro infidelibus & impiis.
4. An pro Judæis incredulis.
5. An pro Hæreticis & Schismaticis.
6. An pro excommunicatis & peccatoribus induratis.
7. An pro fidelibus seu Populo sancto Dei.
8. Denique an pro defunctis fidelibus qui in Purgatorio detinentur. Ista omnia secututis conclusionibus sunt explananda.

Prima Conclusio.

Certum est & de fide non posse sacrificium offerri pro Sanctis, si per hæc verba intelligamus illis offerri sacrificium, quod uni duntaxat Deo utpotè supremo vitæ & necis arbitro, & dominatori offerri potest & debet.

2. Non potest sacrificium offerri pro Sanctis in Cœlu regnantibus tamquam propitiatorium quo pro eis alicujus culpæ, vel pœnæ remissio postuletur. Nam injuria est orare pro Martyre, cujus nos debemus oratione commendari, ut ait S. August. serm. 18. de verbis Apostoli. Unde Innocentius Papa III. in c. cum Martha, de celebrat. Missar. rectè dicit non prodesse sacrificium Sanctis, ut salventur cùm jam sint beati: sed ad hoc ut magis à fidelibus in terris glorificentur.

Unde 3. non potest pro ipsis offerri sacrificium ad impetrandum iis vel gratiam, vel essentialem gloriam, siquidem jam sont in termino, atque adeò, nec eorum gratia augeri potest, nec ipsâ essentiali gloriâ, quâ jam potiuntur, affici possunt. Quamvis igitur aliquis honor ad eos ex Missæ sacrificio derivetur, non tamen hujusmodi sacrificium eorum respectu impetratorium dici debet, sicut nec pro Deo impetratorium, dicitur cum in ejus celebratione nomen ejus sanctificari postulamus.

4. Concedimus pro Sanctis in Cœlo regnantibus offerri posse & reipsa offerri in Ecclesiâ Dei sacrificium Missæ, quatenus est latreuticum, & eucharisticum cum scilicet Deum cum ipsis adoramus, & eum ipsis, & eorum causâ ejus gloriam prædicamus, & agimus gratias pro singularibus beneficiis, quibus eos cumulavit, & ad gloriam extulit sempiternam.

De hac quæstione accuratiùs tractatâ in quæst. V. de sacrificio hîc plura non dicimus. Sit itaque

Secunda Conclusio.

Cum damnatorum supplicia sint æterna ut patet ex plurimis scripturæ locis, ut puta Matth. cap. 25. ubi Christus sic affatur reprobos: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et Marc. cap. 9. ubi ter repetit ista verba damnationem æternam astruentia; *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur* Nemo cordatus affirmare potest Missæ sacrificium pro iis offerri posse.

Hunc etiam esse errorem doctrinæ Catholicæ manifestè contrarium asseverat S. Aug. lib. 3. de animâ & ejus origine ad Vincent. Victorem cap. 12. *Noli credere*, inquit, *nec dicere, nec docere sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint offerendum, si vis esse Catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti, sacrificium Judæorum pro iis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. In quâ suâ sententiâ tam novâ & contra Ecclesiæ totius authoritatem disciplinamque prolatâ, verbo etiam insolentissimi usus es, dicens: pro his sane oblationes assiduas & offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia Sacerdotum: Ut te homo Laicus sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltem simul quærendo misceres, sed censendo præponeres: Aufer tibi ista, fili, non sic in viâ, quam Christus humilis seipsum esse docuit, ambulatur. Nullus cum hoc tumore per angustam portam ejus ingreditur.*

Hactenùs sanctus Augustinus: qui & idem confirmat in Enchirid. ad Laurent. cap. 109. *Cum ergo*, inquit, *sacrificia sive altaris, sivè quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Id est pœna damni quam patiuntur fideles in Purgatorio detenti, sic enim intelligendum esse S. Augustinum locus citatus liquidò patefacit.

Hoc ipsum pariter affirmat idem S. Augustinus in pluribus capp. lib. 21. de Civit. & præsertim cap. 17. in quo graviter insectatur Origenem, qui ut ait ibidem, *misericordior fuit qui & ipsum Diabolum, & Angelos ejus post graviora pro meritis & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis Angelis credidit. Sed illum propter hoc non immeritò reprobavit Ecclesia.* Hæc ibi. Id & ejusdem libri cap. 23. legere est. Ibi enim refelluntur qui dicunt nec Diaboli, nec malorum hominum perpetua fore supplicia. Unde colligendum est nulla pro damnatis offerri posse sacrificia.

Hanc doctrinam ipsa etiam Concilia docuerunt, ut patet ex Concilio Bracarensi I. quod sub Joanne Papâ III. anno Redemptoris 561. celebratum est. In eo quippè Patres congregati ita de Catechumenis sine baptismo defunctis statuunt in Decreto 17. *Item placuit ut Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.*

Ex hujusmodi Decreto duo colliguntur 1. Catechumeno illi qui sine Baptismo aut voto ejus decedunt, damnatio. 2. Ecclesiæ de hujusmodi hominum damnatione persuasio, siquidem eorum inter mysteria commemorationem fieri, & pro iis Psalmos, ut pro fidelibus fieri amat, decantari prohibet: imò jubet eos eodem modo adhiberi, quo tractantur homines male-sani, qui quolibet modo violentam sibi mortem intulerunt, id est deneget iis suffragia, quibus fidelibus defunctis opitulari solet.

Ab hujusmodi Decreto non deflectit Concilium Triburiense sub Formoso Papâ anno Redempt. 895. celebratum: sic enim statuit cap. 31. *Si inventus fuerit quis furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare aut eleemosynam dare, & eleemosyna pro eo data in memoriam nec Clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat.*

Hujusmodi sanctio supponit hominem, quem mors in ipso peccati actu implicatum interceperit, & ideò illum ceu æternis suppliciis addictum adhibendum esse: siquidem in illum conveniat terribile illud S. Augustini pronuntiatum: *Nemo te post mortem tuam fidelium redimit, quia tu te redimere noluisti.*

Tertia Conclusio.

Sacrificium Missæ non solùm indirectè potest offerri pro infidelibus, Judæis & aliis id genus hominibus, (in quantum scilicet directè offertur pro Ecclesiæ amplificatione, & indirectè pro eorum conversione per quam amplificatur,) sed etiam directè pro ipsis offerri potest.

Pro omnibus Infidelibus, Judæis, & aliis id genus hominibus præfatum sacrificium offerri luculenter asserit S. Joannes Chrysostomus in hom. de Adam & Eva. Sanctæ plebis Sacerdotes, inquit, cum per mandata sibimet datâ legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis causam totamque secum Ec- "
clesiam aggregantes, atque congemiscentes postulant & "
precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut ab idololatriâ, & impiis erroribus liberentur: ut Judæis ablato "
cordis velamine lux veritatis appareat: Ut Hæretici "

„ fidei Catholicæ perceptione resipiscant: Ut Schismatici „ spiritum redivivæ charitatis accipiant: Ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur; Ut Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc non inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere dignatur plurimos attrahere: quod adeò divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro talium correctione referatur.

Hactenùs S. Joannes Chrysostomus cui præclarè luculenterque succinuit S. Cælestinus Papa I. in aureâ illâ, quam de gratiâ Dei pro beato Augustino ad Episcopos Galliarum inscripsit, Epistolâ, cujus decimum caput in hæc verba conceptum est. Præter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones quibus nos piissimi Patres pestiferæ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita toto mundo atque in omni Catholicâ Ecclesiâ uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuit supplicandi: Cum enim sanctarum plebium præsules mandatâ sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, &c. quæ prætermittimus, utpotè quæ nihil differant ab S. Joannis Chrysostomi verbis, quæ proximè retulimus.

Non est igitur dubium quin Ecclesia Catholica per totum orbem longè lateque diffusa omnibus errantibus utatur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. *Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem, sive illi informandi sint adhuc, sive reformandi, seu recolligendi sive admittendi*, ut testatur S. August. in lib. de verâ religione cap. 6.

Cum igitur Ecclesia omnibus errantibus, qualescumque sint, gratiæ Dei participandæ potestatem impertiat, etiam pro illis orat, ut ad istius gratiæ participationem, sicut oportet, perveniant; ut testatur ille ipse S. Aug. in Epist. 107. ad Vitalem Carthaginensem. *Quando*, inquit, *audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem Populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces, & dic, te non facere, quod hortatur, id est Deum pro infidelibus ut eos fideles faciat non rogare, eo quod non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humana officia voluntatis.* Hæc ibi

Pro omnibus igitur & singulis hominibus adhuc hac in vitâ degentibus & orari & Missæ sacrificium offerri potest. Cum enim Apost. 1. ad Tim. c. 2. obsecrat obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus neminem penitùs excludit. Quis igitur ab hac generalitate vel Judæos (pro quibus utporè fratribus suis, & cognatis suis secundùm carnem optabat ipse anathema esse à Christo) vel excommunicatos excludere velit vel possit? Nemo sanè. Neque enim sic intelligendus est ille Apostoli locus, ut orari oporteat pro omni hominum genere duntaxat (ut quibusdam placet) non enim tantum intentio Ecclesiæ pro omnibus orantis ad hominum genera, sed ad singulos etiam homines respicit: unumquemque enim salvari. & non tantùm ex singulis hominum generibus aliquos ad gloriam æternam provehi expetit & flagitat. Indicat igitur & docet Apostolos orandum esse pro omnibus generatim hominibus, speciatim verò pro singulis, ita ut neminem prorsùs ab orationum nostrarum participatione repellamus, quantumvis perditus appareat. Cum enim de proximo benè sperare, nec quamdiu degit in terris, de ejus salute desperare teneamur, haud dubiè nostram illam spem per orationem quæ est spei professio, testatam facere debemus.

Hujusmodi veritas elucet ex eodem Apostoli loco, in quo jubet Christianos orare pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt: qui quidem plerique omnes erant perditissimi & immanissimi Christi & Christianorum persecutores, in quibus nulla spes emendationis affulgebat; ut patefecit luctuosus & miserabilis exitus, quo ex iis plurimi animam immani omnium scelerum mole obrutam exhalarunt.

Quæ cùm ita sint, quis neget pro Judæis & aliis id genus hominibus orari oportere? Si enim, ut ait S. Augustinus tractat. 31. in Joan. caput 7. *Judæi qui Christum occidebant, non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus dignatus est orare: dixerat enim: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat quosdam suos inter multos alienos: illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est, quod illis concessum est, & ab ipsis, & pro ipsis, ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis, sed numquid à nobis? At verò illi viderunt Christum suo scelere morientem & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem.* Hæc ibi.

Cum Christus pro Judæis suis interfectoribus suum sanguinem effundere voluerit, quis pro eorum conversione preces fundere detrectabit?

Hujusmodi charitate Judæos prosequitur Ecclesia quotannis, in ipso Parasceves die, licet ad orationem pro ipsis ad Deum exhibitam non respondeat Populus, Amen, sicut aliàs factitare solet. Tunc enim silet Populus Christianus, eo quod per fidem videat & audiat Christum, & voce, & sanguine clamantem, & inter supplicia veniam à Patre pro ipsis flagitantem. Quis enim inficiari velit Sanguinem Christi meliùs clamantem quam Abel infinitis partibus præponderare clamori, quo fideles se Ecclesiæ pro Judæis precatæ votis & postulationibus annuere significarent.

Si quis dicat semel tantùm Ecclesiam toto anni curriculo pro perfidis Judæis orare?

Respondeo Sacerdotem pro toto terrarum orbe, & pro infidelium conversione inter sacra mysteria orantem comprehendere Judæos licet à Christo penitùs aversos, & hæc est mens Ecclesiæ quæ intendit etiam Judæos commendare Deo, & eorum conversionem sub finem sæculi eventuram, cum ingenti desiderio præstolari. Quod indicat solemni illo ritu, quo peracto sacrificio Evangeliorum codex, qui ab sinistro altaris cornu deportatus fuerat ad dextrum, ab ipso ad illud ipsum sinistrum cornu reportatur. Siquidem Judæi repudiarunt Evangelium, & ab ipsis ad gentes translatum est, & ab ipsis gentibus ad ipsos denuò reversurum est. Quod mysterium declarat Apostolus Rom. cap 11. v. 25. *Nolo enim*, inquit, *vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* Et paulò post: *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos: secundum electionem autem charissimi propter Patres.* Hæc ibi.

Tametsi igitur perfidus ille populus Authorem vitæ in ipsius gratiam primitùs incarnatum interfecerit, illo tamen ipso die, quo tam immane facinus, id est, Deicidium perpetravit, pro ipso orat Ecclesia, utpotè quæ Israëlem Dei nusquam ad suam plenitudinem perventurum esse resciat, nisi ille ipse populus abdicatâ perfidiâ, & incredulitate convertatur ad Christum Jesum, & ejus Ecclesiam ad ipsius plenitudinem & fastigium, ita volente & miserante Deo, provehat.

Si quis dicat Missæ sacrificium esse dumtaxat offerendum pro membris Ecclesiæ à quâ sic tamquam membra putriscentia Hæretici, Judæi & alii de quibus suprà, segregati sunt.

Respondeo pro Judæis & aliis id genus offerri sacrificium, & orari non quod sint membra Christi, sed ut fiant membra Christi, quod sufficit ut pro iis & sacrificium offeratur & oretur, ut suprà ex S. Thomâ observavimus.

Quarta Conclusio.

Licet etiam indirectè offerre sacrificium pro Hæreticis & Schismaticis. Hoc enim Ecclesia factitat & orat, ut Hæretici abdicatis erroribus Catholicæ Fidei contrariis resipiscant, & amplectantur Fidem Ecclesiæ, à quâ, instigante diabolo, desciverunt: Orat & pro Schismaticis, ut repudiato Schismate ad unitatem Corporis Christi redeant, & subditi eidem Christo, cui se per solemne Baptismi votum addixere, constitutis ab ipso Pastoribus omni animi sinceritate pareant.

Si quis dicat Hæreticos & Schismaticos excommunicatos esse, & ideò pro ipsis orari non posse.

Hanc objectionem dissolvet

Quinta Conclusio.

Pro Excommunicatis orari potest, & Missæ sacrificium offerri. Quomodo autem id fieri possit & debeat, aperit S. Thomas in 4. sent. dist. 18. in q. 2. in solut. quæst. 1. ad 1.

Dicendum, inquit, quod pro infidelibus oratur, sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad Fidem convertantur. Similiter & pro Excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quamdiu in Excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab Excommunicatione solvantur.

Et ibidem ad 2. Ecclesia, inquit, per Excommunicationis sententiam separat Excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit. Undè suffragia Ecclesiæ eis non prosunt, quæ pro totâ Ecclesia fiunt: nec ex personâ Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest: quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere. Hæc ibi.

Hoc igitur modo potest aliquis orare pro Hæreticis, Schismaticis, & aliis Excommunicatis, etiamsi fuerint nominatim à Judice excommunicati, vel notorii Clericorum percussores. Ratio hujus rei indè petenda est: quod quamvis Excommunicatio sit omnium pœnarum, quæ Christianis possunt irrogari, gravissima, est tamen cæterarum adinstar pœnarum medicina. Quis ergo jure ac meritò succenseat hominibus Christianis, si non publicè, nec nominatim, nec in ullâ Missæ parte, sed tacitè in intimo cordis recessu ad Deum pro illorum conversione preces adhibeant, ut ipso Deo illorum corda tangente abdicatâ, propter quam excommunicati sunt, contumaciâ resipiscant. Atque ita Excommunicatione, ceu medicinâ curati, ad æternam salutem perveniant. Quod enim hîc tradimus, SS Patres perspicuè docuerunt, ut legere est apud S. August. in Psal. 65. & in Psal. 82. *Impendamus*, inquit, *in eos magnam charitatem & abundantem misericordiam in deprecando Deum pro illis*. Hæc ille.

Non est hîc prætermittendum insigne illud hortamentum, quo S. Leo Christianos omnes ad tale charitatis & misericordiæ in Hæreticos, & iis similes exercendæ officium incitat serm. 4. exeunte in Epiphan. solemn. *Ecclesiasticum sanè, atque divinitùs institutum, non solum non inhibemus*, inquit, *sed etiam incitamus affectum: ut etiam pro talibus* (Hæreticis) *nobiscum Domino supplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mærore miseramur, exequentes Apostolica pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus. Speramus enim exorandam misericordiam Dei, multis lachrymis & legitimâ satisfactione lapsorum: quia dum hîc in corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio auxiliante Domino, qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat cæcos.* Hactenùs S. Leo loco citato.

Potest igitur orari & sacrificari pro Hæreticis, Schismaticis, & aliis pariter Excommunicatis, ut depositâ animi contumaciâ, sese in sinum matris Ecclesiæ referant. Licet tam eorum, quàm aliorum Ecclesiæ hostium nomina à sacrificante juxta veterem Ecclesiæ disciplinam exprimi non debeant: si præsertim sint ex eorum numero, qui vitari debent, & publicè denuntiati sint excommunicati. Tunc enim Ecclesia Dei sic abhorret ab hujusmodi hominum affectatâ contumaciâ, ut ne ipsorum quidem nomina inter tremenda mysteria recitari patiatur. Sicut & prohibet, ne quis ex suis Sacerdotibus, cum velut ejus Minister pro ipsâ, seu ipsius membris sacrificium offert, offerat illud pro Hæreticis, Schismaticis, & aliis Excommunicatis, saltem iis qui vitari debent. Cum enim per Excommunicationem Ecclesiæ membra esse desierint, nefas est eos facere participes suffragiorum, quæ unis dumtaxat Ecclesiæ membris impendi necesse est.

Cum ex dictis hactenùs pateat sacrificium Missæ offerri posse pro Hæreticis, Schismaticis, & aliis Excommunicatis, nemini dubium est, quin pro peccatoribus induratis, & aliis fidelibus viventibus & defunctis offerri valeat & debeat.

Hisce Conclusionibus ostendimus, pro quibus Missæ sacrificium offerri possit. quia tamen Hæretici negant pro mortuis præsertim offerri posse, ideò eorum error peculiari quæstione refellendus est. Sit itaque

QUÆSTIO XVII.

Utrùm Missæ sacrificium pro fidelibus defunctis, & in Purgatorio detentis ab Ecclesia Ministris ritè offeratur.

Respondeo neminem esse Catholicum quin orationes & sacrificia pro fidelibus defunctis offerri solita ad Fidem Catholicam pertinere credat, doctrinamque contrariam, velut Hæreticam rejiciat.

Hæc responsio argumentis bene multis ineluctabiliter astrui potest, & imprimis comprobari ex Aërii condemnatione, qui quidem ingenti damno in mundum introductus, furiis quibusdam percitus, & insolentiâ majorem in modum elatus, & ab Episcopatu, quem miris prensabat artibus & modis, depulsus multas Hæreses disseminare cœpit, & imprimis sacrificium pro fidelibus defunctis non esse offerendum, ut testatur S. Epiphanius lib. 3. tom. 1. Hær. 75. & S. Augustinus Hæres. 53.

Aërium autem damnatum, & ad sacrilegos Hæreticorum greges ablegatum esse, quod impia dogmata in orbem Christianum invehere, & imprimis dogma, quo preces pro mortuis factitari solitas, ut inutiles abrogare contenderet, affirmat S. Augustin. & alii Patres, qui quidem decretorio Ecclesiæ Catholicæ judicio suffulti Aërium propter impium illud dogma condemnatum inter Hæreticos recensuerunt, nontantum ut Judices, sed etiam ut testes locupletissimi, qui Ecclesiæ Catholicæ Fidem ab Apostolorum sæculo ad sua usque tempora propagatam, suoque testimonio munitam ad posteros transmiserunt.

Cui rei illustre testimonium perhibet S. Epiphan. qui commemorat Aërium adhuc superstitem damnatum esse, quod nonnulla placita, eaque hæretica, & imprimis placitum ad evertendas orationes pro fidelibus defunctis celebrari solitas, comparatum furiis percitus disseminaret. Quod jure ac meritò facit, non enim loquitur ex privato suo sensu & arbitrio, sed juxta irreformabile Ecclesiæ Catholicæ judicium, quæ

damnaverat Aërium, ne ab Apostolicâ traditione orationes pro fidelibus defunctis indicente & propagante, vel tantillum desciscere videretur.

Quod illustriùs apparebit ex recitato ejusdem S. Epiphanii loco. *Quod verò spectat ad ritum illum quo mortuorum nomina pronuntiantur* (inquit loco citato, id est, Hæres. 75. num. 7.) *quid eo esse potest utilius? quid opportunius, aut verò admiratione dignius? Nempè ut qui adsunt, certissimè sibi persuadeant mortuos vivere, nec in nihilum interiisse, sed existere adhuc, atque apud Dominum vivere. Tum ut religiosissimum illud dogma prædicetur, quo qui fratribus precantur, benè de illis sperare constat, quasi peregrè profectis. Cæterùm quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas (si nempè aliquæ superessent in ipsis mortales) extinguant. Verùm ex eo prosunt quod plerumque dum adhuc in terris degimus, sponte aut inviti titubemus: ut id quod perfectius est, significetur. Nam & justorum pariter & peccatorum mentionem facimus: Peccatorum quidem, ut iis à Domino misericordiam imploremus: Justorum autem ac Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Anachoretarum, ac cœtus illius universi, ut Dominum Jesum Christum singulari quodam honore prosequentes ab cæterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum, illius Majestati tribuamus.*

Hactenùs sanctus Epiphanius, qui & ibidem, & paulò pòst se ex divinæ traditionis authoritate ita locutum esse declarat. *Sed his omissis*, inquit, *eò undè diverteram redeo; ac necessariò facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit. Potest verò quisquam maternam sanctionem, aut legem Patris evertere? Quemadmodum à Salomone scriptum est: Audi fili sermones Patris tui, & ne repellas leges Matris tuæ: quibus Patrem, hoc est, unigenitum Deum cum Spiritu sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse: Matrem verò nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi, evertique nequeunt.* Hæc ibi.

Ex his S. Epiphanii verbis constat orationes pro mortuis concipi solitas ex Apostolicâ traditione ad Ecclesiam Catholicam esse derivatas. Enimverò ita docuere antiquissimi Scriptores, & Apostolicis temporibus proximi. Ut videre est apud Tertullian. ita loquentem lib. de Coronâ militis, cap. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis* (Martyrum) *annuâ die facimus.*

Et ibid. cap. 4. *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum*, inquit, *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, & consuetudini & fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces. Interim non nullam esse credes, cui debeatur obsequium.* Ita Tertullianus, qui & libro de Monogam. cap. 10. illam ipsam fidem circa suffragia fidelibus defunctis impendenda liquidò contestatur.

Laudabilem illam pro defunctis fidelibus orandi & sacrificandi consuetudinem ad traditionem Apostolicam referunt sancti Patres.

Ita sanctus Joannes Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Philipp. *Non frustrà hæc*, inquit, *ab Apostolis sunt legibus constituta, ut inter tremenda mysteria, eorum qui decesserunt, memoria recolatur. Noverunt hinc ingens lucrum & magnam utilitatem ad illos derivari. Eo enim tempore quo populus universus stat passis manibus, & astat Sacerdotum cœtus, illudque terribile sacrificium offertur & proponitur, quomodo non placabimus Deum pro ipsis orantes.* Hæc ibi.

Idipsum confirmat sanctus Joannes Chrysostomus hom. 69. ad Popul. Antioch. idem testatur S. Augustinus de verb. Apost. serm. 32. cap. 2. *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari: ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro iis qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Hæc ibi.

Dies me deficeret si enumerando percensere vellem omnes Patres & Theologos, qui laudabilem illam pro defunctis fidelibus orandi, offerendique consuetudinem ab Apostolicis temporibus ad nostram hanc ætatem, sic tamquam sacro divinæ traditionis alveo derivatam esse, uno animo, calamoque prodiderunt.

Porrò, si quis cum Petro Martyre, Calvino, & aliis Hæreticorum Primiceriis, fateatur antiquiores quosque Patres in eam fidem penitùs inclinasse, ita ut orationes & sacrificia pro defunctis fidelibus celebrari solita, ab Apostolis tradita esse passim & verbo & exemplo docuerint, & quærat cum ipsis quo Scripturæ loco, quâ revelatione, quo exemplo id in Ecclesiam invectum fuerit?

Hujusmodi hominum cavilli obterendi sunt omnium Patrum authoritate, & imprimis sancti Augustini in pluribus suorum operum locis, sancientem, ab omni antiquitate irreformabile hoc pronuntiatum: QUOD, inquit, UNIVERSA TENET ECCLESIA, NEC CONCILIIS INSTITUTUM, SED SEMPER RETENTUM EST, NON NISI AUTHORITATE APOSTOLICA TRADITUM RECTISSIME CREDITOR. Ita sanctus Augustinus lib. 4. de Bapt. contra Donatist. cap. 24.

Quod & asserit lib. 2. de Bapt. adversus eosd. Donat. c. 7. *Sunt multa*, inquit, *quæ non inveniuntur in litteris Apostolorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.*

Idipsum repetit lib. 5. de Bapt. advers. eosd. Donat. cap. 23. *Sunt multa*, inquit, *quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*

Quod si Calvinus, & ejus Sectarii de S. Augustino sentire velint, ut de ipso Calvinus ipse se sentire professus est, certo certius credent omnes Ecclesiam Dei nusquam orasse, vel oraturam fuisse pro fidelibus defunctis, nisi id ex Apostolorum traditione didicisset.

Quod si instigante Hæreseon satore diabolo, mentiatur iniquitas sibi, & Hæretici spiritu vertiginis afflati & in controversias implicati, modò in aientem partem, modò in negantem propendeant, deserendi sont, ut homines ab omni ratione desetti, ab omni veritate alieni, ab omni denique Religionis, pietatisque sensu derelicti.

Quis enim ferat Calvinum contumeliis lacessentem sanctum Augustinum (de quo alibi magnificè prædicat) cum Instit. lib. 3. §. 10. ita loquitur: *Monicam matrem suam*, inquit, *in libris Confessionum narrat Augustinus vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad Altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam Scripturæ: sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de curâ pro mortuis agendâ ab eo compositus tot hæsitationes continet, ut suo frigore merito debeat stulti zeli calorem extinguere; si quis mortuorum patronus esse appetat, frigidis certè verisimilitudinibus securos reddet qui priùs erant sollicititi. Hæc enim una est fultura, quia invaluit consuetudo, ut preces adhibeantur pro mortuis, non est spernendum hoc officium.* Et paulò pòst: *Quum*, inquit, *tota Lex & Evangelium ne unâ quidem syllabâ libertatem suggerant orandi pro mortuis, profanatio invocationis Dei est, tentare plusquam nobis præcipiat.* Hæc ibi.

Cum quispiam ista Calvini verba perpendit, non potest, quin erumpat has in voces: *Semper varium & mutabile monstrum, Hæresis.*

Sed his omissis videamus, utrùm illud desiderium,

quo sancta Monica sui commemotationem post obitum ad Altare factitari cupierit, fuerit anile votum, & utrùm illud ipsum ad Scripturæ normam ab S. August. non fuerit exactum. Sit itaque

Quæstio XVIII.

Utrùm Calvinus sanctam Monicam, & sanctum Augustinum jure ac merito hac in parte culpaverit?

QUod spectat ad primum, utrùm scilicet præfatum illud desiderium fuerit votum anile; hoc sine mendacio & calumniâ affirmari non potest. Hoc enim duntaxat anile appellari potest & debet, quod ex vetulorum, vetularumve muliercularum præcipitante senio delirantium, cerebro proficiscitur, & nullo, vel rationis, vel approbatæ consuetudinis suffragio nititur. Atqui religiosum illud sanctæ Monicæ desiderium procul abfuit ab vetularum delitamentis, nam vel antequam nasceretur, & antequam obiret, multi illud officium sibi præstari cupierunt, & reverâ illis impensum fuerat. Quaproptet quam præposterè & insulsè S. Monicæ desiderium, quo sui post obitum suum memoriam ad Altare factitari cupiit, anile votum appellare non dubitet Calvinus, deprehendet quisquis, vel ipsum Calvinum de Ecclesiâ, & de precationibus pro defunctis adhiberi solitis loquentem audierit.

1º, Quidem de Ecclesiâ & de ejus authoritate sic prædicat, ut quingentis circiter annis magis florsuisse Religionem, & synceriorem doctrinam viguisse sine ullâ tergiversatione fateatur lib. 1. Institut. cap. 11. §. 13. Et lib. 4. Institut. cap. 2. §. profitetur, ceu rem certo certiorem nihil à principio usque ad ætatem SS. Patrum (id est, per quingentos circiter annos) mutatum fuisse in doctrinâ ex quâ sumebant SS. Pattes quod novis erroribus conficiendis sufficeret, causati nimirum ab Hæreticis oppugnari doctrinam, ab ipsis usque Apostolis constanter, & unanimi consensu retentam. Hæc ibi.

2º, Ille ipse Calvinus lib. 3. Instit. capit. 5. §. 10. fatetur ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis. Hæc ibi.

Ex his Calvini locis sic argomentari juvat.

Quingentis circiter annis synceriot doctrina in Ecclesiâ viguit, citra ullam exceptionem, nihil enim Calvinus excipit.

Ergo desiderium, quo religiosissima sancti Augustini Mater sui memoriam ad Altare factitari voluit, anile, seu delirantis mulierculæ votum citra impudentem, referventemque calumniam appellari non potest.

Si enim Orthodoxæ doctrinæ synceritas nullis omninò erroribus infuscata quingentis circiter annis perseveravit in Ecclesiâ Dei, & per quingentos hujusmodi annos pro defunctis fidelibus orandi, sacrificandique doctrina constanter & unanimi Catholicorum consensu retenta, & ad praxim adhibita est, an reperiri poterit quispiam sanæ mentis, qui personam aliquam laudabilem illam pro defunctis fidelibus orandi, sacrificandique consuetudinem sibi post obitum applicari cupierit?

Cum Calvinus loco citato ingenuè confessus est ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse ut precationes fierent pro defunctis, quærit ab Catholicis, quo Dei verbo, quâ revelatione, quo exemplo id factum sit.

Sed vicissim quærunt ab ipso Catholici, quo Dei verbo, quâ revelatione, quo exemplo laudabilem illam pro defunctis orandi, sacrificandique consuetudinem ab universâ Ecclesiâ longè, latéque observatam expugnare tentaverit? An Dei verbo? At cum ex omnium Patrum, Theologorumque sententiâ, duplex sit Dei verbum, æquali authoritate præditum, unum scilicet scriptum, id est, sacris utriusque Testamenti litteris comprehensum, & alterum non scriptum quidem, sed ab Apostolicis fontibus ad omnium sæculorum Christianos Catholicos incorrupto fidelissimæ traditionis alveo derivatum, neutrum Calvino ad evertenda pietatis officia, quæ præstantur mortuis suffragatum est umquam, aut ejus discipulis suffragari poterit. Nam quæ Scriptura, quæ traditio, qui Pattes, quæ Concilia ad profligandos errores coacta precationes, & alia pietatis officia ad sublevandas defunctorum fidelium animas adhiberi solita ex orbe Christiano proscribenda esse censuerunt?

Sed fortè Calvinus ex peculiari quadam revelatione sibi factâ precationes pro mortuis factitari solitas abrogandas esse didicerit? Sed absit, ut vir Catholicus Calvino Hæresiarchæ quippiam divinitùs revelatum esse persuasum habeat? Quandoquidem certo certius est ipsum, & ipsi similes esse ex eorum numero qui à Prophetâ dicuntur sedentes in Cathedrâ pestilentiæ: Ab sancto autem Petro Magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis: Ab Apostolo denique Paulo vocantur Hæretici, homines corrupti mente, reprobi circa Fidem attendentes spiritibus erroris, subversi, & suo ipsorum judicio condemnati.

Reverâ sunt Antichristi: sicut enim in consummatione sæculi hominibus Antichristo credituris (eo quod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent) mittet Deus operationem erroris, ut credant mendacio, sicut testatur Apostolus 2. ad Thessalonic. cap. 2. v. 10. ita & nunc ille ipse Deus judicio nunquam injusto, sed semper occulto permittit Christianos tepidos & hæsitantes in Fide decipi ab Hæreticorum antesignanis, quibus mittit operationem seu energiam erroris, illusionis, & imposturæ, id est, mittit homines, qui diabolo in ipsis efficaciter operante Christianos parum fideles decipiant, fallant, & in deterrimos errores inducant.

Ne quis nos existimet id obtrectandi studio de Hæresiarchis, Hæreticisque proferri, juvat nonnulla eorum proferre testimonia, quibus illud ipsum quod asserimus, asserunt.

Nonnè Calvinus primæ cohortis dux, in Epist. ad Bucerum disertè testatur se à quodam genio ad convicia, probra, & maledicta, à quibus abstinere non poterat, incitari? Quibus verbis hominibus oculatis se ab spiritu blasphemiæ contentionis & erroris agitari, circumferrique declaravit.

Ipsimet Hæretici hoc ipsum de Calvino, Calvinianisque testificantur.

Schlusselburgius proœmio l. Calv. Theol. testatur quod Calviniani somniis à nigro dæmone instillatis testamentum filii Dei labefactare, everteteque nituntur.

Idem lib. 1. Theolog. Calvin. art. 20. non dubitat opinionem Calvinianorum de Cœnâ ab quodam spectro, id est, ab ipso spiritu tenebratum suppeditatam esse. Et lib. 2. art. 1. Bezam dialogum quem Creophagiam nominavit, haud dubiè dictante diabolo contra Filii Dei testamentum concinnasse, Et artic. 11. ipsum Cacodæmonem esse Magistrum omnium Calvinistarum. Et denique lib. 3. art. 8. contendit spiritum Calvinisticum esse spiritum tenebratum, & Satanam per Calvinistas, organa sua loqui.

Porrò quicquid hic Calvinistis ascribitur, aliorum Hæreticorum exemplis facilè comprobatur.

S. Irenæus, Author antiquissimus & probatissimus affirmat Marcum quemdam (cujus meminit S. Epiphanius in Marcosiorum Hæresi, quæ est apud ipsum 34) qui præstigiis mulierculas præsertim suos in errores allicere consueverat, familiarem habuisse dæmonem: *Datur autem*, inquit, *intelligi eum, & dæmonem quemdam habere paredrum, per quem ipse quoque prophetare videtur.* Ita sanctus Irenæus adversus Hæreses lib. 1. cap. 9. quod & confirmat lib. 2. cap. 57. asserens Hæreticos dæmonum operâ uti, & enim iis familiariter versari, imò dæmonas in ipsis mendacia

& errores efficaciter operari. Hanc in rem paulò liberiùs digredi placuit, ut Hæreseon satores ab uno diabolo instigatos, & percitos sua placita, commenta, mendacia disseminare cerneretur & appareret.

Porrò ut ad id undè digressi sumus, redeamos, quæro ab ipso Calvino, quod & quærit à nobis, quo exemplo precationes pro defunctis fidelibus factitari solitas ex ipsâ Ecclesiâ, quæ per mille & trecentos annos eas solemniter usurpavit, ut ipsemet confitetur, revellere & ablegare tentaverit.

Nullum proculdubiò hujus temeritatis & insaniæ exemplum proferre poterit, præter factum Aërii, de quo suprà diximus, qui quidem inter cæteras Hæreses istam quoque de precationibus pro defunctis fidelibus abrogandis, in orbem Christianum invehere tentavit: quippè qui eas inutiles & supervacaneas esse causaretur. Sed pessimo sanè facto nititur Calvinus. Nam infanda illa Aërii Hæresis in ipsis jam tùm, ut ita dicam, in cunabulis præfocata est.

Procul igitur ablegandus est Calvinus, & procul amandandi Calvinistæ, qui perfractis omnibus religionis & modestiæ repagulis omnem erga fideles mortuos pietatem extinguere, & ex fidelium cordibus revellere voluerunt.

Adhærescamus igitur ad sequentes articulos, quos ab omni ævo Ecclesia Catholica docuit, & singulari vorionis affectu exercuit.

1°, Dicimus orationum & sacrificiorum pro fidelibus defunctis offerri solitorum praxim esse antiquissimam, & ab Apostolicâ traditione profectam. Siquidem, ut paulò antè vidimus ex sancto Augustino, id censetur ab Apostolis traditum, quod semper in Ecclesiâ retentum, nec ab ullis Conciliis institutum esse deprehenditur. Licet enim precationum & sacrificiorum, quæ pro mortuis offerri consueverant, Concilium Carthagin. III. cui affuit sanctus Augustinus, can. 29. & IV. item Carthagin. can. 79. & Cabilonense II. can. 39. & Wormatiense, can. 10. & alia plura Concilia meminerint, non tamen ista pietatis erga mortuos officia ab ipsis instituta reperiuntur.

2° Contendimus precationes & sacrificia pro mortuis offerri solita, fundata esse non solùm in charitate, sed etiam in fide. Cum enim hujusmodi officia nobis commendant sancti Patres, non solùm ea commendant ut actiones ab charitate imperatas, sed etiam ut actiones Fidei ab Spiritu sancto profectæ, quarum approbatio retinenda est veluti pertinens ad Fidem, ita ut ejus negatio sit hæretica, & digna quæ Anathemate feriatur. Ita testificata est Ecclesia cum Aërium precationes pro mortuis damnantem, & pertinaciter impugnantem, ut Hæreticum habuit & declaravit. Idipsum testatur S. Joann. Chrysostom. hom. 22. in cap. 10. Act. Apost. Idipsum tradit S. August. serm. 32. de verbis Apost. Et de 8. quæstion. Dulcit. quæst. 2. & de Hæresi, cap. 53.

3°, Precationes & sacrificia pro defunctis fidelibus necessariò offerenda esse credimus, ut ostendimus ex sancto Epiphan. cujus verba suprà in ipso jam tùm quæstionis hujus exordio recitavimus. Et id etiam affirmat sanctus Augustinus in libro de curâ pro mortuis gerendâ, cap. 4. *Non sunt*, inquit, *prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christianâ & Catholicâ societate, defunctis etiam tacitis nominibus quorumque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab unâ eis exhibeantur piâ matre communi.* Hactenùs sanctus Augustinus loco citato

4°, Ex dictis hactenùs colligimus adversus Calvinum, & ejus discipulos, perfidos Ecclesiæ desertores desiderium sanctæ Monicæ sui ad Altare memoriam factitari flagitantis non fuisse anile votum, ut impudenter dictitant Heterodoxi, sed christianissimum desiderium, quo sese post obitum Ecclesiæ suffragiis adjuvari cupiebat.

Quod si Hæretici transfugæ, & desertores, in hujusmodi sententiâ Fidei, suprà quam dici potest, contrariâ hærere velint, eò adigentur, ut Ecclesiam Dei per mille & trecentos annos in errore versatam fuisse, & pro Catholicis dogmatis anilia quædam, seu vetularum deliramenta venditasse, debeant admittere. Enimverò Calvinus, ut paulò antè vidimus, disertè profitetur quinque prioribus Ecclesiæ sæculis syncetam in eâ, Catholicamque viguisse doctrinam. Ergo tunc non proposuit fidelibus aniles fabulas, veluti suæ Fidei articulos, alioquin ab præfatâ Catholicæ doctrinæ synceritate procul abfuisset. atque ita contra certissimam Christi Domini repromissionem in errores & Hæreses impegisset: quod quidem nec Calvinus, nec ejus asseclæ citra blasphemiam, vel credere, vel proferre audeant.

Præterea cum illa pro fidelibus defunctis orandi consuetudo per mille & trecentos annos viguerit in Ecclesiâ, ut ipse Calvinus profitetur, illam toto tredecim sæculorum curriculo errasse, suosque filios erroribus implicasse necessariò fatendum est, quod tamen numquam ipsi admittent Hæretici, utpotè qui repugnarent Apostolo prædicanti, illam ipsam Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis.

Non potest igitur jure ac meritò sanctæ Monicæ desiderium anile votum nominari, cum ex adverso Calvinianorum precationes, quæ ad sublevandas defunctorum fidelium animas celebrari solent, impugnantium, non anile placitum, vel deliramentum, sed portentum ab dæmone in ipsis errorem efficaciter operante excogitatum appellari, debeat.

Calvinus præfatum religiosissimæ Matronæ desiderium anile votum appellare non satis habuit: sed insuper sanctum Augustinum accusavit quasi satorem doctrinæ, quam ad scripturæ normam non exegerit.

Quod profectò falsissimum est. Nam legerat sanctus Augustinus libros Machabæorum, in quibus sacrificium pro mortuis oblatum esse legitur: Ergo hanc doctrinam de orationibus & sacrificiis pro mortuis fidelibus offerri solitis ex Scripturâ didicerat: sed hujusmodi doctrinam eum ex Machabæorum libris non hausisse supponamus, eam tamen ex aliis Scripturæ libris hausisse facilè demonstrabimus. Sed imprimis illum ipsum sua sensa promentem audiamus.

In Machabæorum libris, inquit, *legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi numquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas: ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum.* Hactenùs sanctus Augustinus libro de curâ pro mortuis gerendâ, cap. 1.

Dato igitur non concesso, quod nulla de precibus & sacrificiis pro mortuis oblatis, vel offerendis mentio in veteri Testamento reperiatur, Scripturarum tamen novi Testamenti authoritate comprobatur.

Quod ut fiat, observandum est nihil ad Religionem Christianam pertinere quod non aliquo Scripturæ testimonio sic tamquam fundamento, vel generali, vel speciali, vel actuali, vel virtuali, vel immediato, vel mediato fulciatur. Ac reipsâ quidem nemo est Theologus quin resciat in duplici traditione scriptâ videlicet, & non scriptâ, omnia Christianæ Religionis dogmata ad Fidem pariter & ad bonos mores pertinentia contineri. Cum igitur aliquis Fidei articulus declaratur, nec in Scripturâ legitur, sed ex traditione dumtaxat non scriptâ proponitur, perindè ad credendum obligat, ac si disertis verbis in Scripturâ contineretur.

Hujusmodi propositio est de Fide, siquidem innititur authoritate Apostoli omnes Christianos in per-

sonâ

fonâ Thessalonicensium his vocibus alloquuti : *Itaque fratres, state, & tenete traditiones quas didicistis. sivè per sermonem, sivè per epistolam nostram.* 2. Thessal. cap. 2. verf. 14.

Ex pulcherrimo illo & evidentissimo Apostoli loco omnes Patres duplicem traditionem pari ad astruendos Orthodoxæ Fidei articulos authoritate pollentem, necessariâ consecutione intulerunt.

Quod sanè probatu facillimum esset, nisi nos prolixitas Lectori forsan fastidium paritura ab hujusmodi proposito revocaret.

Ne tamen Hæretici credant nos gratis hæc in parte philosophari, juvat in medium adducere testimonia trium hominum, qui in tribus totius orbis partibus post hominum memoriam doctissimi floruerunt.

Ex Asiâ seligam magnum Basilium Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopum, id ipsum quod asserimus astruentem in lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Dogmata*, inquit, *& instituta quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto proditâ, quædam verò rursùs ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus : quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto prodita non sunt, tamquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potiùs ipsam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Hæc ibi sanctus Basilius, qui & ibidem plura commemorat, quorum fides & observatio unâ dumtaxat traditionis non scriptæ authoritate innititur.

Ex Europâ proferam eximium illum Constantinopoleos Patriarcham, ex Asiâ in Græciam translatum Joannem scilicet Chrysostomum, ita loquentem, hom. 4. in cap. 2. 2. ad Thessalor. *Perspicuum est*, inquit, *quod non omnia* (Apostoli) *tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius.* Hæc ibi sanctus Joannes Chrysostomus.

Ex Africâ seligam S. Augustinum omnium Hæreseon debellatorem acerrimum, traditionem non scriptam adversus Hæreticos propugnantem. *Sunt multa*, inquit, *quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta, benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Hæc ille lib. 5. de Bapt. advers. Donat. cap. 23.

His ita constitutis evidentissimum est turpiter allucinari Hæreticos, qui contendunt ea dumtaxat ad salutem esse necessaria, quæ vel disertè, & nominatim continentur in verbo Dei, vel ex ipso inferuntur per consecutionem necessariam. Nam ut præclarè & eruditè observat Cardinalis Perronius (qui de Hæreticis in hoc regno ipsius ætate pullulantibus perennem victoriam reportavit) si verbum Dei accipiant, dumtaxat pro solo Dei verbo scripto, seu utriusque Testamenti libris comprehenso, & si per necessariam consecutionem intelligant consecutionem necessariam immediatam, id est, ex præfato Dei verbo illatam, uno dumtaxat interno ratiocinationis adjumento, ita ut nullum externum doctrinæ medium Scripturæ authoritate approbatum adhibitum fuerit: Talis consecutio erit mera petitio principii. Siquidem statuit pro principio & fundamento disputationis illud ipsum, quod est omnis controversiæ inter Orthodoxos & Heterodoxos obortæ caput & seminarium. Nam ex quo natæ sunt Hæreses, id potissimum in controversiam evocatum est, utrùm traditiones non scriptæ, quas Ecclesia ab omni ævo velut Apostolicas tenuit & coluit, legum & sanctionum Apostolicarum, atque adeò divinarum titulo & authoritate excludi debeant.

Quâ in re non minùs Hæretici ab Orthodoxâ Fide dissident, quam veritas à falsitate, lux à tenebris, Paradisus ab inferis, & demum Christus à Belial discrepat. Nam ut suprà ex Apostolo & S. Patribus, & hîc & alibi probavimus, constat utrasque traditiones in sanciendis & declarandis Fidei Catholicæ articulis obtinere parem certitudinis & authoritatis gradum : ita ut quicquid traditione non scripta sancitum, vel ab Ecclesiâ declaratum fuerit, eâ polleat authoritate, divinâ nempè, quâ fulgent omnia, quæ Scriptura divinitùs inspirata complectitur.

Atqui tales sunt orationes, talia sunt sacrificia quæ quotidiè in Ecclesiâ Dei pro defunctis fidelibus offeruntur per consuetudinem omni memoriâ antiquiorem, quam nemo præter Aërium inferorum furiis percitum, & inauditâ superbiâ elatum impugnare ausus est. Istius Hæretici imò Hæresiarchæ vestigiis institere Calviniani, utpotè eodem furoris, erroris que spiritu afflati traditionem non scriptam, seu Fidei amussim & regulam ab omni antiquitate unanimi Christianarum gentium assensu & usu approbatam, nusquam admittere voluerunt.

Procul ergo facessat Calvinus cum suis Asseclis aientibus desiderium sanctæ Monicæ sui memoriam ad Altare factitari cupientis, esse anile votum, cui obsecutus est sanctus Augustinus ex benignâ quadam erga matrem indulgentiâ, ita ut illud ad Scripturæ normam non exegerit : Quod à veritate penitùs abhorret. Nam traditam per tot sæcula pro fidelibus defunctis orandi sacrificandique consuetudinem ex evidentissimis Scripturæ testimoniis asseruit,

Nam 1°, ex Scripturâ cognovit esse duo traditionum genera: aliæ enim sunt scriptæ, id est, utroque testamento comprehensæ: aliæ non scriptæ, id est, ad posteros SS. Patrum ministerio transmissæ : aliundè precationes pro defunctis fidelibus ad postremum traditionum genus pertinere didicit ex iisdem Patribus, & præsertim ex sancto Ambrosio, quem in Fide Doctorem, & in regeneratione patrem habuit.

2°, Legit in Scripturis Christum Ecclesiæ suæ repromisisse spiritum veritatis, ut cum ipsâ maneret in æternum, ita ut portæ inferi, id est, Hæreses, & alia id genus monstra nusquam adversus eam prævalerent. Præterea perspectum habuit & cognitum illam pro defunctis fidelibus orandi, sacrificandique consuetudinem tenentam, & immenso tempore observatam esse in Ecclesiâ toto orbe diffusâ, quæ cum sivè per disjunctissimas terrarum regiones sit effusa, sivè unum in locum ex variis illic terrarum regionibus evocata, coactaque in rebus Fidei, & in morum sanctionibus errare nequeat, rectè conclusit legitimam & Apostolicam esse pro defunctis fidelibus orandi consuetudinem, utpotè quæ ad unam Apostolorum traditionem referenda declararetur.

Sanctus igitur Augustinus fundamento saltem mediato ex sacris litteris assumpto, præfatam consuetudinem orandi pro mortuis ad articulos Fidei pertinere credidit, & hunc ipsum articulum, ex iisdem sacris litteris traditionis non scriptæ adminiculo hausit, docuit, ad posteros transmisit. Præterquam quod litteris consignavit solidissimum illud pronuntiatum ad profligandas quaslibet Hæreses imprimis idoneum. *Quod*, inquit, *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Ita sanctus Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donat. cap. 24.

Reverà sanctus ipse Augustinus tantopere Ecclesiam Dei coluit, ut affirmaverit se, ne ipsi quidem Evangelio crediturum esse, nisi ejus authoritate commoveretur. Undè & docuit nos pulcherrimum illud effatum : *Si quid*, inquit, *tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Ita loquitur in Epistol. 118. ad Januarium cap. 4.

Falsum est igitur quod asserunt Hæretici de desiderio sanctæ Monicæ, quod anile votum appellant: falsum est pariter quod dictitant S. Aug. præfatum suæ matris sui memoriam ad Altare Dei factitari cupientis votum seu desiderium non exegisse ad Scripturæ normam; nam id abundè refutavimus ex Scripturæ testimoniis, ex quibus & non scriptæ traditionis adminiculo precationes pro defunctis fidelibus celebrari solitas, ad Fidem Catholicam pertinere docuit.

Præterea docet ille ipse sanctus Augustinus Scripturarum ab Catholicis teneri veritatem, cum hoc faciunt, quod universæ jam placuit Ecclesiæ; quod enim de Hæreticis non rebaptizandis asserit, rectè omnibus Fidei articulis unâ dumtaxat traditione non scriptâ propagatis applicari potest. Est enim in hujusmodi articulis astruendis æqualis ratio, ut patet. Ipsum ergo loquentem audire juvat. *Quamvis*, inquit, *hujus rei* (non rebaptizandos esse Hæreticos) *certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas cum hoc facimus, quod jam universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ullâ ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Ita sanctus Augustinus libr. 2. contra Crescon. Grammatic. capite 33.

Hæc sancti Augustini regula, quâ statuit Ecclesiam Scripturarum authoritate commendatam, in omnibus controversiis esse consulendam, in omnibus pariter audiendam, tanti momenti est, ut ad ejus amussim omnia ad salutis necessitatem pertinentia exigi oporteat. Undè omnes & errores & Hæreses in orbem Christianum grassatæ ex hoc uno fonte profluxerunt: Quod nonnulli homines intemperanter otio & litteris abusi, suoque ingenio plus æquo velificati, Ecclesiam Dei audire, atque adeò suâ illâ contumaciâ illam ipsam Ecclesiam Matrem, & Deum Patrem habere & agnoscere noluerunt. Eos igitur habeamus ut transfugas & desertores, & eos alloquamur iisdem verbis quibus olim in pari occasione quosdam Hæreticos compellavit sanctus Epiphanius: *Quos igitur audiemus, an errore deceptos homunciones* (Calvinum, Petrum Martyrem, & alios id genus) *qui nunc tandem emerserunt, an eos qui ante nos testes extiterunt, quique ante nos eamdem traditionem in Ecclesiâ tenuerunt, quam & ipsi à parentibus suis acceperant, & ipsorum parentes à majoribus suis didicerant: quemadmodum Ecclesia, quam ab Patribus suis accepit, rectam ac synceram fidem cum traditionibus ad hunc diem observat.* Hactenùs sanctus Epiphanius Hæresi 75. num. 6.

Hactenùs de personis, pro quibus potest & debet offerri sacrificium. Nunc agendum de offerendi sacrificii necessitate. Sit itaque

---

Quæstio XIX.

Utrùm Christus Dominus Apostolis, & in eorum personâ Sacerdotibus sui Corporis & Sanguinis in sacrificium offerendi præceptum induxerit?

Respondeo affirmativè. Et hoc præceptum colligitur ex istis Christi verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam in Cœnâ duo fecerat, suum scilicet Corpus & Sanguinem consecraverat, & ipsâ consecratione in sacrificium obtulerat æterno Patri, & prætereà suum illud Corpus manducandum, & Sanguinem bibendum Apostolis, totam Ecclesiam in cælesti illo convivio repræsentantibus porrexerat. Et hæc duo, sacrificium nempè in sui Corporis & Sanguinis consecratione positum, & ejusdem Corporis porrectionem, manducationemque in sui memoriam fieri præcepit. Undè non solum suum Corpus in sacrâ Communione percipi, sed etiam illud sicut & Sanguinem suum consecrari; & in sacrificium offerri, tam Apostolis, quam futuris eorum in Sacerdotio successoribus imperavit. Non solum ergo præfata Christi verba ad fideles ad Corporis Christi perceptionem obligandos, sed etiam ad Sacerdotes ad ejusdem Corporis consecrationem astringendos pertinent. Quomodo enim fideles Corpus Christi perciperent, nisi in Ecclesiâ essent Sacerdotes divinitùs instituti, qui illud & consecrarent, & ipsis porrigerent. Est ergo præceptum de celebrando Corporis Christi sacrificio peragendo, ut vidimus paulò ante quæstionem IX. hujus dissertationis, ubi id probavimus authoritate sancti Gaudentii Brixiensis Episcopi, & Concilii Tridentini.

Quod & probare possumus authoritate aliorum Patrum, quibus prælucebit gloriosissimus Martyr Irenæus: Sic enim loquitur in cap. 34. libri 4. adversus Hæreses: *Igitur*, inquit, *Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit* (id est, docendo præcepit) *offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum & acceptum est ei, non quod indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus.* Et ibidem exeunte cap. satis superque indicat sacrificium Corporis & Sanguinis Christi ex præcepti necessitate esse ab Sacerdotibus offerendum: *Ipsum*, inquit, *verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideò nos quoque offerre vult munus ad Altare frequenter sine intermissione.* Ex istis S. Irenæi verbis rectè colligitur præceptum Corpus & Sanguinem Christi in sacrificium offerendi: Instituit enim comparationem inter Hebræos & Christianos, & affirmat Christianis imperatum esse offerre sacrificium Corporis Christi ad Altare, sicut olim Hebræis oblationes factitare imperatum fuerat: & nisi id intelligatur in eum sensum hujusmodi comparatio, quod absit, insulsa videbitur.

Idipsum disertè profitetur S. Cyprianus Epist. 63. cujus verba etsi suprà integra retulerimus hîc tamen ea ex parte denuò exscribere necesse est. *Nam*, inquit, *si Jesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & seipsum primus sacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur.* Hæc ille.

Sanctus Joan. Chrysostomus idipsum testatur hom. 27. in ep. 1. ad Corinth. *Quemadmodum*, inquit, *illorum maximè verborum meminimus quæ ultima ex morientibus audivimus, & illorum hæredibus, si ipsorum mandata transgredi ausi fuerint, pudorem incutimus & dicimus: cogitate quod postremam hanc vocem apud vos emiserit Pater, & ad vesperam usque quâ erat expiraturus, hæc mandaverit. Ita etiam hîc quoque Paulus volens terribilem efficere orationem: Recordamini, inquit, quod hanc vobis postremam mysterii institutionem impertiit: & in ipsâ nocte, quâ pro nobis erat occidendus hæc mandavit, & tradens nobis illam Cœnam nihil posteà addidit.*

Ex isto S. Joannis Chrysostomi Apostoli locum interpretantis testimonio, constat Christum præcepisse Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, ut illud ipsum in quotidiano Ecclesiæ sacrificio factitarent, quod ipse in Cœnâ instituerat & perfecerat.

Perperàm igitur nonnulli sentiunt Sacerdotes nullo præcepto ad celebrandum Missæ sacrificium obligari.

Ad traditionem præceptum de Christi Corpore & Sanguine in sacrificium offerendo Apostolis & futuris usque

ad consummationē sæculi Sacerdotibus ab ipsomet Christo impositum, liquidò sancientem accedit ratio petita ex eo quod ille ipse Christus, qui nostram assumpserat naturam, ut gloriam Patris per se primum, exinde per homines suo sanguine redemptos quæreret, & institutā in terris religione propagaret. Ut igitur impleret voluntatem Patris, suamque in illum dilectionem omni hominum generi patefaceret aliquod sacrificium infinitā ipsius Majestate dignum ab ipsomet, tam in cœlo per seipsum, quam in terris per suos ipsius Ministros & Vicarios externā & aspectabili actione continuandum instituere debuit. Nulla enim umquam extitit, aut extare potuit, Religio etiam apud barbaras gentes & in disjunctissimis terrarum partibus, & oris educatas, quin homines aliquo sacrificiorum ritu, ceu religioso quodam vinculo colligaret. Cum igitur novum Testamentum Christi Sanguine sancitum, Christianos ad altissimum dignitatis & sanctitatis fastigium provexerit, & Christo Redemptori quamplurimis innumerabilium beneficiorum titulis per innumera, si fieri posset, sacrificia, & alia pietatis & gratitudinis officia recolendis obstrinxerit, an carebunt sacrificio, quo vel ipsæ barbaræ Nationes quadam naturæ tamets corruptæ propensione Deos suos fictiles, fictitiosque coluerunt?

Absit, absit ut Christus Christianos nullo in eorum gratiam instituto, nullo ipsis imperato, indictoque sacrificio reliquerit: & redegerit in eum statum, quo nec æternum Patrem, nec ipsum à quo tot, tantisque beneficiis erant comprehensi, debitis honoribus afficere possent. Longè meliùs & honorificentiùs eorum saluti consuluit. Cum enim essent indigni, qui utpote peccatores, & innumeris corruptelis ad ipsos ex primi parentis rebellione derivatis inquinati & obnoxii offerrentur in sacrificium æterno Patri acceptum, & insuper cætera in corporum materiam immersa viliora essent, quam ut ad ejus Aras admoverentur, sese sacrificii æterno Patre digni victimam effecit. Sed quia iterùm mori non poterat, quippè qui revixerat ad ineundam immortalem vitam & gloriam, sese incruento modo sacrificari voluit & jussit. Et hoc reipsà in Missæ sacrificio ex ejus institutione & præcepto perficitur. Licet enim in eo sacrificio mors, quam in Cruce pertulit, offeratur, non tamen ipse reipsa moritur, sed per separatam Corporis & Sanguinis ejus consecrationem ipsa ejus mors repræsentatur, & ipsa ejusdem mortis repræsentatio, vulgò immolatio mystica nominatur.

Cum igitur Christus Jesus instituere vellet Religionem, in quâ Pater æternus perpetuo sacrificio & ejus Majestati consentaneo coleretur, non est credibile ita illam instituisse Religionem, ut sacrificium, in quo tota ejus dignitas erat reponenda, & quo solo Pater æternus erat in terris usque ad sæculi consummationem adorandus, nullo præcepto peragendum indiceret; neque enim tam frigidè incumbebat in gloriam Patris, ut illam in rerum indifferentium numero collocaret. Ergone homines tali, tantoque sacrificandi deessent officio, haud dubiè eos sub præcepto ad sacrificium certis quibusdam temporibus ritè peragendum obligavit.

Sed quia non solùm Patris gloriam in omnibus quæsiit sed etiam nostræ utilitati, saluti que consuluit, ideò tam per respectum ad Patrem, quam ad fideles hoc sacrificium celebrari voluit, & jussit. Reverà per hujus sacrificii celebrationem honor æterno Patri quantus maximus exhibetur. Nam in hoc sacrificio ab adorante Deo adoratur, illi ab eodem Deo pro innumerabilibus beneficiis quibus hominum genus, suorum alioquin scelerum mole obrutum & profligatum erexit, gratiæ referuntur: Ab eodem Deo precante nobis necessaria ad æternæ salutis assecutionem præsidia flagitantur & impetrantur; Ab eodem denique Deo mysticè nostris in Templis & Altaribus immolato placatur & mitigatur, ita ut gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittat, ut loquitur Concilium Tridentinum, sessiōn. 22. de sacrificio Missæ, cap. 22.

Non solùm igitur in hoc sacrificio reverentia æterno Patri debita & consentanea impenditur, sed etiam necessaria nobis remedia procurantur. Undè Innocentius lib. 4. de mysteriis Missæ captr. 44. ait, ut refert S. Thomas in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. art. 2. in solut. quæstiunc. 3. in c. affirmat variis de causis quotidiè Missam in Ecclesiâ celebrari.

1. Quia oportet semper paratam esse medicinam contra quotidiana peccata.

2. Ut lignum vitæ semper sit in medio Paradisi.

3. Ut nobis quotidiè Christus uniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter.

4. Denique ut sit apud nos jugis memoria Passionis. Ita S. Thomas loco proximè citato. Honorius in gemmâ animæ hanc rationem paulò clariùs explicat his verbis: *Ut, inquit, memoria Passionis ad imitationem inculcetur, ut scilicet Christiani, qui intersunt incruento illi sacrificio, & Sacerdotes qui illud peragunt, acerbissimam Christi mortem recordati ardentissimo ejus amore teneantur, & ejus mortificationem in suo corpore pro virium suarum modulo circumferant, atque ita nimiæ charitati, qui dilexit nos, quodammodo respondeant.*

Quisquis igitur non legitimè impeditus sacrosanctum Missæ sacrificium ex Christi præcepto celebrandum celebrare abnuit, vel ex culpabili negligentiâ prætermittit, præterquam quod ab officii sui Religione deflectit, debitum etiam honorem Deo, sibi medicinam & remedium, & animabus in Purgatorio degentibus refrigerium subtrahit. Hac in parte audire juvat V. Bedam, cujus verba passim pervagata nemini Sacerdoti ignorare licet: *Sacerdos, inquit, non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat sanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam speciali Christi beneficio, seipsum medicinâ & remedio.* Hæc ille.

Ex quibus præfati Bedæ verbis constat Sacerdotem gravem inferre injuriam sanctæ Trinitati, & aliis ibi enumeratis, quippè qui iis & honorem, & subsidium, & alia quibus per sacro-sanctum Missæ sacrificium afficerentur, bona, ipsis ex Christi institutione & præcepto debita, subtrahere clarius est, quam ut probari debeat.

Undè operæ pretium est quærere, utrùm celebrandæ Missæ præceptum sub peccato mortali obliget. Sit itaque

Quæstio XX.

Utrùm Sacerdos nunquam, vel rarò citra legitimum impedimentum celebrans, peccet mortaliter?

NOnnulli rigidiores Theologi docuerunt Sacerdotem, qui quotidiè non celebraret, peccare lethaliter. Severiorem hanc opinionem explosere alii graviores Theologi, & cum S. Thomâ docuere Sacerdotem nusquam, vel rarò admodum celebrantem, peccare lethaliter. Ita docet Angelicus Doctor in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. in quo quærit: utrùm liceat Sacerdoti omninò à consecratione abstinere. & propositis quibusdam objectionibus, quibus talis Sacerdos ab peccato lethali eximi videtur, sic propositam quæstionem ita solvit: *Sed contrà est, inquit, quod Ambrosius dicit: grave est quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus, sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus; sed primum est mortale: ergo & secundum.* Hactenùs sanctus Thomas, cujus sententiæ utpotè solidæ libenter adhærescimus.

Tametsi nonnulli hunc locum apud sanctum Am-

brosium non reperiri dictitant, præterea in eod. art. 2. in solut. quæstiune. 1. in corp. suam illam sententiam explicat. Respondeo dicendum, inquit, quod secundum quosdam non peccat qui dimittit celebrationem, nisi populum habeat commissum, vel ex obedientiâ celebrare teneatur: sed quia secundum Gregorium, cum crescunt, sivè augentur dona, rationes crescunt donorum, cum Sacerdoti data sit nobilissima potestas reus negligentiæ erit, nisi illâ utatur ad honorem Dei, & salutem suam & aliorum vivorum & mortuorum, secundum illud 1. Petr. cap. 5. Unusquisque gratiam quam accepit, in alterutrum illam administrantes, &c. nisi fortè aliquis ex familiari Spiritus sancti instinctu dimittat: sicut legitur de quodam sancto Patre in vitis Patrum, qui ordinatus numquam posteà celebravit. Et ibidem. Ad Primum, inquit, dicendum, quod ille qui non habet ordinem, potest ordinem refugere, sed ille qui habet, tenetur ipsum exequi. Posteà sic solvit objectionem aientem: sicut Sacerdotis officium est consecrare, ita & ligare, & solvere, sed non tenetur ligare, & solvere, nisi habeat curam animarum, ergo nec consecrare, nisi commissum habeat populum, undè non peccat si ab consecratione penitùs abstineat. Ad secundum, inquit, dicendum, quod secundum omnes alios actus ordinum debet homo non soli Deo, sed etiam proximis, quia actus inferiorum sunt ad ministerium Sacerdotis: alii autem actus Sacerdotis (ut ligare & solvere) respiciunt corpus mysticum: similiter etiam docere & baptizare: Et ideò qui non tenetur aliis vel subjectione, vel prælatione, potest ab illis actibus sine peccato cessare: sed consecratio est actus dignus & ordinatus ad Corpus Christi verum, nec respicit Corpus Christi mysticum, nisi ex consequenti: & ideò etiamsi nulli homini teneatur, tamen tenetur Deo, ut reddat ei sacrificium acceptum: Sacerdotibus enim præceptum est, Hoc facite in meam commemorationem.

Ex istis S. Thomæ locis facile est deprehendere Sacerdotes ad peragendum Corporis & Sanguinis Christi sacrificium, ex ipso Christi præcepto obligari, atque adeò graviter peccare eos, qui vel nunquã vel raró celebrant. Neque enim credibile est eam fuisse Christi mentem Eucharistiæ sacrificium & Sacramentum instituentis, ut numquam vel raró perageretur hujusmodi sacrificium, & quod in ipso conficitur Sacramentum numquam, aut raró perciperetur. Nam de utriusque frequentatione sic loquitur; *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, &c.* Per hæc sanè verba sacrificii ab Sacerdotibus peragendi, & Sacramenti ab cæteris fidelibus percipiendi frequentatio declaratur. Quorsùm enim Christus diceret, *quotiescumque*, si vel numquam, vel raró celebrandum sui Corporis & Sanguinis sacrificium, & ejusdem Corporis & Sanguinis Sacramentum ab fidelibus percipiendum esse intelligeret?

Hanc esse quam dicimus, genuinam Christi mentem declarat insigniter S. Irenæus lib. 4. advers. Hæreses, cap. 34. suprà citat. *Nos quoque*, inquit, *offerre vult munus ad Altare frequenter sine intermissione.* Ita loquitur vir Apostolicus, temporibus Apostolorum proximus, & Apostolicis doctrinis mirabilem in modum imbutus.

Multæ hujus rei rationes afferri possunt, quas inter non ultimum obtinet locum, ea quæ repetitur ex peccato, quo constringuntur quotquot commissa sibi talenta ad honorem Dei, & ad proximorum & propriam ipsorum salutem pertinentia apud se retinent otiosa, & hoc ipso incurrunt in gravem Dei offensam, sicut iners & imbellis ille servus, qui traditum sibi talentum abscondit, & sine ullo emolumento, quod ex ejus usu provenire poterat, Domino suo reddidit. Si servus ille insons haberi possit, insons etiam habendus erit Sacerdos, qui commissam sibi sacrificandi potestatem, veluti talentum in uberrimam lucri segetem abiturum debitos in usus conferre neglexerit; sed & hujusmodi servum & Sacerdotum nemo, vel tantillum oculatus ab immani crimine absolvere potest: Utrumque scilicet similis devincit culpa, sicut & similis manet pœna. Nemini enim inficiari licet utrumque æternis suppliciis addictum iri eo nomine quod Sacerdos vel numquam, vel raró celebrans commissam sibi sacrificandi potestatem adinstar servi, qui suum talentum in terram infossum abscondit, otiosam jacere permiserit, atque adeò ab officii sui religione declinaverit, gratiam Dei in vacuum receperit, &, quod caput est, in referventissimum ingratitudinis crimen incurrerit: quæ omnia indebitam incruenti sacrificii omissionem, velut immane piaculum terribilem in modum exaggerant.

Huic rationi alia annecti, & ex materiæ (quâ celebrandi præceptum infringitur) gravitate repeti potest. Quis enim levem materiam esse dicat eam, quâ Deo vivo & vero debitus honor, isque quantus maximus, & tili per sacrosanctum Missæ sacrificium duntaxat exhiberi solitus detrahitur: quâ misericordia divina per illud sacrificium in peccatores evocanda negligitur; quâ meritorum Passionis Christi applicatio, alioquin per illud ipsum sacrificium factitanda, justis, peccatoribusque subducitur: quâ Ecclésia Dei incredibili utilitate & gloriâ ad illam ex tanti sacrificii celebratione derivandâ destituitur: quâ denique innumerabilia, eaque necessaria, vivis pariter & defunctis auxilia, solatiaque subtrahuntur?

Ista, ut in animum induco meum, satis, superque demonstrant, quanta sit culpa, in quam Sacerdos sese numquam, aut raró celebrans, citra ullum impedimentum implicat.

Hanc culpam lethalem esse probat omnium assensus Theologorum passim affirmantium, tunc admitti peccatum lethale, cum aliquod præceptum animo deliberato in materiâ gravi infringitur: quod quidem in nostro casu liquido cernitur & apparet.

Idipsum quod asserimus tenuisse & approbasse Pium Papam V. constat ex eo quod reprobaverit Cajetani sententiam, aientem Sacerdotem nusquam celebrantem non oportere damnari, veluti lethalis flagitii reum, utpotè qui ad summum veniali culpâ teneretur. Cum enim Romæ edenda essent S. Thomæ opera illam ipsam opinionem ab ipso Caietano suis in S. Thomam commentariis insertam, & propugnatam oblitterari & expungi voluit.

Reipsâ expuncta est, quippè quæ præterquam quod periculosa erat, discreparet etiam ab Angelici Doctoris mente, & insuper veritati, pietatique sanctissimi, prudentissimique Pontificis judicio repugnaret.

Si quis nondum persuasum habeat eos Sacerdotes peccare lethaliter, qui vel numquam, vel raró celebrant, acquiescat saltem authoritati Innocentii Papæ III. ita hac de re pronuntiantis in Concilio Lateranensi œcumenico: *Sunt* inquit, *alii* (Ecclesiarum Prælati & Sacerdotes) *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno: & (quod deterius est) interesse contemnunt*. Et paulò post arguit hujuscemodi homines eo quod inter officia Ecclesiastica aures accommodarent ad indebita colloquia, nec attenderent ad divina. Et sub finem: *Hæc igitur*, inquit, *& similia sub pœnâ suspensionis inhibemus.* Hactenùs Innocentius Papa III. in citato Concilio.

Illud ipsum decretum refertur lib. 3. Decret. Gregorii de celebratione Missarum tit. 41. cap. dolentes.

Ex hujusmodi Decreto duo rectè colliguntur.

1°. Enim videmus in ipso graviter increpari ab summo Pontifice eos, qui vix quater in anno Missarum solemnia celebrant; quæ quidem increpatio indicat eam celebrandi infrequentiam non levem habitam esse culpam. Neque enim Pontifex in Concilio œcumenico ob levia quædam Presbyteros increparet.

2°, Talem tam raró celebrandi negligentiam gravem

esse culpam declarat pœna suspensionis intentata iis, qui deinceps tam raro, id est vix quater in anno Missarum solemnia celebrarent. Suspensionis enim pœna sivè à jure sivè ab homine non pro levioribus venialibusque peccatis infligitur, sed pro gravioribus dumtaxat irrogatur.

Undè rectè colligimus eos qui numquam aut raró celebrant graviter peccare, quicquid dicant nonnulli Scioli, qui existimant summum Pontificem Innocentium alia quæ recensentur in ejus Decreto sub pœnâ suspensionis prohibere voluisse, non autem eorum negligentiam, qui vel numquam, vel raró celebrant. Nam patet ex talis Decreti lectione illum nullo discrimine, & talem quorumdam Sacerdorum negligentiam, & omnia alia ibidem enumerata sub interminatione suspensionis inhibere voluisse. Hac de re satis. Ad alia igitur propetandum. Sit itaque

---

Quæstio XXI.

Quoties Sacerdos ad evitandum peccatum lethale de quo superiori quæstione, per annum celebrare teneatur?

Prima Conclusio.

Certum est Sacerdotes qui ne semel quidem toto unius anni curriculo celebrant, peccare mortaliter: Clarum etiam est eos Sacerdotes qui citra ullum impedimentum semel tantùm, aut ter, aut quater dumtaxat quotannis celebrant, peccare mortaliter. Tota ista Conclusio deducitur ex Decreto Innocentii Papæ III. proximè à nobis relato. Cum enim ex sententiâ Concilii œcumenici, cui tunc præerat, pronuntiaverit ex Cathedrâ eos, qui vix ter aut quater in anno celebrarent, pœnâ suspensionis esse afficiendos, maximo est argumento ipsum cum Concilio Oecumenico judicasse hujusmodi Sacerdotes graviter suâ illâ celebrandi omissione peccare: siquidem illos tantâ talique pœnâ coërcendos esse pronuntiaverit.

Hoc posito si apertè violat celebrandi præceptum qui vix ter aut quater toto unius anni curriculo celebrat, multo magis illud ipsum præceptum violabit Sacerdos, qui vel numquam toto anno, vel semel aut bis dumtaxat celebrabit. Si Concilio Oecumenico habeamus fidem, quam illi citra gravem culpam & contumeliam abrogare non possumus, haud dubiè tenebimus eos Sacerdotes peccare qui vel semel, vel bis, vel ter, aut quater dumtaxat toto unius anni curriculo sacro-sanctum Missæ sacrificium peragunt: Utporè qui violant præceptum de frequenti celebratione à Christo Domino Apostolis, & futuris eorum in Sacerdotio Successoribus indictum, & prætereà privat sanctam Trinitatem honore ipsi debito, ejus majestate digno, & ipsi per hoc unum sacrificium exhiberi solito, & Ecclesiam triumphantem in Cœlo destituit omnibus emolumentis & honoribus, & gaudiis quibus beati omnes per hujus celebrationem sacrificii perfruuntur: & Ecclesiam patientem in Purgatorio, & militantem in hoc sæculo omnibus destituit auxiliis & suffragiis quibus alioquin mirabilem in modum adjuvaretur: Quam gravia autem sint hæc dispendia Ecclesiæ in triplici statu constitutæ per incruenti sacrificii omissionem importata, & importari solita satis pauló antè probavimus: Sit itaque

Secunda Conclusio.

Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omninò à celebratione cessare: Sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod 2. Machab. 4. contra quosdam Sacerdotes dicitur quod jam non circa altaris sacrificia dediti erant, contempto Templo, & sacrificiis neglectis.

Hanc Conclusionem totidem verbis expressit sanctus Thomas 3. p. q. 82. art. 10. in corp. sicut & Sylvester, & Soto, hisce diebus ab S. Thomâ indicatis Sacerdotem nullo impedimento irretitum non celebrantem peccare mortaliter asseruerunt.

In hanc sententiam maximè propendet Concilium Tridentinum. Cum enim in sess. 23. de reformat. cap. 13. loquitur de Diaconis, ait maximè decere si saltem diebus Dominicis & solemnibus eum altari ministraverint, sacram communionem perceperint: Sed cum ejusdem session. cap. 14. proximè sequenti de Sacerdotibus loquitur, longè aliter aperit suam mentem. *Qui piè & fideliter*, inquit, *in ministeriis anteactis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium*. Et infrà exeunte cap. *Curet Episcopus, ut* (Sacerdotes) *saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*. Hactenùs Concilii œcumenici verba.

Ex hujusmodi locis facilè est colligere laudati Concilii mentem in eâ, quam expendimus materiâ. Cum enim agit de Diaconis altari ministrantibus, communionem ab ipsis factitandam refert ad quoddam decorum & meliorem usum: ita ut si non communicent saltem diebus Dominicis, & solemnibus cum altari ministraverint, non propterea infregerint præceptum, sed consilium dumtaxat non audierint: Quâ in re (si absit contemptus) gravioris peccati nullo pacto conscii haberi possunt.

At cum illud ipsum Concilium agit de celebrandi obligatione Sacerdotibus impositâ verba facit, longè aliter exprimit sua sensa: Curet, inquit, Episcopus ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis & solemnibus Missas celebrent.

Mandat igitur singulis Episcopis, & præcipit ut curent ab universis suæ Diœceseos Presbyteris sivè ad animarum regimen admotis, sivè privatam agentibus vitam, saltem diebus Dominicis, & solemnibus Missarum solemnia celebrari.

Quod sanè Decretum præceptum demonstrat, non simplex consilium, neque enim sacra Synodus Episcopi authoritatem ad procurandam cujuspiam consilii observantiam tantâ gravitate, & sollicitudine adhiberet.

S. Carolus Borromæus Ecclesiasticæ disciplinæ instaurator acerrimus, Concilii Tridentini (in cujus consummationem mirabili ardore incubuit) vestigiis religiosissimè institit, ut videre est in Concilio Mediolanensi I. in quo sub Titulo de frequenti divini sacrificii oblatione, de re à nobis propositâ & expensâ sic statuit.

Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerant dona & sacrificia pro peccatis, Episcopus Dominicis & reliquis Festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret.

Tridentini etiam Concilii authoritatem secuti præcipimus Sacerdotibus reliquis cujuscomque gradus, conditionis & dignitatis illi sint, ut iisdem diebus, Missam celebrare ne omittant.

Curatis veró, ut prætereà ter in hebdomadâ, aut eo etiam sæpiùs, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulabit. Hactenùs citati Concilii decretum quod nostram sententiam mirabiliter astruit. Siquidem illam Concilii Tridentini authoritate fultam & innixam esse disertè asserit.

Posthac nemini Sacerdoti dubitare licet quin diebus Dominicis & reliquis Festis diebus, & præsertim in solemnioribus, quales sunt dies Nativitatis Christi, dies Resurrectionis, Festum Ascensionis, dies Pentecostes, solemnitas Corporis Christi, Festum Sancto-

rum omnium, & præcipua Virginis Deiparæ Festa, Annuntiatio, Purificatio, Assumptio & Nativitas. Nemini, inquam, Sacerdoti dubitare licet, quin hisce diebus, quibus Ecclesia tota, & singulari pietate diffunditur, sese ad ejus nutum, religionemque componere, & in amoris & gratitudinis testificationem incruentum æterno Patri sacrificium (quo solo ejus majestate dignus illi per laudes & gratiarum actiones honor impenditur) offerre debeat: nisi legitimo quopiam impedimento sacris operari prohibeatur. De hujusmodi obligatione satis. Sit itaque

Quæstio XXII.

Utrùm sacerdotes qui frequentiùs divina Mysteria conficiunt propiùs ad Ecclesiæ mentem accedant, quàm ii, qui rariùs sacrificant?

Alentem hujus quæstionis partem ita propugnat Ecclesiastica traditio, ut quisquis ab eâ discedere velit in meridianâ luce cæcutire videatur. Id enim probari potest Apostolorum testimoniis, SS. Patrum oraculis, & plurium Sanctorum exemplis.

Nemo nescit S. Andræam Proconsuli ipsum ad idololatriam denontiato capitali supplicio, adigere conanti restitisse his verbis. *Ego*, aiebat ingens Apostolus, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis Populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.*

Quotidiè igitur S. Andræas immolabat agnum immaculatum, quippè qui jugem ejusdem ipsius agni immolationem ab cæteris Apostolis celebrari viderat.

Revera, si ut sacris litteris, Act. nempè cap. 2. v. 42. proditum est, primi Christiani acceptò illo ipso Pentecostes die Spiritu sancto, erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communione fractionis panis & orationibus: quis inficiari velit Apostolos in cœlestium mysteriorum celebratione perseverasse?

Nemo sanè id jure ac meritò negare poterit? Cum enim, ut plerique Theologi probabiliter affirmant, quotidianæ communionis exemplum ab Apostolis esset inductum, rectè conficitur eosdem Apostolos quotidiè sacris mysteriis esse operatos, ut primi fideles quotidianâ Corporis & Sanguinis Christi perceptione imposito sibi præcepto fideliter obtemperarent.

Quod hac in parte asserimus, esse penitùs indubitatum Tertullianus & S. Cyprianus Authores antiquissimi liquidò testificantur. Sic enim loquitur Tertullianus in lib. de oration. cap. 6. explicans istam Dominicæ Orationis petitionem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Corpus Christi in pane censetur: hoc est Corpus meum. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem in Christo postulamus, & individuitatem à corpore ejus.* Hæc ille.

S. Cyprianus in simili Tractatu de Orat. Dom. explicans eamdem petitionem *panem nostrum quotidianum*, &c. eamdem veritatem astruit: *Panem nostrum vocamus*, inquit, *quia Christus, noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidiè postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidiè ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore debito, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi Corpore separemur.* Hæc ille.

Ergo illo ipso tempore, quo floruere Tertullianus & sanctus Cyprianus, fideles quotidianâ Corporis Christi perceptione reficiebantur, qua in re sic incumbebant, ut flagrantissimis precibus peterent à Deo gratiam, quâ lethalia crimina excommunicationem, seu ab Eucharistiæ Sacramento segregationem importantia, omni studio devitarent, atque adeò quotidiè sacro-sancto Christi Corpore & Sanguine vescerentur.

Cum hæc oratio ab ipsomet Christo Domino tradita, & ab omnibus Sacerdotibus pariter & Laicis usurpanda sit, & frequentiùs iteranda, nemini dubium esse potest, quin Apostoli, & cæteri Sacerdotes per eamdem ipsam petitionem: *Panem nostrum*, &c. flagitaverint gratiam, cujus adminiculo flagitia legitimos etiam ministros ab altari ablegantia, studiosissimè fugerent, atque ita sacris semper Mysteriis operarentur, sicut & Laici per illam ipsam Orationis Dominicæ petitionem religiosam in Corporis Christi perceptione perseverantiam postulare consueverant.

Huc accedit quod quotidiana fidelium communio heroïcis illis Ecclesiæ temporibus usitata, quotidianam Catholici sacrificii celebrationem astruit; neque enim Populus Dei panem vivum & vitalem percipere poterat, quin Sacerdotes divina mysteria celebrarent.

Quotidianam hanc celebrandi consuetudinem luculenter astruit S. Irenæus vir Apostolicus, & Apostolorum sæculo proximus. Sic enim loquitur lib. 4. adv. hæres. cap. 34. exeunte: *Verbum*, inquit, *dedit Populo præceptum faciendarum oblationum, quanvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideò nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.* Hæc ille.

Simeon Metaphrastes S. Ignatium qui cum S. Polycarpo Apostolorum, & maximè S. Joannis Discipulus extitit, commemorat quotidiè incruentum Missæ sacrificium celebrasse quod anno sal. 107. quo tertia persecutio ab Traiano excitata grassata est in Ecclesiam, damnatus est ad bestias in Amphiteatre Romano, in quo exantlatos pro Christi fide labores Martyrii gloria cumulavit.

Prætereà commemorant Carpum (quem S. Dionysius in Epist. 8. ad Demophil. monachum inscriptâ, vocat virum, si quis alius, ob insignem mentis puritatem ad Dei contemplationem aptissimum) quotidiè ita sacrificasse, ut nusquam sacros mysteriorum ritus auspicaretur, quin prius ipsi inter præparatorias Orationes sacra quædam & propitia visio apparuisset ut refert idem S. Dionysius Epist. cit.

Quotidianam incruenti sacrificii celebrationem insigniter probat S. Cyprianus Epist. 54. ad Cornel. Synodi Africanæ numine inscriptâ: *Episcopatus*, inquit, *nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas preparemus.* Hæc ibi.

Idipsum probat S. Augustinus lib. 10. de civit. cap. 20. *Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum dicit offerre.* Hæc ibi.

Quotidianam illam in Ecclesiâ sacrificandi consuetudinem egregiè illustrat idem S. August. exemplo matris suæ Monicæ, quæ nullam patiebatur abire diem, quin divinis mysteriis interesset. Qui locus, quia ad revincendos de nostri veritate sacrificii Hæreticos imprimis est idoneus, hîc integrum ascribere juvabit. *Illa*, inquit, (Monica) *imminente die resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus: aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui, ad altare tuum fieri desideravit: cui nullius diei prætermissione servierat: Unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est Chirographum, quod erat contrarium nobis: quâ triumphatus est hostis, computatus delicta nostra, & quærens quid objiciat, & nihil inveniens in illo, in quo vivimus.* Hactenùs S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 13.

Hic locus probat adversus Hæreticos ritè sacrificia offerri pro mortuis, & prætereà probat quotidiani sacrificii celebrationem, & veritatem Corporis Christi

Siquidem asserit ex altari dispensari victimam sanctam, id est verum Christi Corpus cujus immolatione in cruce peractâ deletum est Chirographum quod erat contrarium nobis. Hæc obiter ad Hæreticorum confusionem attingere placuit.

Sacrificii Catholici quotidianam celebrationem demonstrant plura SS. Patrum, & SS. Pontificum testimonia. Siquidem in Concilio Toletano I. can. 5. Missa sacrificium quotidianum dicitur. Ab sancto Joanne Chrysostomo hom. 3. in cap. 1. ad Ephesios quotidiana oblatio vocitatur.

Innocentius Papa I. affirmat Sacerdotibus juge orandi, & sacrificandi officium incumbere, ut legere est in Ep. 2. quam ad Victricium Rothomagensem Epis. inscripsit: Quod & reperit & confirmat in Epist. ad Exuperium Tolosan. Episcopum directâ. Idipsum testatur S. Ambrosius in l. de benedictionibus Patriarch. cap 9. *Hunc panem*, inquit, *dedit Apostolis, ut dividerent Populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipse quotidiè Sacerdos consecrat suis verbis: hic ergo panis factus est esca sanctorum.* Hæc ibi.

Idipsum affirmat S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. 19. *Cui nunc*, inquit, id est in novo Testamento, *cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia Catholica per universum terrarum orbem per Sacerdotum ministerium offerre non cessat.* Hæc ibi.

Walafridus Strabo istam quotidianæ celebrationis traditionem egregiè confirmat in lib. de rebus Ecclesiast. cap. 20. *Christianis*, inquit, *& maximè Clericis, omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis: & quantum mentis vel corporis graviores maculæ non obsistant, panem & sanguinem dominicum quibus sine vivere non possumus, jugiter ambiamus: & desiderio illius tuitionis potius, quam præsumptionis nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitivæ Ecclesiæ studium salutare, de quo in Actibus Apostolorum scriptum est: erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Hæc ille.

Cur autem sacrificium Corporis & Sanguinis Christi quotidiè offeratur, egregiè docet S. Thomas 3. p. q. 83. a. 2. in corp. *In celebratione hujus mysterii*, inquit, *attenditur repræsentatio Dominicæ Passionis & participatio fructus ejus.* Et paulò post. *Quia enim fructu Dominicæ Passionis quotidiè indigemus propter quotidianos defectus, quotidiè in Ecclesia regulariter hoc sacrificium offertur.* Hæc ibi.

Ex his testimoniis patet Ecclesiam omnibus sæculis quotidianam nostri sacrificii celebrationem & retinuisse, & docuisse, ex Apostolicâ traditione, tum ut supremus per hoc sacrificium, quo nullum majus excogitari potest, honor Deo Opt. Max. exhiberetur, & illi debitæ, & ejus amplitudini consentaneæ gratiarum actiones persolverentur pro innumerabilibus beneficiis, quibus omnes & singulos homines in singula momenta complectitur; tùm ut ejus majestas per oblationem Corporis Christi propitiata nos in amissam gratiam restitueret, nobisque necessaria ad singulos actus ritè obeundos auxilia largiretur: Ut denique per quotidianum illud sacrificium, quod est, non reiteratio, sed commemoratio Passionis Christi, ejusdem Passionis memoria quotidiè fidelium animis ad seriam, & strenuam ejus imitationem tam provocatis, quam provocandis altiùs infigeretur.

Quæ veritas ut magis eluceat, operæ-pretium est aperire qualiter affectum esse oporteat Sacerdotem qui de celebrando altaris sacrificio meditatur. Sit itaque

QUÆSTIO XXIII.

Quosnam affectus celebraturum Sacerdotem induere oporteat?

CUM Agni Paschalis immolatio, & manducatio loculenta Corporis Christi, & immolandi, & manducandi figura extiterit, non est dubium quin cæremoniæ in ejus immolatione & manducatione observari solitæ animi dispositiones cum quibus & immolandum, & percipiendum erat ipsius Christi Corpus, adumbraverint. Revera idipsum astruere facillimum est. Nam primò tria adhibebantur in præfati Agni manducatione.

1. Adhibebantur lactucæ agrestes.

2. Panes azymi.

3. Sanguis Agni qui super utrumque postem & domorum superliminaribus allini consueverat. Quæ tria rectè dispositiones ad Corporis Christi manducationem afferendas insigniter indicant. Nam

1. Lactucæ agrestes significant summum dolorem, quem de peccatis concipi necesse est.

2. Panes azymi intentionem puram cum operibus bonis insinuant.

3. Sanguis ejusdem agni utrique posti apponi solitus, indicat memoriam & imitationem Dominicæ Passionis, quibus præparari debet anima fidelis. Hæc tria colliguntur ex duodecimo cap. Exodi v. 8 & 22. & ab SS. Patribus ad dispositiones, quas tam Sacerdotes, quam Populi ad dignam Corporis Christi immolationem & perceptionem afferre debent, applicantur.

Lactucæ igitur agrestes, quæ sunt asperi & amari saporis, significant dolorem de peccatis concipiendum. Unde S. Gregorius versans Exodi locum, in quo de ejusmodi lactucis mentio est, sic loquitur: *Lactucæ agrestes valdè amaræ sunt*, inquit, *carnes verò Agni cum his comedendæ sunt: quia cum Corpus Christi accipimus, nos pro peccatis nostris affligamus, ut amaritudo pænitentiæ abstergat à mentis stomacho perversæ humorem vitæ.* Hæc ille.

Maximum ergo dolorem pro suis & Populi peccatis Sacerdotem ante sacrificium concipere, & in se pro virium suarum modulo mœrorem & tristitiam, quam Christus in horto hausit acerbissimam, exprimere necesse est. Si enim Christus Jesus orationem & acerrimam agoniam præmisit cruento sacrificio, quod in arâ crucis æterni Patris imperio consummandum susceperat, quidni Sacerdos, illud ipsum sacrificium solâ offerendi ratione diversum peracturus, saluberrimo dolore pro suis pariter & Populi peccatis afficiatur instar Christi Domini, qui suum sacrificium omnibus sacrificiis anteponendum ab tristitiâ & dolore quanto maximo inchoavit?

Nam ter humi strato contritio cordis, & ille
Sanguineus sudor crux fuit ante crucem.
Jam tunc anxietas finem spondentibus umbris
Et veteri ritu gratior unda fuit.

Ut egregiè canit Hildebertus Turonensis Episcopus in pulcherrimo carmine, quod de Missæ mysterio elaboravit.

Ille ipse ibidem verba faciens de Sacerdote Corpus Christi consecrante, ait illum esse contritum corde, ut scilicet ingentem illum dolorem & contritionem, quâ Christi Domini cor in horto transverberatum est, in sese referendo exprimat. Sic enim in citato carmine modulatur.

Nescit homo, latet & superos quo provehat escas
Gratia verborum mysteriumque crucis.
Incipit his verbis supplex instare sacerdos
Quæ salvâ specie munus utrumque novant.

Incipit & toto contritos corde, cremansque
Thuribulo mentis livida thura precum. Hæc ille.

Si igitur Christus summus Sacerdos verè languores nostros tulit, & dolores nostros, & attritus est propter scelera nostra, ut multis, antequam pateretur sæculis, prænuntiavit Isaias, nonnè æquum est Sacerdotes, qui eius in celebrando personam sustinent, & illud ipsum quod in cruce consummavit, sacrificium peragunt, sese offerre in societatem istius acerrimi doloris, quo sauciatum est sacro-sanctum ejus pectus, dum in præfatâ, agoniâ cum sudore sanguineo conjonctâ, versaretur.

2. Cum azymis panibus comedebatur agnus ille Paschalis; ita ut nemo haberetur dignus qui vesceretur agno illo Paschali, nisi is qui totos septem dies fermentum non attigerat. Imò grande piaculum habeatur id temporis, si quicquam usquam fermenti toto illo septem dierum spatio in Hebræorum ædibus reperiri contingeret.

Ita nempè cæremonia adumbrabat puritatem intentionis, & bonorum operum quæ sub novo Testamento erant fideliter exercenda ab Christianis tam sacerdotibus, quam Laïcis, qui mysteriorum celebrationem, & perceptionem ad majorem Dei gloriam, & suam ipsorum salutem aggrederentur. Nemo ergo sive Sacerdos, sivè Laïcus Corpus Christi conficere & percipere potest; quin verè ista Apostoli verba proferre valeat. Epulemur non in fermento veteri: id est in corruptione superbiæ, quæ admittitur in Deum: neque in fermento malitiæ, quæ exercitur in proximum; & nequitiæ quæ ab impio committitur in seipsum: sed in azymis synceritatis, id est in sinceritate & immunitate a vitiis, & veritate bonorum operum, ut scilicet studeamus ambulare in novitate vitæ, nec corda nostra fraude ex fermento veteri profectâ, corrumpi exulcerarique patiamur. Quid autem panes azymi cum Agni Paschalis manducatione conjuncti significent, rectè declarat S. Gregorius hom. 22. in Evang. *Panes*, inquit, *sine fermento comedit: qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet: ne perversè destruat quod quasi rectè dispensat.* Hæc ibi S. Gregorius.

Expurgandum est igitur vetus fermentum, seu veteris hominis corruptela, in ejus posteros longè lateque propagata: Etenim Pascha nostrum, immolatus est Christus, quem edere debemus. Revera Pascha nostrum Christus est cujus sanguine illitis postibus, id est cujus signo crucis signatis frontibus nostris à perditione hujus sæculi tamquam à captivitate vel interemptione Ægypriacâ liberamur: & agimus saluberrimum transitum, cum ab Diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideò quippè ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus, ut ait S. Augustinus Tract. 55 in cap 13. Evang. secundum Joannem. Cum igitur Christus suum corpus in Agno Paschali olim adumbratum nobis pro hujusmodi Agno apposuerit epulandum, nos in azymis sinceritatis, & veritatis epulari necesse est.

Quinam autem sint illi qui novi Testamenti Agnum manducant & epulantur in azymis, declarat idem S. Aug. lib 32. contra Faustum Manich. cap. 11. *Azyma*, inquit, *qui recta fidei Christiani sunt, non in fermento veteris vita, hoc est malitia, sed in ipsius fidei veritate & sinceritate custodiunt, non septem diebus, sed in omni die, quod significatum est numero dierum septenario.* Hæc ibi.

Quisquis igitur in fermento malitiæ & nequitiæ Christi Corpus comederit, non autem in azymis sinceritatis & veritatis, nihil aliud præter æterna inferorum supplicia præstolari potest. Si enim quispiam agnum Paschalem apud Hebræos cum alio pane, quam azymo manducaret, plectebatur capitali supplicio, ut legere est Exodi cap. 12. v. 15. an æternam mortem effugere poterit, qui inter Christianos Corpus Christi cum fermento malitiæ, non autem in azymis sinceritatis & veritatis percipere ausus fuerit? Id sanè nemo affirmabit, quin repugnet Apostolo aienti: *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Et ibidem. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Quæ omnia etsi Laïcis & Sacerdotibus ex æquo accommodari debeant, certum est tamen ea præsertim esse sacerdotibus applicanda. Siquidem eorum peccata sunt Populorum flagitiis multò graviora. Si enim, ut est apud Satyricum:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quantò major qui peccat, habetur.

Nemini dubium est, quin Sacerdos vel unâ Corporis Christi consecrandi, & æterno Patri in sacrificium offerendi potestate, quâ fulget, omnes dignitatum etiam eminentissimarum quæ suspiciuntur in terris titulos & gradus infinitis partibus antecellat, atque adeò Sacerdotium inter cælestia, ex S. Joannis Chrysostomi mente recenseri debeat, haud dubiè gravia peccata quæ perpetrantur à Laicis, multò graviora censentur, cum ab Sacerdotibus admittuntur. Id nemine reclamante indubitatum est, non solùm quia sunt obstricti Deo pluribus vinculis, iisque tenacissimis, promissis videlicet, quibus sese in ipso ordinationis suæ die devinxerunt; singulari consecratione, quâ altaris ministerio sunt addicti, sanctitate vitæ cui se illigarunt, divinâ illâ potestate conficiendi Corporis & Sanguinis Christi, & incomparabili divini sacrificii ministerio, & creditâ ipsis ejusdem corporis, atque adeo maximarum gratiarum in hominum genus ab ipso Deo manantium dispensatione; præcellenti denique dignitate, & authoritate, quâ eos supra cæteros homines impertiit. Quæ cum ita sint, nemo cordatus negabit eos Dæmonum malitiam æmulari, qui tot & tanta & tam sacra vincula abrumpere nihil dubitant. Imò hujuscemodi homines qui postquam singulari consecrationis ritu sese Deo mancipatunt, & tot tamque raras & præclaras ab ipso dotes accepere, datam infringunt fidem acceptis ab ipso muneribus & donibus abusi, eos sese omnium mortalium in terris degentium infidelissimos, ingratissimos, teterrimos, & divinâ misericordiâ indignissimos profiteri necesse est.

Si quis nostram hanc orationem non tam veritati, quam exaggerationi ascribendam esse, atque adeò vel nimori, vel etiam nullâ fide dignam causari contenderet, facilè refelleretur innumeris sanctorum Patrum Chrysostomi scilicet, Augustini, Bernardi & aliorum testimoniis, quæ hic ascribere non pigeret, nisi me prolixitas tædium fortasse lectori paritura, ab hoc proposito revocaret. Quod nihil prohibebit quominus unum proferam locum S. Gregorii Papæ I. quippè qui de sacerdotum dignitate omnium magnificentissimè prædicavit. Sic igitur ille de gravitate peccatorum, quibus Sacerdotii amplitudo dedecoratur, pronuntiat explicans ista verba cap. 3. libri 1 Regum. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Idcirco*, inquit, *id dictum potest intelligi, quia Sacerdotes arguuntur. Vir enim in virum peccat, cum ille delinquit, cujus culpa corrigenda ad hominis superioris judicium respicit. Quia igitur peccata subditi Populi quæ ad Sacerdotes respiciunt, ipsorum Sacerdotum precibus delentur, cum Sacerdos in culpam labitur, superior persona non est, cujus precibus expietur. Quod & ipsa veritas per se insinuat dicens: Si sal evanuerit, in quo salietur? Dicat ergo, quis orabit pro eo? quasi dicat, quis ei intercessor*

remanet

remanet cum ille se transgrediendo præcipitat qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? Quo profectò culpæ magnitudo monstratur: quia plerique eorum à Domino in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nullâ hominis adhortatione resipiscunt.

Hactenus sanctus Gregorius cujus verba flagitiosis Sacerdotibus quantum maximum terrorem incuterent, nisi ut plurimùm insanabili vitiorum ex diuturno peccandi habitu in dies ingravescentium ægritudine tenerentur.

Hæc si multi cogitarent, non tam avidè se ingererent ad Sacerdotium suscipiendum, ut posteà quotidiè celebrando victum quæritarent. Isti enim non valdè solliciti esse solent, an eâ, quâ par est, præparatione accedant ad conficienda Corporis & Sanguinis Christi mysteria: siquidem magis corporis quam animæ cibum ceu finem & quidem ultimum (quod horrendum est) propositum habeant. Unde epulantur in fermento malitiæ, avaritiæ, & simoniæ, atqui ita æternam ex vitali sacrificio mortem hauriunt. Comedebatur ergo Agnus Paschalis cum lactucis agrestibus, cum pane & azymo, & postes & superliminaria domorum ejusdem Agni sanguine illinebantur.

Hujusmodi cæremonia designabat eos qui ritè Corpus Christi conficere & percipere vellent, Passionem Christi non solùm inter communicandum recordari, sed etiam imitari oportere. Quod sanè mirabilem in modum explicat sanctus Gregorius Papa I. hom. 22. in Evang. *Quid sit*, inquit, *sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur: quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque etenim poste sanguis Agni est positus, quando Sacramentum Passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari Passionem illius necdum velit in uno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritaliter domos nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? cujus domus superliminare est ipsa intentio, quæ præminet actioni: Qui ergo intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ Passionis dirigit, in superliminari domus Agni sanguinem ponit.* Hæc ibi S. Gregorius, qui & paulò post subdit: *Sola Redemptoris nostri percepta Sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi & eis quoque & bona opera jungantur: Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei perversis moribus contraire?* Hæc ibi.

Si nonnihil sanctissimi Pontificis oraculis adjicere liceat, dicere poterimus. Per utrumque postem intelligi posse animam & corpus, & utrique allinendum esse agni sanguinem, id est in his duabus partibus, ex quibus homo constituitur, esse exprimendam Christi Passionem, prout unicuique spiritus prudentia suggesserit.

In animâ exprimendam esse præfatam Christi Passionem docet idem sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 59. *Sed necesse est*, inquit, *ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos Hostiam fecerimus.* Hæc ibi.

In corpore verò exprimenda est illa ipsa Christi Jesu Passio exemplo Apostoli castigantis corpus suum, & in servitutem redigentis, ne peccatum, id est concupiscentia peccati filia & mater regnaret in ipsius mortali corpore, atque ita prædicans aliis ipse reprobus efficeretur. Quam veritatem utporè ad æternam salutem assequendam penitùs necessariam sæpè docuit idem Doctor gentium in fide & veritate. *Qui*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, Græcè carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis: id est, quotquot sunt verè Christiani, id est vitam Christi exemplo & Evangelio consentaneam professi, carnalem concupiscentiam (quam Apostolus sentiebat veluti legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ) spiritui nimirum adversantem cum passionibus ejus, id est pravis desideriis, quæ ab illâ indesinenter excitantur, in sese per Spiritum sanctum represserunt, & mortificaverunt: quæ mortificatio collineat ad vitam juxta Apostolum aientem Rom. 6. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Porrò qui pravas cupiditates Christianâ mortificatione obterunt, suam carnem crucifigere dicuntur: quia vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo, non quod fuerit in ipso vel vivente, vel mortuo, sed quod in ipso crucifixo & mortuo adumbrata sit destructio veteris hominis, id est hominis vetustate & corruptione peccati (quam omnes ex veteri Adam contraximus) profligati. Cum enim Christus assumpsisset carnem in similitudinem carnis peccati, etiam in similitudine & repræsentatione carnem peccati, suæ carnis merito mortificandam adumbravit, ut quemadmodum ipse mortificabat assumptam carnem, in quâ inhabitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ita & nos in carnis nostræ, in quâ non habitat bonum, strenuam & assiduam mortificationem incumberemus: Atque ita concupiscentiam Christi crucifixi exemplo pariter & merito ita contereremus, frangeremus, debilitaremus per Spiritum sanctum, ut nobis non solùm dominaretur, sed cum sit ad agonem relicta, nos inerti alioquin otio effœminandos quotidianis certaminibus exerceret.

Ex his patet omnes qui Christi sunt, crucifixisse, & etiamnùm crucifigere carnem cum vitiis & concupiscentiis: quæ obligatio etsi ad omnes passim Christianos pertineat, eam tamen ad Sacerdotes maximè pertinere contendimus. Sunt enim Christiani peculiari quodam jure, utporè, qui ad ejus Sacerdotium in terris exercendom ab Ecclesiâ sunt assumpti, & ideò eos supra cæteros fideles in veteris hominis mortificationem incumbere necesse est: Ita ut Sacerdoti & per Baptismum in Christi Corpus insito, & per Sacerdotium eidem Christo summo Sacerdoti singulariter præter cæteros homines adunato mundus mortuus sit, & ipse vicissim mundo, & ipsum nec ejus malis territari, nec commodis titillari, nec odium metuere, nec plausum morari, nec ignominiam formidare, nec gloriam affectare ex ejus vitâ pelluceat.

Super animum igitur & super corpus Sacerdotis, sicut olim apud Hebræos super utrumque postem agni sanguis apponitur, cum ipse Sacerdos & Passionem Christi, quam quotidie in Catholico sacrificio repræsentat, recordatur, & imitatur. Eumdem verò Christi sanguinem superliminari suæ domus idem Sacerdos allinit, cum in omnibus quæ aggreditur & exequitur intendit venerari pariter & imitari Christum crucifixum, ita ut quemadmodum omnia sacrificia tam interna quam externa sive incarnationem antegressa, sive subsecuta, relata sunt ad Christum crucifixum, & etiamnum ab fidelibus referuntur: Ita Sacerdos recolendo potissimùm crucis sacrificio peculiari ritu consecratus, omnia sua consilia & incœpta ad Christi crucifixi honorem & imitationem ex animo referat. Si enim (ut ex Tertulliano discimus in lib. de coronâ militis cap. 3.) primi fideles ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque eos conversatio exerceret, frontem crucis signaculo terebant, quidni Sacerdos ad annuntiandam, & imitandam Christi Passionem, & mortem singulariter institutus crucis mortificationem in corde pariter, & in corpore circumferat.

Ut igitur Sacerdos ritè sacrificandi munus & cæteras sui ministerii partes impleat, atque ita Christi Paſ-

sionem suis io actibus exprimat, debet sese componere ad exemplum victimæ, quam quotidiè offert æterno Patri.

1. Igitur sicut Christus Jesus est Hostia digna, quæ offeratur æterno Patri, quia est sanctus, innoceos, impollutus, & segregatus à peccatoribus: ita Sacerdotem divinæ bujos oblationis ministrum oportet eâ fulgere sanctitate, quæ ab omni, vel levioris peccati labeculâ penitùs abhorreat.

2. Sicut mors Christi nobis in hoc sacrificio per separatam Corporis & Sanguinis ejusdem Christi consecrationem exhibetur, & uno eodemque tempore illa ipsa mors ad nostrorum peccatorum expiationem offertur: ita Sacerdotem oportet verè mortuum esse mundo, suis cupiditatibos, & sibimetipsi: ita ut sese Deo, mortificationem Jesu in corpore suo circumferens offerat.

3. Quemadmodum Christus in hoc sacrificio non solùm gloriam, quâ præter cæteros & homines & Anlos nob litatus est in Cœlo, sed etiam propriam bumanæ naturæ formam exuit, ita ot sese dejiciat in nihilum, & sub alienis dumtaxat panis & vini speciebus lateat. Ita & Sacerdotem omnem sopetbiam, omnem illam animi elationem, & vanam illam sui æstimationem omnibus Adæ filiis hæreditariam exoete, & suarum ægritudinum & miseriarum aspectu sese ad nihilum usque deprimere necesse est.

4. Denique cùm hoc sacrificium sit amoris sacrificium, & in ipso Christus Jesus incredibili Patris amore, & ejus gloriæ studio perustus, sese divinæ ejos majestati in amoris holocaustum offerat, & in ejus conspecto appateat, instar victimæ cootinuò morientis licet semper vivat: sacrificiom quoque, quo seipsum Sacerdos offert, debet esse sacrificium amoris purissimi, quo ardeat, & sua omnia consilia, facta, & omnem vitam addicat Deo, atque ita nihil habeat antiquius, quam ut ejus gloriam passim & usquequaquè promoveat.

Continuatio doctrinæ superioris.

Præter ea quæ exposuimus ad comedendom Agnum Paschalem necessaria, alia tria requirebantur ex parte manducantiom, his verbis Exodi cap. 12. comprehensa, *Sic*, inquit Moyses, *manducabitis, renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.*

Primum renum scilicet præcinctio designat mentis & carnis continentiam.

Secundum ad SS. Patrum exempla adhærentiam, quæ per calceamenta significatur.

Tertium denique vitiorum nostrorum correctionem, quæ per baculum præ manibus habendum indicatur. Et hæc tria exiguntur ad communicantium præparationem.

Quod spectat ad primom, *Renes vestros accingetis*, sic explicatur ab S. Gregorio Papâ I. hom. 22. in Evangel. *Quid in renibus*, inquit, *nisi delectatio carnis accipitur? unde & Psalmista postulat dicens: Ure renes meos: si enim voluptatem libidinis in renibus esse n sciret, eos uri minimè petiisset. Unde quia potestas diaboli in humano genere maximè per luxuriam prævaluit, de illo voce Dominicâ dicitur: potestas ejus in lumbis ejus. Qui ergo Pascha comedit, habere renes accinctos debet; ut qui solemnitatem Resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per nulla vitia subjaceat, voluptates edomet, carnem à luxuriâ restringat. Neque enim cognovit, quæ sit solemnitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet: hæc quibusdam dura sunt, sed angusta porta est, quæ ducit ad vitam.* Hæc ibi.

Hac de re superiùs egimus, cum de usu Sacramenti verba fecimos. Hìc ideò non immoramor, inferiùs loquuturi de castimoniâ, quam Ecclesia ab omnibus, at præsertim ab Sacerdotibus exigit.

Quod spectat ad secundum, nempè *calceamenta habebitis in pedibus*, exponitur ab eodem S. Gregorio loco proximè citato: *Qui sunt etenim*, inquit, *pedes nostri nisi opera? quid verò calceamenta nisi pelles animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ verò sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui Patres, qui nos ad patriam precesserunt. Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus: Calceamenta ergo in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire?* Hæc ibi.

Quod & in Pastoralis curæ parte 2. cap. 2. luculenter astruit idem S. Gregorius. *Divinâ*, inquit, *voce præcipitur, ut in Aaron pectore rationale judicii vittis ligantibus imprimatur: quatenùs sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat: ne indiscretum quid, vel minus utile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus ex gravitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim Patriarcharum nomina describantur. Ascriptos etenim Patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare: Nam tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum precedentium indesinenter intuetur, cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit: ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod benè etiam rationale judicii vocatur: quia debet rector semper subtili examine bona malaque discernere, & quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant studiosè cogitare: nihil quoque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona deputare.* Hæc ibi S. Gregorius.

Si quis ergo dignè Deo sacris operari velit, attentiùs perpendat quomodo hac in parte sese gessere sancti Patres, quid hac de re suis monumentis prodidere, & tunc sese præbebit inculpatum, & coronam veris sanctisque Sacerdotibus repromissam haud dubiè consequetur.

3. Qui erant Agnum Paschalem, Christi Corpus apud Hebræos repræsentantem, manducaturi jubebantur baculos in manibus tenere: quod quidem præceptum indicabat eos, qui dignè Deo Corpus Christi conficere & percipere vellent, sua peccata voluntariis castigationibus & pœnis, baculo ad Paschalis Agni manducationem adhibito, adombratis, expiare oportere.

Quod præclarè explicat S. Hieronymus in cap. 3. Jonæ Prophetæ. *Ipse quoque Dominus verus Jonas missus ad prædicationem mundi, jejunat quadraginta dies, & hæreditatem nobis jejunii derelinquens ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat.* Hæc ibi.

Et hæc proculdubio mens est Ecclesiæ quadragesimale jejunium ex Apostolicâ traditione instituentis, & omnibus promiscuè fidelibus indicentis, ut scilicet omnes, & maximè gravioribus flagitiis implicati, per dignos pœnitentiæ fructus ad dignam Corporis Christi perceptionem sese disponant. *Hinc*, inquit S. Thomas, *statuti sunt ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, ut his peractis in jejuniis & orationibus, & continentiâ, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis.* Hactenùs S. Thomas in Opusculo 21. aliàs 58 cap. 16. vel quisquis est hujus opusculi Author.

Si Christianos per pœnitentiæ labores ad unam communionem quotannis in Paschali solemnitate ex præcepto Ecclesiæ obeundam, præparari necesse est, quibus operibus Sacerdotes ad quotidianam Corporis Christi consecrationem & perceptionem sese comparare, & quotidiana peccata sine quibus in terris non vivitur, expiare debent?

Istud tametsi videatur arduum, facilè præstare poterunt Sacerdotes, si sese Deo non solùm in sacrificium, sed etiam in holocaustum offerant. *Hoc enim inter holocaustum & sacrificium distat*, ait sanctus Gregorius, *quia omne quidem holocaustum sacrificium est; non omne sacrificium est holocaustum. Sunt enim multa bona, quæ aguntur, sacrificia, sed ho-*

locausta non sunt: quia totam mentem in amore spirituali minimè incendunt. Qui enim sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen & quædam quæ sunt sæculi, non relinquant, nimirum sacrificium, & non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt, deserunt, & totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Deo sacrificium & holocaustum fiunt. Hactenùs S. Gregorius hom. 12. in Ezech. prope finem ejusdem homiliæ.

Perpetuum autem istud holocaustum erit, si perpetuum ignem in altari, ut Levit. 6. cap. præcipitur, nutriamus. *Altare enim Dei est cor nostrum*, ut ait idem S. Gregorius, *in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Deum charitatis flammam indesinenter accendere. Iste ignis, ut semper ardeat, Sacerdos in altari ignem nutriens quotidiè ligna subjiciat, id est fidelis quisque ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium, quam sacræ scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quædam quasi fomenta igni dare est in exercitatione charitatis, vel exempla Patrum, vel præcepta Dominica ministrare.* Et pauló post: *Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citiùs extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis Patrum & Dominicis testimoniis reparetur. Benè autem illic subjungitur: Et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Nam quisquis in se hunc ignem charitatis accendit, semetipsum utique holocaustum desuper imponit: quia omne vitium quod in se malè vivebat exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobam per immutationis gladium mactat, in arâ se sui cordis imposuit, & igne charitatis incendit.* Hactenùs S. Gregorius Exposit. moral. in 34. cap. Job. in ipso septimi capitis initio.

Si Sacerdos eam sancti Gregorii doctrinam studiosiùs colat, sese eum gratiæ cælestis auxilio ad dignam mysteriorum celebrationem, & participationem ritè comparare poterit.

Quod & meliùs præstabit, si eâ, quâ par est, vigilantiâ, quotidiè suos profectus, defectusque discutiat. Sicut enim reproborum proprium esse solet, semper prava agere, & numquam quæ egerint rettactare, Omne enim quod faciunt, cæcâ mente pertranseunt, factumque suum, nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. Econtra electorum est actos suos quotidiè ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. Mens enim nostra per momenta vivendi, ipso euratum à semetipsâ permutatur, & non agnoscimus nisi vigilanti custodiâ ad interiora nostra residentes profectus nostros quotidiè defectusque pensemus. Ut pulcherrimè docet idem S. Gregorius c. 6. libri 25. Moral. in c. 34. Job.

Quæstio XXIV.

Quem fructum ex hac doctrinâ Sacerdotes percipere oporteat?

PErspicuum est ex dictis Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotes integros vitæ scelerisque puros ad divina mysteria celebranda percipiendaque accedere oportere. Si enim Agnus Paschalis, quo adombratur Agnus Dei, qui quotidiè nostris in templis immolatur, manducari non poterat nisi cum lactucis agrestibus, cum azymis panibus, & illito ejus sanguine utroque poste cum superliminaribus domorum, & ab hominibus qui erant accincti renibus, & calceati, & baculos tenentes præ manibus, quidni Sacerdotes hujusmodi dispositiones per talem apparatum adumbratas, non jam Agnum typicum, sed verum immolaturi percepturique ex animo suscipere teneantur?

Celebraturi ergo adhibeant lactucas agrestes, id est pœnitentiæ lachrymas, & amaritudinem & azymos panes, id est mentis sinceritatem ab omni hypocriseos fermento abhorrentem: illigant etiam utrumque postem cum superliminaribus domorum agni, quem sunt immolaturi sanguine, id est in corpore, & in animâ cum intentione imitandæ Christi Passionis, ejusdem Christi mortificationem circumferant.

Præterea renes accinctos habeant, id est fulgeant eximiâ corporis puritate & castimoniâ. Calceamenta habeant in pedibus, id est, ut interpretatur sanctus Gregorius jam cit. sanctorum Patrum exempla conspiciant, & eos imitando sua vestigia à peccati vulnere custodiant. Baculos denique præ manibus teneant, id est sua peccata dignis satisfactionibus & pœnis, veluti baculis puniant.

Porrò quantâ sanctitate præditos esse oporteat Sacerdotes sacris operaturos liquidò testatur sanctus Dionysius in lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 3 §. 10. *His autem*, inquit, *eo quo dictum est ritu celebratis, astans coram symbolis sanctissimis Pontifex unà cum venerabili Sacerdotum ordine aquâ manus abluit. Nam qui lotus est (ut sacra testantur eloquia) non indiget aliâ, quam summitatum seu extremitatum suarum lotione.* Et paulo post. *Eos enim qui ad sanctissimam mysteriorum celebrationem accedunt, ab extremis etiam animæ phantasiis & imaginibus repurgatos esse, & ad eorumdem mysteriorum similitudinem seu paritatem, pro suarum modulo virium accedere necesse est.* Ita S. Dionysius §. 10. citato quod & pulcherrimè expressit ejusdem cap. 3. §. 7. *Si enim*, inquit, *id verum est, quod is, qui se Deo penitiùs devovit, qui videlicet ad divina dignè participanda admittitur, qui quantum fas est homini, ad summam divinæ imitationis effigiem provectus est, is ea quæ carnis sunt, non curabit, nisi in quantum naturæ necessitas urgebit. Is erit profectò Templum divini spiritus, qui ejusmodi est, numquam contrariis imaginationibus terroribusque vexabitur, sed potiùs eos irridebit accedentesque profligabit ac persequetur, agetque magis quam patietur; & pro affectus sui impassibilitate & constantia aliis ejusmodi vexationes passis sese medicum prebebis.* Hæc ibi.

Porrò cum satis superque appareat quantâ cum sanctitate Sacerdos divina mysteria celebrare debeat, dicamus de illo quod Sanctus Hieronymus de legis Mosaicæ Pontifice prædicavit: *Tanta debet esse scientia & eruditio Sacerdotis Dei, ut & gressus ejus, & motus, & universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu: ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina Populorum: Absque tintinnabulis enim & diversis coloribus, & gemmis floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec Sacerdotis nomen possidere.* Ita S. Hieronymus Tom. 3. Epist. 128 ad Fabiolam de vestitu Sacerdorum.

Hanc quæstionem claudere juvat verbis Stephani Duranti l. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, n. 1. c. 42. n. 4. explicans ea verba Canonis, *Hostiam puram*, &c. declarat cum quantâ puritate Sacerdotes mysteria celebrare debeant: *Hac in re*, inquit, *Sacerdotes admonitos velim quam purè, & castè, quam diligenti præparatione & synccrâ devotione accedere debeant ad hanc Hostiam puram, sanctam & immaculatam panem vitæ & Calicem salutis perpetuæ oblaturi: ne si peccatis obnoxii offerant, eorum oblatio sit quasi qui victimat filium in conspectu Patris Eccl. c. 34. Non possum non gravissimè commoveri, non dolere, & non gemere videns Missæ sacrum, ipsis quoque virtutibus cælorum adorandum, hoc infœlicissimo sæculo à quibusdam ministris indignè summâque incuriâ factitari.* Hæc ille loco cit.

Hactenùs dicta probataque de Sacerdotum sanctimoniâ sufficerent nisi nos quorumdam hominum qui olibet antè & post ordinationem in flagitia carnis immersos ad ministerium altaris protrudentium, opinio ad investigandas hac de re traditionis Ecclesiasticæ sanctiones adigeret. Sit itaque

Quæstio XXV.

Utrùm homines in carnis flagitia prolapsos ad sacros ordines olim admittere licuerit?

Respondeo id disertè fuisse prohibitum. Id enim patet ex multis SS. Patrum Conciliorumque testimoniis, & imprimis ex Canonibus Synodi Romanorum ad Gallos Episcopos missis, & ab P. J. Sirmondo editis; Hujusmodi enim Canonum quintus (cujus titulus est, quod Romana Ecclesia ad Clerum non admittit eos qui post Baptismum casti non fuerint) conceptus est in hæc verba: Romana Ecclesia hoc specialiter custodit, ut siquis parvulus baptizatus integritatem corporis servaverit, admitti potest ad Clerum: vel si quis major fuerit baptizatus, & manserit pudicus, unius uxoris vir, potest Clericus fieri, si nullis aliis criminum vinculis alligetur. Cæterum qui corruperit carnalibus vitiis aquæ Sacramenta, post fornicationem, etiamsi ducat uxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata ministerio assistere qui prioris vitæ reperierit cæcitatem? Quomodo illud intelligitur: neque fornicarii, neque idololatræ, & cæteri tales regnum Dei possidebunt, si nihil inter bonum & malum, inter justum & impium, inter luxuriosum & pudicum, inter observantem legem & publicanum interfit? fient tales ministri, vel Sacerdotes non Christi, sed potiùs Antichristi. Et ubi est illud, quod sanctus Apostolus Paulus, qui formam tulit Episcopi, qualis esset ordinandus, antè præcepit dicens: Irreprehensibilem, sobrium, & pudicum, &c. Quomodo hic irreprehensibilis est, qui Baptismi Sacramentum non potuit custodire? O nova præsumptio! Huic Sacerdotium est creditum, cui pœnitentia sola debetur, ut fœdidata, longâ satisfactione, veniæ beneficio possit abluere. Hunc Canonem totidem verbis expressum legere est Tom. 1. Conciliorum Galliæ fol. 588. & 589. ex editione J. Sirmondi Societatis Jesu Presbyteri.

Idipsum confirmatur can. 30. Concilii Illiberitani in hæc verba concepto: Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentiâ suâ fuerint mœchati: eò quod postmodùm per subreptionem, ad altiorem gradum promovebantur: si autem aliqui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.

Hoc Canone Concilium Illiberitanum ad criminis detestationem, & retinendam sacri ordinis dignitatem, decernit eos, qui ad sacros ordines eligerentur, eâ morum & vitæ integritate præstare debere, ut qui in adolescentiâ suâ fuissent mœchati, subdiaconi non ordinarentur: quia cum detecto flagitio pœnitentiam agere debuissent, & pænitentes ad ordines promoveri non possent, (ut testatur Innocentius Papa I. in Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 5.) supervacuum erat cum ordine Subdiaconatus insigniri, cujus functionem non esset posteà habiturus.

Idipsum statuit Concilium Neocæsariense Can. 9. in hæc verba concepto: Qui admiserit corporale peccatum, & hic postea Presbyter ordinatus est, si confessus fuerit, quod ante ordinationem suam peccaverit, non quidem offerat, maneat tamen in aliis officiis propter ejus studii utilitatem. Nam cætera peccata censuerunt plurimi manuum impositione tolli, ut vertit Dionysius Exiguus.

Ac reipsâ quidem sancti Patres & Concilia adulterium, cæteraque peccata carnalia ab ordinum sanctitate tantopere abhorrentia judicarunt, ut ea non solùm ordinandos impedire, sed etiam ordinatos de suo gradu & ministerio dejicere passim docuerint.

Item docet Apostolorum Canon 66. aliàs 61. Si quis, ait, accusetur de fornicatione vel de adulterio, vel de alio crimine, convictus in Clerum non introducatur. Id confirmatur c. si quis Diaconus aut Presbyter. dist. 50.

Idem statuit Concilium Taurinatense circa tempora Siricii Papæ celebratum: sic enim loquitur can. 7. Qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio genuerunt filios, ad majores ordinum gradus ascendere non permittantur.

Hac de re tres Canones condidit Concilium Arausicanum I. nempè 22. Sedit prætereà (sunt verba Concilii) ut deinceps non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem.

Alter Canon nempè 23. ita statuit: Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam, cum uxore suâ incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.

Tertius denique hac de re Canon, qui est Concilii 24. hujusmodi est. De his autem qui priùs ordinati in hoc ipsum inciderunt Taurinatis Synodi sequendam esse sententiam, quâ jubentur non ulteriùs promoveri. Hactenùs Synodus Arausicana I. anno Redempt. 441. imperante Valentiniano III. celebrata.

Idipsum astruitur Concilii Turonensis I. anno Redempt. 461. celebrati can. 2. Et licet à Patribus nostris emissâ authoritate id fuerit constitutum, aiunt istius Concilii Patres, ut quicumque Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, à communione Dominicâ abstineretur: Nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & justam constitutionem molientes id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat; neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantùm, ut à communione non efficiantur alieni. Hæc ibi.

Ex allatis hactenùs SS. Patrum Conciliorumque testimoniis (quibus meridiano sole clariùs probatur flagitia carnis libidinosos homines ab ordinum susceptione ablegasse, & post susceptos ordines ab altaris ministerio removisse) unumquemque cordatum acquiescere oporteret. Sed quia nonnullæ futiles objectiunculæ, & una præsertim quæ ex suppositiâ sancti Gregorii ad Secundinum Epistolâ repetitur, nonnullorum animos ab ipso veritatis tramite in avia deflectit: Juvat rem totam ab ipsis radicibus limare, & præfatam objectionem, ceu futilem explodere. Sit itaque

Quæstio XXVI.

Utrùm Sacerdotum in carnis flagitia lapsorum perpetua de suo gradu dejectio traditionis authoritate stabiliri valeat?

Respondeo affirmativè & contendo rectè probari posse Ecclesiam per multa sæcula hanc tenuisse sanctionem, ut Sacerdotes tam primi quam secundi ordinis, & Diaconi qui sese in peccata carnis immerserant, de suo gradu ministerioque in perpetuum dejicerentur.

1. Sanctus Basilius qui sæculo IV. floruit, testatur Diaconos post Diaconatum fornicatos, de Diaconatus gradu fuisse dejectos, & post legitimam pœnitentiam in communionem laicam fuisse detrusos, nunquam tamen in pristinum Diaconatus gradum esse restituros, ut legere est in ejusdem S. Basilii Epistolâ Canonicâ primâ ad Amphiloch. can 3.

2. Id probat Canon 8. Concilii Aurelian. II. anno Redempt. 533. celebrati. *Si quis Diaconus* (verba sunt Canonis) *in captivitate redactus uxori fuerit copulatus, reversus ab officii omninò ministerio removendus est. Cui sufficere debet pro actus sui levitate impletâ pœnitentiâ pro satisfactione Communio.* Hæc ibi.

Luculenta hujus doctrinæ probatio petita ex litteris, quas ad Cæsarium Arelatensem inscripsit Joannes Papa II. in causâ contumeliosi Regensis Episcopi in fornicationem lapsi, & ideò de Episcopatu dejecti.

DOlemus (inquit Joannes II. Pontifex Maximus) de amissione Pontificis, rigorem tamen Canonum servare necesse est. Atque ideò prædictum ab Episcopatûs ordine nostra suspendit authoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus, sacris Ministeriis deservire. Sed te ordinante in Monasterio dirigatur: Ubi delictorum memor in pœnitentiâ lachrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui omnibus miseretur, Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum Visitatorem constitute, donec proprium Ecclesia, quæ evacuata est ejus Sacerdotio, merere valeat Sacerdotem. Hactenùs verba citati Pontificis in Epist. 1. ad Cæsarium Arelatens. directâ.

Præfatus Pontifex non satis habuit contumeliosum in carnis vitia prolapsum de Episcopatu dejicere, verum ut omnibus Christianis Catholicis declararet quantopere colendi essent sacro-sancti Synodorum Canones ab S. Spiritu dictitati, & omnium sæculorum reverentiâ consecrati, juridicam contumeliosi damnationem eorumdem Canonum authoritate munire voluit. Quod ut efficaciùs astruatur. Esto

Series Canonum quos Joannes Papa II. ad Cæsarium Arelatensem, & cæteros Galliæ Episcopos transmisit.

1. EX Epistolâ Siricii Papæ Urbis Romæ Emerio Episcopo Tarraconensi, inter cætera ad locum cap 7. Et quia aliquanti, de quibus loquimur, & tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, id est, ut ad uxores proprias redierint: His eâ conditione misericordiam dicimus non negandam. ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quamdiu advixerint, officio perseverent: si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Ii verò qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indigni sunt Apostolicâ authoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præterita præcavere nos præmonent in futuro; quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

2. Ex Canonibus Apostolorum capitulo 25. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio captus est, deponatur: non tamen Communione privetur. Dicit enim Scriptura, non vindicabit Dominus bis in idipsum. d. 81.

3. Ex Canonibus supradictis Capitulo 29. Quod officium pristinum, damnati pro criminibus usurpare non debeant. Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus depositus justè super certis criminibus ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, ab Ecclesiâ penitùs abscidatur.

4. Ex Canonibus Antiochenis Capitulo 4. De damnatis & ministrare tentantibus: Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive Episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in aliâ Synodo restitutionis spem aut locum habere sanctificationis. Sed & communicantes ei omnes abjici de Ecclesiâ. maximè si posteaquam didicerint adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint. 11. q. 3. si quis Episcopus.

5. Ex Canonibus supradictis Capitulo 15. De Episcopis ab ejusdem Provinciæ Episcopis consonanter exclusis. Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus, condemnatur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint: hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sententiam.

Expliciunt tituli Canonum à sancto Joanne Papâ transmissi.

Hujusmodi Canonibus ab Joanne Papâ II. anno Redemptoris 534 in Gallias transmissis, additi sunt alii, ut unusquisque breviter posset agnoscere Clericos post crimina capitalia non posse ad honorem pristinum revocari.

Can. 9. ad locum de Synodo Nicænâ, 318. Episcoporum. Si qui fortè indiscretè ad Sacerdotium provecti, postmodùm vel ipsi aliquid de se criminosum professi sunt, vel ab aliis evicti, abjiciantur.

Incipiunt Tituli Canonum Gallicanorum.

1. DE Synodo Valentinæ Civitatis Episcoporum 18. IV. Idus Julias Gratiano III. & Equitio Coss. Nec illud fratres scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis quicumque sub ordinatione, vel Diaconatûs, vel Presbyterii, vel Episcopatûs mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos: reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim solus ab his potest, si in ipsos se dixerint, quod dictum in alios puniretur. Cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, homicida sit. Divina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectissimi. Ita Concilium Valentin. IV. Can. 4

2. Item ad locum de Synodo Aurelianensi Episcoporum 30. Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiserint, simul ab officio & communione pellantur. Ita Concilium Aurelian. 1. can. 9.

3. Ad locum de Synodo Justianensi. Si quis Diaconus, aut Presbyter post acceptam benedictionem Leviticam, cum uxore suâ incontinens invenitur, ab officio abjiciatur. Ita Concil. Arausican. 1. can. 23.

4. Item de Synodo Epaonensi Episcoporum 34. Si quis Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit ab officii honore depositus in Monasterium detrudatur, ibi tantummodò Communione sumendâ. Ita Concilium Epaonense can. 22.

Cæsarius Arelatensis propositis Canonibus, quos ad ipsum Joannes Papa II transmiserat, & adjectis aliis, quos ipse ex nostræ Galliæ Synodis excerpserat, quantoperè hujusmodi Canonum authoritati deferendum esset, pulcherrimâ oratione declaravit: *Ecce*, inquit, *manifestissimè constat, quia secundum quod & Tituli antiquorum Patrum à S. Joanne Papâ transmissi, & trecentorum decem & octo Episcoporum sententia, sed & Canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt. Et quia fortè non deerunt quibus pro nimiâ pietate suprà scripta sanctorum Patrum severitas minimè placeat, sciant se & trecentorum decem & octo Episcoporum præcepta, & sanct. Papæ authoritatem, & illorum Pontificum qui ordinantibus 318. Episcopis, reliquos Canones statuerunt, sententiis reprehendere, vel damnare. Sed fortè major in illis est pietas, quam in supradictis 318. Episcopis. Major in illis misericordia quam in sancto Joanne Apostolico Papâ, major charitas, quam in reliquis sanctis Sacerdotibus,*

qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum suis definitionibus delibaverunt. Et ideò aut plenâ voluntate præceptis illorum consentiant, aut si non fecerint, omnibus se contrarios & inimicos esse cognoscant. Quæ est ista inimica benignitas palpare criminosos, & vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Quod si etiam durissimam eos pœnitentiam per plures annos agere videremus: sic nos ipsi & saluti eorum consulere, & Canonum deberemus statuta servare. Et paulo post. *Ideò diligentiùs perpendite, si aut potest, aut debet fieri, ut tantorum ac talium quos suprà memoravimus Sacerdotum Canones contemnentes, aliter quam illi statuerunt, observare vel agere præsumamus. Præcipuè si cum illorum 318. Episcoporum, qui per omnes Ecclesias Concilia fieri præceperunt tam sancta decreta negligimus, non solùm illos despiciemus, sed sicut jam suprà dictum est, & Africanos Pontifices & omnes reliquos, qui ipsis ordinantibus per totum mundum pro Ecclesiasticâ disciplinâ aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere omninò non audeo: quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam: nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tam sanctos Sacerdotes, qui Canones statuerant causas dicere possim.*

Et infrà citat Epistolam Fausti Episcopi sancti aientis: *Perdit gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti: cum hæc ita sint, quâ conscientiâ quisquam dicere poterit, quod ille qui adulterium commiserit, iterum ad honorem redire possit?*

Et infrà. *Propter regulam*, inquit, *Ecclesiasticam & propter antiquorum Patrum statuta, quæ absit a nobis, aut reprehendere, aut discutere audeamus, eum quem credimus, ad vitam æternam, post actam pœnitentiam venire, ad honorem Clericatus secundum tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti. In tantum ut in Canonibus scriptum sit, ne ullus unquam pœnitens Clericus ordinetur. Et si ille qui ultrò petit pœnitentiam, quamvis perfectè agat, non potest aut Episcopus aut Presbyter ordinari; ita ut, si per ignorantiam ordinatus fuerit, & posteà convincitur pœnitentiam accepisse, dejiciatur: Ille qui invitus ad pœnitentiam agendam in Monasterium mittitur, & utique qui aliud quam pœnitens dicendus est, quâ conscientiâ ad Sacerdotium redire permittitur? nemo mihi alia qualibet contra authoritatem Sedis Apostolicæ, aut contra 318. Episcoporum præcepta, vel reliquorum Canonum statuta objiciat: quia quicquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.*

Ista omnia ex præfatâ Cæsarii Arelatensis exhortatione delibare placuit, ut innotesceret universis Catholicis, & præsertim Sacerdotibus, quantâ reverentiâ sacro-sanctos Canones prosequi, & quanto studio & vigilantiâ carnis flagitia, perpetuâ de sacro Ministerio dejectione, ab SS. Patribus castigata fugere oporteret.

Juxta sacro-sanctorum Canonum sanctiones, Joannes Papa II. anno salutis 334. mense Aprili contumeliosum de Episcopatu dejecit, ut patet ex secundâ ejus Epistolâ ad Galliæ Episcopos inscriptâ: *Innotuit nobis*, inquit, *à fraternitate vestrâ missa relatio, in quâ contumeliosus multis legitur criminibus involutus. Et quia hujusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis, ab hodierno vel officio eum nostra censet removeri authoritas, ut in Monasterio constitutus delicti veniam à Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile ejus clementiæ, quæ potest cuncta relaxare quæ facta sunt.* Hæc ibi.

Validissimam hanc probationem, quâ Sacerdotum in carnis flagitia lapsorum perpetua de suo gradu dejectio, & aliorum iisdem peccatis inquinatorum ab ordinibus exclusio astruitur, suppeditavit nobis Jacobus Sirmundus Jesuita Tomo 1. Conciliorum Galliæ ad ann. Christi 534. pag. 133. & sequentib.

Ut autem hæc doctrina inconcussâ sanctorum Patrum authoritate fulciatur, accedat ad prædicta sancti Gregorii Papæ authoritas.

Superior doctrina sancti Gregorii Pontificis maximi authoritate statuitur.

SAnctus Gregorius Papa I. doctrinam, quâ Sacerdotibus in carni flagitia lapsis, interclusum in omne tempus ad pristinos honores reditum, hactenùs asseruimus, tot locis repetiit, ut nemo vel tantisper oculatus citra immanem allocinationem contrariam illi sententiam ascribere valeat. Nam

1. Id disertè testatur lib. 1. Epistol. Epistol. 18. ad Petrum Subdiaconum missâ, quam sic concludit: *Revertendi lapsis ad gradum priorem, quò meliùs pœniteant, suspicio non manebit.*

2. Idipsum luculentiùs affirmat lib. 3. Epist. Epist. 26. ad Januarium Episcopum Catalitanum inscriptâ. *Pervenit*, inquit, *ad nos quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerii sui officium revocari: quod omninò prohibuimus, & in hac re sacratissimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad Altaris ministerium ulteriùs non accedat. Sed ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant: provideri debet, quales ordinentur, & priùs aspiciatur, si vita eorum continens in annis pluribus fuit: si studium orationis, si eleëmosynæ amorem habuerunt.*

3. Regist. lib. 4. Epist. 5. sic scribit ad Venantium Lunensem Episcopum de Saturnino Presbytero lapso: *Accedens ad Gorgonam Insulam fraternitas vestra discutiat id, quod ad nos de Saturnino Expresbytero est perlatum. Pervenit namque ad nos, quia postquam pro crimine lapsus sui à Sacerdotii Ordine est dejectus, ad explendum ministerium Sacerdotii præsumpsit accedere, & omnipotenti Deo Hostias immolare. Quod si ne factum fraternitas vestra repererit, eum sacri Corporis & Sanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat: ita ut usque ad diem obitûs sui in eadem Excommunicatione permaneat, & Viaticum tantummodo in die exitûs sui percipiat; sin autem fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei justè ad recipiendam inter Laicos Communionem etiam ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.* Hæc ibi.

4. Registr. lib. 4. Epist. 16. idem statuit. *Ad fraternitatis tuæ*, inquit, *consulta respondentes, statuimus Diaconum & Abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum Ordinem non debere, vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro Ordine privatum in pœnitentiam deputare convenit.* Et paulò post. *Subdiaconi quoque quos similis culpa constringit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter Laicos Communionem accipiant. Saturninum verò Expresbyterum ut nunquam ad sacri Ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cavere decrevimus.*

5. Eodem Regist. lib. 4. Epist. 17. *Similiter etiam* inquit, *& tres Subdiaconos, quos fraternitas vestra lapsos innotuit, à suo semper vacare ac decernimus privatos officio, quibus nihil aliud quam inter Laicos sacra est præbenda Communio.*

Cur autem omnis lapsis in pristinum gradum restitutionis spes præcidatur, exponit in ipso ejusdem Epist. 17. exordio. *Si lapsis*, inquit, *ad suum Ordinem revertendi licentia conceditur, vigor Canonicæ proculdubiò frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quis concipere non formidat. Fraternitas siquidem vestra nos consulit, si Amandinus Expresbytero & Abbate, qui à suo est decessore culpâ exigente depositus, in eo quo fuerat Ordine constitutus,*

debeat revocari. Quod quidem nec licet, nec fieri posse aliquâ ratione decernimus. Hæc ille.

6. Lib. 6. Regist. Ep. 39 idem astruit his verbis: *Ergo quemquam criminaliter abscedentem in locum, de quo lapsus est, nulla permittit ratio revocari.*

Epistola ad Secundinum inscripta falsitas declaratur.

Dies me deficeret, si vellem hîc recitare omnia sancti Gregorii effata, quibus toties & tam severè authoritate Apostolicâ prohibuit, ne de sacris Ordinibus lapsi vel post pœnitentiam, vel ante, ad officii sui ministerium revocarentur, quia id nec liceret, nec fieri ullâ ratione posset.

Hæc ratio non postremum obtinet locum inter argumenta quibus inscripta ad Secundinum Epistola, velut supposititia demonstratur, & exploditur. Neque enim credibile est tantum Pontificem tam instabilem extitisse, ut ad Monachum inclusum (ut nonnulli dictitant) scribens, sua decreta, toties inculcata, toties ad Episcopos & alios graves viros per litteras transmissa, & vigorem disciplinæ, ut ipse ait, continentia refigeret: atque adeò labefactatâ erga Sacerdotes in carnis vitia prolapsos severitate & disciplinâ, patentissimum omnibus libidinum generibus aditum aperiret.

Hujusmodi ratione perpulsi homines insigniter eruditi prædictam ad Secundinum Epistolam adulterinam esse litteris prodiderunt.

Hujus assertionis Authores locupletissimi sunt & imprimis Joannes Morinus Congregationis Oratorii Sacerdos eruditissimus lib. 4. de administ. Sacram. pœnitent. cap. 15. num. 6. ubi ait S. Isidori ad Manassum Epistolam esse planè commentitiam, ut & alias nonnullas ipsi ascriptas. Eam verò Epistolam ad Secundinum, quæ S. Gregorio tribuitur, affirmat complecti & resolvere quæstiones, quibus prætermissis asserit in eâ de præsenti quæstione (de lapsorum scilicet Sacerdotum in pristinum gradum restitutione) nonnulla reperiri corrupta & superaddita.

Reverà D. Gonsinvillæus in suis ad adulterinam hanc Epistolam notis observat enorme illud fragmentum (de Sacerdotibus in carnalia vitia prolapsis in pristinum gradum restituendis) quod incipit: *Et quia tua sanctitas hoc à nobis requisivit*, &c. vix in uno aut altero ex triginta Manuscriptis reperiri, & illud ipsum assumentum circa lapsos Sacerdotes, in vetustissimo Codice Remensi, in quo descriptæ sunt omnes Romanorum Pontificum Epistolæ à Gelasio ad Joannem Papam VIII. non inveniri disertè asserit.

Ille ipse Gonsinvillæus, qui insignem litteratis omnibus operam navavit novâ & accuratâ S. Gregorii Papæ I. editione, observat præfatum illud assumentum esse suppositum, & probat, ex eo quod vox illa (sanctitas) sit eidem Sancto Gregorio inusitata, quippè qui rarò & vix Episcopis eam tribuat, numquam verò Monachis, erga quos utitur dumtaxat vocibus charitatis & dilectionis, ut in aliis hujus Epistolæ locis videre est.

Ad Joannis Morini & Gousinvillæi sententiam solidissimè astruendam non parùm confert Wilhelmus Wendrockius in suis ad litteras Provinciales notis. Siquidem notâ 1. in Epistol. 6. sect. 3. §. 3. testatur immane hoc & prodigiale assumentum omnibus Canonum sanctionibus & summorum Pontificum decretis è diametro contrarium, in dictam S. Gregorii Epistolam ab aliquo falsario fuisse intrusum. In cujus rei fidem citat octo, eaque pervetera Manuscripta Anglicana à Jamesio memorata, quibus addit vetustissimum Codicem Registri Gregoriani in Cœnobio Claravallensi asservatum, in quo sicut nec in dictis Manuscriptis, ne minimum quidem hujus assumenti vestigium cernitur & apparet.

Præfatam ad Secundinum Epistolam esse omninò adulterinam, probatur ex eo quod consuetudo, quâ Sacerdotes & Diaconi in carnis flagitia prolapsi de suo ministerio sine ullâ restitutionis spe dejiciebantur, viridi vigebat observantiâ quinquaginta annis ab sancti Gregorii obitu elapsis, quod numquam esset factitatum, si S. Gregorium Ecclesiasticam circa Sacerdotes, Diaconosque lapsos disciplinam relaxasse constitisset.

Quod asserimus, patet ex Martini Papæ I. Epist. ad Amandum Trajectensem Episcopum inscriptâ, in quâ consolatur hujusmodi Episcopum summo mœrore propemodum obrutum & Episcopatum abdicare meditantem, eò quod Presbyteri, seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes in lapsu coinquinati, juxta sacros Canones ab Altaris ministerio recedere detrectarent, hortatur ad perseverantiam, & ad Canonum circa hujusmodi homines observantiam.

Propterea, inquit, *nullatenus in hujusmodi peccato delinquentibus ad destructionem Canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipiscised, sufficiat ei lamentationibus, fletibusque assiduis, quousque advixerit, in eadem pœnitentiâ perdurare, ut commissum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat, quanto magis si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omninò prohibendus est cum manibus lutulentis, atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sitque hujusmodi semper juxta sacrorum Canonum statuta in hac vita depositus, ut ab illo, qui mentis interiora scrutatur, nullo que de ovibus errare congaudet, dum adspexerit syncerum pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideoque iterum hortamur tuam charitatem exemplo ejus qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis ejus servitiis permanere.* Hactenùs Martinus Papa I. in citatâ Epist. quam legere est in posteriori parte tom. 2. Conciliorum ex edition. Colon. in Lateranensi Synodo, exeunte secretario seu consultatione quintâ & ultimâ ejusdem Synodi pag. 479. & sequent.

Ex isto Martini Papæ I. loco constat statuta Canonum circa Sacerdotes, Diaconosque lapsos viguisse anno salutis 649. id est, quadraginta quinque, vel ut aliis placet, quinquaginta annis post obitum S. Gregorii: quod quidem declarat hujusmodi statuta ab eodem S. Gregorio nec relaxata, nec abrogata fuisse, ut existimant nonnulli spuriâ ad Secundinum Epistolâ decepti.

Talium statutorum observantiam mirabilem in modum astruit Concilium Toletanum 1. Provinciale sub Vitaliano Papâ II. celebratum anno Redempt. 655. In hujusmodi enim Concilio Eugenius Toletanæ Sedis Episcopus, & alii decem & septem Episcopi Potamium Bracarensem Episcopum, de carnis flagitio convictum, ab Episcopali amoverunt officio, & perpetuæ pœnitentiæ addixerunt. Quod priusquam peragerent, illum divini numinis contestatione adjurarunt, & obtestati sunt, ut, an de se sponte mendacium diceret, aut alicujus violentiâ premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, luminibusque ploratu madentibus, & fragore singultuum, eum unius Dei juramento clamavit; se & verè eadem de se mala confiteri, & ad hæc confitenda nullâ se violentiâ prægravari. Undè etiam fermè per novem menses spontè deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam, pro admisso flagitio acturus pœnitentiam se conclusisse edixit. Tunc per fidelem confessionem ejus agnito, quod tactu fœmineo sorduisset & declarato, licet

hunc paterna antiquitas sacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione tulerat, sed validâ authoritate decrevimus perpetuæ pœnitentiæ hunc inservire officiis, & ærumnis providentes meliùs illum per asperam & dumosam iter pœnitentiæ sollicitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii mansionem, quam relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium dejici æternâ damnatione.

Hanc Potamii condemnationem legere est in Concilio Toletano X. sub titulo, Decretum pro Potamio Episcopo in tom. 2. parte posteriore, edition. Colon. p. 523. & seq.

Prolata hæc testimonia satis, superque comprobant sacro-sanctos Conciliorum Canonas post S. Gregorii tempora fuisse religiosissime observatos ab summis Pontificibus & Conciliis, utpotè quæ præfatos illos Canonas ab S. Gregorio semper approbatos & commendatos, & observatos fuisse veracissimæ traditionis adminiculo acceperunt. Talis autem traditio S. Gregorii Pontificatum multis antecessit sæculis, ut patet ex Apostolorum Canone 62. & ex Cornelio Pontifice, qui in Epistolâ ad Fabium Antiochenum inscriptâ commemorat tres Episcopos homines minimè malos, & in discernendis perditorum artibus, & fallaciis minùs perspicaces & tritos, Novatianum maligno ejus dolo circumventos ordinasse, & eorum unum cum ingenti doloris & contritionis de suâ prævaricatione confessum in Ecclesiæ sinum rediisse, & ad laicam duntaxat Communionem admissum, nusquam tamen in pristinam dignitatem esse restitutum: ut legere est apud Eusebium Ecclesi. histor. lib. 6. cap. 43. ex Editione Vales.

Idipsum demonstratur ex 52. S. Cypriani Epistolâ ad Antonianum celebrem tunc temporis Episcopum inscriptâ. Cum enim Cornelium Trophimum Episcopum Schismaticum de idololatriâ accusatum admisisset in sinum Ecclesiæ, & cum eo velut Episcopo in pristinum gradum restituto communicasse conquereretur Antonianus fallaci rumoris aurâ deceptus, ejus querelas citatâ jam Epistolâ diluit: *Tractatu*, inquit, *illic cum collegis plurimis habito susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum litera pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet. Sed & quod passim communicare sacrificatis Cornelium tibi nuntiatum est, hoc etiam de Apostatarum fictis rumoribus nascitur.* Hæc ibi.

Illam ipsam veritatem liquidò declarat ejusdem S. Cypriani Epistola 64. ad Epictetum & plebem Assuritanorum directa, in quâ sanctus ipse Cyprianus graviter invehitur in Fortunatianum, eo nomine quod lapsum ruinæ suæ miser, vel diaboli tenebris in totum excæcatus, vel quorumdam sacrilegâ persuasione deceptus (cum deberet satisfacere, & ad Dominum exorandum diebus ac noctibus lachrymis & orationibus & precibus incumbere) auderet sibi adhuc Sacerdotium, quod prodiderat, vindicare, quasi post aras diaboli ad Altare Dei fas esset accedere. Et posteà profert generale illud decretum quod ex sacris Canonibus elicit & probat: *Qui gravia*, inquit, *in se delicta adduxerunt, id est, qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerunt, Sacerdotium Dei sibi vindicare non possunt, nec ullam in conspectu ejus precem pro fratribus facere.* Hæc ibi.

Ex citatis S. Cypriani locis manifesta est praxis Ecclesiæ, quæ quidem heroicis illis temporibus Sacerdotes & Diaconos in gravia idololatriæ & mœchiæ, & alia id genus crimina implicatos ita de suo gradu dejiciebat, ut illis omnis in pristinum ministerium spes restitutionis adimeretur. Quod & egregiè confirmatur in 68. ejusdem S. Cypriani Epistolâ, in quâ Basilidis & Martialis Episcoporum de idololatriâ, & aliis criminibus convictorum damnatio & irrevocabilis destitutio commemoratur. *Tales*, inquit ibi sanctus Cyprianus, *frustrà Episcopatum sibi usurpare conantur, cum manifestum sit ejusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maximè cum jam pridem nobiscum, & cum omnibus omninò Episcopis in toto mundo instituti etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus, ac justus & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit hujusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Hæc ibi.

Tam perspicua sanctorum Patrum decreta & testimonia insigniter astruunt illud pronuntiatum: Qui lapsi sunt, excluduntur in posterum ab omnibus dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis. Hoc axioma quod Origeni ascribitur, declarat omnes in gravia crimina, sive ante, sive post ordinationem implicatos ab omni Ecclesiæ ministerio fuisse penitùs ablegatos.

Ergo ante S. Gregorii tempora illa Ecclesiæ disciplina vigebat; & post ejus obitum summâ religione observata est: quæ duo manifestissimè demonstrant eidem S. Gregorio malignè suppositam esse ad Secundinum Epistolam.

Cum enim ante ejus ætatem hujusmodi disciplina ab antiquissimis Patribus tradita studiosissimè coleretur, & ipse ad sacram traditionem medullitùs adhæresceret, non est credibile illum utpotè sanctum Pontificem illam hac in parte violare voluisse, imò certo certius est illam utrum maximè statuisse, ut ex variis ejus Epistolarum locis anteà demonstravimus.

Præterea cum post ejus obitum illa ipsa disciplina aliquot sæculis viguerit (id est, usque ad annum 1100, ut nonnullis placet, vel, ut alii volunt ad 900. Redempt. annum, argumento est, & quidem maximo, eamdem illam disciplinam ab ipso non esse vel relaxatam, vel abrogatam, ut supponit adulterina illa ad Secundinum Epistola, omnes enim ubique terrarum Episcopi ejus exemplum & authoritatem secuti egissent mitiùs cum ordinandis & ordinatis & pristinam veterum Patrum severitatem sensim abolescere permisissent: cujus rei ne minimum quidem in totâ antiquitate vestigium apparet. Præfatæ igitur ad Secundinum Epistolæ falsitas clariùs elucescet, si ejus author investigari, agnoscique valeat. Sit itaque

Quæstio XXVII.

Quisnam spuriæ ad Secundinum Epistolæ artifex ab eruditis habeatur?

RESpondeo hujus Epistolæ (sicut & aliarum, quæ primis Pontificibus Romanis, & eorum Successoribus usque ad Siricium, id est, usque ad ann. Christi 385. perperàm ascriptæ sunt) Architectum passim ab eruditis prædicari falsarium illum Isidorum Mercatorem ab idoneis Authoribus adumbratum, hominem ingenio hebetem, vitâ turpem, existimatione damnatum, impudentiâ atque audaciâ, supra quam dici potest, fretum, rabulam denique ad omnem nequitiam projectum, qui ut Christiani orbis oculos suis subliniret offuciis larvatam Isidori Hispalensis personam VIII. sæculo decurrente induit, & tanti Episcopi nomen & authoritatem ementitus scripsit in Hispaniâ Codicem Canonum, commentitiasque summorum Pontificum non paucorum Decretales edidit: quas inter non postremum obtinent locum duæ illæ, in quibus Sacerdotum gravia crimina lapsorum contra Canonum omnium statuta in pristinum gradum restitutio asseritur.

Primam

Primam ejusmodi Epistolarum edidit veluti secundam Callisti seu Calixti Epistolam: quæ præfatam Sacerdorum restitutionem asserit his verbis: *Nos indubitanter tam Domini Sacerdotes, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus.* Paulò ante idem ipse mendaciorum artifex & mercator sic suam eadem de re mentem aperit: *Errant*, inquit, *qui putant Domini Sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant, non solum errant, sed etiam contra traditas Ecclesiæ claves disputare & agere videntur, de quibus dictum est: quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cælo.* Hæc ille.

Infrunitum illud caput eamdem ipsam doctrinam attribuit Callisto Pontifici maximo, qui regebat Ecclesiam anno Redempt. 227. ut illam ab novitatis opprobrio vindicaret, & ut illam idoneâ, nec interceis âsetie traditam esse declararet, Gregorio Papæ I. qui Pontificatum gessit sæculo VI. nempè ab anno Christi 591. usque ad 604. attribuere non dubitavit in suâ illâ ad Secundinum Epistolâ, in quâ similia commenta, eadem Scripturæ testimonia, eadem, ut plurimum, verba & sensa, quæ leguntur in subditiriâ Callisti Epistolâ repetuntur. Undè utramque Epistolam ab eodem falsario procusam esse non falsò conjicitur.

Quanti igitur* talium mercium mercatorem facere oporteat, animadverterunt emunctæ naris homines, & imprimis Baronius, vir acerrimi judicii in suis in Martyrologium notis ad 16. Octobris. Ut scias, inquit, falsam esse & adulterinam Epistolam illam quæ fertur Bonifacii II Romani Pontificis ad Eulalium Episcopum Alexandrinum quæ edita habetur tom. 2. Concilior. recentior. edition. quâ dicitur à temporibus Bonifacii, & Cælestini Roman. Pontific. Africanam Ecclesiam operâ Aurelii Episcopi Carthaginensis schismate divisam esse ab Ecclesiâ Romanâ, nec ulteriùs illi communicasse usque ad tempora Bonifacii Papæ II. quando Eulalius Episcopus Carthaginensis pro ineundâ concordiâ & recuperandâ Ecclesiæ Romanæ communione libellum supplicem prædicto Bonifacio obtulerit, ac sic ad Communionem redierit. Intercurrunt ab Bonifacii I. temporibus quando conflatum dicitur Schisma usque ad Bonifacium II. centum anni, atque amplius, quo temporis spatio ex prædictarum litterarum sententiâ Africana Ecclesia in Schismate fuisse dicitur. Si hæc vera sunt, certè quidem expungendi essent ex albo Sanctorum, quorquot Martyres & Confessores illo ipso tempore in Africanâ Ecclesiâ sunt coronati Martyrio, vel egregiæ sanctitatis meritis claruere: quos ipsos sancta Romana Ecclesia in suo Martyrologio, vel inter Martyres numeravit, vel inter Confessores ascripsit, cum exploratissimum sit mille sententiis Cypriani & Augustini, & aliorum omnium sanctorum Patrum, extra Ecclesiæ unitatem, nec posse esse martyrium, nec aliquam sanctitatem. Quin ampliùs ex Collegis Aurelii, qui eâ Epistolâ in crimen vocantur, inter alios fuisse constat ipsum Patrem sanctissimum Augustinum, Catholicæ Ecclesiæ jubar fulgentissimum, qui ut eadem caligine Schismatis obscuratus, è classe sanctæ Ecclesiæ Doctorum, è numero Sanctorum, nedum ex Martyrologio, sed & è sacro Romanæ Ecclesiæ Kalendario (si illæ veræ sunt litteræ) delendus esset: Nam post prædictum Aurelium intra præfatum temporis spatium ipsum decessisse certissimum est. Quid numerem Fulgentios, Eugenios, & alios ferè innumeros clarissimos sanctitate & doctrinâ viros eadem cum prædictis sorte censendos? *Ecce in quod discrimen unus Isidorus Mercator illarum Epistolarum collector res nostras adduxit: ut ea ex parte periclitari videatur Ecclesia, si quæ ipse collegit, vel potiùs effinxit, firma, certaque esse dixerimus. Testimonium illi perhibeo (utar verbis Apostoli) quod Zelum habuit, sed non secundum scientiam*, ut quia sibi visa est paulò ardentior altercatio Aurelii Episcopi Carthaginensis, Augustini, & aliorum Africanorum Episcoporum cum Bonifacio & Cælestino Romanis Pontificibus in causâ Apiarii Presbyteri, ea Epistola nomine Bonifacii conficta sarciendum, quod scissum putabar, existimavit. Facessant hæc: non innititur, vel fulcitur paleis Ecclesia Dei, quæ est columna & firmamentum veritatis, sed detegamus techram, & aperiamus imposturam, & omni ex parte sit Catholicæ veritati consultum.

Hactenùs Baronius in notis quibus Martyrologium illustravit ad 16. Octobris, ubi postquam perpetuam Ecclesiæ Africanæ consensionem, communionemque probavit ex ultimis Africanorum Episcoporum litteris ad Cælestinum Pontificem conscriptis, quæ recitantur in Concilio Africano cap. 105. ex S. Prospero Aquitano, qui in lib. de promis. & prædicat. cap. 38. Aurelium Carthaginensem Episcopum, in prædictâ Epistolâ Schismatis accusatum vocat cælestis patriæ civem. Ex Epistolâ Cælestini ad Episcopos Galliæ conscriptâ, in quâ ait se Augustinum sanctæ recordationis virum semper in suâ communione habuisse. Postquam igitur Baronius his & aliis id genus argumentis Africanorum Antistitum & Romanorum Pontificum communionem, ne momento quidem temporis intercisam solidè comprobavit, concludit tandem aversus Isidorum impostorem.

Ecce, inquit, ex prædictis omnibus litterarum illarum imposturam, & merces mercatoris agnoscis; & quavis luce clariorem testatam habes communionem Africanæ Ecclesiæ cum Romanâ numquam interruptam, sed semper integram perseverantem. Hæc ibi.

Ille ipse Baronius, tomo 5. Annal. Ecclesiast. ad ann. Christi 419. §. 92. eumdem mercatorem carpit his verbis; Sed nec parcendum illi qui ignoratione rerum gestarum ex turbis his actus in fugam, quæsivit (quod piis non licet) in mendaciis latebras; Quid improbè improbus finxit impostor? (vehementiùs enim commoveor in eos, qui mendaciis labefactant, quam se putant suffulsisse Dei Ecclesiam, columnam & firmamentum veritatis) quid, inquam, ille? Qui igitur semel errore ductus sibi persuasit hoc tempore scissam penitus fuisse Africanam Ecclesiam à Romanâ (proh nefas!) quam enorme excogitavit commentum? Finxit scilicet litteras Bonifacii II. Papæ nomine ad Eulalium Episcopum Alexandrinum de reconciliatione Ecclesiæ Carthaginensis cum Romanâ. Et paulò post ita loquitur: Hæc quidem & alia mendaciorum frigidus concinnator, sed callidus veterator, ibi habet. Hæc Baronius loco citato.

Et ibidem §. 93. de eodem mendaciorum Architecto: Vide, rogo, inquit, in quod discrimen ille quisquis fuerit (mercatorem anteà nominavit) adduxerit Ecclesiam: cum si ejus stare posset epistola, corruere necesse esset eâ ex parte Dei illam structuram, quæ tot sanctorum Martyrum & Confessorum vivis est aucta lapidibus. Hæc ibi.

Idem sentit cum Baronio Binius in notis ad Concilium Carthaginense VI.

Idem confirmat Possevinus in Apparat. sacro V. Bonifacius, & probat ex Baronio & Bellarmino Epistolam Bonifacii II. nomine ad Eulalium Alexandr. ab impostore esse confictam.

Idem affirmat Gretserus in defensione Bellarmini, col. 800.

Quorsum hujusmodi testimonia? dicet aliquis.

Quæstio XXVIII.

Quid ex dictis colligere oporteat.

EX dictis in superiori quæstione tria colligenda sunt, quæ omnem fidem Isidoro Mercatori abrogare debent.

1. Per Epistolam Bonifacii Papæ II. nomine editam, Ecclesiam in erroris periculum adduxit. Si enim vera habita fuisset hujusmodi Epistola, plures sanctos Confessores & Martyres, quos tamen ceu beatos colebant fideles, ex Confessorum & Martyrum albo expungere oportuisset. Nam juxta præfatam Epistolam in schismate decesserant, atque adeò æternis inferorum suppliciis erant addicti.

2 Ille ipse Mercator habebat zelum; sed non secundùm scientiam, atque adeò in omnibus Epistolis decretalibus, quas sub summorum Pontificum nomine edidit explodendus est, ut patet ex his, quas protulimus. Nihil enim periculosius, aut perniciosius Ecclesiæ Dei accidere potest, quàm zelus nonnullorum hominum, qui cum debitâ rerum divinarum notitiâ sint destituti, omnia benè constituta suâ temeritate & inscitiâ populantur. Testis est Lucianus ille, cujus inverecundiam acrius perstringit sanctus Cyprianus Epist. 2[illegible]. Ipse Lucianus, unus de Confessoribus fide quidem calidus, & virtute robustus, minus Dominicâ lectione fundatus, quippè qui præcepti & legis ignarus mandaret pacem dari, & peccata in Pauli (qui non pridem martyrium obierat) nomine dimitti, & hoc sibi ab illo mandatum esse diceret, & hoc imaginario istius Pauli mandato fretus libellos suâ manu scriptos, tam ante, quam post ejusdem Pauli obitum passim omnibus impertiret. Cui malo, ut mederetur sanctus Cyprianus, cum dedisset literas, quibus suadebat, ut Dominicæ legis & Evangelii ratio teneretur; universorum Confessorum nomine idem Lucianus Epistolam scripsit, quâ penè omne vinculum Fidei & timor Dei ad mandatum Domini, & Evangelii sanctitas & firmitas solveretur.

Quâ de re graviter conqueritur sanctus Cyprianus in eadem Epistolâ. *Quæ res*, inquit, *majorem nobis conflat invidiam, ut nos, cum singulorum causas audire, & excutere cœperimus, videamur multi negare, quod se nunc omnes jactant à Martyribus & Confessoribus accepisse: Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Nam in Provinciâ nostrâ per aliquot civitates in præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem quam semel cuncti à Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis & subactis præpositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi, & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum regebantur, & in nostram præsentiam differebantur, per hanc Epistolam* (Luciani) *velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere, & pacem sibi datam extorquere cœperunt.* Hactenùs sanctus Cyprianus.

Ex istâ ejus narratione deprehendere est, quot & quanta mala per viros præpostero zelo percitos, & rerum Ecclesiasticarum ignaros, in Ecclesiam importari soleant: atque adeò hujusmodi homines sic tamquam malesanâ vertigine correptos (qualis est Isidorus Mercator) compescere, & omnem iis fidem abrogare oporteat.

3. Ex dictis colligitur Isidoro Mercatori, & omnibus qui suâ illius adinstar commenta in orbem Christianum invehere gestientibus nullam fidem adhibendam esse. Quis enim cordatus frigido mendaciorum concinnatori, & callido veteratori (qualem præstigiarum Mercatorem esse asserunt viri omni exceptione majores) fidem habere, aut alios ad habendam inducere velit? Nemo sanè vel tantillùm oculatus ita sentiet. Nam juxta vulgare pronuntiatum: *Qui semel malus, semper malus* (in eodem mali genere) *præsumitur.*

Atqui Isidorus Mercator non semel sese mendacem præstitit; sed tot admisit mendacia, quot adulterinos Canones edidit, & quot spurias Epistolas & Ecclesiasticæ disciplinæ contrarias summis Ecclesiæ Romanæ Pontificibus pari ad malitiam temeritate supposuit. Sed quia nititur mendaciis, *hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes.* Proverb. cap. 10. vers. 4. Isidorus Mercator, qui spurias summorum Pontificum litteras pro veris vendere voluit, hanc unam ex suis mendaciis mercedem extulit, ut jam ne vera quidem dicenti fides adhibeatur.

Hujusmodi pœna illi, utpotè falsario & sycophantæ teterrimo irrogata est hactenùs, & in posterum est irroganda. Nam prætermissis mendaciorum, quibus se dedecoravit, acervis, quot & quanta in eâ, quam tractamus, materiâ, mendacia excogitavit? Nam, quod caput est, subdititiam Epistulam quam ascripsit Calixto Pontifici maximo, in quam inseruit Sacerdotum in carnis vitia, & alia quæpiam crimina lapsorum restitutionem ab Calixti temporibus usque ad VIII. sæculum continuatâ serie in Ecclesiâ admissam esse asserit: Ita ut toto illo tempore inter II. sæculum, quo Callixtus floruit, & inter VIII. quo merces adulterinas in propatulo collocare & venditare cœpit, intercorrente, Sacerdotes flagitiis quantumvis immanibus inquinati in pristinos honores fuerint restituti. Quod quidem quam falsum sit, supra probavimus ex multis sancti Cypriani locis, & ex Canonibus ab Joanne Papâ II. ad Cæsarium Arelatensem, & cæteros Episcopos Galliæ transmissis: item ex Canonibus ab ipso Cæsario Arelatensi ex nostratibus Synodis diligenter exceptis: Item ex Cornelii Pontificis Romani facto: qui unum è tribus Episcopis, qui Novatum ordinaverant admisit ad Laicam duntaxat Communionem, non autem in pristinam dignitatem restituit.

Item id probavimus ex Martino Papa I. Item ex Concilio Toletano X. in quo Potamius de Episcopali Sede deturbatus perpetuæ pœnitentiæ addictus est. Hoc autem Concilium celebratum est quinquaginta annis post obitum sancti Gregorii, & ideo nugarum puerilium artifex & mercator de manifestâ revincitur falsitate: enim impudenter affirmat Canonicam circa Sacerdotes lapsos disciplinam ante & post sancti Gregorii tempora obsolevisse. Ut patet ex proximè allegatis & probatis. Quod enim ante sanctum Gregorium non exoleverit, ad allata superiùs argumenta illustre exemplum adjici potest, petitum ex Historiâ Lausiacâ Palladii Helenopoleos in Bithynia Episcopi, qui floruit v. sæculo, id est, anno Redempt. circiter 420, & ut ipse testificatur, arctissimâ familiaritate conjunctus fuit cum Macario Alexandrino, de quo sequentem Historiam commemorat.

Ego ad eum accessi aliquando, inquit, & inveni extra ejus cellam jacentem quemdam cujusdam vici Presbyterum, cujus caput ita erat exesum à morbo, qui dicitur cancer, ut etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum ut curaretur: nec eum admittebat ad colloquium. Rogavi autem eum dicens: est indignus qui curetur; missa est enim ad eum hæc à Domino disciplina. Quod si velis eum curari, persuade ei ut deinceps abstineat à ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico: quamobrem quæso? Is verò dicit: fornicans sacrum peregit ministerium, & ideo castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipse curabit. Postquam ergo dixi, qui affligebatur, jurejurando est pollicitus se non ampliùs Sacerdotis partes obiturum. Tunc eum accepit, & dixit ei: Credisne esse Deum, quem nihil latet? Respondit ille, maximè. Rogo te. Deindè ei dicit

Macarius. Non potuisti Deo illudere? dicit ille, non potui, Domine mi. Dicit ei Macarius. Si agnoscis tuum peccatum, & Dei disciplinam, propter quam hæc subiisti, corrigitor in posterum. Qui confessus est peccatum, & spopondit se non ampliùs peccaturum, neque Altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum. Deinde sic sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus fuit curatus, capillique ei creverunt, & sanus domum rediit, Deum glorificans: Egit autem magno quoque Macario gratias.

Hanc Historiam totidem verbis relatam legere est lib. 8. de vitis Patrum in Historiâ Lausiacâ, id est, Lauso Præfecto dedicatâ, & ab Palladio Helenopoleos Episcopo conscriptâ. fol. 724.

Igitur ante sancti Gregorii tempora viguere Canonum statuta, quibus Sacerdotes, & alii Altaris Ministri omni spe restitutionis accisâ, ab sacro Ministerio removentur. Quin autem eadem statuta maximè coluerit, & omnibus colenda indixerit ipse sanctus Gregorius ad Ecclesiæ Romanæ regimen admotus tot suprà testimoniis ex ejus Registro depromptis ostendimus, ut nemo id ausit inficiari, nisi is qui eum perfido Mercatore insanire decreverit.

Nonnulli præfatam circa Sacerdotes lapsus disciplinam post sancti Gregorii obitum exolevisse contendunt, & id sibi rectè probare videntur ex Epistola sancti Isidori Hispalensis nomine ad Massanum Episcopum inscriptâ. Sed hujusmodi Epistola præterquam quod est sancti Isidori eruditione indigna, est etiam perpetuæ ejus doctrinæ manifestè contraria. Nam illum totis triginta & duobus annis S. Gregorio superstitem vixisse, & ex ejus scriptis suprà collegisse, & in sua opera transtulisse norunt omnes eruditi. Undè prædicta Epistola ad Massanum Episcopum evidentissimè commentitia est. Neque enim tantus vir sancti Gregorii canonicam circa Sacerdotes lapsos disciplinam, tam sæpè & tam solidè statuentis lectioni addictissimus, contrariam tanti Pontificis oraculis doctrinam sciens & volens amplecteretur. Et reverà sancti Gregorii vestigiis religiosissimè instituit duobus præsertim in locis: in libro scilicet 2. de divin. officiis, & in Epistolâ ad Helladium, & cæteros Episcopos. Nam in libro 2. de divin. officiis diserta juxta Canon. statuta pronuntiat Episcopum vel Presbyterum, qui aliquo se mortali crimine obstrinxerit, de suo gradu esse dejiciendum; & eum qui ante ordinationem in simile crimen impegerit, non esse ordinandum. *Si is*, inquit, *qui jam in Episcopatu, vel Presbyterio est positus, mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino: quanto magis ante ordinationem peccator inventus repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque, sciens quia potentes potenter tormenta patientur: retrahat se ab hoc non tam honore quam onere, & aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare.* Hæc sanctus Isidorus qui supra in eodem capite 5. de Sacerdotibus ejusdem libri 2. de offic. Ecclesiast. dixerat: *Quod autem quis post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur.*

Alter locus in quo S. Isidori Canonica circa Sacerdotes lapsos doctrina statuitur, legitur in Epistolâ ad Helladium, cæterosque, qui cum eo sunt coadunati Episcopos directâ: *Cognovimus*, inquit, *Cordubensis Ecclesia Sacerdotem in Pontificali culmine carnali labe dilapsum, & de altitudine honoris in profundo flagitiorum flendâ ruinâ demersum.* Et pauló post: *Cum effusione lachrymarum vestram sanctitatem deposcimus ut idem lapsus cœtui vestro præsentatus, agnito à vobis confessionis eloquio Synodali sententiâ à gradu Sacerdotii deponatur. Melius est illi ut temporaliter judicetur à vobis, quam æterno damnetur judicio. Levior est illi præsentis temporis ignominia, quam futura gehennæ tormenta. Sciat enim se amisisse nomen & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter judicii vestri decreto pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret: plangat Sacerdotii cultum, quem malè vivendo perdidit. Lugeat animæ suæ statum quem tanto putredinis cœno conquinavit: fortassè porriget illi manum quandoque Spiritus sanctus, ut per dignam satisfactionem mereatur peccatorum remissionem.* Hactenùs Isidorus Hispalensis.

Eat nunc Pseudo-Isidorus, & cum ab Isidori Hispalensis doctrinâ mirum quantum recesserit, ut videre est, sub ejus larvâ delitescat, & vel peccatoris, ut in plerisque Manuscriptis legitur, vel mercatoris, vel ut in aliis cernitur, cognomen induat. Siquidem bellè in illum quadrant hujusmodi tituli. Quidni enim peccator habeatur, qui tam multa peccavit, & instar ludi, jocique hominum patientiam tentare & illudere gestiit? Quidni etiam mercator appelletur, qui tot scorias conquisivit, quas specioso titulorum augustiorum velamine circumtectas Christianis Catholicis vænales obtruderet? Nam quò faciliùs non solùm imperitæ plebeculæ, sed etiam viris apprimè doctis, ut pote S. Anselmo, Hincmaro, Yvoni, & aliis Canonum Collectoribus, infucatam alioquin doctrinam secuturis, fucum faceret, eam quæ suæ Decretalium Epistolarum Collectioni, seu veriùs colluvioni præfixit præfationem, Isidori titulo consignavit, ratus suum illud opus ascriptum iri Isidoro Hispalensi, atque ita fore, ut suum ipsius nomen tanti Præsulis nomine & gloriâ obumbratum ad omnium sæculorum memoriam efflorescerct. Quâ in re turpiter allucinatus est, sicut & alii qui secutis temporibus fœdam illam Pseudo-Isidori Collectionem Isidoro Hispalensi tribuendam esse censuerunt. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXIX.

Quid respondendum iis qui sancti Anselmi, Yvonis, & aliorum authoritate fulti præfatam Decretalium collectionem S. Isidoro Hispalensi asserunt.

RESpondeo cum Baronio, Hincmarum, Trithemium, & alios, qui Pseudo-Isidori collectionem tribuunt Isidoro Hispalensi, errare. Id quidem, inquit, imprimis refellitur, quod Braulius & Ildefonsus, qui illis vixere temporibus, Catalogum texentes scriptorum ipsius, nullam prorsùs mentionem de eo opere habuerunt. Insuper omnis eâ de re dubitatio tollitur, dum auctor operis ibidem agens de ordine celebrandi Concilii, recitat verba primi Canonis Concilii XI. Toletani, atque etiam in præfatione meminit Agathonis Papæ. Porrò longè ante ejus Synodi ac Papæ Agathonis tempora Isidorus Hispalensis ex humanis deserat. In antiquis Manuscriptis codicibus hunc Isidorum Collectorem Conciliorum, Mercatorem cognomento dictum invenimus, ut in his quos in nostrâ Bibliothecâ habemus: At in nuper impressis non mercator, sed peccator inscriptus invenitur, secundum morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergo se sic inscribere & subscribere consueverunt. Irrepsit, puto, error, ut mercator pro peccator, sit scriptus. Cum autem ejusdem Collectionis author recensendo in suâ Præfatione Synodos universales, sextam ultimo loco ponat, manifestum est post dictam sextam Synodum vixisse, nec ad septimæ tempora pervenisse. Quam ob causam cum Collectores sacrorum Canonum recensemus, quintum hunc ordine numeramus, primoque loco ponimus Dionysium Exiguum, inde Ferrandum Diaconum, tertiò Martinum Bracarensem Episcopum, quartò Cresconium, ac demum post omnes Isidorum. Hactenùs Baronius in suis in Martyrol. notis ad 4. Aprilis.

Hinc patet Decretalium Epistolarum (quisquis tandem ille fuit) compilatorem ab Isidoro Hispalensis Ecclesiæ Episcopo longè alium extitisse, siquidem non modo Concilii Toletani xi. anno Redempt. 675. & ab Isidori obitu 39. congregati, & vi. œcumenici anno Redemptor. 681 mense Novembri 46. ab eodem obitu anno celebrati meminerit; sed & Gregoriorum II. & III. Zachariæ, Bonifacii Moguntini (quem Baronius anno Redempt. 754. post Bedam in Epitome, illustre martyrium obiisse commemorat) fortè etiam Adriani Papæ I. qui ad Redempt. annum 796. pervenit, verbis per summum nefas adulteratis abusus fuerit.

Recentior quidam utitur argumento ab famâ repetito, ut dictam Canonum Collectionem Isidoro Hispalensi attribuendam esse astruat. Constans, inquit, fermè fama per omnia tempora percrebuit authorem ejus Collectionis fuisse Isidorum Hispalensem. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis in lib. de Synodis, Joannes Gerson, Trithemius testantur ab eodem Isidoro Hispalensi librum Decretorum fuisse conscriptum.

Hanc objectionem pulcherrimis Tertulliani verbis diluere juvat; *Quis, oro, sponsor aut illis* (Hincmaro, Gersone, & cæt.) *tunc aut exinde nobis de istius Collectionis authore? fama est: Nonne hæc est fama malum, quo non aliud velocius ullum? Cur malum, si vera semper sit, non mendax plurimùm; quæ ne tum quidem cum vera defert, à libidine mendacii cessat, ut non falsa veris intexat, adjiciens, detrahens, varietate confundens? Quid? quod ea conditio illi, ut non nisi cum mentitur perseveret? tamdiu enim vivit, quamdiu non probat quicquam siquidem approbata cadit, & quasi officio nuntiandi functa decedit; exinde res tenetur, res nominatur: nec quisquam dicit, verbi gratiâ, hoc Romæ aiunt factum, sed hoc factum est Romæ. Nemo famam nominat nisi incertus, quia nemo sit famâ, sed conscientiâ certus: nemo famæ credit, nisi stultus, quia sapiens non credit incerto. Fama quantacumque ambitione diffusa est, ab uno aliquando ore exorta sit, necesse est, exinde in traduces quodammodo linguarum & aurium serpit, & modicum originum vitium rumores obscurat: ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacia seminaverit, quod sæpè fit aut æmulationis ingenio aut suspicionis arbitrio, aut etiam novâ mentiendi voluptate.* Hactenùs Tertullianus lib. 1. ad Nationes, cap. 7.

Si recentior ille sibi præstantissimum hunc Tertulliani locum proposuisset ob oculos, non recurrisset ad patrocinium famæ, quam per omnia sæcula percrebuisse falsò dictitat, sed ad ejus fidem explorandam, adhibuisset Baronium, verbi gratiâ, & alios sanæ critices magistros, qui omnes præposteram hujusmodi famam præfatam Decretorum Collectionem Isidoro Hispalensi asserentem, mendacis Scioli cujuspiam ore circa 800. Redemptoris annum disseminatam esse litteris prodiderunt. Non igitur commentitiis quorumdam hominum monumentis inhærendum est: sed confugiendum est ad illa quæ à multis, & non dubiis traduntur authoribus. Quod egregiè præstitere præstantissimi nostræ hujus ætatis viri, qui cælesti auxilio confisi, suo judicio, ac propriis sensibus ad investigandam, perpendendamque veritatem niti, quam credentes (tamquam ipsi forent rationis expertes) alienis erroribus decipi maluerunt. Nam ut præclarè Lactantius lib. 2. de origine erroris: *Dedit Deus omnibus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tamquam lux & claritas solis: quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum: sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum; ut quomodo illi, qui falsa invenerant, posteris tradiderunt; sic nos qui verum invenimus, posteris meliora tradamus.*

Hactenùs Lactantius; Cujus verba cum temperamento sunt accipienda, ut adhibeantur in rebus dumtaxat, vel ad Chronologiam, vel ad aliquod factum, vel ad aliquod opus Authori cuipiam asserendum, vel detrahendum, aut quippiam simile pertinentibus: non autem in Fidei Catholicæ articulis: qui quidem cum irretractabili Ecclesiæ congregatæ judicio constituti & declarati fuerint, nemo citra temeritatem animadvertendam eos denuò in controversiam evocare potest.

Nemini igitur mirum videri debet, si sanctus Anselmus, Burchardus, Yvo Carnotensis, Gratianus, Antonius Augustinus, & alii non pœnitendi Canonum Collectores, spurias Callixti ad Gallos & sancti Gregorii ad Secundinum, & Isidori ad Massanum Epistolas pro veris & legitimis amplexi, recesserunt ab solidis & germanis iisque pluribus Pontificum, Conciliorum & Patrum, quæ ipsi congesserant, testimoniis, quibus perpetua lapsorum Sacerdotum ab sacris ministeriis abdicatio sanciebatur, eosque peractâ non de manifestis, sed de occultis criminibus pœnitentiâ, in pristinam dignitatem restitutos esse crediderunt: sed immeritò. Cum enim hujusmodi distinctionis nullum vestigium in summorum Pontificum decretis, aut in citatis sanctorum Patrum locis appareat, ridiculo illius effugio Canonicam circa Sacerdotes lapsos disciplinam labefactare nec poterunt, nec debuerunt.

Quapropter eruditam Joannis Morini (qui totis viginti quinque annis in investigandam pœnitentiæ disciplinam incubuit) observationem amplectimur, & cum illo contendimus, per mille & ampliùs annos Sacerdotibus, sivè clam, sivè palam in carnis flagitia lapsis reditum ad suam dignitatem nullum patuisse: Ut legere est apud illum lib. 4. de administ. Sacram. pœnit. capp. 14. 15. & 16.

Nihil tamen in hac parte præfatis Authoribus alioquin eruditis, detractum volumus, vel enim humanâ incogitantiâ, ut fit, nondum orto Criticorum sole in spuriam larvati Isidori sententiam abierunt: vel in aliquâ hujusmodi rerum ignorantiâ versati, in errorem ignoscendum impegerunt: *Non enim omnis fert omnia tellus.*

Quid? quod viri alioquin doctissimi, nescierunt aliqua, quæ tamen scire debuerunt, nec proptereà decoxere famæ & existimationi, quam suis sibi laboribus adjutante Deo pepererant. Testis est hujus rei sanctus Augustinus: qui ut ipse testificatur Epist. 110. adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre, & Episcopo suo sene Valerio Episcopus ordinatus est, & sedit cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse, nesciebat, nec Valerius ipse sciebat.

Huiusmodi Nicænæ sanctionis ignoratio nihil prohibuit, quominus Volusianus sanctum Augustinum pulcherrimo hoc elogio affecerit. *Absque detrimento cultus divini in aliis Sacerdotibus toleratur inscitia, at cum ad Antistitem Augustinum venitur, deest legi, quicquid contigerit ignorari.* Ita Volusian. in Epistol. quæ in sancti Augustin. Epistolis secunda numeratur.

Nihil ergo sancti Anselmi, Hincmari Rhemensis, Yvonis & aliorum, quorum suprà meminimus, existimationi detrahitur, cum eos in recipiendis Pseudo-Isidori Canonibus errasse asseritur.

Si quis objiciat sanctum Augustinum diu, multumque in suarum libidinum cœno volutatum, ad Sacerdotium tamen & Episcopatum summâ Episcoporum & populi congratulatione promotum esse, & ideò

tunc temporis non esse observatos Canonas, quibus hominum ante ordinationem in carnis vitia prolapsorum ordinatio vetabatur.

Respondeo S. Augustinum Baptismatis Sacramento recens initiatum, atque adeo cum integrâ suæ regenerationis innocentiâ in Sacerdotem inauguratum esse, & ideò ista objectio nullo pacto præfatos Canones tunc temporis non esse observatos comprobat. Sed teveta illos eosdem Canonas viridi observantiâ viguisse declarat, quod contigit antequam ordinaretur Episcopus. Cum enim Valerius jam senio confectus Augustinum sibi non tam succedere, quam consacerdotem accedere ab Megalio Calamensi Episcopo Primate Numidiæ & aliis Episcopis, qui tum fortè aderant, & ab Hipponensi Clero postulasset: Omnes hujusmodi petitionem summâ congratulatione ratam habuere. Sed Diabolus haud dubiè totum, quicquid hoc erat subvertere conabatur. Megalius enim Augustinum ordinare noluit, causatus amatorium mulieri cuidam, marito non solùm conscio, verum etiam favente ab illo datum, quod & aliis Episcopis per litteras significavit. Unde ille ipse S. Augustinus nunquam ad Episcopatus fastigium provectus esset, nisi facti pœnitens Megalius in Episcopotum postea Concilio hac de causâ coacto, petiisset veniam, quod innocentem de tam turpi crimine infamasset, ut legere est apud eumdem S. Augustinum lib. 3. contra Petilian. cap. 16.

Quæstio XXX.

Utrùm Canonicam circa lapsos Sacerdotes disciplinam Ecclesia temperare potuerit & debuerit?

Prima Conclusio.

Nemini dubium est, quin Ecclesia sancitos ab semetipsâ Canonas de severitate in Sacerdotes lapsos exercendâ temperare potuerit.

Hujus Conclusionis ratio petenda est ex eo, quod omnis Ecclesiastica disciplina habeat hanc principaliter intentionem, vel omnem ædificationem adversus scientiam Christi se erigentem destruere: vel ædificationem Dei fidei veritate & morum honestate constructam construere: vel eamdem, si contaminata fuerit, pœnitentiæ remediis emendare. Hujus ædificationis magistra est charitas, quæ saluti proximorum consulens, id præcipit aliis fieri, quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Quicumque ergo Episcopi in Conciliis præsertim congregati, vel locorum spatiis dissiti, at in ono eodemque sensu legitimè adunati Ecclesiasticas regulas ita interpretantur aut moderantur, ut ad regnum charitatis cuncta quæ docuerint, vel exposuerint, referant, nec errant; cum populorum saluti (quam in omnibus Decretis & legibus seu supremam legem intueri necesse est) consulant, atque adeò ad finem sacris institutionibus debitum pervenire intendant. Unde dicit S. Augustinus de disciplinâ Ecclesiasticâ tractans: Habe charitatem & fac quicquid vis: si corripis, corripe cum charitate: si parcis, parce cum charitate. Sed in his adhibenda est summa diligentia, & mundandus oculus cordis, quatenus in puniendo vel parcendo, sanandis morbis charitas syncera subveniat: & nemo ibi vænalium medicorum more, quod suum est quærat.

Secunda Conclusio.

In sanctionibus, quæ propter rigorem disciplinæ vel ad muniendam salutem sunt constitutæ, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest admitti authoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio.

Ut hujusmodi conclusio illustrius ceroatur & appareat, investigandum est

1. Quid sit admonitio.

2. Quid sit præceptum.

3. Quid sit prohibitio.

4. Quid sit remissio. Et ostendendum hæc quatuor, nec se invicem impugnare, nec à seipsis distare, sed omnibus sanitatis remedium pro suâ moderatione dispensare.

1 Quod spectat admonitionem ea est quæ nullam interminatur pœnam si omittatur, sed præmium ipsam amplexantibus pollicetur. Talis est ista Christi exhortatio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Ista exhortatio non cogit, non intentat minas: sicut nec illa quæ spadones laudans qui se castraverunt propter regnum cœlorum, subinfert: *qui potest capere, capiat.* Attamen cum ad perfectionem voto se quis astrinxerit, vel gradum, quem nullus absque continentiæ virtute ascendere debet, ascenderit, jam fit necessarium & pœnale, si non teneatur quod ante hanc ascensionem fuerat voluntarium.

2. Præceptum nihil est aliud quam lex, vel ab ipso Deo, vel ab hominibus legitimâ authoritate pollentibus promulgata, cui subditi sub pœnæ interminatione obtemperare debent, & de hoc mox uberiùs dicturi sumus, cum agemus de præceptionibus & prohibitionibus.

3. Prohibitio ea est quâ quippiam ab superiore prohibetur.

4. Remissio seu relaxatio Canonum, de quâ hic potissimùm agitur, ea est, quâ sacrorum Canonum severitas justis de causis Ecclesiæ judicio & authoritate temperatur. His breviter prælibatis

De præceptione & prohibitione & Canonum, vel præcipientium, vel prohibentium relaxatione dicendum est.

Præceptiones igitur & prohibitiones secantur bifariàm. Aliæ enim sunt mobiles, aliæ immobiles.

Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit: quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eamdem auferunt: qualia sunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum: Et, honora patrem tuum* &c. his similia.

Mobiles verò sunt quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutiùs muniendam: quale est illud Apostoli: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita:* Non quod eorum colloquium per se saluti obesset, sed quod frequentatum ex obliquo quorumdam simplicitatem corrumpere posset.

Immobiles prohibitiones sunt quæ adversus vitia sunt promulgatæ, qualia sunt, non occides: non mœchaberis, &c.

Sunt & prohibitiones mobiles in quibus si ea, quæ sunt vetita, reipsa non fuissent prohibita, nec mors operaretur, nec salus periclitaretur. Sed ad hoc SS. Patrum authoritas reverenda ita decrevit, ut & præsentibus non obesset, & compescendis majoribus malis, vel cavendis charitas syncera provideret: quale est illud: Clericus post actam de crimine damnabili pœnitentiam Clericus non maneat, vel ad Clericatum non accedat. *Quod,* ut ait S. Aug. Epist. 50. ad Bonifacium, *non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur de quibus dictum est: quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cælo. Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, severissimè placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit, & Beatum Petrum quando amarissimas lachrymas fudit, utique Dominum negasse pænituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non*

ideò supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quò salus tutiùs muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Post hæc verba idem S. Augustinus gravissimam causam affert propter quam Canonum severitatem temperari oporteat. *Verum in hujusmodi causis*, inquit, *ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas syncera subveniat.*

Hoc loco S. Augustinus duas affert rationes, unam quâ asserit Sacerdotes lapsos ad pœnitentiam sine ullâ spe restitutionis esse adactos, ne eorum pœnitentiam superbia ex spe restitutionis orta contaminaret: Alteram verò, quâ hujusmodi severitatis relaxationem adhibendam esse contendit, ne videlicet Ecclesiam in unitate constitutam & sine unitate profligandam sacrilega schismata laniarent. Hanc rationem alibi profert sæpiùs idem S. Augustinus in libris contra Epistolam Parmeniani, & imprimis lib. 2. cap. 11. & lib. 3. c. 2. ubi inter cætera loquens de S. Cypriano & aliis Episcopis qui cum rapacibus, cum his qui regnum Dei non possidebunt, non Laicis vel quibuscumque Clericis, sed & cum ipsis Episcopis panem Domini manducabant, & Calicem Domini bibebant, cum Apostolus præcipiat non eis commisceri, & clamet cum ejusmodi nec cibum sumere: sic prosequitur: *An quia non poterant ab eis corporaliter separari, ne similiter eradicarent & triticum, sufficiebat eis à talibus corde disjungi, vita, moribusque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & unitatis, propter salutem infirmorum & tanquam lactentium frumentorum, ne membra Corporis Christi per sacrilega schismata laniarent.* Hæc ibi.

Item in eod. lib. c. 3. *Hoc*, inquit, *sanitas observat Ecclesiæ, ut cum quisquam fratrum id est Christianorum intùs in Ecclesiæ societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est.*

Et paulò post: *Quando*, inquit, *cujusquam crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsùs, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: non dormiat severitas disciplinæ, in quâ tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis.* Hæc ibi.

Ex his S. Augustini testimoniis constat in præceptionibus & prohibitionibus (quas mobiles appellavimus, utpote propter rigorem disciplinæ & ad muniendam salutem ab hominibus conditas) posse admitti dispensationem diligenter præsidentium authoritate deliberatam, si honesta vel utilis compensatio ex eâ consecutura evidenter appareat.

In aliis autem præceptionibus vel prohibitionibus, quas immobiles diximus, quarum observatione salus comparatur, & quarum infractione æternæ pœnæ reatus incurritur, nulla potest admitti dispensatio: sed ita sunt omnia mandata & prohibita servanda, sicut sunt æternâ lege sancita.

Ex dictis hactenùs sequitur

Tertia Conclusio.

Ecclesia jure ac merito ab primis sanctionibus ad temperandam Canonum severitatem declinavit, & declinare potuit, ut fidelium (qui alioquin in sacrilegas schismatum factiones erant distrahendi) saluti consuleret.

Reverà imminente schismatis periculo de pristinâ severitate ita decessit, ut in eo rerum articulo maternam lapsis indulgentiam exhiberet, eosque restitueret in pristinum gradum, & Episcopos, qui restitutis communicare nollent, veluti schismaticos abhorreret.

Primum testatur Gelasius summus Pontifex in Epist. 9. ad Lucaniæ Episcopos cap. 11. ubi prudenter lapsis Ecclesiasticas dignitates, vel conferri, vel restitui præcipit.

Alterum probat exemplum Luciferi Calaritani Episcopi, qui cum ingenti, quo flagrabat zelo Clericos à fide lapsos ad communionem quidem Laicam recipi, non autem pristinum in ministerium restitui oportere præfractè contenderet, & ideò cum Clericis & Episcopis tametsi Ecclesiæ Decreto ad pristinum gradum revocatis communicare nollet, ad schismaticos aggregatus est cum suis asseclis per quos ipsius authoritate, & exemplo necessariæ illi Canonum relaxationi reluctatos importatum est Ecclesiæ malum multò gravius, eo, quod ab ejusdem Ecclesiæ cervicibus propulsare decreverant.

Item Concilium Nicænum inositatâ prorsùs indulgentiâ Novatianos admisit ad communionem Catholicam, ita ut eos de eo, quem obtinebant in Clero, gradu nullo pacto dejiceret.

Item in celeberrimo Melchiadis judicio in causâ Cæciliani omnes Episcopi damnato uno quodam Donato, qui author schismatis manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt. Ut testatur S. Augustinus Epist. 50.

Episcopi Africani Ecclesiasticæ disciplinæ vindices alioquin acerrimi, quamvis in pluribus Conciliis & præsertim in Hipponensi, constitutum esset Donatistas quâcumque dignitate fulgerent inter suos, ad communionem Laicam dumtaxat esse admittendos, ea tamen statuta tum propter ordinandorum penuriam quâ laborabat ista Provincia, tùm propter unitatis bonum sibi necessariò prætereunda crediderunt, in eorum nempè gratiam, vel qui baptismum non iterassent, vel qui cum populis converterentur & resipiscerent, vel qui saltem suo in Ecclesiam reditu pacem Christianam notabili quapiam accessione promoverent.

Hanc Ecclesiæ indulgentiam ipsi mirabantur Hæretici. *Si ergo* (ut refert S. Augustinus Epist. 50 jam citatâ) Inquiunt, oportet, ut nos *extra Ecclesiam & adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos Clerici & Episcopi permanemus?*

Hujusmodi interrogationi pulcherrimè respondet ibidem S. Augustinus. *Hoc non fieret*, inquit, *quoniam reverà, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Sed sibi hoc dicant, & multo maximè humiliter doleant, qui in tantâ morte præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere Matris Catholicæ reviviscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vitâ radicis peribat, sed cum receptus recipienti coaluerit, & vigor consequetur & fructus. Si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Ita ergo & isti cum ad radicem Catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor Clericatus, vel Episcopatus aufertur, fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis: verumtamen coalescente in situm pace ramorum, charitas operit multitudinem peccatorum.* Hactenùs S. Aug. Epist. citatâ.

Quarta Conclusio.

Materna illa Ecclesiæ in temperandâ Canonum severitate indulgentia, multis exemplis tum ex scripturâ tum ex traditione repetitis egregiè confirmari potest. Cum enim v. g. Paulus Petro restitisset in faciem quod consensisset simulationi quorumdam Judæorum circumcisionem saluti necessariam esse præfractè contendentium, ipse tamen temporis necessitati serviens, Timotheum Lystris circumcidit, ut scandalum Judæorum inibi commorantium devitaret. Quod tunc præstitit, ut fieret Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lu-

crifaceret. Quod reipsa affirmavit non astu mentientis, sed affectu compatientis: cuique ita cupiens subvenire, quemadmodum sibi subveniri voluisset, si ita affectus esset.

Multa quoque Principes Ecclesiarum pro tenore Canonum judicant: multa pro temporum necessitate tolerant; multa pro personarum utilitate vel strage populorum vitandâ dispensant: multa etiam à sanctis Patribus in minuta scripturarum testimoniis comprobantur. Sicut sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctus Pontifex Leo Neophytos ad summum Sacerdotium permisit ascendere: quos Paulus publicâ prædicatione ab eodem officio studuit removere. Sicut etiam Arianos, postquam conversi fuerunt, legimus in sua officiis fuisse susceptos. Inde etiam citatos Papa Leo de stabilitate non mutandorum & discretione temperandorum ita scribit Rustico Episcopo Narbonensi. *Sicut quædam sunt*, inquit, *quæ nullâ ratione possunt convelli: ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oportet temperari; illâ semper consideratione servatâ, ut in his quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis SS. Patrum inveniatur adversum.*

Sic S. Gregorius Papa I. ab hæresi Nestorianâ revertentes in Ecclesiæ sinum in suis gradibus recipi jubet, ut patet ex ejus Epistolâ ad Hiberniæ Episcopos inscriptâ. Hujus temperamenti ad leniendam Canonum severitatem eogente necessitate, vel impellente Ecclesiæ utilitate adhibiti, exempla plurima recenset D. Yvo in sui Decreti Prologo, è quo multa nostram ad rem accommodatissima excerpsimus.

His ita constitutis juvat inquirere, utrum Canones in lapsorum Sacerdotum causâ conditi & promolgati etiamnum lapsos Sacerdotes obligent. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXXI.

Utrùm Sacerdotes lapsos nostrâ hac ætate dictorum Canonum severitatem observare oporteat.

Prima Conclusio.

ID colligi potest ex Concilio Tridentino. Juvat ergo audire sacram Synodum ea de re disserentem. Statuit sancta Synodus, inquiunt ejus Concilii Patres, ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum vitâ, honestate, cultu, doctrinaque retinendâ, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt; eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.

Hactenùs sacro-sancta Synodus in sess. 21. in Decret. de reformation. cap. 1. Hisce verbis satis superque declarat præfata Synodus omnes Clericos & Sacerdotes ad Canonum statuta de Clericorum & Sacerdotum vitâ, honestate, cultu, & aliis id genus, vel ab summis Pontificibus, vel ab Conciliis edita religiosè observanda obligari. Ergo & eosdem ad observandos Canonas de lapsorum Sacerdotum pœnis conditos obligari nemo non videt. Cum enim Concilium omnes omninò Canones qui pertinent ad Clericos sive probos, sive improbos nullo discrimine observari, & si in desuetudinem abierint, in usum revocari voluerit, nemo citra temeritatis notam ad ullum distinctionis effugium recurrere potest.

Secunda Conclusio.

Sublatâ necessitate, quæ variis temporibus variis in occasionibus Ecclesiam ad mitigandam Canonum de lapsis Sacerdotibus editorum severitatem impulit, imò adegit, certum est lapsos Sacerdotes (loquendo absolutè) ad hujusmodi Canonum observationem obligari. Quod insigniter probat Innocentius Papa I. loco infrà citando. *Jam ergo*, inquit, *quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitùs non fuisse: ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his, qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnoperè postulavit. Ergo quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.* Hactenùs S. Innocentius Papa I. in Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ conscriptâ cap. 5.

Idipsum affirmat Bonifacius Papa VIII. de regulis juris in 6. Reg. 78. *In argumentum*, inquit, *trahi nequeunt quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.*

Observandum tamen est, quod ubi non esset in contrarium prohibitio expressa, vel quæ æquipolleret expressæ: id quod propter necessitatem concessum est, propter eamdem vel majorem necessitatem benè posset in argumentum trahi. Nam quæ conveniunt in identitate rationis per constitutionem juris separari non debent. ff. de fonte l. unicâ §. hoc interdictum. Cessante igitur necessitate propter quam dispensatum est, cessat constitutio 1. q. 7. quod pro remedio.

Idem affirmat D. Yvo in doctissimo sui Decreti Prologo. *Dispensationes*, inquit, *salubri deliberatione admissæ cessante necessitate debent & ipsæ cessare. Nec est pro lege habendum quod aut utilitas suasit, aut necessitas imperavit.* Hæc ille.

Ac reipsa quidem disciplinæ severitas quæ in Sacerdotes lapsos de suo gradu dejiciendos usque ad nongentesimum, vel, ut alii volunt, usque ad millesimum Redemptoris annum exerta fuerat, & per plures annos intermissa, revocata est in usum sub Leone Papâ IX. qui Pontificatum iniit ann. Redempt. 1049. instigante & procurante S. Petro Damiani, qui quidem cum Sacerdotes & Clericos de crimine pessimo frequenter accusari animadverteret, opusculum cui Gomorrhiano titulus est, dicavit Leoni IX. Pont. Max. & dicti Opusculi cap. 3. modestè præfato Pontifici suam mentem aperit his verbis: *Sed ut nobis videtur*, inquit, *valdè præposterum est, ut consuetudinaliter hac purulentâ contagione fœdati vel ad ordinem provehi; vel in gradu persistere audeant jam promoti: quia & rationi contrarium & Canonicis Patrum sanctionibus probatur adversum*. Hæc ibi.

Quod de crimine pessimo affirmat Petrus Damiani; de gravioribus aliis criminibus & præsertim de flagitiis carnalibus asserunt Patres & Canones supra citati; qui omnes eò collineant ut omnes Clerici, Sacerdotes, & id genus alii in carnis flagitia prolapsi ab omni altaris ministerio in omne tempus amoveantur, nec restituantur umquam, nisi perpetua illorum abdicatio in teterrimum Schismatis crimen exitura, atque adeò fidelium salutem in probabile damnationis æternæ discrimen adductura videatur.

Dicet aliquis, si Ecclesiæ necessitas ejusmodi hominum in sua ministeria restitutionem postulet; nonnè sunt restituendi? Hæc objectio gravem discussionem petit. Sit itaque

Quæstio XXXII.

An & quæ necessitas lapsorum Sacerdotum restitutionem exigat.

UT huic quæstioni fiat satis, observandum est posse considerari duplicem necessitatem. Nam una est, quæ pertinet dumtaxat ad privatos Sacerdotes, qui propter sua flagitia de suo sunt ministerio juxta Canones deturbati. Alia est verò necessitas quæ ad commune totius Ecclesiæ bonum pertinet. Et hæc ad duplicem revocari potest, ad unam nempè, quæ talis est, ut fidelium salus in grave periculum adducatur, nisi Episcopi, aut alii Sacerdotes lapsi in pristinos honores restituantur. Si enim Schismatis periculum immineret, Episcopos & Sacerdotes lapsos in sui ministerii gradum restituere oporteret. Hæc enim necessitas talem restitutionem exigit, ut fusè probavimus testimoniis & exemplis SS. Patrum in quæst. 30.

Alia est necessitas pertinens ad Ecclesiam, quæ scilicet redigi posset ad eas angustias, ut ministris careret, nisi Sacerdotes lapsi restituerentur. His ita prælibatis dicimus propositam quæstionem non esse intelligendam de privatâ necessitate lapsorum sacerdotum, quibus non suppeterent necessaria vitæ subsidia, si de suo gradu in omne tempus dejicerentur. Neque enim in relaxatione Canonicæ severitatis hujusmodi necessitas attenditur. *Nam ubi necessitas non est, nullomodo SS. Patrum instituta violentur. Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset.* Ut ait S. Leo Papa apud S. Bernard. in lib. de præcepto & dispensat. cap. 2. exeunte.

Non etiam agitur de necessitate restituendi Sacerdotes lapsos, si Ecclesiæ probabile Schismatis periculum immineret. De eâ etiam suprà loco citato egimus. In controversiam ergo evocatur, utrum Sacerdotes lapsos restituere oporteat, ne Ecclesia necessariis ministris careat.

Hanc quæstionem luculenter solvit sanctus Petrus Damiani in lib. qui Gomorrhianus inscribitur, cap. 4. Cujus ideò verba hîc ascribere necesse est. *Sed fortasse dicitur*, inquit, *necessitas imminet, persona quæ sacrum in Ecclesiâ officium peragat, deest, & congruè sententia quæ priùs divinâ justitiâ dictante depromitur, oblatâ rerum necessitate mollitur.*

Ad hæc ego, inquit, *compendiosè respondeo: Numquid & necessitas non incubuerat, cum Pontificalis sedes pastore vacabat? An pro utilitate unius hominis censura delebitur, quæ in destitutione unius populi inconcussa servatur, & quæ non solvitur ad profectum innumeræ multitudinis, violabitur ob personæ commodum singularis? Sed jam ipse quoque prædicator egregius accedat ad medium, & quid de hoc vitio sentiat, expressiùs innotescat. Ait enim in Epistolâ ad Ephesios: hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Si ergo immundus in Cœlo, nec qualemcumque habet hæreditatem, quâ præsumptione, quo temerario fastu in Ecclesia quæ nihilominus est regnum Dei, obtineat insuper dignitatem? Numquid qui divinam legem in facinus cadendo postposuit, ascendendo etiam ad Ecclesiasticæ dignitatis officium contemnere non timebit? Et nihil sibi reservat, quia Deum contemnere in omnibus non formidat?*

Hactenùs S. Petrus Damiani summorum Pontificum Decretis & Conciliorum statutis congruenter locutus est: Et revera nemo in carnis flagitia prolapsus sacro altaris ministerio restitui debet secundum spiritum Ecclesiæ, licet interdum imò sæpiùs secundum ejusdem Ecclesiæ indulgentiam lapsi Sacerdotes ad sacrum ministerium quodam quasi postliminio revertantur.

Ut igitur Ecclesiæ tam in condendis, quam in relaxandis sacris Canonibus sua stabilitas asseratur his in rebus, secernere necesse est primam institutionem in Canonibus circa Sacerdotes lapsos exhibitam ab justâ necessariâque indulgentiâ, sicut & religiosissima ejusdem Ecclesiæ vota & desideria distinguenda sunt, ab temperamentis quibus de suorum severitate Canonum decedere cogitur, ne filiorum suorum (qui vix universim loquendo ad eximiam illam veterum Canonum puritatem aspirare, nedum pervenire possunt) imbecillitatem, austeriori disciplinâ opprimere videatur. Quod si Deus ipse nonnulla in scripturis prioribus suis consiliis, ut ita dicam, repugnantia propter temporum corruptelam, & duritiam cordis (ut testatur Christus in Evangelio) factitasse memoratur: quid mirum si Ecclesia Dei ita se gerat in sæculis tantoperè dissitis ab morte & resurrectione solis justitiæ, qui ubi primùm illuxit, majora (ut ab plerisque observatum est) divinæ charitatis incendia in credentium cordibus excitavit.

Expendere igitur oportet an lapsorum Sacerdotum restitutio, & quibus conditionibus admittenda sit? quod quidem antequam fiat, præmittere juvat Historiam in quâ lapsi Episcopi restitutio, cum miraculo celebrata est. Sit igitur

Quæstio XXXIII.

Quænam fuerit prolapsio & restitutio Genebaldi Laudunensis Episcopi.

HUjus Episcopi casum & prolapsionem, & postremum in gradum restitutionem narrat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in vitâ S. Remigii Rhemensis pariter Archiepiscopi.

Genebaldus, inquit, vir nobilis, pius & eruditus S. Remigii neptem duxerat. Posteà relictâ conjuge vitam monasticam profitetur, quam cum sanctissimè perageret, ab sancto Remigio Laudunensis Episcopus renuntiatur. Illum Episcopum uxor frequentiùs visitare cœpit: Unde factum est, ut ex eâ marem susciperet. Id Genebaldo cum renuntiari curasset S. Remigius, confusus & dolens dixit; quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso generatus est, rectè vocabitur Latro, sic ei nomen imponat.

Addit autem Hincmarus: Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio indè procederet, si se à solitâ visitatione fœmina illa subtraheret, cœpit ut antea domum frequentare Episcopi. Unde contigit ut iterùm mulier conciperet, sed fœminam, quam vulpeculam nominari voluit. Tandem Genebaldus seriò ad Deum conversus S. Remigium rogat, ut ad se venire dignetur: quia tales causæ emerserant, quas per se diffinire non posset. Posterius enim crimen non secus ac prius occultissimum erat, nec priùs Remigio indicavit, quàm cum Lauduni secretò eum allocutus est; Genebaldi postulationi annuit S. Remigius & sese Laudunum contulit, & susceptus cum debitâ reverentiâ ac secreta cubiculi petens Genebaldum interrogavit, pro quâ causâ illum vocaverit. Genebaldus verò cum maximo fletu & ejulatu volens tollere stolam de collo suo, & procidere ad pedes S. Remigii, cum magnâ virtute à B. Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutiùs ambo fleverunt (intellexerat enim B. Remigius Genebaldum admisisse crimen pro quo stolam vellet deponere) vix singultibus & lachrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit, quæ commiserat. Quem S. Remigius videns contritum & penè desperatum consolatus est, propositis & enarratis pluribus de Dei erga pœnitentes misericordiâ argumentis, testimonia de latitudine sanctæ scripturæ, & exempla pœnitentium in unum colligens ad animandum eum illi proposuit.

Quam

Quam autem pœnitentiam ad expiandum crimen occultissimum Genebaldo imposuerit S. Remigius, commemorat idem Hincmarus: Exhortato, inquit, pœnitentiam indixit, factaque mansiunculâ cum lecto in modum sepulchri & parvis admodum fenestellis, ac Oratorio, quæ hodieque manent secus Ecclesiam S. Juliani, Genebaldum in eâ reclusit, & Clerum ac Parochiæ ipsius populum per septem annos, ut & propriam Parochiam gubernavit, & unam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebravit. Quid magis secretum potuit esse illo crimine? quid pœnitentiâ de illo factâ magis publicum? Tandem septimo anno in Vigiliâ Cœnæ Domini Genebaldo in oratione pernoctanti apparuit Angelus eique dixit: suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum: Surge & hinc egredere, facque ministerii Episcopalis officium & reconcilia Domino pœnitentes. Ipse autem Angelo respondit se egredi non posse, quia, inquit, Dominus & Pater meus Remigius clavem hujus ostii secum habet, quod & sigillo suo signavit. Ad quem Angelus, ut non dubites me à Domino missum, sicut patet tibi Cœlum, sic & ostium istud patebit: & statim salvo sigillo & serâ ostium illud apertum est. Genebaldus tamen in modum crucis sese jactans egredi noluit, S. Remigium qui eum incluserat, expectans. Eodem tempore S. Remigio Angelus apparuit, qui quæcumque Genebaldo acciderant, enarravit. Quapropter nihil dubitans cum summâ celeritate Laudunum petiit, & in limine ostij salvo sigillo & serâ reserati. Genebaldum jacentem reperit, quem extensis brachiis cum gaudio & lachrymis laudans Domini misericordiam elevavit, eumque sedi & officio Episcopali, ut Angelus præceperat, restituere maturavit.

Ex hac Historiâ multa colligimus, quæ satis superque declarant Ecclesiam maternâ indulgentiâ velle restituere Sacerdotes lapsos, si modo sese tales præbeant, ut ipsis istam restitutionis gratiam indulgeri oporteat. Revera tales erunt si adinstar Genebaldi,

1. Sua crimina aperiant viro notâ probitate conspicuo, disciplinæ Ecclesiasticæ peritiâ prædito, sine cujus consilio nihil agant, aut moliantur.

2. Si se sponte & ultro abdicent sacris Sacerdotii muneribus & officiis.

3. Si duros pœnitentiæ labores cum alacri & humili animo subeant.

4. Si perseveratam pœnitentiam constantissimè peragant nec peragere desinant, quin is qui illam indixerit, eidem imposuerit finem, id est eam ultrà producere vetuerit, idque factitandum exemplo Genebaldi, qui ne Angelo quidem divinitus misso septennem pœnitentiam terminare imperanti credere & obtemperare noluit, ratus illam ipsam pœnitentiam suos numeros non habituram, nisi suscepta per obedientiam, per obedientiam pariter absolveretur.

Sacerdotes igitur lapsi maternâ Ecclesiæ indulgentiâ restitui possunt pristinæ dignitati, ut reapsè sæpenumerò restituuntur: sed non videntur rectè restitui, secundum mentem ejusdem Ecclesiæ, nisi per dignos pœnitentiæ fructus sua flagitia non solùm expiaverint, sed etiam nullam habeant conscientiam criminis, non cujuslibet, sed dumtaxat illius, propter quod ipsius officii executio, per peractam pœnitentiam impeditur: cum, si omnes, quos arguit conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in Episcoporum aliorumque Pastorum ministerio remanerent. Ut affirmat Innocentius Papa III. in Epist. ad Archiepiscopum Calaritanum inscriptâ, quæ inserta est in decretales, ut legere est l. 1. Decretal. Tit. 9. De renuntiatione c. 10. in quo sex casus enumerantur propter quos Episcopus (sicut & alii Pastores) cedendi licentiam postulare potest. 1. Conscientia criminis. 2. Debilitas corporis. 3. Defectus scientiæ. 4. Malitia plebis. 5. Grave scandalum. 6. Irregularitas personæ. De omnibus utpotè ab pluribus jam explicatis, nihil dicimus.

Nam ex glossâ dumtaxat colligere volumus, quæ sint criminа, quæ post peractam pœnitentiam Officii Pastoralis executionem impediunt. Hujusmodi criminum

Primum est Simonia 1. q. erga Simoniacos Tit. de Simoniâ. tanta.

Secundum est homicidium. T. de temp. or. cap. olt. & 50. d. miror.

Tertium est sec. Jo. Omne peccatum quod ipso jure irrogat infamiam 3. q. 7. Infames §. poriò. Quia licet culpa per pœnitentiam tollatur, infamia tamen non abolerur. 2. p. 3. c. Euphemium. § Hinc colligitur.

In istis igitur criminibus quæ post pœnitentiam impediunt executionem ordinis aut beneficii retentionem, debet Episcopus aut alius quilibet inferioris ordinis Pastor petere licentiam cedendi, quia pœnitere non potest, nisi renuntiet. Hactenus glossa.

Hujusmodi peccatis quartum adjici potest: peccatum scilicet carnis, quod quidem secundum spiritum Ecclesiæ tale est & tam immane, ut Sacerdotem quemlibet ipsius conscium, ab Altaris ministerio removeri oporteat. Ut constat ex Canonibus quos suprà retulimus, & ex allatis exemplis quibus constat Potamium Braccarensem Episcopum, qui post peractam pœnitentiam quam spontè susceperat, de sacro Episcopalis Officii mioisterio dejectus est in Concilio Tolet. X.

Quod & confirmatur Historiâ Genebaldi Laudunensis Episcopi, cui S. Remigius austeram pœnitentiam in omne tempus, ut apparet, indixerat: ita quippè sibi omnem Episcopatus curam & administrationem abjudicaverat & suæ in pristinum gradum restitutioni renuntiaverat, ut revelante Angelo, & annuente, imò & imperante S. Remigio ægrè admodùm ad obeunda denuò Episcopatus munia sese referri permiserit.

Usque adeo verum est magnam animi puritatem & sanctimoniam exigi ab Sacerdotibus, & aliis qui sacro altari deserviunt.

Quid quod sanctissimi quique viri Sacerdotium primi ordinis seu Episcopatum ob culpas ex surreptione admissas abdicare voluerunt. Testis est hujus rei locupletissimus, S. Augustinus, qui cum animadverteret Episcopum, quem obtulerat ad tale ministerium, eò devenisse improbitatis, ut commissum sibi populum intolerabili dominatione, rapinis & diversis oppressionibus excarnificaret, se Episcopatu abdicare voluit, ut testatur in Epistolâ 261. ad S. Cœlestinum Pont. Max. inscriptâ. *Me sanè*, inquit, *quod confitendum est Beatitudini tuæ in isto utrorumque periculo tantus timor & mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere: si per eum cujus Episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, & quod ipse Deus avertat, etiam cum vastantis perditione perire conspexero. Recolens enim quod ait Apostolus, si nosmetipsos judicaremus, à Domino non judicaremur, judicabo meipsum ut parcat mihi, qui judicaturus est vivos & mortuos.* Hactenùs S. Aug. loco citato.

Quod si S. Augustinus tantâ pietate & eruditione præditus, ut penè parem habuerit neminem, ob aliquam imprudentiam eamque venialem sibi Episcopatum abrogare voluit, quo animo animatos oportet esse eos qui gravissimis devincti flagitiis Episcopatum & inferius Sacerdotium exercere non desinunt.

Audiant bujusmodi bomines S. Joannem Cbrysostomum hac de re libro 3. de Sacerdotio c. 10. ita prædicantem. Oportere autem puto tantâ cum religione ac cautiooe, inquit, ad rem ipsam Sacerdotium tam primi quam secundi ordinis, accedere, ut illius molem magnitudinemque primùm prorsùs detrectes; deinde adepto honore, aliorum judicia sententiasque non expectare, si quod fortè commissum deprehendatur propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin potiùs illud antevertens, te ipse munere abdices. Sic enim par est, ut divinam concilies impertesque misericordiam: qui si tibi honorem illum præter decorum tamquam mordicùs retinere studueris, indignus es, qui veniam consequaris: tum verò divinam iram magis

ac magis incendis, altero peccato & eo graviore per te addito. At verò constantiam hanc præstare nullus valeat; tam pestilens tamque lethale est appetentiæ istius virus. Hactenùs sanctus Joannes Chrysostomus.

Quosnam ab sacro ministerio amoveri oporteat, satis liquet ex prolatis Canonibus, ex recitatis SS. Patrum testimoniis: si tamen quosdam Sacerdotes in gravia crimina, & præsertim in carnis flagitia, vel ante vel post ordinationem lapsos ad sacrum ministerium admitti Ecclesiæ gravis necessitas exigat, non possunt juxta ejusdem Ecclesiæ spiritum, in varietate disciplinæ immutabilem, ad Sacerdotii gradum & ministerium admoveri, quin priùs viâ ac ratione ab Evangelio præscriptâ, hoc est, precibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus suorum criminum numero & gravitati, & ipsorum facultati respondentibus anteactæ vitæ peccata expiaverint, & cum Deo in eam redierint gratiam, quâ posthac divina mysteria cum necessariâ animi præparatione, id est cum verâ & syncera cordis ad ipsum Deum conversione celebrare vel celebrantibus ministrare valeant.

Hanc materiam uberiùs prosequuti sumus, ut omnes qui in Clerum adoptari gestiunt, sese seriò coram Deo colligant, & introspiciant spiritum Ecclesiæ, quæ optimos ministros ad Sacerdotium divinitùs evocatos suis mysteriis præfici, eodem studio & ardore cupit, quo sui sponsi sanguinem humanæ Redemptionis pretium universis, & singulis hominibus ad salutem in vitam æternam applicari expetit. Si quis quærat quos fructus ex hac doctrinâ capere liceat, discet ex sequenti quæstione. Sit itaque

QUÆSTIO XXXIV.

Quinam fructus ex superiori doctrinâ percipi valeant?

RESpondeo ex doctrinâ, quam hactenùs explanavimus plures fructus percipi posse. Nam

1. Quisquis animum sedulò ad eam expendendam appulerit, liquidò deprehendet quantoperè fugienda sint quorumdam recentiorum commenta, imò opinionum portenta, quibus sanam doctrinam & sacro-sanctis Canonum sanctionibus consentaneam ex orbe Christiano revellere studuerunt. Nam proculdubiò perhorrescet, vel cogitatione, vel recordatione nefariæ illius doctrinæ quorumdam hominum pari ad inscitiam impietate affirmantium, Sacerdoti post habitam eo ipse die quo celebraturus est, copulam carnalem cum fœminâ aut pollutionem voluntariam liberum esse sine culpâ veniali rei divinæ incumbere; adeo ut ita se gerendo opinionem tutam & in praxi sequendam teneat.

Quid quod alii progrediuntur ulteriùs, & contendunt id habere locum non solùm in ista fornicatione, sed generatim in qualicumque pollutione mortaliter peccaminosâ seu habitâ secum, vel cum complice, & hoc sive habeatur per fornicationem sivè per adulterium, sivè per peccatum contra naturam, seu quocumque alio modo, & quamvis P. V. credat antiquitùs fuisse aliquam legem vel universalem, vel provincialem, quâ per aliquot saltem horas post pollutionem prohibeatur communio, ut videntur ostendere loca superiùs dicta, hoc tamen hodiè communi & universali totius orbis consuetudine est abrogatum.

O tempora! ô mores! quis in animum inducat suum nostrâ hac ætate tam retrò sublapsa referri omnia, ut reperiantur homines otio & litteris intemperanter abusi, qui in cœtum fidelium ausint invehere doctrinas, quas vel teterrimi quique ferre nequeant, & quas ipsi ad ultimam improbitatis lineam adacti dæmones perhorrescant. In his opinionum portentis multa falsa sacrilegaque deprehenduntur.

1. Quam impium & sacrilegum est asserere Sacerdotem posse celebrare, vel Laicum posse communicare totò & licitè eo ipso die quo in voluntariam pollutionem inciderit, vel quo fornicationem, vel adulterium, vel peccatum contra naturam admiserit. Hanc doctrinam, imò impietatem toti antiquitati contrariam esse suprà docuimus. Nam Sacerdotes in adulterium, & alia id genus flagitia prolapsos de suo gradu in omne tempus dejectos esse ostendimus, & Laicos ob similia crimina ab Corporis Christi perceptione ad agendam pœnitentiam segregatos esse declaravimus. Ita ut si quis Sacerdotem vel Laicum hujuscemodi flagitiis recens contaminatum impellat, vel ut nonnulli factitant, protrudat ad sacram Communionem, interpositâ qualicumque confessionis morulâ, Corporis & Sanguinis Domini apud Deum, & homines benè animatos, & Evangelii & traditionis notitiâ præditos, citra controversiam reus habeatur.

Erant scilicet insulsi & ignari Sancti Patres cum inter mysteria ex edito loco pronuntiabant, vel pronuntiari jubebant ingeminatas hasce voces: SANCTA SANCTIS; Siquidem ex hominum eruditionis famam unâ arte aucupantium judicio, substituendæ erant hæ voces longè diversæ: *Sancta adulteris, sancta fornicariis, sancta contra naturam peccantibus*, &c. Hæc enim prodidisse, refutasse est. Neque enim credibile est inventum iri Sacerdotem tam perditum & profligatum, qui doctrinam hanc instigante dumtaxat Diabolo procusam in praxim conferre vel velit, vel ausit.

2. Falsissimum est, quod ait abrogatos esse Canones, quibus Sacerdotes in graviora & præsertim carnis flagitia prolapsi ab mysteriorum celebratione ablegantur, & Laici Corporis Christi perceptione prohibentur: Tales enim Canones habent saltem aliquid legis naturalis divinæ, quâ omnis rerum sacrarum profanatio interdicitur. Cum igitur ex communi Theologorum sententiâ quidquid juris naturalis divini aliquid includit quantum ad jus naturale, quod continet, aboleri nequeat, proculdubiò falsissimum est præfatos Canones, quibus reverentia tam celebrandis, quam percipiendis mysteriis debita sancitur, & Sacerdotibus pariter, & Laicis indicitur, fuisse abrogatos. Reverà sanctiones omnes, omnia Decreta ad Sacerdotum vitam & sanctitatem pertinentia nemo nescit in usum ab Concilio Tridentino esse revocata, ut suprà declaravimus.

3. Temerarium est, impium & sacrilegum, & testationi & naturæ, & omnibus Canonum Decretis è diametro oppositum, asserere Sacerdotem licet eodem, quo celebraturus est, die, flagitiosissimo peccato contra naturam contaminatum posse celebrare, & Laicum eodem peccato inquinatum posse communicare interjectâ confessione, quæ sæpenumerò in hujusmodi hominibus cum immani sacrilegio conjuncta est; & quamvis talis esset, qualem esse par est, tales tamen homines ab mysteriorum participatione fuerunt ablegandi, ut suprà vidimus, ne debita illis reverentia violaretur.

Quid quod hujuscemodi peccatum in Cœlum clamare dicitur: eo quod ad ejus ultionem Deus adigatur. Unde Salvianus lib. 1. de Gubernat. Dei versans illa Geneseos verba: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est. Quare*, inquit, *peccata hominum clamare testatur? scilicet quia cadit aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur*. Et infrà. *Dominus dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit. Hoc est dicere: misericordia quidem mea mihi suadet ut parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit, ut puniam.* Hæc ille.

Tale & tam immane peccatum capitali supplicio plectendum decernitur, Levit. c. 18. v. 29. & ejusdem Levitic. cap. 20. v. 13 & alibi.

S. Paulus Rom. cap. 1. adeò nefandum tale peccatum esse demonstrat, ut non solùm grande peccatum, sed etiam gravissimorum criminum, animadvertendæ scilicet vanitatis, quâ Philosophi suis in cogitationibus evanuerunt, & idololatriæ in quam inciderant, pœnam esse luculenter asserat.

Concilia sæpenumerò immane illod peccatum contra naturam sub gravium pœnarum interminatione prohibuerunt. Nam

1. Concilium Illiberitanum quod & Nicæno & Arelatensi I. antiquius esse affirmant eruditi, illud ipsum peccatum perpetuâ excommunicatione mulctat. Ut patet ex can. 71. quo decernit stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem, id est denegandam esse reconciliationem seu absolutionem. Reverà Gabriel Albaspinæus Observat. l. 2. observat. 13. citat ea Tertulliani verba ex c. 4. libri de Pudicitiâ, *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*: ait his monstris nusquam indultam esse veniam. Quæ autem & qualia sint hujusmodi monstra apud Christianos declarat idem Tertul. in lib. de coronâ militis. c. 5. *Omne quod contra naturam est, monstri meretur notam apud omnes penes nos verò etiam elogium sacrilegii in Deum, naturæ Dominum & authorem.*

Insuper idem Albaspinæus loco citato affirmat temporibus Concilii Illiberitani peccata ista tam execranda, tamque horribilia perpetuâ excommunicatione fuisse mulctata, ita ut illorum consen nec in ipsâ morte absolvi possent.

2. Concilium Ancyranum anno Christi 314. celebratum, cum hujusmodi monstris pauló humaniùs & benigniùs agere cœpit Sic enim statuit can. 15. De his, inquit, qui irrationabiliter versati sunt (id est contra naturalem usum in masculos, vel pecora exarserunt) vel versantur, quotquot ante vigesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentiâ, communionem mereantur orationum. Deindè quinquennio in hac communione durantes, tunc demùm oblationis Sacramenta contingant, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peractâ viginti annorum ætate & uxores habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communionem suscipiantur orationum in quâ quinquennio perdurantes, tunc demùm oblationis Sacramenta percipiant. Quod si qui & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ, communionis gratiam consequantur. Hactenùs Canon Concilii Ancyrani.

3. Concilium Toletanum XVI. ex novem supra quinquaginta Episcopis conflatum, anno Redemptoris 693. celebratum, horribile illud peccatum sequentibus pœnis plectendum esse decernit. can. vel nu. 3. Sicut cordis, inquit, corporisque munditia homines Deo proximos facit, ita incentivæ pollutionis actio à Deo alienos statuit: & sicut Sodomiticos Populos horrenda nimisque detestanda patratio igni cælitùs confluenti exurendos in præteritis tradidit; ita talibus immunditiis deditos homines æternæ damnationis rogus consumet, loquente Domino per Prophetam, *vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* At nunc quoniam hæc funesta actio & Sodomiticæ operationis malum, multos sauciasse perpenditur, adeo nos ob hujus fœdissimæ causæ extirpandam consuetudinem zelo Domini ardentes, omnes in commune sancimus ut qoicumque hujus nefariæ actionis patratores extiterint, quique in his turpitudinibus sese implicari permiserint, & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operati fuerint: siquidem Episcopus, Presbyter aut Diaconus fuerit, de proprii honoris gradu dejectus, perpetui exilii manebit damnatione perculsus. Sin verò cujuslibet ordinis, gradus, vel personæ, & talibus colluvionis noxis reperti fuerint implicati, illius legis, quæ de talibus est edita, nihilominùs feriantur sententiâ, atque ab omni Christianorum alieni catervâ, & insuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exilio mancipentur perpetuo. Ita nisi tam eos qui religionis cultum turpasse visi fuerint, quam etiam alios (ut diximus, cujuscumque ordinis homines de quâ satisfactio pœnitentiæ, accipere Corpus & Sanguinem Christi in fine permiserit, aut Christicolarum societati reddiderit, nec in exitus sui diem, secundum Canonum instituta, communionis perceptione se noverint relevari, nec Catholicorum cœtui aggregati. Hactenùs Canon Toletani Concilii XVI.

4. Concilium Parisiense VI. anno 8 9. celebratum, hujusmodi vitium contra naturam esse plectendum secundum judicium Canonicum Concilii Ancyrani quod supra retulimus: Hoc namque peccatum, inquit, SS. Patres divino Spiritu afflati, meritò in sacris Canonibus acrius cæteris judicandum decreverunt; quoniam eo regnante, & statum Christi Ecclesiæ infirmari, & regnum periclitari apertè cognoverunt. Hactenùs præfatum Concilium lib. 1. cap 34.

5. Concilium Trosleian. an. Christi 909. celebratum de peccatis contra naturam sic loquitur: Extant & alia diversorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex divina, pro quibus populus vastitate & gladio, fame & pestilentiâ atteritur, & Ecclesiæ status infirmatur, regnumque periclitatur: ut sunt nefandissimæ cum masculis, aut pecoribus pollutiones, pro qoibus dulcis & benignus Deus noster ad amaritudinem iracundiæ tantò graviùs provocatur, quanto contra naturam fieri comprobantur. Hactenùs Concilium Trosleianum c. 15. cujus titulus est: Epilogus ad Episcopos & generaliter ad omnes.

Hæc est doctrina Conciliorum ex quâ satis superque constat quam sit abominabile peccatum contra naturam, & quanto studio homines illud effugere debeant. Siquidem flagitia quæ sunt contra naturam ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippè ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille Author est, libidinis perversitate polluitur, ut ait S. Augustinus Confess. lib. 3. cap. 8.

Hujusmodi peccatorum gravitatem graphicè depingit S. Petrus Damiani in eo, qui Gomorrhianus inscribitur, libro: *Hoc sanè vitium*, inquit, *nulli prorsus est vitio conferendum, quod omnium immanitatem superat, vitiorum.* Et infrà *Nimirùm*, inquit, *quem hæc atrocissima bestia cruentis semel faucibus devorat, à cunctis bonis operibus quibusdam suis vinculis obligat, per omnia, nequissima pravitatis abrupta præcipitanter effrænat. Mox nempè ut quisque in hanc extremæ perditionis abyssum fuerit lapsus, à supernâ Patriâ exul efficitur. à Christi Corpore separatur, totius Ecclesiæ authoritate confunditur, omnium sanctorum Patrum judicio condemnatur, inter homines in terrâ despicitur, à cœlestium civium contubernio reprobatur: fit sibi cœlum ferreum, & terra ænea, neque illuc potest pondere criminis gravatus assurgere, neque hic sua mala ignorantiæ latibulo diutius occultare: Non hic potest gaudere dum vivit, neque illic sperare, dum deficit: quia & nunc humanæ derisionis opprobrium, & postmodum æternæ damnationis cogitur perferre tormentum.* Hactenùs sanctus Petrus Damiani in lib. citato cap. 16.

Hæsimus fortè diutiùs in demonstrandâ peccatorum contra naturam immanitate, ut omnibus liquidò innotesceret, quam flagitiosa, & abominanda sint placita, vel commenta eorum qui inquinatos hujusmodi vitiis (quorum vel nomina boni quique perhorrescunt) temerè interjectâ confessionis morulâ ad altare protrudere nihil dubitant, quasi certiores essent facti de hujusmodi hominum conversione (quæ tamen rarissima est) & ideò diligentiùs & diutiùs explorandа, ne Confessarius hujusmodi criminum in quorum emendationem segniùs & molliùs incubuerit, apud Deum reus habeatur.

Præterea certum est Canones suprà citatos non esse omni ex parte abrogatos (ut causantur nonnulli vel suæ, vel alienæ cupiditati omnia obsecuti.) Nam ut suprà monuimus, constat Tertulliani & Illiberitani Concilii temporibus viris in prædicta contra naturam flagitia prolapsis, ne in ipsâ quidem morte veniam seu absolutionem esse concessam. Quod disertè asserit Tertullianus loco suprà laudato, cum ait homines talium criminum reos, esse submotos omni Ecclesiæ tecto, id est amandatos ab primis Ecclesiæ tectis, in quibus stabant peccatores impetrandæ, & peragendæ pœnitentiæ spe præditi, ut prætereuntes omnes lachrymis, luctu, & squallore perditi propemodum & profligati, ad misericordiam pellicerent, & eorum judicio sententiaque digni haberentur, qui diutiùs ab ingressu templi, & pœnitentiâ non arcerentur, ut ait Albaspinæus Observat. lib. 2. observ. 13.

Verum cum hanc severitatem in peccatores non tam delictorum, quam monstrorum reos exeri solitam temperaverit Concilium Ancyranum & Concil. Toletan. XVI. hujusmodi Conciliorum Canonico judicio adhærescere necesse est, hoc enim decrevere posteriora Concilia, & imprimis Parisiense VI. lib. 1. cap. 34.

Ergo vel citatarum Synodorum Canones ad Episcopos & Presbyteros, & Diaconos pertinent, & revera pertinere debent juxta Decretum Concilii Tridentini, quod quidem omnia veterum Synodorum statuta ad Clericorum vitam honestatemque pertinentia, in usum revocavit. & tunc igitur si in præfata flagitia incurrerint, de suo gradu sunt in perpetuum dejiciendi. Vel pertinent ad Laïcos, si igitur sint etiam talium criminum conscii, ita eos satisfacere oportet, ut se per dignos pœnitentiæ fructus, Corporis Christi in ipsâ morte percipiendi communione dignos præbeant: sin secùs sic tanquam excommunicatione perpetuâ mulctari desetantur, juxta statuta Canonum, ut decernit Concilium Toletan. XVI. loco suprà laudato.

Ex dictis poterit colligere Christianus Lector, utrùm toleranda sint commenta, imò portenta quorumdam hominum tot Conciliorum & Patrum oraculis adversantium, & aientium Sacerdotem eo ipso die quo prædictorum flagitiorum horribili fœditate sese polluerit, posse celebrare, si modò confessus fuerit.

Secundus fructus, qui potest ex superiore doctrinâ colligi in eo positus est, ut sciat unusquisque Ecclesiæ spiritum, in ipsâ disciplinæ varietate, eumdem semper remanere, nec ullo pacto variari, atque adeò eum propiùs ad eumdem Ecclesiæ spiritum accessurum esse, qui Canones Spiritu Dei conditos & omnium sæculorum reverentiâ consecutos religiosiùs observaverit, & ab aliis observandos curaverit.

Tertius fructus qui percipi potest ex superiore doctrinâ.

CUm flagitia carnis talia sint, ut iis inquinati ante ordinationem secundum statuta Canonum ordinari nequeant, & post ordinationem in eadem ipsa flagitia prolapsi ab sacro ministerio amandari debeant, inde prudens Lector colliget, quanta Ecclesiæ judicio sint flagitia carnis non solùm contra naturam, sed etiam ea quæ perpetrantur secundum naturalem usum, haberi, atque adeò quanto studio declinari oporteat. Quod ut fiat aliquid hîc ex *SS.* Patribus excerptum de vitandâ mulierum familiaritate exscribere necesse est.

Inter sancti Thomæ opuscula Parisiis anno sal. 56. recusa, legitur unum quod de modo confitendi & puritate conscientiæ inscribitur, nec tamen quorumdam judicio ipsi sancto Thomæ ascribitur. Utcumque se res habeat, multa continet præcepta & monita multò saluberrima, & omnibus apprimè necessaria & utilia, & imprimis comprehendit gravia pericula omnibus in muliercularum familiaritatem sese implicantibus imminentia, & id deditâ operâ, art. 22. quem claudit his verbis. Tantum, inquit, de hac materiâ dixisse sufficiat, ut per hoc animentur per viam puram & immaculatam incedere, & fugere, ut periculosam pestem familiaritatem mulierum spiritualium, quæ non meliùs quam fugiendo vitatur. Satis enim posset quis hac sagittâ percussus se jejuniis, vigiliis, ac disciplinis affligere, & orare, quia si non fugiat personam, & omnem occasionem despiciat, numquam curabitur illo morbo, sed magis augebitur illud vulnus. Propter quod sequamur auxilium sivè consilium beati Hieronymi dicentis: fœmina quam vides benè conversantem mente dilige, non corporali frequentiâ: quia incentium libidinis in visitatione mulierum est, & mundus cum mulieribus, non meliùs, quam fugiendo vincitur, quia cum cæteris vitiis & morbis quis possit resistere, huic tamen non potest nisi per fugam. Et alibi: Si mulier potuit vincere eum, qui jam erat in paradiso, non est mirum si eos impediat, qui nondum ad paradisum pervenerunt. Et idem S. Hieronymus: Solus cum solâ non sedeas in secreto, absque arbitro & teste. Et iterum: Ne sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præteritâ castitate confidas, quia nec tu Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior. Si fortè dicas, jam corpus mortuum est, dico tibi quoniam diabolus vivit, cujus flatus prunas extinctas ardere facit.

Idem S. Hieronymus. Omnes, inquit, Virgines Christi & puellas aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora.

De eadem re ita S. Augustinus. Sermo brevis & rigidus cum mulieribus habendus est. Nec tamen quia sanctiores fuerint, ideò minùs cavendæ: quo enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impurissimæ libidinis; crede mihi, Episcopus sum, Episcopo loquor, non mentior. Cedros Libani, id est altissimæ contemplationis homines, & gregum arietes, id est magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu, non magis præsumebam, quam Hieronymi & Ambrosii.

Unde S. Bernardus, Quotidiè, inquit, conversaris cum mulieribus, & continens vis putari: esto quod sis, maculam tamen suspicionis portas, scandalum mihi es. Tolle materiam & causam: quia *væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18.

Hactenùs ipsissima verba citati opusculi quod aliàs erat sexagesimum quartum, in posttemâ verò editione Parisiensi est vigesimum secundum.

Hac de re S. Augustinus pulcherrimum habet sermonem qui est 250. de temp. & 2. de Domin. 15. post Trinit. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Unde, fratres charissimi, ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis, sive Monachis indigna & inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine ullâ dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò dilabitur in ruinam.*

Et infrà: *Nonnulli in alienâ domo cum extraneis mulieribus putant se castitatis obtinere triumphum, ignorantes dupliciter se apud Deum reos existere, dum & seipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum perversæ familiaritatis ostendunt. Quanticumque enim illorum stultitiam imitantes, per inhonestam familiaritatem castitatis ornamenta perdiderunt, illorum animæ ab illis in die judicii requirentur, qui eis exemplum perditionis ostendunt.*

Et paulò post: monet non solùm ab extranearum mulierum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum, vel quarumcumque vicinarum aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ unusquisque familiaritatem, vel secretam collocutionem vitare contendat, quia quantò earum vilior conditio, tantò facilior ruina est. Hactenùs sanctus Augustinus.

Ita sensere omnes sancti, qui & scripto & vivæ vocis oraculo, & quod multò efficacius est, exemplo muliercularum quarumcumque familiaritatem studio-

tissimè fugiendam esse docuerunt. Et meritò sanè. Nam, ut ait quidam, mulier est basiliscus visu, voce syren, voce incantat, visu dementat, utroque perdit & necat. Siquidem & totâ corporis & animi indole ac compositione intùs obrepit & se insinuat. Cave & fuge.

Hisce rationibus perpulsa Concilia Sacerdotum cum mulierculis, & præsertim cum Monialibus familiaritatem sæpenumerò prohibuerunt. Undè Concilium Toletanum I. sub Innocentio Papâ I. imperantibus Honorio & Arcadio anno scilicet Redempt. 405. celebratum eâ de re sic statuit can. 6. *Puella familiaritatem non habeat cum Confessore, aut cum quolibet Laïco alieni sanguinis.* Concilium Parisiense VI. imperante Ludovico Pio, id est, anno Redempt. 829. tam sanctè & religiosè hanc materiam pertractavit, ut hic aliqua Decretorum ejus Capita exscribere operæ pretium esse videatur.

Comperimus etiam, inquit, quosdam Canonicos & Monachos posthabito Religionis suæ pudore, Monasteria Monialium, tam Monachorum, quam Canonicarum inconsulto Episcopo suo impudenter, atque irreverenter adire. Qui obtendere solent, se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certè nescio cujus collocutionis gratiâ. Quod factum quia nec Canonico, nec Monastico congruit proposito, prorsus interdicimus: nisi fortè causa prædicationis, aut certè inevitabilis necessitas id facere coëgerit: & hoc nullatenùs sine licentiâ Episcopi, aut illius, qui illius vice fungitur, fieri præsumatur.

Et paulò post. Si colloquendum cum aliquâ sanctimonialium, ratio expostulat id non alibi, nisi in constituto loco, id est, in Auditorio sub testimonio virorum Religiosorum & Religiosarum fœminarum fiat. Quando verò Sacerdotibus in Monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum Ministris sibi deputatis illuc ingrediantur; quibus ritè peractis non ad secretas collocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum Ministris suis illicò egrediantur. Porrò si Sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in Ecclesiâ coram sancto Altari, astantibus haud procul testibus faciant. Si autem infirmitas præpedierit, ut in Ecclesiâ eadem Confessio fieri nequeat, in quacumquelibet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul astantibus fiat.

Posteà dicit illicitum esse Monachis adire puellarum Monasteria, nisi id eis præcipiatur ab Episcopo civitatis, propter opus necessarium: & sic pergit. His ita ex Canonicâ authoritate præmissis, oportet ut Canonici & Monachi se ab hoc illicito facto cohibeant, ne contingat eos Canonicâ Censurâ percelli, quâ dicitur: Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Domini blasphemetur. Qualiter autem collocutiones fœminarum his qui sacris officiis mancipati sunt, vitandæ sint, vita B. Augustini & B. Ambrosii, & dicta SS. Cypriani atque Hieronymi, & aliorum plurimorum apertè ostendunt. Hactenùs ipsissima citati Concilii verba, quæ legere est ejusdem Conc. lib. 1. cap. 46.

Allatis de causis alia Concilia Monachorum domos procul ab Virginum Monasteriis ædificari voluerunt, tum ob cavendas insidias diaboli, tum propter hominum obloquutiones. Ita statutum est in Concilio Agathensi can. 28. In Concilio Hispalensi II. can. 11. In II. Nicænâ Synodo, quæ est VII. generalis can. 20. & in pluribus aliis idipsum est constitutum.

Præterea constitutum est, ne ullus Sacerdos quempiam ita sibi devinciret, vel voto, vel aliquo alio modo, ut nemini præterquam ipsi confiteri posset, indè enim extitissent, sicut & extitere innumera mala & peccata, quibus se tam Sacerdotes, quam mulierculæ ejusmodi voto alligatæ obstrinxissent.

Sapientissimè igitur Concilium Mechliniense sub Matthiâ Hovio Archiepiscopo Mechliniensi anno Redempt. 1607. sub Paulo Papâ V. celebratum hunc abusum sustulit hujusmodi Decreto. Nemo aliquem, inquit, ad perpetuò sibi soli confitendum obliget: & ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationabilem & indiscretam hæc Synodus irritam esse declarat, & quatenùs opus est, irritat. Hactenùs Decretum, quod legere est in præfati Concilii Mechliniensis cap. 7.

Hanc rem pluribus verbis & SS. Patrum testimoniis, & Synodorum statutis explanavimus, ut Sacerdotes & Clerici, & Monachi, qui sæpenumero suam suique Ordinis famam frequentiori Laicorum, & præsertim mulierum consuetudine non mediocriter obterunt, discant in quot & quanta libidinum pericula sese conjiciant, in gravissima peccata ruituri, nisi cum summâ humilitate & cogente necessitate sæcularium domos adeant. Ne igitur cadant, ab omni superbiâ abhorreant: ne fortè experiantur illud sancti Augustini effatum, quod legitur lib. 14. de civitat. capit. 13. *Audeo dicere*, inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo, ceciderant.* Hæc ibi.

Cum hactenùs egerimus de peccatis quæ homines ab Sacerdotio, tum suscipiendo, tum exercendo removere debent, jam ad alia magis ad praxim accedentia properandum est. Sit itaque

---

Quæstio XXXV.

Utrùm sacrificium Missæ infinitum valorem habeat?

Valor potest hìc in duplicem sensum accipi. Nam 1. significare potest dignitatem & æstimationem, quam sacrificium Missæ trahit ex re oblatâ, vel ex principali offerente. 2. Significare potest vim & efficaciam, quam in ordine ad suum effectum habet ex institutione Christi.

His ita prælibatis sit

Conclusio unica.

Si valor sacrificii Missæ spectetur in primo sensu, id est, prout significat æstimationem illam moralem, & eam vim, sivè impetrandi, sivè satisfaciendi, quam ex oblatæ rei dignitate & ex principali offerente trahit, nemo inficiari potest, quin sit infinitus, eo nomine, quod & principalis offerens, & res oblata infinitâ dignitate & virtute polleat. Si verò hujusmodi valor non æstimetur ex rei oblatæ infinitate, sed ex Christi institutione, quatenùs scilicet per Ecclesiæ Ministros sacrificii vis & efficacia ad certos quospiam effectus fidelibus applicatur, haud dubiè finitus est. Cum enim oblatio ab Sacerdote factitari solita, finita sit, & ipse Sacerdos sit pariter suis terminis inclusus, hic valor neque ab Sacerdote, neque ab ejus oblatione infinitatem accipere potest: & ideò quibusdam finibus coërceri necesse est.

Prima pars hujus Conclusionis non evocatur in controversiam, & secunda nullo negotio probatur. Si enim valor, seu vis & efficacia sacrificii Missæ esset infinita ex institutione Christi, sufficeret una duntaxat ejusdem sacrificii Missæ oblatio ad quemlibet effectum. Cum enim infinito nihil possit addi, nihil per iteratam dicti sacrificii repetitionem infinito ejus valori adderetur: atque adeò frustrà repeteretur. Quod quidem repugnat & Christi institutioni, & Ecclesiæ consuetudini. Christi institutioni repugnat, quia Christus hisce verbis: *Hæc quotiescumque feceritis*, &c. hoc sacrificium sæpiùs offerendum esse perspicuè declaravit: Consuetudini autem Ecclesiæ adversatur, siquidem varia, & quidem sæpiùs pro unâ eademque re, vel personâ, ipsâ etiam Ecclesiâ approbante & jubente, sacrificia offerri, & iterari quotidiè conspicimus. Si quis objiciat sacrificium Missæ esse unum, & idem cum sacrificio Crucis solâ offerendi ratione ab eo distinctum, atque adeò parem

cum illo efficaciam, infinitam scilicet obtinere.

Respondeo causam primariam ab instrumento semper esse distinguendam in eo, quod causa primaria semper majorem obtineat vim & efficaciam, quam instrumentum. Undè perperàm ratiocinatur, qui Missæ & Crucis sacrificio eamdem vim & efficaciam attribuit. Nam sacrificium Crucis est causa primaria, ex quà Missæ sacrificium omnem suam efficaciam trahit, & ideò ex Christi institutione est divinum quoddam instrumentum, cujus adminiculo sacrificii Crucis vis & efficacia fidelibus applicatur: & ideò finitam dumtaxat vim & efficaciam obtinere dicitur.

Ex hac Conclusione colligitur eum Sacerdotem qui à pluribus accepit honoraria, ut Missas celebraret, peccare contra justitiam, si unam dumtaxat pro omnibus celebret Missam. Nam ex plurium sententiâ Theologorum, si Sacerdos duobus, verbi gratiâ, Missam petentibus illam annuerit, utrique suam & separatam debere Missam certissimum est; cum enim uterque Missam petiit, fructum sacrificii pro se peculiariter offerendi, petiit, utriusque petitioni sibi ex quotidiano fidelium uso cognitæ annuit Sacerdos, ergo ex justitiâ satisfacere non potest utrique, quin unum pro uno, & alterum pro altero sacrificium offerat.

1 Indè patet quam meritò Alexander Papa VII. sequentes propositiones saltem ut scandalosas damnaverit, inter quas proximè sequens est Octava: Sacerdos potest licitè duplicem retributionem accipere pro unâ dumtaxat Missâ, applicando personæ illam petenti specialissimam fructus sacrificii portionem, quæ pervenit ad ipsum celebrantem, & id licet etiam post Decretum Urbani Papæ VIII.

Nona hæc est: Ex quo promulgatum est Urbani Papæ VIII. Decretum, Sacerdos qui plures Missas suscepit celebrandas cum certo honorario, per alterum, datâ illi minori honorarii parte, sibi reservatâ pinguiori, huic obligationi satisfacere potest.

Decima propositio talis est: Non est contra justitiam plurium Missarum accipere retributionem, & unam dumtaxat celebrare: neque etiam est id contra fidelitatem, tametsi retributionem danti fidem meam obligarem per promissionem jurejurando firmatam, me pro altero non esse celebraturum.

Tres illas propositiones cum pluribus aliis saltem, ut scandalosas damnavit Alexander Papa VII. ita ut quisquis eas docuerit, sustinuerit, publicaverit sivè universas simul, sivè aliquas ab aliis avulsas, vel qui eas in modum disputationis, seu publicè, seu privatim (nisi fortè ad eas oppugnandas) agitaverit, incurrat Excommunicationem ipso facto: à quâ (excepto dumtaxat mortis articulo) à nemine, quacomque dignitate fulgeat, præterquam ab uno, & solo Pontifice Romano tunc sedente, absolvi valeat: ut declaratur in ejusdem Alexandri Decreto publicato, & ad valvas Apostolorum affixo anno Redemptor. 1665. 2. Oct. ejusdem Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. Pontificatûs anno xi.

QUÆSTIO XXXVI.

Utrùm Missæ sacrificium pro pluribus oblatum tantùm prosit singulis, quantùm prodesset, si pro uno quoque singulariter offerretur.

SAnctus Thomas egregiè pertractat, & solvit hanc quæstionem ad distinct. 45 lib. 4. sententiarum q. 2. art. 4. in solutione quæstiunculæ 2. quæ est de suffragiis quæ pro mortuis offeruntur. Ad 2. quæst. inquit, dicendum, quod si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt, ac si pro uno tantum fierent, quia charitas non minuitur, si dividatur effectus ejus in multos, imò magis augetur, & similiter etiam gaudium, quando pluribus est commune, fit majus, ut dicit sanctus Augustinus lib. 8. Confess. & sic de viro bono facto non minus lætantur multi in Purgatorio, quam unus: Si autem consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit, & pro multis aliis. Sic enim effectus suffragii dividitur ex divinâ Justitiâ inter eos, pro quibus suffragia fiunt, & ex hoc patet, quare institutum sit, ut suffragia specialia in Ecclesia fiant. Hactenùs sanctus Thomas loco citato.

Ex pulcherrimo illo sancti Thomæ loco colliguntur tria pronuntiata, seu dogmata, quorum

Primum est valorem suffragiorum, si spectetur virtus charitatis membra Ecclesiæ secum invicem connectentis, tantùm prodesse singulis, quantùm prodessent, si pro uno dumtaxat offerrentur.

Secundum, Si considerentur suffragia, ut satisfactiones per facientis intentionem translatæ in mortuos, tunc magis prodest suffragium illi, pro quo nominatim, & singulariter offertur, quam iis, pro quibus communiter factitatur.

Tertium asserit effectus suffragiorum ex divinâ justitiâ dividi inter eos, pro quibus ipsa suffragia offeruntur.

Quæ tria utpotè ad hujus quæstionis explanationem necessaria strictim attingere necesse est.

Quod spectat ad primum, certum est omnes, qui sibi invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportare, ita tamen, ut id fiat secundum mensuram status uniuscujusque, quia etiam in patriâ unusquisque gaudebit de bonis alterius: & inde est, quod articulus Fidei ponitur Sanctorum communio, ut disertè docet S. Thomas in supplem. 3. part. q. 71. art. 1. in corp. quod & satis indicat Apostolus Ephes. cap. 4. vers. 15. & 16. veritatem, inquit, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Hæc ibi.

Hoc loco indicat Apostolus omnes Christianos veluti membra Christo capiti, per veritatem Fidei, & opera charitatis (quæ est velut anima Fidei, & meritorii cujuslibet operis, & spiritualis profectûs principium) adunata adolescere oportere in eumdem & per eumdem Christum, per ipsum quippe in ejus corpore, quod est Ecclesia, per fidem & spem, & maximè per charitatem (quod est vinculum perfectionis) nobis invicem colligari retinemur, & subsistimus per omnem juncturam subministrationis, id est per omnem gratiam & opem, quam Christus suis fidelibus, ceu membris suppeditat, & per mutua subsidia, quibus veri Christiani viva nempè Christi membra sibi invicem charitatis imperio subministrant, totum Ecclesiæ corpus compactum, & arcanâ, cœlestique harmoniâ ex capite & membris coagmentatum corroboratur & viget, usque dum ad æternitatem gloriam proveharur. Per hanc igitur juncturam & commissuram, ceu per fontem & canalem influxus capitis in membra, & membrorum in invicem influxus subministratur & trajicitur. Quod factitatur non quacumque modo, sed per operationem in mensurâ uniuscujusque membri, id est, per intimam operationem, & efficaciam, quæ unicuique membro communicatur quicquid ad ejus magnitudinem, & proportionem, & animi præparationem pertinet. Hæc omnia per virtutem à capite in singula membra derivantur. Nam caput corporis mystici Christus, non solùm capitis, sed etiam cordis officio fungitur; (ut

in vitâ naturali fieri amat) quemadmodum enim à corde, non a capite animalis, per arterias ad singula membra defluit spiritus vitalis, quo universa moventur, & indè calorem ad convertendum alimentum, & ad crescendum accipiunt; ita Christus, quem ut Ecclesiæ caput & cor veneramur, sub ratione capitis influit in membra Ecclesiæ, & sub ratione cordis spiritus vitales, id est uberiora divinæ gratiæ auxilia spargit in Christianos, id est, in sua membra, quæ posteà moventur, & omnia Christianæ charitatis, cæterarumque virtotum officia juxta suæ præparationis mensuram liberaliter exequuntur.

Huoc Apostoli locum pluribus verbis explanare visum est, ut Christianorum ab Christo veluti capite & corde dependentium, & pro cujusque mensurâ, & animi præparatione divinæ gratiæ subsidia percipientium dignitas eluceret. Omnium igitur in charitate viventium opera, & suffragia prosunt aliis pro illo charitatis ardore, quo Deum & Christum depereunt.

Dices, si propter charitatem Ecclesiæ membra secum invicem unientem facta pro multis suffragia tantum prosunt singulis, quantum prodessent, si pro unoquoque specialiter fierent, frustra plura pro multis & singulis offerrentur suffragia, cum Missa, verbi gratiâ, quæ inter omnia suffragia principem obtinet locum, sit infiniti valoris, atque adeò nihil præter illam, vel semel celebratam ad pœnæ ab mortuis in altero sæculo persolvendæ remissionem exigatur.

Respondeo, Actus qui exercentur, & veluti suffragia Deo pro defunctis offeruntur, non posse illis mereri vitam æternam. (Hoc est enim singulare Christi privilegium, ut hominibus vitam æternam, & media ad illam assequendam idonea & necessaria mereatur) non ergo per viam meriti, quod innititur justitiæ, sed per viam dumtaxat orationis, quæ innititur misericordiæ, aliquid ad sublevandas mortuorum in Purgatorio degentium pœnas per Missæ sacrificium, & alia suffragia, qualia sunt eleemosynæ, orationes, jejunia, ab ipso Deo impetrare possumus. Quamvis igitur Deus pari facilitate & misericordiâ multis sicut & paucis in ipso illo Purgatorio languentibus pœnas condonare valeat, quia tamen oratio consideratur ex parte orantis, & ex parte ejus qui oratur, & ex utroque ejus effectus dependet: & ideò quamvis divinæ virtuti non sit magis arduum, & difficile absolvere multos quam unum: tamen hujusmodi orantis oratio non est ita satisfactoria pro multis, sicut pro uno, ut ait S. Thomas q.71. cit. art. 13. ad tertium.

Huc accedit quod tametsi incruentum Missæ sacrificium sit infiniti valoris (propter infinitam dignitatem Christi, qui est ejusdem sacrificii Sacerdos pariter & victima) non tamen exigit ut per illud ipsum sacrificium semel celebratum defunctorum animæ in ipso Christo nondum ad plenum purgatæ ab omnibus absolvantur pœnis.

Quod quidem luculenter explicat S Thom suppl. 3. par. cit. q. 71. art. 14. Ad secundum dicendum, inquit, quod quamvis virtus Christi, qui continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur: undè non oportet, quod per unum Altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio, expietur: sicut etiam nec per unum sacrificium, quod aliquis offert, liberatur à totâ satisfactione debitâ pro peccatis; onde & quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati injunguntur: credibile tamen est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his, pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensentur, pro quibus non fiunt, si sic indigeant, ut patet per Damascenum in sermone de dormientibus, sic dicentem: verè Deus tamquam suscipiens defectum & mutationem, negotiabitur; quæ quidem negotiatio attenditur, si id quod deest uni, alteri suppleat Tract. S. Thom. loco citat.

Præterea cum suffragia pro mortuis offerri solita, sint quædam satisfactiones per satisfacientis intentionem in eosdem mortuos translatæ, non tam lumini æqualiter in omnes sese longè, latèque diffundenti, (ut nonnullis placet) quam cujuspiam debiti solutioni comparantur. Et ideo æqualiter ex divinâ justitiâ non applicantur omnibus in Purgatorio, non tam satisfacientibus, quam satispatientibus, eo nomine quod multi benè erga Deum & Christum animati, dum in terris degerent, sua peccata per Missarum sacrificia, per eleemosynas & jejunia, & orationes expiare studuerint, alii verò tepidiores Christiani creaturarum plusquam par est, amore illecti in opera satisfactoria ad expiandas anteactæ vitæ sordes necessaria incumbere detrectaverunt. Et ideò si hujusmodi hominibus æqualis & eadem quæ ferventioribus Christianis indulgeretur pœnæ remissio; illa ipsa remissio divinæ justitiæ (absit verbo invidia) repugnare videretur.

Primum igitur dogma ex Doctoris Angelici loco deductum asserit suffragia communia propter charitatem omnia Christi membra unientem, & omnia inter Christianos communia factitanteo tantum prodesse singulis, quantum iis prodessent, si pro unoquoque distinctè & sigillatim offerrentur. Esto igitur alterum seu

Secundum Dogma.

Valent suffragia, & prosunt mortuis, cum per intentionem alicujus ipsis applicantur: Sic enim satisfactio unius alteri computatur: Et hoc modo non est dubium, quin magis valeant ei pro quo fiunt, imò sic & soli valent: Satisfactio enim propriè ad remissionem pœnæ ordinatur. Undè quantum ad remissionem pœnæ præcisè valet suffragium ei pro quo fit, ut loquitur S. Thomas quæstion. cit. articul. 12. in corp. Si tamen suffragiorum applicationem per vitam Christianam meruerit. Nam suffragia sive communia, sive specialia, mortuis prodesse, aut opitulari nequeunt, nisi id quodam vitæ genere acquiratur, dum in corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos, ac per hoc secundum ea, quæ per corpus gesserunt eis, quæ post corpus religiosè pro eis facta fuerint adjuvantur. Sunt enim quos nullo modo adjuvant ista: sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari, sive pro eis, quorum bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ quod quisque gessit per corpus, efficitur, ut prosint, vel non prosint quæcumque pro illo fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vitâ, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit, ut neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit Religionis impendat; & tamen ferat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in eâ vitâ acquisitum est, quam gessit in corpore. Hactenùs S. Augustinus lib. singulari de curâ pro mortuis gerendâ cap. 1. & ibid. confirmat quod pervicaciter impugnant Hæretici, sacrificia videlicet & orationes pro mortuis esse fundendas: In Machabæorum libris, inquit, legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas; ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Hactenùs S. Aug. lib. singulari de curâ pro mortuis gerendâ. c. 1.

Ex quo loco colligimus iis duntaxat defunctis Ec-

clesiæ suffragia prodesse, qui hoc meritum Christianâ vivendi ratione sibi comparaverunt. Undè & idem S. Augustinus citati libri de curâ, &c. cap. 18. idipsum deintegro asserit: Non existimemus, inquit, ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis, sive Altaris, sive orationum, sive eleëmosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non, pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt, comparatur, ut prosint, sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos possint, & debeant pervenire. Meliùs enim supererunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Hactenùs S. Augustinus loco citato.

Ergo ita solis duntaxat prosunt apud Deum Ecclesiæ suffragia, qui ipsorum applicationem sibi post mortem factitandam vitæ Christianæ sanctimoniâ, vel saltem, in ultimâ vitæ lineâ inenarrabili perseverantiæ dono sibi divinitùs concesso meruerunt. Hujusmodi autem talium suffragiorum applicationem tardiùs, aut citiùs illis impendi testatur S. Augustinus Enchiridii cap. 68. prout scilicet magis, aut minus pereuntia hujus vitæ commoda dilexerunt. Quod uberiùs explicat idem S. August. eod. capit. Enchirid. ubi versans hunc Apostoli locum: qui ædificat super hoc fundamentum (Christum scilicet) aurum, argentum, lapides pretiosos: & qui ædificat ligna, fœnum, stipulam. Cum enim hæc dixisset, adjunxit: Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Hoc loco Apostolus duos fideles adducit in medium, quorum unus cogitat, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificat super Christum fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: Alter autem cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, id est, ædificat super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim (primi scilicet) opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amore crucietur. Exuritur autem opus alterius, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt: sed quoniam alterutrâ conditione propositâ, eis potius carere malit, quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat dum amittit, salvus est quidem, sed tamen quasi per ignem, quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subvertit, neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit quæri potest, & aut inveniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium, quantò magis, minusvè bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsqve salvari: Non tamen tales, de quibus dictum est, regnum Dei non possidebunt, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleëmosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet Dominus dextris, & earum tantummodo sinistris: quando his dicturus est: Venite Benedicti Patris mei, &c. Illis autem: Ite maledicti, &c. ibid. Igitur S. August. maximum remissionis tam in hoc, quam in altero sæculo consequendæ momentum exponit, si in melius vita mutetur, & per eleëmosynas de peccatis præteritis propitietur Deus, nec adhuc ametur quodammodo, ut ea semper liceat impunè committere. Hæc loco cit. Cætera ad hoc dogma pertinentia, per Quæstiunculas sunt explananda. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA I.

Quænam sint præcipua viventium pro mortuis subsidia?

RESpondeo tria esse præcipua ejusmodi subsidia secundum sanctum Augustinum, Eucharistiam scilicet, eleëmosynam & orationem, quia ista omnia maximè ad charitatis communicationem, vel ad directionem intentionis ad alterum. Ideóque præ cæteris subsidiis nata sunt mortuis suffragari. Cum igitur Eucharistia ad charitatem maximè pertineat, quippè quæ sit Sacramentum Ecclesiasticæ unionis, continens Christum, in quo tota Ecclesia adunatur, & consolidatur, undè fit, ut ipsa illa Eucharistia quasi quædam charitatis origo, & vinculum ab Theologis habeatur. Cum autem inter charitatis effectus, eleëmosyna principem obtineat locum, ideò & Eucharistiæ sacrificium & eleëmosyna cæteris operibus quæ mortuis suffragantur, antecellunt. Ex parte autem intentionis directæ in mortuos præcipuè valet oratio, quia oratio secundum suam rationem, non solum respectum dicit ad orantem, sicut & cætera pietatis opera, sed directius ad illud pro quo oratur, & ideò ista tria ponuntur quasi præcipua mortuorum subsidia, quamvis quæcumque alia bona, quæ ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sunt: ut post sanctum Thomam docent Theologi.

QUÆSTIUNCULA II.

Quibus præsertim mortuis præfata subsidia, & citiùs & uberiùs applicentur?

RESpondeo, Ipsa, de quibus sermo est, subsidia citiùs & uberiùs iis applicari, qui dum degerent in terris, majori arserunt charitate, & ejusdem charitatis impulsu & impetu ardentiùs in opera pietatis incubuerunt, hoc est, qui Missas (si fuêre Sacerdotes) flagrantiori in Christum Dominum amore & reverentiâ celebrarunt. Et (si Laïci extitere) cum synceriori corde, cum pleniori fide, cum majori metu & reverentiâ, cum majori contritionis & pœnitentiæ sensu (quam tepidi Christiani soleant) sacris earumdem Missarum mysteriis interfuêre, qui uberiores eleëmosynas in pauperes contulerunt, & alacriùs & synceriùs illatas injurias condonarunt, ita ut non solum sese calumniatoribus & persecutoribus ignoscentissimos præbuerint, verum etiam ipsis inopiâ, vel aliâ quapiam calamitate conflictatis promptam & generosam opem attulerint: qui denique acerrimas Purgatorii pœnas piis laboribus & operibus antevertere studuerint.

QUÆSTIUNCULA III.

Quo pacto quis in hac vitâ acerrimas Purgatorii pœnas antevertere queat?

RESpondeo per opera à nobis proximè enumerata id factitari posse, & reverà ab piis hominibus ita factitari: quam praxim vir Christianus paulò perfectiùs, & nobiliùs colere potest, si libri aurei Authorem sic loquentem audire & sequi voluerit: Habet magnum, inquit, & salutare Purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias plus dolet de alterius malitiâ, quam de suâ injuriâ: qui pro contrariantibus sibi libenter orat, & ex corde culpas indulget, qui veniam ab aliis petere non retardat: qui faciliùs miseretur, quam irascitur: qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, & carnem omninò spiritui subjugare conatur. Hactenùs Author aurei illius libelli quem

omnes

omnium Ordinum homines, veluti de cælo delapsum (ex quo prodiit) pari ad amorem reverentiâ sunt prosecuti.

Quæstiuncula IV.

Utrùm mali Sacerdotis Missa sacrificii valorem impediat?

RESpondeo sacrificii valorem non pendere ab improbo Sacerdote, cujus ideò improbitas nihil officit sacrificio, & ejus valori, & valoris applicationi, utpotè quæ ab ipso Christo, Sacerdote primario & Catholico pendeat, & proficiscatur. Cum enim valeat præfatum sacrificium ad bona spiritualia, primò & per se, & ad temporalia secundariò (quatenùs ad hujus vitæ subsidium pertinent) consequenda, & prætereà ad expiandas præteritorum peccatorum pœnas valeat, ita ut per idem ipsum sacrificium hujusmodi bona triplici præsertim modo, per modum scilicet meriti, per modum satisfactionis, & denique per modum impetrationis, seu suffragii conferantur; id totum Christo utpote uni & soli Redemptionis & meriti Mediatori acceptum referri necesse est: Itaut nemo Sacerdos, quantumvis bonus, aut malus, sibi quicquam hac in parte arrogare possit. Siquidem sicut ad opus operatum, ut loquuntur Theologi, id est, ad virtutem Sacramentis, & præfato sacrificio ex vi divinæ institutionis inditam, nihil adjicit Sacerdotis quantumvis boni & sancti probitas: Ita ex ipso opere operato nihil Sacerdotis quantumvis flagitiosi decerpit improbitas. Nam

1. Bona spiritualia ex ipso sacrificio, sic tamquam ex fonte prosiliunt. Cujus enim oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim, eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ. Si nimirum cum vero corde, & rectâ fide, cum met[illegible] reverentiâ, contriti & pœnitentes, cum ipsi [illegible]mus interfuturi, accedamus ad Deum, ut declarat Concilium Tridentinum, sess. 22. de sacrificio Missæ, c. 2.

Quid quod veri Christiani, qui in debitâ præparatione animi, seu charitate se sistunt augustissimo Christianorum sacrificio, nec-non gratiæ cælestis accessionem de condigno promerentur: & reipsâ percipiunt plus vel minus juxta mensuram charitatis, quâ Deum propter semetipsum, & proximum propter Deum prosequuntur & diligunt: qualiscunque sit improbi Sacerdotis nequitia, quod spectat ad bona temporalia per modum meriti de congruo conferuntur in hoc sacrificio, quatenùs ad corporis sustentationem & ad comparandum salutis æternæ meritum inserviunt.

2. Per illud ipsum sacrificium, quod est verè propitiatorium nobis confertur satisfaciendi vis & efficacia, cujus beneficio divinæ Justitiæ satisfaciamus, & reipsa pœnæ nostris peccatis levioribus pariter & gravioribus debitæ satisfacimus.

Tertio denique modo, id est, per modum impetrationis, seu suffragii sacrificia, eleemosynas, orationes; & alia id genus pietatis opera deliberatâ intentione transferimus in defunctos, ut pœnarum, quas in Purgatorii flammis perferunt, remissionem indulgente Deo percipiant. Cum enim fideles Deum per modum meriti & satisfactionis hac in vita promereri possint, sola impetrationis via relicta est mortuis, ut ad illius fruitionem perveniant.

Quæstiuncula V.

Utrùm orationes boni Sacerdotis inter sacra mysteria prolatæ magis prosint, quam orationes mali Sacerdotis.

RESpondeo, ut solvatur hæc Quæstiuncula, duo esse maximè consideranda, Sacramentum scilicet & orationes, quæ in conficiendo & percipiendo Sacramento (quod in Missâ primario spectari necesse est,) ab utroque Sacerdote, bono nimirum & improbo proferuntur. Quod si Sacramenti dumtaxat ratio habeatur, non minùs improbi Sacerdotis Missa quam boni Sacerdotis Missa valet, eò nomine quod ab utroque conficiatur idem Sacramentum, & idem sacrificium in Christi personâ, & nomine offeratur. Quod autem spectat ad orationes quæ in mysteriorum celebratione recitantur, bifariam considerari possunt: Uno nempè modo, in quantum ex orantis Sacerdotis devotione efficaciam trahunt: Et in hoc sensu nemini dubium est, quin ex boni Sacerdotis Missâ plures, & uberiores existant fructus, quam ex sacrificio ab improbo Sacerdote oblato oriantur.

Alio modo hujusmodi orationes considerari necesse est, prout ab Sacerdote etiam nefario in personâ totius Ecclesiæ proferuntur. Cum enim consecret malus Sacerdos, & conficiat Eucharistiæ Sacramentum, non virtute propriâ, sed sicut Minister Christi, in cujus personâ divinis mysteriis operatur, nec creditum ipsi tale ministerium ob ejus peccata sit abrogatum, & ideò in ejusdem Christi personâ, & totius Ecclesiæ personâ sacrificet, inter sacrificandum preces ab ipsâ Ecclesiâ ex traditione Apostolicâ constitutas adhibeat, nemini dubium esse debet, quin orationes, quas in Missâ profert, & aliæ quælibet, quas recitat in Ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ, expectatam Christianis Catholicis, vivis pariter & defunctis utilitatem afferunt. Aliter philosophari oportet de privatis ejusdem improbi Sacerdotis orationibus, quæ non nisi execrabiles haberi possunt juxta illud Proverb. 28. qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

Ac reipsâ quidem quis credat acceptandas à Deo orationes quorumdam Sacerdotum, qui quasi mercaturam facerent, suas Missas venditant, nec nisi raró divina mysteria celebrarent, nisi eos ad ea celebranda honorarii spes alliceret, Hi nempè sunt Simoniaci, sicut & alii, qui cum justum honorarium ad ministrorum sustentationem assignatum acceperint, illud præmordent, & ejus partem fortè mediam decerpunt, & aliis Sacerdotibus minori pretio celebraturis residuam ejus portiunculam impertiunt. Quis, inquam, credat ab ipso Deo exauditum iri preces quorumdam Sacerdotum unum dumtaxat lucrum in omni Ecclesiæ ministerio anhelantium, qui cum receperint ab pluribus plura honoraria, uno Sacro se omnibus & singulis satisfacere contra plurésque omnes Theologos existimant, & mortaliter peccant. Non hîc persequimur omnia Sacerdotum vitia, quæ perstrinximus alibi. Hoc unum scilicet monuisse sat erit, ne quis scilicet Sacerdotium impulsu avaritiæ, undè omnium malorum in omni statu, & præsertim in Ecclesiâ Dei Seminarium existit, propositâ æternæ damnationis pœnâ capessere audeat.

Quod spectat ad tertium dogma, certum est Deum suffragia pro defunctis oblata in quoslibet defunctos dividere, prout dividenda judicaverit.

Quæstio XXXVII.

Utrùm sint aliqui dies in quibus Sacerdotes ab celebrando aliquâ lege abstinere teneantur?

Nemini dubium est, quin Sacerdotibus (si cætera sint paria) quotidiè celebrare liceat, ut patet ex Canone Concilii Cabilonensis relato in Corpus Juris Canonici. & quem legere est de consecrat. dist. 2. n. 72. sed difficultas de tribus potissimùm diebus, Feriâ scilicet quintâ in Cœnâ Domini, Feriâ sextâ in Parasceve, & Sabbato sancto, & quæritur utrùm illis diebus cuilibet Sacerdoti celebrare liceat.

Ut brevitati consulamus, dicimus olim privatos Sacerdotes toto illo triduo ab sacrificando abstinuisse, nunc verò alicubi ista consuetudo viridi adhuc observantiâ colitur, alicubi non observatur. Itaque unumquemque locorum, in quibus degit, consuetudini insistere posse & debere, nemo cordatus inficiari voluerit.

Tota ergo difficultas vertitur in Feriâ VI. in Parasceve. Utrùm scilicet quilibet Sacerdos illo ipso die ab celebrando abstinere aliquâ lege teneatur. Hac de re esto

Unica Conclusio.

Non est dubium quin Sacerdotes omnes Feriâ VI. in Parasceve ab celebratione Missarum abstinere debeant, vel præcepti Ecclesiastici vi, vel saltem aliquâ consuetudine, quæ multis volventibus sæculis legis vim obtinuerit.

Hujus Conclusionis probationem ab ipsâ jam tùm origine repetere juvat, Innocentius Papa I. id quod dicimus testatus est in Epist. 1. ad Decentium Eugub. Episc. inscriptâ cap. 4. Feriâ sextâ, inquit, propter Passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter lætitiam atque tristitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat Apostulos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse. Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari. Non nunc primùm igitur viget illa non celebrandi Feriâ sextâ in Parasceve consuetudo, cujus meminit præfatus Pontifex, qui sedere cœpit anno Redempt. 402.

Hujus Pontificis verba recitat Amalarius Fortunatus Treverensis Episcopus lib. 1. de Eccl. offic. cap. 13. Hic, inquit, dicendum est, ex Decretalibus Innocentii Papæ, quare Missa non cantetur in Feriâ sextâ & septimâ. Nam utique, inquit, constat Apostolos biduo isto in tristitiâ & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse, quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari. Orationes tantum leguntur. Ob hoc quoque non canitur Missa, quia in hac die Dominus seipsum obtulit, & ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium. Hæc ille.

Idem asserit Albinus Flaccus lib. de officiis divinis sub tit. Feria sexta, quæ & Parasceve, ubi & ipsissima Innocentii Papæ I. verba repetit.

Idipsum repetit Rabanus Maurus (qui & citat Innocentium Papam I.) lib. 2. de instit. Clericorum, cap. 37. de Parasceve.

Cur autem Ecclesia Feriâ sextâ in Parasceve Sacerdotes ab mysteriorum celebratione abstinere jubeat, luculenter explicat Rupertus Abbas Tuitiensis lib 6. de divin. officiis cap. 2. in quo quærit cur in Parasceve Missa non canretur: De hac, inquit, die primum illud quæritur cur officium non habeat, imò (quod maximè mirum videtur) cur à Missarum solemniis vacet, cum Passio Dominica, quæ hac die celebrata est, sacrificii principium, nostræque salutis summa sit. Videretur namque jure tanta res solemnibus summè celebranda esse gaudiis. Si enim Martyris unius cujuslibet annua dies, quâ per Passionem mortis ad immortalitatis gloriam transmigravit, festivis honoratur gaudiis; & meritò, quia pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: cur dies hæc solemnium gaudiorum orbata est instrumentis, quâ Martyrum & Sanctorum omnium Rex Sanctis omnibus antiquis & novis per mortem suam paradisum aperuerit. Quæritur ergo cur adeò publicis gaudiis exempta sit, ut nec Missarum lætitiam ordinis Ecclesiastici authoritas illi ascripserit. Unde consulto gratiæ celestis oraculo breviter aliquid super hoc Capitulo dicendum est.

Gloriari quidem, ut Apostolus ait, nos oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, & in gratiâ tanti pretii, quod pro nostrâ redemptione datum est, fideliter cunctis posthabitis exultare gaudiis. Sed sunt aliqua quæ gloriam hanc & exultationem nostram minuunt, nimiumque obnubilant.

Primum nostræ conscientia causæ, propter quam imperiosa sanctæ Trinitatis charitas hominem tantæ reverentiæ, tantæque dignitatis, qui cum Deo Verbo una persona est, hominem innocentem & morti nihil debentem, morti addixit, sicut Apostolus ait, Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim ita gaudere debemus de gratiâ tradentis, vel de charitate morientis, ut non etiam doleamus, quod tanto Domino tormentorum & mortis causa fuimus. Siquidem non gaudere ingratitudinis; non dolere autem crudelitatis est. Et longè post.

Igitur nostræ, ut suprà dictum est, conscientia culpæ gaudium nostrum reverberat, ut non exultemus hac die, sed ambulemus demisso capite; quia vulnera illa nostra fecerunt crimina, quia contumaces servi commisimus, quod vapulat ille omnium Dominus, quia quæ exolvit, nos rapuimus. Deinde Evangelicæ quoque authoritatis est, & ex Domini dictis accepimus, ut hac die gaudere Judæis relinquamus, & nos contristemur. Nam cum dixisset: *Modicum & jam non videbitis me*, secutus adjunxit: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Hactenus Rupertus loco citato.

Quid quod affirmare possumus Missæ sacrificium in Parasceve non offerri, eo quod sacrificium Missæ & sacrificium Crucis, sit unum & idem sacrificium à semetipso solâ offerendi ratione distinctum. Ideò ab summo & solo Sacerdote primario sacrificium Crucis oblatum in Parasceve offerri, non autem eodem die ab Apostolis licet pridiè mortem Christi in Sacerdotes inauguratis continuari debuit: Ut omnibus Christianis innotesceret sacrificium Crucis esse sacrificium primitium, sacrificium Redemptionis primariæ & originariæ, ad quod sicut omnia veteris Testamenti sacrificia tam interna quam externa relata fuerant, ita & ad illud omnia pariter novi Testamenti sacrificia, tam interna, quam externa referenda erant: atque adeò illud solum Feriâ VI. in Parasceve oblatum oportuit, ut perfectum haberemus & cognitum esse dumtaxat Sacerdotem summum & unicum, propriè loquendo, sacrificium, cui omnium cælestium donorum genera, quæ ad nos jugiter derivantur, accepta referimus.

Quæ veritas, ut altiùs fidelium cordibus infigeretur, Ecclesia edocta traditione ab Apostolis procul dubio transmissâ suos Sacerdotes Feriâ sextâ in Parasceve ab celebrando abstinere voluit, ut omnes Christiani Catholici aspicerent in authorem Fidei & consummatorem Jesum, velut in Sacerdotem unum & Catholicum, ut appellatur ab Tertulliano: quippè qui unâ sui oblatione consummaret in sempiternum sanctificatos

atque ita sibi uni debitam Redemptionis gloriam nemini prorsùs communicandam assereret.

Quæstio XXXVIII.

Utrùm in Feriâ VI. in Parasceve communicare liceat?

EX eâ quam modo discussimus Quæstione enascitur altera: Utrùm scilicet in eadem Feriâ VI. in Parasceve Clericis & Laicis communicare liceat.

Huic Quæstioni satisfaciet quisquis personarum secundam & adversam valetudinem expendere voluerit. Si enim aliqui sint gravi morbo conflictati, & ad extremam vitæ lineam propemodum adacti, nemini dubium est, quin in ipsâ etiam Feriâ VI. in Parasceve Corpus Christi petere & percipere possint, & debeant, ut pateant Ecclesiæ præcipienti, ne quis fidelis ex isto demigret sæculo, quin prius saluberrimo Corporis Christi Viatico muniatur. Quod cum multis argumentis probari possit, maximè probatur ex Missalis Romani rubricâ in Feriâ V. in Cœnâ Domini, quæ talis est: Hodiè reservat Sacerdos in loco honesto & convenienter unam Hostiam consecratam pro die sequente, in quo non conficitur, vel etiam plures, si necesse fuerit, pro infirmis. Hæc ibi.

Idipsum rectè probatur ex generali & constantissimâ Ecclesiæ consuetudine, quæ jam vim legis obtinuit: id enim diuturnâ consuetudine sancitum est, ut nemo integrâ valetudine in Parasceve Corpus Christi petere & percipere præsumat: siquidem eo duntaxat privilegio gaudent Sacerdotes, quibus utpotè divino Officio fungentibus eâ die Corpus Christi, non consecrare, sed pridiè consecratum percipere, & sub unâ duntaxat specie communicare concessum est.

Cæteris autem, tam Clericis quam Laïcis communionem in dictâ Feriâ VI. sumere non licet, ut patet ex Concilio Toletano IV. ex septuaginta Episcopis conflato, & anno Redemptoris 633. celebrato. Cujus Canon VI. de Feriâ VI. in Parasceve sic statuit: Oportet (verba sunt Concilii) in die sextæ Feriæ Passionis Domini mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clarâ voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereamur, Corporisque ejus & Sanguinis Sacramentum mundi à peccato sumamus. Hæc ibi.

Vult ergo Concilium Christi Passionem in ipsâ Feriâ VI. prædicari, & populum ad flagitandam peccatorum remissionem duntaxat incitari. Cum enim de Christi Corpore in ipsâ Feriâ VI. percipiendo nihil dicat, imò ejus perceptionem in diem resurgenti Christo sacrum recipiendam esse decernat, illud in dictâ Feriâ non oportere percipi, satis superque significat.

Jam de his satis. Ut igitur liberemus fidem, & sacro sanctum Missæ sacrificium ab Hæreticis tanta audacia, quantam novimus, impugnari solitum ab eorum calumniis asseramus, nonnulla capita ad ejus fidem apprimè pertinentia ineluctabili traditionis authoritate astruere necesse est. Sit igitur

---

Quæstio XXXIX.

Quid ab omni ævo Ecclesia docuerit de Missæ Canone, in quem tam impudenter grassantur Hæretici?

HAc de re sua sensa luculenter aperit ipsamet Ecclesia in Spiritu sancto in Tridentinâ Synodo congregata. Et cum sancta sanctè, inquit, administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium Ecclesia Catholica, ut dignè & reverenter offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Hactenùs Concilium Tridentinum sess. 22. de sacrif. Missæ, c. 4.

Hoc Decretum idem Concilium sanxit & munivit, ejusd. session. can. 6. in hæc verba concepto: si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, Anathema sit.

Ex his sacrosanctæ Synodi Tridentinæ verbis tria inferuntur quæ ad debellanda Hæreticorum circa Missæ sacrificium commenta maximè conferunt. Nam colligimus

1. Missæ Canonem constare ex ipsis Domini verbis:
2. Ex Apostolorum traditionibus.
3. Denique ex piis SS. Pontificum institutionibus.

Quod spectat ad primum caput, sacrum nempè Canonem constare ex ipsis Domini verbis evidentius & illustrius est, quam ut pluribus probari debeat. Id enim liquidò S. Paulus 1. Corinth. cap. 11. v. 23. & seqq. ubi contestatur Apostolus se accepisse à Domino quod & Corinthiis, & in ipsorum personâ universis fidelibus tradidit: *Quoniam Dominus Jesus &c. accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc est enim Corpus meum quod pro vobis tradetur, &c. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite, quotiescumque biberitis in meam commemorationem, &c.*

In his verbis continetur essentia Missæ, & præcipua Canonis pars, atque adeò perperàm contendunt Hæretici Missam non à Christo institutam, sed à Romanis Pontificibus excogitatam, & in orbem Christianum importatam esse, hoc enim falsissimum esse, & Catholicæ Fidei contrarium nemo non videt. Neque enim Apostoli & Romani Pontifices ullum Sacramentum, aut sacrificium instituerunt, aut instituere potuerunt. Hæc enim potestas in unum duntaxat Christum, utpotè Pontificem magnum & solum novi Testamenti Sacerdotem secluso quolibet alio, convenit. Et id est de Fide.

Si tamen adversarii remotâ altercationum aviditate velint adhærescere ad traditionem, ex ipsâ discent Canonem seu ordinem Missæ, vel orationum quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, ab S. Petro institutum esse, ut testatur S. Isidorus Hispalensis lib. 1. de div. officiis cap. 15.

Quod & affirmat Walafridus Strabo in lib. de rebus Ecclesiast. cap. 22. *Multi*, inquit, *apud Græcos & Latinos Missæ ordinem ut sibi visum est, statuerunt & Romani quidem usum observationum à B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua judicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideò in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per orbem Ecclesia æquè ut Romana ab omni fæce hæreseon cunctis retrò temporibus pura permansit.* Hæc ille.

Igitur omnes Catholici credunt sanctum Petrum, qui ab antiquis radix Hierarchiæ Ecclesiasticæ & fons Ordinis Sacerdotalis singulari elogio denominatur, instituisse ordinem seu regulam in mysteriorum celebratione servandam, & Apostolis tradidisse, & Apostolos aliis communicasse, atque ita hunc ordinem seu Canonem ex Apostolicâ traditione transmissum, ad nostra usque tempora in toto terrarum orbe perseverasse.

Reverà non est improbabilis opinio quorundam Theologorum aientium in ipso Pentecostes die omnes Apostolos unà cum sancto Petro primi illius

sacrificii auspice, & Coryphæo celebrasse, & Spiritum sanctum qui scientiam habet vocis, & linguæ gubernacula convenienter ad scopum sibi propositum moderatur, ita temperasse omnium Apostolorum vocem & pronunciationem, ut nemo alterum in essentialibus sacrificii verbis anteverteret, atque ita conjunctim universi unam, eamdemque Hostiam uno ore & uno animo consecrarent, atque adeò unum dumtaxat sacrificium peragerent.

Undè opinantur plerique ex primâ illâ primi sacrificii post Christi Ascensionem ab Apostolis peractâ celebratione profluxisse consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, in quâ novi Sacerdotes in suâ ipsâ ordinatione unà cum Episcopo, à quo sunt ordinati, divina mysteria conficiunt. Quemadmodum igitur Episcopi unà cum Ordinatis celebrant, non solùm ut susceptum Ordinem exerceant, sed etiam ut debitam illius exercendi rationem duceantur; Ita Apostoli jam à Christo Domino in Cœnâ in Sacerdotium assumpti celebrarunt unà cum S. Petro, ut ex illo præcipuum sui Sacerdotii munus, id est, sacrificium peragendi legitimam rationem perdiscerent.

Quod ut planum fiat, observandum est cum sancto Proclo Patriarchâ Constantinopolitano, Apostolos habuisse Liturgiam quam fidelibus tradiderunt. Basilius Magnus, inquit ipse Proclus, eum hominum Liturgiæ prolixitatem fastidientium oscitantiam, & propensionem perspiceret (non quod longam & prolixam eam ipse esse arbitraretur, sed ut tam audientium, quam unà orantium commodo consuleret, eorumque socordiam ex longioris temporis morâ promanantem castigaret, penitusque tolleret) redactam in compendium Ecclesiæ recitandam exhibuit. Postquam servator noster in cælum assumptus est, Apostoli priusquam per orbem terrarum dispergerentur, conspirantibus animis ad toto die orandum convertebantur, & cum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis sacrificio positam invenissent, fusissimè & longâ oratione Liturgiam decantabant. Hæc enim divina, unà cum docendi ratione conjuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant, atque majori & alacriori rerum divinarum, & sacrificii sacro-sancti studio & desiderio flagrabant, & illud prolixè amplectebantur, quod in memoriâ semper haberent illud verbum Domini dicentis: *Hoc est Corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem*, &, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Quare & contrito spiritu multas preces decantabant, divinum numen impensè orantes. Enimverò tam ex Judæis quam ex gentibus, eos qui recens illuminati erant, iis quæ ad gratiam consequendam faciebant, assuefacientes, quæque ante donum gratiæ omittenda docentes, piè informarunt.

Per has itaque preces Spiritûs sancti adventum expectabant, ut ejus divina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum, aquæ permixtum, ipsum illud Corpus & Sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus observatur ad hoc usque tempus, & ad finem usque sæculi manebit, sed qui posteà ardore & constantiâ Fidei abjectâ, actionibus & curis sæculi hujus intenti prolixitatem, ut dixi, Liturgiæ fastidire cœperunt, vix ac ne vix quidem poterunt adduci, ut divinæ Dominicorum verborum recitationi interessent. Quâre quoque permotus Dominus Basilius, ut huic malo medicinam inveniret, rationem & methodum recitandi quam brevissimè posset, tradidit. Paulò post beatus Pater noster Joannes, qui propter aureum eloquentiæ flumen auream dicitur habere linguam, de ovium salute, ut Pastorem decet, unicè sollicitus, tanquemque imbecillitatis naturæ humanæ habens, omnem excusationis ansam & satanicum prætextum radicitus evellere studuit. Multa itaque sustulit, brevioremque peragendi modum præscripsit, ne mox homines libertatis & otii potissimum amantes, adversarii disputationibus circumventi ab hac tali Apostolicâ & divinâ traditione abducerentur, quemadmodum haud pauci in hodiernum diem multis in partibus, hoc ipsum tentasse sæpissimè deprehensi fuerunt.

Hactenus sanctus Proclus docuit Apostolos habuisse Liturgiam, id est, Canonem, seu regulam quâ utebantur, & quam cæteris Episcopis & aliis Sacerdotibus tradiderunt, & quam sanctus Basilius, & sanctus Joannes Chrysostomus contraxere, ne taedio prolixiorum orationum, quæ in sacris mysteriis fundebantur, fastidio deterriti, & adversariorum disputationibus & præstigiis itterim ab Apostolicâ & divinâ traditione sancto sanctum Missæ sacrificium sanciente abducerentur.

Huic igitur Authori antiquissimo, & ab Calvinistarum ætate remotissimo utpotè qui in v. sæculo, id est, anno Redemptionis circiter 444. floruit, eo nimirùm anno cum in Ecclesiâ Constantinopolitanâ Pontificali fungeretur officio, celeberrimum illud Trisagion, nempè sanctus Deus, sanctus fortis sanctus immortalis, ab Angelo & ab puero coram Theodosio juniore, & omni populo tunc primum decantatum est. Hoc ejusdem Procli testimonium excerptum est ex Epistolâ, quam conscripsit de traditione divinæ Liturgiæ, ut legere est in Bibliothecâ Patrum tom. v. part. 1.

Hoc ipsum, id est, Missæ Canonem ab Apostolis traditum ante sanctum Proclum luculenter asseruerat sanctus Cælestinus Papa I. in præclarâ illâ pro Beato Augustino de gratia Dei ad Gallorum Episcopos Epistolâ: sic enim loquitur: *Obsecrationum*, inquit, *Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita toto mundo, atque in omni Catholicâ Ecclesiâ uniformiter celebrantur, ut Legem credendi Lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium Præsules mandatâ sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam.* Hactenus sanctissimus ille Pontifex qui ineunte v. Ecclesiæ sæculo floruit, id est, ab anno Redemptoris 424. quo Pontificatum iniit usque ad 432. quo devixit in Epistolæ citatæ cap. 10.

Idipsum confirmat Vigilius, qui Pontificatum iniit anno Redemptoris 540. & obiit anno ejusdem Redemptoris 554. sic enim loquitur in Epistolâ ad Eleutherium inscriptâ (quæ in ejus Epistolis secunda numeratur) *Ordinem quoque precum*, inquit, *in celebritate Missarum nullo nos tempore, nullâ festivitate, significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties verò Paschalis aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitalia diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus quorum Natalitia celebramus; Cætera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius Canonicæ precis textum direximus, subter adjectum, quem, Deo propitio, ex Apostolicâ traditione suscepimus.* Hæc ibi.

Illud ipsum quod hactenùs de Missæ Canone affirmavimus, affirmat & Innocentius Papa tertius, qui Concilium Tridentinum trecentis & quinquaginta annis antecessit: Interrogatus enim ab Joanne, qui abdicato Lugdunensi Archiepiscopatu ad Clarævallenses Monachos aggregatus est, de quibusdam verbis in Canonem insertis, quorum tamen nullus Evangelista meminit: Cur scilicet in ipsum Canonem inserta essent hæc tria: Primum cur in Consecratione Calicis, addita essent hæc verba: *Mysterium Fidei*: secundum, cur & ita, *elevatis oculis in cælum*: Tertium denique, cur & in ejusdem Calicis consecratione addita essent hæc verba: *Æterni Testamenti*.

Antequam hujusmodi quæstionibus responderet præ-

fatus Pontifex, præmittit hæc verba ad astruendam traditionis Apostolicæ veritatem imprimis idonea. *Sanè multa*, inquit, *tam de verbis quam de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli, vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur.*

Posteà respondet tribus illis quæstionibus, suamque responsionem claudit pulcherrimis hisce vocibus: *Credimus igitur*, inquit, *quod formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint Successores.* Hæc & alia legere est in Decretalibus Gregorii l. 3. de celebratione Missarum Tit. 41. cap. 6. cujus initium est, Cum Marthæ fol. 1367. & seqq.

Ex his igitur constat perperàm ab Hæreticis argui, & perstringi Concilium Trident. eo nomine quod dixerit sacrum Missæ Canonem constare ex ipsissimis Christi verbis, ex Apostolorum traditionibus, & ex piis SS. Pontificum institutionibus. Quod cum ita sit, ut proximè probavimus, an audent Heterodoxi affirmare pari ad impudentiam ignorantiâ prædictum Canonem continere errores? Vix id in animum induco meum. Vel enim existimati illi errores scaturient ex Christi verbis, vel ex Apostolorum traditione, quod nemo Hæreticus concesserit: vel prosilient ex piis SS. Pontificum institutionibus, quod dicere nequeunt, quin pugnantia loquantur. Nam adventitias Missæ & Canonis partes ascribunt sanctissimis Pontificibus, qui quidem maximam partem quinque prioribus ab Redemptoris ortu sæculis, id est iisdem ipsis temporibus quibus Ecclesia Apostolicæ doctrinæ citra mutationem retinentissima nondum ab primævâ puritate & sanctimoniâ desciverat, ut profitetur ipse Calvinus. Dicam ampliùs inconcussa illa Ecclesiæ puritas & fides propagata est ad ipsa S. Gregorii Papæ I. tempora quem Calvinus sanctissimum virum, & verum Ecclesiæ Pontificem appellat.

Cum igitur S. Gregorius Pontificatum inierit anno Redemptoris 590 & sedem Apostolicam insederit totis tredecim annis cum semestri, & diebus octo, Missa cum omnibus suis partibus celebrata fuerit ab Apostolicis temporibus usque ad ætatem S. Gregorii, ut ipsimet fatentur adversarii, & aliundè, ipsis etiam annuentibus, Ecclesia tunc temporis in Apostolicæ doctrinæ syncerâ puritate perstiterit, nullo pacto inficiari possunt, quin Missa fuerit pura & sancta, quæ nihil Dei verbo contrarium contineret, utpotè quæ ab Apostolis celebrata, ab Apostolis prædicata, ab ipsis denique Apostolis fidelibus non solùm vivæ vocis oraculo, sed etiam scripto tradita fuerit, atque ita ad omnium gentium notitiam religionemque pervenerit.

Eant sanè Hæretici, accidentaria quæpiam adjuncta primis & antiquissimis Pontificibus ascribant, dicant panem azymum Alexandri Papæ I. Decreto attribuant, corporalium usum Sixto Papæ I. Angelicum hymnum Telesphoro; Calices aureus, argenteos, & ex metallo solido cusos Urbano Papæ I. Symbolum Nicænum summo Pontifici Marco; Confessionem Damaso Papæ I. porrectionem pacis Innocentio Papæ I. Antiphonas, Introïtum cum gradualibus S. Cælestino Papæ I. Kyrie eleyson, Alleluia, & Offertorium S. Gregorio Papæ I. Agnus Dei Sergio; atque ita cæteras partes summis Pontificibus S. Petri Successoribus acceptas referant, per nos licebit.

Quod spectat ad Canonem, dicant Alexandrum Papam I. illi ipsi Canoni inseruisse hæc verba: *Qui pridiè quàm pateretur:* dicant Siricium Papam illi addidisse, *Communicantes, & memoriam venerantes*, velut verba omni sensu carituta, nisi primam orationem continuare dicerentur: dicant Gelasium Carthaginensi Canoni omnes Ecclesiæ orationes ad Patrem per Christum dirigere jubenti pariturum, decantato vulgari Trisagio Canoni addidisse, *Clementissime Pater per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum*, cum anteà ter prolato *Sanctus*, &c. Canon ab his verbis inchoaretur: *Te igitur supplices petimus, ac rogamus*, &c. Dicant S. Leonem huic precationi: *Hanc igitur oblationem*, addidisse *servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*; cum anteà legeretur simpliciter: *hanc igitur oblationem quæsumus Domine, ut placatus accipias:* Asserant præterea S. Gregorium Papam I. adjecisse has voces: *diesque nostros in tuâ pace disponas*, &c. Siquidem id testificantur Authores locupletissimi, Joannes scilicet Diaconus in ejusdem Gregorii vitâ lib. 2. cap. 18. Item Beda lib. 2. Ecclesiasticæ Anglorum Historiæ cap. 1. In ipsâ, inquit, Missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena superadjecit, *diesque nostros in tuâ pace disponas, atque ab æternâ damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Hæc ab S. Gregorio in Canonem inserta affirmat Amalarius Fortunatus lib. 3. de Ecclesiast. Officiis cap. 23. & Berno de Officio Missæ cap. 13. & alii: S. Leo ad finem orationis, *Supra quæ propitio ac sereno vultu*, &c. Hisce verbis, *Summus Sacerdos tuus Melchisedech*, addidit, *Sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.*

Hæc, inquam, & similia dicant Heterodoxi, adeo nihil officient Catholicæ veritati, ut eam etiam solidè & insigniter astruant.

Cum enim omnia vel certè multa Missæ adjuncta ad primos, & antiquissimos Pontifices qui Ecclesiam nullis adhuc erroribus infuscatam, ut ipsi fatentur, referant, nihil aliud probant quam sacro-sanctum Missæ sacrificium ab enumeratorum Pontificum temporibus, id est quinque primis Ecclesiæ sæculis, imò usque ad ipsa S. Gregorii tempora, quibus nulli adhuc errores, ut fatentur ipsi, Ecclesiam Romanam infecerant, fuisse in toto orbe Christiano celebratum, sic tamquam à Christo institutum, & ab Apostolis universis fidelibus longè lateque traditum, & sic ad nos continuato incorruptæ traditionis alveo derivatum.

Quod si objiciant Heterodoxi ea quæ sunt divinitùs instituta non mutari identidem, sed semper integra persistere, utpotè quæ profecta sunt ab eo, apud quem nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio: Missæ autem sacrificium, seu potiùs istius sacrificii ordinem per varias additiones, detractiones, sectiones, & nupera instituta sæpissimè mutatum esse: idque comprobari plurium varietate liturgiarum, quæ faciunt ut Missa nec ab Christo instituta, nec ab Apostolis tradita censeatur.

Hujusmodi objectio facili negotio dissolvitur. Concedimus enim ea quæ sunt divinitùs instituta non mutari quoad institutionis substantiam. & contendimus sacrificii Missæ substantiam in utriusque speciei consecratione per ipsa verba Christi factitandâ posita nullam mutationem esse passam, ex quo Apostolis primis novi Testamenti Sacerdotibus ab ipso Christo est tradita, & ab Apostolis populo Dei est communicata, & per continuatam traditionis seriem in omnes orbis Ecclesias propagata. Non equidem inficiamur repertas esse quasdam liturgias, quibus nonnulla vel temerario quorumdam sciolorum ausu inserta, & parum tanti mysterii sanctitati congruentia nonnulli Pontifices detraxere, neque negamus quædam ab aliis addita, quibus vel tanti sacrificii dignitas, & amplitudo fidelibus efficaciùs commendata majorem pietatis religionisque sensum eorum animis ingeneraret: Ita tamen ut cælestium mysteriorum substantia a Christo commendata imperataque, & ab Apostolis tradita nihil ex his, vel detractionibus, vel accessionibus detrimenti caperet.

His ita probatis inconcussum maneat sacro-sanctæ Synodi Tridentini effatum, quo sacrum Missæ Canonem ex ipsis Christi verbis, ex Apostolorum traditionibus, ex piis denique sanctorum Pontificum institutionibus constare frementibus licet Heterodoxis toti orbi Christiano declaravit.

Quæstio XL.

Quid ex probatis hactenùs adversus Heterodoxos inferri queat?

Respondeo ex dictis de Canone ex verbis Christi, ex Apostolorum traditione, & ex piis denique Sanctorum Pontificum institutionibus constante, hoc unum erroris cum pertinaciâ defensi argumentum adversus Hæreticos colligi posse, quod Missam ab omni antiquitate approbatam esse fateantur, & tamen eam incredibili cæcitate & malitiâ allatrare non desinant.

Quid quod ipsum quod asserimus, confitentur Heterodoxorum Primicerii. Testis est Lutherus qui I. suæ Babylonis libro liberè profitetur Missæ doctrinam & praxim ab sanctis Patribus, & totius orbis hominibus approbatam esse. Et in Præfat. lib. de approbat. Missæ, non est res parvi momenti tot sæculis, tot hominum judicio, & tantorum virorum authoritati adversari.

Similia propemodùm habet Calvinus 4. suæ Institut. lib. cap. 18. §. 1. 11. 11. & 18. Quamquam ipse inaudito stupore ac vertigine percussus scripserit nullâ unquam validiore machinâ satanam incubuisse ad oppugnandum expugnandumque Christi regnum, quam cum Catholici in stabiliendum Missæ sacrificium incubuerunt. Sed ejus amentia & temeritas retundenda est iisdem verbis, quibus seipsum in locis proximè citatis Lutherus increpat.

An, inquit, solus sapis? totne homines generatim aberrant? an tot sæculorum homines ignorantia circumfudit? Cur eos vocitas sanctos, qui celebravere Missam? Cur Ecclesiam in suâ puritate perstitisse asseris? cur ipsam nullam ab Apostolicis temporibus mutationem, aut vicissitudinem passim esse contendis? cur denique cohærentia non loqueris, & à teipso discrepas?

S. Cyrillus qui trecentis & sexaginta saltem annis ab Redemptoris ortu floruit, an erat vel improbus, vel insanus, cum præcipuas Missæ partes, ut nunc observantur à nobis, in suâ Catechesi mystagogicâ 5. explanaret? An desipiebat S. Ambrosius, cum ab duodecim sæculis & pluribus annis Missæ Canonem ad verbum propemodum lib. 4. de Sacramentis cap. 6. exscriberet? An delirabat S. Augustinus, cum in libro de bono perseverant. c. 13. Canonis partem in testimonium adduceret? An denique S. Cyprianus sui compos esse desierat, cum orationem Dominicam explicans præfationem in Missâ usurpari solitam afferret?

Erasmus in libro de amabili Ecclesiæ concordiâ tam magnificè de Missâ prædicat, ut omnes Heterodoxi ejus verbis de errore convicti resipiscerent, nisi ab ratione, &, quod miserabilius est, ab ipso Deo, quem primi deseruere, deserti, insanabili propemodum vertigine laborarent. Cur Missam, inquit, usquè adeò quidam execrentur, non video: constat psalmodiâ, qui dicitur Introïtus, doxologiâ, precatione, sacris canticis, recitatione verborum Propheticorum aut Apostolicorum, quam vacant Epistolam, recitatione Evangelii, professione Fidei Catholicæ, gratiarum actione, quam vocant Eucharistiam, ac religiosâ commemoratione mortis Dominicæ; Rursùs precationibus, inter quas est precatio Dominica: deindè sequitur pacis Christianæ Symbolum, mox communio, rursùs sacrum canticum & precatio. Postremo loco Sacerdos totum populum velut in suam tutelam receptum Deo, benedictione tradit atque commendat, ut perseveret in affectu pietatis, mutuæque charitatis. Quid in his non pium ac venerandum? Hæc ille.

Cum hactenùs Missæ & Canonis antiquitatem & authoritatem probaverimus, juvat jam aggredi ad cæremonias quas Heterodoxi veluti ridiculas suis cavillis incessere non desinunt. Quod ut fiat, de earum naturâ & divisionibus agere operæpretium est. Sit itaque

Quæstio XLI.

Quomodo definiatur & dividatur cæremonia?

Prima Conclusio.

Cæremonia generatim sumpta definiri potest, ritus religiosus, sive ritus pertinens ad Dei cultum; vel aliter definiri potest, exterior actus religionis aliquid internum & spirituale significans.

Vel respectu sacrificii, vel Sacramenti ad quod adhibetur, definiri potest, ritus religiosus & externus, vel ab Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesiâ institutus, quo vel sacrificium decentiùs & solemniùs celebretur, vel Sacramentum devotiùs & sanctiùs conferatur: & sic tam sacrificium, quàm Sacramentum ad majorem Dei honorem gloriamque referatur.

Ut hujusmodi definitio clarior, & illustrior appareat, observandum est religionem virtutum moralium nobilissimam habere tres actus, quorum primus in eo positus est, ut quis infinitam Dei magnitudinem fide cognitam debito honore & cultu afficere cupiat.

Secundus in eo consistit ut homo internum illum in Deum amorem, & affectum externo quopiam actu, ut puta sacrificio, genoflexione, & aliis id genus religionis Officiis indiciisque testatum faciat. Et hi duo actus dicuntur eliciti, id est ex ipsâ religionis essentiâ profecti & editi. Et hujusmodi est quælibet actio externa, eo uno nomine laudabilis, quod ad Dei cultum, ut par est, referatur.

Tertius religionis actus imperatus dicitur, qui potest cadere in omnes virtutes, quarum actus etiam totidem religionis actus, si modò ab hac præstantissimâ virtute (à quâ sanctitas solâ ratione distinguitur) fuerint imperati. Nam religio dicitur secundùm quòd exhibet Deo debitum famulatum in his, quæ pertinent specialiter ad cultum divinum; sicut in sacrificiis, oblationibus, & aliis hujusmodi. Sanctitas autem dicitur secundum quod homo non solùm hæc, sed aliarum virtutum opera refert in Deum, vel secundùm quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum divinum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 8. in corp.

Quotquot ergo actus ab ipsâ religione ordinantur ad Dei cultum, dicuntur actus religionis, utpotè qui ab ipsâ religione sont imperati: in hunc sensum accipienda sunt ista S. Jacobi verba: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare infirmos & viduas*, &c.

Sic per plura motiva supernaturalia aliqua actio potest exerceri: & sic ubertima meritorum seges comparari: v. g. potest aliquis eleemosynam erogare impulsu charitatis & misericordiæ, hoc motivum illi proprium est; & motivo religionis ad colendum scilicet Christum in personâ pauperis; & motivo pœnitentiæ, ut scilicet pro peccatis satisfaciat; vel orationis motivo, ut scilicet in spiritu humilitatis & Christianæ liberalitatis, aliquam à Deo gratiam flagitet.

Cæremonia igitur est exterior divini cultûs & religionis actio profecta ex ejus Spiritu virtutis, ad quam tam strictè pertinet, ut ad alteram pertinere nequeat.

Cur autem religionem per actus exteriores non quidem primariò, sed quasi secundariò perfici oporteat, egregiè docet S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 7. in corp. Respondeo, inquit, dicendum, quod Deo reverentiam & honorem exhibemus non propter seipsum, qui ex seipso est gloriâ plenus, cui nihil à creaturâ adjici potest: sed propter nos, quia videlicet per hoc quod

Deum reveremur, & honoramus, mens nostra ei subjicitur; & in hoc ejus perfectio consistit: qualibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori: sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, & aer per hoc quod illuminatur à sole. Mens autem humana indiget ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilium manu-doctione: quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ut Apostolus dicit Rom. 1. & ideò in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideò religio habet quidem interiores actus quasi principales, & per se ad religionem pertinentes: exteriores verò actus quasi secundarios & ad interiores actus ordinatos. Hæc ibi sanctus Thomas.

Est ergo cæremonia ritus religiosus non à quolibet, sed ab ipso Deo seu Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesiâ institutus.

Cæremoniæ à Deo institutæ sunt in veteri testamento, ut legere est Deuteron. cap. 7. & alibi: Sicut & à Christo Sacramenta in novo. Revera supponendum est pro fundamento, esse duo cæremoniarum genera: aliæ enim sunt essentiales, quæ pertinent ad Sacramenta, & respiciunt eorum materiam, formam, & intentionem ministri, vel Missam cum Canone, vel Officium divinum, sicut & attentionem & intentionem, quæ illud comitari debet, ut & horarum Canonicarum integritatem & debitam, legitimamque pronuntiationem. Aliæ verò sunt accidentariæ, quæ videlicet ad ordinem, ad tempus, ad modum, & ad decorum (quo sacrificium celebrandum est, & administranda sunt Sacramenta) collineant. De his hîc potissimùm agitur: quarum nonnullas ab Christo usurpatas legimus, ut cum elevatis oculis in Cœlum pridie quam pateretur, divinam illam habuit orationem; quam Joannes Evangelista Evangelii sui cap. 17. commemorat. Quod & illum fecisse, id est oculos in Cœlum elevasse, antequàm sui corporis & sanguinis mysteria institueret, per traditionem accepimus: quod & nos imitari jubemur cum divina mysteria celebramus. Aliæ autem cæremoniæ sunt vel ab Apostolis, vel ab Ecclesiâ institutæ, qualescumque sint, eas à nobis studiosissimè observari necesse est.

Secunda Conclusio.

Præter eam divisionem, quâ cæremoniæ dividuntur in essentiales & accidentarias, ut proximè explanavimus, earum aliæ divisiones petuntur à fine, cujus gratiâ sunt institutæ; Et hic finis triplex assignari potest; nempè justificatio ad quam efficiendam instituta sunt Sacramenta, quæ ut suprà diximus, sunt cæremoniæ essentiales. Vel quidam effectus spirituales ad quos ordinantur aliquæ cæremoniæ; Tales sunt exorcismus, aqua benedicta, & alia quibus Ecclesia dæmones abigere solet; vel denique ornatus & significatio, ut cereorum lumina, &c.

Aliæ divisiones cæremoniarum petuntur à causâ formali, & hæ trifariàm dividi possunt.

Nam 1. quædam immediatè ad Dei cultum pertinent, ut sacrificium, oratio, adoratio.

2. Quædam disponunt ad Dei cultum, ut jejunia, cælibatus, vitæ austeritas.

3. Quædam sunt instrumenta divini cultus, qualia sunt templa, aræ, Calices, &c.

His ita prælibatis jam ad refellendos Hæreticos nostras cæremonias alludere solitos accedamus. Sit itaque

Quæstio XLII.

An Hæretici jure ac meritò Ecclesiæ Catholicæ cæremonias irridere & explodere queant?

Heterodoxis nullæ suppetunt rationes, propter quas Catholicorum cæremonias irridere aut explodere valeant; Si quas enim objicere possent, vel inde peterentur quod remotis vel mutatis hujusmodi cæremoniis nostra mysteria subsistere non possent; vel ideò eas explodendas esse dicerent, eo quod nova sint commenta quorumdam hominum prolubio in Ecclesiam Romanam invecta; vel denique easdem illas cæremonias rejicerent eo nomine, quod viri ad Ecclesiam diviniùs (ut ipsis placet) missi eas omni ex parte reprobatas nullo pacto admiserint. Verum tria hæc argumenta dissolvere, & obterere facillimum est. Sit itaque

Prima Conclusio.

Cum cæremoniæ, de quibus sermo est, ad majorem nostrorum mysteriorum ornatum, solemnitatem & decorum sint institutæ, nec eorumdem mysteriorum substantiam attingant, nullo pacto illa ipsa mysteria labefactant, licet ab eorum celebratione avulsæ fuerint.

Unde ne ipsi quidem adversarii concesserint eum qui ab ipsis confertur, baptismum, alium esse ab eo, qui in primævâ conferebatur Ecclesiâ, cum tamen multas ab eo circumscripserint cæremonias illis temporibus singulari studio & religione observari solitas, ut liquet ex testimonio Magdeburgensium, qui eos fideliter percensendo numerant.

Nam trina immersio in Baptismi celebratione ita observabatur, ut Canonum Apostolicorum quadragesimo nono, in Episcopos, vel Presbyteros qui semel tantùm baptizandos mergerent, depositionis pœna decernatur.

Quem Canonem sic illustrat Theodorus Balsamon: *Statuit*, inquit, *hic Canon, per tres immersiones peragi oportere mysterium sacri Baptismatis, scilicet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: semel autem baptizare propter unitatem Deitatis, & trinitatem personarum. Eum quidem certè, qui per unam immersionem in mortem Domini baptizat, Canon dicit deponendum, ut qui præter Domini doctrinam faciat, & apertè impius sit.* Hæc ille.

Hanc tamen trinæ immersionis consuetudinem, etsi Apostolico Canone denuntiatâ depositionis pœnâ sanciram abrogari voluit S. Gregorius Papa I. ut patet ex ejus Epistolâ 41. ad Leandrum Hispalensem Episcopum inscriptâ propter Arianorum hæresim in Hispaniâ maximè grassantem, ne videlicet hujusmodi Hæretici dum mersiones numerabant, divinitatem dividerent, atque ita de Ecclesiâ Catholicâ eorum errores ardentiùs oppugnante se triumphasse gloriarentur. Tanti Pontificis vestigiis institit, ut par erat, Synodus Toletana IV. quæ, ut erroris ansam præfatis Hæreticis adimeret, unam duntaxat mersionem ad Baptismum sufficere declaravit.

Quarumdam ergo cæremoniarum abrogatio non tollit nostrorum mysteriorum essentiam, ut videre est in Eucharistiâ, quam ab ipsius statim institutione Apostoli sedentes & cœnati perceperunt. Ita tamen ut duarum hujusmodi circumstantiarum mutatione secuta temporibus Ecclesiæ judicio introductâ nihil de venerabilis Eucharistiæ Sacramenti essentiâ detractum fuerit. Perperàm igitur Ecclesiæ Catholicæ cæremonias vellicant, causati scilicet earum omissione divina mysteria labefactari.

Secunda Conclusio.

Inficiari non possunt Heterodoxi, quin quinque prioribus Ecclesiæ sæculis ab omni corruptelâ & errore (ut vel ipsi fatentur) remotissimis, illæ ipsæ quæ nunc coluntur à nobis cæremoniæ, observatæ fuerint.

Synodus Romana II. sub Sylvestro Papâ I. pauló ante Concilium Nicænum I. celebrata enumerat omnes omnium ordinum Ecclesiasticorum gradus, quos etiamnùm in Ecclesiâ cernimus. Nam condit Canones, ad quorum amussim suam vitam componere debent Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Lectores, Ostiarii; quod quidem magno est argumento, & Episcopos, & alios in ejusmodi Canonibus enumeratos incubuisse in cæremonias suo gradui & ordini proprias: ergo cæremoniæ ab multis sæculis in Ecclesiâ viguerunt: alioquin (quod esset insulsissimum) provecti essent ad hujusmodi gradus, nisi quibusdam Officiis sibi propriis fuissent mancipati.

Illud ipsum statuitur in Concilio Carthaginensi, quod est nomine & temporis ordine IV. ab Episcopis quatuordecim supra ducentos sub Anastasio qui hoc anno, id est ann. Redempt. 398. Pontificatum init, celebratum. Nam in ipso agitur de ordinatione Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, ubi & recensentur cæremoniæ, quæ ad hujusmodi hominum ordinationem adhibentur. Hoc ergo Concilium S. Augustini præsentiâ & subscriptione cohonestatum, & ab Leone Papâ III. approbatum perspicuè declarat usum cæremoniarum quæ ab Catholicis etiamnùm usurpantur. Ut videre est in pluribus ejusdem Concilii Canonibus.

Eant sanè Heterodoxi & irrideant cereorum usum, quem ab omni ævo suis in Officiis Ecclesia Catholica retinuit: sed erubescant eum & hanc cæremoniam cum pluribus aliis in ejusmodi Concilio sanciri & commendari audiunt. Siquidem Acolythus cum ordinatur ab Archidiacono accipit ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Præterea accipit & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi, ut præfati Concilii Canone 6. decernitur.

Præterea Concilium Carthaginense nomine V. temporis autem ordine III. ab Episcopis 73. sub Anastasio eodem Redemptoris anno id est 398. habitum, & ab Leone Papâ IV. dist. 20. cap. de libellis approbatum meminit plurium cæremoniarum quæ tunc observabantur. Nam can. 6. mentionem facit de Ecclesiarum consecratione. Item Can. 14. basilicas & altaria, quæ passim per agros & vias tanquam memoriæ martyrum constituebantur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probarentur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt (si fieri posset) evertenda esse statuit. Illis ergo temporibus, quibus adhuc Ecclesia primigenia puritate & fide in Domino gloriabatur (ut ipsi etiam profitentur adversarii) observabantur cæremoniæ, quæ etiamnum ab Catholicis coluntur, quas ideó nemo, nisi sit à mente desertus, reprobare aut ludibrio habere possit.

S. Hieronymus graviter & strenuè propugnat cereorum cæremoniam, & vehementiùs invehitur in Vigilantium, vel veriùs Dormitantium, qui causabatur propè gentilium ritum sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicumque pulvisculum nescio quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum ab osculantibus Christianis adorari.

Hujusmodi calumnias Christianorum pietati & cæremoniis impactas egregiè refellit ipse S. Hieronymus: *Causabantur*, inquit, *quondam & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis hujus recipitur: & quicumque accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo:* Unusquisque in suo sensu abundet. *Idololatras appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & iccircò detestandum est: hoc fit Martyribus, & iccircò recipiendum est: Nam & absque Martyrum reliquiis per totas orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Hactenùs S. Hieronymus, qui & cereorum ad Martyrum memorias & alibi accendi solitorum cæremonium adversus Vigilantium probat, & Martyres hac vel aliâ cæremoniâ adorari negat. *Quis enim* (sic affatur Vigilantium) *ô insanum caput! aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?*

Hæc & plura legere est apud eumdem S. Hieronymum in Epist. 53. ad Riparium Presbyterum, & in tractat. adv. Vigilantium Tom. 2. fol. 158. & seqq.

Tertia Conclusio.

Immeritò sanè & Heterodoxi Ecclesiæ Catholicæ ritus & cæremonias velut illicitas reprobant, cum eosdem ritus & cæremonias (generatim loquendo) retinendas esse non uno in loco decreverint Ecclesiæ, quæ superbo reformationis titulo gloriantur.

Quid quod Heterodoxi sese accusant, dum nostras cæremonias vituperant: siquidem cum Lutheranis Germaniæ Ecclesiis, & cum Angliæ Protestantibus easdem, quas observamus cæremonias maximam partem colentibus arctissimam iniere societatem. Præterea Centuriatores Magdeburgenses, qui pro novellis ipsorum commentis, vel portentis, veluti pro aris & focis dimicarunt, has ipsas quas propugnamus, cæremonias in ipso Ecclesiæ exordio, & flore ab fidelibus observatas esse sine ullâ tergiversatione profitentur, ut legere est Centur. 1. 2. 3. 4. & 5.

Quod quidem argumentum efficacissimum est ad propugnandos ritus & cæremonias, quas omni conatu obterere nostri conantur adversarii.

Angli anno reparatæ salutis 1608. Londini habuere Synodum, in quâ conditi sunt quatuordecim Canones, è quibus multi ad cæremonias pertinent.

Hujusmodi Canones Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum inaugorationem stabiliunt, celebranda Christi Domini, & Deiparæ Virginis, & sancti Hieronymi, sancti Augustini, & sancti Gregorii Festa sanciunt.

Insuper Protestantes per hosce Canones superpellicea, Canonicorum cucullos seu caputia, talares tunicas; quadrata pilea, trabeas (vulgò cappas) & alia id genus religiosæ pietatis insignia suis in Officiis gestanda constituunt. Augustissimum nomen Jesu cum profertur, signo quopiam exteriori venerari jubent; in Baptismo signum crucis adhiberi, flexis genibus communicare, & quatuor tempora observare præcipiunt.

Non sunt igitur vituperandæ cæremoniæ (ut Heterodoxi factitant,) neque veluti malæ, & verbo Dei contrariæ ab ipsis explodendæ: alioquin sibi maximam impietatis & ignominiæ notam inurerent: quippè qui (licet eas non observarent) eas tamen observantibus quibuscum societatem iniere per communionem publicâ fœderis religione sancitam adhærescerent.

Quid quod omnes vel pleræque omnes fidei confessiones, quæ continentur in libro qui inscribitur *Corpus*

gus & Syntagma Confessionum fidei, quæ in diversis regnis, &c. Meminere rituum & cæremoniarum, quas non reprobant Angli, Bohemi & alii, nisi verbo Dei sint contrariæ, quales nostræ reputari nequeunt (ut suprà probavimus.)

Id testificatur Anglica Confessio fidei edita anno sal. 1562. ut patet ex ejusdem Confessionis art. 34. de traditionibus Ecclesiasticis. Traditiones (verba sunt ejusdem Confessionis Anglicanæ) atque cæremonias easdem non omninò necessarium est esse ubique, aut prorsùs consimiles: Nam & variæ semper fuerunt & mutari possunt pro regionum, temporum, & morum diversitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur. Et posteà subdit eos qui cæremonias authoritate publicâ institutas & probatas datâ operâ publicè violaverint, publicè, ut cæteri timeant, arguendos esse.

Bohemica confessio quæ inscribitur Confessio fidei ac religionis Baronum ac Nobilium regni Bohemiæ, non reprobat omnes omninò cæremonias, sic enim loquitur art. 15. de traditionibus humanis. Multi hodiè apud nos, inquit, veteres ritus Ecclesiastici adhuc retinentur, utpotè jejunia quædam, conditæ ac præstitutæ feriæ, quibus ut sacris intersit, populus conveniat; Matutinæ & vespertinæ precationes, dies Dominicus, Festi dies Christi, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, &c præterea sanctorum memoriæ celebrantur, ut Beatissimæ Virginis, Apostolorum, & aliorum item, sed eorum præsertim, quorum scriptura meminit. Hactenùs dicta Confessio Bohemiæ Regi ann. Domini 1537. oblata. In hujus Confessionis præfatione declarant Barones, & Nobiles Regni Bohemiæ, cæremonias nisi repugnent verbo Deo, nihil incommodare Christianismo, nec separare ab Ecclesiâ.

Item Augustana Confessio in articulis de abusibus, qui in externis ritibus mutati sunt sub tit. de Missâ, admittit cæremonias. Falsò (verba sunt prædictæ Confessionis) accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitatæ cæremoniæ, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Ideò enim opus est cæremoniis, ut doceant imperitos, & tractatio verbi Dei excitet aliquos ad verum timorem & fidem & invocationem. Hactenùs Confessio Augustana à Philippo Melanchthone in ipsis Imperii comitiis Augustæ Vindelicorum habitis scripta ann. sal. 1530. ubi & Carolo V. Imperatori fuit exhibita.

Hæc hactenùs vel ex ipsis adversariorum Confessionibus depromere placuit, ut omnes intelligerent ritus & cæremonias vel ab Apostolis in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, vel ab ipsâ Ecclesiâ secutis temporibus institutas, non esse inutiles, & lusorias occupationes, nec esse observatu nimiùm difficiles, nec malis superstitionibus inquinatas, ut causantur Hæretici, sed esse quædam adminicula quibus & populorum imperitia adjuvatur, & omnium animæ fidelium ad cœlestium mysteriorum contemplationem excitantur.

Quod quidem nec ipse diffitetur Calvinus, licet alioquin in præfatas cæremonias furiosè debacchatus, Ergonè (inquies) nihil cæremoniarum rudioribus dabitur ad juvandam eorum imperitiam? Id ego non dico. Omninò enim utile illis sentio hoc genus adminiculi. Hæc ille Institut. lib. 4. cap. 10. §. 14.

Ergò temerè admodùm, ne dicam impudenter vitiperat Ecclesiam Romanam ob ritus & cæremonias (quibus in mysteriis conficiendis pariter & administrandis oritur) perindè ac si præteritis verbi Dei finibus, ferendis novis legibus lasciviret & luxuriaret.

De his satis hactenùs adversus Hæreticos: Nunc ad Catholicos referenda est oratio, & inquirendum quid de cæremoniis statuerit Ecclesia, & utrùm eas sub peccato observari oporteat. Sit itaque

---

QUÆSTIO XLIII.

Quid de cæremoniis credere debeant Catholici, & utrum eas sub pœnâ peccati observare teneantur?

Prima Conclusio.

QUid generatim ac omnibus cæremoniis in Ecclesiâ usurpari solitis, & speciatim de iis, quæ in Missæ sacrificio adhibentur, sentire & credere oporteat liquidò declaravit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. hisce verbis: Cum natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet, quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missâ pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolicâ disciplinâ & traditione, quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Hæc ibi.

Hoc Decretum de Missæ cæremoniis conditum, quod & cæteros ritus & cæremonias in Ecclesiasticis Officiis observari solitas maximam partem applicari potest; utpotè quæ ad Christianorum animos ad rerum divinarum notitiam & meditationem attollendos, sicut & illæ institutæ sunt, ejusdem sessionis 22. can. 7. roboravit præfatum Concilium Tridentinum. Si quis dixerit, inquiunt istius Concilii Patres, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.

Hujusmodi Decretum allato Canone sancitum non solùm ad solemnes Missæ cæremonias, sed etiam ad eas, quæ in cæteris Sacramentis, & in divinis usurpantur Officiis, pertinet, ita ut quisquis eas vel inutiles, vel lusorias actiones, vel impiis superstitionibus inquinatas esse contenderet, intentatum ab præfatâ Synodo anathema incurreret. Neque enim fas est credere Ecclesiam in Augustissimo Missæ sacrificio observare dignas Deo cæremonias, & aliis in Sacramentis, vel Officiis adhibere ritus & cæremonias, quæ superstitionem, impietatemque redoleant.

Talem esse Concilii de Missæ & aliorum Sacramentorum & officiorum cæremoniis mentem, declarat Canon 13. VII. sessionis ejusdem Concilii: Si quis dixerit, verba sunt Canonis, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

Hæc igitur est mens & fides Ecclesiæ de cæremoniis, quæ tam in Missæ sacrificio quam in aliis Sacramentis & Officiis passim adhibentur. Jam investigandum quando peccent, & quo peccato se devinciant, qui cæremonias vel omittunt, vel contemnunt, vel addiscere negligunt. Sit itaque

Secunda Conclusio.

Omissio Cæremoniarum citra contemptum est peccatum lethale ex suo genere, tum quia præceptum religionis ad eas observandas non utcumque, sed sub pœnâ peccati mortalis obligat. Hæc omissio dicitur lethalis saltem ex suo genere, id est quatenùs refertur ad suum objectum quod grave est. Licet igitur alicujus

cæremoniæ omissio per accidens venialis esse possit, in levi nempè materiâ, semper tamen in materiâ gravi lethalis est, si excipias necessitatis casum, in quo vel unam, vel plures cæremonias prætermittere & fas est & necesse est, v. g. cum baptizandus est infantulus, qui mox moriturus non temerè judicatur. Secluso igitur necessitatis casu hujusmodi cæremonias omitti sine peccato eoque lethali, etiamsi absit contemptus, nequeunt. Unde S. Thomas 2. 2. q. 93. a. 1. ad 3. Dicendum, inquit, quod diversæ consuetudines Ecclesiæ in cultu divino, in nullo veritati repugnant, & ideò sunt servandæ, & eas præterire illicitum est. Hæc ibi.

Cæremoniarum observandarum necessitatem saltem ex Ecclesiæ præcepto sacerdotibus impositam negare nemo potest; & ideò nemo eas sine flagitio prætermittere potest.

Hanc rem luculenter explicat Suarez non ultimus societatis suæ Theologus Tom. 2. disp. 84. sect. 1. Hi ritus, inquit, fundantur in istis Apostoli verbis, 1. Cor. cap. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis:* Et ideò oportet in his omnibus etiam minutissimis certum ordinem ab Ecclesiâ constitui, tùm quia si hæc relinquerentur uniuscujusque arbitrio, multa indecorè, & imprudenter fierent: tum etiam quia existimavit Ecclesia, in tam alto & sacro ministerio nihil esse leve existimandum quominùs maximâ decentiâ & gravitate fiat. Ubi optimè quadrat illud Cypriani in expositione orationis Dominicæ: placendum divinis oculis etiam in habitu corporis. Denique quia hæc uniformitas quæ in his omnibus servatur ad splendorem Officii Ecclesiastici spectat, & unitatem Ecclesiæ commendat, & Pastorum ejus curam & sollicitudinem.

Idem ipse Suarez Tom. 3. disp. 83. sect. 3. & disp. 84. sect. 2. hanc materiam ita persequitur. Dico 1. Sacerdotes teneri ad servandum integrum ritum Missæ prout in Missali statutum ac definitum est: probatur 1. ex Concilio Tridentino sess. 21. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ. 2. Ex Bullâ Pii Papæ V. præfixa in principio Missalis, ubi sic dicit, mandantes ac districtè omnibus ac singulis personis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes ut Missam juxta ritum, modum & normam, quæ per Missale hoc à nobis traditur, decantent ac legant: neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur addere vel recitare præsumant. Quod intelligendum est seclusis privilegiis: tamen qui illis gaudent, tenebuntur servatâ proportione ea dicere quæ in Missali sibi permisso continentur.

3. Accedit ratio hujus præcepti, quia hæc res gravis est, & ad debitum cultum divinum spectat: utque tantum mysterium ordinatè fiat. Quando verò hæc omissio sit peccatum veniale, quandoque verò mortale ex materiæ gravitate & ex contemptu vel negligentiâ judicandum est. Hæc ille.

Tertia Conclusio.

Si cæremoniarum omissio etiam in materiâ levi conjuncta sit cum formali contemptu, haud dubiè lethalis est; utpotè quæ ex formali inobedientiâ seu contumaciâ oriatur.

Ad formalem autem contemptum referendus est nequissimus fundus, seu indoles proterva, ferox, arrogans, indocilis, pertinax & rebellis, & prava vel innata, vel per pravos actus comparata eorum dispositio, qui nec legere, nec doceri, nec de rebus sibi necessariis admoneri volunt.

Hujusmodi habitudo dicitur ignorantia pravæ dispositionis, cui & adjicienda est malitia, affectatio, & ingenium diabolicum eorum qui dicerent, ritus & cæremonias, qualescumque sint, nec rescire, nec observare libet. Tales autem homines æquiparandi sunt tepidis, imò teterrimis Christianis, qui vel verbo, vel facto se nullum veniale peccatum effugere, nec ulli divinæ inspirationi acquiescere velle declararent. Ista sanè dispositio lethalis est, & certissima reprobationis nota, & talis est ille status, ut nullus eo periculosior, & calamitosior excogitari valeat.

Quarta Conclusio.

Quisquis habituali, ut ita dicam, mentis supinitate & torpore ritus, & cæremonias ediscere vel observare, vel attendere, seu animo volutare negligit, tum in materiâ gravi, tum levi universim loquendo, peccat lethaliter: quia

1. Talis negligentia contemptus est indirectus & virtualis, ut ita dicam;

2. Quia vir ille qualiscumque sit, sese in probabilissimum continuos errores eosque gravissimos admittendi periculum conjicit.

Ex dictis videre est quam verè dixerit S. Thomas pestiferum esse præterire cæremonias divinâ authoritate ab Ecclesiâ constitutas. Sic enim loquitur 2. 2. q. 93. a. 1. jam cit. Ad secundum, inquit, dicendum est, quod ante tempus legis, justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur; postmodùm verò exterioribus præceptis circa hoc homines sunt instructi, quæ præterire pestiferum est. Hæc ibi.

Quod quidem ut clariùs eluceat, hic totum ejusdem articuli corpus exscribere necesse est.

R. dicendum, inquit, quod sicut Aug. dicit in lib. contra mendac. mendacium maximè perniciosum est, quod fit in his quæ ad Christianam religionem pertinent. Est autem mendacium cum aliquis exteriùs significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo: ita etiam significatur aliquid facto: & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus. Et ideò si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus. Hoc autem contingit dupliciter. Uno quidem modo ex parte rei significatæ, à quâ discordat significatio cultûs: & hoc modo tempore novæ legis, peractis jam Christi mysteriis perniciosum est uti cæremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura: sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum.

Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis; & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in personâ totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa; ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divinâ authoritate ab Ecclesiâ constitutum & in Ecclesiâ consuetum: Undè Ambrosius dicit: indignus est qui aliter celebrat mysterium quam Christus tradidit. Et propter hoc etiam glossa dicit Coloss. 2. quod superstitio est, quando traditioni humanæ, religionis nomen applicatur. Hactenùs S. Thomas loco citato.

QUÆSTIO XLIV.

Utrùm Missæ sacrificium in locis & vasis sacris celebrari oporteat?

Prima Conclusio.

NEmo Catholicus dubitat, quin ex Christi ordinatione Missæ sacrificium in domo consecratâ idest, in Ecclesiâ dedicatâ & in altari pariter consecrato celebrari oporteat.

Quod autem id ex Christi ordinatione fuerit constitutum declarat S. Thomas 3. p. q. 83. a. 3. in argum. sed contrà. Sed contra est, inquit, quod ea quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur,

qui dicit Matth. c. 18. *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hæc ibi.

Ita statuit Theodulphus in Capitulari ad suæ Parochiæ Sacerdotes inscripto: sic enim loquitur can. 11. Missarum solemnia, inquit, nequaquam alibi nisi in Ecclesiâ celebranda sunt: non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis; sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.

Hæc ille qui & can. 8. ejusdem Capitularis vetat quicquam in Ecclesiis recondi, ne debita illarum consecrationi reverentia violetur. Videmus, inquit, crebrò in Ecclesiis messes & fœnum congeri. Unde volumus, ut hoc penitùs observetur, ut nihil in Ecclesiâ præter vestimenta Ecclesiastica & vasa sancta & libros, recondatur: ne fortè, si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus, *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

Hæc Theodulphus Aurelianensis Episcopus qui 8. & 9. sæculo floruit, ab antiquâ traditione accepta retulit in suum Capitulare, quod legere est Tom. 2. Concil. Galliæ ex editione J. Sirmundi fol. 210. & seqq.

Hanc doctrinam insigniter illustrat S. Thomas 3. p. q. 83. a. 3. Ad secundum, inquit, dicendum quod Domus in quâ hoc Sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, & Ecclesia nominatur: convenienter tamen consecratur, tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per Passionem Christi: tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc Sacramentum suscipere debent. Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus Heb. ult. *per ipsum offerimus Hostiam laudis Deo.* Unde & consecratio altaris significat sanctitatem Christi, de quâ dicitur Luc. 1. *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde consecrat. dist. 1. dicitur: Altaria placuit non solùm Unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Et ideò regulariter non licet celebrare hoc Sacramentum nisi in domibus sacratis. Unde sicut habetur de consecrat. dist. 1. nullus Presbyter Missas celebrare præsumat nisi in consecratis ab Episcopo locis. Propter quod etiam, quia pagani non sunt de Ecclesiâ, nec alii infideles, ideò eadem dist. legitur: Ecclesiam in qua cadavera mortuorum infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum, indè evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel lignis ejus loci, reædificetur: sed si hæc consecrata priùs fuerit, Missas in eâ celebrare licet, tamen si fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt. Propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis: sed tamen de consensu Episcopi. Unde in ead. dist. legitur: Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus: non tamen sine altari portatili per Episcopum consecrato. Unde in ead. distinct. legitur: Concedimus si Ecclesiæ fuerint incensæ, vel combustæ in capellis cum tabulâ consecratâ Missas celebrari. Quia enim sanctitas Christi fons est totius Ecclesiasticæ sanctitatis, ideò in necessitate sufficit ad peragendum hoc Sacramentum altare sanctificatum. Propter quod etiam nunquam Ecclesia sine altari consecratur: tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare, cum reliquiis sanctorum, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Unde in eadem dist. legitur: Placuit ut altaria in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur.

Ex occasione verborum S. Thomæ quæ ex citato ejus loco descripsimus, quæret aliquis utrum ad altarium consecrationem necessariæ sint sanctorum reliquiæ? Respondeo tametsi absolutè loquendo sanctorum Reliquias non exigat altarium consecratio: si tamen ad Ecclesiæ consuetudinem & ordinationem (quæ altaria sine reliquiis sanctorum consecrari non sinit) respectum habeamus, hujusmodi consecratio, quæ sine sanctorum reliquiis facta fuerit, illicita videbitur & irrita, nisi eam specialis Ecclesiæ dispensatio legitimè petita concessaque validam ratamque reddiderit. Ut loco proximè citato asserit S. Thomas; qui & in eitat. art. responsione ad 3. asserit Ecclesiam & altare, & alia hujusmodi inanimata consecrari, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui; ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde & 2. Machab. 3. dicitur: Verè Dei virtus quædam est in loco, nam ipse qui habet in Cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius. Et indè est quod hujusmodi ante consecrationem emundantur & exorcizantur, ut exindè virtus inimici pellatur. Hæc ibi.

Certum est igitur Ecclesias numquam sine altari consecrari, sicut & indubitatum est nusquam altaria sine reliquiis consecrari: siquidem stante Ecclesiæ consuetudine & ordinatione, quæ pluribus abhinc sæculis observata vim tamdem legis obtinuit ad hujusmodi consecrationis essentiam quodammodo pertinere videatur.

Ne quis autem existimet reliquiarum applicationem in altarium consecratione factitari solitam esse recentem, consulat S. Gregorium Papam I. cognomento Magnum, qui renuntiatus est summus Pontifex anno Redempt. 590. & devixit anno 604. & discet tanti Pontificis temporibus sanctorum reliquias in altaribus consecrandis fuisse religiosissimè insertas. Ut videre est in Epist. ad Palladium Episcopum de Santonibus inscriptâ: Veniens, inquit, lator præsentium Leuparicus Presbyter vester insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam in honore B. Petri & Pauli Apostolorum, necnon Laurentii, & Pancratii Martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse, ob hoc quod supra scriptorum sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia reliquias SS. Petri & Pauli necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum cum veneratione præbuimus, hortamur ut eas cum reverentiâ suscipere & collocare auxiliante Domino debeatis. Hactenùs S. Gregorius lib. 5. Epist. 50. duo declaravit; primum scilicet unâ in Ecclesiâ plura altaria fuisse erecta. Secundum sanctorum reliquias in dedicandis altaribus fuisse collocatas.

Qui plura volet de locis in quibus incruentum Missæ sacrificium offerri debeat, adeat ad nonam hujus tractatus quæstionem, in quâ rem totam uberiùs prosecuti sumus.

QUÆSTIO XLV.

Cur Templa consecrari soleant.

Ex dictis hactenùs colliguntur aliquot rationes, propter quas Ecclesiæ sacrorum mysteriorum celebrationi destinatæ solemni ritu cum suis altaribus dedicentur. Quarum

Prima indè petitur, quod per hujusmodi dedicationem repræsentanda sit sanctificatio, quam Ecclesia, seu tota fidelium societas per Christi Passionem est consecuta, ut ait S. Thomas 3. p. q. 63. jam cit. art. 33. ad 2.

Secunda ratio in eo posita est, quod significet sanctitatem, quæ exigitur ab iis qui terribile Eucharistiæ

Sarramentum & sacrificiom tractare, vel dumtaxat recipere volunt.

Tertia hujus dedicationis ratio collineat ad demonstrandam proportionem, quam inter ministerium & locum ministerio peragendo destinatum intercedere necesse est. Cum igitur templa sint sacris ministeriis, id est Missæ celebiarioni, aliisque divinis Officiis peragendis destinata, ea esse pura & solemni ritu consecrata oportet divino cultui mancipari.

Quitta ejusdem dedicationis ratio non solùm ad Sacramenti sacrificiique reverentiam, sed etiam ad nostram ædificationem & utilitatem pertinet. Siquidem S. Thomas 3. p. q. & a. jam citat. ad 3. ait templa & altaria, & alia hujusmodi inanimata consectari, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem. Quod non est sic intelligendum quasi spiritualem quamdam qualitatem recipiant: sed quia hoc ipso sortiuntur divinam præsentiam speciali quopiam modo, ita ut per specialem illam Dei Christique præsentiam excitetur fidelium devorio, coërceatur Dæmonum furor & impetus, venialia peccata remittantur, Christiani faciliùs exandiantur, & optata divinæ gratiæ auxilia maturiùs & uberiùs consequantur. Et ista omnia proficiscuntur ex sanctitate loci, in quo ardentioribus votis divina beneficia postulamus. Nam ut ait sanctus Beroardus, *quis parietes Ecclesiæ sanctos dicere vereatur, quos manus sacrata Pontificum tantis sanctificavere mysteriis? Extunc quoque & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurria, sanctarum Reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare.* Hactenùs S. Beroardus serm. 4. de dedicat. templi rap. 1.

Et ibid. cap. 4. *Licet*, inquit, *parietes hos & dici sanctos & esse faciat consecratio Episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquia sanctorum, visitatio Angelorum: minimè tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimò sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter spiritum inhabitantem. Neque hinc dubitet quis cum invisibiles ejus gratia, visibile nobis signum fiat in bonum.* Hæc ibi.

Ex istis S. Bernardi verbis facilè colliguntur spiritualia auxilia & emolumenta quæ ex templorum consecratione tot titulis, & privilegiis honestatâ nostras ad animas derivantur.

In solis igitur locis & altaribus ab Episcopo consecratis celebrate licet: quod ut religiosè observetur discutiendum est, quandonam Ecclesia, vel altaria sint polluta. Sit itaque

Quæstio XLVI.

Quibus casibus Ecclesia ita polluatur, ut in ipsâ celebrare non liceat?

Multi casos recensentur, in quibus Ecclesia polluitur, ita ut Sacerdos sine consensu Episcopi, & absque orgente necessitate, in eâ celebrans peccet mortaliter; nec tamen incurrat ullam aut suspensionis, aut excommunicationis, aut irregularitatis pœnam. Ut posteà videbimus.

Primus casus est, cum in Ecclesiâ fit voluntaria humani seminis effusio. Per eam enim Ecclesiam pollui constat ex cap. Ecclesiis de consecrat. distinct. 1. & c. si Ecclesia de consectat. Ecclesiæ in 6.

Si igitur quispiam homo etiam paganus, vel fœmina voluntariè semen effuderit in Ecclesiâ sivè per actum conjugalem extra casum necessitatis exercitum, sivè per adulterium, sivè per fornicationem, sivè per alium quemcumque modum, ipsa polluitur Ecclesia, tametsi semen in pavimentum aut in terram non fuerit effusum. Nam sivè in vas naturale, vel in alium locum infundatur voluntariè, loci tamen sanctitas violatur, si modò aliqua seminis copia, quæ per effusionem significatur, vel in ipsum Ecclesiæ pavimentum, vel in alterum locum deciderit.

Quæritur utrum per actum conjugalem polluatur Ecclesia?

Respondeo cum distinctione. Si enim citrà casum necessitatis (quando scilicet in altero conjuge timetur illicita seminis emissio, nisi per conjugalem copulam inhibeatur, exerceatur actus conjugalis in Ecclesiâ) tunc admittitur sacrilegium; Et Ecclesia quæ per hujusmodi copulam etsi conjugalem, seu aliàs licitam, speciali afficitur injuriâ, & ideò polluitur. Si verò premente necessitate copula conjugalis habeatur, nullo pacto polluitur Ecclesia.

Secundus Casus

In quo polluitur Ecclesia.

Secundus casus in quo polluitur Ecclesia, declaratur in cap. Ecclesiis de consecrat. dist. 1, humani nempè sanguinis in ipsâ Ecclesiâ effusio voluntaria, injuriosa, copiosa, & ex gravi percussione profecta.

1. Dicitur illa effusio voluntaria; Si enim aliquo casu sanguis humanus effunderetur in Ecclesia, non propterea pollueretur; sed propriè polluitur cum quispiam ab altero malè animato graviter percussus in ipsâ Ecclesiâ sanguinem effundit, vel in ipsâ graviter vulneratur, unde sequitur copiosa sanguinis emissio, licet sanguis extra Ecclesiam effundatur, quia intra ipsam facta est injuriosa, eaque proxima effusionis occasio.

2. Dicitur illa effusio injuriosa; si enim quis ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ad legitimam subditi correctionem infligeret vulnus, & ex vulnere copiosus sanguis in Ecclesiâ proflueret, non propterea pollueretur Ecclesia; Hujusmodi enim effusio non censeretur injuriosa, utpotè quæ ex legitimâ vel justæ defensionis, vel debitæ correctionis causâ proficisceretur. E contrà verò, si quispiam pro Christo & ejus Evangelio interficeretur in Ecclesiâ, illa proculdubiò pollueretur. Licet enim illa sanguinis effusio foret enecato martyri gloriosa, respectu tamen interficientis, & Ecclesiæ, cujus sanctitas violaretur, esset injuriosa.

3. Dicitur copiosa. Quia percussio, quæ copiam sanguinis elicit, à quocumque etiam adolescentulo in Ecclesiâ cum æqualibus rixante (ut interdum accidit) inflicta, haud dubiè Ecclesiam polluit, si ad lethalis peccati malitiam pervenerit; sin autem illa ipsa Ecclesia suæ dedicationis sanctitatem retinet: quam & retineret, si vel ab puero rationis usum nondum assecuto, vel ab insano, vel ab ebrio notabilis sanguinis copia in eâ ex incusso vulnere eliceretur.

4. Additur ex gravi percussione profecta. Si enim adolescentulus quispiam pugno æqualem in Ecclesiâ percusserit, & ex percussione, quæ non sit lethalis, magna sanguinis copia effluxerit, non polluitur Ecclesia; siquidem levis illa percussio censeatur. Si verò grave vulnus in eadem Ecclesiâ cuipiam infligeretur ab viro sanæ mentis, pollueretur Ecclesia, licet ne una quidem sanguinis gutta in eâ ex impresso vulnere defflueret vel quia sauciatus celerrimè extraheretur foras, vel inhiberetur sanguis, vel in aliquo vase exciperetur. Si autem quis extra Ecclesiam sauciatus in eam confugiat & inibi sanguinis copiam effundat, vel etiam moriatur, non polluitur Ecclesia, cum tunc ipsi nulla penitùs irrogetur injuria: Nec etiam polluitur, si ex inflicto in eâ vulnere nec sanguis erumpat, nec mors subsequatur. Polluitur autem si quis foris existens plumbeam glandem vel telum emittat, & quempiam in Ecclesiâ positum interficiat.

Porrò pollnitur Ecclesia per injuriosam humani sanguinis effusionem, cum quispiam in eâ tam malè mulctatur, ut ex percussione, causa naturalis injuriosæ, & copiosæ illius effusionis, vel subsecuturæ mortis oriatur. Undè percussio non sufficit ad polluendam Ecclesiam, nisi ex impacto vulnere erumpat sanguis; licet enim aliquis in Ecclesiâ alterius membra contundat aut frangat nullâ subsecutâ sanguinis effusione, non tamen Ecclesia polluitur: polluitur autem si ex membrorum contusione, vel fractione mors subsequatur, tametsi nulla sanguinis effusio cernatur & appateat.

Hîc quæritur, an pollutâ Ecclesiâ polluatur cæmeterium contiguum, & vicissim, utrùm polluto cæmeterio Ecclesiæ contiguo, ipsa quoque Ecclesia polluatur?

Hanc Quæstionem luculenter explicat & dissolvit Bonifacius Papa VIII. 6. Decretal. lib. 3. de consecrat. Eccles. Tit. xxi. de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris, cap. unico, Si Ecclesiam, inquit, pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius cæmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: Undè antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri: secùs si remotum fuerit ab eadem.

Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cæmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta: ne minùs dignum, majus aut accessorium principale ad se trahere videatur.

Non unum, sed plura cæmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur. Idcòque violato eorum altero alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.

Hactenùs præfatus Pontifea Bonifacius loco citato, pag. 578. & 579.

Porrò si cæmeteria in quibus Excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ sicut in Dedicationibus Ecclesiarum, ut statuit Innocentius Papa III, citat. Decret. loco cap. Consuluisti.

TERTIUS CASUS

In quo polluta censetur Ecclesia.

TErtiò polluta censetur Ecclesia, in quâ Paganus seu infidelis sepultus fuerit, ut declaratur cap. Ecclesiam de consecrat. dist. 1. *Ecclesiam in quâ Paganus sepultus est* (sunt verba Concilii Aurelianensis, c. 3 ex quo hæc constitutio deprompta est) *non liceat consecrare, neque Missas in eâ celebrare: sed jactari foràs & mundari oportet.* Idipsum statuitur cap. sequenti ea Concil. Agrippinensi vt. *Ecclesiam* (verba sunt Decreti) *in quâ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus & rasis parietibus vel tignis ejus loci reædificetur: sed si hæc consecrata ante fuerit, Missas in eâ celebrare licet: si tamen fideles fuerint, qui in eâ sepulti sunt.*

Hanc constitutionem sic interpretatur Glossa: Ecclesiam non consecratam consecrare non licet, si in eâ sepulti sunt infideles, nisi priùs hujusmodi hominum corpora exhumata fuerint, & foràs projecta, idque authoritate Episcopi vel Principis tantùm, ff. de reli. ossa. & t. eod. corpora. Nisi etiam priùs rasi fuerint parietes, id est, dealbati, ut ait Glossa. Nam mutatâ formâ interimitur substantia rei. ff. ad exhib. Julian. §. Sed etsi quis. Undè cum Ecclesia reædificanda dicitur, sic id intelligendum est, ut ipsa rasura dealbari debeat: si fideles in eâ sepulti fuerint: Quod si Infideles, vel Excommunicati vitandi, seu publicè denuntiati, inibi pariter sepulti fuerint, eorum ossa è tumulo revulsa, foras sunt projicienda, si ab fidelium ossibus dignosci valeant: sin autem neque fidelium, neque infidelium corpora exhumanda sunt, ne insontes debitam unis dumtaxat reis & sontibus pœnam iniquè patiantur: ut patet ea Extrav. de sepult. sacris.

Hîc quæritur, utrum sine pollutione Ecclesiæ cum matre in puerperio mortuâ, possit sepeliri filius nondum baptizatus?

Respondent Doctores cum distinctione; vel enim ille infantulus in alvo extinctus est, nec indè extractus est, & tunc eum posse cū matre sepeliri, quia fœtus est pars maternorum viscerum; ff de vent. insp. l. 1. §. 1. Nec propterea Ecclesiam pollui asserunt. Si verò extractus sit è maternis visceribus, atque adeò uteri materni pars esse desierit, per ejus corpus in Ecclesiâ sepultum Ecclesiam pollui contendunt, cum saltem sit infidelis negativè, ut aiunt atque adeò de ejus, eodem planè modo ac de infidelium sepulturâ quæ fit in Ecclesiâ philosophari oporteat, etsi ex utroque parente fideli originem traxerit. Undè Glossa in cap. Ecclesiam; Consuevit, inquit, (materna alvus) aperiri, & fœtus extrahi, & extra cæmeterium sepeliri, ad hoc facit cap. extr. de sepul. sacris.

QUARTUS CASUS

Quo contingente Ecclesia polluta reputatur.

QUartò Ecclesia polluta censetur, si ab Episcopo excommunicato, & ut tali denuntiato consecrata fuerit, ut habetur de consecrat. Eccl cap. Consuluisti.

QUINTUS CASUS

Propter quem polluta censetur Ecclesia.

HIc casus accidit cum omnes Ecclesiæ parietes vel plerique omnes diruti simul instaurantur: secùs autem quando successivè cap. Ligneis de consecr. Ecclesiæ Quod quidem intelligendum est de Ecclesiâ consecratâ, non autem de eâ quæ tantùm benedicta fuerit, quia benedictio adhæret solo, consecratio verò parietibus adhiberi solet.

Præterea non censetur Ecclesia polluta, si non destruantur parietes, sed combusto tecto, & aliis adjacentibus ornamentis permaneant.

Superioris doctrinæ recapitulatio.

In hac Quæstione attulimus quinque casus, quibus contingentibus Ecclesia polluitur, quorum

Primus est voluntaria humani seminis effusio in Ecclesiâ, quæ polluitur, sive illa effusio fiat secundum vel contra naturam, in illicito, vel licito concubitu; si modò publica sit, & ad plurium notitiam pervenerit: si enim secreta sit, & paucissimis cognita, non est polluta Ecclesia, ut affirmat Toletus Instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 8. num. 11. Ad illustriorem dictorum explicationem observandum est hîc per Ecclesiam intelligi non solùm Ecclesiam consecratam aut benedictam, sed etiam cæmeteria, & oratoria constituta authoritate Episcopi, & ad divinum cultum deputata, ut rectè observat Sylvester v. loca. num. 4. & sequentib.

Secundus est copiosa & voluntaria, & injuriosa humani sanguinis effusio, quæ ex vulnere in Ecclesiâ incusso proficiscitur, sive in Ecclesiâ, sive extra Ecclesiam ex dicto vulnere sanguinis copia defluat. Tunc enim polluitur Ecclesia, ut patet ex cap. Proposuisti, ubi dicitur, quod propter homicidia & vulnera reconciliatur Ecclesia: Non dicit an in eis facta fuerit sanguinis effusio, necnè. Ad hoc ff. ad legem Aquiliam, quâ actione §. t. & si extra Ecclesiam vulneratus ad Ecclesiam fugiat, & ibi sanguinem spargat, non reconciliatur Ecclesia. Secùs è contrario, vel cum sanguinem

colligit in scutella. Si autem supra tectum interficiatur aliquis, non est facienda Ecclesiæ reconciliatio, quia extra Ecclesiam videtur homicidium istud perpetratum. Sicut & ob eandem rationem non est Ecclesia reconcilianda propter homicidium, quod sub Ecclesiâ in cellâ, cavernâ, vel speluncâ ibi sitâ perpetratum fuerit: ut ait Glossa in cap. Unicum de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris 6 Decretal. lib 3. tit. xxi. cap. Si Ecclesiam. Polluta verò censetur Ecclesia, atque adeò reconcilianda, si in eâ vir quispiam sanctus interficiatur: licet enim sanctificetur ex sanguinis effusi passione, ex ipsius tamen effundentis actione benè polluitur, juxta illud: *Actio displicuit, passio grata fuit.*

Quæcumque igitur injuriosa humani sanguinis effusio facta in loco sacro, seu authoritate Episcopi divino cultui dedicato, istum locum polluit, si modo ad plurium notitiam pervenerit, atque adeò sit pervulgata, vel evidentiâ facti, vel confessione delinquentis, vel aliâ quapiam ratione. Usu enim & praxi optimâ legum interprete receptum est, ut non reconcilietur vel consecretur Ecclesia, nisi illam esse, vel humani seminis, vel sanguinis, vel alio ex suprà dictis modo pollutam esse, vel ejus consecrationem in dubium revocatam esse, publicè constiterit.

Tertius casus quo polluitur Ecclesia, est, cum aliquis Paganus, aut Excommunicatus, & ut talis in publico fidelium cœtu denuntiatus, in eâ sepultus est.

Quartus, si Ecclesia ab Episcopo excommunicato, &, ut tali denuntiato, fuerit consecrata, hoc ipso polluitur.

Quintus denique accidit, cum Ecclesiæ parietes diruti simul, non autem successivè, instaurantur.

His ita constitutis quæritur, utrùm Sacerdos in Ecclesiâ pollutâ sine Episcopi licentiâ, nec ullâ urgente necessitate celebrans, peccet lethaliter, & vel suspensionem, vel irregularitatem, vel excommunicationem incurrat?

Respondeo hujusmodi Sacerdotem peccare quidem lethaliter, utpotè qui justam Ecclesiæ prohibitionem infringat in materiâ gravi, nullam tamen incurrere, vel suspensionis, vel irregularitatis, vel excommunicationis pœnam. Siquidem receptissimum est apud Theologos pronuntiatum, nullam id genus pœnam ab delinquentibus incurri, nisi à jure constituta fuerit. Undè sequitur Sacerdotem in Ecclesiâ pollutâ priusquam reconciliata fuerit, celebrantem, nec esse suspensum, nec excommunicatum, nec irregularem, cum adversus eum nulla ex his pœnis in jure statuta fuerit.

Quæritur secundò quid facto opus sit, si celebrante Sacerdote Ecclesia polluatur? Respondeo hujusmodi Sacerdotem inchoatam Missam intermittere, si nondum inchoaverit Canonem; si verò inchoaverit, eam absolvere oportere: Siquidem inchoatum sacrificium (quod verè ab incœpto Canone inchoatum dicitur) Jure divino perficiendum esse universi asserunt Theologi.

Hactenùs de Ecclesiâ, nunc quærendum est de Altari, quando scilicet Altare polluatur, & reconciliatione indigeat. Sit itaque

---

Quæstio XLVII.

Quandonam Altare polluatur, & reconciliatione indigeat?

Ut huic Quæstioni fiat satis,

Observandum est 1. in Ecclesiâ duplex Altare usurpari, unum scilicet portatile, & alterum fixum ac stabile, quod nimirum alicui loco, seu basi calce, aliove modo affixum est.

Observandum est 2. per Altare hîc intelligi Mensam principalem Altaris, non tabula consecrata quæ de loco ad locum movetur, nec tamen reconsecratur ut T. eod. concedimus: Quod intelligo cum non est affixa tabula: Item & hoc intellige de Altari, ad cujus honorem Ecclesia est consecrata, ut ait Glossa in cap. Si motum de consecrat. dist. 1.

Observandum 3. hoc intercedere discrimen inter Altare portatile & Altare fixum, quod Altare mobile, seu portatile per se consecratur. fixum verò non consecratur, nisi quatenùs suæ basi affixum est. Undè fit ut dictum Altare portatile non amittat consecrationem, licet à ligno, in quo inclusum est, avellatur. Ut passim docent Canonistæ in cap. Ligneis. Sylvester v. Altare & alii. Altare verò fixum amittat consecrationem, si separetur à reliquâ structurâ Altaris, & lapis superior ab inferioribus abstrahatur. Nam ut ait Glossa in cap. Si motum, consecratio ipsius Altaris præsertim intelligitur esse in conjunctione Mensæ, scilicet lapidis superioris & structuræ inferioris. Ergo si mensa fuerit mota, vel aliquis de inferioribus lapidibus tangens ipsam, execratur Altare, id est, reconsecrandum est: si autem fit aliquod aliud additamentum Altario, non ob hoc execratur, sed sacrum non trahit ad se non sacrum art. ext. de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris. c. 3. dum tamen non immutetur multum conjunctio mensæ & structuræ inferioris. Hactenus Glossa. Ex quâ colligimus

1. Altare fixum censeri violatum, si principalis Altaris Mensa, id est, lapis superior ab inferioribus separatus fuerit, vel aliquis ex inferioribus lapidibus ipsam tangens mensam è suo loco extractus fuerit. Tunc enim, ut ait citata Glossa, Altare fixum censetur execratum & est reconsecrandum.

2. Hoc est utrique Altari portatili nimirùm & fixo commune, quod utrumque consecrationem amisisse, & ideò reconsecrandum esse censeatur, si enormiter sit fracta utriusque tabula, ultra scilicet medietatem. Tunc enim enormis est fractio, quâ consecratio tollitur, eo quod in nullâ integrâ utriusque parte Calix cum patenâ (quod tamen spatium in Altari necessarium est) reponi valeat. Et id colligitur ex citato Glossæ loco.

3. Eadem Gloss. explicans cap. Si motum, ait, si majus Altare Ecclesiæ motum, id est, ita motum fuerit, ut formam amiserit per diminutionem, vel augmentum, cum forma sit esse rei: att. 10. q. 1. hoc jus esse reconsecrandum præcepit, sicut & cum enormiter, seu ultra medietatem fracta est tabula.

4. Censetur Altare violatum, si moveatur, aut frangatur sigillum, seu receptaculum, in quo continentur Sanctorum reliquiæ. Cum enim, ut suprà demonstravimus, quæst. nempè 43. vetusta consuetudo quæ vetat Altaria consecrari, nisi in iis probatæ Sanctorum Reliquiæ recondantur, vim legis obtinuerit, & id sanciatur Can. 14. Concil. Carthaginensis V. & Can. 7. Concilii Nicæni II. quod est œcumenicum VII. nemini dubium est, quin sigillum, seu hujusmodi Reliquiarum receptaculum præcipua pars mensæ consecratæ censeatur, atque adeò ipsa mensa per ejus fractionem, aut sublationem execrata communi eruditorum judicio habeatur.

Respondeo, Ecclesiâ pollutâ omnia pariter Altaria quæ in eâ fixa sunt, pollui: quia scilicet dum polluitur Ecclesia, polluitur in toto, ergo & Altaria quæ faciunt partem Ecclesiæ, polluuntur. Et vicissim dum Altaria fixa polluuntur, ipsa pariter polluitur quia violatis partibus, & præsertim nobilioribus (qualia sunt Altaria respectu Ecclesiæ ob ipsa eadem Altaria potissimùm ædificatæ) haud dubiè totum Ecclesiæ corpus eorum pollutione violatur.

Si autem Ecclesia execretur, combustis nimirum aut labefactatis parietibus, ita ut illam deintegrò consecrari oporteat, non ideò etiam Altaria novâ consecratione aut reconciliatione indigent: sicut & vice versâ Altaria per enormem fractionem execrantur, seu con-

secrationem amittunt, nec tamen execratur Ecclesia. Si enim destruerentur, aut frangerentur Altaria illæsis Ecclesiæ parietibus, una dumtaxat Altaria essent prosanata, nec Ecclesia ullo pacto violata censeretur. V. Sylvest. v. Altare quæst. 11.

Aliter philosophandum est de Altari portatili, cum enim consecretur per se, & in se, non autem alicui basi affixum est, non censetur execratum, nisi ejus tabula frangatur enormiter, id est, nulla ejus pars integra remaneat, in quâ calix cum patenâ possit collocari.

Jam discutiendum est à quonam possit & debeat Ecclesia, vel pollutum Altare reconciliari. Sit itaque

QUÆSTIO XLVIII.

A quo Ecclesia polluta, vel Altare pollutum, & quomodo debeat reconciliari.

Prima Conclusio.

Ecclesia non consecrata ab Episcopo, sed tantùm benedicta ab simplici Sacerdote (qui necessariam ad id facultatem ab Episcopo, vel ejus generali Vicario petierit & obtinuerit) reconciliari potest per aspersionem aquæ benedictæ.

Quod si illa ipsa Ecclesia ab Episcopo fuerit consecrata, & post consecrationem violata, non potest per simplicem Presbyterum reconciliari, etiam de Episcopi licentiâ, ut constat ex cap. Aqua. Quod caput hic referre operæ pretium est.

Aquâ per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de extero prohibentes; non obstante consuetudine Provinciæ Bracarensis (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est hactenùs per eosdem, misericorditer toleramus.

Hactenùs Gregorius Papa IX. Afloricens. Episcopo, ut legere est decretal. Gregorii lib. 3. de consecr. Eccl. vel Altar. tit. 40. cit. cap. Aqua.

Ex hoc Capite colligitur Ecclesiam ab Episcopo consecratam, & postea violatam, non posse per simplicem Presbyterum reconciliari, licet ab Episcopo licentiam ejus reconciliandæ habuerit. Ita sentiunt multi Theologi cum Mirandâ in manual. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 8. qui ait etiamsi in contrarium sit consuetudo.

Secunda Conclusio.

Si Altare etiam portatile, item Calicem, Patenam, Corporale violari, seu per sacrilegam humani, vel sanguinis, vel seminis effusionem pollui contigerit, ista, quæ percensuimus, omnia Episcopali reconciliatione indigent, sine quâ non possunt reconciliari. Si verò aliter prosanata fuerint, id est, per sacrilegium ad profanos usus adhibita, non propriè censentur violata, tametsi ea simplici benedictione reconciliari decorum exigere videatur.

Tertia Conclusio.

Corruente tecto, parietibus illæsis, & mensâ Altaris non enormiter fractâ, nec Altare, nec Ecclesia consecratur. Ita determinatur citato Decret. lib. 3. de consecrat. Eccles. vel Alt. tit. 40. Ligneis ædificiis Ecclesiæ vestræ casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensâ principalis Altaris in suâ extremitate modicam passâ fracturam. Et infrà. Inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod cum parietes in suâ integritate permanserint, & tabula Altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec Altare debet denuò consecrari. Hactenus Innocentius Papa III. loco cit cap. Ligneis. Si verò Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò supraposirus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari, ut decernit Alexander Papa III. ibid. cap. Ad hæc.

Quarta Conclusio.

Ecclesia, quæ propter homicidia in eâ perpetrata, & vulnera in eadem inflicta polluta est, non est de integro consecranda, sed ipsâ eadem manente cum Altari reconciliari potest per aquam cum vino & cinere benedictam. Ita nempè decernit Innocentius Papa III. scribens ad Compostellanum Archiepiscopum: Cujus responsionem hîc integram subjicere juvat.

Proposuisti, inquit, quod venientibus ad Ecclesiam sancti Jacobi ex diversis regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab aliis per contentiones & rixas, Altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia fieri contingunt interdum, & aliquando vulnera inferuntur. Et infrà. Fraternitati tuæ taliter respondemus: quod manente Ecclesiâ & Altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam. Hactenùs præfatus Pontifex in cit. lib. 3. Decret. de consecrat. Eccl. vel Altaris tit. 40. cap. Proposuisti.

Quinta Conclusio.

Quando Ecclesia est occultè violata, & in eâ (antequam ipsa ejus violatio divulgaretur) celebratum est Missæ sacrificium, non eget reconciliatione quippè quæ satis, superque per præsentiam sanctissimi Corporis Christi reconciliata censeatur.

Porrò nec Ecclesiæ, nec cæmeteria censentur reconciliata strictâ & propriè dictâ reconciliatione, nisi ab Episcopo fiat ista reconciliatio, utpotè quæ sit Ordinis Episcopalis actus, atque adeò ab solo Episcopo exercendus. Possunt autem eædem Ecclesiæ pollutæ & cæmeteria item polluta reconciliari reconciliatione latè sumptâ ab simplici Sacerdote, cui ab Episcopo, vel generali ejus Vicario necessaria ad id facultas facta fuerit. Tunc enim hujusmodi reconciliatio non est Episcopalis Ordinis functio, sed sacra cæremonia, quâ macula per humani seminis, vel sanguinis effusionem Ecclesiæ vel cæmeterio illata penitùs oblitteratur. Sed de his satis. Jam de sacris vestibus, & earum significationibus agendum. Sit itaque

QUÆSTIO XLIX.

Quot & quæ sint vestes quibus celebraturum Sacerdotem indui oportet, & quid significent?

Respondeo esse sex indumenta Episcopis & Presbyteris communia, Amictum scilicet, Albam, Cingulum, Stolam, Manipulum & Planetam. Ita declarat Innocentius Papa III. lib. 1. mysteriorum Missæ, cap. 10. De his breviter agendum. Sit itaque

Prima Conclusio.

Amictus, qui primum inter Sacerdotalia indumenta obtinet locum, & qui humerale & Ephod, seu superhomerale dicitur, duplicem habet significationem, mysticam scilicet & moralem.

Si spectetur mystica significatio, Amictus designat stupendum Incarnationis, in quo divinitùs ita juncta est humanitati per unionem hypostaticam, ut ab hominum oculis oblitesceret, atque ita Christus verè Deus absconditus in sacris litteris appellaretur. Ita declarat Innocentius Papa III. lib. 1. mysteriorum Missæ cap. 35. *Veniens*, inquit, *ad salvationem mundi Dei Filius, magni Consilii Angelus amictus est nube, dum*

divinitatem abscondit in carne. Idem sentit Rupertus Abbas lib. 2. de divin. officiis cap. 19. & alii.

2. Amictus significat Christi humanitatem pariter & divinitatem latitantem sub alienis speciebus panis & vini in sacrificio & Sacramento, ad quod efficiendum Sacerdos aggreditur, ut sciat se offerre idem sacrificium quod obtulit Christus in Cruce solâ offerendi ratione diversum. Siquidem in Cruce latebat sola Deitas, at in hoc ipso sacrificio latet & humanitas. Nam ut ait sanctus Thomas opusc. 57. *Accidentia sine subjecto in hoc Sacramento existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub alienâ specie occultatum.*

Hinc debent discere Sacerdotes suam vitam ab vulgari hominum consortio & colloquio citra necessitatis articulum remotissimam, & in Christo magis quam cæterorum fidelium vitam, absconditam esse oportere.

Præterea Amictus significat vile indumentum, quo adoranda Christi facies obducta est ab militibus, dum eum colaphis cæderent, & male contumeliis in domo Caïphæ inquinarent; ut Sacerdotes summi & primarii, imò & unici Sacerdotis, exemplo, omnia opprobriorum & contumeliarum genera æquo paterentur animo, perindè ac si velati essent, id est, perindè ac si clausis oculis corporis, nullo pacto homines, à quibus essent injuriis, probris & contumeliis appetiti, respicerent; sed unum dumtaxat Deum, suorum ipsorum persecutionem occulto consilio permittentem aperto dumtaxat animosæ Fidei oculo intuerentur. Et id, ut patet, ad moralem amictus significationem pertinet.

3. Ille ipse Amictus significat Sacerdotes suam vocem, seu linguam toties divini Christi Corporis contactu & Sanguinis potu consecratam moderari & compescere oportere. Undè Amalarius Fortunat. lib. 2. de Ecclesiast. officiis cap. 17. ita de amictu loquitur: *Amictus est*, inquit, *primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus: in collo namque est vox, ideoque per collum loquendi usus exprimitur, per Amictum intelligimus custodiam vocis, de quâ Psalmista dicebat*; dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ: posui ori meo custodiam. *Amictus verò dicitur, quia circumjicitur. In isto primo vestimento admonetur castigatio vocis.* Hæc ille.

4. Amictus significat fortitudinem, quia super humeros, in quibus maximè idonea portandis oneribus residet fortitudo, circumquaque diffunditur: Ita docet Innocentius Papa III. lib. 1. mysterior. Missæ c. 50. *Lotis*, inquit, *manibus*, (Sacerdos) *assumit amictum, qui super humeros circumquaque diffunditur, per quem operum fortitudo significatur.* Hæc ille.

Hugo de sancto Victore eruditionis Theologicæ, lib. 1. cap. 45. ait Amictum designare jugum Domini. *Humeros*, inquit, *quibus onera portantur eo* (Amictu) *velamur ut jugum Domini patienter ferre doceamur.* Hæc ille.

Secunda Conclusio.

Secunda sacrificantium Sacerdotum vestis est tunica talaris, seu poderis, quæ volgò Alba dicitur, quam ex lino potiùs, quam ex lanâ contexi necesse est.

Ista Ecclesiæ consuetudo sive lex quâ Sacerdotes sacrificaturi tunicis talaribus ex lino, seu bysso contextis indui jubentur, videtur repetita ex veteri Testamento, in quo ipsa lex Sacerdotibus Aaronicis erat indicta. Cur autem novi Testamenti Sacerdotem ad divinum mysterium accedentem lineis, non laneis vestibus indui oporteat, declarat sanctus Gregorius in Ezech. lib. 1. hom. 11. *Grossiora quippè vestimenta sunt lanea*, inquit, *sed cum Sacerdos ad sacrum ministerium accedit, id est, cum intùs per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est, quod ipse quasi lineo vestimento vestiatur.* Hæc ibi.

Haud immeritò sanè lineæ vestis usus sacrificantibus Presbyteris inducitur: Multa enim prædicantur de lino, quæ necessariam Sacerdoti sanctimoniam graphicè repræsentant, ut rectè observavit Cornelius à lapide in 28. c. Exodi. Nam 1. linum est mundissimum, tum quia multò meliùs detergit sordes, quam lana: tum quia lavari sæpè potest.

2. Quia lanea & serica tingi & fucari possunt: at linum simplicitatis amans tincturam omnem & fucum respuit: est ergo symbolum animi simplicis & candidi, qui omnem fictionem respuit; qualem Sacerdotis animum esse necesse est.

3. Linum licet tenue, nervosum tamen & robustum, adeò ut concidat apros qui se in retia ex eo contexta induunt. Tali robore, talibus nervis præsertim ad profliganda vitia Sacerdotem præditum esse oportere omnibus notius est, quam ut pluribus probari debeat.

4. Linum, ut ait Plinius, semper injuriâ fit melius. Injuriæ, quas linum tolerat antequam ad optatum candorem, splendoremque perveniat, plurimæ sunt; scilicet evelli, siccari, macerari fluvio, iterùm siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spathâ ligneâ, pecti ferreis hamis, neri, in filo poni, illidi crebrò in silice, ex aquâ texi, & tundi clavis.

Linum ita maceratum indicat insignem patientiam, & in patientia sanctimoniam, quâ Sacerdotem fulgere par est: ad quam tamen pertingere non potest, quin adversa omnia in Christo, & cum Christo pertulerit, quod quam sit illi necessarium indicat oratio, quam dum albâ induitur, adhibet, & ait: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

Quæres, quo pacto Christiani & Sacerdotes possint in sanguine agni dealbari?

Respondeo, Sex modis id quotidiè ab sanctis Christianis & maximè Sacerdotibus factitari. 1. Per Baptismum. 2. Per Pœnitentiam & alia Sacramenta. 3. Crebris gemitibus, oratione & compunctione. 4. Per opera misericordiæ. 5. Per continuam & ferventem omnium virtutum, & præsertim charitatis, & patientiæ exercitationem. 6. Denique per martyrium. Per hæc enim omnia merita Christi nobis applicantur: atque ita dealbati, seu ab criminibus repurgati Christiani, & maximè Sacerdotes Christi Jesu rore perusti ad majorem in dies puritatem progrediuntur.

Tertia Conclusio.

Cingulum tertium in vestimentis Sacerdotalibus obtinet locum. Ut per illud admoneantur Sacerdotes quanto studio in retinendam castitatem incumbere debeant. Debet igitur, inquit Innocentius Papa III. lib. 1. mysterior. Missæ, cap. 52. Alba circa lumbos zonâ præcingi, ut castitas Sacerdotis nullis incentivorum stimulis dissolvatur. Undè sint lumbi vestri præcincti; & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis enim luxuria dominatur: sic Dominus loquens de diabolo manifestat: Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo in umbilico ventris ejus. Debent ergo lumbi præcingi per continentiam, & subcingi per abstinentiam; quoniam *hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* Hinc etiam Apostolus ait: *State succincti lumbos vestros in veritate.* Hæc ille.

Honorius Augustodunensis Episcopus in gemmâ animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 205. non recedit ab Innocentii Papæ III. sententiâ: *Cingulo*, inquit, *cingitur* (Sacerdos) *quod in lege balteus, apud Græcos zona dicitur; per cingulum quod circa lumbos præcingitur, & alba ne defluat, & gressum impediat, astringitur, mentis custodia, vel conscientia accipitur, quâ luxuria restringitur, & castitas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur, & gressus bonorum operum impediatur, & ipsa concupiscentia de vitâ ad ruinam impellatur.* Hæc ille.

Quarta

Quarta Conclusio.

Quartum sacrificaturi Sacerdotis ornamentum dicitur fano, Manipulus, Mappula, Mamile, Sudarium; de quo ita loquitur Honorius Augustodunensis Episcopus in gemmâ animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 208. *Sacerdos*, inquit, *fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & Mappula & Sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur, per hoc pœnitentia intelligitur, quâ quotidiani excessus labes extergitur: hoc in sinistro brachio gestatur; quia in præsenti tempore tantum vita nostra pœnitentia emundatur. His vestibus Sacerdos ornatus procedit, Confessionem facit, quia licet his virtutibus fulgeat, dignum est ut inutilem servum se dicat, de transactis se accusans & reum dijudicet, & coram Deo gratiam inveniat.* Hæc ille.

De Manipulo seu Sudario, & ejus morali significatione ita loquitur Amalarius Fortunat. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 24. Sudario, inquit, solemus tergere pituitam oculorum & narium, atque superfluam salivam decurrentem per labra. Ac ideò Sudarium significat isto in loco studium mundandæ cogitationis, quo naturales & velut ingenitas nostras delectationes studemus tergere, sive propter effusionem lachrymarum tergendam fertur sudarium, ut in Martyrologio Bedæ legitur, quod Pater noster Arsenius propter redundationem lachrymarum tergendam sudarium semper in sinu, vel manu habuerit. In manu sinistrâ portatur, ut ostendatur in temporali vitâ tædium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis. Et paulò post: Tædium in animâ est quasi sudor in corpore. Si tædium oriatur ex conscientiâ peccatorum, vel ex afflictione, habeamus sudarium ex lino castigatum & mundum, qualia sunt ista Prophetæ verba: cor mundum crea in me Deus, &c. munda cogitatio in David fuit, mundaque in Job quando dixit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sic & nos quando tædio aliquo afficimur, ne majori tristitiâ absorbeamur, in consolationem nostri, quasi quoddam sudarium exempla prædicta sanctorum Patrum ad corroborandam patientiam, & detergendum tædium sumamus. Per sudarium intelligimus mundos affectus, & pios in labore. Hactenùs Amalarius Fortunat. Trevirensis Episcopus loco cit.

Manipulus igitur significat lachrymas, quibus Sacerdotes sua pariter & populi peccata prosequi, & laborem in quem eos incumbere necesse est. Undè Ecclesia nos, dum Manipulum assumimus ita orare jubet: *Merear Domine, portare Manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Ac reipsa quidem, non immeritò quis dixerit Psalmistam ad Sacerdotes respectum habuisse cum cecinit: *Ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes Manipulos suos.* Quotquot enim Sacerdotes sunt in Ecclesiâ Dei, tot sunt operarii, quos Christus Jesus Dominus messis misit in messem suam.

Ille ipse Christus jam venit, *Ecce de nostro negotio lucrum requirit*, ait sanctus Gregorius, *quale ei animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus? quot ejus conspectu animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Iudex veniet & rationem cum servis suis, quibus talenta tradidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum Choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conversâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.* Hactenùs sanctus Gregorius hom. 17. in Evangelia. Hujusmodi homilia pulcherrima, & sanè digna quam Sacerdotes divinæ gloriæ studio perusti legant identidem & relegant.

Ex allato igitur istius Homiliæ loco constat veros Christi Sacerdotes, qui in sacrificando, & frequentiùs & ardentiùs orando, & pœnitentiæ lachrymis & laboribus ædificaverint Corpus Christi, quod est Ecclesia: qui in ministerio Verbi, in Sacramentorum, & præsertim pœnitentiæ administratione castè & integrè versati fuerint, qui denique vitæ sanctioris exemplo fidelibus prætulerint facem ad omnia, vel certè pleraque omnia virtutum genera, vel alio quocumque modo strenuè in animarum conversionem incubuerint, suos è Christi messe Manipulos, id est, adducturos fidelium greges, quos ad æternam salutem inexincto divinæ charitatis ardore provexerint.

Rectè igitur Innocentius Papa III. asserit per Manipulum significari vigilantiam, quâ Sacerdotes, uti par est, ne ipsos cordis stupor seu acedia ab vitæ Sacerdotalis instituto deterreat. Cæterum (inquit lib. 1. myst. Missæ cap. 59.) quia mentibus benè compositis, & divino cultui mancipatis sæpè subrepit acedia, quæ quodam torpore reddit animam dormientem, dicente Psalmistâ, dormitavit anima mea præ tædio, in sinistrâ manu quædam apponitur Mappula, quæ Manipulus vel Sudarium appellatur, quâ sudorem mentis abstergat, & soporem cordis excutiat, ut depulso tædio, vel torpore, bonis operibus diligenter invigilet. Per Manipulum ergo vigilantia designatur, de quâ Dominus ait: Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Hæc ille.

Stephanus Eduensis in lib. de Sacram. Altr. cap. 10. existimat manipulo significari dolorem ex flagitiorum recordatione susceptum, quo Sacerdotes sacris operaturos affici necesse est. Manipulus, inquit, cordis compunctionem, veramque pœnitentiam indicat, quam Sacerdos ad Altare deferre debet; Undè orat; *Merear Domine portare Manipulum fletus & doloris, &c.*

Quinta Conclusio.

Quintum in vestimentis Sacerdotalibus locum obtinet Stola, quam cervicem circumdare & per humeros ad dextrum & lævum latus demitti, & sub pectore Crucis signum exprimere necesse est.

Hujusmodi rituum moralem explicationem aperire est operæ pretium, Hac de re ita prædicat Yvo Carnotensis: Utuntur, inquit, Sacerdotes Stolâ, quæ alio nomine Orarium vocatur, quâ vetus Sacerdotium non utebatur. Hoc tamquam jugum bobus arantibus vel triturantibus collo juxta humeros superponitur: ut illud Evangelium ab eis impleatur: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hæc à collo per anteriora descendens dextrum latus ornat, & sinistrum, ut doceat Sacerdotem per arma justitiæ à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & adversis, debere esse munitum, quod ad fortitudinem pertinet, sine quâ cæteræ virtutes facile expugnantur, & minimè coronantur. Undè dicit Apostolus, *patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissiones.* Et in Evangelio Dominus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Indè est quod Stola cum Zonâ poderis quibusdam nexibus colligatur: quia virtutes virtutibus adjuvantur, ne aliquo tentationis impulsu moveantur. Hactenùs Yvo Carnotensis in serm. de Sacerdotalibus indumentis, quem in Synodo habuit.

Hæc observatio seu instructio luculenter astruitur authoritate Concilii Bracarensis III. cujus c. 3. anathemate feriendi declarantur cuncti Sacerdotes, qui rem divinam facturi, vel Eucharistiæ Sacramentum percepturi, Orario, id est, Stolâ humerum utrumque non munierint, Quoniam (verba sunt Concilii)

antiquâ & Ecclesiasticâ institutione novetimus præfixum, ut omnis Sacerdos cum ordinatur, Orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui semper impertnibatus præcipitur consistere inter prospera & adversa, virtutum semper ornamento utroque circumseptus appateat humero; quâ tatione tempore sacrificii non assumat, quod se in Sacramento accepisse non dubitat? Proindè modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat, & in oblatione vel perceptione suæ salutis; scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus: Ita ut de uno, eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum sub pectore præparet Crucis: Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.

Hactenùs Canon Concilii Bracarensis III. quem Canonem citat Innocentius Papa III. lib. 1. myster. Missæ cap. 54. Debet autem Sacerdos, inquit, secundum Decretum Bracarensis Concilii de uno, eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum Crucis in pectore suo præparare. Hæc ibi.

Cur autem Stolâ poderi cum zonâ quibusdam nexibus vinciatur, laudatus Pontifex eamdem affert rationem, quam suprà ex Yvone Carnotensi retulimus: quia virtutes virtutibus sociantur, inquit, ne aliquo tentationis moveantur impulsu.

Hæc ille lib. 1. myster. Missæ citato cap. 54.

Sexta Conclusio.

Sextum & ultimum inter Sacerdotalia instrumenta locum obtinet Planeta, seu Casula, quæ cæteris Sacerdotum indumentis superponitur; quæ quia communis est vestis, charitatem significat, quæ universis virtutibus superponitur: quia cæteræ virtutes sine eâ nihil utile operantur. Undè dicit Apostolus 1 Cor. cap. 13. v. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: Major autem horum est Charitas.* Hæc Apostolus, qui & eod. capit. sine Charitate cætera omnia quantumvis eximia nihil prodesse satis superque significat.

Per Casulam significari Charitatem, quæ virtutes omnes suâ dignitate supergreditur, asserunt plerique omnes sacrarum vestium & cæremoniarum Interpretes, & imprimis Rabanus Maurus lib. 1. Institut. Clericor. cap. 22. Hanc ergo vestem, inquit, possumus intelligere Charitatem, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tutamine protegit & illustrat. Nec enim ullus jam erit virtutum splendor, si non eas Charitatis irradiaverit fulgor. Quod ostendit Apostolus, dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Hæc ille.

Idem docet Yvo Carnot. in cit. serm. de significatione Sacerdotalium indumentorum. Reverà Innocentius Papa III. lib. 1. de mysteriis Missæ, cap. 18. ait Casulam esse vestem nuptialem, de quâ loquitur Dominus in Evangelio: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

Per hanc vestem nuptialem sancti Patres intelliguot Charitatem. Quod & ipsa significat Ecclesia. Cum enim aliquis de Presbyteratûs ordine detrahatur, Pontifex degradator accipit Casulam sive Planetam per posteriorem partem Caputii, & degradandum exuit, & dicens: *Veste Sacerdotali Charitatem signante, te meritò expoliamus, quia ipsam & omnem innocentiam exuisti:* Id legere est Pontificalis Romani 3. p. p. 458.

Casula igitur seu Planeta cum cæteris Sacerdotum vestibus, non solum est ejus charitatis, quâ Sacerdotem ardere par est, indicium, sed etiam efficacissimum ejusdem Charitatis incitamentum. Quemadmodum enim Zona, & Manipulus, & Stola referunt vincula, quibus Christus sua inter opprobria colligari voluit, linea tunica vestem albam quâ per ludibrium ab Herode indutus est, repræsentat; sic Casula seu Planeta adumbrat purpuream vestem seu chlamydem coccineam, quâ milites Christum omnibus probris inquinatum in Pilati Prætorio induerant. Et hæc omnia in sacrificio gestanda Sacerdotibus ab Ecclesiâ dicuntur, ut dum Christi personam sustinent in incruento illo sacrificio, ejusque mortis memoriam celebrant, ejusque Passionis speciem, tam actu, quam habitu, repræsentant, memori animo revolvant nimiam illam charitatem, quâ Christus *Jesus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis, & cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est*; atque ita diligant eumdem illum Christum, *non quod illum dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

Quod si omnes Christiani, & præsertim Sacerdotes abdicatis omninò rerum humanarum illecebris & amoribus nimiam illam Christi charitatem, seriò crebrò, & syncero pectore volutarent, ipsum Christum ingenti, imò infinito, si fieri posset, amore deperirent, & cum Apostolo anathema dicerent omnibus qui non diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.

Præterea Casula mysticè significat mysticum Christi Corpus, quod est Ecclesia, ut indicat Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 2. de divinis offic. cap. 11. Casula, inquit, magni Sacerdotis nostri Christi vestimentum significat illud vestimentum, inquit, magni Sacerdotis nostri vestimentum significat illud vestimentum veri Aaron, cujus in oram descendit unguentum quod est in capite: primum descendens in barbam ipsius Aaron. Quod est illud vestimentum? sancta Ecclesia Catholica. Nam barba Aaron quod interpretatur, mons fortitudinis, barba, inquam, Aaron Jesu Christi Apostoli sunt, atque Apostolici viri fortes & perfecti. Unguentum autem regale & Sacerdotale Spiritus sanctus est, cujus tota plenitudo est in capite scilicet Christo, atque indè primum in extrema membra Ecclesiæ quasi in oram vestimenti descendit. Casula ergo vestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. Est autem integra & undique clausa, ut unitatem vel integritatem veræ fidei demonstret. Huic autem superinduitur, & in ejus aptè circumponitur Amictus, quo ante caput Sacerdotis tegebatur, quem nubem humanitatis ejus, in quâ latuis Divinitas, significare jam diximus: quia videlicet caput, corona, & decus Ecclesiæ suæ humanitas Christi est: Caput autem humanitatis Deus. In eo verò quod Casula, cum sit una & tota integra, aptatione manuum, quæ extensionem manuum crucifixi Domini aptè depingit, in anteriorem & posteriorem partem quodammodo dividitur, antiquæ Ecclesiæ, quæ Passionem Domini præcessit, & novæ quæ subsequitur, signum est. Nam, ut addit Innocentius Papa III. lib. 2. myst. Miss. c. 42. in quo illum ipsum Ruperti locum exscripsit, qui præibant & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Casula igitur significat Charitatem, quia cæteris Sacerdotum vestibus superponitur, quemadmodum Charitas cæteris virtutibus antefertur. Præterea illa ipsa Casula, est potissimum charitatis incitamentum, quia cum cæteris sacrificantium vestibus repræsentat vincula, vestes & alia id genus, quæ propter nimiam charitatem, quâ Christus Jesus dilexit nos toto Passionis acerbissimę spatio pertulit.

Postremo Casula significat Ecclesiam, ut ostendimus

ex Abbate Ruperto & Innocentio Papâ III. ut indè disceremus Sacerdotes suam præsertim charitatem in Ecclesiam Dei exercere oportere. Cum enim ille ipse Christus Jesus dilexerit ipsam Ecclesiam & seipsum tradiderit pro eâ, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata, ut ait Apostolus Ephes. cap. 5. v. 25. & seqq. nonne par est Sacerdotes singulari amore prosequi Ecclesiam Christi Jesu (cujus personam inter sacra mysteria sustinent) ita ut omnem curam, omne studium, omnem sollicitudinem, omnem operam & laborem, omnem vim & industriam in ipsius ædificationem, propagationemque conferant.

QUÆSTIO L.

Quid præsertim observandum sit circa Sacerdotalia indumenta?

1. CONsideranda est hujusmodi indumentorum necessitas præcepti scilicet saltem Ecclesiastici; non autem sacrificii, quæ quidem tanta est, ut vel plurium, vel unius dumtaxat ex hujusmodi vestibus omissio voluntaria, & cum advertentiâ rationis admissa peccatum mortale ex plurium eorumque gravium Theologorum judicio censeatur. Tunc enim asserunt hujusmodi Theologi usum & universalis Ecclesiæ consuetudinem, quæ jampridem vim legis obtinuit, in gravi materiâ violari.

2. Nemo ignorat hujusmodi vestes ab Episcopo benedictas esse oportere. Hanc enim benedictionem ad Episcopos pertinere docet Innocentius Papa III. lib. 2. myster. Missæ cap. 9. videtur tamen usus obtinuisse, ut nonnulli speciali privilegio ab Ecclesiâ concesso sacerdotalia indumenta benedicant. Per vestes autem sacerdotales intelligimus amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam & casulam. Nemo igitur in sacrificio hujusmodi vestibus nondum benedictis uti potest, quin graviter peccet, ritum Ecclesiæ non servans.

3. Peccant mortaliter quotquot Sacerdotes celebrant in vestibus notabiliter immundis. De talibus ita loquitur Cajetanus in summ. v. Missæ celebratio num. 2. *Tacendum autem non est multorum crimen valdè intolerabile circa immunditiam corporalium & vestium sacrarum, damnatam non solum à Canonico jure extra de custod. Eucharist. sed etiam à naturali jure: Quum deceat immunditia hujusmodi etiam prophanos, & illimet non sterentur sudariolis ita immundis, nec ad mensam.* Hæc ille.

4. Peccant mortaliter qui sacras illas vestes profanos ad usus applicant, vel aliis ad tales usus transferendas commodant. Nam nusquam licet res sacras profanos ad usus adhibere. Ut patet ex dist. 1. de consecrat. ligna Ecclesiæ dedicata, ut sibi constitutum est, non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: in Laicorum autem opera non debent admitti. Et ibidem legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Hactenùs S. Thomas 3. p. q. 83. a. 3. ad 3.

5. Observandum est enumeratas Sacerdotum vestes tamdiù retinere benedictionem, quamdiu non amittunt priorem formam, nec ita deteruntur, ut ad usum cui destinatæ sunt, aptæ esse desinant. Unde si ex albâ v. g. revellatur pars aliqua notabilis, cujus detractione ad usum, cui destinata est, apta esse desinat, denuò benedicenda est, sicut & cingulum fractum eget novâ benedictione, si neutra ejus pars ad cingendum adhiberi possit: oportè quod cum desierit aptum esse ad usum cujus gratiâ factum est, suam benedictionem amiserit, quam non amittit, si partes, quæ frangendæ conspiciuntur, consuantur filo ante fractionem.

Observandum tamen est Sacerdotem in casu necessitatis fracto cingulo uti posse. Præterea si una fracti cinguli pars ad cingendum sufficere valeat, illud ipsum cingulum non amittere benedictionem, etiamsi illi aliqua alia pars, vel etiam ipsa quæ avulsa est, adjiciatur.

6. Observandum est, sacras vestes, sacra vasa, qualia sunt Calix, patena, corporale, ciborium, nemo sine gravi culpâ contingere potest præter Sacerdotem & Diaconum: si videlicet in iis Corpus vel Sanguis Christi contineatur: si verò vacua sint, ea nec Laïcis, vel viris, vel fœminis etiam sanctimonialibus, sicut & alia consecrata & chrismate uncta contingere licet, sicut colligitur ex cap. in sanctæ Hoc ipsum sancitum est summorum Pontificum decretis, ut patet ex Epistolâ 2. Sixti Papæ I. *Cognoscat*, inquit, *vestra sapientia, charissimi fratres, quam hac sanctâ Sede Apostolicâ à nobis, & reliquis Episcopis, cæterisque Domini Sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis quam à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus.* Hæc ille.

Damasus Papa in Pontific. referens decreta ab Sotere Pont. Max. constituta idipsum liquidò contestatur: *Hic* (Soter) *constituit, ut nulla monacha, pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sanctâ Ecclesiâ.*

Observandum est hoc loco pallæ vocem hîc usurpari pro omni sacrarum vestium genere, ut observarunt periti rituum Interpretes.

7. Observandum est nemini profano, id est nondum sacris ordinibus initiato patuisse aditum in secretarium, id est locum, in quo servabantur vasa sacra, ut constat ex Concilii Agath. c. 66. Non oportet, verba sunt Concilii, insacratos ministros licentiam habere in secretarium (quod Græci Διακονικὸν vocant) ingredi & contingere vasa Dominica, idque non solùm Laïcis, sed etiam inferioris ordinis Clericis interdictum erat: illis quippè templi sacrarium seu locum sacris asservandis præstitutum ingrediendi, multò magis vasa Dominico cultui dedicata contingendi facultatem denegatam esse Authores non pœnitendi commemorant.

QUÆSTIO LI.

Utrùm præter vestes sacras alia ad Missæ sacrificium ritè celebrandum requirantur?

RESpondeo plura requiri quæ nullo negotio colliguntur ex Missali Romano in tractatu de defectibus circa Missam occurrentibus cap. 10. *Possunt*, inquit, *defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto.*

Ex hisce verbis colligimus

1. Celebrandum esse Missæ sacrificium in loco sacro, vel ad sacrificium ab Episcopo deputato, & in altari consecrato & tribus mappis cooperto. De loco sacro & altari, in quo Missæ sacrificium celebrari necesse est, egimus suprà.

Hoc tantum hîc de altari notandum est, quod juxta S. Sylvestri Decretum lapideum esse debeat. Quia enim altare consecrari debet, oportet esse rem aliquam fortem, & non fragilem, sicut est lignum vel terra, de quâ fiat altare, ut ait S. Thomas. Competit etiam lapis ad significationem altaris, quod significat Christum, qui etiam per petram significatur 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. Ut ait S. Thomas ad dist. 12. l. 4. sentent. q. 1. in solut. quæstiunc. 5. ad 2.

Hoc ipsum de consecrat dist. 1. c. Altaria, refertur & sancitur ex Concilii Epaunensis cap. 26. & 27. in hæc verba: *Altaria, si non fuerint lapidea, Chrismatis Unctione non consecrentur.* Hæc ibi.

Quod spectat ad tres mappas, quibus altare cooperiri debet, constat illas non nunc primùm altaribus fuisse impositas; siquidem eas Optatus Milevitan. lib. 6. contra Parmeniam appellat linteamina, sicut & Author Ordinis Romani. Undè inferimus ejusmodi mappas ex lino fuisse contextas. Hujusmodi mappas ad quatuor altaribus fuisse ad sacrificium celebrandum impositas, testatur Decretum Pii Papæ I. quod refertur ab Ivone Decreti 2. p. cap. 56 Si super altare, inquit citat. Pontifex, stillaverit Calix, sorbeat minister stillam, & tres dies pœniteat; si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor dies pœniteat: si usque ad tertium, novem dies pœniteat: si usque ad quartum, viginti dies pœniteat: & linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, Calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur. Hæc apud Ivonem, quæ & referuntur de consecrat. dist. 2. cap. si per negligentiam.

Quicquid sit, ante corporale ad minus duæ pallæ seu toballeæ sint extensæ super altare, vel una saltem plicata, illa enim duabus æquivalet, nec refert quod in aliquâ parte continua sit, &c.

Probabile est præter oblongam mappam quæ totum altare cooperit, supponi duas alias pallas corporali, &c. Consuetudo autem tenet, ut duæ pallæ sufficiant ac necessariæ sint, &c. Non est necesse pallas esse benedictas: quod autem altare his pallis cooperiatur, antiquissimum est in Ecclesiâ, ut ex Clement. Ep. ., & ex Burchardo lib 3. cap. 57. probat Suarez Tom. 3. in 3. p disput. 8. sect. 6.

Præterea Missale Romanum recenset cereorum defectum inter defectus, qui occurrunt in ministerio: Si, inquit, non adsint luminaria cerea.

2. Igitur ad legitimam Missæ celebrationem requiruntur candelæ cereæ.

Cereorum usum in Missæ sacrificio tam necessarium prædicant omnes Theologi, ut si quis sine ullo saltem cereo præfatum sacrificium offerre audeat, eum lethalis peccati reatum incurrere contendant.

Si quis autem inter celebrandum uteretur facibus ex sevo, vel oleo accensis, peccaret contra ritum universalem Ecclesiæ, ut affirmat Zerola praxis Episcopalis part. 1. v. Missa

Porrò cereorum usum in Ecclesiâ esse antiquissimum docent Sancti Patres, S. nempè Hieronymus in opere adversus Vigilantium fidei desertorem elaborato. Cujus verba quia superiùs retulimus, hîc non repetimus.

Id etiam affirmat S. Augustinus serm. 33. de divers. Quod & testatur S. Paulinus ipsius ætati suppar: sic enim canit in natali 3. S. Felicis.

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant: sic nos splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Idipsum docet S. Athanasius; siquidem in Epistol. ad Orthodoxos deplorat cereos à fidelibus oblatos ab Arianis sublatos fuisse, & idolis accensos.

Prætereà idem Missale Romanum affirmat eum admittere defectum in ministerio, qui indebitis horis celebrat: *Si*, inquit, *non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurorâ ad meridiem communiter.*

Tertiò ergo requiritur ad legitimam divini sacrificii celebrationem tempus ab Ecclesiâ præstitutum. Quod ut intelligatur, juvat audire S. Thomam qui cum sibi objecisset Ecclesiam in celebratione hujus Sacramenti debere imitari institutionem Christi, atque adeò cum Christus consecraverit hoc Sacramentum horâ serotinâ videri quod tali horâ hoc Sacramentum celebrari debeat.

Hanc objectionem ita propositam ita solvit S. Doctor 3. p. q. 83. a. 2. ad 3. Dicendum, inquit, quod Christus voluit ultimò hoc Sacramentum discipulis tradere, ut fortiùs eorum cordibus imprimeretur. Et ideò post Cœnam in fine diei hoc Sacramentum consecravit, & Discipulis suis tradidit. A nobis tamen celebratur horâ Dominicæ Passionis, scilicet diebus Festis in tertiâ quando crucifixus est linguis Judæorum, ut dicitur Marc. 15. & quando Spiritus sanctus descendit super Discipulos, vel diebus profestis in sextâ quando crucifixus est manibus militum, ut habetur Joan. 19. vel diebus jejuniorum in nonâ, quando voce magnâ clamans emisit spiritum, ut dicitur Matth. 27. Quod & confirmat in corp. cit. artic. Quia verò, inquit, Dominica Passio celebrata est ab horâ tertiâ usque ad nonam (id secundum nostrum loquendi modum ab horâ nonâ matutinâ ad tertiam pomeridianam) ideò pergit S. Thomas regulariter, in illâ parte diei, solemniter hoc Sacramentum in Ecclesiâ celebratur.

Ex isto S. Thomæ loco colligimus isto quo vixit sæculo hanc viguisse consuetudinem, ut ordinariè loquendo Missæ sacrificium ab horâ tertiâ, id est ab horâ nonâ matutinâ, usque ad horam nonam in Ecclesiâ celebraretur: tametsi nihil prohiberet quominus Missæ celebrarentur in primâ parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur de consecrat. dist. 1. c. necesse est. Porrò regulariter Missa celebranda est in die & non in nocte; unde colligi non potest, quod etiam post mediam noctem celebrare liceat. Quamvis enim Leo Papa scripserit Dioscoro Alexandrino Episcopo quod in primâ parte diei Missas celebrare liceat, ut legitur de consecrat. dist. 1. cap. necesse est, non tamen licet eo tempore celebrare, siquidem dies à mediâ nocte non incipit; ut asserit idem S. Thomas cit. q. 83. a. Ad 4. dicendum, inquit, quod regulariter Missa debet celebrari in die, non autem in nocte: quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento qui dicit Joan. 9. me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari; quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Ita tamen quod principium diei accipiatur non à mediâ nocte: nec etiam ab ortu solis, id est quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Unde & Marc. 16. dicitur quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole, cum tamen venerint cum adhuc tenebræ essent ad monumentum; ut dicitur Joan. 20. Sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus in l. 3. de consensu Evang. cap. 14. specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur. Propter hoc quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur de cons. d. 1. c. nocte. Et similiter etiam in sabbato sancto circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est cum adhuc tenebræ essent ante manifestum solis ortum. Ita S. Thom. quæst. & a. cit. ad 4.

Ad hujus loci clariorem intelligentiam observandum est per auroram apparere incipientem, non intelligi strictè tempus illud, quo sol supra nostrum horizontem cernitur & apparet, sed primum diei crepusculum, seu primam solis irradiationem à quâ Missæ celebrationem inchoare licet unâ horâ (imò per hyemem duabus horis) antequam sol ortus appareat, ut observat Sylvius ad citat. sancti Thomæ art. Quod si necessitas infirmum communicandi urgeat, vel quispiam privilegio ad hunc effectum ab Episcopo justâ de causâ concesso gaudeat, in istis rerum articulis illud etiam tempus antevertere licebit.

Verùm quicquid aliàs factitatum fuerit, vel factitari potuerit, nostrum est eam retinere consuetudinem, quâ celebrandi tempus ab aurorâ id est ab primo diei crepusculo, seu primâ solis irradiatione ad meridiem usque productum ab Ecclesiâ Catholicis sacerdotibus indicitur: quibus tamen posito necessitatis articulo licebit aliter sese gerere, prout scilicet Christiana prudentia suggesserit.

Hoc autem tempus Missarum celebrationi præstitutum est, ne quis ad superstitiones divino sacrificio abuteretur. Quod indicat Concilium Tridentinum. sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in Missæ celebratione. *Postremò*, inquit, *ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caveant* (*Episcopi*) *ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint*. Hactenùs Concilii verba.

Insuper Missale Romanum addit alium occurrentem in ministerio defectum, si videlicet celebrans saltem maturinum cum laudibus non dixerit.

Quarto igitur loco requiritur, ut celebrans saltem maturinum cum laudibus recitaverit.

Si quis quærat utrum Sacerdos matutini laudumque recitationem celebrandæ Missæ aliquâ lege præmittere teneatur?

Respondeo ad hujusmodi horarum recitationem celebraturum sacerdotem obligari ex vi consuetudinis, quæ quidem cum ab omnibus passim accepta fuerit, nemo Sacerdos illam infringere potest, quin ad id urgenti quapiam ratione moveatur. Quisquis enim se ad usum apud pios & religiosos homines cumularè constitutum componere detrectat, aliquam singularitatis atque adeò superbiæ notam effugere non potest.

Huc accedit quod mysterii celebrandi sanctitas præparationem quantam maximam exigat, ad quam nemo meliùs pertingere valet, quam singulari devotionis affectu suum recitando officium, utpotè quod sit oratio, quam Spiritus sanctus nobis Ecclesiæ ministerio proposuit.

Si quis autem negotiis ad proximorum salutem spectantibus implicatus fuerit, ut puta si quispiam Parochus maximam diei partem in ægrotos invisendos, vel appetente, vel premente quapiam solemnitate in excipiendas confessiones contulerit, citra scrupulum celebrare poterit, & tunc consultiùs aget celebrando quam officium recitando; tunc enim Parochianorum murmur ex Missæ dilatione haud dubiè oriturum inhibebit.

Pergit Missale & ait admittere defectum, si omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus: Et si vestes Sacerdotales & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ.

Quinto igitur legitima Missæ celebratio requirit omnes omnino Sacerdotum vestes, easque vel ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente benedictas; ita ut si quis Sacerdos celebraturus sciens & volens, vel unam ex Sacerdotalibus vestem adhibere neglexerit, peccet lethaliter. Cum enim Ecclesia hujusmodi vestium usum sacrificaturis Sacerdotibus indixerit, non potest assignari ratio cur in unius vestis Sacerdotalis voluntariâ omissione Sacerdos ab peccati lethalis reatu excusetur, cum omnibus & singulis hujusmodi vestibus sub pœnâ peccati lethalis nemine Theologo reclamante inter sacrificandum uti teneatur.

Similiter sese & in lethale flagitium implicat qui præfatas vestes, id est amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & casulam, nec ab Episcopo, nec ab alio hanc habente potestatem benedictas ad sacrificium adhibuerit. Is enim, quisquis sit, Ecclesiæ præceptum violat in materiâ gravi.

Alium insuper defectum in Missæ sacrificio occurrentem recenset Missale Rom. loco citato, si nimirùm non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missâ, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier.

Quinto igitur loco requiritur minister saltem unus, qui sacrum facienti Sacerdoti ministret, urceolos nempè porrigat, & fidelium nomine respondeat. Neque enim, ordinariè loquendo, sine ministro celebrare licet. Sic enim definitum est in Concilio Nannetensi c. 3. Hujus Concilii definitio apud Ivonem Decreti part. 3. de Ecclesiâ cap. 70. legitur in hæc verba: Definivit sanctum Concilium ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare; cui enim dicit, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut, gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit qui respondeat, aut in Canone, & omnium circumstantium, cum nemo adsit: Aut quem invitat ad Orationem, cum dicit, oremus, cum nullus sit qui secum oret? aut ergo ista penitùs reticenda sunt. Et non solùm non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret (quisquis ille est) illam terribilem sententiam: si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ: aut si hæc muris & parietibus insusurravetir, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio maximè à Monasteriis monachorum exterminanda est. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis, & aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur. Hactenùs Ivo loco citato.

Idipsum declarat Alexander Papa III. cap. proposuit, de Filiis Presbyterorum Non enim solus, inquit, Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina Officia potest sine ministri suffragio celebrare.

Observandum autem hîc per ministrum intelligi virum non fœminam. Ita enim definitum est in Concilio Nannetensi cit. c. 3. in hæc verba: Sed hoc secundum authoritatem Canonum modis omnibus prohibendum ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infrà cancellos stare, aut sedere. Hoc Decretum refertur etiam ab Ivone Decreti part. 6. cap. 192.

Unde si Sacerdos in eas redigeretur angustias, ut eum celebrare oporteret, nec haberet adjutorem, satius esset vel ipsum respondere sibi, quam adjutricem adhibere mulierem, quia tametsi id ad lethalis peccati malitiam non pertineat, duabus tamen de causis factitari nec potest, nec debet, utpotè quod primò ipso jure prohibeatur: & deinde ab decoro, quod in omnibus, at præsertim in sacro ministerio servandum est, majorem in modum abhorreat.

Quod quidem nihil prohibet, quominùs fœmina sacrificanti Sacerdoti respondeat, modo sit ab altari remota, nec ad illud accedat, vel aquam, vel vinum, vel aliud quid porrectura, nec indè ullum scandali sivè offensionis periculum emergat, vel emersurum appareat. Moniales v. g. sui Chori septis inclusæ respondere possunt Sacerdoti ad altare ab præfato oratorio dissitum, sacrificanti, ita ut Sacerdos ipse sibi vinum & aquam, cum necessarium fuerit, infundat. Hoc esse licitum docent plerique omnes Theologi, si necessariò sacrificandum sit, nec idoneus ad sacrificandum minister suppetat.

Porrò secluso perurgentis necessitatis casu Sacerdotem sine ministro celebrare severè pleraque vetant Concilia.

Imprimis Concilium Moguntiacum anno sal. 813. sub Leone Papâ III. celebratum id liquidò prohibet c. 43. in hæc verba: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit.* Hæc ibi.

Idipsum clariùs & ubetiùs sancitum est in Concilio Parisiensi VI. ann. Redempt. 829. Ludovico Pio imperante celebrato: Cujus hæc sunt verba. Irrepsit in plerisque locis partim incuriâ, partim avaritiâ reprehensibilis usus, & congruâ emendatione dignus, eo quod nonnulli Presbyterorum sine ministris Missarum solemnia frequentent; quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui Discipulis celebranda tradidit; nec Apostoli Pauli documenta declarant; nec etiam in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Undè conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi Corporis & Sanguinis Domini

solitarius consecrator, quibus dicit, *Dominus vobiscum*, & à quo illi respondeatur, *& cum spiritu tuo*: vel pro quibus supplicando Domino inter cætera: memento Domine & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo quia Apostolicæ, & Ecclesiasticæ authoritati refragatur, & tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur, provideatque unusquisque Episcoporum, nè in suâ Parochiâ quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat. Et si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subjaceat. Hactenùs ex Conc. Parisiense VI. lib. 1. can 48. Tom. 2. Concil. Galliæ ex editione J. Sirmundi fol. 515.

Aliquot annis ante hujusmodi Concilia Theodulphus Aurelian. Episcopus anno nempè Redempt. 797 in suum Capitulare retulit hanc traditionem his verbis: Sacerdos Missam solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione Sacerdotis, responsione nihilominùs plebis, ita nimirùm nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur: & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum sum. Hactenus 7. Canon qui legitur in Capitulari Theod, Aurelian. Episcopi.

Ex dictis videtur neminem Sacerdotem sine peccato celebrare posse, qui idoneum adjutorem seu ministrum habeat.

Prætereà Missale Romanum testatur esse defectum notabilem in sacrificio, si non adsit Calix cum patenâ conveniens, cujus cuppa debet esse aurea vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitrea.

Sexto igitur loco Missæ sacrificium exigit Calicem & patenam, de quibus breviter per quasdam quæstiunculas est agendum. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA I.

Ex quâ materiâ Calices Ecclesia fabricari jusserit.

RESpondeo Ecclesiastico præcepto sancitum esse ut Sacerdotes Calicibus vel aureis, vel argenteis, vel saltem stanneis, inter sacrificandum uterentur: vel certè in conficiendis mysteriis adhiberent Calices, quorum saltem cuppa esset vel aurea, vel argentea, vel si minùs stannea, quamquam stanneus Calix, vel stannea Calicis cuppa propter Parochorum, aut aliorum Sacerdotum, aut Ecclesiarum inopiam dumtaxat toleratur. Siquidem in ipso ritu celebrandi Missam art. 5. id præscribitur, Calix debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intùs inauratam, si fieri potest, & simul cum patenâ ab Episcopo consecratus.

Id ita constitutum esse declaratur cap. Ut Calix de consecrat. dist. 1. Ut Calix (ita statutum in Concilio Rhemensi) Domini cum patenâ, si non ex auro, omninò ex argento fiat. Et infrà. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat. De ære aut aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.

Hujusmodi Canone indicitur materia, ex quâ sacros Calices procudi oporteat, oportet enim eos esse vel aureos, vel argenteos, vel certè stanneos, quorum usus non tam præcipitur, quam maternâ Ecclesiæ indulgentiâ toleratur.

Calices ex aliâ materiâ ut puta ex ære, aut aurichalco, aut ex ligno vel vitro confecti omninò prohibentur propter rationes tam in textu quam in glossâ memoratas. In textu quidem prohibentur Calices ex ære vel aurichalco fabricati, quia ob vini virtutem æruginem pariunt; In eodem textu prohibentur lignei vel vitrei Calices, quia ut ait glossa in cit. cap. ut Calix, lignum porosum est & vitrum fragile est: & imminer et periculum effusionis.

Hujusmodi igitur Calices, & præsertim lignei prohibentur de consecrat. dist. 1. in cap. vasa, ne unde placari debet, irascatur Deus.

Si quis objiciat S. Exuperium Tolosæ Episcopum viduæ Sareptensis imitatorem qui, ut ait S. Hieronymus. Epist. 4. ad Rust. esuriens pascebat alios, & ore pallente jejuniis fame torquebatur alienâ, & affirmat nihil illo fuisse ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo & sanguinem portabat in vitro. Si quis, inquam, ex hujus hominis exemplo vitrei Calicis usum asserere velit; nihil efficiet. Nam sanctissimus vir cum omnem substantiam Christi visceribus erogasset, ut testatur idem S. Hieronymus, Calices & vasa sacra vendidit, & pecuniis ex eâ venditione conflatis pauperum inediâ cæteroquin pereuntium egestatem, Christianâ liberalitate recreavit. Noverat quippè misericordiam pluris apud Deum fieri quam sacrificium, & vasa, vel aurea, vel argentea, quæ in sacro adhibentur ministerio.

Hoc ipsum ab plerisque viris iisque sanctissimis factitatum esse commemorant. Testis est S. Augustinus, qui ut ait Possidius in ejus vitâ cap. 24. dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum popolo Christiano denuntiabat, se non habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captivos & quamplurimos indigentes frangi & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, & dixit & scripsit. Hactenùs Possid. loco cit.

Hæc autem vasa quæ ad sublevandam miserorum penuriam venditabat S. Aug. erant aurea, & argentea, ut ipsemet testatur in enarrat. Psalmi 113. conc. 2 Explicans enim ista Davidis verba: *Simulacra gentium argentum & aurum*, sic loquitur: *sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materiâ, vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur, in ejus honorem, cui pro salute nostrâ inde servitur.* Hæc ibi S. Aug.

QUÆSTIUNCULA II.

Utrum Calices ab unis dumtaxat Episcopis consecrari possint, & quâ pœnâ affici debeant Sacerdotes qui celebrant in Calice non consecrato?

QUOD spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem

Rº. Calices ut plurimùm ab Episcopis consecrari, tùm quia diuturna consuetudo quæ nec Canonibus Ecclesiasticis adversatur, nec orthodoxæ fidei, nec bonis moribus refragatur id Episcopis attribuit, tùm quià in sacros Calices (quos Optatus Milevitanus Christi sanguinis portatores perapposito vocabulo denominat) multò major reverentia ex Episcopali benedictione derivatur; Quod tamen nihil prohibet, quominùs Calices consecrandi facultas secundi ordinis Sacerdotibus ab summo Pontifice concedi valeat. Cujus rei exemplum perillustre suppeditavit Innocentius Papa IV. qui quidem Amedeo S. Stephani Divionensis Abbati Calices consecrandi, & corporalia, & pallas, & vestes Sacerdotales benedicendi facultatem ab ipso, & ejus successoribus (quibus ab Episcopo manus esset imposita) in proprio dumtaxat monasterio exercendam Pontificio diplomate impertiit.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, quæ

ſcilicet pœna infligenda fit Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus, nonnulli Authores non pœnitendi arbitrantur hominem, qui celebraverit cum Calice non conſecrato dignum eſſe qui de Officio & Beneficio in perpetuum dejiciatur. Nituntur ſcilicet authoritate Honorii Papæ III. ita ſcribentis ad Epiſcopum Brixienſem: Litteras, inquit, tuas recepimus continentes quod cum ſuper exceſſibus Presbyteri Eccleſiæ ſanctæ Brigidæ Brixienſis inquireres, confeſſus eſt quod cum quadam die Hoſtiam & Calicem non haberet, in pane fermentato & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſit. Et infrà; Intellecto iterum quod prædicta Eccleſia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquiſitionis officium iterans, ex ejus confeſſionibus inveniſti quod idem ſine igne ſacrificabat & aquâ. Cum igitur vel ex apertâ malitiâ vel nimiâ diſipientiâ peccaſſe probetur, mandamus quatenùs Officio & Beneficio perpetuo ipſum prives. Hactenùs verba Honorii Papæ III. relata lib. 3. Decretal. Gregorii Tit. 41 de celebratione Miſſarum cap. 14. & ult.

Inde nonnulli Theologi non inſcitè colligunt hominem qui celebraret cum Calice non conſecrato, eſſe privandum officio pariter & beneficio non ad tempus, ſed in perpetuum.

Hujuſmodi ſententia illuſtrari poteſt argumento, vel à ſimili, vel à minori ad majus deducto, ſi expendamus cap. Nullus Presbyter de conſecrat. diſt. 1. Hoc caput in hæc verba conceptum eſt: Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſit particeps de cætero voluerit eſſe Sacerdotii. Ex hoc capite à ſimili ſic argumentari poſſumus: Sacerdotibus in locis ab Epiſcopo non conſecratis celebrare præſumentibus intentatur pœna depoſitionis: Ergo à pari Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus eadem conſtituunt, cum eadem ſit utrobique culpa.

Imò ex eodem capite à minori ad majus ſic argumentari poſſumus: Si Sacerdotibus in loco non conſecrato celebrantibus de Sacerdotii grado dejectio intentatur, potiori jure Sacerdotibus in vaſe non conſecrato celebrantibus intentari debet: Cum enim Calix Christi Corpus & Sanguinem propiùs quàm ipſum Eccleſiæ ædificium attingat, haud dubiè ejuſdem Christi Corpus & Sanguis (ſi conficiantur cum Calice non conſecrato) majori videntur injuriâ affici, quam ſi in Eccleſiâ non conſecratâ conficerentur: Ergo à fortiori pœna depoſitionis videtur Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus infligenda potiùs quam aliis qui in Eccleſia non conſecratâ celebrarent.

Quæstiuncula III.

Quandonam Calix ſuam amittit conſecrationem, ita ut illum denuò conſecrari oporteat.

Nonnulli Theologi contendunt Calicis benedictionem ſeu conſecrationem tamdiu perſeverare, quamdiu Calix integer, & ad uſum ad quem fabricatus eſt idoneus perſeverat, quia, inquiunt, Eccleſiaſtica benedictio eſt immobilis, & permanet uſque dum res benedicta, vel ex parte, vel omninò deſtruatur.

Alii ex adverſo docent Calicem conſecratum indigere novâ conſecratione, ſi aurum v. g. quo interior ejus ſuperficies eſt illita, vel omninò decidat, vel ex eadem ſuperficie, vel vi, vel arte revellatur, non autem ſi ſenſim annis volventibus deteratur: Siquidem non ita deteritur aut evaneſcit, quin ſemper aliquæ ejus particulæ eidem Calici conſecrato inhæreant.

Objiciunt alii ſemper eſſe eumdem Calicem, quamdiu aptus eſt ad continendum Chriſti Sanguinem.

Reſpondent ſecundæ opinionis aſſertores, eumdem eſſe Calicem quoad ſubſtantiam, non quoad uſum ſacrum ad quem applicatur propter conſecrationem, qui talis eſſe deſinit, cum interior ejus ſuperficies (in quâ propriè loquendo Calicis conſecratio poſita eſt) novâ auri applicatione decoratur. Tunc enim præfata illa ſuperficies cenſetur immutata, atque adeò de integro conſecranda.

Quæstiuncula IV.

Utrum ſignatio crucis toties in Canone repetita & ſuper panem, & Calicem impreſſa, ſit vera benedictio, & quid ſignificet.

Reſpondeo diſtinguendum eſſe. Vel enim crucis ſignum ante vel poſt conſecrationem Hoſtiæ & Calicis imprimitur. Si enim ante conſecrationem hujuſmodi crucis ſignum ſuper panem & vinum manu Sacerdotis imprimatur, tunc eſt vera benedictio, quâ petimus conſecrationem rerum oblatarum. Dum enim Sacerdos oſculatus altare (id eſt Chriſtum Jeſum per altare repræſentatum) omnium fidelium nomine petit ab æterno Patre, ut accepta habeat, & benedicat panem & vinum, quæ vocat, *hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*; Quid, inquam, per hujuſcemodi verba petit, niſi ut Pater æternus panem & vinum ipſi ab Eccleſiâ oblatum, acceptum habeat; & præpotenti manu panem in unigeniti filii ſui corpus, & vinum in ejus ſanguinem convertat? Cum autem panis & vinum dicuntur dona, munera, ſacrificia, non aliud atque aliud dicitur, ſed res una pro ſui magnitudine diverſâ appellatione laudatur. Quæ enim divinis altaribus offeruntur & munera appellantur, ſicut Dominus: *Si offers munus tuum ad altare*: & dona & ſacrificia, ſicut Apoſtolus de Pontifice: *Ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*; ſed ut dictum eſt, ſermonum repetitio tanti Sacramenti eſt commendatio, & piæ devotionis excitatio, ut ait Florus Magiſter in expoſit. Miſſæ, & Alcuinus in lib. de div. Officiis in cap. de celebrat. Miſſæ. Qui & ibidem luculenter explicat quid Sacerdos petat per prædicta verba; Dicit ergo, inquit, uti accepta habeas & benedicas, ac ſi ſuppliciter dicat: petimus ut hæc tuo ſpiritu ſanctifices, atque ore benedicas, ut quod noſtræ humilitatis geritur miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Porrò vocat Sacerdos panem & vinum dona quæ tibi donamus, ut apud te conſiſtant per tuam benedictionem incorrupta. Hæc dona, ut fiant tibi Deus aſſumpta, ſiquidem Verbum caro factum eſt. Hæc munera, quibus te muneramus, ut percipiamus indè Corpus & Sanguinem Chriſti. Hæc ſancta ſacrificia, ſancta quia Deo oblata, ut rectè explicat Odo Cameracenſis in expoſit. ſacri can. Miſſæ. Item hæc ſacrificia dicuntur illibata, id eſt, immaculata, quæ ſine maculâ cordis & corporis offerri oportet, ut ait Innocentius Papa III. lib. 3. myſteriorum Miſſæ c. 3.

Per iſta igitur verba petit Sacerdos panis & vini conſecrationem & utrumque benedicit id eſt, invocat præpotentem Dei manum, ut oblata convertat in ſubſtantiam Corporis Chriſti: & ſuam illam orationem cum triplici crucis ſuper Hoſtiam & Calicem impreſſione conjungit, ut oſtendat tantum myſterium ſanctâ Trinitate cooperante perfici, ut ait Stephanus Eduenſis de Sacram. altar. cap. 13.

Verum quia incruentum Miſſæ ſacrificium ideò præſertim inſtitutum, eſt ut Chriſti Paſſio jugiter in Eccleſiâ toto terrarum orbe diffuſâ uſque ad ſæculi conſummationem recoleretur, ſæpiùs adhibitum eſt crucis ſignum, quo graviora tam acerbæ Paſſionis adjuncta repræſentarentur. Nam v. g. in ipſo ſacri Canonis exordio dextrâ manu Sacerdos ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem ut meminiſſent Chriſtiani Catholici Chriſtum ab tribus perſonis eſſe

traditum ab æterno scilicet patre qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ab ipso nempè filio, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me, & ab ipso denique Judâ, in quem introivit satanas ut traderet Christum. Cum ergo & Pater tradiderit filium suum, & ipse Christus Corpus suum, & Judas Dominum suum, cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re unâ quam fecerunt, causa non una est, ob quam fecerunt, ut ait S. Aug. Epist. 48.

Quæstiuncula V.

Quid significent hæc verba: Quam oblationem, *&c.* benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, *&c. Et cur Sacerdos ea pronuntiando ter super oblata communiter signum crucis imprimat, & posteà semel super panem & semel super vinum idem faciat.*

1. SAnctus Augustinus vel quisquis est Author can. Utrum de consecrat. dist. 2. sic ea verba interpretatur: Rogamus, inquit, hanc oblationem fieri *benedictam*, per quam nos benedicamur: *Ascriptam*, per quam nos omnes in Cœlo ascribamur: *ratam*, per quam in visceribus Christi censeamur: *rationabilem*, per quam à bestiali sensu exuamur; *acceptabilemque facere dignetur* (Pater æternus) quatenus & nos qui nobis ipsis displicuimus, acceptabiles in ejus unico filio simus. Hæc verba quæ legere est de cons. dist. 2. cap. Utrum, leguntur apud Paschasium l. de corp. & sang. Domini cap. 11. Item apud S. Thomam 3. p. q. 83. a 4. ad 7. ubi & ascribuntur S. Augustino.

2. Sacerdos ea verba pronuntiando signum crucis quinquies imprimit super Hostiam & Calicem; & hæc signa significant Christum in quinque sensibus passum esse secundum carnem, ut sensus nostros illuminaret. Nam

1. Passus est in visu per velationem.
2. In auditu per derisionem.
3. In gusto per fellis & aceti potationem.
4. In odoratu per fœtentium corporum (quando passus est in monte Calvariæ) corruptionem.
5. In tactu per clavorum confixionem, ut ait S. Bonaventura in exposit. Missæ vel aliter ter signum crucis imprimitur super Hostiam & Calicem, ut designetur immane facinus proditoris, qui Christum Jesum tribus hominum generibus, Sacerdotibus scilicet Scribis & Pharisæis venditare non horruit. Posteà semel super Hostiam & semel super Calicem signum crucis imprimitur, ut significentur duæ naturæ quas Christus in se per unionem hypostaticam copulavit: vel ut inde Christum in animâ & in corpore passum esse noverimus, ut ait Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus lib. 4. de quintâ can. parte fol. 162.

Quæstiuncula VI.

Quid significet quintuplex crucis impressio ab Sacerdote post consecrationem factitari solita, & utrum per ejusmodi signa Christus ab ipso Sacerdote benedicatur.

REspondeo Sacerdotem factâ consecratione proferre ista Canonis verba: *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis*, & quinquies imprimere signum crucis super oblata dicendo, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ*, ut non solùm meminerimus Christum Dominum quinque plagis fuisse in passione perfossum & transverberatum, sed etiam per hujusmodi plagas & mortem omni hominum generi promeritum esse quinque beneficia, quicquid in tempore separare, & quicquid in æternitate possidere possumus comprehendentia. Quod quidem in Canone satis superque exprimitur per hæc verba: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta tam beatæ passionis, necnon & ab inferis Resurrectionis, sed & in Cælos gloriosæ Ascensionis*, &c.

Hoc loco recolitur memoria Dominicæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis. Nam per quinque signa quæ hic fiunt, designantur quinque vulnera Christi, scilicet duo in manibus, duo in pedibus & unum in latere. Quod autem tria signa super Calicem & Hostiam communiter fiunt, in hoc intelligi datur quod Passio Christi vulnerat charitatem, Resurrectio roborat fidem, & Ascensio lætificat spem: duo autem signa sequentia quæ super Corpus Christi & Sanguinem fiunt, designant geminam immortalitatem; quâ justorum animæ & eorum corpora clangore tubæ suæ è tumulis excitanda in consummatione sæculi sunt potitura. Christus ergo per quinque vulnera seu per mortem nobis promeritus est quinque beneficia, charitatem scilicet ejus meditatione Passionis accensam, fidem ipsius resurgentis gloriâ roboratam, & spem gloriosâ ejus in Cœlum Ascensione recreatam, & prætereà suis fidelibus animæ beatitudinem & gloriam, & corporum gloriosam Resurrectionem promeruit. Et hæc designantur per quinque Crucis signa super Christi Corpus & Sanguinem factitari solita. Ita S. Bonaventura (cui hodiernus dies sacer est) in expositione Missæ.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, utrum scilicet Christus per signa Crucis post consecrationem ejus corpori & sanguini impressa ab ipso Sacerdote benedicatur?

R°. cum S. Thomâ quod consecratio hujus Sacramenti & acceptatio hujus sacrificii & fructus ipsius procedit ex virtute Crucis Christi, & ideo ubicumque fit mentio de aliquo horum, Sacerdos Crucis signatione utitur. Ita S. Thom. 3. p. cit. q. 83. a. 5. ad 3.

Quod & confirmat in eod. loco & art. ad 4. Dicendum, inquit, quod Sacerdos post consecrationem non utitur Crucis signatione ad benedicendum & consecrandum, sed solùm ad commemorandam virtutem crucis & modum Passionis Christi, Hæc ibi.

Quæstiuncula VII.

Quid repræsentetur per trinam Crucis signationem quæ fit inter hæc verba: Corpus & Sanguinem sumpserimus, *&c.*

SAnctus Thomas loco suprà citato q. 83. & art. 5. ad 3. ait per trinam illam Crucis signationem repræsentari tria, corporis scilicet Christi extensionem, & sanguinis effusionem, & fructum passionis, id est omnem gratiam & benedictionem. Guillelmus Mimatensis Episcopus in Rationali divinor. Officiorum lib. 4. cap. 44. de nonâ parte can. nu. 3. de trinâ illâ crucis impressione sic loquitur: Quia verò, inquit, in agoniâ prolixiùs orabat, tertiò dicens eumdem sermonem; ideò Sacerdos facit tres cruces. Primam super oblata dicendo, *sacro-sanctum filii tui corpus*: & secundam super Calicem dicendo, *& sanguinem*: tertiò signando seipsum in facie, dum dicit, *omni benedictione cœlesti*, fortè propter sudorem corporis, crucem imprimens super corpus: & propter guttas sanguinis crucem imprimens super sanguinem: & quia procidit in faciem suam orans: ideò imprimit sibi crucem in facie. Et paulò post, Aliam ejus rei significationem affert: primæ duæ cruces, inquit, significant quod Christus pro duobus Populis passus est. Tertia quæ fit in facie, quod in corpore suo passus est. Hæc ille.

QUÆSTIUNCULA

QUÆSTIUNCULA VIII.

Quid significent hæc verba: Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, *&c. Et cur ea proferendo tres cruces super Corpus & Sanguinem Christi imprimantur?*

HOrum verborum sensus est. Tu, ô Pater æterne, omnia ista, id est panem, vinum, & aquam semper creas per Christum. Creas enim condendo naturam: sanctificas consecrando materiam, vivificas transsubstantiando creaturam, benedicis accumulando gratiam. Vel creas, ut sint; sanctificas tibi deputando; vivificas animando; benedicis ut utilia sint; & præstas ut prosint.

Quæritur autem cur Sacerdos cum dicit, *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, signum crucis super oblata non imprimat, cum id faciat hæc tria verba proferendo, *sanctificas*, *vivificas*, *benedicis*; & quare ter signum crucis hac in parte adhibeat?

S. Thomas in opuscul. 18. aliàs 66. in quo Missæ expositionem prosequitur hujus rei causam explicat: Hæc est causa, inquit, quia humana natura ex statu pristinæ conditionis nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem boni operis, nec consummationem beatitudinis. Ex primâ ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrii libertate, per se autem non poterat stare nec proficere sine gratiâ adjutrice, & sanctæ Crucis virtute. Ex virtute autem sanctæ crucis & gratiæ adjutricis stabilis efficitur & benedicta, propterea ad primum verbum creationis non facimus signum crucis: & adhuc tria facimus, sanctificas, scilicet fide & remissione peccatorum, vivificas, scilicet Sacramento fidei & virtute bonorum operum; benedicis, scilicet plenitudine gratiarum & consummatione bonorum operum. Ideò ergò tres cruces facimus, quia per crucis virtutem & amorem tria obtinemus, quibus super omnia indigemus. Hæc ibi S. Thomas.

Possumus etiam dicere Sacerdotem per hæc verba, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis & præstas nobis*, in personâ Ecclesiæ quam inter divina mysteria repræsentat, profiteri coram æterno Patre Sacramentum in altari positum, & quicquid amplectitur ex ipso proficisci per Christum Jesum, per quem illud creat & efficit, & sanctificat, & uberrimum sanctitatis fontem constituit, non quod Christus omnem anteà sanctitatem non contineret, sed quod per eamdem actionem, per quam illum in hoc Sacramento reproducit (ut ita dicam) illi omnem gratiam & sanctimoniam impertiatur: quemadmodum per æternam generationem in illum omnem suam dignitatem, & omnia perfectionum quibus pollet, ornamenta effundit per illam ipsam actionem per quam illum generat: ita ut sanctissimi Sacramenti productio, ceu pulcherrima æternæ generationis imago repurgatis orthodoxæ fidei oculis appareat: Præterea non solùm Sacerdos profitetur venerabile Sacramentum & omnem quâ fulget, præstantiam & amplitudinem per filium ab æterno Patre proficisci; sed insuper testificatur, & agnoscit illud nobis ab eodem æterno Patre donari, & per illud ab illo ipso nobis omnia, quæ continet bona & ornamenta communicari, atque adeò non solùm æternam generationem hoc in Sacramento adumbrari, sed etiam incarnationem, in quâ Pater æternus nobis omnia cum unigenito filio suo in orbem terræ per novam & humanam, imò humano divinam Nativitatem introducto incredibili misericordiâ & munificentiâ donavit.

Quia ergo Christus infinito suæ passionis pretio meruit, ut ab æterno Patre venerabile Sacramentum sanctificaretur, vivificaretur, & benediceretur, ideò ter hoc loco imprimitur signum Crucis, ut quotquot Christo nomen dedere, ex ipsâ velut ex arbore salutiferâ omnem sanctificationem, omnem vivificandi vim, omnem benedictionem, id est omnem gratiæ & gloriæ fructum decerpi meminerint.

QUÆSTIUNCULA IX.

Quid significent tres cruces quæ cum Hostiâ imprimuntur à labio ad labium Calicis, & quid significent hæc verba quæ tunc proferuntur: nempè per ipsum, &c.

QUod spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem, nempè quid significent tres illæ cruces quæ imprimuntur super Calicem, S. Thomas 3. p. q. 83. a. 5. ad 3. ait per trinam illam crucis impressionem repræsentari tres horas, quibus Christus pependit in cruce, id est ab horâ sextâ usque ad horam nonam, quod tempus ut significetur, ait trinam illam crucis signationem factitari super illa verba, *per ipsum, & cum ipso, & in ipso.*

Alii dicunt, per tres illas cruces cum Corpore Christi super nudum Calicem factæ significant tres cruciatus, quos Christus in ipsâ cruce pertulit, passionem videlicet, propassionem, & compassionem. Passionem in corpore, propassionem in mente, & compassionem in corde. De passione corporis ait: *Attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* De propassione mentis ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ex compassione cordis pro crucifixoribus oravit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Quod spectat ad sensum hujusmodi verborum is est. Sacerdos commemoratâ venerabilis Sacramenti & bonorum omnium in ipso residentium communicatione Patrem æternum omnem gloriam ex tali communicatione in ipsum redundantem per Christum, cum Christo & in Christo duntaxat percipere profitetur. Per Christum, inquam, veluti per mediatorem: nihil enim Deus proximè ab hominibus accipit, cum Christus sit mediator, per quem Deus sua in homines effundit beneficia, & nos vicissim sua in illum dona refundimus. Sequitur, *& cum ipso*: Cum enim sit in formâ Dei, nec rapinam arbitretur esse se æqualem Deo, eadem cum illo gloriâ ab hominibus exhibitâ perfruitur: Additur *& in ipso*, quia est Ecclesiæ caput, atque adeò ab unis duntaxat membris illi adunatis debita Deo gloria impenditur. Sic ergo explanantur illa verba, Per ipsum, id est tamquam per mediatorem; Cum ipso id est cum coæquali, quia ipse est coæqualis Patri: In ipso tamquam consubstantiali: vel in ipso veluti capite, atque adeò in membris ipsi per fidem, spem, & charitatem agglutinatis. In Patre quippè notatur authoritas propter principium: in filio æqualitas? propter medium: in Spiritu sancto communitas propter consortium.

QUÆSTIUNCULA X.

Quid significent duæ cruces, quæ post tres prædictas fiunt extra Calicem?

SAnctus Thomas q. & a. jam citatis ad 3. ait per hujusmodi cruces repræsentari separationem animæ Christi ab ejus corpore: Cum enim dicit Sacerdos; *est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti*, non facit tres cruces, sed duas tantùm ad significandam Christi mortem: eo quod licet tres in Christo essent substantiæ, divinitas nimirùm, corpus & anima, duæ tantùm, id est corpus & anima ab invicem sunt separatæ: Nam divinitas ab neutrâ est separata. Quamvis enim principes hujus sæculi in Dominum gloriæ, quem crucifixere, omne immanitatis post homines natos inauditæ virus effuderint, numquam tamen unio-

divinitatem abscondit in carne. Idem sentit Rupertus Abbas lib. 1. de divin. officiis cap. 19. & alii.

2. Amictus significat Christi humanitatem pariter & divinitatem latitantem sob alienis speciebus panis & vini in sacrificio & Sacramento, ad qood efficiendum Sacerdos aggreditor, ut sciat se offerre idem sacrificium qnod obtulit Christus in Cruce solâ offerendi ratione diversum. Siquidem in Cruce latebat sola Deitas, at in hoc ipso sacrificio latet & humanitas. Nam ut ait sanctus Thomas opusc. 57. *Accidentia sine subjecto in hoc Sacramento existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub alienâ specie occultatum.*

Hinc debent discere Sacerdotes suam vitam ab vulgari hominum consortio & colloquio citra necessitatis articulum remotissimam, & in Christo magis quam cæterorum fidelium vitam, absconditam esse oportere.

Prætereà Amictus significat vile indumentum, quo adoranda Christi facies obducta est ab militibus, dum eum colaphis cæderent, & mille contumeliis in domo Caïphæ inquinarent; ut Sacerdotes summi & primarii, imò & unici Sacerdotis, exemplo, omnia opprobriorum & contumeliarum genera æquo paterentur animo, perindè ac si velati essent, id est, perindè ac si clausis oculis corporis, nullo pacto homines, à quibus essent injuriis, probris & contumeliis appetiti, respicerent; sed unum dumtaxat Deum, suorum ipsorum persecutionem occulto consilio permittentem aperto dumtaxat animosæ Fidei oculo intuerentur. Et id, ut patet, ad moralem amictus significationem pertinet.

3. Ille ipse Amictus significat Sacerdotes suam vocem, seu linguam toties divini Christi Corporis contactu & Sanguinis potu consecratam moderari & compescere oportere. Undè Amalarios Fortunat. lib. 2. de Ecclesiast. officiis cap. 17. ita de amictu loquitur: *Amictus est*, inquit, *primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus: in collo namque est vox, idcoque per collum loquendi usus exprimitur, per Amictum intelligimus custodiam vocis, de quâ Psalmista dicebat*; dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ: posui ori meo custodiam. *Amictus verò dicitur, quia circumjicitur. In isto primo vestimento admonetur castigatio vocis.* Hæc ille.

4. Amictus significat fortitudinem, quia super humeros, in quibus maximè idonea portandis oneribus residet fortitudo, circumquaque diffunditur: Ita docet Innocentius Papa III. lib. 1. mysterior. Missæ c. 50. *Lotis*, inquit, *manibus*, (Sacerdos) *assumit amictum, qui super humeros circumquaque diffunditur, per quem operum fortitudo significatur.* Hæc ille.

Hugo de sancto Victore eruditionis Theologicæ, lib. 1. cap. 45. ait Amictum designare jugum Domini. *Humeros*, inquit, *quibus onera portantur eo* (Amictu) *velamur ut jugum Domini patienter ferre doceamur.* Hæc ille.

Secunda Conclusio.

Secunda sacrificantium Sacerdotum vestis est tunica talaris, seu poderis, quæ volgò Alba dicitur, quam ex lino potiùs, quam ex lanâ contexi necesse est.

Ista Ecclesiæ consuetudo sive lex quâ Sacerdotes sacrificatori tunicis talaribus ex lino, seu bysso contextis indui jubentur, videtur repetita ex veteri Testamento, in quo ipsa lex Sacerdotibus Aaronicis erat indicta. Cur autem novi Testamenti Sacerdotem ad divinum mysterium accedentem lineis, non laneis vestibus indui oporteat, declarat sanctus Gregorius in Ezech. lib 1. hom. 11. *Grossiora quippè vestimenta sunt lanea*, inquit, *sed cum Sacerdos ad sacrum ministerium accedit, id est, cum intùs per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est, quod ipse quasi lineo vestimento vestiatur.* Hæc ibi.

Haud immeritò sanè lineæ vestis usus sacrificantibus Presbyteris indicitur: Multa enim prædicantur de lino, quæ necessariam Sacerdoti sanctimoniam graphicè repræsentant, ut rectè observavit Cornelius à lapide in 28. c. Exodi. Nam 1. linum est mundissimum, tum quia multò meliùs detergit sordes, quam lana: tum quia lavari sæpè potest.

2. Quia lanea & serica tingi & fucari possunt: at linum simplicitatis amans tincturam omnem & fucum respuit: est ergo symbolum animi simplicis & candidi, qui omnem fictionem respuit, qualem Sacerdotis animum esse necesse est.

3. Linum licet tenue, nervosum tamen & robustum, adeò ut concidat apros qui se in retia ex eo contexta induunt. Tali robore, talibus nervis præsertim ad profligandа vitia Sacerdotem præditum esse oportere omnibus notius est, quam ut pluribus probari debeat.

4. Linum, ut ait Plinius, semper injuriâ fit melius. Injuriæ, quas linum tolerat antequam ad optatum candorem, splendoremque perveniat, plurimæ sunt; scilicet evelli, siccari, macerari fluvio, iterùm siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spathâ ligneâ, pecti ferreis hamis, neri, in filo poni, illidi crebrò in silice, ex aquâ texi, & tundi clavis.

Linum ita maceratum indicat insignem patientiam, & in patientia sanctimoniam, quâ Sacerdotem fulgere par est: ad quam tamen pertingere non poterit, quin adversa omnia in Christo, & cum Christo pertulerit, quod quam sit illi necessarium indicat oratio, quam dum albâ induitur, adhibet, & ait: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

Quæres, quo pacto Christiani & Sacerdotes possint in sanguine agni dealbari?

Respondeo, Sex modis id quotidiè ab sanctis Christianis & maximè Sacerdotibus factitari. 1. Per Baptismum. 2. Per Pœnitentiam & alia Sacramenta. 3. Crebris gemitibus, oratione & compunctione. 4. Per opera misericordiæ. 5. Per continuum & ferventem omnium virtutum, & præsertim charitatis, & patientiæ exercitationem. 6. Denique per martyrium. Per hæc enim omnia merita Christi nobis applicantur: atque ita dealbari, seu ab criminibus repurgari Christiani, & maximè Sacerdotes Christi Jesu amore perusti ad majorem in dies puritatem progrediuntur.

Tertia Conclusio.

Cingulum tertium in vestimentis Sacerdotalibus obtinet locum. Ut per illud admoneantur Sacerdotes quanto studio in retinendam castitatem incumbere debeant. Debet igitur, inquit Innocentius Papa III. lib. 1. mysterior. Missæ, cap. 52. Alba circa lumbos zonâ præcingi, ut castitas Sacerdotis nullis incentivorum stimulis dissolvatur. Undè sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis enim luxuria dominatur: sic Dominus loquens de diabolo manifestat: Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo in umbilico ventris ejus. Debent ergo lumbi præcingi per continentiam, & subcingi per abstinentiam; quoniam *hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* Hinc etiam Apostolus ait *State succincti lumbos vestros in veritate.* Hæc ille.

Honorius Augustodunensis Episcopus in gemmâ animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 204. non recedit ab Innocentii Papæ III. sententiâ: *Cingulo*, inquit, *cingitur* (Sacerdos) *quod in lege balteus, apud Græcos zona dicitur; per cingulum quod circa lumbos præcingitur, & alba ne defluat, & gressum impediat, astringitur, mentis custodia, vel conscientia accipitur, quâ luxuria restringitur, & castitas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur, & gressus bonorum operum impediatur, & ipsa concupiscentia de vitâ ad ruinam impellatur.* Hæc ille.

Quarta

Quarta Conclusio.

Quartum sacrificaturi Sacerdotis ornamentum dicitur fano, Manipulus, Mappula, Mantile, Sudarium; de quo ita loquitur Honorius Augustodonensis Episcopus in gemmâ animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 208. *Sacerdos*, inquit. *fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & Mappula & Sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur, per hoc pœnitentia intelligitur, quâ quotidiani excessus labes extergitur: hoc in sinistro brachio gestatur; quia in præsenti tempore tantum vita nostra pœnitentia emundatur. His vestibus Sacerdos ornatas procedit, Confessionem facit, quia licet his virtutibus fulgeat, dignum est ut inutilem servam se dicat, de transactis se accusans & reum dijudices, & coram Deo gratiam inveniat*, Hæc ille.

De Manipulo seu Sudario, & ejus morali significatione ita loquitur Amalarius Fortunat. lib. 2. de Eccles. offic. cap. 24. Sudario, inquit, solemus tergere pituitam oculorum & narium, atque superfluam salivam decurrentem per labia. Ac ideò Sudarium significatur in loco studium mundandæ cogitationis, quo naturales & velut ingenitas nostras delectationes studemus tergere, sive propter effusionem lachrymarum tergendam fertur sudarium, ut in Martyrologio Bedæ legitur, quod Pater noster Arsenius propter redundationem lachrymarum tergendam sudarium semper in sinu, vel manu habuerit. In manu sinistrâ portatur, ut ostendatur in temporali vitâ tædium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis. Et paulò post: Tædium in animâ est quasi sudor in corpore. Si tædium oriatur ex conscientia peccatorum, vel ex afflictione, habeamus sudarium ex lino castigatum & mondum, qualia sunt ista Prophetæ verba: cor mondum crea in me Deus, &c. munda cogitatio in David fuit, mundaque in Job quando dixit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sic & nos quando tædio aliquo afficimur, ne majori tristitiâ absorbeamur, in consolationem nostri, quasi quoddam sudarium exempla prædicta sanctorum Partum ad corroborandam patientiam, & detergendum tædium sumamos. Per sudarium intelligimus mundos affectus, & pios in labore. Hactenùs Amalarius Fortunat. Trevirensis Episcopus loco cit.

Manipulus igitur significat lachrymas, quibus Sacerdotes sua pariter & populi peccata prosequi, & laborem in quem eos incumbere necesse est. Undè Ecclesia nos, dum Manipulum assumimus ita orare, jubet: *Merear Domine, portare Manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Ac reipsâ qoidem, non immeritò quis dixerit Psalmistam ad Sacerdotes respectum habuisse cum cecinit: *Ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes Manipulos suos.* Quotquot enim Sacerdotes sunt in Ecclesiâ Dei, tot sunt operarii, quos Christus, Jesus Dominus messis misit in messem suam.

Ille ipse Christus jam venit. *Ecce de nostro negotio lucrum requirit*, ait sanctus Gregorius, *quale ei animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus: quot eius conspectu animarum manipulos de prædicationis nostra segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tanta districtionis diem, quo Iudex veniet & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum Choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Iudaâ conversâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahant.* Hactenùs sanctus Gregorius hom. 17. in Evangelia. Hujusmodi homilia pulcherrima, & sanè digna quam Sacerdotes divinæ gloriæ studio perusti legant identidem & relegant.

Ex allato igitur istius Homiliæ loco constat veros Christi Sacerdotes, qui in sacrificando, & frequentiùs & ardentiùs orando, & pœnitentiæ lachrymis & laboribus ædificaverint Corpus Christi, quod est Ecclesia: qui in ministerio Verbi, in Sacramentorum, & præsertim pœnitentiæ administratione castè & integrè versati fuerint, qui denique vitæ sanctioris exemplo fidelibus prætulerint facem ad omnia, vel certè pleraque omnia virtutum genera, vel alio quocumque modo strenuè in animarum conversionem incubuerint, suos è Christi messe Manipulos, id est, adductos fidelium greges, quos ad æternam salutem inextincto divinæ charitatis ardore provexerint.

Rectè igitur Innocentius Papa III. asserit per Manipulum significari vigilantiam, quâ Sacerdotes, ut par est, ne ipsos cordis stupor seu acedia ab vitæ Sacerdotalis instituto deterreat. Cæterum (inquit lib. 1. myst. Missæ cap. 59.) quia mentibus benè compositis, & divino cultui mancipatis sæpè subrepit acedia, quæ quodam torpore reddit animam dormitantem, dicente Psalmistâ, dormitavit anima mea præ tædio, in sinistrâ manu quædam apponitur Mappula, quæ Manipulus vel Sudarium appellatur, quâ sudorem mentis abstergat, & soporem cordis excutiat, ut depulso tædio, vel torpore, bonis operibus diligenter invigilet. Per Manipulum ergo vigilantia designatur, de quâ Dominus ait: Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Hæc ille.

Stephanus Eduensis in lib. de Sacram. Alt. cap 10. existimat manipulo significari dolorem ex flagitiorum recordatione susceptum, quo Sacerdotes sacris operaturos affici necesse est. Manipulus, inquit, cordis compunctionem, veramque pœnitentiam indicat, quam Sacerdos ad Altare deferre debet; Undè orat; *Merear Domine portare Manipulum fletus & doloris, &c.*

Quinta Conclusio.

Quintum in vestimentis Sacerdotalibus locum obtinet Stola, quam cervicem circumdare & per humeros ad dextrum & lævum latus demitti, & sub pectore Crucis signum exprimere necesse est.

Hujusmodi rituum moralem explicationem aperire est operæ pretium. Hac de re ita prædicat Yvo Carnotensis: Utuntur, inquit, Sacerdotes Stolâ, quæ alio nomine Orarium vocatur, quâ vetus Sacerdotium non utebatur. Hoc tamquam jugum bobus arantibus vel triturantibus collo juxta humeros superponitur; ut illud Evangelium ab eis impleatur: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hæc à collo per anteriora descendens dextrum latus ornat, & sinistrum, ut doceat Sacerdotem per arma justitiæ à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & adversis, debere esse munitum, quod ad fortitudinem pertinet, sine quâ cæteræ virtutes facile expugnantur, & minimè coronantur. Undè dicit Apostolus, *patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissiones.* Et in Evangelio Dominus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Indè est quod Stola cum Zonâ poderis quibusdam nexibus colligatur: quia virtutes virtutibus adjuvantur, ne aliquo tentationis impulsu moveantur. Hactenùs Yvo Carnotensis in serm. de Sacerdotalibus indumentis, quem in Synodo habuit.

Hæc observatio seu instructio luculenter astruitur auctoritate Concilii Bracarensis III. cujus c. 3. anathemate feriendi declarantur cuncti Sacerdotes, qui rem divinam facturi, vel Eucharistiæ Sacramentum percepturi, Orario, id est, Stolâ humerum utrumque non munierint, Quoniam (verba sunt Concilii)

antiquâ & Ecclesiasticâ institutione novimus præfixum, ut omnis Sacerdos cum ordinatur, Orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui semper imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & adversa, virtutum semper ornamento utroque circumseptus appareat humero; quâ ratione tempore sacrificii non assumat, quod se in Sacramento accepisse non dubitat? Proindè modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat, & in oblatione vel perceptione suæ salutis; scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus: Ita ut de uno, eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum sub pectore præparet Crucis: Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.

Hactenùs Canon Concilii Bracarensis III. quem Canonem citat Innocentius Papa III. lib. 1. myster. Missæ cap. 34. Debet autem Sacerdos, inquit, secundum Decretum Bracarensis Concilii de uno, eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum Crucis in pectore suo præparare. Hæc ibi.

Cur autem Stolâ poderi cum zonâ quibusdam nexibus vinciatur, laudatus Pontifex eamdem affert rationem, quam suprà ex Yvone Carnotensi retulimus: quia virtutes virtutibus sociantur, inquit, ne aliquo tentationis moveantur impulsu.

Hæc ille lib. 1. myster. Missæ citato cap. 54.

Sexta Conclusio.

Sextum & ultimum inter Sacerdotalia instrumenta locum obtinet Planeta, seu Casula, quæ cæteris Sacerdotum indumentis superponitur; quæ quia communis est vestis, charitatem significat, quæ universis virtutibus superponitur: quia cæteræ virtutes sine eâ nihil utile operantur. Undè dicit Apostolus 1 Cor. cap. 13. v. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: Major autem horum est Charitas.* Hæc Apostolus, qui & eod. capit. sine Charitate cætera omnia quantumvis eximia nihil prodesse satis superque significat.

Per Casulam significari Charitatem, quæ virtutes omnes suâ dignitate supergreditur, asserunt plerique omnes sacratum vestium & cæremoniarum Interpretes, & imprimis Rabanus Maurus lib. 1. Institut. Clericor. cap. 22. Hanc ergo vestem, inquit, possumus intelligere Charitatem, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tegumine protegit & illustrat. Nec enim ullus jam erit virtutum splendor, si non eas Charitatis irradiaverit fulgor, Quod ostendit Apostolus, dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Hæc ille.

Idem docet Yvo Carnot. in cit. serm. de significatione Sacerdotalium indumentorum. Reverà Innocentius Papa III. lib. 1. de mysteriis Missæ, cap. 28. ait Casulam esse vestem nuptialem, de quâ loquitur Dominus in Evangelio: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

Per hanc vestem nuptialem sancti Patres intelligunt Charitatem. Quod & ipsa significat Ecclesia. Cum enim aliquis de Presbyteratûs ordine detrahatur, Pontifex degradator accipit Casulam sive Planetam per posteriorem partem Caputii, & degradandum exuit, & dicens: *Veste Sacerdotali Charitatem signante, te meritò expoliamus, quia ipsam & omnem innocentiam exuisti:* Id legere est Pontificalis Romani 3. p. p. 458.

Casula igitur seu Planeta cum cæteris Sacerdotum vestibus, non solum est ejus charitatis, quâ Sacerdotem ardere par est, indicium, sed etiam efficacissimum ejusdem Charitatis incitamentum. Quemadmodum enim Zona, & Manipulus, & Stola referunt vincula, quibus Christus sua inter opprobria colligari voluit, linea tunica vestem albam quâ per ludibrium ab Herode indutus est, repræsentat; sic Casula seu Planeta adumbrat purpuream vestem seu chlamydem coccineam, quâ milites Christum omnibus probris inquinatum in Pilati Prætorio induerunt. Et hæc omnia in sacrificio gestanda Sacerdotibus ab Ecclesiâ dicuntur, ut dum Christi personam sustinent in incruento illo sacrificio, ejusque mortis memoriam celebrant, ejusque Passionis speciem, tam actu, quam habitu, repræsentant, memori animo revolvant nimiam illam charitatem, quâ Christus *Jesus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, & cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est;* atque ita diligant eumdem illum Christum, *non quod illum dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

Quod si omnes Christiani, & præsertim Sacerdotes abdicatis omninò rerum humanarum illecebris & amoribus nimiam illam Christi charitatem, seriò crebrò, & syncero pectore volutarent, ipsum Christum ingenti, imò infinito, si fieri posset, amore deperirent, & cum Apostolo anathema dicerent omnibus qui non diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.

Prætereà Casula mysticè significat mysticum Christi Corpus, quod est Ecclesia, ut indicat Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 2. de divinis offic. cap. 22. Casula, inquit, magni Sacerdotis nostri Christi vestimentum significat illud vestimentum, inquit, magni Sacerdotis nostri vestimentum significat illud vestimentum veri Aaron, cujus in oram descendit unguentum quod est in capite: primum descendens in barbam ipsius Aaron. Quod est illud vestimentum? sancta Ecclesia Catholica. Nam barba Aaron quod interpretatur, mons fortitudinis, barba, inquam, Aaron Jesu Christi Apostoli sunt, atque Apostolici viri fortes & perfecti. Unguentum autem regale & Sacerdotale Spiritus sanctus est, cujus tota plenitudo est in capite scilicet Christo, atque indè primum in extrema membra Ecclesiæ quasi in oram vestimenti descendit. Casula ergo vestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. Est autem integra & undique clausa, ut unitatem vel integritatem veræ fidei demonstret. Huic autem superinditur, & in ejus aptè circumponitur Amictus, quo ante caput Sacerdotis tegebatur, quem nubem humanitatis ejus, in quâ latuit Divinitas, significare jam diximus: quia videlicet caput, corona, & decus Ecclesiæ est humanitas Christi est: Caput autem humanitatis Deus. In eo verò quod Casula, cum sit una & tota integra, aptatione manuum, quæ extensionem manuum crucifixi Domini aptè depingit, in anteriorem & posteriorem partem quodammodo dividitur, antiquæ Ecclesiæ, quæ Passionem Domini præcessit, & novæ quæ subsequitur, signum est. Nam, ut addit Innocentius Papa III. lib. 2. myst. Miss. c. 42. in quo illum ipsum Ruperti locum exscripsit, qui præibant & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Casula igitur significat Charitatem, quia cæteris Sacerdotum vestibus superponitur, quemadmodum Charitas cæteris virtutibus antefertur. Prætereà illa ipsa Casula, est potissimum charitatis incitamentum, quia cum cæteris sacrificantium vestibus repræsentat vincula, vestes & alia id genus, quæ propter nimiam charitatem, quâ Christus Jesus dilexit nos toto Passionis acerbissimæ spatio pertulit.

Postremo Casula significat Ecclesiam, ut ostendimus

ex Abbate Ruperto & Innocentio Papâ III, ut indè discerernus Sacerdotes suam præsertim charitatem in Ecclesiam Dei exercere oportere. Cum enim ille ipse Christus Jesus dilexerit ipsam Ecclesiam & seipsum tradiderit pro eâ, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata, ut ait Apostolus Ephes. cap. 5. v. 25. & seqq. nonne par est Sacerdotes singulari amore prosequi Ecclesiam Christi Jesu (cujus personam inter sacra mysteria sustinent) ita ut omnem curam, omne studium, omnem sollicitudinem, omnem operam & laborem, omnem vim & industriam in ipsius ædificationem, propagationemque conferant.

QUÆSTIO L.

Quid præsertim observandum sit circa Sacerdotalia indumenta?

1. CONsideranda est hujusmodi indumentorum necessitas præcepti scilicet saltem Ecclesiastici, non autem sacrificii, quæ quidem tanta est, ut vel plurium, vel unius dumtaxat ex hujusmodi vestibus omissio voluntaria, & cum advertentiâ rationis admissa peccatum mortale ex plurium eorumque gravium Theologorum judicio censeatur. Tunc enim asserunt hujusmodi Theologi usum & universalis Ecclesiæ consuetudinem, quæ jampridem vim legis obtinuit, in gravi materiâ violari.

2. Nemo ignorat hujusmodi vestes ab Episcopo benedictas esse oportere. Hanc enim benedictionem ad Episcopos pertinere docet Innocentius Papa III. lib. 2. myster. Missæ cap. 9. videtur tamen usus obtinuisse, ut nonnulli speciali privilegio ab Ecclesiâ concesso sacerdotalia indumenta benedicant. Per vestes autem sacerdotales intelligimus amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam & casulam. Nemo igitur in sacrificio hujusmodi vestibus nondum benedictis uti potest, quin graviter peccet, ritum Ecclesiæ non servans.

3. Peccant mortaliter quotquot Sacerdotes celebrant in vestibus notabiliter immundis. De talibus ita loquitur Cajetanus in summ. v. Missæ celebratio num. 2. *Tacendum autem non est multorum crimen valdè intolerabile circa immunditiam corporalium & vestium sacrarum, damnatam non solùm à Canonico jure extra de custod. Eucharist. sed etiam à naturali jure: Quum dedecent immunditia hujusmodi etiam prophanos, & illimet non uterentur sudariolis ita immundis, nec ad mensam.* Hæc ille.

4. Peccant mortaliter qui sacras illas vestes profanos ad usus applicant, vel aliis ad tales usus transferendas commodant. Nam nusquam licet res sacras profanos ad usus adhibere. Ut patet ex dist. 1. de consecrat. ligna Ecclesiæ dedicata, ut sibi constitutum est, non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: in Laïcorum autem opera non debent admitti. Et ibidem legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Hactenùs S. Thomas 3. p. q. 83. a. 3. ad 3.

5. Observandum est enumeratas Sacerdotum vestes tamdiù retinere benedictionem, quamdiu non amittunt priorem formam, nec ita deteriuntur, ut ad usum cui destinatæ sunt, aptæ esse desinant. Unde si ex albâ v. g. revellatur pars aliqua notabilis, cujus detractione ad usum, cui destinata est, apta esse desinat, denuò benedicenda est, sicut & cingulum fractum eget novâ benedictione, si neutra ejus pars ad cingendum adhiberi possit: utpotè quod cum desierit aptum esse ad usum cujus gratiâ factum est, suam benedictionem amiserit, quam non amittit, si partes, quæ frangendæ conspiciuntur, consuantur filo ante fractionem.

Observandum tamen est Sacerdotem in casu necessitatis fracto cingulo uti posse. Præterea si una fracti cinguli pars ad cingendum sufficere valeat, illud ipsum cingulum non amittere benedictionem, etiamsi illi aliqua alia pars, vel etiam ipsa quæ avulsa est, adjiciatur.

6. Observandum est, sacras vestes, sacra vasa, qualia sunt Calix, patena, corporale, ciborium, nemo sine gravi culpâ contingere potest præter Sacerdotem & Diaconum: si videlicet in iis Corpus vel Sanguis Christi contineatur: si verò vacua sint, ea nec Laïcis, vel viris, vel fœminis etiam sanctimonialibus, sicut & alia consecrata & chrismate uncta contingere licet, sicut colligitur ex cap. in sanctæ Hoc ipsum sancitum est summorum Pontificum decretis, ut patet ex Epistolâ 1. Sixti Papæ I. *Cognoscat*, inquit, *vestra sapientia, charissimi fratres, quam hac sanctâ Sede Apostolicâ à nobis, & reliquis Episcopis, cæterisque Domini Sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis quam à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus.* Hæc ille.

Damasus Papa in Pontific. referens decreta ab Sotere Pont. Max. constituta idipsum liquidò contestatur: *Hic* (Soter) *constituit, ut nulla monacha, pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sanctâ Ecclesiâ.*

Observandum est hoc loco pallæ vocem hîc usurpari pro omni sacrarum vestium genere, ut observarunt periti rituum Interpretes.

7. Observandum est nemini profano, id est nondum sacris ordinibus initiato patuisse aditum in secretarium, id est locum, in quo servabantur vasa sacra, ut constat ex Concilii Agath. c. 66. Non oportet, verba sunt Concilii, insacratos ministros licentiam habere in secretarium (quod Græci Διακόνικον vocant) ingredi & contingere vasa Dominica, idque non solùm Laïcis; sed etiam inferioris ordinis Clericis interdictum erat: illis quippè templi sacrarium seu locum sacris asservandis præstitutum ingrediendi, multò magis vasa Dominico cultui dedicata contingendi facultatem denegatam esse Authores non pœnitendi commemorant.

QUÆSTIO LI.

Utrùm præter vestes sacras alia ad Missæ sacrificium ritè celebrandum requirantur?

REspondeo plura requiri quæ nullo negotio colliguntur ex Missali Romano in tractatu de defectibus circa Missam occurrentibus cap. 10. *Possunt*, inquit, *defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in altari non consecrato; vel tribus mappis non cooperto.*

Ex hisce verbis colligimus

1. Celebrandum esse Missæ sacrificium in loco sacro, vel ad sacrificium ab Episcopo deputato, & in altari consecrato & tribus mappis cooperto. De loco sacro & altari, in quo Missæ sacrificium celebrari necesse est, egimus suprà.

Hoc tantum hîc de altari notandum est, quod juxta S. Sylvestri Decretum lapideum esse debeat. Quia enim altare consecrari debet, oportet esse rem aliquam fortem, & non fragilem, sicut est lignum vel terra, de quâ fiat altare, ut ait S. Thomas. Competit etiam lapis ad significationem altaris, quod significat Christum, qui etiam per petram significatur 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. Ut ait S. Thomas ad dist. 12. l. 4. sentent. q. 1. in solut. quæstiunc. 5. ad 2.

Hoc ipsum de consecrat. dist. 1. c. Altaria, refertur & sancitur ex Concilii Epaunensis cap. 26. & 27. in hæc verba: *Altaria, si non fuerint lapidea, Chrismatis Unctione non consecrentur.* Hæc ibi.

Quod spectat ad tres mappas, quibus altare cooperiri debet, constat illas non nunc primùm altaribus fuisse impositas; siquidem eas Optatus Milevitan. lib. 6. contra Parmeniam appellat linteamina, sicut & Author Ordinis Romani. Undè inferimus ejusmodi mappas ex lino fuisse contextas. Hujusmodi mappas ad quatuor altaribus fuisse ad sacrificium celebrandum impositas, testatur Decretum Pii Papæ I, quod refertur ab Ivone Decreti 2. p. cap. 56. Si super altare, inquit citat. Pontifex, stillaverit Calix, sorbeat minister stillam, & tres dies pœniteat; si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor dies pœniteat: si usque ad tertium, novem dies pœniteat: si usque ad quartum, viginti dies pœniteat: & linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, Calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur. Hæc apud Ivonem, quæ & referuntur de consecrat. dist. 2. cap. si per negligentiam.

Quiequid sit, ante corporale ad minus duæ pallæ seu toballeæ sint extensæ super altare, vel una saltem plicata, illa enim duabus æquivalet, nec refert quod in aliquâ parte continua sit, &c.

Probabile est præter oblongam mappam quæ totum altare cooperit, supponi duas alias pallas corporali, &c. Consuetudo autem tenet, ut duæ pallæ sufficiant ac necessariæ sint, &c. Non est necesse pallas esse benedictas: quod autem altare his pallis cooperiatur, antiquissimum est in Ecclesiâ, ut ex Clement. Ep. . & ex Burchardo lib 3. cap. 57. probat Suarez Tom. 3. in 3. p disput. 8. sect. 6.

Præterea Missale Romanum recenset cereorum defectum inter defectus, qui occurrunt in ministerio: Si, inquit, non adsint luminaria cerea.

2. Igitur ad legitimam Missæ celebrationem requiruntur candelæ cereæ.

Cereorum usum in Missæ sacrificio tam necessarium prædicant omnes Theologi, ut si quis sine ullo saltem cereo præfatum sacrificium offerre audeat, eum lethalis peccati reatum incurrere contendant.

Si quis autem inter celebrandum uteretur facibus ex sevo, vel oleo accensis, peccaret contra ritum universalem Ecclesiæ, ut affirmat Zerola praxis Episcopalis part. 1. v. Missa

Porrò cereorum usum in Ecclesiâ esse antiquissimum docent Sancti Patres, S. nempè Hieronymus in opere adversus Vigilantium fidei desertorem elaborato. Cujus verba quia superiùs retulimus, hîc non repetimus.

Id etiam affirmat S. Augustinus serm. 33. de divers. Quod & testatur S. Paulinus ipsius ætati suppar: sic enim canit in natali 3. S. Felicis,

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant; sic nox splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Idipsum docet S. Athanasius; siquidem in Epistol. ad Orthodoxos deplorat cereos à fidelibus oblatos ab Arianis sublatos fuisse, & idolis accensos.

Præterea idem Missale Romanum affirmat eum admittere defectum in ministerio, qui indebitis horis celebrat: *Si*, inquit, *non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurorâ ad meridiem communiter.*

Tertiò ergo requiritur ad legitimam divini sacrificii celebrationem tempus ab Ecclesiâ præstitutum. Quod ut intelligatur, juvat audire S. Thomam qui cum sibi objecisset Ecclesiam in celebratione hujus Sacramenti debere imitari institutionem Christi, atque adeò cum Christus consecraverit hoc Sacramentum horâ serotinâ videri quod tali horâ hoc Sacramentum celebrari debeat.

Hanc objectionem ita propositam ita solvit S. Doctor 3. p. q. 83. a. 2. ad 3. Dicendum, inquit, quod Christus voluit ultimò hoc Sacramentum discipulis tradere, ut fortiùs eorum cordibus imprimeretur. Et ideò post Cœnam in fine diei hoc Sacramentum consecravit, & Discipulis suis tradidit. A nobis tamen celebratur horâ Dominicæ Passionis, scilicet diebus Festis in tertiâ quando crucifixus est linguis Judæorum, ut dicitur Marc. 15. & quando Spiritus sanctus descendit super Discipulos, vel diebus profestis in sextâ quando crucifixus est manibus militum, ut habetur Joan. 19. vel diebus jejuniorum in nonâ, quando voce magnâ clamans emisit spiritum, ut dicitur Matth. 27. Quod & confirmat in corp. cit. artic. Quia verò, inquit, Dominica Passio celebrata est ab horâ tertiâ usque ad nonam (id secundum nostrum loquendi modum ab horâ nonâ matutinâ ad tertiam pomeridianam) ideò pergit S. Thomas regulariter, in illâ parte diei, solemniter hoc Sacramentum in Ecclesiâ celebratur.

Ex isto S. Thomæ loco colligimus isto quo vixit sæculo hanc viguisse consuetudinem, ut ordinariè loquendo Missæ sacrificium ab horâ tertiâ, id est ab horâ nonâ matutinâ, usque ad horam nonam in Ecclesiâ celebraretur: tametsi nihil prohiberet quominùs Missæ celebrarentur in primâ parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur de consecrat. dist. 1. c. necesse est. Porrò regulariter Missa celebranda est in die & non in nocte; unde colligi non potest, quod etiam post mediam noctem celebrare liceat. Quamvis enim Leo Papa scripserit Dioscoro Alexandrino Episcopo quod in primâ parte diei Missas celebrare liceat, ut legitur de consecrat. dist. 1. cap. necesse est, non tamen licet eo tempore celebrare, siquidem dies à mediâ nocte non incipit: ut asserit idem S. Thomas cit. q. 83. a. Ad 4. dicendum, inquit, quod regulariter Missa debet celebrari in die, non autem in nocte: quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento qui dicit Joan. 9. me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari, quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Ita tamen quod principium diei accipiatur non à mediâ nocte: nec etiam ab ortu solis, id est quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Unde & Marc. 16. dicitur quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole, cum tamen venerint cum adhuc tenebræ essent ad monumentum: Ut dicitur Joan. 20. Sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus in l. 3. de consensu Evang. cap. 14. specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur. Propter hoc quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur de cons. d. 1. c. nocte. Et similiter etiam in sabbato sancto circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est cum adhuc tenebræ essent ante manifestum solis ortum. Ita S. Thom. quæst. & a. cit. ad 4.

Ad hujus loci clariorem intelligentiam observandum est per auroram apparere incipientem, non intelligi strictè tempus illud, quo sol supra nostrum horizontem cernitur & apparet, sed primum diei crepusculum, seu primam solis irradiationem à quâ Missæ celebrationem inchoare licet unâ horâ (imò per hyemem duabus horis) antequam sol ortus appareat, ut observat Sylvius ad citat. sancti Thomæ art. Quod si necessitas infirmum communicandi urgeat, vel quispiam privilegio ad hunc effectum ab Episcopo justâ de causâ concesso gaudeat, in istis rerum articulis illud etiam tempus antevertere licebit.

Verùm quicquid aliàs factitatum fuerit, vel factitari potuerit, nostrum est eam retinere consuetudinem, quâ celebrandi tempus ab aurorâ id est ab primo diei crepusculo, seu primâ solis irradiatione ad meridiem usque productum ab Ecclesiâ Catholicis sacerdotibus indicitur: quibus tamen posito necessitatis articulo licebit aliter sese gerere, prout scilicet Christiana prudentia suggesserit.

Hoc autem tempus Missarum celebrationi præstitutum est, ne quis ad superstitiones divino sacrificio abuteretur. Quod indicat Concilium Trident. sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in Missæ celebratione. *Postremò*, inquit, *ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caveant (Episcopi) ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint.* Hactenùs Concilii verba.

Insuper Missale Romanum addit alium occurrentem in ministerio defectum, si videlicet celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit.

Quarto igitur loco requiritur, ut celebrans saltem matutinum cum laudibus recitaverit.

Si quis quærat utrum Sacerdos matutini laudumque recitationem celebrandæ Missæ aliquâ lege præmittere teneatur?

Respondeo ad hujusmodi horarum recitationem celebraturum sacerdotem obligari ex vi consuetudinis, quæ quidem cum ab omnibus passim accepta fuerit, nemo Sacerdos illam infringere potest, quin ad id urgenti quapiam ratione moveatur. Quisquis enim se ad usum apud pios & religiosos homines cumulatè constitutum componere detrectat, aliquam singularitatis atque adeò superbiæ notam effugere non potest.

Huc accedit quod mysterii celebrandi sanctitas præparationem quantam maximam exigat, ad quam nemo meliùs pertingere valet, quam singulari devotionis affectu suum recitando officium, utpotè quod sit oratio, quam Spiritus sanctus nobis Ecclesiæ ministerio proposuit.

Si quis autem negotiis ad proximorum salutem spectantibus implicatus fuerit, ut puta si quispiam Parochus maximam diei partem in ægrotos invisendos, vel appetente, vel premente quapiam solemnitate in excipiendas confessiones contulerit, citra scrupulum celebrare poterit, & tunc consultiùs ages celebrando quam officium recitando; tunc enim Parochianorum murmur ex Missæ dilatione haud dubiè oriturum inhibebit.

Pergit Missale & ait admittere defectum, si omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus: Et si vestes Sacerdotales & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ.

Quinto igitur legitima Missæ celebratio requirit omnes omnino Sacerdotum vestes, easque vel ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente benedictas; ita ut si quis Sacerdos celebraturus sciens & volens, vel unam ex Sacerdotalibus vestem adhibere neglexerit, peccet lethaliter. Cum enim Ecclesia hujusmodi vestium usum sacrificaturis Sacerdotibus indixerit, non potest assignari ratio cur in unius vestis Sacerdotalis voluntariâ omissione Sacerdos ab peccati lethalis reato excusetur, cum omnibus & singulis hujusmodi vestibus sub pœnâ peccati lethalis nemine Theologo reclamante inter sacrificandum uti teneatur.

Similiter sese & in lethale flagitium implicat qui præfatas vestes, id est amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & casulam, nec ab Episcopo, nec ab alio hanc habente potestatem benedictas ad sacrificium adhibuerit. Is enim, quisquis sit, Ecclesiæ præceptum violat in materiâ gravi.

Alium insuper defectum in Missæ sacrificio occurrentem recenset Missale Rom. loco citato, si nimirùm non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missâ, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier.

Quinto igitur loco requiritur minister saltem unus, qui sacrum facienti Sacerdoti ministret, urceolos nempè porrigat, & fidelium nomine respondeat. Neque enim, ordinariè loquendo, sine ministro celebrare licet. Sic enim definitum est in Concilio Nannetensi c. 3. Hujus Concilii definitio apud Ivonem Decreti part. 3. de Ecclesiâ cap. 70. legitur in hæc verba: Definivit sanctum Concilium ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare; cui enim dicit, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut, gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit qui respondeat, aut in Canone, & omnium circumstantium, cum nemo adsit: Aut quem invitat ad Orationem, cum dicis, oremus, cum nullus sit qui secum oret? aut ergo ista penitùs reticenda sunt. Et non solùm non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret (quisquis ille est) illam terribilem sententiam; si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ: aut si hæc muris & parietibus insusurraverit, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio maximè à Monasteriis monachorum exterminanda est. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis, & aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur. Hactenùs Ivo loco citato.

Idipsum declarat Alexander Papa III. cap. proposuit, de Filiis Presbyterorum. Non enim solus, inquit, Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina Officia potest sine ministri suffragio celebrare.

Observandum autem hîc per ministrum intelligi virum non fœminam. Ita enim definitum est in Concilio Nannetensi cit. c. 3. in hæc verba: Sed hoc secundum authoritatem Canonum modis omnibus prohibendum ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infrà cancellos stare, aut sedere. Hoc Decretum refertur etiam ab Ivone Decreti part. 6. cap. 192.

Unde si Sacerdos in eas redigeretur angustias, ut eum celebrare oporteret, nec haberet adjutorem, satius esset vel ipsum respondere sibi, quam adjutricem adhibere mulierem, quia tametsi id ad lethalis peccati malitiam non pertineat, duabus tamen de causis factitari nec potest, nec debet, utpotè quod primò ipso jure prohibeatur: & deinde ab decoro, quod in omnibus, at præsertim in sacro ministerio servandum est, majorem in modum abhorreat.

Quod quidem nihil prohibet, quominùs fœmina sacrificanti Sacerdoti respondeat, modo sit ab altari remota, nec ad illud accedat, vel aquam, vel vinum, vel aliud quid porrectura, nec indè ullum scandali sivè offensionis periculum emergat, vel emersurum appareat. Moniales v. g. sui Chori septis inclusæ respondere possunt Sacerdoti ad altare ab præfato oratorio dissitum, sacrificanti, ita ut Sacerdos ipse sibi vinum & aquam, cum necessarium fuerit, infundat. Hoc esse licitum docent plerique omnes Theologi, si necessariò sacrificandum sit, nec idoneus ad sacrificandum minister suppetat.

Porrò secluso perurgentis necessitatis casu Sacerdotem sine ministro celebrare severè pleraque vetant Concilia.

Inprimis Concilium Moguntiacum anno sal. 813. sub Leone Papâ III. celebratum id liquidò prohibet c. 43. in hæc verba: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursùm corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit.* Hæc ibi.

Idipsum clariùs & uberiùs sancitum est in Concilio Parisiensi VI. ann. Redempt. 829. Ludovico Pio imperante celebrato: Cujus hæc sunt verba. Irrepsit in plerisque locis partim incuriâ, partim avaritiâ reprehensibilis usus, & congruâ emendatione dignus, eo quod nonnulli Presbyterorum sine ministris Missarum solemnia frequentent; quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui Discipulis celebranda tradidit; nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Undè conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi Corporis & Sanguinis Domini

solitarius consecrator, quibus dicit, *Dominus vobiscum*, & à quo illi respondetur, *& cum spiritu tuo:* vel pro quibus supplicando Domino inter cætera: memento Domine & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo quia Apostolicæ, & Ecclesiasticæ authoritati refragatur, & tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque Episcoporum, nè in suâ Parochiâ quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat. Et si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subjaceat. Hactenùs c. 1. Conc. Parisiense VI. lib. 1. can 48. Tom. 2. Concil. Galliæ ex editione J. Sirmundi fol. 515.

Aliquot annis ante hujusmodi Concilia Theodulphus Aurelian. Episcopus anno nempè Redempt. 797 in suum Capitulare retulit hanc traditionem his verbis: Sacerdos Missam solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione Sacerdotis, responsione nihilominùs plebis, ita nimirùm nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur: & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum sum. Hactenus 7. Canon qui legitur in Capitulari Theod. Aurelian. Episcopi.

Ex dictis videtur neminem Sacerdotem sine peccato celebrare posse, quin idoneum adjutorem seu ministrum habeat.

Præterea Missale Romanum testatur esse defectum notabilem in sacrificio, si non adsit Calix cum patenâ conveniens, cujus cuppa debet esse aurea vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitrea.

Sexto igitur loco Missæ sacrificium exigit Calicem & patenam, de quibus breviter per quasdam quæstiunculas est agendum. Sit itaque

---

Quæstiuncula I.

Ex quâ materiâ Calices Ecclesia fabricari jusserit.

Respondeo Ecclesiastico præcepto sancitum esse ut Sacerdotes Calicibus vel aureis, vel argenteis, vel saltem stanneis, inter sacrificandum uterentur: vel certè in conficiendis mysteriis adhiberent Calices, quorum saltem cuppa esset vel aurea, vel argentea, vel si minùs stannea, quamquam stanneus Calix, vel stannea Calicis cuppa propter Parochorum, aut aliorum Sacerdotum, aut Ecclesiarum inopiam dumtaxat toleratur. Siquidem in ipso ritu celebrandi Missam art. 1. id præscribitur; Calix debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intùs inauratam, si fieri potest, & simul cum patenâ ab Episcopo consecratus.

Id ita constitutum esse declaratur cap. Ut Calix de consecrat. dist. 1. Ut Calix (ita statutum in Concilio Rhemensi) Domini cum patenâ, si non ex auro, omninò ex argento fiat. Et infrà. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat. De ære aut aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.

Hujusmodi Canone indicitur materia, ex quâ sacros Calices procudi oporteat, oportet enim eos esse vel aureos, vel argenteos, vel certè stanneos, quorum usus non tam præcipitur, quam maternâ Ecclesiæ indulgentiâ toleratur.

Calices ex aliâ materiâ ut puta ex ære, aut aurichalco, aut ex ligno vel vitro confecti omninò prohibentur propter rationes tam in textu quam in glossâ memoratas. In textu quidem prohibentur Calices ex ære vel aurichalco fabricari, quia ob vini virtutem æruginem pariunt. In eodem textu prohibentur lignei vel vitrei Calices, quia ut ait glossa in cit. cap. ut Calix, lignum porosum est & vitrum fragile est: & immineret periculum effusionis.

Hujusmodi igitur Calices, & præsertim lignei prohibentur de consecrat. dist. 1. in cap. vasa, ne unde placari debet, irascatur Deus.

Si quis objiciat S. Exuperium Tolosæ Episcopum viduæ Sareptensis imitatorem qui, ut ait S. Hieronymus Epist. 4. ad Rust. esuriens pascebat alios, & ore pallente jejuniis fame torquebatur alienâ, & affirmat nihil illo fuisse ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo & sanguinem portabat in vitro. Si quis, inquam, ex hujus hominis exemplo vitrei Calicis usum asserere velit; nihil efficiet. Nam sanctissimus vir cum omnem substantiam Christi visceribus erogasset, ut testatur idem S. Hieronymus, Calices & vasa sacra vendidit, & pecuniis ex eâ venditione conflatos, pauperum inediâ cæteroquin pereuntium egestatem, Christianâ liberalitate recreavit. Noverat quippè misericordiam pluris apud Deum fieri quam sacrificium, & vasa, vel aurea, vel argentea, quæ in sacro adhibentur ministerio.

Hoc ipsum ab plerisque viris iisque sanctissimis factitatum esse commemorant. Testis est S. Augustinus, qui ut ait Possidius in ejus vitâ cap. 24. dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denuntiabat, se non habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captivos & quamplurimos indigentes frangi & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, & dixit & scripsit. Hactenùs Possid. loco cit.

Hæc autem vasa quæ ad sublevandam miserorum penuriam venditabat S. Aug. erant aurea, & argentea, ut ipsemet testatur in enarrat. Psalmi 113. conc. 2 Explicans enim ista Davidis verba: *Simulacra gentium argentum & aurum*, sic loquitur: *sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materiâ, vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur, in ejus honorem, cui pro salute nostrâ inde servitur.* Hæc ibi S. Aug.

Quæstiuncula II.

Utrum Calices ab unis dumtaxat Episcopis consecrari possint, & quâ pœnâ affici debeant Sacerdotes qui celebrant in Calice non consecrato?

Quod spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem

Ro. Calices ut plurimùm ab Episcopis consecrari, tùm quia diuturna consuetudo quæ nec Canonibus Ecclesiasticis adversatur, nec orthodoxæ fidei, nec bonis moribus refragatur id Episcopis attribuit, tùm quià in sacros Calices (quos Optatus Milevitanus Christi sanguinis portatores perapposito vocabulo denominat) multò major reverentia ex Episcopali benedictione derivatur; Quod tamen nihil prohibet, quominùs Calices consecrandi facultas secundi ordinis Sacerdotibus ab summo Pontifice concedi valeat. Cujus rei exemplum perillustre suppeditavit Innocentius Papa IV. qui quidem Amedeo S. Stephani Divionensis Abbati Calices consecrandi, & corporalia, & pallas, & vestes Sacerdotales benedicendi facultatem ab ipso, & ejus successoribus (quibus ab Episcopo manus esset imposita) in proprio dumtaxat monasterio exercendam Pontificio diplomate impertiit.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, quæ

ſcilicet pœna infligenda ſit Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus, non nulli Authores non pœnitendi arbitrantur hominem, qui celebraverit cum Calice non conſecrato dignum eſſe qui de Officio & Beneficio in perpetuum dejiciatur. Nituntur ſcilicet authoritate Honorii Papæ III. ita ſcribentis ad Epiſcopum Brixienſem: Litteras, inquit, tuas recepimus continentes quod cum ſuper exceſſibus Presbyteri Eccleſiæ ſanctæ Brigidæ Brixienſis inquireres, confeſſus eſt quod eum quadam die Hoſtiam & Calicem non haberet, in pane fermentato & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſit. Et infrà; Intellecto iterum quod prædicta Eccleſia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquiſitionis officium iterans, ex ejus confeſſionibus inveniſti quod idem ſine igne ſacrificabat & aquâ. Cum igitur vel ex apertâ malitiâ vel nimiâ diſipientiâ peccaſſe probetur, mandamus quatenùs Officio & Beneficio perpetuo ipſum prives. Hactenùs verba Honorii Papæ III. relata lib. 3. Decretal. Gregorii Tit. 41 de celebratione Miſſarum cap. 14. & ult.

Inde nonnulli Theologi non inſcitè colligunt hominem qui celebraret cum Calice non conſecrato, eſſe privandum officio pariter & beneficio non ad tempus, ſed in perpetuum.

Hujuſmodi ſententia illuſtrari poteſt argumento, vel à ſimili, vel à minori ad majus deducto, ſi expendamus cap. Nullus Presbyter de conſecrar. diſt. 1. Hoc caput in hæc verba conceptum eſt: Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe Sacerdotii. Ex hoc capite à ſimili ſic argumentari poſſumus: Sacerdotibus in locis ab Epiſcopo non conſecratis celebrare præſumentibus intentatur pœna depoſitionis: Ergo à pari Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus eadem conſtituitur, cum eadem ſit utrobique culpa.

Imò ex eodem capite à minori ad majus ſic argumentari poſſumus: Si Sacerdotibus in loco non conſecrato celebrantibus de Sacerdotii gradu dejectio intentatur, potiori jure Sacerdotibus in vaſe non conſecrato celebrantibus intentari debet: Cum enim Calix Chriſti Corpus & Sanguinem propiùs quàm ipſum Eccleſiæ ædificium attingat, haud dubiè ejuſdem Chriſti Corpus & Sanguis (ſi conficiantur cum Calice non conſecrato) majori videntur injuriâ affici, quam ſi in Eccleſiâ non conſecratâ conficerentur: Ergo à fortiori pœna depoſitionis videtur Sacerdotibus in Calice non conſecrato celebrantibus infligenda potiùs quam aliis qui in Eccleſia non conſecratâ celebrarent.

Quæstiuncula III.

Quandonam Calix ſuam amittit conſecrationem, ita ut illum denuò conſecrari oporteat.

Nonnulli Theologi contendunt Calicis benedictionem ſeu conſecrationem tamdiu perſeverare, quamdiu Calix integer, & ad uſum ad quem fabricatus eſt idoneus perſeverat, quia, inquiunt, Eccleſiaſtica benedictio eſt immobilis, & permanet uſque dum res benedicta, vel ex parte, vel omninò deſtruatur.

Alii ex adverſo docent Calicem conſecratum indigere novâ conſecratione, ſi aurum v. g. quo interior ejus ſuperficies eſt illita, vel omninò decidat, vel ex eadem ſuperficie, vel vi, vel arte revellatur, non autem ſi ſenſim annis volventibus deteratur: Siquidem non ita deteritur aut evaneſcit, quin ſemper aliquæ ejus particulæ eidem Calici conſecrato inhæreant.

Objiciunt alii ſemper eſſe eumdem Calicem, quamdiu aptus eſt ad continendum Chriſti Sanguinem.

Reſpondent ſecundæ opinionis aſſertores, eumdem eſſe Calicem quoad ſubſtantiam, non quoad uſum ſacrum ad quem applicatur propter conſecrationem, quæ talis eſſe deſinit, cum interior ejus ſuperficies (in quâ propriè loquendo Calicis conſecratio poſita eſt) novâ auri applicatione decoratur. Tunc enim præfata illa ſuperficies cenſetur immutata, atque adeò deintegro conſecranda.

Quæstiuncula IV.

Utrum ſignatio crucis toties in Canone repetita & ſuper panem, & Calicem impreſſa, ſit vera benedictio, & quid ſignificet.

Reſpondeo diſtinguendum eſſe. Vel enim crucis ſignum ante vel poſt conſecrationem Hoſtiæ & Calicis imprimitur. Si enim ante conſecrationem hujuſmodi crucis ſignum ſuper panem & vinum manu Sacerdotis imprimatur, tunc eſt vera benedictio, quâ petimus conſecrationem rerum oblatarum. Dum enim Sacerdos oſculatus altare (id eſt Chriſtum Jeſum per altare repræſentatum) omnium fidelium nomine petit ab æterno Patre, ut accepta habeat, & benedicat panem & vinum, quæ vocat, *hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*; Quid, inquam, per hujuſcemodi verba petit, niſi ut Pater æternus panem & vinum ipſi ab Eccleſiâ oblatum, acceptum habeat; & præpotenti manu panem in unigeniti filii ſui corpus, & vinum in ejus ſanguinem convertat? Cum autem panis & vinum dicuntur dona, munera, ſacrificia, non aliud atque aliud dicitur, ſed res una pro ſui magnitudine diverſâ appellatione laudatur. Quæ enim divinis altaribus offeruntur & munera appellantur, ſicut Dominus: *Si offers munus tuum ad altare*: & dona & ſacrificia, ſicut Apoſtolus de Pontifice: *Ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: ſed ut dictum eſt, ſermonum repetitio tanti Sacramenti eſt commendatio, & piæ devotionis excitatio, ut ait Florus Magiſter in expoſit. Miſſæ, & Alcuinus in lib. de div. Officiis in cap. de celebrat. Miſſæ. Qui & ibidem luculenter explicat quid Sacerdos petat per prædicta verba; Dicit ergo, inquit, uti accepta habeas & benedicas, ac ſi ſuppliciter dicat: petimus ut hæc tuo ſpiritu ſanctifices, atque ore benedicas, ut quod noſtræ humilitatis geritur miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Porrò vocat Sacerdos panem & vinum dona quæ tibi donamus, ut apud te conſiſtant per tuam benedictionem incorrupta. Hæc dona, ut fiant tibi Deus aſſumpta, ſiquidem Verbum caro factum eſt. Hæc munera, quibus te muneramus, ut percipiamus indè Corpus & Sanguinem Chriſti. Hæc ſancta ſacrificia, ſancta quia Deo oblata, ut rectè explicat Odo Cameracenſis in expoſit. ſacri can. Miſſæ. Item hæc ſacrificia dicuntur illibata, id eſt, immaculata, quæ ſine maculâ cordis & corporis offerri oportet, ut ait Innocentius Papa III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ c. 3.

Per iſta igitur verba petit Sacerdos panis & vini conſecrationem & utrumque benedicit id eſt, invocat præpotentem Dei manum, ut oblata convertat in ſubſtantiam Corporis Chriſti: & ſuam illam orationem cum triplici crucis ſuper Hoſtiam & Calicem impreſſione conjungit, ut oſtendat tantum myſterium ſanctâ Trinitate cooperante perfici, ut ait Stephanus Eduenſis de Sacram. altar. cap. 13.

Verum quia incruentum Miſſæ ſacrificium ideò præſertim inſtitutum eſt ut Chriſti Paſſio jugiter in Eccleſiâ toto terrarum orbe diffuſâ uſque ad ſæculi conſummationem recoleretur, ſæpiùs adhibitum eſt crucis ſignum, quo graviora tam acerbæ Paſſionis adjuncta repræſentarentur. Nam v. g. in ipſo ſacri Canonis exordio dextrâ manu Sacerdos ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem ut meminiſſent Chriſtiani Catholici Chriſtum ab tribus perſonis eſſe

Quæstiuncula VIII.

Quid significent hæc verba: Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, *&c. Et cur ea proferendo tres cruces super Corpus & Sanguinem Christi imprimantur?*

Horum verborum sensus est. Tu, ô Pater æterne, omnia ista, id est panem, vinum, & aquam semper creas per Christum. Creas enim condendo naturam: sanctificas consecrando materiam, vivificas transsubstantiando creaturam, benedicis accumulando gratiam. Vel creas, ut sint; sanctificas tibi deputando; vivificas animando; benedicis ut utilia sint; & præstas ut prosint.

Quæritur autem cur Sacerdos cum dicit, *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, signum crucis super oblata non imprimat, cum id faciat hæc tria verba proferendo, *sanctificas, vivificas, benedicis*; & quare ter signum crucis hac in parte adhibeat?

S. Thomas in opuscul. 18. aliàs 66. in quo Missæ expositionem prosequitur hujus rei causam explicat: Hæc est causa, inquit, quia humana natura ex statu pristinæ conditionis nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem boni operis, nec consummationem beatitudinis. Ex primâ ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrii libertate, per se autem non poterat stare nec proficere sine gratiâ adjutrice, & sanctæ Crucis virtute. Ex virtute autem sanctæ crucis & gratiæ adjutricis stabilis efficitur & benedicta, propterea ad primum verbum creationis non facimus signum crucis: & adhuc tria facimus, sanctificas, scilicet fide & remissione peccatorum; vivificas, scilicet Sacramento fidei & virtute bonorum operum; benedicis, scilicet plenitudine gratiarum & consummatione bonorum operum. Ideò ergò tres cruces facimus, quia per crucis virtutem & amorem tria obtinemus, quibus super omnia indigemus. Hæc ibi S. Thomas.

Possumus etiam dicere Sacerdotem per hæc verba, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis & præstas nobis*, in personâ Ecclesiæ quam inter divina mysteria repræsentat, profiteri coram æterno Patre Sacramentum in altari positum, & quicquid amplectitur ex ipso proficisci per Christum Jesum, per quem illud creat & efficit, & sanctificat, & uberrimum sanctitatis fontem constituit, non quod Christus omnem anteà sanctitatem non contineret, sed quod per eamdem actionem, per quam illum in hoc Sacramento reproducit (ut ita dicam) illi omnem gratiam & sanctimoniam impertiatur: quemadmodum per æternam generationem in illum omnem suam dignitatem, & omnia perfectionum quibus pollet, ornamenta effundit per illam ipsam actionem per quam illum generat: ita ut sanctissimi Sacramenti productio, ceu pulcherrima æternæ generationis imago reporgatis orthodoxæ fidei oculis appareat: Præterea non solùm Sacerdos profitetur venerabile Sacramentum & omnem quâ fulget, præstantiam & amplitudinem per filium ab æterno Patre proficisci; sed insuper testificatur, & agnoscit illud nobis ab eodem æterno Patre donari, & per illud ab illo ipso nobis omnia, quæ continet bona & ornamenta communicari, atque adeò non solùm æternam generationem hoc in Sacramento adumbrari, sed etiam incarnationem, in quâ Pater æternus nobis omnia cum unigenito filio suo in orbem terræ per novam & humanam, imò humano divinam Nativitatem introducto incredibili misericordiâ & munificentiâ donavit.

Quia ergo Christus infinito suæ passionis pretio meruit, ut ab æterno Patre venerabile Sacramentum sanctificaretur, vivificaretur, & benediceretur, ideò ter hoc loco imprimitur signum Crucis, ut quotquot Christo nomen dedere, ex ipsâ velut ex arbore salutiferâ omnem sanctificationem, omnem vivificandi vim, omnem benedictionem, id est omnem gratiæ & gloriæ fructum decerpi meminerint.

Quæstiuncula IX.

Quid significent tres cruces quæ cum Hostiâ imprimuntur à labio ad labium Calicis, & quid significent hæc verba quæ tunc proferuntur: nempè per ipsum, &c.

Quod spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem, nempè quid significent tres illæ cruces quæ imprimuntur super Calicem, S. Thomas 3. p. q. 83. a. 5. ad 3. ait per trinam illam crucis impressionem repræsentari tres horas, quibus Christus pependit in cruce, id est ab horâ sextâ usque ad horam nonam, quod tempus ut significetur, ait trinam illam crucis signationem facinari super illa verba, *per ipsum, & cum ipso, & in ipso.*

Alii dicunt, per tres illas cruces cum Corpore Christi super nudum Calicem factæ significant tres cruciatus, quos Christus in ipsâ cruce pertulit, passionem videlicet, propassionem, & compassionem. Passionem in corpore, propassionem in mente, & compassionem in corde. De passione corporis ait: *Attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* De propassione mentis ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ex compassione cordis pro crucifixoribus oravit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Quod spectat ad sensum hujusmodi verborum is est. Sacerdos commemoratâ venerabilis Sacramenti & bonorum omnium in ipso residentium communicatione Patrem æternum omnem gloriam ex tali communicatione in ipsum redundantem per Christum, cum Christo & in Christo dumtaxat percipere profitetur. Per Christum, inquam, veluti per mediatorem: nihil enim Deus proximè ab hominibus accipit, cum Christus sit mediator, per quem Deus sua in homines effundit beneficia. & nos vicissim sua in illum dona refundimus. Sequitur, *& cum ipso*: Cum enim sit in formâ Dei, nec rapinam arbitretur esse se æqualem Deo, eadem cum illo gloriâ ab hominibus exhibitâ perfruitur: Additur *& in ipso*, quia est Ecclesiæ caput, atque adeò ab unis dumtaxat membris illi adnatis debita Deo gloria impenditur. Sic ergo explanantur illa verba, Per ipsum, id est tamquam per mediatorem: Cum ipso id est cum coæquali, quia ipse est coæqualis Patri: In ipso tamquam consubstantiali: vel in ipso veluti capite, atque adeò in membris ipsi per fidem, spem, & charitatem agglutinatis. In Patre quippè notatur authoritas propter principium: in filio æqualitas? propter medium: in Spiritu sancto communitas propter consortium.

Quæstiuncula X.

Quid significent duæ cruces, quæ post tres prædictas fiunt extra Calicem?

Sanctus Thomas q. & a. jam citatis ad 3. ait per hujusmodi cruces repræsentari separationem animæ Christi ab ejus corpore: Cum enim dicit Sacerdos; *est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti*, non facit tres cruces, sed duas tantùm ad significandam Christi mortem: eo quod licet tres in Christo essent substantiæ, divinitas nimirùm, corpus & anima, duæ tantùm, id est corpus & anima ab invicem sunt separatæ: Nam divinitas ab neutrâ est separata. Quamvis enim principes hujus sæculi in Dominum gloriæ, quem crucifixere, omne immanitatis post homines natos inauditæ virus effuderint, numquam tamen unio-

nem hypostaticam attingere, nedum dirimere potuerũt.

Porro quinque illæ cruces, id est tres illæ, quæ fiunt super oblatam Hostiam & Calicem, de quibus superiore quæstiunculâ dissenimus, & duæ subsequentes quæ fiunt extra Calicem, variè à variis explicantur. Quidam enim dicunt per tres præfatas cruces significari tres cruciatus, quos Christus tribus temporibus pertulit, ante mortem videlicet alapas, flagella, sputa & alia id genus; in morte crucifixionem: post mortem perforationem lateris, è quo manavit aqua regenerationis, & sanguis Redemptionis. Primum significat prima crux; secunda secundum: tertia tertium: quarta verò significat separationem animæ à Christi Corpore: quinta descensum in limbum, vel tormenta & vulnera ipsius Christi pedibus impressa.

Alii, Innocentius nempè Papa III & Alexander de Hales, dicunt per tres cruces priores quæ fiunt proferendo hæc verba: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*, significari tres cruciatus quos Christus pertulit, passionis nimirùm, propassionis, & compassionis, de quibus egimus superiore quæstiunculâ, & per alias duas quæ fiunt inter Calicem & Sacerdotis pectus, designari aquam & sanguinem quæ de perfosso Christi latere profluxerunt.

QUÆSTIUNCULA XI.

Cur post tot mysteria inter sacrificandum æterno Patrio exhibita Oratio Dominica recitatur.

Respondeo id fieri duabus de causis, quarum Prima petitur ex infinito Passionis & mortis Christi merito. Cum enim in incruento Missæ sacrificio (quod omnem suam vim trahit ab cruento crucis mysterio) æterno Patri exhibeantur omnia flagella & opprobria & tormenta, quorum tolerantiâ Christus Jesus omnia salutis æternæ præsidia, atque adeò æternam ipsam salutem & gloriam infinito sui sanguinis pretio, perituro alioquin mundo comparaverit, Apostoli divinitùs afflati & à Christo edocti se operæ pretium facturos crediderunt, si omnia quæ nobis suâ morte promeruit ipse Christus, ab æterno Patre per ejusdem mortis continuatam oblationem & orationis Dominicæ recitationem atque ita Ecclesia divinis ipsorum dogmatis informata fidelibus applicari flagranti charitate deposceret.

Altera istius rei causa petitur ex eo quod Christus Dominus illam ipsam orationem omnium orationum præstantissimam homines docuerit. Unde fit ut hæc ipsa oratio ex verbis ex ipsius Dei ore profectis incredibilem omnia quæ complectitur, obtinendi vim trahat, atque adeò nulla melior, aut ad assequenda æternæ salutis adjumenta efficacior inter ipsa præsertim mysteria adhiberi posse videatur.

De ejus orationis ab uno dumtàxat Deo traditæ præstantiâ sic prædicat Tertullianus: *Compendiis paucorum verborum*, inquit, *quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot simul expunguntur officia? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutela. Quid mirum? Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata Religio orationis, & de spiritu ipsius jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata suo privilegio ascendit in Cœlum commendans Patri quæ filius docuit.* Hactenùs Tertull. in lib. de orat. cap. 9.

QUÆSTIUNCULA XII.

Cur post Orationem Dominicam alia adhibeatur oratio, quâ fideles Sacerdotis interventu ab omnibus malis liberari, & pacem sibi dari flagitant.

Respondeo hujusmodi orationem post Orationem Dominicam recitari, ut Sacerdos discat nec se nec ullum posse, sicut oportet, sacrificii Communionem percipere, quin per medicinalem Salvatoris gratiam ab omnibus malis, quæ nobis, vel alias acciderunt, vel impræsentiarum accidunt, vel in posterum accidere possunt, formidantur.

Hanc Orationem insigniter illustrat Florus Magister, qui floruit sæculo IX. in opusculo quod Missæ expositionem appellavit: sic enim explicat Orationem. *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis*, &c. In quibus verbis, inquit, mala præterita, ab quibus petimus liberari, peccata nostra transacta intelligenda sunt, quorum etsi actio jam cessavit in nobis, tamen reatus manet, nisi divinâ indulgentiâ deleatur. Mala verò præsentia, quia quotidiè peccamus, quotidiè necesse habemus dicere: *dimitte nobis debita nostra*, possunt & quotidiana peccata in animo, & accidentes sæpè diversis languores & afflictiones in corpore extrinsecùs irruentes, & aliæ innumeræ calamitates, ut fames, pestilentia, gladius, & cætera hujusmodi pericula intelligi; Per futura etiam mala quæ alia sunt intelligenda, nisi quæcumque nobis accidere possunt saluti, & paci contraria, sivè per tentationes diaboli, sivè per adversitates & miserias sæculi? Orat ergo hæc Sacerdos, imò tota Ecclesia cum Sacerdote; ut quod in fine Orationis Dominicæ dictum est, *Sed libera nos à malo*, ita nobis per Dei misericordiam præstetur; ut liberemur ab omnibus malis, id est quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsenti accidunt, vel in futuro accidere possunt. Hæc ibi.

Posteà Ecclesia intercessores adhibet sanctos multò celeberrimos, imprimis illibatam Dei genitricem Mariam, per quam humano generi salus exorta est, & præterea sanctos Apostolos Petrum & Paulum atque Andræam; In quâ postulatione cæterorum sanctorum intercessio non prætermittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur. Quia ut omnes sibi Deo sociati & uniti existunt, ita omnes unum desiderant & rogant pro salute hominum, & in uno pariter omnes habeantur, & in uno omnes pariter negliguntur. Non enim amant sancti suos Electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores, magisque offensurus est quisquis ita agendum putat, eos ad quos sese contulerit, quam eos à quibus abstulerit. Unitate enim gaudent & in Christo unum sunt, ut loquitur ille ipse Florus Magister loco cit. Postquam igitur Sacerdos in personâ Ecclesiæ precatores adhibuit sanctos, postulat pacem, ut omnes Christiani divinæ misericordiæ ope adjuti semper sint à peccato liberi, & ab omni perturbatione securi.

Hac de causâ fideles Apostolicâ traditione instituti in publicis suis conventibus, & maximè in tremendo Missæ sacrificio pro omnibus hominibus, & maximè pro regibus & aliis ad humanatum dignitatum fastigia provectis orationes factitari voluerunt.

Reverà id satis indicavit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 2. *Obsecro*, inquit, *primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Hunc Apostoli locum interpretatur S. Augustinus de orationibus, quæ inter sacra mysteria ab fidelibus usurpantur, ut legere est apud ipsum Ep. 59. in solut. quintæ quæstionis.

Eò igitur collineat iste Apostoli locus, ut pro Regum & Principum salute preces fundamus; utpotè qui hoc illorum potestati, hoc præsidiis & armis debeamus, imò hoc Deo per illos debeamus, quod à seditionibus, quod à latrociniis, quod ab importuno belli tumultu tutis tranquillam placidamque vitam agere liceat. Catholica igitur Ecclesia postulat pacem, postulat pietatem, postulat castitatem. Pacem quidem, ne mala per bellum importari solita populos omni calamitatum genere quassatos ab divino cultu deterreant: Pietatem, ne ex animis bellorum clade fractis debilitatisque omnia religionis sensa revellantur: Castitatem denique seu temperantiam, ne corda insanis libidinibus & amoribus irretita sese in altissimum flagitiorum gurgitem immergant: atque ita religiosus Dei & Christi Domini cultus in plerisque terrarum partibus & oris penitùs abolescat.

QUÆSTIUNCULA XIII.

Quid significet Hostiæ fractio & in tres partes divisio, & quid tres cruces quæ fiunt ad illa verba,
Pax Domini sit semper vobiscum.

QUid significet Hostiæ in tres partes divisio præclarè explicat Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. cap. 10. Tres, inquit, portiones illæ quæ fiunt de Corpore Christi mysticam significationem habent. Quoniam ipsum caput jam immortale & impassibile de morte resurrexit, ampliùs non moriturum neque passurum ampliùs. Et similiter illi qui de hac vitâ sancti egressi sunt, & cum ipso capite suo jam gloriantur, & gaudent expectantes, & ipsi resurrectionem carnis suæ & immortalitatem, jam neque dolorem, neque passionem sentiunt ullam, & sunt simul istæ duæ partes extra Calicem, & extra passionem, quoniam priora transierunt. Tertia pars in Calice ponitur significans eos qui adhuc vivunt in passione, donec & ipsi ex hac vitâ exeant, & transeant ad caput suum, ubi ampliùs nec moriantur nec patiantur. Hæc ille.

S. Bonaventura in exposit. Missæ ait Eucharistiam in tres partes divisam significare tres ordines Ecclesiæ, Virginum scilicet, viduarum & conjugatorum. Duæ ergo partes extra Calicem servatæ cœlibatum & sanctimoniam Virginum & viduarum repræsentant. Nam secundum Apostolum Virgo & innupta cogitat quæ Domini sunt. Tertia verò pars in Calicem missa statum conjugatorum & passionum designat. Unde de conjugatis ait Apostolus, tribulationem carnis habebunt hujusmodi, id est conjugati. Offertur autem Hostia Christi in altari, ut Virgines & viduæ in sanctimoniâ perseverent, & pro adjutorio conjugatorum ne in tribulationibus hujus mundi positi desperent.

Prætereà ut docet idem S. Bonaventura loco cit. Eucharistia in sacrificio tres in partes dividitur, & offertur ad tria bis versibus designata

Corporis in partes Christi divisio fit tres.
Tincta datur vivis, sed pars non tincta supernis,
Est donanda reia, pars tertia justificandis.

Id est, prima pars in Calicem immersa offertur pro viventibus Christianis, qui hujus vitæ miseriis conflictantur, ut per hujusmodi oblationem Deus illis in perferendis calamitatibus patientiam, & solatium impertiatur.

Altera pars extra Calicem seposita reservataque offertur ad laudem & gloriam sanctorum in Cœlu cum Christo triumphantium.

Tertia denique pars offertur pro iis qui sunt in Purgatorio, ut à pœnis citius liberentur, & absolvantur, quatenus & ipsorum animæ in sinu Abrahæ, hoc est in gaudio & refrigerio assumantur, & gloriâ sicut & cæteri sancti perfruantur.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, cur videlicet fiant tres cruces dum proferuntur hæc verba: *Pax Domini*, &c. S. Thomas loco jam sæpè cit. ait per tres hujusmodi cruces repræsentari Christi Resurrectionem, quæ tertiâ ab ejus obitu die facta est.

S. Bonaventura loco item citato ait Sacerdotem antequam tertiam Hostiæ particulam immergat in Calicem altâ voce proferre, *Pax Domini*, &c. Per quod datur intelligi, inquit, quod Christus resurgens ex mortuis triplicem Pacem Discipulis annuntiavit Pacem scilicet temporis, pacem pectoris, & pacem æternitatis. Hæc Pacis tria genera designata sunt in tribus signis Crucis, quæ Sacerdos facit cum Corpore Christi inter Calicem, dicens: *Pax Domini*, &c.

QUÆSTIUNCULA XIV.

Quare, dum fiunt tres præfatæ cruces, tertia Dominici Corporis particula manu teneatur?

HAnc quæstiunculam ita solvit Hugo de sancto Victore erudit. Theologicæ in Canonem Missæ cap. 9. Tertia pars Dominici Corporis, inquit, quam manu tenemus cum cruces facimus, pars illa est Ecclesiæ quæ in exultatione est, & gaudet cum Christo in æternâ beatitudine. Hanc ergo manu tenere, id est sanctos fide & opere imitari debemus, ut sic cruces faciamus, id est eorum adinstar Passionibus Christi communicemus.

QUÆSTIUNCULA XV.

Quare eadem illa particula factis crucibus immittatur in Calicem?

HAnc etiam quæstiunc. idem Hugo de S. Victore loco cit. solvit: Calix Domini, inquit, qui laborem significat, & imitationem Dominicæ Passionis habet suum interius, & suum exterius; exterius pressuram & tribulationem, interius gaudium & consolationem. Quæ duæ res indicantur per ista Davidis verba: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Magna igitur multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se, est interius Calicis. Tertia ergo illa Dominici corporis pars, (quæ prædestinatorum multitudinem adumbrat) descendit in Calicem, quia post laborem cum Christo in æternum & æternam recipiet requiem. Hæc Hugo de S. Victore loco citato.

QUÆSTIUNCULA XVI.

Quare particula quæ remansit in dextrâ Sacerdotis super os Calicis, ab ipso teneatur?

REspondeo ex plurium Theologorum sententiâ per hanc particulam repræsentari homines adhuc degentes in terris, qui misericordiâ Dei, sivè meritis ex Passione Christi & morte ad se derivandis semper indigent. Præfata igitur particula supra Calicis os tenetur directo ad sanguinem respectu, ut per hujusmodi signum intelligatur intentio, expectatio, & consideratio viventium, qui se per ipsa Crucifixi merita sibi per unam dumtaxat Dei misericordiam applicanda ad æternam salutem pertingere intendunt, expectant, & indefesso studio considerant. Tenetur autem ista particula cum pollice, per quem vigor virtutis, & cum indice, per quem mentis discretio significatur,

significatur, ut abscondita Crucis Christi mysteria cum fidei vigore & mentis discretione consideranda, & merita ipsis annexa expectanda esse cernatur & appareat.

Quæstioncula XVI.

Utrum Patena ad mysteria celebranda requiratur?

Respondeo patenam ad celebranda mysteria requiri pari necessitate, quâ Calix ad ea conficienda exigitur. Id patet ex Concilio Carthagin. IV. cap. 5. in quo agitur de ordinatione Subdiaconi: *Subdiaconus*, inquiunt istius Concilii Patres, *cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam & Calicem vacuum.*

Ex hoc Canone discimus patenam in sacrorum mysteriorum celebratione fuisse adhibitam. Subdiacono enim Sacerdoti facienti sacrum ministraturo tradebatur Calix cum patenâ, ut utrumque sacrificaturo dumtaxat Sacerdoti porrigeret.

Idipsum testatur Burchardus lib. 3. cap. 97. expletâ Missâ inquit, Calix cum patenâ, & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus in mundo loco sub serâ recondantur.

Quid quod Concilium Triburiense cap. 18. idem astruit. Vasa, inquit, quibus sacro-sancta conficiuntur mysteria, Calices sunt, & patenæ.

Illud ipsum legitur de consecrat. distinct. 1. cap. 43.

Istam Patenæ in conficiendis mysteriis necessitatem luculenter astruit cæremonia, quâ ipsa patena ab Episcopo solemni unctione pariter & benedictione consecratur.

Hujusmodi consecrationis finem duplicem præsertim esse declarat Pontificale Roman. Nam Episcopus patenam consecrans orat ut divinæ gratiæ benedictio consecret, & sanctificet præsentem patenam ad confringendum in eâ Corpus D. N. J. C. Et in sequenti oratione orat Deum Patrem ut benedicere, sanctificare & consecrare dignetur præsentem patenam in administrationem Eucharistiæ Jesu Christi Filii sui.

Patena igitur consecratur ab Episcopo. 1. Ut in eâ confringatur C. D. nostri Jesu, id est quoad species. *Nulla enim rei fit scissura, signi tantum fit fractura, quâ nec status nec statura signati minuitur.* 2. Ut cum illa sanctissimi Sacramenti administratio exerceatur. Post hujusmodi orationes Pontifex cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto facit crucem super patenam ab orâ in oram, & mox linit, & perungit totam ejus superficiem cum ipso pollice dicens: consecrare, & sanctificare digneris, Domine Deus, hanc patenam per istam unctionem, & nostram benedictionem in Christo Jesu Domino nostro: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde procedit ad Calicis & patenæ unctionem, & posteà super utrumque, Calicem scilicet & patenam sic orat: Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris quæsumus opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum & patena sanctificentur, & Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu-Christi novum Sepulchrum sancti Spiritus gratiâ efficiantur. Hactenus Pontificale Romanum.

Revera per Calicem & patenam Christi Sepulchrum repræsentari docent plerique sacrorum rituum interpretes, & imprimis Rabanus Maurus l. 1. de Institut. Clericorum cap. 33. ubi agit de ordine Missæ: Ponuntur quoque, inquit, vasa sancta (quod est Calix & patena) super altare, quæ quodammodo Sepulchri typum habent: quia sicut tunc Corpus Christi aromatibus unctum in Sepulchro novo per officium condebatur, ita modo in Ecclesiâ mysticum corpus illius cum unguentis sacræ orationis conditum, in sacris vasis ad percipiendum fidelibus per Sacerdotum officium administratur. Hactenùs Rabanus Maurus loco citato.

Idipsum sentit & explicat Hildebertus Turonensis Archiepiscopus in elegantissimo carmine, quod de Missæ mysterio elaboravit: sic enim de cruce, Calice, patenâ & sindone, in quâ involutum est Christi mortui corpus prædicat.

Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Mysterio simplex, utilitate triplex.
Fit cibus hic ovis in ligno, leo fortis in urnâ,
Ales ad astra volans. Rex super astra sedens.
Neve putes illi tumulumve crucemve deesse,
Ipse Calix tumulum, denotat ara crucem.
Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena;
Sindonis officium candida byssus habet.
Utque fides adsit, terrorque recedat & horror,
Fit cibus ipse caro, panis imago manet.

Hactenus Hildebertus exeunte carmine, quo pari ad pietatem elegantiâ sacro-sancta Missæ mysteria celebravit. Ergo ex hujus authoris mente altare in quo divina mysteria conficiuntur, crucem in quâ immolatus est Christus, Calix Sepulcrum novum in quo est sepultus, patena lapidem qui ad monumenti ostium est advolutus, corporale denique ex candidâ bysso pertexium, mundam sindonem, in quâ involutum est ejus corpus sanctissimè repræsentat.

Porrò patena si non solùm ad Dominicæ sepulturæ mysterium, sed etiam ad animarum ædificationem applicetur, significat corda sanctarum mulierum quæ emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. Ita sentit & explicat Amalarius Fortunatus Treverensis Episcopus lib. 3. de Eccles. Offic. cap. 27. quod inscribitur de præsentatione patenæ. Patena, inquit, dicitur eo quod pateat, designat corda ampla charitate, sicut alabastrum in quo portavit unguentum Maria ad ungendum Dominum, significavit cor ejus, in quo erat fides, sine impostura: ita & patena potest corda sanctarum mulierum designare, quæ patebant in latitudine charitatis in obsequio Christi. Hæc ille.

In eamdem sententiam inclinat Innocentius Papa III. lib 6. myster. Missæ c. Ubi postquam dixit ministros sacrificanti Sacerdoti patenam præsentantes, significare sanctas mulieres, quæ vespere sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, sese ad Christi Sepulcrum contulere. subdit: Præsentemus ei patenam, id est cor patens latitudine charitatis in obsequium sepulturæ juxta quod legitur, quia mulieres emerunt aromata, &c. Hanc ergo patenam (sic pergit idem Pontifex) id est cor amplum latitudine charitatis Sacerdos accipit, id est Christus acceptat. Quia verò crucifixus ardenti desiderio quærebatur, juxta quod Angelus inquit mulieribus, scio quod Jesum quæritis crucifixum, idcircò crux cum patenâ signatur in facie Sacerdotis. Hactenùs Innocentius Papa III.

Si quærat aliquis quomodo tabernaculorum & vasorum continendo Christi Corpori destinatorum benedictio ab Calicis & patenæ consecratione differant?

Responderi potest præfatam hujusmodi vasorum benedictionem in hoc maximè ab Calicis & patenæ consecratione differre, quod Calicis & patenæ consecratio adhibito Chrismate ab Episcopo dumtaxat peragatur: tabernaculorum autem & vasorum ad continenda mysteria conducentium benedictio sine Chrismate aut oleo sancto, vel ab Episcopo, vel ab simplici Sacerdote (cui ea facultas facta fuerit) cum certâ dumtaxat verborum formulâ perficiatur.

Ex dictis conficitur neminem Sacerdotem posse celebrare sine Calice & patenâ, vel etiam sine solâ patenâ, quin gravi sese peccato devinciat.

Quæstiuncula XVIII.

Undè manaverit Corporalium in Missâ usus, ex qua materiâ esse debeant, & quid nos doceant?

Dico 1. Corporalium usus in sacrificio Missæ vulgò ascribitur Josepho ab Arimathæâ, cujus exemplo Ecclesia Catholica Christi Corpus in Pallâ Corporali consecrari & reponi voluit.

Ita tradit sanctus Isidorus Pelusiota Epist. lib. 1. epist. 123. *Pura illa Sindon, ait, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Iosephi Arimathensis ministerium est Liturgicum, seu sacrificale. Sicut enim ille Domini Corpus Sindone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit: ita nos propositionis panem in Sindone sanctificantes Christi Corpus sine dubitatione reperimus nobis illam fontis in medium, proferens immortalitatem, quam Salvator Iesus à Iosepho funere elatus, postquàm resurrexit à mortuis, impertiit.* Hæc ille.

Dico 2. hujusmodi Corporalia non debent ex aliâ materiâ quam ex lino factitari. Id enim constitutum est ab Sylvestro Pontifice maximo, ut sacrificium Altaris non in serico, non in Panno tincto, sed tantum lineo è terrâ procreato celebraretur: sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in Sindone mundâ sepultum est, ut asserit Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. cap. 24.

Item in Concilio Rhemensi cap. 3. cautum est ne Corporale ex aliâ materiâ quam lino conficiatur, ut legere est apud Burchardum lib. 3. cap. 98. Corporale, inquit citat. Concil. super quod sacra Oblatio immolatur ex mundissimo & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior aut vilior misceatur. Hæc ib.

Item affirmat Albinus Flaccus lib. de divin. offic. cap. de celebrat. Missæ, & ejus significatione.

Dico 3. hujusmodi Corporalia è lino candidissimo pertexta nobis Christi patientis dolores, & singularem ejus carnis munditiam proponunt ob oculos. Corporale lineum, ut inquit Rupertus Abbas, in quo Dominicæ Passionis celebramus memoriam, tribulationem ejus & singularem in eo designat carnis munditiam. Linum quippe de terra natum, multis attritum pressuris, ad nivei candoris honorem & levem subtilitatem pervenit. Grossum & inglorium è terra consurgit, sed inter manus prementium opisicum subtilizatur & candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali advertimus. Hactenus Rupertus in lib. 2. de div. offic. cap. 23. de ornatu Altaris vel Templi.

Præterea Corporale lineum demonstrat, quo pacto Christus ad Resurrectionis gloriam pervenerit, & quomodo se comparare debeat quisquis Christi Corpus ritè suscipere desiderat, ut discimus ex Albino Flacco. Corporale, inquit, cui superponitur Corpus Dominicum non aliud quam lineum esse oportet, quoniam Joseph linteum mundum legitur emisse, ubi Corpus Dominicum involvit. Nam & linum purum est germen terræ; & Dominus purum & verum Corpus habuit, non simulatum: Et sicut linum per multos sudores pervenit ad candorem, ita Christus Jesus multis affectus passionibus migravit ab hoc sæculo, & ad candorem resurrectionis & immortalitatis perductus est. Ita ergo qui Corpus Christi in se recipere desiderat, per multos bonorum operum labores & per castitatem mentis & corporis debet se ceddere mundum & candidum. Hactenùs Albinus Flaccus in lib. de div. offic. sub titulo de celebrat. Missæ, & ejus significatione.

Quæstiuncula XIX.

Utrum Corporalia benedicere oporteat?

Respondeo esse benedicenda Corporalia, & reverà benedici vel ab Episcopo, vel ab simplici Sacerdote facultatem ad hunc effectum habente. Reverà in Pontificali Romano habentur peculiares orationes, quæ ad hujusmodi Corporalium benedictionem adhibentur, quarum

Prima est: Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus & Sanguinem Dei & Domini nostri Jesu Christi Filii tui, qui tecum vivit, &c.

Alia autem oratio sic habet: Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc linteamen sanctificetur, & Corporis & Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritûs sancti gratiâ efficiatur: Per eumdem Dominum, &c.

Porrò multa sunt quæ circa Corporalia observantur, & necessitate præcepti sunt observanda.

1. Ex lino candidissimo & mundissimo debent esse contexta, nec ad ea, vel pretiosior materia, vel vilior adhiberi potest, ut suprà vidimus.

2. Vel ab Episcopo, vel ab simplici Sacerdote facultatem habente, debent esse benedicta.

3. Remanent consecrata quamdiu manent integra, id est, non notabiliter fracta. Undè post lotionem con sunt de novo benedicenda.

4. Peccat graviter qui Corporalibus non benedictis cum advertentiâ rationis utitur in sacrificio.

5. Peccat lethaliter qui Corporalibus notabiliter immundis inter celebrandum utitur. Undè in gravem Dei offensam incurrunt nonnulli Sacerdotes, qui in celebrando ea adhibent Corporalia & lintea, quæ suis è mensis cum nauseâ & indignatione repellerent.

6. Corporalia ipso usu sordidata ab Diaconis sunt abluenda, & aqua, quæ ad lotionem fuerit adhibita, in piscinam est projicienda, ut dicitur de consecrat. dist. 1. cap. nemo. Quod quidem Decretum intelligendum est de primâ lotione quâ factâ illa ipsa corporalia ab Virginibus & aliis mulierculis possunt deintegro ablui, & si opus fuerit, resarciri.

Quæstiuncula XX.

Utrùm possit ab peccato lethali excusari Sacerdos, qui Missam sine Libro Missali celebrare præsumpserit?

Respondeo non posse. In hoc enim conveniunt Theologi plerique omnes Sacerdotem celebrantem sine Libro Missali, in quo saltem non contineatur Canon, peccare lethaliter per se loquendo, utpotè qui probabile in materiâ gravissimâ errandi, & divina mysteria perperam tractandi periculum adeat. Si enim, ut testatur sanctus Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. n. 5. & alii plures post ipsum asserunt Theologi. Omissio sacrarum vestium, vel plurium, vel unius duntaxat, inducit peccatum mortale præcisâ inadvertentiâ, cum usus & consuetudo Ecclesiæ hujuscemodi vestes ad debitam tanti sacrificii celebrationem & reverentiam adhiberi præcipientis in materiâ citra controversiam gravissimâ violari censeatur, quidni & lethalis culpæ reus habeatur Sacerdos, qui celebrat sine Missali, in quo saltem non contineatur Canon, quippè qui in potissima sacrificii parte, vel erraturus sit, vel certè sese in probabile in actione (quâ nulla gravior excogitari potest)

errandi periculum immiseret.

Plus etiam addi potest eum nempè Sacerdotem, qui uteretur Missali, in quo legitimus contineretur Canon, non proptereà excusatum iri ab peccato lethali, utpotè qui Ecclesiæ, Missæ tali & tali modo celebrationem, ut puta talium orationum, talis Epistolæ, & talis Evangelii lectionem, secluso necessitatis articulo, indicentis præceptum in materiâ, nemine reclamante, gravissimâ violaret, vel probabili violandi periculo exponeret sese, atque incurreret in lethale flagitium. Nemo enim probabile peccandi lethalis periculum sciens & volens adire potest, quin sese lethali peccato devinciat.

Præter ea omnia ad Missæ sacrificium requisita, quæ percensuimus hactenùs, requiritur Crux in Altari posita, cujus tamen omissio, si absit contemptus, non videtur inducere peccatum lethale; utpotè quæ cum notabili sacrificii reverentiâ conjuncta non appareat.

Quod spectat ad preces quæ ab Sacerdote sibi sacras vestes induente recitari solent & debent, sine justâ causâ omitti nequeunt; Cum enim præscriptæ sint ab Ecclesiâ, ut Sacerdos sese majori pietatis ardore ad conficienda mysteria compararet, haud dubiè nec negligendæ, nec sine legitimâ causâ omittendæ sunt. Quod graves Theologi agnovere, cùm hujusmodi precum omissionem lethalis peccati reatum inducere docuerunt. Ita enim sentit & scribit Navarrus Man. cap. 25. num. 73. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 29. q. 5. & alii.

Non mihi latet alios in contrariam abire sententiam, ad quam tamen multi accedere nequeunt, eo nomine quod isti Authores suæ illius sententiæ astruendæ causâ jejunam admodum rationem, ne dicam futilem afferant. Consuetudo, inquiunt, recitandi hujusmodi preces, non videtur recepta cum tanto rigore. Quæ ratio, cum proferatur gratis, nullo negotio exploditur. Undè qui istam sententiam, ut probabiliorem amplectuntur, addunt: Caveat tamen Sacerdos ne illas omittat. Quæ verba hujusmodi Doctores suæ illi sententiæ non parum diffidere demonstrant. Utcumque sese illa res habeat, tutiorem (propter lethalis peccati periculum quod in earum precum omissionem cadere potest) partem amplecti necesse est.

Quæstiuncula XXI.

Utrum Sacerdoti tecto capite celebrare liceat?

Respondeo non licere. Id enim prohibitum est, ut patet de consecrat. dist. 1. cap. Nullus: Ubi Zacharias Pontifex in Synodo Romana ita statuisse legitur: Nullus, inquit, Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altario Dei assistere: quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia; & qui temerè præsumpserit, Communione privetur. Hæc ibi.

Sacerdotem igitur aperto capite celebrare necesse est, ordinariè loquendo. Verum si parum secundâ utatur valetudine, & ob capitis debilitatem vel calvitiem gravi frigoris incommodo torqueatur, nihil prohibet quominùs vel ipso Amictu, vel aliquo pileolo caput operiat, & ita celebret, dummodò antè consecrationem nudet caput, & usque ad Postcommunionem ad sanctissimi Sacramenti cultum & reverentiam denudatum habeat. & id faciat in loco secreto, vel etiam publico, si nullum indè scandalum vel oriatur, vel oriturum appareat.

Porrò istam cum pileolo, seu calottâ celebrandi facultatem ab uno dumtaxat summo Pontifice concedi posse docet Gavantus explicans Missalis Romani Rubricas part. 2. tit. 2. n. 2. & affirmat ita respondisse sacram Congregationem Cardinalium super negotiis Episcoporum 2. Januar. 1590. & 17. Junii 1596. Ita etiam respondit sacra rituum Congregatio 24. Aprilis & 31. Julii 1626. Item 26. Febr. & 7. Aug. 1628.

Silvius in quæst. 83. tertiæ part. narrat quempiam senem sibi notum & adversâ valetudine conflictatum Urbanum Papam VIII. consuluisse utrum hujusmodi decreta etiamnum obligarent, & hoc ita posito ab eo petiisse facultatem celebrandi tecto capite, & ab illo ipso hujusmodi responsum accepisse. Urbanus Papa VIII. &c. Tibi ut de tui Ordinarii Attrebatensis & quatenùs ad illum tutus non pateat accessus, Ordinarii vicinioris licentiâ ejus arbitrio tibi concedendâ, dum sacrosanctum Missæ sacrificium hujusmodi celebras, caput birotino tectum, non tamen à præfatione usque ad peractam sacram Communionem, habere licere, & licitè, ac absque alicujus pœnæ vel censuræ Ecclesiasticæ incursu possis & valeas licentiam Apostolicâ authoritate tenore præsentium concedimus & impertimur, non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis, editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 16. Februar. 1641.

Hactenùs Sylvius loco citat. qui & ibidem ait, se non ausurum damnare Sacerdotem qui ingruente insolitâ quapiam infirmitate, vel repentinâ necessitate capite usque ad Canonem tecto citra scandali periculum celebraret. Quod si Sacerdos diuturnâ infirmitate laboraret, nec gravis urgeret necessitas, illum ad summum Pontificem recurrere, & ab ipso tecto capite celebrandi facultatem petere oporteret.

Hactenùs in explanandis præcipuis cæremoniis inter sacra mysteria usurpari solitis hæsimus, ut Hæretici hujusmodi cæremonias facetosâ pariter & sacrilegâ dicacitate toties insectati redirent in sese, & ad sanam mentem revocati agnoscerent quantâ maturitate & sapientiâ illas Synodus Tridentina declaraverit esse retinendas veluti saluberrima pietatis incitamenta, & adminicula, quibus fidelium mentes ad rerum altissimarum, quæ in incruento Missæ sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Hîc terminanda esset dissertatio de incruento Missæ sacrificio, nisi superessent alia & quidem gravia de eodem sacrificio inter Catholicos & Hæreticos dissidia, quæ taciti præterire non possumus, (licet jam pridem ab doctissimis Controversiarum tractationibus fuerint composita) ne huic de Missâ dissertationi graviorum difficultatum enodatio & solutio deesse videatur. Omissis ergo Quæstiunculis hactenùs explanatis juvat ad majores Quæstiones reverti. Sit itaque

Quæstio LII.

Utrùm Missæ, quæ vulgò privatæ dicuntur, illicitæ censeri possint & debeant?

Ut huic Quæstioni fiat satis, tria nobis præstanda sunt. Nam

1. Probandum nobis est nullas esse Missas, quæ propriè loquendo, omninò privatæ dici valeant.

2. Hujusmodi Missas, quas Heterodoxi reprobant, ut privatas ab omni ævo in Ecclesiâ usurpatas esse.

3. Denique respondendum est objectionibus, quibus easdem Missas, quas angulares jocular iter appellant, ex Ecclesiæ fide & praxi revellere moliuntur. Sit itaque

Prima Conclusio.

Nullæ possunt assignari Missæ, quæ propriè & strictè loquendo, privatæ appellari valeant. Quis enim cordatus privatas appellare voluerit eas Missas, in quibus munus publicum, Minister publicus, fructus communis, omnia communia, solemnia, publi-

ca, nihil autem privatum præter ipsius Ministri vocem fortasse, quæ tametsi non ita robusta & valida est, ut ad absentium aures pertingere valeat, est tamen efficacissimum Christi organum, quo divina mysteria conficiuntur, & pro cunctis fidelibus, vivis pariter & defunctis offeruntur, ut & Sacerdoti, & illis proficiant ad salutem in vitam æternam. Sunt ergo hujusmodi Missæ communes, eo præsertim nomine, quod à publico Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi Corpus pertinent, celebrentur, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 6.

Cum igitur Sacerdos quisquis fuerit in celebrando publico munere fungatur, & sic tamquam pro universo mundo totius Ecclesiæ nomine apud Deum intercedat, ut disertè asserit S. Joannes Chrysostomus hom. 26. in Matth. & lib. 6 de Sacerdotio nemini dubium est, quin (etsi solus sacrificium peragat) pro toto Christi Corpore, quod est Ecclesia, velut publicus ejusdem Ecclesiæ Minister, & ab eadem Ecclesiâ in hunc finem assumptus & consecratus offerre teneatur, & reverà offerat: ita ut fidelium, seu vivorum, seu defunctorum neminem citra immane piaculum ab sui communione sacrificii excludere valeat.

In quemcumque igitur sensum accipiantur Missæ privatæ, nusquam tamen ita privatæ appellari poterunt, quin semper communes ab omnibus Catholicis habeantur, sive enim privatæ dicantur, quia non in loco publico, ut putà in templo omnibus aperto reseratoque, sed in loco quopiam remoto & abscondito celebrantur, sicut olim ab Gregorio Nazianzeno factitatum esse testatur Sozomenus lib. 7. histor. c. 5. sicut & ab sancto Ambrosio, qui lectissimæ fœminæ rogatu sacrificium in ejus ædibus obtulit, factitatum, prodidit Paulinus in ejus vitâ; sicut denique à pluribus aliis privatis in domibus oblatum esse sacrificium legimus. Sivè privatæ denominentur à tempore, ita ut publicæ dicantur, quæ festis diebus, privatæ verò quæ in Feriis celebrantur. Sivè privatæ dicantur à fine, quia scilicet celebrantur pro privato quopiam homine, seu vivo seu defuncto, seu pro peculiari quapiam necessitate (ut fieri amat) Sive privatæ dicantur pro exiguo circumstantium numero, ut contra distinguantur ab solemnibus, communibusque Missis, quæ in celebri Ecclesiæ conventu celebrantur: sive denique privatæ vocitentur Missæ, in quibus nemo præter Sacerdotem Sacramentaliter communicet: nunquam tamen adversarii (si modo aliquem rationi & veritati reliquerint locum) eas ab publicis, solemnibusque Missis, quoad sacrificii substantiam separare, atque adeò nusquam velut privatas & illicitas reprobare poterunt.

Quod ut illustriùs eluceat, juvat hìc referre quid de privatis Missis Ecclesia in Concilio Tridentino legitimè congregata senserit & declaraverit. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent (sunt ipsissima Concilii verba) quò ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quod à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur. Hactenùs Concilii verba quæ in ejus sess. 22. cap. 6. legere est.

Quæ doctrina ut altiùs fidelium animis insideret, illam idem Concilium roboravit ejusdem sess. can. 8. in hæc verba: Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit. Hactenùs citatum Concilium doctrinam Catholicam de Missæ sacrificio, in quo solus Sacerdos sacramentaliter communicat, doctrinam adversus Hæreticus explanavit.

Ac reipsa quidem hujusmodi doctrina nusquam hæreseos venenis esset infecta, & Hæreticorum erroribus & præstigiis esset appetita, nisi nonnulli homines dissolutis moribus præter innumerabiles alios nobilitati, & ab tenebrarum Principe occupati infanda profligatæ mentis placita, imò portenta longè latéque disseminassent.

Quid quod Lutherus asserit se Doctore Diabolo ea didicisse, quæ postmodùm in Missas privatas incredibili fascinatæ mentis vertigine deblateravit. Juvat propria ejus primò contra Missam quam vocat privatam, scribentis verba referre, qualia leguntur lib. 1. de Missâ privatâ & unctione Sacerdotum Witembergæ impresso per Thomam Kceug anno salut. 1557. tom. 7. operum Lutheri p. 228. in editione Jenensi tom. 6. fol. 28. Contigit me semel, ait Lutherus, sub mediam noctem subitò expergefieri. Ibi Satan mecum cœpit hujusmodi disputationem. Audi Luthere, Doctor perdocte, nosti etiam te quindecim annis celebrasse Missas privatas penè quotidiè. Quod si tales horrenda essent idololatria? quid si ibi non affuisset Corpus & Sanguis Christi, &c. tum ordine prolixéque recitat quinque Satanæ argumenta quæ attentissimè ex callidi omnium errorum & mendaciorum Architecti ore didicit, & vera esse credidit, atque ita diabolo Doctore usus, non modò ab Missæ sacrificio deinceps abstinuit; sed etiam illud ipsum sacrificium blasphemiis execrandis, & quantis maximis passim traducere, allatrare, & usquequaque toto fascinatæ mentis impetu labefactare non destitit.

Ibidem idem Lutherus de suâ cum Satanâ familiaritate sic pronuntiat: Crede mihi, inquit, benè, imò valdè benè novi diabolum. Mecum in dormitorio nonnumquam deambulat. Quando cum hominibus sum, non nocet mihi: cum verò me solum deprehendit, docet me mores. Et alibi gloriatur se nullo pacto ineunda cum adversariis certamina metuere, utpotè qui ipsorum argumenta per otium à diabulo & graviora quidem audierit. Unde & jactitat se habere duos dæmonas non vulgares, sed magnos dæmonas, imò inter diabolos magnos Doctores in Theologiâ.

Et in litteris ad Electorem Saxonum inscriptis ita loquitur: Diabolus interdum per meum cerebrum ita commeat, ut nec legere possim, nec scribere. Hæc ille. Non solùm autem Lutherus affirmat se Doctore diabolo didicisse blasphemias, quibus Missas quas privatas appellat, impetiit, sed etiam Sacramentarios ab eodem diabolo fuisse instigatos, ut verba Christi, quibus Eucharistia conficitur, variis artibus & strophis depravata, corruptaque ad suarum hæreseon monstra, portentaque deflecterent.

Satanas in mundo, inquit, haud dubiè author est Sacramentariis hujus Sacramenti labefactandi & evertendi gratiâ, contendens planè, ovo epoto nobis relinquere putamina: hoc est, Corpus & Sanguinem è Sacramento tollere, ut præter simplicem panem à pistore confectum nihil reliquum nobis remaneat. Hæc Lutherus suorum operum tom. 7. serm. de Eucharist. p. 315.

Quid quod Carolstadium inter Heterodoxorum primicerios celeberrimum ab dæmone pariter totum occupatum Lutherus & Kemnitius, quibuscum diutissimè vixit, litteris prodiderunt.

Hæc strictim attingere placuit, ut videant Lutherani, qui Missis, ut vocant, privatis implacabile bellum indixere, quanta sint cæcitate perculsi, eo nomine quod adhærescant ad infanda commenta hominis, quem, ut ipsemet testificatur, diabolus Hæreses docuit, & ad eas longè latéque disseminandas

mpulit: Ut etiam animadvertant Calviniani & alii ad Sacramentariorum greges & errores aggregati, quantâ perciti sint insaniâ, cum realem Christi in Eucharistiâ præsentiam negant, effascinati scilicet præstigiis quorumdam hominum, quos ipsi dæmones ad venerabilis Sacramenti fidem labefactandam & ex fidelium animis revellendam adhibuerunt.

Nunc Sacramentariorum errores utpote à nobis in hujus primâ parte abundè refutatos omittimus, ut in astruendas Missas quas adversarii tanto impugnant impetu propugnandas incumbamus. Sit itaque

Secunda Conclusio.

Missas quas Heterodoxi odioso privatarum nomine septobant, ab omni ævo in Ecclesiâ Catholicâ celebratas esse nemo vel tantillùm eruditus inficiari potest.

Ut legitimis tum authoritatis, tum rationis adminiculis hæc conclusio fulciatur, observandum est dennò quod jam à nobis observatum est, eas nempe Missas privatas ab Hæreticis appellari & oppugnari eo nomine quod in ipsis præter Sacerdotem nemo sacramentaliter communicet, sed vel ejusmodi Missas, vel eas quæ celebrantur extra solemnem fidelis populi conventum, privatas appellent lumini rebelles Heterodoxi, numquam tamen eas vel novas, vel perversas, vel ab usu veteris Ecclesiæ alienas esse demonstrare, & evincere poterunt. Nam & Missæ sacrificium quotidie celebratum esse, & fideles non semper sacramentaliter in eo communicasse tota traditio liquidò contestatur.

Quod spectat ad primum caput, quotidiè scilicet celebratum esse Missæ sacrificium, probatur authoritate sancti Irenæi viri Apostolici, Apostolicisque temporibus proximi, utpotè qui secundo ab Salvatoris sæculo floruit.

Sicut igitur, inquit, *non his indigens, attamen à nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi: ita idipsum verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis ut disceret Deo servire. Sic & ideò nos quoque offerre vult munus ad Altare frequenter sine intermissione.* Hactenùs sanctus Irenæus lib. 4. adversus Hæres. cap. 34.

2. Sanctus Joannes Chrysostomus idipsum testatur hom. 3. in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios. *Frustra*, inquit, *est quotidianum sacrificium, frustra astamus Altari: nemo est qui participet: hæc dico, non ut solum participetis, sed ut vos dignos reddatis.* Hæc ibi.

Ex hoc loco discimus quotidiè celebratum esse in Orientali Ecclesiâ Missæ sacrificium, tametsi astantes sacramentaliter non communicarent.

Idipsum docet idem sanctus Joannes Chrysostomus hom. 17. in Epist. ad Hebræos *Quid verò nos*, inquit, *non quotidiè offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam: & ipsa una est, non multæ.* Hæc ibi.

3. Sanctus Augustinus Epist. 23. ad Bonifac. Coepiscopum inscriptâ. Quotidianam illam incruenti sacrificii oblationem pulcherrimè astruit: *Nonne semel*, inquit, *immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.* Hæc ibi.

4. Idipsum probat eximia pietas Cassii Narniensis Episcopi, qui quotidie omnipotenti Deo Hostiam immolare consueverat, non utcumque, sed tanto mentis affectu, ut cum ad horam offerendi sacrificii venisset, veluti totus effunderetur in lachrymas, & semetipsum cum magna cordis contritione mactaret, ut commemorat S. Gregorius hom. 27. in Evang.

Quod spectat ad alterum caput, quo contendimus, sæpè sæpius celebratum esse Missæ sacrificium, nec tamen qui affuerant sacramentaliter communicasse plerique Patres asserunt.

Sanctus Ambrosius explicans eam Orationis Dominicæ partem, *Panem nostrum quotidianum, &c.* id luculenter astruit, *Si quotidianus est panis*, inquit, *cur post annum illum sumis, quemadmodum quidam Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidiè, quod quotidie tibi prosit.* Hactenùs sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacram. c. 4. Ipsissima illa verba legere est apud S. Aug. serm. 18. de verb. Dom. qui est in appendice quintus.

S. Joannes Chrys. in hom. 17. in c. 9. ad Hebræos in Morali, *Multi*, inquit, *hujus sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii verò sæpe.* Hæc ibi.

Ex istis sanctorum Patrum locis rectè colligimus quotidiè celebratum esse Missæ sacrificium, nec tamen fideles communicasse quoties illi ipsi sacrificio interfuerunt: licet crebrò interfuisse luce meridianâ clarius appareat.

Quod in Ecclesiâ Orientali respectu Communionis Sacramentalis factitatum est, illud ipsum in Occidentali usurpatum esse nemini erudito latet, ut paulò antè in hac ipsâ conclusione probavimus. Quotidiè enim Missa in eâ celebrabatur, nec tamen quotidiè Christi Corpus ab astantibus percipiebatur. Episcopi quidem hortabantur fideles ad crebram Eucharistiæ perceptionem, non tamen adigebant, satis scilicet habebant omnes adhortari, ut saltem diebus Dominicis communicarent, si tamen mentem ab omni peccandi affectu sartam-tectam conservarent: Ut testatur Gennadius in lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 53. *Quotidiè*, inquit, *Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo, nec vitupero: Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari.* Hic locus refertur de consecratione dist. 2. cap. Quotidiè, & sancto Augustino ascribitur.

Quanta autem in Eucharistiâ percipiendâ fidelium libertas extiterit, declarat sanctus Augustinus in Epist. 118. cap. 3. *Dixerit quispiam*, inquit, *non quotidiè accipiendam Eucharistiam: alius affirmet quotidiè: faciat unusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum.* Hæc ibi.

Non igitur omnes qui intersunt incruento Missæ sacrificio sacramentaliter communicare necesse est. Quod & confirmat Soter Pontifex Apostolorum sæculo proximus, utpotè qui vixit anno salut. 175. ut quidam asserunt, siquidem ab illo hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ut legere est apud Gratianum de consecr. dist. 1. cap. hoc quoque statutum.

Hoc Decretum temperavit Concilium Moguntiense can. 43. quo statutum esse unum sufficere ministrum, qui facienti Sacerdoti respondeat.

Quod si sacramentalem fidelium Missæ sacrificio astantium Communionem necessariam esse ex Apostolicâ traditione didicisset, sicut & aliquem Sacerdoti responsurum eidem sacrificio adesse oportere didicerat, haud dubiè hujusmodi Communionem sanxisset aliquo Decreto, sicut & alia sanxit minoris momenti ut secunda ejus Epistola ad Episcopos Italiæ directa liquido contestatur.

Illud ipsum quod intendimus solidè probari potest ex facto sancti Joannis cognomento Eleëmosynarii, qui quidem cum prohibere vellet, ne multi ex suis lecto Evangelio de Ecclesiâ egrederentur, & tempus orationi destinatum in otiosis sermonibus consumerent, reliquit mox, postquam lectum est sanctum Evangelium, Ecclesiam: & ipse exiit & sedit eum turbâ. Omnibus verò obstupentibus, dixit ad eos justus; filioli, ubi oves, ibi & pastor. Aut intrate intrò & ingrediemur; aut manete hîc, & hîc manebo. Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam: Nam poteram facere mihimet Missas in Episcopio. Hactenùs Leontius Neapuleos Cyprorum Episcopus cap. 41. vitæ sancti Joannis Eleëmosynarii, quam Synodus Nicæna II. œcumenica VII. honorificè approbavit.

Ex ipso tanti viri facto constat in usu fuisse Missas privatas,

privatas, tameas quæ privatis in ædibus, quam aliàs, quæ sine sacramentali astantium Communione celebrarentur: doctior enim erat & religiosior præfatus Antistes, quam ut aliquid contra Ecclesiæ Canones, aut receptam consuetudinem aggrederetur & faceret.

Præterea Concilia quæ sæculares diebus Dominicis Missas, easque integras audire, nec ante benedictionem Sacerdotis egredi præcipiunt, de sacramentali Communione illis ipsis diebus ab iisdem sæcularibus factitandâ silent: quod tamen non omisissent si hujusmodi Communionis necessitas fidelibus imposita fuisset. Id patet ex Concilii Agath. c. 47. & ex Concilii Aurelian. can. 18 ut legere est de consecrat. dist. 1. cap. Missas. & cap. Cum ad celebrandas.

Huc accedit quod Concilia ab Gratiano relata de consecrat. dist. 2. perperam certos determinarent dies, quibus fideles Corpus Christi percipere jubentur, si eos quoties se Missæ sacrificio sistunt, illud sacramentaliter percipere oporteret. Frustrà & improvidè, quod absit, Concilium Agathense cap. 18. statueret sæculares qui in Natali Domini, Paschâ & Pentecoste non communicarent, Catholicos non credendos, nec inter Catholicos habendos.

Ne quicquam Concilium Eliberitanum ibidem ab Gratiano recitatum cap. Omnis homo, idipsum decerneret. *Omnis homo*, inquit, *ante sacram Communionem à propriâ uxore abstinere debet tribus aut quatuor aut octo diebus, nec inter Catholicos connumeratur qui in istis videlicet temporibus Paschâ, Pentecoste, & Natali Domini non communicaverit.* Hæc ibi.

In hac quæstione de Missis privatis disputationem ventilante tria nobis proposuimus probanda. Primum nullas esse Missas, quæ strictè loquendo privatæ appellari valeant: quia omnes Missæ ex intentione Christi & Ecclesiæ semper offeruntur ad gratias agendas pro Christi morte, quæ nemine reclamante publicum est beneficium: Christus enim pro omnibus mortuus est. Præterea offeruntur pro Ecclesiâ toto terrarum orbe diffusâ, id est, pro omnibus Christianis Catholicis, qui in disjunctissimis omnium regionum partibus & oris degunt: Undè publicæ potiùs quam privatæ sunt appellandæ: siquidem præter rationes quas proximè attulimus, alia non minoris momenti ratio reperitur, ex eo quod celebrentur per publicum Ecclesiæ ministrum publicâ ejusd. Ecclesiæ authoritate ex publicâ seu notissimâ Christi institutione ideò consecratum, ut novi Testamenti sacrificium ad majorem Dei gloriam, & ad hominum salutem institutum indesinenter (nisi inusitato quopiam casu prohiberetur) offerret.

2. Demonstravimus sanctorum Patrum & Conciliorum authoritate ejusmodi Missas ab omni ævo in Ecclesiâ Dei fuisse celebratas. Superest igitur Objectionum, quibus eas adversarii labefactare moliuntur, solutio. Ergo sit alter iste titulus.

Solvuntur Objectiones ab Adversariis adversus Missas privatas proponi solitæ.

Prima Objectio.

PRimo loco objicitur decimus Apostolorum Canon in hæc verba juxta veterem editionem Dionysii Exigui: Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec S. Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit Communione privari.

Hujusmodi Canon ex Gentiani Herveti interpretatione sic legitur. Quicumque fideles ingrediuntur, & Scripturas audiunt, in precatione autem & sacrâ Communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes, segregari oportet. Cum igitur citatus Canon decernat eos ab fidelium cœtu esse segregandos qui in Missâ non communicant, magno argumento est neminem interfuisse sacrificio Missæ, quin Corpus Christi perciperet. Ergo damnandæ sunt Missæ illæ privatæ in quibus nemo communicat.

Solutio istius Objectionis.

Nonnulli respondent Canonem illum, prout Græcè legitur, unum duntaxat præcipere ut fideles in Ecclesiâ permaneant, nec indè egrediantur, quin sacrificium sit omnino peractum. & contendunt in illo ipso Canone nullam sacramentalis Communionis mentionem, aut obligationem reperiri, si, ut diximus, Græci contextus ratio habeatur.

Sed ea solutio non videtur omninò satisfacere: Nam talis est textus Græcus [illegible] id est, sanctâ participatione. Utrùm autem hujusmodi participatio de participatione orationum quæ fundebantur in fidelium conventu, vel de Eucharistiæ participatione intelligenda sit, non adeò liquet: sed dato non concesso quod præfatam participationem de sacrâ Corporis Christi Communione intelligi oporteat, non tamen inde sequitur Missas, in quibus nemo præter Sacerdotem sacramentaliter communicat, esse reprobandas, ut contendunt Adversarii. Quis enim non videt eum hominem perperam ratiocinaturum esse, qui diceret, Apostoli, vel viri Apostolici, à quibus conditi sunt Apostolorum Canones, jubent omnes quotquot interfuerint Missæ sacrificio, sacrosanctum Corporis Christi Sacramentum percipere, ergo reprobant Missas, in quibus nemo præter Sacerdotem communicat. Id enim neque legitur in prædicto Canone, neque alibi vel ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, vel ab sanctis Patribus, vel ab Conciliis hujusmodi Missas, vel praxi, vel aliquo Canone, vel decreto fuisse reprobatas.

Ita igitur prædicta Objectio videtur dilucida, ut dicamus Apostolorum, vel Apostolicorum virorum temporibus viguisse præceptum juris humani Ecclesiastici, quo omnes qui divinis intererant mysteriis, Corporis Christi Sacramentum percipere jubebantur. Quod satis, superque indicat sanctus Clemens Papa qui primò fuit sancti Petri in Pontificatu Coadjutor, & paulò post Successor Constitut. Apost. lib. 2. cap. 61. Id etiam indicat Anacleti Pontificis edictum anno sal. 101. promulgatum, & refertur de consecr. distinct. 2. *Peractâ consecratione*, inquit, *omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Hæc ille.

Per ista Anacleti Pontificis verba quotidianæ Communionis præceptum significari asserit sanctus Thomas 3. p. q. 80. a. 10 ad 5. Quidquid dicant alii hoc edictum pertinere ad unos duntaxat Clericos, quibus facienti solemnibus diebus Sacerdoti ministrantibus & Altari assistentibus Corporis Christi perceptio propositâ Excommunicationis pœnâ indicitur.

Nam ibi sanctus Thomas affirmat secundum diversum Ecclesiæ statum diversa circa sacramentalem fidelium Communionem statuta emanasse. Nam in primitivâ Ecclesiâ, inquit, quando magna vigebat Christianæ Fidei devotio statutum fuit, ut fideles quotidiè communicarent. Undè Anacletus Papa dicit: peractâ consecratione, &c. Postmodum diminuto Fidei fervore Fabianus Papa indulsit ut si non frequentius saltem ter in anno, in Paschâ, in Pentecoste & Natali Domini omnes communicarent. Soter Papa dicit etiam in Cœnâ Domini esse communicandum: Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum statuit Innocentius Papa III. ut saltem semel in anno scilicet in Paschâ fideles communicarent.

Indè perspicuum est quotidianam illam fidelium Communionem fuisse imperatam temporariâ lege, quam Ecclesia condidit & refixit, prout magis vel minus ad promovendam fidelium salutem conducere judicavit. Nihil igitur indè colligi potest, quo Missæ privatæ in quibus nempè nemo sacramentaliter præter Sacerdotem communicat.

Secunda Objectio.

Objicitur prætereà Canon secundus Concilii Antiocheni sub Julio Papâ I. celebrati : Omnes qui in Ecclesiam ingrediuntur, & sacras Scripturas audiunt, Orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam Eucharistiæ perceptionem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesiâ expelli oportet, donec fuerint confessi, & pœnitentiæ fructus ostenderint : Ergo nemo Missæ sacrificio interesse poterat, quin communicaret ; ergo abrogandæ sunt Missæ privatæ.

Solutio.

Huic Objectioni respondere facillimum est. Non enim adversus fideles, qui mysteriis intererant, nec communicabant, conditus est hic Canon, sed adversus eos duntaxat, qui κατά τινα ἀταξίαν, id est, per quamdam inordinationem aversabantur sacram Eucharistiæ perceptionem, sive illa inordinatio ex Hæresi, sivè ex ordinis cujuspiam assueti insolenti perturbatione proficisceretur.

Hujusmodi explicatio confirmari potest ex decretis collectis ab Martino Bracarensi tom. 2. in Concilio Bracarensi II. extantibus, decreto 83. in hæc verba concepto : Si quis intrat ad Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuriâ suâ avertit se à Communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam disciplinæ regulam, illum talem projiciendum esse de Ecclesiâ Catholicâ decernimus. Hæc ibi.

Ex isto igitur Canone nihil verè & solidè colligi potest, quo Missæ privatæ labefactari valeant.

Tertia Objectio.

Canon, inquiunt Adversarii, quo vestri Sacerdotes utuntur in celebrando, est antiquissimus, ut contenditis ; ergo antiquissima est Communio Sacramentalis, quæ ab astantibus factitari consuevit : Alioquin ludibrio habendæ sunt Missæ, in quibus nemo sacramentaliter præter Sacerdotem communicat. Quorsum enim plurales illæ loquendi formulæ, quæ passim in hujusmodi Missis sicut & aliis usurpantur. Quorsum, inquam, hæc verba, ut quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus, &, Sacramenta quæ sumpsimus, & alia id genus. Prætereà fractio ordinatur ad distributionem. Ergò perperàm fit Hostiæ fractio, si nulla fiat ejus distributio.

Solutio.

Hujusmodi Objectio facilè diluitur, si dicamus hujusmodi verba jampridem esse composita, & ut apparet, in celebratione mysteriorum adhibita iis temporibus, quibus quotquot intererant incruento Missæ sacrificio Corpus Christi percipere consueverant. Ergo dixerit aliquis cum exolevit illa quotidianæ Communionis consuetudo præfata verba è Missis privatis, in quibus præter Sacerdotem nemo communicabat, revelli debuerunt. Quod tamen Ecclesia optimis rationibus adducta facere detrectavit.

1. Eo quod nullas omninò Missas privatas, strictè loquendo, sed omnes communes, & publicas agnoverit, ut suprà ex Concilio Tridentino probavimus.

2. Quod omnes Christiani Catholici veluti membra in unum Christi Corpus (quod est Ecclesia) adunati, sive præsentes, sive absentes sint, spiritualiter saltem communicent. Cum enim sacrificium offeratur ab summo Sacerdote & omnium capite Christo, nemini dubium est, quin hujus sacrificii Communio perveniat ad omnes fideles toto terrarum orbe diffusos : nihil enim exercetur à capite, quin ad omnia membra ipsi cohærentia pertineat.

3. Quia hoc Sacramentum vocatur Communicatio Corporis & Sanguinis Domini, non quod oporteat ipsum quoties offertur, multis communicari ; sed quia Sacerdos paratus esse debet illud (utpotè in communem fidelium cibum institutum) præsentibus & legitimè poscentibus porrigere. Neque enim talibus vitæ illius & vivifici Panis Communio denegari potest, aut debet.

4. Sacerdotem (etiamsi solus communicet) multa inter celebrandum plurali numero offerre oportere tota Ecclesiæ traditio contestatur : eò quod ex mente sanctorum Patrum quidquid in divinis obsequiis à quolibet Ecclesiæ membro reverenter offertur, id etiam fide & devotione cunctorum universaliter exhibeatur. Ut egregiè declarat & explicat sanctus Petrus Damiani in Opusc. XI. seu libro, qui *Dominus vobiscum* inscribitur : *Quia*, inquit, *unus est Ecclesiæ Spiritus, quo vivificatur, unum Corpus, quod à Christo videlicet suo capite præservatur.* Hæc ille citati Opusc. cap. 7. Quod & probat ejusdem Opusc. capp. 8. 9. & 10. ubi idipsum pulcherrimè explicat : *Si ergo*, inquit, *tota Ecclesia unum Christi Corpus est, & nos Ecclesiæ membra sumus, quid obest si corporis nostri, id est, Ecclesiæ singuli quique verbis utamur, qui cum eâ unum veraciter sumus? Nempè si multi unum sumus in Christo, totum nostrum singuli possidemus in ipso ; atque ideo licet remoti procul ab Ecclesiâ videamur per solitudinem corporum, in eâ tamen præsentissimi semper assistimus per unitatis inviolabile Sacramentum. Sicque fit, ut quod est omnium, sit etiam singulorum : Et quod quibusdam singulariter speciale, omnibus quoque sit in fidei & charitatis integritate commune : ut & populus rectè clamet : Miserere mei Deus, miserere mei : Et, Deus in adjutorium meum intende : Atque unus homo jure pronuntiet, Deus misereatur nostri : Quam videlicet fidelium Christi communionem sancti Patres nostri tanta certitudinis esse debere decreverunt, ut hanc Symbolo Catholicæ professionis apponerent & frequentandam nobis inter ipsa Christianæ Fidei rudimenta mandarent.* Hæc ille.

Hujusmodi principio ita constituto ille ipse Petrus Damiani probat istam salutationem, Dominus vobiscum, pro dicentis singularitate non debere omitti, sicut nec multa alia, tam in mysteriis, quam alibi usurpari solita, propter unitatis Ecclesiasticæ Sacramentum nullo pacto sunt omittenda : quia videlicet iste Spiritus qui est procul dubio unus & multiplex, unus in majestatis essentiâ, multiplex per diversa Charismatum dona, dat Ecclesiæ sanctæ quam replet, ut & in universitate sit una, & in suis partibus tota. Hæc ille Opusc. citat. cap. 6.

Si Heterodoxi ad has rationes animum appellant, verba, quæ plurali numero ab solo Sacerdote in Canone proferuntur, carpere & allatrare desinent.

Quod spectat ad Hostiæ fractionem, certum est illam non tantum ad distributionem, quam ad significationem esse ordinatam. Quid autem significet hujusmodi fractio, satis superque declaravimus suprà in Quæstiunculâ XIII.

Quarta Objectio.

Christus instituit Eucharistiæ sacrificium & Sacramentum, ut distribueretur fidelibus, ergo juxta intentionem Christi celebrari non debet, quin fideles in eo non communicent. Undè S. Joannes Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Ephesios. Frustrà, inquit, habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet. Et pauló post. Quisquis mysteriorum consors non est, impudens & improbus astat : ergo reprobandæ sunt Missæ, in quibus nemo sacramentaliter præter Sacerdotem communicat.

Solutio.

Respondeo Christum, ut ex traditione discimus sibi in instituendo v. Sacramento varios proposuisse fines, ut verbi gratiâ, suæ Passionis memoriam Sacerdotum ministerio recoleret, ut suâ carne populos suo sanguine redemptos aleret, ut æterno Patri debitos, ejusque Majestati dignos honores impenderet, ut denique fidelibus omnia, eaque necessaria assequendæ salutis adjumenta per tanti sacrifi-

cii, Sacramentique commercia subministraret. Hujusmodi fines sibi proposuisse Christum nemo Catholicus inficiari velit, sicut nec omnes illos ad sacrificii substantiam pertinere concesserit. Legimus quidem & credimus Christum v. Sacramentum instituentem iis usum esse verbis: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis; hoc est, ut interpretatur Apostolus 1. Corinth. cap. 11. v. 26 Quotiescumque manducabitis panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Hæc, inquam, legimus, sed non legimus Christum ita instituisse incruentum Missæ sacrificium, ut quotiescumque celebraretur, astantes suum ipsius Corpus sub alienâ panis specie absconditum perciperent.

Quod si urgeant adversarii Christum factitandum Apostolis illud ipsum indixisse, quod ipse faciebat, atque adeo Missæ sacrificio astantibus impertiendam esse Eucharistiam, sicut & ipse illam in Cœnâ præsentibus Apostolis impertiit.

Respondemus non omnia quæ Christus in Cœna præstitit, ab Sacerdoribus esse factitanda. Quædam in v. sacrificii, sacramentique institutione fecit, quę vel necessariò, vel quodammodo ad dicti sacrificii substantiam pertinentia in omne tempus observari voluit: Cujusmodi sunt gratias agere, benedicere, consecrare, offerre, sacrificantem de oblatis participare, suæ Passionis memoriam recolere, Ita ex vi institutionis, & ex instituentis Christi præcepto esse perpetuò servanda, retinendaque Ecclesia sæpenumerò declaravit. Quod spectat ad alia, id est, ad quasdam circumstantias præfati sacrificii institutioni ab ipsomet additas, ut puta sui Corporis & Sanguinis dispensationem Apostolis tali tempore Cœna peracta factam, certum est eum nullo præcepto fideles ad earum observantiam astrinxisse, sed ista & similia sacrificii substantiam nihil attingentia, Ecclesiæ judicio determinanda reliquisse Quis ergo positâ Ecclesiæ determinatione dicat sacram Communionem v. g. sub utraque specie ab ipsomet Christo imperatam esse, cum Apostolus unam speciem ad veram & integram v. Sacramenti participationem sufficere non obscurè significet citat. cap. 11. 1. ad Cor. v. 27. Quicumque, inquit, manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini. Quis asserat usquam posse peragi incruentum Missæ sacrificium, quin astantes de oblatis participent? Quis, inquam, præfatam illam astantium Communionem ab Christo imperatam esse contendat, cum nullibi tale præceptum reperiri manifestâ omnium retrò sæculorum praxi luculenter astruatur? Quamvis enim nemo Theologus neget Corporis Christi distributionem ab ipsomet Christo perceptam & imperatam esse, omnes tamen uno consensu asserunt non esse factitandam in quolibet Sacro, nisi præsentes eam legitimè petierint.

Cum igitur illa Corporis Christi distributio sit præcepta, & recenseatur inter fines quos Christus sibi proposuit in instituendo Missæ sacrificio, nec tamen eam quoties præfatum celebraretur sacrificium, fieri præceperit, sequitur & validum & licitum esse sacrificium, in quo nemo præter Sacerdotem sacramentaliter communicat.

Enimverò quod objectum est ex S. Joanne Chrysostomo, frustrà scilicet haberi oblationem quotidianam, cum nemo sit qui participet, quod asserimus, confirmat. Quamvis enim astantium in mysteriorum celebratione nemo communicaret, quotidiè tamen operabatur sacris. Quod numquam fecisset tantus vir sui sæculi magno eruditorum numero celeberrimi doctissimus, nisi id ita ab majoribus suis Apostolicarum traditionum retinentissimis traditum accepisset. Quod autem, ait, frustrà haberi oblationem quotidianam, cum nemo sit qui participet, verum est respectu Communionis, quæ ab iis qui celebratione mysteriorum intererant, fieri poterat, & præ ignaviâ omittebatur. Undè & hujusmodi hominum torporem & lentitudinem acriùs exaggeratâ per hyperbolen oratione perstringit: eum nempè qui se mysteriis sistit, nec quicquam ex iis sacramentali saltem Communione percipit, impudentem & improbum appellat.

Tametsi ergo nemo sacramentaliter inter ipsam mysteriorum celebrationem communicet, non propterea intermittendum est sacrosanctum Missæ sacrificium, cum plerique alii suppetant fines, quorum gratiâ celebrari possit & debeat. Inter hujusmodi fines principem obtinet locum latria, id est, supremus, seu quantus maximus honos qui per illud Deo Opt. Max. summo vitæ & necis dominatori & arbitro impenditur. Deinde ad alia multa impetranda refertur incruentum illud sacrificium, ut pulcherrimè demonstrat S. Cyrillus Hierosolymit. in Catech. myst. ig. 5. in quâ recèns baptizatos sacrosanctum Missæ sacrificium, sicut etiamnum celebratur, tam præcipuè docet, ut vel sola (si cætera sint paria) nostri sacrificii fidem Hæreticorum animis ingenerare possit, nisi Deus hujus sæculi eos suis technis & artibus effascinatos excæcaret.

Postquam, inquit, confectum est illud spirituale sacrificium, & incruenta illa latria, seu latriæ cultus, super ipsâ propitiationis hostiâ obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summâ pro iis omnibus qui egent auxilio. Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt. Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus eorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramos qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius tremendi quod in Altari positum est, sacrificii. Hæc ille.

Nonne S. Augustinus tanti viri vestigiis Ench. c. 110. institit? *Cum ergo*, inquit, *sacrificia, sivè Altaris, sivè quarumcumque eleëmosynarum pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis, propitiationes sunt; pro valdè malis, etsi nulla sunt adjamenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Hęc ibi. Observandum est hîc per damnationem intelligi Purgatorii pœnam, quæ temporaria damnatio potest appellari.

Cum igitur incruentum Missæ sacrificium tot habeat fines ab sacramentali astantium Communione distinctos, nihil mirum si propter illos omissâ hujusmodi Communione S. Patres illud & scripto & facto celebrari posse & debere docuerunt.

Quod si præter ea omnia, quæ Heterodoxi in Missas, quas vocant privatas, deblaterare non cessant, adjiciant insuper plerosque Sacerdotes hujusmodi Missarum obtentu turpes nundinas exercere, & sordidos quæstus facere & incredibili rapacitate avaritiam suam explere...

Respondemus talium hominum execrabilem nundinationem & avaritiam, quam omnes Christiani Catholici perhorrescunt, non esse conferendam in Ecclesiam Dei, quæ nihil aliud commendat quàm gratuitam charitatem, & nihil aliud abominatur & damnat quam sacrilegam illam cupiditatem, quâ hujusmodi animæ degeneres & ad omnem avaritiam & turpe lucrum projectæ suum Sacerdotium dedecorant. Id insigniter testatur Concilium Trid. sess. 22. in decr. observ. & evitand. in celebr. Missæ, ubi decernit, ut Ordinarii locorum Episcopi prohibere atque è medio tollere sedulò curent ac teneantur mala, quæ per execrabilem nonnullorum Sacerdotum avaritiam in Sanctuarium sunt importatæ, id est cujusvis generis mercedum conditionis, pacta & alia hujusmodi, quæ à simoniacâ labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeant.

Quæstio LIII.

Utrùm pars Canonis & verba consecrationis ritè submissâ voce proferantur?

CONcilium Tridentinum id ritè fieri definiit, & eos qui hunc ritum damnarent, jure ac meritò anathemate perculit.

Hujus ipsius ritûs rationes insignites aperit Albinus, sive Alcuinus in lib. de div. Officiis: Post has laudes & gratiarum actiones pro tantâ gratiâ redemptionis nostræ quæ in illo divino mysterio agitur & commendatur facto totius Ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verborum sola ad Deum dirigitur intentio, & devotio cordium, sociatis sibi omnium votis & desideriis, incipit Sacerdos orationem fundere, quâ ipsum mysterium Dominici Corporis & Sanguinis consecratur. Sic enim oportet ut in illâ horâ tam sacræ & divinæ actionis tota per Dei gratiam à terrenis cogitationibus mente separata, & Ecclesia cum Sacerdote, & Sacerdos cum Ecclesiâ spirituali desiderio intret in Sanctuarium Dei æternum & supernum: Et quoniam Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare, sic eumdem Patrem deprecetur: *Te igitur, clementissime Pater*, & reliqua. Idcirco ut ferunt, consuetudo venit in Ecclesiâ, ut tacitè ista obsecratio atque consecratio à Sacerdote cantetur: ne verba tam sacra, & ad tantum mysterium pertinentia vilescerent, dum pene omnes per usum ea retinentes per vicos & plateas, aliisque in locis, ubi non conveniret, decantarent. Inde fertur, quod antequam hæc consuetudo invaluisset, cum Pastores ea decantarent in agro, divinitùs sunt percussi. Hactenùs Alcuinus sive Albinus Flaccus Bedæ discipulus & Caroli Magni Præceptor in cit. lib. de divin. Offic. sub tit. de celebrat. Miss. & ejus significatione.

Ne igitur sacra Canonis verba altiori voce à Sacerdote prolata discerentur ab hominibus plebeiis, & traherentur in contemptum & jocum, Ecclesia singulari quâ pollet prudentiâ, ea in quotidiano Christianorum sacrificio submissâ voce proferri voluit. Et hanc esse Dei voluntatem perspicuè declarat flamma de cœlo delapsa, quâ afflati sunt pueri qui inter pascenda pecora divinum Missæ sacrificium (cujus orationes altâ voce ab Presbytero prolatas sæpius audiendo didicerant) joculariter imitari voluerunt. Hanc Historiam strictim attigit Albinus Flaccus loco cit. sed eam pluribus commemorat Joannes Moschus in prat. spirit. cap. 196.

Si quis objiciat Christum Dominum verba consecrationis alta & clara voce protulisse.

Respondeo id ita ab ipso factum oportuisse, ut scilicet Apostolis, quos in Cœnâ assumebat & informabat ad Sacerdotium, verum, legitimumque Corporis & Sanguinis sui consecrandi modum & ritum in Ecclesiâ usque ad sæculi consummationem observandum traderet.

Quæstiuncula LIV.

Utrùm Missam linguâ vulgari celebrari oporteat?

ETsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, ut loquitur Concilium Trid. session. 22. cap. 8. non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur.

Quantâ sapientiâ istud Decretum condiderit sacra Synodus in Spiritu sancto congregata ex rationibus mox secuturis elucescet.

1. Id videtur universis gentibus à naturâ insitum, ut omnia officia peregrino & populis ignoto idiomate celebrentur. Et hoc ita in omni religione seu verâ, seu falsâ factitatum esse novimus. Unde Quintilianus in Instit. Oratoriis testatur Saliorum carmina vix Sacerdotes intellexisse, nec propterea mutata esse. *Carmina Saliorum*, inquit, *vix Sacerdotibus suis intellecta, sed quæ mutari vetat Religio*. Hæc ille. Undè colligitur ipsos etiam Idololatras persuasum habuisse nihil in religioso cultu mutandum esse, ne ejus puritas aliquid detrimenti caperet.

2. Apostoli Syriacam dumtaxat callebant linguam; accepto autem Spiritu cæteras intellexêre linguas, ut ait Eusebius lib. 3. de demonstrat. Evang. cap. 7. quin etiam legimus Judæorum doctissimos, qualis erat Philo, Hebraïcam ignorasse linguam; ejus siquidem linguæ studium pertinebat ad unos Sacerdotes & Scribas, & tamen nec Christus, nec ejus Apostoli abstinuerunt ab publicis Judæorum orationibus, tametsi fierent ignoto idiomate, cujus usum nusquam vel Christus, vel Apostoli improbarunt.

3. Est quædam veluti necessitas ut publicæ Religionis per aliquod tempus perseveratæ officia linguâ rudiori populo incognitâ celebrentur. Cum enim ea sit rerum humanarum vicissitudo, ut idiomata identidem varientur, & idiomata vulgaria elapsis aliquot sæculis vulgaria esse desinant, & ex adverso rerum divinarum constantia, majestas, & amplitudo, & debita ipsis reverentia, nihil eis addi, nihil detrahi patiatur, ne unius idiomatis in alterum immutatio, vel unius litterulæ vel syllabæ inflexio & depravatio rebus Religionis officiat, & ne debita antiquitati reverentia per inductam quamdam novitatem, ut fit, obsolescat; necesse est in omni religione adversus temporum injurias perseveranti (qualis est Religio Christiana) cui suus creator inconcussam æternitatem asseruit, divina officia celebrari & exerceri linguâ non vulgari, ne plebecola mysteriorum omnium notitiam assecuta, eorum sanctimoniam & dignitatem minori, quam par est, reverentiâ prosequatur.

Quæ ratio quantum habeat momentum præclarè explicat S. Basilius in lib. de Spir. S. c. 27 ubi ait Moysen non omnia, quæ erant in templo passim esse omnibus esse pervia, quippè qui sciret pro suâ sapientiâ res usu tritas & undecumque parabiles expositas esse contemptui: Cæterum ei, quod sepositum est, quodque rarum est, huic naturâ conjunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eumdem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto, silentioque suam mysteriis servare dignitatem. *Neque enim* omnino mysterium est, quod ad populares & vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes verò publicantur. Est autem silentii species etiam obscuritas, quâ utitur scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad utilitatem hominum in scripturis versantium. Hæc ille.

Ergo necesse est publica divini cultus officia linguâ peregrinâ & plebeculæ ignotâ exerceri, ne vel linguæ mutatio, aut variatio, quæ identidem evenire solet, religionis dogmata pervertat, & ne mysteriorum intelligentia ad populares animos ex vulgari idiomate derivata, eorum contemptum pariat.

Quemadmodum igitur, ut ait S. Basilius loco proximè laudato, Apostoli & Patres qui certos Ecclesiæ ritus præscripserunt, religioso quodam silentio suam divinis mysteriis servavere dignitatem: ita & posteri eorum exempla secuti per linguam rudioribus populis incognitam (cujus usum ad publicos conventus, seu publicas orationes adhibuere) suam iisdem mysteriis amplitudinem & reverentiam asseri, servarique voluerunt.

4. Spiritus sanctus, cujus peculiari providentiâ Ecclesia Dei regitur, ita afflavit Episcoporum & omnium fidelium animos, ut linguam penitùs ad mysteriorum celebrationem adhibitam retinerent, eo nomine quod ejusdem Spiritus prudentia velit in eligendo partes cum minoribus incommodis conjunctas iis anteponi, quas majora incommoda comitantur; & præterea jubeat eos

partes quarum incommoda aliquot remediis propulsari possunt illis anteponi, quarum incommoda nullo remedio profligari valeant. Atqui linguam primitùs divinis Officiis adhibitam retinendo unum dumtaxat deprehenditur incommodum, quod facillimo remedio depelli potest: econtra linguæ divinis Officiis primitùs consecratæ commutatio, innumera importat incommoda ad certam religionis ruinam stragemque redundantia, quæ reprimi nequeant.

Ex conservatione linguæ quam majores nostri in divinis Officiis primitùs adhiberi voluerunt, unum dumtaxat emergit incommodum, quod videlicet imperitum vulgus, muliercolæ, parvuli, & alii quilibet illiterati laudes & gratiarum actiones Deo idiomate peregrino decantatas per se intelligere non possint.

Sed huic incommodo præsentissimum remedium attulit sancta Synodus Tridentina; siquidem sess. 22. cap. 8. mandat Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis quæ in Missâ leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & Festis. Hæc ibi.

Verum si perceoseantur incommoda quæ ex mutatione linguæ ad publicas liturgias & orationes primitùs adhibitæ emergerent, deprehendentur tot & tanta eaque in certam Catholicæ & Apostolicæ Religionis ruinam ita exitura; & omne remedium ita respuentia, ut spiritus erroris & dissensionis rationem ad maturandum paucis post sæculis Christianæ Religionis interitum & exitum, efficaciorem & præsentiorem excogitare nequeat. Nam

1. Quam periculosum sit & quam perniciosum, vel tantillum attingere linguam ad divinorum Officiorum celebrationem primitùs adhibitam, dijudicari potest ex eo quod unius syllabæ vel litteræ, imò unius apicis mutatio in Ecclesiæ mysteriis factitata, deterrima in Orthodoxam fidem incommoda invehere valeat. Ariani per unam litterulam in Ecclesiæ Symbolum ab 1. Nicænâ Synodo approbatum fraudulenter insertam (utpotè qui Christum Jesum non [illegible], sed [illegible] unius iota interpositione appellari volebant) tantum non omnem Ecclesiam deleverunt ad internecionem, & nihil propiùs fuit, quam ut Catholicam de Christi divinitate & consubstantialitate doctrinam ex credentium cordibus revellerent.

Quid quod Nestorius horrendis blasphemiis in Christum Jesum & Virginem deblateratis notissimus, unius apicis seu accentus, mutatione incarnationis mysterium & divinam sanctæ Virginis maternitatem labefactare & evertere tentavit? quippè qui pari ad impietatem pertinaciâ contendebat illam ipsam Virginem appellari oportere [illegible], id est à Deo genitam, non autem [illegible], id est Dei genitricem. Usque adeò verum est vel unius litterulæ vel syllabæ, vel unius apicis mutatione maxima quæque nostræ religionis mysteria quondam fuisse labefactanda, & postmodùm esse labefactanda, & evertenda, nisi, quod ait S. Basilius, Christiani mille potiùs mortes oppetere mallent, quam vel unam rerum ad fidem pertinentium syllabam prodi depravarique paterentur. Cum ergo ex linguæ divinis Officiis destinatæ mutatione paria vel etiam graviora incommoda emergere valeant, standum est ab traditione Patrum, qui divina Officia non vulgari linguâ, sed peregrinâ & indigenis fidelibus incognitâ celebrari voluerunt.

2. Si unumquodque regnum, seu unaquæque Provincia vernaculo seu patrio idiomate divina celebret Officia, præter ea, quæ percensuimus, incommoda, aliud emerget; siquidem per talem ac tantam idiomatum varietatem impediretur Ecclesiarum commercium. Cum enim ex hypothesi, quod nemo sanâ tutaque conscientiâ, & citra superstitionem divinis Officiis, quæ non capit, interesse valeat, quis non videt per eam confusionem, & tot idiomatum ab invicem omninò discrepantium omnem Ecclesiarum inter se communionem lacerari & dirimi? Qualis enim societas & communio intercedere potest inter Anglos & Francos, & Germanos, inter Germanos & Polonos, Bohemos, Hungaros & alios Europæ Populos, si omnes & singuli quos percensemus, populi, linguâ patriâ ab alienigenis non intellectâ divina Officia exerceant? Nulla sanè communio inter hujusmodi populos conglutinari poterit. Cum enim in plures Provincias & regna, puta in Angliam, Germaniam & alias aliarum Regionum oras longè lateque grassata sit hæresis, nemo Catholicus publicis conventibus Provinciarum & Urbium, in quibus divina Officia patrio idiomate & sibi incognito exercebuntur, audebit interesse, nè fortè cum Hæreticis & Schismaticis sacrilegam societatem iniisse videatur.

3. Si divina exerceantur Officia linguâ discrepante ab eâ quâ ab omni ævo celebrata sunt, nulla suppetet ratio, quâ possint œcumenica Concilia celebrari, atque adeò è medio tolletur omnis certitudo, quâ universi Catholici de rebus fidei certiores fieri solent. Quis enim scripturæ sensum, quem propriâ interpretatione invenerit pro vero & germano habere poterit? Nemo sanè cum attestante scripturâ 2. Petri cap. 1. v. 2. Omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fiat. Cum ergo dissidia circa fidem emergentia unis Ecclesiæ in œcumenicis Conciliis locutæ oraculis seu Canonibus sub anathematis interminatione conditis & propositis componi, atque adeò orthodoxæ fidei articuli sic tanquam ab Spiritu sancto dictati declarari possint & soleant, haud dubiè quisquis habendorum Conciliorum Ecclesiæ facultatem adimit, omnem illi pariter controversias circa fidem exortas cum certitudine definiendi atque adeò hæreses profligandi & exterminandi rationem & facultatem abrogat. Atqui illud ipsum per quod Orientali Ecclesiæ Linguæ Grecæ & Occidentali Linguæ Latinæ usus eripitur, per illud utrique Ecclesiæ œcumenica Concilia celebrandi facultas adimitur. Cum enim Orientalis Ecclesia in Catholicâ communione consisteret, utebatur unâ dumtaxat communi Linguâ, Græcâ nimirùm, in quâ universi Orientis Episcopi consonare, seu secum invicem convenire poterant, quemadmodum Occidentalis Ecclesia nullâ utitur linguâ præter Latinam cujus adminiculo cunctos suæ communionis Episcopos in uno eodemque rerum ad fidem pertinentium consensu extra Concilia retinere, & in Conciliis ad legitimam controversiarum circa eamdem fidem emergentium disceptationem & definitionem impellere valeat.

Si igitur habendum esset Concilium œcumenicum ex utraque Orientali scilicet Occidentalique Ecclesiâ conflatum, omnes Episcopos ex omnibus Orientis partibus evocatos suis in oris, id est in Græciâ congregatos convenire in patriâ linguâ, id est Græcanicâ, sicut & Occidentales in suâ, id est Latinâ consentire penitùs oporteret. Tunc in eâ, in quam conventum esset linguâ, discutiendæ essent & definiendæ utrobique fidei res in controversiam evocatæ, & insuper unius Ecclesiæ definitiones in linguam alterius (ad quam mittendæ essent) propriam conversæ, vel ab viris solidâ utriusque linguæ notitia præditis convertendæ ab fidelibus nuntiis perferendæ essent. Quod si utraque Ecclesia uno consensu factas utrobique definitiones orthodoxæ fidei omni ex parte consentaneas esse declararet, atque adeò ut tales fidelibus omnimodâ certitudine credendas recipiendasque proponeret; utriusque istius Ecclesiæ vox pro Ecclesiæ Catholicæ voce & œcumenici Concilii juridicâ definitione ab omnibus Christianis Catholicis citra controversiam haberetur, ut observavit Cardinalis Perronius Hæreseon debellator acerrimus in suâ Respons. ad majoris Britanniæ Regem: Ubi & Concilia eo pacto quon-

dam celebrata & declaratos fuisse fidei articulos asserit.

Ergo ut res ad fidem Catholicam pertinentes definiant Episcopi in Spiritu sancto legitimè congregari, necesse est eos uti linguâ, cujus insignem notitiam habeant universi. Si enim nihil præter vulgarem suarum regionum & gentium linguam afferrent singuli, nihil ex eorum colloquiis toto cœlo discrepantibus emergeret præter confusionem & dissidium simillimum illi, quod Deus immisit inter eos, qui turrim Babel ædificare cœperant, linguis eorum variatis: ita ut ob diversitatem sermonis mutuò se non intelligerent.

4. Ex usu vulgaris linguæ in qualibet regione usurpari solitæ, gravius penè, quam ea quæ percensuimus, incommodum existeret. Nam ob frequentem linguarum vulgarium immutationem, vel corruptelam, res eò fortè deveniret, ut mysteria hujusmodi linguarum adminiculo tradita nemo post aliquot annos intelligeret. Quod pulcherrimè insinuat Vates his versibus:

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.
Et paulò post.
Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

Cum tanta varietas cadat in idiomata & verba, ex usu seu loquendi consuetudine suspensa, probabile profectò periculum est, ne verba ad fidem pertinentia volventibus annis obsolescant, & nostrorum mysteriorum substantia in aliena sensa ex vulgarium linguarum vicissitudine profecta detorqueatur.

Ac reipsa quidem commemorat Polybius illo ipso tempore, quo pax Carthaginensibus ab Scipione concessa secundum bellum Punicum extinxit, Romanos vix intelligere potuisse loquendi formulas, quibus pacta seu contractus flagrante primo bello Punico initos expresserant, cum inter hæc duo bella sexaginta ad summum anni intercurrerint. Usque adeo pauci sanè anni, si cum pluribus sæculis per quæ vulgares linguæ in varia ut plurimùm idiomata exeunt, conferantur, vernaculam Romanorum linguam infuscaverant.

Apage ergo vulgares linguas, quæ tot & tanta nostræ fidei articulis & mysteriis pericula intentant. Cum enim omnes Christiani eamdem profiteantur fidem, eademque colant mysteria, quidni utantur eadem linguâ in divinis Officiis, ne vulgarium linguarum confusio sensuum pariter, & interpretationum confusionem in Ecclesiam invehat. Fremant igitur licet, & disrumpantur Hæretici, nos Christiani Catholici insistemus æternùm antiquæ consuetudini Ecclesiæ Romanæ, quæ semper Latinè mysteria celebravit, & ab aliis Ecclesiis suæ communioni addictis & consecratis celebrari voluit.

Hujus rei locupletissimum argumentum suppeditat Epistola Gregorii Papæ VII. ad Wratizlaum Bohemorum Ducem inscripta: Quia verò, inquit præfatus Pontifex, nobilitas tua postulavit: quò secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Ex hoc nempè volventibus liquet non immeritò sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forsè vilesceret, & subjaceret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat quod quidam religiosi viri hoc quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ à sanctis Patribus postmodùm firmatâ Christianitate, & Religione crescente, subtili examinatione correcta sunt. Unde ne id fiat, quod à vestris imprudenter exposcitur, authoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus. Hactenùs Gregorius Papa VII. Epistol. lib. 7. Epist. 11.

Ista postulatio Bohemorum Ducis satis superque indicat divina Officia in alienâ linguâ, quam vulgari apud Bohemos fuisse celebrata. Neque enim credibile est eorum Ducem facultatem vulgaris linguæ in præfatis Officiis usurpandæ ab summo Pontifice petiturum fuisse, si jam illius usus ad res sacras adhibitus fuisset.

Multis annis antequam Wratizlaus Bohemorum Dux div. Officia in linguâ Sclavonicâ celebrandi facultatem ab Greg. Papâ VII. peteret, & ab ipso repulsam pateretur; Joan. Papa VIII. Methodium Pannoniensem Archiepiscopum graviter reprehendit eo nomine, quod Missas in illâ ipsâ linguâ celebraret, & deinceps celebrare vetuit, ut testatur Epistola ab ipso ad præfatum Archiepiscopum directa: Audimus etiam, inquit citatus Pontifex, quod Missas cantes in barbarâ, id est, Sclavonicâ linguâ: unde jam litteris nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in eâ linguâ sacra Missarum solemnia celebrares: sed vel in Latinâ vel in Græcâ Linguâ, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Hactenùs Joannes Papa VIII. in Epist. 195. ad prædictum Archiepiscopum inscriptâ.

Ille ipse Pontifex Sfentopulchro Comiti linguam Sclavonicam in divinis Officiis adhibendi facultatem facit, ea tamen lege, & conditione, ut in omni ejus ditione Evangelium latinè legatur, ut patet ex ipsissimis ejus verbis: Nec sanæ fidei, inquit, vel doctrinæ aliquid obstat, sivè Missas in eadem Sclavonicâ linguâ canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti benè translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Jubemus tamen ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & postmodùm linguâ Sclavonicâ translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuntietur; sicut & in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & judicibus tuis placet Missas Latinâ linguâ magis audire, præcipimus, ut Latinè Missarum tibi solemnia celebrentur. Hactenùs præfatus Pontifex in Epist. 247. prædicto Sfentopulchro Comiti directâ.

Ex postremo illo cit. Pontificis loco videmus prædicto Comiti factam fuisse facultatem Missas & divina alia Officia in linguâ Sclavonicâ celebrandi, ut Populus Latinè nesciens, quæ cantarentur in publico cœtu fidelium intelligeret: ita tamen ut Evangelium Latinè legeretur, & Sclavonicâ linguâ explanatum astantibus prædicaretur. Nulla hîc fit Canonis mentio: Unde probabile est ipsum ab Sacerdote Latinè & summissâ voce fuisse recitatum, ne lingua Latina, quæ in omnibus Ecclesiis Occidentalibus vigebat, è Sclavonum terris ablegaretur. Quam rationem confirmat idem Pontifex præcipiens ut si & ipse Comes, & ejus judices mysteriis linguâ Latinâ celebratis interesse mallent, iis Missæ in linguâ Latinâ celebrarentur, ut usus linguæ Latinæ in illis oris, si non omninò saltem ex parte retineretur, usque dum tota, sicut & in cæteris Ecclesiis Ecclesiæ Romanæ arctissimo Catholicæ communionis vinculo devinctis, ad divinorum Officiorum celebrationem assumeretur.

Ex dictis hactenùs satis constat duplicem dumtaxat linguam in utraque Ecclesiâ, Orientali scilicet & Occidentali in divinis Officiis usurpatam esse: in Orientali scilicet Græcam, in Occidentali autem Latinam viguisse: ita ut nulla alia lingua in plerisque omnibus,

imò omnibus Ecclesiis ad mysteriorum celebrationem assumptam esse, ne per linguarum vulgarium varietatem & confusionem ea quæ paulò antè percensuimus incommoda, in alterutram, vel etiam in utramque Ecclesiam importarentur.

Hæretici nostræ huic doctrinæ pertinaciùs adversantur, contenduntque nos repugnare Apostolo ita loquenti 1. Corinth. cap. 14. v. 19. *In Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam: quàm decem millia verborum in linguâ.* Unde concludunt nos aberrare ab Apostolicâ doctrinâ & praxi abhorrere, cum linguam populis ignotam in divinis Officiis assumimus. Sed sit titulus

Hæreticorum objectio ex citato Apostoli loco petita solvitur.

UT hujusmodi objectio, quam Hæretici invictissimam prædicant, solidè diluatur, nonnulla sunt observanda & imprimis quis ritus & ordo primis nascentis Ecclesiæ temporibus in sacris Christianorum conventibus observaretur.

Hic ordo (ut ex perantiquis Auctoribus sancto nempè Justino & Tertulliano discimus) ab Apostolis institutus erat, ut Christiani

1. Sacros conventus ab sacris carminibus & hymnis auspicarentur, quemadmodum testificatur sanctus Justinus Martyr exeunte Apologiâ (quæ licet vulgò secunda, ab Eusebio tamen Cæsariensi lib. 4. cap. 17. & ab Anastasio Bibliothecario prima nominatur) *in omnibus*, inquit, *quas offerimus, oblationibus benedicendo laudamus factorem omnium per filium ejus Jesum Christum & Spiritum sanctum.*

2. In hujusmodi conventibus legebantur Apostolorum vel Prophetarum scripta: *Solis, qui dicitur, die* (pergit idem S. Justinus) *omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit; & commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.*

3. Concio habebatur ab Episcopo. *Deinde*, ait idem S. Justinus, *lectore quiescente, præsidens orationem habet, quâ populum instruit: & ad rerum tam insignium imitationem adhortatur.*

4. Istam Concionem excipit Eucharistiæ oblatio & consecratio: *Sub hæc*, inquit id. S. Just. *consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus, & sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur & vinum & aqua: & præpositus itidem, quantum pro virili suâ potest, preces & gratiarum actiones fundit & populus faustè acclamat dicens: Amen.*

5. Corpus Christi omnibus impertiebatur: *Et distributio*, inquit idem Author, *fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.*

6. Quidam Psalmos & Hymnos variis linguis sic tamquam divino spiritu afflati modulabantur.

7. Alii more Judæorum (apud quos voces Prophetarum per omne sabbatum legebantur, ut legere est Act. cap. 13. v. 27. & habebatur sermo exhortationis ad plebem, ut videre est eodem cap. v. 15.) sacras scripturas interpretabantur, vel exhortabantur duo nempè, vel tres spirituales viri, & audiebant alii, & subindè interrogabant: Cumque aliquid præclarè, & ad ædificationem opportunè prolatum audierant, inclamabant pariter omnes: Amen, Amen.

8. Sacrum fidelium conventum seu mysteriorum celebrationem claudebat convivium, cui Agapes nomen Christianorum in invicem amor & charitas indiderat. De postremis hisce rebus prædicat egregiè Tertullianus Apolog. cap. 39.

Hunc sacrorum ordinem ab Apostolis institutum, & ab primis fidelibus observatum, paulò longiorem hic attexere placuit, non solùm ut proposita Hæreticorum objectio solveretur, sed etiam ut ipsimet Hæretici animadverterent, non nunc primùm apud fideles incruentum Missæ sacrificium celebratum esse, & realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistiæ sacrificio, & Sacramento esse creditam: Cum ista S. Justini pro Christianis Apologia sivè prima, sivè secunda nominetur, ab ipsomet S. Justino Imperatori Antonino Adriani Successori, & Cæsaribus ipsius filiis secundo Ecclesiæ sæculo, id est 150. ab ortu Redemptoris anno oblata fuerit.

His ita constitutis respondendum est objectioni Hæreticorum quam ex citato c. 14. 1. ad Cor. Epistolæ. Sit itaque

Solutio prædictæ Objectionis.

UT huic objectioni ex multis clt. 1. ad Corinth. Epist. cap. 14. locis repetitæ nonnulla sunt observanda

1. Observandum est Apostolum toto illo capite tria potissimùm præstare, ut dono linguarum Prophetiam anteponendam esse demonstret.

1. Enim id probat, quia Prophetia, id est interpretatio scripturarum, vel sermonum, qui exoticâ seu peregrinâ linguâ proferuntur maximè confert ad ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, seu ad promovendam fidelium salutem.

2. Idipsum probat quia Prophetia datur fidelibus; peregrinæ verò linguæ datæ sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus, quorum ad Christi fidem conversio per hujusmodi linguas intenditur, & procuratur.

3. Denique tradit ordinem & regulam ad cujus amussim talium linguarum usum admetiri necesse est.

His prælibatis,

Dico 1. Objectionem ex citato Apostoli loco petitam nec expressè, nec per ullam consequentiam repugnare consuetudini Ecclesiæ, quæ linguam ad divina Officia primitùs adhibitam in Christianâ liturgiâ retineri voluit. In laudato enim loco non loquitur Apostolus de linguis, in quibus divinum Officium est primitùs institutum, & quarum intelligentiâ lapsu temporis, non omni fidelium corpori, seu societati, sed imperitis, idiotisque subducitur. Neque etiam verba facit de idiomatis incognitis, & viâ naturali seu humano labore comparatis, sed de idiomatis divinitùs, & per miraculum infusis, ut ipse declarat Apostolus 1. Cor. cap. 12. v. 1. 2. & seqq. *De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres, scitis, quoniam cum gentes essetis ad simulachra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto.* Et paulò post. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Et infrà. *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: Alii operatio virtutum: alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Hæc ibi.

Ex isto Apostoli loco perspicuum est Apostolum intelligendum esse de linguis exoticis, & ignotis ab Spiritu sancto per miraculum infusis & inspiratis, de quibus agit in 1. illâ ad Corinth. Epistolâ: & præsertim ejusdem Epistolæ cap. 12. & 14. Nihil igitur objectiones ex hac ipsâ Epistolâ petitæ officere possunt linguis, in quibus divina mysteria ab ipso jam tùm Ecclesiæ nascentis exordio sunt celebrata, cum Apostolus ne minimam quidem de divinis mysteriis & linguis in quibus celebrantur, mentionem inibi faciat.

Quod confirmari potest ex eo quod nullibi depre-

hendi potest Christianos in celebratione mysteriorum & in publicis suis conventibus variis linguis locutos esse & alios pervices, quid peregrinis illis linguis & vocibus significaretur, interpretatos esse. Fatemor quidem post psalmodias & hymnodias in ipso sacrorum initio decantari solitas, lecta fuisse Apostolorum vel Prophetarum scripta, quâ lectione peractâ surgebat Pontifex & ad interpretanda difficilia Scripturæ loca, & ad informandos ad rerum lectarum imitationem astantium animos habebat concionem, ut suprà ex 1. seu 2. S. Justini pro Christianis Apologiâ observavimus.

Tunc ergo nemo præter Pontificem loqoebatur, nedum peregrinis vocibus utebatur. Fatemur equidem, ut testatur Tertullianus loco suprà laudato, celebratis mysteriis, vel etiam aliis in occasionibus Christianos de scripturis secum invicem esse collocutos, & variis linguis in iis colloquiis usos magna mysteria in iisdem protulisse: ita tamen ut qui prophetiæ dono erant præditi, id est scripturarum intelligentiâ ab Spiritu sancto donati pervices loquerentur, & ad ædificationem fideliom arcana in linguis exoticis sivè peregrinis latitantia & altiùs inclusa reserarent. Quam consuetudinem Christiani hauserant ex Judæis, ut patet ex cap. 13. Act. Apostol. ubi legimus S. Paulum & qui cum ipso erant, cum pervenissent Anthiochiam Pisidiæ, *ingressos esse Synagogam in die Sabbatorum. & post lectionem legis & Prophetarum misisse Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem: dicite.* Hæc ibi.

Dico 2. Hæreticos ab Apostoli Sententiâ mirum quantum discrepare, cum eum citato cap. volunt è sacris mysteriis ablegare quamlibet linguam peregrinam & substituere vulgarem idiotis quibusqoe notam. Id enim neque ex ejus mente & proposito, neque ex ullo ejus loco elicere possunt.

Quod spectat ad ejus mentem & propositum liquidò pellocet ex verbis, quibus sua sensa reserat: Cum enim Corinthios inanis gloriosæ studio perustos portentoso illo linguarum dono immodicè gloriari animadverteret, incensam illam gloriæ cupiditatem, quâ flagrabant, ut restingueret, declaravit non esse tanti faciendum linguarum donum, ut qui illud accepissent, se cęteris eo carentibus, multis partibus antecellere putarent; Siquidem non obtinebat principem inter Spiritus sancti dona locum eo nomine, quod prophetia, seu mysteriorum & dogmatum in peregrinis vocibus delitescentium interpretatio hujusmodi donum ab Corinthiis tanti æstimatum longo intervallo superaret. Enimvero testificatur linguarum donum non esse inter Spiritus sancti dona præstantissimum, & inter hæc dona externa & apparentia reperiri alia linguarum donum adæquantia: Et præterea internum divinæ charitatis donum omnia alia interna pariter & externa supergredi contestatur,

Et ut ostendat linguarum divinitùs infusarum donum non obtinere principatum inter Spiritus sancti dona, illud cum prophetiâ id est, mysteriorum in peregrinis idiomatis latitantium interpretatione comparat, & illam ipsam prophetiam portentoso linguarum dono anteponit: Nisi ad illud linguarum cœlitùs iofusarum donum portentosum aliud, in prophetiâ seu peregrinarum vocum & sensuum interpretatione positum accesserit. Hæc enim esse doo dona ab invicem distincta satis affirmat Apostolus. Ut potè qui virum linguarum divinitùs infusarum dono præditum, & eas linguas non intelligentem, nec iis per unum illud donum interpretandis parem esse disertè asserat, & eos qui infusis loquuntur linguis ad comparandam earum interpretationem adhortetur. Quod frustrà factitasset, si illi ipsi quos Spiritus sanctus linguarum dono affecerat, per illud ipsum donum eas & intellexissent ipsi, & aliis essent interpretati,

Quicquid id est, perspicuum est Apostolum prophetiam seu sententiarum in peregrinis vocibus reconditarum interpretationem anteferre linguarum dono. Qui enim tantùm linguâ utitur, non hominibus loquitur, quibus nihil utilitatis affert suâ voce, sed Deo loquitur, quem laudat verbis non intellectis: & non prodest nisi sibi uni.

Contra verò qui prophetæ seu interpretis munere fungitur, non solùm Deo loquitur, verum etiam hominibus loquitur, & plerisque omnibus maximam affert utilitatem, quippè qui bonos inflammat ad Christianæ charitatis progressionem, malos invitat ad meliorem vitam, segnes extimulat ad vigilantiam, pusillanimes denique erigit ad cœlestis auxilii spem & fiduciam. Nemini ergo dubium est, quin prophetiæ donum, quia toti prodest fideliom congregationi, atque adeò pater latius dono linguæ, quod uni tantùm prodest, præstabilius & optabilius habeatur.

Præterea Prophetiæ seu interpretationis donum linguarum dono anteferendom esse pronuntiat, eo quod prophetia in gratiam fidelium concederetur; linguarum autem donum infunderetur à Spiritu sancto in gratiam infidelium, ut videlicet eo commoti miraculo, quo viros variis linguis elocutos audiebant, ad amplectendam Christi fidem impellerentur. Quod nihil prohibet quominus Prophetiæ donum stupendo alioquin linguarum dono anteferatur: utpotè quod & fidelibus & incredulis incredibiles utilitates afferat. Credentibus enim stimulos, ut ita dicam, addit, ut majorem in dies fidem, charitatemque depereant: Incredulis autem prosit in hoc, quod abdicatâ idololatriâ Christi fidem (nihil alioquin ex linguarum dono reportaturi) ex animo capessant.

Si ergo, ait Apostolus citato cap. *conveniat universa Ecclesia in unum & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles: nonne dicent quod insanitis? Si autem omnes prophetent (id est* mysteria exoticis seu peregrinis inclusa linguis aperiant) *intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. occulta cordis ejus manifesta fient, & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuntians quod verè Deus in vobis sit.* Hæc Apostolus citato cap. 1. ad Corinth. Qui & sub finem ejusdem capitis tradit quo ordine linguarum donum patefieri, & earum rerum quas peregrinæ voces expresserint, sensum explanari oporteat.

Ex dictis & explanatis hactenùs nemo non videt nihil ex Apostoli mente colligi posse, quo sectarii linguam populis fidelibus ignotam, & ad mysteriorum divinorumque Officiorum celebrationem adhiberi solitam jure ac meritò carpere valeant. Nibil etiam ex ejusdem Apostoli verbis elicere poterunt per quod suum hac in parte errorem astruere possint. Quicquid enim obiiciant ex Apostoli verbis, id facilè refelletur, si dicamus ipsum Apostolum asserere non esse quidem fastidiendum linguarum donum: Sed inutile & otiosum fore, id est nihil omninò vel fidelibus vel infidelibus profuturum, nisi quis retrusa in peregrinis vocibus mysteria utrisque sicut oportet aperiat. Rectè igitur Ecclesia Romana ad linguam Latinam ab ipsâ sacris in mysteriis ab omni ævo usurpatam religiosiùs adhærescit, & æternùm, seu usque ad sæculi consummationem adhærescet: ne incommoda superiùs à nobis enumerata, quæ ex usu linguæ vulgaris (si in eisdem mysteriis adhiberetur) citra controversiam existerent, non sine magno suæ fidei periculo dispendioque patiatur.

Hac de re satis superque dictum esset, nisi respondendum esset hæreticis objicientibus Ecclesiam Romanam non solùm linguâ Latinâ & plerisqoe omnibus Christianis ignotâ suis in mysteriis uti, verum etiam cantum (cujus usum utpotè ab ipsis usurpatum vituperare non audent) & Musicam & organa lascivas potiùs choreas quam pietatem redolentia, &

omnem

omnem rerum quæ decantantur, intelligentiam excludentia ab ipsamet Ecclesiâ Romanâ, in eorumdem celebratione mysteriorum adhiberi sæpenumero conqueruntur, & id iniquè comparatum esse dictitant.

Ista Hæreticorum Objectio diluitur.

Hac igitur in parte nos accusant admissæ erga Deum irreverentiæ eo nomine quod divinis in officiis Cantus, & Musica, & Organa à nobis adhibeantur. Verum longè aliter sentient, si ad Ecclesiæ mentem hæc omnia approbantem animum advertere & appellere velint.

Nam 1. quod spectat ad Cantum, nemo illum reprehendere poterit, quin veterem Ecclesiam hujusmodi Cantum ad inflammandos ad pietatem animos idoneum suis in officiis assumere solitam reprehendat. Hujus rei testis locupletissimus est sanctus Augustinus ita loquens in Epistolâ 119 ad Januar. de Ecclesiæ ritibus inscriptâ: *Miror sanè*, inqoit, *quid ita volueris, ut de iis quæ variè per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem, cum & non sit necessarium, & una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque instí tui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus sed etiam laudando & imitanda sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat ut majora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est. maximè illud quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta. De hac re tàm utili ad movendum piè animum & accendendum divinæ dilectionis affectum varia consuetudo est.* Et paulò post: *Aliis verò particulis temporum* (id est, quando non est tempus sancta cantandi) *quid meliùs à congregatis Christianis*, (quam Hymnorum & Psalmorum Cantus) *fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video.* Hactenus sanctus Augustinus Epist. citat. cap. 18.

Quanto amore canendo Psalmos, quanto ardore efferbuerit sanctus Augustinus, testatur in multis suarum Confessionum locis: *Quas tibi voces*, inquit, *dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex iis? & accendebar eos recitare si possem toto orbe terrarum, adversus typhum generis humani? & tamen toto orbe cantantur, & non est qui se abscondat à calore tuo.* lib. 9. Confess. cap. 4. n. 9.

Item earumd. Confess. eod. lib 9. c. 6. n. 3. *Quantum flevi*, inquit, *in Hymnis & Canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus, commotus acriter? voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum? & exæstuabat indè affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Hæc ibi.

Item ejusd. lib. 9. cap. 7. asserit eodem ipso tempore quo Justina Valentiniani Regis pueri mater persequebatur sanctum Ambrosium ob Arianam hæresim, in quam *immersa fuerat*, *Hymni & Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tæ notædio contabesceret, institutum esse, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus* Hæc ibi.

Item earumdem Confess. lib. 10. cap. 33. *Cum reminiscor*, inquit, *lachrymas meas, quas fudi ad Cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperata fidei meæ, & nunc ipse commoveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cum liquidâ voce, & convenientissimâ modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis: magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesiâ, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem* Hæc ibi.

Ex tot & tantis, tamque perspicuis sancti Augustini testimoniis, quæ vel ipsi Heterodoxi venerari debent (utpotè qui sanctum Augustinum cum suo Antesignano, Calvino scilicet, se maximi facere prædicant) & ex istis colligere, quanta ex Ecclesiastico cantu utilitas ad omnes Catholicos derivatur. Desinant igitur nobis obtrudere hunc Apostoli locum: *In Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in linguâ.* Hunc enim locum Facultas Parisiensis in suâ Censurâ tit. 19. Proposit. 6. asserit intelligendum esse de Concionibus seu sermonibus qui habentur ad populum, in quibus inutilis est copia verborum non intellectorum, non de Cantibus Ecclesiasticis, quorum alia est ratio. Hæc Facult. Paris. loco citato.

2. Quod spectat ad Musicam & Instrumenta Musica, nos reprehendere non debent Hæretici, cum Ecclesia Dei eam dumtaxat Musicam, & ea Instrumenta Musica quibus fidelium ad majorem pietatis sensum accendi & inflammari valeant. Hac de re audire juvat sanctum Augustinum: *Aliquando*, inquit, *hanc ipsam fallaciam* (quâ aurium sensus cantus suavitate delinitus mentem enervare & præcurrere conatur) *immoderatius cavens erro nimiâ severitate, sed valdè interdum ut melior omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutiusque mihi videtur quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpè mihi dictum commemini? qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti.* Hactenus sanctus Aug. Confession. lib. 10. cap. 33. num. 3.

Cum illa ipsa mens quam de se profitetur sanctus Augustinus Ecclesiæ menti omni ex parte respondeat, nemini dubium esse potest, quin illa ipsa Ecclesia omnem Cantum, omnem Musicam, & omnia, vel Carmina, vel Organa, vel tantillum ad libidinem provocantia suis ab mysteriis, officiisque procul amandari suis Decretis, Canonibusque jusserit.

Ab Ecclesiis verò Musicas eas, ubi sivè Organo, sivè Cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant. Hactenùs Concil. Trident. sess. 22 in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ monuit Episcopos, ut omnia divinorum Officiorum sanctitati, majestatique repugnantia ab Templorum adytis arceant.

Porrò Organorum usum Synodus Senonensis cap. à Patribus ad cultum divinum, servitiumque recepit, modò nihil præter Hymnos divinos & Cantica spiritualia Organa repræsentent.

Item Concilium Coloniense. Organorum melodia, inqoit, in Templis sic adhibeatur, ne lasciviam magis quam devotionem excitet, neve præter Hymnos divinos ac Cantica spiritualia quicquam resonet.

Item Synodus Augustana anno Redempt. 1548. celebrata idem cum prædictis Synodis sentit & statuit: Organa, inquit, ad populi aures nullum alium sonitum, aut numerum deferant, quam qui religiosus ac pius ab omnibus habeatur. Melodiæ lascivæ aut aliò pertinentes, procul absint: profani etiam rithmi Ecclesiasticis sonis, aut verba, Ecclesiasticæve sententiæ profanis numeris, aut rebus ludibrii causâ non accommodentur. Nam cum aut melodiæ, aut orationes, sententiæve sacræ in profanam consuetudinem abeunt, fieri non potest, quin ad suum usum in Ecclesiis deptomptæ animos audientium memoriâ illius ludibrii aut scommatis pungant, atque avo-

R r

vent à devocione, Hactenus Synodus Augustana loco citato

Hujusmodi Synodorum vestigiis hac in parte, sicut & in aliis institit sacrosancta Synodus Tridentina, cujus verba proximè laudavimus & retulimus.

Sanctus Carolus Borromeus, qui si quisquam alius acerrimum se Ecclesiasticæ disciplinæ vindicem & instauratorem præbuit ad præfatarum Synodorum Decreta strenuè & fideliter adhæsit, quippè qui de re proposità sic statuit. In divinis Officiis, inquit, aut omninò in Ecclesiis nec profana Cantica, sonive, nec in sacris Canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quàm ore expressæ, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus & soni graves sint, pii & distincti, & domui Dei ac divinis laudibus accommodati: Ut simul & verba intelligantur, & ad pietatem Auditores excitentur. Organo tantum in Ecclesià locus sit, tibiæ, cornua, & reliqua Musica instrumenta excludantur. Et si in Hymnis, Psalmis & Canticis suis vicibus, Organo cantatur: Omnes tamen eorum versiculi in Choro distinctè pronuncientur. Hactenus S. Carolus in Conc. Mediol. 2. Constit. p. 2. sub titulo de Musicà & Cantoribus.

Hujusmodi testimoniis & rationibus nisi Hæreticorum obteratur error, eorumque in errore tuendo pertinaci asiangatur, quo pacto ad Orthodoxam fidem & in sinum Ecclesiæ revocari valeant, ægrè admodum intelligi potest. Quicquid sit, aliò properandum & discutiendum quid Ecclesia de aquâ vino sacris in mysteriis admiscendâ doceat. Sit itaque

---

QUÆSTIO ULTIMA.

Utrum aquam vino in sacris mysteriis necessariò, & quâ necessitate admisceri oporteat?

Prima Conclusio.

AQua sacris in mysteriis vino necessariò est admiscenda. Ita passim docent omnes Theologi. Et ita definitum est ab sacrosanctâ Synodo Tridentin. sess. 22. de sacrificio Missæ, cap. 7. in hæc verba concepto: Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Hactenùs verba præfatæ Synodi, quæ & hanc doctrinam sub anathematis interminatione sancit ejusd. session. 22. can. 9. *Si quis*, inquit, *dixerit aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eò quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.*

Hanc doctrinam multis annis ante Concilium Tridentinum ex traditione hauserat, & haustam tradiderat sanctus Thomas: sic enim loquitur in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. in solut. quæst. 1. in corpore. Respondeo, Dicendum, inquit, ad primam quæst. quod aqua debet apponi vino propter institutionem, quia Dominus apposuisse probabiliter creditur ex more illius patriæ: quia vinum ibi sine aquâ nunquam bibitur propter vini fortitudinem; quamvis de aquâ in Evangelio mentio non fiat, quia non est principalis materia in hoc Sacramento: sed ejus appositio competit huic Sacramento & quantum ad repræsentationem Passionis Christi, & quantum ad significationem rei hujus Sacramenti, quæ est corpus mysticum per aquam significatum: quia aquæ multæ populi multi Apoc. 17. & sic appositio aquæ ad vinum significat unionem membrorum ad caput ratione ipsius conjunctionis & amorem capitis patientis pro membris ad ipsa et hoc quod ex duobus conjunctum unum efficitur; & processum redemptionis à capite ad membra ex ipsâ transformatione aquæ ad vinum. Undè dicit Glossa in Marci cap. 14. super illud, *Accepit Iesus panem; &c.* neque aquam solam, neque vinum solum cuilibet licet offerre, ne videatur caput à membris secernere, vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius Passione salvari.

Hanc Glossam quam v. Beda suppeditavit, pluribus etiam explanavit: *Quia*, inquit, *& nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vino Dominici Calicis aqua miscetur: Attestante enim Ioanne, aqua populi sunt: & neque aquam solam, neque solum vinum, sicut neque granum frumenti solum sine aquæ admixtione, & confectione in panem cuipiam licet offerre, ne talis oblatio, quasi caput à membris secernendum esse significet.* Hactenus Beda in cit. 14. cap. Marci.

Ex dictis colliguntur multæ rationes, propter quas aquam vino in sacris mysteriis admisceri oporteat. Hujusmodi rationum

Prima petitur ex eo quod sancti Patres, & imprimis sanctus Cyprianus doceat Christum Dominum incruentum Eucharistiæ sacrificium & Sacramentum instituentem vino aquam miscuisse, ut legere est apud ipsum, in Epist. 63. ad Cæcilium inscriptâ: in quâ præsertim probat Christum Dominum in Calicis benedictione miscuisse vinum & aquam, ut si quis quorundam Episcoporum vel vinum solum, vel aquam solam ad sacrificium sufficere nientium errore teneretur, veritatis luce perspectâ ad radicem atque originem traditionis dominicæ reverteretur.

Secunda hujus mixtionis ratio deducitur ex repræsentatione Passionis Christi, quæ per sanguinem & aquam sanguini admistam (quorum utrumque ex Crucifixi latere profluxisse Scriptura commemorat) in sacrificio graphicè repræsentatur. Ut pulcherrimè declarat Alexander Papa V. ab sancto Petro: *In Sacramentorum*, inquit, *oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est: ac ejus, cujus Corpus & Sanguis conficitur, Passio celebretur: ita ut repulsis opinionibus superstitionum panis tantum & vinum aquâ permistum in sacrificium offerantur. Non enim debet (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in Calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum; quia utrumque ex latere ejus in Passione suâ profluxisse legitur.* Hactenus præfatus Papa Epistol. 1. cap. 4. ad Orthodoxos omnes, ut refertur de consecrat. dist. 2. cap. in Sacramentorum.

Tertia hujus commistionis ratio affertur ab sancto Cypriano ita loquente, *In sanctificando Calice Domini offerri sola aqua non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipiet esse sine nobis, si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo, quando autem utrumque miscetur & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spirituale & cæleste proficitur. Si verò Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita & commixta panem unum faciunt: Sic in Christo, qui est panis cælestis, unum sciamus esse corpus cui conjunctus sit noster numerus & adunatus.* Hactenùs gloriosissimus Martyr Cyprianus in Ep. 63. de Sacram. Dom. Calicis ad Cæcil. inscriptâ, in quâ potissimum contendit Christum Dominum in ultimâ Cœnâ quam cum discipulis celebravit, miscuisse vinum & aquam in eo, quem consecravit, Calice. Undè totam hanc Epistolam claudit hisce verbis: *Religioni*

igitur nostra, inquit, *congruit & timori, & in ipso loco & officio Sacerdotii nostri in Dominico Calice miscendo & offerendo custodire traditionis Dominicæ veritatem: ut cum in charitate suâ & majestate cælesti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, & facere quod fecit.* Hæc ibi.

Quarta ejusdem rei ratio, vel superiorum rationum appendix desumi potest ex sancto Thoma loco citato, in quo ait per hanc commixtionem vini & aquæ apposite significari amorem capitis, id est, Christi pro membris suis passi, ut illa per peccatum à seipso quidem divulsa, sed Sanguinis sui pretio redempta sibi denuò integrò facto æternæ charitatis nexu & commercio copularet.

Secunda Conclusio.

Hujusmodi vini & aquæ commixtio non est de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, hoc est sine aquâ vino admistâ potest validè perfici sacrificium, sed illicitè. Omnes enim Theologi uno consensu asserunt aquæ cum vino commixtionem ita cadere sub præcepto, ut nemo illam citra immane flagitium omittere queat. Cum præsertim hujusmodi præceptum ab Patribus & Conciliis de consecrat. dist. 2. relatis non proponatur velut Constitutio Juris dumtaxat humani, sed veluti lex à Christo Domino condita promulgataque quam necessariâ consecutione Apostoli à Christo, Christiani ab Apostolis & eorum successoribus veluti per manus traditam accepere. Unde graves pœnæ irrogantur iis Sacerdotibus qui sacrificant, nec vino miscent aquam. Nam lib. 3. decretal. Gregorii de celebratione Missarum Tit. xli cap. litteras, legimus Honorium Papam III, mandasse Episcopo Brixiensi, ut Presbyterum Ecclesiæ sanctæ Brigidæ Brixiensis, qui in pane fermentato & scypho ligneo sine igne & aquâ Missarum solemnia celebrare præsumpserat, de Officio & beneficio in perpetuum dejiceret.

Porrò vini & aquæ commixtionem, primo ab ipso Christo in institutione divinissimi Sacrificii factitatam esse, & hanc traditionem ab Apostolis, ad nos usque transmissam testificatur sanctus Cyprianus. Julius Papa I. cujus ex Gratiano & Ivone Decretum VII. extat in hæc verba: *Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino & aquâ permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi.* Hæc citatus Pontifex.

Hujus Pontificis verba mutuatum est Concilium Bracarense III. cap. 1. ut eamdem vini & aquæ commixtionem astrueret.

Illud ipsum confirmarunt Synodi Triburiensis Patres Alexandri Papæ I. authoritatem secuti: suum enim cap. 19. condiderunt in hæc verba: *Alexander successor Evaristi dixit: Non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex ejus latere profluxit: ut videlicet per hos indicet populos, qui secundum Joannem aqua sunt, à Christo, cujus Sanguis in Calice est, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac sanctâ Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat, sed ut duæ partes sint vini; quia major est majestas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi: tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ* Hactenùs Canon Concilii Triboriensis sub Formoso Papâ celebrati.

Ex isto Concilii Triburiensis effato colligitur ratio, cur Sacerdos in Missâ cum vino aquam modicissimam admiscet, ut loquitur Concilium Florentinum, aquam dumtaxat, non autem vinum benedicat. Nam vinum quod est vigoris, & fortitudinis symbolum, Christum ex quo tota nostra fortitudo proficiscitur, significat, atque adeò ab homine benedici non debet: siquidem ex ipso tamquam ex uberrimo gratiarum fonte omnis benedictio ad omnes homines derivatur. Aqua verò quæ est infirmitatis symbolum adumbrat populum, cujus infirmitas tanta est, ut in singula momenta, in immania peccata incurreret, nisi præpotenti Salvatoris gratiâ fulciretur. Ideo benedicitur populus ut ad arctissimam cum Christo unionem per vini & aquæ commixtionem designatam dignè Deo pertingere, & ab suæ naturæ per primum primi hominis peccatum profligatæ corruptelâ & infirmitate ex parte liberari valeat, donec plenâ libertate & sanitate in altero sæculo potiatur.

Sanctus Bernardus, cujus perillustrem memoriam hodiè universa celebrat Ecclesia, congruenter toti traditioni locutus est in Epist. 69. ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus directâ, *Non nego*, inquit, *panem & vinum aquâ quidem mixtum simul debere apponi: quin potiùs assero haud aliter debere fieri.* Hæc ibi sanctus Bernardus: qui & in eadem Epistolâ docet quantâ curâ & sollicitudine omnia ad debitam mysteriorum celebrationem pertinentia observare oporteat. Hîc igitur ipsa ejus sensa & verba exscribere operepretium est, ut vel noverint, vel meminerint Sacerdotes quantâ circumspectione sacris operari debeant.

Ut igitur rem ab origine repetamus, Guido Abbas de tribus fontibus nullâ suâ culpâ, sed ministrantium negligentiâ erraverat in consecratione Calicis ob defectum vini, & cum stimularetur conscientiâ culpæ (in quâ sanctus Bernardus ejus ignorantiam, ministrantium negligentiam, nullius autem malitiam deprehendit) ipsum S. Bernardum consuluit utrùm compertâ serò licet ministrantium negligentiâ rectè fecerit vinum fundendo in Calicem super Hostiæ sacratæ particulam & prætereà quasi hoc facto (quod ex prædictâ negligentiâ contigerat) sese in grande flagitium implicasset, ab ipso sibi pœnitentiam injungi ardentiùs flagitavit.

Quod spectat ad ultimum hoc caput, ille ipse S. Bernardus sequentem hanc ipsi & aliis pœnitentiam injunxit: *Ut tamen*, inquit, *faciamus satis inquietiori conscientiæ tuæ, & ne fortè malum hoc mali cujuspiam gravioris latentis adhuc in Monasterio fuerit commotio, pro pœnitentiâ tibi injungimus septem pœnitentiales Psalmos quotidie usque ad Pascha, septies prosternendo te decantare, septem disciplinas accipere. In hunc modum satisfaciat & ille, qui tibi ad illam Missam ministravit. Dein illo autem qui tibi ante apparaverat, & oblitus est mittere vinum in Calicem, cujus & majorem in hoc æstimamus culpam, si tamen & tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus. Sanè, si sermo exiit inter Fratres, & ipsi omnes singuli singulas accipiant disciplinas, ut fiat quod legitur: alter alterius onera portate.*

De altero Capite sibi ab eodem Abbate proposito ita pergit idem sanctus Bernardus. *Deinde*, inquit, *quod compertâ serò licet negligentiâ, vinum fudisti in Calicem super Hostiæ sacratæ particulam, laudamus: nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propriâ solemni, atque in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Corporis sacri.* Et paulò post: *Ego pro meo fatuo sensu, si idem mihi contigisset quod tibi, vellem ad remedium mali unum è duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certe ab illo loco, ubi dicitur:* Simili modo postquam cœnatum est, *verba sancta iterasse, & sic complesse, quod restabat de Sacrificio.* Hactenùs sanctus Bernardus in Epist. cit.

Ex tanti viri, sancti nempè Bernardi, cui, ut ante indicavi, hodiernos dies sacer est, colligimus quantâ religione, quantoque studio Sacerdotes sacro-sanctis mysteriis operari, & quantâ curâ in omnibus suis officiis, & præsertim in hujusmodi mysteriorum celebratione, vel minimos defectus evitare debeant. Neque enim sanctus Bernardus vir pari ad pietatem eruditione præditus defectum & errorem, etiam involuntarium

citra ullam malitiam in altaris ministerio admissum, tantis pœnitentiæ operibus duxisset expiandum, nisi aliquam in eo gravitatem paucis cognitam animadvertisset.

Quod spectat ad remedium duplex quod adhibendum esse dicit malo, quod contigerat homini, qui vini defectu Calicem non consecraverat, utrumque bonum est, sed ultimum quo docet Sacerdoti, cui simile quid acciderit, esse iteranda hæc verba: *Simili modo*, &c. & infuso in Calicem vino & cum aquâ permisto esse supplendam, quæ deerat, vini consecrationem, ex Ecclesiæ Romanæ Rubricis, & omnium Theologorum sententiâ primo præponderat. Itaque pœnitentiam, quâ, ut suprà vidimus, errorem & defectum, prorsùs involuntarium ille ipse sanctus Bernardus expiandum esse censuit. Quid enim dicendum esse crederet, vel quid diceret, si dissolutam plurium Clericorum vitam, in terris denuò versatus animadverteret? Nonne iisdem uteretur verbis, quibus olim eorumdem Clericorum vitam reprehendit? Nonnè ut olim ejusmodi homines hisce vocibus increparet? *Væ, væ, in domo Dei horrendum videmus. Quidni idololatras ministrantes? mentior, si non idolorum servitus avaritia est; si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur. Quantos sanè vidimus qui diligunt munera, sequuntur retributionem? Quantos qui Christo Domino non serviunt, sed suo ventri? væ, væ, tibi Clerice: mors in ollâ, mors in ollis carnium, mors in hujusmodi deliciis est. Non modò quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia populi constat esse peccata quæ comedis. Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas; cantando (ut aiunt) tibi provenire videntur: sed bonum erat magis fodere, aut mendicare. Peccata enim populi comedis ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto tamquam redditurus rationem pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noveris imputanda, quæ modo inter delicias comedis & parvipendis, & dissimulas tamquam nihil attinentia tibi. O Judiciorum Dei abyssus multa! ô terribilis Deus in consiliis super filios hominum! frustrà tunc incipient miseri dicere* montibus cadite super nos; & collibus operite nos. *Venient, venient, ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata: quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? quid divitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam grave judicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Universa siquidem usque ad quadrantem novissimum exigêris?* Hactenus S. Bernard. in tract. de vitâ & moribus Clericorum cap. 5. & 7.

Aculeatam illam Sacerdotum parùm castè & integrè in Altaris ministerio versantium reprehensionem ex citato sancti Bernardi loco huc transferre placuit, quò Sacerdotes Domini sacra mysteria cum ingenti puritate, cum summâ circumspectione, cum flagranti denique charitate sibi tractanda esse perdiscerent, & ea, quæ præsertim in tertiâ hujus de Eucharistiâ dissertationis parte ex Scripturis, ex sanctis Patribus, & Conciliis per Salvatoris gratiam hausimus in præfato Altaris ministerio religiosissimè observare & colere conarentur.

Tandem igitur aliquando devenimus ad finem hujus de Eucharistiæ sacrificio & Sacramento dissertationis, quam tripartitam fecimus.

In primâ enim parte realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam adversus Heterodoxos astruere, & eorum technas & artes ad labefactandam hujus mysterii veritatem malignè comparatas retegere & profligare conati sumus: & licet plerique Theologi omni pietatis, eruditionisque laude cumulati id ante nos cum ingenti gloriâ successuque præstiterint, nos tamen ab tali proposito non deterruerunt: quippè qui ad parandam in prælio communi victoriam non solum duces bellicis facinoribus inclytos, sed etiam milites manipulares & gregarios operam & laborem conferre perspectum & cognitum habeamus. Huc accedit quod *ignobilia mundi, & contemptibilia*, sicut olim elegit, sic & nunc sæpenumero *eligit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruat, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* 1. Cor. c. 1. v. 28. & 29.

In secundâ ejusdem dissertationis parte in aperiendas præparationes & dispositiones tam ad ritè celebrandum Missæ sacrificium, quam ad percipiendum dignè Eucharistiæ Sacramentum necessarias incubuimus, ne Christiani Catholici converterent in suam perniciem augustissimum illud Sacramentum, quod est institutum ad omnium salutem.

In tertiâ denique parte incruentum Ecclesiæ Catholicæ sacrificium pro nostratum modulo virium adversus Heterodoxos infensissimos ejus hostes inconcussâ sacræ traditionis authoritate probavimus, vel certè probare conati sumus; & plura addidimus ad Sacerdotes pertinentia, ut quotquot sacro ministerio solemni sunt ordinatione destinati meminerint quantam puritatem & sanctimoniam ad cælestium celebrationem adhibere debeant.

Hæc omnia sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ & Romanæ judicio subjecta esse ex animo volumus & optamus.

Si quis hîc reperiat ad fidelium ædificationem, ut multa (quod arroganter dictum existimari nolumus) repertum esse opitulante Deo credimus, id totum acceptum referat *Patri luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, & nostri suas inter orationes meminerit.

Tripartita de augustissimo Eucharistiæ sacrificio & Sacramento Dissertatio explicit.

DISSERTATIO

DISSERTATIO IV.

DE POENITENTIA,

In qua Sacramenti Pœnitentiæ administratio tam primis, quàm novissimis Ecclesiæ temporibus usurpata, ad SS. Patrum Conciliorumque mentem discutitur & explanatur.

QUÆSTIO I.

Quot modis Pœnitentiæ nomen usurpari soleat.



MISSIS variis pœnitentiæ acceptionibus apud Authores prophanos lectitari solitis, & vel parum vel nihil ad rem nostram facientibus, Respondeo pœnitentiæ nomen bifariàm ab Theologis usurpari.

Primò scilicet pro virtute pœnitentiæ, quâ quisque tenetur ex lege naturali & divinâ, admissa in Deum & proximum crimina agnoscere & confiteri, & debitis expiare pœnis, ut divinæ justitiæ satisfaciat.

Secundò accipitur pro sacramento novæ Legis ab Christo Domino in eum finem instituto, ut Christiani baptismalis innocentiæ naufragium per peccatum lethale passi, per veram pœnitentiam veluti per secundam tabulam, ut loquuntur SS. Patres, ex inferorum gurgite erepti, aspirante divinâ mediatoris gratiâ ad portum æternæ salutis enatarent.

Hanc doctrinam utpotè à Patribus per Traditionis alveum acceptam luculenter explicat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. *Qui verò*, ait, *ab acceptâ justificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncuparunt.*

Et sess. 14. Concilium idipsum explicat can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque adeò pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Est igitur divinæ & catholicæ Fidei articulus, pœnitentiam ad sacramenti dignitatem à Christo Domino evectam esse veluti tabulam è naufragii reliquiis ab peccatore naufrago arreptam, cujus beneficio è peccato emergere, & ad optatum æternæ fœlicitatis portum quodam quasi postliminio pertingere valeat. Ita pœnitentiam vocat Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 4. Item Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist. 1. Item S. Hieronymus Ep. 8. ad Demetriad. Et Epist 9. ad Salvinam. *Multoque melius est*, ait, *stomachum te dolere quàm mentem, imperare corpori quàm servire, gressu vacillare quàm pudicitiâ; nec statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infælicium remedia. Cavendum est vulnus, quod dolore curatur: aliud est integrâ nave & salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi.*

De pœnitentiâ in utroque illo sensu consideratâ, sic agendum nobis est, ut ex variis quæstionibus in Scholâ agitari & enodari solitis, ea dumtaxat seligamus quæ ad quotidianam Confessariorum & Pœnitentium praxim conducibilia videbuntur.

Ergo ut ordiamur ab ipsâ pœnitentiâ quæ virtus est, fecerimus operæpretium, si contraxerimus in pauca omnia vel plura dogmata, quibus ejus naturam & necessitatem eruditi quique Theologi adstruunt. Sit itaque

QUÆSTIO II.

Utrùm rectè definiatur Pœnitentia, virtus, &c.

TAMETSI Theologi communiter doceant pœnitentiam esse virtutem; nonnulli tamen quibusdam rationibus in speciem verosimilibus adducti eam è numero virtutum expungendam esse censuerunt.

Primò enim objecerunt virtutem per se habere delectationem, ut est in 1. Ethicor. atque adeò pœnitentiam non posse inter virtutes annumerari, siquidem non delectationem afferre, sed dolorem excitare debeat.

Verùm non propterea pœnitentia desinit esse virtus. Nam ut præclarè asserit S. Thomas q. 7. de virtutibus, q. unicâ de spe art. 1. in respons. ad 14. Duplex est delectatio, una quidem de objecto actûs, alia verò de ipso actu. Prima autem delectatio non est propria virtuti, quia est aliqua virtus ad quam pertinet dolere de suo objecto, scilicet pœnitentia. Sed secunda delectatio quæ est de actu, est propria virtutis, quia unicuique habenti virtutem est delectabilis operatio, quæ est secundùm proprium habitum, unde etiam pœnitens de dolore gaudet. Hæc sanctus Doctor. Habet igitur vera pœnitentia suam delectationem, & si, ut ait Vates, est quædam flere voluptas, nos cum S. Augustino contendimus dulciores esse lachrymas pœnitentium quàm gaudia theatrorum.

Adde quòd essentialis virtuti delectatio posita est in vegetâ illâ promptitude & alacritate seu ardenti studio, quo voluntas nihil cunctata in virtutis actum prosilit, & hæc voluntatis alacritas in pœnitentiam cadit, nec dolori & tristitiæ, quam necessariò includit pœnitentia ut virtus, opponitur; sed uni dumtaxat repugnantiæ voluntatis in virtutis actum ejus-

modi actum erumpere recusantis adversatur.

Secundò asserunt pœnitentiam non posse meritò virtutem appellari, cùm virtus per se sit appetenda, pœnitentia autem nonnisi posito peccato possit expeti.

Quod argumentum facilè solvitur, si pœnitentiæ præcipuos actus expendere libeat. Hi nimirum actus, ut docet S. Thomas 3. p. q. 85. art. 3. & 4. & ut patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. sunt odium peccati in Deum admissi, pius de illo dolor, firmum emendationis propositum, secundùm quos actus licèt pœnitentia supponat peccatum jam admissum; tamen secundùm habitum non supponit peccatum admissum, sed tantùm illud respicit quatenùs admitti potest. Unde S. Thomas 1. p. q. 94. art. 3. in corp. ait hominem in statu innocentiæ constitutum non habuisse pœnitentiam secundùm actum, sed secundùm habitum. Cùm enim peccare posset, ita affectus erat, ut si prolaberetur in peccatum, eum admissi flagitii pœniteret. E contrà Christus Dominus cùm propter unionem hypostaticam & visionem beatificam quâ fruebatur ab ipso jam tùm suæ conceptionis articulo, & immensam gratiarum plenitudinem, de quâ nos omnes accepimus, divinâ floreret impeccantiâ, pœnitentiam neque quoad habitum, neque quoad actum habere potuit. Pœnitentia ergo secundùm se bona est, & quoad habitum per se expetenda ab omnibus iis qui cùm in peccatum incurrere valeant, ab eodem & resurgere possint. Secondùm actum verò per se est etiam expetenda ab omnibus iis, qui cùm lethalibus se flagitiis constrinxerint, nisi per veros actus egerint pœnitentiam, è peccato emergere, atque adeò ad æternam salutem pervenire nequeunt. Et hæc ad constituendam veri nominis virtutem sufficiunt. Nam neque justitiæ vindicativæ, neque juramenti actus exerceretur, nisi flagitium vindicatione plectendum, aut jurandi necessitas præcederet; non tamen proptereà vindicatio virtutis nomen amittit: nec juramentum virtutis religionis nimirum actus esse desinit.

Tertiò pœnitentiam multi expungunt è numero virtutum eo nomine, quòd virtus suaptè naturâ laudabilis sui compotes laude dignissimos efficiat: cùm ex adverso pœnitentia viros sua peccata vel coram hominibus vel certè coram Deo confessos pudore & verecundiâ percellat.

Immeritò propter verecundiam & confusionem quam pœnitentia parit, è virtutum albo eraditur. Nam duplex est confusio, quarum prima infamiam ab omni virtute abhorrentem & alienam imprimit, alia verò quæ pœnitentem etsi saluberrimo pudore suffusum ad gloriam provehit. *Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Ecclesiastici cap. 4. v. 25. quem locum præclarè versat & explicat S. Gregor. lib. 1. in Ezechiel. hom. 10. *Sicut verecundia*, ait, *laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono: erubescere enim malum, sapientia est: bonum verò erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est, Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui verò erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit.* Multis sæculis ante S. Gregorium Tertullianus explanaverat quanta utilitas & gloria exomologesin consequeretur: sic enim loquitur in lib. de Pœnit. c. 9. *Cùm igitur exomologesis* (quam prosternendi & humilificandi hominis disciplinam vocat) *provolvit hominem, magis relevat; cùm squallidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit.* Inde patet adeò pœnitentiam virtuti nihil adversari, ut per eam reviviscat & ad gloriam evehatur.

Hinc observandum est cum S. Thom. 3. p. q. 85. art. 1. ad 2. hoc interesse inter verecundiam & pœnitentiam, quòd verecundia respiciat turpe factum ut præsens pro quo timet confundi; pœnitentia verò ut præteritum. Est autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis in præsenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cùm ex vitioso fit aliquis virtuosus. Hæc S. Thomas, qui disertè asserit pœnitentiam esse virtutem, non secundùm quòd est passio quædam appetitus sensitivi, sed secundùm quòd consistit in voluntate, & hoc modo est cum quadam electione, quæ quidem si sit recta, necesse est quòd sit actus virtutis: dicitur enim in 2. Ethicor. quòd virtus est habitus electivus secundùm rectam rationem; pertinet autem ad rectam rationem ut aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo & fine quo dolendum est; quod facit pœnitens qui assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Undè manifestum est, quòd pœnitentia de quâ loquimur, vel est virtus vel actus virtutis. Hæc S. Doctor laudatâ quæst. art. 3. in corp. Hinc colligitur

Primò pœnitentiam esse virtutem & quidem specialem, quia ut ratiocinatur S. Thom. ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Cùm igitur in pœnitentiâ inveniatur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis: ideò pœnitentiam specialem esse virtutem, asserere necesse est. Adde quòd de agendâ pœnitentiâ peculiare præceptum in utroque passim Testamento traditur, & ideò specialem esse virtutem nemo Theologus inficiatur.

Secundò cùm pœnitentia sit virtus, certum est non esse acquisitam, sed infusam. Nam licèt aliqua pœnitentia de peccato possit naturæ viribus elici; est tamen de fide nos non posse veram concipere pœnitentiam in ordine ad salutem æternam, quin illa cordibus nostris divinitùs per Spiritum sanctum infundatur. Unde Jerem. cap. 31. *Converte me, Domine & convertar, quia tu Domine Deus meus: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Et Act. 5. Christus dicitur à Deo exaltatus ad dandam pœnitentiam Israëli. Et cap. 11. Act. legitur, quòd & gentibus dedit Deus pœnitentiam. Sed quid multa? Concilium Tridentinum rem totam explicat sess. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Tertiò pœnitentia est species justitiæ. Nam sortitur rationem virtutis quatenùs homo dolens de admissis flagitiis illatam Deo injuriam sarcire, compensare, & in se vindicare statuit cum vero emendationis proposito. Cùm autem ad justitiam commutativam pertineat facere compensationem inter lædentem & læsum, per commutationem, scilicet unius cum altero, & aliundè pœnitentia necessariò importet punitionem & vindictam admissi sceleris; hinc fit ut ad justitiam commutativam pertineat: ita tamen ut non includat perfectam æqualitatem, sed tantùm imperfectam, qualis videlicet intercedit inter eos, quorum unus est sub potestate alterius, ut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et hoc contingit in pœnitentiâ. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundùm illud Psalm. 122. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et sicut filius ad patrem, secundùm illud Lucæ cap. 15. *Pater, peccavi in cælum.* Et sicut uxor ad virum, secundùm illud Jerem. cap. 3. *Fornicata es*

cum amatoribus multis; tamen revertere ad me. dicit Dominus.

His de virtute pœnitentiæ cui sacramentum superstruitur, ita prælibatis, ad utriusque definitionem & distinctionem properandum est. Sit itaque

---

Quæstio III.

Quomodo definiatur Pœnitentia ut virtus & ut Sacramentum, & quomodo ab invicem differant.

RESPONDEO multifariàm definiri pœnitentiæ virtutem.

1°. Dicitur virtus vel actus ejus: & tunc nihil est aliud quàm studium placandi Deum super peccato commisso ortum ex amore Dei & odio peccati. Nam ex S. Aug. Serm. 7. de Temp. *certam pœnitentiam non facit nisi odium peccati & amor Dei.*

2°. Definitur vel describitur à Magistro Sentent. lib. 4. dist. 14. Pœnitentia est virtus quâ commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda ulteriùs committere nolumus.

3°. Describitur ab sanctis Ambrosio & Gregorio. Pœnitentia est anteacta peccata deflere, & flenda non committere.

4°. Definitur à Concilio Tridentino sess. 14. capite 4. *Contritio* seu pœnitentia (est enim contritio proprius pœnitentiæ actus) *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

5°. Cùm pœnitentia relapsorum plus aliquid includat quàm cæterorum, poterit commodè definiri. Pœnitentia est tristitia de peccato concepta, ex Dei amore profecta, cum studio placandi Deum ipsum per media eum in finem divinitùs instituta, nempè per confessionem & satisfactionem.

6°. Pœnitentia ut sacramentum rectè definiri potest, Sacramentum in quo relapsis post baptismum verè pœnitentibus & contritis & confessis, saltem cum vero satisfaciendi proposito, sacerdotalis absolutio à peccatis impenditur.

Ex his patet pœnitentiam in genere distingui ab relapsorum pœnitentiâ, sicut genus à specie distinguitur; & pœnitentiæ sacramentum ab utraque distingui velut signum sensibile à Christo Domino institutum ad reconciliationem eorum, qui è baptismi gratiâ & innocentiâ exciderunt: ac proinde relapsorum pœnitentiam veluti necessariam dispositionem exigit.

In hoc etiam pœnitentiæ virtus & sacramentum differunt, quòd pœnitentiæ virtus disponat ad justificationem: sacramentum autem illam ipsam justificationem ceu cætera sacramenta ex opere operato verè pœnitentibus conferat.

Sed quia pœnitentia ut virtus & ut sacramentum includit tria in verè pœnitentibus reperiri solita, ut affirmat S. Greg. in cap. 15. libri 1. Reg. nempè conversionem mentis, confessionem oris, (vel Deo vel sacerdoti factam vel faciendam) & vindictam peccati: operæpretium est ista tria discutere, veluti materiam sacramenti pœnitentiæ, de quo potissimùm hoc loco agere statuimus. Sit itaque

---

Quæstio IV.

A quo timore conversio cordis incipiat.

SICUT certum est pœnitentiam pro habitu intellectam à solo Deo infundi, nobis eum habitum nihil efficientibus, sed solùm dispositivè cooperantibus; pro actu verò usurpatam oriri ex timore: ita indubitatum est conversionem cordis potissimum pœnitentiæ actum ferè semper ex salutari timore proficisci; ita ut quisquis eo timore caruerit, secundùm Scripturas non justificetur.

Ut autem liquidiùs proposita quæstio resolvatur, observandum est timorem varias in species ab Theologis dividi.

1°. enim est timor naturalis, quo quilibet ingenito salutis tuendæ studio præditus mortem, carcerem, supplicia & cætera ad sui corruptelam & destructionem comparata metuit & aversatur.

2°. Est timor humanus, quo quis corporis pœnam & mortem plus æquo pertimescit, & ne vel utramque vel alterutram subeat, prævaricatur, & sese lethali flagitio constringit, putà Christianam religionem ejurat, aut aliquid id genus perpetrat. Hunc timorem damnat & prohibet Christus Dominus Matth. cap. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, &c.

3°. Est timor mundanus, quo quis bonorum temporalium præpostero amore captus eorum jacturam & dispendium ita reformidat, ut ad ea retinenda in Deum peccare, atque adeò animæ suæ detrimentum pati nihil omninò dubitet aut vereatur. Hic timor semper est malus, & cadit dumtaxat in homines suâ cupiditate excæcatos, perinde ac si nulla suæ salutis cura eos attingeret. Eo timore perperam afflati Judæi Christum, ne ad internecionem delerentur à Romanis, è medio tollendum esse censuerunt: & ille timor, ut dicere cœpimus, semper est malus, tum quia ex amore mundi velut ex nefariâ radice proficiscitur, tum quia mundo tanquam fini innititur.

4°. Dividitur timor in servilem, quo quis adactus vel bona opera exercet, vel à peccato abstinet, uno dumtaxat timore pœnæ, non amore justitiæ, ad instar servorum herorum mandata capessentium, non quòd heros diligant, sed ne imminentia sibi ab illis flagella verberaque patiantur: qui timor & bonus & malus esse potest. Cùm enim, ut ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. in corp. species moralis habitus vel actus ex objecto accipiatur, objectum autem timoris servilis sit pœna; cui accidit, quòd bonum cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus; & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum quod contingit in non habente charitatem: tunc timor servilis, utpotè cum servilitate conjunctus, nefarius & damnandus est. Si autem, ut ibidem pergit sanctus Doctor, timor servilis ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum quod contingit in habente charitatem; tunc timor servilis secundùm suam substantiam bonus est, licèt servilitas ejus sit mala.

Quæ servilitas nihil est aliud quàm perversa voluntatis affectio & habitudo, cujus impulsu peccator jam ad omnem projectus audaciam nullum non crimen admitteret, nisi saltem externos criminum actus pœnarum metus inhiberet.

Quod quidem servilitatis malum latiùs manat quàm existimemus: multi enim si non verbis, at certè factis asserunt se sibi ab nullo peccato, ab nullâ libidine temperaturos esse, nisi terrefierent æternis inferorum suppliciis, quibus tamen seriùs ocyùs afficiendi sunt: cùm in iis vivat & vigeat peccandi voluntas, quæ rueret in omne facinus, si sequeretur impunitas. Hujusmodi homines nisi divinâ mediatoris gratiâ adjuti resipiscant, jam in antecessum, ineluctabilem & irretractabilem referunt nequitiam Dæmonum, qui, ut loquitur S. Jacobus in suâ Canonicâ, credunt & contremiscunt.

5°. Timor servilis potest dividi in timorem qui servilitatem excludit, & in eum qui illam ipsam servilitatem includit.

Timor servilis qui excludit servilitatem, ille est per quem voluntas peccatum refugit & aversatur, eo nomine quòd peccantem reddat obnoxium pœnis

peccato debitis, quod tamen peccatum psopositâ etiam impunitate admittere recusaret.

Timor servilis qui servilitatem includit, ille est, per quem voluntas refugit peccatum eo nomine quòd peccatorem injiciat in æternæ reatum pœnæ, quæ nisi reprobis intentaretur, sese in omne flagitiorum genus immergerent. Timor igitur servilis ab servilitate sejunctus revocat quidem à peccato timore pœnæ, sed peccandi voluntatem & affectum adimit: alter verò cum servilitate conjunctus revocat etiam à peccato timore pœnæ, ita tamen ut peccandi voluntatem in intimo cordis secessu viventem latitantemque retineat & alat.

» Sextò, est timor initialis qui competit statui incipientium, in quibus inchoatur timor quidam filialis per inchoationem charitatis, non tamen inest eis timor filialis perfectè, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis, & ideò timor initialis hoc modò se habet ad filialem sicut charitas imperfecta ad perfectam. Charitas autem perfecta & imperfecta non differunt secundùm essentiam, sed solùm secundùm statum: & ideò dicendum est quòd etiam timor initialis prout hìc sumitur, non differt secundùm essentiam à timore filiali. Hactenus sanctus Thomas laudatâ quæst. art. 8. in corp.

Ex solidâ hac Doctoris Angelici doctrinâ potest hæc confici timoris initialis definitio. Timor initialis est ille quo quis afficitur timore quidem pœnæ, sed pariter amore justitiæ, id est, Dei quem velut omnis justitiæ fontem diligere incipit, abstinet à » peccato, & in opera pietatis incumbit. Nam timor initialis non timet pœnam sicut proprium objectum, sed in quantum habet aliquid de timore servili adjunctum, qui secundùm substantiam manet cum charitate servilitate remotâ, sed actus ejus manet quidem cum charitate imperfectâ, in eo qui non solùm movetur ad benè agendum ex amore justitiæ, sed etiam ex timore pœnæ: sed iste actus cessat in eo qui habet charitatem perfectam quæ foras mittit timorem habentem pœnam, ut dicitur 1. Joan. c. 4. Hæc S. Thomas loco laudato art. 8. ad 2. Initialis igitur timor est interjectus inter servilem & inter filialem: nam remotâ servilitate metuit pœnam, & inchoatâ charitate diligit justitiam. Et ideò dicitur initialis, quia timore pœnæ & inchoatâ charitate ad perfectam charitatem verè & legitimè disponit.

Inde colligitur timorem servilem quatenus servilis est, adveniente charitate penitùs interire; quatenus autem est timor, manere quidem, sed ita ut quantum charitas crescit, tantum ipse minuatur.

Septimò & postremò est timor filialis & castus permanens in sæculum sæculi, per quem qui acceperunt spiritum adoptionis filiorum, clamant, Abba, Pater, ab tanto patre, Deo nimirum suo, separari, & in ejus offensam incurrere præter cætera metuunt, & ut loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus, id timent unum, ne quid supra Deum timeant, illi ex amore & reverentiâ medullitùs adhærescunt, illo ipso frui toto dilectionis impetu concupiscunt.

Hic timor donum est Spiritus sancti, gratia est novi Testamenti, & tantus tamque pretiosus est, ut cum charitate, quæ nunquam excidit, permaneat in patriâ, non quidem quoad separationis metum, cùm sanctis revelata sit inconcussa fœlicitatis æternæ securitas, sed quoad reverentiam & tremorem amoris, ut loquitur S. Augustinus, quo sancti divinam misericordiam in se & in omnes beatos, & justitiam in seprobos admirati veneratique coronantem se in misericordiâ & miserationibus, & in bonis replentem desiderium suum, quaquà patet æternitas nullis circumscripta terminis, adorabunt.

Hoc est quod toties docet S. Augustinus in Enarrat. Psalm. 18. in Ep. 120. ad Honoratum de gratiâ novi Testamenti, & Serm. 214. de Temp. Et S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 17. Unde Innocentius secundus apud Bernard. Ep. 194. damnavit omnia perversa Petri Abailardi dogmata, quæ ipse Bernardus Ep. 190. recensuerat, inter quæ quintum erat illud, quòd videlicet timor castus, id est filialis, non erat permansurus in sæculum sæculi, atque adeò ab sanctorum animis abfuturus.

His ita explanatis,

Respondeo propositæ quæstioni cum S. Thomâ 2. 2. q. 19. art. 7. in corp. sapientiæ initium quantùm ad ejus essentiam, esse articulos fidei; quantùm verò ad ejus effectum timorem tam servilem quàm filialem, esse ejusdem sapientiæ initium, diversâ tamen ratione consideratum. Initium sapientiæ secundùm ejus essentiam, ait Angelicus Doctor, sunt prima principia sapientiæ quæ sunt articuli fidei: & secundùm hoc fides dicitur sapientiæ initium; sed quantùm ad effectum, initium sapientiæ est, unde sapientia incipit operari: & hoc modo timor est initium sapientiæ. Aliter tamen timor servilis, & aliter timor filialis. Timor enim servilis est sicut principium externum, disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Timor autem castus vel filialis est initium sapientiæ sicut primus sapientiæ effectus. Cùm enim ad sapientiam pertineat, quòd humana vita reguletur secundùm rationes divinas, hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur & se ei subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundùm Deum regulabitur.

Ex his Doctoris Angelici verbis patet, timorem servilem esse extrinsecum sapientiæ initium, quatenus homo pœnæ salubertimo terrore percussus redit in sese, & divinâ mediatoris adjutus gratiâ pervenit ad sapientiam, quæ non est alia præter charitatem Dei, cujus initium pœnæ timor extitit. Nam, ut ait S. Augustinus in Psalm. 149. *nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem, Initium sapientiæ timor Domini: incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream.*

Incipit videlicet à timore pœnæ, qui cùm sit externum sapientiæ principium, non autem interna sapientiæ pars, viam sternit ad sapientiam, id est ad charitatem, ut cùm ipsa cor hominis penitùs insederit, recedat ex illo ipso loco in quem intraverat, ut eum dumtaxat divinæ charitatis sapientiæ præpararet. Nam, ut ait S. Augustinus tract. 9. in 1. Epist. Joann. *si nullus timor, non est quà intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta priùs intrat; sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem.*

Quæstio V.

Utrùm timor servilis sit bonus & utilis, & quinam fructus ex eo percipi possint.

Respondeo primò timorem servilem, si servilitatem sustuleris, esse bonum & utilem, ut ab Concilio Tridentino cum anathematis interminatione definitum est, & meritò. Cùm enim Christus non homines qui corpus equidem enecare possunt, animam autem occidere nequeunt, timere, sed eum, qui postquam corpus occiderit, potest & corpus & animam perdere in gehennam, semel & iterum timere jusserit: nemo citra blasphemiam timorem gehennæ salutarem, bonum, legitimum & utilem esse negaverit. Unde S. Augustinus Serm. 18. de Verb.

Apost. cap. 8. *Modò cùm dicis mihi*, ait, *Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? malè times? vanè times? non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem: & ait, ubi dixit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, posteà non habent quid faciant: sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, malè times? Ista non dicam: planè time; nihil meliùs times; nihil est quod magis timere debeas.*

Et in Psalm. 127. *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit, quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam.* Bonus est iste timor, utilis est: quia ut citato Serm. 18. ait idem S. Augustinus, ita timendum est, ut ista formido custodiat nos, & perducat ad dilectionem. Ae reipsâ quidem, modò qui pœnam vel temporalem vel æternam timet, hoc ipso non excludat à suâ voluntate vel actione debitum finem ultimum, ad quem omnis amor ac desiderium & gaudium & fuga & tristitia humanæ voluntatis retorqueri debet, uberrimos & saluberrimos ex timore pœnæ fructus capere poterit. Quòd si aliter eveniat, & quispiam in pœnâ fugiendâ hæreat velut in termino, per quem veluti per viam ad majora invitantem transire debuerat, non illa timoris, sed timentis culpa est: qui quidem mali fugam quam ad Deum relatam oportuerat, ad se velut ad finem ultimum retorsit.

Ut autem appareat qui qualésve fructus ex eo timore pœnæ percipi possint,

Respondeo secundò multos ejusmodi fructus recenseri ab SS. Patribus, & præsertim ab S. Augustino, quorum

Primus est, quòd timor pœnæ si non animum peccato mancipatum, at certè manum contineat, prohibeatque ne mala voluntas erumpat in actum externum qui peccatum jam nefario ipsius assensu admissum evidenti apertoque scelere cumularet. Ea est S. Augustini doctrina lib. 2. cont. litt. Petiliani Donatistæ cap. 83. *Benè facere*, ait, *nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate: timor autem pœnarum, etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem.* Et cap. 8. Serm. 15. de Verb. Apostoli. *Timor iste quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te: & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat te tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniat charitas, intret in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat ne faceres, charitas id agit ne velis facere, etiamsi impunè possis admittere.* Cùm autem mitiùs & tolerabiliùs peccet qui tantùm mente & voluntate peccat, quàm ille qui peccatum jam intus admissum opere externo consummat, non pœnitendus profectò ex timore pœnæ carpitur fructus, quem etiam divinæ gratiæ ascribi oporteat. Et in hunc sensum vertendus est Canon 4. Concilii Neocæsariens. *Si quis concupitâ muliere, etiamsi concubitus ejus desiderium habeat, non autem subsequatur effectus, manifestum est, hunc fuisse per divinam gratiam liberatum.* Qui Canon ne cui scrupulum faciat, non sic est accipiendus, quasi ille taliter concupiscendo non incurrerit peccatum mortale: (ut doctè observavit Estius in 1. cap. Epistolæ S. Jacobi) sed sensus Canonis est, gratiæ Dei deputandum esse, quòd non fuerit permissus malum malo cumulare, id est peccato cordis superaddere peccatum operis, maximè quod perpetrari non posset sine alterius peccato vel injuriâ.

Cùm eam gratiam expertus esset David, & occurrente sibi Abigaïl uxore Nabal, cujus totam familiam labefactare & ad internecionem delere statuerat, eo scelere prohibitus esset, gratias egit Deo, & dixit ad Abigaïl: *Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu meâ. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens usque ad parietem.* lib. 1. Reg. cap. 25. v. 32. 33. & 34.

Secundus fructus, qui ex timore pœnæ percipitur, est in eo, quòd prohibeat ne peccator ipsâ peccandi consuetudine, quæ dubio procul ejus animo pervicaciter inolesceret, inextricabili sese catenâ non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate procosâ devinciat. Quam miseriam in semetipso deprehensam graphicè depinxit S. Aug. lib. Confession. cap. 5. *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi ansulis sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.*

Ita peccator, nisi cohiberetur timore pœnæ, devolveretur in teterrimam peccandi consuetudinem, quâ constrictus sibi faceret peccandi necessitatem. Nam, ut ait S. Bernardus Serm. 81. in Cant. cap. 7. *nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria.* Et paulò pòst. *Inde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus: Vim patior, responde pro me. Sed rursus sciens quòd non justè causaretur adversus Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causâ foret; attende quid secutus intulerit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim? premebatur jugo, non alio tamen quàm voluntaria cujusdam servitutis, & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est quæ se, cùm esset libera, servam fecit peccati peccato assentiendo: voluntas nihilominùs est, quæ se sub peccato tenet voluntariè serviendo.*

Hic fructus profectò magni faciendus est: siquidem per eum timor pœnæ facit ne peccator tradatur à Deo in desideria cordis sui, atque ita consuetudine perversâ captivus arctissimè sub Diaboli potestate vinciatur: atque adeò ille timor prohibet ne peccator deveniat in miserrimam illam servitutem, quâ nihil aut atrocius aut calamitosius excogitari potest.

Tertius fructus est, quòd timor pœnæ necessitatem ad bonum adigentem afferat, atque ita, ut vulgari celebratur adagio, necessitatem vertat in virtutem. Si usquam appellari potest felix necessitas quæ ad meliora compellit, in hoc sanè rerum articulo ut cùm maximè appellari debet. Quid enim felicius eâ necessitate, quæ nos ab teterrimâ Dæmonum servitute vindicatos asserit in libertatem, quâ libertate Christus nos liberavit.

Tertium hunc fructum ex timore pœnæ oriri solitum luculenter Julianus Pomerius è Mauritaniâ quidem in Africâ oriundus, sed in Galliâ Presbyter ordinatus, genuinus author librorum de Vitâ contemplativâ: (ut affirmant Gennadius & Isidorus Hispalensis) Is, inquam, Author, qui floruit exeunte

ſæculo quinto præclarè explicat quo pacto ea quæ primò neceſſitate fiunt, ad virtutem perveniant, & ſic loquitur lib. 3. de Vitâ contempl. vel de virtut. & vitiis cap. 7. *Tales pudicos aut temperatio corporum facit, aut timor ſupplicii temporalis ab impudicitia actione ſuſpendit, aut occaſio denegata, deſtituit; ſed licèt voluntate ſit impudicus, qui neceſſitate pudicus eſt, tamen ſi & ille temperanti corpore de beneficio naturæ ſuæ, Deo authori omnium naturarum gratias agat; & ille quem timor in bono pudicitia tenet, atque is, cui facultatem mœchandi negat occaſio, vivere pudicè conſueſcant, in virtutem plerumque de neceſſitate proficiunt: & paulatim ipſius pudicitiæ delectatione creſcente, pudici veraciter fiunt, & ita proficiunt ut jam non ſermone, ſed virtute ſordes impudicitiæ deteſtantes, non timore pœnæ carnalibus incentivis obſiſtant, quod eſt incipientium proprium, ſed execratione peccati refrænent inquietos carnis affectus, quod eſt caſtitatis conſummatæ faſtigium.*

Quod & inſigniter declarat S. Auguſtinus lib. 2. de adulterin. conjug. ad Pollentium cap. 19. *Iſtis*, ait, *deſperanda gloria non eſt, ſi in eo quod neceſſitas intulit, perſiſtere deligant: fieri enim poteſt ut Deo terrente & hortante, convertente & implente, humanus in melius mutetur affectus*, atque ita, ut ait paulò pòſt, *quod erat neceſſitate cœptum, fiat charitate perfectum.* Ergo timor pœnæ peccare volentes deterret à malo, & invitos tenet in bono, ut ait eleganter Julianus Pomerius lib. 3. de Vitâ contemplat. cap. 31.

Quartus fructus ex pœnæ timore percipiendus in eo conſiſtit, quòd ab externis ſaltem peccatorum operibus deterreat, atque ita malorum operum conſuetudinem tollendo, quandam inducat virtutis exercendæ facilitatem, & ipſam tandem charitatem removendo prohibens in animam hominis quodammodo introducat.

Quemadmodum S. Thomas 2. 2. q. 161. art. 5. ad 2. aſſerit humilitatem primum inter virtutes tenere locum per modum removentis prohibens: ita nos affirmare poſſumus inter diſpoſitiones quæ juſtificationem ſeu charitatis infuſionem antecedere ſolent, timorem pœnæ per modum removentis prohibens primum locum obtinere: quippè peccandi conſuetudinem (quâ nullum majus impedimentum infundendæ charitati opponitur) vel jam inolitam comprimat, vel animum occupaturam removeat, atque itâ inductâ quapiam benè faciendi facilitate dulce reddat quod acerbiſſimum anteà videbatur. Et per ejuſmodi veluti gradus præparet locum charitati.

Hanc doctrinam variis locis tradit S. Auguſtinus, putà Serm. 28. de Verb. Apoſtoli cap. 9. *Dico charitati veſtræ, ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit, in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus, frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & mala conſuetudini bona ſuccedit.* Reverà ibidem idem S. Auguſt. aſſerit malam conſuetudinem timore pœnæ ſuperari. *Domabis*, inquit, *eam* (conſuetudinem) *ſi vigilabis: vigilabis ſi timebis: timebis ſi Chriſtianum te eſſe cogitaveris.*

Hoc ipſum docet idem S. Auguſt. Epiſt. 120. c. 18. proinde præmiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum, quâ tanquam dominâ veniente, ut illa inſideat, abſcedit.

Ex ipſo timore pœnæ naſcitur quædam benè faciendi facilitas & conſuetudo juſtitiæ, ut mirabiliter explicat idem S. Auguſtinus in Pſalm. 127. Alius, ait, non in hac terrâ pati timet, ſed gehennam timet, unde terruit & Dominus. Audiſtis cùm Evangelium legeretur: Ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Audiunt hæc homines; & quia verè futura ſunt impiis, timent, & continent ſe à peccato (quoad actum exteriorem.) Timent quidem: ſed non amant juſtitiam: cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus, & jam incipit homo juſtè vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem, id eſt Deum quem charam veritatem & æternam charitatem alibi idem Auguſtinus appellat.

Quod ipſum legere eſt in lib. 83. qq. q. 36. Eſt autem, ait, cupiditas amor adipiſcendi aut obtinendi temporalia. Hujus minuendæ initium eſt Deum timere qui ſolus timeri ſine amore non poteſt. Ad ſapientiam enim tenditur, & nihil verius eo quod dictum eſt, initium ſapientiæ timor Domini. Et infrà ibidem. Ut autem timeatur Deus, divinâ providentiâ regi univerſa perſuadendum eſt, &c. Et paulò pòſt. Simul autem agendum & de pœnis peccatorum & de præmiis rectè factorum. Jam verò cùm aliqua non peccandi conſuetudo quod oneroſum putabatur, facile eſſe perſuaſerit: incipiat guſtari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ ſervitute timoris emineat.

Quanta ſit hujus quarti fructus magnitudo & utilitas, clariùs & illuſtriùs apparet ex allatis S. Auguſtini locis, quàm ut uberiori probatione indigeat.

Quintus fructus quem ex timore pœnæ capere poſſunt peccatores, eſt in eo ſitus, quòd ſaluberrimo illo pœnæ timore utiliter concuſſi non ſolùm à peccatis abſtineant, atque adeò immedicabilem propemodum peccandi conſuetudinem impediant: verùm etiam agnitâ ſuâ miſeriâ & infirmitate confugiant ad divinam miſericordiam, & implorent ardentiùs medicinalem ſalvatoris gratiam, & accipiant ſpiritum vivificantem, ne ſi ſolo timore pœnæ moveantur, pereant per litteram occidentem. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. Oper. imperfecti, lex iram operatur, ut ad iram evadendam Dei gratia ſequatur. Quæ divina S. Auguſtini doctrina toties in ejus libris repetitur & elucet, ut omnia ejus hanc in rem teſtimonia proferre & congerere volentem dies deficeret.

Totus liber de ſpiritu & litterâ ad Marcellinum nihil aliud inculcat, quàm Deum in veteri Teſtamento eo conſilio dediſſe litteram minantem, ut unuſquiſque ad effugienda, quæ alioquin imminerent, ſupplicia ad ſpiritum vivificantem confugerent. Sic enim loquitur cap. ejus libri 6. *Demonſtranda fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem ſuam nec præceptum ſanctum & bonum profuit, quo magis aucta eſt iniquitas quàm minuta, quandoquidem lex ſubintravit ut abundaret delictum, ut eo modo convictus atque confuſus videret non tantùm doctorem ſibi eſſe neceſſarium, verùm etiam adjutorem Deum, à quo ejus itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ miſericordiæ ſanetur; atque ita ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia, non peccantis meritis, ſed ſubvenientis auxilio.*

Ita loquitur cap. 10. Ita loquitur ejuſdem libri cap. 29. *Ex lege timemus Deum; ex fide ſperamus in Deum: ſed timentibus pœnam abſconditur gratia. Sub quo timore anima laborans quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpiratâ gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum faciat plus delectare quod præcepit, quàm delectat quod impedit. Ita multitudo dulcedinis ejus, hoc eſt lex fidei, charitas ejus conſcripta in cordibus atque diffuſa perficitur ſperantibus in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ operetur bonum.*

Ita S. Auguſtinus toto eo libro, & alibi ſæpiùs

affirmat homines timore pœnæ ideò percelli, ut confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum spiritûs suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.

Hi sanè sunt fructus multò maximi quos ex timore pœnæ unicuique peccatori omnem peccandi voluntatem sinceriter abdicanti percipere licet. Ob ejusmodi fructus dubio procul sanctus Augustinus in Psalm. 5. affirmat timorem pœnæ magnum esse præsidium procedentibus ad salutem. Ergo de ipsâ etiam severitate Dei quâ corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, tametsi impunè posset, tamen displicere vereatur, ait S. Augustinus lib. de Catechizan. rud. cap. 5.

Ut igitur Augustini Tractat. 41. in Joann. ita loquentis exhortatione claudatur hæc quæstio, sic compellandus est quilibet Christianus : *Noli timere pœnam, sed ama justitiam : nondum potes amare justitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam.*

QUÆSTIO VI.

Unde fit ut cùm timor servilis tot utilitates secum afferat, ad justificationem tamen, quam incipit, sufficere nequeat.

RESPONDEO varias hujus rei rationes ab eruditissimis Theologis afferri, quarum præcipua ducitur ex suodatissimâ S. August. doctrinâ, qui passim docet eum qui timet gehennam, & eo timore aliquid facit, etsi bonum sit, quod facit, non tamen benè facere. Nam in lib. de spiritu & litt. cap. 14. sic loquitur : *Mandatum, si fit timore pœna, non amore justitia, serviliter fit, non liberaliter ; & ideò nec fit : non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Idipsum tradit in Enchiridio ad Laurent. cap. 121. *Omnis præcepti finis*, ait, *est charitas, id est ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit timore pœna, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.* Et paulò pòst affirmat quæcumque mandat Deus, & quæcumque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, tunc rectè fieri, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum & in hoc sæculo & in futuro : cum eo tamen discrimine, quòd nunc Deum & proximum imperfectè diligamus propter obscuritatem nostræ fidei offusam ; tunc autem & utrumque perfecto amore simus prosecuturi ; quippe qui Deum, quem nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem videbimus.

Hac in doctrinâ quâ tradit, eum qui legem implet timore pœnæ, eam perfectè non implere, sibi ubique constat S. August. ut lib. 3. ad Bonifacium Romanæ Urbis Episcopum cap. 4. docet, Judæos non implevisse legem, eo dumtaxat nomine quòd omnia vel temporalia adipiscendi cupiditate vel amittendi timore facerent. *Illi etiam quicumque ibi erant, sola, quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ipsa significarent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant, imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim in eis fides per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio invitus facit ; ac per hoc in animo non facit : mavult enim omninò non facere, si secundùm ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsâ voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* Illud ipsum repetit paulò pòst, ubi ait, *sub lege positos, quos littera occidit, ideò non verè fecisse mandata, quoniam carnalis cupiditas, quâ peccatum augetur, cupiditate aliâ non sanatur.*

Hactenus Augustinus, ex cujus oraculis ediscere est, quicquid fit timore pœnæ vel temporalis vel æternæ, non fieri sicut oportet, etiamsi fieri videatur ; atque adeò certissimum esse, timorem pœnæ (si absit amor justitiæ) nusquam hominem ad justificationem posse perducere. Quæ veritas ita humanæ rationi consonat, ut vel in idololatriâ velut in sublustri noctis umbra ipsis ethnicis affulserit. Illi siquidem prodidere litteris nusquam eum virum frugi & bonum haberi oportere, qui non virtutis amore, sed pœnæ formidine flagitia declinaret.

Quid quod Horatius Flaccus Epistol. lib. 1. Epist. 16. inducit servum gloriantem quòd nihil surripuerit hero, neque se penetraverit in fugam ; & respondet, eum propterea hac mercede donatum iri, quòd verberibus & flagellis non sit concidendus. Pergit servus se neminem occidisse : respondet Vates, eum non actum iri in crucem, in quâ corvos & turtures pensili cadavere saginaret. Inde colligit servus se esse virum bonum & frugi, quod pernegat & abnuit Horatius allato exemplo rapacissimorum animalium, lupi nimirum, accipitris, & milvi, qui licèt insidiarum metu arceantur à prædâ, non tamen ingenitam rapacitatem & voracitatem exuunt. His exemplis indicans improbos ita se gerere, ut quamvis timore pœnæ sese ab perpetrandis facinoribus abstineant, non tamen pravam voluntatem & ad omnia scelera projectam abjiciant. Et tandem concludit id interesse inter virum bonum & improbum, quòd ille virtutis amore à peccato abstineat, hic verò pœnæ formidine peccatum fugiat.

Oderunt peccare boni virtutis amore ;
Tu (improbe) *nihil admittes in te formidine pœna.*

Tanta vis est veritatis ut non minùs apud advenas & hostes, quàm apud indigenas & amicos eluceat.

Solvitur objectio adversus superiorem doctrinam proposita.

MIRABILE est, dixerit aliquis, quòd S. Augustinus hac in parte pugnantia loqui, atque adeò à semetipso dissidere videatur. Nam passim hortatur peccatorem ut faciat bonum timore pœnæ, si nondum potest amore justitiæ ; & tamen aliis in locis docet, id quod fit timore pœnæ, non rectè fieri : ergo hortatur hominem ut bonum male faciat, si non benè fit, quicquid ex amore justitiæ non fit.

Hanc objectionem eruditè solvit Estius ad distinct. 34. lib. 4. Sentent. §. 6. ubi ait : *Neque aliud sibi vult Augustini exhortatio ad eos qui nondum eò profecerunt ut ament justitiam ; quàm ut timentes gehennam, & eo timore quæ legis sunt facientes, saltem minùs sint mali, atque hoc pacto paulatim ad justitiam propinquent : quos quidem verè Christianos esse, licèt nondum Deum & regnum ejus ut oportet diligentes, omninò cum Augustino fatendum est.*

Hactenus Estius cujus responsio, docta pariter & solida ex antè dictis facilè colligitur. Cùm enim timor gehennæ animum peccare volentem ab exteriori flagitio deterreat, atque ita ab imminente peccandi consuetudine abstrahat ; cùm ex fide oriatur, & demum locum præparet charitati, dubio procul minùs mali sunt qui timore gehennæ operantur bonum, & fugiunt peccatum, quàm qui neutrum faciunt, nec ad opera pia, vel peccati fugam neque timore pœnæ, nec amore justitiæ incitantur, aut incitari possunt. Hujusmodi nimirum homines utiliter gehennæ timore concussi veræ conversionis impedimenta removendo sese extrinsecè ad justificationem præparant. Quod fit eo quòd timor servilis non importat ne-

cessariò servilitatem, & ideò hominem ad justitiam præparare dicitur, non in quantum servilis est, id est ab amore justitiæ sejunctus & cum peccandi voluntate conjunctus, sed in quantum est timore pœnæ, cujus consideratione si nondum in totum, saltem ex parte qui serviliter timet, à peccato revocatur, cùm minus sit malum solâ voluntate peccare, quàm effractis timoris pœnæ repagulis in apertam legis prævaricationem erumpere.

Eodem nempe modo philosophandum est de timore servili, quo de fide informi loquitur S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 4. in c. ubi ait timorem servilem ex parte servilitatis habere quòd sit malus, & prædictam servilitatem non pertinere ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis pertinet.

Quemadmodum igitur qui incitatur ad credendum & ad fidem adhuc informem charitate posteà formandam, & animandam, non ad malè agendum, sed ad minùs malè agendum impellitur, ut hoc pacto sese ad justificationem consequendam, id est ad fidem charitate formatam remotè præparet: ita qui timore gehennæ concutitur, & ad agendum ex illo ipso timore pœnæ compellitur, etsi nondum justitiam diligat sicut oportet, non ad malè agendum, sed ad minùs malè agendum incitatur; ut minùs malè agendo sibi viam sternat ad veram justitiam extrinsecè, removendo nimirum impedimenta quæ sibi ad illud usque tempus omnem salutis aditum intercluserant.

Ut ergo fides bona est & utilis, informitas autem fidei mala est & noxia; sic timor servilis bonus est & utilis, servilitas autem mala est & perniciosa: informitas habet se ad fidem per accidens, servilitas etiam se habet ad timorem per accidens. Dum ergo præcipitur homini nondum fidem formatam habenti credere, præcipitur quod bonum est: & dum imperatur homini nondum justitiam diligenti timere gehennam, quod bonum est, imperatur; alioqnin Christus non diceret: *Timete eum qui postquam occiderit corpus, potest & corpus & animam perdere in gehennam.* Ergo Augustinus nec impugnantia loquitur, nec sibi repugnat, cùm hortatur homines ad timorem pœnæ, ut tandem perveniant ad amorem justitiæ: quippè futuri sunt minùs mali per timorem pœnæ, & omninò boni per amorem justitiæ.

Secunda ratio cur timor pœnæ ad justificationem sufficere nequeat, petitur ex eo capite, quòd qui mero timore pœnæ peccatum fugit, & pœnitentiam agit, id coactus & animo repugnanti facit, atque adeò non peccatum, sed aliud quippiam fugit.

Ita sese quondam habuere Judæi, qui quidem patebant divinæ legi, sed invitâ & aversâ voluntate, & ideò *non erat cor eorum rectum cum Deo, nec fideles habiti sunt in Testamento ejus.* Unde Psaltes regius eos *in lege Domini ambulare noluisse* asserit, *& in lege ejus noluerunt ambulare.* Quem locum sic explicat S. Augustinus. Nonnihil mihi videtur hoc verbo nos quærere voluisse quod maluit dicere, Noluerunt ambulare, quia non ambulaverunt. Poterat enim putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cùm ea quæ præcipiuntur, forinsecùs fiunt ab iis hominibus, qui mallent non præcipi quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare: non enim ex corde faciunt; ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecùs aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur, & ideò pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate.

Psal. 77.

Et infrà versans hæc sancti Petri verba, *Cor tuum non est rectum cum Deo*, Act. 8. ibi ostendit, quia non potest esse cor rectum sine Deo, ut incipiant homines non tanquam servi sub lege ambulare metuentes, sed in lege tanquam filii volentes, in quâ illi ambulare noluerunt, & sub illâ rei remanserunt: hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet, quæ diffunditur in cordibus credentium per Spiritum sanctum.

Hisce locis S. Augustinus perspicuè declarat, eos qui timore pœnæ peccatum fugiunt, pœnitentiam agunt, id facere coactos adactosque ejusmodi timore, quo sublato sese immergerent in peccata; nec simile quicquam molirentur & agerent; atque adeò ita animatos nusquam ad justitiam & salutem pervenire posse non obscurè significat.

Quod & alibi sæpius repetit, & in hoc constituit potissimùm gratiam novi Testamenti, quòd in agendo ab servitute Dæmonis & concupiscentiæ per gratiam mediatoris asserti vindicatique transeamus in libertatem filiorum Dei, quâ libertate Christus nos liberavit. Ad quam libertatem evehimur non per liberum arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Quisquis ergo ita timore pœnæ ad implenda mandata adigitur, & illa ipsa uno spiritu timoris exequitur, adeò illo in statu justificari, id est ad gratiam novi Testamenti pervenire non potest, ut ne ad novum quidem Testamentum pertineat. *Sub lege est*, ait S. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 57. *qui timore supplicii, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber & alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè delectat.*

Sanctus Thomas congruenter altissimis S. Augustini principiis & doctrinis docet, eos qui non moventur ad bonum ex amore, esse quidem numero de Ecclesiâ, non tamen merito. Cujus verba prorsus aurea hîc ascribere necesse est: sic itaque loquitur 2. 2. q. 108. art. 1. ad 3. *Ad tertium dicendum, quòd lex Evangelii est lex amoris: ideo illis qui ex amore bonum operantur, qui soli propriè ad Evangelium pertinent, non est timor incutiendus per pœnas, sed solùm illis qui ex amore non moventur ad bonum, qui etsi numero sunt de Ecclesiâ, non tamen merito.* Ergo etiam ex Angelici Doctoris sententiâ cùm ii soli propriè ad Evangelium pertineant, qui ex amore bonum operantur; rectè & necessariò conficitur, eos qui dumtaxat timore pœnæ impelluntur ad opera pietatis, non pertinere nisi impropriè ad Evangelium, & propriè ad legem, quæ cùm ex Apostolo neminem justificare valeat, ejusmodi homines nunquam ad gratiam quâ Christiani sumus, pervenire poterunt, quin timore pœnæ utiliter concussi per veram pœnitentiam ad illam ipsam novi Testamenti gratiam toto mentis ardore & impetu contendant. Hoc enim discrimen intercedit inter Judæos & Christianos, quòd illi ad implendam legem spiritu timoris agerentur, Christiani verò agantur spiritu Dei: Judæi ut servi timore pœnæ ad servandam legem premerentur; Christiani verò dilectione & delectatione justitiæ ad opera pietatis alliciantur: non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater, ait Apostolus Roman. 8. v. 15. Hoc igitur interest inter eos qui operantur bonum ex amore justitiæ, & inter eos qui illud operantur ex timore pœnæ, quòd illi spiritu Dei agantur, & sint filii; alii verò spiritu servitutis adigantur, & sint servi: atque adeò primi hæreditatem filiorum sint adituri; postremi autem ab illâ ipsâ hæreditate procul ablegandi: non enim hæredes erunt filii ancillæ cum filiis liberæ.

Tertia ratio propter quam timor servilis neminem ad justitiam perducere potest, repetitur ex eo quòd

iste

iste timor comprimat equidem peccandi voluntatem, & prohibeat ne in externos actus prosiliat, nec tamen illam extinguat, quæ est ipsissima S. Augustini doctrina ab eodem infinitis propè locis tradita, & in primis Epist. 144. in quâ doctissimè explicat quo pacto sola diffusio charitatis, non pœnæ timor peccandi voluntatem adimat. *Inaniter*, ait, *putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsâ voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quòd eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus? ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat. Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare: nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Ipse est timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Nam ille timor pœnæ tormentum habet, & non est in charitate, eumque perfecta charitas foras mittit. Tantùm porrò quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* Et paulò infrà: *Pœna corporis etsi non à voluntate, tamen revocat ab opere peccati.*

Ergo ex S. Augustino, reus est & inimicus justitiæ, id est Dei qui suprema justitia est, qui timore pœnæ non peccat. Ergo timor pœnæ cùm hominem ad amorem justitiæ non perducat, imò inimicum justitiæ constituat, si solus extiterit, nusquam ad ipsius hominis justificationem sufficere poterit. Frustrà igitur pœnæ timore peccatum quis fugerit, egerit pœnitentiam, frustra sub lege fuerit, nisi eâ legitimè utatur, quod præstabit, si intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugiat ad gratiam liberantem. *Lex enim docendo & jubendo quod sine gratiâ impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod infirma non posset. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, charitas implet legem. Ideo lex pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, ut loquitur S. Augustinus in eadem Epistolâ ad Anastasium inscriptâ.

Cùm igitur timor pœnæ hominem adhuc sub lege positum legis prævaricatorem prævaricante intùs voluntate constituat, nusquam eum poterit ad justitiam disponere, quin ipse priùs imploratâ Liberatoris gratiâ & acceptâ, nefariam illam voluntatem & in prævaricationes effusam abjiciat.

Hanc eandem doctrinam repetit idem S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 30. *Meritò*, ait, *apud te visum est*, (ô Ecclesia Catholica) *quàm sit sub lege operatio vana, cùm libido animum vastat, & cohibetur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur.*

Item libro de spiritu & litt. cap. 8. *Vnde illis lex iram operabatur abundante peccato quod ab scientibus perpetrabatur? Quia & quicumque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiùsque ex illo rei tenebantur, quòd eos noverat malle, si fieri posset, impunè committere.*

Item eodem libro cap. 19. & cap. 35. ubi sic loquitur: *Quoniam & illi qui timore pœnæ justitiam suam De Sacram.*

facere conantur, & ideò non faciunt justitiam Dei, quia charitas eam facit, quâ non libet nisi quod licet; non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate quâ mallet, si fieri posset, licere quod non licet: & illi ergo credunt Deo. Nam si omninò non crederent, nec pœnam legis utique formidarent.

Item ejusdem lib. cap. ult. *Si in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum quod malè delectat, & per præceptum scitur illicitum, etiam ista quippè consensio est peccatum, quod utique fieret, nisi pœna terreret.*

Idem repetit lib. 1. ad Bonifac. cap. 9. *Nec moveat quòd ad Philippenses scripsit secundùm justitiam quæ in lege est, quòd fuerit sine querelâ. Potuit enim esse intùs in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere vel timore hominum vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, nec dilectione & delectatione justitiæ. Aliud est enim voluntate benè faciendi benè facere: aliud autem ad malè faciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impunè permitti. Nam sic profectò in ipsâ intùs voluntate peccat, reus est, qui non voluntate, sed timore non peccat.*

Item lib. 2. ad eund. Bonifac. cap. 9. *Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè.*

Idipsum repetit Concion. 25. in Psalm. 118. *Timor iste quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideò non crucifigit carnem: vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, cùm speratur impunitas. Cùm verò pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.*

Cùm igitur, ut patet, ex tot Augustini locis, solus timor pœnæ hominem justificare, imò prævaricatorem duntaxat constituere possit, libet homines eo solo timore correptos, nec ad altius quippiam progredi sollicitos dementissimæ temeritatis accusare, quippe qui inferorum supplicia, quæ serviliter pertimescunt, caveant tam præposterè, ut cùm ea per justitiæ dilectionem & delectationem effugere valeant, nihilo seciùs in illa ipsa per suam servilitatem incurrant.

Hæ sunt potissimæ rationes, propter quas solus timor pœnæ hominem ad justificationem, quam incipit, perducere nequeat, ex sancti Augustini sententia: quatum

Prima ducitur ex eo quòd quicquid fit ex timore pœnæ, non ex amore justitiæ, non fieri, vel certè non rectè fieri, asserit Augustinus.

Secunda est, quòd homo qui aliquid facit timore, invitus & animo repugnanti facit: quod & affirmat S. Thomas ad distinct. 34. lib. 3. Sentent. q. 2. art. 5. in corp. Illud dicitur aliquis facere liberè quod spontaneâ voluntate facit; illud autem serviliter, ad quod faciendum sibi voluntas deest: facit autem illud coactus ab alio violentiâ, vel metu, & ideò cum tristitiâ; quia omne coactum est contra voluntatem & triste, ut dicitur in 5. Metaphysicor. Et secundùm hoc dicitur aliquis ex libertate spiritus aliquid facere, quia beneplacito suæ voluntatis delectabiliter facit; timore autem servili, quod facit coactus metu pœnæ, & per consequens cum tristitiâ: mallet enim non facere, nisi pœna timeretur.

Ex hac Doctoris Angelici sententiâ sequitur, cum qui timore pœnæ duntaxat converteretur ad Deum, non sicut oportet, conversum iri: quippe coactus & dolens reverteretur ad Dominum Deum suum, qui hilarem duntaxat datorem diligit.

Tertia denique petitur ex eo capite, quòd timor pœnæ peccandi voluntatem non adimat, atque adeò veram cordis conversionem efficere nequeat: nulla

est enim vera cordis conversio, nisi & peccatum summo habeatur odio, & Deus propter se & super omnia diligatur, quod præstare non potest qui nondum peccandi voluntatem abdicavit. Nam in speciem reversus ad Deum, quamprimùm in pristina flagitia revolveretur: quod nec Vates ethnicus & comicus ignoravit, cùm dixit:

Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.

Ita Terent. in Adelph. act. 1. sc. 1.

Quæstio VII.

Utrùm reus sit, qui solo timore pœnæ temporalis vel æternæ, vel opera pietatis exercet, vel à peccato abstinet.

RESPONDEO ejusmodi hominem qui plus timet pœnam quàm offensam, reum esse saltem in voluntate; cùm ex tam multis Augustini locis superiori quæstione recitatis constet in illo latitantem peccandi voluntatem vivere, quæ dubio procul prosiliret in externa flagitia, nisi pœnæ timor eam in intimo corrupti cordis recessu latebrisque contineret. Quod & docet idem S. Aug. in Psalm. 67. ad istum versum, *Si dormiatis inter medios cleros.* & Concion. 2. in Psalm. 102. & Concion. 11. in Psalm. 118. & Tractat. 85. in Evang. Joann. & alibi sæpiùs.

Ex variis tanti Magistri locis Prosper tres è suis sententiis pulcherrimè concinnavit, 117. scilicet, 222. & 257. quibus docet esse reum in voluntate, qui non peccat timore pœnæ. *Eam*, ait, *Deus innocentiam probat, quâ homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimùm nocet; & abstinens ab iniquo opere, solâ tamen reus est voluntate.* Quod quidem sancti Prosperi effatum ita certum est, ut dubio procul æternis inferorum suppliciis afficiendus sit, quisquis cum occultâ hac peccandi voluntate decesserit.

Quod etiam luculenter asserit S. Joannes Chrysostomus Homil. 5. in cap. 2. Epist. ad Roman. *Dei offensio*, ait, *nullo non supplicio gravior est. At nunc tam miserè animati affectique sumus, ut nisi gehennæ timor adesset, nullum boni operis exercendi propositum conciperemus. Quapropter si nullam aliam ob causam, certè ob hanc unam gehennâ digni sumus, quòd videlicet plus gehennam quàm ipsum Christum timeamus. At non sic beatus Paulus, sed longè aliam vivendi rationem iniit. Nos autem ob id quòd diversum affectum gerimus, gehennæ supplicio damnamur: qui si Christum amaremus, ut amare necesse est, adamati offensam ipsâ gehennâ utique acerbiorem graviorremque judicaremus. Cùm autem nullo Christi amore teneamur, hujus supplicii magnitudinem ignoramus.*

Ex aureis illis Joannis Chrysostomi verbis colligere est, eum qui timore pœnæ non peccat, graviter reum esse, siquidem suo illo timore se plus gehennam quàm Christum timere, atque adeò plus semetipsum quàm Christum diligere, testatum faciat. Nam secundùm altissima S. Augustini principia, cùm nemo sese sicut oportet, diligere valeat, quin sui amorem unum in Deum utpotè finem ultimum referat, atque adeò ipsum Deum super semetipsum & super omnia diligat; nemo etiam quicquam supra Deum timere potest aut debet. Cùm enim timor amori respondeat, & tantus sit alicujus personæ vel alterius rei amittendæ timor, quantus est vel jam possessæ vel alterius posthac possidendæ amor, necessariò quisquis pœnam sibi ob peccatum imminentem plusquam Christum, id est Christi offensam metuit, sese plusquam Christum amare convincitur: quippè qui irroganda sibi supplicia magis quàm in Christi offensam incurrere vereatur. Et profectò plus ille diligitur, cujus malum magis metuitur. Cùm igitur is qui solo timore pœnæ non peccat, suum malum, id est pœnam sibi ob flagitia infligendam, metuat magis quàm peccatum, quo uno malo Christus violari & dedecorari potest; ejusmodi hominem sese plusquam Christum diligere, atque adeò primum & maximum divinæ dilectionis mandatum infringere, necessariò concluditur.

Hac de causâ aureum illud Gregorii Nazianzeni pronunciatum quod protulit Orat. 6. & repetit Orat. 22. characteribus flammeis omnium Christianorum animis insculpere oporteret. *Hoc unum timeamus*, ait, *ne quid magis quàm Deum timeamus, divinæque imagini per improbam vivendi rationem probrum inferamus.*

Ergo ex mente viri sanctissimi divinæ imagini per improbam vivendi rationem probrum infert quisquis quippiam magis quàm Deum timet: quippè per illud ipsum quod ita timet, qui pluris quàm Deum facit, & Deo anteponit: quâ injuriâ nulla major Creatori inferri potest. Majorem enim in modum contemnitur, si ulla creatura magis quàm ipse vel timeatur vel diligatur. Quamobrem peccat qui solo timore pœnæ non peccans, plus pœnam quàm Deum & Dei offensam metuit, & semetipsum supra Deum diligit. S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 4. quærit utrùm damnati blasphement, & sic eam quæstionem solvit, primo in argumento: *Sed contra est quod dicitur Apocalyps. 16. Æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas.* Ubi dicit Glossa, quòd in inferno positi, quamvis sciant se pro meritis puniri, dolebunt tamen quòd Deus tantam potentiam habeat, quòd plagas eis inferat. Hoc autem esset blasphemia in præsenti; ergo & in futuro. Et posteà sic loquitur in corpore articuli. Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est, ad rationem blasphemiæ pertinat detestatio divinæ bonitatis; illi autem qui sunt in inferno, retinebunt perversam voluntatem aversam à Dei justitiâ, in hoc quòd diligunt ea, pro quibus puniuntur, & vellent eis uti, si possent; & odiunt pœnas quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur: dolent tamen etiam de peccatis quæ commiserunt, non quia ipsa odiant, sed quia pro iis puniuntur. Sic ergo talis detestatio divinæ justitiæ est in eis interior cordis blasphemia.

Si igitur, ut ex Glossâ retulit S. Thomas, doleant damnati quòd Deus tantam potentiam habeat, quòd plagas eis inferat, & inde in ipsum blasphemiam admittant: quid aliud agunt qui solo pœnæ timore non peccant? siquidem plerique omnes dolent talem pœnam peccato constitutam esse, & cuperent, si impunè possent, perpetrare peccatum, ut asserit S. Bonaventura quæst. 2. in Posterior. & distinct. 34. lib. 3. Sentent. Non enim solùm concupiscunt contra legem Dei, qui in tali circumstantia timent, sed & displicet eis justitia divina, quæ talibus peccatis talia decrevit supplicia, ut doctè observavit Estius ad distinct. 34. lib. 3. Sentent. §. 8.

Si prætereà damnati blasphemiis appetunt divinam justitiam ob acriores pœnas, quibus voluit affici eorum peccata, de quibus dolent, quæ tamen libenter admitterent, si possent, in antecessum profectò damnatorum nequitiam & blasphemias referunt improbi, qui cùm sua peccata diligant, & si liceret impunè, illa ipsa admittere cupiant, justum Deum, quem blasphemiis coram hominibus lacessere non auderent; vituperant tamen, carpunt, vellicant, & interdum audientibus Angelis, frement-

bus hominibus, & lætantibus diabolis, in apertas Dei viventis & videntis blasphemias erumpere non perhorrescunt.

Quòd saltem blasphemiam cordis admittant, qui solo timore pœnæ non peccant, patet ex his Psaltæ regii verbis: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Id est, ita se gerit improbus, quasi non esset Deus, qui sua flagitia meritis pœnis afficere valeret. Vel, Dixit in corde suo, Non est Deus. Id est, cupit nullum esse Deum, qui in se tot sceleribus inquinatum animadverteret. Et reverà omnis peccator quantum in se est, omni conatu Deum perimere connititur. Quod insigniter docet S. Bernardus à nobis suprà laudatus Sermon. 3. de Resurrectione, ubi affirmat propriam, id est perversam peccatoris voluntatem, quantum in ipsâ est, perimere Deum. *Omninò enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo Deum non esse Deum, quæ quantum in ipsâ est, vult enim aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & execranda omninò malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima.* Hæc S. Bernardus. Ex cujus pulcherrimo loco colligere est, quàm pravè dispositi sint qui solo timore pœnæ non peccant: diligunt enim peccatum ad instar dæmonum, siquidem continuam ejus perpetrandi voluntatem alunt & rennent, & in illud effunderent sese perlibenter, nisi externa flagitia pœnæ timor inhiberet. Ergo dæmonum in morem diligunt peccatum, & oderunt pœnas quibus plectitur; atque adeò cùm eas subire nolint, & sibi hac in parte plurimùm sapere videantur, oderunt & ipsum Deum judicem æquissimum, cujus irretractabili judicio ejusmodi pœnas vel jam subeunt, vel sunt aliquando subituri, & dicunt in corde suo, Non est Deus; id est, Utinam periret ille, vel non posset nos afficere pœnis, quibus per totam æternitatem cruciandi sumus. Quæ animi habitudo, nisi sit blasphemia dæmonum blasphemiis æquiparanda, vix ulla posthac in terris blasphemia reperiri poterit.

Quicquid id est, eos omnes qui solo timore pœnæ non peccant, eo ipso peccare, vel ipsi recentiores Theologi docuerunt. Franciscus Toletus è Societate Jesu in Cardinalem assumptus id perspicuè tradit lib. 3. Instruct. sacerdot. cap. 4. n. 8. his verbis:
» Prima quidem attritio, si talis sit ut cognoscat pœ-
» nitens, se non detestari peccatum, ut est Dei of-
» fensa, sed tantùm ut est mali alicujus tempora-
» lis causa, quamvis bonus actus iste sit, tamen
» non sufficit; imò qui sic accederet, peccaret de-
» nuò, & non impleret præceptum, sed esset repe-
» tendum sacramentum. Aliquando quoque talis attri-
» tio secundùm se mala esset, quando quis peccatum
» detestaretur propter malum ut ultimum finem, purà
» cùm talis est, quòd non detestaretur, nisi esset pro-
» pter malum, tum actus malus est: at absolutè de-
» testari peccatum propter malum illatum, bonus actus
» est, sed, ut diximus, insufficiens.

Idem Author sub finem capitis laudati n. 9. salu-
» berrimo Confessores monito imbuit. Confessores,
» ait, maximè debent considerare qualiter pœniten-
» tes admittant ad confessionem: non enim sunt ad-
» mittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei
» sunt, & propositum habent non peccandi in poste-
» rum, etsi non sunt examinandi, an ea supra omne
» malum detestentur; sed an aliquid magis detesten-
» tur. Unde ante confessionem mihi videntur de tali
» dispositione fore interrogandi.

Ex his duobus istius Authoris locis tria inferuntur pronunciata multò verissima: quorum

Primum est, eum qui peccatum detestaretur, ut est causa mali cujuspiam temporalis, vel prout est malum animam deturpans, & diaboli servituti mancipans, aut quia ei debetur pœna, ut loquitur is Author in eod. cap. num. 6. peccaturum denuò, si accederet ad sacramentum cum eâ detestatione peccati, quæ actus esset timoris servilis, secundùm substantiam, boni, sed non sufficientis ad percipiendam sacramenti gratiam. Ita ut ex hujus Authoris sententiâ nemo etiam cum sacramento justificari possit, quin detestetur peccatum ut est offensa Dei, id est oderit peccatum propter Deum, quem saltem ut omnis justitiæ fontem diligere incipiat, quod est indubitatum, & suo loco solidiùs & uberiùs astruetur.

Secundum est, & quod propiùs nostram ad rem accedit, eum malè acturum qui peccatum detestaretur propter malum ut ultimum finem, nec id detestaretur, nisi malum ab illo imminere resciscerет. Vult igitur Toletus eum peccare qui non peccat solo timore pœnæ: quia cùm timor pœnæ nascatur ex amore creaturæ, & referatur in cr[illegible]ram velut in ultimum finem; hinc fit, ut dete[illegible]do peccatum solo timore pœnæ, nullo amore justitiæ, magis timeatur infligenda creaturæ pœna, quàm Dei offensa, atque adeò supra Deum creatura diligatur. Inde etiam fit ut peccator timens & fugiens malum pœnæ sine ullo amore Creatoris, illum ipsum Creatorem abdicet, ut ultimum finem, & in semetipso velut in ultimo fine conquiescat; quod quidem est gravissimum peccatum, cùm uni Deo debitam ultimi finis gloriam intervertat, & per summum nefas in creaturam transferat. Et hæc summa est servilitatis malitia, quòd homo non peccans solo timore pœnæ externa quidem flagitia compescat, sed intùs peccandi voluntatem alat, & præposterum amorem sui per immane facinus dilectioni Creatoris anteponat, & seipsum sibimetipsi ultimum finem illo ipso repudiato Creatore constituat.

Tertium est, eos non esse ad confessionem admittendos, qui non detestantur peccata ut offensa Dei sunt, nec habent propositum non peccandi in posterum. Significat nimirùm Toletus eorum falsam esse pœnitentiam, qui detestantur peccata timore pœnæ dumtaxar, non amore justitiæ: quo enim pacto veram agent pœnitentiam (quam certam nihil facit, nisi odium & amor Dei, ut ait S. Aug.) si non detestentur peccata ut sunt offensa Dei? quippè qui Deum summè diligendum nefariè deseruerunt: & quomodo verum non peccandi deinceps propositum concipere poterunt, nisi saltem inchoatam habeant charitatem, per quam solam mala cupiditas, id est peccandi voluntas extinguitur, ut toties ait S. Augustinus. Ergo qui solo timore pœnæ ad sacramentum accederet, illud ipsum sacramentum duplici nomine violaret ex hujus Cardinalis sententiâ.

1. Quidem quia non detestaretur peccata, ut sunt offensa Dei.

2. Quia non haberet propositum non peccandi in posterum.

Cùm igitur ista duo sine amore Creatoris saltem inchoato haberi nequeant, Toletum Sacramentum pœnitentiæ sine ullo amore Creatoris invalidum fore credidisse, necessariò conficitur.

Ergo qui solo timore pœnæ non peccant, non propterеà peccatum effugiunt, sive peccare renuant, sive opera pietatis & religionis exerceant: quippè qui affectum peccati & voluntatem peccandi uno dumtaxat timore pœnæ coërcitam & repressam, & alioquin in exteriora erupturam flagitia nutriunt.

Quod mirabiliter explicat S. Augustinus Serm. 19. de Verb. Apost. cap. 8. & 9. *Qui alienum negat, si posset, & extolleret. Quòd non tollit, timor prohibet: non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum timere malum? Magnum est non facere malum; magnum est amare bonum. Nam & latro timet malum,*

& ubi non potest, non facit; & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant pastores, latrant canes, nihil poterit, non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideò lupus venit, & ovis rediit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est tamen, & fremens & tremens. Interroga ergo te, quisquis vis judicare, & vide si tunc non facis malè, quando potes facere, & ab homine non puniri; tunc time Deum. Nemo est ibi, nisi tu; & ille cui facis malum, & Deus qui ambos videt. Vide, ibi time. Parum est quod dico, vide ibi, time malum, ibi ama bonum. Non etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum; est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gau-[illegible] fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est [illegible] dixi? quia si timore gehennæ non facis malum, [illegible] timore justitiæ facis bonum.

Quid toto hoc loco docet Augustinus, nisi nequitiam eorum, qui licèt peccatum fugiant timore pœnæ, & eodem spiritu opera pietatis exerceant, voluntatem tamen peccandi non abdicant.

Ejusmodi homines æquiparandi sunt Hierosolymitanis, qui cùm obsiderentur ab Nabuchodonosor, pactum inierant cum rege Sedeciâ, ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam liberos, & nequaquam dominarentur eis, id est in Judæo & fratre suo: quod reipsâ præstiterunt, & conversi sunt deinceps; id est solutâ obsidione, atque adeò sublato obsidionis timore retraxerunt servos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subjugaverunt in famulos & famulas. Jerem. 34. v. 8. 9. & 10. Ita se gerunt qui non peccant solo timore pœnæ: sese premente gravis cujuspiam periculi metu à peccando quidem abstinent; at sublato, quod imminebat, periculo, quam intùs alebant peccandi voluntatem, externo quopiam opere patefacere & testatam facere nihil dubitant.

4. Reg. 17. Sunt etiam simillimi Samaritanis, qui cùm leonum in se grassantium & in suâ cæde bacchantium diritate terrefacti essent, edocti sunt legitima Dei terræ, & Dominum coluerunt, non tamen proptereà Deos alienos adorare & colere, & iis immolare destiterunt. Eo pacto etsi Deum terræ adorarent in speciem, reverà tamen erant idololatræ, & illo ipso corde quo Deum venerari solo timore pœnæ compulsi statuerant, illum ipsum flagitio quanto maximo dedecorabant, sicut & faciunt qui solo timore pœnæ peccare desinunt, & in opera pietatis incumbunt: nam per externos quospiam actus Deum colere videntur, & latentia in intimo cordis recessu flagitia nihilo seciùs velut idola venerantur.

Comparandi sunt denique homines solo timore pœnæ non peccantes indurato Pharaoni, qui cùm cerneret totam Ægyptum gravissimis plagis percuti, pollicebatur se dimissurum populum Dei. At ubi vel ad brevissimum tempus ejusmodi plagas ab suis suorumque popularium cervicibus propulsatas adverteret, ingravabat cor suum, & adeò non dimittebat Hebræos, ut etiam illos graviori laborum onere oppressos pertinaciùs quàm anteà retineret. Ita qui solo timore pœnæ abstinent à peccato, sublato illo ipso timore pœnæ majori se malitiâ devinciunt. Cùm aqua subditis ignibus efferbuit, ab ipso ignium calore propiùs abesse crederetur: at quia non est nativus ille calor, sed adventitius, ex ignis scilicet ardore profectus, si vel tantisper aquam ab igne removeas, ad frigus pristinum refert sese, &, ut observatum est ab Aristotele, 1. Meteor. cap. 12. deperdito calore alieno multò magis quàm anteà frigescit. Si quis calor momentaneus, vel bonum quodpiam propositum hominum solo timore pœnæ à peccato abstinentium corda perstrinxerit, ille calor non est nativus, sed potiùs violentus & febrilis ardor: quippè qui non ab interno sancti Spiritus igne, sed ab externâ divinorum judiciorum flammâ proficiscitur. Atque adeò ubi primùm restincta est illa terroris flamma, temporarius ille calor evanescit, & fiunt novissima ejusmodi hominum pejora prioribus.

Porrò quin ejusmodi homines peccent, nemo in S. Augustini doctrinâ versatus ignorare potest. Nam duo principia & illa fundatissima pluribus divinorum operum locis stabilit sanctus Doctor, quorum

Primum est: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, & id habetur lib. 22. contra Faust. cap. 27.

Secundum est: Eum qui timore pœnæ (rem alienam) non concupiscit, puto quia concupiscit. Serm. 15. de Verbis Apostoli.

Ex his duobus principiis hæc ratiocinatio necessariò conficitur.

Quisquis dicit, vel facit, vel concupiscit contra legem æternam, peccat, ex sancto Augustino.

Atqui quisquis solo timore pœnæ non peccat, concupiscit contra legem æternam, ex eodem S. August.

Ergo quisquis solo timore pœnæ non peccat, reverà saltem concupiscendo peccat, ex S. Augustino.

Quæ conclusio certissima est. Neque verò ejusmodi homo innocentior haberi potest, eo de quo Christus ait Matth. cap. 5. v. 28. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Id est, coram Deo reus est in mente, quantumvis coram hominibus appareat innocens in opere.

Hoc flagitium longè latéque per omnia hominum genera pervagatum maximè cadit in infimam plebeculam, & præsertim in eos qui cogente sanè durissimo necessitatis telo stipem ostiatim rogitant: hi enim mendiculi tam malo animo sunt animati, ut in omnium divitum fortunas grassarentur, easque penitùs interverterent, nisi eos ab teterrimo eo consilio constituta improbis supplicia revocarent. Arbitrantur scilicet obtentu paupertatis omnia sibi licere. Sed illis hic error eripiendus est ab perito Confessario, & hac de re accuratiùs interrogandi, nec absolvendi, quin per aliquod tempus (si jampridem hæserint in hac nefariâ voluntate) non solùm verbis, sed etiam factis illam ipsam voluntatem se prorsus ejurasse testatum fecerint.

Ex prædictis & allegatis totâ hac quæstione rectè inferet quilibet Theologus, actualem & apertam cupiditatem, id est peccandi voluntatem, sicut & virtualem & in imo corde latitantem, quâ quis mallet nullam esse justitiam, quæ peccata prohiberet & plecteret, quam penitùs adigeret in nihilum, si posset, quâ sese implacabilem ejus hostem præbet, esse ex suo genere flagitium lethale, si in rem sub peccato lethali vetitam feratur & consentiat. Quod pulchrè pariter & verè docet Petrus Pictaviensis, vetus & insignis scholasticus Petri Lombardi discipulus. Sic enim loquitur part. 3. cap. 18. Servilis timor facit hominem cessare à peccato, sed non ab omni peccato. Etsi enim cesset hic per timorem servilem à malo opere, non tamen à mala voluntate, quæ mortale peccatum est, voluntatem enim habet peccandi, sed cessat tantùm propter pœnam. Hæc ille qui luculenter totam hanc quæstionem solvit & explicat.

Recapitulatio doctrinæ quæstionibus superioribus explanatæ.

QUÆ superioribus quæstionibus de timore servili probata & explanata sunt, in pauca contrahere necesse est.

Primò igitur recolendum est, timorem esse divisum

in naturalem, humanum & mundanum, de quibus nulla est hîc quæstio. Præterea divisum esse in servilem, & servilem esse subdivisum in eum qui includit servilitatem, & in eum qui eandem servilitatem excludit.

Prætereo hîc divisionem timoris in initialem & filialem : instituitur enim hîc disputatio dumtaxat de timore servili, eo quòd nonnulli, putà heterodoxi, eum quoquo modo consideratum vitiosum & reprobandum esse censuerunt : alii verò quidam, scilicet orthodoxi, servilem illum timorem secluso amore Dei ad justificationem peccatoris sufficere docuerunt. Ut primorum errorem effugeremus, probavimus

Secundò, timorem pœnæ seu servilem seclusâ servilitate esse boonm & utilem. Bonus est quidem, quia, ut ait S. Thom. ad distinct. 34. lib. 3. Sentent. art. 2. q. 2. in corp. "servilitas est accidens timoris & non intrat essentiam ejus : & ideò essentia ejus bona est, quia refugere pœnas æternas non est nisi bonum. Unde servilis timor secundùm essentiam est à Spiritu sancto, non tamen donum Spiritus sancti, nisi communiter loquendo, ut dicimus, omne quod à Spiritu sancto datur, donum ejus esse ; sic autem non loquitur de donis : sed illa servilitatis conditio, quæ includit privationem voluntatis justitiæ, non est à Spiritu sancto." Hæc sanctus Thomas, cui cùm objectum esset, timorem servilem non esse à Spiritu sancto, eo quòd non haberetur simul cum Spiritu sancto, respondet : "Ad primum igitur dicendum, quòd quædam sunt à Spiritu sancto, quæ noo sunt cum Spiritu sancto, sicut fides informis & timor servilis : quod quidem non est nisi propter defectum concomitantem. Quædam verò sunt à Spiritu sancto, & sunt cum ipso, sicut charitas ; quædam verò cum ipso, sed non ab ipso, sicut peccatum veniale ; quædam verò nec ab ipso, nec cum ipso, sicut mortale. Ergo bonus est iste timor, & à Spiritu sancto, modò peccandi voluntatem excludat cum spe veniæ," ut definitum est à Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.

Tertiò adversus eosdem heterodoxos probavimus multas utilitates ex timore pœnæ percipi posse, quarum

Prima est, quòd iste timor si non peccandi voluntatem auferat, prohibeat certè ne mala illa voluntas in opus externum erumpat.

Secunda est, quòd tollat consuetudinem malorum operum, per quorum actus iteratos & sæpe repetitos, veluti per totidem ansulas peccator ineluctabili sese catenà constringeret.

Tertia, quòd quandam necessitatem ad meliora impellentem peccatori afferat, non qoòd cogat peccatorem vel non timentem, vel timere recusantem, ut perperàm asserebat Lutherus, eam ob rem Concilii Tridentini anathemate afflatus & prostratus ; sed cùm proficiscatur à Spiritu sancto qui non cogit nolentem, sed de nolente facit volentem omnipotentissimâ facilitate, ut loquuntur sancti Patres, suaviter & fortiter in peccatoris animum illapsus, utiliter eum concutit, & revocat à peccato, ut tandem ad amorem justitiæ provehat.

Quarta, quòd per eum timorem sublatâ (quæ accidisset alioquin) malorum operum consuetudine, peccatores ad opera pietatis fiant paratiores & expeditiores.

Quinta denique utilitas ex timore pœnæ percipi solita in eo posita est, quòd homines agnitâ suâ miseriâ & imbecillitate, ad medicinalem Salvatoris gratiam pari ad humilitatem ardore confugiant.

Quartò, adversus Theologos (alioquin orthodoxos) probavimus, timorem pœnæ, multas cæteroquin utilitates importantem nec posse sufficere, nec reverà sufficere ad peccatoris justificationem, licèt eam incipiat. Tum quia ex fundatissimâ sancti Augustini doctrinâ, quod fit timore pœnæ, vel non benè fit, vel non fit : tum quia, qui aliquid facit timore pœnæ, id facit repugnanti animo ; atque adeò non peccatum, sed pœnam peccati fugit ut principale malum, ut loquitur sanctus Thomas.

Ac reipsa quidem ex verbis S. Augustini Tractat. 9. in primam Joannis Epistol. *qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit*, duplex colligitur peccati cupiditas : alia patens, & quasi in cordis superficie posita, quæ nihil est aliud quàm mentis imperium seu decretum, quo quis consentit in admittenda furta, adulteria & alias pravas cogitationes, quas & exequi statuit. Et hæc cupiditas seu mala voluntas timore pœnæ tam in hominibus quàm in animantibus, putà lupis, leonibus, comprimitur & evanescit : per hunc videlicet timorem quodvis animal ab externo opere, atque adeò ab ipsius exequendi decreto, propositoque revocatur.

Alia est latens peccandi cupiditas, intima videlicet & arcana mentis præparatio, quâ quidem homo servili timore gehennæ fractus & deterritus, mallet esse licitum quod dolet interdictum, quâ vellet nullam esse legem flagitia vetantem aut certè plectentem, quippe percupiat non esse gehennam, cujus metu suas sibi voluptates abjudicare cogitur.

Inde fit ut homo timore pœnæ perpulsus in duas voluntates majorem in modum sibi invicem oppositas distrahatur.

Altera nimirum est ab pœnæ timore expressa, quâ statuit exequi, & reipsa exequitur, quicquid perficit & exequitur.

Altera verò pœnæ timorem antegressa, & ab eodem adventante compressa, quâ mallet aliud ab eo, ad quod adigitur, peragere, si in illud sese impunè liceret effundere.

Inde inferunt nonnulli ex timore pœnæ nasci mixtum ex voluntario & involuntario, absolutè tamen voluntarium, eo quòd per pœnæ timorem extorta voluntas sit robustior, & alteram sibi reluctantem & infensam in intimo cordis recessu latitantem silentemque revinciat.

Et hæ sunt rationes ob quas pœnæ timor ab amore disjunctus hominem ad justificationem perducere nequeat.

Quinimò denique, teterrimam illam animi affectionem, id est, servilitatem quâ quis omnia promiscuè peccata committeret, si liceret impunè, esse peccatum ex suo genere probavimus. Ergo cùm timor pœnæ hominem justificare nequeat, necesse est recurrere ad amorem justitiæ, per quem peccator sincerè ad Deum converti, & in adoptionem filiorum transire valeat. Sit itaque

---

Quæstio VIII.

Utrùm ad veram cordis conversionem divini amoris necessitas ex Sciptura demonstrari valeat.

Respondeo affirmativè. Et ut probandi initium faciam, operæpretium est ordiri ab primo & maximo divinæ dilectionis mandato : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, &c.* Quod quidem præceptum multis variisque temporibus obligat, at præsertim eo tempore quo creaturam ad Creatorem per pœnitentiam reverti necesse est. Illa enim suis cupiditatibus excæcata per illicitum sui & aliarum rerum amorem descivit ab Creatore, qui ut errabundam ad sese revocet, illam hisce vocibus compellat : *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo. &c.*

Quod sanè æquissimum est : nam homo per peccatum avertitur à Creatore, convertitur ad creatu-

ram, quam infandis amoribus Creatori anteponit. Ergo si vult sicut oportet ad Creatorem regredi, necesse est ut primum propositâ æternæ damnationis pœnâ, per divinam charitatem creaturæ Creatorem anteponat, eumque in omnibus & super omnia diligat.

Sanctus Doctor Gentium in veritate hortaturus Romanos ad sanctimoniam sic eos affatur : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Rom. 6. v. 19.

Iisdem planè verbis compellandi sunt verè pœnitentes : Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis corda vestra criminosis operibus & iniquitati ad iniquitatem ; ita nunc exhibete corda vestra & membra servire justitiæ in sanctificationem. Reverà per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, ait Spiritus sanctus : ergo dolore torqueatur cor, per vim avellatur ab nefariis rerum creatarum amoribus, ut ad summam Creatoris dilectionem toto impetu rapiatur ; imò vulneribus sibi ab præpostero creaturarum amore inflictis per legitimam Creatoris dilectionem strenuè medeatur.

Secundus Scripturæ locus petitur ex secundo cap. Joëlis, versu 12. *Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Nonne vides præceptum istud conversionis iisdem verbis enuntiari, quibus primum & maximum divinæ dilectionis mandatum exprimitur. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, id est totâ mente, totâ animâ, toto spiritu, toto affectu : ergo necessariò vera & sincera cordis ad Deum conversio summam Dei dilectionem, saltem inchoatam, flagitat, neque pœnitentia ullá esse potest coram Deo, quin divinæ charitatis igne ferveat. Nam per ista verba, *Convertimini ad me in toto corde vestro*, primum & maximum divinæ dilectionis mandatum ad pœnitentiæ tempus applicatur, & determinatur, ut constat ex primo illo verbo, Convertimini, quod quidem pœnitentiam designat. Neque enim innocentibus utpotè jam ritè conversis, ut ad se convertantur, Deus imperat.

Quam qualemque conversionem per hæc verba Deus deposcat, mirabiliter explicat S. Bernardus Serm. in Capite Jejunii, cap. 5. *Attende solerter*, ait, *quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris ; & sub habitu religionis animum secularem sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur amor tuus, ut nihil omnino diligas, nisi in ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum & tristitia æquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundùm eum doleas, aut læteris.* Hæc S. Bernardus.

Tertius locus petitur ex capite 18. Ezechielis v. 31. *Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum : & quare moriemini domus Israel.*

Hortatur Deus populum suum, & jubet recedere à peccatis, & facere sibi cor novum, id est reverti ad Deum suum per sanctam charitatem, à quo desciverat per nefariam cupiditatem. Ne autem existimaret homo se posse sibi facere cor novum, hoc ipsum ipse pollicetur Deus apud eundem Ezechielem cap. 36. v. 26. *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* Quomodo ergo quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis : quare jubet, si ipse daturus est ? nisi quia dat quod jubet, si ipse daturus est ? quare dat, si homo facturus est ? nisi quia dat quod jubet, & adjuvat ut faciat cui jubet ; ut ait S. August. lib. de gratia & libero arbit. cap. 6.

Ergo Deus jubet impios reverti ad se per charitatem, sine quâ nulla est conversio, nulla pœnitentia, quæ maximum est Dei donum, nec fit unquam ut fieri debet, nisi homo renovatus mentis suæ exuerit veterem hominem cum actibus suis, & induerit novum qui creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis. Et hoc est cor mundum & cor novum quod creatur in nobis, non per solum liberum arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Quartus locus petitur ex cap. 1. Zachariæ v. 3. *Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

Per hæc verba, Dominus exercituum, ab pœnitentibus verum & sincerum sui amorem exigit. Cùm enim converti nequeat, nisi ad creaturam sese diligentem, & sese ad conversos conversum iri polliceatur, necessariò conficitur, eum qui Dei sui amore caruerit, non posse ad Deum suum converti, ita ut vicissim Deus ad illum convertatur. Nam quid est, amabo, Deum converti ad creaturam, nisi Deum diligere creaturam ? Atqui licèt ipse prior diligat nos, nunquam tamen propriè loquendo convertitur ad nos, & diligit ut filios, nisi sincerum sui amorem ipse nostris pectoribus infuderit. Et hoc est quod Sapientia prædicat Proverb. cap. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.*

Et profectò Deus convertitur ad nos, cùm manere dignatur in nobis, quod nunquam facit, nisi nostrum in illum amorem ejus mandata servando testatum faciamus. Et hoc est quod testificatur Christus in divino illo sermone quem ad Discipulos pridiè quàm pateretur, habuit. *Si quis diligit me*, ait, *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Joann. cap. 14. v. 23. Idipsum repetitur 1. Joann. cap. 4. v. 16. *Deus charitas est : & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Ergo ubicumque Deus conversionem præcipit, legitimam sui dilectionem præcipit : quæ quidem dilectio sola veram cordis ad Deum conversionem efficit. Ideòque, si absit amor ab pœnitentiâ, quantacumque fuerit, nusquam hominem ad veram cum Deo reconciliationem reducere, atque adeò nec ad salutem provehere poterit.

Quintus locus repetitur ex celeberrimo capite 13. 1. ad Corinth. ubi contestatur Apostolus sine charitate vel eximias quasque dotes, ut putà eloquentiam angelicam, consummatam mysteriorum omnium notitiam, fidem firmissimam, quâ etiam editi quique montes de loco dimoveri queant, nihil omninò sibi profuturas. Imò, *si*, inquit, *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

S. Thomas 3. p. q. 66. art. 12. comparans tria baptismata concludit ex sancto Augustino, baptisma sanguinis cæteris esse præstantius, quod probat in corp. art. Baptismus aquæ, ait, efficaciam habet à passione Christi, & à Spiritu sancto ; quæ quidem duæ causæ operantur in quolibet horum trium baptismatum : excellentissimè tamen in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ per quandam figuralem repræsentationem ; in baptismo autem flaminis, vel pœnitentiæ, per quandam affectionem : sed in baptismo sanguinis, per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ per quandam virtutem latentem ; in baptismo autem pœnitentiæ per cordis commotionem ; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis & affectionis

fervorem secundùm illud Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ex hoc loco patet, baptismum sanguinis cæteris antecellere, sed absque charitate nihili faciendum esse, quia, ut ait in eodem articulo S. Thomas, ad secundum, effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quòd baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, & non è converso.

Martyrium igitur sine charitate nihil prodest ad salutem æternam, id est, nisi adjunctum habeat baptisma flaminis, actualem videlicet charitatem quam Spiritus sanctus in martyris corde diffuderit, nullâ apud Deum mercede donandum est. Ergo etiam baptismus flaminis seu pœnitentiæ, ut loquitur Angelicus Doctor in articulo laudato, non poterit appellari, nec reipsa erit baptismus flaminis seu pœnitentiæ, quin actualem quampiam charitatem secum adjunctam habeat.

Hæc veritas impulit Episcopum Genevensem nuper ad sanctos Cælites aggregatum, ut lib. 2. divini amoris cap. 19. scriberet, hominem quantumcumque ageret pœnitentiam, non posse per illam æternam salutem assequi, donec illa ipsa pœnitentia divinum ad amorem pertingeret.

Usque adeò verum est nullam reperiri posse sine aliquo divino amore pœnitentiam, quæ hominem ad æternam Sanctorum gloriam provehere valeat.

Sextus locus est 1. Corinth. cap. 16. v. 14. *Omnia vestra in charitate fiant:* ergo & pœnitentia etiam in charitate facienda est.

Septimus est in eodem cap. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema maran-atha.* Quisquis ergo pœnitentiam sine amore Christi Domini agere decernit, adeò non poterit ejus præsidio salutem adipisci, ut jam nunc apostolico anathemate feriatur, æternis inferorum addicendus suppliciis, cùm Christus decretoriam lugendæ æternitatis sententiam protulerit. Ergo necessariò & propositâ æternæ damnationis pœnâ Dei amor ab pœnitente exigitur.

Octavus petitur ex Epist. ad Ephesios cap. 6. v. 14. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum in incorruptione.* Ergo per consecutionem à contrario deductam, nulla gratia, nulla reconciliatio speranda est pœnitentibus qui non diligunt Dominum nostrum Jesum Christum: infructuosa igitur & damnanda pœnitentia quæ ab amore Christi disjuncta fuerit.

Nonus est in cap. 3. 1. Joann. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Ergo pœnitens qui non diligit Deum, non potest resurgere ad vitam: quia *hæc est vita æterna*, ait Christus, *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum.* Joan. 17. v. 3. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.* 1. Joan. cap. 5. v. 11. & 12. Atqui pœnitens qui non diligit, non habet Filium: ergo non habet vitam. Nam qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo. 1. Joann. cap. 3. v. 24. Ergo pœnitens qui non servat mandata, & inprimis primum & maximum divinæ dilectionis mandatum non manet in Christo, neque habet Christum manentem in semetipso; ergo non habet Filium; ergo non habet vitam; ergo quia non diligit, manet in morte: & quia hæc est prima mors, qui non diligit, non potest aliud præstolari quàm mortem secundam reprobis per totam æternitatem subeundam.

Decimus Scripturæ locus quo probatur amoris in pœnitentiâ necessitas, legitur 1. Petri cap. 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, secundùm Hebraïcam veritatem: at secundùm LXX. Prov. cap. 10. v. 12. *Odium suscitat rixas, & universa delicta operit charitas.* Ex quo loco conficitur & infertur amoris in pœnitentiâ necessitas. Cùm enim pœnitentia sit peccatori cuilibet imperata ad obtinendam peccatorum remissionem, quam nihil affert præter charitatem, quæ universa idcircò delicta operire dicitur; idcò necessaria est pœnitenti charitas, cujus beneficio convertatur ad Deum, & conversus ab eo sua sibi flagitia condonari sentiat. Quod perspicuè docet S. Aug. multis in locis, at præsertim lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 14. *Cujus*, inquit, *tanta misericordia commemorari potest, quàm ejus qui omnia donat peccata conversis.*

Ubi observandum est, Augustinum non dixisse Deum donare peccata peccatoribus, aut lapsis aut aversis, sed conversis: nam aversis donare peccata, non misericordiæ est, sed perversi ordinis. Sentit ergo magnæ misericordiæ Dei esse, quæ utique non præstatur nisi per Christum Jesum, quòd peccatoribus jam conversis Deus peccata condonat. Et profectò plurium peccatorum remissionem Mariæ Magdalenæ concessam ardenti ejus dilectioni ascribit Christus Dominus in Evangelio: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et quia tanta est vis charitatis, ut operiat multitudinem peccatorum, eam idcò sanctus Irenæus gratiarum eminentissimam, & Tertullianus summum fidei sacramentum & Christiani nominis thesaurum ab Apostolo totis sancti Spiritus viribus commendatum insigniter appellavit lib. de Patient. cap. 11. Dilectio Davidem duplici flagitio, eóque gravissimo, devinctum absolvit: *nam in his tribus syllabis, Peccavi, flamma sacrificii ascendit in cœlum*, ait S. Augustinus; ideóque derepentè concessam ei à Deo veniam Propheta afflante & jubente Deo declaravit.

Satis habuimus hæc ex infinitis aliis Scripturæ testimonia ad astruendam amoris in pœnitente necessitatem delibasse, ne tædium lectori prolixitas afferret: sed quia sancti Patres genuini sunt Scripturarum interpretes, eorum uti testimoniis necesse est, ut & ipsos & nos eorum vestigia secutos sacris Litteris congruenter scripsisse pateat. Sit itaque

---

QUÆSTIO IX.

Utrùm sancti Patres eandem amoris in pœnitentiâ necessitatem, quam sacra prædicant Litteræ, docuerint.

RESPONDEO, sanctos Patres sacris in Litteris totâ vitæ curriculo strenuè versatos, cùm in iis animadverterent innocentium perfectionem, pœnitentium spem & reconciliationem, atque adeò utrorumque salutem ab gemino charitatis in Deum & proximum mandato omninò pendere; nihil antiquius habuerunt, quàm ut geminam illam charitatem studio quanto maximo prædicarent. Et quia plures in terris degunt pœnitentes quàm innocentes, ideò ejus necessitatem maximè in agendâ pœnitentiâ sæpissimè docuerunt.

Quod ut allatis eorum testimoniis ritè comprobemus, supponendum est ut indubitatum, eos in plerisque locis non tam exprimere conversionem cordis, quàm illam per opera pœnitentiæ declarare. Erant videlicet in verissimâ sententia sancti Gregorii aientis lib. 6. in cap. 15. lib. 1. Reg. sub finem: *Tunc benè conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.*

Hoc posito certum est, neminem Patrum de pœnitentiâ loqui, quin ad eam ritè peragendam conversionem cordis, atque adeò sinceram Dei super omnia dilectionem exigat: ita ut omnes pœnitentiam & cordis conversionem unquam distrahi ab invicem posse crediderint. Quænam conversio requiratur ad

pœnitentiæ sinceritatem, & in quo posita sit, præclarè explicat Tertullianus libro de Pœnit. capite 8. *Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libene suscipit, immolat vitulum praeopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, chariorem senserat quem lucrifecerat. Quie ille nobis intelligendue pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam piut nemo. Ie ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo patrimonium prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti; magisque de regressu tuo quàm de alterius sobrietate latabitur: sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquat pecus, si patrem repetas vel offensum, Deliqui, dicens, pater, nec dignue ego jam vocari filius tuue.* Vides in his Tertulliani verbis veram requiri cordis conversionem, veram dilectionem ad agendam ritè pœnitentiam: affirmat enim illum prodigum receptum iri à patre, si ab illo ut à patre ut filius, licèt ob flagitia tam amabili nomine indignus veniam postulet, id est redeat ad illum non in spiritu timoris, quem non iterum accepimus, sed in spiritu adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater. Rom. 8.

Unde S. Petrus Chrysol. Serm. 2. de Prodigo, versans illa ejus verba, *Surgam, & ibo ad patrem*, sciscitatur ab illo, *quâ spe, quâ fiducia? quâ conscientiâ, quâ spe? illâ quâ pater est. Ego perdidi quod erat filii; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneue, intue est in patrie pectore ipse qui intervenit & exorat affectue, urgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam.*

Ergo etiam ex mente Petri Ravennatis prodigus non cum timore servi, sed cum amore filii ad patrem regreditur, sicut & peccatorem eo animo animatum ad Deum converti & reverti necesse est. Cùm enim nemo tam sit pater quàm Deus, dissimulat tantus pater judicem, qui magis vult implere genitorem, & sententiam vertit in veniam. Cadit quippè super collum peccatoris ad se regressi, ut suapte culpâ profligatum & jacentem erigat, infusâque perfectâ charitate redivivum attollat ad gloriam pristini vel habitus vel honoris, atque ita in hæreditatis per admissa flagitia deperditæ jura restituat.

Sanctus Cyprianus in tract. de Orat. Dom. idem docet his verbis: *In Judaeorum exprobrationem Christiani quando oramue, Pater noster, dicimue, quia noster esse cœpit, & Judaeorum, qui eum reliquerunt, esse desiit; nec peccator populus potest esse filius, sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen ascribitur, & aeternitas repromittitur, Domino ipso dicente, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; servus autem non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum patrem vocemus, & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios nuncupemus? quod nomen nemo nostrûm in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimè, & scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis.* Hactenùs S. Cyprianus, qui satis superque indicat eos vocari filios, quibus flagitia condonantur. Ergo habent filiorum amorem. (Nemo enim est filius, quin adamet patrem.) Ergo cùm quilibet pœnitens ad Deum ut ad patrem instar prodigi reverti debeat, à patre Deo non poterit excipi, quin animum & amorem filii ad tantum patrem afferat.

Sanctus Joannes Chrysostom. Hom. 4. in Epist. ad Corinthios egregiè demonstrat, quantus in pœnitente amor, quanta cordis contritio requiratur. *Peccavit etiam David*, ait. *Videamus igitur quo pacto hic quoque pœnitentiam egerit. Tres totos dies in cinere sedit. At ille quidem hoc non ob peccatum fecit, sed filii causâ, calamitate nimirum adhuc temulentus; peccatum autem alio modo abstersit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem, dum etiam illud cavet, ne in eadem relabatur, dum peccati memoriam nunquam abjicit, dum irruentes omnes acerbitates aquo tolerat animo, dum iis à quibus indignis accipitur modis, parcit, & sibi insidiatos non ulciscitur, imò eos qui id factitare volunt, prohibet. Cor quippè contritum & humiliatum habebat, quod ipsius peccata maximè abstergebat. Nam in hoc demùm confessio, in hoc pœnitentia posita est.* Et paulò inferiùs. *Cùm peccaveris, ingemisce: non quòd pœnas daturus sis, (nihil enim hoc est) sed quòd Dominum eum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tua appensum, ut filium quoque suum tuâ causâ tradiderit. Ingemisce igitur, neque unquam id facere intermitte: etenim hoc est exomologesis. Non nunc latum, cras autem mæstum; ac rursum latum te prabe. Verùm perpetuo in luctu ac tui contritione mane: Beati enim, inquit Christus, qui lugent, hoc est qui assiduè hoc faciunt. Itaque sic te compara ut semper hoc facias, tibique ipsi animum intendas, ac pectus tuum conteras, non secus ac si quis amisso filio unicè charo versetur in luctu. Scindite etenim, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra. Porrò quod fractum est, haudquaquam se in altum extulerit; quod contritum est, haudquaquam exurrexerit: ob eamque causam alter ait, Scindite; alter autem, Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Quantumvis sapiens sis, quantumvis dives, quantumvis princeps; pectus tamen scinde, nec ipsum altum de se sentire atque inflari sine. Nam quod scissum est, non inflatur; atque etiam ut aliquid sit à quo extollatur; tamen quia scissum est, inflationem ferre nequit. Ad eundem modum tu quoque modestia atque animi summissioni stude.*

Aureo illo Chrysostomi loco nihil ad probandam in pœnitente conversionis, contritionis ac humilitatis necessitatem aut illustrius aut efficacius afferri potuit. Et ne crederes tantum virum id affirmasse raptim, & breviter perstrinxisse, id ipsum alibi sæpenumerò repetiit. Hom. 9. in Epist. ad Hebræos graphicè depingit omnia, ex quibus veram pœnitentiam coalescere necesse est. *Cujusmodi ergo est medicamentum pœnitentia*, ait, *& quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione & confessione. Dixi, inquit, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Et paulò infrà. *Secundo ex multa humilitate: est enim quadam veluti catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima: eam enim versans & agitans conscientia contractam & restrictam efficit. Oportet autem alia quoque addere humilitati, si talis sit, qualem beatus David habebat dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Nam quod est contritum, non exurgit, non ferit; sed est paratum ad malum quodlibet perferendum, & ipsum non exurgit. Ejusmodi est cordis contritio, etiamsi contumelia affecta fuerit, etiamsi malè & indignè accepta, conquiescit, nec ad ultionem incenditur. Post humilitatem verò opus est intensis precibus, multis lachrymis & interdiu & noctu.* Hæc sanctus Joannes Chrysostomus, qui non satis habuit declarare necessitatem contritionis & amoris in Deum ad pœnitentiam ritè peragendam, verùm etiam charitatem in proximum per liberales eleemosynas exhiberi voluit. Nam post orationem adeò intensam multâ opus esse eleemosynâ inquit. Hoc enim est quod validissimum & efficacissimum pœnitentiæ medicamentum

tum efficit. Et quemadmodum in medicorum remediis est medicamentum ex variis herbarum generibus conflatum, cùm interim una quæpiam herba sibi remedii vim potissimam vendicet, ita in pœnitentiâ eleemosyna ipsa est herba, cujus vis toti medicamento dominatur, ut totum ipsa fiat medicamentum. Audi enim quid Scriptura divina dicat: *Date eleemosynam, & omnia erunt vobis munda.*

Sanctus igitur Doctor docet, in pœnitentiâ requiri amorem in Deum & in proximum, ita ut si desit, fucata sit, inanis & evanida pœnitentia.

Item Homil. 42. in Matth. sub fin. enumeratis variis criminibus æternâ damnatione plectendis, subjicit: *Quomodo igitur, inquies, salvari possibile est? si opposita his adhibeamus remedia, misericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præsentium. Mille namque salutis vias Deus nobis proposuit, dummodo diligenter attendere velimus.* Hæc & ibi & sæpiùs alibi Chrysostomus, ad cujus mentem cæteri Patres accedunt.

Sanctus Ambrosius non minorem exigit in pœnitente affectum lib. 2. de Pœnit. cap. 6. cùm ait: *Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, quâ mentis intentione, quâ intimorum concussione viscerum, quâ cordis conversione. Vide, inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, conversum est cor meum in me. Cognovisti intentionem animi, fidem mentis, cognosce & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terrâ, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Jerusalem defecerunt in lachrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea. Sic flevit & Ninive populus, & denuntiatum civitatis exitium evasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam.*

Quod & egregiè declarat cap. 10. ejusd. libri. *Facilius, ait, inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? renuntiandum sæculo est, somno ipsi minùs indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur: sicut quendam adolescentem fabula ferunt propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, posteà veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; responderit ille. Sed ego non sum. Unde benè Dominus ait: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere.*

Ergo ex gravissimi Patris sententia ita oportet converti pœnitentem ad Dominum Deum, ut totus Christo reviviscat, & totus huic sæculo moriatur. Hoc argumentum pluribus aliis in locis pertractat S. Ambrosius in Psalm. 37. & in Psalm. 118.

Sanctus Augustinus perspicuè deposcit in pœnitente sincerum amorem & veram cordis conversionem, ut Serm. 7. de Temp. qui 3. est de Christi Nativitate. *Hodie, ait, totius mundi peccatum tollitur, & peccator desperat? sed videte qualis debet esse pœnitentia: quia multi assiduè se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur; pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vitâ, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc benè ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Et paulò infrà: *Ista est, filioli, vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur: quando sic pœnitet, ut non repetat.* Et paulò pòst: *Compungat pœnitentia criminum, quos huc usque transpunxit delectatio voluptatum.*

Quem autem amorem ad veram cordis conversionem requirat S. Augustinus, explicat Serm. 19. de Verbis Apostoli cap. 10. ubi postquam aperuit aliud esse timere pœnam, aliud amare justitiam, sic loquitur: *Si amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras, ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam; quicquid libuerit, licitum puta: non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expavisti, amasti. Si hoc dictum est, Faciem suam tibi negabit; eus tuus, contremuit cor tuum in non videndo Deum tuum, magnam pœnam putasti, gratis amasti. Si ergo sermo meus invenit in cordibus vestris aliquam scintillam gratuiti amoris Dei, ipsam nutrite, ad hanc augendam vos advocate prece humilitatis, dolore pœnitentiæ, dilectione justitiæ, operibus bonis, gemitibus sinceris, conversatione laudabili, amicitia fideli: hanc scintillam boni amoris flate in vobis: nutrite in vobis: ipsa cùm creverit, & flammam digissimam & amplissimam fecerit, omnium cupiditatum carnalium fœnum consumet.*

Cùm S. Augustinus amorem gratuitum dolore pœnitentiæ hoc loco & aliis augeri oportere censeat, se ad verum pœnitentiæ dolorem, amorem etiam gratuitum requirere perspicuè significat, quod & indicat Serm. 34. de Diversis cap. 12. *Omnia ergo, ait, præterita conversis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritus & tribulationis pœnitentia non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ. Si enim tu te cœperis judicare, si tibi cœperis displicere, Deus veniet ut misereatur. Si tu te punire volueris, parcet ille; qui autem benè agit pœnitentiam, suus ipse punitor est.*

Vides ubique Augustinum exigere in pœnitente veram cordis conversionem: siquidem ex fundatissimâ ejus doctrinâ Deus conversis duntaxat præterita flagitia dimittat.

Præterea ex altero S. Augustini principio nulla pœnitentia sine amore consistere potest. Nam, ut ait lib. 21. de Civit. Dei cap. 26. quod quis sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit: ex ejus amissione, tantùm necesse est ut urat dolor, quantùm hæserat amor. Ergo cùm quis dolet de cujuspiam rei dispendio & jacturâ, necesse est ut eam diligat, & pro dilectionis vi & magnitudine doleat. Si enim parum diligit, vel parum vel nihil dolebit. Ergo cùm pœnitentia à dolore separari nequeat, nec etiam amor ab illa pœnitentiâ divelli poterit.

Eam ob rem Rex ipse pœnitens & exemplar pœnitentium jungit gemitum & desiderium, id est dolorem & amorem contriti quidem, sed inflammati cordis. *Rugiebam, inquit, à gemitu cordis mei, Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Ingemiscebat David coram Deo, & desiderio quanto maximo ad Deum pervenire cupiebat; sed & gemitus ille cordis cum ardentissimo fruendi Dei desiderio conjunctus proficiscebatur ex amore, quem ejus Principis cordi, (quod erat in manu Dei) Spiritus sanctus infundebat.

Nam, ut ait S. Augustinus in Psalm. 36. *frigus charitatis, silentium cordis est: flagrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper cla-*

mas : si semper clamas, semper desideras : si semper desideras, requiem recordaris, & rugitus cordis tui unde quem sit, oportet ut intelligas.

Ut igitur concludam Augustini testimonia ipsius Augustini verbis, sic pœnitentes affari necesse est : *Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati : sic ad justè vivendum, non vos supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio charitasque justitiæ. Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodo adulta justitia.* Epist. 114.

Sanctus Gregorius Magnus sancti Petri in Apostolicâ Sede successor dignissimus, veræ ad Deum conversionis essentiam & necessitatem sic explanavit, ut nihil ad ejus luculentam explicationem adjici posse videatur. Quod ut pateat, locum integrum ascribere operæpretium est : sic igitur loquitur tractans hæc verba cap. 3. lib. 1. Regum. *Ut offerat nummum argenteum : Qui à peccati viâ*, ait, *ut pro se oretur, venit, nummum argenteum offerre debet, quia nihil ei prodest, quòd pœnitendo compungitur, nec quòd flendo confitetur, si inemendatâ & incorreptâ interiùs pulchritudine bonæ voluntatis luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. Imago enim & similitudo Dei, est inclyto odio malum odisse, & amore perfecto Deum diligere. Unde & Propheta claritatem divinæ similitudinis ab humano genere periisse intuens, ad eum, qui cum inclytâ reparationis nostræ luce de cælo venit, respicit dicens : Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Hinc se jam de ejus contemplatione in perfectionis formam renovatum considerans, ait, Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Qui ergo de domo reprobi per confessionem venit, qui per humilitatem pro se orari Dominum petit, curet omninò necesse est, ut nummum argenteum afferat. quatenùs sumpto splendore bonæ voluntatis perfectè oderit malum quod fecit, & bonum integro amore diligat, quod neglexerit. Unde & justi judicis examine propitiationis edicta promulgantur : In quacumque die, vel horâ*, ait, *peccator conversus fuerit, vitâ vivet, & non morietur. Conversio autem peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cùm peccatori, jam divinâ inspiratione correcto, & malum displicet quod amavit, bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis. Qui profectò converti ad Dominum non creduntur, quia vera conversio non in ore accipitur, sed in corde : converti enim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo redacitur, cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ se extendit ad intentionem bonæ operationis. Sed quia nonnulli intra Ecclesiam sunt, qui tantum in vitæ suæ termino ad pœnitentiæ satisfactionem veniunt, & judicio veritatis dicitur : Quacumque horâ peccator convertitur, vivit : à nonnullis valdè quæri solet, si statim vitam post carnis mortem inveniant, qui magna vitæ tempore peccata perpetrant, & tantùm in vitæ exitum se nequiter egisse accusant. Ad quod dicendum est, quia ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conversionis est affectio charitatis cordi infusa visitatione sancti Spiritus. Et scriptum est de eodem Spiritu, quia ipse peccatorum remissio est. Nam cùm electorum corda dignanter visitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat. quia ut se menti infuderit, eam protinùs in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat. Facit eam statim odisse quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroque valdè ingemiscere : quia & mala quæ odit, se damnabiliter amasse recolit, & bona quæ diligit, odisse. Quis enim audeat dicere, licèt omnimodâ peccatorum sarcinâ prægravetur, quòd perire possit aliquis visitatus gratiâ Spiritus sancti ? Quia ergo peccator nullâ horâ convertitur, nisi quâ à sancto Spiritu illustratur ; quid restat, nisi quia sicut peccati mortem execrando deserit, ita vitâ justitiæ ad quam se desideranter convertit, vivat ? qui statim post mortem in vita recipitur, si tantum amoris ignem recipit in conversione qui consumere in anima possit omnem congestam peccati rubiginem. Unde & de peccatrice muliere dicitur : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Hinc ab eadem veritate in cruce pendenti dicitur : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. In vitæ igitur exitu hi solummodo salubriter resipiscunt, qui & per internam visitationem perfectè bona diligunt, & mala oderunt, quæ amaverant. Qui tamen si sufficienter pro admissis iniquitatibus dolere non possunt, nihilominùs & isti in hora quâ convertuntur, vivunt. Nam qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoriâ pœnâ peccati ad vitam transeunt ; si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Unde & Paulus dicit : Sic salvi fient quasi per ignem. Sed peccator qui ibi salvari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc quod sibi de vi amoris deesse cognoscit.*

Hæc sanctus Gregorius loco laudato, Expositionis scilicet lib. 2. in cap. 3. libri 1. Regum.

Eandem doctrinam non minori eruditione tradit idem sanctissimus Pontifex Exposit. lib. 6. in cap. 15. libri 1. Regum, iis verbis : *Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur ? peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo, nequaquam detestantur. Hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat dicens : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem ? Cùm ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conversionis. Hic certè jam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit, quàm conversione compunxit.*

En tibi, Lector, necessitas conversionis in pœnitentiâ & amoris in conversione, quam doctissimus & prudentissimus Pontifex tam graphicè depinxit, ut ab altero adumbrari non oporteat : idcóque ad majorem confirmationem proferemus aliquot Patres, qui si non verbis, ejus certè vestigiis penitùs institerunt.

Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, quem Hispania per quadraginta propemodum annos, ab anno videlicet 597. vel 598. ad annum 636. sic tanquam oraculum habuit & audiit, eandem de cordis conversione doctrinam perspicuè tradit lib. 2. Sentent. cap. 8. *Antè necesse est*, ait, *timore converti ad Deum, ut metu futurarum pœnarum carnales illecebræ vincantur. Deinde oportet abjecto timore ad amorem vitæ æternæ transire : perfecta enim charitas foràs mittit timorem ; qui autem timet, pœnam habet, & non est perfectus. Unde & Apostolus : Non enim accepistis spiritum adoptionis, per quem scilicet non jam peccati pœna servos comprimit, sed amor justitiæ liberos reddit.* Et sequenti sententiâ, *Necesse est*, ait, *omni converso, ut post timorem consurgere ad charitatem Dei debeat quasi filius, nec semper sub timore jaceat quasi servus : tunc enim amorem nostræ conversionis ostendimus, si denuò ut patrem diligimus, quem priùs servili mente verè ut Dominum formidabamus.* Quibus verbis si quis quippiam clarius & ad rem nostram accommodatius expetat, is profectò lumen in

sole desiderare videatur. Atque hæc eo majorem vim habere debent, quòd ex limpidissimis S. Gregorii fontibus hausta cernantur & appareant, ut patebit legenti cap. 7. lib. 24. Moral. & cap. 22. lib. 9. Moral. in quo capite sanctus Pontifex inter cæteras divinam hanc sententiam instar oraculi pronunciat: *Vera obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, & non potiùs ex amore servimus. Sed cùm menti nostra ejus dulcedinis amor accenditur, omne desiderium præsentis vitæ levigatur, in tædium delectatio vertitur, atque hanc cum mœrore mens tolerat, cui victa priùs reprobo amore serviebat.*

Sat multi Patres hactenùs laudati, amoris in cordis conversione & pœnitentiâ necessitatem suâ authoritate comprobaverunt; & reverà hic hærendum esset, nisi sanctum Bernardum (cui ultimo augustum Patris titulum concessum esse asserunt Eruditi) totam hanc præstantissimorum hominum seriem locupletissimo testimonio claudere oporteret: quod testimonium tantæ molis est, ut illud sanctus Doctor duobus suorum Operum locis inserere & asserere voluerit: primo quidem in Epistol. 11. ad Carthusianos inscriptâ, secundo verò cap. 12 Tractat. de diligendo Deo ad Haymericum S. R. E. Cardinalem. Hic est autem locus: *Est qui confitetur Domino quoniam potens est, & est qui confitetur quoniam sibi bonus est, & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus, servus est, & timet sibi: secundus, mercenarius, & cupit sibi: tertius, filius, & defert patri. Itaque & qui timet & cupit, utrique pro se agunt: sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum, Lex Domini immaculata convertens animas: quòd sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe nec amor privatus convertunt animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem nonnunquam & servus opus Dei, sed quia non sponte in suâ adhuc duritiâ permanere cognoscitur: facit & mercenarius, sed quia non gratis, propriâ trahi cupiditate convincitur. Porrò ubi proprietas, ibi singularitas; ubi autem singularitas, ibi angulus; ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo. Sit itaque servo sua lex timor ipse quo constringitur; sit mercenario sua cupiditas quâ & ipse arctatur, quando ab ipsâ tentatur abstractus & illectus: sed harum nulla aut sine maculâ est, aut animas convertere potest. Charitas verò convertit animas, quas facit & voluntarias.*

Hactenùs Bernardus, cujus testimonio tam luculento, sicut & cæterorum Patrum oraculis, adjici possent Concilia quæ amoris necessitatem in pœnitentiâ insigniter astruxerunt. Verùm quia orta hac de re Catholicos inter Doctores controversia, tota vertitur & insistit in investigandâ Concilii Tridentini sententiâ, ideò sit

---

QUÆSTIO X.

Utrùm amoris in Sacramento Pœnitentiæ necessitas ex Concilio Tridentino probari evincique valeat.

RESPONDEO ex sacrosanctâ Synodo Tridentinâ, plurima colligi argumenta, quibus amoris in sacramento pœnitentiæ necessitas ineluctabiliter astruatur.

Primum Argumentum

REPETITUR ex sess. 6. cap. 6. ubi Concilii Patres varios enumerant gradus, per quos baptizandi ad inchoatam Dei dilectionem odiumque peccati & detestationem perducantur, & sic agant pœnitentiam, quam ante baptismum peragi necesse est.

Primus gradus fit, dum adulti excitati divinâ gratiâ & adjuti disponuntur ad ipsam justitiam. Quod & quinto ejusdem sessionis capite declaraverat sancta Synodus his verbis: Declarat prætereà ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata aversi à Deo erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur.

Secundus est, cùm fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem quæ est in Christo Jesu.

Tertius gradus fit, dum peccatores se esse intelligentes, divinæ justitiæ timore utiliter concutiuntur.

Quartus est, cùm ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.

Quintus, cùm Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.

Sextus denique gradus ad justificationem impii sternitur, cùm propterea quòd Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.

Hi sunt gradus per quos ex mente Concilii baptizandos ad regenerationis gratiam & sanctitatem pervenire necesse est.

Ex his omnibus gradibus colligi potest aliquis in baptizandis amor: vix enim reperire est hominem qui credat in Deum, & speret in eum, quin pariter aliquo modo diligat. Sed quia quintus præparationis ad justificationem gradus majorem dilectionem, & ad rem nostram accommodatiorem continet, in illo potissimùm juvat immorari.

Inchoatum illum amorem, quo baptismo initiandi, Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, esse verum Dei amorem rectè declarat S. Augustinus lib. 9. Confession. cap. 4. *Quas tibi*, inquit, *Deus meus, voces dedi, cùm legerem Psalmos David, Cantica fidelia, & sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo catechumenus, in villâ cum catechumeno Alipio feriatus.*

Ergo per hunc amorem verum & germanum Dei amorem ipsum Deum vel ut omnis justitiæ fontem Augustinus diligere cœperat; & inchoatus ille Dei amor.

1°. Erat amor benevolentiæ, atque adeò gratuitus.

2°. Erat amor prælationis, ut ita loquar, id est appretiativus, ut loquuntur Theologi.

3°. Denique per pios inflammati cordis impetus erumpebat in divina cantica, & dubio procul sese per aliqua pietatis opera exercebat, licèt ad majora perfectæ charitatis officia nondum assurgere valeret.

Hunc amorem esse amorem benevolentiæ, non concupiscentiæ, & veram esse charitatem, perspicuè docet Catechismus ex decreto Tridentini Concilii concinnatus. Cùm enim in parte 2. agit de pœnitentiâ ut virtus est, enumeratis gradibus, quibus ad eam perveniri potest, tandem num. 11. sic loquitur: *Hinc deinde accedit spes impetrandæ à Deo misericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare constituimus. Postremò charitate corda nostra accenduntur,*

ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omninò deserimus.

Pergit num. 12. *Hisce igitur gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur, quæ prorsus divina & cælestis virtus existimanda est, cui scilicet regnum cælorum sacræ Litteræ pollicentur.*

Hoc ipsum confirmat Concilium Moguntinum celebratum ann. Redemptoris 1549. nam cap. 7. ubi videtur contraxisse in pauca cap. 6. sess. 6. Concilii Tridentini, ait *peccatorem subnixum fiducia spem concipere, & timorem animo ejicere, ac Deum quem ad miserendum proclivem, sibique jam propitium credit, diligere, & peccata quæ ipsum à Deo separabant, odisse incipit.* Istud Concilium de benevolo in Deum affectu & vera charitate sermonem habere dubitabit nemo, qui hæc verba *(timorem animo ejicit)* seriò expendere voluerit.

Quid quod, Suarezius non infimæ apud suos notæ Theologus in eam sententiam Concilium Tridentinum explicavit in 3. p. disput. 4. sect. 8. p. 91. *Diligere Deum, ut omnis justitiæ fontem*, ait, *non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut authorem gratiæ & omnium supernaturalium bonorum, quomodo charitas diligit ipsum, etiamsi propter seipsum maximè diligat.* Et paulò post: *Nec vero dicit Concilium hunc amorem pertinere ad spem, per eam erigi hominem, & quasi sublevari ad diligendum Deum utique propter seipsum; nam amor concupiscentiæ non sequitur propriè ex spe, sed ad illam potius supponitur.*

Ergo Concilium ex mente Suarezii intelligendum est de amore benevolentiæ & de dilectione charitatis, quâ Deum propter Deum diligimus.

Id ipsum loco laudato explicat, dum interpretatur Canonem 3. sess. 6. Concilii Tridentini. *Interrogo*, inquit, *an in hac definitione loquatur Concilium de dilectione charitatis? Existimo certè neminem negaturum; alioqui ex vi hujus definitionis non esset de fide, ad dilectionem charitatis esse necessarium auxilium excitans & adjuvans; neque in illa totâ doctrinâ sermo Concilii fuisset de illo actu, cùm tamen sit omnium præcipuus, & de illo maximè sit certa illa doctrina: nam quòd ad dilectionem imperfectam sint absolutè necessaria illa auxilia, non est ita certum. Si autem loquitur ibi Concilium de dilectione perfecta charitatis, signum est de eadem fuisse locutum in cap. 6. session. 6. Nam hic Canon illi capiti respondet, & doctrinam ibi traditam in summam redigit & definit.*

Ex hujus Authoris sententiâ patet, Concilii verba hæc, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, intelligi oportere de actu charitatis supernaturalis, quo peccatores nondum justificati Deum propter seipsum diligere incipiunt. Nam quod ipse asserit, Concilium loqui de dilectione perfectæ charitatis, non est intelligendum de perfectâ charitate prout contradistinguitur ab inchoatâ, de quâ Concilium intelligi necesse est; sed de charitate, quam perfectam vocat, eo quòd sit charitas veri nominis, quæ opponitur imperfectæ eorum dilectioni, qui nondum Deum ut omnis justitiæ fontem diligere cœperunt. Quæ quidem dilectio ab charitate inchoatâ & provecta abstrahit, & usurpatur pro quolibet sincero in Deum affectu, quo quis diligit Deum sive super omnia, sive simpliciter nihil cum creaturis comparatum diligat.

Ille igitur actus quo vel baptizandi vel pœnitentes (utrorumque enim æqualis est obligatio hac in parte) Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, est quidem actus charitatis, eo quòd ab charitate veri nominis oriatur; nondum tamen justificat, cùm ab ipso Concilio inter præparationis duntaxat gradus, per quos perducimur ad veram justitiam, recenseatur.

Quod præclarè intellexit Joannes Malderus 1. 2. q. 113. art. 5. sect. 2. p. 580. Per eam quippè dilectionem, de quâ nunc agitur, intelligit quandam dilectionem Dei & charitatem inchoatam, quæ est dispositio quædam media, & necessariò reperitur in illo qui odit iniquitatem, quamvis cum reatu culpæ consistat sicut & illud ipsum odium.

Est igitur amor ille supernaturalis & gratuitus, quo vel per baptismum regenerandi, vel per pœnitentiam reconciliandi, Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Et profectò nisi esset gratuita illa dilectio, eo nomine foret indigna. Quid enim, quæso, est diligere, nisi velle alicui quæ putamus bona, illius causâ, non propter nos, & paratos esse ad ea pro viribus efficienda? Quid est, inquam, amare, ex quo nomen amicitiæ ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quammaximis, etiamsi ad nos ex iis nihil redeat? Deum igitur tanquam omnis justitiæ fontem diligere, nihil est aliud quàm diligere ipsum non propter rivos beneficiorum ab ipso Deo tanquam inexhausto gratiarum omnium fonte dimanantium; sed Deum propter ipsum Deum diligere, & fontem propter ipsum fontem, & nativam ejus bonitatem diligere.

Quemadmodum viator si ardentem sitim saliente dulcis aquæ rivo restinxerit, amat rivum & fontem, sed fontem propter rivum: ubi verò ad fontem pervenerit, ipsum fontem nun propter rivum, sed propter ipsummet fontem diligere incipit; nam dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ & uberiùs hauriuntur.

Et hoc est quod secundum Concilium Arausicanum pulcherrimè declaravit can. 22. *Nemo habet de suo*, ait, *nisi mendacium & peccatum: si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Et can. 25. *Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus: diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.*

Cùm igitur ex Concilii verbis omnis justitiæ fontem sitire debeamus, in hac vitâ, certè amare debemus, ut veri solent Christiani, vel certè ut pœnitentes vel baptizandi, illum inchoatâ charitate diligere tenemur; donec fiat in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, id est, perveniamus ad illam charitatem, per quam & propter quam filii Dei nominemur & simus. *Ergo si sitimus, veniamus, & non pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed amando veniamus*, ait S. August. tract. 32. in Joann. Amando igitur veniamus, sed gratis amando, non more mercenariorum, quibus si nulla esset proposita merces, Deo vivo & vero nihil penitùs obsequerentur.

Vera ratio cur Deo gratis servire, & Deum gratìs diligere teneamur, repetitur ex eo quòd sit fons omnis justitiæ. Nam nemo propter mercedem alteri servire debet, nec ab eo propter navatam operam mercedem exigere potest, nisi de suo illam ipsam operam, & quidem indigenti, navaverit. Ergo cùm hæc duo in hominem Deo suo Creatori suo servientem cadere nequeant, gratìs illi serviat necesse est. Primò enim non de suo, nisi per gratiam cooperando, Deo famulatur: nemo enim citra ferventem blasphemiam inficiari potest, quin de Dei munere veniat, ut ei ab fidelibus suis dignè laudabiliterque serviatur. Deinde nemo potest indigenti Deo ullum præstare auxilium tanquam obsequium, cùm unumquemque usurpare oporteat propheticas voces è Psalmo 15. repetitas: *Dixi Domino. Deus meus es tu. quoniam bonorum meorum non eges.* Et hæc sunt indubitata. Cùm enim Deus sit fons omnis justitiæ, nec colatur, nisi per sanctitatem & justitiam; necesse est illum coli per ju-

stitiam ab eo velut omnis justitiæ fonte profluentem. Ergo homo non colit Deum de suo, sed de Deo: cui tamen cooperatur.

Quod luculenter explicat S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. *Non solùm*, ait, *pecore vel qualibet aliâ re corruptibili atque terrenâ, sed ne ipsâ quidem justitiâ hominis Deum egere credendum est, totumque, quòd rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci, si viderit.* Ergo Deus gratis amandus & gratuito amore colendus ab iis qui vel baptismo initiari, vel per pœnitentiam cum eo in gratiam redire cupiunt: quod quidem fieri non potest, nisi illum ut omnis justitiæ fontem diligere incipiant.

Totam hanc doctrinam insigniter explicat idem S. Aug. lib. de catech. Rudibus cap. 26. *Conjungaris bonis quos inventurus es facilè, si & tu talis fueris; ut simul colatis & diligatis Deum gratis, quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illâ æternâ vita bonitate ejus & pulchritudine perfruamur. Sed amandus est non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia & veritas & sanctitas, & justitia & charitas; & si quid aliud tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.* Hæc Augustinus loco laudato, quo nostra doctrina mirabiliter illustratur.

Secundò, amor ille inchoatus est Dei amor super omnia, quod est certissimum. Cùm enim ille ipse amor inchoatus proficiscatur ex impulsu Spiritus sancti moventis dumtaxat & nondum inhabitantis, fieri non potest, quin per hujusmodi impulsum homo Deum, sicut oportet, id est super omnia diligat, inchoatâ scilicet dilectione.

Vel enim per hujusmodi dilectionem diligeret illum infra omnia, vel æquali amore quo prosequitur cætera omnia, vel denique supra omnia. si diligeret Deum infra omnia, vel æquali amore, quo cætera omnia, utrobique quantâ maximâ illum afficeret injuriâ. Nam diligendo infra omnia, minoris illum quàm omnia duceret: æquali eum aliis omnibus rebus amore prosequendo, illi creaturas omnes adæquaret, quâ utrâque injuriâ Deo opt. max. nulla major irrogari potest.

Ergo necessariò concludendum est, per inchoatum illum amorem Deum super omnia diligi.

Hac in re sanctus Aëlredus Rhievallensis in Angliâ quondam Abbas, & S. Bernardi tempori suppar, affirmat in eo positam esse amoris inchoationem, quòd homo Deum eligat ad fruendum, atque adeò omnibus anteponendum. Sic enim loquitur in cap. 16. Compendii speculi Charitatis: *In his igitur tribus charitas sive cupiditas constare videtur, in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio amoris sive boni, sive mali est inchoatio: motus amoris ipsius cursus, fructus amoris ipsius est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, si ad id sic moveatur ut debet, vel eo fruatur ut decet; & tam salubris electio, & tam competens motus, & tam utilis fructus, non immeritò charitatis censeri vocabulo judicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu verò perficitur. At si animus eligat insipienter, per desiderium moveatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facilè adverti potest. Hi sunt duo fontes bonorum scilicet & malorum origines, quando quidem radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum charitas. Hoc sanè dicendum, quia non omne quod in usum nostrum eligimus, diligere dicendi sumus, sed solùm id, quod ad fruendum eligimus.*

Deus igitur nobis præ omnibus eligendus est, ut eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est amoris quasi cursus quidam atque promotio; in cujus adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo.

Ex his verbis patet, eos qui Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, eligere oportere Deum quo fruatur, atque adeò in illo velut in ultimo fine conquiescant, atque adeò super omnia illum diligant. Id enim habet ultimus finis, ut omnem ad se tendentis amorem sibi vindicet, & ad se tendentem cæteris omnibus velut adjumentis quibusdam ad sui adeptionem & idoneis & necessariis uti jubeat.

Tertiò, amor ille inchoatus exerit sese per quasdam flammas in hominis Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipientis animo excitari solitas, & sese etiam per quædam opera demonstrat, etsi needum ad ardua adultæ charitatis opera pertingere valeat. Quæ quidem inchoati hujus amoris indicia in se & in charissimo Alipio S. Augustinus repræsentat libro Confess. 9. in se quidem cap. 4. *Quas*, inquit, *tibi voces dabam in Psalmis istis? & quomodo in te inflammabar ex eis? & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani? & tamen toto orbe cantantur, & non est qui se abscondat à calore tuo.*

Et infrà in eod. capite: *Legebam, Irascimini, & nolite peccare; & quomodo movebar, Deus meus, qui jam didiceram irasci mihi de præteritis, ut de cætero non peccarem?* Et paulò inferiùs: *Ibi enim ubi mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sacrificaveram mactans vetustatem meam, & inchoata meditatione renovationis meæ sperans in te, ibi mihi dulcescere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo, & exclamabam legens hæc foris, & agnoscens intus, nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, & devoratus temporalibus, cùm haberem in æterna simplicitate aliud frumentum & vinum & oleum.* Et sub finem capitis, postquam commemoravit mirabilem divinæ misericordiæ celeritatem in propulsando dentium dolore, quo majorem in modum cruciabatur: *Insinuati sunt*, ait, *mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudavi nomen tuum, & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum remissa nondum erant.* Quibus verbis patet constantissima & fundatissima S. Augustini doctrina, neminem videlicet catechumenum divinâ etiam charitate flagrantem, ut loquitur lib. 4. de Baptismo cap. 21. adversus Donat. ab suorum peccatorum sarcinâ liberari, nisi venerit ad baptismum. Id affirmat tractat. 13. in Joann. Et in lib. de Fide & operib. cap. 11. *Non sufficit*, ait, *professio recessionis*, (à peccatis lethalibus) *nisi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur, peccata deleantur.* Ex his locis animadvertere est, sanctum Augustinum ante baptismum incœpisse diligere Deum velut omnis justitiæ fontem, & divinâ charitate flagrasse, sicut testatur ejusdem libri 9. cap. 2. *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus.*

Ex tot sancti Augustini locis tria ad nostrum propositum apprimè conducentia colligi necesse est.

Primum, illum amorem, quo se S. Augustinus arsisse ait, fuisse gratuitum: per illum quippè sibi irascebatur de præteritis, ut de cætero non peccaret, propter unum Deum qui jam illi dulcescere cœperat.

Secundum est, per hanc inchoatam charitatem Augustinum Deum super omnia dilexisse, & præ illo omnia arbitratum esse ut stercora, ut illum unum lucrifaceret: siquidem se noluisse multiplicari terrenis bonis asserit, cùm in æternâ simplicitate alia haberet, alia desideraret bona.

Tertium denique, per hanc inchoatam charitatem, licèt divinam & supernaturalem, S. Augustinum, li-

cèt per eam irasceretur sibi de præteritis, ut de cætero non peccaret ; licèt illi unus Deus dulcesceret : non propterea justificatum esse, nisi cùm Deus Spiritum suum in illum abundè per lavacrum regenerationis effudit. Sicut nec ante baptismum justificatus est perfectè Alipius, qui se inchoato illo amore flagrare declaravit : quippè, ut refert Augustinus ejusd. lib. 9. cap. 6. *jam erat indutus humilitate sacramentis divinis congrua, & fortissimus domitor corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum, insolito ausu.*

Hinc recentiores quidam Theologi animadvertere poterunt, peccatorem qui amoris supernaturalis actum elicuerit, non propterea justificari perfectè ordinariè loquendo, nisi ad amorem illum inchoatum sacramentum ad peccatorum remissionem divinitùs institutum accesserit.

Cùm ante susceptum baptismum in adulto ea requiratur inter cæteras animi præparatio, ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem, id est, gratis & super omnia, ut à nobis probatum est, diligere incipiat : concludendum est necessariò illam ipsam præparationem ab homine post baptismum lapso & pœnitente exigi : cùm ex omnium omninò Theologorum sententiâ, non minor in illo, quàm in catechumeno præparatio requiratur.

Si quis ad infringendam hujus argumenti vim objiciat, neque in catechumeno, neque in pœnitente post baptismum lapso necessariò requiri inchoatam hanc dilectionem, de quâ sermo est in Concilio, cùm per hæc verba, *Hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet*, Concilium indicet tantùm quod melius & perfectius & decentius est, non verò quod est ad salutem necessarium ; ita ut hæc vox, *oportet*, in quâ tota vertitur difficultas, non importet necessitatem præcepti, sed tantùm majorem consilii decentiam perfectionemque significet.

Hæc objectio nullius ponderis fumus est, ut S. Augustini verbis utar. Nam præterquam quod passim in canonicâ Scripturâ & SS Patribus ea vox præcepti necessitatem indicat : quorsum Concilium œcumenicum ad profligandas hæreses, & instituendam Fidelium vitam in Spiritu sancto congregatum, verbum *oportet*, quod ubique præcepti necessitatem importat, ad significandam dumtaxat consilii perfectionem detorquere voluisset ?

Si quis post hanc rationem in suâ sententiâ hærere voluerit, adeat Gabrielem Vasquezium 1. 2. disput. 203. c. 9. n. 92. & discat ab eo velut indubitatum, verbum hoc, *oportet*, in Concilio Tridentino præcepti necessitatem denotare. Quam sententiam ibidem Author ille pluribus persequitur & probat. Propterea si Jurisconsulti contendunt verbum hoc, *oportet*, in civilibus contractibus immutabilem designare necessitatem ; cur non asseremus Concilium per illud ipsum verbum indicasse præcepti necessitatem ? Siquidem ad denotandam dumtaxat consilii perfectionem aut decentiam, & præsertim in re tanti momenti, (qualis est pœnitentia ante & post baptismum peragenda) frustrà Concilium incumberet.

Nemo enim nescit nusquam Concilium è totius præsertim orbis partibus evocari, nisi ut orthodoxa fides & avita morum disciplina non ex consilio dumtaxat ad cujuslibet nutum & prolubium tenenda, sed ex præcepto servanda sub anathematis interminatione sanciatur.

Huc accedit, quòd Concilium, illo ipso 6. capite 6. sessionis ea profert Scripturæ loca, quibus non consilii perfectio, sed præcepti necessitas indicatur & indicitur. Nam posteaquam enumeravit omnia per quæ pœnitentiam ante baptismum agi oportet, subdit Apostoli locum ex Hebræor. cap. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Qui Apostoli locus, sicut & cætera quæ subjicit, denotant præcepti necessitatem. Ergo omnes animi præparationes, quas Concilium ex variis Scripturæ locis præcepti necessitatem enuntiantibus colligit, præcepti pariter necessitatem efficiunt.

Si quis velit excipere eam animi præparationem, quâ vel catechumenus vel pœnitens baptizatus Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere tenetur, nullo fundamento id efficere tentabit. Cùm enim Concilium asserat, ut legenti & attendenti patet, eam quam ante baptismum oportet agi pœnitentiam, includere actus fidei, timoris, spei & dilectionis, quâ Deum tanquam omnis justitiæ fontem, & catechumenus & pœnitens baptizatus diligere incipiunt, & præterea odium aliquod & detestationem adversus peccata : quis erit tam pervicax, ne dicam temerarius, qui velit vel possit separare quæ per Concilium in Spiritu sancto legitimè congregatum ipse Spiritus sanctus tam arcto vinculo colligata declaravit, & reverà ab omni ævo ita sunt connexa, ut ab invicem ne divinâ quidem virtute separari valeant ? Qui enim vel inchoatam Dei dilectionem ab pœnitentiâ sejungere voluerit, pœnitentiam ex pœnitentiâ substulerit. Nam, ut anteà ex Scripturis & Patribus probavimus, nulla potest esse vera pœnitentia, quin Dei dilectionem saltem inchoatam velut individuam comitem habeat.

Si quis prætereà objiciat, non tantam ab Concilio in pœnitentiâ ante vel post baptismum peragendâ requiri dilectionem, quantam exigimus, eo quòd, cùm odium peccati tantum esse debeat, quanta & dilectio Dei, & Concilium affirmet pœnitentes propter Deum quem diligere incipiunt, moveri adversus peccata per odium aliquod & detestationem : inde sequitur requiri aliquam scilicet Dei dilectionem, non autem eam quam requirimus.

Si quis, inquam, id objiciat, respondebimus ideò in eo Concilii loco appositam esse particulam, *aliquod*, ut significaretur equidem tale esse & tantum odium, qualis & quanta est dilectio. Quia igitur Concilium non perfectam, non consummatam Dei dilectionem ab catechumeno pœnitente, sed tantùm inchoatam poposcerat, ideò ut inchoatum etiam odium peccati significaret, usum est hac particulâ, *aliquod*, quæ ut plurimum rei cujuspiam adumbrationem inchoationemque significat.

Et hoc est primum argumentum ex Concilio Tridentino deductum, quo saltem inchoatæ in pœnitentiæ sacramento dilectionis necessitas astruitur.

Ex hoc argumento constat pœnitentiam catechumenorum, & post amissam baptismi gratiam pœnitentium continere:

1o. Fidem quâ utrique credant vera esse quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.

2o. Spem, cùm scilicet utrique timore pœnæ per fidem creditæ utiliter concussi eriguntur in spem, & confidunt sua sibi flagitia per Christum Jesum esse condonanda. Sic namque *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Deò ad inferos ducere*, (ut ait S. Gregorius in cap. 2. lib. 1. Regum) *est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere : eique quoque ab inferis educere, est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes spe veniæ indeficientis attollere. Tunc quippè peccare desinimus, cùm supernâ gratiâ molliti cordibus futura tormenta formidamus, & ab inferis reducimur, cùm interno visitati solatio ad spem veniæ de lamento respiramus.* Hæc ibi S. Gregorius.

Tertiò, illa utrorumque pœnitentia complectitur dilectionem, quâ Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipiunt : & hæc dilectio gratuita est, & per hanc ab catechumenis & post baptismum pœnitentibus Deus super omnia diligitur, ut suprà probavimus.

Quartò, ejusmodi pœnitentia est conjuncta cum

voto præstandi reliqua quæ ad rectè suscipiendum baptismi, vel reconciliationis sacramentum requiruntur.

Quintò denique, illa pœnitentia includit firmissimum propositum baptismi suscipiendi, vitam novam inchoandi, & divina mandata servandi in catechumeno, ut affirmat Concilium Tridentinum cap. 6. sess. 6. Et hac in parte, sicut & in aliis, Concilium instituit vestigiis sancti Augustini laudantis Ecclesiam Epist. 107. orantem solemni ritu pro catechumenis, ut eis regenerationis desiderium, atque ita per Christum Jesum iis inchoatæ dilectionis plenitudinem inspiraret. In homine autem post baptismum lapso sancta Synodus requirit votum suscipiendi pœnitentiæ sacramentum: ita ut ejus contritioni (si quando charitate perfecta fuerit) ejus reconciliatio sine voto sacramenti, quod in illâ includitur, non sit ascribenda, ut loquitur idem Concilium sess. 14. cap. 4.

Argumentum secundum,

QUo saltem inchoatæ dilectionis necessitas evincitur ex sacrâ Synodo Tridentinâ, petitur ex definitione contritionis quam affert cap. 4. sess. 14. his verbis: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

Sic eam ut primam, ita præcipuam sacramenti pœnitentiæ partem definierunt Tridentini Concilii Patres, ut in singulis allatæ definitionis partibus dilectionis ad ritè suscipiendum baptismi vel pœnitentiæ sacramentum requisitæ necessitatem includerent.

Primò enim contritionem vocant animi dolorem: ergo significant in contritione necessariò includi dilectionem. Nam secundùm doctrinam S. Augustini nemo dolet vel luget jacturam rei quam non diligit.

Ergo dolor argumentum est amoris, ita ut ex eodem Augustino tantus sit dolor, quantus fuit & amor. Unde mulier quæ anteà fuerat peccatrix, & posteà dilexit multùm, ab Christi jam redivivi monumento divelli non poterat, imbi vi amoris ebria uberes fundebat lachrymas; ita ut sciscitantibus Angelis quid ploraret, responderit duntaxat: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Plorabat ergo dolore propemodùm obruta, eo quòd incredibili in Christum amore effervesceret. Usque adeò verum est, neminem dolere & lugere jacturam vel absentiam rei, quin ejus aliquo saltem amore teneatur: ita ut quantus est amor, tantus sit & dolor. Unde unâ voce concludunt omnes Theologi, cujuslibet pœnitentis dolorem esse oportere summum appretiativè, id est oportere voluntatem divino adjutam auxilio odisse, aversari, & detestari peccatum tanquam malorum maximum, atque adeò inter omnia mala & super omnia pertimescendum, quod ideò dolet se admisisse, ita ut nihil quibuslibet in rebus adeò charum ipsi sit, pro quo velit illud iterum admittere.

Ratio à priori est, quòd cùm dolor amoris magnitudini respondere debeat, & nos ex præcepto naturali & divino summo amore appretiativè, id est super omnia Deum diligere teneamur; par est, ut cùm ex ejus gratiâ per lethale flagitium excidimus, propter idem flagitium summo dolore affici, & illud summoperè & super omnia detestari debeamus, ut mox videbimus.

Quòd autem amor & dolor cor pœnitentis unà & pariter afficere debeant, patet ex cap. 4. v. 29. Deuteronom. ubi sic Deus affatur populum suum: *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ. Si tamen toto corde quæsieris*, en Dei amor, seu dilectio Dei super omnia. *Et tota tribulatione animæ tuæ*, en summus dolor qui summo illi amori respondeat. Ergo quia contritio definitur dolor, &c. necessariò amorem includit.

Secundò, contritio dicitur detestatio ab Patribus Concilii Tridentini, & eo pariter titulo dilectionem amplectitur. Ex quo enim pœnitens Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere cœpit, etiam moveri cœpit adversus peccata per odium aliquod & detestationem, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. Ergo detestatio peccati ex inchoatâ saltem Dei dilectione proficiscitur, atque adeò non plus ab ea quàm radius à sole, vel rivulus à fonte separari potest.

Quod præclarè explicat S. August. Concione 26. in Psalm. 118. ubi ait, hominem divina mandata diligentem necessariò omnem odisse iniquitatem. *Cùm verò ipsa mandata diliguntur super aurum & lapidem pretiosum multum, omnis præ ipsis mandatis terrena vilis est merces: nec ullâ ex parte comparantur quæcumque alia hominis bona, his bonis quibus ipse fit bonus homo. Propterea, inquit, ad omnia tua corrigebar. Utique corrigebar, quia diligebam, atque illis rectis, ut etiam ipse rectus fierem, dilectione cohærebam. Jam illud quod adjungit, consequens erat, Omnem, inquit, viam iniquam odio habui. Unde etiam fieri poterat, ut iniquam viam non odisset diligens rectam? Nam sicut aurum & lapidem pretiosum si diligeret, odisset profectò quicquid ei talium rerum damnum posset inferre; ita quoniam Dei mandata diligebat, iniquitatis viam odio habuit: quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum, ubi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod ut non contingat, longè inde velificat qui in ligno crucis cum mandatorum divinorum mercibus navigat.*

Ex pulcherrimo illo S. Augustini loco colligere est, Dei dilectionem parere peccati odium, nec posse reperiri quemquam verè vel justum vel pœnitentem, quin verè cum Psalte regio affirmare possit: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*

Usque adeò verùm est, Dei dilectionem peccati odium pœnitentium animis ingenerare, & ipsum vicissim peccati abominationem & detestationem novis accessionibus Dei dilectionem cumulare: quò enim quis acriùs sua flagitia detestatus fuerit, eò ardentiùs Dominum Deum suum adamabit.

Eam ob rem flagitium lethale, quia malum detestandum est; quia semper malum, semper detestandum; quia summum malum, summoperè est abominandum. Ex adverso, quia Deus est bonus, imò bonum ipsum, est diligendus; quia semper bonus, semper diligendus; quia denique est summum bonum, cum summo & quanto maximo amore prosequi necesse est. Ut igitur declararet Concilium, contritionem quam definit loco laudato, amorem Dei super omnia includere, usum est vocabulo detestationis: siquidem nulla detestatio esse queat, quin illam rei vel personæ cujuspiam amor efficiat.

Est igitur detestatio actus voluntatis distinctus ab dolore, quia v. g. in beatis est detestatio peccati, nec ullo tamen dolore affici possunt: quia in cælo *neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt*, Apocal. cap. 21. Et præterea dolor nascitur ex detestatione: nullus enim potest sincerum de peccato concipere dolorem, quin illi verè displiceat.

Tertiò, in contritionis definitione additur de peccato commisso. Quibus verbis comprehenduntur omnia peccata, & præsertim lethalia tam omissionis quàm commissionis. Hoc posito, contendo his quoque Concilii vocibus ipsam etiam Dei dilectionem super omnia contineri. Non enim pœnitens dolet de peccato, & detestatur peccatum qualitercum-

que consideratum ; sed prout est offensa in Deum admissa, quam ideò sicut oportet, detestari non potest, quin Deum offensum inchoatâ saltem dilectione prosequatur.

Hanc doctrinam omnes Theologi, tam ii qui Concilium Tridentinum sunt antegressi, quàm qui sunt consecuti, constantissimè docuerunt. S. Thomas pluribus in locis eam asserit, putà 3. p. q. 84. art. 5. ad 2. *Dicendum*, ait, *quòd ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides & misericordia non liberant hominem à peccato, sine pœnitentia: requirit enim charitas, quòd homo doleat de offensâ in amicum commissâ, & quod amico homo studeat satisfacere.* Cùm igitur ex Doctoris Angelici sententiâ charitas requirat ut doleat quis de offensâ quatenùs est in amicum commissa ; & nos Christus suus amicos appellet: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, Joann. cap. 15. v. 14. oportet nos per dilectionem in ejus gratiam redire, si initam cum illo per baptismum amicitiam flagitium lethale diremerit.

Idem affirmat S. Doctor 3. p. q. 85. art. 2. in corp. *Manifestum est autem*, ait, *quod in pœnitentiâ invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa.* Et in eod. art. ad 1. *Si in actu pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate:* nempe pœnitentiæ virtutem, quam à charitate non separat sanctus Doctor, cùm feratur in peccatum quatenùs est offensa Dei. Et in ead. q. art. 3. in corp. *Pœnitentia non habet quòd sit virtus specialis ex hoc solo quòd dolet de malo perpetrato, (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo quòd pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito.*

Unde & in eadem q. 85. art. 6. in corp. ut ostendat oportere hominem dolere de peccato quatenus est offensa Dei, ait actum virtutis pœnitentiæ esse contra peccatum ex amore Dei.

Illud ipsum explicat idem Angelicus Doctor quæst. sequenti, id est 86. art. 3. in corp. ubi sic loquitur: *Peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum in quantum est contra Deum: quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem est eadem ratio, & idem effectus. Unde non potest esse verè pœnitens qui de uno peccato pœnitet, & non de alio: si enim ei displiceret illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum, (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur quod de omnibus pœniteret.*

Qui locus perspicuè declarat, neminem sicut oportet, pœnitere posse de peccato, quin illud abhorreat, in quantum est offensa Dei, id est, quatenùs est contra Deum super omnia dilectum, ut loquitur Angelicus Doctor. Cùm igitur Concilium definit contritionem dolorem ac detestationem de peccato commisso, intelligi debet de peccato quatenùs est offensa Dei, quòd ideo, ut par est, detestari non possumus, quin ad ipsum quem offendimus, Deum per inchoatam saltem dilectionem, eamque gratuitam, & super omnia, convertamur.

Cùm S. Thomas sit omnium Theologorum facilè princeps, & plerique omnes Theologi Tridentinam Synodum antegressi amplexi sint hanc ejus doctrinam veluti de cælo delapsam, nihil causæ est, cur in recensendis eorum sententiis hæreamus. Superest igitur, ut recentiores Theologos eandem Synodum consecutos eandem tradidisse doctrinam comprobemus, ne quis eos post terminatum Concilium ab illâ ipsâ doctrinâ recessisse perperàm existimet.

Vasquez qui circa controversiam scripsit post Concilium Tridentinum, 3. p. q. 85. art. 2. n. 41. 42. 43. solidè demonstrat, quòd in odio peccati ut est Dei offensa, intrinsecè & inseparabiliter includatur amor benevolentiæ erga Deum offensum. Quo loco inter cætera sic ait: Omnes fatentur præter Alexandrum, quòd impossibile sit, ut actus odii peccati, prout est offensa Dei, sit alterius virtutis quàm charitatis, & hanc ejus rei rationem affert. Cùm ejusdem virtutis sit diligere bonum proprium, & odio habere malum ei contrarium ; sic charitatis erit diligere Deum, & velle illi bonum, & de bono illius gaudere propter ipsum, hoc est, quia est illius bonum, & tristari de peccato ut est illius offensa.

Et infrà prosequitur idem Author: Sicut in actu delectationis de bono Dei necessariò est amor ipsius Dei, sic in odio peccati ut est Dei offensa, intrinsecè & inseparabiliter includitur amor ipsius Dei: est enim detestatio de bono alicujus, ut illius est.

Eam sententiam suo quoque calculo comprobavit Mœratius ejusdem Societatis Theologus, disput. 5. sect. 4. & 497. p. 498. his verbis: Gaudere de bono Dei, quia bonum ipsius est, est actus charitatis: ergo dolere de malo, quia malum ejusdem est, seu offensa, est actus charitatis ; cùm ejusdem sit ferri amore & gaudio in bonum sibi proprium, & odio ac dolore in malum illi bono contrarium.

Ita sentit Alphonsus Vega lib. 6. cap. 30. p. 109. Qui Deum agnoscunt nostris peccatis offendi, nunquam certè ad ipsius gratiam pervenient, nisi & de ipsis doleant, quatenùs offensæ illius fuerunt, & amore in ipsum redeant, à quo se malè per ea averterunt.

Ex hujusmodi Authorum sententia qui scripsere per Concilium Tridentinum, constat neminem posse dolere de peccato, sicut oportet, nisi de illo prout est Dei offensa, doleat, id est, nisi ille dolor de peccato quatenus in Deum admisso ex sincero offensi ejusdem Dei amore proficiscatur.

Ergo dum Concilium definit contritionem dolorem & detestationem de peccato commisso, intelligendum est de dolore & detestatione susceptâ de peccato, prout est offensa Dei: alioquin Concilium everteret quod dixit de catechumenorum pœnitentiâ cap. 6. sess. 6. ubi inter varios actus quibus perducuntur ad justificationem, recenset pariter actum illum quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem, id est gratis & super omnia diligere incipiunt. Cùm præterea essentia contritionis inchoatam saltem Dei dilectionem includat, nemo potest interpretari mentem Concilii contritionem definientis, quin dolorem & detestationem de peccato commisso necessariò cum inchoato saltem Dei amore conjunctam esse asserat.

Hanc veritatem luculenter explicat Albertus Pighius, qui adversus emergentem Lutheri hæresim strenuè decertavit lib. Controversiarum præcipuarum in Controversiis Ratisponensibus, his verbis: *Contritio ergo quam Deus in nobis respicit, est dolor divinæ offensæ, non nostri tamen, imò illius præcipuè causâ quem offendimus. Cujusmodi ut sit, necessariò Dei amorem, ex quo procedat, prærequirit. Id quod evidens cuique esse potest, qui amoris & odii inter se attendit naturam & ordinem. Nihil enim primò & per se odisse aut detestari possumus; sed necesse est, ut omne odium ex alicujus amore procedat. Est enim odium aut detestatio, voluntatis velut fuga quædam ab eo quod apprehenditur, disconveniens, inimicum aut contrarium alicui, cujus amore afficimur. Ex amore ergo aliquo, ut procedat in nobis odium ac detestatio peccatorum, necesse est. Is igitur aut nostri tantùm amor est, aut tantùm Dei, aut utriusque & nostri & Dei. Si nostri tantùm is amor sit, ex quo procedit peccatorum in nobis detestatio, ut quia & hic nos flagellari ab illo pertimescimus, & adhuc pejora expectamus, & deniquè damnationem & cruciatus infernales, quos ob illa ipsa nos manere non dubitamus perpetuos; nondum est ea*

detestatio

detestatio aut displicentia peccatorum nostrorum, vera contritio, digna quam Deus respiciat, nec veniam ea offensa impetrat. Et paulò pòst ita prosequitur : *Si verò ex Dei tantùm amore procedat ejusmodi peccatorum detestatio ac displicentia: ea vera est, quæ facit cor contritum & humile quod Deus non despicit, sed benignè respicit. Quòd si ex nostri simul & Dei amore, (ut plerumque fit) illa ipsa procedat peccatorum detestatio, ac displicentia, ita tamen ut Dei amor primas teneat, & amori nostri præponderet, & ea quoque pœnitudo & contritio salutaris est, quoniam eâ ita detestamur divinam offensam, ut ob rem nullam velimus offendisse ampliùs.*

Quo loco quid ad illostrandam propositionem nostram evidentius afferri possit, non video.

Hanc doctrinam amplectitur ut certam Toletus lib. 3. Instruct. sacerd. cap. 4. cujus verba suprà citavimus & recitavimus. Item Reginaldus de Prudent. Confess. cap. 5. sect. 2. p. 103. ubi ait, ad confessionem fructuosam requiri, ut ipse pœnitens illa sua peccata tanquam offensas Dei ita detestetur, ut generaliter in quodcumque malum incurrisse malit, quàm in peccatum, per quod Deum summum omnium bonum à se alienavit, eumque sibi de patre amantissimo fecit inimicum, & supra quàm dici potest, reddidit iratum.

Item Ludovicus Carbo de præceptis Ecclesiæ c. 13. p. 55. cùm ait : *Nulla attritio quæ non dolet de peccato, aliquo pacto ut est offensa Dei, (i. per aliquem amorem,) sed tantum ob aliam causam, habet vim justificandi cum sacramento conjuncta. Quoniam & divina Littera & SS. Patres planè docent, dolorem debere esse de peccato, ut est offensa Dei : neque enim par est, ut peccatum remittatur, nisi habeatur ratio ejus qui offensus est.*

Idipsum affirmat Becanus Theologus sanè non pœnitendus cap. 30. q. 3. p. 746. *Odium abominationis*, ait, *est amor personæ, & odium rei : sic ergo detestatio peccati quatenùs est offensa Dei, & odium abominationis, quo displicet peccatum, & placet Deus quem offendimus ; unde est odium peccati & charitatis : ergo & odium peccati quatenùs est contra Deum, est actus charitatis.*

Cùm igitur, ut ex Angelico Doctore, & pluribus aliis Theologis probavimus, neminem posse rectè detestari peccatum, & dolere de illo, nisi quatenùs offensa Dei est, illud detestetur & oderit, & illud odium sit amor Dei propter ipsum, atque adeò actus dilectionis Dei ; profectò etiam Christianam peccati detestationem non posse ab amore Dei separari probavimus, & eâ de causâ contritionem quam definit Concilium dolorem & detestationem de peccato commisso, non posse intelligi, nisi dicamus illam detestationem ferri in peccatum quatenùs offensa Dei est, atque adeò ipsius Dei super omnia dilectionem necessariò includere concludadamus.

Quartò, additur in definitione contritionis, *cum proposito non peccandi de cætero.* Hoc propositum non peccandi de cætero, ad veri nominis contritionem, & pariter ad fidem pertinere, duo Concilia, & quidem œcumenica, definierunt, Florentinum scilicet & Tridentinum.

Florentinum quidem in Compendio Fidei, dum sacramenti pœnitentiæ materiam assignat. *Prima pars*, inquit, *istius materiæ, est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

Tridentinum verò cap. 4. sess. 14. in principio capitis, ubi affert definitionem quam explicamus. Et paulò infrà cùm ait : *Declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud, Projicite à vobis iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum.*

Et cap. 6. sess. 6. ubi agens de pœnitentia catechumenorum enumerat varios ejusmodi pœnitentiæ actus, & tandem concludit rem totam proposito quod de suscipiendo baptismo, de novâ vitâ inchoandâ, & de divinis mandatis ritè servandis, concipiunt. Denique ait : *Proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

Ex his Concilii locis nemo non inferre potest, & quidem verè & solidè, præfatum sanctioris vitæ propositum non posse concipi sine legitimo & sincero Dei amore. Nam illud ipsum propositum necessariò consequitur detestationem & dolorem de peccato commisso, prout est offensa Dei : ergo etiam necessariò sinceram Dei dilectionem includit.

Nam, ut probavimus, detestatio peccati dolorem parit, ejusdem peccati detestationem & dolorem Dei amor facit : nemo enim ritè detestatur peccatum, nec de illo legitimè dolet, nisi ad eam detestationem & dolorem, Dei, cui adversatur peccatum, sincero amore moveatur. Unde plerique omnes Theologi unâ voce affirmant, contritionem esse dolorem animi de peccato tanquam summo malo abolendo, quatenus Deo super omnia diligendo repugnat. Cùm igitur illud propositum non peccandi de cætero oriatur ex detestatione & dolore de peccato commisso, & detestatio sicut & dolor de eodem peccato ex sincero Dei amore oriatur, propositum melioris vitæ ex eodem divini amoris fonte profluere necesse est. Quorsum enim proponit pœnitens sese ad meliorem recipere frugem, atque adeò peccatum procul ablegare, nisi quia illud detestatur propter Deum, & de illo dolet propter unum ipsum Deum, à quo per illud ipsum peccatum flagitiosissimè recessit ; ita ut si factum vel concupitum contra legem Dei æternam infectum esset, carnificinam potiùs quamlibet subire, quàm in illud consentire mallet ?

Hanc esse mentem Concilii declarat locus ex Ezechiele Prophetâ repetitus. *Projicite à vobis*, ait, *iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis. & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Propheta sicut & Concilium duo per hæc verba à peccatoribus exigit. 1° enim jubet eos projicere à se & excutere flagitia per quæ ab Deo suo desciverunt. 2°. verò ab iisdem postulat, ut sibi faciant cor novum & spiritum novum : quod quidem cor novum & spiritum novum nihil aliud facit quàm charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datur nobis, ut loquuntur Patres & Concilia. Est igitur cor novum illud quod gratuito, sincero & summo Dei amore est accensum.

Ergo cùm Propheta sicut & Concilium jubeant projici iniquitates per verum propositum non peccandi de cætero, & posteà conversi cordis novitatem peccatoribus imperent ; utrumque & Prophetam & Concilium ab iis amorem Dei super omnia diligendi exegisse necessariâ consecutione conficitur.

Quod spectat ad alterum Concilii locum, ubi agitur de pœnitentiâ catechumenorum, & de eorum proposito suscipiendi baptismum, inchoandi novam vitam, & servandi divina mandata ; certum est etiam ex illo confici in proposito necessitatem amoris Dei super omnia diligendi. Nam cùm proponunt suscipere baptismum, volunt incorporari Christo : ergo diligunt Christum. (nemo enim vellet alicui incorporari, id est, in unum cum illo corpus agglutinari & trajici, si odio illum insectaretur.) Deinde proponunt incboare novam vitam, & divina servare mandata : ergo Deum super omnia

inchoatâ saltem dilectione prosequuntur: (qui enim vult novam vitam inchoare, & divina servare mandata, vult diligere; & quia diligere cupit, jam diligere incipit) ergo eorum propositum cum inchoatâ saltem Dei dilectione conjunctum est. Ut igitur legitimum sit cujuspiam pœnitentis propositum, illud etiam gratuitum Dei amorem includere necesse est.

Quisquis proponit sanctiorem agere vitam, & serio peccatum ejurare, agnoscat miseriam suam, confugiat ad divinam misericordiam, ne fortè suis viribus confisus fuerit, in eadem flagitia, à quibus sese abstinere statuit, occulto Dei occultam superbiam punientis judicio revolvatur. Proponat divina servare mandata, sicut Psaltes regius, *Justificationes tuas custodiam*, ait, *non me derelinquas usque valdè*, id 'est, ut explicat S. Augustinus, *Si dereliquisti me, ne glorarer in me, noli usque valdè, & justificatus abs te gloriabor in te.*

Secundum igitur argumentum, quo amoris Dei necessitas in pœnitentia revincitur, petitum est ex definitione contritionis quam profert Concilium loco laudato. Ejus siquidem definitionis partes omnes perspicuè ejus amoris necessitatem astruunt, ut à nobis hactenùs demonstratum est. Sit itaque

Tertium argumentum,

QUO præfatæ divini amoris in pœnitentiâ necessitas astruitur. Petitur ex his Concilii verbis laudatæ sess. 14. cap. 4. comprehensis: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso, ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.*

Ex his Concilii verbis conficitur hoc argumentum.

Motus ille contritionis ex Concilio Tridentino fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam necessarius; ergo & nunc ad impetrandam pariter peccatorum veniam est necessarius.

Antequam hujus argumenti vim explicemus, fecerimus operæpretium, si Petri à Soto viri docti & Caroli Quinti Confessarii verba nostram ad rem mirè conducentia retulerimus. Sic ergo ille in Catholicâ Confessione: *Contritionem vocat Catholica Ecclesia perfectam animi dolorem de peccato, voluntati illi, quâ peccare libuit, oppositum, frangentémque duritiam illam cordis, quâ peccatores divinis præceptis & bonitati resistimus. Dolor quidem imperfectus est ex quantacumque & qualicumque fide procedens, & quantamcumque lachrymas & sensum doloris habeat, quousque Dei charitate, quæ veram fidem prærequirit, sine qua impossibile est placere Deo; charitate, inquam, dilectionéque illius super omnia bona & amabilia procedat, atque ita peccata tanquam Deo opposita, super omnia, quo odio habet, idque verè in divinis oculis detestetur. Hæc contritio semper & ante legem & sub lege, & revelata gratia tempore ad remissionem lethalis peccati necessaria est in adultis.*

Ejusmodi Author duo præstat pulcherrimo illo loco. Nam primò veræ contritionis essentiam explicat. Secundò ejus necessitatem quolibet tempore viguisse, & etiamnum vigere liquidò demonstrat.

Quibus positis, ad argumenti probationem aggredi necesse est.

Contritionis motus fuit quovis tempore necessarius: ergo & nunc maximè necessarius est ad impetrandam peccatorum veniam.

Nam si olim jussi sunt Judæi diligere Dominum Deum suum ex toto corde suo, ex totâ animâ suâ, & ex totâ fortitudine suâ, & si præterea jussi sunt converti ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, illa ipsa duo præcepta multò justiùs Christianis imponuntur. Ut enim Christus prædicat in Evangelio, *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*: ergo cùm in Christianos multo plura & majora quàm in Judæos collata sint beneficia, ab iis repetuntur etiam plura, ut putà ardentior dilectio, & plura charitatis opera. Et hæc est ratio propter quam dilectio in pœnitentiâ, sive spectetur ut virtus, sive consideretur sub sacramenti ratione, requiritur. Quia igitur Deus plura & perfectiora exigit ab Christianis quàm à Judæis: ideò S. Augustinus lib. de verâ Religion. cap. 17. ait, præcepta vitæ in veteri lege minora esse, & in Evangelio majora. Quâ in re graviter allucinarentur Christiani, si minùs quàm Judæi Deum diligere, & per pœnitentiam minùs, id est non ex toto corde, ad eum converti tenerentur.

Hanc ipsam rationem prosequitur idem S. August. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 1. *Si quæritur*, ait, *quid significet mons, benè intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos secundùm ordinatissimam distributionem temporum dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat; & per Filium suum majora populo, quem charitate jam liberari convenerat. Cùm autem minora minoribus, majora majoribus dantur, abeo dantur, qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quòd dantur majora præcepta propter regnum cælorum, & minora data sunt propter regnum terrenum ab eodem uno Deo qui fecit cælum & terram.*

Sancto Augustino astipulantur Patres Græci, Chrysostomus Homil. 26. in Matth. Gregorius Nazianzenus Orat. 41. S. Basilius 10 Regulis moralibus.

Omnium Patrum doctrinam hac in parte pulcherrimè complexus est Salvianus Massiliensis Episcopus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam, his verbis: *Non est quod fugiendum sibi nunc quisquam ad legem putet. Vetera enim, ut ait Apostolus, transierunt, facta sunt omnia nova. Plus tunc indulgentia erat, & plus libertatis: tunc esus carnium prædicabatur, nunc abstinentia: tunc in omni vita jejuniorum paucissimi dies, nunc quasi unum jejunium vita omnis: tunc lasis ultio suppetebat, nunc patientia: tunc irascentibus lex ministra erat, nunc adversaria: tunc adversatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnali illecebræ lex indulgebat, nunc Evangelium nec aspectui: tunc corporea voluptates habebant quandam licentiam, nunc jubentur etiam oculi custodire censuram: tunc ad multas uxores recipiendas unius mariti thorum lex dilatabat, nunc etiam ad unum excludendam casti affectus devotione constringit.*

Et paulò infrà pergit Author: *Sed quærit fortisse aliquis, quid sit istud, quòd nunc plus exigat Deus à Christianis per Evangelium, quàm à Judæis antè per legem? Aperta istius ratio est. Ideò enim majora nunc Domino nostro solvimus, quia majora debemus. Judæi quippè habebant quondam umbram rerum, nos veritatem: Judæi fuerunt servi, nos adoptivi: Judæi acceperunt jugum, nos libertatem: Judæi maledictum, nos gratiam: Judæi litteram interficientem, nos spiritum vivificantem: Judæis servus magister missus est, nobis filius: Judæi per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum: Judæi manna manducaverunt, nos Christum: Judæi carnes avium, nos corpus Christi: Judæi pruinam cæli, nos Deum cæli; qui cùm, ut Apostolus ait, in forma Dei esset, humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortem, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorum suppliciorum perpessione cumulasset. Pro hoc ergo solo quid solvere homo poterit, cui se per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? Aut quid pro*

se dignum Domino repensubit, qui ipsum Deo, à quo redemptus est, Deum debet? Hac ergo caussa est, quâ devotiores esse nos Dominus sibi velit: quia tam magno devotionem nostram pretio comparavit. Et ideo beatissimus Paulus, Quis ergo, inquit, nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Non Apostolus solam pecuniam nec solas deberi à nobis divitias Deo dicit, sed tribulationem, angustiam, famem, gladium, passionem, effusionem sanguinis, animæ exhalationem, mortem denique omni pœnarum genere conditum. Unde intelligant omnes Religiosi non satis se Deo reddere, etiamsi universas dederint facultates; quia licèt cuncta sua dispensent seipsos tamen, debent.

Si quis delectabitur eloquentissimâ veritate, quod olim de se professus est sanctus Augustinus, incredibilem ex isto Salviani loco pati ad eloquentiam veritate condito voluptatem & utilitatem capiet. Nam cùm eloquentiâ delectatus fuerit, captabit utilitatem ex conglobatis incitamentis, veluti totidem facibus, quarum adjumento omnium nostrûm pectora divinæ charitatis incendio ardere oporteat.

Exin mirabitur, imò indignabitur, quòd nonnulli nostrâ hac ætate Theologi ausi sint affirmare, non tantam Christianis impositam esse divinæ dilectionis obligationem, quanta olim Judæis imposita est; quod sanè temerarium est & impium. Cùm enim & pluribus & majoribus citra comparationem beneficiis, quàm Judæi, simus ab ipso Deo cumulati; nemini dubium esse potest, quin ipsum ardentiùs amare, imò redamare, & multò majora illi obsequia præstare debeamus.

Ergo ut ad nostrum argumentum redeamus, si Judæos, si qui erant apud illos, diligere Dominum Deum suum ex toto corde, & pœnitentes ad illum ipsum converti toto corde oportebat; quis vel exiguâ Christianæ religionis notitiâ imbutus illa ipsa ab Christianis multò pluribus potioribusque titulis præstanda esse, infíciari vel poterit vel audebit?

Quartum argumentum.

QUO divinæ dilectionis necessitas comprobatur, petitur ex eo capite quòd Concilium Tridentinum sacramentum pœnitentiæ inter ipsa novæ Legis sacramenta recenseat, & hunc articulum esse de fide, sub anathematis interminatione definiat sess. 7. can. 1. & alibi.

Posito ejusmodi fundamento, sic ratiocinari debet quisque Theologus: Cùm sacramentum pœnitentiæ sit institutum veluti sacramentum novæ Legis, necessariò Dei dilectionem ab suscipiente exigit, quia non potest administrari, prætterquàm iis, qui pertinent ad novum Testamentum: atqui qui agunt & aguntur solo timore pœnæ, seclusâ Dei dilectione, nondum ad novum Testamentum, sed ad vetus dumtaxat pertinent, ut colligitur ex cap. 8. Epist. ad Romanos, & passim ab S. Augustino traditur: ergo neque potest, neque debet iis pœnitentiæ sacramentum administrari.

Quemadmodum enim adultus non debet ab Ecclesiâ per lavacrum regenerationis initiari, nisi Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere cœperit, ut paulò antè vidimus ex Concilio Tridentino; ita etiam nemo pœnitens per sacramentum pœnitentiæ Deo suo reconciliari debet, quin saltem inchoatam in illum dilectionem exhibuerit.

Quod quidem perspicuè declarat ipsa illa sacrosancta Tridentina Synodus sess. 14. c. 1. de necessitate & institutione sacramenti pœnitentiæ, ubi sic loquitur: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut per-*

versitate abjectâ & emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.

Ergo si Ecclesia in Spiritu sancto legitimè congregata ab catechumeno postulat, ut perversitate abjectâ & emendatâ peccatum lethale, prout est gravis Dei offensio, oderit & detestetur pio animi dolore: (quod sine amore saltem inchoato fieri non potest) an minorem cordis præparationem, an minorem dilectionem, an pœnæ dumtaxat timorem exiget ab homine regenerato, qui perfidum dixerit sacramentum, id est initum per regenerationem cum Christo pactum lethali flagitio violaverit? Absit, absit: peccata remittuntur conversis ad Deum ex toto corde, id est super omnia ipsum Deum diligentibus, & ipsius causâ peccatum detestantibus: ergo ut fidelis peccatorum veniam impetret, Deum super omnia diligat necesse est. Non enim peccatum ritè detestari potest, quin dilectionem Dei habeat.

Unde S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. *Ergo dicendum*, ait, *quòd ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud: & ideò sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo.*

Et in eadem quæst. art. 7. ad 2. *Liberum arbitrium potest simul in duo moveri, secundum quòd unum ordinatur in aliud; motus autem liberi arbitrii in peccatum ordinatur ad motum liberi arbitrii in Deum: propter hoc enim homo detestatur peccatum, quia est contra Deum, cui vult adhærere, per dilectionem scilicet: ideò liberum arbitrium in justificatione impii simul detestatur peccatum, & convertit se ad Deum, sicut etiam corpus simul recedendo ab uno loco accedit ad alium.*

Ex his Doctoris Angelici locis quid aliud infertur, quàm neminem ritè peccata detestari, nec eorum veniam consequi, nisi Deum super omnia inchoatâ saltem dilectione prosequatur.

Prætereà si timor pœnæ secluso Dei amore, ut aliqui contendunt hac nostrâ ætate Theologi, sufficit ad justificationem peccatoris cum sacramento pœnitentiæ; sequitur hominem posse salutem æternam assequi sine novi Testamenti gratiâ, quæ nos filios Dei efficit in spem vitæ æternæ. Ex eorum quippè sententiâ quisquis solo timore pœnæ secluso Dei amore pœnitentiæ sacramentum suscipit, justificatur; si justificatur, debetur illi salus æterna, utpotè cuilibet justificato repromissa: ergo cùm per unum dumtaxat timorem pœnæ secluso Dei amore justificatus fuerit, atque adeò de æternâ salute assequendâ certior sit factus; rectè conficitur, hominem sine gratiâ novi Testamenti posse salutem æternam adipisci. Ergo gratis Christus mortuus est: ergo frustrà *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, ut loquitur Apostolus cap. 4. Epist. ad Gal. vers. 4. & 5.

Quid enim œconomia sive incarnatio Verbi, & dispensatio tot mysteriorum, quid ipsa Christi mors acerbissima, quid denique adoptio filiorum, quam Christus nobis acquisivit sanguine suo, hominum generi contulit, si per unum spiritum timoris in servitute, (qui erat proprius antiquæ legis, sine ullo Dei amore, qui spiritum filiorum) atque adeo novi Testamenti gratiam facit, ad æternam gloriam pervenire possumus?

Adde quòd Christum gravi injuriâ afficimus, abjecto quippè & abdicato Testamento, cujus mediator est, & abdicatâ charitate scriptâ digito Dei in tabulis cordis carnalibus, (quæ propriè loquendo est essentia novi Testamenti) ad legis antiquæ spiritum penitùs in pœnæ timore positum volumus revolvi, dum hominem uno timore pœnæ secluso Dei amore justificari in sacramento pœnitentiæ, atque adeò ita justificatum salutem æternam consequi asserimus.

Quintum argumentum,

QUo divinæ dilectionis necessitas etiam in sacramento pœnitentiæ astruitur, petitur ex definitione contritionis imperfectæ seu attritionis, quam affert Concilium Tridentinum sessi… 14. c. 4.

Ut tota res accuratiùs expendatur, proferenda sunt ipsius Concilii verba. *Illam verò contritionem imperfectam, ait, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur. Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

In his verbis Concilium quatuor pronuntiata ad contritionem imperfectam seu attritionem requisita declarat, quæ omnia divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitatem non obscurè stabiliunt.

1°. Enim declarat ejusmodi contritionem imperfectam peccandi voluntatem excludere oportere.

2°. Cum spe veniæ conjunctam esse debere.

3°. Esse impulsum Spiritus sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis.

4°. Denique pœnitentem sancti Spiritus impulsu adjutum per eam contritionem sibi viam ad justitiam parare.

Quæ omnia, ut mox apparebit, divinæ dilectionis in pœnitentiæ sacramento necessitatem ineluctabiliter asserunt.

Primò igitur, ex mente Concilii contritionem illam imperfectam peccati voluntatem excludere necesse est: ergo etiam divinam dilectionem includere necesse est. Non enim excluditur peccandi voluntas, nisi per dolorem & detestationem de peccato commisso: atqui dolor & detestatio rectè concipi & haberi nequeunt, nisi ille diligatur, de cujus offensa dolemus: ergo cùm dolor & detestatio sine Dei dilectione in pœnitentis corde consistere nequeant, neque etiam peccandi voluntas sine Dei dilectione ab pœnitentis corde ablegari & excludi poterit.

Huc accedit, quòd Concilium Tridentinum session. 14. cap. 1. declarat quovis tempore hominibus quibuslibet, etiam catechumenis, pœnitentiam fuisse necessariam, ut (sunt Concilii verba) perversitate abjectâ & emendatâ tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur. Quæ verba quia argumento superiori expendimus, dico hic tantùm pium illum dolorem quo quilibet Dei offensionem debet detestari, divinæ dilectionis necessitatem probare: nulla enim est, vel esse potest pietas, quin ex divinæ dilectionis actu oriatur.

Unde S. Augustinus Epist. 120. ad Honorat. c. 18. *Pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando.* Quod adeò verum est, ut ipsummet Concilium peccatorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum pro una eademque re habeat session. 6. cap. 14. ubi sic loquitur: *Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò esse aliam à baptismali, eâque contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum; verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam.*

Vult ergo Concilium, Christiani hominis post lapsum pœnitentiâ contineri peccatorum detestationem aut cordis contritionem, quod cùm sine divina dilectione præstari nequeat, necessariò divinam dilectionem eâdem penitentiâ contineri affirmat. Nemo igitur ritè sacramentum pœnitentiæ suscipere poterit, quin contritionem saltem imperfectam, id est cum inchoata Dei dilectione conjunctam, velut animi præparationem ad reconciliationem sui cum Deo, penitùs necessariam, imò indispensabilem ex mente Concilii ad illud ipsum sacramentum afferat.

Sacrosancta Synodus eo ipso quem expendimus loco, declarat contritionem imperfectam peccandi voluntatem excludere oportere; & ejusdem sess. 14. can. 5. cum proposito melioris vitæ conjunctam esse debere. Per quod, (ut doctè observavit Estius in 4. ad dist. 16. §. 9.) ab hac imperfecta contritione, quam & perfectam attritionem nominare licet, removetur omnis ea attritio, quæ nascitur ex solo timore vel temporalis, vel æterni & spiritualis damni aut supplicii: siquidem timor servilis, sicut voluntatem non corrigit, ita voluntatem peccandi non excludit. Unde Augustinus Epist. 144. *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat.*

Franciscus Suarez in 3. p. disp. 20. sect. 2. p. 271. pulchrè explicat, de qua voluntate Concilium intelligi oporteat. *Concilium Tridentinum*, inquit, *expressè requirit attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, non negativè tantùm per solam cessationem à tali voluntate; hoc enim modo qualibet cogitatio alterius rei peccandi voluntatem excludit: sed positivè per formalem aut virtualem repugnantiam, veramque mutationem voluntatis dissentientis peccato & consentientis gratiæ Dei.*

Item eadem disput. sect. 4. p. 276. *Sumitur*, inquit, *ex eodem loco Concilii Tridentini dicentis talem necessarium esse dolorem quo peccandi voluntatem excludat, id est cum quo voluntatem peccandi simul esse repugnet: alioquin quamvis contingat hominem habere dolorem, & non habere actualem voluntatem peccandi, si tamen dolor talis non est, ut ex se non repugnet simul esse cum tali voluntate, reverà non est dolor, qui excludat illam voluntatem, sed aliunde contingit illa carere. At verò quoties displicentia de peccato talis est, ut ex se habeat adjunctam solam velleitatem non peccandi, quantum est ex se, non excludit voluntatem peccandi, quia voluntas peccandi & velleitas non peccandi optimè possunt esse simul.*

Ex his duobus istius Theologi locis colligitur Concilium requirere attritionem quæ peccandi voluntatem excludat, non negativè solùm per meram cessationem à tali voluntate, sed etiam positivè per veram mutationem voluntatis dissentientis peccato & consentientis gratiæ Dei: ita ut dolor de peccato cum peccandi voluntate consistere nequeat.

Cùm igitur attritio de qua loquitur Concilium sine Dei amore non possit excludere peccandi voluntatem, nec eum efficere dolorem, qui cum peccandi voluntate consistere nequeat, necessariò concludendum est ad eam attritionem, quam requirit Concilium, divinam requiri dilectionem.

Quòd peccandi voluntas per divinam dumtaxat dilectionem excludi valeat, docent passim sancti Patres.

S. Augustinus libro 2. cont. Adversar. Leg. & Prophetar. cap. 7. *Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.*

S. Ambrosius lib. 8. in Lucam cap. 17. *Qui metuit, reprimitur, non emendatur.*

S. Gregor. Magnus lib…… Moral. c. 27. *Sancta*, inquit, *Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis viam timore inchoat, sed charitate consummat, cui tunc est funditus à malo recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cùm verò timore adhuc bona agit, à malo penitus non recessit.*

Igitur ex mente SS. Patrum, nemo potest abjicere peccandi voluntatem ut oportet, quin Deum & quidem super omnia diligat, & ejus amoris impulsu & peccatum & peccandi voluntatem valere jubeat.

Quod quidem eo certius est, quo manifestiùs cernimus aliquam cupiditatem, sive bonam sive malam,

non posse nisi ab fortiore superari: Dei igitur amorem ad vincendum & debellandum amorem mundi, fortiorem esse necesse est. Ergo nemo potest, sicut oportet, peccandi voluntatem abjicere, quin Deum ardentiùs, quàm mundum diligat, idque non verbo neque linguâ, sed opere & veritate testatum faciat.

Hac in parte plerique omnes graviter allucinantur, quippe qui nihil interesse credant inter voluntatem efficacem, & voluntatem simplicis complacentiæ. Constat ex omnium Theologorum sententiâ, duplicem esse affectum voluntatis: unus nimirum est, qui tendit in rem non tantùm secundùm se, sed prout acquirendam & mandandam executioni; & hic affectus dicitur voluntas efficax, eo quòd feratur in rem efficiendam, & effectu ipso consequendam. Quòd si quis interdum non exequatur id quod desiderat, satis est conari ad id ex parte sua, ut dicatur id desiderare: & ideò censeri debet efficax illa voluntas, quæ revera tendit in rem cum affectu, etiamsi ratione periculi cujuspiam aut difficultatis, aut alterius alicujus circumstantiæ ab eâ retrahatur.

Alter affectus voluntatis est cujusdam solius complacentiæ de re cogitatâ secundùm se, & hic affectus voluntas inefficax appellatur: neque enim omnia quæ nobis secundùm se considerata placent, opere ipso exequi desideramus & contendimus. Dicitur etiam hæc voluntas solius complacentiæ simplex affectus, quia fertur in rem simpliciter, hoc est secundùm se sine ullo ad executionem ordine consideratam.

His ita prælibatis, statuendum est ex mente Concilii, contritionem illam imperfectam de quâ quæstio est, necessariò includere amorem Dei saltem inchoatum, cùm voluntatem seu voluntatem non peccandi de cætero, non qualecumque, sed positivum & efficax propositum necessariò requirat.

Ubi advertendum est illud propositum, etiam censeri efficax saltem quoad conatum, quod reipsa cum affectu tendit in rem, licèt ad illam propter diuturnam & inveteratam peccandi consuetudinem exempli gratiâ, aut propter alteram rem quampiam ejusmodi ad effectum pertingere nequiverit. Quod sanè attentiùs intueri debent Confessarii, qui pœnitentibus in altam peccandi consuetudinem immersis absolutionem sacramentalem denegant, donec in iis anteactæ vitæ odium & novæ inchoatio, atque adeò emendationis spes non pœni[...]da affulgere cœperit: nam tunc temporis ardentiùs [...]excitandi, & adjuvandi sunt, donec Spiritus sanctus per infusam charitatem peccandi voluntatem ex eorum corde penitùs excluserit: quod quidem per opera deprehendi necesse est.

Secundò

Docet Concilium, contritionem illam imperfectam cum spe conjunctam esse oportere: ergo & cum divina dilectione conjunctam e[...] necesse est. Omnis enim spes est motus appetitionis, quæ quidem ex amore proficiscitur, siquidem ille amor, si bonum abest, in illud fertur per desiderium, quod si comparatu difficile & arduum extiterit, in illius assequendi spem erigitur, ut in eo comparato per gaudium fruendo requiescat. Cùm igitur quispiam Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere cœperit, inchoata illa dilectio assurgit ad spem multò majorem aliquando perveniendi ad illum omnis justitiæ fontem. At quia æternum illum veritatis & justitiæ fontem per peccatum cisternas dissipatas quæ non valent continere aquas, sibi fodiendo deseruit, erigitur in spem veniæ per Christum consequendæ. Atque ita qui se convertit ad considerandam Dei misericordiam in spem veniæ erectus Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit; ita ut spes in ejus animo per Spiritum sanctum accendat inchoatæ dilectionis ignem, & inchoata dilectio & veniæ & salutis æternæ spem & alat & augeat. Quemadmodum igitur, ut ait S. Augustinus, fides fundit orationem, & fusa oratio fidei impetrat firmitatem: ita etiam in cordibus pœnitentium spes ingenerat dilectionem, & dilectio spei tribuit firmitatem. Ac reipsa quidem ex Apostolo spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Roman. 5. v. 5.

Ergo ut spes vera sit, & non confundat, charitatem in cordibus per Spiritum sanctum diffusam postulat. Non potest igitur quis habere contritionem imperfectam cum spe veniæ conjunctam, ut requirit Concilium Tridentinum, quin Deum gratuita charitate, non amore concupiscentiæ diligat. Quod certissimum est, cùm ex Apostolo loco laudato pateat luce clariùs, amorem concupiscentiæ ab verâ spe, quæ non confundat, omninò esse removendum, quippè quæ nulla sit vera spes, nisi propter charitatem quam Spiritus sanctus in hominis corde diffuderit.

Ex limpidissimis Apostolicæ doctrinæ fontibus manavit constans & perpetua S. Augustini doctrina, quâ contendit spem ab amore non posse separari. Sic enim loquitur in Enchirid. cap. 8. *Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes verò sine amore esse non potest. Denique, ut ait Jacobus Apostolus, & dæmones credunt & contremiscunt, nec tamen sperant vel amant, sed potius quod speramus & amamus, credendo venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat, quæ utique sine spe esse non potest; proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neque utrumque sine fide.*

Cùm ex his Augustini verbis liqueat non posse spem Christianam ab inchoatâ saltem charitate separari, necessariâ consecutione conficitur, neminem posse rectè sperare in Deum, nec quicquam ab illo per spem expectare, nisi illum diligat gratuitæ charitatis affectu, quem ab ipsâ spe divelli non posse non uno in loco S. Augustinus asserit.

Tertiò

Concilium Tridentinum docet, contritionem illam imperfectam esse impulsum Spiritus sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis. Quæ verba satis apertè innuunt, animo peccatoris ab movente Spiritu dilectionem saltem inchoatam inspirari. Nam quorsùm Spiritus sanctus nos movet & excitat, nisi ut charitatem accendat in cordibus nostris, & accensam nutriat, vel per lethale flagitium extinctam suo ardore & lumine reaccendat. Ideoque nemo dubitare potest, quin inspiratio illa dilectionis, quæ fit à Spiritu sancto tangente & impellente & inflammante cor hominis, sit gratia Salvatoris propriè dicta, atque adeò illud ipsum cor hominis justitiæ dilectione & delectatione afficiat. Non enim fit verosimile, quòd Spiritus sanctus, quem Deus mittit in corda nostra clamantem, Abba, Pater, tangat cor hominis & concutiat terrore pœnæ dumtaxat, & nihil amoris in illud infundat. Quod admitti non potest, quin pariter admittatur, vel nullam cordis conversionem, & dilectionem ad pœnitentiam requiri, vel eam dilectionem à Spiritu sancto non infundi; quod utrumque sustineri non potest.

Nam si quis ita sentiret, adversaretur sacrosanctæ Synodo Tridentinæ definienti Can. 3. session. 6. neminem posse diligere & pœnitere sicut oportet sine Spiritus sancti auxilio. *Si quis*, ait Concilium laudato Canone 3. *dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei*

justificationis gratia conferatur, anathema sit. Hoc in Canone sacra Synodus enumerat præcipuos actus qui comitantur & constituunt pœnitentiam tam catechumenorum, quàm post baptisma lapsorum, quos jam anteà cap. 6. ejusdem 6. sessione. ceu ad utramque pœnitentiam necessarios percensuerat, & eos ascribi Spiritui sancto moventi cor hominis, & nondum inhabitanti, & inter illos actus annumeratur ipsa dilectio : ergo ex impulsu Spiritus sancti nondum inhabitantis, sed dumtaxat moventis, rectè colligitur inspiratio dilectionis, quâ pœnitens Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit, atque per ejusmodi dilectionem ad justificationem præparatur.

Licèt igitur Concilium ejusmodi dilectionis nihil meminerit imperfectam illam contritionem explicans; illam tamen in eâ includere voluit, cùm affirmavit esse impulsum Spiritus sancti moventis : siquidem Canone superiùs relato dilectionem sicut & cæteros pœnitentiæ actus illi attribuit : ergo & illam ipsam dilectionem etiam in contritione imperfectâ ab eodem Spiritu sancto inspirari affirmandum est, alioquin Concilium pugnantia loqueretur eadem de re, & assereret uno in loco quod in altero retexeret : quod cùm citra blasphemiam dici nequeat, habendum est pro comperto, Concilium & Can. 3. sess. 6. & cap. 6. ejusdem sessione. & cap. 4. sessione. 14. declarare necessitatem dilectionis in pœnitente, quæ dilectio à Spiritu sancto divinæ dilectionis fonte proficiscatur.

Quod mirabiliter confirmat S. Augustinus, dum explicat quo pacto medicinalis Christi gratiæ œconomia in hominis corde peragatur. Juvat ipsissima ejus afferre verba prompta ex lib. de spiritu & litt. cap. 29. & 30. *Ex lege timemus Deum*, ait, *ex fide speramus in Deum ; sed timentibus pœnam absconditur gratia, sub quo timore anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc est lex fidei, charitas ejus conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum. Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam ? absit ; sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio; sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur; ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur. Omnia hæc quæ velut catenatim connexui, habent voces suas in Scripturis. Lex dicit, Non concupisces. Fides dicit, Sana animam meam, quia peccavi tibi. Gratia dicit, Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid deterius tibi aliquid contingat. Sanitas dicit, Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me. Liberum arbitrium dicit, Voluntariè sacrificabo tibi. Dilectio justitiæ dicit, Narraverunt mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex tua, Domine. Ut quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt ? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrii utique libertatem sonare. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio ? à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint ? An ita sunt liberi, ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit, Sine me nihil potestis facere : et si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Ex miro illo S. Augustini loco ceroitur & apparet, tota gratiæ Christianæ œconomia, quæ præcipuè divinam dilectionem nostris in cordibus per Spiritum sanctum diffundi solitam prædicat. Ergo ut ad propositum redeamus, in contritione illâ imperfectâ, eo nomine quòd est impulsus Spiritus sancti moventis cor hominis, Dei super omnia dilectionem includi rectè & theologicè concluditur.

Quartò

Declarat Concilium, illo sancti Spiritus impulsu adjutum pœnitentem per contritionem illam imperfectam viam sibi ad justitiam parare : ergo per inchoatam Dei super omnia dilectionem sibi viam ad justitiam parat. Contritio enim illa imperfecta debet excludere voluntatem peccandi de cætero : debet esse conjuncta cum spe veniæ per Christum consequendæ : est impulsus Spiritus sancti : ergo, ut hactenùs probatum est à nobis, necessariò saltem inchoatum Dei amorem super omnia includit.

Adde quòd possunt considerari tres gradus attritionis, ex omnium Theologorum sententiâ.

Primus est, cùm quis dolet de peccato commisso propter metum gehennæ peccatoribus præparatæ, id est pœnæ æternæ, quam solo fidei lumine illustratus cognoscit. Hic dolor sicut & gehennæ, Dei donum est, & in solis credentibus reperitur.

Sed hæc attritio non est imperfecta illa contritio de quâ Concilium loquitur, nec sufficienter hominem præparat ad peccatorum remissionem in sacramento pœnitentiæ consequendam : quamvis enim timor pœnæ sit donum Dei, cùm tamen per se peccandi voluntatem excludere nequeat, (quod in utraque contritione tam scilicet perfecta quàm imperfecta ab Concilio requiritur) ut suprà vidimus, nisi accesserit amor justitiæ, hominem in pristinam Dei amicitiam restituere non poterit.

Secundus attritionis gradus est, cùm quis dolet de peccato propter Dei offensam, non tamen absoluta & efficaci, sed suspensâ & inefficaci voluntate, cum aliquali emergendi è peccato desiderio conjuncta, non tamen peccatum deserit, non peccati affectum abjicit, & ab peccandi occasionibus nihil recedit, nec arripit ea media per quæ Deus offensus placari, & nostra nobis flagitia condonare solet. Ejusmodi homines æquiparandi sunt pigro, qui, ut loquitur Scriptura, vult & non vult.

Sed hæc attritio est dumtaxat commentitia & cadere solita in fœneratores, in impudicos & alios id genus peccatores, qui cùm sponte hæreant in peccato & in peccati occasionibus, per evanida quædam emendationis desideria sibi blandiuntur de veniâ cum sacramentorum susceptione consequendâ, quam tamen nusquam sunt consecuturi, nisi & peccatum & peccati affectum & peccati occasiones ex animo abjecerint.

Tertius attritionis gradus fit, cùm quis dolet de peccato propter humana quædam & naturalia pœnitentiæ incitamenta, v. g. propter amissam sæculi existimationem, propter naturalem peccati turpitudinem, & ex eo consequentem pœnam, putà stimulantem maleficiorum conscientiam, & alia id genus, quæ plurimorum animos altiùs in sæculi amorem immersos dolore afficere & interdum obruere solent. Et hæc est tristitia sæculi, quæ secundùm Apostolum, mortem operatur, 2. Corinth. cap. 7. quia, ut ait S. Thomas in hunc locum, *qui dili-*

git sæculum, inimicus Dei constituitur, Jacob. 4. Ideò ex amore sæculi mors causatur; tristatur enim secundùm sæculum quis, non quia peccans Deum offendit, sed quia deprehensus in peccato, punitur de eo, & detegitur. Et hæc tristitia est vitanda in peccatis, Eccl. 30. Tristitiam longè repelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in eâ.

Sed hæc attritio cùm ex solis naturæ viribus oriatur, hominem etiam accedente sacramento justificare non potest, sicut nec aliæ à nobis hoc loco commemoratæ: ergo peccatorem non per unum pœnæ timorem, non per voluntatem suspensam & inefficacem, non denique per damna temporalia; sed per inchoatam saltem Dei dilectionem ad Deum suum reverti, atque ita ad sacramentum pœnitentiæ præparari necesse est. Necesse est igitur ut verè pœnitens doleat de peccato quatenùs est offensa Dei, & absolutè proponat non peccare de cætero, licèt id faciat imperfecta, remissa ac debili voluntate, id est inchoata charitate. Et hæc est attritio seu contritio imperfecta, & veri nominis contritio, quæ cum sacramento pœnitentiæ ad veram pœnitentis justificationem sufficit.

Hoc autem attritionis genus intellexisse videntur Patres Tridentini Concilii, ut colligit doctissimus Estius loco laudato, dum explicat illum ipsum Concilii locum, quem hactenus condavimus; & ita Concilium intelligi oportere convincit Ninivitarum exemplum, quo utitur: *Hoc enim*, ait, *timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Vult ergo Concilium Ninivitarum pœnitentiam ab timore pœnæ inchoatam, sed posteà gratuitâ charitate & Dei super omnia dilectione fuisse perfectam, ita ut Ninivitæ toto corde contriti, toto corde ad Deum conversi, ab ipso misericordiam impetrarent.

Quod verissimum esse sacræ Litteræ contestantur, ut patet ex cap. 3. v. 10. Jonæ Prophetæ: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis; & non fecit.*

Ex hoc loco patet, veram illam extitisse Ninivitarum conversionem. Illam quippè vidit non homo qui facilè allucinatur & decipi potest, sed Deus scrutans corda & renes, cujus oculis omnia nuda & aperta sunt. Ergo Deum super omnia dilexerunt, illique suam pœnitentiam, alioquin repudiandam, acceptam & divinâ dignam misericordiâ reddiderunt.

Si enim conversio, seu vera conversio, seu conversio ex toto corde, (hæc enim omnia idem sonant) requirit,

Primò, ut peccator necessariò recedat ab omni iniquitate, & omnem & peccandi affectum & voluntatem abjiciat. Ninivitæ conversi sunt de viâ suâ malâ, ut loquitur Scriptura loco laudato.

Secundò, si vera cordis ad Deum conversio postulat dolorem de peccato, prout est offensa Dei, quem super omnia diligere, & omnibus anteponere tenentur homines; maximè de suis peccatis Ninivitæ doluerunt, siquidem, ut erant justi, clamaverunt ad Dominum in fortitudine, ut satis facit Textus innuit.

Tertiò, si ad eandem conversionem requiratur rectitudo cordis, ita ut nulla fraus in intimo cordis recessu, nullus dolus oblitescat, nec sibi mentiatur iniquitas, sincera sanè & infucata fuit Ninivitarum conversio. Nam ex animo in opera pœnitentiæ incubuerunt: ergo & sincerè conversi sunt. Ut enim ait S. Gregorius in cap. 15. lib. 1. Reg. *Tunc benè conversum peccatorem cernimus, cùm digna austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.*

Quartò, si ad veram conversionem gratuita & Dei super omnia dilectio requiratur, ita ut præ ipso Deo cætera contemnantur omnia, atque adeò ipse propter semetipsum duntaxat, & cætera qualiacumque sint propter illum diligantur: Ninivitæ profectò divinæ dilectionis igne conflagrarunt. Nam, ut ait S. Leo, *rationalis animus qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.* Atqui Ninivitæ mundum diligere desierunt: ergo Deum & quidem super omnia dilexerunt.

Quod Ninivitæ mundi amorem abjecerint, facilè probari potest, quia *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* 1. Joann. cap. 2. v. 16. Atqui Ninivitæ omnia ista inter opera pœnitentiæ repudiarunt: ergo amorem mundi revulserunt suis ex animis, & corda sancto Spiritu afflata divinæ charitati reserarunt.

Ubi primùm Jonam voce terribili suæ civitatis stragem & exitium intentantem audierunt, sibi quamprimùm abjudicarunt omnes delicias quibus ad illud usque tempus prodigialiter indulserant. Nam, ut ait S. Joannes Chrysostomus Hom. 1. de Pœnit. *audierunt illi hæc, neque non crediderunt, neque neglexerunt; sed illicò cursus omnium unus ad jejunium virorum mulierumque, juvenum, senum, servorum, principum, subditorum, puerorum, antiquorum, ita ut nec ratione carentium ab eo austeritatis officio immunis ageret, ubique sacci, ubique cinis, ubique fletus & ejulatus. Nam & diademate redimitus è regali solio exiliens saccum sibi substravit, sibi cinerem aspersit, & sic omnem urbem ex imminenti periculo eripuere. Et profectò novum erat insolensque spectaculum intueri purpuram, quæ sacco admirabiliorem effectum exitumque cederet. Quod enim purpura nequivit, id saccus potuit; quod diadema consummare non valuit, idipsum cinis perfecit.*

Et, ut ait S. Ephrem, *non cernebatur ibi quisquam hilaritati, aut risui, vel ludicris rebus deditus, quia omnes pectus tundendo plangebant; nam lachrymarum vim quandam inauditam profundebant, & misericordiam per pœnitentiam comparabant*

Idem S. Ephrem in eadem Homilia de Jona & Ninivitis avaritiam ab ipsis contritam in ipso exordio deprædicat. *Audierunt*, inquit, *divites vocem Jonæ, & subitò thesauros suos pauperibus aperuerunt: audierunt creditores, & mox tabulas & syngraphas quas habebant, sciderunt, adhuc eis prætereà largientes: audierunt debitores, & secum cogitabant justum id esse, ut quæ debebant, redderent. Nam quisque studebat quæ salutis suæ essent, curare. Non erat ibi homo qui subdolâ aliquâ vafritie vellet quidpiam lucrari: quoniam omnes unâ justâ voluntate atque proposito in animum induxerant, qui ratione animam suam lucrari possent.* Hactenùs S. Ephrem qui apertè indicat Ninivitas avaritiam debellasse, sicut S. Joannes Chrysostomus delicias abdicasse commemorat. Eos etiam cordis superbiam fregisse, satis & plusquam satis demonstrat altissima illa humilitas, quâ Deum in se innumeris sceleribus accensum placare potuerunt.

Ex dictis perspicuum est, eos odisse mundum; omnia siquidem quæ blandiuntur & emicant in mundo, exosa penitùs habuerunt: ergo Deum & quidem super omnia dilexerunt. Nec enim sacræ Litteræ coram Deo conversos eos asseverarent, nisi ex toto corde Deum diligerent. Ergo ex eo Ninivitarum exemplo, quod protulit Concilium, rectè colligitur illud requirere cordis conversionem, id est Dei super omnia dilectionem ad præstandam etiam imperfectam contritionem; alioquin perperàm (absit verbo invidia) ratiocinarentur Concilii Patres. Nam si contritionem imperfectam sine Dei dilectione posse consistere declarare vellent, vel reipsâ declararetur, sequeretur ex eorum decreto, Ninivitas uno

dumtaxat timore pœnæ sine ullâ Dei dilectione pœnitentiam egisse : quod quidem adversatur sacris Litteris, quæ illos ad Deum verè conversos fuisse, atque adeò ejus amore conflagrasse liquidò contestantur.

Et hoc certissimum est : nemini enim latet Scripturam divinitùs inspiratam nullam meminisse & probare conversionem, quin fiat ex toto corde, id est Deus per culpam offensus, & per pœnitentiam super omnia dilectus hominem suam in amicitiam, & in filiorum adoptionem restituat.

Sextum argumentum, quo probatur divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitas,

Petitur ex eo capite, quòd multi graves Theologi qui Concilii Tridentini tempore floruerunt, & ipsi Concilio interfuerunt, eo peracto & fœliciter divinâ gratiâ consummato eandem illam divinæ dilectionis necessitatem ad ritè suscipiendum pœnitentiæ sacramentum magnâ fidelium & eruditorum omnium approbatione, quà vivâ voce, quà scriptis constantissimè tradiderunt.

Præclarum illud & illustre Theologorum stadium aperiet S. Thomas de Villa-nova Valentinis in Hispania Archiepiscopus ab Alexandro VII. relatus in Sanctorum numerum, qui licèt non interfuerit Concilio Tridentino, cui poterat interesse, Concilii tamen Patres Episcopali vigore & prudentiâ per litteras identidem missas mirabiliter adjutavit.

Eximius ille Antistes illâ ipsâ Passionis Dominicâ gregem suum ad veram contritionem sic informavit: *Contritio juxta Theologorum sententiam est dolor voluntariè assumptus pro peccato, cum proposito confitendi & satisfaciendi ; potest addi, & iterum non peccandi.*

Dicitur voluntariè assumptus, propter quod & pœnitentia in morte suscepta aliquo modo suspecta est, quia non voluntate liberâ, sed magis timore fit, & quasi quadam violentiâ instantis periculi.

Et paulò pòst explicans hanc definitionis vocem, *pro peccato*, sic loquitur : *Non de damno vel de pœna vel de infamia, vel de turpitudine & vilitate peccati; sed dolendum est de peccato, prout offensa Dei, sic ut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus aut judicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus. Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore sui. Unde Augustinus: Oportet pœnitentem non solùm Deum timere judicem, sed & justum diligere.* Hæc ille.

Franciscus Sonnius primùm Sylvæducensis, posteà Antuerpiensis Episcopus, ab Philippo II. ad Concilium Tridentinum missus, tract. 4. de Pœnit. quem edidit anno 1576. hanc ipsam doctrinam astruit his verbis: *Conteritur autem, atteriturve, quando peccator incipit sibi ex corde displicere super turpitudine & pravitate commissorum, atque seriò odisse malè actam vitam suam, commemorando secum, quòd fontem bonitatis perdiderit, quòd mortem invenerit, quòd funibus illaqueatus existat. Quæ sanè si fiat, prorsus ex amore ad bonum Deum cum fiducia inveniendæ reconciliationis per Christum est contritio : sin autem remissè vel solo metu pœnæ evadendæ, est attritio non efficiens veram pœnitentiam ; attamen ad illam præparans.* Hæc ille.

Ruardus Tapperus per triginta & novem annos Scholam Theologicam Lovanii moderatus, & Lovanio Tridentum evocatus, qui scribebat anno 1555. id est quatuor annis post peractam Concilii Tridentini sessionem 14. eandem asserit doctrinam. *Ne homo quidem justus, ait, placaretur, cùm is qui læsit, nullam ipsius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui jacturam propriam sentit & dolet, non amici offensionem. Et passim requirunt Scripturæ, ut pœnitentes convertantur ad Dominum : Convertimini, inquit Propheta Joel, ad me in toto corde vestro.* Hæc ille in Commentario articuli quinti Confessionis Catholicæ Academiæ Lovaniensis de Articulis controversis, ubi sic loquitur erudita illa Academia præfato in articulo : *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi & satisfaciendi ; non autem (ut quidam hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem.* Hunc articulum sicut & cæteros in suâ Confessione Catholicâ comprehensos edidit celebris illa Academia anno reparatæ salutis 1544. sexto Decembris, id est uno anno ante primam sessionem Concilii Tridentini.

Eandem omninò doctrinam denuò stabilit eadem ipsa Academia, die ultimâ Maii anni 1662. rogatu Pastorum Gandavensium, qui tunc temporis pulcherrimum edidere tractatum ad demonstrandam divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitatem, & in Curiâ Academicâ sub juramento convocata & congregata declaravit attritionem, quæ ex solo gehennæ aut pœnarum à Deo infligendarum metu concipitur, sine interventu alicujus saltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum non sufficere ad justificationis gratiam in sacramento impetrandam.

Præterea illa ipsa Theologorum Lovaniensium Facultas unanimi consensu censuit, doctrinam dicti articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & meritò fidelibus prædicandam esse & inculcandam, & insuper fundamenta quibus doctrina illa nititur, solida esse. Id totum patet ex judicio quo die & anno præfatis in lucem edidit.

Hanc doctrinam ejusdem Academiæ celeberrimi Doctores sibi veluti per manus ab majoribus traditam litteris consignarunt. Instar omnium audiendus est Adrianus VI. Doctor Lovaniensis, quem virum fuisse optimum & doctissimum, & merito doctrinæ & pietatis ex humili loco & pauperrimâ domo ascendisse ad magnas opes & majores honores affirmat Bellarminus in libro de Scriptor. Ecclesiasticis. Is, inquam, summus Pontifex qui vivebat anno salutis 1500. & scribebat triginta quinque circiter annis ante Concilium Tridentinum, definit pœnitentiam in 4. Sentent. q. 1. *Pœnitentia vera*, ait, *est dolor voluntarius propter Dei offensam, &c. Subditur*, pergit ibidem, *in definitione, propter Dei offensam, quia si quis de peccato doleat, propter pœnam aut consimilem causam non est vera pœnitentia. Unde Gregorius tractans illud Genesis 3. de Adam quomodo se abscondit, &c. Cùm ex peccato pœna metuitur, & Dei facies non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate : superbit enim qui peccatum, si liceat impunè, non deserit. Unde apud damnatos est pœnitentia juxta illud Sapient. 5. Dicent intra se pœnitentiam agentes ; sed infructuosa, quia propter læsionem naturæ, vel punitionem, non autem quia est offensa divina majestas, aut læsa justitia.* Et q. 2. dubio 5. *Nisi vehementer doleat* (pœnitens) ait, *ad minus causaliter, contritus non est, neque peccatorum remissionem assecutus. Dico notanter, causaliter, quia nisi perfectâ voluntate convertatur ad Deum, & efficaciter velit placere Deo, ut affectus sit omnibus aliis prædominans, nequaquam reponitur ad statum salutis, & sit bona voluntas, quam pax comitatur, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quæ usitatiùs in Scriptura charitas appellatur, & Augustinus 14. de Civit. Dei cap. 7. Nam cujus propositum est amare Deum, & non secundùm hominem, sed secundùm Deum ; amare proximum sicut seipsum, propter hunc amorem dicitur bonæ voluntatis.*

Item q. 1. quodlibet. pulchrè dicit D. Thomas

dist. 17.

dist. 17. in 4. in materiâ de contritione, quòd talis debet esse contriti dispositio, quòd plus displiceat ei culpa, ut est offensa Dei, & ei indigna, quàm ut est ei peccanti nociva.

Istam Adriani VI. Pontificis Maximi de divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitate sententiam ab illo ipso Sedem Apostolicam occupante nusquam revocatam, imò ipso sciente & volente denuò in lucem editam, atque adeò approbatam ab ipso ipsissimis ejus verbis relatam oportuit, ut celeberrimam Theologorum Lovaniensium Facultatem tanti Pontificis instituisse vestigiis, atque adeò doctrinam ab Apostolicâ Sede cognitam & approbatam ante Concilium Tridentinum tenuisse, & eo consummato nihil ab ea recessisse, liquidiùs appareret.

Eam de contritione, id est de dolore & peccati detestatione ex gratuito & benevolo in Deum affectu profecta, sententiam eruditissimi ad fidem catholicam pertinere asserunt. Petrus Soto contendit, Dei super omnia dilectionem, quæ est Christianæ contritionis pars essentialis & præcipua, esse ita necessariam, ut illam assertionem (sine Dei gratuita & super omnia dilectione nulla vera est contritio, nulla cordis conversio, atque adeò nulla pœnitentia) esse unum ex inconcussis Christianæ fidei fundamentis tam intrepidè quàm luculenter asserat.

Illam ipsam doctrinam Joannes à Daventria ad articul. 12. Confessionis Augustanæ simpliciter Catholicam sententiam appellat. Tradunt Catholici, ait, non sufficere ad peccati remissionem, si peccator tantùm timeat, & peccatorum remissionem speret, sed quòd oporteat eum ex toto corde dolere & converti ad Deum, ita ut non tantùm timeat, sed diligat Deum.

Præterea hanc ipsam doctrinam, ut mox vidimus, docet Petrus Soto, qui quidem interfuit Concilio Tridentino, & scripsit adversus articulos Confessionis quam Dux Wirtembergensis Tridentinæ Synodo per legatos obtulit 1552. Januar. 24. & ex loco illo Ezechiel. cap. 18. *Convertimini ad me, &c.* concludit, in pœnitentia Dei charitatem inesse oportere. *Hic locus*, inquit, *si rectè pensetur, & dolorem & mutationem cordis oppositam peccato & charitatem Dei docet. Et confirmatur: nam peccator cùm delinquit, se avertit à Deo, & ab ultimo fine: ergo ut tollatur hæc aversio, per se necessaria est formalis conversio in ultimum finem, juxta illud, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: hæc autem conversio non fit, nisi per amorem.* Hæc iste Theologus, qui cùm exploratam haberet Concilii totius de contritione sententiam, ab ea discrepare nec potuit citra crimen, nec voluit.

Quod ne quis temerè à nobis prolatum existimet, animadvertat & quidem attentè, articulos Confessionis oblatos esse Concilio anno reparatæ salutis 1551. ac proinde anno uno post 14. Concilii sessionem, quæ terminata fuerat anno salutis 1551. Ergo Petrus Soto qui Concilio tunc intererat, Concilii de contritione & pœnitentiâ doctrinam totâ illâ sessione radicitùs limatam noverat penitùs, cùm præfatos articulos scribendo refelleret; ita ut non tam sua quàm Concilii dumtaxar sensa tunc temporis sub anathematis interminatione sancita, promeret.

Quod negari non potest, nisi quis dicat, vel eum ignorasse sancitam à Concilio doctrinam, vel de industria ab ea deflexisse; quod utrumque abhorret à vero. Nam cùm præcipuâ floreret eruditionis laude, nihil disceptabatur in eo, nihil definiebatur, quin illud vel definitum iri, vel certè definitum esse rescisceret. Quòd de industria ab cognita Concilii doctrina recesserit, nullo pacto credibile est. Nam ab plerisque viris egregiè doctis falsitatis, imò hæreseos insimulari potuisset, atque ita suo nomini inussisset notam infamiæ sempiternam; qua in re graviter peccasset: violasset enim præceptum quod Christus omnibus Christianis, at præsertim Sacerdotibus imposuisset his verbis, *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant, &c.* Nulla igitur species veritatis ejusmodi virum, quem eximium & verè pium Theologum appellat Antonius Possevinus in Apparatu sacro, sese tanto flagitio dedecorare & in tantam Ecclesiæ offensionem cadere voluisse.

Ex his conficitur, Concilium existimasse, nullam esse posse, nedum esse sine sincera cordis conversione pœnitentiam. Ita Tridentinam Synodum intellexit Reginaldus lib. 5. de Contrit. cap. 2. n. 1. p. 204. ubi probat contritionis necessitatem ex cap. 18. Ezechiel. Neque, ait ibidem, licet aliter sentire propter Tridentini Concilii definitionem, session. 14. cap. 1.

In eandem sententiam concessit Alphonsus Vega, cùm, ut ipse profitetur lib. 13. cap. 6. aversionem à culpa & conversionem ad Deum ad veram peccatoris justificationem ex communi Theologorum omnium sensu consensúque requiri docuit. Unde mirandum non est, si post Concilium Tridentinum tot Theologi præcipuâ traditionis & Conciliorum notitiâ præditi hujusmodi doctrinam velut toti antiquitati, & ipsi Concilio Tridentino consentaneam docuerunt in Scholis, prædicaverunt in Templis, scriptis denique, ut per totum orbem Christianum longè latéque spargeretur, intrepidè prodiderunt.

Joannes Hesselius Doctor Theologus, & in Academia Lovaniensi sacræ Doctrinæ Professor Regius in tract. de Pœnitent. quem dictabat anno salutis 1562. id est uno ante Concilii exitum biennio, quo tempore Concilium jam ab undecim annis orthodoxam de contritione sententiam session. 14. declaraverat, eandem illam de necessitate conversionis sententiam amplectitur laudato tractatu cap. 1. *Debet peccator*, ait, *antiquam vitam suam deserens, converti ad Dominum, & misericordiam ejus humiliter implorare, & in fletu & planctu studere Deum placare super peccatis admissis. Hoc enim Scriptura propriè vocat pœnitentiam, displicentiam videlicet de prioribus factis cum proposito eadem destruendi. Expendite Joëlis verba: Dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Et infrà.

Potest quoque fieri, ut ferè fit, quòd quis de peccato commisso doleat non ex amore Dei aut justitiæ, contra quam peccavit, sed ex solo timore pœnarum. Verumtamen talis non verè agit pœnitentiam, non convertitur ad Deum ex toto corde secundùm Joëlem, neque tristitiam secundùm Deum, de qua Paulus, ideóque adhuc permanet in peccato.

Et sub finem capitis definit pœnitentiam *studium placandi Deum super peccatis admissis, ortum ex displicentia peccatorum, ex amore Dei & justitiæ.* Et cap. 2. affirmat Deum ab omnibus pœnitentibus tria omni tempore exegisse.

Primum, displicentiam & odium peccati ex amore Dei profectum.

Secundum, ut is, quem anteactæ vitæ pœnitet, agnoscat & confiteatur peccata sua.

Tertium denique quod Deus ab pœnitentibus exigit, est imploratio divinæ gratiæ per passionem Christi.

Et cap. 3. *Sciendum est autem, quòd timor iste æterni supplicii etiam cum spe ipsum supplicium per Dei gratiam evadendi, non est contritio, neque aliqua pars justitiæ: non est enim tristitia secundùm Deum, quia per illam homo non servit Deo, sed sibi, spectans tantum evasionem pœnarum: ideoque non est rectus hoc modo. Est præterea ejusmodi timor frequenter in eis quos Deus despicit & derelinquit.* Et paulò pòst: *At quando timor iste aliquam bonam voluntatem studiumque virtutis annexum*

habet, fit pars justitiæ, estque Deo gratus. Hæc Hesselius.

Cornelius Jansenius Gandavensis Episcopus, qui interfuit Concilio Tridentino: nam in Epistola, quâ Concordiam Evangelicam nuncupat Philippo secundo, se ab ipso impositâ ad Tridentinum Concilium profectione decoratum esse profitetur, idem de amoris in pœnitentia necessitate, quod suprà citati Doctores asserunt, affirmat in egregia illa sua Concordia quam in lucem edidit anno salutis 1571. id est septimo post terminatum Concilium anno. Sic enim loquitur præfatæ Concordiæ cap. 13. *Frustra quidam contendunt, Theologos præter Scripturæ morem tres constituere pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem & satisfactionem. Nam in eo quòd dixit Joannes, Pœnitentiam agite, primùm includebatur, ut peccata sua agnoscerent tanquam offensiva Dei (en amor) & excludentia ab introitu regni cælestis: deinde quòd eadem ut talia detestarentur, atque de eisdem ex animo dolerent: præterea ut nihil non facerent quo sibi Deum reconciliarent.* Hæc ibi.

Præterea ejusdem Concordiæ cap. 55. explicans illa Christi verba, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.* sic loquitur: *Prohibet timorem inordinatum, quo scilicet quis talibus cedat, & à virtute deficiat. Ita etiam cùm dicit, Timete eum qui potest & corpus & animam perdere in gehennam; non vult suos servili timore qui non est in charitate, obtemperare Patri cælesti, sed vult inordinatum illum mundi timorem reprimi & superari consideratione & timore eorum malorum quæ Deus infligere potest: qualis timor etiam esse potest in eo qui habet Dei charitatem, si modò non præcipuè, & potissimùm ob illorum malorum timorem à malo sibi temperet, & bonum operetur. Unde non absolutè timorem Dei, quatenùs damnationem æternam inferre potest, præcipit; sed potiùs, inquit, Timete, significans illum, si quis timendus sit, magis esse timendum, & illius timorem alium quemvis superare debere.* Ergo ex hujus Authoris sententia non est obtemperandum Deo servili timore qui non est in charitate: ergo cùm Deus pœnitentiam præcipiat, non est illa peragenda servili timore, qui non est in charitate, licèt ab illo inchoari soleat. Quod nunquam litteris consignasset tantus Doctor & tantus Episcopus, si ab Concilii decretis & sanctionibus vel tantillùm recedere perspexisset.

Franciscus Salesius quem nuperrimè Summ. Pont. Alexander VII. solemni ritu Indigetem declaravit, eandem illam de divini amoris in pœnitentia necessitate sententiam amplexus est, secundo divini Amoris libro capite 19. *Pœnitentia*, inquit, *quæ divinum amorem non abjicit, licèt ab eo sit imperata, bona est & expetenda pœnitentia, sed manca & imperfecta, quæque ad salutem nos provehere non potest, donec ad amorem pertigerit, & cum eo sit colligata. Ita ut quemadmodum ingens Apostolus ait, quòd si traderet corpus suum, & distribueret in cibos pauperum omnes facultates suas, & charitatem non haberet, ista sibi nihil prefutura. Ita verè affirmare possumus pœnitentiam, tametsi præ dolore nostros oculos liquefaceret & resolveret in lachrymas, & præ mœrore nostra corda diffinderet; eam tamen nihil nobis ad æternam salutem collaturam esse, si inter pœnitendum nullo Dei amore teneremur.*

Quod Indigetis Episcopi testimonium eo spectabilius & gravius haberi debet, quo veriùs Summus Pontifex officium Canonicum in ejus honorem elaboratum hoc elogio nobilitavit: *Franciscus suis scriptis cælesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum & planum demonstrat.*

Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini & jussu Pii V. Pontificis Maximi editus, hanc ipsam divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitatem tradit & astruit part. 2. de sacramento pœnitentiæ num. 35. ubi sic loquitur: *Observandum est, eodem loquendi genere charitatis & contritionis magnitudinem in sacris Litteris significari. De charitate dictum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Rursus, quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam: Convertimini ad me in toto corde vestro.*

Item infrà: *Sit prætereà non solum maxima, sed vehementissima (peccati detestatio) atque adeo perfecta, omnemque ignaviam & socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est: Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris & totâ tribulatione animæ tuæ. Et apud Hieremiam, Quæretis me, & invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, & inveniar à vobis, ait Dominus.*

Quamquam si id minùs consequi nobis liceat, ut perfecta sit; vera tamen & efficax contritio esse potest. Hæc ibi.

Ex quibus colligitur duplex contritio, una scilicet perfecta, altera imperfecta, & utraque cum gratuito Dei amore conjuncta. Catechismi Romani verba in eum sensum esse accipienda, testatur Jacobus Bayus, qui ad istius Catechismi methodum edidit Institutionum Religionis Christianæ libros 4. in quibus ipsum Catechismum traditionis testimoniis insigniter illustravit. Sic enim loquitur lib. 2. suarum Institutionum capite 81. *Duplex autem est contritio, una charitate perfecta includens conversionem ex toto corde ad Deum, quæ pœnitentem vivificet, & Deo reconciliet propter votum sacramenti in illa contentum, juxta doctrinam Concilii Tridentini session. 14. cap. 4. & session. 13. can. 10. Alia contritio imperfecta est, dolor videlicet de admissis peccatis ex turpitudinis peccati consideratione, aut ex gehennæ pœnarumque futuri sæculi metu, cum spe veniæ atque iniquitatis detestatione conceptus. Qui dolor amorem justitiæ conjunctam habet, quo Deum veluti fontem justitiæ pœnitens diligere incipit, odioque in peccata fertur, sed tamen per se ad peccati remissionem ne quidem cum sacramenti voto perducit, sed tantùm ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Dies me ad alia properantem deficeret, si vellem hîc percensere Theologos qui post Concilium Tridentinum divinæ dilectionis necessitatem in sacramento pœnitentiæ luculenter asseruerunt.

Quid enim percenseam doctissimum virum Guillelmum Estium, qui hanc doctrinam tam solidè & Scripturarum & traditionis authoritate firmavit, ut nihil ad eam astruendam efficacius afferri posse videatur?

Quid proferam Sylvium ejus discipulum, qui tanti magistri vestigiis fideliter institit?

Quid commemorem doctissimum virum Jacobum *de Sainte-Beuve* Doctorem Sorbonicum, & in Sorbona sacræ Theologiæ Professorem, qui in eruditissimo tractatu de Pœnitentia quem dictabat anno salutis 167   nostram hanc doctrinam invictis argumentis comprobat disput. 2. art. 4. in quo quærit, utrum ad contritionem requiratur amor Dei super omnia? Nam aientem sustinet partem, eamque stabilit & probat sexdecim probationibus ex Scripturâ, ex Concilio Tridentino, & demum ex sanctorum Patrum testimoniis consensuque repetitis: idque tam solidè præstat, ut nihil ad docendum illustrius, nihil ad probandum fortius, nihil denique ad convincendum efficacius scribi posse videatur.

Quid denique proferam duos insignes Theologos & Doctores, Christianum scilicet Lupum & Franciscum Farvacques, qui in Belgio sanctissimi Patris Augustini & Ordinem & doctrinam amplexi, & avitam suæ, id est Lovaniensis Academiæ sententiam

secuti pro divina dilectione ad veram pœnitentiam necessaria strenuè decertarunt, & dentem certam & veram in doctrinam de contritione morsum imprimere molientem divino ejus qui molas leonum confringit, auxilio contriverunt?

Hoc argumentum claudet Rituale Romanum Pauli V. jussu editum, quod jubet Confessorem audita confessione perpensisque peccatis, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibere, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conati, atque ad vitam emendandam ac meliùs instituendam inducere, remediaque peccatorum tradere.

Quod præstare non juberetur eo Rituali Confessores, nisi id pœnitentiæ sacramentum necessariò flagitaret.

Argumentum septimum, quo probatur divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitas,

REPETITUR ex eo capite, quòd Theologi, qui timorem pœnæ sine ulla Dei dilectione ad justificationem peccatoris cum sacramento pœnitentiæ sufficere contendunt, omnem suæ sententiæ authoritatem pugnantia loquendo adimant.

Ejusmodi hominum coryphæus esto Franciscus Suarez, qui audiendus est, priusquam id certiùs asseramus, ne illi imponere videamur. Sic ergo loquitur tom. 4. in 3. part. S. Thom. q. 90. art. 4. disput. 15. sect. 4. n. 17. *Licèt sit probabilis opinio, attritionem cognitam cum sacramento sufficere ad justificationem; tamen non est certa, & potest esse falsa: ergo qui sciens & volens, ita se mori permittit voluntariè, exponit se periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi: hîc autem est morale dubium, cùm illa opinio nec valde antiqua sit, nec multùm communis. Neque hîc habet locum distinctio de dubio practico vel speculativo. Nam quando est dubium de re ipsa, seu effectu, an fiat necne; tam dubium speculativum quàm practicum sufficit ad rem ipsum in periculo constituendam. Videtur autem profectò charitas obligare hominem, ne sit adeò negligens suæ salutis æternæ, ut eam tanto periculo exponat. Ergo obligat illum ad faciendum quod in se est, & conandum ad habendam contritionem.*

Et infrà n. 10. *Existimo tam ex charitate Dei quàm propria, teneri ejusmodi hominem majorem dispositionem procurare ad æternam salutem consequendam, graviterque peccare, si voluntariè ita se mori sinat. Nam imprimis tenetur homo diligere Deum super omnia, priusquam moriatur; quia, ut dixi, actus per se necessarius est, & non tantùm ratione peccati. Nec satis quòd talis homo priùs aliquando in vita Deum super omnia dilexerit, tum quia hoc præceptum non tantùm semel obligat, sed etiam sæpiùs, & tempus maximè necessarium est articulus mortis: tum etiam postquam homo priorem dilectionem per subsequens peccatum mortale virtualiter retractavit, tenetur denuò illum diligere, & se & omnia in eum referre, non secùs ac si denuò procreatus esset. Hæc ergo obligatio cùm sit per se & intrinseca charitati, etiam nunc manet.*

Item paulò pòst: *At verò si quis voluntariè talem actum omitteret, ex hac parte contra charitatem Dei ageret, & omittendo etiam contritionem contra propriam charitatem seu misericordiam quam circa seipsum exercere tenetur, etiam specialiter peccaret propter rationem factam, quæ apud nos efficacissima est.* Hæc ibi quibus similia leguntur n. 6. Quæ hujus Authoris loca quantoperè nostram de cordis conversione doctrinam astruant, perspicuum erit, si quædam observata fuerint.

1°. Observandum est, Franciscum Suarez eam opinionem quæ affirmat attritionem, cognitam cum sacramento sufficere ad justificationem, fateri non esse certam, & posse esse falsam.

Unde sic argumentari licet: Illa opinio non est certa, & potest esse falsa: ergo non illam, sed alteram veram, certam tutamque in praxi sequi teneor; siquidem in negotio salutis incerta omnia ablegari & certa retineri oportere fatentur omnes Theologi, & idipsum ex ipso Suarez apertè colligitur. Cùm enim tractat. 3. ad 1. 2. disput. 12. section. 6. n. 10. ubi determinat casus in quibus necesse est opinionem certam præferre probabili, sic loquitur: Id faciendum est, quando scilicet ex justitia vel charitate tenemur vitare damnum vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus. Sumitur assertio ex S. Thoma in 4. distinct. 28. Paludano distinct. 36. q. 2. art. 3. Adriano quodlib. 2. & q. 5. de Confession. dub. 7. Victoria relectio. de jure belli, Soto lib. 3. de Justitia q. 62. art. 3. Navarro cap. *si quis autem. de pœnit.* dist. 7. n. 47. & 75. Corduba q. 5. & Summistis v. *Opinio*, declaraturque exemplis. Nam medicus sine dubio tenetur præferre certam medicinam dubiæ, & sic de aliis. Hîc enim maximè locum habet illud Augustini lib. 50. homil. 41. & de Pœnit. dist. 7. c. 4. *Tene certum, & dimitte incertum. Ratio verò est, quia ut supponitur, homo tenetur vitare illud damnum, vel procurare talem utilitatem, aut efficere validum sacramentum, vel quid ejusmodi. Ergo tenetur vitare, quia hoc perinde est in moralibus. Sed si omittit viam certam securiorem, non vitat periculum, quidquid sit de probabilitate opinionis.* Hactenus Suarez. Cujus verba non obscurè significant, sententiam veram & certam esse anteponendam illi quæ non est certa, & potest esse falsa. Atqui, ut ultro concedit ipse, opinio aiens attritionem cognitam sufficere cum sacramento ad justificationem, non est certa, & potest esse falsa. Ergo illi anteponenda est altera quæ ad justificationem in sacramento, veri nominis contritionem, id est gratuitam Dei super omnia dilectionem necessariam asserit, sive contritio illa sit perfecta, sive imperfecta, id est cum inchoata Dei super omnia dilectione conjuncta.

Allatæ ab eo rationes id egregiè probant. Affirmant enim certam sententiam dubiæ & incertæ præferendam esse, cùm quis tenetur ex justitia & charitate vitare damnum vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus: v. g. ait inferiùs: Cùm quis tenetur validum efficere sacramentum. Atqui pœnitens ex justitia & charitate quâ semetipsum & æternam animæ salutem prosequi debet, vitare debet periculum æternæ damnationis, quod importat opinio aiens attritionem cognitam sufficere cum sacramento ad justificationem. Ergo tenetur veri nominis contritionem ab Deo petere, & habere ad rite suscipiendum pœnitentiæ sacramentum: alioquin sese conjicit in probabile discrimen damnationis æternæ, vel eo solo nomine, si nullum esset aliud, quòd certis incerta præponeret, ut suprà ex S. Augustino retulimus.

Sed majus imminet pœnitenti damnationis æternæ periculum, cùm satis habet attritionem cognitam ad sacramentum afferre. Cùm enim sequitur illam opinionem de ejusmodi attritione cognita, sacramenti materiam vel quasi materiam in tribus illis pœnitentis actibus, contritione scilicet, confessione & satisfactione positam, ut loquitur Concilium Tridentinum, dubiam, imò nullam facit. Nam si, ut suprà ex ipso Concilio Tridentino satis superque probavimus, contritio veri nominis ad justificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam requiritur, qui habet præfatam dumtaxat attritionem, nullam habet sacramenti materiam. Confessio enim & satisfactio innituntur contritioni & conversioni cordis, velut præcipuæ materiæ parti, ut asserunt omnes

Theologi: ergo si nulla fuerit contritio, nulla cordis conversio, nulla pariter erit confessio, nulla satisfactio: ergo qui sequitur opinionem illam de attritione cognita, nullam substernit sacramento pœnitentiæ materiam: ergo violat sacramentum: ergo non tantùm æternæ damnationis periculum adit, sed etiam ipso facto illius reatum incurrit.

Præterea, ut dicere cœperamus, ex S. Augustino, certum est, ut laudatus affirmat Suarez, eum qui omittit viam certam securiorem, non vitare periculum; nam semper in eo versatur & remanet, quicquid sit de probabilitate opinionis. Ergo quisquis non sequitur opinionem, veri nominis contritionem ad sacramentum pœnitentiæ requirentem, quæ est via certa & securior, non vitat periculum, quod semper manet, quicquid sit de probabilitate opinionis, ut loquitur ipse Suarez: ergo cùm ille non vitet periculum æternæ damnationis, & quidem perpetuum, majorem in modum extimescere debet, ne perpetuum periculum in interitum desinat sempiternum, atque ita qui amavit periculum, ut Scriptura loquitur, in eo pereat.

2°. Observandum est, Suarez loqui præsertim de articulo mortis, in quo affirmat, hominem qui sciens & volens se mori permitteret, cum cognita dumtaxat attritione exponerrum se periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi, ait, est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi. Hic autem est morale dubium, cùm illa opinio nec valde antiqua sit, nec multùm communis.

Similia propemodum habet Sanchez part. 1. Summæ Casuum conscient. lib. 1. cap. 9. n. 34. *Si pœnitens*, ait, *vult accedere cum sola attritione cognita, cùm contritus accedere valeat, non fit contra charitatem ei debitam, si ei hoc pacto disposito conferatur absolutio.* Et posteà subdit: *Hoc tamen intelligerem, nisi pœnitens esset in mortis articulo, atque habere posset contritionem: tunc enim esset mortale, & recipere, & ei sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione cognita ministrare propter grave damnationis æternæ periculum, cui ille exponeretur, si fortè hæc sententia non esset vera, cùm tamen gratiâ Dei adjutus posset securum contritionis remedium assequi.* Hæc ille.

Ex prolatis ejusmodi hominum testimoniis nullo negotio divinæ dilectionis in sacramento pœnitentiæ necessitas concluditur. Nam si in articulo mortis ille sese exponit morali periculo æternæ damnationis, ut asserunt, qui habet tantùm attritionem cognitam, cur non sese exponit morali periculo æternæ damnationis, quisquis sanus & incolumis suscipit hoc sacramentum? Illa ipsa ratio quæ unum probat, alterum confirmat. Ratio scilicet inde petitur, quòd illa opinio quæ attritionem cognitam cum sacramento sufficere contendit, non est valde antiqua, nec multùm communis, & fortè non est vera, & ideo est conjuncta cum dubio morali, atque adeo cum morali damnationis æternæ periculo. Si hæc ratio valet pro mortis articulo, pro quovis alio tempore vigere debet. Nam opinio de attritione illa cognita fortè non est vera, & ideo viros in mortis articulo versatos exponit probabili periculo damnationis æternæ: ergo sanos & incolumes exponit eidem damnationis æternæ periculo. Si enim illa opinio de ejusmodi attritione cognita non est certa, & potest esse falsa, ut ipse Suarez affirmat, quisquis cum illa accedit ad sacramentum pœnitentiæ, non consequitur peccatorum remissionem: ergo adhuc est in reatu mortis æternæ: ergo quisquis cum una dumtaxat attritione cognita suscipit pœnitentiæ sacramentum, exponit sese morali damnationis æternæ periculo: quia præterquam quòd ei (utpote non convenienter disposito) nulla peccatorum remissio conceditur, insuper ipse novo profanati sacramenti flagitio constringitur.

Quòd ille sese exponat eidem damnationis æternæ periculo, cui sese exponit alter ad extremam vitæ lineam adactus, clarius est, quàm ut pluribus probari debeat. Nonne enim vel illo ipso die, nonne vel illâ ipsâ horâ quâ sacramentum cum illâ sua attritione cognita susceperit, repentina morte poterit intercipi & opprimi? Improvisæ illæ mortes & de repente oppetitæ frequentiùs accidunt, quàm quis cogitando assequi valeat. Ideo Christus in Evangelio jubet suos esse paratos, quia nesciunt quâ horâ Filius hominis venturus sit. Et ideò, ut ait S. Augustinus, latet ultimus dies, ut observentur omnes dies: ergo cùm precarium vivamus vitam, cùm ad pœnitentiæ sacramentum accedimus, ad illud veri nominis contritionem afferamus, habeamusque persuasum, nusquam nos denuo ab Sacerdote absolvendos. Si eo animo fuerimus animati, ut par est, nusquam nos morali æternæ damnationis periculo in pœnitentiæ sacramento exponemus.

Dum igitur hujusmodi Authores affirmant, veri nominis contritionem exigi ab pœnitente in extremis constituto, non autem ab homine incolumi & sano, ea videlicet impulsi ratione, quòd opinio de sufficientia attritionis cognitæ cum sacramento, non est certa, non est valde antiqua, & potest esse falsa, secum invicem pugnant. Nam illa ipsa ratio ex parte ipsius opinionis repetita, vel in quolibet hominum statu valet, vel nullibi valet. Sive enim pœnitens mox sit moriturus, sive integra sanitate diu victurus, opinio illa de sufficientia attritionis cognitæ cum sacramento, semper est incerta, semper nova, & semper potest esse falsa: ergo si mox moriturus eam opinionem sequendo sese exponit morali damnationis æternæ periculo, sanus etiam & vegetus eandem opinionem sequendo sese eidem morali damnationis æternæ periculo exponet, quicquid obstrepant adversarii: neque enim pœnitentium secunda vel adversa valetudo eam opinionem ab incertitudine ad certitudinem, ab novitate ad antiquitatem, ab suspecta falsitate ad veritatem transferre poterit.

Adde quòd sententia de veri nominis contritione ad sacramentum pœnitentiæ requisita, vera est ex consensu Theologorum: ergo altera quæ contendit, attritionem ex uno dumtaxat timore pœnæ ortam, & cum nullo Dei amore conjunctam sufficere cum sacramento, citra dubium falsa est. Quemadmodum enim, ait Tertullianus lib. 1. advers. Marcion. cap. 3. Deus si non unus est, non est; si idipsum profitemur de veritate, quæ si non una est, non est.

Præterea sicut testium adversantia sibi invicem & mali coherentia loquentium ex colluctantium testimoniorum repugnantiâ mendacium & sycophantia colligitur, ita ex ejusmodi Theologorum non aliis, sed sibimetipsis adversantium dissidio opinionis de attritione cognita, falsitas necessariò & theologicè concluditur. Atque ita verè usurpare possumus aureas illas S. Aug. voces: *Deus donat prodesse nobis, non solùm quod docet veritas, verùm etiam quod obstrepit vanitas: ut cùm respondetur inquietissimæ vanitati, auscultetur sincerissimæ veritati.* Lib. 1. contra Adv. Legis & Prophet. cap. 24.

Ergo quotquot sunt Pastores, quotquot Prædicatores, quotquot Confessores, quotquot denique Theologi, pœnitentes quanto maximo studio & ardore ad veri nominis contritionem commoveant, ne opinionem de attritione cognita (quam vel ejus fautores & propagatores esse incertam & posse esse falsam asserunt) sequendo, remissionem peccatorum in sacramento non consequantur.

Hactenùs per septem argumenta ex Concilii præsertim Tridentini authoritate repetita cordis con-

versionem ad sacramentum pœnitentiæ necessariam esse probavimus : utinam non sit inanis noster labor in Domino.

Quia hactenùs gravissimas pœnitentiæ difficultates attigimus, si non enodavimus, operæpretium est hîc attexere consectaria ex tota superiori doctrina sponte & ultrò manantia.

Primum Consectarium.

Timor servilis bonus est, sed melior, si pœnitentes ad Dei amorem provehat, & à Spiritu sancto proficiscatur, & conjunctus sit cum effectis quæ sanctus ipse Spiritus graphicè depingit Ecclesiast. cap. 2. v. 18. *Qui timent Dominum*, inquit, *non erunt incredibiles verbo illius; & qui diligunt illum, conservabunt viam illius.* Item v. 19. *Qui timent Dominum, inquirent quæ benè placita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Item v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Item. v. 21. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius.*

Ex hisce quatuor versiculis perspicuum est, quomodo Spiritus sanctus pœnitentes ab timore pœnæ provehat ad amorem justitiæ. Nam ubi verba fecit de timore pœnæ, statim ad amorem progreditur, ut legenti patet : non enim satis habet, si corda timore percellat, nisi & infusa charitate succendat. Unde non solùm timent, sed & diligunt verè pœnitentes, & præparant corda sua Domino, id est divinâ adjuti gratiâ sese ad Deum toto corde convertere, & in conspectu illius sanctificare animas suas quanto maximo studio connituntur.

Quòd ista de timore servili sint intelligenda, verba sequentia liquidò contestantur. Cùm enim v. 21. dixerit, *Patientiam habebunt usque ad inspectionem illius*, addit v. 22. *Dicentes, Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Et v. 23. *Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.*

Ergo timent pœnam ab eo infligendam, & meritò timent. Nam, ut ait Apostolus, horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ideoque sacro quopiam horrore perfusi sese ad pœnitentiam tangente Deo excitant; ita tamen ut saluberrimo pœnæ timore utiliter concussi sperent se misericordiam consecuturos. Illuminante quippe Spiritu sancto per fidem apprehendunt divinam magnitudinem & potestatem & pertimescunt, posthac sese ad infinitam convertunt Dei sui misericordiam, & in certam consequendæ veniæ atque adeò salutis æternæ spem & fiduciam eriguntur. Omne enim cum Vate regio dicunt Dei : *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia.*

Psalm. 61. v. ultimo.

Consectarium secundum.

Veri nominis contritio seu conversio cordis ad sacramenti valorem necessaria Dei super omnia dilectionem exigit. Ad probationes suprà recitatas accedit & S. Thomas, qui libro 4. contra Gentes cap. 72. ita loquitur : *Primum quod in pœnitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum, quod est de ratione contritionis. Hæc verò mentis reordinatio sine gratia esse non potest : nam mens nostra debitè ad Deum converti non potest sine charitate, charitas autem sine gratia haberi non potest* Unde non sufficit timor pœnæ, ut superiùs bene multis probavimus, ad justificationem in sacramento pœnitentiæ consequendam. Quod præclarè explicat Institutio Christiana, jussu Concilii Moguntini anno 1549. celebrati edita. Sic enim habet p. 17. *Invalida est & noxa contritio, quæ in solo timore subsistit, quæ ut vera reddatur, eo usque progredi debet, donec jam fide, spe & charitate fulciatur, ut jam non tam doleat peccator, quod pœnam meruit, quàm quòd Deum offendit.*

Idem affirmat Federicus Nausea Viennensis in Germania Episcopus, qui Concilii Tridentini mentem hac de re penitùs perspectam habuit & cognitam. Nam 14. sessionis Canonibus condendis interfuit, & Catechismum Legatis Apostolicæ Sedis ad idem Concilium missis dicatum anno 1547. & 1557. id est quatuor annis ante, & sex post illam sessionem habitam edidit : in quo lib. 3. de Pœnit. cap. 38. contritionis & amoris Dei super omnia necessitatem declarat his verbis : *Cùm itaque peccator opitulante primùm divinâ gratiâ cognoverit se peccatorem, suisque peccatis multifariàm Deum offendisse, cœperitque tandem ex amore erga Deum præcipue & amissione illius gratiæ, & pœnæ gehennæ adeptione prorsus ex animo contristari & conteri; mox facto signo sanctæ crucis, &c.*

Idipsum probari potest ex Enchiridio Concilii Coloniensis celebrati anno 1536. nam parte 7. cap. 3. tit. de sacramento pœnit. ita loquitur : *Hæc ergo fides (quâ creditur in Deum) cum timore filiali conjuncta, veram poenitentiam à falsa separat, & discrimen facit inter contritionem impii & verè poenitentis.* Ergo illud Enchiridion ad quod remittit ipsum Concilium, requirit amorem Dei super omnia. Neque enim timor filialis esse potest in corde, quin illi gratuita charitas saltem dominari cœperit. Quapropter loco laudato timor filialis usurpatur latius, prout etiam timorem initialem, id est partim ex amore justitiæ, partim ex timore pœnæ constantem amplectitur & includit.

Ergo contritio ad consequendam in sacramento pœnitentiæ veniam, atque adeò justificationem, Dei super omnia dilectionem includit, quia cùm, ut tam accuratè probavimus hactenùs, Dei dilectionem contineat, non nisi Dei super omnia dilectionem includere potest. Nam, ut superiùs insinuavimus, si peccator incipit diligere, incipit sanè diligere vel infra omnia, (quod esset Deo indignissimum) vel æqualiter cum omnibus aliis rebus : (quod Deo pariter esset contumeliosissimum) de statu enim & fastigio Creatoris ad creaturæ vilitatem dejiceretur : ergo superest ut Deum & in omnibus & supra omnia inchoatâ saltem dilectione prosequatur.

Consectarium tertium.

Illa pœnitentium dilectio seu charitas debet esse saltem inchoata. S. August. lib. de nat. & grat. cap. 70. ait, aliam esse charitatem inchoatam, aliam provectam, magnam & perfectam. Idipsum asserit Tractat. 5. & 6. in 1. Joann. Epist. Item in Epistolâ 107. ad Vitalem : *Loquitur autem nunc de ipsis initiis*, ait, *cùm homines qui erant aversi, convertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant.*

Certum est ex omnium Theologorum consensu, quandam charitatem esse oportere in pœnitente, non habitum illum amicitiæ cum Deo, per quem & amicus & filius Dei constituitur, & hæres regni cœlestis, quique proinde solis competit regeneratis & reconciliatis; sed affectum sinceri amoris erga Deum, ut summum nostrum ac beatificum bonum; & erga proximum ex eodem affectu diligendum. Cujusmodi quidem affectus in bono catechumeno & in fideli pœnitente sacramentum desiderante, & ad Dei amicitiam aspirante debet agnosci. Quibus haud dubiè prodest ad salutem & vitam æternam; quatenùs ad remissionem peccatorum, Deique amicitiam perducit, & justificationis initium quoddam est; licèt perfectam meriti rationem nondum attingat, ut do-

ctè observavit Estius in capite 13. 1. ad Corinthios.

Affectus autem sinceri illius amoris in Deum in eo positus est, ut vel catechumenus vel pœnitens fidelis diligat Deum super omnia appretiativè, & objectivè, ut loquuntur Theologi, non autem necessariò intensivè.

Appretiativè quidem, illum ipsum pluris faciendo, & majori in pretio habendo, quàm creata omnia, qualicumque perfectione fuerint prædita, & quantumcumque nostros ad usus sint necessaria: objectivè autem, ei desiderando & plura & majora bona, quàm cuilibet alteri, siquidem illi desint, & in iis complacendo, si adsint: non autem necessariò intensivè propter naturæ corruptelam ab primi hominis flagitio derivatam, quæ ejusmodi est, ut aliquando intensiori & ferventiori amore creaturas quàm Creatorem ipsum diligamus; quanquam in amore nihil Creatori præponamus, eumque super omnia diligamus, & ad perfectam ejus dilectionem tendamus: etiamsi neque adhuc pravis concupiscentiæ motibus, neque etiam quotidianis, levibus ac venialibus delictis careamus.

Pœnitentem igitur ad justificationis gratiam aspirantem, Deum velut omnis justitiæ fontem, & super omnia & gratuito amore diligere incipere necesse est. Nam Deus bifariàm considerari potest; vel ut summum bonum, vel ut ultimus finis. Si ut summum bonum spectetur, (cùm bonum pro ratione bonitatis diligi oporteat) Deus ut summum bonum atque adeo omnem bonitatem in se complexus, summo & quanto maximo amore debet adamari. Si spectetur ut ultimus finis, qui non refertur ad aliud, & ad quem cætera omnia referri necesse est, gratuito amore & afficiendus & colendus est. Hæc est enim vera & privata ultimi finis dos, imò essentia, ut propter semetipsum, non propter aliud diligatur. Unde si quis Deum diligeret, non propter ipsum, sed propter aliud, (quod factitant perversi & avari, qui, ut loquitur S. Augustinus, *volunt frui nummo, & uti Deo*) in gravissimum sese flagitium implicaret.

Hoc ipsum eleganter explicat Julianus Pomerius lib. 3. de Vitâ Contemplat. cap. 25. *Qui amicum*, inquit, *propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, sed commodum. Et utique qui aliquem propter rem temporalem quamlibet amaverit, cùm res ipsa temporalis desierit esse, amare cessabit: qui autem diligit propter Deum, sicut Deus æternus est, ita in æternum ipsa amici dilectio permanebit. Et ideo Deus, quo nihil est majus aut melius, propter quid diligitur? Propter seipsum perfectè diligitur. Si verò saltem propter illa quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur: quia jam illud propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur.* Hæc ille, qui gratuiti in Deum amoris necessitatem in quolibet egregiè demonstrat.

Porrò S. Augustinus locis laodatis charitatem natam seu inchoatam in duas quasi partes dissecat.

Primò enim natam, seu inchoatam charitatem appellat primam veluti charitatis scintillam, quâ quis bonæ voluntatis initio donatus legi Dei secundùm interiorem hominem condelectari incipit.

Secundò etiam charitatem inchoatam appellat primam illam dilectionem, quâ quis Deum propter semetipsum & super omnia, & proximum propter Deum veluti semetipsum diligit, non quoad vires & effectum, sed tantùm quoad solum affectum: ita ut licèt vel catechumenus vel fidelis pœnitens nondum ardeat magnâ illâ charitate, quâ possit pro Christo animam ponere, si id persecutionis tempus & occasio poposcerit, habeat tamen parvam & imperfectam charitatem, per quam accedente sacramento justificationis gratiam assequatur.

Pœnitens igitur tunc Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit, inchoatæ scilicet charitatis solo affectu, cùm divina mandata servare, & mortem potiùs oppetere, quàm ea violare statuit, & reverà iis obtemperat, nisi ad ea perrumpenda graviori quapiam tentatione (ad quam propulsandam nondum habet idoneas vires) impulsus in peccatum ruat voluntarium.

Quod quidem mirabiliter declarat S. August. in libro de Gratia & libero Arbit. cap. 17. *Qui ergo vult*, ait, *facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt; de qua charitate Dominus ait, Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde & Apostolus dicit, Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, Non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis, dilectio. Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore ter Dominum negavit: timor enim non est in charitate, sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam: putabat enim se posse quod se velle sentiebat. Et quis istam, etsi parvam, dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cùm jam volumus & volendo facimus, dicit Apostolus: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. Quid est, omnia, nisi & ipsas terribiles sævasque passiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam levem: qualis fuit Petrus quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negavit Christum.*

Ex hoc egregio S. Augustini loco animadvertere est, in ipso Apostolorum principe bonam voluntatem, licèt parvam & imperfectam, id est inchoatam charitatem extitisse, cùm metu fractus & debilitatus, negavit Christum; perfectam verò charitatem, id est divino amore ardentissimam voluntatem, cùm pro Christo in cruce illustre martyrium obiit.

Unde & sanctus Augustinus de amore illo inchoato de quo hactenus, legendus est Sermone 17. de Verbis Apost. & Epist. 144. ad Anastas. Cæterùm inchoatam illam & imperfectam Petri charitatem ad perfectionis debitæ gradum evectam agnoscunt Authores gravissimi.

Petrus Damiani Cardinalis Ostiensis Serm. 26. de SS. Apostolis Petro & Paulo hac de re ita loquitur: *De gradu dulcedinis ad sapientiæ gradum ascenderat Petrus Apostolus, cùm diceret, Animam meam pono pro te. Nihil sapientius neque fortius, quàm, Animam meam pono pro te: nihil insipientius neque debilius, quàm, Neque scio, neque novi quid dicas. Profectò jam diligebat dulciter, jam sapienter: sed utrumque perdidit, cùm fortiter non dilexit, cùm ad vo-*

tem muliercula Dominum & Magistrum celeriter abnegavit.

Hugo à S. Victore Annot. in Joann. *Petrus ex nimio charitatis affectu & ardore & se positurum animam, & non negaturum pro morte promiserat; sed quia virtutem constantiæ cum hoc affectu non habebat, idcirco imminenti periculo mortis metu defecit, & affectum charitatis, quem priùs habuerat, amisit.*

S. Bonaventura in cap. 22. Lucæ: *Qui (Petrus) dixit ei, Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Hoc verbum fuit amoris & fervoris; sed tamen hoc erat cujusdam præsumptionis, quia illud promittit, ad quod non sufficit, scilicet quod paratus sit pro Christo & cum Christo mori, cùm sit opus perfectissimæ charitatis.*

Consectarium quartum.

Ex doctrina superiùs explanata sequitur quartò, catechumenos adultos cum inchoata illa charitate sanctificari per baptismum, sicut & pœnitentes fideles cum illa ipsa charitate per pœnitentiæ sacramentum consequi remissionem peccatorum, atque adeo justificari. Et hæc est mens Concilii Tridentini session. 14. cap. 4. cùm ait: *Contritio imperfecta, quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Cum hac imperfecta charitate S. Petrum à Christo baptizatum, fuisse justificatum, & eo nomine Christi corpore in augustissimo Eucharistiæ sacramento cum cæteris Apostolis ab ipsomet Christo donatum esse, & suum in Christum amorem (affirmando se nunquam scandalizatum iri, & animam suam pro illo positurum) testificatum esse, nemo Theologus inficiari voluerit.

Peccavit equidem sanctus Petrus, cùm nimiùm suis viribus arripsit, seque aliis Apostolis prætulit. Sed leve hoc & veniale dumtaxat extitisse, uno ore S. Joannes Chrysostomus & S. Augustinus asserunt; quibus congruenter Gerson tractat. de cognitione peccatorum venialium & mortalium considerat. 4. pag. 287. affirmat, præsumptionem Petri fuisse tantùm peccatum veniale.

Cæterùm Petrus, ait Jansenius Gandavensis, Concord. Evang. cap. 133. *ex magno erga Dominum amore alienum à se putans, ut Christi periclitantis jam causâ offendiculum pateretur: Etsi, inquit, scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor; triplici nomine per indiscretionem peccans, quia scilicet Domino contradixit, & quia aliis se prætulit, & quia de se nimis præsumpsit, non attendens suam fragilitatem. Quoniam autem ex amore proficiscebatur hujusmodi assertio, non severè illum Dominus redarguit: quia tamen plus de se quàm de aliis præsumpserat, magis etiam aliis scandalizandus prædicitur.*

Joannes Hesselius in cap. 26. Matth. *Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Petrus, inquit Hilarius, in tantum & affectu & charitate Christi efferebatur, ut imbecillitatem carnis suæ, & fidem verborum Domini non contueretur, quasi dicta ejus efficienda non essent. Non ergo putandus est Petrus voluisse Christo dicere, quod falsum diceret; sed nimio Christi amore verba ejus non attendit, non putavit Christum propheticè illud dixisse; sed nec mentitus est; nam sincerè proponebat nunquam Christum derelinquere: putabat enim se posse, quod se velle sentiebat, ut ait S. Augustinus de grat. & lib. arb. cap. 17.* Hæc Hesselius.

Ergo S. Petrus nimiâ illâ sui præfidentiâ, quicquid obstrepant sycophantæ Magdeburgenses, venialem dumtaxat admisit culpam, & nihilo seciùs in acceptâ justificatione, quam per inchoatam charitatem accedente Christi baptismo fuerat adeptus, perstitit, sicut & cæteri Apostoli qui Christo prænuntianti eos ea nocte scandalum non esse passuros. Unde Christus Joan. 15. v. 3. *Omnes eos mundos pronuntiat: Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis;* id est, ut interpretatur Dionysius Carthusianus: Mundi estis à labe peccati mortalis jam alieni, habentes oculum simplicem ordinatamque charitatem. Neque dixit quod superiùs dixerat cap. 13. v. 10. *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Egresso enim proditore nullus non mundus, nullus non justus inter Apostolos remanserat. Ergo & Petrus & cæteri Apostoli erant sancti cum inchoata charitate, quâ donati fuerant à Christo, donec eo ad Patrem per admirabilem ascensum regresso, virtute ex alto induerentur.

Ejusmodi sunt omnes quos Scripturæ Apostolicæ vocant animales, id est nondum progressos ad plenam cælestium mysteriorum notitiam & ad perfectam charitatem; qui tamen sancti sunt, & ad novum Testamentum pertinent, ut mox ex S. Augustino videbimus.

Quod ut clariùs elucescat, observandum est, hominem in Scripturis animalem trifariàm appellari.

1°. Enim homo dicitur animalis propter animam viventem, quâ scilicet corpus vivit vitâ vegetativâ, quod proinde alimentis foveri, & in vita, alioquin brevi moriturum, conservari, contineríque necesse est. Et est sensus Apostoli 1. Corinth. cap. 15. v. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Ob istam animam viventem dicitur corpus animale mox laudato Apostoli loco.

2°. Dicuntur animales quotquot omnia suis cupiditatibus obsequi, secundùm carnem ambulant & perficiunt desideria carnis, quæ ex anima sentiente profluunt. Ejusmodi sunt ii, de quibus Judas Apostolus in sua Catholica v. 18. & 19. *In novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes.*

3°. Dicuntur animales, qui tametsi credant in Christum, & sint justificati, atque adeo, ut loquitur S. Bernardus in tractat. de vitâ solitaria ad Fratres de Monte-Dei, Spiritum sanctum habeant: quia bonam habent voluntatem, id est charitatem, licèt inchoatam & imperfectam, ad sublimium tamen mysteriorum, utpote suos sensus exuperantium, notitiam præ mentis imbecillitate assurgere nequeunt. Talis erat Petrus, cùm illum increparet Christus: *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Tales extitere cæteri Discipuli usque ad adventum Spiritus sancti, à quo inflammati consummataque charitate donati, sese idoneos novi Testamenti ministros magna & fortia agendo patiendoque præbuerunt.

S. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 15. ejusmodi animales ad novum Testamentum asserit pertinere, si velint proficere ad percipienda quæ sunt Spiritus Dei. *Sicut enim*, ait, *in sacramentis veteris Testamenti vivebant quidam spirituales, ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes: sic & nunc in sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales, qui proficere nolunt ad percipienda quæ sunt Spiritus Dei, quo eos hortatur sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant, ipso profectu & accessu ad novum pertinent. Et si priusquam spirituales fiant, ex hac vita rapiuntur, custodita per sacramenti sanctitatem in terra viventium computantur, ubi spes nostra & portio Dominus. Nec invenio quid veriùs intelligatur in eo quod scriptum est, Imperfectum meum vi-*

derunt oculi tui : quandoquidem sequitur, Et in libro omnes scribentur.

Sanctus Augustinus vult eos animales inchoata scilicet charitate præditos, & cum ea per sacramenti sanctitatem custoditos in terra viventium computari, si habeant affectum proficiendi ad percipienda quæ sunt Spiritus sancti, & reipsa proficiant, etiamsi moriantur, antequam spirituales evaserint.

Hujuscemodi animales carnales vocat S. Augustin. Concion. 3. in Psal. 103. eosque salvandos asserit. *Si ædificaverit* (vir carnalis seu animalis) *super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, id est amores sæculares fundamento fidei sua superædificaverit; tamen si in fundamento sit Christus, ut primum locum habeat in corde, & ei nihil omninò anteponatur: portantur tales, tolerantur & tales: veniet caminus, incendet ligna, fœnum, stipulam: ipse autem, inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hoc aget caminus, alios in sinistram separabit, alios in dexteram quodammodo eliquabit.*

Igitur ex indubitata S. Augustini sententia animalis homo, modò imperfectam charitatem habeat, & Christo nihil anteponat, cum Sanctis ad dexteram collocabitur.

Consectarium quintum.

Cùm inchoatam pœnitentis charitatem summam appretiativè esse oporteat, ut suprà probavimus, ita dolorem contritionis esse quoque summum & omnium dolorum maximum appretiativè necesse est.

Quod ut intelligatur, observandum est, dolorem appretiativè summum nominari, cùm homo dolet & compungitur seu conteritur de peccatis, & sic ea detestatur, (etiamsi id non faciat intensivè, id est toto animi conatu & ardore) ut nulla alia mala æquè detestetur, malitque alia quævis mala subire, quàm ea denuo admittere.

Cùm iste dolor resideat in voluntate, non in appetitu sentiente, non est necesse esse omnium dolorum maximum intensivè, quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis: atqui objectum quod incurrit in sensus naturæ, quopiam impulsu voluntatem vehementiùs afficit & commovet, quàm objectum spirituale. Unde sicut amor bonorum sensibus blandientium potest esse ardentior & intensior, quàm bonorum spiritualium; ita & dolor, quem mala seosus commoventia afferunt, potest esse major & intensior eo quem mala spiritualia (cujusmodi sunt flagitia & lethalia quævis peccata) pariunt vel parere possunt. Ideoque cùm id citra culpam accedat, ut propter status præsentis corruptionem rerum in sensus incurrentium nos amor vehementiùs quàm spiritualium afficiat, satis habuit Ecclesia summum illum de peccatis dolorem quem ab pœnitentibus sacræ Litteræ exigunt, interpretari de dolore voluntatis appretiativo dumtaxat non intensivo. Ac proinde sicut is diligit Deum ex toto corde, qui illum & in omnibus & super omnia diligit, & omnibus passim rebus anteponit, & mallet quidlibet aliud pari vel amittere, quàm in ejus offensam incurrere, licèt ejus affectus ad summum intensionis gradum non pertigerit: ita peccator Deum suum quærit in toto corde suo, & in tota tribulatione animæ suæ, cùm eum ex toto corde & super omnia diligit, & peccatum exosum habet & detestatur tanquam malum non quodlibet, sed ut summum malum, atque adeo summè & super omnia detestandum. Et hæc satis.

Sed quia dolorem illum Confessariis innotescere necesse est, operæpretium est ex sacris Litteris ea indicia promere, per quæ ritè dijudicari valeat.

S. Paulus cap. 7. Epist. 2. ad Corinth. ait tristitiam quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in stabilem salutem operari: *Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, &c.*

S. Thomas lect. 3. in istud cap. 2. ad Corinth. ait, ea omnia quæ inibi Apostolus enumerat, esse effecta veræ tristitiæ, quæ secundùm Deum est, id est veræ pœnitentiæ.

Primò S. Thomas ait tristitiam secundùm Deum operari sollicitudinem ad vitandum mala, & faciendum bona. Unde illud Mich. cap. 6. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Secundò, contritio seu compunctio cordis operatur defensionem contra illos qui nos ad malum inducant. 1. Petri cap. 5. *Cui resistite fortes in fide.*

Tertiò, tristitia ex sincero Dei amore profecta parit indignationem, quâ homo indignatur contra se pro peccatis quæ admisit; & hæc indignatio efficit, ut peccatum in nobis quanto maximo studio destruamus. Unde Isaïæ cap. 63. *Indignatio mea auxiliata est mihi.*

Quartò, vera cordis compunctio facit, ut pœnitens sit in continuo timore de futuro, ut caveat, & quantum ad hoc dicit Apostolus: *Sed timorem de recidivo;* ne scilicet in futuro similiter contingat, ut loquitur S. Thomas. Unde Ecclesiastici cap. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus.*

Quintò, ex ipsa compunctione oritur desiderium quo pœnitentes in opera pietatis incumbere cupiunt. Unde Proverb. cap. 11. *Desiderium justorum omne bonum est.*

Sextò, eadem illa cordis compunctio parit æmulationem sanctam, quâ pœnitens Sanctos æmulatur & imitatur, quantùm potest, ut ad eorum virtutem divinâ gratiâ adjutus aliquando attingere valeat, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 4. *Sectamini charitatem, æmulamini charismata meliora.*

Septimò, tristitia quæ est secundùm Deum, operatur vindictam, ita ut pœnitentes sua peccata detestati in seipsis vindicent quod in Deum admiserunt, & hoc utile est. Cùm enim omne malum, ut ait S. Thomas, necessariò puniri debeat vel ab homine vel à Deo: si Deus hoc non punit, melius est quòd homo malum in se puniat quod fecit, quàm Deus, quia, ut dicitur Hebræor. 10. *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Et quantum ad hoc dicit Apostolus: *Sed vindictam;* id est, quia peccantes punitis, & vos ipsos plectite. Unde 1. Corinth. cap. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c.*

Octavò, vera contritio seu cordis compunctio id efficit, ut pœnitens sese abstineat ab omni malo, & in omnibus ambulet dignè Deo, qui *elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*, Ephesior. 1. Et ideo dicit Apostolus, *In omnibus exhibuistis vos*, duce scilicet fide, *incontaminatos esse negotio*, scilicet Christiano, ut explicat S. Thomas.

Illa sunt indicia tristitiæ quæ secundùm Deum est, & pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Qui enim propter hoc mœret, quòd Deum suum, conditorem suum, patrem suum offenderit, correctæ mentis præbet argumentum, atque ita dolor ex Dei super omnia dilectione profectus ad pœnitudinem adducit, nec hominem in pristina revolvi flagitia patitur; ita ut vera cordis conversio ex indiciis quæ Angelicus Doctor ex Apostoli verbis excerpsit, non obscurè cernatur & appareat.

Consectarium sextum.

Ex superiori doctrina sequitur etiam, ad veram contritionem requiri propositum non peccandi de cætero.

cætero. Quæ propositio est de fide, quippe quæ definita est à duobus Conciliis, Florentino nimirum & Tridentino, ut suprà declaravimus.

Præterea Catechismus Parochorum parte 2. ubi de sacram. pœnit. agit, affirmat quatuor ad veram contritionem requiri.

Primum enim, ait, necesse est, peccata omnia quæ admisimus, odisse & dolere, ne si quædam tantùm doleamus, ficta & simulata neque salutaris pœnitentia à nobis suscipiatur.

Secundum est, ut ipsa contritio confitendi & satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat, quod perspicuè declaravit Synodus Tridentina sess. 14. cap. 4. in quo requirit votum præstandi reliqua quæ requiruntur ad sacramentum pœnitentiæ ritè suscipiendum, & postea sacramenti votum in contritione includi asserit. Quisquis aliter vel crederet, vel doceret, damnaretur, sicut à Sixto IV. damnatus est Petrus Oxomensis, qui inter multos errores, hunc quoque docuerat: *Peccata mortalia delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves;* quæ propositio falsa est & erronea. Tametsi enim votum illud confitendi & satisfaciendi (quæ nunc fiunt unum vel duo Christi præcepta ex divina institutione cuilibet pœnitenti necessariò servanda) non sit de essentia contritionis generatim consideratæ, est tamen de ratione contritionis, quâ hominem deperditâ baptismatis per lethale flagitium innocentiâ verè pœnitentem conteri necesse est. Unde illud Doctoris Angelici: *Nullus reputatur contritus, nisi habeat propositum subjiciendi se Ecclesiæ clavibus*, in Supplem. q. 10. a. 1. Et, *Contritio votum confessionis annexum habet*, in Supplem. q. 5. art. 2. ad 1. Item in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. quæstiunculâ 4. *Ad primum dicendum, quod contritio habet votum confessionis adjunctum. Et ideo eo modo liberat à culpâ pœnitentes, sicut baptismi desiderium baptizandos.*

Utrum autem confessionis votum explicitum esse debeat, vel sufficiat implicitum, facilè colligitur ex eodem sancto Doctore. Nam loquitur eodem modo de voto confessionis, & de baptismi desiderio: atqui votum baptismi vel explicitum vel implicitum dumtaxat requirit: ergo & votum confessionis implicitum ad veram contritionem sufficere indicat.

Votum baptismi implicitum ad remissionem peccatorum ante baptismum consequendam sufficere affirmat 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. *Dicendum, ait, quòd, sicut dictum est, quod remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicitè vel implicitè, & tamen cùm realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quantùm ad liberationem à tota pœna: ita etiam ante baptismum Cornelius & alii similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi & desiderium baptismi implicitè vel explicitè: postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur.* Hactenus S. Thomas.

Ergo ex Doctoris Angelici sententia, ad veram contritionem sufficit confessionis & satisfactionis votum, sive illud explicitum, sive implicitum fuerit.

Tertium est, ut pœnitens vitæ emendandæ certam & stabilem cogitationem suscipiat, & concipiat votum propositum divinâ innixum gratiâ abdicandi anteacta flagitia, ita ut omnes eorum occasiones studiosè effugere & aptiora ad ejusmodi criminum occasionumque fugam adjumenta capessere statuat non segni & ancipiti voluntate, sed constanti & efficaci, quæ postea ex ipsa pœnitentis, & à peccato recedentis, & in pia opera recumbentis vita pelluceat.

Quod propositum in utroque Testamento Deus ab pœnitentibus postulavit.

In veteri quidem, Isaiæ cap. 1. *Quiescite agere perversè, discite benè facere.* Ezech. cap. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Et Amos cap. 5. *Odite malum, & diligite bonum.*

Item in novo Testamento Christus admonet paralyticum ad piscinam probaticam sanatum, ne ampliùs peccet: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Joann. 5. v. 14. Eodem modo mulierem in adulterio deprehensam & ex accusantium manibus ereptam, admonuit his verbis: *Vade, & jam ampliùs noli peccare*, Joann. 8. vers. 11.

Ac revera quidem firmum & constans non peccandi propositum in contritione deposcitur. Contritio quippe vera est cordis ad Deum conversio, quæ per imperfecta & evanida quæpiam desideria effici, nedum perfici potest: ergo firmum propositum peccandi voluntati cedere nescium necessariò flagitat.

Unde quamplurimi sese contritos existimant, ubi primùm se vel minimis ejusmodi desideriis affici putaverunt; qui tamen in interitum ruunt sempiternum.

Hujusce modi sunt plerique omnes nobiles, qui perciperent omnem sibi ademptam esse singularium certaminum occasionem: sed tamen eo animo sunt animati, ut si ad ea provocentur, illa ipsa quæ corde contrito perhorrescere deberant, certamina sint inituri. Et tales vel ægrè admodum vel rarò convertuntur ad Deum. Neque enim conversio fieri potest, nisi vera cordis mutatio extiterit: quæ quidem accidere non potest, nisi amor justitiæ regnet ibidem, ubi antea sæculi amor & flagitia regnaverunt.

Quanquam non sit de essentia contritionis, ut propositum non peccandi de cætero sit formale & expressum, sed solùm virtuale & implicitum: per se tamen, seu ordinariè loquendo, illud ipsum propositum non peccandi de cætero debet esse formale & expressum. Quod quidem probari potest ex Conciliis Florentino & Tridentino, quæ duo Concilia non meminissent illud propositum (non peccandi de cætero) in definitione contritionis, nisi illud formale & expressum esse oportere declarare voluissent. Quia si implicitum & virtuale non peccandi propositum ad veram contritionem sufficere credidissent, non addidissent, cum proposito non peccandi de cætero, cùm virtuale non peccandi propositum in prima illa definitionis parte, (dolor de peccato commisso) evidentissimè contineatur. Nemo enim de præteritis flagitiis ex animo dolere potest, quin pariter ab illis sese in posterum abstinere statuat.

Porrò ad veram contritionem non sufficit propositum non peccandi de cætero; sed insuper requiritur verum propositum fugiendi omnes occasiones, quibus ad peccatum peccator impellitur.

Ratio est evidentissima. Nemo enim Christianus dici potest ex animo detestari & odisse peccatum, si peccati occasionem diligat: siquidem attestante Scriptura, qui amat periculum, in illo periturus est.

Reverà quis hominem peccati occasiones non effugientem, peccati adhuc affectu delinitum & irretitum non existimet? Exempli gratiâ, existimabit nemo cum hominem verum & sincerum emendationis propositum suscepisse, qui nec conditionem ipsum in plura flagitia implicantem deserere, nec ludum ad blasphemias incitantem abjicere, nec mulierculam meretriciis amoribus inescantem suis ædibus ejicere voluerit.

Quemadmodum igitur occasiones quærit qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis, Prov. 18. v. 1. ita qui quærit peccandi occasiones, vel oblatas amplectitur, ab ipso Deo, ad quem

proposito damnationis æternæ supplicio per pœnitentiam eum reverti necesse est, velle recedere præsumitur: nec eas, quas sibi aspergit hoc facto, amentiæ, perfidiæ & infamiæ notas, per totam æternitatis immensitatem eluere poterit.

Jacobi 1. Sanctum illud propositum *donum est perfectum descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio aut vicissitudinis obumbratio*: quicquid enim agat homo, liberi arbitrii conatus ad bonum, & cassi sunt, si à gratiâ non adjuventur, & nulli, si non excitentur, ait sanctus Bernardus de Gratia & libero Arbitrio.

Quisquis igitur sese bonæ voluntatis & propositi tenacem præstare voluerit: 1°. sit vir desideriorum, ut olim Daniel, & ejus assequendi propositi gratiâ, flectat genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui repromisit fidelibus, Patrem iis daturum, si quid in nomine ejus peterent. *Postules autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Non hæsitet igitur diffidentiâ, sed velut Abraham qui pater est omnium nostrûm, confortatus fide det gloriam Deo; plenissimè sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere.

2°. Strenuè vigilet & elaboret in extirpandis vitiis, quæ quidem diuturna consuetudine roborata, altas in animo egere radices, quæ non nisi singulari vigilantia & ingenti labore inde revelli valeant. Qua in re servet aureum illud viri doctissimi & religiosissimi pronuntiatum: Christiani hominis est semper & ardenter ab ipso Deo sua dona flagitare, perinde ac si illum omnia deficerent; laborare autem, perinde ac si omnia illi salutis adjumenta suppeterent.

3°. Sibi ut cùm maximè diffidat, & omnem spem defigat in gratia Domini nostri Jesu Christi, qui consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Adeat ad thronum gratiæ ejus, eas illi adhibeat preces, quas olim flagranti corde S. August. effundere consueverat: *Et tota spes mea non est nisi in magna valde misericordia tua.* Lib. 10. Confess. cap. 29. *Da quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam; & cùm scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis.*

Dicat cum Authore libelli aurei de Imitat. Christi lib 3. cap. 55. *Sæpe multa bona propono; sed quia gratia deest ad adjuvandum infirmitatem meam, ex levi resistentia resilio & deficio. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnosco, & qualiter agere debeam, clarè satis video; sed propria corruptionis pondere pressus ad perfectiora non assurgo. O quàm maximè est mihi necessaria, Domine, tua gratia, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te, confortante me gratia.*

Quartum addit Catechismus Parochorum, non tam ad contritionis essentiam pertinens, quàm ad conditionem, sine qua nullam peccatorum veniam pœnitens obtineret. *Necessariò curandum est*, ait, *ut quicquid injuriarum ab altero acceperit, id totum remittatur ac condonetur. Ita enim Dominus & Salvator noster monet atque denuntiat: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, Matth. 6. v. 15. & 16.

QUÆSTIO XI.

Quanam lege contritionis præceptum hominibus sit indictum.

RESPONDEO, istud contritionis præceptum indictum esse tam lege naturali, quàm positiva.

Et quidem quod spectat ad legem naturalem, ab peccatore pœnitentiam exigi, ut asserit S. Thomas 3. p. q. 84. art. 7. in corpore: *Ex naturali ratione*, ait, *homo movetur ad pœnitendum de malis quæ fecit.* Et in eod. art. ad 1. *Dicendum*, ait, *quòd de jure naturali est, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantùm ad hoc quòd doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quòd etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Ninivitæ fecerunt*, ut Jonæ 3. legitur.

Quòd veram pœnitentiam & veri nominis contritionem naturæ lex ab pœnitente exigat, probari potest ex triplici capite ex ipsa lege naturali repetito.

Primò enim justitiæ lex requirit, ut injuria cuipiam illata compensetur: ergo eadem lex exigit ab peccatore veram pœnitentiam, seu veri nominis contritionem: nullatenus enim Deo illata per peccatum injuria compensari potest, nisi per pœnitentiam ex contrito corde profectam sarciatur.

Secundò, lex naturalis Deum in omnibus & super omnia diligendum imperat. Atque adeo peccatorem ad recuperandam ejus amicitiam legis naturalis imperio incumbere necesse est. Quam amicitiam cùm per veram contritionem dumtaxat recuperare possit, eam elicere tenetur. Nam, ut ait Aëlredus lib. 1. Speculi charitatis cap. 8. *Animam nostram ad id, ad quod facta est, charitas sublevat; ad id verò ad quod spontè defluxit, premit cupiditas.*

Tertiò, lex naturalis cuilibet homini veram sui dilectionem imperat, ita ut vel ipsius naturæ impulsu, & corporis incolumitati, & potiori jure animæ suæ saluti quilibet prospicere teneatur. Ergo cùm post lethale flagitium, homo animæ suæ saluti consulere nequeat, quin sincerè conteratur, non est dubium, quin ex ea, quam sibi debet, charitate ad Deum ex toto corde reverti, atque adeo sincerâ contritione peccata voluntariè nefarieque commissa detestari debeat.

Quas rationes ex Angelico Doctore colligere facillimum est, 3. p. q. 84. art. 5. ad 2.

Has ob rationes ex ipsius legis naturalis fundo repetitas Concilium Tridentinum duobus locis, nempe session. 14. cap. 1. & ead. session. cap. 4. contritionem quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam necessariam extitisse declaravit.

Hoc contritionis præceptum ex lege naturali toto Decalogo comprehensa deductum, pertinet ad primum & maximum divinæ dilectionis mandatum, per quod omnes Deum, ut finem beatificum & ultimum diligere super omnia; & si quando per lethale flagitium ab illo desciverint, ad illum ipsum per veram super omnia dilectionem reverti seriùs ocius imperantur. Sed ejusmodi præceptum non solùm lege naturali, sed etiam positiva, hominibus indictum esse, sacræ passim Litteræ contestantur. Ut Hierem. cap. 18. v. 11. *Revertatur unusquisque à via sua, & dirigite vias vestras & studia vestra.*

Ezechiel. 18. v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini, domus Israël?*

Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Item Matth. 18. v. 3. *Amen*

dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

Lucæ cap. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Quæ præcepta de pœnitentiâ (quæ sine vera contritione peragi non potest) factitanda, sive per Prophetas, sive per ipsum Christum annuntiata, eandem important necessitatem, quam illud mandatum de baptismo suscipiendo pronuntiatum Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sicut & illud de suscipiendo Eucharistiæ sacramento Joann. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Item Act. cap. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Ex hisce argumentis, contritionem veri nominis ad salutem esse necessariam tam necessitate medii, quàm necessitate præcepti specialis, quod partim naturale, partim positivum est, omnes Theologi colligunt.

Quæstio XII.

Quibus præsertim temporibus fideles contritionis actum elicere teneantur.

Respondeo ab Theologis varia assignari tempora, mox à nobis recensenda, quibus contritionis præceptum obligare asserunt.

Primum tempus

Est periculum mortis, in quo præceptum contritionis per se obligat: quia tunc, ut cùm maximè, tenetur homo suæ saluti consulere, & reconciliationem cum Deo quærere, & illatam ei per lethale flagitium injuriam compensare. Ita ut ex gravissimorum Theologorum sententia, si quis in eo rerum articulo, id est in probabili mortis oppetendæ periculo, prætermitteret contritionis actum, quem elicere posset, admitteret speciale peccatum impœnitentiæ: talis quippe omissio saltem indirectè voluntaria, virtuale deinceps peccandi propositum includeret. Unde conficitur, virum lethalis flagitii sibi conscium imminente verisimiliter mortis periculo, concipere oportere contritionem, vel charitate perfectam, si nulla suscipiendi sacramenti facultas suppetat, vel imperfectam, id est cum inchoata charitate conjunctam, quæ illum accedente sacramento justificare valeat.

Hanc doctrinam de actu contritionis instante periculo mortis eliciendo tradidere Suarez tom. 4. in 3. part. q. 90. art. 4. disputat. 15. sect. 4. n. 17. & 10. cujus verba suprà retulimus in argumentu 7. quo contritionis in sacramento pœnitentiæ necessitatem astruximus. Item Sanchez parte 1. Summæ Cas. conscient. lib. 1. cap. 9. n. 34. cujus & verba recitavimus ibidem. Item Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 7. de pœnit. q. 8. puncto 4.

Idem docet Philippus Gamachæus tom. 3. Summæ Theol. cap. 8. de pœnitentia. *Quia*, inquit, *jure divino naturali tenetur homo sibi tunc diligentissimè consulere, nihilque prætermittere ad salutis certitudinem & securitatem spectans.* Et infrà: *Ergo debet tunc conari ad veram contritionem, ut hoc modo attritio saltem evadat certior, & procurando perfectam pœnitentiam, obtineatur saltem imperfecta.* Hæc ille.

Præceptum igitur contritionis obligat in mortis articulo, neque solùm in hoc casu, ut nonnulli arbitrantur, qui existimant præcepta affirmativa non nisi in necessitate obligare: quod verum est, si modò de sola extrema non intelligatur, sed etiam de aliis, in quibus meritò judicari posset esse contra talem virtutem, si ejus actus prætermittatur. Hinc ad actus fidei & spei obligamur ante necessitatem extremam. Ille etiam qui proponeret non agere pœnitentiam, nisi vel cùm essent suscipienda sacramenta, vel in fine vitæ; censeretur irrationabiliter agere, & tum salutem suam, tum Dei honorem negligere: signum ergo est, quòd ad pœnitentiam extra hæc tempora quilibet obligetur, ut rectè observavit Sylvius q. 4. de contrit. art. 2. sub titulo *Quæritur tertiò.*

Alterum tempus,

Quo pœnitentiæ & contritionis præceptum obligat, est illud quo gravis aliqua calamitas, vel urbi cuipiam, vel oppido, vel provinciæ, vel regno imminet, vel reipsa grassatur in populos: v. g. cùm dira lues serpit per populum, & unam vel plures populatur urbes. Tunc enim unumquemque ad pœnitentiam teneri certum est, ut intentata mala tum ab suis, tum ab proximorum cervicibus propulsare valeat. Ita docent Adrianus q. 3. de confession. Navarrus cap. 1. n. 27. Petrus Soto & Nugnus.

Ad quorum authoritatem accedit & ratio. Nam 1°. Jure ac meritò Deum contemnere diceretur, quisquis immissis ab ipso propter hominum flagitia flagellis, populum cædi conflictarique cerneret, & de suis peccatis conteri, & pœnitentiam agere recusaret.

2°. Quòd ejusmodi virum de peccatis in eo casu conteri detrectantem fraterna charitate corripi oporteret, eo quòd peccata tot mala populis vel intentantia, vel jam importantia per contritionem detestari, atque adeo afflictos ex ejusmodi calamitatibus eripere renueret. Qua in re gravissimum adversus proximi charitatem flagitium admitteret.

3°. Tunc est justa necessitas, in qua membra tum pro se, tum pro toto corpore sollicita esse debeant; *Nam sumus invicem membra, membrum de membro*, ut loquitur Apostolus, *& si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Corinthios cap. 12. v. 26.

Quod ipsum factitatum est ab Ninivitis, qui conversi ad Dominum pœnitentiam egerunt, & intentatam suæ civitati stragem ab suis cervicibus depulerunt.

Ad veram contritionem S. Gregorius hortatus est populum Romanum teterrima lue pereuntem & propemodum absumptum; atque ita Deum tum suâ, tum populi pœnitentiâ mitigavit. Ejus verba refert Joannes Diaconus ejus Vitæ lib. 1. cap. 41. *Citiùs*, ait, *ad precem judex flectitur, si à pravitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tanta animadversionis* (dirissimæ pestis) *gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus solet, importunitas judici veritatis placet, quia pius & misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, quia quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dixit, Invoca me in die tribulationis tua, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus misereri desiderat, qui monet ut invocetur. Proinde, fratres charissimi, contrito corde & correctis operibus crastina die, primo diluculo ad septiformem litaniam devota cum lachrymis mente veniamus.*

Tertium contritionis tempus

Assignatur diebus Dominicis & festis, quibus cùm homo vel ex ipsa naturæ lege Deum peculiari quapiam ratione & majori, quàm cæteris diebus, religione venerari teneatur, cum (si flagitio lethali

fuerit inquinatus) conteri necesse est: neque enim vel diem Dominicum vel festum divinis actionibus & sanctis bonorum operum officiis consecratum sanctificare poterit, ut oportet, nisi Deo sincerum contriti conversique cordis sacrificium obtulerit.

Præter argumenta ad hujus rei probationem insigniter conducentia, quæ protulimus primâ secundæ hujus Summæ quæstione 5. cùm expenderemus, quibus potissimùm temporibus primum & maximum divinæ dilectionis mandatum obligaret, juvat subjicere præclara gravissimorum Theologorum testimonia, quibus hæc nostra sententia egregiè statuitur.

Marsilius in 4. q. 12. art. 2. postquam scripsit, pro quolibet tempore sequente peccatum mortale teneri hominem conteri sub pœna novi peccati mortalis, si præsertim cognitio nova post cessationem passionis, fuerit cum commotione, id est inspiratione divina interiori vel exteriori, subjicit: *Alii dicunt, & est opinio mitior, quamvis credam, quod præcedens sit tutior, quòd post mortale pro quolibet die festo, nisi disponat se, quantum potest, ad contritionem, novo peccato mortali peccat. Patet quia agit, si hoc non faciat, contra novum mandatum Ecclesiæ, quæ cùm sabbata seu festa ab Christi fidelibus sanctificari jubeat, nec illud ejus mandatum ab homine in lethali flagitio perseverante observari valeat, nisi conteratur, certum est, eum non posse tunc præceptum contritionis prætermittere, quin novo sese crimine devinciat.*

Eandem sententiam amplectitur Gabriel ibidem.

Illam ipsam sententiam tuetur Angelus de Clavasio in Summa Angelica v. *feria*. n. 41. De præcepto (celebrandi festa) quinque sunt, inquit. Primum est, ut Christianus conteratur vel saltem atteratur de peccato mortali commisso, in quo iterum est. Et hoc probatur, quia de præcepto tenemur vacare Deo in aliqua hora diei festi secundùm omnes. Sed hoc facere non potest qui est in mortali, nisi de eo conteratur vel atteratur. Propterea dicitur Levitici 23. *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras.* Et iterum: *Anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit.* Et quòd hoc sit de præcepto in illo qui se esse in mortali recognoscit, habeo pro indubitato; sed de eo qui non advertit nec recogitat, est magis dubium; sed credo potiùs, eum teneri saltem generaliter in aliqua hora dolere, & malè contentum esse de peccatis omnibus saltem in genere; aliter non video quomodo excusetur à mortali: propterea Missæ præmittitur confessio, ut sit admonitio. Hæc ille.

Illud ipsum affirmat Joannes Nider in suo Præceptorio, præcepto 2. capitulo 1. littera C. Tertiò, inquit, infringitur festum per hoc quòd aliqui non legitimè præpediti negligunt audire Missam: quilibet enim Christianus ex præcepto primo tenetur ad Deum actualiter diligendum, ut affirmat Scotus in 3. distinct. 27. quod diebus festis fieri debet: ita quòd omni die festivo, & potissimùm diebus Dominicis & principalibus festis teneatur se homo recolligere. Et hoc fortè determinat mandatum illud, *Sabbata sanctifices*: ut unusquisque maneat apud se colligendo se, & ascendendo ad Deum suum: & hoc specificat Ecclesia quantùm ad Missam audiendam. Hæc ille.

Sanctus Antoninus eadem de re sic loquitur in Summâ part. 2. nt. 9. cap. 7. §. 4. Inter cætera (festis diebus) debent homines vacare compunctioni & contritioni suorum peccatorum, recogitantes quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati.

Sylvester in Summ. v. *Dominica*. q. 6. Quartò, inquit, vacandum est compunctioni & contritioni peccatorum, quia sine ea Deo vacari congruè non potest, à quo separat peccatum: & hoc Summa Angelica dicit cadere sub præcepto, quod utique concedo, & vi præcepti sub quo contritio cadit, quia obligat pro omni instanti, vel tempore in quo peccatum memoriæ occurrit practicè, id est sub ratione dolendi & deplorandi, non autem ex vi hujus præcepti de festo, quod non est simpliciter de fine, id est ipsa vacatione circa Deum, vel necessariò requiritur ad illum, sed de abstinentia à servilibus & auditione Missæ; & consequenter de his, sine quibus istud fieri non potest, cujusmodi est contritio.

Gaugericus Hispanus, qui pulcherrimas notas, & ab doctissimo Estio approbatas in Cajetani Summulam edidit, sub titulo *Ad quid obligentur fideles diebus festis*, quærit an non peccet is, qui sola Missæ auditione contentus, nec sacram audit concionem, nec à suis peccatis per contritionem recedit, nec agendis Deo gratiis pro beneficiis acceptis incumbit.

Respondetur breviter, ait, talem omnino peccare, dicta virtutum exercitia, etsi Missam audiat, omittendo, nisi fortè legitimè ab aliquibus eorum impediatur. Et quidem quoad contritionem attinet, patet id ex iis quæ suprà annotavimus ad v. *Contritio.* litt. C. ubi probatum fuit, contritionis præceptum obligare ad statim, id est datâ primâ opportunitate. Festis autem diebus censetur ea opportunitas maximè adesse; quandoquidem eorum institutio non aliò ordinetur quàm ad sincerum Dei cultum, qui ab homine in peccatis constituto debitè præstari nequit.

Ad ea tam perspicua tot Theologorum testimonia accedunt rationes tam ex Dominicæ diei, quàm ex aliarum festivitatum institutione repetitæ.

Quorsum enim legis naturæ, quæ certum aliquod tempus divino cultui deputaverat, determinatio mutata est per aliam legem positivam, nimirum Apostolicam sive Ecclesiasticam, quâ Sabbatum (id est septimus dies) translatum est in octavum sive Dominicum diem resurgenti Christo consecratum, nisi ut Christum revixisse fideles crederent non solùm; verùm etiam tanti mysterii memoriam recolendo sibi in novitate vitæ ambulandum esse meminissent? Ut enim loquitur Apostolus Roman. 6. v. 3. 4. 5. & 6. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà non serviamus peccato.*

Cùm ex hoc divino Apostoli loco nos cum Christo per baptismum consepultos, ejusdem redivivi expressam imaginem vitæ novitate referre oportere, sole meridiano clarius appareat: an insons haberi poterit, qui adeo non ambulabit in novitate vitæ, ut totum se tradat veteri homini, & ejus concupiscentiis obsequatur? An, inquam, ab peccato immunis habebitur is, quem cùm ex præcepto diem Dominicum ritè celebrare & ad Christi resurgentis imaginem se componere oporteat, eo præsertim die, quo se complantatum similitudini mortis & resurrectionis ejus meminisse debet, nullum contritionis & amoris in Deum actum eliciet.

Quod quidem in controversiam evocari non potest. Nam certum est & Apostolicâ traditione sancitum, ut diebus Dominicis & festis fideles intersint tremendo altaris sacrificio: quod & confirmatum est per posteriora Concilia, quæ magis præscribunt locum vel modum audiendæ Missæ, quàm Missam audire præcipiunt: ut videre est in Concilio Aga-

thensi can. 31. & 47. & can. 8. sextæ Synodi Constantinopolitanæ, & in Concilio Aurelianensi I. cap. 8. & IV. Carthag. cap. 4.

Cùm hæc ita se habeant, dubio procul peccabit quisquis lethalis flagitii sibi conscius, nullo elicito saltem inchoatæ contritionis actu tremendis mysteriis adesse præsumpserit. Quod argumentum cùm pluribus ex professo tractaverimus & probaverimus ex Patribus & Conciliis, & inprimis ex Tridentino, primâ secundæ hujus Operis quæst. 5. 6. 7. & 8. in quibus ostendimus primum & maximum divinæ dilectionis mandatum obligare festis præsertim diebus, & quando & quomodo peccarent, qui cum conscientiâ peccati lethalis Missæ sacrificio interesse nihil dubitarent: ideoque ne actum agere videamur, studiosum lectorem ad ejusmodi quæstiones remittimus.

Præterea nemo Catholicus ignorat diem Dominicum & alias festivitates in Ecclesia potissimùm celebrari; ut pura & incorrupta mente fideles gratias agant Deo suo, à quo sunt iis ornati beneficiis, quæ nemo complecti orando, nemo percensere numerando valeat.

Præcipua tamen eo die in hominum genus collata numerat S. Leo Epist. 81. ad Dioscorum cap. 1. *In hac* (die Dominica) *mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium: in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, & inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt: in hac (sicut beatus Ioannes Evangelista testatur) congregatis in unum Discipulis, januis clausis cùm ad eos Dominus introisset, insufflavit & dixit: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt. In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit; ut cælesti quadam regula insinuatum & traditum noverimus in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.* Hæc sanctus Leo.

Ne igitur tot tantorumque beneficiorum immemores ingratosque mortalium animus occuparet oblivio, eorum memoriam Ecclesia sancti Spiritus impulsu celebratis identidem festis recoli voluit, ut ea Conditori Salvatorique referrent accepta, eorumque recordatione summo ejus amore succensi effervescerent.

An id præstare poterit quisquis in lethale flagitium implicatus ad agendam festivitatem sese intulerit in cœtum fidelium? An gratias referet Deo, qui accepta ab ipso beneficia in ipsius Dei contumeliam, & suam ipsius perniciem convertit? Erunt scilicet apud Deum acceptæ gratiarum actiones profectæ ab homine nefario, qui alia ex aliis peccare non desinit, & protervo adversoque animo ipsius mandata violat? Non est hoc gratias agere.

Ergo lethalis sibi flagitii conscius non potest neque debet Dominicum celebrare diem, quin de suo peccato doleat, neque etiam eamdem ob causam festa Martyrum aliorumque Sanctorum, ut oportet, celebrare poterit. Nam quatuor de causis (quarum nullam præstare potest vir sponte in suis flagitiis perseverans) Sanctorum festa peraguntur, quarum

Prima est, ut excitentur omnes ad prædicandam Dei gloriam, qui tot tantaque miracula pro Sanctis & per Sanctos edere voluit, & ut in nobis vivificat, vel certè reviviscat assidua memoria beneficiorum, quibus eorumdem interventu Christianam Ecclesiam locupletavit, ita ut omnis honos, quo gloriosam Sanctorum memoriam prosequimur, in Deum velut inexhaustum bonorum omnium fontem usquequaque refunderetur.

Si quis in lethalia crimina immersus, & de his nihil contritus in Sanctorum festivitatibus Deum laudare vellet, ei meritò objici posset istud: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccles. cap. 15. v. 9.

Secunda est, ut fideles Sanctos castis purisque moribus referant. Hanc rationem affert S. August. lib. 20. cont. Faustum Manich. cap. 21. *Populus Christianus*, ait, *memorias Martyrum religiosa solemnitate celebrat ad excitandam imitationem.* Hanc ab omni ævo fuisse mentem Ecclesiæ, declarat Epistola Smyrnensium, quam legere est apud Eusebium Eccles. Histor. lib. 4. cap. 15. ubi relato singillatim beati Polycarpi S. Joannis Evangelistæ discipuli martyrio, ita loquuntur Smyrnenses Christiani: *Martyres tanquam discipulos & imitatores Domini merito amore prosequimur ob insignem benevolentiam quam erga Regem & Magistrum suum testificati sunt, quorum nos quoque consortes & condiscipulos fieri ardenter expetimus.* Postea commemorant se concremato S. Polycarpi corpore ossa illius gemmis pretiosissimis chariora & quovis auro putiora collegisse, & ubi decebat, condidisse. Et postea subjiciunt: *Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso sunt certamine perfuncti, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Hæc ibi.

Ergo necesse est Sanctos, quorum festa peragimus, imitari. An verò eos imitabitur, qui adeo de peccatis conteri recusaverit, imò in iis hærere voluerit.

Tertia causa, ob quam Sanctorum festa celebrantur, est ut socii & participes eorum efficiamur meritorum.

Quarta denique, ut eorum quos festa celebrando veneramur, precibus & suffragiis adjuvemur.

Ad merita & suffragia Sanctorum aspirare vix potest peccator in peccato voluntariè perseverans. Quo enim pacto participaret merita Sanctorum, qui per flagitia perseverata se segregat ab communione Sanctorum? Præterea, an Sancti suis suffragiis patrocinabuntur ei viro, quem suo Principi & Redemptori inexpiabile bellum suis criminibus indicere & inferre perspexerint? Cùm enim in æterna illa fœlicitate Deus sit omnia in omnibus, fieri vix potest, ut sese intercessores præbeant in illorum gratiam, quos Dei hostes esse noverint.

Si quis contendere voluerit, Ecclesiæ Dominicæ cæterarumque festivitatum sanctificationem imperantis præcepto per externum dumtaxat cultum satisfieri, ideoque non oportere peccatorem ad festa sanctificanda conteri; noverit ille quisquis est, neminem esse Theologum, quin habeat exploratum, & constanter doceat, sanctificationem sive Dominicæ sive aliarum festivitatum, duo ab unoquoque fideli exigere.

Primum, ut ab omni opere servili, id est ab omnibus, putà mercatu, juramento, strepitu forensi, &c. hominem ab divino cultu abstrahentibus abstineat.

Secundum, ut divino cultui tam interiori quàm exteriori vacet. Ecclesia siquidem cultum internum magis quàm externum spectat & præcipit.

Quod usque adeo verum est, ut externum dumtaxat instituerit cultum, quo internus procuraretur, adolesceret & roboraretur in dies. Quærit enim dumtaxat salutem animarum, ad quam irrito conatu contenderet, si solo externo contenta cultu, nihil vel parum de interno curaret aut præciperet.

Meliùs igitur & rectiùs de suorum Deorum cultu Ethnici quàm Christiani de sui Creatoris veneratione sunt locuti: *Cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus*, ait Orator lib. 2. de nat. Deor. *atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce venere-*

mur. Vides ethnicum hominem erroris caligine circumfusum, aientem Deos incorrupta mente (id est interno cultu) & voce (id est externo) oportere venerari.

Ex his omnibus argumentis prolatisque Theologorum testimoniis necessaria consecutione conficitur, hominem lethalis sibi flagitii conscium, in eoque perseverantem, & de eo nihil contritum nec dolentem ullatenus, atque adeo sponte & ultro præceptum de festorum sanctificatione violantem peccare.

Quartum tempus vel casus,

Quo contritionis præceptum obligat, est quando aliquod sacramentum est ministrandum vel suscipiendum: v. g. Sacerdos sese novit lethalis flagitii reum, nullum habet Confessorem, apud quem crimen admissum deponere valeat, & tamen ministrandi cujospiam sacramenti ei necessitas incumbit: tenetur conteri cum proposito quamprimùm confitendi, ut citra culpam sacramentum administrare possit. Quod & præstare debet laïcus, si sacramentum suscipere cogatur, nec habeat virum apud quem de suis criminibus possit confiteri: quanquam satius est, eum penitus abstinere, quàm profanandi sacramenti periculum adire.

Et hæc sunt præcipua tempora, quibus ex communiori Theologorum sententia contritionis præceptum obligat. Si quid hac in parte uberiùs pertractatum lector desideret, adeat ad eam hujus Operis partem, in qua ex professo discussimus, quibus præsertim temporibus primum & maximum divinæ dilectionis mandatum Christianos Catholicos obligaret.

QUÆSTIO XIII.

Utrum per solam cordis contritionem peccatum ante sacramenti susceptionem ordinariè remittatur.

CUM nonnulli Theologi peccata per solam cordis contritionem ante sacramenti susceptionem remitti, atque adeo contritionem veri nominis ad sacramentum pœnitentiæ non requiri doceant, operæpretium est propositam quæstionem accuratiùs expendere. Quod ut fiat,

Respondeo, peccatum per veri nominis contritionem ordinariè non remitti, antequam sacramentum reipsa suscipiatur. Non loquimur de contritione quæ perfectum & intensum Dei amorem includeret. Quod quidem probatur

1°. Authoritate Concilii Tridentini prohibentis, ne quis sibi mortalis peccati conscius ad sacram Eucharistiam absque præmissa sacramentali confessione accedere præsumat, quantumvis sibi contritus esse videatur. Sic enim loquitur session. 13. cap. 7. *Communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum: Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decernit, modò non desit illis copia Confessoris; quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.*

Ex quo Concilii loco rectè & theologicè concluditur, saltem ordinariè non remitti peccatum per veri nominis contritionem. Si enim hoc ita se haberet, frustra vetaret Concilium, ne quis sibi lethalis flagitii conscius, quantumvis sibi contritus videretur, ad sacram Eucharistiam accederet. Nemo enim inficiari potest, quin homo justificatus augustissimum Eucharistiæ sacramentum suscipere possit. Si igitur Concilium hominem verè contritum per suam contritionem credidisset justificari, frustra sanè & immeritò eum ab Eucharistia suo decreto removisset. Ac reipsa quidem id sanxit propter indignæ manducationis periculum, quod utique nullum esset, si vel semper, vel saltem ordinariè sola cordis contritio cum ordine ad claves, hominem divinam in gratiam restitueret. Ergo Concilium non existimavit per contritionem veri nominis ordinariè peccata remitti.

Suam hac de re mentem pleniùs & apertiùs explicavit sacrosancta Synodus can. 11. & ult. session. 13. in hæc verba: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. Et ne tantum sacramentum indignè, atque in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Ex hoc Concilii canone confirmatur veritas quam defendimus, cùm profitemur, peccata per contritionem ordinariè non remitti, antequam sacramentum actu suscipiatur.

Atque ut res ab prima origine repetatur, Thomas de Vio Cajetanus celebris Theologus ex Prædicatorum Ordine, in Collegium Cardinalium assumptus, quavis vera Dei super omnia dilectione, & ex ea profecta contritione hominem justificari, ideoque ita contritum peccatorem absque prævia confessione & absolutione & laïcum communicare, & Sacerdotem celebrare posse docuerat. Quam doctrinam veluti periculosam, pernicialem & noxiam reprobavit Concilium sessione habita 11. Octobris anni 1551. & statuit & definiit de sacramento Eucharistiæ, confessionem sacramentalem eidem Eucharistiæ præmittendam esse, si quempiam mortalis peccati conscientia gravaret. Qua de re consuli potest Melchior Canus Episcopus Canariensis, qui Concilio interfuit, & asserit Cajetani sententiam non esse pro hæretica condemnatam; sed quoniam non solùm falsa, sed noxia etiam erat, fuisse reprobatam, & propter periculum, publicam præsertim ejus doctrinæ prædicationem, & disputationem fuisse prohibitam. Vide illum lib. 5. de Locis Theol. cap. 5. fol. 273.

Cùm igitur ea Cajetani sententia damnata sit veluti falsa non solùm, verùm etiam ut noxia, per regulam à contrariis ductam, sententia aiens peccatum per contritionem ante actualem sacramenti susceptionem ordinariè non remitti, vera & salutaris est existimanda.

Quod autem objiciunt quidam, Concilium credidisse, per veram contritionem etiam ante Sacerdotis absolutionem, & citra mortis articulum peccata remitti: cùm sess. 13. cap. 7. Sacerdoti etiam lethalis peccati conscio, nec confesso, celebrandi facultatem fecit. Quod hic objicitur, facilè dissolvi potest. Nam eam tantùm sacrificii celebrationem sine prævia sacramenti confessione permittit sancta Synodus Curato Sacerdoti nullum habenti Confessorem, qui tamen ex officio celebrare teneatur: ea tamen lege ut confiteatur quamprimùm; id, inquam, permittit Concilium in eo necessitatis articulo, extra quem id fieri severissimè prohibet, quantumcumque homo se contritum existimet.

Cùm enim Parocho Sacerdoti Concilium in necessitatis articulo sine prævia sacramenti confessione celebrandi facultatem facit, non propterea existimat, illum per solam contritionem imperfectam justificari, sed fidelem populum ob Pastoris sui culpam & defectum necessario sibi sacrificio privari non oportere denuntiat.

Atque ita divinam legem, quæ sanctissimo Eucharistiæ sacramento confessionem absolutionemque sacramentalem præmittendam præcipit in isto casu per ἐπιείκειαν (id est æquitatem res ad intentionem Legislatoris, etiam contra verba legis dirigendum) in fidelis populi gratiam non obligare statuit & declarat. Hinc ejusmodi Sacerdoti statim confitendi obligationem imposuit; ita ut peccet, si omittat quamprimùm confiteri. Et hæc est mens Concilii quam nuperrimè declaravit sanctissimus Pontifex Alexander VII. quippe qui damnavit duos articulos, quorum

Primus est: Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est concilium, non præceptum.

Secundus est: Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

Cùm autem sancta Synodus Sacerdotem Parochum lethalis flagitii conscium sine prævia sacramenti confessione celebrare permisit, non credidit eum in isto necessitatis articulo sacra mysteria indignè tractaturum esse; sed existimavit, eum per contritionem imperfectam ex inchoata charitate ortam cum voto sacramenti justificari posse, (ut fieri in mortis articulo docent Theologi.)

Quod certè probari potest ex historiâ Serapionis quam refert Eusebius ex Dionysio Alexandrino lib. 6. Hist. Eccles. cap. 44. Cùm enim particula ab puero apportata in os senis fuisset infusa, & ab eo pedetentim absorpta, continuò animam exhalavit. An non igitur satis constat eum fuisse reservatum, ait ipse Dionisius Alexandrinus, & usque eò in vita mansisse, quoad esset penitus ab colpæ vinculis absolutus, & ita labe quâ se idolis immolando contaminaverat, omninò detersâ, pro multis quæ in vita gesserat, bonis operibus, posset ad Confessorum numerum aggregari?

Fortè ista sibi Concilium proposuit ob oculos, cùm Sacerdoti Parocho in necessitatis articulo nulla prævia lethalium peccatorum sacramentali confessione sacrificandi facultatem fecit: quia tamen ista non erant penitus explorata & certa, ei Sacerdoti rigidè mandavit, ut quamprimùm confiteretur, ut si fortè aliquam hac in re admisisset culpam, properata confessione sacramentali elueret.

Secundò, nostra responsio probatur altero Concilii Tridentini loco session. 14. cap. 4. in quo Patres ita loquuntur: *Docet præterea*, (sancta Synodus) *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc* (pœnitentiæ) *sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.* Hactenus Concilium, cujus è verbis tria colliguntur.

Primum Consectarium.

Contritio veri nominis, quam initio capitis quarti præfatæ session. 14. Concilium definit, animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, non semper est charitate perfecta: siquidem aliquando dumtaxat charitate perfectam esse Concilium asserit.

Alterum Consectarium.

Contritio, si illam charitate perfectam esse contigerit, hominem Deo reconciliat, antequam pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur. Quod ut clariùs eluceat, observandum est, Concilium per contritionem charitate perfectam, non intelligere omnem & quamlibet veri nominis contritionem, quæ videlicet est detestatio peccati super omnia, & propter Deum summè dilectum; sed eam dumtaxat quæ pertigit ad consummatam charitatem, quæ foras mittit timorem. Nam, ut ait S. Augustinus tractat. 9. in Epist. Joann. *Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem judicii? Si perfecta esset in illo charitas, non timeret: perfecta enim charitas faceret perfectam justitiam, & non haberet, quare timeret; imò haberet, quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Non inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ, timor Domini.* His verbis docet S. Augustinus, perfectam charitatem facere perfectam justitiam, id est hominem justificare & aggregare ad filios Dei, atque adeo contritionem conjunctam cum perfecta charitate, quæ foras mittit timorem, hominem ad perfectam justitiam traducere. Ergo concludendum est ex doctrinâ S. Augustini, per charitatem inchoatam, in qua est adhuc timor, hominem non justificari. Hanc sancti Doctoris sententiam assecuta & amplexa est sancta Synodus, cùm declaravit, contritionem, siquando charitate perfectam esse contingeret, hominem Deo reconciliare, priusquam pœnitentiæ sacramentum actu susciperetur. Ergo non de qualibet contritione veri nominis intelligi debuit sacrosancta illa Synodus, sed de ea dumtaxat quam charitas consummata perficeret.

Unde inferendum est ex mente Concilii, contritionem cum inchoata charitate conjunctam hominem non reconciliare Deo, antequam sacramentum pœnitentiæ percipiatur. Ergo loquuntur parum theologicè, qui peccatorum per quamlibet veri nominis contritionem extra sacramenti pœnitentiæ perceptionem justificari existimant. Quanquam enim omnis veri nominis contritio sit actus amoris Dei super omnia dilecti, non est tamen necesse eam ab informante charitatis habitu proficisci; (quod est donum Dei, & impulsus inhabitantis Spiritus sancti) sed satis est quòd Deo tangente cor hominis Deum ipsum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, & per odium & detestationem adversus peccata lethaliaque flagitia moveatur. Ergo Concilium per præfatam contritionem quam vocat charitate perfectam, intelligit eam, quæ superveniente charitatis habitu perficitur, quod aliquando dumtaxat, non autem ordinariè nec semper fieri docet.

Quod rectè confirmat Catechismus ipsius Concilii p. 2. de sacram. pœnit. n. 46. *Primùm itaque docendum est*, ait, *confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit. At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à paucissimis hac viâ peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit*: Et n. 47. pergit: *Etenim ex fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum est, si quis animo ita affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare con-*

ftituat; etsi hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; et tamen, cùm peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari: ut meritò à sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesia clavibus aditum in cælum aperiri: de quo neminis dubitare fas est, cùm Florentino Concilio decretum legamus, pœnitentia effectum esse absolutionem à peccatis.

Hæc ibi quæ satis superque declarant, peccata per contritionem veri hominis ordinariè non remitti ante sacramenti perceptionem. Siquidem inde conficitur, sapientissimo Christi Domini consilio institutum esse pœnitentiæ sacramentum, ut homines (quorum paucissimi per acrem & incensam contritionem flagitiorum veniam sperare & impetrare poterant) prudenti & sobria certitudine per claves Ecclesiæ Catholicæ traditas sibi peccata Sacerdoti rite confessis, & eo, quo par est, proposito animatis, omnia scelera quantumvis immania remitti rescirent.

Tertium Consectarium

Ex recitatis Concilii verbis deducendum est, ut hominis ante sacramenti perceptionem reconciliatio ipsi contritioni non sine sacramenti voto, quod in illa includitur, ascribatur.

De ejus voti necessitate & ratione egimus suprà in in consectariis ad quæstionem decimam adjectis, consectario quinto.

Tertiò, nostra ipsa responsio confirmatur authoritate sanctorum Patrum, & inprimis S. Augustini, qui de se nondum regenerato duo verissima profitetur & affirmat, quorum

Primum est, se veram habuisse cordis contritionem, ut scripsit ipse lib. Conf. 8. cap. 12. *Iactabam*, ait, *voces mirabiles: Quamdiu? quamdiu? cras & cras? quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei.*

Et lib. 9. cap. 2. *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras.*

Et lib. 4. de Baptismo vocat catechumenum charitate flagrantem, quem Augustini locum Doctores Lovanienses suis scholiis insigniter illustrarunt. Augustinus, aiunt, charitatem generatim accipit pro dilectione, quâ Deum tanquam omnis justitiæ fontem summumque bonum diligimus, cujusmodi & ante justificationem requirit Concilium Tridentinum. Eandem tamen à charitate distinguens, ut quæ sit amicitia cum Deo, quâ eum puro corde in nobis jam habitantem, ut Patrem nostrum, summumque ac beatificum bonum diligimus. Hæc justorum tantùm est & filiorum Dei, quósque Deus inhabitat. Non ergo ante justificationem reperi potest vel in pœnitente vel in catechumeno, cui ad capessendum regnum cælorum desit adhuc peccatorum remissio, absolutione vel baptismo conferenda. Ergo per charitatem quâ catechumenos flagrasse ait S. August. intelligenda est charitas actualis, quâ sic arserunt catechumeni, ut tamen peccatorum remissionem per eam ordinariè non consequerentur. Et hoc est

Secundum quod docet S. Augustinus, catechumenos (ordinariè loquendo) non justificari, nisi lavacro aquæ per Spiritum sanctum fuerint regenerati, quod tradit pluribus locis.

Hoc primum de se profitetur lib. 9. Confession. cap. *Sed tu, Domine misericordissime, nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in aqua sancta ignovisti & remisisti mihi?*

Et in eod. lib. c. 4. *Et ea fides*, ait, (quæ per charitatem operabatur) *me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.*

Cùm quæst. 10. plura Augustini loca congesserimus, ut probaremus, cathecumenos quamvis charitate flagrantes non justificari ordinariè loquendo, antequam lavacro regenerationis fuerint repurgati: omnia enim peccata super illos sunt, & nisi venerint ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non possunt intrare in regnum cælorum, ait idem S. August tractat. 4. in Joan. Cùm, inquam, plura S. Doctoris testimonia nostram in rem contulerimus, ab pluribus abstinemus: quod enim intendimus, uberiùs probatum est, quàm ut insuper probari debeat.

Cùm igitur sancti Patres eodem planè modo de utroque, baptismi scilicet & pœnitentiæ, sacramento sint philosophati, & affirmaverint una voce catechumenos ordinariè loquendo ante baptismi perceptionem, quamvis charitate flagrantes, non justificari; necessariò concludendum est, nec peccatorem contritum, & inchoatâ charitate præditum, sine clavium ministerio peccatorum remissionem assequi. Frustra enim S. August. Epist. 180. Sacerdotum erga pœnitentes ministerium necessarium appellaret, si per omnem contritionem citra illud ipsum ministerium semper homines Deo reconciliarentur.

Utriusque sacramenti, baptismi scilicet & pœnitentiæ, parem esse necessitatem docuit S. Augustinus lib. 1. de adulterin. conjug. cap. ult. & hanc doctrinam ex divina traditione profectam tradit Concil. Trident. session. 14. cap. 2. *Est autem*, ait, *hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.*

Aliunde paria sunt ista duo sacramenta quoad suscipientium dispositionem, ut colligere est ex ipso Concilio Tridentino id luculenter decernente session. 6. & session. 14. ubi vult regenerandos ita esse affectos, ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant, & pœnitentes post baptismum lapsos per contritionem cum amore Dei super omnia conjunctam dolere de peccatis cum proposito non peccandi de cætero. Ergo parem ab utrisque animi præparationem exigit, ut suprà satis superque probavimus. Cùm ergo illam animi dispositionem constet ex illo ipso Concilio non justificare catechumenos, (illam enim, ait, dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur) sess. 6. cap. 7. certum est etiam, pœnitentes post baptismum lapsos non reconciliari Deo ordinariè loquendo, nisi clavium ministerio ab lethalibus flagitiis fuerint absoluti.

Quemadmodum igitur cathecumenus, quantumcumque proficiat, ut ait S. August. tractat. 13. in Joann. adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nec illi dimittitur, nisi cùm venerit ab baptismum; ita nec pœnitenti baptizato quamvis contrito ordinariè loquendo peccata remittuntur, nisi Sacerdos eum rite ab peccatorum vinculis, & ab mortis æternæ reatu absolverit.

Quod paucis & præclarè docuit Molanus tractat. 1. Theol. pract. cap. 8. *Non est existimandum*, ait, *per solam contritionem regulariter dimitti peccata, vel sine respectu ad claves; id enim jamdudum damnatum est: vel propter votum suscipiendæ absolutionis in illa inclusum; nam & hoc dici multa prohibent.*

His ita constitutis nonnulli perperam ratiocinantur, dum ad evertendam contritionis necessitatem, ad rite suscipiendum pœnitentiæ sacramentum, contendunt, positâ illâ contritionis necessitate (quam tamen sanctorum Patrum & veterum Theologorum, atque adeo totius traditionis ineluctabilis authoritas astruit) irritum fore clavium ministerium: siquidem

dem Sacerdos positâ contritione non sedebit ut judex, neque exercebit actum judicialem erga pœnitentem contritum, sed tantùm pronuntiabit, illum vi suæ contritionis esse justificatum.

Quod dici non potest, ut affirmant & verè affirmant: hunc enim errorem damnasse videntur Patres Concilii Constantiensis, dum proscripserunt septimum hunc Joannis Wiclef errorem his terminis conceptum: *Si homo fuerit contritus, confessio exterior est ei superflua & inutilis.*

Hunc etiam errorem damnavit Complutense Concilium ab Sixto IV. approbatum & confirmatum. Nam inter errores Petri Oxomensis hic erat primus: *Peccata mortalia quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi per solam cordis contritionem remittuntur sine ordine ad claves. Secundus ejusdem error erat. Prava cogitationes confiteri non debent, sed solâ displicentiâ delentur sine ordine ad claves.* Haud dubiè incidunt in eosdem ipsos errores, quotquot docent per contritionem veri nominis hominem ita justificari, ut ampliùs clavium ministerio non egeat.

Verùm ab his erroribus longissimè recesserunt & etiamnum recedunt Theologi, qui tam Scripturarum quàm traditionis authoritate freti veram cordis conversionem, id est veri nominis contritionem ad pœnitentiæ sacramentum rite percipiendum exigi docent & prædicant. Volunt enim contritionem requiri in pœnitente baptizato: ita tamen ut ordinariè loquendo illa veri nominis contritio non justificet hominem, nisi pœnitentiæ sacramentum ad remittenda peccata divinitus institutum reipsa & rite percipiat, & revera absolvatur à Sacerdote, cui ministerium clavium sit ab Ecclesia demandatum.

Quanquam in eo necessitatis articulo, in quo non licet habere Sacerdotem, & catechumenus & pœnitens baptizatus cum veri nominis contritione inchoatam charitatem includente, justificari, atque adeo veniam & salutem adipisci valeant, ut sequenti quæstione videbimus.

Pernegandum est igitur, omnem contritionem justificare: antequam actu sacramentum pœnitentiæ suscipiatur, & tunc nullus erit calumniandi locus, nec contritionis assertoribus lis intendi poterit, perinde ac si Sacerdotem reipsa non absolvere, sed absolutum dumtaxat pœnitentem declarare assererent: adhærescunt enim constanter & immobiliter ad can. 9. session. 14. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis, non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum; aut Sacerdos non joco, sed serio absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.* Manet igitur pronuntiatum illud inconcussum, peccatum scilicet ordinariè non remitti per solam cordis contritionem.

Hujus doctrinæ solidum est hoc fundamentum, quòd scilicet nullum peccatum remitti potest, nisi virtute passionis Christi, quatenus est satisfactoria pro pœna peccati, cujus remissio petitur: quæ mera est Concilii Tridentini doctrina. Nam cap. 7. session. 6. enumeratis causis justificationis ita loquitur: *Quanquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem & charitatem.*

Ex quibus Concilii verbis patet, neminem justificari, nisi ei patientis Christi merita communicata fuerint, quæ licèt variis communicentur modis, ad perficiendam tamen justificationem ordinariè loquendo, non nisi per sacramenta communicantur. Quapropter non sufficit ad impetrandam peccati remissionem conversio seu pœnitentia peccatoris. Sed præterea requiritur applicatio meritorum patientis Christi, quam applicationem ipse Christus & baptismo præsertim, & pœnitentiæ sacramento divino consilio alligavit. Hæc enim duo sacramenta ad hominis reconciliationem esse potissimùm instituta, non uno in loco Ecclesia declaravit. Sunt igitur conversio peccatoris & remissio peccatorum duo distincta beneficia ex Christi passione manantia. Unde non sufficit conversio peccatoris ad plenam & integram justificationem, sed præterea requiritur peculiare quoddam beneficium ex illa ipsa Christi passione profectum, quo quidem per divinam afficitur misericordiam, cùm Christi satisfactio æterno Patri pro totius mundi peccatis ab ipsomet Christo in cruce oblata, & peracta, ipsi pœnitenti, quatenus est satisfactoria, pro pœnis ejus peccato debitis in sacramento pœnitentiæ per Sacerdotis ministerium applicatur.

Præter hanc objectionem quam nonnulli gravem existimant, alia proferri solet, graviora scilicet esse imposita Christianis ad assequendam justificationem onera, quàm ipsis Judæis, quibus ad impetrandam peccatorum remissionem satis erat conteri, nec in Sacerdotis aurem confiteri tenebantur, nec absolvi à Sacerdote, nec subire duros operosissimæ satisfactionis labores, quos ipsos Christianos sub lege amoris constitutos perferre & exantlare necesse est: ita ut evangelica lex, quæ tota in amore posita est, lege Mosaïca, quæ tota vertebatur in timore, multò difficilior & durior esse videatur.

Huic objectioni satisfacere non est ardui laboris. Nam ex hoc ipso quod objicitur, novam videlicet legem totam esse positam in amore, objectionis solutio repetitur. Cùm enim vel ipso naturali lumine omnes exploratum habeant, omnia, quamvis in sese ardua & operosa, amanti esse levia, quis hanc amoris prærogativam & dotem ex Evangelica lege divinum in amorem penitus immersa (ut ita dicam) revellere velit? Si cupiditas filiis hujus sæculi facit omnia levia & facilia ad assequenda commoda fugacia, & brevì peritura; an adeo erit imbecilla charitas, quæ per tot auxilia, per tot tantaque sacramenta diffunditur in cordibus fidelium per Spiritum sanctum qui datus est nobis, ut ad comparanda æterna, quæ non videntur, bona difficultatem, si quæ sit, servandis Christi mandatis, quæ gravia non sunt, aut extenuare, aut imminuere, aut omnino tollere nequeat? Absit: longè enim aliter loquitur ipsa Veritas Matth. 11. v. 28. 29. & 30. *Venite ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris, jugum enim suave est, & onus meum leve.*

Si Jacob servivit pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, Gen. cap. 29. v. 20. si Sichem filius Hemor acerbissimos circumcisionis dolores perferre voluit, ut Dinam filiam Jacob ab se constupratam, & ea lege sibi promissam conjugem duceret: non enim distulit adolescens, quin statim quod petebatur, expleret; amabat enim puellam valde, Genes. cap. 34. v. 19. quidni vir Christianus divina charitate succensus in perferendis quibusque difficillimis, imò charitati facillimis, suum in Deum amorem testatum faciat? Huc accedit quòd & plura & perfectiora uno dumtaxat amore justitiæ perficienda à nobis, quàm à Judæis Deus exigat, cùm nos multò majoribus beneficiis affecerit.

Quam responsionem suprà tractavimus quæst. 10. in argum. 3.

Cùm ergo novum Testamentum totum ex chari-

tate pendeat, imò nihil sit aliud quàm charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, nihil erit quod per illam impleri non possit. Omnia enim sunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est. Secundùm hoc dictum est: *Et præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, Gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui gravia non sunt, & petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur*, ait S. August. lib. de nat. & grat. cap. 69. Et ideo laborant in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem, non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum, quæ tamen charitas ut habeatur etiam tanta quanta in corpore mortis hujus haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, ut ait idem S. August. lib. de perfect. justit. cap. 10.

His ita probatis, maneat ut indubitatum, contritionem veri nominis ordinariè loquendo non justificare peccatorem, nisi pœnitentiæ sacramentum rite percipiat.

Utrum autem aliquando citra sacramenti perceptionem justificet, quæst. sequenti declarandum est. Sit itaque

---

QUÆSTIO XIV.

Utrum ea contritio quæ ordinariè peccatorem non justificat ante sacramenti perceptionem, aliquando sufficiat ad justificationem, atque adeo ad salutem.

RESPONDEO, varios casus assignari ab Theologis, in quibus præfata contritio, Deo ita volente, sacramenti vicem virtutemque suppleat.

Primus casus est mortis articulus, quo urgente cùm Sacerdos haberi nequeat, non est dubium quin sincera contritio cum voto sacramenti conjuncta, ejusdem sacramenti defectum suppleat, atque adeo peccatorem incoata charitate donatum justificet.

Quod probatur ex doctrina Patrum aientium una voce, baptismi votum sufficere, cùm ejus percipiendi non suppetit facultas, nec deest voluntas. Nam sancti Patres de utroque sacramento, baptismo scilicet & pœnitentia, ad hominis reconciliationem potissimùm instituto, pari modo, quantùm ad effectus consecutionem philosophantur. Cùm igitur ex eorum sententia baptismi votum in articulo necessitatis sufficiat ad salutem, etiam veri nominis contritio cum sacramenti voto, quod in illa includitur, in illo ipso necessitatis articulo sufficiet.

Quòd baptismi votum sufficiat ad salutem, si sola prohibeat impossibilitas, egregiè docet S. Bernard. in Epist. 77. ad Hugon. de S. Victore, cap. 2. his verbis: *Porro quisquis in majore ætate post vulgatum ubique baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addit & ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans justissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis praeoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera, propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas.*

Paulò pòst id ipsum probat authoritate SS. Ambrosii & Augustini. *Sed miror admodum, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit Ambrosium & Augustinum, sive authoritatem eorumdem authoritate potiorem. Nam si nescit uterque idem profectò sentit, quod fatemur sentire & nos. Librum certè Ambrosii de morte Valentiniani legat si non legit, recolat si jam legit, non dissimulet si recolit: & advertet sine dubio sanctum homini non baptizato & mortuo, fidenter de sola fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati. Legat & Augustini contra Donatistas de unico baptismo librum quartum, & se vel agnoscat imprudenter deceptum, vel probet imprudenter obstinatum. Baptismi, inquit, vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso. Beatus Cyprianus non leve documentum assumit, & addit: Quod etiam atque etiam considerans, invenio, inquit, non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex baptismate deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et infrà: *Quantum itaque*, ait, *valeat, etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc, inquit, impletur invisibiliter, cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Item in alio loco Augustinus, cùm aliquos præmisisset, quos Scriptura commemorat, invisibiliter quidem, non tamen etiam visibiliter sanctificatos, tandem infert.

Ex his colligitur aut invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sine visibilibus sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sint, ut alia tunc fuerint, & alia modò sint. Et paulò pòst: *Nec tamen*, inquit, *visibile sacramentum omnino contemnendum: nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari non potest. Ubi satis evidenter ostendit fidelem & conversum ad Dominum, non si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari baptismatis.*

Ab his ergo columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor: credens & ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit.

Ex hoc solido S. Bernardi loco sanctorum Patrum testimoniis roborato perspicuum est, baptismi votum, si sacramenti contemptus absit, sufficere ad salutem, si mors, vel alia quæcumque vis ineluctabilis prohibuerit, quominus sacramentum susciperetur: quod & affirmandum est de pœnitentiæ sacramento, cujus votum ex sincera contritione profectum perurgente necessitate justificat, ut mox videbimus.

Nam illæ ipsæ rationes quibus sanctus Bernardus probat, baptismi votum in ipso necessitatis articulo sufficere ad salutem, militant pro sententia asserente, contritionem imperfectam, id est, cum inchoata charitate conjunctam, in eodem necessitatis articulo sufficere ad reconciliationem: quod probabimus perspicuè, cùm percensuerimus alios casus, in quibus illa ipsa contritio peccatorem justificat.

Secundus ergo casus, in quo contritio veri nominis cum voto sacramenti justificat, accidit, quando probabilis est scandali metus, aut imminet periculum peccari alterius, & præsertim gravioris, incurrendi, si ab Sacerdote peccatorum absolutio petatur.

Tertius est, quando quis vel omnino non potest, vel difficillimè potest opportuno tempore adire ad Sacerdotem à quo absolvatur: v. g. si habitet apud infideles, aut detineatur in vinculis, aut alio id genus impedimento prohibeatur. Quamvis enim nondum mortis periculum immineat; non est tamen verisimile differri apud Deum reconciliationem illius hominis, per quem non stat quominus absolvatur ab Christi Vicario, præsertim si ad fervorem contritionis ardens etiam sacramenti desiderium accesserit.

In his casibus præfatam contritionem vicem virtutemque sacramenti supplere, atque adeo contritum peccatorem justificare, graviores quique Theologi existimant. Nam, ut dicere cœperamus, eædem omnino rationes quibus S. Bernardus probat, baptismi desiderium sufficere ad salutem in casu necessitatis; Theologorum aientium, contritionem imperfectam in eodem necessitatis casu ad peccatoris reconciliationem sufficere, sententiæ suffragantur, ut vel primo aspectu videre est.

Prima sancti Bernardi ratio repetitur ex martyrio. *Si*, inquit, *martyrium sine dubio pro baptismate reputatur, & martyrium omne meritum ex fide trahit; nonne eum velut martyrem habebit Deus, in cujus corde æqualem martyris fidei fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam inspexerit? Si recordatus fuerit homo, necdum se salutis percepisse mysterium, & dolens pœnitensque toto desiderio expetierit, sed assequi mortis celeritate præoccupatus nequiverit, damnabit fidelem suum Deus? Damnabit, inquam, hominem pro se etiam paratum mori?*

Nihil vetat, imò nihil non indicat, eamdem omnino rationem ad casus propositos rectè accommodari. In iis enim peccator habet fidem, actualem habet charitatem, mallet carnificinam quamlibet subire, quàm lethale flagitium admittere in Deum, quem omnibus anteponit, sacramentum reconciliationis ardenter expetit: an hominem sui Creatoris amore flagrantem, divina sacramenta percupientem, sincero amore ad se conversum æternis ipse Creator addicet suppliciis? Absit, absit. Unumquemque enim nostrûm de Deo sentire in bonitate, Spiritus sanctus per Scripturam divinitus inspiratam imperat.

Secunda S. Bernardi ratio petitur ex eo quòd qui expetit baptismum quem suscipere non potest, loquatur in Spiritu sancto. *Paulus dicit*, (verba sunt sancti Bernardi) *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Hunc ergo qui in articulo mortis non solùm invocat Dominum Jesum, sed ipsum quoque toto desiderio expetit sacramentum; dicemus non loqui in Spiritu sancto, & falsus erit Apostolus, & dicet, & cum Spiritu sancto damnari? Salva erit in habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confessionem, & cum Salvatore damnabitur?*

Hæc S. Bernardi ratio pertinet ad homines verè contritos, qui sacramentum pœnitentiæ suscipere nequeunt. Est enim dogma Catholicum ab Conciliis, Arausicano præsertim II. & Tridentino definitum, neminem credere, sperare & pœnitere posse, sicut oportet, sine Spiritu sancto: ergo homines verè contriti, quibus sacramenti cujuspiam percipiendi deest facultas, non voluntas, movente Spiritu sancto conteruntur: ergo ex mente S. Bernardi pervenient ad salutem æternam, vel eum Spiritu sancto movente damnabuntur: quod citra blasphemiam affirmari non potest.

Tertia S. Bernardi ratio hæc est: *Quid planius, ait, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas? Nisi fortè putetur in malo quàm in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum qui charitas est, & promptior esse ad ulciscendum, quàm ad remunerandum misericors & miserator Dominus. Quomodo is, qui alieno debito se teneri fortè in extremis positus recolit, si desit unde persolvat, solâ nihilominus pœnitentiâ & cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur: sic sola fides & mentis ad Deum conversio sine effusione sanguinis, & sine profusione aquæ salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti (prohibente nimirum præsentaneo mortis articulo) baptizari.* Quibus verbis nihil ad rem nostram astruendam accommodatius aut efficacius afferri potuit. Nam in peccatore verè contrito & pœnitentiæ sacramentum expetente, voluntas citra dubium pro facto reputabitur: siquidem factum aperta necessitate excludi clarius est, quàm ut probari debeat.

Perspicuum est igitur, S. Bernardi rationes æqualiter ejus sententiæ, & nostro proposito suffragari.

Ad has rationes accedit authoritas Ecclesiæ, quæ per multos Canones variis in Conciliis diverso tempore celebratis, pœnitentes sine reconciliatione mortuos suis sacrificiis, & precibus adjuvari voluit, rata perventuros ad æternam salutem, quos pœnitentiam amplexos repentina mors oppresserat.

Ita sanxit Concilium Carthaginense IV. celebratum anno Christi 398. imperantibus Arcadio & Honorio. Sic enim id explicat cap. 79. de pœnitentibus, si casu aliquo moriantur: *Pœnitentes*, inquit, *qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.*

Quibus è verbis duo colligi possunt: quorum primum est, eos qui strenuè duros pœnitentiæ labores exorbuerant, Ecclesiæ suffragiis fuisse commendatos & sacrificiis adjutos. Alterum verò inde colligi potest, eos nimirum qui reconciliationis gratiam nondum adepti decesserant, & segniùs in obeundis pœnitentiæ laboribus sese habuerant, eo privilegio, id est, Ecclesiæ suffragiis caruisse. Nam certum est, Ecclesiam semper & potissimùm habuisse rationem fervoris & pietatis, quâ quis pœnitentiæ stadium decurreret. Unde Concilium Carthag. IV. cujus verba expendimus, nominatim exprimit pœnitentes, qui attentè pœnitentiæ leges exequuntur. Hunc canonem refert Ivo Carnot. Decret. p. 15. & 26. q. 7. 8. *Sacerdos pœnitentiam.*

Id ipsum statuit Concilium Vasense anno Christi 442. celebratum, can. 2. *Pro his qui pœnitentiâ acceptâ*, ait, *in bonæ vitæ cursu satisfactoriâ compunctione viventes, sine communione, inopinato nonnunquam transitu, in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam & eorum funera, ac deinceps memoriam, ecclesiastico affectu prosequendam: quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortasse, nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.*

Hisce pulcherrimi canonis verbis animari necesse est, quotquot sapientissimi Sacerdotis arbitrio & moderamine sese removent ab cælestium participatione mysteriorum, ut faciant dignos pœnitentiæ fructus, & purgatiores ad eadem mysteria vel tractanda vel percipienda redeant. Quamvis enim in ipso pœnitentiæ cursu è vivis excederent, eorum tamen salus (si Spiritui sancto per sacrosanctos Canonas elocuto credimus) nullo pacto periclitaretur.

Id ipsum statuit Concilium Arelatens. II. anno Christi 452. celebratum: sic enim loquitur canone 12. *De his qui in pœnitentiâ positi vitâ excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere di-*

mitti, sed pro eo quòd honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur. Vult ergo Ecclesia suscipi oblationem illius, qui pœnitentiam honoravit: ergo de ejus salute spem optimam concipit. Nam dubio procul istius oblationem respueret, quem ab æterna salute alienum, aut arbitraretur, aut certò resciseeret. Ivo Decret. p. 14. cap. 154. & Gratian. 26. q. 6. cap. 11. antiquum Canonem ex Epaonensi Concilio referunt.

Hanc disciplinam & traditionem utpote clementiorem divinaque misericordia digniorem tota Ecclesia, quaquà patet, ubique terrarum amplexa est.

Id ipsum, ut suis temporibus vulgatissimum, sanxere Concilii Toletan. XI. Patres circa ann. Christi 675. Sic enim loquuntur can. 12. *De his autem qui acceptâ pœnitentiâ antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, quanquam diversitas preceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplices numero de hujusmodi humanitus decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.*

Ex his Conciliorum sanctionibus constat, Ecclesiam existimasse sacramentorum vicem & virtutem suppleri per conversionem cordis. Et id etiam ab S. Augustino didicere Catholici, qui luculenter id ipsum asserit lib. 4. de Bapt. contra Donat. cap. 24. *Sicut in illo latrone*, ait, *quod ex baptismi sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri.* Et capite 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut alterum desit; quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi.*

Ergo disertè docet sanctus Augustinus, conversionem cordis sine sacramenti perceptione sufficere ad salutem in adulto, sicut & sacramenti perceptio sine conversione cordis ad salutem sufficit in infantulo. Inde contigit ut eos omnes mortuos Ecclesia suis adjuvaret suffragiis & sacrificiis, quos verè pœnitentes & contritos & conversos ad Deum obiisse prudenter existimaret: quippe quos licèt non suo ministerio solutos, Deo tamen ipso complente sacramentum, quod non ex voluntate, sed ex necessitate defuerat, absolutos esse crederet.

Fortè quis objecerit, Ecclesiam Romanam per multos annos severiùs egisse cum mortuis sine reconciliatione extinctis, ita ut quibus viventibus non communicaverat, mortuis se communicare nec posse nec velle non obscurè significaret. Id patet ex Epist. 92. S. Leonis & ex statuto Gelasii primi in Concilio Romano pro Miseni Cumani Episcopi absolutione celebrato.

Arbitrabantur nimirum summi illi Pontifices, hominum sive pœnitentium, sive aliorum qui sine reconciliatione decesserant, actiones & merita unius dumtaxat Dei examini judicioque reservata ab Ecclesia nullatenus discuti oportere.

Verùm secuti Pontifices mitiorem & vulgatiorem amplexi sententiam, mortuis de quorum pœnitentia constitisset, succurrendum esse docuerunt. Ita respondit Innocentius III. extrà de sententia excommunicationis cap. 28. ubi inter cætera hæc habet ad rem nostram apprimè conducentia: *Et quod legitur, Non communicetur mortuo, cui non est communicatum vivo: cùm, etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus à Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia & mortuos & solvisse.*

Ille ipse Innocentius III. ut habetur Decretal. Gregorii Papæ IX. lib. 3. tit. 43. de Presbytero non baptizato, respondet Episcopo Cremonensi, eum Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse sibi significaverat, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveraverat, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum; & id, ait, asserimus incunctanter.

Nihil ergo difficultatis cujuspiam animo oboriri debet ex eo, quòd Ecclesia Romana præfatam in eos qui sine sacramentis, licèt alioquin pœnitentes, severitatem exercuerit. Nam posteà vel sedente Vigilio, vel paulò pòst ab illa ipsa severitate ad maternam clementiam transiit, ut probabiliter conjiciunt Eruditi, & colligunt ex quinta Synodo generali Constantinopolitana secunda celebrata anno Christi 553. Ejusmodi hominum conjectura nititur collatione quinta, in qua prolatis ultro citroque rationibus, acerrimè disputatum est, utrum viri vel reipsa hæretici, vel jure ac meritò hæreseos suspecti, post mortem damnari possent. Quam propositionem cum plerisque aliis Sextilianus reverendissimus Episcopus de Africana provincia, vicem agens Primosi religiosissimi Episcopi Carthaginensis, probat authoritate plurium Africanorum Episcoporum, qui congregati ita censuerant, & fieri oportere decreverant. Inde conclusum est, mortuos posse absolvi, sicut & damnari poterant.

Hinc, ut probabilius existimant docti, nata damnandi & absolvendi post mortem consuetudo secutis temporibus invaluit, & sic sub Vigilio & paulò post Vigilium, Romani Pontifices cum catechumenis & baptizatis pœnitentibus sine reconciliatione (cujus facultatem eis necessitas ademerat) defunctis communicare, atque adeo indulgentiùs agere cœperunt.

Porro pœnitentem quempiam post mortem absolvere nihil aliud est, aut fuit, quàm pro eo Catholicum offerre sacrificium, pro eo orare, ut Ecclesia Apostolicâ traditione instituta sacrificare pro mortuis, semper docuit & fecit; eum denique sublevare omnibus officiis, quæ fidelibus Christiana Catholicaque charitas suggerere potest & debet.

Damnari autem dicebatur is, cui & preces & sacrificia Ecclesia utpote rebelli filio, aut hæretico, aut hæreseos non injuriâ suspecto & insimulato, aut schismatico, aut in aliquod id genus crimen implicato, denegabat, cujus & nomen expungebat ex diptychis, quæ pœna nominatim irrogata est Theodoro Mopsuesteno, sicut ab plerisque Clericis & Presbyteris ætate provectissimis, nusquam istius Theodori nomen in sacris diptychis & connumeratione requiescentium Episcoporum Mopsuestenæ civitatis numeratum & prædicatum esse, in Mopsuestena Synodo comprobatum est. Præterea ejusmodi hominibus tum privatim, tum publicè anathema dicebatur.

Quidquid id est, in toto orbe Christiano ab centum annis & pluribus supra mille, creditum est, eos qui pœnitentiam honorarent, ut loquuntur Concilia, & non reconciliati repentinâ morte interciperentur, æternam salutem adipisci.

Unde inferendum est, eos ratiocinari præpostere, qui sibi reconciliationem differri nolunt, nedum per pœnitentiæ labores Deum propitiare, ejus opem implorare, & ardenti oratione ejus gratiam in se attrahere contendent, improvisa morte obruantur, & ita in interitum ruant sempiternum. Hoc enim est

falsissimum, & ab Ecclesiæ, id est Conciliorum & SS. Patrum mente alienissimum, ut hactenus & uberiùs à nobis probatum est.

Itaque de ejusmodi pœnitentibus pronunciandum est, quod de Imperatore Valentiniano Arbogastis proditione oppresso, antequam regeneraretur, sanctus Ambrosius pulcherrima concione in ejus obitu habita, prædicavit. *Sed audio vos dolere*, ait S. Ambrosius, *quòd non acceperit sacramentum baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit. .... Non habet ergo gratiam quam desideravit? non habet gratiam quam poposcit? & quia poposcit, accepit; & ubi illud est, Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.* Et paulò pòst: *Non metuebat hominibus displicere, ut tibi soli placeret in Christo. Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? An quia solemniter non sunt celebrata mysteria? hoc movet? Ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur. Non enim coronantur, si non initiantur. Quòd si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.* Et multò pòst sub finem concionis: *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum, quòd detersa labe peccatis ablutus ascendit, quem sua fides lavit, & petitio consecravit.*

Tutam hanc quæstionem claudere juvat verbis Theobaldi Stampensis, qui floruit sub Paschale II. anno Christi 1099. id est sæculo XI. & pulcherrimam de nostra quæstione Epistolam inscripsit ad Lincolniensem Episcopum, quæ extat tom. 3. Spicilegii ab Domno Luca Dacherio editi. Ille Author statim in ipso ipsius Epistolæ exordio mentem suam aperit. *Si quis prædicat*, ait, *& prædicando temere definat, aliquem non posse salvari, quacumque horâ manus suas pœnitentia dederit, fallitur, nec catholicè sentit.* Et postea probat multis Patrum testimoniis, multos salvari per bonam compunctionem & verum cordis gemitum: *quia*, ut subdit, *non solùm superflua cogitationes, sed etiam prava actiones ante vim compunctionis fugiunt.* Et tandem rem totam sic explicat & terminat: *Patet quòd quicumque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter & gloriam consequetur in cælis, Amen. Si quis hanc Epistolam improbare voluerit, & hos præfatos Doctores catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percussus comminuatur, comminutus in pulverem redigatur.* Hæc ille, qui sibi ab ardentiori zelo temperare debuit, & imitari patientiam Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Quemadmodum enim per suam illam Epistolam vult nos de Domino peccatorem contritum miserante & salvante sentire in bonitate; ita illum de illo ipso in bonitate sentientem hominem suam illam Epistolam improbantem miserari, nec lapidibus obruendum pronuntiare oportuit.

Quæstio XV.

De quibus peccatis pœnitentem conteri oporteat.

Cum sint multa de quibus homo conteri potest, necessariò respondendum est de omnibus illis, in quæ contritio ferri potest.

1°. Enim expendendum est, utrum homo de pœnis conteri debeat.

2°. Utrum de peccato originali.

3°. Utrum de actualibus peccatis, & primùm de mortalibus, & utrum de singulis mortalibus specialis & distincta contritio requiratur.

4°. De venialibus.

5°. Utrum de peccatis futuris.

6°. Utrum de alienis. Quæ omnia sunt totidem responsionibus explananda. Sit itaque

Prima Responsio.

Non debet homo conteri de pœnis. Hæc est vulgatissima Theologorum sententia. Et ratio est, quia, ut ait S. Thomas 3. p. q. 84. art. 2. ad 3. propriè dicimur pœnitere de his quæ nostra voluntate commisimus. Cùm igitur pœnæ non sint mala, quibus voluntariè Deum offenderimus, de iis non habemus necesse conteri.

Præterea cùm per pœnitentiam peccator de peccato conteritur, respicit peccatum, ut illud quod retractari, destrui, & quanto maximo odio affici necesse est; quod quidem cùm non cadat in pœnam, in eam pariter contritio cadere non potest: adeo enim pœnam odisse non possumus, ut ex adverso eam debeamus amplecti veluti medium, cujus beneficio divinæ justitiæ satisfacere, & injuriam Deo per lethale flagitium illa tam sarcire & compensare valeamus. Ergo pœnitentia pœnas, à quibus nomen est sortita, non detestatur, imò assumit velut adjumenta, per quæ pœnitentem ad veram justificationem, atque adeo ad æternam salutem provehere possit. Id enim habet veri pœnitentes propositum, ut & peccatum & corpus peccati destruat, utpote quod Deum usquequaque & super omnia diligendum offendit. Quem in finem pœnas ad peccati destructionem accommodatissimas adhibet. Unde & ipse pœnitens & verè pœnitens debitas à se pœnas exigit, & ut misericordiam consequatur, & inveniat gratiam, divinam justitiam pœnis voluntariè susceptis antevertit.

Præterea, ut ratiocinatur S. Thomas in Supplem. q. 2. art. in corp. ideo dicitur contritio ductâ similitudine à rebus corporeis: quia quemadmodum res corporeæ minutatim saxo, aut duriore quapiam materia refringuntur; ita corda nostra quæ superbiâ obduruerunt, pœnitentiæ vi scindi, contundi atque conteri Deus imperat. Cùm ergo contritio requiratur ad frangendam cordis duritiem, ei per peccatum ingeneratam, contritio non cadit in malum pœnæ, sed in malum culpæ quod animum indurat, ita ut Deo protervè resistat, & ejus legem induratus pervicaciter infringat. Ideo de malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio.

Hoc ipsum confirmat S. Thom. in Supplem. 3. p. q. 2. art. 3. in c. ubi ait, quòd omnis actualis culpa ex hoc contingit, quòd voluntas nostra legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel præter eam agendo; & quia durum est quod habet potentiam, ut non facilè patiatur, ideo in omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis, & propter hoc si debeat peccatum curari, oportet, quòd per contritionem comminuentem remittatur. Quod quidem, cùm non conveniat in pœnam, non est cur de ea homo conteratur.

Responsio secunda.

Si propriè loqui velimus, vera contritio nec est, nec esse potest de peccato originali, licèt vera de eo displicentia & verus dolor concipi valeat, ut docent omnes Theologi post sanctum Thomam.

Nam contritio suapte natura peccatum propria ipsius hominis voluntate admissum respicit, & ordinatur ad tollendam indurationem inordinatæ voluntatis perpetrato flagitio contractam. Unde sequitur, pœnitentiam seu contritionem propriè dictam non pertinere ad peccatum originale, quippe quod nostra voluntate non est inductum, sed ex viriata naturæ origine contractum.

Pœnitentiam non pertinere ad peccatum originale, satis significat S. Bernardus Sermone 2. de Assumpt. Virg. Mariæ, ubi negat pœnitentiam ha-

buisse locum in Virgine, eo quòd nihil proprii inquinamenti unquam habuerit: (nam quòd habuerit originale peccatum, ejusdem Bernardi sententia est) ergo ex ejus mente nulla de peccato originali datur pœnitentia. Unde enim, ut affirmat S. Bonaventura, an cor Mariæ pœnitere debuit, cùm nihil quam pœnitentiâ dignum admiserit?

Si tamen pœnitentiæ nomen generaliùs accipiatur pro odio vel displicentia & dolore, quem quis concipit & concipere debet de malo culpæ, cujus reatum incurrit, sive ejusmodi culpam propria voluntate admiserit, sive non; rectè & theologicè dicitur hominem posse de suo peccato originali dolere, quòd in iniquitatibus conceptus sit, & in peccatis eum conceperit mater sua. Cùm enim venit in hanc lucem, erat naturâ filius iræ, erat, ut loquitur, S. Augustinus, *reatu vetus, & ortu novus, homo à Creatore, captivus à deceptore, indigens redemptore.*

Non solùm autem dolere debet homo, quòd natus sit aversus à Deo; verùm toto pectore incumbere ad destruendas originalis peccati reliquias, ad comprimendam concupiscentiam, seu fomitem peccati, ne ejus impulsu abstractus & illectus in apertam divinæ legis prævaricationem erumpat.

Dari pœnitentiam de peccato originali, asserit S. Thom. ad distinct. 16. lib. 4. Sentent. q. 1. art. 2. in sol. quæstiuncul. 2. si largè sumatur pœnitentia pro omni displicentia mali præteriti.

Si ergo generaliùs sumatur pœnitentia pro displicentia peccati originalis, in quo nascimur, ita ut ex ea displicentia adversus concupiscentiam certare teneamur: non est dubium, quin quilibet Christianus eo sensu de peccato originali pœnitentiam agere teneatur. Et hoc præceptum sæpe nobis inculcat Apostolus: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*, Roman. 6. v. 6. *Non regnet peccatum* (i. concupiscentia) *in mortali corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus*, ibid. vers. 12. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccati*, ibidem v. 13. Et, *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Roman. 8. v. 12. & 13. Et, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, Galat. cap. 5. v. 16. Item, *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, ibid. v. 24. Item: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam quæ est simulacrorum servitus*, Coloss. cap. 3. v. 5.

Hæc omnia vitia, sunt membra, ex quibus conflatum est corpus peccati, quod ut destrueretur, veterem nostrum hominem simul esse crucifixum Apostulus prædicat.

Hæc ergo pœnitentia eo sensu quo diximus, de peccato originali peragenda in eo præsertim posita est, ut homo verè Christianus carnem adversus spiritum concupiscentem subjiciat, sciens neminem coronatum iri, nisi qui legitimè certaverit.

Responsio tertia.

Ad veram contritionem non solùm requiritur dolor de universis peccatis mortalibus generatim & confusè conceptus; verùm etiam specialis & distinctus de singulis peccatis tam quoad numerum, quàm quoad speciem susceptus exigitur.

Quæ responsio trifariàm potest intelligi.

1°. Ut tot eliciendi sunt contritionis actus, quot pœnitens peccata lethalia se admisisse meminerit, ut singulis numero peccatis singulæ contritiones respondeant. Verùm præterquam quòd id, ut plurimum impossibile est, etiam ad salutem non est necessarium. Quod tamen ut perfectius & laudabilius proponi potest, ut præclarè facit Catechismus Parochorum parte 2. de pœnit. sacram. n. 34. Maximè autem hortandi & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant.

2°. Ut pœnitens tot numero distinctos contritionis actus elicere teneatur, quot distincta specie peccata se admisisse deprehenderit, equidem probabile est, sed non apparet necessarium ad salutem.

3°. Denique eò tendit nostra responsio, ut postquam pœnitens omnes conscientiæ sinus & latebras diligenter excusserit, & singula peccata sua juxta eorum speciem & numerum pro modulo revocaverit in memoriam, una contritione ea omnia singillatim recogitata, detestetur & abhorreat eum proposito non peccandi de cætero. Talis enim dolor & detestatio non tantùm de universis est, sed etiam de singulis, ut propterea vocari possit specialis & distincta, quatenus fertur in peccata specialiter & distinctè recognita, quamvis non sit singularis de singulis. Et hæc est sententia gravissimorum Theologorum, qui & Patres & Scholasticos aliter sentire visos interpretati sunt; quippe docuerunt de singulis vel numero vel specie peccatis dolendum esse, nec propterea distinctos contritionis actus ab pœnitentibus exegerunt.

Unde rectè colligitur, nusquam veram esse contritionem, quin de singulis peccatis mortalibus, quæ pœnitenti post accuratam & diligentem sui discussionem in memoriam venerint, eo quo diximus sensu distincta & specialis habeatur. Et hoc probat Isaïæ locus cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quod nusquam diceret Ezechias ab imminenti morte singulari Dei dono liberatus, nisi omnia antea actæ vitæ peccata singillatim sibi discutienda recolendaque resciceret, et ea expiaret debitâ pœnitentiâ, licèt uno contritionis actu omnia & singula detestaretur & abhorreret. Unde concludendum est, eum dolorem, qui supponit & sequitur tam accuratam vitæ præteritæ discussionem, de omnibus & singulis peccatis concipi, sive id per unum duntaxat, sive per plures contritionis actus exerceatur.

Si quis objiceret, eam discussionem de omnibus & singulis peccatis esse factitandam, & totidem, eosque distinctos contritionis actus, quot peccata in se deprehenderent, elici oportere ab iis, qui confiteri volunt, grave & (ut ita dicam) importabile jugum pœnitentibus imponeret. Nam Ezechias hisce verbis nihil aliud, ut apparet, sibi præter veram cordis contritionem, & peccatorum per pœnitentiæ labores expiationem proponere & Deo polliceri voluit.

Doctrinam nostra responsionis explanatam tradit S. Thomas in Supplem. q. 2. art. 6. in c. *Respondeo dicendum*, ait, *quod contritio potest dupliciter considerari, scilicet quantum ad sui principium, & quantum ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem, quâ quis cogitat de peccato & dolet, etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis; terminus autem contritionis est, quando dolor ille jam gratiâ informatur: quantùm ergo ad principium contritionis, oportet quòd sit de singulis peccatis quæ quis in memoria habet; sed quantùm ad terminum, sufficit quòd sit una communis de omnibus: tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium.* Hactenus S. Thomas.

Eandem sententiam amplexi sunt Richard. in 4. distinct. 15. a. 4. q. 2. Durandus in 4. dist. 17. q. 2. ad 1. Gabriel Biel in 4. dist. 16. q. 1. Contritio, inquit, debet esse de quolibet mortali, si in speciali habeatur memoria. Ita sentit Paludanus in 4. dist. 17. q. 1.

His de causis, contritio ex natura rei & ex divina ordinatione, ut patet ex laudato Isaiæ loco, anteactæ vitæ discussionem, & quidem serium exigit. Nemo enim rectè & sicut oportet, de peccatis dolere potest, quin eorum numerum & speciem, & gravitatem recogitaverit, ut perspicuum est. Plus enim de pluribus peccatis quàm de paucis, plus de gravioribus quàm de levioribus dolere necesse est: quod quidem cùm sine ejusmodi peccatorum discussione & recordatione præstari nequeat, necessariò præmittendum est examen, cujus adminiculo eorum & multitudo & gravitas expendatur.

Responsio quarta.

Cùm contritio de omni peccato actuali à nobis admisso esse debeat, ex mente Doctoris Angelici, & omnium Theologorum, de peccato quoque veniali conteri necesse est.

Quæ responsio ut eluceat, operæpretium est hic ascribere pulcherrimum S. Thomæ locum, quo tota res insigniter explanatur. Sic igitur ille 3. p. q. 87. art. 1. in corp. *Respondeo dicendum, quòd remissio culpæ, ut dictum est, fit per conjunctionem hominis ad Deum à quo aliqualiter separat culpa: sed hæc separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale. Nam per peccatum mortale mens à Deo omnino avertitur, utpote contra charitatem agens: per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur, & ideo utrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur; sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel pœnitentiæ virtutis: quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quòd requiratur quædam virtualis displicentia, putà cùm aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum & res divinas, ut quicquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hoc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantùm ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.* Hactenus Angelicus Doctor, ex cujus verbis inferuntur tria nostrum ad propositum mirè conducentia, quorum

Primum est, peccatum veniale non remitti, nisi per contritionem & pœnitentiam.

Secundum, ad peccati venialis remissionem non sufficere habitualem displicentiam.

Tertium, ad obtinendam peccati venialis remissionem, virtualem requiri displicentiam.

Quod spectat ad primum, nempe peccatum veniale non remitti, nisi per contritionem & pœnitentiam, mera est S. Thomæ doctrina in articulo laudato, ubi ait, per utrumque peccatum, mortale scilicet & veniale, deordinari voluntatem, & averti à Deo perfectè quidem per peccatum mortale, & imperfectè per veniale. Ut igitur voluntas inordinata ad pristinum ordinem, id est ad debitum Deo subjectionem dilectionemque revocari possit, necesse est ut de utroque, de mortali scilicet magis, de veniali minùs conteratur; ita ut, quemadmodum ratiocinatur sanctus Thomas, sicut non remittitur peccatum mortale, quandiu voluntas peccato adhæret; ita nec veniale, quia manente causa manet effectus, id est manente peccato seu mortali seu veniali per affectum quo ei voluntas hominis adhærescit, manet reatus culpæ & pœnæ vel temporalis vel æternæ reatus, qui per ejusmodi peccata incurritur.

Quod spectat ad secundum, non sufficere scilicet habitualem displicentiam ad remissionem peccati venialis, id certum est & indubitatum, & ita docet S. Thomas laudato articulo & quæst. 7. de malo art. 11. ad 4. Dicendum, inquit, quòd habitualis displicentia non sufficit ad remissionem venialis, sed requiritur actualis.

Est igitur triplex displicentia: nempe habitualis, quæ scilicet per charitatem vel pœnitentiæ virtutem habetur: si ergo ad remissionem venialium habitualis displicentia sufficeret, sequeretur quemlibet charitate & pœnitentiæ virtute præditum carere omni peccato veniali, quod & falsum & hæreticum est, ut olim Ecclesia adversus Cælestium & Pelagium, & superiore sæculo in Concilio Tridentino definiit. Nemo enim nunc degit in terris, qui non aliquod admittat peccatum ex iis, sine quibus non vivitur.

Altera est displicentia actualis, quâ quis reipsa peccata sua detestatur, utpote divinæ charitati contraria.

Tertia denique est virtualis, quâ quis eo affectu effervescit in Deum, ut si peccatum vel lethale vel veniale à se admissum actu recordaretur, ei displiceret, & contritus sese illud admisisse doleret.

Tertium ex verbis S. Doctoris infertur, ad remissionem scilicet venialis peccati non sufficere habitualem displicentiam, sed requiri & sufficere virtualem. Nec obstat locus ex quæst. 7. de malo superiùs à nobis allatus. Nam ibi sanctus Doctor sub actuali displicentia comprehendit virtualem, quasi dicat, Non sufficit habitualis displicentia, sed requiritur actualis; id est talis, quâ quis actu sive explicito & formali, sive virtuali detestetur peccatum. Et hanc esse ipsius mentem, colligimus tum ex eo quod subjungit, Sufficit tamen generalis; tum ex eo quod in respons. ad 3. dicit, Peccatum veniale est quidem propria voluntate hujus personæ commissum, non tamen est causa privationis gratiæ. Unde non requiritur displicentia in particulari, (qualis est formalis & explicita) sed in universali tantùm in quantum habet aliquam rationem repugnantis ad gratiam.

Probabilissimum est, ad remissionem venialium sufficere virtualem displicentiam seu contritionem: nam ad remissionem lethalium sufficit in multis casibus.

1°. Enim contritio virtualis sufficit etiam ad remissionem lethalium, quæ quis præmissa diligenti sui discussione oblitus fuerit.

2°. Eadem contritio ad lethalium remissionem sufficit, cùm quis ob confessionem Christianæ fidei tantâ violentiâ tamque præcipiti rapitur ad supplicium, ut ne momentum quidem illi ad peccata recogitanda & actuali contritione detestanda tribuatur. Adde quòd animus tanto in Deum amore flagrat, ut de profundenda ad tuendam ejus gloriam vita dumtaxat, de peccatis autem (ab quorum recordatione in eo agonis articulo abstrahitur) nihil cogitet. Unde non est dubium, quin ejusmodi vir ponens animam suam pro amicis suis, Deo nimirum & Christo (quâ majorem nemo charitatem habet) certissimam peccatorum quorumlibet cum virtuali contritione remissionem, & præterea martyrii lauream assequatur.

3°. Graves Theologi existimant, æternam salutem adipisci eos omnes, qui cùm virtualem contritionem de peccatis etiam lethalibus habeant, inter

dormiendum, vel etiam inter vigilandum tam repentina improvisaque morte intercipiuntur, ut actu nec de peccatis, nec de ulla alia re cogitare potuerint. Si verò cuipiam verè Christiano tam exiguum temporis concedatur spatium, ut sua singillatim peccata lethalia & recordari & sinceræ contritionis actu detestari nequeat, ille ita est affectus in Deum, ut ad ejus salutem concepta de peccatis in genere contritio sufficere censeatur.

Hanc ejus sententiæ rationem proferunt eruditi Theologi: Quandiu homo diligit in hac vita sui compos, & voluntatis usum habet, etiamsi illi utpote mox morituro brevissima suppetat vita, de ejus salute desperare nefas est; ideoque negari non potest, quin vel brevissimo temporis spatio de peccatis generatim conteri, atque adeo per veram cordis conversionem ad Deum suum reverti, & æternam salutem adipisci valeat: siquidem in eo casu quo specialis de peccatis contritio elici non potest, generalem seu virtualem ad salutem sufficere viri multò doctissimi contestantur.

Ergo virtualis displicentia ad remissionem lethalium sufficit in propositis casibus, quia nimirum cùm in illis actualis displicentia peccatorum ejusmodi, sicut & actualis recordatio haberi nequeat, nec eos homines qui ea commiserunt, ab spe veniæ oporteat excludi; virtualem displicentiam velut ad ea delenda sufficientem ab ipso Deo acceptari necessaria consecutione conficitur.

Si ergo in ejusmodi casibus virtualis contritio ad delenda etiam lethalia peccata sufficit, non est dubium, quin ad remissionem venialium, quæ minorem requirunt pœnitentiam, quàm lethalia, illa ipsa contritio sufficiat.

Ac reipsa quidem omnia quæ valent ut plurimùm ad remissionem venialium, virtualem saltem displicentiam includunt.

Sanctus Thomas 3. p. q. 87. art. 3. in corp. ait, triplici ratione aliqua causare remissionem venialium peccatorum.

Primò, per infusionem gratiæ. Et hoc modo per Eucharistiam & extremam unctionem, & universaliter per omnia sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.

Secundò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: & hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica operantur ad remissionem venialium. Nam in Oratione Dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra.*

Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas. Et hoc modo, benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. Et in eadem q. in eod. art. ad 1. Dicendum, ait, quòd omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum vel explicitè vel implicitè.

Et ibid. ad 3. Dicendum, quòd per prædicta tolluntur quidem peccata venialia, quantùm ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cujus motus per prædicta excitatur. Non autem per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ: quia sic qui esset omnino immunis à peccato mortali aspersus aquâ benedictâ, statim evolaret in cælum; sed reatus pœnæ remittitur secundùm modum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minùs.

Ideo sanctus Doctor ead. q. 87. art. 1. ad 3. *Dicendum, quòd fervor charitatis implicat displicentiam venialium peccatorum.* Qui locus intelligendus est de fervore non solùm secundùm intensionem, sed etiam secundùm extensionem ad omnia, quæ retardare possunt affectum hominis, atque adeo prohibere, quominus feratur ardentiùs in Deum, & illi arctiori amicitia conjungatur. Sic enim actus amoris veniali peccato directè opponitur, & voluntatem immutat adempto cujuslibet culpæ vel levioris affectu; cùm alioquin amor fervens solùm intensivè, non sic opponatur peccato veniali, sed alicujus culpæ levioris affectum voluntatémque in hominis corde residere patiatur. Quod præclarè explicat idem S. Thomas q. 7. de malo art. 11. ad 4. *Dicendum, quòd quamvis hujusmodi* (aqua benedicta, benedictio Episcopalis, & similia) *æqualiter se habeant ad omnia peccata venialia; tamen fervor ab eis excitatus non æqualiter semper se habet ad omnia, sed quandoque respicit aliqua in speciali, & contra ea efficaciùs operatur, etsi in generali respiciat ea, potest contingere, quod non habeat eumdem effectum in omnibus, eo quòd affectus hominis aliquando habitualiter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quòd si in memoria haberentur, non displicerent, vel fortè si opportunitas adesset, committerentur. Et rarò contingit homines in hac mortali vita viventes ab hujusmodi affectibus liberos esse. Unde non possumus fiducialiter dicere, Peccatum non habemus. Etsi etiam homo ad horam per hujusmodi remedia ab omnibus venialibus immunitatem consequatur quantùm ad culpam, non tamen sequitur quòd sit liberatus quantùm ad totam pœnam, nisi fortè sit tantus fervor dilectionis, ut sufficiat ad totius pœnæ remissionem.* Hæc ibi.

Ad remissionem ergo venialium requiritur eorum detestatio & displicentia saltem virtualis, quæ quidem continetur in fervore charitatis, qui fervor secundùm varios intensionis & extensionis gradus ejusmodi peccatorum tam quoad culpæ, quàm quoad pœnæ reatum, remissionem obtinet.

Ergo per charitatis fervorem venialia remitti in hoc sæculo, ita certum est, ut etiam per eumdem charitatis fervorem in altero quoque remittantur. Constans est Theologorum sententia, peccata remitti etiam in altero sæculo; quod probatur ex Matth. cap. 12. v. 31. *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi*, ut asserit S. Gregor. lib. 4. Dialogorum capite 39. *quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari; quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Quod & affirmat S. August. lib. 21. de Civit. c. 24. & S. Bernardus Serm. 66. in Cant. & alii, quorum vestigiis insistens S. Thomas rectè explanavit, quomodo id fieret, q. 7. de malo art. 11. ad 9. *Dicendum*, ait, *quòd remissio venialis peccati in purgatorio quantùm ad pœnam est ex parte purgatorii, quia homo patiendo exolvit quod debet, & ita cessat reatus. Sed quantùm ad culpam non remittitur per pœnam, neque secundùm quòd actu sustinetur, quia non est meritoria; neque secundùm quod recogitatur: non enim esset motus charitatis, quòd aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam, sed magis esset motus timoris servilis vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale quantùm ad culpam virtute gratiæ, non solùm secundùm quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum.* Hæc sanctus Thomas.

Si quærat quispiam, an de venialibus pœnitere oporteat, & qua lege quilibet ad hanc pœnitentiam teneatur.

Respondeo, constantem esse sanctorum Patrum sententiam & traditionem de venialibus pœnitentiam esse peragendam. Triplicem enim pœnitentiam in Ecclesia factitari solitam ab omni ævo, post Patres omnes Theologi stabilierunt, unam videlicet

ante

ante baptismum, quæ catechumenorum pœnitentia vocari potest; alteram quotidianam ab cunctis fidelibus ob levia peccata, sine quibus hæc vita non ducitur, usurpari solitam: tertiam denique quam subeunt & subire debent, quotquot è percepta per regenerationis sacramentum gratia lethali flagitio vel multiplici vel unico exciderunt.

Hanc pœnitentiæ divisionem disertè tradit sanctus August. lib. 50. Hom. hom. 27. cap. 2. *Triplicem pœnitentiæ considerationem in sancta Scriptura esse proposui: ista prima competentium est, & ad baptismum venire sitientium. Est alia quippe quotidiana, & ubi illam ostendimus pœnitentiam quotidianam? non habeo ubi meliùs ostendam, quàm in Oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, & quid ad Patrem dicamus, ostendit, & in his verbis posuit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ debita, fratres? quandoquidem debita hic intelligi non possunt, nisi peccata? quæ debita dimisit, & in baptismo iterum ut dimittat, oramus?* Et cap. 3. loquitur de tertia pœnitentia quam vocat luctuosiorem atque graviorem. Hanc ipsam divisionem tradit & explicat idem S. Augustinus eod. lib. Homil. hom. 50. cap. 2. & 3.

Illam ipsam divisionem tradit S. Thomas ult. tertiæ part. articulo, ita ut beata illius anima in altissimas pœnitentiæ meditationes immersa ex hoc exilio ad cælestem Sanctorum patriam evolasse videatur.

Hanc divisionem mirabiliter astruit Concilium Tridentinum sub finem sess. 14. in doctrina de sacram. extremæ unctionis, ubi ait, *sacramentum extremæ unctionis non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum esse à Patribus.* Ex quo Concilii decreto sequitur, in Ecclesia esse pœnitentiam quam quotidie pro venialibus factitari oporteat. Non est illa pœnitentia intelligenda de pœnitentia adultorum, qui regenerari volunt in Christo: nam perpetua esse debet, cùm pœnitentia competentium brevi tempore, quadraginta videlicet dierum spatio, ut plurimum absoluta fuerit, tametsi tempus catechumenatûs longè diutius protraheretur. Non est etiam intelligenda de luctuosa illa pœnitentia, cujus labores amplecti necesse est eos, qui baptismi inæstimabilem innocentiam lethali flagitio amiserunt. Cùm enim Concilium dicat conceptis verbis, vitam Christianam perpetuam pœnitentiam esse oportere, nullatenus videtur esse intelligendum de pœnitentibus qui per lethalia peccata cum Deo initum in baptismo pactum violare non sunt veriti, & ideo ab vita Christiana penitus recesserunt. Nam secundùm S. August. Epist. 89. *Is est duntaxat Christianus, qui misericordiâ Dei adjutus & gratiâ, se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina* (peccata lethalia) *vocantur, & illa peccata sine quibus non hic vivitur, mundare operibus misericordiæ, & piis orationibus non neglexerit.* Vel, ut loquitur idem sanctus Augustinus lib. de perfection. justit. capite 9. *Christianus est vir carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Cùm ergo lethalium flagitiorum conscii desciverint ab vita Christiana, de iis non potest intelligi Concilium, nisi per dignos pœnitentiæ fructus ipsi Deo reconciliati ad vitam verè Christianam divina opitulante gratia sese retulerint. Ergo ex mente Concilii, quod triplicem illam pœnitentiam sanctorum Patrum authoritate stabil tam pulcrè noverat, est pœnitentia quotidiana ab optimis etiam Christianis ad remissionem venialium usurpari solita.

Quomodo autem fiat, docet sanctus Augustinus lib. 50. Homil. homil. 50. (cui viri sapientissimi divinæ nomen indiderunt) dum cap. 2. ita loquitur: *Orantes dicimus quòd in tota ista vita oportet ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in baptismo dimissa sunt; & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum & ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.* Idem S. Augustinus pœnitentiam pro peccatis levioribus agendam pluribus explicat in Enchirid. ad Laurent. cap. 71. & 72. ubi ait: *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Et postea enumeratis variis eleemosynarum generibus, per quæ pro levioribus ejusmodi peccatis Deo satisfieri potest, tandem ejusdem libri cap. 73. ita concludit: *Sed eâ* (eleemosynâ) *nihil est majus quâ ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit.* Quasi diceret, nihil esse ad obtinendam venialium remissionem efficacius, quàm si nos erga eos qui nos aliquâ affecere injuriâ, ignoscentissimos præbeamus. Unde pulcherrimè sanctus Cyprianus: *Certa nos conditione & sponsione constrinxit, ut sciremus impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi paria faciamus.*

De hac ipsa re vide sanct. August. ib. et 10. chord. c. 12.

Ex his omnibus duo necessariò sunt inferenda.

Primum, oportere unumquemque detestari venialia virtuali saltem displicentia, nisi sint necessaria confessionis materia; tunc enim ea actuali displicentia detestari necesse est. Id est, si quis tantùm de venialibus confiteatur, debet quoad aliquem saltem numerum de iis dolere, & ea de cætero evitandi propositum concipere; alioquin nulla substerneretur sacramento materia, atque ita non susciperetur sacramentum pœnitentiæ. Nam nemini latet Theologo, proximam sacramenti pœnitentiæ materiam esse tres pœnitentiæ actus, contritionem scilicet, confessionem & satisfactionem. Si ergo aliquis de venialibus duntaxat confessus, de iis non conteratur, nec doleat actuali displicentia, nullam substernit sacramento pœnitentiæ materiam: (cùm confessio & satisfactio contritioni superstruantur, & sine illa nihili sint faciendæ) ergo non susciperet sacramentum.

Unde verendum est, ne plures utriusque sexus personæ pietatem, alioquin sive in sæculo, sive in monasteriis professæ, pœnitentiæ sacramentum sine ulla de levioribus peccatis emendatione frequentando, frequentiora, quàm existiment, admittant peccata.

Porro quanto se periculo exponant, qui de industria hærent in his minimis venialibusque peccatis, declarat S. Bernardus Serm. 1. de Conversione S. Pauli, dum ait, hanc esse impœnitentiam & blasphemiam in Spiritum sanctum. Quem locum quia superiùs quæst. 24. excussimus, cùm ageremus de peccatis in Spiritum sanctum, hîc non repetimus.

Alterum ex dictis hactenus inferendum est, quotidianam venialium pœnitentiam exerceri recitando Orationem Dominicam, sicut oportet, eleemosynas faciendo, & exercendo quælibet misericordiæ opera, seu spiritualia, seu corporalia, & præsertim ex corde condonando offensas quas proximus quocumque tandem modo in nos admiserit.

Certum est igitur, quemlibet Christianum quotidianam pro venialibus pœnitentiam agere oportere; sed qua lege id præstare teneatur, superest explicandum.

Dico igitur, hominem ad eam pœnitentiam teneri lege tam naturali quàm divina.

Ratio à priori est, quòd homo utraque lege ad Deum ut ad summum bonum & ad ultimum suum finem beatificum tota animæ contentione toto cordis ardore & impetu, omnium denique virium intensione contendere, atque adeo omnia impedimenta, suum illum ad Creatorem cursum vel retardantia, vel abrumpentia toto conatu ablegare & remo-

vere teneatur. Cùm ejusmodi sint peccata venialia, & animum Babylonicis amoribus, ut loquitur sanctus Augustinus, implicatum non omnino quidem revocent ab suo cursu, sed maximè retardent; non est dubium, quin illa detestari, & de illis pœnitentiam agere oporteat.

Præterea cùm per illa voluntas plus æquo hæreat in creatura, & sic ab præscripto ordine, quo jubetur Deum propter se, & cætera propter illum diligere, deflectat, illam ad debitum ordinem per venialium peccatorum detestationem & pœnitentiam revocari necesse est.

Huc accedit, quòd etiam pro minimis venialibusque peccatis Deo satisfieri oporteat: quod rectè & sicut oportet fieri non potest, nisi quis eorum peccatorum remissionem per odium aliquod & detestationem saltem virtualem, & per congrua pœnitentiæ opera sibi procuraverit.

Nonne verendum est, ne plerique Christiani negligentiores ejusmodi peccatorum, etsi levium, si non magnitudine, at certè multitudine obruti, tandem aliquando pereant? Nam, ut ait S. August. lib. de 10. chordis cap. 11. *Noli illa* (venialia) *contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt: quotidiana sunt ista quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura; quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.*

Id ipsum asserit sanctus Gregorius 3. p. Pastoralis curæ admonit. 34. *Admonendi sunt*, ait, *qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare, cùm numerant. Altos quippe gurgites fluminum, parva, sed innumera replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera; sed cùm multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est, Qui modica spernit, paulatim decidet. Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt qui in minimis frequenter excedunt, ut sollicitè considerent quia nonnunquam in parva deteriùs, quàm in majori culpa peccatur. Major enim quò citiùs, quia sit culpa, agnoscitur, eò etiam celeriùs emendatur: minor verò dum quasi nulla creditur, eò pejus, quò & securiùs in usu retinetur. Unde fit plerumque ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat; & tantò in majoribus contemnat pertimescere, quantò in minimis didicit non timendo peccare.* Hactenus S. Gregorius, cujus oraculis congruenter locutus est Angelicus Doctor 1. 2. q. 88. art. 3. in corpore, ubi ait, peccatum veniale disponere ad mortale ex parte agentis, eo quòd habitu per iteratos peccatorum venialium actus comparato & corroborato possit peccandi libido eo virium procedere, ut agens cum voluntate divinum aliquod præceptum infringendi, ultimum finem in creatura, repudiato Deo constituat. Ait præterea, peccatum veniale ex genere posse disponere ad mortale ex genere removendo prohibens: quia qui admittit peccatum veniale ex genere, infringit aliquem ordinem; & quia suam voluntatem in minoribus ordine debito subtrahere consuevit, disponitur ad hoc, ut etiam in majoribus voluntatem suam ultimi finis ordini subjicere nolit, atque ita quod est peccatum ex genere suo mortale, eligat, ut loco laudato ratiocinatur sanctus Thomas. Unde meritò S. August. tract. 12 in Joann. *Peccata minima*, id est venialia, *si negligantur, occidunt.*

Multa alia de peccato veniali dici possent: v. g. quòd nullum veniale remittatur homini lethalis flagitii conscio, nec remitti potest, nisi priùs lethale peccatum remissum fuerit: quia remissio cujuscumque peccati nunquam fit, nisi per virtutem gratiæ, vel priùs inhærentis, vel jam recenter infusæ. Nam ipsa peccati remissio vel est actus gratiæ habitualis, vel est ipsius effectus. Unde sequitur, hominem lethali flagitio constrictum, atque adeo omni gratia habituali destitutum, nullam venialium remissionem consequi.

Præterea cujuslibet peccati certum est amicitiæ & reconciliationis indicium: cùm ergo peccator lethali flagitio devinctus non sit Deo reconciliatus, imò sit ejus hostis infensissimus, nullam ab eo peccatorum venialium, nedum lethalium veniam & remissionem impetrare poterit. Ac reipsa quidem si peccatum veniale non remissò mortali condonari posset, proculdubio daretur casus, in quo quispiam sui peccati remissionem obtineret, etiamsi peccanti in se proximo non pepercisset: quod quidem repugnat Christo aienti Matth. 6. v. 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Observandum est, peccata venialia cum peccato mortali conjuncta per accidens non remitti, in quantum sunt in subjecto gratiâ privato; & sic per accidens æternâ pœnâ puniuntur cum lethalibus, ut affirmat & probat sanctus Thomas quæst. 7. de malo art. 10.

Responsio quinta.

Ut satisfiat quæstioni quintæ, quâ quærebatur, utrum de futuris peccatis conteri oporteret:

Respondeo cum S. Thoma in Supplem. q. 2. art. 4. neminem conteri debere de futuris peccatis, partim quia proprium contritionis objectum est peccatum admissum, partim quia contritio includit retractationem & ejurationem ejus quod malè factum est. Nec obstat, quòd in ratione contritionis ab futuris peccatis cavendi propositum includatur. Cùm enim in virtutibus moralibus primus motus sit ipsa prudentia, quæ dicitur virtutum auriga, ut loquitur S. Thomas, & ideo quælibet virtus moralis cum motu proprio habeat aliquid de motu prudentiæ: propterea cùm pœnitentia sit virtus moralis, (quia est pars justitiæ) cum actu proprio consequitur prudentiæ motum. Proprius autem ejus actus exercetur in proprium ejus objectum, quod est peccatum admissum: ideo proprius ejus actus est principalis, nempe contritio secundùm suam speciem, præteritum dumtaxat peccatum respicit, & ex consequenti futurum peccatum respicit, secundùm quod aliquid de actu prudentiæ adjunctum habet: & tamen in illud futurum secundùm rationem propriæ speciei non movetur. Unde fit, ut qui conteritur, doleat de peccato præterito, & sibi caveat ab futuro. Nec propterea dicitur conteri de futuro peccato, sed futurum præcavere peccatum, quod ad prudentiam contritioni adjunctam pertinet: quemadmodum enim pœnitentia per contritionem peccatum detestatur præteritum, ita per prudentiam futurum præcavet.

Responsio sexta.

Quæstione sexta & ultima quærebatur, utrum de peccatis alienis conteri oporteret.

Respondeo negativè. Neque enim æquum est quempiam conteri de peccatis quæ alter sine ullo ipsius consensu admiserit: nam contritio est actus pœnitentiæ. Certum est autem, neminem rectè pœnitere, nisi ejus facti quod ipse commiserit; juxta illud:

Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Præterea illud conteritur quod priùs durum extitit: ergo illa ipsa voluntas, quæ priùs obduruit, &

obdurata ipsi Deo peccando restitit, conteri debet; non autem altera voluntas quam nulla sceleris contagio inquinavit.

Nihil huic responsioni officit locus ex Psalm. 18. repetitus, *Ab alienis parce servo tuo.* Nam vel de personis vel de peccatis intelligendus est: si de personis, nihil contra nos ex eo colligitur. Per hæc enim verba petit Psaltes, ut Deus retundat impetus eorum, quorum improbitate & malitia ad peccatum allici posset; quasi diceret: Ne unquam ab legis tuæ observatione recedam, atque adeo ab amicitia tua excidam, defende me servum tuum ab his, qui per suam superbiam à te sunt alienati, ab nefariis scilicet dæmonibus, eorumque ministris improbis hominibus, tuæ voluntati protervè reluctatis: eorum impetus & insidias à me propulsa, ut nusquam pravis eorum suggestionibus in grave quoddam flagitium pertrahi possim.

Ita interpretatur hunc locum Jansenius Gandavensis in sua Paraphrasi: Si de peccatis intelligatur, quorum veniam Propheta postulet; certè de peccatis loquitur, quorum contagio illum effecerat reum, quippe qui vel consilio, vel jussione, vel consensu, vel irritatione, vel laudatione, vel adulatione, vel reticentiâ seu indulgentiâ, vel rei alienæ participatione, vel prava facti alieni defensione, sese improborum nequitiam adjutasse meminerat.

Secundùm Hebræos legendum est, *Etiam à superbis prohibe servum tuum, ne dominentur in me.* Rabbi Kimhi sic explicat: Majus quid præterea à te peto, ut me prohibeas à superbis, ne dominentur in me, neve fomes peccati (concupiscentia mea) mihi prævaleat. Per superbias peccata ex concupiscentia oriri solita intelligit. Alii intelligunt ipsammet concupiscentiam, quæ variis tentationibus homines exercet, eisque tyrannicâ quâdam superbiâ dominatur. Alii vertunt, *à superbis affectibus.* Græci & Latini codices habent, *ab alienis*, non alieno fortè sensu, quasi per alienos, effrænatos concupiscentiæ affectus & impetus ab ratione supra quàm dici potest, abhorrentes, & alienos indicare voluerint. Nec dubium est, quin Græci & Latini legerint *mizzarim*, id est ab alienis, pro *mizzedhim*, id est à superbis. Hanc notam insignem & eruditam nobis suppeditavit Simeon *de Muis*, qui Psalmos juxta Hebraicum fontem insigniter explanavit. Ergo ex hoc loco non conficitur, nos de peccatis alienis conteri oportere: tametsi quilibet Christianus divinæ gloriæ studio, ut par est, incensus de peccatis alienis dolere, & suo illo dolore suum in Deum amorem testificari debeat.

Quæstio XVI.

Quantum contritionis dolorem esse oporteat.

Tametsi quæstionem hanc ex parte solverimus in argumento septimo, quo divinæ dilectionis necessitatem ad rite percipiendum pœnitentiæ sacramentum astruximus in consectario quarto: juvat tamen paucis brevibusque conclusionibus rem totam absolvere. Sit itaque

Prima conclusio.

Certum est, dolorem contritionis esse oportere summum appretiativè; id est verè pœnitens, verè contritus ita debet detestari peccata, (etiamsi id non faciat toto animi conatu) ut nullum malum, qualecumque sit, sicut ea, detestetur, malitque quælibet alia potiùs perferre, quàm ea denuo admittere.

Nam sicut Deus summum bonum est inter omnia quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia quæ aversari & odisse debent homines: inde necessariò sequitur, ut, quam ob causam Deum summè & appretiative diligere, id est omnibus anteponere tenemur, ob illam ipsam, peccatum summo odio prosequi, & de illo appretiativum dolorem (quo scilicet malimus quodlibet aliud malum subire, quam in illud iterum incurrere) concipere debeamus. Unde fit, ut quia Deum ex toto corde diligere jubemur, etiam peccatum, quia est Deo summè contrarium, ex toto corde, id est, odio summo, implacabili & æterno detestari & fugere teneamur. Nemo enim nescit, lethale peccatum esse omnium malorum maximum, ideoque super omnia mala detestandum. Quod satis indicat S. Thomas, cùm ait, peccatum quod à fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.

Oportet igitur, ut quemadmodum S. Bernardus affirmat, nullum finem & terminum & modum charitati esse præfigendum, cùm modus diligendi Deum sit ipsum diligere sine modo; ita etiam peccati detestandi, fugiendique ratio nullo definiatur modo, nec ullo limite vel detestationis vel temporis, aut alio quopiam termino circumscribatur.

Secunda conclusio.

Contritio non necessariò dolorem omnium dolorum intensivè maximum, imò nec certum aliquem intensionis gradum requirit. Dolor intensivè summus est is, quo nullum intensiorem, sive in eodem homine, sive in quovis altero reperire est; vel qui ad eum pervenit intensionis gradum, qui augeri nequeat. Unde hoc interest inter magnitudinem doloris secundùm intensionem, & magnitudinem doloris secundùm appretiationem considerati, quòd dolor intensivè summus se teneat ex parte subjecti, & sumatur ex gradibus, quibus formæ intendi aut remitti solent: magnitudo verò doloris appretiativè summi, sumatur ex eo quòd ejus objectum majori in pretio habitum, & rectæ rationis judicio pluris quàm omnia alia doloris objecta æstimatum, pœnitens omnibus anteponat; atque adeo de peccatis in Deum admissis graviùs & acerbiùs, quàm de ulla alia re doleat.

Hujusmodi dolorem omnium dolorum appretiativè maximum, sufficere ad veri nominis contritionem, nec intensivè summum requiri, eruditissimi Theologi constantissimè docuerunt.

Cùm enim intensio voluntatis ex objecti vehementia proficiscatur, & objectum cadens in sensum suapte naturâ vehementiùs, quàm spirituale voluntatem afficiat: inde fit ut sensibilia plerumque intensiùs & ardentiùs quàm spiritualia diligamus, & intensiùs de sensibilium quàm de spiritualium jactura & dispendio doleamus; citra culpam tamen: siquidem id non ex voluntaria improbitate, sed ex insita naturæ primo primi hominis peccato vitiatæ corruptela oriatur.

Unde fit, ut si ad veram contritionem dolor intensivè summus exigeretur, vel pauci vel nulli de peccatis, sicut oportet, contererentur, cùm plerique omnes suorum parentum mortem & suarum facultatum jacturam vehementiùs & intensiùs, quàm peccata in Deum ab ipsismet admissa lugeant.

Præterea peccarent quotquot de propinquorum & charorum obitu acerbiorem & intensiorem, quàm de suis peccatis dolorem concipiunt. Cùm enim dolor amori respondeat, & si dolor intensivè summus est, & ipsum quoque amorem intensivè summum esse oporteat; sequeretur eos intensiori amore prosequi propinquos & charos, quàm Deum, siquidem eorum lugerent mortem acerbiùs & intensiùs, quàm de admissis in Deum flagitiis deplorarent.

Inde, inquam, id est posita necessitate doloris intensivè summi ad veram contritionem, amoris pariter intensivè summi erga Deum necessitas infertetur; atque ita quisquis intensiùs de propinquorum & chariorum obitu quàm de admissis in Deum flagitiis doleret, sese vehementiùs propinquos & charos, quàm Deum ipsum diligere testaretur: atque ita peccaret lethaliter, ut & omnes qui amant patrem & matrem, aut fratres aut filios, adhuc autem & animam suam plusquam Deum & Christum.

Sufficit igitur ad veri nominis contritionem dolor omnium dolorum appretiativè maximus, atque ita non peccabunt lethaliter, qui propinquorum mortem lugent acerbiùs, quàm sua peccata defleant, modò eos supra Deum non diligant, nec eorum mortem magis quàm Dei offensam detestentur & abhorreant, & malint illis ipsis orbari, quàm lethali flagitio in Dei offensam incurrere.

Præterea Scripturæ, quæ videntur acerbissimum & intensissimum dolorem ab pœnitentibus exigere, nihil meminerunt summi illius conatus, quasi dolorem de peccatis conceptum comitari deberet: id enim dumtaxat imperant, ut Deum rebus generatim omnibus anteponant, suaque flagitia supra omnia mala qualiacumque sint, oderint & detestentur, atque adeo ab iis cum sincero non ampliùs peccadi proposito recedant. Aliam rationem suppeditat S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 7. ad 3. & 2. 2. q. 24. art. 6. ad 1. ubi ait, actum charitatis licèt remissum, esse simpliciter bonum & æternæ vitæ meritorium; quidni igitur actus contritionis & pœnitentiæ etiam remissus erit bonus, & verè hominem ad reconciliationis gratiam disponet?

Ergo non requiritur ad veram contritionem dolor intensivè summus, sicut nec requiritur certus intensionis gradus. Sicut enim in actu fidei, spei, vel cujuslibet alterius virtutis non requiritur certus intensionis gradus, per quem præcepto oporteat satisfieri, & sine quo præcepto satisfieri nequeat; ita nec in actu contritionis & pœnitentiæ exigitur certus intensionis gradus. Nam licèt Scripturæ passim prædicent peccatorem oportere converti ad Deum in toto corde & in tota tribulatione animæ; non continuò sequitur contritionis dolorem debere esse summum intensivè, quia totalitas illa est integritatis & perfectionis; non est autem ea quæ summum intensionis gradum exigat. Ac proinde sicut is verè & ex toto corde Deum diligit, qui illum super omnia diligit, & diligendo rebus citra ullam exceptionem omnibus anteponit, ut cujuslibet alterius rei jacturam facere, quàm ab ejus gratia & amicitia excidere malit, tametsi ejus affectus non pervenerit ad summum intensionis gradum: ita peccator divina præmovente gratia, convertitur ad Dominum Deum suum in toto corde suo, & illum quærit in tota tribulatione animæ suæ, qui eum super omnia diligit, & istius dilectionis impulsu dolet de peccato, utpote summo malo, (atque adeo super omnia mala, qualia & quantacumque sint, detestabili & execrando) ut malit potiùs quælibet alia mala perferre, & quamlibet carnificinam subire, quàm sese lethali quopiam flagitio constringere, quippe qui ejusmodi flagitio nihil pejus & detestabilius, vel reperiri vel excogitari posse, persuasissimum habeat.

Conclusio tertia.

Sicut ad remissionem culpæ non necessariò requiritur ex parte contritionis certus aliquis intensionis gradus, ita nec requiritur ad determinatum quoddam tempus extensio, ita ut si illa desit, peccator, etiam accedente sacramento, veniam consequi nequeat. Nam

Primò, Scripturæ ad obtinendam peccatorum veniam & remissionem nullum temporis spatium præfigunt, in ò multos singulari gratia ad Deum verè conversos nullâ morâ interpositâ veniam consecutos esse commemorant. Sic David ab Propheta de duplici flagitio suo admonitus unicam io vocem erupit, tres syllabas protulit, *Peccavi*; & quia in his tribus syllabis flamma sacrificii ascendit in cælum, ut ait S. Augustinus, ideo sine ulla cunctatione & mora duorum criminum, & quidem atrocissimorum, veniam est consecutus. Sic latro in extrema vitæ linea, conversus ad Christum è patibulo in paradisum cum Redemptore transiit.

Secundò, id ipsum probatur authoritate Patrum. S. Joannes Chrysost. de reparatione lapsi Epist. 5. ad Theodorum lapsum, id luculenter asserit. Ejus verba referuntur ab Gratiano de pœnitent. distinct. 3. cap. *Talis*. *Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè & simpliciter offeratur; etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit & libenter amplectitur: facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum; & quod est adhuc præstantius & eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen & quamlibet brevi tempore gestam, non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, nec patitur, quamvis exigua conversionis perdere mercedem. Hoc enim mihi indicat Isaias, ubi de populo Judæorum talia quædam dicit: Propter peccatum modicè contristavi eum, & percussi eum, & averti faciem meam ab eo: contristatus est, & ambulavit tristis, & sanavi eum, & consolatus sum eum.*

Hisce Chrysostomi verbis insigniter astipulatur S. Leo Epist. 91. ad Theodorum Foro-juliensem Episcop. Sic enim loquitur: *His autem qui in tempore necessitatis & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordia Dei, nec mensuras ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venia moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris. Et alibi: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. Et iterum: Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas gemitusque negligere, cùm ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam.* Hactenus S. Leo.

Tertiò, quemadmodum brevissimum tempus, imò vel unum momentum sufficit ad incurrendam Dei offensam; quidni ad reconciliandam ejus gratiam per regulam à contrario deductam sufficiat?

Quartò, si ad veri nominis contritionem aliquod temporis spatium exigeretur, quis & quo fundamento illud determinare posset, dum omnes Theologi dicunt, perpetuam esse oportere pœnitentiam de peccatis tam lethalibus quàm venialibus, ejusmodi dogma hauriunt è Scripturis & Conciliis quæ aiunt, semper saltem virtualiter Deum super omnia esse diligendum: ergo peccatum lethale super omnia mala, virtuali saltem displicentia & odio esse prosequendum, utpote summum malum; sic & asserunt, peccatum veniale (utpote malum) ad obtinendam ejus remissionem semper virtuali displicentia esse aversandum. Dum, inquam, hoc docent Theologi, habent solidissima fundamenta, quibus cùm ad determinandam temporis ad eliciendam contritionem necessarii mensuram careant, citra temeritatis notam illam ipsam vel prolixi vel exigui temporis mensuram constituere & præfigere nequeunt.

Conclusio quarta.

Sicut peccata alia aliis sunt graviora, ita pro ratione gravitatis magis de uno, quàm de alio dolendum est, appretiativè scilicet.

Ratio est, quia contritio est dolor de peccato, quatenus & quia Dei offensa est: ergo de graviore peccato, quia graviorem Dei offensam secum trahit, majorem acerbioremque dolorem concipere necesse est. Quò enim gravius est peccatum, eò etiam est detestabilius, & ideo acerbiori dolore & lugendum & expiandum est.

Tametsi de peccato lethali, qualecumque fuerit, dolorem appretiativè maximum concipi oporteat, & sit detestandum super alia quævis mala, quæ peccata non sunt: quædam tamen sunt peccata quæ comparata cum aliis majorem secum trahunt enormitatem & malitiam, atque adeo graviorem Dei offensam; & ideo ea luctuosiùs & acerbiùs defleri necesse est. Unde non est dubium, quin peccator plurium peccatorum conscius, majorem pœnitentiam eo, qui pauciora commisit, factitare, & qui graviora perpetravit, graviores pœnitentiæ labores subire debeat.

Ut autem quis de gravioribus peccatis graviùs & vehementiùs doleat, non est necesse ut peccata peccatis conferat; sed satis est, quòd omnia, quatenus sunt offensa Dei, ex animo detestetur: hujusmodi enim detestatio implicitè singula suo gradu & ordine pro cujusque gravitate detestanda complectitur.

Unde Cæsarius Arelatensis Episcopus, enumeratis pluribus remediis, quibus peccata venialia delenda & expianda sunt, ita loquitur homil. 8. de peccator. lethalium pœnitentia: *Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit, sed addenda sunt lachrymæ & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, eroganda; altro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.* Hæc ille.

Quemadmodum igitur S. Cæsarius longè graviorem exigit pœnitentiam ab iis qui se in lethalia, quàm ab iis qui se in venialia duntaxat peccata implicarunt: ita non est dubium, quin ab iis qui lethalia crimina, eaque plura & graviora, perpetrarunt, & dolor acerbior, & pœnitentia severior & diuturnior exigatur, quàm ab iis qui lethalia quidem, sed non tot & tanta commiserunt.

Ergo cùm Deus peccato graviore graviùs offendatur, quàm minori, graviorem & majorem de graviori, quàm de minori peccato contritionem habendam esse perspicuum est, ut docet S. Thomas Supplem. q. 3. art. 3. in corp.

Conclusio quinta.

Dolor qui residet in voluntate, & veram contritionis essentiam constituit, non potest esse nimius. Hæc est doctrina S. Thom. in Supplement. q. 3. art. 2. in corp. *Contritio*, inquit, *ex parte doloris, qui est in ratione scilicet displicentiæ, quo peccatum displicet, ut est offensa Dei, non potest esse nimia: sicut nec amor charitatis, quo intenso talis displicentia intenditur, potest esse nimius. Sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia. In his autem omnibus debet accipi pro mensura, conservatio subjecti, & bonæ habitudinis sufficientis ad ea quæ agenda incumbunt, & propter dicitur Roman. 12. Rationabile obsequium vestrum.* Hæc Angelicus Doctor.

Quia igitur in amore Dei nulla sunt nimia, sicut & in amore mundi cuncta sunt noxia, ut loquitur S. Leo; ita ille dolor conceptus de peccatis in Deum admissis, & ex summo in ipsum Deum amore profectus, nimius esse non potest, quandiu residebit in voluntate: si verò redundabit in partem sentientem, poterit esse immoderatus & nimius, ita ut sanitati officere, & bonam alioquin corporis habitudinem labefactare & prosligare valeat.

Quam doloris intemperantiam effugere, & corporis incolumitatem tueri quemque necesse est, ut eâ ad factitandam pœnitentiam utatur Christianâ prudentiâ quæ nos omnes animæ corporisque vires Deo per pœnitentiæ labores immolare, atque adeo in certa nostræ salutis adjumenta convertere admonet.

QUÆSTIO XVII.

Quomodo attritio seu imperfecta contritio ab perfecta contritione differat.

Antequam huic quæstioni respondeatur, operæpretium fecerimus, si proinlerimus & refutaverimus varia discrimina, quibus utramque contritionem nonnulli Theologi ab invicem sejunxerunt, ut vera utriusque differentia clariùs elucescat.

1°. Aliqui utriusque contritionis differentiam in eo positam esse voluerunt, quòd contritio perfecta absolutâ efficacique voluntate non solùm peccata detestaretur, & ea de cætero vitare & effugere proponeret: imperfecta verò id tantùm optativà, suspensâ, & inefficaci voluntate, imò quadam velleitate faceret. Quod facere solent homines in flagitiorum gurgitem diuturna consuetudine immersi, ut fœneratores, adulteri, qui vellent equidem è peccatis emergere, sed nullam sibi vim adhibent, ut inde emergant.

Verùm istam differentiam nemo Theologus admisserit. Nam contritio genericè sumpta duo necessariò includit: primum, veram peccati super omnia detestationem; alterum, sincerum non peccandi de cætero propositum. Ergo & illa duo duabus illis contritionibus utpote speciebus, necessariò conveniunt. Cùm ergo ista duo sine absoluta & efficaci voluntate consistere nequeant, necessariò utraque illa contritio absolutam & efficacem voluntatem includit: ergo perperam distinguuntur duæ illæ contritiones per id ipsum, per quod inter se conveniunt.

2°. Alii utramque contritionem secernunt, quòd imperfecta contritio ex solo timore pœnæ, perfecta verò ex amore justitiæ, id est Dei super omnia dilecti affectu oriatur.

Sed hoc discrimen rejicitur. 1°. Quia si imperfecta contritio ex solo timore pœnæ oriretur, includeret peccandi voluntatem, quod est contra Concilium Tridentinum, à quo definitum est adversus Lutherum, contritionem imperfectam ex pœnæ timore conceptam esse bonam & utilem, modò peccandi voluntatem excluderet cum spe veniæ, quæ quidem sine amore saltem incboato, ab pœnitentibus rite præstari non potest, ut suprà declaravimus.

Huc accedit, quòd contritio ut sic, aliquem Dei amorem necessariò includit: ergo utraque contritio vel contritio non est, vel saltem inchoatum Dei amorem includat necesse est. Esto enim imperfecta contritio ex timore pœnæ oriatur; contritio tamen etiam imperfecta appellari non poterit, quin ad Dei super omnia dilectionem servili timori præponderantem perveniat. In hoc ergo cùm duæ illæ con-

tritiones conveniant, per allatum discrimen distingui non poterunt.

3°. Nonnulli ita distinguunt, quòd in imperfecta contritione magis timeatur pœna quàm culpa; in perfecta autem magis culpa quàm pœna timeatur.

Quod discrimen admitti non potest. Nam imperfecta contritio, quæ est actus virtutis pœnitentiæ, in peccatum & quidem lethale degeneraret ex duplici capite: primò, qui metuit magis pœnam quàm culpam, habet admittendæ culpæ voluntatem, quam reipsa admitteret, nisi pœnæ metu prohiberetur; secundo, qui timet magis pœnam quàm culpam, sese supra Deum diligit, quippe qui magis pœnam sibi contrariam quàm Dei offensam pertimescit. Certum est enim, nos eum plus diligere, cui magis metuimus.

4°. Quidam hoc discrimen inter utramque statuunt, quòd perfecta contritio mortalia, imperfecta verò venialia peccata respiciat.

Quod quidem etiam rejicitur. Nam justi divinæ charitatis ardore inflammati perfectam contritionem de peccatis venialibus elicere possunt, & revera eliciunt; de gravioribus autem peccatores ordinariè loquendo imperfectam contritionem concipiunt, cùm converti ad Deum suum incipiunt. Alioquin non reverterentur ad Deum, nisi haberent saltem imperfectam contritionem, quæ, quia cum Dei dilectione super omnia conjuncta est, veri nominis contritio appellatur.

5°. Utramque contritionem quidam differre dicunt, quòd perfecta contritio de omnibus peccatis lethalibus admissis elici, imperfecta verò de quibusdam tantùm concipi debeat. quod est falsissimum. Nam neque perfecta neque imperfecta contritio esse potest, nisi omnia peccata lethalia citra ullam exceptionem detestetur & abhorreat. Quemadmodum enim nullum peccatum lethale sine alio remitti potest, ita de uno peccato lethali sine alio nemo rite conteri potest, sive imperfectæ, sive perfectæ contritionis actum eliciat. Unde præclarè S. Thomas 3. p. q. 86. a. 3. in corp. *Peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti*, ad quem pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum: quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem est eadem ratio, & idem effectus; unde non potest esse verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Hactenus sanctus Thomas.

6°. Quidam imperfectam contritionem ab perfecta differre volunt, quòd perfecta contritio non modò per principium supernaturale, sed etiam ex motivo supernaturali elici debeat; imperfecta autem per auxilium quidem supernaturale, sed ex motivo merè naturali elici possit: v. g. dolere quis poterit de peccato ex amore Dei ut authoris naturæ, ex recordatione accepti cujusdam beneficii ordinis naturalis, vel ex metu amissionis, honoris, famæ, valetudinis, aut aliarum id genus rerum. Hoc nonnulli Theologi scripserunt, aientes, ad rite suscipiendum pœnitentiæ sacramentum sufficere dolorem naturalem, qui tamen supernaturalis æstimetur.

Quam utriusque contritionis differentiam nemo nisi cæcus admiserit. Est enim definitum in Concilio Tridentino, neminem posse pœnitere, sicut oportet, sine Spiritu sancto. *Si quis dixerit*, aiunt ejus Concilii Patres session. 6. canon. 3. *sine prævenienie Spiritûs sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.* Hoc Canone posito facile est animadvertere, neminem pœnitere posse sicut oportet ad assequendam justificationis gratiam, quin ad veram cordis conversionem & contritionem ab Spiritu sancto præmoveatur: ergo nemo veram pœnitentiam agere potest, quin & auxilio & motivo supernaturali incitetur ad veram illam pœnitentiam. Quòd auxilio supernaturali pœnitens egeat, nemini dubium est: quòd autem ad pœnitentiam rite peragendam naturali quopiam motivo possit impelli, falsissimum est. Cùm enim pœnitentiam per actus dumtaxat supernaturales fieri oporteat, & actus cujus objectum seu motivum est ordinis merè naturalis, nihil sit præter actum in sua entitate naturalem, utpote ab objecto naturali specificatum: inde necessariò conficitur, nullam esse posse veram pœnitentiam, nisi per principium supernaturale non tantùm, verùm etiam ex motivo supernaturali suscipiatur.

Præterea si ex motivo naturali de peccatis doleret quispiam; v. g. si doleret se in Dei offensam incurrisse, propterea quòd Deus in pœnam illius malum aliquod temporale immisisset, ejusmodi dolor non proficisceretur ex amore Dei: nam incredibili gaudio deliquescunt Sancti, vel certè sedato sunt animo, cùm ita volente Deo rerum temporalium dispendia patiuntur: ergo hujusmodi dolor oriretur ex amore mundi & inordinata rerum humanarum cupiditate, atque adeo non tantùm non sufficeret ad dolenda flagitia, verùm etiam ipse flagitium esset. Non enim esset secundùm Deum tristitia, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sed, ut patet, nihil aliud foret quàm *sæculi tristitia*, quæ mortem operatur, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. cap. 7. v. 10.

7°. Nonnulli sentiunt in eo perfectam contritionem ab imperfecta distingui, quòd actus perfectæ contritionis sit gratiâ informatus, non item contritionis imperfectæ. Per quam differentiam si nonnulli Theologi contendere velint, contritionem perfectam exigere gratiam actualem, non item imperfectam; quippe quæ absque tali gratia produci valeat: nullo negotio refutabuntur duobus Concilii Tridentini locis, quorum primus est in canon. 3. session. 6. quem quia mox retulimus, non repetimus: alter repetitur ex cap. 4. session. 14. ubi sancta Synodus declarat, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

8°. Nonnulli hanc differentiam inter utramque contritionem statuunt, quòd imperfecta contritio sit detestatio peccati propter aliquod objectum, seu motivum quod non est Deus, qualecumque tandem illud sit; perfecta verò contritio sit peccati detestatio, prout est offensa Dei. Quæ quidem differentia nullo nititur fundamento.

Ac reipsa quidem si aliquod haberet fundamentum, fortè illud acciperetur ex cap. 4. session. 14. Concilii Tridentini aientis, contritionem imperfectam ex turpitudinis peccati consideratione vel gehennæ metu concipi: quibus verbis significari videtur, contritionis imperfectæ motivum esse aliquid creatum, atque adeo posse aliquem dolere de peccatis propter aliquid quod non est Deus. Præterea Concilium cap. 6. 6. session. explicat contritionem perfectam per amorem, quo catechumeni Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem. Sed uterque ille Concilii locus nihil ejusmodi sententiæ favet. Non primus; quia Concilium non asserit, omnem imperfectam contritionem elici ex motivo vel turpitudinis pec-

cati vel ex timore pœnæ ; sed tantùm affirmat, vel ex turpitudinis peccati consideratione vel gehennæ metu communiter concipi : ita tamen ut ibi non hæreat, sed assurgat ad inchoatam charitatem, sine qua nequit veniæ spem erigi, nec peccandi voluntatem excludere valeret.

Nec magis eidem opinioni astipulatur alter Concilii locus. Nam falsum est, inibi perfectam dumtaxat contritionem explicari. Alioquin ab adultis ad rite percipiendum regenerationis sacramentum perfecta contritio, sicut & ab baptizatis post lapsum ad assequendam in sacramento pœnitentiæ peccatorum remissionem exigeretur. Quod quidem quàm sit falsum, pluribus suprà declaravimus.

Hanc differentiam esse sine fundamento negaverit nemo, qui resciat omnem pietatis rationem in Deo propter semetipsum super omnia diligendo, esse positam, atque adeo omnem pietatem penitus ab eo labefactari, qui Deum colendum, vel de peccatis in eum admissis dolendum esse, vel doleri posse asseruerit propter aliquod objectum vel motivum, quodcumque sit, quod non sit Deus. Nam ut ait S. Bernardus cap. 1. Tractat. de diligendo Deo, *causa diligendi Deum, Deus est; modus, sine modo diligere.*

Hujusmodi differentiis propositis & refutatis, tria de utraque contritione statuenda sunt, ex quibus utriusque differentia pellucebit.

Primum est, utramque contritionem cum charitate sive perfecta, sive imperfecta conjunctam differre secundùm magis & minùs dumtaxat, non autem specie ab invicem distingui.

Secundum est, in hoc differre perfectam contritionem ab imperfecta, quòd contritio perfecta sit animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; ita ut hi actus ex perfecta & intensa & constanti voluntate, id est charitate saltem actuali oriantur : imperfecta autem eosdem ipsos actus ex imperfecta, invalida, debili remissaque voluntate seu dilectione Dei eliciat.

Tertium est, utramque contritionem differre penes effectus. Nam perfecta contritio hominem ante actualem sacramenti susceptionem, non tamen sine sacramenti voto quod in illa necessariò includitur, saltem in necessitatis casu, justificat ; imperfecta autem ordinariè hominem quem ad reconciliationis gratiam disponit, non justificat ; nisi pœnitentiæ sacramentum ad finaliom reconciliationem institutum rite susceperit.

Quæstio XVIII.

Utrum attritio fieri possit contritio.

Ut hoic quæstioni respondeatur, observandum est,

1°. Sensum esse hujus quæstioois, ut quæratur, utrum actus attritionis, contritionis actus evadere possit. Nam, ut ait S. Thomas in Supplem. q. 1. art. 3. in corp. *Attritio & contritio non dicunt habitum, sed actum tantùm.*

2°. Observandum esse plura attritionis geoera. Est enim

1°. Attritio, quâ quis dolet de peccato propter humana dumtaxat, aut naturalia motiva, cùm scilicet peccando amisit famam, pecuniam, aut alia id genus, vel quia per peccatum ab recta ratione & naturali honestate deflexit.

2°. Alia est attritio, quâ quis dolet de peccato ob metum gehennæ per fidem cognitæ, secluso quolibet amore Dei.

3°. Alia est attritio seu velleitas è peccato emergendi, quod tamen non deserunt, quod solemne est concubinariis, & aliis id genus hominibus.

4°. Est attritio seu contritio imperfecta, quæ licèt amorem Dei super omnia adjunctum habeat, habet illum adhuc inchoatum & invalidum, nec iis viribus præditum, quibus perfecta & intensa charitas ardua quæque Christianæ pietatis officia & aggredi & exequi, & violentas tentationes superare solet.

His ita prælibatis,

Respondeo 1°. attritionem primi generis non posse fieri contritionem, qua ejus actus differt ab objecto formali contritionis, & proinde speciè distinguitur. Nam contritio quæ inchoatum amorem includit, peccatum, ut Dei super omnia dilecti offensa est, super omnia detestatur : hæc autem attritio aversatur peccatum, dumtaxat eo articulo, quòd sibi honoris, valetudinis, existimationis aut similis cujuspiam rei jacturam attulerit.

Respondeo 2°. nec attritionem secundi generis posse fieri contritionem. Nam contritio ex amore justitiæ, id est Dei super omnia propter semetipsum dilecti proficiscitur : attritio autem de qua sermo est, non nisi pœnam secluso quolibet amore Dei pertimescit. Qui actus flagitiosissimus est, & æterna damnatione plectendus.

Respondeo 3°. nec attritionem tertii generis posse fieri contritionem, quia dolet quis per illam de offensa Dei, sed dubia & ancipiti seu inefficaci, cùm contritio licèt imperfecta firmissimum non peccandi de cætero propositum in animum pœnitentis imprimat.

Respondeo 4°. contritionem imperfectam quam & attritionem vocat Concilium Tridentinum, quæ scilicet inchoatam Dei super omnia dilectionem, licèt adhuc invalidam, includit, posse fieri perfectam contritionem vel accedente sacramento, vel in casu necessitatis, sacramenti vicem supplente Spiritu sancto : ita tamen ut reconciliatio ipsi contritioni sine voto sacramenti, quod in illa includitur, non esse ascribendam sacra Synodus Tridentina pronuntiet.

Hoc posito,

Explicatur facilè quod vulgò circumfertur axioma, hominem videlicet ex attrito contritum fieri ut sacramenti : sigoificat enim hominem attritum & contritione imperfecta (quæ tamen est veri nomiois contritio) cum inchoata Dei super omnia dilectione accensum, ita suscipere sacramentum, ut ejus inchoata charitas sacramentalis gratiæ infusiooe perficiatur : atque ita per sacramentum ex attrito fiat contritus, vel actualiter erumpendo scilicet in actum perfectæ contritionis, vel habitualiter in quantum virtute sacramenti gratiam, & virtutes supernaturales, & inter eas virtutem pœnitentiæ infusam accipit, qua mediante habitualiter contritus efficitur.

Ita rem illam exponendam esse constat ex eo, quòd alia attritionum genera & ipsi contritioni & sacramento repugnent, nec ad illud ullo pacto sufficere valeant, ut suprà satis superque ex Concilio Tridentino probavimus. Cùm ergo sola quarti generis attritio sit laudanda & à Spiritu sancto movente perfecta, sola illa potest ad perfectam contritionem promoveri. Cæteræ autem nusquam ad contritionis perfectionem assurgere poterunt.

Ad hujusmodi igitur contritionem impetrandam, utpote ad salutis adsecutionem apprimè necessariam, unumquemque Christianum omni conatu contendere, eamque à Deo ardentioribus votis & precibus flagitare necesse est. Nam postquam homo habet usum rationis, peccat mortaliter, si non facit quod in se est, ad quærendam suam salutem, ut ait S. Thom q. 7. de malo, art. 10. ad 8. Et ibidem ad 9. Ad hoc est homo naturali lege obligatus, ut primò sit sollicitus de sua salute.

Quæstio XIX.

Quo jure contritio pœnitentium explorari, & quibus de causis eorum aliquando reconciliatio differri debeat.

HÆc quæstio, quia bipertita est, duplici etiam est responsione solvenda.

Respondeo igitur, 1°. jure naturali & divino teneri Sacerdotem idoneo temporis spatio explorare pœnitentium contritionem, & deprehendere, quantùm licet viro prudenti, an vera sit, an simulata, & eam ob rem eorum reconciliationem in legitimi temporis opportunitatem rejicere, ne fortè peccatores in sua flagitia altiùs immersi, vim inferant corpori Domini, ut loquitur S. Cyprianus, & panem filiorum non mittendum canibus, id est hominibus in sua identidem crimina revolutis, accipere præsumant. Cùm enim naturali lumine perspicuum sit, nemini prophano sacra esse impertienda, eodem pariter lumine apparebit, eos quorum fidei & curæ illa sunt credita, oportere sedulò explorare, ne quis indignus ad eorum participationem obrepat, & vel cum gentibus nullâ veri numinis notitiâ imbutis, quibus tamen in sublustri superstitionis umbra exiguus veritatis radius affulsit, prophanos arceant, vel cum Sacerdotibus Catholicis ingeminent has voces: *Sancta sanctis.*

Præterea cùm jure divino sit prohibitum dare sanctum canibus, eodem jure omnes ii quibus concreditum est illud sanctum, tenentur diligenter investigare, quinam sint illi canes quibus idem illud sanctum imperante Christo denegandum est, ne præposteræ dispensationis pœnas oppetant sempiternas. Sæpenumero etiam in hac vita plectuntur quotquot indignis mysteria porrexerunt.

Mirabile est quod Optatus Milevitanus Episcopus commemorat lib. 2. de schismate Donatistarum adversus Parmenianum. Quod vobis leve videtur, ait, facinus immane commissum est. Ut omnia sacrosancta suprà memorati Episcopi vestri violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniaverunt. Quod Donatistarum Episcopis accidisse commemorat Optatus, id ipsum quotidie mercenariis & sacrilegis mysteriorum dispensatoribus evenire cernimus. Cur enim populi Sacerdotum tam personas, quàm ministerium allatrare non desinunt? Id inde provenire credendum est, quòd sanctum, id est quodlibet sacramentum canibus vomitum suum fœdè resorbentibus, id est Christianis in eadem sæpe crimina relabentibus, promiscuè præbeant. Quod quidem prænuntiatum est ab Christo admonente Discipulos, ne darent sanctum canibus, & projicerent margaritas ante porcos, ne fortè conculcarent pedibus suis, eosque conversi dirumperent. Et hæc est solutio primæ quæstionis.

Respondeo itaque 2°. ab SS. Patribus quatuor afferri rationes, ob quas Sacerdos pœnitentium reconciliationem differre teneatur. Si quis dixerit id jam nec fieri posse, nec debere, tametsi sit priscis temporibus factitatum: respondeo, quod olim factitatum est, nostris etiam hisce temporibus esse faciendum, si eædem illæ rationes propter quas id olim usurpatum est, nostra etiam hac ætate vigeant: quod luce meridiana clariùs demonstrari potest in eo quod prosequimur argumento.

Dico igitur, quatuor rationes afferri, propter quas pœnitentium reconciliationem Patres differre consueverant.

Prima. Sancti Patres pœnitentium reconciliationem ut plurimùm diù differebant, ut ex diuturnitate temporis, & difficultate curationis, mali ab semetipso perpetrati magnitudinem peccator intelligeret.

Secunda, ut ipse peccator reconciliationem, ad quam per tot gemitus & labores pervenerat, assecutus, studiosiùs peccatum effugeret, atque ita partam tot lachrymis gratiam diligentissimè retineret.

Tertia, ut inde liqueret quanta obstinatos peccatores alia ex aliis peccare solitos, maneant supplicia, si tam ægrè ad Deum reverti properantibus, & pœnitentiæ labores obeuntibus remissionis gratia conceditur.

Quarta denique, ut intima cordis conversio soli cordium scrutatori bene perspecta & cognita, per aliquot tandem signa per aliquod saltem tempus inter pœnitentiæ labores exhibita, in Sacerdotum notitiam deveniret.

Tres primas rationes affert S. Augustinus in Psalm. 6. his verbis: *Et tu, Domine, usquequo? Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis? Diu autem dilatam à medico, ut ei persuaderetur in qua mala se peccando præcipitaverit? quod enim facilè sanatur, non multùm cavetur. Ex difficultate autem curationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur, Et tu Domine, usquequo? sed tanquam bonus persuasor animæ quid mali sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici possit, Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum. Simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparatur, qui se nolunt convertere ad Deum: si tantam difficultatem patiuntur, sicut alio loco scriptum est: Si justus vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt?* Hactenus Augustinus, qui rationes allatas hoc loco complectitur & explicat.

Prima igitur ratio declarat, fuisse probandum peccatorem, antequam in amissam gratiam restitueretur. Si enim patefacto demonstratoque dolore vel per aliquot verba vel per lachrymas statim reconciliationis gratiâ donatus esset, suo damno detrimentoque nihil esset expertus, quantâ Deum affecisset contumeliâ, & in quot quantaque sese implicasset mala, atque adeo peccatum sibi vel nihil vel parum mali pariturum facillimè perpetrasset. Nam ut ait S. Augustinus Serm. 34. de divers. cap. 12. *Si citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.* Et ut ait Concilium Eliberitanum can. 47. luderet de communione pacis.

Secunda ratio eò tendit, ut probet reconciliationis gratiam tot gemitibus & suspiriis, tot laboribus & molestiis recuperatam studiosiùs multoque attentiùs esse custodiendam, quàm si parvo labore & exiguo temporis spatio reddita fuisset. Æger qui diuturno conflictatus morbo ægrè tandem & ingentibus impensis & remediis revaluit, longè studiosiùs diligit & tuetur redditam sanitatem, quàm is qui brevi affectus morbo, & paucorum remediorum præsidio & brevissimo temporis intervallo, ex illo est recreatus. Quantam autem oportebat esse pœnitentiam, quàm diuturnam, quàm laboriosam, aperimus, cùm de satisfactione agendum erit.

Tertia ratio innuit, eos peccatores, qui dum peccatis peccata cumulant, nihil de agenda pœnitentia, nihil de eo per lacrymas & laboriosam satisfactionem placando cogitant, gravissimis affectum iri suppliciis: quippe qui *secundùm duritiam suam & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei.* Sic enim ratiocinatur S. Augustinus ex allato S. Petri loco: *Si pœnitentes ad assequendam reconciliationis gratiam tot tantasque molestias perferre, tantum cordis dolorem de peccatis concipere & patefacere, tot jejuniis corpus suum conterere, tot denique labores exorbere necesse est, quantopere*

pere cruciabuntur ii, qui protervè hærent in criminibus sæpe repetitis, & neglecta conversione pœnitentiæ labores, quos tamen gravissimos pro plurium gravitate criminum adire oporteret, usquequaque despiciunt.

Quarta ratio repetitur ex S. Augustino qui ita loquitur in Ench. ad Laurent. cap. 65. *Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris: cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus à te non est absconditus; rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur ipsa. Namque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus dimittuntur, consequantur vitam æternam.*

Ex his S. Augustini verbis constat, unam è potissimis reconciliationis differendæ causis hanc præsertim illis temporibus consideratam esse, quæ in veræ conversionis notitiam Sacerdotes induceret.

Quod & egregiè illustrat D. Ivo Carnotens. Episcopus Epist. 228. ad Gootherium Bonæ spei Presbyterum inscripta. *Quærit fraternitas tua, ait, quomodo inter se conveniant prophetica sententia, quæ dicit, In quacumque hora peccator conversus ingemuerit, salvus erit & synodalis quæ crimina sua confitentes aliquandiu à corporis & sanguinis Christi communione suspendit. Repugnare enim tibi videtur, dissentire sententiam capitis & corporis, ut quos caput, id est Christus celeriter à peccato liberat, eos corpus Christi, id est Ecclesia sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæstio facilè solvitur, si interni judicii animadversio, & humanæ fragilitatis consideratio diligentiùs attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite & à corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus judex tantò remittat celeriùs, quantò solus magis videt interiùs: judex verò qui tantùm videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, quis sit pœnitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno judici, & ideirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia verò quæ occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licèt suscitatum, nisi de monumento elatum, id est publica satisfactione purgatum. Hinc est quòd Ecclesia sua crimina confitentes à sacramentorum communione suspendit, & in cinere & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intus vivificati, cùm fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbit non dissentire propheticam & synodalem sententiam, cùm illa deferat quod suum est capiti, & ista concedat quod suum est corpori.*

Pulcherrima illa Epistola, quam penè totam ob singularem & elegantiam & eloquentiam exscripsimus, liquidò declarat, potissimam dilatæ reconciliationis causam extitisse, quòd Pastores vellent habere cognitam conversionem cordis, antequam pœnitentes ad corporis Christi mysterium admitterent.

Ut ergo claudamus hoc caput, animadvertat Lector, nos ex Patribus quatuor attulisse rationes, propter quas antiquitus dilatam reconciliationem oportuit. Quæ rationes cùm pari authoritate & pondere apud nos pollere debeant, quo viguerunt apud majores nostros, non est dubium, quin nos oporteat iisdem inhærere vestigiis, quibus ipsi aureis illis Ecclesiæ temporibus institerunt, si eædem subsistant apud nos causæ.

Quæstio XX.

Quibus præsertim indiciis sese vera cordis conversio prodere soleat.

Respondeo. Vera cordis conversio sese prodebat olim, & etiamnum se prodit per tria potissimùm indicia, quorum

Primum cernitur & apparet, cùm pœnitens facit dignos pœnitentiæ fructus.

Secundum, cùm pœnitentiæ opera cum fervore aggreditur & exequitur.

Tertium denique veræ conversionis indicium erat arduum quoddam magnificum opus sincera Christi charitate, ad ejus scilicet gloriam Ecclesiamque propagandam strenuè susceptum.

Primum veræ conversionis seu contritionis indicium mirabilem in modum explicat S. Gregorius cap. 15. lib. 6. in lib. 1. Regum. *Tunc bene*, ait, *conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista malè conversos Judæos ad se confluentes increpans ait: Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia ideirco omnis peccatorum confessio recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis. Saul ergo confitetur & honorari vult, non affligi & humiliari, quid designat, nisi eos qui confessionem sterilem habent, & fructum non habent; qui decorem confessionis verbis humilibus proferunt, sed verborum virorem non humilitate pœnitentia sequuntur?* Hæc ibi S. Gregorius qui satis indicat, neminem, etsi admissa peccata confiteatur, verè ad Deum converti, nisi ejus confessionem congrua afflictio seu satisfactio subsequatur. *Quia*, ut ibidem ait, *nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur: hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt.* Vult nimirum sanctissimus Pontifex eos frustra de peccatis confiteri, qui non convertuntur, & eos non converti, qui in se non vindicant flagitia, quæ in Deum admiserunt. Unde ait: *Vindicta quasi medicina necessaria est, ut apostema reatûs quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicinâ sanetur.*

Qualem autem afflictionem ad delenda expiandaque peccata esse oporteat, insigniter declarat Basilius Seleuciensis oratione in Jonam Prophetam. *Hæc vera pœnitentiæ sunt indicia*, ait, *lugens anima, lachrymantes oculi, discessio à malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compressio, injustitiæ devitatio. His peccatum purgatur, his divinum decretum cedere non erubescit. Hæc est vera pœnitentis afflictio, quam sollicita peccatorum omnium fuga comitatur.*

Eamdem pœnitentium afflictionem graphicè depingit S. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 6. & cap. 10. ubi sic loquitur: *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirenda ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copula conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget,*

& totus immutetur. Quem locum alibi integrum retulimus, cùm amoris necessitatem ad veram pœnitentiam Patrum authoritate probaremus.

Secundum veræ conversionis indicium petitur ex fervore, quo quis injuncta sibi pœnitentiæ opera exequitur. Mirabile est quanti fiat apud Deum fervor ille, quo quis in opera pietatis incumbit: siquidem Deus ipse pluris facit unius hominis cum fervore laborantis pœnitentiam, quàm segniorem & minùs ferventem nonaginta novem justorum vitam qui non indigent pœnitentiâ.

Quod mirabili eloquentia declarat S. Gregorius Homil. 34. in Evang. *Considerandum nobis est, fratres mei,* ait, *cur Dominus plus de conversis peccatoribus quàm de stantibus justis in cœlo gaudium esse fateatur. Unde hoc, nisi quod ipsi per quotidianam visionis experimentum novimus, quia plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant; sed tamen ad cœlestem patriam anxiè non anhelant, tantòque sibi in rebus licitis usum præbent, quantò se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valde sibi securi sunt, quòd nulla commiserint mala graviora: at contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant; & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Major ergo de peccatore converso, quàm de stante justo gaudium fit in cœlo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit.* Hæc Gregorius Magnus qui luculenter aperit rationes, ob quas fervens pœnitentia segniori justorum vitæ apud Deum anteferatur.

Hujusmodi rationibus adducti sancti Patres tam in Conciliis quàm suis in Ecclesiis præstituta canonibus pœnitentiæ tempora pro fervore pœnitentium contraxerunt; ita ut inde plurium indulgentiarum usus omnem in Ecclesiam derivatus esse videatur.

Hoc testificantur multa Conciliorum decreta.

1°. In gratiam pœnitentium ferventiùs in opera pœnitentiæ incumbentium sic pronuntiat Concilium Ancyranum anno Redemptoris decimo quarto supra trecentesimum habitum cap. 2. *Quòd si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum* (Diaconorum qui immolaverunt) *& humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas.* Et cap. 4. ubi loquitur de his qui sacrificare sunt coacti, insuper & cœnaverunt in idolio, sic loquitur: *Penes autem Episcopos erit potestas, modum conversationis probantes, vel humaniùs ergà eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia autem præcedens eorum vita & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.*

2°. Concilium Laodicenum 319. Redemptoris anno habitum de iisdem pœnitentibus ita decernit cap. 2. *De his qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione, confessionis & pœnitentiæ, conversionem à malis habuere perfectum pro qualitate delicti, tempore eis pœnitentiæ dato, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.*

3°. Concilium Nicænum I. œcumenicum anno Christi 325. celebratum ita statuit can. 12. *Quotquot metu & lacrymis atque patientiâ vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam sine simulatione demonstrant, hi impleto definito auditionis tempore, tum demum fidelibus in oratione communicent; postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare & statuere.* De ferventibus pœnitentibus ita decernit, sed adversus tepidos & remissos ita pronuntiat: *Quicumque verò indifferenter tulerunt, & ingressionem in Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.*

Hisce Canonibus congruenter elocutum est Concilium Carthaginiense IV. cujus est cap. 3. *Negligentiores pœnitentes tardiùs reconcilientur.* Hunc canonem legere est apud Burchardum lib. 19. cap. 38. apud Ivonem p. 15. cap. 7. & Gratianum 26. q. 7. cap. 6.

4°. Concilium Cabilonense II. celebratum 813. Redemptoris anno can. 34. ait, habendam esse rationem fervoris, quo pœnitentia peragitur: declarat eo canone personarum acceptionem in pœnitentiæ judicio esse fugiendam. *Si ergo medici,* inquit, *qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multò magis id ipsum his observandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim perpendenda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis & mortificatione corporis: cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.* Quem canonem integrum refert Ivo Carnot. Decreti p. 15 de pœnit. cap. 73. & prætereà Epist. 228. Huic canoni congruenter ita loquitur: *In discretione tamen Episcoporum est secundùm affectum pœnitentia tempus abbreviare vel prolongare, dicente beato Augustino: In actione pœnitentiæ pro qua reus ab altari separandus est, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris.*

5° Idem sentiunt sancti Patres: S. Innocentius I. Epist. 1. cap. 7. S. Leo Epist. 79. cap. 6. S. Basilius Epist. ad Amphiloch. cap. 74.

Si quis autem discere velit, quis sit fervens spiritu, audiat S. Basilium in Regulis breviorib. ad interrogat. 259. ita respondentem: *Is est fervens Spiritu, qui cum ardenti studio & inexplebili cupiditate & assidua diligentia voluntatem Dei facit in charitate Christi Jesu Domini nostri, convenienter illi quod scriptum est, In mandatis ejus volet nimis.* Hæc ibi.

Sanctus Gregorius Homil. 20. in Evang. vult ita pœnitentes effervescere, ut vel ipsi Deo vim inferant. *A diebus,* inquit, *Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quàm regno cælorum fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quæ fecimus, & nosmetipsos assiduis lamentis atteramus. Hæreditatem justorum quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur.* Ex his sancti Gregorii verbis colligere est, quantus fervor in pœnitente requiratur: quem fervorem ut sancti Patres veluti genuinum conversionis indicium in pœnitentibus agnoverant, maturiùs eos, diutiùs alioquin in pœnitentia detinendos, ad mysteriorum participationem revocare consueverant.

Tertium & ultimum veræ conversionis inditium petebatur ex generoso & magnifico quopiam opere, quod pœnitens ad tuendam Christi fidem & ædificandam ejus Ecclesiam aggrederetur. Exempli gratiâ, si quis tormentorum violentiâ fractus, lapsus esset persecutionis procellâ detonante, & victo virtus in præcordia rediret, & denuo sese referret ad pugnam, ejusmodi viro facilis ad reconciliationem patebat aditus: quippe qui priorem culpam perosus, ad nova certamina properaret.

Hoc affirmat Petrus Alexandrinus can. 8. hanc enim sibi proposuit quæstionem, quomodo videlicet

agendum esset cum iis, qui succubuerant tormentis victi, & postea ad certamen accesserant, se esse Christianos confitentes, & in custodiam cum tormentis conjecti erant. Quæstionem ita solvit: *Æquum est*, inquit, *cum exultatione cordis eos corroborare & confirmare, & cum eis in omnibus communicare, & in orationibus & in participatione corporis & sanguinis, & sermonis adhortatione, ut qui constantiùs decertaverint, ipsi quoque superna vocationis bravio digni judicentur.* Et suam illam solutionem ita concludit: *Quod quidem si omnes quoque lapsi fecissent, perfectissimam pœnitentiam & toto corde susceptam ostendissent. Id videlicet existimabant Patres certum valida robustaque charitatis, atque adeo perfecta conversionis argumentum, si quis uno prælio cum hostibus fidei parum fœliciter commisso, acriori constantiorique animo alterum instauraret.*

Generosa quædam facinora ab pœnitentibus pro Ecclesia Dei suscepta eorum fervorem patefecisse, & iis plenam reconciliationem attulisse, variis expeditionibus comprobari potest. Testis est celeberrima illa Hierosolymitana expeditio quàm suscepere Galli anno Redemptoris 1096. Urbani II. Pontificis Maximi hortamentis efficacioribus incitati. Ille nempe Pontifex Terræ sanctæ postliminio recuperandæ studio incensus promissa ad ejusmodi bellum proficiscentibus omnium peccatorum remissione, & omnis pœnitentiæ relaxatione, innumerabilem virorum multitudinem ad tam arduum & laboriosum opus incitavit. Id patet ex ejus Concilii can. 2. in hæc verba concepto: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.*

Porrò quanto ardore fideles tunc temporis in opera pœnitentiæ incubuerint, & oblatam ab Summo Pontifice pœnalium remediorum relaxationem acceperint, Ordericus Vitalis, qui adhuc juvenis omnia illa suis temporibus gesta videre potuit, testatur in Histor. Eccles. ad ann. Christi 1094.
» Prædia hactenus cara vili, ait, pretio tunc vendeban-
» tur, & arma emebantur, quibus ultio divina su-
» per Allophylos exerceretur, fures & piratæ, aliique
» scelerosi tactu Spiritus Dei, de profundo iniquita-
» tis exurgebant, reatus suos confitentes relinque-
» bant, & pro culpis suis Deo satisfacientes peregrè
» pergebant. Providus verò Papa omnes qui congruè
» arma ferre poterant, ad bellum contra inimicos Dei
» excivit, & pœnitentes cunctos ex illa hora, quâ
» crucem Domini sumerent, ex authoritate Dei ab om-
» nibus peccatis suis absolvit, & ab omni gravedine
» quæ fit in jejuniis, aliisque macerationibus carnis
» piè relaxavit. Considerayit enim quòd hi qui pere-
» grè proficiscerentur, in via multis diuturnisque dis-
» criminibus sæpissime vexarentur, & multimodis ca-
» sibus læsi, seu sitibus quotidie angerentur, pro
» quibus benevoli vernulæ Christi à cunctis culparum
» sordibus expiarentur.

Illud ipsum quod sancitum erat ab Urbano II. in Concilio Claromontano, confirmatum est ab Callixto II. in Concilio œcumenico Lateranensi I. 1122. Redemptoris anno. Ejus enim Concilii canonem 11. ita condidit: *Eis qui Jerosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum, in beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut à Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus.* Hæc ibi.

Id ipsum factitatum est ab Eugenio III. anno Redemptoris 1145. ut videre est apud Ottonem Frisingensem lib. 1. Gestorum Friderici I. cap. 35.

Hæc delibasse sufficiat ad probandum; non nunc primum heroïcum quoddam opus ad tuendam propagandamque Christi & Ecclesiæ gloriam strenuè susceptum, veram cordis conversionem patefecisse, atque adeo peccatorum pœnitentiarumque remissionem & meruisse & impetrasse. Et hactenus de contritione quæ in materia sacramenti pœnitentiæ primum sibi vendicat locum: ideoque ad secundam, confessionem scilicet, properandum est.

Quæstio XXI.

Quomodo ea Christi verba, Quorum remiseritis peccata, &c. *per qua pœnitentia sacramentum instituit, Ecclesia Dei ab omni ævo intellexerit.*

Hæc quæstio meliùs quàm ipsis Concilii Tridentini verbis explicari non potest. Sic enim loquitur session. 14. de pœnitent. cap. 1. *Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & legitimis eorum successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit.*

Ita loquitur sacrosancta Synodus quæ totius traditionis hac in parte, sicut & in aliis, religiosissimè vestigiis institit.

Hanc quippe doctrinam ab Apostolis acceptam omnes omnium sæculorum Patres ad nostra usque tempora transmiserunt. Unde S. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 2. ita loquitur. *Sed aiunt* (Novatiani) *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt: quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit: in quo se suamque sententiam suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.*

Et paulò post: *Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus. Rectè igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* Et infrà: *Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis; jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus.* Hæc sanctus Ambrosius, qui & longè plura hac de re eloquitur in duobus, præsertim de pœnitentia, libris, quos adversus Novatianos elaboravit.

Sanctus Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Joann. capite pertractans illa Christi verba, *Quorum remiseritis peccata, &c.* luculenter explicat, in quo posita sit illa remittendorum aut retinendorum peccatorum potestas Apostolis & legitimis eorum successoribus ab Christo Domino concessa. *Cùm ipsi* (Sacerdotes) *remittunt aut retinent* (peccata) *Spiritus qui habitat in eis, per eos remittit & retinet. Erit autem id per eos duobus, ut arbitror, modis: primùm baptismo, deinde pœnitentiâ. Nam aut credentes, & vita sanctimoniâ probatos homines ad baptismum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt: aut Ecclesiæ filios peccantes quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios, in perniciem carnis tradebat, ut*

spiritus ejus salvaretur : recipitque rursus, ne majore submergeretur dolore.

Vult igitur hoc loco sanctus Cyrillus ministerium clavium & potestatem exerceri in catechumenos, & infideles post baptismum lapsos : in catechumenos quidem, dum Ecclesia eos (quantum ex eorum vita conjicere potest) vel baptismo regenerandos, vel ob indignitatem ab eodem baptismo ablegandos esse pronuntiat. In fideles autem post baptismum lapsos, eorum peccata retinendo, seu eorum remissionem & absolotionem denegando, vel ad tempus differendo propter pœnitentiæ immaturitatem, ut paulatim per varia pietatis opera & officia perficiatur ; sive omnino propter impœnitentiam quæ in perseveratis protervè flagitiis cernitur & apparet, ut diximus denegando.

E contrà verò ministerium clavium per sacramentalem absolutionem peccata remittendo, impendit iisdem fidelibus, quos verè conversos per digna pœnitentiæ opera judicaverit.

Geminam hanc Sacerdotum potestatem tam in remittendis quàm retinendis peccatis Sacerdotibus à Christo concessam passim prædicant sancti Patres. S. Joannes Chrysostom. lib. 2. & 3. de Sacerdotio, & Homil. 85. in Joann. S. Gregorius Hom. 26. in Evang. S. Cyprianus Epist. 54. ad Cornel. S. Hilarius can. 16. in Matth. & iterum S. Joannes Chrysost. Homil. 5. de verb. Isaiæ *Vidi Dominum*. S. August. de verbis Domini Sermon. 8. capite 1. & alibi.

Illam ipsam doctrinam uno consensu tradidere celebriores Theologi, & imprimis Robertus Pullus, qui in Cardinalium Collegium cooptatus est anno Redemptoris 1144. cujus Opera ante aliquot annos opera P. *Mathon* Benedictini è Congregatione sancti Mauri edita sunt, p. 6. cap. 61. explicat quomodo Sacerdos & solvat & liget. *Sicut Sacerdos solvit, ita & ligat*, ait, *dum utriusque rei sacramentum celebrat. Sacerdos ergo ligat pœna, ligat culpa, dum illum pro delictis usque ad tempus post confessionem onerat : istum autem à malo cessare nolentem, non posse veniam consequi denuntiat, & sic retinet peccata retenta quoque apud Deum, sicut remissa quoque apud Deum.* Hæc ille.

Ut autem ligandi & solvendi seu peccata dimittendi & retinendi potestas Ecclesiæ concessa, ut patet ex Matth. c. 16. & 18. & Joann. 20. in omnem suam amplitudinem diffundatur, observandum est, Sacerdotes in Ecclesia Dei rite ordinaros trifariàm ligare & solvere per claves sibi traditas.

1°. Solvunt, cùm pœnitentem ad percipiendum pœnitentiæ sacramentum rite dispositum ab suis criminibus absolvont : ligant verò, dum peccata legitimas ob causas retinent, id est peccatoribus sicut oportet non pœnitentibus reconciliationis gratiam vel ad tempus, vel omnino denegant.

2°. Ligant, dum satisfactionem pœnitentibus imponunt : solvunt autem, cùm de illa ipsa satisfactione justis de causis aliquid remittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum participationem de integro admittunt.

3°. Denique ligant, dum per excommunicationem quempiam ab Ecclesia ob aliquod crimen ejiciunt : solvunt autem, cùm ejectum & resipiscentem in ejusdem Ecclesiæ communionem restituunt.

De postrema ligandi ratione non est hîc disserendi locus; de duabus prioribus hoc loco præsertim agimus.

Sacerdotes in sacramento pœnitentiæ solvunt, & ligant, seu peccata dimittunt & retinent, non quasi homines, quibus nudum ligandi & solvendi ministerium esset commissum, sed veluti judices divinitus in Ecclesia constituti, quibus competit vel dignos, vel indignos ab reconciliationis beneficio excludere, prout inhærendo regulis ab Ecclesia præscriptis, faciendum esse judicaverint.

Unde Concilium Tridentinum declarat, Christum Dominum domesticos fidei post baptismum lapsos ante Sacerdotum tribunal tanquam reos sisti voluisse, ut ab admissis peccatis possent liberari. Et cap. 5. ait, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse Christum ad cælos ascensurum, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur.

Unde Sacerdotes suo ministerio rite perfungi nequeunt, quin duplex judicium exerceant.

Primum, ut auditâ peccatorum lethalium præsertim varietate & qualitate, discutiant & judicent cui remittenda sint peccata, cui retinenda; quem, aut quomodo ligare aut solvere oporteat. Hoc judicium dicitur discretionis : per illud quippe discernitur & dijudicatur, quis inter pœnitentes reconciliationis beneficio donari, quis ab eo repelli debeat.

Secundum est justitiæ judicium, quo pœna in peccatorum expiationem & castigationem pœnitenti ab Sacerdote injungitur : quæ pœnæ injunctio cùm in pœnitentiæ tribunali principatum sibi vendicet, hinc fit ut pœnitentes peccata sua non per modum narrationis ad Sacerdotis dumtaxat informationem exponere, sed multò magis ad sui accusationem, ad confusionem peccatis debitam, ad compunctionem, ad pœnæ denique taxationem, & injunctionem declarare debeant.

Inde factum est, ut Concilium Trident. sess. 14. cap. 8. vult satisfactionem esse ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam, ut ait ibidem, claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres credunt & docent. Quasi sacrosancta Synodus declararet, non solùm Sacerdotes per usum clavium ligare pœnitentes, cùm eis absolutionis gratiam denegant; verùm etiam cùm iis injungunt satisfactiones, quas citra imminens flagitium detrectare nequeant.

Hujusce capitis doctrinam mirabiliter illustrat canon 9. sess. 14. qui sic habet ; *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti ; modo tantùm credat se absolutum, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat ; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos etiam absolvere possit, anathema sit.*

Ex hoc canone theologicè conficitur, Sacerdotem esse judicem qui non solùm declarat absolutum esse pœnitentem, vel retenta esse ejus peccata ; verùm etiam per authoritatem sibi divinitus concessam, reipsa pœnitentes ab suis criminibus, qualiacumque & quantacumque fuerint; absolvit, si modò verè contriti accesserint ad sacramentum, vel revera eorum peccata retinet, id est eorum remissionem & absolutionem denegat hominibus quos eâ gratiâ indignos judicaverit. Eodem illo canone utraque Sacerdotis potestas astruitur, licèt prioris tantùm Concilium meminerit. Cùm enim utramque Christus suis verbis comprehenderit, utramque pari jure & authoritate Sacerdoti ut judici attribui necesse est.

QUÆSTIO XXII.

Quomodo definiatur confessio sacramentalis, & quo jure sit necessaria.

UT tollatur omnis ambiguitatis & erroris occasio,

Observandum est cum D. Thoma 2. 2. q. 3. art. ad 1. *triplicem confessionem in sacris Litteris recenseri. Prima est confessio fidei, de qua dicitur, ad Roman. 10.*

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Secunda est laudis & gratiarum actionis, de qua intelligendus est ille S. Matthæi locus cap. 11. Confiteor tibi, Pater.

Tertia est, confessio peccatorum, & hæc est multiplex. Nam una est quæ fit Deo, cùm scilicet quis recordatur peccata sua, de iis conteritur, & ea super omnia mala, quantacumque sint, detestatur; & ita flagitia confitebatur Psaltes regius, cùm tota cordis effusione diceret: *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et, *Delictum meum cognitum tibi feci, &c.* De ejusmodi confessione intelligendus est eximius ille Proverbiorum locus cap. 28. v. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Alia est quæ fit homini, cui vel verbis vel signo quopiam exteriori nudamus animi conscientiam, & peccata retegimus variis de causis; vel ut cum proximo à nobis offenso in gratiam redeamus: & hæc confessio *satisfactoria* potest appellari.

Vel cuipiam nostra peccata declaramus, & velut in amici sinum effundimus, ut aliquid solatii nobis clementer impertiat: & hæc erit confessio *consolatoria.*

Vel cuipiam erudito peccata proponimus eo animo, ut doceat nos, quo pacto in iis declarandis, emendandis & penitus profligandis nos gerere debeamus; & hæc *consultoria* jure ac merito nominatur.

Alia denique est civilis, quâ quis reus de perpetratis ab se flagitiis coram judice confitetur. Hanc confessionem ab Achan filio Charmi extorsit Josue his verbis: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Israël.* Josue cap. 7. v. 19. His ita prælibatis,

Respondeo primò, confessionem sacramentalem sic rite definiri: Confessio est peccatorum apud Sacerdotem legitimum judicem (id est potestate ordinis & jurisdictionis ab Ecclesia instructum) accusatio, ut eorum remissio virtute clavium obtineatur. Dicitur accusatio, eo quòd Sacerdoti peccata non quomodocumque, sed animo nos accusandi aperire oporteat. Additur, ut eorum remissio, &c. Hic est finis propter quem peccata inter confitendum sunt aperienda, ut scilicet de illis, ut par est, dolendo, & satisfactionem quam Sacerdos injunxerit, implendo, eorum remissionem assequamur. Et in hoc pœnitentiæ tribunal discrepat ab aliis, in quibus homini de suis sceleribus confitenti pœna, non venia constituta est, ut propterea mirum non sit, alium ibi esse reum, alium accusatorem, alium testem; cùm in hoc misericordiæ sacramento idem sit sui ipsius accusator, & testis, & reus.

Respondeo secundò; alia confessionum genera, quæ suprà recensuimus, esse necessaria, ita ut jure naturali, eorum pleraque quemlibet obligent. Nam corde credere & ore confiteri Deum tenentur omnes jure naturali, sicut & illi gratias agere. Unde veteres Philosophi damnantur ab Apostolo, Roman. 1. v. 12. damnantur, inquam, ut inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Item confessio peccatorum coram Deo est juris naturalis: hoc enim recta ratio dictat, ut unusquisque coram Deo de peccatis & conteratur & confiteatur. Hinc Vates regius: *Iniquitatem meam ego cognosco.* Psalm. 50. & Isaiæ cap. 43. secundùm LXX. *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.*

Concilium Tridentinum session. 14. cap. 1. & 4. declarat, pœnitentiam fuisse quovis tempore necessariam: ergo & suorum criminum coram Deo confessio fuit quovis tempore necessaria. Neque enim vera pœnitentia sine ejusmodi confessione consistere potest, nec sufficit quòd aliquis se profiteatur peccatorem coram Deo, sed præterea coram illo de singulis peccatis lethalibus & conteri & confiteri necesse est.

Confessio consolatoria & consultoria obligant jure naturali, si respectu cujuspiam necessaria sint assequendæ salutis adjumenta. Unusquisque enim tenetur lege naturali adhibere omnia adjumenta per quæ salutem æternam adipisci valeat. Confessio satisfactoria, per quam scilicet de peccato confitemur, ut proximo à nobis sive factis, sive verbis, violato faciamus satis, est etiam de jure naturali: id enim extra controversiam juris naturalis æquitas postulat, ut offenso à nobis viro satisfaciamus, & damna ei, quocumque tandem modo illata fuerint, sarciamus.

Confessio denique civilis, quâ quis de admissis sceleribus coram proprio judice & eo juridice interrogante confitetur, est etiam de jure naturali; siquidem refertur ad bonum publicum, quod ratio naturalis dictat semper esse procurandum, tametsi in privatorum incommodum & dispendium abiturum esse videatur.

Respondeo tertiò, confessionem sacramentalem peccatorum lethalium post baptismi perceptionem admissorum, quam soli Sacerdoti faciendam esse declaravit Ecclesia, esse necessariam jure divino positivo lapsis, ut suorum peccatorum remissionem ministerio clavium assequantur. Hanc responsionem seu propositionem esse de fide, nemo Theologus, imò nemo Christianus Catholicus negaverit. Sic enim loquitur Concilium Tridentinum session. 14. cap. 5. de confessione: *Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Hactenus Concilium, ex cujus verbis tria ad declarandam confessionis necessitatem apprimè conducentia colliguntur, quorum

Primum est, confessionem sacramentalem omnibus post baptismum lapsis esse necessariam jure divino.

Secundum est, Christum instituisse Sacerdotes tanquam judices, ad quos omnia mortalia crimina pro potestate clavium vel remittenda vel retinenda deferrentur, ea scilicet rite confitendo & sigillatim aperiendo.

Tertium est, duabus rationibus confessionis necessitatem ab ipsomet Concilio stabiliri: quarum prima est, Sacerdotes judicium remissionis aut retentionis peccatorum rite exercere non potuisse incognitâ causâ, id est nisi essent eis distinctè declarata flagitia. Altera est, non potuisse congruas satisfactiones pœnitentibus injungere, nisi ab confitentibus, suaque sigillatim crimina declarantibus, eorum & multitudinem gravitatemque didicissent. Quæ omnia Concilii effata necessitatem confessionis sacramentalis satis superque stabiliunt.

Ex his omnibus concluditur, confessionem sacramentalem esse necessariam jure divino omnibus, & singulis qui è baptismi gratia per lethale flagi-

tium exciderunt. Siquidem hoc ipsum sub anathematis interminatione toti Ecclesiæ credendum illa ipsa Synodus Tridentina proposuit, canon. 6. session. 14. *Si quis negaverit*, aiunt ejus Concilii Patres, *confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino*, (post baptismum lapsis, ut explicant ejusdem session. cap. 5.) *aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.*

Quæstio XXIII.

Quibus in casibus ex jure divino præceptum confessionis Christianus observare teneatur.

RESPONDEO, varios esse casus, in quibus istud confessionis præceptum ex jure divino obliget: ideoque per varias conclusiones aperiendi. Verùm ut hæc quæstio resolvatur accuratiùs, observandum est ut certum & dubitatum, omnes & singulos fideles, pueros etiam, cùm ad rationis usum pervenerint, si conscientiam peccati mortalis habeant, omnes & singulos utriusque sexus, omnes denique Christianos Catholicos quacumque dignitate, seu Ecclesiastica, seu politica fulgeant, quales sunt Summi Pontifices, Reges & alii id genus homines, ex jure divino teneri ad confessionem peccatorum mortalium, quæ post baptismi perceptionem admiserunt, sive ea opere externo consummaverint, sive tantùm in mente consensum iis præbuerint, sive se illa certò commisisse resciant, sive se illa commisisse probabiliter dubitent. Siquidem ex communi Theologorum sententia peccatum quodlibet lethale, etiam dubium post baptisma commissum, est necessaria confessionis materia. Qui enim dubitat se peccasse lethaliter, tenetur confiteri peccatum tanquam dubium, eodem planè modo quo se peccasse dubitat, quod prohibere non debet, quominus Confessarius certam & determinatam confessionis materiam ab ipso pœnitente, quantum poterit, extorqueat.

Hæc observatio ita certa est, ut nemo vel ab ipsa Ecclesia eximi possit ab illo jure divino, quo tenentur fideles Sacerdoti sua crimina singillatim aperire, si post baptismum lethale quodpiam flagitium admiserint, His itaque constitutis, sit

Prima conclusio.

Divinum confessionis præceptum per se & vi sua obligat in probabili mortis articulo, cùm scilicet maturo viri prudentis judicio verisimiliter mors imminere creditur. Hoc enim commune habent præcepta quæ vocantur affirmativa, quòd urgente necessitate sub pœna peccati lethalis obligent. Unde fit ut divinum & affirmativum confessionis præceptum obliget instante probabili mortis articulo: ita ut sese lethali constringeret flagitio, quisquis sciens & prudens in eo periculo sua crimina Sacerdoti singillatim exponere recusaret.

Ideo ne omissæ vel neglectæ, vel etiam repudiatæ confessionis flagitium ab plerisque etiam periculosè laborantibus admitteretur, pluribus in Conciliis interdictum est medicis, ne ad curandos aggrederentur morbos, antequam ægros de factitanda confessione monuissent.

Quod constat ex canone 22. Concilii Lateran. IV. œcumenici sub Innocent. III. anno Redemptoris 1215. celebrati. His autem verbis conceptus est Canon: *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat, Vade, & noli ampliùs peccare, ne tibi aliquid deterius contingat; decreto præsenti statuimus, & districtè præcipimus medicis corporum, ut cùm eos ad infirmum vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, quòd medicos advocent animarum, ut postquam infirmis fuerit de spiritali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cùm causa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quòd quidam in ægritudinis lecto jacentes, cùm eis à medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde faciliùs mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. Cæterum cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.* Hactenus verba Concilii.

Hanc eandem constitutionem renovavit Clemens Papa V. anno Redemptoris 1311. in Concilio Ravennate II. in rubrica 15. de pœnitentiis, ubi sic loquitur: *Monemus omnes insuper medicos, quòd quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eosdem, nisi priùs eis constiterit, quòd ipsi infirmi prædicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum: & si quis medicorum contemptor hujus monitionis extiterit, tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium Ordinarii satisfecerit competenter.*

Hanc ipsam constitutionem in usum revocavit anno Redempt. 1500. S. Carolus Borromæus humanarum laudum honorumque titulos prætergressus, in primo suo Mediolanensi Concilio in Constitutionum parte 2. sub eo titulo, *Quæ pertinent ad sacramenti pœnitentiæ administrationem: Salutarem Innocentii III. constitutionem*, ait, *in generali Concilio Lateranensi, scilicet IV. latam, nos ad usus revocantes, præcipimus, ut medici ad ægros in lecto jacentes adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos planè moneant, ut idoneo Confessori de suis peccatis confiteantur. Quibus etiam denuntient, se, nisi id quatridui spatio ad summum præstiterint, eorum curationi defuturos. Parochum etiam curabunt certiorem fieri de eo, qui in ejus parochia morbo affectus teneatur, qui pro sui officii munere statim ægrum convenire, & cum eo agere debet, ut per hoc sacramentum Deo reconcilietur. Jubemus autem medicos excommunicationis pœnâ iis proposita, quam jure ipso subeant, si secus fecerint, transacto quatriduo ab illorum curatione omnino abstinere, nisi certò cognoverint, eos postquam in eam febrim morbumve inciderunt, confessos esse, aut Episcopo, sive cui Episcopus ejus rei facultatem dederit, aliud ex justa causa videatur. Hortamur denique omnes quos aliqua de ægrotis cura attingat, ut nullam occasionem omittant inculcandi eis, quæ ad animæ salutem pertineant.* Hæc magnus Carolus Ecclesiasticæ disciplinæ instaurator & vindex acerrimus.

Hanc denique sanctionem postea instaurarunt varia in variis provinciis Concilia. Bituricense nimirum habitum anno Redemptoris 1584. titulo 21. de pœ[illegible] & ejus partibus, canon. 14. Item Aquense anno 1585. sub titulo, *Quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent.* Item Narbonense anno 1609. de sacram. pœnitent. cap. 16. Item renovavit Pius V. in Bulla quæ incipit *Super gregem.*

Ista sanctio tot Conciliorum Pontificumque decretis stabilita & renovata liquidò demonstrat, ægrotantes sub pœna peccati lethalis ad suorum criminum confessionem obligari, si præsertim probabile mortis periculum metuatur: neque enim tot Pontifices incubuissent ad propulsandum omissæ confessionis peccatum, nisi per eam omissionem

animarum salutem agi credidissent.

Secunda conclusio.

Non solùm in probabili mortis periculo ægros divinum confitendi præceptum obligat; verùm etiam quoslibet alios fideles, qui prævident se positum iri in iis casibus & circumstantiis, ex quibus mors probabiliter secutura creditur ut plurimùm, tametsi ex iis casibus multi emergant incolumes & sani: v. g. mulier nondum puerperii dolores & labores experta, vel aliàs prolem cum ingenti vitæ periculo enixa, tenetur ex jure divino confiteri, cùm experientia doceat, plures ubique terrarum exitisse mulierculas, quæ inter ipsa puerperia perierunt.

Tenentur etiam milites eodem divino Confessionis præcepto, cùm mox cum hostibus dimicandum est: sicut & ii qui periculosas navigationes ineunt: sicut & infirmi in vitæ periculum adducti, qui ex quo confessi sunt, lethali sese constrinxere flagitio: item rei capitali sententiâ damnati. Nemo enim est ejusmodi hominum, quin in eo rerum articulo versatus, suæ saluti per veram cordis conversionem, suorumque criminum confessionem prospicere teneatur.

Tertia conclusio.

Non solùm in probabili periculo mortis obligat divinum faciendæ confessionis præceptum; verùm etiam extra illum casum obligat fideles, ut affimat Victoria q. 132. Dominicus distinct. 18. q. 1. art. 4. Canus relection. de pœnitent. & alii. Nemo enim dubitat præcepta affirmativa non solùm obligare in extremæ necessitatis casu, sed etiam omnibus iis temporibus, quibus eorum actus ex æquo necessarii judicantur. Neque enim credibile est, Christum Dominum ea hominibus dedisse præcepta, quæ eos in articulo mortis duntaxar astringerent.

Præterea si finem institutæ confessionis intueri libeat, deprehendemus, hoc sibi Christum in ea institutione proposuisse, ut homo alienatus à Deo per iniquitatem, cum eo per confessionem reconciliaretur: ergo præceptum illud de factitanda confessione non solùm in mortis articulo, verùm etiam aliis temporibus observari voluit. Nemo enim mortalium homini sano & incolumi reconciliationis facultatem & gratiam impertiret, ut secum duntaxat in mortis articulo reconciliaretur; sed ut oblato molli reconciliationis aditu, pristinam amicitiam redintegraret. Licèt enim peccator statim à lapsu nec conteri, nec confiteri teneatur; non tamen sufficit, si vel in ipso necessitatis articulo id faciat: sed tenetur data opportunitate loci, temporis & Sacerdotis confiteri; quòd si differat in alterum tempus confessionem, cujus illi secunda offertur occasio, non est dubium, quin saltem venialiter peccet. Si verò confessionem protrahat in plures annos, (etiamsi nullum Ecclesiæ extaret hac de re præceptum) dubio procul peccaret lethaliter, tam contemnendo Deum, in cujus gratiam redire non curaret, quàm negligendo animam suam, cujus saluti nihil consuleret.

Ad hæc accedit, quòd ipsa naturæ lex, ad quam non docti, sed facti sumus, doceat nos, quamprimùm procurandam esse gratiæ reconciliationem cum eo, quem vel facto vel verbo læserimus. Itaque si filius cum offenso patre, vel amicus cum amico læso in gratiam redire differret, in bonorum omnium reprehensionem jure ac meritò incurreret, multò negligentiùs & culpabiliùs se haberet peccator, qui non primam arriperet opportunitatem, quâ conversus ad Dominum Deum suum in ejus amicitiam per confessionem sacramentalem & Sacerdotis absolutionem penitus restitui valeret.

Quàm maturanda sit cum proximo, multò magis cum Deo reconciliatio, satis indicat Christus Dominus, cùm præcipit relinqui munus ante altare, nec offerri, nisi priùs gratia cum proximo reconciliata fuerit. *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. cap. 5. v. 23. & 24. Quod Christi præceptum, non esse procrastinandam neque cum Deo, neque cum proximo reconciliationem, satis superque significat. Est enim dubio procul malè animatus & coram Deo & coram hominibus, qui pristinam cum Deo & proximo gratiam reconciliare non nititur, atque adeo in utriusque inimicitia & odio hærere velle convincitur.

Quarta conclusio.

Divinum confessionis præceptum obligat, cùm probabiliter est verendum, ne gravium peccatorum surrepat oblivio, nec aliud ejusmodi oblivioni remedium adhiberi possit. Nam qui in eo rerum articulo confessionem sacramentalem omitteret de industria gravium peccatorum, quæ necessariò inter confitendum Sacerdoti sunt aperienda, oblivionem affectare, atque adeo ea eidem confessioni sacramentali velle subducere videretur: imò quantum in se est, reipsa subduceret, atque adeo vetera crimina novo flagitio, eoque lethali cumularet.

Quinta conclusio.

Jure divino necessaria est confessio ei qui vult ad Eucharistiæ sacramentum accedere; & revera homini Christi corpus suscipere volenti, præmittendam esse confessionem sacramentalem, quantumvis sibi contritus videretur, conceptis verbis declaravit sancta Synodus Tridentina session. 13. & ejusdem session. canon. 11. ubi hæc habet inter cætera: *Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Hæc ibi. Et in cap. 7. ejusdem session. *Communicare volenti* ait, *revocandum est in memoriam Apostoli præceptum, Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Quibus Concilii verbis satis apparet, neminem posse nec debere percipere sacram Eucharistiam sine prævia sacramentali confessione, si peccati mortalis conscientiam habeat. Quod & asserendum est de omnibus alia sacramenta suscipere volentibus, putà confirmationem, ordinem, extremam unctionem, &c. Siquidem illa omnia ex communi Theologorum sententia sunt vivorum, id est justificatorum sacramenta, ideoque ab vivis & celebranda & percipienda.

Sexta conclusio.

Sacerdotes celebraturi, Diaconi, Subdiaconi solemniter sua munia obituri, qui sibi sunt peccati mortalis conscii, ex jure divino tenentur confiteri, si adsit copia Confessoris; si desit, conteri; & ubi primùm ab suis functionibus recesserint, adire ad Sacerdotem, & confiteri. De Sacerdotibus id est perspicuum, utpote ab Concilio Tridentino declaratum. Diaconos etiam & Subdiaconos qui in mortali sui ordinis actum solemniter exercent, constat peccare lethaliter. Quod dubio procul fundamentum habet in Apostolo, qui cùm multas conditiones Diaconis necessarias recensuit, tandem concludit: *Ministrent nullum crimen habentes.* Ita sentit S. Thomas in 4. dist. 24. Sylvester v. *Clericus.*

Navarr. cap. 25. n. 73. Toletus lib. 1. c. 33. Victoria de Baptismo q. 29. Molanus tract. 4. de sacramentis cap. 1. & 11. Ejusmodi Theologorum opinioni insigniter astipulatur Gregorius XI. c. *quæsivimus*. tit. *de temp. ordin.* ubi de Sacerdotibus & aliis Clericis dicit: *Si non penituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.*

Septima conclusio.

Ex eodem jure divino tenetur ad sacramentalem confessionem, quisquis erroneam habet conscientiam, nisi illam deponat; & quisquis gravi tentatione se superatum iri probabiliter existimat, nisi apud Sacerdotem de suis criminibus confiteatur: quia revera non solùm tenetur quilibet removere omnia salutis impedimenta, verùm etiam idonea adhibera remedia, quibus illa promoveri valeat.

Quæstio XXIV.

Utrum præceptum confessionis etiam obliget ex jure ecclesiastico, & quanam anni parte potissimùm obliget.

Respondeo 1°. fideles omnes teneri ad confessionem sacramentalem semel in anno faciendam non solùm per accidens ratione communionis, sed per se ac vi præcepti ecclesiastici: quod quidem præceptum nemine reclamante continetur in celeberrimo illo canone Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. celebrati. Iste canon 21. in hæc verba conceptus: *Omnis utriusque sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti.* Per hæc verba annuæ confessionis præceptum ab Ecclesia in œcumenica illa Synodo declarari nemo dubitare potest. Nam

1°. Illa ipsa Synodus id præcipit propositâ transgressoribus excommunicationis pœnâ, quod nec faceret, nec facere posset, nisi esset gravissimum annuæ confessionis præceptum, quod sine peccato mortali violari non potest. Nam certum est apud omnes, neminem excommunicari posse, nisi propter peccatum lethale quod admiserit.

2°. Hoc ipsum annuæ confessionis præceptum inter quinque Ecclesiæ præcepta recenseri norunt infantissimi quique inter Catholicos educati, ita ut quisquis fidelium huic officio defuerit, sese graviter peccasse fateatur.

3°. Concilium Tridentinum dicit anathema iis qui hac in parte Concilii Lateranensis doctrinam abjecerint. Sic enim loquitur canon. 8. session. 14. *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse, Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.*

Est igitur de fide, omnes & singulos utriusque sexus Catholicos ad suorum criminum confessionem semel quotannis obeundam teneri, licèt ei confessioni nullum certum tempus Ecclesia præfixisse videatur.

Respondeo tamen 2°. eos videri Ecclesiæ mentem assecutos, qui credunt Quadragesimæ initium esse legitimum tempus, quo anniversariæ confessionis præceptum impleri oporteat. Hoc dico nihil de spiritu meo prophetans, sed ea quæ præsens tractatus exposcit, gravissimorum virorum authoritate confirmans.

Quemadmodum igitur (ut constat ex Petro Blesensi qui scribebat paulò ante Concilium Lateranense IV. anniversariæ communionis in Ecclesia consuetudo invaluerat, istud ipsum Concilium Paschalem communionem quotannis celebrandam universis fidelibus præcipiens, adhæsit ad eam anniversariæ communionis consuetudinem, quam imbecilla Christianorum pietas jam tum induxerat. Ita hoc ipsum de confessione præcipere cupiens, longissimè abfuit, ut illi tempus Paschale præstituerit. Quo enim celebratur tempore, ea Ecclesiæ constitutio religiosissimè servabatur, ut quisquis se lethali & publico flagitio constrictum esse rescisceret, in ipso Quadragesimæ exordio confiteretur, atque ita totis quadraginta diebus in lachrymis, in jejunio & mortificatione traductis sese ad solemnem Paschatis communionem strenuè compararet.

Et ea videtur fuisse postrema Ecclesiæ indulgentia, quâ usa est, ut illi peccatores non priùs ad sacram synaxim accederent, quàm incubuissent in nonnulla pœnitentiæ opera; atque ita servarentur aliquo modo canones per aliquod tempus, quo peccatoribus ad cælestem mensam aditus intercluderetur.

Quod egregiè testatur Petrus Blesensis. *Cùm initio jejunii*, inquit, *debet esse initium confitendi: unde in fine Quadragesimæ de ablutione pedum Discipulorum legitur, vel dicitur, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Non dixit, qui lavandus est, sed lotus: nec dixit, nisi ut faciem & pedes lavet, sed tantùm pedes; ac si dicat: In principio jejunii debet quis criminalia peccata lavare, purè & humiliter confiteri, in fine venialia quæ contraxit.*

Id ipsum reperit sermon. 18. in Cœna Domini. *Ineunte igitur sacro Quadragesimæ tempore lavabantur facies, id est peccata lethalia Sacerdoti inter confitendum aperiebantur, per totam Quadragesimam peragebatur pœnitentia; exeunte illa ipsa Quadragesima repurgabantur fideles ab venialibus, & sic epulabantur in azymis sinceritatis & veritatis, ita ut Christi corpore in ipsa Christiani Paschatis celebritate reficerentur.* Ea de causa institutam esse Quadragesimam docet S. Thomas in Opuscul. de sanct. Sacrament. cap. 16. *Hinc*, ait, *statuti sunt ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, ut his peractis in jejuniis & orationibus & continentiis, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis.*

Gulielmus Peraldus Ordinis Prædicatorum alumnus, quem quidam Lugdunensem Archiepiscopum fuisse autumant, vivebat anno Redempt. 1276. quo tempore fideles in ipso Quadragesimæ exordio confiteri consueverant: & ideo luculentum huic rei testimonium perhibet in præclara virtutum & vitiorum Summa tom. 2. in tractatu de acedia sub titulo *de fatuitate differentium confiteri, donec tota ferè Quadragesima sit transacta.* Potest autem, inquit, ostendi talium fatuitas multipliciter.

Primò, ex hoc quòd ipsi sunt præposteri: volunt enim ultimò facere quod Dominus vult primò fieri; vult enim Dominus, quòd illi qui ei serviunt, incipiant à confessione: unde Psalm. 94. *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Et Proverb. 18. *justus in principio accusator est sui.*

Secundò, potest ostendi fatuitas talium per hoc quòd tales labores septem septimanarum amittunt in magna parte pro labore unius horæ, eo quòd scilicet nolunt in principio Quadragesimæ confessionem peccatorum suorum facere, quæ in una hora fieret: plus enim valeret jejunium unius diei post veram pœnitentiam, quàm valeat jejunium totius Quadragesimæ ei qui remanet in peccatis suis.

Tertiò, ille ipse Author variis comparationibus exaggerat ejusmodi hominum amentiam, eosque primò comparat vinitori qui vineam serpentem multiplici lapsu & erratico ferro imputans, peractâ jam propè

vindemiâ

vindemiâ coërceret, quod ante vindemiam factum oportuit, ne silvesceret sarmentis, & in omnes partes nimia funderetur, atque ita uvarum ubertati & alimentis officeret. Hanc ejusmodi vinitoris amentiam imitatur, qui confessionem ad uberes bonorum operum fructus animam apparantem rejicit in id temporis, quo majorem fructuum operumque quadragesimalium partem collegerit. Deinde eosdem componit hominibus ferro sauciatis, qui sua vulnera contra omnium medicorum effata, antè curari volunt, quàm suo è corpore ferrum extrahatur; quod est dementissimæ temeritatis: nam, ut ait Avicenna, dum ferrum est in vulnere, non est malagma apponere.

Universa igitur quæ Author hoc loco commemorat, eo collineant, ut quilibet Christianus bene erga se suamque salutem animatus, in ipso Quadragesimæ exordio peccatum lethale abjiciat, & ea imitatus animantia quæ venenatis sagittis confixa dictamnum quærunt, cujus beneficio suis è corporibus ejusmodi sagittas extrahant, perfugiat ad confessionem sacramentalem, velut ad saluberrimam dictamni cælestis herbam, & per eam omnia omnino crimina veluti totidem tela veneno imbuta funditus ex animo revellat.

Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis edita anno Domini 1399. eamdem initio Quadragesimæ confirendi consuetudinem satis indicant cap. 4. his verbis: *Sacerdotes frequenter moneant laïcos & alios parochianos suos venire ad confessionem, & præcipuè in principio Quadragesimæ, quia jejunium & eleemosyna facta ab illo qui est in peccato mortali, parum prodest. Nam per Concilium generale statutum est, & hoc observari præcipimus, quòd quilibet fidelis utriusque sexus postquam habuerit discretionem, saltem semel in anno omnia peccata sua solus integrè confiteatur suo proprio Sacerdoti, & ad minus in sanctum Pascha sacratissimum corpus Christi recipiat reverenter: nisi de licentia sui superioris, vel sui proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione corporis Christi duxerit abstinendum. Alioquin ab ingressu Ecclesiæ arceatur, dum vivit, & mortuus careat ecclesiasticâ sepulturâ.* Hæc ibi.

Porro quanti ponderis apud nos esse debet authoritas Concilii Tridentini, confessionem sacro Quadragesimæ tempore fieri solitam magnificè approbantis session. 14. cap. 5. *Unde*, ait, *jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris. confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ; quem morem hæc sancta Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam pium & meritò retinendum.* Et idem Concilium anathemate percellit eum *qui dixerit ad confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, non teneri omnes & singulas utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.* Hic est canon 8. session. 14.

Hic ergo mos confitendi sacro Quadragesimæ tempore, observabatur in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu, illo ipso tempore quo celebrabatur sacrosancta Tridentina Synodus, quem ideo maximè probat & amplectitur tanquam & meritò retinendum.

Quæ Synodi sensa nemo cordatus detorserit in eum sensum, in quem detorquentur à plurimis existimantibus, nihil consuetudini ab sacrosancto Concilio approbatæ derogari ab nonnullis hominibus, qui cùm infinitis propè criminibus scateant exeunte Quadragesima, præmisso brevi quopiam & perfunctorio examine adeunt, ad Sacerdotem circumvallatum jam & obsessum magna pœnitentium multitudine, & confitentur rapim, gravissima flagitia strictim attingunt, nihil aliud meditati, quàm ut ab Presbytero diuturno excipiendarum confessionum labore propemodum obruto absolutionem protinus extorqueant.

Non ea mens est Concilii: nam, ut observatum est ab Bellarmino, intelligendum est Concilium de confessionibus quas ineunte Quadragesima fideles factitare consueverant, ut abjecto omni tam peccato, quàm peccati affectu, sese toto illo tempore conferrent ad crebra pietatis opera, atque ita ad Paschalem synaxim paratiores accederent.

S. Carolus (quo fideliorem, Tridentini Concilii interpretem invenias neminem) vult *singulos, & eos præsertim qui perrarò confitentur, admoneri, ut ne confessionem differant in postremos illos Quadragesimæ dies, quibus Sacerdotes vel ob mysteriorum celebritatem assiduâ divinorum occupatione ab audiendis confessionibus impediuntur, vel frequenti tunc concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere præstando ferè opprimuntur, ut tantum tamque salutare ministerium in confertissima multitudine vix rectè illis præstare queant.* Ita S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. sub tit. *Quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent.*

Hanc eandem consuetudinem revocant in usum post Concilium Tridentinum duæ Synodi Cameracenses, quarum altera anno Redemptoris 1566. altera verò anno Redemptoris 1604. habita est; quod & facit Bituricense Concilium tit. 21. cap. 10.

Si Episcopi, Parochi, Confessarii, Prædicatores, & alii ad animarum regimen admoti tenerentur eo divinæ gloriæ studio, quo Sacerdotes conflagrare necesse est, nihil non molirentur, nihil non agerent, ut laudabilem illum ineunte Quadragesima confitendi morem in fidelium praxim revocarent. Nam si reviviscerer ille mos, redivivâ sui observatione plurimas sacramentorum profanationes, quæ ut cùm maximè nostra hac ætate grassantur in orbem Christianum, procul ablegaret, innumerabiles animas ex inferorum faucibus eriperet, ipsam denique ædificaret Ecclesiam, eamque uberrima virtutum omnium accessione locupletaret.

Respondeo tertiò. Tametsi Ecclesia fideles ad confessionem ipso Quadragesimæ ineuntis exordio factitandam, frequentioribus hortamentis ex occasione Quadragesimæ ad peragendam pœnitentiam accommodatissimæ, post diuturnos publicæ pœnitentiæ labores impulerit; non videtur tamen ullum certum præfixisse tempus, quo præcisè implendum annuæ confessionis præceptum indiceret; ac reipsa quidem, cùm duo præcepta, unum de annua confessione, alterum de annua item communione, sancire & promulgare cuperet, postremo huic de communione præcepto solemnitatem Paschatis præstituit; alteri verò quod est de confessione, nullum tempus certum præfinit, & unicuique fidelium liberum reliquit confiteri quo die vel quo tempore placeret, modò præceptum ea de re sancitum semel quotannis observaret.

Ita sese hac in parte habuit Ecclesia, vel ut sanctioribus Christianis producendæ pœnitentiæ spatium impertiret, vel ut tepidos summæ negligentiæ reos jure ac meritò declararet, si ne in toto quidem anno justum tempus, tum ad excutiendos animi recessus, tum ad peccata Sacerdoti declaranda assumerent. Quicquid id est, satis habet, si quisque fidelium semel in anno sua crimina Sacerdoti in tribunali pœnitentiæ aperiat. Ut igitur hoc præceptum servetur accuratiùs, nonnulla sunt statuenda, veluti pronuntiata, quibus, ut certis vel certè maximè probabilibus universa Theologorum Schola suffragatur.

Primum pronuntiatum. Præceptum confessionis secundùm se non obligat pro certa anni parte: ideoque Ecclesiæ præcepto satisfacit quisquis ita confi-

tetur, ut inter primam & secundam confessionem unus dumtaxat annus nec plus temporis intercurrat. Ratio est, quia nullum faciendæ confessioni tempus assignavit Ecclesia, ideoque ejus præceptum implet quisquis intra annum qualibet anni parte confitetur.

Secundum pronuntiatum. Ex quo pervenit aliquis ad usum rationis, ad confessionem peccatorum mortalium (si quæ post baptismum admiserit) intra annum faciendam præcepto ecclesiastico tenetur, sive sacramentum Eucharistiæ suscipere velit, sive aliud sacramentum, sive denique se in probabili mortis periculo versari resciat.

Tertium pronuntiatum. Doctores quidam probabiliter existimant, annum intra quem quilibet fidelis tenetur ex præcepto Ecclesiæ confiteri, esse computandum ab uno Paschate ad alterum Pascha, vel ab una Quadragesima ad alteram. Ita Sylvester v. *Confessio.* Ita Suarez disput. 36. sect. 3. n. 8. Alii non minùs probabiliter existimant, unicuique suum annum ab ultima confessione esse computandum.

Quartum pronuntiatum. Is qui prævidet sibi defuturam Confessarii copiam in articulo mortis, si fortè acciderет, vel eo anno quo ex Ecclesiæ præcepto confiteri tenebitur, tenetur prævenire mortis articulum, sua crimina Sacerdoti retegendo: & idem faciendum, antequam totus elabatur annus, in quo ad confessionem obligatur. Nam quemadmodum debitor qui prævidet se ad eas adactum iri angustias, in quibus sua nomina dissolvere nequeat, quicquid agat, repræsentatis pecuniis suo creditori satisfacere tenetur: ita fidelis præcepto Ecclesiæ, cui uno tempore parere non potest, alio tempore eidem præcepto in antecessum obtemperet necesse est.

Quintum pronuntiatum. Ecclesiasticum de confessione præceptum non impletur per quamlibet confessionem, sed per eam dumtaxat quâ pœnitens verè contritus ab Sacerdote ministerio clavium absolvitur. Nam certum est, unam & eamdem confessionem tam ab ipso Deo, quàm ab Ecclesia imperari. Quemadmodum igitur Dei præcepto de confessione indicto non satisfaceret, qui rite non confiteretur: ita etiam Ecclesiæ confessionem annuam imperantis præcepto non satisfacit, qui facit confessionem necessariis conditionibus destitutam.

Quis enim dicat, confessionis annuæ impleri præceptum ab eo qui careat debito dolore, qui est pars essentialis sacramenti, & sine quo sacramentum subsistere non potest? Quis credat, eidem præcepto satisfacere hominem, qui nonnulla peccata lethalia de industria, aut ex affectata quadam ignorantia inter confitendum reticuerit, vel qui nullum aut penè nullum examen confessioni præmiserit, aut ob impœnitentiam non absolutus ab Confessario recesserit? Nemo sanè Theologus hoc asserat, nisi quis contendere velit, Ecclesiam non posse imperare actus internos, atque adeo ejus præceptis per externos dumtaxat actus rite satisfieri. Quæ propositio ab vera Theologia penitus abhorret: quis enim negaverit, ab Ecclesia internum fidei actum imperari, cùm in œcumenico Concilio & in Spiritu sancto congregata aliquem fidei articulum ex divinæ traditionis thesauro erutum sub anathematis interminatione declarat, atque adeo universis fidelibus illum ipsum articulum corde credere, & oblata occasione ore confiteri imperat?

Nam quem finem sibi proponit Ecclesia, cùm sacramentorum perceptionem, confessionem, jejunium, aut alia id genus præcipit, nisi ut quotquot materno sinu filios alit, per tot salutis præsidia sanctificatos ad æternam Sanctorum gloriam provehat? Ergo ridiculum est asserere, ejus præcepta impleri ab sacrilegis hominibus qui peccandi voluntate nullatenus abjecta, satis habent in speciem confiteri, & Dei & Ecclesiæ præcepta non tam implere, quàm violare: quippe qui spiritui gratiæ contumeliam facere, nec sanguinem testamenti pollutum ducere perhorrescant. Ideoque plerique Theologi asserunt cum Suare disput. 36. sect. 8. n. 4. cum Corduba quæst. 16. cum Bonacina de sacram. pœnit. disput. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. n. 25. ejusmodi homines sacrilegæ confessionis reos, atque adeo ecclesiastici præcepti violatores incursum ire censuras, si quæ infligerentur iis, qui vel non confitentur, vel criminosa confessione ecclesiasticum annuæ confessionis præceptum transgrediuntur.

Sextum pronuntiatum. Non est dubium, quin aliquis anno proximè præterito non confessus, hoc anno ex annuæ confessionis præcepto quamprimùm, id est nullâ morâ interpositâ, sua crimina Sacerdoti confiteri teneatur. Ad sententiam plurium Theologorum id affirmantium accedit ratio inde repetita, quòd Ecclesia duo præceptorum genera sancire soleat. Quædam enim determinato tempori alligat ita, ut nisi impleantur tali tempore & tali die, obligare desinant. Ejus generis est Officii recitandi præceptum, quod elapso die quo persolvi debuit, non ulteriùs obligat. Quædam autem præcepta promulgat, non spectatâ propriè temporis circumstantiâ, quâ ea impleri jubeat; sed designato quodam temporis spatio, ultra quod eorum executio protrahi nequeat. Unde fit ut illa secundi generis præcepta elapso etiam illo temporis spatio, quod Ecclesia ad eorum executionem præstituerat, semper obligent. Ejusmodi est confessionis annuæ præceptum, quod determinato anni tempori non est alligatum: sed ab Ecclesia promulgatum est, ne impia plurium Christianorum socordia ultra annum ejus executio protraheretur.

Septimum pronuntiatum. Confessio sine debito dolore sive sincero vitandi peccatum & ejus occasiones proposito, id est sine contritione facta, informis est, nec potest esse valida, & ideo est necessariò repetenda. Ratio manifesta est: nam contritio est de essentia sacramenti pœnitentiæ: ergo si desit contritio, nullum est sacramentum, (nunquam enim aliquod totum subsistere potest, si essentiali quapiam parte careat) sive illa pars suo composito desit per ignorantiam invincibilem, sive aliter.

Contritionem ad essentiam sacramenti pœnitentiæ pertinere perspicuè docet S. Thom. in Supplem. q. 8. art. 2. ad 1. *In sacramento pœnitentiæ*, inquit, *non solùm est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio & satisfactionis injunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio & confessio.* Unde certissimum est, eam confessionem informem & invalidam esse, atque adeo repetendam, quæ actuali sinceraque cordis conversione seu contritione destituta fuerit. Neque hic audiendi nonnulli, qui ad sacramentum pœnitentiæ docuerunt hunc sufficere dolorem, dolere scilicet quòd non doleas. Nec minùs explodendi sunt alii, qui ad idem pœnitentiæ sacramentum, existimatum dolorem sufficere prodiderunt. Nam contritio ad rite percipiendum hoc sacramentum, ita necessaria est, ut & omnia Concilia & omnes omnino Theologi, & omnes uno ore Sacerdotes nemine reclamante pœnitentem sine contritione peccata sua Sacerdoti retegentem, ab eo non absolvi coram Deo declaraverint, scripserint, prædicaverint. Instar omnium esto Concilium Tridentinum, quod sess. 14. cap. 6. disertè pronuntiat, *non debere pœnitentem adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, putet tamen se propter solam suam fidem verè & coram Deo esse absolutum.*

Quapropter nemo dubitare potest, quin ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum contritio

requiratur: ita ut si illa defuerit, nullum sit sacramentum. Cùm enim sit de jure naturali, ut pœnitens de peccatis lethalibus conteratur, necessariò sequitur, hominem sine contritione confessum adeo nullam peccatorum remissionem in sacramento consequi, ut priora sua peccata novo sacrilegii flagitio cumulet. Contritionem ad pœnitentiam, sive spectetur ut virtus, sive ut sacramentum, jure naturali pertinere clarius est, quàm ut probari debeat. Si enim pœnitentia spectetur ut virtus, non potest ab contritione separari: quis enim vel sui compos eum appellet pœnitentem, qui nec de peccatis à se commissis dolorem, nec de fugiendis in posterum propositum conceperit? Si autem consideretur ut sacramentum, nec etiam ab ea vera contritio divelli potest. Cùm enim sacramentum reconciliationis, virtuti pœnitentiæ superstruatur, & virtus pœnitentiæ, ut vel ipso lumine naturali patet, sine contritione subsistere nequeat, nec ipsum etiam pœnitentiæ sacramentum sine contritione, quam includit ut partem essentialem, ullo pacto subsistere poterit. Ergo qui confitetur peccata lethalia, de quibus non conteritur, facit confessionem informem, utpote contritione, quam necessariò includit, destitutam, atque adeo invalidam, & denuo cum sacrilegii in sacramentum admissi accusatione repetendam.

Ac reipsa quidem vel pœnitens advertit in se contritionis defectum, vel non advertit: si advertit, vel de eo confitetur, vel non; si confitetur, absolvi nec potest nec debet. Neque enim Sacerdos ministerium clavium ad reconciliationem adhibere debet, quin hominem contritum animadvertat. Si non confitetur, peccat lethaliter, contra confessionis integritatem. Si non advertit, hæc inadvertentia vel proficiscitur ex ignorantia, de omnibus peccatis lethalibus & singulis conteri debet, ita etiam de omnibus & singulis ordinariè loquendo confiteatur; vel hæc inadvertentia oritur ex negligentia pœnitentis, qui segniùs conscientiæ latebras excussit, atque adeo peccata lethalia, quibus Deum offenderat, in memoriam debito modo revocare non potuit, & hæc negligentia in re tanti momenti ab lethali flagitio vindicari vel excusari non potest. Nam certum est ad sacramentum pœnitentiæ rite percipiendum, tantam ad explorandos conscientiæ recessus, & peccata in memoriam revocanda, diligentiam requiri, quantam in re maximi momenti vir cordatus, & in agendo strenuus sufficere judicaverit.

Et jam diligentiam ab pœnitente jure divino postulari certum est: quo enim jure aliquis actus imperatur, eodem planè quicquid ad ejus integritatem est necessarium, præcipitur. Et hæc diligentia versari debet tam circa peccatorum recordationem, quàm legitimum dolorem, quem de illis concipi necesse est. Licèt igitur ejusmodi diligentia jure divino positivo, vel etiam naturali præcipiatur, non tamen ab omnibus eadem exigitur. Nam minor ab iis postulatur, qui raro vel nunquam admittunt peccata lethalia, & crebrò confitentur: at exigitur multò major ab iis, quos crebrò eadem peccare delectat, & rarò de illis confitentur. Nam maximè verendum est, ne ejusmodi homines in diuturnam peccandi consuetudinem immersi, & sacramentorum usum perosi, eadem illa sacramenta suam ad salutem instituta, suam in perniciem convertant. Toto enim anni curriculo in omnibus lethalium flagitiorum generibus volutati appetente Paschate, nonnihil de suis criminibus cogitant, atque ita brevi vel nullo examine prævio confitentur, & reconciliationis sacramentum sine ullo dolore in sui condemnationem & judicium detorquent. Tales enim confessiones, ut plurimùm confusiones sunt, quas sibi accersunt non tam coram hominibus, quàm coram Deo & Angelis ejus; ideoque informes sunt & invalidæ, & necessariò repetendæ.

Ut hæc quæstio suis tandem terminis circumscribatur, certum est, eos non teneri ecclesiastico annuæ confessionis præcepto, qui nullum admiserunt peccatum lethale, ex quo regenerati sunt in Christo, nisi fortè inde aliquod scandalum oriretur: tunc enim levia & venialia peccata clavibus subjicere, de iis conteri, & pro illis satisfacere tenerentur; sed sublato scandalo, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur, ut observat sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. in solutione quæstiunc. tertiæ ad 3.

Quæstio XXV.

Utrum confessionem integram esse oporteat.

Respondeo, confessionem sacramentalem integram esse oportere, id est oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. de confessione.

Eamdem illam doctrinam toti Ecclesiæ velut orthodoxam, atque adeo veluti de fide definitam sub anathematis interminatione proponit ejusdem sessio. 14. can. 7. hisce verbis concepto: *Si quis dixerit in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam esse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.*

Quod hîc declarat sancta Synodus Tridentina, esse scilicet jure divino necessarium confiteri omnia & singula peccata mortalia, multa Concilia longè antè declaraverant, & ex traditione definierant, nempe Concilium Carthagin. III. canon. 31. Concilium Laodicen. can. 2. Concilium Cabilon. I. can. 8. item II. Cabilonense can. 2. Turonens. can. 22. Parisiense can. 26. Remense can. 12. Moguntinum can. 26. Wormatiense can. 25. Lateran. can. 21. *Omnis utriusque sexus.* Constant. sess. 8. Florentinum in instruct. Armenorum, & postremò Tridentinum locis proximè citatis.

Ad hæc tot Conciliorum decreta accedunt multæ rationes, quibus illud astruitur.

Prima est, quòd pœnitens ideo confiteatur peccata sua, ut eorum remissionem ministerio clavium obtineat. Cùm ergo Sacerdos unum peccatum sine alio remittere nequeat, necesse est pœnitentem omnia & singula peccata mortalia confiteri. Unde Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de confession. *Cùm universa mortalia peccata, ait, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignos-*

cenda expenunt; qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Hæc Concilium, quod apertissimè declarat, neminem absolutum iri ab peccatis lethalibus, nemınem de iisdem curatum iri, nisi omnia & singula Sacerdoti confiteatur.

Secunda est, quòd Sacerdos in pœnitentiæ tribunali Dei vices gerat, ita ut oporteat ipsi Sacerdoti eadem, & totidem peccata lethalia inter confitendum aperiri, quæ & quot & quanta ipsimet Deo confiteri necesse est. Cùm igitur Deo omnia & singula lethalia confiteri oporteat, omnia etiam & singula lethalia Sacerdoti in confessione sacramentali declarare necesse est.

Tertia est, quòd Sacerdos judicis divinitus instituti partes obeat: ideoque declaranda sunt illi omnia & singula peccata mortalia, ut duplex judicium rite & competenter in pœnitentem exerceat. Primum dicitur discretionis, per quod declaratorum sibi criminum multitudinem, speciem, numerum gravitatemque dijudicet: alterum verò justitiæ seu taxationis, per quod convenientes salutaresque satisfactiones tam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, quàm ad futurorum fugam accommodatas pœnitentibus imponat. Quæ judicia cùm incognitâ causâ exercere nequeat, illi oportet omnia & singula peccata, præsertim lethalia, confiteri.

Quarta, dividere confessionem, summa est hypocrisis: qui enim aliqua reticet peccata, vult se videri innocentiorem coram hominibus, quàm coram Deo & Angelis appareat, & præterea vult se videri bonum; quippe qui sua peccata Sacerdoti confiteatur, quod solent boni, cùm interim nonnulla vel plura reticeat inter confitendum, quod assolent improbi. Non poterit igitur sacrilegæ simulationis crimen effugere, qui aliqua peccata mortalia in sacramentali confessione Sacerdoti aperuerit, & alia volens & sciens, eundem Sacerdotem celaverit. Non est igitur dubium, quin lethalium peccatorum inter confitendum reticenti & utilitatem, & veritatem sacramenti labefactet.

Ab illo ipso crimine propiùs absunt, qui duos eligunt Confessarios, quorum uni venialia duntaxat, alteri verò lethalia peccata retegant. Nam reipsa peccant contra sinceritatem pœnitentiæ sacramento debitam, & præterea inanis gloriolæ studio perosti, suæ potiùs famæ & existimationi, quàm animæ saluti consulere gestiunt. Unde id illicitum esse affirmat Sylvester v. *Confessio.* 1. q. 6. ad quam sententiam tantùm non accedit Laymannus lib. 5. tract. 6. cap. 8. de sacrament. pœnitent. n. 14. ubi etsi affirmat id aliquando recte fieri, & si id fiat sæpius justâ de causâ, nullam fore culpam, ut si valde aliquis abhorreat ab confessione mortalium huic Confessario facienda, quem tamen ob aliquam causam deserere non audeat. Ibidem tamen contra ejusmodi corruptelam ita loquitur: *Plerumque hæc res non vacat aliqua deordinatione; & est signum animi magis æstimationem suam, quàm spiritualem perfectionem curantis. Per accidens verò fieri potest, ut talis etiam mortaliter peccet, si ea ratione exponat se periculo facilè labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi, quod ejusmodi hominibus accidere solet, qui de industria Confessarios imperitos adeunt, vel quibus ignoti sunt, nullum constanter retinentes, sed ab uno ad alterum transeuntes.*

Hæc Laymannus, qui si constitisset sibi, nunquam affirmasset crebram hanc Confessariorum alternationem sine culpa fieri posse, si subsit justa ratio quæ in hunc casum cadere non potest ordinariè loquendo. Neque enim in aperiendis Sacerdoti flagitiis pœnitens verecundari debet, qui in iis admittendis præsentem Dei majestatem violare non erubuit. Abde quòd verecunda confessio salutaris est, & quandam satisfactionis partem efficit; imò Hesychius in Levitic. adjicit plus, & dicit: *Malum satisfactionis obtulit, qui erubescentia dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei denegavit.* Hæc ille.

Præterea non minoris est momenti, imò nonnunquam majoris, aperiri docto prudentique Confessario peccata venialia, quæ plurimos suâ, si non gravitate, at certè multitudine obruunt, quàm lethalia, quorum vel unum animam lethali vulnere conficit. Utraque igitur uni eidemque Confessario declarari necesse est: venialia quidem, ut eorum multitudinem & affectum prohibeat; lethalia autem, in quæ prolapsus est pœniteos venialia negligendo, ut ab iis illum congruis verbis, opportunisque remediis absterreat.

Non oportere duos Sacerdotes adire, quorum uni quædam peccata, alteri alia retegas, præclarè ostendit locus qui refertur de pœnit. dist. 5. cap. 1. *Caveat sit pœnitens*, ait, *ne verecundiâ ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper veniâ carere, ad quam per frustra putat totum pervenire.* Hæc ibi.

Quæstio XXVI.

Utrum ad confessionis sacramentalis integritatem præter peccatorum speciem & numerum, eorum etiam circumstantias tam mutantes speciem, quàm notabiliter intra eandem speciem aggravantes, Sacerdoti declarari oporteat.

Ut huic quæstioni perspicuè respondeatur, Observandum est, actuum humanorum circumstantias duplicis generis ab Theologis assignari; aliæ enim sunt quæ mutant speciem actus, v. g. peccati; aliæ quæ non mutant quidem peccati speciem, sed ipsum peccatum adjectâ mortali malitiâ intra eandem speciem gravius efficiunt. Aliæ sunt, non aggravantes notabiliter, eæque vel imminuunt peccatum, vel certè ad illud nihil pertinent.

Circumstantiæ quæ mutant speciem generatim loquendo, illæ sunt quæ actui humano in specie moris constituto (id est ad rectam rationem per conformitatem directo, vel ab ea per deformitatem remoto) addunt vel adimunt bonitatem vel malitiam, quæ ab actûs substantia specie distinguitur.

Vel si mavis, ut propiùs accedamus ad mentem Concilii, asserentis circumstantias mutantes speciem in sacramentali confessione declarandas esse: circumstantiæ mutantes speciem sunt illæ quæ actui humano addunt malitiam mortalem quæ ab actûs substantia specie distinguitur. Dicuntur ejusmodi circumstantiæ actui humano addere malitiam, mortalem, quia si tantùm ipsi actui humano adderent levem vel venialem malitiam etiam specie distinctam, non propterea mutarent peccati speciem, ex mente Concilii, ac proinde in confessione non essent aperiendæ: v. g. si quis ad singulare certamen descenderet ob levem & inanem gloriolam, quam veniali duntaxat affectu experteret, illa circumstantia non esset in confessione declaranda, quippe quæ singularis certaminis flagitio mortalem malitiam non afferret.

Circumstantiæ nobiliter aggravantes sunt illæ quæ peccati mortalis, v. g. in sua specie relicti, mali-

tiam sic adaugent, ut illud ipsum peccatum duobus factum mortalibus ejusdem speciei peccatis æquivaleat.

Utriusque circumstantiæ exempla profert S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. in solutione quæstiunc. 3. *Quod*, ait, *aliquis accipiat multum vel parum, ex se deformitatem aliquam non importat, nisi ex ipsa suppositione primi, quia multum de alieno recipere, est ab æqualitate discedere. Unde talis circumstantia aggravat, sed peccatum non mutat: quod autem rem alienam consecratam accipiat, aliam deformitatem importat, quia quæcumque irreverentia circa res sacras adhibita specialem rationem peccati habet, & ideo talis circumstantia dicitur speciem mutare.* Hæc sanctus Thomas.

His ita prælibatis,

Respondeo primò, circumstantias quæ speciem peccati mutant, in confessione explicandas esse. Ad cujus responsionis probationem operæpretium est subjicere ipsissima Tridentini Concilii verba: *Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum à ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.* Ita loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5.

Ita ut ejusdem sess. 14. can. 7. eandem illam doctrinam ad fidem pertinere declaret, & eos anathemate percellat, qui dixerint, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, etiam occulta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant.

Ut ad hanc Concilii doctrinam, utpote inter articulos fidei relatam, adhærescerent Theologi, multa circumstantiarum genera statuerunt, quæ necessariò essent in sacramentali confessione explicanda.

Primum petitur ex parte personarum peccantium, quæ si sint peculiariter Deo consecratæ, vel per solemne votum, vel in ordine quopiam approbato per professionem legitimam emissum, aut per susceptionem sacri ordinis nuncupatum, graviùs peccant, quàm alii, qui sese eodem voto non obligarunt: & illæ circumstantiæ mutant peccati speciem, & ideo in confessione sunt declarandæ. v. g. Sacerdos & Religiosus qui confitetur se constuprasse virginem, tenetur declarare se esse & Sacerdotem & Religiosum, & aperire utrum Deo consecrata fuerit, necne, illa virgo, cui stuprum intulit. Nam non stuprum tantùm, sed etiam sacrilegium admisit. Item Religiosus qui furatur, debet inter confitendum declarare se esse Religiosum, quia furando peccat contra præceptum, quo furtum prohibetur, & contra votum paupertatis, quòd in sua professione nuncupavit.

Secundum petitur ex parte loci: si quis v. g. furetur & subripiat rem alienam, invito domino, admittit furtum speciali Decalogi præcepto prohibitum: sed si res illa sit sacra, vel auferatur è loco sacro, efficitur alia peccati species, nec jam simplex furtum, sed sacrilegium admittitur, eo quòd ejusmodi circumstantia vel rei sacræ, vel loci sacri è quo tollitur, novam moralemque malitiam continet, utpote quæ adversatur speciali præcepto, quo omnis rei sacræ dehonestatio, & illicita contrectatio prohibetur.

Tertium circumstantiarum speciem peccati mutantium genus, complectitur quamlibet circumstantiam finis, quem sibi quispiam in peccando proposuit. Illa siquidem circumstantia si sit speciali præcepto prohibita, constituit novam peccati speciem, & ideo in confessione necessariò aperienda. v. g. si quis aliena subripiat, ut mœchandi facultatem habeat, mœchus potiùs quàm fur erit & appellabitur; finis enim furtum nova peccati specie cumulavit.

Verùm, ut ista ab Summistis uberiùs pertractata, strictim & breviter attingam, dico, posse generatim loquendo, statui triplicem circumstantiarum, quæ rùm mutet speciem, in confessione sacramentali, necessariò esse aperienda.

Prima est, quæ actum ex objecto bonum, lethale flagitium efficit, ut si quis adolescentulus, vel alius bene nummatus, pauperculæ puellæ uberem eleemosynam erogaret eo animo, ut eam constupraret.

Secunda est, quæ ex peccato mortali unius speciei, alterius speciei mortale constituit, ut cùm quis furatur eo animo, ut ad ebrietatem usque sese mero ingurgitare valeat. Item ea circumstantia ex peccato veniali, mortale flagitium efficit, ut si quis faciat mendacium jocosum, ut suam in fornicatione libidinem expleat.

Tertia est, quæ ex peccato veniali efficit peccatum lethale, quod ad eamdem speciem moralem absolutam, sed ad alteram moralem demeritoriam pertineat. Exempli grat. si quis revelaret mendacium officiosum à quopiam admissum, peccaret venialiter; sed si id revelaret eo animo, ut proximum coram multis in infamiam adduceret, ex veniali peccato intra eamdem speciem physicam aut moralem absolutam, non autem demeritoriam lethale flagitium efficeret. Nam venialis illa infamatio per revelationem officiosi mendacii facta, convenit specie morali absolutâ cum infamatione lethali malo animo lethalique intentione facta, licèt specie demeritoriâ differant. Venialis enim infamatio levi pœna plectenda est, cùm lethalis privationem gratiæ & gloriæ mereatur.

Respondeo secundò, circumstantias intra eamdem speciem, peccatum notabiliter aggravantes, esse in confessione sacramentali pariter explicandas, & quidem necessariò. Licèt enim Concilium Tridentinum, ejusmodi circumstantias necessariò in confessione aperiendas esse conceptis verbis non expresserit; ejus tamen hac in parte mentem deprehendere facillimum est. Nam illæ ipsæ rationes, propter quas, circumstantias quæ mutant speciem, esse in confessione declarandas asserit, alias etiam quæ peccatum intra eamdem speciem notabiliter aggravant, esse declarandas non obscurè probant & significant: si enim duabus de causis circumstantias speciem mutantes declarari necesse est, ut nimirum peccatorum gravitas Sacerdoti tanquam judici innotescat, & imponenda pœnitenti satisfactio ejus peccatorum gravitati respondeat, cùm circumstantiæ, aggravantes ad ea duo præstanda non minùs, quàm aliæ ut plurimùm conferant, eas sanè non minùs quàm alias in confessione aperire necesse est.

Huc accedit quòd Concilium in profligandis nascentium hæreseon monstris penitùs occupatum, satis habuit damnare impia Lutheri commenta, quibus circumstantias in confessione declarandas explodebat: ita tamen ut quid de circumstantiis aggravantibus in confessione item explicandis sentiendum esset, satis superque Catholicis Doctoribus aperiret.

Præterea multi Doctores gravissimi tam ante, quàm post Concilium Tridentinum, hujusmodi circumstantias quæ peccatum, licèt intra eamdem speciem, notabiliter aggravarent, in confessione, sicut & alias, quæ peccati speciem mutarent, necessariò aperiendas esse docuerunt. Nempe Marsilius in 4. q. 12. art. 1. Gabriel in 4. dist. 17. q. 1. Alexander

Halensis p. 4. q. 77. membro 3. Altissiodorensis libro 4. cap. 3. Major in 4. dist. 17. q. 4. Dominicus dist. 18. q. 2. art. 4. & alii. Revera sunt multi casus, in quibus ejusmodi circumstantias aperiri necesse est: ex iis aliquot recensere operæpretium est, ut ex iis alii innotescant.

Primus est in adulterio quod vir uxoratus commiserit cum conjugata non sua. Nam tunc & adulter & adultera tenentur declarare circumstantiam illam notabiliter aggravantem, quòd scilicet ambo sunt conjugati, tametsi nulla ibi peccati species, præterquam adulterii, reperiatur. Et ita docet Navarrus Enchirid. cap. 6. n. 4.

Secundus, si quis infringat jejunium ab Ecclesia imperatum per plures refectiones, prohibitis etiam vescatur carnibus, tametsi nulla sit alia peccati species, quàm quòd ecclesiasticum violaverit; debet tamen utramque circumstantiam, utpote notabiliter infractionem jejunii aggravantem confiteri.

Tertius, qui plures uno enecavit ictu, explicare debet, quot homines occiderit, licèt ibi nulla alia sit, quàm homicidii species: numerus istud homicidium notabiliter aggravat.

Quartus, qui constupravit puellam alteri viro affidatam, id est per sponsalia obligatam, tametsi verum adulterium non admiserit; quippe non accesserit ad uxorem alienam; tamen & illa & ille istam affidationis circumstantiam utpore peccatum eorum notabiliter aggravaotem, exprimere tenentur: est enim quoddam adulterii genus. Nam, ut ait Nicolaus de Lyra io cap. 22. Deuterooom. *mulier potest accusari de adulterio dupliciter: uno modo postquam ducta est in uxorem; alio modo antè, tamen post affi lationem.*

Quintus est, cùm aliquis commisit incestum cum matre vel filia, cum sorore vel cognata, eaque secundi vel tertii gradus, debet illas circumstantias coosanguinitatis, sicut & affinitatis aperire, ut affirmat Navarrus cap. 7. Enchirid. n. 4. & cap. 16. n. 3.

Sexus, qui multa aureorum millia subripuit invito domino, non satisfacit integritati confessionis, si dicat se furtum mortale commisisse; sed debet exprimere, si meminisse poterit, quot aureorum millia subripuerit: numerus enim furtum illud multò gravius & criminosius efficit, licèt furti speciem non transiliat immensum illud furtum.

Septimus, qui alienam famam depecolatus est, impactis calumniosè criminibus, non satisfacit eidem confessionis integritati, si se alienam famam suis obtrectationibus infregisse fateatur; sed prætereà requiritur, ut aperiat circumstantiam calumniarum, quibus eam violavit.

His ita positis, quæret aliquis utrum in confessione sacramentali scandali circumstaotiam aperire oporteat.

Respondeo, scandalum vel esse activum formale & directum, dictum scilicet vel factum minùs rectum, quo expressè proximi ruina spiritualis intenditur; vel est activum interpretativum, dictum scilicet vel factum minùs rectum, quo implicitè proximi ruina spiritualis intenditur: qualecumque sit vel activum formale, vel activum interpretativum, ejus circumstantia necessariò est aperienda in confessione. De activo scandalo formali, nullum est dubium, nec de activo scandalo interpretativo dubitandum est. Quemadmodum enim consensus implicitus & interpretativus, actus scilicet voluntatis aliquid non directè in se, sed in alio acceptantis expresso, seu explicito consensui io moralibus æquivalet; ita etiam scandalum activum interpretativum æqui valet scandalo formali activo & explicito. Sicut igitur io confessione sacramentali necessariò est explicanda scandali activi formalis & expliciti circumstantia; ita etiam scandali activi interpretativi circumstantia, in illa ipsa confessione necessariò est aperienda. Si ergo quis aliqoid dixerit vel fecerit, quo proximum in peccatum lethale tentaret indocere, tonc aperienda erit species flagitii lethalis, in quod proximum impellere voluerit.

Item in confessione scandali circumstantia declaranda est, cùm opus alioqui bonum vel indifferens in peccatum lethale ratione scandali transiit. Quòd si opus sit suapte natura malum, nec animo quempiam ad crimen impellendi factum fuerit, tunc distinguendum est: vel enim ita factum est, ut viri prudentis judicio peccandi occasionem proximo præbiturum esse prævideretur, & tunc illa scandali circumstantia declaranda est, quia cùm offensionem illud opus proximo oblaturum esse prævisum est, caveri debuit; si non est prævisum, etiam declaranda est illa scandali circumstantia ob negligentiam, quâ non est prævisum; quod tamen ex officio prævisum oportuit. Adde quòd qoi non prævidet opus suum scandalo futurum, (quod tenetur prævidere) scandalum activum interpretativom admittere censetur, & illa ideo etiam circumstantia declaranda est. Ideo qui honoribus ecclesiasticis vel politicis fulgent, eo graviùs peccant, quo in altiori sunt dignitatis gradu collocati. Nam

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quantò major qui peccat, habetur.

Unde in confessiooe Sacerdoti declaranda est personæ qualitas, si eam ignoret, ut sciat quis peccet, an Sacerdus ad animarum regimen admotus, an Religiosus, an Princeps, an subditus, an Magistratus, an privatus, an paterfamilias, &c. Personæ enim qualitas ad dijudicandam peccatorum gravitatem maximè conducit. Sacerdos peccans ob scandalum graviùs multò peccat, quàm plebeius quispiam. Uode sancti Patres Ambrosius & Bernardus nugas io ore laïcorum, esse blasphemias in ore Sacerdotum, literis prodiderunt. In his casibus declaranda est scandali circumstantia; in aliis autem minimè videtur aperienda.

Respondeo 3°. circumstantias, quæ ita minuunt, ut nullum vel veniale dumtaxat efficiant peccatum, quod alioquin esset mortale inter confitendum, declarandas esse, si vel de peccato illo confiteatur pœnitens, vel de eo Confessarius interroget. Quia nisi pœnitentis reticentia Confessarium gravem in errorem induceret, & in re gravi & necessaria mendacium admitteretur, quod est illicitum & criminosum. Nam exempli gratiâ, aliter judicandum esset de muliere, quæ metu mortis in adulterium incidisset, quàm de ea quæ solius libidinis explendæ gratiâ in idem adulterii flagitium sese sponte & ultro implicasset. Metus enim ille cadens in constantem virum, adulterii gravitatem maximè minuit, & cum ejusmodi muliercula mortis metu dedecorata multò mitiùs agendum esset, quàm cum alia, quam commissum ultro adulterium inquinasset. Ita etiam si quis interficeret hominem Sacerdotem, quem talem esse nesciret inculpabiliter, sese deberet accusare de homicidio perpetrato, quia enecasset hominem; non de sacrilegio, quia enecatum à se hominem, esse Sacerdotem inculpabiliter ignoravit: quæ ignorantia utpote circumstantia de peccati gravitate multum detrahens in confessione est aperienda; quippe quæ pœnitentem, non ab homicidio, sed ab sacrilegio eximendum & purgandum esse denuntiat.

Sub finem hujus quæstionis observandum est, declarandas esse circumstantias in confessione sacramentali, tam eas quæ mutant speciem, quàm eas quæ peccatum intra eamdem speciem aggravant notabiliter, non solùm cùm peccatum lethale opere externo consummatum est, verùm etiam cùm solo voluntatis assensu est admissum, quod est penitus indubitatum, & apud fideles semper usurpatum. Unde S. Cypriaous de lapsis: Quanto & fide majores

& timore meliores, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum Sacerdotes Dei dolenter & impliciter confitentes, exhomologesim conscientiæ faciunt.

Quæstio XXVII.

Utrum pœnitens in confessione sacramentali suorum criminum conscios declarare possit & debeat.

Respondeo 1°. conscios criminum in confessione declarari non oportere, nisi hanc declarationem vel certa utilitas, vel necessitas, vel utraque ab pœnitente exigat: aliter enim complices, ut vocant, in confessione declarare non licet.

Utilitas illa vel redundat in conscium, cujus persona cum criminis confessione declaratur, ut secretâ prudentique Sacerdotis (cui pœnitens eam facultatem fecerit) admonitione correptus, ejusque precibus adjutus, sese recipiat ad meliorem frugem, & de suis criminibus justam pœnitentiam peragat. Vel redundat in pœnitentem, qui per integritatem confessionis, in qua scelerum suorum conscios aperuerit, plenam peccatorum remissionem ministerio clavium adipiscitur. Et hac in parte tam propter utilitatem propriam, quàm propter necessitatem sacramenti integritatem exigentis, pœnitens consciorum personas exprimere tenetur, ut postea videbimus.

Neque credendum est, eum peccaturum esse, qui propter privatam animæ suæ utilitatem præcisè declararet, ut v. g. consilium peteret ab Confessario, quo pacto sese ab complicis suggestionibus liberaret, atque ita peccandi occasionem effugeret.

Quemadmodum enim non peccaret is, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ oblatam ab aggressore vim repellendo eum lethalis flagitii reum enecaret, ita non peccat, qui complicis personam in confessione declarat, licet aliquod malum per accidens ex eâ declaratione consequatur. Una est enim & pervulgata Theologorum sententia, cum omni culpa vacare, qui contendit ad aliquod bonum, ex quo per accidens dumtaxat & ex occasione malum aliquod oriatur.

Præterea nulla potest afferri ratio, quæ hanc complicis declarationem in confessione illicitam esse demonstret: si enim afferretur quæpiam, vel peteretur ab lege naturali divina, quæ proximum in infamiam adducere prohibet, vel ab sigillo quod ista complicis revelatione violaretur. Sed neutra ejusmodi rationum complicis revelationem ipsi tum complici, tum pœnitenti saluberrimam evertere potest. Non prima: nusquam enim jus naturale divinum infringitur, nisi vel ipsi Deo vel proximo injuria inferatur, quod quidem in præsentem casum cadere non potest: complicis enim persona in confessione sacramentali declaratur, ut revertatur ad Deum, eumque ex toto corde & ex totis viribus diligat, atque ita ad æternam salutem perveniat: quem finem complicis personam revelanti propositum nemo nisi divinæ charitati consentaneum, atque adeo sanctissimum judicaverit. Unde perperam sunt ratiocinati, qui aliter senserunt. Cùm enim asseruerunt legem de non infamando proximo esse naturalem divinam, legem autem quæ confessionis integritatem præcipit, esse divinam positivam, atque adeo pœnitentem debere potiùs circumstantiam quæ ad confessionis integritatem pertineret, reticere, quàm famam proximi complicem revelando violare: siquidem dum jus divinum naturale cum divino positivo concurrit, divinum positivum divino naturali cedere oporteat. Cùm, inquam, hæc asseruerunt, optimè essent philosophati, nisi eam complicis revelationem ad procurandam ejus emendationem & salutem accommodatam juri naturali divino adversari præposterè credidissent. Perinde enim sunt allucinati ac is, qui virum amici sanitatem, occultum ejus morbum medico revelando procurantem, jus naturale divinum infringere contenderet.

Ex dictis patet, nihil proximi famam violari ab eo, qui conscios in confessione sacramentali declarat: sunt enim multi casus, in quibus citra culpam possunt etiam occulta proximorum flagitia declarari.

Primus est, cùm quis novit virum nefarium patriæ perniciem nefariè molientem, vel parricidam jam multorum cæde & sanguine aspersum, & plures adhuc interficere parantem, eumque accusat apud judicem delatione juridica, vel tantùm monitoria. Et hæc accusatio legitima est, & juri naturali divino bonum publicum privato anteferendum admonenti, consonat. Potest etiam moneri privatus, ut sibi caveat ab tali sicario, qui ejus necem meditatur: nec propterea in obtrectationis aut maledicentiæ crimen incurret, qui Magistratum monuerit de crimine, quo quis aliquam urbem labefactare, aut aliquem privatum è medio tollere machinatur. Docet enim lex divina naturalis, cohibenda esse crimina, & suppliciis coërcenda, ne serpant latiùs, & ad id ex animo omnes & singulos homines incumbere oportere.

Cùm igitur lege naturali divina liceat occulta improborum crimina politicis patefacere judicibus, ut ea comprimant, an ipsa illa consciorum & criminum accusatio monitoria dumtaxat habebitur illicita in pœnitentiæ tribunali, in quo sedent Sacerdotes ut judices, tum ad exploranda pernoscendaque pœnitentium flagitia, & quoquo modo seu admonitionibus seu satisfactionibus pro numero & gravitate criminum impositis, seu precibus compescenda, divinitus constituti?

Secundus est casus, in quo declaratio criminis occulti citra maledicentiæ crimen fieri potest. Est tibi quis amicissimus, pro comperto habes, illum ab malevolo quopiam ex insidiis enecatum iri, nisi quis nefarium illud consilium clanculum præmonendo anteverterit; potes monere, ut sibi ab insidiis ejus sicarii, quem nominabis, caveat, etiamsi rescias amicum tuum nihil non effectum ire, ut ille pertrahatur ad subsellia judicum, & tandem capitali supplicio mactetur.

Tertius est. Titius vult Mæviam in conjugem asciscere, Titii familiaris ab optimis viris & fide dignissimis accepit, Mæviam meretriciam egisse vitam, quantacumque castimoniæ laude præstare videatur: an peccabit Titii familiaris citra scandalum retegendo dedecora & libidines quibus Mævia sese dehonestavit? adeo non peccabit ut sese laudabiliter habiturus sit, prohibendo ne meretrix occulta suam suo amico aspergat infamiam. Cui officio si deesset, amicitiæ leges dubio procul infringeret.

Quartus est casus, in quo occultorum criminum declaratio omni culpa vacat. Nonnullæ familiæ gentilitiis quibusdam vitiis, aut etiam personalibus laborant: vult quispiam ex consanguineis, ex affinibus, ex popularibus & amicis meis cum una ex ejusmodi familiis affinitate sese devincire; ea vitia perspecta habeo & cognita: ea patefaciam amico citra scrupulum, ut eum ab ejusmodi consilio deterream. Ea vitia ejusmodi familiis insita citra culpam retegere possum in gratiam amici, multò magis morbos, putà lepram, morbum comitialem, & alios id genus in prolem transfundi solitos aperire potero, ne fortè quis ex familiaribus meis cum personis ex aliqua ejusmodi familiarum oriundis matrimonium contrahat, atque ita liberos vel leprâ, vel inusitato quopiam morbi genere conflictatos suscipiat.

Si in hisce casibus licebit occulta patefacere crimina, quidni ipsum licebit in pœnitentiæ tribunali, in quo misericordia & veritas obviaverunt sibi? misericordia quidem, ut crimina & agnosceret & ignosceret; veritas autem, ut ea quantum pertinet ad pœnitentium & consciorum salutem, sine ulla tergiversatione, aut dissimulatione fideliter aperiret.

Ex his patet, primam illam rationem nihil prohibere posse, nec debere, quominus consciorum personæ declarentur in confessione sacramentali, dummodo hæc revelatio in pœnitentium vel consciorum utilitatem & salutem probabiliter abitura videatur.

Altera ratio ab sigilli violatione repetita, eâdem, quâ prima, facilitate refellitur. Nam pervulgata est omnium Theologorum sententia, nunquam violari sigillum confessionis ab Sacerdote, qui ob finem bonum & laudabilem utitur notitiâ per confessionem comparatâ, modò pœnitens, à quo eamdem illam notitiam accepit, hanc illi facultatem fecerit, ut ait Suarez disput. 34. sect. 4. ubi hanc materiam uberiùs pertractat. Potest Sacerdos de eadem pœnitentis licentia conscium deferre ad superiorem velut ad patrem, non ut ad judicem, ut clanculum & sensim sine sensu ipsi conscio subducat omnem peccandi occasionem. Ita tamen sese Sacerdotem hac in parte gerere necesse est, ut si noverit vel conjecerit superiorem, utpote virum acrem & ferocem, minùs prudenter illâ suâ complicis revelatione usurum, eumque complicem duriùs & asperiùs habiturum esse, nihil ei retegat: sin verò cum illo paterno acturum animo rescîat, prudenter & affectu Christiano complicis personam aperiat, si præsertim istud complicis peccatum serpat latiùs, nec aliud illi remedium adhiberi possit.

Dicam ampliùs: licet etiam de illa ipsa pœnitentis licentia conscium sceleris admonere, fraterno affectu corripere, & prohibere pro viribus, ne vel pœnitenti vel alteri cuilibet detrimentum aut injuriam inferat. Hanc sententiam sunt amplexi graves quique Theologi. S. Thomas opusc. 12. q. 6. S. Antonin. 2. p. tit. 14. c. 19. §. 11. Capreolus in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 8. Soucinas, Adrianus q. 1. de confess. §. *Sed oritur.* Sylvester v. *Confess.* 1. q. 24. & alii quos apud alios Authores videre est.

Respondeo 2°. teneri aliquando pœnitentem conscium revelare Confessario propter confessionis integritatem, tametsi Confessarius ex ea revelatione expressam conscii notitiam sit adepturus, nec ullus inde fructus vel ab pœnitente, vel ab complice, vel ab quolibet alio percipiendus appareat.

Hanc opinionem quam communiter amplectuntur Theologi, esse sequendam in praxi, dubitat nemo, cum præsertim ratione complicis peccatum mutat speciem, vel complicis persona peccatum notabiliter aggravat aut minuit. Tunc enim conscii revelationem confessionis integritas exigit. Ejus rei probationes peti possunt ex cap. 43. Concilii Triburiensis, & ex cap. 62. Wormaciensis, ex Ivone Carnot. Decreti p. 9. de pœnitent. & correct. incest. ubi reperies plurima hanc in rem à cap. 70. ad 80. sicut & apud Gratian. 35. q. 1. c. 9.

Præterea hæc sententia plures Theologos habet authores: sed quia S. Thomas eam omnium plenissimè explicavit, verba ejus hic ascribere non pigebit. Sic igitur ille in opuscul. 33. aliàs 12. ad Lectorem Bisuntinum solvit, quæst. 6. utrum scilicet debeat quis declarare personam cum qua peccavit. *De expressione autem persona cum qua aliquis peccavit*, ait, *videtur mihi quòd non sit in confessione facienda, quando potest vitari.*

Primò quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam, est peccatum, quod maximè vitandum est in confessione, per quam quis quærit præterita peccata delere.

Secundò, quia à Domino Matth. 18 15. est forma denuntiandi peccatum proximi præscripta, contra quam agere non licet.

Tertiò, quia in confessione est credendum peccatori confitenti pro se & contra se, sed contra alium nullo modo est ei credendum; alioquin daretur multis occasio ficta confessionis & fraudulenta infamationis. Et ideo si potest speciem peccati confiteri, non innotescendo personam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, nisi fortè salvato correctionis ordine quem Dominus statuit. Si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem exprimat personam; sed si fieri potest, debet quærere talem Confessorem qui personam sororis penitùs non cognoscat. Hæc ibi S. Thomas.

S. Doctor idem habet ad dist. 17. lib. 4. Sentent. ubi docet, in casibus, in quibus ex complicis revelatione in confessione sacramentali factâ pœnitenti vel Confessori damnum animæ vel corporis vel famæ probabiliter immineret, pœnitenti esse petendam facultatem alteri confitendi, quam si obtinere nequeat, illum debere confiteri reliqua omnia sua peccata, & illud quod ad complicis revelationem obligaret, reticere cum proposito illud confitendi, ubi primum impedimentum cessaverit.

Idem tenent Altissiodorensis & Joann. Major dist. 17. q. 15. & Hostiensis de pœnit. & remission. cap. *Omnes.* n. 22.

QUÆSTIO XXVIII.

Utrum confessio sacramentalis debeat esse vera, & quale peccatum admittant, qui inter confitendum mentiri non dubitant.

RESPONDEO, oportere confessionem sacramentalem esse veram.

In quo posita sit illa veritas, præclarè explicat S. Bernardus serm. 40. de diversis, his verbis: *Quintus gradus est confessio oris; post cognitionem sui, post pœnitentiam mentis, post dolorem cordis sequitur confessio oris: sed & ipsa triplex est, si virtutem salutis assequitur. Debet enim esse vera, nuda, & propria; veritatem quærit Altissimus; & nos va'et falli, qui fallere non intendit? Novimus, plerosque & experti sumus, qui ad confessionis gratiam venientes, magis onerati quàm liberati à peccatis ad suam conscientiam redierunt. Dicunt enim, si Clerici, ea quæ litterario; si milites, ea, quæ gladiatorio gessere conflictu: ut sub humilitatis pallio superbiam inducant, in tanto se signaculo condemnantes, sub quo totius humanæ salutis summa consistit. Ad hoc enim confitentur, ut saltem specie videantur confessi. An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cùm Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum, & gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? Illa verò confessio vera est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur, sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, & totius absconsionis exutam velamine: quid enim prodest partem peccatorum dicere, & partim celare? ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deservire? Numquid de uno eodemque vase dulce & amarum, sapidum & insipidum stillare potest? Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei, & eu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet sacramento? Ostende & denuda quæcumque cortuum dilaceraverant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum, si non in duplicitate: quia væ illis qui loquuntur in corde & corde,* &

& terram duabus viis ingrediuntur. Debet autem esse propria: sunt plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena verò perpetua memoriæ commendaverunt. Infælices & miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua. An non legisti quia justus in principio sermonis accusator est sui? sui, dicit Scriptura, non alterius. Hactenus Bernardus.

Quod spectat ad alteram quæstionis partem, quale scilicet peccatum admittant, qui in confessione sacramentali mentiri nihil dubitant, eam aliquot conclusionibus explanari necesse est. Sit itaque

Prima conclusio. Si quis in confessione sacramentali mentiatur respectu peccati venialis, illud affirmando vel negando esse commissum, venialiter dumtaxat peccat. Ita sentiunt passim Doctores. Ita Sylvester v. *Confessio.* 1. q. 8. Dominicus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Petrus Soto lect. 10. de confess. Cùm enim illud mendacium admittatur in materia levi, & non necessaria, nec est perniciosum, nec cuiquam gravem infert injuriam; ideòque grave peccatum existimari nec potest nec debet.

Nec est quòd quis dicat, illud mendacium videri mortale, eo quòd sicut mendacium etiam levissimum, si juramento affirmatum fuerit, est peccatum mortale, ob injuriam divino nomini per istud perjurium illatam: ita etiam vel leve mendacium in confessione sacramentali admissum, erit peccatum lethale, quippe quod gravem injuriam & Deo & sacramento inferat. Verùm aliter de perjurio, & de levi mendacio in confessione admisso philosophari necesse est. Nam tota quantacumque est istius perjurii enormitas & deformitas, refunditur in Deum, quippe qui tanquam falsus testis & falsitatis author, vel certè fautor adhibeatur, quâ injuria nulla major Deo irrogari potest; mendacii autem levis deformitas recidit partim in confitentem, partim in Confessarium, qui quidem in re ad exercendum rite judicium nihil necessaria decipitur.

Secunda conclusio. Licèt veniale tantùm sit mentiri circa venialia, etiamsi ea tanquam materia sacramenti clavibus subjiciantur; (si modò aliunde vera & necessaria absolutionis materia suppetat) peccaret tamen lethaliter, quisquis circa venialia, de quibus solis confiteretur, mendacium admitteret: subduceret quippe materiam sacramento debitam, cui formam applicari necesse est, atque ita sacramentum irritum faceret, & præterea teterrimo sacrilegio violaret. Nunquam enim sacramentorum forma, nisi ad debitam materiam adhiberi potest & debet: alioquin lethale sacrilegium committitur. Quod non fit in mendacio circa venialia in confessione sacramentali admisso: quanquam enim sit sacrilegium, tamen ratione parvitatis materiæ (quod & in cæteris peccatis lethalibus accidit) veniale est dumtaxat, non lethale, ut rectè edisserit Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. §. *At quoniam.* Quemadmodum igitur peccaret lethaliter, qui ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum panem hordeaceum pro triticeo supponeret; ita etiam se lethali flagitio constringit, qui formæ cuilibet sacramentali falsam materiam, atque adeo nullam subjicit.

Tertia conclusio. Peccatum lethale admissum negare, seu celare in confessione sacramentali, aut sese de illo tanquam admisso accusare, quod tamen admissum non est, esse mendacium per se lethale, uno ore affirmant Theologi. Et ratio est manifesta: quia cùm quodlibet peccatum lethale sit necessaria confessionis sacramentalis materia, circa quam Sacerdos duplex judicium, discretionis scilicet & taxationis, ut antea diximus, exercere debet, non potest eum pœnitens, vel celando lethale peccatum admissum, vel non admissum confitendo, decipere, quin sese lethali flagitio devinciat. Neque enim fas est legitimo judici in re gravi, quæ ad sententiam ex justitia proferendam pertineat, imponere: hoc enim omnem judiciorum rationem & æquitatem subverteret.

Quomodo autem hac in re se gerere debeat Confessarius, docet Gerson Cancellarius Parisiensis, quem Joannes Major ait vocatum esse Doctorem Christianissimum, & appellat virum nunquam satis laudatum.

In secunda parte Operum in tract. de arte audiendi confessiones, in considerat. 10 fol. 305. sic penè loquitur: *Quærat Sacerdos à confitentibus num velint expurgari penitus ab omni suo crimine, & quòd nisi hoc velint, licet eis recedere, & abire, ne tempus incassum, imò noxiè detineant. Si volunt, debent igitur juvare se, & hoc meliùs & celeriùs fieri nequit, quàm si ad interrogata verè & ex animo responderint. Si verò deprehendantur velle mentiri, & celare, ut sæpe fit, per discretum Confessorem vehementiùs & acriùs arguantur, & compellantur statim veniam flagitare de admisso flagitio: quod ubi sincerè præstiterint, iterum blande & leniter sunt admonendi, ne ullo deinceps mendacio suam confessionem inquinent. Si verò bis, aut ter de integro mentiti fuerint, poterunt remitti, & differri usque ad tempus alterum, injungendo ut meliùs & sinceriùs suæ saluti consulant.* Hæc ille.

Sed pace tanti viri dixerim, ejusmodi homines circa peccata lethalia in confessione bis aut ter mentiti, non solùm possunt, sed & debent remitti, & iis debet reconciliationis gratia denegari. Quid enim indicant duo illa aut tria mendacia circa debitam sacramento materiam repetita, nisi ejusmodi homines adhuc mendacio, atque adeo mendacii patri Diabolo mancipatos, esse prorsus indignos, qui assequantur peccatorum remissionem, donec eos ab veritate liberatos esse per aliquot pœnitentiæ opera & emendationis indicia constiterit.

Quarta conclusio. Quisquis de industria circumstantiam mutantem peccati speciem, aut peccatum notabiliter aggravantem, in confessione sacramentali reticet, peccat mortaliter: quia prohibet quantum in se est, ne Sacerdotes pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum rectam legitimamque sententiam pronuntient: quippe qui incognitâ causâ, quam illis pœnitens jure divino accuratissimè patefacere debet, judicium hoc, ut oportet, exercere nequeant.

Quinta conclusio. Mentiri quibusdam in rebus ad sacramentalem confessionem nihil pertinentibus, est tantùm veniale: cùm enim illæ res ad sacramentum nihil pertineant, qui mentitur in ejusmodi rebus, non mentitur in confessione propriè loquendo, nec plus peccat, quàm si in alia qualibet occasione mendacium aliquod jocosum aut officiosum proferret.

Sexta conclusio. Ut sit vera confessio, peccata dubia, ut dubia sunt declaranda. Hanc doctrinam tradit S. Thomas in Supplem. q. 6. art. 4 ad 3 *Dicendum,* ait, *quòd quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri: non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis exspectare, cujus est discernere inter lepram & lepram.* Hæc ibi.

Vult hoc loco S. Thomas, hominem dubitantem, sive de facto, hoc est, an illud quod memoriæ recurrat, lethale flagitium admiserit, vel an illud Confessario aperuerit; vel de gravitate facti, hoc est utrum illud ipsum quod recordatur, sit lethale; debere illud confiteri, eo quòd alioquin sese aliquod necessarium omittendi periculo exponeret, & sic mortaliter peccaret. Ut igitur his in rebus lethale

flagitium effugiat, debet peccata dubia, id est de quibus dubitat, utrum ea commiserit, confiteri ut dubia, non ut certa, quicquid dicant nonnulli, qui ejusmodi confessionem, in qua peccata dubia, ut certa declarantur, humilitati esse ascribendam existimant, quod est absurdum pariter & falsum. Licèt enim S. Gregorius Epistol. lib. 12. in respons. 10. ad August. dixerit bonarum mentium esse etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est; quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa, non propterea credendum est, etiam humilitatis gratiâ peccata dubia ut certa posse declarari. Nam illud S. Gregorii pronuntiatum duplicem sensum habere potest: uno modo ut intelligatur quantum ad substantiam actûs, & sic non est verum: non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commisisse agnoscat, quem non commisit. Alio modo quantum ad conditionem actûs; & sic verum est quod Gregorius dicit, quia justus in actu, qui de se bonus, formidat ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et sic dicitur Job 9. *Verebar omnia opera mea.* Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem quam *corde tenet, linguâ accuset*, ut loquitur S. Thomas in Supplem. q. 6. art. 4. ad 1. Humilitas ergo quæ stare non potest à partibus falsitatis, ut rectè docent S. Augustinus hom. 29. de verbis Apostoli, & S. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 2. non patitur peccata dubia ut certa declarari: illa enim esset simulata confessio, & propè abesset ab ea quam S. Bernardus inter duodecim superbiæ gradus annumerat.

Cùm verò quis dubitat de suis peccatis, an mortalia sint, an venialia, confiteatur ea sincerè, & ea dijudicanda Confessario relinquat: si autem Confessarius sit imperitus, ad illum perspectâ ejus imperitiâ adire non debuit; si tamen bona fide adiit, asserat se dubitare, an mortalia, an venialia sint peccata de quibus confitetur. Cùm verò dubitat an quædam peccata animo recursantia Confessori aperuit, illa confiteri debet, ita ut dicat, si libet se dubitare utrum aliàs ea confessus fuerit.

Quæ hactenus dicta sunt, de veris dubiis sunt intelligenda, in quibus neque in unam, neque in alteram partem resolutio fieri potest. Debet igitur qui dubitat, an sua peccata confessus fuerit, ea confiteri: nec est cur dicat quispiam, meliorem esse conditionem possidentis, atque adeo eum non debere confiteri peccata, de quorum confessione dubitat. Nam 1°. etsi de peccato dubitet, certus tamen est, vel esse debet, se ad illius confessionem teneri. 2°. Regula hæc, Qui dubitat, non tenetur se accusare de peccato, de cujus confessione dubitat, quia melior est conditio possidentis, hæc, inquam, regula in iis dumtaxat casibus valere potest, in quibus peccatorum declaratio in cujuspiam detrimentum vergeret; quod quidem cùm in sacramentali confessione locum non habeat, ea peccata de quorum confessione dubitatur, Sacerdoti necessariò sunt aperienda.

Septima conclusio. Peccat ille graviter contra veritatem confessionis, qui non vult confiteri lethale factum, cujus ipse Sacerdos testis oculatus extitit. Ideoque ejusmodi viro sacramentalis absolutio deneganda est citra scandalum. Nemo enim nescit peccatori indignè pariter & occultè sacramentum petenti, denegandum, neque ullo pacto concedendum, nisi perversam peccandi voluntatem penitus illum abjecisse per idonea indicia constiterit. Quod certissimum est & servandum in praxi, cùm Confessarius omnino certus est; pœnitentem mentiri circa peccatum mortale, circa casum reservatum, aut aliquid grave. Non enim possunt peccatorum remissionem in sacramento pœnitentiæ consequi, qui in eodem ipso sacramento Spiritui sancto, ut olim Ananias & Saphira, mentiuntur. Præterea sine teterrimo sacrilegio nemo Sacerdos ministrare potest sacramentum homini illud indignè, putà cum mendacio aut peccati lethalis affectu petenti, quippe qui peccatorem sacramentum indigna susceptione polluere molientem, ceu sacrilegus dispensator adjutaret.

Id ipsum faciendum est erga pœnitentem, quem Confessarius in statu & affectu peccati lethalis esse certò ac per seipsum rescierit, tametsi pœnitens id inficiari velit. Et id servandum præsertim erga fœneratores, adulteros & alios id genus homines, obstrictos iis criminibus, è quibus vel rarò vel nunquam emergitur.

Observandum tamen est, aliquando fieri posse, ut pœnitens semel aut iterum in lethale flagitium incurrerit, & illud præ pudore alteri cuipiam Sacerdoti ignoto confiteri voluerit, & ab eodem omnino crimine recesserit: qua de re si certior fieret Confessarius, non est dubium, quin viro post ejusmodi confessionem bene animato, reconciliationis gratiam impendere oporteret.

Verumtamen hac in parte Sacerdotem non prudentiam carnis, quæ mors est, adhibere, sed prudentiam spiritûs, quæ est vita & pax ab ipso Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improbrat, flagitare necesse est.

Eamdem ipsam confessionis veritatem infringeret pœnitens, qui ab Sacerdote interrogatus de criminibus, de quibus esset accusatus ab altero conscio paulò antè apud eumdem Sacerdotem confesso, ea confiteri renueret: quia Sacerdos de licentia pœnitentis complicem revelantis, eumdem complicem de ejusmodi criminibus, de quibus accusatus est ab socio, interrogare & potest & debet, modò id prudenter agant, & absit revelationis periculum. Neque enim dici potest confessionis sigillum eo pacto violari, cùm sigillum infringi nequeat, quoties de licentia pœnitentis revelatur occultum aliquod proximi peccatum ei personæ quæ prodesse, non obesse, imò ejus saluti insigniter consulere valeat. Unde Confessarius, qui pro comperto haberet, & hoc per se ipsum certissimè sciret, eum hominem revelatis sibi criminibus obstrictum esse, nec ea confessum, posset & deberet dimittere, utpote gratiâ reconciliationis indignum: quippe qui perpetrata à se flagitia Sacerdoti patefacere recusaret. Id maturo judicio & singulari prudentia citra scandalum factitandum esset, ne apud infirmos sacramentum pœnitentiæ, jam cum pœnitentium verecundia conjunctum, in odium adduceretur.

Hæc praxis hac ipsa conclusione septima stabilita, fundamentum habet in Canonibus olim in materia simillima conditis, quibus sancitum est, ne Episcopus, qui resciierat cujuspiam crimen vel per seipsum, vel per ipsum reum de suo illo crimine confitentem, eum vel ad pœnitentiam publicam adigeret, vel ab cœtu fidelium juridicâ sententiâ segregaret, sed secretis admonitionibus ad pœnitentiam incitaret.

Ita statutum est in Concilio Vasensi can. 8. qui sic habet: Quòd si tantùm Episcopus alieni sceleris se conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret. Hunc canonem recitat Ivo Carnot. Ep. 97. & Agathensi Synodo attribuit.

Hanc doctrinam luculenter explicat S. Aug. sermon. 16. de verb. Dom. in Evang. secund. Matth. cap. 8. *Sic agamus. & sic agendum est, non solùm quando in nos peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere: quid si inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere: at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pæni-*

tentiam : hac charitate praditi esse debemus.

Hæc Augustini verba liquidò declarant, hominem conscium sceleris soli Episcopo cogniti, esse secretis correptionibus admonendum, nec reconciliandum, donec justam pœnitentiam peregerit. His positis, quis jure succenseat Confessario, qui homini peccatum lethale, cujus ipse spectator fuit, pernegant, reconciliationis gratiam denegat ; eo animo ut perpetratum crimen sacrilego mendacio cumulatum agnoscat non solùm, verùm etiam per sinceram compunctionem & pœnitentiam deleat ?

Eodem ipso capite laudato S. Augustinus aperit viam alterius casûs solutioni peropportunam : hanc solutionem scilicet attulimus. Conscius alicujus criminis, de quo ab altero conscio est accusatus in confessione sacramentali, potest de eo crimine interrogari ab Sacerdote secundùm ejus rei facultatem sibi ab pœnitente factam, ita ut si illud ab se commissum negaverit, remitti debeat, sicut omnes alii sacramentali absolutione penitus indigni. Sic ergo loquitur S. Augustinus : *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant aliquando, nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus in palam, sed in secreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum ; non tamen vulnus illud negligimus : ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum, quod aliquando qui committunt, nescio qua perversitate contemnunt.*

Si ita se gessit Augustinus extra sacramentum, an se aliter gereret in ipso sacramento ? nonne hominem apud se accusatum interrogasset ? an crimen confiteri renuentem absolvisset ? Nullatenus. Idem ergo ab Confessario quolibet faciendum est, ne ministerii culpabili negligentia vel indulgentia violati reus habeatur.

Huic illustrandæ solutioni non parum proderit canon 7. Concilii Carthag. V. relatus ab Balsamone c. 133. & 134. item ab Burchardo lib. 19. c. 127. item ab Ivone p. 5. c. 363. item ab Gratiano 6. q. 2. c. *Placuit*. Est autem ejusmodi : *Placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen esse confessum, atque ille neget, & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere. quòd illi soli non creditur ; & si scrupulo propria conscientia se dicit neganti nolle communicare, quandiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.*

Eumdem Canonem refert Burchardus loco proximè laudato, & post hæc verba, *neganti nolle communicare*, subdit ista, *secret: tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Ex allato Canone & Burchardi verbis duo colligere est, quorum primum est, pœnitentem conscium criminis soli Episcopo cogniti, quod fateri noluerat, non potuisse ad publicam pœnitentiam adigi, nec ab fidelium communione segregari : secundum est, ipsi pœnitenti suum crimen pernegantí privatim interdictam esse communionem, donec Episcopo per admissi criminis confessionem obtemperaret.

Idem omnino in proposito casu faciendum esse nemo non videt. Negat enim quis crimen, & eo solo nomine indignus est, qui ministerio clavium, peccatorum remissionem assequatur, & ideo potest eum Sacerdos secretò ab corporis & sanguinis Christi communione ablegare, donec pœnitentiam suorum criminum immanitati & multitudini respondentem, ex docti Confessoris judicio peregerit.

Quòd si peccator animo pervicax illi parere recusaverit, sesque communioni publicè ingesserit, vetera peccata novo cumulabit sacrilegio, ita tamen ut à communione prohiberi nequeat. Nam, ut ait S. Augustinus hom. ult. ex 50. *Nos verò à communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Hæc Augustinus.

Ex cujus doctrina certum est, occulto peccatori publicè ad sacramentum Eucharistiæ accedenti, Christi corpus porrigi oportere, licèt eum Sacerdos ipse tanti sacramenti accessu prohibuerit. Et id cum dolore quidem ferre debet Confessarius, quòd peccator adhuc peccatorum lethalium vinculis irretitus Christi corpus sacrilega communione violare audeat; sed aliunde solatium ingens haurire poterit, quòd suo perfunctus officio, animam suam liberaverit. Tunc recordari debet Christum Dominum, qui eadem ipsa nocte, & cœna quâ corpus suum Apostolis epulandum apposuit, illud quoque proditori, sicut & cæteris porrexit. Ergo nos Christi Domini mansuetudinem imitari par est ; siquidem nocentem Judam usque ad condignum ejus exitum toleravit, & eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit, ut loquitur S. Aug. Epist. 48.

Et hactenus de necessitate confessionis, de integritate, de veritate, pro nostro modulo egimus ; & ideo transire necesse est ad Sacerdotem, qui est sacramenti pœnitentiæ minister ordinarius, & inquirendum quibus dotibus fulgere debeat, ut hoc arduum & operosum confitendi munus in ædificationem corporis Christi exercere valeat. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXIX.

Vtrum solus Sacerdos confessionem sacramentalem excipere, & pœnitentem absolvere possit, & quis dicatur proprius Sacerdos.

RESPONDEO 1°. esse de fide, solum Sacerdotem in Ecclesia Catholica rite ordinatum posse sacramentalem confessionem excipere, & pœnitentes ab peccatis in ea sibi declaratis absolvere. Hanc propositionem esse de fide, Scriptura, Concilia, atque adeo tota traditio contestatur. Scriptura quidem Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. quæ verba ad Sacerdotes, id est ad Apostolos eorumque legitimos successores Episcopos, & alios secundi ordinis Presbyteros pertinentia, atque adeo quoslibet alios, qualescumque sint, ab sacro confitendi absolvendique ministerio excludentia, nostram hanc propositionem continere & asserere constans & perpetua sanctorum Patrum interpretatio declaravit: ut videre est apud Ambros. lib. 1. de pœnitent. cap. 2. apud S. Leonem Epist. 91. apud S. Joann. Chrysostom. lib. de Sacerdotio, & apud alios quos recitant quotquot ad controversias inter nos & hæreticos obortas animum appulerunt.

Id ipsum Concilia declararunt. Nam in Concilio Constantiensi præter alios Joannis VViclef errores, damnatus est ille, quo omnes bonos fideles, etiam laïcos, habere claves ad ligandum & solvendum asserebat. Contra quem errorem Martinus V. Decretalem edidit, in qua ait, nec ipsam Deiparam, etsi creaturarum omnium sanctissimam, hanc ligandi solvendique potestatem habuisse, cùm illa potestas nec sanctitatem requirat, nec ab ea dependeat. Ideoque ipse Martinus V. vult suspectos de erroribus Joannis VViclef interrogari, utrum credant quòd Christianus, ultra contritionem cordis habitâ copiâ Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, & non laïco seu laïcis, quantumcumque bonis & devotis.

Idem docet Concilium Florentinum. Id ipsum declarat Tridentinum session. 14. cap. 1. & cap. 6.

& ejosdem seſſion. can. 10. in hæc verba concepto : *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis; ſed omnibus & Chriſti fidelibus eſſe dictum, Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt : quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit.*

Ex his Conciliorum definitionibus, quæ traditionem ſatis ſuperque explicant, tria colliguntur.

Primum eſt, nullo caſu fieri poſſe confeſſionem ſacramentalem, id eſt ad remiſſionem peccatorum ordinatam, alteri quàm Sacerdoti, quia quilibet alius ab Sacerdote caret poteſtate ordinis, atque adeo juriſdictionis, fundata in poteſtate ordinis : ergo non poteſt ullatenus pœnitentiæ ſacramentum conferre. Siquidem eſt de fide, à nullo conferri poſſe, quin utraque, ordinis nimirum & juriſdictionis, poteſtate fulgeat. Nec obſtat quòd S. Thomas in Supplem. q. 8. art. 2. ad 1. dicit, confeſſionem laïco factam eſſe quodammodo ſacramentalem, quia id impropriè intelligendum eſt, eo quòd ejuſmodi confeſſio ſacramenti votum annexum habeat.

Secundum eſt, hominem non Sacerdotem, ſive Clericum, ſive laïcum, qui abſolutionis ſententiam proferret ſuper confeſſione ſibi facta, non ſolùm ſacrilegii reum fore, ſed etiam incurſurum eſſe irregularitatem latam in cap. *ſi quis. de Clerico non ordinato miniſtrante.* Quod affirmant Paludanus & Dominicus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 1.

Tertium, ne in extrema quidem neceſſitate conſultum eſt homini non Sacerdoti confiteri. Nam prætorquam quòd nulla neceſſitas nullumque præceptum hominem ad hanc confeſſionem adigit, peccata occulta præſertim & gravia extra ſacramentum aperiri non decet : tametſi qui ejuſmodi confeſſionem exciperet, ſecreti naturalis & quodammodo ſacramentalis vinculo teneretur. Illa enim ipſa confeſſio foret quodammodo ſacramentalis, eo quòd pœnitens Sacerdoti confiteri ardentiſſimè cuperet, ſi ejus copiam & opportunitatem nanciſceretur. Quod præclarè S. Thomas explicat Supplem. q. 8. art. 2. ad 3. ubi ait, peccata laïco declarata, eſſe Sacerdoti in confeſſione ſacramentali denuo aperienda, ut laïco confeſſus ex ipſa ſacramenti perceptione pleniorem effectum conſequatur, & ut mandatum de pœnitentiæ ſacramento recipiendo impleat.

Reſpondeo 2°. per proprium Sacerdotem, cujus mentionem facit Canon magni Concilii Lateranenſis *Omnis utriuſque ſexus*, &c. intelligendum eſſe Parochum ſeu Curatum, cui ſpecialis hominum in tali loco ſeu parochia degentium, cura demandata eſt; ita tamen ut & ſummus Pontifex & Epiſcopi qui ſunt fidelium communes & proprii Sacerdotes, ea, qua fulgent juriſdictione, ſemper polleant, id eſt ſummus Pontifex in omnes omnino fideles, & Epiſcopi in ſuos Diœceſanos acceptam à Chriſto Domino poteſtatem ad ædificationem corporis ejus, uſquequaque exercere valeant.

Quòd in eum ſenſum præfatum Canonem intelligi oporteat, oſtendit ratio. Nam neque ſummus Pontifex neque Epiſcopi ordinariè loquendo fidelium confeſſiones excipiunt, ſed Sacerdotes ad peculiarium parochiarum regimen admoti. Ergo cùm loquitur Concilium de proprio Sacerdote, cui ſemel quotannis confiteri jubet, non eſt intelligendum de ſummo Pontifice nec de Epiſcopis qui ſunt communes & proprii fidelium Sacerdotes; ſed de illo dumtaxat, qui in quempiam hominum ſibi ſubditorum numerum, immediatam juriſdictionem habet. Qui ideo dicitur proprius, quod proprias oves ab Eccleſia ſibi aſſignatas paſcere, regere, & fideli ſacramentorum diſpenſatione ad ſalutem æternam provehere teneatur. Item dicitur proprius, ut ſecernatur ab alieno, ad quem de ejus ovibus nihil, abſolutè loquendo, pertinet.

Primò ex præfato Canone qui ejuſmodi eſt : *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, nec ligare.*

Ex hoc Canone conſtat, proprium Sacerdotem opponi alieno, id eſt illi qui nullam habet juriſdictionem in oves proprii Sacerdotis, quas ideo nec ſolvere nec ligare poteſt, quin ab eo ſolvendi ligandique licentiam acceperit. Eſt ergo proprius Sacerdos, qui ſuarum ovium ſaltem in anno confeſſiones excipere debet, quod neque facit ſummus Pontifex, neque Epiſcopi, ſed Parochus. Ergo de illo dumtaxat canonem intelligi neceſſe eſt.

Præterea alieno confitendi facultas (quæ citra controverſiam ab ſummo Pontifice & Epiſcopis fieri poteſt) ab iis, ordinariè loquendo, non petitur, ſed ab Parocho : ergo Parochus proprius eſt Sacerdos, de cujus licentia alieno confiteri licet.

Secundò, id ipſum probatur ex Martino V. qui pontificatum tenuit anno Redemptoris 1417. qui ſic ait : *Volumus ut hi qui Fratribus confitebuntur, iidem ſuis parochialibus Sacerdotibus ſemel ſaltem in anno confiteri teneantur, prout ſtatuit generale Concilium.* Et hic locus citatur à Scholaſticis, Adriano nimirum Papa, Dominico à Soto, Medina, & aliis.

Tertiò, id ipſum affirmat Sixtus IV. qui ſedebat anno Redemptoris 1478. in Extravagante *Vices illius.* his verbis: *Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd parochiani non ſunt obligati, ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri; per hoc tamen ipſi Fratres mendicantes non cenſeantur excluſi, quominus ſecundùm juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant.*

Quæ verba ſunt veluti totidem ſcuta, quibus Parochi omnium ſibi adverſantium impetus propulſare poſſunt. Quia ejuſmodi Decretalis ſancita eſt ab Sixto IV. circa annum 1478. quo tempore Paſtores cum Mendicantibus annuæ confeſſionis proprio Sacerdoti factitandæ obligationem omnimodis evertere conantibus, acerrimè contendebant. Quæ contentiones cùm cunctis fidelibus eſſent offendiculo, ſummus Pontifex totius rei ſummam & componendæ controverſiæ provinciam duobus Cardinalibus & duobus Epiſcopis demandavit. Illi audita utraque parte, maturè librans in aientem negantemque ſententiam rationibus, omnibus compoſita tam gravi lite pacem attulerunt. Quam pacem Sixtus IV. hac condita Decretali, cujus verba mox recitavimus, firmavit, eamque omnibus alterutram partem propugnantibus perpetuò ſervari retinerique propoſitâ excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, voluit & imperavit. In ejuſmodi Decretalis obedientiam eo libentiùs conceſſere Mendicantes, quòd clariùs animadverterunt Sixtum IV. ex Minorum Ordine in Pontificem aſſumptum, ſibi hauddubiè ſuiſque privilegiis ſuffragatum ire, ſi per jus id agere licuiſſet.

Et hæc Decretalis jus commune statuit: quippe quæ corpori Juris inserta habeatur, atque adeo deroget omnibus privilegiis, quæ antea Mendicantibus ab Apostolica Sede concessa fuerant.

Per hanc Decretalem derogari omnibus privilegiis, quæ antea concessis confitetur Azorius Jesuita tom. 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 20. ita ut sint irrita privilegia, quæ Fratribus concessit Gregorius IX. anno Redemptoris 1238. Innocentius VI. anno 1245. Alexander IV. anno 1255. Urbanus IV. & Clemens IV. anno 1265. His enumeratis addit Azorius loco citato: Videtur hæc omnia Sixtus IV. revocasse in constitutione sic exordiente *Vices illius*. Unde ille ipse tom. 2. Institut. moral. lib. 3. cap. 12. in quo quærit, qua in re jus parochiale sit positum. Respondeo, inquit, hoc jus parochiæ situm in eo, 1°. ut in illa baptismum suscipiat populus. 2. ut quisque sacram in ea faciat peccatorum suorum confessionem juxta cap. *Omnis. de pœnit. & remiss.* 30. ut quotannis in Paschate ibidem communicet.

Quartò, idem astruunt Statuta synodalia Cameracensia tit. 4. cap. 1. Saltem semel in anno confiteatur plebs fidelis, confiteatur proprio Sacerdoti, id est Presbytero parochiali. Hæc ibi.

Idem affirmat Concilium provinciale Cameracense titul. de pœnit. capite 9. Idem sentit Concilium Buscoducense capite 3. de pœnitentia, mandans confessionem & communionem fieri in parochia ob statutum Ecclesiæ *Omnis utriusque sexus, &c.*

Idem declarat Concilium provinciale Rhemense anno salutis 1583. sub Gregorio XIII. & Cardinale à Guisia celebratum, tit. de pœnit. n. 5. Nemo, inquit, existimet sibi licere, cuicumque volet Sacerdoti confiteri, sed proprio tantùm Parocho. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Ex hoc canone patet, proprium Parœcum & proprium Sacerdotem idem omnino significare. Idem asserit Synodus Audomarensis capite 4. de pœnit. & omnium luculentissimè, quis sit cujusque proprius Sacerdos, explicat.

Ex his patet, quàm meritò Theologorum Parisiensium Facultas damnaverit errores Joannis Angeli Minoritæ, quos ab ipso prædicatos eidem Facultati venerabile Capitulum insignis Ecclesiæ Tornacensis anno Domini 1482. die 5. Februarii obtulerat. Hic erat

Primus error.

Fratres Minores præsentati Episcopo & admissi, sunt proprii Sacerdotes, & veri Curati, & meliùs quàm Presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à summo Pontifice, & dicti Presbyteri, ab Episcopo dumtaxat.

Quam propositionem hac censurâ notarunt Theologi Parisienses: Quicquid sit de prima parte propter æquivocationem istius termini, *proprii:* dicit tamen Facultas, quòd propositio in se, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis ultimæ, in qua dicitur, *ab Episcopo dumtaxat*, est scandalosa, in fide erronea, hierarchici ordinis destructiva, & pro conservatione ejusdem ordinis publicè revocanda & abjuranda.

Secundus error.

Parochianus confessus dictis Fratribus, satisfecit Decretali *Omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam.

Censura.

Hæc propositio ut jacet, est scandalosa, & juri communi contraria, & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ & reverentiæ observantiâ publicè revocanda.

Tertius error.

Si Curatus recuset sacramentum Eucharistiæ ministrare parochiano, eisdem Fratribus sic confesso, veniat ille parochianus ad Fratrem, qui eum audivit, & ipse sibi administrabit.

Censura.

Hæc propositio in forma in qua jacet, est falsa, & de hæresi vehementer suspecta, juri communi contraria, & publicè revocanda.

Quartus error.

Cntanis parochialis nihil debet recipere à parochianis suis pro confessione & sacramentorum administratione; secus est de Mendicantibus.

Censura.

Hæc propositio est contra dispositionem juris naturalis & divini expressam; ideo falsa, & notoriè hæretica.

Quintus error.

Curatus asserens, parochianos suos obligari, ut sibi confiteantur semel in anno sub pœna peccati mortalis, est excommunicatus; & si celebret, irregularitatem incurrit.

Censura.

Hæc propositio est falsa & injuriosa.

Easdem illas propositiones ab Fratre Clandio *Cousin* Jacobita Bellovaci prædicatas, eadem Theologorum Parisiensium Facultas denuo damnavit anno Redemptoris 1516. secundo Junii.

Eadem Facultas anno Redemptoris 1516. qualificavit propositionem sequentem in quodam oppido Sabaudiæ prædicatam, per Presbyterum sæcularem contra Fratrem Ordinis Minorum, qui contrariam publicaverat.

Hæc est propositio: Viator de jure tenetur & obligatur saltem semel in anno in Paschate suo proprio Sacerdoti confiteri, vel illi saltem cui ipse potestatem in sua Ecclesia contulit. Unde Curati non Sacerdotes non possunt dici proprii ratione jurisdictionis: Mendieantes verò dicuntur Sacerdotes, sed non proprii, cùm non habeant juridictionem; sed bene dici possunt privilegiati.

Hæc propositio est vera quoad duas primas particulas, & quoad tertiam est vera, loquendo de jurisdictione ordinaria.

Eadem Facultas damnatas semel & iterum propositiones Joannis Angeli Minoritæ ad labefactandum ordinem hierarchicum excogitatas & vulgatas, tertiâ censurâ transverberavit anno Redemptoris 1518. die sexta Maii.

Post tot tantaque testimonia Conciliorum & Theologorum constat quis sit proprius Sacerdos, cui saltem semel in anno confiteri necesse est. Verus scilicet & proprius Sacerdos, cui ordinaria in plebem sibi commissam jurisdictio competit, id est quem vulgò Curatum, seu Parochum nominamus. Unde, ut verè & theologicè loquitur Dominicus

Soto Dominicanus insignis Theologus in 4. Sent. dist. 18. art. 11. *abusus est delegatum appellare proprium Sacerdotem : proprius enim Sacerdos non nisi unico accipitur modo : idem enim est proprius, quod ordinarius, cui scilicet ex proprio officio & jurisdictione cura incumbit animarum.* Hæc ille, cui omnes cujuscumque Ordinis Theologos hierarchiæ, ut par est, addictos, assentiri & subscribere necesse est.

Cùm igitur Parochus sit proprius Sacerdos, ille ipse est, cui sua peccata in sacramento pœnitentiæ retegere necesse est, ut Canoni *Omnis utriusque sexus*, &c. obtemperetur.

Quantus autem honos proprio Sacerdoti debeatur, præclarè explicat B. Petrus Damiani Serm. 58. seu 2. de S. Andræa Apostolo, his verbis : *Cùm igitur de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipuè sit refugium tuum, cui anima tua commissa est, quem imposuit Deus super caput tuum; nec te moveat, si illiteratus sit, vel indiscretus, quia hoc ipsum signum humilitatis est qua generat confessionem. Memento quia non est potestas, nisi à Deo. Super Cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, & tu attende non ad sedentem, sed ad sedem ; ad Cathedram, non personam. Quòd si fortè vel licentiâ ejus ad alium tibi fugere permittatur, tu tamen priùs ei reveles tui cordis arcanum, quia non est plena salus, si ille fugitur aut contemnitur, cui adhærere & quem honorare debueras. Quòd si minùs tibi sufficiens videtur ejus instructio, patet ad libertatem via, ut coram alio litterato atque discreto effundas cor tuum, reservato illi privilegio suo, cui tu tuam animam commendasti.*

Hæc ille vir multò sanctissimus, qui ex proprii Sacerdotis contemptu multa mala in Ecclesiam grassari noverat. Sed de his satis.

Jam properandum est ad ea, sine quibus Sacerdos pœnitentiæ sacramentum rite ministrare non potest. Sit itaque

Quæstio XXX.

Quid sit jurisdictio ; quando Sacerdoti conferatur ; & utrum necessario requiratur, ut sacramentum valide conferat.

Tribus conclusionibus quæstionem hanc absolvo.

Prima conclusio. Cùm sit duplex potestas in Sacerdote, potestas nimirum ordinis & jurisdictionis, utramque definire operæpretium est. Potestas ordinis ad pœnitentiæ sacramentum relata, est authoritas spiritualis in actu primo remittendi peccata Sacerdoti in sua ordinatione ab Christo Domino per Episcopi ministerium collata, per quam tamen neminem à peccatis absolvere potest, nisi per jurisdictionem collatam ab Ecclesia compleatur.

Potestas jurisdictionis est, authoritas quædam in alterum tanquam in subditum, per quam Sacerdos velut judex in eum sententiam rite ferre valeat, vel ejus peccata retinendo vel remittendo ; ac proinde est potentia quædam moralis se tenens ex parte Sacerdotis : quemadmodum & jurisdictio temporalis consistit in judice, & non solùm se tenet ex parte materiæ quæ sit illi subjecta.

Potestas jurisdictionis ab eruditioribus Theologis secatur trifariàm, nempe in ordinariam, delegatam & subdelegatam.

Ordinaria jurisdictio ea est, quæ ab Apostolorum temporibus ad nos usque per legitimam, nec interruptam Episcoporum aliorumque Pastorum successionem transmissa, residet in iis dumtaxat, quibus animarum cura & regimen ex officio competit. Talis est summi Pontificis in omni Ecclesia jurisdictio : ejusmodi est Episcoporum authoritas in sua diœcesi ; denique est potestas omnium Parochorum in parœciis, ad quarum gubernacula sunt admoti.

Delegata jurisdictionis potestas ea est, quæ cuipiam ab eo qui ordinariam habet, immediatè tribuitur. Hæc etiam subdelegata dicitur, licèt ad majorem rerum perspicuitatem definiatur subdelegata potestas, ea, quæ ab eo qui delegatam habet potestatem cum jure subdelegandi, non proprio, sed Ordinarii delegantis nomine, attribuitur.

Secunda conclusio. Jurisdictionis potestas cuipiam tribuitur vel per pastoralis beneficii collationem, vel per facultatem excipiendarum confessionum ab Ecclesia conferri solitam : ita ut in ordinatione ea jurisdictionis potestas non conferatur. Nam tametsi Apostoli præter potestatem ordinis quam acceperunt à Christo per hæc verba, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. acceperint etiam jurisdictionis potestatem per ista : *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* ; non quidem præcisè vi ejusmodi verborum, sed ex peculiari Christi intentione declarata per missionem, quâ eos Apostolica potestate præditos misit in omnem terram. Licèt, inquam, utraque illa potestas Apostolis ab Christo eos in totum terrarum orbem mittente collata fuerit : non propterea asserendum est, utramque, ordinis nimirum & jurisdictionis, potestatem Sacerdotibus in ordinatione conferri ; tametsi eis dicat Episcopus : *Quorum remiseritis peccata*, &c. Non enim tunc mittuntur ordinati Sacerdotes ; neque velut Apostoli, Doctores & Pastores constituuntur, sed accipiunt potestatem ordinis ad remittenda peccata necessariam, super quam fundari possit potestas jurisdictionis, quam Ecclesia suo tempore iis est collatura.

Nec obstat quòd ipsi Sacerdotes per ea verba, *Quorum remiseritis peccata*, &c. in persona Christi ab Episcopo prolata judiciariam potestatem accipiant. Nam licèt in sua ordinatione absolvendi potestatem accipiant, ejus tamen usum habere nequeunt, quin ad illam altera potestas, nimirum jurisdictionis, accesserit. Neque enim ullum judicium sine jurisdictione exerceri potest, nec ipsa jurisdictio exerceri sine subditis, in quos exerceatur. Et hac de causa ordinati Sacerdotes acceptam in ordinatione absolvendi potestatem ad usum transferre nequeunt, quin assignentur eis subditi, quorum peccata clavium ministerio retinere vel remittere valeant.

Tertia conclusio. Jurisdictionis potestas ita necessaria est Sacerdoti confessiones excipienti, ut si illa caruerit, neminem penitus in sacramento pœnitentiæ absolvat.

Hanc conclusionem verbis tam apertis & expressis docuit Concilium Tridentinum, ut eam nemo citra impietatem vel impugnare, vel in dubium revocare possit. Sic enim loquitur sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione. *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur ; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem non habet.*

Ex his sacrosanctæ Synodi verbis colligere est.

Primum, hanc nostram conclusionem inconcussa divinæ traditionis authoritate niti, cùm id quod explicat, affirmante sacra Synodo, semper in Ecclesia persuasum fuerit.

Secundum est, absolutionem datam ab Sacerdote nullam jurisdictionem habente, & irritam & illicitam & invalidam esse. Nemini enim latet, ab homine qui nulla judicandi authoritate polleat, quod

cùm cadat in Presbyterum jurisdictionis potestate destitutum, necessariò conficitur, ejus absolutionem nullius momenti existimandam esse. Unde concludendum est, quemlibet Sacerdotem non esse ministrum sacramenti pœnitentiæ, sed eum dumtaxat qui habet authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris, ut loquitur Concilium Florentinum.

Tertium quod colligitur ex his Concilii verbis, est, supponi ab ipso Concilio tanquam indubitatum, esse aliquem licèt Sacerdotem, qui tam ordinaria, quàm delegata jurisdictione careat. Quod & infertur ex laudato toties Canone *Omnis utriusque sexus, &c.* Dum enim affirmat, alienum Sacerdotem non posse absolvere sine licentia proprii Sacerdotis, supponit necessariò alienum Sacerdotem carere ordinaria jurisdictione, quæ proprio dumtaxat Sacerdoti convenit: supponit etiam, jurisdictione delegata carere.

Ita docet S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc. 4. At dist. 19. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. & 2. 2. q. 39. art. 3. 10 c. ubi ait, *duplicem esse spiritualem potestatem; unam quidem sacramentalem, aliam jurisdictionalem. Sacramentalem asserit secundùm suam essentiam remanere in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quandiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur; quod patet ex hoc quòd rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur.* Et paulò infra: *Potestas jurisdictionalis est, quæ ex simplici hominis injunctione confertur Et talis potestas non immobiliter adhæret. Unde in hæreticis & schismaticis non manet. Unde non possunt absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi: quod si fecerint, nihil est actum*

Est ergo ex S. Thoma duplex potestas, quâ fulgere oportet eum qui pœnitentem absolvere voluerit. Qui ergo caruerit jurisdictione tam ordinaria quàm delegata, qualis supponitur Sacerdos ab magno Concilio Lateranensi & ab Concilio Tridentino, neminem absolvere potest in pœnitentiæ tribunali, & inde ad astruendam jurisdictionis necessitatem in legitimo pœnitentiæ ministro efficacissimum argumentum repetitur.

Ergo ad conferendam validè absolutionem sacramentalem, requiritur jurisdictio vel ordinaria, vel delegata, sive Sacerdos absolvat à venialibus tantùm, sive ab mortalibus antea Confessario declaratis. Nam ratio quæ absolutè loquendo jurisdictionis necessitatem in Confessario obvias quasque confessiones excipiente astruit, eamdem in Confessario qui tantùm venialia vel mortalia antè confessa audit, requiri patefacit. Hic enim in pœnitentiæ sacramento, sicut alter actum judiciarium exercet, qui quidem, ut antea probavimus, cùm sine jurisdictione exerceri nequeat, sequitur, eum qui tantùm venialia vel mortalia antè confessa audit, non magis potest absolvere pœnitentem ab hujusmodi peccatis, quàm eum qui omni jurisdictione careat.

Nec propterea quòd Ecclesia dat jurisdictionem, dicendum est, pœnitentem absolvi authoritate Ecclesiæ: & loqueretur impropriè quisquis ita loqueretur; tum quia pœnitens in foro pœnitentiæ per potestatem ordinis principaliter absolvitur; tum quia tota vis & efficacia remissionis peccatorum, quam absolutionis verba significant & efficiunt, ab uno Christo Domino sacramentorum institutore, non autem ab Ecclesia proficiscitur.

QUÆSTIO XXXI.

Quâ quæritur, quo pacto satisfieri possit variis quæstionibus & difficultatibus, quæ circa approbationem Regularium omnium promiscuè confessiones excipientium identidem emergunt.

RESPONDEO, ejusmodi quæstionibus satisfieri posse & revera satisfieri per canones Conciliorum, per Decreta summorum Pontificum, & per receptissimam Theologorum doctrinam. Quod ut fiat,

Dico primò, neminem, etiam Regularem, posse excipere sæcularium confessiones, nisi habeat parochiale beneficium, aut ab Episcopo approbatus fuerit.

Ita declaratum est ab ipso Concilio Tridentino sess. 23. de reformatione cap. 15. his verbis: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemoriali, non obstantibus.*

Ut hæc Concilii verba & cætera ad hanc materiam pertinentia clariùs explanari possint,

Observandum est, approbationem de qua hîc sermo est, nihil esse aliud quàm testimonium juridicum de capacitate & sufficientia Sacerdotis pro excipiendis confessionibus, ut affirmat Isambertus, olim in Sorbona Theologiæ Professor regius, de privileg. disput. 21. art. 1. Hæc approbatio dividitur bifariàm, ut observat egregiè Marchantius Trib. pœnit. tract. 2. tit. 6. q. 1. dub. 2. Prior, inquit, est, quâ quis judicatur idoneus & sufficiens ad confessiones audiendas. Et de hac loquitur Nicolaus Bayonensis in Decalog. parte 2, cap. 6. cùm ait: Approbatio non dat jurisdictionem, sed persona quæ dicitur approbari, judicatur tantùm idonea, cui illa conferatur. Posterior approbatio, ut asserit Marchantius loco laudato, ea est, quâ illi advenit jurisdictio.

Hæc approbatio subdividitur in expressam & tacitam.

Approbatio expressa est, authenticum Episcopi testimonium declarantis, Sacerdotem esse idoneum & dignum, cui absolvendi potestas in sacramento pœnitentiæ ab viro ordinaria potestate prædito deferatur.

Approbatio tacita est, Episcopi testimonium implicitum, quo testatur omnibus, aliquem esse dignum & idoneum qui confessiones excipiat, & sacramentaliter absolvat. Hanc impertit cuipiam Episcopus, cùm eum in suum assumit Confessarium, vel cùm aliorum confessiones excipere jubet, vel ad alicujus parœciæ regimen admovet.

His ita prælibatis, liquidò apparet mens Concilii declarantis, neminem, etiam Religiosum, posse sæcularium, etiam Sacerdotum, confessiones excipere, nisi parochiale beneficium gerat, aut approbationem ab Episcopo obtineat, nihil obstantibus quibuscumque privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili.

Per hanc Concilii declarationem constat rescissam esse Clementinam *Dudum*. quâ constitutum erat, ut Mendicantes approbationem peterent, dumtaxat ab Episcopo, quam si ille legitimè petitam denegaret, ipsi eam à jure, ipso facto arriperent. Non solùm hæc Clementina rescissa est, verùm etiam

omnia Regularium privilegia sunt ad jus commune reducta.

Et id quàm verum sit, ab ipso Concilio Tridentino suorum decretorum interprete locupletissimo, ediscere operæpretium fuerit. Sic ergo loquitur sess. 25. cap. 21. *Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta, observari sancta Synodus præcipit in omnibus cœnobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, cujuscumque Ordinis, mendicantium vel non mendicantium, non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus & Regulis etiam juratis atque etiam consuetudinibus vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus.*

His Concilii verbis congruenter omnia Regularium privilegia abrogata declarat Pius Papa IV. in Bulla *In principis Apostolorum sede, &c.* Ac reipsa quidem rescissa esse ab Tridentinis Patribus Regularium privilegia, ne ipsi quidem recentiores inficiari potuerunt. *Privilegia Religiosorum quæ abrogantur session. ult. Concilii Tridentini, intelliguntur quæ sunt contra jura, de quibus agitur in præcedentibus capitibus*, ait Emmanuel Sa, v. *gratia*. n. 23. Hoc ipsum affirmat Nicolaus Isambertus disput. 21. de pœnit. art. 4.

Quod & perspicuè testatur Paschalingus Quæst. canon. centuria 2. quæst. 106. *Non possunt*, ait, *Regulares, neque quoad forum conscientiæ, uti privilegiis revocatis per Concilium Tridentinum.* Quod & confirmat Piasecius Prax. Episcop. parte 2. capite 3. *Multorum*, inquit, *summorum Pontificum variis decretis restricta fuerunt Regularium privilegia, & jurisdictio Ordinariorum in ipsos ampliata, præcipuè autem in Concilio Tridentino.* Et idem Author ibidem: *Cessant omnes Regularium exceptiones & privilegia, nimirum quoad contenta in Concilio Tridentino, ut patet ex textu ejusdem Concilii cap. ult. session. 25. & ex Bulla Pii IV. quæ incipit In principis Apostolorum sede. de anno 1565. 14. Februarii, quâ revocantur privilegia Regularium quoad contenta in dicto Concilio Tridentino.* Hæc ille & verissimè. Nam Pius IV. id ipsum declarat in citata Bulla. *Omnia*, ait, *& singula privilegia, exemptiones, facultates, dispensationes, conservatoria, indulta, mare magnum, & alia gratia in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis & decretis hujusmodi Concilii contrariantur, ipso revocata, cassata & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint, & esse censeantur.* Ita loquuntur alii Pontifices: qui quidem cùm Regularium Ordinibus vel jam institutis, vel posthac instituendis privilegia concesserunt, semper hanc addidere clausulam, *quatenus tamen sint in usu, nec sint revocata, & sacris Canonibus, ac etiam sacri œcumenici Concilii Tridentini decretis non adversentur.* Cum ejusmodi restrictione Gregorius XIII. instante & supplicante Christophoro à Capite-fontium, Minoritarum generali Ministro, ejus Ordinis privilegia confirmavit.

Eadem conditione ipsemet Pontifex in Bullâ *Romanus Pontifex.* concessa Præmonstratensibus privilegia confirmat.

Eadem lege probat & sancit idem Pontifex privilegia Religiosorum sanctæ Trinitatis in Captivorum redemptionem incumbentium.

Sixtus V. in Bulla *Super specula militantis Ecclesiæ.* quæ Romani Bullarii 70. Fuliensibus privilegia, Regulam & propositum institutum impertit, & concedit omnia privilegia & facultates Ordinis Cisterciensis, dummodo sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis, & sancti Benedicti Regulæ authoritate Apostolica approbatæ contraria non essent.

Item Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex.* quæ est Bullarii Romani 15. approbat Crucis ferorum Ordinem, & sancit omnia privilegia eorum Ordini ab summis Pontificibus decessoribus suis indulta, quatenus in usu sint, & decretis Concilii Tridentini non adversantia.

Sub eadem conditione Clemens VIII. in Bulla *Pastoralis officii.* quæ est Bullarii Romani 51. confirmat privilegia Fratrum Minorum de Observantia.

Cum eadem restrictione Paulus V. per Bullam *Injuncti nobis.* quæ est in Bullario Romano 19. confirmat impertita Cælestinis privilegia, & ea quibus potiuntur per communicationem, quam habent cum Regularibus tam mendicantibus, quàm non mendicantibus.

Idem facit Gregorius XV. in Bulla *Salvatoris nostri.* quæ est 6. Bullarii Romani. Idem præstat Urbanus VIII. in Bulla *Injuncti nobis.* quæ est Bullarii Romani 21. Idem quoque factitat Innocentius X. in Bulla *Universalis Ecclesiæ.* data Romæ 18. Julii 1648. nondum addita Bullario. Nam in ea confirmat omnia & singula privilegia, facultates, exemptiones, &c. eidem Magno Magistro & Conventui (Xenodochii scilicet S. Joannis Hierosolymitani) quomodolibet concessa, exceptis tamen decretis Concilii Tridentini.

Ex his tot summorum Pontificum decretis sole meridiano clariùs & illustriùs apparet, religiosissimè servanda esse Concilii Tridentini Decreta, citra ullam exceptionem, atque adeo pro irritis & nullis habenda esse privilegia, quibuscumque fuerint concessa, etiam immemorabili consuetudine roborata, quæ illud ipsum Concilium suis sanctionibus rescissa & abrogata declaraverit

Ergo certo certius est, Regulares, quantiscumque præfidant privilegiis, non posse sæcularium, etiam Sacerdotum, confessiones excipere, quin ab ejus diœceseos, in qua degunt, Episcopo approbationem & petierint & obtinuerint: quod sequenti conclusione astruimus. Sit itaque

Secunda conclusio.

Dico secundò. Nemo Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis, potest sæcularium, etiam Sacerdotum, confessiones excipere, quin ab Episcopo fuerit approbatus. Regulares ab omni ævo Episcopis fuisse subditos, cùm præsertim de administrando pœnitentiæ sacramento actum est, probant Concilia, ut Concilium Carthagin. II. anno Redemptoris 387. habitum cap. 1. n. 4. item II. Arelatense anno Salvatoris 452. habitum can. 10. item II. Milevitanum cap. 23. item S. Leo qui florebat sæculo V. in Decretali 88 ad Franciæ & Germaniæ Episcopos inscripta, item Concilium Aurelianense IV. cap. 7. item Parisiense VI. nono sæculo, id est anno Salvatoris 829. habitum, cap. 46. id pulcherrimè declarat, sicut & Ivo Carnot. Epist. 69.

Ipsi etiam Romani Pontifices Episcopis subjiciunt Regulares, & ad excipiendas sæcularium confessiones ab iis approbationem petere & obtinere jubent. Ita jubet Pius V. etsi alioquin in tuendas Regularium causas propensissimus, in Bulla cujus exordium est *Romani Pontificis, &c.* data anno Redemptoris 1571. sexto Augusti, & ejus Pontificatus an. 6.

Item Gregorius XV. in Bulla cujus est initium *Inscrutabili, &c.*

Urbanus VIII. egregiè Conciliorum, decessorumque suorum vestigiis insistens in Bulla data 2. Februarii anno Redemptoris 1618. *De venerabilium*, ait, *fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium propositorum consilio, omnia & singula indulta hujusmodi audiendi confessiones absque Ordinarii examine & approbatione, quibusvis collegiis, &c. societatibus etiam Societatis Jesu. &c.*

&c. & Ordinibus tam mendicantium, quàm non mendicantium, &c. etiam quomodo libet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, &c. cassat, annullat, viribus & effectu evacuat, &c.

Jubent ergo Pontifices Romani, Regulares se sistere coram Episcopis locorum, in quibus versantur, ut ab eis approbationem ad excipiendas sæcularium confessiones omnino necessariam obtineant.

Hanc doctrinam tradunt Jesuitæ, quos nonnulli immeritò, ut credere dignum est, & hierarchicarum & hierarchiæ hostes appellare nihil dubitarunt. Suarez enim conceptis verbis quod astruimus, asserit de pœnit. cap. 28. sect. 4. n. 2. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 3. Valerius Reginaldus lib. 1. num. 178. Ægidius Coninch de pœniteot. dispnt. 8. dub. 7. Pellizzarius tom. Poster. 1. act. 8. cap. III. sect. II. subsect. 1. n. 12. Hoc ipsum docet Rodriguez ex Ordine sancti Francisci tom. 1. q. 59. art. 1.

Conclusio tertia.

Si Confessarii Regulares ab Episcopo ad excipiendas confessiones sæcularium vel omnino non fuerint, vel satis non fuerint examinati, ab eodem ipso ad subeundum examen de integro vel evocari vel revocari possunt. Nec obstat quod habet Bulla Pii V. cum scilicet Regularem qui prævio examine fuerit approbatus, non posse ampliùs ab eodem Episcopo examinari. Nam, ut egregiè advertit Zerola prima parte, v. *Confessio.* duplex est examinis genus. Primum, quando Regularis fuit examinatus undequaque, id est in totum, ut quia sufficiens & idoneus repertus fuit in examine quoad omnes interrogationes. Secundum, quando fuit admissus ad tempus, examinando eum solum de quibusdam circumstantiis peccatorum & confessionis, & non super aliis, non ideo potest dici sufficienter examinatus, & idoneus repertus, quia remanent aliæ interrogationes necessariæ faciendæ. Hæc ille. Et tunc non est dubium, quin ejusmodi Regularis ad novum examen revocari valeat.

Conclusio quarta.

Dico quartò. Regulares etiam absolutè ad audiendas sæcularium confessiones approbati ab Episcopo, ad examen revocari, imò & ab excipiendis sæcularium confessionibus amoveri possunt. Quod quibus de causis fieri debeat, præclarè explicat S. Carolus Borromæus in V. Concilio provinciali sub tit. *Quæ ad pœnitentiæ sacramentum pertinent. Episcopus*, ait, *à confessionibus audiendis suspendat, aut omnino amoveat Confessarios, etiam Regulares, jam approbatos, quos pro sua timorata conscientiæ religione viderit in eo munere non ita sincerè integrèque & cum ædificatione se gerere, quemadmodum, & tanti ministerii illis commissi sanctitas postulat & animarum salus deposcit, quæ suæ fidei concreditæ sunt.* Hæc sanctissimus ille Archiepiscopus.

Ita Urbanus VIII. decrevit in quodam Brevi dato in gratiam Cardinalis Sandovalli Giennensis Episcopi. Istud Breve datum est die 30. Januarii anno salutis 1639. posse scilicet Episcopum interdicere Regularem, quem in excipiendis sæcularium confessionibus parum integrè castèque versari compererit; ita tamen ut non ipsi Regulari interdictionis causam aperire, sed poscenti dumtaxat summo Pontifici rationem reddere teneatur.

Id ipsum idem Urbanus VIII. declarat in Brevi ad Episcopum Cordubensem inscripto, his verbis: *Confessarios Regulares ab Episcopis ad quos jus eos approbandi spectat, liberè approbatos ipsi Episcopi suspendere possunt ex nova causa, eaque ad confessiones pertinente. Cæterum an eadem causa subsit, necne, Episcopus non tenetur ipsis Regularibus edicere, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperire postulaverit.* Hæc Urbanus VIII. cujus vestigiis religiosissimè instirit Innocentius X. ejus successor proximus. Id ipsum enim quod asserimus, multis responsionibus declaravit in causa Angelopolitana in decisionibus dubiorum propositorum ab Episcopo Angelopolitano, & in decisionibus dubiorum à Religiosis Societatis Jesu propositorum. Nam in propositione 4. An scilicet Episcopus possit cum censuris procedere « contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint « in confessionibus audiendis vel prædicatione verbi « Dei, & hoc an vigore Conc. Trident. vel per quem « Canonem? respondit, posse procedere non quidem « in vim Concilii Tridentini. sed in vim Constitutionis « Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabilis Dei providentia.* «

Hæc est expressa summorum Pontificum doctrina, cui nemo Catholicus citra crimen, & quidem atrocissimum, adversari potest. Quod Innocentius X. in causa Angelopolitana declaravit & edixit 14. Maii anno salutis 1648. anno sui Pontificatus 4. id ipsum sancitum est in tribus Cleri Gallicani comitiis ann. scilicet 1625. & 1635. necnon 1645. celebratis. Sic enim loquuntur nostrates Episcopi: Regulares, qualiacumque « privilegia aut immunitates obtendant, sæcularium « confessiones audire non poterunt, quin Episcopi « diœcesani examen subierint, & ab ipso vel ejus « generali Vicario fuerint approbati, è quorum nutu « & arbitrio pendebit iis vel temporariam vel perpetuam « confessiones excipiendi facultatem facere, « vel sub quacumque restrictione placuerit concedere, « quæ approbatio gratis dabitur. Hæc habentur art. 6. « & insinuantur 8.

Hanc doctrinam etiam recentiores, quibus adversari videbatur, sine ulla tergiversatione litteris prodiderunt.

Inprimis Suarez dispur. 27. sect. 8. assert. 2. Sic enim loquitur: *Quod de absoluta potestate Episcopi verum videtur*, (posse scilicet jam approbatos ad examen revocare) *quia nullo jure hoc illi prohibetur, neque in hoc facit injuriam Sacerdotibus examinandis, quia illi per approbationem non fuerunt consecuti novum aliquod jus, nec denique Episcopus semel examinando & approbando aliquo titulo se obligavit illud examen semper firmum habere, ut nunquam illud in dubium revocet, neque aliud intentet, præsertim cùm moraliter loquendo possint occasiones occurrere, ob quas prudenter hoc fiat: sæpe enim examen per alios fit, & non rectè fit, & aliquando moraliter constat plures indignos vel negligentiâ, vel malitiâ, vel casu inter dignos esse approbatos, ut ad vitandam infamiam vel scandalum expedit omnes iterum ad examen vocare. Non est ergo hoc extra potestatem Episcopi, quamvis illa uti non debeat in alicujus infamiam, nec sine rationabili causa.*

Eamdem doctrinam asserit Gabriel Vasquez tractat. 3. art. 3. dub. 5. In eamdem sententiam concedit Pater Pellizzarius ejusdem Societatis Theologus loco citato, sub finem 2. conclusionis. *Addo*, ait, *ex Sylvestro n. 11. multos alios pro se referente, quòd quamvis Episcopus ex indulto Pii V. superiùs relato non possit sine causa revocare approbationes Regularium factas prævio examine; si tamen occurrat justa causa id faciendi, potest in particulari hunc & illum Religiosum jam approbatum revocare ad examen, suspendere & reprobare: id enim colligitur ex Concilio Tridentino session 23. de reformat. cap. 15. ut notat Henriquez lib. 6. cap. 6. n. 6. & ex Pio V. in citata Constitutione.* Hæc ille.

Id ipsum confirmat Marchantius Trib. pœnitent. tract. 2. dub. 4. *Ubi subest justa causa dubitandi de idoneitate alicujus personæ in particulari, potest non modò successor, sed etiam is, qui approbavit, approbatum revocare ad examen. Justa autem causa sunt,*

1°. Si manifesta appareat inidoneitas ex ipsius pluribus actibus, & experientia personarum fide dignarum. 2°. Si similiter ex variis experientiis nascatur vera dubietas, sive causa dubitandi de ejus idoneitate & sufficientia. 3°. Si aliàs approbato infirmitas aliqua cerebri supervenire videatur, quæ causam dubitandi apud prudentes inducat. 4°. Si deprehendantur examinatores nimis perfunctorii & incurii fuisse in examine. Ex his enim & similibus justa causa & inquietudinis conscientiæ, & veri dubii apud prudentes & constantes nasci potest, quæ est sufficiens ad revocandum aliàs approbatum ad examen. Nec refert quòd hoc in gravamen aliquod Confessarii jam approbati cedat; præferenda est enim legitima sacramenti administratio & salus pœnitentis, imò & Confessarii, hujusmodi gravaminibus. Hæc ille. Similia habet Fragosus lib. 8. tract. 2. disput. 18. §. 8. n. 4.

Ex his igitur patet, Episcopos, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, posse suo jure Sacerdotes quoslibet, etiam Regulares, jam approbatos revocare ad examen, eosque ab excipiendis confessionibus amovere, si ipsis id ad suarum diœceseon ædificationem conducere videbitur.

Conclusio quinta.

Regulares quibus excipiendarum confessionum facultas, etiam injustè, denegata est, sæcularium confessiones citra crimen & sacrilegium audire nequeunt.

Ratio à priori hujus conclusionis petitur ex sacrosancta Synodo Tridentina, quæ quidem cap. 15. de reformat. sess. 23. cujus verba retulimus concl. 1. decernit, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat. Quibus verbis decernit Concilium, neminem, etiam Regularem, posse sæcularium, etiam Sacerdotum, confessiones audire, quin ab Episcopo approbationem obtinuerit. Ergo quisquis etiam Regularis approbationem ab Episcopo non obtinuerit, sæcularium confessiones audire nec debebit nec poterit; etiamsi ejusmodi approbatio illi etiam injustè fuerit denegata. Nam cùm Concilium absolutè Episcopi approbationem ad audiendas confessiones necessariam esse pronuntiat, satis superque significat, ejus denegationem sive justam sive injustam prohibere, quominus quis vel sæcularis vel regularis Sacerdos sæcularium, etiam Sacerdotum, legitimè confessiones excipere valeat. Cùm igitur Concilium nihil decernat aut distinguat hac in parte de approbatione justè vel injustè denegata, nemo Sacerdos etiam Regularis, sine Episcopi approbatione sæcularium confessiones excipere potest, quin infringat Concilii Tridentini decretum, & immani sese flagitio devinciat. Certum est enim, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere oportere.

Non possunt Regulares opponere decreta Concil. Lateranensis & Viennensis suis consiliis & privilegiis suffragantia. Nam, ut rectè Isambertus Doctor & Professor Sorbonicus, disput. 21. de pœnit. art. 4. *quia Tridentinum Concilium est etiam œcumenicum, cujus decreta sunt istis longè posteriora, & jura posteriora derogant prioribus.* Et ideo ex hujus Doctoris sententia, omnia Regularium privilegia, sive iis ab summis Pontificibus, sive ab Conciliis etiam œcumenicis concessa, per Concilii Tridentini etiam œcumenici decretum sunt abrogata, ut in prima conclusione probavimus. Unde Suarez de pœnit. disput. 28. sect. 4. n. 2. affirmat, neminem, cujuscumque status, ordinis aut dignitatis existat, sine approbatione Episcopi posse Confessarii munus exercere.

Idem asserit Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 3. *Supponendum est*, ait, *ita esse necessariam approbationem quam postulat Concilium, ut aliàs idoneus non judicetur, nec habens jurisdictionem, ut ferre possit sententiam validam absolutionis, quantumcumque ille doctus sit & gradum Doctoratus in Universitate receperit, quia universaliter postulatur approbatio Ordinarii in Concilio Tridentino.* Et alibi idem Vasquez: *Hodie post Tridentinum necessaria est approbatio ab Episcopo & Ordinario, nec aliter conceditur jurisdictio ad absolvendum, in quo observatur Statutum Bonifacii, strictiori tamen ratione.*

Idem etiam Vasquez affirmat, per Concilium Tridentinum introductum esse examen & approbationem. Cùm sit tanta Episcopalis approbationis necessitas, certum est, Sacerdotem ea carentem, licitè nec validè posse in sacramento pœnitentiæ absolvere, quamvis Episcopus eam illi injustè denegaverit. Quod quidem pro certo haberi par est, eo nomine quòd ejusmodi veritati vel Regulares ipsi litaverint.

Suarezius non postremus Jesuitarum Theologus nostram hanc conclusionem tam luculenter asserit, ut ad eam illustrandam nihil clarius, ad astruendam nihil efficacius afferri posse videatur. Sic itaque loquitur disp. 28. sect. 5. n. 5. *Dicendum est, jure ordinario necessariam esse hanc approbationem reipsa exhibitam, nec sufficere petitam, etiamsi injustè negetur. Hæc est communis sententia omnium, ut ex sequenti dubio à fortiori patebit. Jam verò ita colligo ex Concilio, quia ex illo elicitur hæc conditionalis, Nisi qui sit approbatus ab Episcopo, non potest confessiones audire. Sed hujusmodi conditionalis habet hanc vim, ut si in re ipsa non ponatur requisita conditio, effectus sequi non possit. Neque ad hoc refert, quòd talis conditio justè vel injustè apposita sit. Exempla sunt facilia. Nam propter hanc conditionalem, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. etiamsi ex iniquitate alterius parvulus privetur baptismo, non assequitur illius effectum: (magis moraliter) propter hanc conditionalem, Nisi quis per sententiam fuerit declaratus hæreticus, non privatur bonis suis, etiamsi judex injustè illum non declaret; tamen quandiu non declaratur, non privatur bonis suis: ergo similiter, &c. Secundò à contrario, quia si Episcopus reipsa approbet, etiamsi fortè injustè vel malè faciat; tamen quod ad sacramenti valorem pertinet, hoc sufficiet, quantum est ex parte approbationis: ergo idem erit è converso, ut servetur æqualitas. Tertiò adjungi potest ratio moralis, quia Concilium voluit hoc reservare judicio Episcoporum, quia illi sunt superiores Pastores ordinarii, & quia moraliter loquendo, præsumendum est, bene usuros hac potestate. Lex autem moralis universalis esse debet, etiamsi in particulari possit quis interdum illâ malè uti, neque aperienda fuit janua, ut inferiores in dubium revocarent hoc superioris judicium, sibique usurparent quod magis fuisset incommodum.* Hactenus Suarezius.

In eamdem omnino sententiam conspirant multi ejusdem Societatis Theologi, nempe Vasquezius q. 93. citata art. 3. dub. 3. Idem affirmat Ægidius Coninch de pœnit. disput. 8. dub. 7. n. 78. *Difficultas est*, ait, *utrum is cui injustè negatur approbatio, hoc ipso censeatur approbatus. Quidam enim hoc affirmant; sed contrarium dicendum est. 1. Quia Tridentinum absolutè requirit approbationem, non obstantibus quibuscumque privilegiis: quibus verbis videtur derogare Clementinæ Dudum, de privilegiis, quatenus hac in re Mendicantibus favere videbatur. 2. Quia Pius V. in Bulla quæ incipit Romani Pontificis, absolutè requirit approbationem. 3. Quia Tridentinum requirit hanc approbationem, tanquam quoddam authenticum testimonium, quod non potest dari, nisi à persona publica; & omnino conveniebat, ut Sacerdos admittendus ad publicam offi-*

cium, publica authoritate probaretur idoneus, quia de rebus ad publicum spectantibus non possunt authenticè privati judicare. Hæc ille.

Reginaldus eamdem sententiam amplexus lib. 1. n. 192. omnia propè Suarez hac de re verba, sicut & sensa, in sua scripta transtulit.

His astipulatur Pellizzarius tractat. 8. cap. 3. sect. 2. subsect. 1. n. 26. *Dissentiunt multi sustinentes, Episcopos quidem in hoc casu nolentes approbare Regulares præsentatos, peccare contra justitiam; non ideo tamen posse Regulares se exponere ad audiendas confessiones, neque licitè, neque validè: quorum opinio utique est conformis praxi, & videtur sequenda ad evitandas tricas, quæ alioqui à Religiosis incurrerentur.*

Fernandez in eadem est sententia p. 3. cap. 9. §. 8. ubi hanc quæstionem movet: *Censebunturne idonei Confessarii, qui postulantes ab Episcopo approbationem, repulsam passi sunt ex malitia ipsius Episcopi, quoniam ipsi dignissimi erant approbationis? Minimè. Ita Suarius tom. de pœnit. disput. 22. sect. 4. Ratio, est quia Concilium ponit hanc conditionem. Nisi sit approbatus ad audiendas confessiones, non possit eas excipere. Et meritò, quoniam sequeretur inde magna confusio: diceret enim quisque sibi injustè negatam approbationem. Hanc tamen veritatem negat Navarrus circa Religiosos, præsertim mendicantes, juxta eorum privilegia Clement. Dudum de sepult. & Extravag. Super Cathedra. de sepult. ibi enim sufficit petita, licèt non obtenta facultas & approbatio, sed immeritò: est enim hæc opinio contra expressa verba Concilii aientis, nullum Sacerdotem, etiam regularem, &c. nonobstantibus quibuscumque privilegiis. Et ita postea decrevit Pius V. motu proprio 44. & Gregorius XIII. & declaravit Congregatio Cardinalium responsione 1562. super Concilium Tridentinum.* Hæc Fernandez.

Ex cujus verbis patet, quàm abhorreat à vero opinio Navarri aientis, privilegia Regularium in duobus Conciliis generalibus recepta, & in jure posita, habere vim conciliaris legis, & ideo non esse verisimile hujusmodi legem esse abrogatam per Tridentinum, nulla facta ejus mentione: quia juxta principia Jurisperitorum, non derogatur conciliaris lex, non facta ejus mentione speciali, vel universalis Concilii in genere. Et confirmatur, quia hic approbatio petita habet vim obtentæ ex adminiculo juris. Hæc est opinio Navarri, quam & refert & refellit Suarezius his verbis: *Sed hæc sententia nec vera, nec practicè probabilis videtur. 1. Quia illa exceptio repugnat expressè istis Concilii verbis, Nullus Sacerdos secularis vel regularis, &c. ubi primum eos æquiparat. Deinde rogo an Concilium aliquid novum statuat circa Regulares, nec ne. Si nihil, cur eos nominat? Et si aliquid: ergo & aliquid addit iis, quæ antea statuta erant: & id quod denuo statuit, vult ad Regulares extendi. Statuit autem ut requiratur approbatio obtenta, sicut ostensum est: ergo vult hanc etiam Regularibus esse necessariam: & hoc addit antiquiori juri. 2. Retorquetur fundamentum Navarri, quia hoc decretum etiam conciliare est & pontificale, quandoquidem per Pontificem confirmatum est: sed lex pontificia addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiamsi in jure contineatur, & nulla fiat expressa illius mentio, quando verba posterioris legis hoc requirunt, ut apertè colligitur ex c. 1. & 2. de constitutionibus in 6. Ergo, &c. Nec dici potest, Concilium in illis verbis intelligendum esse de Regularibus non habentibus privilegia, tum quia ferè nulli sunt hujusmodi, & ita dispositio Concilii fuisset nullius momenti, tum etiam quia statim addit, Non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c. 3. Pius V. in motu proprio 38. anni 1567. qui incipit Etsi Mendicantium concessit his Religiosis, præsertim Theologiæ Magistris, ut speciale privilegium, quòd sine approbatione Episcopi possent audire confessiones, non revocando Clementinam Dudum. sed solùm Concilium Tridentinum: ergo intellexit ex vi illius necessariam esse Regularibus hanc approbationem. Unde anno 1571. in 44. motu proprio qui incipit Romani Pontificis, revocavit priorem motum, & apertè docuit, etiam Magistros Theologiæ Regulares indigere hac approbatione; quod postea confirmavit Gregorius XIII. anno 1572. motu proprio 55. qui incipit In tanta. & reduxit ad formam Concilii: ergo clarè supponunt hi Pontifices hanc legem Concilii comprehendere Regulares omnes. 4. Si sententia Navarri vera esset, etiamsi Episcopi justè non admitterent hujusmodi Religiosos, non obstaret, & si vellent illos examinare, non haberent jus. qui ex vi Extravagantis Super Cathedram. & Clementinæ Dudum. examen & judicium horum Regularium suis superioribus concessum erat, & solum requirebatur exterior præsentatio, nec Episcopi poterant prætendere aliquam causam ad non admittendos illos: ergo si Concilium Tridentinum nulla in re derogavit illa privilegia, apertè sequuntur, quæ intulimus, quæ tamen absurdissima sunt, & quæ nec ipse Navarrus concedet. Præterea inter Responsiones Cardinalium circa Concilium in 1562. declaratur, Religiosos, etiam Prælatos, non posse familiares suos, suisve monasteriis servientes absolvere, nisi sint approbati ab Episcopis: ergo multò minùs poterunt seculares.* Hactenus Suarezius disput. 28. sect. 5. n. 12.

Nicolaus Isambertus de pœnit. dispot. 21. art. 4. quærit utrum hæc approbatio debeat esse de facto obtenta, vel sufficiat quòd sit petita ab Episcopo, seu Ordinario, & Confessarius secundùm rei veritatem sit sufficientis doctrinæ ad illud munus exercendum & probæ vitæ.

Hanc quæstionem solvit, aiendo, approbationem de facto obtentam esse oportere, quia verba Concilii id expressè definiunt, & ad id nullo discrimine sæculares & Regulares obligant. Et asserit, *nihil obstare Extravagantem Bonifacii VIII. quæ incipit Super Cathedram nec Clementinam Dudum. quia per Concilium Tridentinum etiam œcumenicum abrogata sunt omnia illa seu jura seu privilegia. Unde patet*, ait, *falli Navarrum aientem post Concilium Tridentinum, sufficere Mendicantibus petere ab Episcopo seu Ordinario licentiam administrandi sacramentum pœnitentiæ, ex eo quòd in relato Concilii Decreto non sit specialis derogatio Innocentii privilegii Mendicantibus antea concessi: est enim satis derogatum per particulam hanc, etiam Regularium, item absoluta requisitione approbationis ab Ordinario obtenta ad validè absolvendum.* Hæc Isambertus loco citato.

Unde Cellotus Jesuita, qui dixerat, Regularem, approbationem ab Episcopo petentem, & repulsam passum, sibi approbationem putaturum ab summo Pontifice concessam, quam inferior Pontifex injustè, ut quidem ponimus, recusarit: hanc positionem revocare coactus est, & hanc alteram profiteri: Non debent nec possunt Regulares sæcularium confessiones audire, nisi approbationem ab Episcopo obtinuerint.

Conclusio sexta.

Possunt Episcopi concessas Regularibus approbationes quibusdam veluti limitibus circumscribere & restringere, prout suæ plebis saluti conducere judicaverint.

Hanc conclusionem stabiliunt Concilia, summorum Pontificum rescripta, & Theologorum sententia.

Quod spectat ad Concilia, hanc ipsam conclusionem astruunt.

1°. Concilium Mediolanense V. sub tit. *Quæ ad sacram. pœnit. pertinent.* cujus verba retulimus in 4. conclusione.

2°. Id ipsum probatur ex Concilio Limensi celebrato anno 1583. sub Gregorio XIII. in regno Peruano,

cujus decreta referuntur in 2. p. Summæ Conciliorum inter Concilia Africana & Americana, fol. 183. Quod asserimus, sancitum est eo Concilio act. 2. cap. 14. his verbis: *Minùs peritis eam limitationem personarum vel statuum adhibeant Ordinarii, quam sufficientia illorum congruere judicabunt, quòd in hac facultate Confessariorum amplianda vel restringenda debeat haberi ratio, nedum sufficientiæ, sed etiam loci, cæterarumque circumstantiarum.* Ita loquitur ejusmedi Concilium, cujus authoritas plurimum valere debet apud omnes, siquidem ab Xisto V. magnificè est approbatum.

His Conciliorum sanctionibus adjici potest Decretum Cleri Gallicani, tribus nostrarium Episcoporum comitiis instauratum roboratumque, quo constitutum est, ne quis Sacerdos, etiam Regularis & exemptus, sæcularium confessiones exciperet, nisi priùs examinatus ab Episcopo vel ejus generali Vicario, id est ab alterutro, approbationem obtinuisset, ita ut hanc approbationem & Episcopus & ejus generalis Vicarius certo temporis spatio definire vel pro arbitrio indefinitam concedere valerent. Hæc sanctio, ut diximus, condita est annis 1625. 1635. & 1645.

Quid hac in re senserint summi Pontifices, patet ex Brevi quod refert Barbosa de potestate Episcopi ad calcem dato 30. Januarii 1639. in quo Urbanus VIII. sanctæ Sedis ea de re judicium ita pronuntiat: *De venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum ac Regularium præpositorum consilio, partibus auditis, reque maturè discussa, authoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & declaramus, prainsertas litteras hujusmodi,* (de primo suo Brevi loquitur) *ita esse intelligendas & declarandas, ut Regulares quidem in civitate & diœcesi Giennensi à prædecessoribus Episcopis examinati & approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, à præsente Episcopo successore pro majori conscientia suæ quiete possint iterum examinari, ac si minùs idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum Constitutionis sanctæ memoriæ Pii V. prædecessoris nostri hac de re editæ: sed illi quos idemmet Episcopus approbavit, siquidem hujusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire, absque nova ipsius Episcopi licentia & approbatione, prævio etiam, si eidem libuerit, novo examine. Illi autem quos ipsimet Episcopus ad confessiones hujusmodi audiendas, semel admisit simpliciter, ac sine ulla temporis præfinitione, nullatenus possint ab eodem reprobari sine justa causa, eaque confessiones ipsas concernente. Cæterum an eadem causa subsit, necne, Episcopum non teneri ipsis Regularibus edicere, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postularit. Quòd si Regulares, sive in Confessionibus audiendis, sive in prædicando adversus ea quæ superiùs declaravimus, quoquo modo deliquerint, in vim earumdem prainsertarum litterarum ab Episcopo Giennensi coerceri & puniri possint etiam censuris Ecclesiasticis, &c. Datum Romæ, &c.*

Alterum Breve Alexander VII. inscripsit ad Episcopum Andegavensem datum anno 1659. 26. Februarii, ut scilicet controversias de functionibus hierarchicis adversus præfatum Antistitem ab Carmelitis, Augustinianis, Jacobitis, Minoritis & Recollectis excitatas authoritate Apostolica componeret. Quidam nimirum ex ejusmodi Ordinibus propositionem hanc evulgaverant in terminis: Ubi Concilium Tridentinum receptum est, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt, ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare.

Addebant etiam, se non teneri ad obtinendas ab Episcopis approbationes, quas si sibi petentibus denegarent, eorum repulsam esse tanti, quanti valeret approbatio. Alexander VII. hæc omnia complexè accepta esse falsa, scandalosa & erronea declarat. Summorum Pontificum sententiam amplexi sunt Doctores, quotquot hanc materiam ab ipsis radicibus limare voluerunt.

Primò, Barbosa de offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 25. n. 52. ita loquitur: *Ex quibus consequens fit, Regularium jurisdictionem à Jure vel à Papa eis tributam restringi seu dilatari per ipsam approbationem Ordinarii: justa enim atque legitima existente causa, certum est, posse Episcopos Confessariorum Regularium approbationem ac jurisdictionem restringere & limitare ad certum locum, tempus, sive personas.*

Secundò, Joannes Belletus Episcopus illustrissimus, Disquisit. Clerical. p. 2. §. 31. n. 4. idem asserit. *Approbatio Confessariorum Regularium*, ait, *potest ab Ordinariis justa & rationabili causa existente restringi & limitari ad certum tempus, locum & personas. Ita determinatur in Clementina Dudum. de sepulturis. nec revocatum hoc fuit per Concilium Tridentinum. Ita Suarez tom. 4. in 3. p. S. Thom. disputat. 28. sect. 7. Navarrus in cap. Placuit. de pœnitent.* Hæc ille.

Tertiò, Jordanus   Episcopus tom. 1. variarum quæst. lib. 3. tit. 4. de sacram. pœnit. n. 124. affirmat, respectu Regularium esse distinguendum inter approbationem generalem & absolutam, & inter limitatam & circumscriptam tempore aut alia ratione; in qua, sicut licentia ipsa eget renovatione, ut de se patet, sic etiam fieri poterit novum examen pro arbitrio concedentis, sicut in priori concessione.

Quartò, Suarez disput. 28. sect. 7. dub. 6. eam insigniter illustrat. *Explicandum est*, ait, *quomodo scilicet possint Episcopi hanc facultatem dare cum limitatione personarum, vel locorum: ut v. g. approbando hunc Confessorem ad audiendas confessiones virorum, & non fœminarum, seu in hoc oppido, & non in illo. Existimo, Episcopos hoc facere posse justè, si ex justa causa & debito modo hoc faciant. Et inprimis usus & consuetudo illis favet: & cùm in hac parte superiores sint, si evidenter non constat, eos injustè facere, aut abuti potestate sua, pro illis præsumendum est, & eorum judicio standum. Deinde ratio est manifesta, quia, ut bene notavit Navarrus in Summ. cap. 4. n. 10. & 11. potest interdum Sacerdos esse idoneus ad audiendas confessiones aliquarum personarum, & non aliarum: ut v. g. scholasticorum, non verò judicum, &c. Ergo potest Episcopus judicare hunc idoneum respectu harum personarum, & non illarum, &c. Confessarium esse idoneum & sufficientem, non pendet solùm ex scientia & doctrina, sed etiam, & maximè ex aliis conditionibus prudentiæ & bonitatis, & interdum ætas multum refert; & ideo meritò omnibus pensatis potest judicari idoneus ad has personas, & non ad illas.* Hactenus Suarez.

Quintò, Pellizarius tract. 8. cap. 5. sect. 11. subsect. 1. n. 28. *Quæres*, ait, *an Episcopi possint approbare Regulares limitatè, v. g. ad viros, non ad fœminas, ad annum, &c.*

Respondeo, posse, si adsit justa causa id faciendi, &c. De Regularibus verò qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eidem Ordinario magis expedire videbitur, probare & admittere.

Sextò, Cellotius, etsi aliàs ad ejurandos errores quos in hierarchiam effuderat, adactus, in hanc tamen veritatem consentit. *Si Religiosus*, ait, *de moribus, doctrinaque rite examinatus, non is esse reperitur, qui pœnitentiæ tribunal pro ejus officii dignitate exercere valeat, quidni certis locis personisque ipsi interdicatur? quidni annua vel triennalis tantùm concedatur approbatio, sistendi sese iterum, & vitæ lau-*

debiliùs acta, & comparata majoris scientiæ specimen edendi onere perquam salubri imposito. Hæc Cellotius lib. de Hierarch. 5. cap. 25.

Septimò, Isambertus id ipsum disertè asserit in tractat. de pœnitent. loco suprà laudato. *Hæc approbatio*, ait, *est in ordine ad pœnitentes sacramentaliter absolvendos quædam conditio essentialiter requisita ad validitatem hujus sacramenti, ut patet ex dictis art. 1. & proinde quæ debet tandiu moraliter durare, quandiu Sacerdos validè illud administrat. Sed hæc approbatio, ubi est limitata ad præfixum aliquod tempus, illo elapso non ampliùs durat, etiam moraliter, sed expiravit. Igitur Confessarius approbatus dumtaxat ad certum tempus, illo finito non ampliùs potest audire validè confessiones pœnitentium, & eos sacramentaliter absolvere.* Hæc Isambertus.

Id ipsum docet Miranda in Manuali Prælator. q. 45. art. 10. Reginaldus lib. 1. n. 200. & alii, quorum enumeratio Lectori tædium afferret. Itaque ad alteram maximi momenti quæstionem properandum. Sit itaque

---

Quæstio XXXII.

Utrum Regulares pœnitentes ab casibus Episcopo reservatis, nulla ab eo speciali eum in finem accepta potestate, licitè & validè absolvere valeant.

Respondeo, Regulares quibuscumque & quantumcumque privilegiis id sibi concessum asseratur, non posse quemquam absolvere ab casibus Episcopo reservatis, nisi specialem ab eo ad hunc effectum potestatem acceperint. Hanc responsionem stabiliunt & probant tria.

1°. Concilia tam œcumenica quàm provincialia.

2° Summorum Pontificum Bullæ & Rescripta.

3°. Illustrium Theologorum doctrina.

Ut ab Conciliis œcumenicis ordiamur. Concilium Viennense œcumenicum severè vetuit, ne quis Regularis ab ejusmodi casibus absolvere attentaret, ut patet ex duabus Clementinis editis ab Clemente V. qui huic Concilio & interfuit & præfuit. Sic enim in Clementina *Dudum.* loquitur summus Pontifex, qui antea privilegia Regularibus concesserat: *Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc* (id est in administrando pœnitentiæ sacramento, de quo ibi agitur) *impendere ampliorem, quàm in eo Curatis vel parochialibus Sacerdotibus est à jure concessa: nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam.* Per ea summi Pontificis effata certum est, Regularibus ademptam esse facultatem absolvendi à casibus, quos sibi reservaverint Episcopi. Cùm enim constet ex ipsis terminis, non ampliorem Regularibus, quàm Curatis & parochialibus Sacerdotibus concedi potestatem, & aliunde certum sit, nec Curatos, nec parochiales Presbyteros à jure habere potestatem sibi subditos absolvendi ab casibus, quos ad suæ diœceseos ædificationem sibi Episcopi reservaverint; indubitatum pariter esse debet, Regulares nullam habere potestatem fideles absolvendi ab casibus Episcopis reservatis. Et hoc ita intelligendum esse declarat Glossa in hanc Clementinam, quæ sic habet: *Hoc intendit*, (summus Pontifex cum Concilio) *quòd Fratres in casibus Episcopis reservatis non possunt absolvere*, ut legere est Clement. lib. 3. de sepulturis, tit. 7. pag. 190.

Hoc ipsum declarat evidentiùs idem Pontifex in eodem Viennensi in Clementina *Religiosi.* quæ legitur Clementinarum lib. 5. de privilegiis & excessibus, &c. tit. 7. column. 2. fol. 296. *Quibus etiam*, Religiosis, *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu indulgentias pronuntient indiscretas, neve cùm confectionibus testamentorum intererunt, à restitutionibus debitis aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis retrahant testatores: ne legata vel debita aut malè ablata, incerta sibi aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus vel conventibus in aliorum præjudicium fieri seu erogari procurent. Nec etiam in casibus Sedi Apostolicæ aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere præsumant.* Et paulò pòst explicat quâ pœnâ debeant affici violatores ejusmodi decretorum: *Siqui verò præmissa vel de præmissis attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis quæ secundùm eorum regulam vel statuta pro gravibus criminibus, seu culpis eis consueverunt imponi: super quibus absque manifesta necessitate, cum eis non valeat dispensari.* Hæc Clemens V. Pont. Max. in & cum œcumenico Viennensi Concilio edixit & promulgavit.

Ex his duabus Clementinis patet, Regulares non posse quemquam absolvere ab casibus quos reservarunt Episcopi. Ex prima quidem, quia, ut observavit Nicolaus Isambertus tractat. de pœnit. art. 4. ibi mendicantes æquantur tantùm Curatis seu Parochis penes potestatem absolvendi, quatenus Mendicantes possunt vi illius utriusque decreti (duabus Clementinis comprehensi) absolvere pœnitentes ab iis tantùm casibus, à quibus Parochi jure communi possunt suos absolvere. Ex secunda verò, quia Pontifex cum Concilio id prohibet in virtute obedientiæ & interminatione maledictionis æternæ, & proposita graviori pœna, quâ Religiosi pro gravissimis flagitiis in vim Regulæ suis in Monasteriis affici solent.

Concilium Tridentinum quod asserimus, non significat, declarans, imò supponens velut indubitatum, Episcopos juxta veterem Ecclesiæ praxim posse peculiari suo judicio graviores reservare casus, à quibus nemo Sacerdos excepto mortis articulo, nisi ex eorum facultate sacramentaliter absolvere valeat.

Ejus Concilii verba hîc expendere necesse est. Sic ergo loquitur sess. 14. cap. 7. de casuum reservat. *Neque dubitandum est, quando omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem* (id est reservatio casuum) *Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ authoritati non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis censuris & peccatis absolvere possunt, extra quem articulum, Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

Ex his Concilii verbis tria colliguntur pronuntiata ad rem nostram insigniter conducentia.

Primum, posse omnes & singulos Episcopos in sua diœcesi graviores reservare casus suo peculiari judicio, pro majori authoritate sibi divinitus tradita, quâ reliquos inferiores Sacerdotes antecellunt.

Secundum est, hanc reservationem casuum non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo valere.

Tertium est, neminem Sacerdotem, si unum mortis articulum exceperis, posse quemquam absolvere ab iis casibus, quos sibi in sua diœcesi Episcopi reservaverint.

Inde rectè & theologicè conficitur, posse Episcopos pro majori, quâ supra secundi ordinis Sacerdotes authoritate pollent, sibi graviores reservare casus, ita ut illa reservatio non solùm pertineat ad externum Ecclesiæ regimen, verùm etiam coram Deo vim habeat; atque adeo Sacerdotes Episcopis sibi casus reservantibus subditi, intra reservationis terminos consistere debeant, nec quemquam ab ejusmodi casibus citra crimen & quidem gravissimum absolvere valeant. Quâ lege tenentur etiam ipsi Regulares, tum quia non habent majorem ad administrandum pœnitentiæ sacramentum potestatem, quàm Curati & parochiales Presbyteri, ut patet ex Clementina *Dudum*. tum quia, si quodam aliàs gavisi sunt privilegio, in cujus vim pœnitentes ab casibus Episcopis reservatis absolverint, illud ipsum privilegium, qualecumque sit, ab Concilio Tridentino (sicut & cætera) est funditus abrogatum, ut antea vidimus. Unde cùm ait, Sacerdotes extra mortis articulum nihil posse in casibus reservatis, omnes promiscuè Sacerdotes, tam sæculares quàm Regulares, suo illo decreto complectitur.

Nec est quòd dicant Regulares, sese dejectos jure novo, ad jus antiquum recurrere: siquidem jus illud antiquum ab Concilio Tridentino rescissum non potest valere, nisi apud eos qui ejusdem Concilii decreta & canones pervicaci animo contempserint, atque adeo pronuntiatum ab eo anathema incurrerint. Sic enim loquuntur hujus Concilii Patres can. 11. sess. 14. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.*

Sed de Regularibus, saltem aliquibus, longè aliter sentiendum est: absit enim ut ab ipso Concilio libratum anathema incurrere velint, cùm ex adverso illud Concilium omni reverentia prosequantur, & omni reverentia prosequendum aliis prædicent.

Huic Concilii Tridentini decreto & canoni religiosissimè inhæserunt, quotquot Episcopi in suarum dioceseon reformationem salubrioribus institutis & sanctionibus incumbere voluerunt.

Sanctus Carolus Præsul omnibus numeris absolutissimus, suis in Conciliis crebrò statutum illud renovavit, & inprimis in Concilio Mediolan. III. sub tit. *De iis quæ ad sacramentum pœnitentiæ pertinent.* ita loquitur: *Ne Confessarii Regulares eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos, pœnitentes absolvant, quemadmodum à Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quavis privilegiorum suorum authoritate.*

Et in Concilio Mediolanensi V. idem statuit sub eodem titulo. *Ab iis casibus*, ait, *proximè promulgatis, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate scripto ab Episcopo data, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.*

Et ibidem. *Ne facultatum*, ait, *privilegiorumve, quæ cuicumque etiam Rosarii & crucis signatorum scholæ, confratriæ, collegiove, etiam laicorum, quæve collegis, confratribusque in eo ascriptis, ante vel post Concilii Tridentini confirmationem, concessa sunt, Confessarius cujusvis Ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua diœcesi reservaverit, sine illius facultate absolvat. Si contra fecerit, suspensionem à divinis, ipso facto incurrat.*

Concilia Gallicana quotquot ab Tridentino sunt celebrata, idem omnino sanxere, ut videre est.

1°. In Concilio Rhotomagensi habito anno Redemptoris 1581. sub Carolo Cardinale Borbonio. Siquidem sub titulo *De Curatorum & aliorum Presbyterorum, ac Parœcianorum officiis.* Hoc ipsum de reservatis casibus eamdem sanctionem renovat iisdem verbis, quibus eam Concilium Tridentinum condidit, & habetur sub præfato titulo num. 36.

2°. Concilium Burdigalense celebratum anno Redemptoris 1583. sub Antonio Prevotio Sansaco Burdigalensi Archiepiscopo, idem statutum instaurat, & postea pergit cap. 11. de pœnit. *Sunt*, ait, *sicut accepimus, nonnulli Sacerdotes, qui terminis suis non contenti, passim & sine discrimine ab omnibus peccatis, quantumvis atrocibus, delinquentes cum maximo sua & illorum salutis periculo absolvere præsumunt. Nos huic malo occurrere cupientes, præsenti decreto omnibus Parochis, & aliis Sacerdotibus confessionibus audiendis præfectis, sub excommunicationis pœna prohibemus, ne deinceps a peccatis & criminibus atrocioribus, quorum cognitionem & absolutionem sibi summus Pontifex, aut Episcopus in suis Constitutionibus synodalibus reservarunt, quemquam absolvere; sed ejusmodi criminum reos ad Episcopos suos amandent, ut vel ipsi causâ cognitâ eos absolvant, vel ad summum Pontificem absolvendos mittant: declarantes absolutionem in prædictis criminibus absque certa & præcipua sanctissimi Domini nostri Papæ, vel propriorum Episcoporum concessione per Parochos & alios Sacerdotes, præterquam in mortis articulo, datam, viribus penitus carere, & nullam esse. Omnibus autem Coepiscopis nostris indicimus, ut casus sibi reservatos quamprimum publicari, & scriptos ab omnibus suis Parochis haberi curent.*

Idem statuitur in altero Burdigalensi Concilio anno Redemptoris 1624. sub Cardinale *de Sourdis* celebrato, in cap. 5. de sacrament. num. 6. de pœnitent.

3°. Id ipsum præcipit Concilium Bituricense celebratum anno Redemptionis 1584. in titulo 21. de pœnitent. & ejus partibus can. 8. *A gravioribus criminibus & Episcopo reservatis*, ait, *non liceat Sacerdotibus, cujuscumque Ordinis, gradûs aut Congregationis existant absolvere; sed ad Episcopos pœnitentes remittant, aut ad eorum Pœnitentiarios, ut pro gravitate criminum aut pœnitentiam imponant, aut relaxationem concedant.*

Id ipsum edixit Concilium Aquense sub tit. *Quæ ad pœnitent. sacrament. pertinent.* anno Redemptoris 1585.

Ideo sanxit Concilium Tholosanum anno Redemptoris 1590. de pœnitent. & confessione cap. 4.

Concilium Narbonense habitum sub Ludovico *de Vervins* idem omnino statuit anno Redemptoris 1609. cap. 17. de casibus reservatis: *Absolutio peccatorum cum sit actus jurisdictionis, non potest Sacerdos à peccatis absolvere, nisi in quantum sibi jurisdictio est attributa. Unde simpliciter approbatus non potest ab omnibus casibus absolvere, sed ad Episcopum aut summum Pontificem remittet pœnitentem, in quo casus Sedi Apostolicæ aut Episcopo reservatos inveniet.* Hæc ibi.

Sanctiones ejusmodi Conciliorum sæpenumero in suis generalibus Comitiis & renovarunt, suisque decretis roborarunt nostrates Episcopi, & suis in diœcesibus religiosissimè observari voluerunt. Nec est quòd objiciat quis, decretum illud ab Conciliis provincialibus conditum, non esse tanti, ut Regularium privilegia irritare valeat. Respondeo, hîc esse quidem habendam rationem Conciliorum provincialium, quorum semper magna apud omnes Catholicos authoritas extitit: at præsertim colendum est Concilium Tridentinum œcumenicum, quod nostram conclusionem (quæ Regularibus ab casibus reservatis Episcopis sine peculiari eorum facultate, absolvendi potestatem adimit) docuit expressis verbis, & ab omnibus utpote orthodoxam & Catholicam admitti sub anathematis interminatione voluit.

Eamdem doctrinam firmant summorum Pontificum Bullæ & Rescripta.

Primò, longè ante Concilium Tridentinum omnia seu vera, seu supposititia Regularium privilegia rescidit Sixtus IV. qui fuerat Minorita, & sui Ordinis Generalis Minister, & omnia omnibus Ordinibus concessa ab summis Pontificibus privilegia perspecta habebat & cognita; quæ tamen per celebrem Extravagantem *Etsi Dominici*, ad ædificationem totius Ecclesiæ revocavit.

Secundò, Concilio Tridentino ad fœlicem exitum perducto, cùm Regulares novo ausu ab casibus Episcopis reservatis denuo pœnitentes sacramentaliter absolverent, (quod per aliquod tempus intermiserant ob Tridentini Concilii decretum) sanctus Carolus tanto malo in dies gliscenti occurrendum existimans, perfugit ad Gregorium XIII. à quo petiit in terminis, *an Regulares ex privilegio à Sede Apostolica impetrato, & præsertim ex eo quod nominant mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere pœnitentes.* Hac de re ubi Congregatio accuratè egisset, deinde ad S. D. N. retulisset, Sanctitas sua etiam de sententia Congregationis censuit ex facultatibus per hoc mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus sibi ab Episcopis reservatis, &c. Datum Romæ 10. Septembris 1577. Hoc decretum legere est apud Piasecium in Praxi Episcop. p. 2. de casibus Episcopo reservatis.

Tertiò, cùm per Gregorii XIII. decretum nondum repressa esset Regularium audacia, Clemens VIII. aliud edicere & promulgare coactus est, in hæc verba: *Sacra Congregatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, justis & gravibus causis id exigentibus, ac de sanctissimi D. N. Clementis VIII. speciali mandato vivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam sæcularibus quàm Regularibus, per universam Italiam extra urbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, militiarum, aut congregationum etiam Societatis Jesu, quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet & præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè, scripto aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apostolicâ, vel ejus authoritate eorum Ordinibus, congregationibus, collegiis, vel societatibus aut archiconfraternitatibus sæcularium, aut singulis personis, seu aliàs quomodocumque, sub quibusvis tenoribus, formis & clausulis, etiam derogatoriis, ad cujusvis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum principum instantiam concessarum seu confirmatarum, alicui cujusvis status, gradus & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiastica quàm sæcularis, etiam regia vel imperialis; ab ullo ex casibus clarè vel dubie in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum & per Sanctitatem suam ejusve successores pro tempore, in eadem Bulla vel aliter reservandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova vel speciali Sanctitatis suæ, aut successorum suorum vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reservatos respectivè, impetratâ in scriptis licentiâ Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, aut præsumat. Sed cùm opus fuerit pœnitentes ad superiores legitimosque judices accedere, consulant: sub pœna contra facientibus, tam Regularibus quàm sæcularibus, excommunicationis, privationis officiorum & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto absque ulla alia declaratione incurrenda, super quibus à nemine nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatiove, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri: Sanctitas enim sua, quatenus opus sit, facultates & concessiones ipsas in hac parte, uti cassas & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscumque.*

Præterea noverint pœnitentes absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris & momenti, &c. Datum Romæ die 9. mensis Januarii ann. 1601.

Ex hac Constitutione intulit Paulus Comitolus Societatis Jesu Theologus, Regulares carere omnibus privilegiis, quibus pœnitentes ab casibus reservatis ab summo Pontifice vel ab Episcopis absolvere valeant. Sic enim loquitur lib. 1. Respons. moral. quæst. 25. *Quæ quidem sententia* (aiens, Regulares non posse absolvere ab casibus reservatis) *& superiore ætate semper vera fuit & hac nostrâ recentissimâ adeo est vera, ut contraria opinio defendi nulla ratione queat, propter Concilii Tridentini decreta, & propter sancti Domini Clementis VIII. decretum, quo Religiosorum omnium revocata sunt privilegia, quæ aut Romanorum Pontificum aut Episcoporum reservationi casuum officere videbantur.* Hæc ille.

Quartò, ista Clementis VIII. Constitutio Regulares omnes ad obedientiæ officiique religionem revocatura videbatur; sed nihilo secius illi ad ingenium rediere, nec pœnitentes ab casibus tam summo Pontifici quàm Episcopis reservatis absolvere destitetunt. Unde contigit ut Paulus V. Clementis VIII. successor proximus conderet aliud decretum, quo ejusmodi hominum audaciam coërceret.

Hoc decretum conceptum est hisce verbis: *Quoniam sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum ac Regularium præpositorum nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultatis seu privilegii ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, ut etiam à casibus locorum Ordinariis in eorum diœcesibus reservatis, absque alia ipsorum Ordinariorum licentia pœnitentes absolvere minimè dubitent, nonnullosque alios in decreto prohibitionis, absolutionis à casibus Sedi Apostolicæ vel locorum Ordinariis reservatis die nona Januarii 1601. fœlicis recordationis Clementis Papæ VIII. jussu edito, necnon in declaratione illius eodem Clemente Pontifice jubente die 26. Novembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi Apostolicæ vel Ordinariis prædictis reservatas minimè comprehensas asserere. Unde fit ut metus, quo homines à peccando coërcentur, absolutionis facilitate exolescat. Ideo sacra eadem Congregatio de S. D. N. Pauli V. speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, decretum hujusmodi, illiusque declarationem, necnon censuras & pœnas in eis contentas, omnia confirmanda atque innovanda operæpretium duxit, prout per præsentes confirmat atque innovat, ab omnibusque Sacerdotibus tam sæcularibus quàm Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, militiarum, congregationum, ac cujusvis alterius instituti etiam necessariò exprimendi, quovis nomine nuncupetur, inviolabiliter observari, ac insuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuscumque privilegiis, indultis, & facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis præterquam in mortis articulo, absolvere audeant vel præsumant, vel eorum aliquis audeat vel præsumat, sub iisdem censuris & pœnis eo ipso & absque alia declaratione incurrendis, mandat & præ-*

cipit, nonobstantibus omnibus quæ idem Clemens VIII. in Decreto & Declaratione hujusmodi voluit non obstare. Datum Romæ 7. Januar. 1617.

Quintò, Urbanus Papa VIII. cùm rescivisset, plerosque Regulares Decretis Clementis VIII. & Pauli V. nihil obtemperare, causatos ejusmodi Decreta extra Italiam neminem obligare, aliam Constitutionem edidit, qua Regulares omnes tam intra Italiam, quàm extra, neminem ab casibus tam Apostolicæ Sedi, quàm Ordinariis locorum reservatis, absolvere posse declaravit.

S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita censuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si qua habebant absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis. Quemadmodum neque indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujusvis ordinis, congregationis, societatis, & instituti etiam necessariò exprimendi, nec intra nec extra Italiam, in vim privilegiorum aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerint, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ Domini aut Ordinario loci reservatis. At si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore: ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem sanctæ Congregationis decretis hac de re editis jussu sanctæ memoriæ Clementis VIII. quam sacræ Congregationis Sanctitas sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembr. 1628.

Sextò, Innocentius X. omnia illa decessorum suorum Pontificum Decreta litteris per sacram Congregationem ad Archiepiscopum Neapolitanum inscriptis 9. Decem. 1647. mirificè roboravit. Nam

1°. Asserit, omnes facultates ad absolvendum ab casibus Sedi Apostolicæ reservatis in Bulla *In Cœna Domini* vel Ordinariis locorum, esse penitus extinctas & rescissas per sacrum Concilium Tridentinum & per Decreta Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. quæ suprà retulimus.

2°. Ait, eas facultates non esse revalidatas, seu non revixisse per privilegiorum confirmationes quas obtinuerunt, neque revicturas per ullas in posterum confirmationes, quantæcumque sint, & quantumvis favorabiles appareant.

3°. Declarat erroneam opinionem eorum qui affirmant Regulares petita facultate absolvendi à casibus reservatis, & non obtenta, posse nihilominus absolvere.

4°. Significat omnes Confessarios sese ad hujusmodi Decretorum regulam & amussim componere oportere, & excepto mortis articulo nihil eis hac in parte licitum esse, ita ut in extrema vitæ linea absolutos sese Ordinario repræsentare oporteat, si revalescant.

5°. Declarat, omnia indulta Apostolica vivæ vocis oraculo concessa esse penitus irrita.

6°. Significat, eos qui rescriptum aliquod aut Bullam in forma speciali ab ultima Urbani VIII. constitutione obtentam habere se dictitant, eam intra tres menses citra ullam dilationem proferre oportere, alioquin eos de omni concessionis ejusmodi usu esse dejiciendos.

7. Affirmat, eos qui asseruerint, Sacerdotem, præsertim Regularem, ab casibus Ordinario reservatis posse absolvere, petita, non obtenta facultate, vel qui ex ea sententia quemquam absolvere ausi fuerint, suspensionem incursuros esse.

Hanc Innocentii X. constitutionem legere est apud Paschaligum Theatinum in addit. ad Lauret. de Franchis, n. 1461.

Ultimò denique Alexander VII. propositionem, quâ asseritur, Regularem posse absolvere à casibus reservatis, petita, non obtenta facultate, veluti falsam & authoritati Episcoporum & Sedi Apostolicæ injuriosam authoritate Apostolica damnavit.

Quisquis ergo post decreta tot summorum Pontificum tam perspicua tantoque consensu Regularium privilegia ad casuum reservatorum absolutionem spectantia vel abrogantium vel certè abrogata esse declarantium, ab iis absolvere attentaverit, sese dubio procul rebellem & contumacem præbebit, & dignum in quem vox illa prophetica torqueatur: *Furor illi secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Psal. 57.

Traditam à nobis doctrinam Conciliorum summorumque Pontificum decretis consentaneam astruunt Scholastici.

1°. Soto Dominicanus inter præstantissimos sui Ordinis Theologos annumeratus in 4. Sentent. dist. 18. q. 4. art. 3. quærit utrum Regulares possint absolvere ab omnibus casibus Episcopo reservatis, & refert opinionem Sylvestri & Gabrielis id affirmantium, & postea subdit:

Verumtamen ista opinio neque est tuta neque more servatur, quoniam expressè habent in eadem Clementina: Per hujusmodi concessionem nequaquam intendimus ampliorem potestatem Fratribus impendere, quàm est Curatis & parochialibus Sacerdotibus à jure concessa, &c. idque confirmatur ex Clementina Religiosi. de privileg. ubi excommunicantur Religiosi, si tentaverint absolvere à casibus reservatis Apostolicæ Sedi vel locorum Ordinariis. Quapropter nulla est solutio respondentium: Inhibetur absolvere à casibus reservatis, quibus est excommunicatio annexa. Nam duæ sunt clausulæ prior, ne absolvant excommunicatos; & posterior, ne absolvant à reservatis, etiam citra excommunicationem, &c.

2°. S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 11. id disertè explicat. *Quia*, inquit, *non est clarum qui sint casus reservati Episcopis in jure communi, ideo tutior est via in hujusmodi, quod Fratres, si possunt, sciant ab Episcopo quos casus sibi vult reservare, & de illis se non audeant impedire.*

3°. Reginaldus lib. 8. cap. 5. sect. 2. eadem propè verba repetit, quæ mox ex Soto retulimus, & ejus sententiam amplectitur, & reprobat Sylvestri & Gabrielis sententiam, quam ait nec tutam esse nec receptam. Et postea recitat verba Clementinæ *Dudum.* & subjicit: *Ex quibus verbis patet, Religiosos virtute dicti privilegii non posse absque speciali gratia Episcopi absolvere à casibus ei reservatis, magis quàm simplices Curatos. Quod confirmatur ex Clementina Religiosi. de privileg. ubi excommunicantur Religiosi, si tentaverint absolvere à casibus reservatis Apostolicæ Sedi, vel locorum Ordinariis.* Hæc ille.

4°. Vivaldus S. Augustini Religiosus, in Candelabro aureo de Sacram. tit. 11. n. 36. ita loquitur: « Quæritur utrum stantibus suis privilegiis quibus habetur, quòd Fratres mendicantes possint absolvere quoscumque & undecumque ad se venientes ab omnibus peccatis & censuris, etiam Papæ à jure vel ab homine reservatis, (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) possint hodie post Concilium Tridentinum absolvere à casibus quos Episcopus à jure vel ex consuetudine reservat sibi, & an Episcopi possint talibus

libus Fratribus interdieere vel præcipere, ne à casibus sibi reservatis absolvant, &c.

Concludo, Regulares virtute maris magni non posse absolvere à casibus Episcopo reservatis, ut à sanctissimo Domino Gregorio Papa XIII. ex sententia Congregationis Concilii Tridentini fuit declaratum.

5°. Navarrus in Enchirid. cap. 27. n. 266. hoc idem affirmat. *Præsentatus*, ait, *non debet absolvere à casibus Episcopo reservatis, nisi facta ei ad id potestate.*

6°. Ludovicus Miranda S. Francisci Religiosus in Manuali Prælator. tom. 1. q. 46. art. 11. in eamdem concedit sententiam, dum ait: Confessores Regulares hodie, etiamsi sint præsentati, juxta formam Clementinæ *Dudum.* nullatenus possunt absolvere à casibus Episcopis de jure aut specialiter reservatis, quos pro tempore ipsi sibi reservaverint.

Idem Author ejusd. quæst. art. 4. eamdem doctrinam explicat uberiùs his verbis: *Supradicta privilegia Confessariis Regularibus olim concessa absolvendi à casibus Episcopis specialiter reservatis, revocata sunt per Concilium Tridentinum; & quando id ita non esset, expressissimè nunc revocata sunt per novum edictum atque constitutionem editam ab illustrissimis Cardinalibus præfectis declarationi dicti Concilii, & negotiis, causis atque consultationibus Episcoporum & Regularium, ex speciali mandato & commissione vivæ vocis oraculo desuper habito S. D. N. Clementis Papæ VIII. Neque est opus impræsentiarum prædictum edictum sive constitutionem referre, cùm loco præallegato habeatur expressè. Sed quòd ante prædictum Concilium ejusmodi privilegia fuerint revocata, constare videtur ex illis verbis, quæ habentur session. 14. cap. 7. ubi dicitur, quòd liceat Episcopis quoad suos subditos sibi casus reservare, & quòd in mortis articulo nullus est casus reservatus, extra quem Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, in unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. Ex quibus ut videtur, satis clarè colligitur, quòd Confessarii prædicti Regulares juxta dictum Concilii in casibus Episcopis reservatis, etiam per sua privilegia jam omnino nihil poterant, seclusô novo quocumque edicto, constitutione Clementis VIII. & declarationibus illustrissimorum Cardinalium, qui in contraria sunt sententia & opinione, dicant quod voluerint. Nam ego hac in re nullo modo possum illis assentiri. Sed dicant prædicta Concilii verba esse intelligenda tantummodo de Sacerdotibus & Confessoribus sæcularibus, non autem de Regularibus legitimè præsentatis, atque ab Ordinariis approbatis, de quibus specialis atque expressa mentio, cùm ut prædictum est, ex alio etiam novo jure dicta privilegia tot vicibus etiam post Concilium Tridentinum maneant revocata & annullata.* Hactenus Miranda.

7°. Pellizzarius Societatis Jesu Theologus idem astruit verbis expressis tractat. 8. cap. 3. sect. 111. subsect. 11. p. 279. *A casibus*, ait, *qui specialiter reservantur ab unoquoque Ordinario in sua diœcesi, non possunt Regulares absolvere, neque in Italia, neque extra Italiam, idque ob varia Decreta sacræ Congregationis id ipsis expressè prohibentia, idque abrogatis quibuscumque indultis, privilegiis ac concessionibus quoad hoc quomodocumque Regularibus concessis.*

Et postea subdit: *Dixi, neque in Italia, neque extra Italiam, ut indicarem post decretum Urbani VIII. hac de re editum non subsistere, quòd aliqui dicebant præfata Decreta non obligare extra Italiam: id colligentes ex verbis illis, Per universam Italiam extra urbem degentibus, positis in Decreto Clementis VIII. cùm Urbanus VIII. in illo suo Decreto apertè comprehenderit Regulares Confessarios existentes tam extra Italiam, quam intra, ut constat ex illis verbis, nec intra nec extra Italiam, quæ apponit in suo Decreto.* Hæc idem Pellizzarius loco citato.

8°. Suarez quem Jesuitæ suorum Theologorum principem non immeritò appellant, id ipsum quod asserimus, tradit egregiè disput. 30. sect. 3. n. 16. ubi post multa ait: *Addo præterea in Clement. Dudum. de privileg. declarari, Religiosos ex vi illius concessionis non habere majorem facultatem absolvendi à peccatis, quàm Parochos ordinarios. Illi autem non habent facultatem absolvendi à peccatis reservatis Episcopis. Ergo, &c. Item in Clement. Religiosi. de privileg. §. quibent. præcipitur Religiosis sub interminatione maledictionis æternæ, ne à casibus Sedi Apostolicæ aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvant.*

Et paulò infrà: *Addo præterea, sententiam hanc non solùm confirmatam esse responsione quadam Cardinalium quæ est 662. sed etiam addi, non posse Religiosos per privilegia maris magni (quod appellant) absolvere ab his peccatis Ordinariis locorum reservatis.* Hæc ille: quibus addit, Extravagantem inter cunctas, & alia id genus quæ ad sua privilegia stabilienda proferunt Regulares, esse revocata, & ex quo facta & promulgata est illa revocatio, nihil jam reperiri, quo eorum facultates, concessiones, & alia ad præsentem quæstionem pertinentia solidè fulciantur. Idem sentit Vasquez quæst. 93. art. 2.

9°. Zerola in Statut. synodalibus Goillelmi Macloviensis Episcopi p. 913. affirmat, excommunicatos esse Regulares qui absolverint ab casibus Episcopo reservatis. *Qui absolvunt*, ait, *à casibus reservatis absque recente licentia, non opus est, ut excommunicentur, sed ut declarentur tales, sicut multoties fuit declaratum per sacram Congregationem.*

10°. Paulus Piacesius idipsum confirmat Prax. Episcop. p. 2. cap. 1. *Confessio*, ait, *& absolutio à reservatis est invalida, & Confessarius sæcularis absolvens potest puniri ab Ordinario pœnâ per ipsum contra tales ordinatâ. Regularis verò incurrit excommunicationem ab solo P. absolvendam &c.* Et addit: *Nam etiam ante præmissum Decretum Congregationis (sub Clemente VIII. datum, & authoritate Apostolica roboratum) nullis privilegiis se tueri poterant Regulares, ut possent absolvere à casibus Episcopo reservatis.*

Hæc testimonia nostræ conclusioni tam apertè suffragantia eo nomine graviora & locupletiora haberi debent, quòd ab tot Regularibus, quorum hac in parte maximè intererat, nobis suppeditata fuerint.

Ad nostræ doctrinæ confirmationem accedit praxis omnium Ecclesiarum in toto terrarum orbe consistentium. In Italia is est usus, ut nec Regulares à casibus reservatis sive summo Pontifici, sive Ordinariis locorum, privilegiis Ordinibus suis concessis innixi dumtaxat, quemquam, nisi in articulo mortis, sicut & cæteri, absolvere permittantur; ut testatur Hallerius in Commentario ad Ordinationes Cleri Gallicani p. 264. Id patet etiam ex constitutionibus Gregorii XIII. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X. quas suprà retulimus. Ideoque in facultatibus audiendi confessiones, quæ conceduntur tam sæcularibus quàm regularibus, semper additur hæc clausula, *exceptis casibus reservatis.* In Ecclesiis Hispaniæ & Lusitaniæ idem observatur, ut videre est in formulis approbationum quas refert Barbosa; & reverà nullæ vel perpaucæ sunt Synodi, in quibus non recenseantur aliquot casus, quorum absolutio solis reservetur Episcopis, atque adeo cæteris Sacerdotibus eorum jurisdictioni subditis interdicatur.

Prætereà nulla sunt Ritualia jussu Episcoporum in singulis diœcesibus edita, quæ non meminerint casuum reservatorum, à quibus solus Episcopus vel approbatus Sacerdos de speciali ejus licentia absolvere valeat. Unde contigit ut sacra Theologorum Parisiensium Facultas Jacobum Vernantium hierarchiam ad regendam Ecclesiam Dei divinitus institutam plerisque propositionibus falsis, hereticis, erro-

acis, & Episcoporum juri contrariis labefactare molientem, acerrimâ censurâ percelleret.

Docuerat ille 1°. posse Regulares in vim juris per Clementinam *Dudum.* constituti, absolvere ab omnibus peccatis, quæ de jure non sunt Episcopis reservata. 2°. Hanc prohibitionem Regularibus in Clement. *Dudum.* significatam, quâ vetantur absolvere à peccatis, quæ jus Episcopis reservavit, nihil aliud esse quàm facultatem absolvendi ab non reservatis in jure, potà ab iis, quæ sibi Episcopi per sua statuta synodalia reservant. Quas propositiones sacra Facultas damnavit in terminis: Doctrina his duabus propositionibus contenta est falsa, ordinariæ Episcoporum jurisdictioni detrahens, juri communi & praxi Ecclesiæ contraria. Has propositiones & plures alias justissimâ censurâ confixit 24. Maii, suamque censuram confirmavit illa ipsa Facultas 26. ejusdem mensis anno Redemptoris 1664.

Quæstio XXXIII.

Utrum Regularis in una diœcesi approbatus pro quacumque alia sine nova approbatione approbatus censeri debeat?

Respondeo, Regularem in una diœcesi ad exercendas functiones hierarchicas approbatum, non posse in altera eas exercere, quin ab Episcopo diœcesano eum in finem fuerit approbatus.

Hanc responsionem confirmavit Innocentius X. in Brevi dato Romæ 14. Maii anno Redemptoris 1648. quarto sui Pontificatus anno. Cùm enim Episcopus Angelopolitanus Jesuitas authoritatem Episcopalem penitus infringere & obterere animadverteret, perfugit ad Apostolicam Sedem, & quæstiones varias proposuit, quas inter erat hæc nona: Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi diœcesani, etiamsi in aliena diœcesi approbatus sit?

Respondit dictus Innoc. Regulares, etiam Societatis Jesu, in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.

Præterea in respons. ad 10. quæst. declarat, Episcopum posse Regularibus administrationem sacramenti, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coërcere & punire in vim constitutionis felicis recordationis Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili Dei providentia.* Si sine ejus approbatione sæcularium confessiones excipere vel in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, prædicare audeant. Ita declaravit sacra Congregatio de mandato sanctissimi D. N. Innocentii Papæ X. qui hanc declarationem authoritate Apostolica comprobavit, ut patet ex ejus Brevi dato Romæ anno & mense prædictis.

Porro Suarez & Conincb referunt aliam declarationem Cardinalium, qui ab Archiepiscopo Valentino hâc de re consulti, ita responderunt: Congregatio Concilii censuit approbatum ab alio quàm à Valentino Episcopo in diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario.

Extat & alia declaratio ejusdem Congregationis data 6. Junii 1608. approbata & confirmata ab Paulo V. quæ sic habet: Congregatio Concilii censuit omnem Presbyterum sæcularem aut regularem approbatum in una diœcesi ad audiendas confessiones sæcularium non posse eas audire in altera absque approbatione Episcopi diœcesani.

Longè plures apud Barbosam & alios extant hac de re declarationes, quas prolixitatis vitandæ gratiâ prætereo.

Quid quod ipsimet Theologi Regulares nulla suorum ordinum aut privilegiorum habita ratione huic veritati litaverunt?

Inprimis Suarez disput. 28. sect. 7. dub. 2. totam hanc rem insigniter explanavit. *Dicendum censeo*, ait, *Religiosum approbatum ab suo Ordinario, id est ab Episcopo, in cujus diœcesi habitabat, si habitationem & quasi domicilium mutet alterius in loco um diœcesis, indigere nova approbatione Episcopi illius diœcesis, ut eligi possit per hanc facultatem, quia debet esse approbatus à suo Ordinario, jam autem aliam Ordinarium habet: ergo alia approbatione indiget: ut si Sacerdos sæcularis approbatus à suo Episcopo mutet domicilium in aliam diœcesim, indiget nova approbatione, quia jam habet alium Episcopum proprium, &c.*

Ita ergo in Religiosis dicendum, qui quoad hoc solum videntur differre à sæcularibus, quod faciliùs & frequentiùs domicilium mutant, & ideo sæpius coguntur hoc onus sustinere; sed hoc nihil refert. Ita Suarez loco proximè laudato.

Secundò, hanc eamdem doctrinam amplectitur Gabriel Vasquez q. 33. dub. 4. ubi ostendit, eam obligationem, quâ tenentur Regulares sese sistere Episcopis ad accipiendam approbationem, Concilio Tridentino esse multò antiquiorem. Cùm enim dixisset, id maximè quæsitum esse propter Religiosos, addit: *Existimo necessarium esse, Sacerdotem approbatum esse ab Episcopo, ut in ejus diœcesi audire possit ex commissione & privilegio confessiones juxta formam Concilii, neque approbatum in una diœcesi ab uno Episcopo esse approbatum in alia, quod ab omnibus in praxi observari video: quia in Concilio notanter dicitur, nullum posse audire confessiones, nisi aut habentem beneficium parochiale, aut per examen ab Episcopis, aut aliàs ab ipsis judicetur idoneus. Non dixit, ab uno Episcopo, quasi unius sufficiat approbatio, sed ab Episcopis, quasi ab unoquoque Episcopo in sua diœcesi debeat approbari. Et eodem modo in illa Extravaganti Super Cathedram. de sepulturis. decrevit Bonifacius erga Fratres mendicantes, ut scilicet præsentati à suis Prælatis, ut idonei licentiam obtinerent ab Episcopo, & non ad unam provinciam præsentarentur, sed ad unam civitatem, hoc est diœcesim, ita ut necessaria esset licentia cujuscumque Episcopi in sua diœcesi, quod rationi maximè congruit; nec ab hoc voluit Concilium discedere: aliàs unius Episcopi approbatio sufficeret pro omnibus diœcesibus mundi, quod satis constat absurdum esse.* Hactenus Vasquez.

Tertiò, Pellizzarius idem docet tractat. 8. cap. 3. sect. 2. subsect. 1. *Quæres* 4. ait, *an Regulares alicubi approbati ab Ordinario possint ubique audire confessiones absque eo, quòd ibi de novo approbentur. Respondeo, jure communi non posse, sive sint approbati absolutè, sive limitatè. Et probatur, tum quia Concilium Tridentinum session. 23. cap. 15. declarat, nullum Sacerdotem posse audire confessiones, nisi ab Episcopis approbationem accipiat; ac proinde cùm utatur nomine plurali, dicendo, ab Episcopis, indicat, Sacerdotem ad hoc, ut in pluribus diœcesibus possit audire confessiones, indigere plurium Episcoporum approbatione: tum quia alioqui Episcopus deberet hac in re fidere judicio aliorum Episcoporum, præsumendo, Sacerdotes ad ejus diœcesim accedentes, hoc ipso quòd alibi fuerunt approbati, esse idoneos ad audiendas confessiones, cùm tamen possit contingere, ut sint minùs idonei, sive simpliciter, sive in hac illa diœcesi, in qua fortè sunt alia consuetudines, ac peccatorum reservationes, alia instituta, alia hominum ingenia, alia contractuum genera: tum quia Gregorius XIII. concessit Religiosis Societatis Jesu, ut semel approbati ac expositi à Supe-*

rioribus, quando iter faciunt per alias diœceses, possint audire confessiones, modò non repugnent Parochi, & facilè adiri non possit Ordinarius, quod est signum de jure communi id non licere. Hæc Pellizzarius loco citato.

Idem affirmat Rodrigu. tom. 1. q. 59. art. 5. & Miranda q. 45. art. 8.

Quartò, Lauretus de Franchis de approbat. Confess. q. 5. sic loquitur: *Approbatus in uno Episcopatu non potest in alio audire confessiones.*

Paschaligus Theatinus hujus rei pulcherrimam rationem affert in notis, quibus hunc Authorem illustravit. *Quia*, ait, *approbatio est actus authoritativus & jurisdictionis, quia non est nuda declaratio idoneitatis, sed declaratio authoritativa. Actus autem authoritativi & jurisdictionis non excedunt sphæram authoritatis & jurisdictionis, atque adeo nec limites diœcesis, & ideo non habent vim extra ipsam, nisi rati habeantur, ut contingit in Doctoratu. Approbatio autem unius Ordinarii non rata habetur ab alio. Accedit etiam, quòd approbatio est superaddita jure novo præsentationi, quæ sola sufficiebat de jure antiquo quoad Regulares: ergo sicut de jure antiquo necessaria erat præsentatio respectu cujuscumque Ordinarii, ita etiam erit necessaria approbatio tanquam superaddita præsentationi.* Hæc Paschaligus in notis ad Lauretum de Franch. n. 1404.

Plures proferre possem Theologos, qui Conciliorum summorumque Pontificum decretis congruenter elocuti, nihil aliud quàm Regulares Episcoporum regimini subjicere studuerunt; sed Senatusconsultum, vulgò Arrestum, è sanctiori Regis Christianissimi consilio profectum, me rapit ad sese, & cætera testimonia relinquere hortatur.

Quæstio XXXIV.

Quanti ponderis haberi debeat Arrestum Agennense in sanctiori Ludovici XIV. Consilio prolatum quarto Maii anno sal. 1669.

UT innotescat quanta polleat authoritate & quanta religione observari debeat hoc Arrestum, controversiæ inter Episcopos & Regulares non nunc primùm ortæ decretorium, revocanda est in memoriam quorumdam Regularium Agennensium rebellio, qui quidem authoritatem Agennensis Episcopi, sicut & cæterorum omnium nescio quo privilegiorum obtentu elidere, & veluti conspiratis factionum partibus obruere voluerunt; Sed *viri fortes* insignes Episcopi hierarchiæ, cui à Christo Domino sunt præpositi, *ascenderunt ex adverso, & opposuerunt murum pro domo Israël, ut starent in prælio*, & malesanos ejusmodi hominum impetus retunderent.

Ezechiel. 13.

Confugerunt scilicet ad Regem Christianissimum, à quo enixè poposcerunt, ut Episcopalem authoritatem jamdudum ambitiosis Regularium consiliis & machinationibus appetitam, & Conciliorum tam œcumenicorum quàm provincialium decretis strenuè stabilitam, summorum Pontificum rescriptis egregiè munitam, authoritate regia tutaretur & assereret. Princeps Christianissimus tuendæ Religionis & propagandæ studio sic tanquam hæreditario perustus, totam hanc controversiam & litem otiosè & acutè inspectam, juris & æquitatis libra momentisque perpensam, ad suum, idque sanctius, Consilium bona fide referri & cognosci voluit.

Ad hanc causam per omnes numeros acriùs inspiciendam, eadem diligentia fideque optima explanandam, disceptatores adhibuit viros omni virtute, & singulari ejusmodi rerum peritiâ ornatos, Dominos scilicet *de Morangis* & *Boucherat*, ac alios viros pietate ac eruditione insignes, qui quidem Episcoporum jura & potestatem Apostolicam ad sanctum Ecclesiæ regimen divinitus institutam ab ipsis fontibus, ab sacris nimirum Litteris, ab Conciliorum oraculis, ab summorum Pontificum constitutionibus & decretis, ab ipsis denique Theologorum Scholis repetere studuerunt.

Ac reipsa quidem præfatum illud Arrestum in lucem editum complectitur omnia testimonia ex prædictis fontibus hausta, quæ ad stabiliendam & asserendam Episcoporum authoritatem conducere potuerunt. Nec habuerunt satis acerrimi tantæ controversiæ disceptatores secum invicem hisce de rebus colloqui, easque limato judicio, ut solent, discutere; sed præterea sua sensa cum illustrissimis Episcopis & egregiis Doctoribus communicare voluerunt, ne in re tam gravi, è qua pendet totius Ecclesiæ saluberrima gubernatio, suo dumtaxat genio philosophati, vel tantillùm ab orthodoxa veritate deflecterent. Sua nempe sensa, suæ sententiæ nempe fundamenta, communicarunt cum quatuor Episcopis omni scientiæ pietatisque laude cumulatis, scilicet cum D. Episcopo Catalaunensi, cum D. Episcopo Carnotensi, cum D. Episcopo Uzetensi, & cum D. Episcopo Sagiensi, & præterea cum D. *de Contes* meritissimo Parisiensis Ecclesiæ Decano, & D. *Porcher* Doctore Sorbonico.

His ita præmissis, ex hoc Arresto excerpendum est quicquid potissimùm in rem nostram convenire poterit.

Disceptatores censuerunt (verba sunt Arresti) posthabito Senatus Burdigalensis Arresto 6. Septem. 1666. reddito, posse Regem Christianissimum decernere, ut mandata D. Agennensis Episcopi edicta 6. Maii 1666. & 2. Augusti 1668. in sua forma & tenore serventur: & præterea tò, sancire congruenter legibus & praxi Ecclesiæ, ut nemo Sacerdotum sæcularium & regularium præfatæ diœceseos Agennensis prædicare possit, nisi de præfati Episcopi licentia; & ne ipsi quidem regulares in sui Ordinis templis, nec in suarum Congregationum sacellis, quin priùs ipsimet ad prædictum Episcopum ejus petendæ benedictionis gratiâ sese contulerint, in quibus tamen ipso reluctante prædicare non poterunt.

2°. Ut præfatus Episcopus possit limitibus quibusdam circumscribere & revocare concessas iis facultates, cùm visum fuerit.

3°. Ut nec sæculares nec regulares, nisi obtenta Episcopi approbatione, (quæ gratis dabitur) confessiones excipere valeant.

4°. Ut ille ipse Episcopus congruenter legibus & praxi Ecclesiæ possit iis concedere approbationem limitatam & definitam loco, personis, temporibus, & casibus sibi reservatis, ita ut elapso tempore in ejusmodi approbationibus expresso, nec sæculares, nec regulares confitendi munus continuare possint quocumque prætextu, nisi in ultimæ necessitatis casu, donec denuo fuerint approbati, & novum etiam subierint examen, si Episcopo necessarium videbitur.

5°. Ut idem Episcopus concessam confitendi facultatem congruenter Ecclesiæ legibus & praxi revocare possit, etiam antequam illius tempus exierit; idque ob causam ad sacramenti pœnitentiæ administrationem verè pertinentem, quæ ab concessa approbatione intervenerit. Ita ut ipse Episcopus non teneatur aperire ejus revocationis causam, quæ penes ipsius conscientiam erit. Poterunt tamen tam sæculares quàm regulares provocare ab actionibus litis, & à pœnis vel ab Episcopo vel ab ejus Officiale infligendis, ob infractiones ejusmodi revocationum, de quibus violatis eorum quispiam insimulabitur, ita tamen ut interjectæ provocationis obtentu cum Episcopo, de ejus authoritate ad approba-

" tionum limitationem revocationemque pertinente,
" disceptare nequeant. Provocationes autem de actio-
" nibus litis & de edictis ab præfato Episcopo ad dis-
" ciplinam ecclesiasticam in sua diœcesi statuendam
" promulgatis, si fuerint simplices, denuntiabuntur
" apud Metropolitanum, & apud eos, quibus provo-
" cationum hujusmodi exercitatio ex jure, juxta Regni
" leges competit. Interea præfata præfati Antistitis edi-
" cta, sublata quacumque provocatione, executioni
" mandabuntur.

Cùm ista enucleatè enarrassent D. *de Morangis* & *Boucherat*, Ordinarii in utroque Regis Consistorio Consiliarii, & ad Regem Christianissimum præsentem retulissent, ipsemet ejusmodi hominum relationi annuens, nihil moratus, Arrestum Senatus Burdigalensis datum 6. Septem. anni 1666. quod rescindit & irritat; sanxit & sancit edicta Episcopi Agennensis 6. Maii 1666. & 2. Aug. 1668. promulgata secundùm formam, & tenorem executioni mandata, &c. Nam Princeps Christianissimus & Religionis tuendæ & proferendæ studiosissimus totidem, verbis repetit omnia (quæ D. *de Morangis* & D. *Boucherat* proposuerant) capita, quæ & nos proximè retulimus, nec prolixitatis vitandæ gratiâ reperimus.

Non solùm autem suum hoc Arrestum in Agennensi diœcesi valere jussit Rex Christianissimus, verùm etiam in omnibus sui Regni diœcesibus promulgari, & in publicas Officialitatuum & alias, ubi opus fuerit, tabulas referri, & ubique ad prævertendos tumultus & contentiones ex ejusmodi approbationibus earumque revocationibus oriri solitas, in toto suo Regno, quaqua patet, religiosissimè observari voluit, & subditis sibi populis pro regia authoritate, quâ valet, imperavit. Eum in finem patentes quas vocant litteras expediri jussit, quarum occasione, si qua fiat intercessio, ejus disceptationem ipse Rex sibi reservavit, eamque cuilibet Curiæ, & quibuslibet aliis judicibus abjudicavit. Factum in sanctiori Regis Consilio ipso præsente Rege, Parisiis habito 4. Maii anno sal. millesimo sexcentesimo sexagesimo nono.

His ita constitutis, facillimum est solvere propositam quæstionem, quâ quærebatur, quanti faciendum esset ipsum hoc Arrestum ad stabiliendam Episcoporum authoritatem tanta maturitate, tantu judicio, & tanta Christianissimi Principis æquitate conditum & promulgatum.

Nam certum est, ipsum hoc Arrestum iis omnibus rebus & fundamentis inniti, quæ legi vel edicto cuipiam authoritatem quantam maximam afferre possunt. Si enim institutio divina, legi vel edicto authoritatem accersere potest, nemo dubitabit, quin hoc Arrestum sit æquissimum: quippe quod authoritatem Episcoporum divinitus ad regendam ipsius Dei Ecclesiam institutam, tuetur, & ab quorumdam Regularium eam commentitiis quibusdam privilegiis labefactare molientium, tam clandestinis, quàm apertis machinationibus & consiliis asserit & vindicat.

Si Canones & Statuta Synodorum tam œcumenicarum quàm provincialium alicujus edicti æquitatem statuere possunt, certissimum est, hoc ipso Arresto nihil æqoius reperiri posse: nihil enim nisi Conciliorum tam œcumenicorum quàm provincialium Statutis apprimè consentaneum continet, ut in superioribus quæstionibus perspicuè demonstravimus.

Si lex vel edictum quodpiam ex summorum Pontificum constitutionibus vim & approbationem irretractabilem trahit: Arresto hoc nihil præcipitur, nisi quòd summi Pontifices suis Constitutionibus edixerunt, ut probavimus recitatis Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. aliorumque Pontificum rescriptis, qui omnes ad conservandum hierarchiam sese pari mentis ardore & impetu contulerunt.

Si denique legislatoris authoritas ad alicujus legis & edicti venerationem & observantiam impellere potest, nomen Christianissimi Regis, qui hoc Arrestum diu discussum, & libratis utrimque rationibus maturè perpensum, ab illustrissimis Episcopis, magnisque Doctoribus inspectum proferri, promulgari & observari voluit, omnes populos in celeberrimi hujus Regni sinu educatos ad religiosissimam ejus observantiam incitare debet: ita ut quisquis vel sæcularis vel regularis huic ipsi Arresto vel verbis, vel factis adversari ausit, illum veluti monstrum ex superbia, contumacia & rebellione conflatum haberi oporteat. Quis enim citra crimen, & quidem immanissimum, contemnere & obterere possit vel velit edictum, quod œcumenica provincialiaque Concilia ad tuendam divinam Episcoporum potestatem non sine divino spiritu condiderunt? Quod denique Rex Christianissimus velut præsidium ad retinendam Ecclesiæ Gallicanæ pacem opportunissimum post maturam sanctioris Consilii deliberationem adhibuit.

Cùm ergo ex Apostolo omnis potestas à Deo sit, atque adeo quicumque potestati resistit, Dei ordinationi resistat; non est dubium, quin si quis huic Ludovici XIV. Arresto, sive sæcularis sit, sive regularis, obtemperare recuset, sese gravi flagitio devinciat. In rebus enim justis, & ad communem tam Ecclesiæ, quàm Regni utilitatem spectantibus, Principibus unumquemque parere necesse est, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Quæstio XXXV.

Quænam & quot sint dotes, quibus ornatum esse Confessarium oportet, ut rite confitendi munus exercere valeat.

Respondeo, quatuor præcipuas numerari Confessarii dotes, ad quas cæteræ facilè revocari queant; quarum

Prima est charitas.
Secunda est prudentia.
Tertia libertas spiritûs.
Quarta denique est scientia.

Quas quidem totidem articulis explicandis aggredimur.

Articulus Primus.

Quibus indiciis deprehenditur ea Confessarii charitas.

Respondeo, multis eam indiciis deprehendi. Primò, si suæ saluti strenuè consuluerit, antequam ad procurandam aliorum conversionem & salutem incumberet. Nam diliges proximum sicut teipsum: ergo si te non diligis, nec animæ tuæ saluti, sicut oportet, prospicis, proculdubio nec proximum diligere poteris. Nam, ut ait S. Aug. *regula tui in proximum amoris, ea est dilectio, qua teipsum prosequeris.* Si ergo teipsum non diligis tuæ saluti acriùs invigilando, nec proximum diliges, ut oportet, quicquid ad promovendum ejus salutem aggredi & exequi videare. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Eccles. cap. 14. v. 5.

Hoc argumentum luculenter exequitur sanctus Bernardus Ep. 8. ad Brunon. Coloniensem Electum. *Horreo, fateor, (sic enim tibi ut mihi loqui debeo quod sentio) horreo, inquam, considerans unde & quò vocaris? præsertim cùm nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque hujuscemodi periculosissimus transitus fiat, & quidem rectus ordo requirit, ut prius propriam, deinde alienas studeas curare conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad*

miserandum proximum, recta jam tramite charitas ordinata procedit: quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quòd si in hunc modum, quo te hactenus ipse amasti, & tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quàm sic diligi: si autem priùs te diligere didicisses, & me forsitan scires amare. Hactenus Bernardus.

Secundò. Illa ipsa Confessarii charitas elucet, si non solum peccato lethali, sed etiam omni peccato tam lethali, quàm veniali affectu careat; & præterea singulis diebus ad majorem pietatem, secessu, suarum mortificatione cupiditatum, & strenua virtutum Christianarum ecclesiasticarumque exercitatione proficere studeat.

Tertiò. Sese proferet Confessarii charitas, si omnia adhibeat adjumenta, quibus pœnitentium salus promoveri possit: si eos adhuc infirmos, & adhuc Babylonicis rerum humanarum amoribus irretitos patienter ferat, si lapsos erigat, si meliotis propositi tenaces acuat, si promptam & continuam opem offerendo, declaret quantopere illorum salutem deperear, & illius procurandæ gratiâ nulli labori parcat, & verè possit cum Apostolo profiteri: *Impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Oportet igitur, Confessarium Christiana probitate, id est charitate præditum, nullius peccati lethalis sibi esse conscium, alioquin ipsum confiteri apud alium Sacerdotem & ab eo absolvi necesse foret; (alioquin ex plurium Theologorum sententia tot sacrilegia committeret, quot confessiones exciperet) si urgente necessitate confiteri nequeat, oportet illum conteri cum proposito quamprimùm confitendi.

Præterea requiritur ut Confessarius nullâ censurâ sit innodatus: quanquam enim validè absolvat excommunicatus, suspensus, vel interdictus, nisi sit denunciatus nominatim & notorius Clericorum percussor; (ut definitum est cap. *Ad evitandum.* in Concilio Constantiensi) qui tamen censurâ quapiam implicatus confessiones excipit, & pœnitentes absolvit, gravissimo sese peccato constringit: eo quippe facto sacramenti sanctitatem jure divino naturali, ecclesiasticaque lege sancitam violat. Inprimis ergo perpetuò meminerit, sibi necessariam esse magnam charitatem, & maximam in dispensandis Christi mysteriis fidelitatem per unius Mediatoris merita flagitandam & obtinendam, ne, dum in sananda aliorum vulnera & crimina incumbit, ipsemet reprobus efficiatur.

ARTICULUS II.

Quibus præsertim in rebus prudentia Confessoris appareat.

RESPONDEO, prudentiam spiritûs Confessario necessariam, quam semper Apostolus prudentiæ carnis opponit, esse præsertim quatuor in rebus positam.

Prima est, quâ Confessarius recto corde & absque ulla mentis anteoccupatione, ea quæ spectant ad salutem, dijudicat, nec se rapido torrente humanæ consuetudinis, aut vulgari hominum opinione abripi patitur, sed spiritualibus spiritualia comparat, ut ait Apostolus. Sed sua sensa ad Evangelii amussim componens, nihil adhæresicit ad corrupta, constupratąque hominum judicia, neque bonitatem vel malitiam actuum humanorum in statera dolosa consuetudinis, sed in fideli divinorum mandatorum bilance trutinat, eosque actus meliores existimat, qui propiùs ad incorruptam Evangelii veritatem & sanctimoniam accedunt, & eo pejores, quo longiùs ab eadem illa Evangelii veritate & sanctimonia recedunt.

Aug. lib. 1. contr. Epist. Parmen. cap. 2.

Secundò, illa Confessarii prudentia posita est in solertia quâ pœnitentes ad nudandam penitus animi conscientiam incitat, & eos accendit, (si ab sincera peccatorum declaratione pudore quopiam deterreri prospiciat) opportunè & ad eorum mentem accommodatè, prout necessum fuerit, interrogando, præsertim cùm ventum fuerit ad sextum Decalogi præceptum, & sollicitè cavendo ne aliis verbis quàm honestis, & sacramenti, quod administrat, sanctitatem redolentibus utatur, nec pœnitentes in ignoratorum criminum notitiam inducat, nullam in rem eò pertinentem curiosiùs inquirat, satis habeat de rebus omnino necessariis ea qua poterit brevitate sciscitari. Et cùm cœperit interrogare de cogitationibus inhonestis & libidinosis, ad explorandum, utrum alicui ejusmodi cogitationi assensum præbuerint, prout patefecerint sua hac in parte peccata, vel continuabit interrogationes, vel hærebit inibi, prout prudentia suggesserit.

Tertiò, ea prudentia sita est in explorando, utrum pœnitentes dolorem de suis peccatis ex Dei amore super omnia conceperint, quo quidem amore si careant, ad eum sunt inflammandi omnibus incitamentis, quæ ad eum finem opportuniora videbuntur, nonnullis quidem proponendo ob oculos divina in nos beneficia, & inprimis mortem illam omni diritate teterrimam, quam unus Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS in diebus carnis suæ pro totius mundi salute oppetiit: alios verò terrendo propositis inferorum suppliciis, quorum gravitate & æternitate Deus omnia reproborum flagitia vindicabit. Sic varia variis adhibebit conversionis incitamenta, prout eos affectos esse deprehenderit. Nec iis se terminis continebit ea Confessarii prudentia, sed explorabit conversionem cordis quantâ maximâ solertiâ poterit. Cognoscet arborem non ex foliis, sed ex fructibus; interrogabit, ut ait S. Augustinus, *non florem, sed radicem*, quæ si bona est, optimos fructus proferet; nec se deludi patietur hominum alia ex aliis peccantium verbis, & evanidis pollicitationibus; vehementiùs inculcabit pœnitentibus ad Deum ex toto corde converti cupientibus non sufficere, si provolvantur ad genua Sacerdotum, & sacramenta flagitent, quemadmodum Pharisæi & Saducæi Judæorum in speciem sanctissimi, ad Joannis baptismum properabant; sed facere oportere dignos fructus pœnitentiæ, ut Spiritus sanctus divini Præcursoris ore prædicavit; id est, ut interpretantur sancti Patres, necesse est unumquemque susceptam de anteacta vita pœnitentiam per opera conspicua, & Confessario exposita testificari; atque ita non satis esse peccatoribus ad impetrandam reconciliationis gratiam, si faciant dignos fructus pœnitentiæ, nisi præterea rite comparati, ad Sacerdotes à quibus suis ab criminibus absolvantur, adeant. Nam Sacerdotes nusquam satis exploratam habere possunt internam ad se accedentium pœnitentiam, nisi fructus & opera hujusmodi pœnitentiæ (alioquin in intimo animi recessu delitescentis) animadvertant.

Quartò denique, Confessarii prudentia elucet non solùm in saluberrimis monitis, quibus pœnitentes informantur ad sanctiorem vitam, sed præsertim in injungendis salutaribus, & convenientibus satisfactionibus, quæ respondeant numero, gravitati, & diuturnitati criminum, quæ peccatores declaraverint, spectata pœnitentium ætate, statu, conditione, valetudine, & interna animi præparatione; ita ut meminerit vehementer inculcare, quàm gravia sint peccata, quibus infregere fœdus, quod cum ipsomet Deo in baptismo inierunt, ne fortè molliùs cum iis agendo, in suam pœnitentiumque convertat perniciem sacramentum quod est institutum ad omnium reconciliationem. Nam, ut pulcherrimè

N iij

ſanctus Cyprianus tract. de lapſis, *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit: at qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & caſtigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias poſtmodum aget, cùm ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim, Fratres dilectiſſimi, novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies, contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatis incautis communicatio: irrita & falſa pax periculoſa dantibus & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt: operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.*

In his igitur illuceſcit prudentia Chriſtiana, quâ Confeſſarium, Paſtorem, Prædicatorem & Sacerdotem quemlibet oportet ornatum eſſe, ſi ſuas partes, ſicut oportet, explicare velit. Hanc ſequitur libertas ſpiritûs, de qua ſequenti articulo. Sit itaque

Articulus III.

Quibus in rebus & officiis poſita ſit ea ſpiritûs libertas Confeſſario neceſſaria.

Respondeo, libertatem ſpiritûs quam præcipit Apoſtolus his verbis, *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*, 1. Corinth. cap. 7. v. 23. in tribus præſertim eſſe poſitam.

Primò, ut quiſquis ea libertate donatus fuerit à Chriſto, omnia contemnat præ illo, atque ita ſuper omnem creaturam efferens ſeſe, uni Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto ineluctabiliter adhæreſcat. Eo animo animatus erat Paulus ad Philipp. cap. 3. v. 8. cùm ex inflammati cordis abundantia ita loqueretur: *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Nihil igitur erat in terris, quod non deſpiceret, & cujus non haberet facilem jacturam, modò illius diſpendio Chriſtum lucrifacere liceret.

Sic affectus Apoſtolus de ſe & verè potuit quod ſanctus Gregorius Magnus de ſe affirmat Epiſt. lib. 1. Epiſt. 5. *Nihil in hoc mundo appetens*, ait, *nihil pertimeſcens videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare, ita ut in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didiciſſem: Suſtollam te ſuper altitudines terræ. Super enim ipſam altitudinem terræ ſuſtollitur, qui & ipſa quæ alta & glorioſa præſentis videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat.* Quæ ſint autem altitudines terræ, declarat idem S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 19. *Altitudines terræ*, ait, *ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, divitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum, quæ quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat; at ſi ſemel cor in cœleſtibus figitur, mox quàm abjecta ſint, cernitur, quæ alta videbantur.*

Secundò, ea ſpiritûs libertas ſeu magnanimitas incitat ad liberam & intrepidam vitiorum correptionem: ita ut quotquot ad eam divina opitulante gratia pervenere, intrepidè arguant & promiſcuè quotquot ab divina lege deflectere & aberrare perſpexerint. Nam, ut ait S. Gregorius lib. 7. Moral. cap. 15. *Sancti velut in magni vertice montis ſiti, præſentis vitæ gaudia plenè deſpiciunt, ſeque ipſos per ſpiritualem celſitudinem tranſcendentes, ſubjecta ſibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde & nullis contra virtutem poteſtatibus parcunt; ſed quos attolli per elationem conſpiciunt, per ſpiritûs authoritatem premunt.*

Unde Apoſtolus cùm eſſet animo alto, excelſo & Apoſtolicis virtutibus exaggerato, quemlibet ab veritate aberrantem impavidus admonuit, arguit, caſtigavit. Sic cùm veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat: priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Ideo coram omnibus dixit Petro, *Si tu cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo gentes cogis judaizare?* Gal. 1. verſ. 12. 13. & 14. Sic Act. cap. 24. v. 25. diſputavit Paulus de juſtitia & caſtitate coram Felice Præſide & Druſilla ejus uxore, ut utrumque corrigeret & argueret: Felicem quidem Præſidem de injuſtitia, eo quòd per omnem ſævitiam & libidinem jus regium ſervili ingenio exerceret, ut teſtatur Cornelius Tacitus lib. 5. Hiſt. & quòd, ut idem teſtatur lib. 12. Ann. factus Judææ Præſes, cuncta maleficia ſibi tantâ potentiâ ſubnixo ratus impunè ceſſura, inſoleſceret. De adulterio autem, eo quòd Druſillam ob egregiam oris venuſtatem & elegantiam operâ Simonis cujuſdam magi malefico carmine irretitam ſuas in nuptias allexerat. Voluit etiam arguere Druſillam profligati pudoris fœminam, verba faciendo de caſtitate, cui illa per tria conjugia, & ea penitus infanda illicitaque decoxerat. Nam teſte Joſepho lib. 20. Antiquit. cap. 5. tres habuit ſponſos. Primò deſponſa fuit Epiphani Antiochi Regis filio: ſed eam hic recuſavit, quippe qui circumcidi noluit, quæ tamen conditio ad ineunda cum Judæis matrimonia requirebatur. Secundus fuit Azizus Rex Emeſæ, qui accepto circumciſionis ſignaculo cum illa matrimonium iniit. Tertius fuit Felix, qui eam magicis artibus ab mariti complexibus avulſam ſibi in conjugem aſcivit.

Hæc ex Hiſtoria delibare placuit, ut quæ erat in Paulo divina dicendi arguendique libertas, illuſtriùs emicaret. Nihil enim moratus eſt potentiſſimi Præſidis ſævitiam & inſolentiam, nihil moratus eſt impotentem perditiſſimæ mulieris iram in ultionem dubio procul abituram; ſed utrumque de ſuis peccatis arguit, & propoſita futuri judicii veritate tremefecit. Quo exemplo & Concionatores & Confeſſarii nemini adulari debent, nemini parcere, ſed omnes præſertim duræ & incircumciſæ cervicis & mentis homines arguere, corripere, & propoſito judicio tremefacere, ut ſi non amore, ſaltem timore reſipiſcant.

Tertiò, ea penitus libertas fortem & conſtantem perſecutionum contemptum verorum fortiumque Sacerdotum animis ingenerat: ita ut ſi de viro juſto & conſtanti cecinit Lyricus, *Juſtum & tenacem propoſiti virum, non civium ardor prava jubentium, non vultus inſtantis tyranni, mente quatit ſolida, &c.* idipſum potiori jure de Chriſtiano Sacerdote profiteri liceat. In hoc enim gloriantur, quotquot Chriſti Sacerdotio honeſtati ejus myſteria commiſſo ſibi populo diſpenſant. Recordantur ſcilicet divina illa Chriſti verba: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Mat-

thæi cap. 5. v. 11. & 12. Ergo beati quos homines hujus sæculi propter Christi doctrinam acriùs insectantur: econtrà miseri quibus filii sæculi utpote suis cupiditatibus omnia obsecutis, benedixerint. *Væ, cùm benedixerint vobis homines: secundùm hæc enim faciebant pseudo-Prophetis patres eorum*, ait Christus Luc. 6. v. 26. In hoc ergo ipse Christus veros operarios quos mittit in messem suam, sejungi voluit ab iis, qui ab eo nec vocati sunt in illam ipsam messem, nec missi: quòd primi omnibus omnino sæculis varias persecutiones pro ipso & ejus Evangelio sint passuri; alii verò fallacibus & evanidis hominum sint benedictionibus cumulandi. Ideo Sacerdotes sancti incredibili gaudio deliquescunt, quòd Apostolorum ad instar digni habiti sint pro nomine Jesu contumeliam pati. Ideo iidem Sacerdotes contemnunt & tyrannos & atrociora quæque supplicia & contumelias & opprobria, & alia id genus, quæ omnibus in Christo piè vivere volentibus, & reipsa viventibus intentantur. Quod factitatum à sancto Paulo egregiè prædicat sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 2. de laudibus Pauli. *Paulus*, inquit, *tyrannos ac populos spirantes furorem, esse velut quosdam culices existimabat: mortem verò & cruciatus & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, nec libentiùs verbera excipiebat & vulnera, quàm alii bravia diripiunt.* Et paulò infrà: *Siquidem Paulus in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi Angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc alligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus obnoxius, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat.* Hæc Chrysostomus.

His adde divina illa Pauli verba: *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* 2. Corinth. cap. 4. v. 17. & 18.

Hæc de spiritûs libertate, quæ ab Domini spiritu proficiscitur. *Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas* 2. Corinth. cap. 3. v. 17. Quod maximè apparuit in Apostolis primis illis Ecclesiæ Pastoribus: antequam enim Spiritus sanctus eorum pectora divino suo igne succenderet, erant supra quàm dici potest, imbelles & meticulosi: at ubi primùm divinâ divini amoris arsere flammâ, abjecto illo degeneri metu, sese in omnem terram contulerunt, & ubique coram Regibus teterrimis & gentibus immanissimis Christum crucifixum interriti prædicarunt. Hæc de spiritûs libertate Confessariis & quibuslibet Sacerdotibus necessaria: jam ad eorum scientiam properemus.

Articulus IV.

An sit necessaria Confessario scientia, & unde illam hauriri oporteat.

RESPONDEO primò, necessariam esse Confessario scientiam, ut possit judicare inter lepram & lepram, & scire quando pœnitentem absolvere, vel ei, utpote indigno, absolutionis gratiam denegare debeat.

Hanc propositionem confirmat Franciscus Salesius, Episcopus Genevensis, Introd. ad vitam devotam 2. p. c. 6. Avila, ait, vult conscientiæ directorem inter mille eligi, ego verò inter decem millia seligendum esse contendo: pauciores enim quàm possit exprimi, huic muneri pares & idoneos reperire est. Illum charitate, scientiâ, prudentiáque refertum & plenum esse necesse est. Si vel unâ ex his dotibus careat, non sine periculo eligi poterit.

Huic veritati luculentum perhibet testimonium sancta Theresia in eo opere quod Iter perfectionis inscripsit, cap. 5. Permagni refert, ait, Confessarium verè & egregiè eruditum esse; periculosum esse ab indocto dirigi, quantumvis spiritualis reipsa sit, vel appareat. Et in Vitâ suâ cap. 5. testatur, sciolos sibi maximè nocuisse, etsi unus ex illis Theologiæ curriculum confecisset. Et satiùs esset, ait, eos ab omni doctrina esse penitus imparatos, quàm tenui & exigua imbutos, eo quòd non solùm sibimetipsis, inconsultis verè eruditis, non confiderent; sed etiam alii nullam in iis fiduciam defigerent. Et paulò inferiùs affirmat, si decessisset ex diuturno & horribili morbo, quem incredibili patientia pertulit, suam salutem in periculum venturam fuisse, tam propter præteritam suam miseriam, quàm propter suorum Confessariorum inscitiam.

Nec id immeritò asserunt Authores proximè laudati. Quemadmodum enim imperiti medici suâ imperitiâ plures ægrotos, diutiùs alioquin victuros, immatura morte conficiunt; ita plerique Confessarii rudes & illiterati innumerabiles animas culpabili, supra quàm dici potest, ignorantia perimunt, & in æterna inferorum supplicia detrudunt. Nam indubitatum est apud Theologos, eam confessionem fore nullam & iterandam, quæ fieret Sacerdoti formam absolutionis ignoranti, vel quæ fieret Sacerdoti formam quidem absolutionis tenenti, sed erranti circa judicium de peccatis, quippe qui putaret esse veniale, quod apertè mortale est, vel contrà. Tunc enim qui sciens & volens sese committit ejusmodi Confessario pro tali noto, & id affectat, non solùm peccat lethaliter, sed etiam propositâ damnationis æternæ pœnâ illam ipsam confessionem apud alterum Sacerdotem repetere tenetur, tametsi illa confessio non tam propter imperitiam Confessarii, quàm propter pœnitentis ignarum Sacerdotem & sua vulnera parcente manu contrectaturum quærentis improbitatem & malitiam iteranda videatur.

Quando autem ex prudentis Confessarii judicio sit iteranda confessio imperito Confessario facta, docet Navarrus in Enchirid. cap. 9. n. 12. *Tunc est illa iteranda confessio, quando ipsum ignarum Confessarium alter Confessarius, & ejus omnimodam ignorantiam novit, & ex discursu confessionis sibi factæ, id colligit, eo quòd in rebus gravibus, quas minimè ignorare debuisset, nullum remorsum conscientiæ aut scrupulum ingessit ipsi pœnitenti: veluti si simplicem fornicationem, vel omissionem sacræ communionis in Paschate aut semel in anno, esse peccata mortalia dijudicare non novit.* Hæc Navarrus.

Toletus lib. 3. Instruct. Sacerd. cap. 10. eadem de re hæc habet maximè observanda. *Tertius casus* (quo est iteranda confessio) *est ex parte etiam Confessarii, cùm ita est ignarus, ut nesciat inter peccatum veniale & mortale discernere, nec conscientiam pœnitentis judicare. Unde si quis confessus fuit alicui peccata sua, & postea per colloquia vel per confessiones cognoscat ignorantiam illius Confessarii, nimirum quia quod apertè est peccatum mortale, ille putabat non esse peccatum, vel contrà, tunc confessio esset iteranda. Et adverte istam ignorantiam considerandam esse respectu pœnitentis in particulari. Potest enim esse Confessarius aptus & doctus respectu unius pœnitentis, non tamen respectu alterius, quia hic habet casus multùm difficiles, qui talis Confessarii capacitatem multùm excedunt; ille autem non habet. Unde mercatores qui sibi quærunt Confessarios qui suas negotiationes non intelligunt, ne restitutioni obligentur, tenentur iterum confiteri: debent enim quærere Confessarios intelligentes.* Hæc ille.

Quòd autem unusquisque Confessarium sanandis animæ suæ vulneribus, atque adeo promovendæ suæ

saluti parem & idoneum quærere teneatur, nemo inficiari potest: quemadmodum enim lege naturali divina jubetur quisque mortalium suæ saluti quanto maximo studio consulere, ita eadem lege adjumenta ad assequendam hanc salutem necessaria & opportuna & quærere & capessere imperatur: cùm unusquisque æquali obligatione ad finem, & ad media ad finis assecutionem necessaria, teneatur.

Respondeo 1°. scientiam hanc ex uberrimis Scripturarum, traditionisque fontibus hauriendam esse; quod ut rectè fiat, tria requiruntur in Concionatore, in Confessario, & in quolibet alio seu Sacerdote seu laïco.

1°. Humilitas.

2°. Charitas.

3°. Denique oratio.

Per hæc tria sanctissimi quique viri ad perfectam Scripturarum intelligentiam pertigerunt. Cùm hæc tria recenseo intelligendæ Scripturæ & comparandæ scientiæ Sanctorum adjumenta, non excludo frequentationem & exercitationem Scholarum, in quibus juvenum animi imbuuntur primis Theologiæ rudimentis, ut paulatim assurgant ad altiora sacræ doctrinæ mysteria: imò cum omnibus eruditis assero neminem posse ad orthodoxam Theologiam sicut oportet, progredi, quin priùs in Scholis Theologicis strenuè versatus orthodoxum ab heterodoxo, id est dogma Catholicum ab hæretico, verum à falso, quatenus ei licebit per ætatem, secernere didicerit. Non excludo etiam laborem & diligentiam ad legendos sacros Patres, germanos Scripturarum interpretes, adhibendam. Hæc enim apprimè necessaria est, eo quòd ubi primùm emersit è Scholis adolescens, seriò ad Scripturam (cujus lectioni eum vel ab ipsis incunabulis, ut ita dicam, assuefactum oportuit) sese conferre, & ejus interpretationem ex incorruptis sanctorum Patrum monumentis expromere, & ad Christianam tam Scripturæ quàm Patrum lectionem cum summa humilitate, cum ardenti charitate, cum assidua denique oratione accedere debeat.

1°. Igitur virum qui aspirat ad scientiam Sanctorum, humilem esse necesse est. Nam ut ait Christus Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Et v. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*; quasi diceret, omnia mysteria humilibus patefieri & revelari, eorumque notitiam superbis denegari.

Et revera patet ex sacris Litteris, superbos à Deo deseri & excæcari, humiles verò altiorum quorumque mysteriorum intelligentiâ donari. Et hoc est occultum Dei judicium, de quo prædicat Christus Dominus Joann. 9. v. 39. *Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Perinde ac si diceret, Veni ut simplices & humiles, qui suam ignorantiam & cæcitatem agnoscunt ex animo, illuminarem; superbos verò, qui se suopte ingenio explorata habere omnia, nec meâ doctrinâ indigere arbitrantur, excæcarem.

Quod de se confiteri non erubuit S. Augustinus, cui Scriptura nondum placere poterat, quippe præ superbia eam judicaret indignam, quam cum Tullianæ facundiæ majestate compararet. Id ipsum quotidie videre est in junioribus plerisque, qui si è Scholis Philosophicis & Theologicis argutias quasdam dumtaxat & distinctiunculas retulerint, omnia Christianæ Ethices dogmata ad nescio quas subtilitates & abstractiones metaphysicas admetiuntur, & omnia Patrum pronuntiata, quantumvis solida & vera, intolerantissimo fastu ad consilia dumtaxat, non autem ad præcepta pertinere pervicacissimè contendunt, atque ita veritatem omnem eludunt, pessumdant, obterunt, & quod caput est, sua placita & commenta pro quibusdam oraculis venditant, & insectantur viros pari ad pietatem eruditione conspicuos, & fiunt veritatis insectatores, qui ejus acerrimi defensores esse debuerant.

2°. Ad assequendam scientiam salutis requiritur charitas, quod declarat Christus Dominus, Joann. 7. v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina ejus, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Revera ut ait S. Augustinus, *non intratur in veritatem, nisi per charitatem.* Quantopere humilitas & charitas ad percipiendam veritatem valeant, pulcherrimè explicat aureus de Imitatione Christi libellus lib. 3. cap. 43. Ego sum, ait, ibi Christus, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum. Ego sum qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere, honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia me ardenter amare. Nam quidam amando me intimè didicit divina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia. Hæc ille qui satis superque significat his verbis quanta humilitas, & quanta charitas ad assequendam rerum cælestium notitiam exigatur.

3°. Confessario, Concionatori, & cuilibet Sacerdoti necessaria est oratio, per quam omnes hauriant aquas de fontibus Salvatoris; qui, ut ait sanctus Bernardus, sunt quatuor, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per universum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quatuor fontes, veritas, sapientia, virtus & charitas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex singulis scilicet singulæ. Nam de fonte veritatis sumuntur aquæ judiciorum: de fonte sapientiæ, aquæ consiliorum: de fonte virtutis, aquæ præsidiorum: de fonte charitatis, aquæ desideriorum. In aquis judiciorum cognoscimus quid liceat, vel quid non liceat. In aquis consiliorum, discernimus quid expediat, vel quid non expediat. Sed quia electis viris rectè per hæc gradientibus non desunt tentationes, (tentantur autem de duobus: aut terroribus, ut concutiantur; aut blandimentis, ut seducantur) idcirco armandi sunt contra terrores præsidiis divinæ virtutis; contra blandimenta desideriis supernæ charitatis. Desideriis enim meliorum, ut ait quidam Sanctus, superantur desideria deteriorum. Hæc sanctus Bernardus de diversis sermone 96.

Necessaria est igitur Confessario scientia, & hæc in Scholis comparanda, deinde per Scripturarum & sanctorum Patrum lectionem roboranda, & tandem per humilitatem & charitatem & orationem perficienda. Jam quid præsertim Confessarius scire teneatur, explicandum. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXXVI.

Quænam potissimùm ad Confessiones rite audiendas Sacerdos scire teneatur.

RESPONDEO, scientiam Confessario necessariam ad sex potissimùm capita posse revocari.

Primum est, ut noverint lepram à lepra secernere, id est peccatum à peccato, veniale scilicet à mortali distinguere.

Secundum, ut præcipuas peccatorum divisiones exploratas habeat.

Tertium,

Tertium, ut peccatorum gravitatem ex divinorum eloquiorum veritate, & traditione dijudicare valeat.

Quartum, ut non ignoret moraliter loquendo, quando pœnitens tentationi succubuerit, atque adeo peccaverit.

Quintum, ut perspicere possit, quibus in casibus confessionem aliàs factam iterari oporteat.

Sextum, ut pulchrè calleat præcipuos casus, propter quos pœnitenti vel deneganda, vel certè differenda est absolutio. Quæ scientia tanti momenti est in administrando pœnitentiæ sacramento, ut ab ea æterna, tam Sacerdotis, quàm pœnitentis salus omnino dependeat.

Septimum, scire debet Confessarius, quanta religione sibi ab infractione sigilli cavere teneatur.

Hæc sunt præcipua capita, quorum notitia est ipsi Confessario necessaria: tametsi alia quædam perspecta & cognita habere debeat. v. g. scire tenetur circumstantias peccatorum, sive illæ mutent peccati speciem, sive dumtaxat peccatum aggravent. Oportet etiam illum scire casus reservatos, à quibus sine speciali licentia absolvere non potest: & præterea quæ peccata sint annexa restitutioni famæ, pecuniæ, damni, &c. qui contractus sint usurarii, simoniaci, &c.

Cæterùm, ita illum esse affectum oportet, ut de omnibus advocata cælesti ope maturè judicet, & in dubiis vel difficilioribus quæstionibus ibi consulat, ubi Theologia suos habet Doctores, non partiales, non seductos, non fastuosos, non quæstuosos aut invidos, non potestati sæculari, non spirituali, plusquam veritati faventes: alioquin tolerabilius esset nullos habere, quàm tales pati, ut loquitur Gerson in 2. p. Examinat. doctrinarum, in considerat. 5.

Quæstio XXXVII.

Quid sit peccatum mortale, quid sit peccatum veniale, & quomodo à mortali differat.

RESPONDEO, variè à variis definiri peccatum mortale.

Primò definitur à nonnullis peccatum, quod cùm ex se peccanti mortem primam, id est privationem gratiæ attulerit, eum in secundæ mortis reatum, id est in æternam damnationem implicat. Peccatum igitur lethale ex se, id est suapte natura hominis vitam spiritualem in gratia Christi & charitate Dei positam, adimit. Vel enim homo nondum excidit è gratia ante peccatum lethale, vel jam excidit. Si nondum excidit per peccatum lethale, quod admittit, orbatur gratiâ Dei, per quam vivebat in Christo Jesu. Si jam excidit, jam equidem mortem spiritualem incurrit, sed ita ut illam incurreret, si antea non incurrisset. Ideoque peccatum lethale suapte natura animæ peccantis mortem primam affert, atque adeo ad secundam tota æternitate subeundam obligat.

Secundò, peccatum mortale definitur ab aliis, inordinatio seu depravatio voluntatis, per quam homo desciscit ab incommutabili bono, ut ad commutabile bonum convertatur, & in eo velut in ultimo fine Creatoris, præcepta violando, conquiescat.

Tertiò definitur ab aliis peccatum lethale, id quod contra charitatem Deo proximóque debitam admittitur.

Quartò definitur ab aliis peccatum lethale, illud quod in toto tollit ordinem ad ultimum finem, & ideo meretur pœnam æternam.

Quintò, gravissimi Theologi contendunt, sufficere pervulgatam illam Augustini definitionem excerptam ex lib. 22. contra Faust. Manich. cap. 27. quâ dicitur peccatum, dictum, factum, concupitum contra legem æternam: tametsi nonnulli Theologi hac definitione omnia peccata tam lethalia, quàm venialia comprehendi existiment. Alii tamen probabiliùs asserunt, per hanc ipsam definitionem lethalis dumtaxat peccati naturam aperiri. Siquidem per hanc satis superque peccati lethalis essentia declaratur, & omne sub eo contentum comprehenditur, & à peccato veniali rectè & optimè secernitur.

Quod igitur ista definitio peccati lethalis naturam competenter explicet, patet ex eo quòd istud peccatum includat duo: unum ut materiale, alterum verò ut formale. Materiale quidem est actus sive habitus malus, ut agere injusta: formale autem est inordinatio vel declinatio ab æterna lege, quæ nihil est aliud quàm dictamen æternum divinæ mentis, naturæ intelligenti, quà talis est, ab ipso Creatore inditum, ut ejus illustrata lumine quid sit conveniens & prosequendum, quid indecorum, & inordinatum, atque adeo fugiendum, servato ultimi finis ordine, dijudicare valeat.

Hæc igitur inordinatio, seu ab æterna lege aberratio formalem peccati lethalis rationem constituit, & ab hac formali ratione peccatum lethale, peccati naturam trahit: nunquam enim peccaretur, nisi ab æterna illa lege deflecteretur. Quòd autem hujusmodi peccati lethalis definitio omni sub eo contento conveniat, constat ex eo quòd omnis actus inordinatus vel est interior, vel exterior: si est interior, dicitur peccatum cordis; si est exterior, vel in verba illicita erumpit, & est peccatum oris, vel in opera externa profluit, & est peccatum operis.

Hæc etiam definitio convenit peccato omissionis quod est mortale, cùm quis prætermittit opera quæ potest & debet secundùm legem exercere, & eo tempore, & eo fine, cujus gratiâ ejusmodi operum executio imperatur. Unde S. Thomas docet, peccatum omissionis non requirere necessariò, & per se internum aliquem voluntatis actum, vel externum; sed in actus debiti negatione formaliter esse positum, ad quem actum homo in debitis circumstantiis obligatur.

Quòd autem peccatum lethale per hanc definitionem ab veniali optimè secernatur, constat ex eo quòd peccatum lethale sit contra legem quam sponte & protervè violat: veniale autem non sit contra legem, sed præter legem. Tametsi enim importet aliquam inordinationem, non tamen ponit hominem extra ordinem ultimi finis, nec meretur pœnam æternam, & ideo ejus naturæ est, ut à Deo facile condonetur.

Hactenus definimus peccatum lethale, prout & originale & actuale complectitur. Unde facile colligetur hæc peccati lethalis actualis definitio.

Peccatum lethale actuale est actus inordinatus interior vel exterior, qui est in potestate peccantis, per quem avertitur à summo bono, & ad creaturam, æternam Creatoris legem violando, convertitur.

1°. Dicitur actus inordinatus, quia desciscit ab ordine quem lex æterna constituit.

2°. Dicitur positus in potestate peccantis, quia peccatum debet esse voluntarium vel simpliciter, vel interpretativè, ut loquuntur Theologi.

Sanctus Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. duplicem distinguit voluntatem, ita ut alterutra ad peccatum veri nominis perpetrandum sufficiat, alteram facti, alteram peccati voluntatem appellat: sed quia hæc distinctio maximè conducit ad discernenda peccata, ipsa sancti Augustini verba exscribere necesse est. *Nam & qui nesciens peccavit*, ait, *non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse*

quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quia voluit ergo, fecit: etiamsi non quia voluit, peccavit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum est quod fieri non debuit.

Ex hac Augustini doctrina sequitur, hominem etiam, peccatum esse, quod agit, ignorantem, peccare voluntate facti, & ejus factum esse veri nominis peccatum. v. g. si quis in blasphemias adversus Deum ejusque Sanctos erumperet, easque blasphemias esse atrocissima flagitia ignoraret, peccaret voluntate facti; & si in eo statu decederet, æterno inferorum supplicio addiceretur.

Unde turpiter allucinantur quidam recentiores, qui dicunt

1°. Advertentiam ad peccatum mortale debere esse plenam & perfectam per firmum judicium de malitia actus vel periculo illius.

2°. Cùm quis confitetur de blasphemia, interrogandum esse à Confessario, utrum inter blasphemandum, actualem Dei dedecorandi & dehonestandi intentionem habuerit: ita ut si nullam ejusmodi intentionem se habuisse, nec ullâ in Deum iracundiâ nec indignatione efferbuisse respondeat, nec blasphemiæ reus, nec Dei gratiâ orbatus haberi debeat.

3°. Ex hac eadem S. Aug. doctrina constat, eos toto cælo aberrare à vero, qui dicunt, declarationem propriæ excellentiæ tunc ad mortalem accedere culpam, quando graviter Dei reverentia læditur: cùm v. g. quispiam ad instar Regis Tyri, dicet: Ego sum Deus; tunc ista superbia nemine reclamante lethalis est in supremo gradu. Sed ex quorumdam sententia, nisi ipse Rex Tyri cum plena deliberatione Dei nomen & dignitatem ipsi Deo præripere, & sibi vindicare intenderit; ista superbia lethalis non est: quod quidem si verum est, nulla unquam lethali superbia Dei majestas offendi violarique poterit; quod est falsissimum. Incredibile enim est quantopere & quàm sæpe nostra omnium superbia Dei majestatem, ejus præcepta violando, appetat.

4°. Errant vehementerqui dicunt, eum qui actionem offendiculo futuram exequitur, non esse scandali reum, nisi spiritualem proximi ruinam deditâ operâ intendat, quod est falsissimum: nam scandali reus habetur ab Augustino, qui præbet offendiculum fratri, si erumpat in actionem cum scandalo conjunctam, etiamsi fratrem per scandalum perdere non intenderit: peccaverit enim voluntate facti, non voluntate scandali.

5°. Falluntur qui dicunt, pravos habitus, blasphemando v. g. adulterando, aut in gravioribus flagitiis perseverando, comparatos, extenuare peccata, ita ut si suapte natura lethalia sint, fiant venialia. Blasphemiæ v. g. stupra, adulteria, cùm admittuntur ex prava consuetudine, in qua quis hæret sponte & ultro, sunt dumtaxat peccata venialia, cùm vel passio vel diuturna consuetudo antevertit & occupat hominis rationem, & eam prohibet circumspectionem & attentionem, qua recederet à peccato, nisi dominante cupiditate & peccandi consuetudine ad peccandum impelleretur.

Sic enim loquuntur ejusmodi homines, quorum nominibus parco, pacis & concordiæ causâ. *Ex dictis*, ait quidam, *colligitur, eum qui ex inveterata consuetudine velut quodam necessario impetu rem malam agit, v. g. materiales blasphemias profert, vel perjuria effundit, tunc non peccare, nec propriè blasphemare, quia nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur. Nec refert*, ait idem, *quòd inadvertentia oriatur ex prava consuetudine aut passione, quia tam passio quàm prava consuetudo tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccandum mortaliter. Tunc enim solùm homo peccat, quando plenè se peccare advertit.* Et alter loquens de juramentis, ut sint peccata lethalia, *Exigo*, ait, *talem advertentiam, qualis est necessaria in homine non sic ad jurandum assueto.*

Quæ pronuntiata si vera essent, mirum quantum obduratis & in diuturnam peccandi consuetudinem implicatis peccatoribus patrocinarentur. Nam eorum conditio eò potior foret, quò altiùs sese in flagitia immergerent, & tandem ex frequenti criminum admissione assurgerent ad impeccantiam, vel certè leviùs & condonabiliùs graviora quæque flagitia susciperent. Et cùm peccati scaturigo, vitium scilicet & perversa voluntas in iis invalescetet, roborata scilicet consuetudine & pravo habitu, leviùs quàm antea peccarent, quodque cæteros nihil vitiosos constringeret lethali flagitio, eos veniali dumtaxat peccato obnoxios redderet.

Quæ omnia quàm falsa sint, quantumque à Scripturis abhorreant, nemo non videt. Si enim hæc essent vera, non peccassent Judæi omnem Christo Domino tot miracula edenti fidem abrogando. Non enim poterant ad istud peccatum infidelitatis eam afferre, advertentiam, quam attulisset alter ab eadem infidelitate immunis: eos quippe excæcatos fuisse Scriptura commemorat. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Joan. cap. 2. v. 39. & 40.

Ita quisquis oderit fratrem, non peccabit: cùm enim sit in tenebris, non poterit plenè advertere ad odium fraternum quo se inquinaverit. Nam, ut loquitur S. Joannes Epist. 1. cap. 2. v. 10. & 11. *qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est: qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus.*

Et tamen ejusmodi hominem idem Apostolus damnatum iri pronuntiat. Sic enim loquitur ejusdem Epist. 1. cap. 3. v. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

Eadem de causa insontes esse oportuit eos, de quibus Apostolus 2. Cor. 4. v. 3. ait: *Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi qui est imago Dei.* Qui tamen homines nihil obstante pœnali cæcitate, quâ percussi erant, ita ut ad sua peccata plenè advertere nequirent, gravissimè peccabant, siquidem eos perire Apostolus prædicat.

Quid quod Authores præfati de consuetudine ita loquuntur: *Si desit advertentia plena, & ex consuetudine oriatur blasphemia, etiamsi consuetudo adsit blasphemandi, non committitur peccatum mortale.*

Si hoc ita se haberet, Hebræi, qui totis quadraginta annis Deum assiduis murmurationibus, quibus pervicaciter assueverant, irritare non destiterunt, non peccabant, si diuturna peccandi consuetudo absolvit à gravioribus quibusque flagitiis. Nam Hebræi istis murmurationibus ita erant assuefacti, ut non nisi horrenda murmurantium internecione comprimi potuerint. Quis ergo dicat eos insontes, cùm eorum rebellem contumaciam diuturna consuetudine roboratam Deus expostulet apud Prophetam: *Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde, &c.*

Hæc veluti pendente manu præflorare oportuit, ne quis pestiferis ejusmodi doctrinis imbutus de peccatis judicaret perperam, & levia pronuntiaret quæ essent gravia, & vicissim gravia, veluti levia reputaret, & sic incurreret in maledictionem eorum, qui, juxta Prophetam, dicunt malum, bonum; & bonum, malum: quâ in re foret inexcusabilis. Ejusmodi enim Authores talium subtilitatum artifices non

sunt constituti vel approbati ab Ecclesia, perinde ac si essent regula veritatis, sed tolerati dumtaxat, atque adeo sequendi, & audiendi quatenus Scripturæ & traditioni consentanea docuerint, cæterùm explodendi, si ab duabus istis fidei morúmque regulis aberraverint. Hactenus de peccato lethali.

Quod spectat ad veniale : ab Theologo definiri potest, inordinatio seu obliquitas voluntatis à prima humanæ vitæ regula non contra, sed præter legem declinantis ad complacentiam creaturæ, non supra, sed citra Deum, & ideo non obligatur ad reatum mortis æternæ, sed à Deo facilè condonatur.

1°. Dicitur peccatum veniale inordinatio seu obliquitas voluntatis.

Eo quòd aberratio seu declinatio à rectitudine regulæ, ad quam humanos actus dirigi necesse est, in ratione peccati absolutè sumpti includitur; atque adeo pertinet ad essentiam peccati venialis, quòd sub peccato generatim considerato, ut minùs commune sub communiori, comprehenditur.

2°. Dicitur, ab prima humanæ vitæ regula. Est enim duplex humanæ vitæ regula. Prima est recta ratio, quæ nihil est aliud quàm actus intellectûs verè & citra errorem judicantis aliquid esse consentaneum naturæ intelligenti, quà talis est, meritoque prosequendum, vel ab ea penitus abhorrens, ideoque fugiendum. Et ad hanc regulam actus humanos admensi sunt veteres Philosophi, in tradendis pluribus Ethices præceptis cum aliqua laude versati.

Altera vitæ humanæ regula est lex æterna, cujus accurata discussio pertinet ad Theologum, & definitur ab S. Augustino lib. 22. cont. Faust. Man. cap. 21. his verbis : *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Et postquam quæsiit, quis sit in homine naturalis ordo, ait : *Nulli dubium est animam corpori naturali ordine præponendam. Verùm animæ hominis inest ratio, quæ pecori non inest. Proinde sicut anima corpori, ita ipsius animæ ratio cæteris ejus partibus, quas habent & bestiæ, naturæ lege præponitur: in qua ipsa ratione quæ partim contemplativa est, partim activa, procul dubio contemplatio præcellit. In hac enim & imago Dei est, quâ per fidem ad speciem reformamur. Actio itaque rationalis contemplationi rationali debet obedire; sive per fidem imperanti sicuti est, quamdiu peregrinamur à Domino, sive per speciem, quod erit, cùm similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Et paulò pòst. *Nos pro modulo infirmitatis nostræ secundum æternam legem, quâ naturalis ordo servatur, justè vivimus, si vivamus ex fide non ficta, quæ per dilectionem operatur : habentes in conscientia bona spem repositam in cælis immortalitatis & incorruptionis, & ipsius perficiendæ justitiæ usque ad quandam ineffabiliter suavissimam saturitatem, cujus in ista peregrinatione oportet esuriri & sitiri, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem.*

Et cap. 28. *Quapropter hominis actio serviens fidei servienti Deo, refrænat omnes mortales delectationes, & eas coërcet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potiùs quàm refrænat. Est autem illicitum, quod lex illa prohibet, quâ naturalis ordo servatur.* Hactenus sanctus Augustinus, cujus verba huc relata oportuit, ut quæ esset lex æterna, & quis naturalis ordo, pateficret.

Est igitur æterna illa lex prima & universalis humanæ vitæ regula, ad quam diriguntur boni actus humani, eo dumtaxat nomine boni, quòd ad ejus amussim sunt compositi, à qua si recesserint, non possunt esse nisi mali : & quia peccata venialia nonnihil ab æterna illa lege deflectunt, ideo sunt peccata.

3°. Additur in definitione peccati venialis, non contra legem, sed præter. Quod ut intelligatur, observandum est posse aberrari ab prima humanæ vitæ regulâ bifariàm. 1°. Quando voluntas tanto tamque præpostero rerum humanarum amore capitur & depravatur, ut ab ipso Deo per gravem & protervam divinæ legis infractionem, avertatur velut ab ultimo fine, ad quem omnia sua, efficaci charitatis impulsu & imperio, referre debuerat. Ista voluntatis depravatione violatur æterna illa lex ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, atque adeo lethale peccatum admittitur. 2°. Voluntas per quandam inordinationem non omnino observat præscriptum ab ipsa lege rationis modum : intendit enim lex ita componere hominum actus, ut in omni rerum statu & verbo nihil incompositum, nihil ab decoro vel tantisper alienum, nihil denique superfluum reperiatur. Quibus in rebus cùm voluntas deficiat, nec tamen avertatur ab ultimo fine, nec agat contra ullum præceptum legis, affirmativum aut negativum, venialiter peccare dicitur. Quod peccatum non est contra legem, sed præter, quoniam nec ea quæ sunt lege prohibita, committit, nec ea quæ sunt per legem imperata, prætermittit, sed aliqualiter transgreditur modum ab recta ratione præstitutum, ideò præter legem facere dicitur.

4°. Additur, declinantis ad complacentiam creaturæ citra Deum. In hoc propriè loquendo veniale peccatum ab mortali secernitur. Nam apud Theologos peccatum mortale est libido, vel voluptas in creatura, vel supra Deum dilecta, vel perinde ac in Deo velut ultimo fine conquiescens : veniale autem est complacentia in creatura, vel voluptas infra vel citra Deum, eo quòd venialiter peccans nolit in creatura velut in ultimo fine conquiescere, nec ejus amore displicere Deo, nec ulla ejus violare præcepta.

Unde peccatum lethale comparatur lethali morbo, quo conflictatum animal interire necesse est : veniale verò tenui cuipiam malo, quo ipsum animal, illæso & incolumi vitæ principio, leviusculè tentatur.

5. Additur, & ideo non obligatur ad reatum mortis æternæ. Cùm nullum sit peccatum quantumvis leve, quin aliquâ affici pœnâ debeat, in hoc, quoad pœnam, peccatum veniale secernitur à mortali, quòd mortale cùm sit mors animæ, & quidem suapte naturâ insanabilis, æterno plectatur inferorum supplicio; veniale autem cùm sit aliqua dumtaxat ægritudo animæ, non mors; facilem admittit curationem, condonatur facilè, & temporali quapiam pœna expiatur.

Si quæras quomodo peccata lethalia secernantur ab venialibus,

Respondeo, tria ab peritioribus Theologis assignari principia, quorum adjumento ab levioribus peccata graviora discerni valeant.

Primum est : peccata quæ apud justos rerum æstimatores graviter lædunt charitatem Dei vel proximi, mortalia sunt; quæ verò leviter, tantùm venialia. Quod ut internoscatur, diligenter expendere oportet quantitatem materiæ, utrum sit parva vel magna, an notabilis, an minoris momenti : attendendum est peccati genus, an scilicet ex suo genere sit mortale, an veniale : considerandum quibus verbis conceptum sit præceptum, an severè aliquid præcipiatur sub interminatione gravioris pœnæ transgressoribus infligendæ, an in hoc vel alio casu præcipiens graviter & maximè obligare voluerit. Sic primos parentes interdictum edendo fructum mortale flagitium admisisse novimus, etiamsi materia levis esse videatur. Præceptum quippe exstiterat severissimum, & sub interminatione gravioris pœnæ iis indictum fuerat.

Attentiùs præterea considerandum est an peccatum deliberatè vel indeliberatè sit admissum, an ex malitia, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia tali, quæ à mortali excusare vel possit vel non possit.

Alterum principium petitur ex unanimi consensu virorum & doctrinâ & pietate insignium. Nam si omnes vel plerique omnes viri præcipua eruditionis pietatisque laude præditi, aliquod peccatum lethale esse, nemine eorum reclamante censeant; & aliquod mendacium, jocosum dumtaxat, esse veniale: pro comperto habendum est lethale esse quod tale censuerint, & veniale quod tale judicaverint. Sancti Patres v. g. & Scholastici omnes existimant, docent, prædicant, simplicem fornicationem esse peccatum lethale: si quis tot & tantorum hominum authoritati refragaretur, prætetquam quòd sibi inureret æternam temeritatis & infamiæ notam, dignus esset qui à Catholicorum, imò ex hominum albo eraderetur.

Tertium principium repetitur ex ineluctabili Scripturarum authoritate, quæ quidem satis declarant peccata lethalia, cùm ea vocant detestabilia, execranda, exosa, & à regno Dei excludere prædicant, & imprecantur iis qui hæc admittunt. Ac reipsâ quidem cùm dicunt, Væ hominibus peccatum aliquod peccantibus; indubitatum est illud esse lethale: v. g. pravæ cupiditatis impulsu conjungere domum ad domum, lethale est, quia Isaias cap. 5. v. 8. ejusmodi hominibus ita imprecatur: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et eodem cap. v. 11. quod sequitur, etiam mortale est: *Væ qui consurgitis manè, ait Propheta, ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Item v. 20. *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum: ponentes tenebras, lucem; & lucem, tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Et v. 21. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Et v. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus.* Hæc omnia lethalia esse certum est, quippe divina maledictione feriuntur. Lethalia quoque sunt omnia, quæ Deus sese odisse & detestari sacris in Litteris contestatur, ut Proverb. 6. cap. v. 17. 18. 19. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Hæc omnia lethalia esse, in confesso est apud omnes.

Præterea lethalia sunt quotquot Scriptura morte digna pronuntiat, & quotquot gehennæ suppliciis plectenda asserit: v. g. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*, ait Christus Matth. 5. v. 22. Nemo enim dubitat, grave convitium vel contumeliam in proximum emissam, per quam ejus fama vel honor non mediocriter lædatur, esse peccatum mortale, & ideo gehennæ supplicio plectendum. Istud vocabulum, fatue, omnia comprehendit convitiorum, calumniarum, probrorum & imprecationum genera, quibus quis irâ percitus appetitu vindictæ, & animo ad nocendum & dedecorandum incitatissimo, proximum inquinare, & dehonestare meditatur: quod peccatum & lethale & gravissimum esse ex malevolo proferentis animo, satis superque constat.

Scriptura etiam satis indicat esse quædam peccata venialia: v. g. cùm Apostolus 1. Corinth. cap. 7. v. 5. & 6. alloquitur conjugatos: *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam*, (legit S. Augustinus *veniam*) *non secundùm imperium.* Unde S. Aug. lib. de peccato origin. cap. 38. *Hoc dico secundùm veniam: evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et in Enchirid. cap. 78. *Et quis esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur?* Hanc culpam nemo lethalem dixerit: ergo venialis est ex ipso Augustino & aliis Patribus. Sic in Scriptura sunt alia id genus peccata, quæ non nisi levia vocari possunt.

Hæc sunt principia per quæ lethalia ab venialibus discerni poterunt, quod ut meliùs fiat, operæpretium est ex S. Aug. proferre, quæ capitalia crimina, quæ minuta peccata censuerit. Sic igitur ille sermon. 41. de Sanctis.

Quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sunt illa: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; & si longo tempore teneatur iracundia, & ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, & si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit; sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit.

Quæ autem sunt minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit, quàm necesse est, ad minuta peccata noverit pertinere: quoties plus loquitur, quàm oportet, aut plus tacet, quàm expedit: quoties pauperem importunè petentem exasperat: quoties cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit: quoties excepto desiderio filiorum uxorem suam cognoverit: quoties in carcere clausos & in vinculis positos tardiùs requisierit: quoties infirmos tardiùs visitaverit: si discordes ad concordiam revocare neglexerit: si plus aut proximum aut uxorem aut filium aut servum exasperaverit, quàm oportet: si ampliùs fuerit blanditus, quàm expedit: si cuicumque majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit: si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimiùm deliciosa, aut sumptuosa sibi convivia præparaverit: si se in Ecclesia aut in Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicis ratio reddenda est, occupaverit. Hæc ibi S. Aug.

Et paulò pòst. *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibusdam pustulis & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De quo scriptum est: Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Et ideo continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assiduè redimantur, ne simul collecta cumulum faciant, & demergant animam. Quicquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, quia in igne revelabitur: & si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Hactenus S. Aug.

Expensa celebri divisione peccati in mortale & veniale, cæteras divisiones persequi oporteret: v. g. dividendum esset peccatum mortale in originale & actuale sive personale. Item dividendum esset peccatum mortale actuale, in peccatum commissionis & omissionis. Peccatum mortale actuale in peccatum contra Deum, contra proximum & contra seipsum. Peccata autem in Deum, in proximum & in seipsum, essent subdividenda in septem capitalia, superbiam, avaritiam, &c. & hæc ipsa in spiritualia & carnalia subdividi oporteret. Quas divisiones quæ passim occurrunt, omisimus, ut peccata ex ignorantia & in-

firmitate & ex malitia proficisci solita discoteremus. Sit itaque

---

Quæstio XXXVIII.

Quetuplex sit ignorantia, & quenam hominem reum coram Deo constituat; & quenam à peccata excuset & absolvat.

RESPONDEO 1°. aliam esse juris ignorantiam, aliam facti Ignorantia juris est igooratio earum rerum quæ lege, vel legitima consuetudine vim legis obtinente, sunt constitutæ. Sed quia jus multifatiam secatur, juris pariter ignorantia multifatiàm dividitur. Nam alia est ignorantia joris divini, alia humani. Juris divini ignorantia duplex est, una scilicet divini juris positivi, altera autem juris divini naturalis.

Item ignorantia juris humani est duplex: nempe ignorantia juris ecclesiastici, & civilis.

2°. Utraque illa ignorantia subdivitur in vincibilem & invincibileoi. Igootantia vincibilis seu culpabilis ea est, quâ quis negligit scire quod ad suam pertinet salutem, nec curat advertere ad ea, ad quæ ex præcepto divino advertere tenetur. Eâ ignorantia culpabiliter laborant, qui assiduè jurare soliti, nesciunt, vel discere negligunt, assidua juramenta, assidua esse peccata, seque ob inveteratam jurandi consuetudinem, ad juramenta, quæ sibi vel iocogitantibus excidunt, nihil advertere causantur. Ignorantia invincibilis ea est, quæ humanâ diligentiâ, quantacumque fuerit, superari oon potest, & ideò est involuntaria & inculpabilis.

3°. Ignorantia vincibilis sob ividitur in eam quæ est directè voluntaria, & in eam quæ indirectè dumtaxat est voluntaria. Ignorantia directè voluntaria ea est, quam affectat voluntas, & directè amplectitur, ultro abdica à repudiatâque rerum ad salutem necessariarum scientiâ, siveut liberiùs, & citra ullum conscientiæ stimolum peccare, sive ut ad alium quemcumque finem pertingere valeat. Tali laburant ignorantiâ, qui intelligere noluns, ut bene agant.

Ignorantia indirectè voluntaria ea est, quâ quis vel discendi laborem fugiens, vel certè aliud agens, negligit ea ediscere, quæ ad procurandam suam salutem rescercere potest & debet. Quæ quidem ignorantia, tametsi non sit in se volita, qoia tamen homo eam prætermisit diligentiam, per quam scite & animadvertere poterat, quæ ad salutem erant necessaria, coram Deo reus constituitur. Et hæc ignorantia crassa etiam & supina dicitur, licèt indirectè tantùm fuerit intenta, ob damnabilem negligentiam id ediscendi, quod facilè sciri potuit & debuit.

4. Dividitur ignorantia in negativam, in privativam, & pravæ dispositionis. Ignorantia negativa est ea, qua quis ignorat ea quæ nec scire potest nec debet: eo sensu pueruli & ab mente deserti ignorantes appellantur. Privativa ea est, quâ quis caret earum rerum notitia, quâ tamen eum pro suo statu præditum esse necesse est. Ignorantia pravæ dispositionis est habitus vel dispositio scientiæ contraria, putà, ut ait S. Thomas q. 3. de malo art. 7. cùm quis habet habitum falsorum principiorum, & salsarum opinionum.

Hactenùs allatæ divisiones sumuntur vel ex parte intellectûs, ignorantia scilicet negativa, privativa & pravæ dispositioois: vel ex parte objecti quod ignoratur; talis est ignorantia juris & facti: vel ex parte hominis, & hæc ignoraotia in vincibilem & invincibilem dividitur: vel denique ex parte voluntatis consentientis io actum. Et ideo

5°. Ignorantia dividitur in antecedentem, consequentem & concomitantem. Hanc divisionem affert S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. in c. cùm ait: *Ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis, uno modo concomitanter, consequenter, & antecedenter.*

Ignorantia concomitans ea est, quæ ita conjuncta est operi, ut etiamsi abesset, & adesset scientia illi opposita, nihilominus illud ipsum opus ageretur. v. g. putans aliquis occidere cervum, interficit inimicum, quem tunc ignorans interficit, quem alioquin interficere decreverat. *Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philosophus dicit, quia non causat aliquid quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium, quia non potest actu esse volitum, quod ignoratum est*, ut loquitur S. Thomas loco laudato.

Ignorantia consequens ea est, quæ judicium rationis, motumque voluntatis sequitur, & ab libera voluntate saltem indirectè proficiscitur, & ideo voluotaria oominator. Et hanc S. Thomas dividit in eam, quæ voluntaria est directè, & in eam quæ indirectè voluntaria est. Quam divisionem suprà explanavimus.

Ignorantia antecedens ea est, quæ antecedit actum voluntatis internum externúmve, alias non futurum, quem tamen producit per modum causæ removentis prohibens, id est scientiam ejusmodi ignorantiæ oppositam: quæ si foret præstò, cohiberet assensum voluntatis, atque adeo actum ipsum penitus impediret. Antecedenter se habet ad voluntatem ignorantia, quando oon est voluntaria, & tamen est causa volendi, quod aliàs oon vellet. Sicut cùm aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, qoam non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret: putà cùm aliquis diligentiâ adhibitâ nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, quâ interficit transeuntem, & talis ignorantia causat involuntarium simpliciter. Ita S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. in corp.

His ita prælibatis, esto

Prima Conclusio.

Juris cujuslibet seu divini naturalis, seu divini positivi seu humaoi tam ecclesiastici quam civilis ad communem societatis humanæ utilitatem instituti, ignorantia directè voluntaria, peccatum est, & quidem lethale.

Hujus peccati reux est, quisquis istarum rerum ignorantiam affectat, sive ut peccet liberiùs, ne abstrahatur à peccatis quibus incredibiliter oblectatur, vel propter quemlibet alium finem, quem per affectatam illam ignorantiam assequi decreverit.

Quòd ejusmodi homo peccet lethaliter eam ignorantiam affectando, nemo inficiari potest, nisi qui negare voluerit, eos non peccasse lethaliter, ut est in libro Job cap. 21. v. 14. & 15. *Dixerunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus illum?* Eos etiam lethali se flagitio constringere, qui Dei voluntatem per ejus præcepta significatam, intelligere abnuunt, constat ex cap. 24. ejusdem libri Job, ubi postquam enumeravit varia crimina, eaque gravissima, quibus impii sese passim devinciunt, hoc quoque inter ea recenset, quòd Domini vias igootare voluerunt. *Ipsi*, ait ejusdem cap. v. 13. *fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Levo scilicet est peccatum eorum, quos ita compellat Sapientia Prov. cap. 1. v. 22. *Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam?* Erit fortè innocens, is de quo Propheta canit Psalm. 35. *Noluit intelligere ut bene ageret.*

In ejus ignorantiæ peccatum sese supra quàm dici potest, implicavit obduratus Pharao, cùm sic alloqueretur Moysen & Aaron: *Quis est Dominus, & audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Exod. cap. 5. v. 2.

Nemo Theologus inficiatur, quin ignorantia voluntaria rerum quas quis scire tenetur in ordine ad

salutem sit peccatum veri nominis, & quidem lethale. Quemadmodum enim peccat, qui omittit, qood debet facere, & admitit peccatum omissionis, & quidem lethale in re gravi; ita etiam qui vel tenuie vel negligit scire quod tenetur, admitit peccatum lethale, quippe qui omnia salutis comparandæ præsidia, & imprimis scientiam Dei, & rerum agendarum fugiendarumque notitiam jure divino naturali perquirere & acquirere teneatur.

Præterea ejusmodi rerum scientiam esse in præcepto, tam sacræ Litteræ quàm SS. Patres perspicuè contestantur. Sacræ Litteræ Deuteronom. cap. 32. v. 28. & 29. *Gens absque consilio est & sine prudentia; utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Et Psalm. 92. v. 8. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* S. Augustinus enumerat plura ejusmodi Scripturarum testimonia Epist. 95. & lib. 2. de peccat. meritis & remission. cap. 5. & lib. de grat. & lib. arb. c. 2. & 3. quibus locis præceptum, de quo loquimur, astruit. Quia ejusmodi præceptum violaverunt filii Israël, conqueritur Dominus Osee cap. 4. *Audite verbum Domini, filii Israël, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Hîc per scientiam Dei significantur omnia ad salutem pertinentia, quæ per Scripturas & per Ecclesiam, penes quam solum est germana Scripturarum interpretatio, vel credenda vel agenda vel fugienda proponit, & explicat: quò referendæ sunt Principum & Magistratuum leges ad commune regnorum urbiumque bonum promulgatæ: Principibus quippe & legitimis potestatibus, utpote ab ipso Deo ordinatis, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, unumquemque fidelium obtemperare necesse est.

In teterrimum affectatæ ignorantiæ flagitium prolabuntur quotquot viros eruditos, quos vera, non placentia locuturos esse resciunt, nolunt adire, quique fugiunt Confessarios, quos severiores existimant, ne multa quæ citra scrupulum admittunt, illicita esse discant, & ab iis recedere cogantur dumtaxat, ut imperitos consulant. Ejusdem ignorantiæ sunt rei qui doctioribus dicunt: Ne quæso mihi hac de re scrupulum injicias; hactenus placidè vixi, & deinceps in ea degam tranquillitate, quam mea mihi conscientia semper indulsit.

Secunda Conclusio.

Ignorantia indirectè voluntaria, quâ quis ignorat ea quæ scire tenetur in ordine ad vitam æternam, peccatum est omissionis, & quidem lethale, licet minùs sit grave, quàm ignorantia directè voluntaria. S. Thomas q. 3. de malo art. 7. in corp. ait, *unumquemque teneri scire ea quibus dirigatur in propriis actibus. Unde ait, Omnis homo tenetur scire ea quæ fidei sunt, quia fides intentionem dirigit; tenetur & scire præcepta Decalogi, per quæ potest peccata vitare: & bonum facere. Unusquisque autem super hoc tenetur scire quæ ad suum officium pertinent, sicut Episcopus ea quæ pertinent ad officium Episcopale, & Sacerdos ea quæ pertinent ad officium Sacerdotale: & sic de aliis. Et horum ignorantia non est sine culpa.*

Et paulò infrà. *Potest considerari talis ignorantia per comparationem ad causam: sicut enim causa scientiæ est applicatio animi ad sciendum, ita causa ignorantiæ est animum ad sciendum non applicare. Et hoc ipsum quod est non applicare animum ad sciendum id quod debet scire, est peccatum omissionis. Unde si talis privatio cum causa præcedenti accipiatur erit peccatum actuale per modum, quo omissio peccatum dicitur.* Ignorantiam hanc profectam ex negligentia, quâ quis contemnit ea perquirere & ediscere quæ scire tenetur in ordine ad vitam æternam, esse peccatum lethale testatur Apostolus 1. Corinth. c. 14. v. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, id est damnabitur. Ejusmodi enim hominibus (sicut & improbis qui in nomine ejus Dæmonia ejecerint, & virtutes multas fecerint) dicetur, quia nunquam novi vos. *Quid est ergo, non novi vos*, ait S. August. sermon. 23. de verb. Dom. cap. 10. *improbo vos, reprobo vos: in arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia, & judicat vitia. Nescit faciendo, judicat arguendo: sic ergo non novi vos.*

Eamdem ipsam negligentiam culpabilem asserit S. Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ex his verbis*, ut ait S. Thom. q. 3. de malo art. 7. ad 7. *conficitur, sanctum Augustinum significare, quod ignorantia habet quod sit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil est aliud quàm non applicare animum ad sciendum ea quæ quis debet scire.* Hæc sanctus Thomas.

Cæterùm cum dicitur ignorantia esse peccatum ratione negligentiæ, non sic intelligendum est, quasi negligentia sola peccatum esset, & non ignorantia: utraque enim tam negligentia quàm ignorantia, peccatum est, non duo, sed unum: sicut actus internus & externus, imperans scilicet & imperatus, unum dumtaxat peccatum constituunt. Ignorantia enim relata ad negligentiam, quæ est ejus causa, est quiddam imperatum à negligentia, habetque se instar actus externi, ut & revera est extra voluntatem, quamvis non sit extra hominem.

Idem S. August. eod. lib. 3. de lib. arb. cap. 22. negligentiam hanc culpabilem declarat. *Non quod*, ait, *naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc anima deputatur in reatum: sed quòd scire non studuit, & quòd dignum facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.*

Unde S. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. in corp. ait: *Manifestum est, quòd quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis, unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum.* Et in eodem art. ad 3. *Dicendum, quòd sicut in peccato transgressionis peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito qui est imperatus à voluntate: ita in peccato omissionis non solùm actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria, & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa consideratio est peccatum*, quia, ut ait S. Doctor in eod. art. ad 1. in eo quòd dicitur peccatum, dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam, sunt intelligendæ etiam negationes oppositæ, secundum quòd omissio habet rationem peccati; & ita negligentia, secundum quam ignorantia est peccatum, continetur sub prædicta definitione peccati, in quantum prætermittitur aliquid, quod debuit dici vel fieri vel concupisci ad scientiam debitam acquirendam.

His ita positis, nemo mirabitur, ignorantiam illam indirectè voluntariam cum negligentia sciendi quod quis scire tenetur, conjunctam, lethale à nobis flagitium appellari. Cum enim seriò & accuratè perpenderit, quanti momenti sit salus æterna, & quanto studio media ad illam assequendam necessaria quæritare & capessere oporteat: non poterit dubio procul, quin illam ipsam ignorantiam hîc à nobis adumbratam damnabiliter culpabilem esse fateatur.

Tertia Conclusio.

Ignorantia per quam quis suâ culpâ nesciens aliquid esse peccatum, sine ullo conscientiæ scrupulo facit quod non debet facere, neminem excusat à peccato

vel veniali, vel lethali, prout materiæ gravitas tulerit. A veniali quidem non excusantur justi, quia, ut affirmat sanctus Augustinus lib. de spirit. & litt. cap. ult. *in multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus, & postea per Scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cùm didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat, plena humana vita est documentis talibus.* Et lib. 6. in Julian. cap. 16. *Omni reatu omnium malorum caret baptizatus, non omnibus malis. Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumera perpetrantur mala?*

Per hanc ignorantiam venialiter peccavit S. Petrus, qui certè tametsi tum se peccare non cogitaret, peccabat tamen, cui idcirco restitit S. Paulus in faciem, quia reprehensibilis erat: quippe qui subducendo se à gentibus, quibus ad id usque tempus convixerat easdem gentes suo exemplo judaïzare, id est legalia adhuc observare cogeret, atque adeo non rectè ad Evangelii veritatem ambularet, ut constat ex cap. 2. Epist. ad Galat. à v. 11. ad 17.

Per hanc ipsam ignorantiam peccavit lethaliter Fabiola, quæ vivente adhuc marito duxit alterum: quippe quæ, ut ait sanctus Hieronymus in ejus Epitaphio, *persuaserat sibi, & putabat virum à se jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat. in quo nubendi universa causatio viventibus viris fœminis amputatur. Dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.* Hanc ejus culpam fuisse lethalem, tum materiæ gravitas indicat, tum Hieronymus, qui per eam Fabiolam naufragium fecisse, nec nisi publicæ pœnitentiæ laboribus perfunctam, in Ecclesiæ communionem postliminio restitutam esse significat.

Per eamdem pariter ignorantiam, sive conscientiam erroneam lethali flagitio sese constrinxere Libellatici, qui se omni prorsus idololatriæ crimine vacare perperam arbitrabantur, modò idolis non sacrificarent. Qua in re graviter allucinabantur: nam si Magistratibus offerrent libellos, quibus ad effugienda quoquo modo supplicia Christianis irrogari solita, se neque Christianos esse nec fuisse, testatum facerent, non vacabant crimine: siquidem ut diximus ex tractat. S. Cypriani de lapsis, etsi nefandis sacrificiis manus non contaminarent, libellis conscientiam polluebant: si autem datis pecuniis obtinebant à Magistratu libellos, quorum beneficio sese ab idolorum sacrificiis, ad quæ cæteroquin adigendi erant, eximerent, nihilo seciùs gravi se devinciebant flagitio, ut patet ex Epist. ad Antonianum inscripta. *Cum ergo*, ait S. Cyprianus, *inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversitas; quæ inclementia est, & quàm acerba duritia Libellaticos, cum iis qui sacrificaverint, jungere? quando is cui libellus acceptus est, dicat: Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere, & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, (cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio) ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam. Nunc tamen etiam iste, qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, & si manus pura sit, & eam ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam, flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit, nunc admonetur, & non tam crimine quàm errore deceptus, quod jam de cætero instructus & paratus sit, contestatur. Quorum si pœnitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ statim cum uxore, cum liberis quos reservaverant, in hæresim vel schisma diabolo invitante rapiuntur: & ascribetur nobis in die judicii, nec ovem sauciam curasse, & propter unam sauciam multas integras perdidisse.*

Hæc gloriosissimi Martyris verba satis declarant, ejusmodi Libellaticos peccasse graviter, siquidem nisi eorum admitteretur pœnitentia, eos damnatum iri certò crederet Ecclesia.

Eodem sunt implicati peccato plurimi, qui dispensationibus subreptitiis sine vera causa obtentis, faciunt quod eis facere non licet eadem securitate & confidentia, quâ in sanctiora quæque opera incumberent, qui tamen versantur in gravissimis peccatis: siquidem, ut superiùs ostendimus, cùm de dispensatione Canonum ageremus ex gravissimorum Theologorum Cajetani, Bellarmini & Toleti sententia, dispensationes sine vera causa obtentæ non eximunt à peccato coram Deo, ita ut ejusmodi homines tuti sint quoad Ecclesiam militantem, non autem quoad triumphantem. Trium hujusmodi Cardinalium testimonio omnimoda fides habenda est hac in parte: cùm enim summis Pontificibus essent dicatissimi, nusquam huic litassent veritati, nisi eam nihil eorum authoritati derogari, atque adeo per totum terrarum orbem oportere prædicari, persuasissimum habuissent.

Quarta Conclusio.

Cùm peccata per ignorantiam, & peccata per conscientiam erroneam referri possint ad unum genus, quod universim dicitur peccare per ignorantiam, dicimus eos peccare per conscientiam erroneam, sive per ignorantiam, qui faciunt quidpiam quod tantum abest ut peccatum existiment, ut etiam laudatissimum & ipsi Deo acceptissimum esse persuasum habeant, arbitrati se non solùm non peccare, cùm illud faciunt, sed contrà se peccatores, si non facerent. Talis erat Judæorum ignorantia, qui Apostolos persecuti usque ad internecionem, arbitrabantur obsequium se præstare Deo, ut ipsemet Christus in Evangelio contestatur.

Unde sanctus Bernardus Epist. 77. ad Hugonem capite 4. *Si ignorantiâ nunquam peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quoniam quidem nescierunt non solùm malum esse interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo,*

Per hanc ignorantiam peccant boni alioquin viri, qui habent zelum, sed non secundùm scientiam. Tales erant plerique Judæi ad Christum conversi, qui quidem præpostero & improvido legis Mosaïcæ zelo abrepti cogebant gentes judaïzare, & hoc facto se Deo gratum facere credebant, cùm tamen peccarent, ut asserit Apostolus Epist. ad Gal. cap. 2.

In eamdem ignorantiam inciderat gloriosissimus Martyr Cyprianus, cum anabaptismum incredibili ardore defenderet adversus Stephanum Pontificem Maximum, à quo tamen nusquam se disjunxit, ne Ecclesiæ Dei (cujus inevulsibile membrum erat, ut loquitur sanctus Augustinus) sanctam unitatem & societatem quam unicè deperibat, fœda schismatis labe truncaret. Nihilo seciùs eum peccasse constat adversùm Pontificem Apostolicæ Sedis doctrinam una duntaxat Apostolica traditione propugnantem plus æquo efferbuit: quam tamen, ut ait S. Augustinus, in candidissimo pectore maculam sanguis pro Christo effusus abstersit.

Quinta Conclusio.

Ignorantia juris divini naturalis quoad noiversalia principia (quorum respectu nulla datur ignoranria, quæ sit verè invincibilis) nusquam excusat à peccato. Si v. g. quis ignoret prima illa & universalia principia: Deus est colendus: Quod tibi fieri non vis, &c. sicut & Decalogi præcepta ignoret, à peccato non poterit excusari: quia nullus umquam excusatur, eo nomine quòd generalis alicojus principii juris naturalis ignorantiam obtendat. Damnabiliter scilicet peccant idololatræ inter idololatras nati & educati, qui adorant plures Deos: unum enim dumtaxat Deum adorandum esse lex naturalis ipsius Conditoris manu omnium hominom pectoribus inscripta indicat.

Radix istius doctrinæ repetenda est ex discrimine quod intercedit inter jus naturale & inter jus positivum. Jus scilicet naturale in eo differt à positivo, quòd homini ad Deom ut ad ultimum finem ordinato connaturale fuerit; ita ut per illud omnia rationi honestatique congruentia & ab eadem abhorrentia, omnia denique ad suum finem assequendum scitu necessaria doceretur. Quod locum non habet io jure positivo: nec enim est connaturale homini, nec obligat nisi promulgatum, nec legis vim & rationem sine promulgatione obtinet Jus autem naturale omnem hominem quatenus rationis participem & ratione utentem absque alia olteriori promulgatione obligat: & ideo nunquam obligare desinit; illa quippe legis naturalis ignorantia non propriè peccatum est, sed peccati dumtaxat pœna, quæ quidem quamvis noo in omnibus sit æqualis, Deo per occolta sua judicia discernente quantum cuique supplicii inferri debet, qoi nemini infert plusquam debet, imò nec totum quod debet: tanta tamen est in quibusdam, ut exceptis quibusdam veritatibus & pronuntiatis, quorum cognitio omnibus nihil obstante peccati magnitudine, divina clementia suppliciom temperante, permissa est, pleraque ab ipsa lege naturali necessariò manantia, nisi divinom vel humanum magisterium ejusmodi animis offusas ignorantiæ tenebras discutiat, (ceu penitos forent excæcati) videre nequeant. *Peccaate* scilicet *primo homine, vitium pro natura inolevit*, ait sanctus Augustious, *si vitium pro aatura inolevit, secundùm mentem omnis homo cæcus aatus est.* Si enim videt, non opos habet ductore, & ideo nonnisi adjuvante Creatore docet nos posse sicut à difficultate, id est à concupiscentia eruciante, ita & ab ignorantia cæcante liberari.

Ejusmodi peccata per primorum principiorum (de quibus suprà) ignotantiam admissa, sunt veri nominis peccata, eaque gravia, quippe quæ ab primo primi hominis peccato ceu innumerabilium malorom fonte teterrimo profluxeront. Quod pulcherrimè docet sanctus Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. capite 20. *Illud*, ait, *quod ignorant quisque non rectè facit, & quod rectè volent facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo* (primi hominis) *libera voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Hæc sanctus Augustinus. Ex quo igitur primus homo ineffabili roina cecidit, quicquid ex illa igoorantia & cæcitate (quia pœna peccati est) perperam fit, sine peccato non fit

Doctrinam de tali legis natoralis ignorantia, quæ non excosat à peccato, hausit sanctus Augustinus ex variis Apostoli locis, & imprimis ex cap. 7. Epistol. ad Rom. v. 7. *Peccatam non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Ex ejusdem cap. v. 8. *Sine lege peccatum mortuum erat.* Ex his & similibus Apostoli locis haustam doctrinam de invincibili legis naturalis ignorantia passim tradit idem sanctus Augustinus. Unde lib. 1. ad Bonif. capit. 3. sic loquitur: *Ut illud quod dixerat, Sine lege enim peccatum mortuum erat, non intelligamus, nisi tanquam non sit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tanquam in nescio quibus ignorantia tenebris sit sepultam. Hominem tamen reum esse peccati, quamvit ignorati*, Apostolus docet ibidem, dum dicit: *Ego autem mortuus sum.* Unde ad id, quod dicit, v. g. *Ego autem vivebam sine lege aliquando*; Augustinos ita loquitur: *Quid, ait, nisi vivere mihi videbar? & quod adjunxit: Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit: quid est aliud, quàm eminuit, apparuit?* His in locis de lege naturali loqui Apostolum sæpenumero docet sanctus Augustinus Serm. 49. de temp. & alibi: quibus in locis intelligit legem naturæ quam lex Mosaïca tanto apparatu data & promulgata ex altissimis ignorantiæ latebris extractam in propatulo collocavit, & deinceps ab omnibus observandam ob omnium mortalium oculos proposuit.

Eamdem doctrinam de tali ignorantia tradit sanctus Augustinus Epist. 105 ad Sixtum. *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento propria voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in iis autem qui non potuerunt, pœna peccati: ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

Eamdem de ignorantia doctrinam ut Catholicam amplexi sunt Patres Concilii Diospolitani adversus Pelagium & Celestium, ut legere est apud S. August. lib. de gestis Palæstin. cap. 19. & 35.

Peccatum quod per juris naturalis ignorantiam admittitur, non est omnino involuntarium.

Cùm enim Estius Theologus eruditissimus in 2. Sentent. dist. 22. §. 14. dixisset ignorantiam invincibilem joris positivi reddere actum prorsus involuntarium sub ratione peccati, continuò subdidit: *At ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam qua ratione peccatum est: quia non facit ut malum prorsus ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri: quamvis enim qui hac ignorantia laborat, ignoret hoc malum quod agit sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum, novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli causâ, qui mentitur officiosè, putans tale mendacium esse licitum, is quidem nescit tale mendaciam pertinere ad genus peccati, ideoque putat non esse peccatum: scit tamen se mentiri, & proinde actum qui essentialiter malus est, voluntariè committit. Eadem ratio est in fornicatione, usura, simonia & cæteris per se malis, id est, quæcumque non ideo mala sunt, quia prohibita; sed ideo prohibita atque illicita, quia mala sunt.* Hæc Estius loco proximè laudato.

Illam ipsam de præfata ignorantia doctrinam tradunt alii Patres, scilicet Hieronymus lib. 1. cont. Pelag. cap. 10. S. Prosper. sent. 309. S. Fulgentius lib. 1. de veritate prædestinat. cap. 20. Isidorus Hispal. lib. 2. Sentent. cap. 17. S. Bernard. lib. de præcept. & dispensat. cap. 18. Huic doctrinæ astipulantur Theologi, imprimis sanctus Thomas in q. de malo art. 7. in corp. & 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. *Potest aliquis, ait, non habere conscientiam sui peccati dupliciter uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, qua non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum; putà, si quis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale:*

tale: vel quia negligens est in examinatione sui contra id quod Apostolus dicit, Probet autem seipsum homo, &c. & sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licèt non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.

Idem S. Thomas quodlibeto 3. art. 10. asserit, *quòd in his quæ pertinent ad fidem & ad bonos mores nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus magistri: in talibus enim ignorantia non excusat. Unde facilè colligitur, ignorantiam juris non excusare à peccato: aliquis, ut vincat ignorantiam juris, quâ laborat adit ad virum quem existimat eruditum: ille dat responsionem juri contrariam, consulens, sequitur erroneam ejus opinionem, & peccat, quia ignorantia juris non excusat à peccato: sive enim ignorantia illa sit vincibilis, sive invincibilis, sive se teneat ex parte Magistri qui consulitur, sive ex parte consulentis, non excusat à peccato: si enim in utroque, vel alterutro fuit invincibilis, quia humanâ diligentiâ superari debuit, nec reipsa superata est: non excusat à peccato: si autem in utroque vel in alterutro fuit invincibilis, nec etiam excusat à peccato, quia juris præsertim naturalis ignorantia etiam invincibilis non excusat à peccato, quia, ut suprà vidimus, pœna peccati est.*

Unde sanctus Doctor absolutè pronuntiat, eum non excusari, qui erroneam alicujus Magistri opinionem secutus fuerit. Si quis igitur consulat Magistrum quempiam, de usura v. g. & Magister perperam de proposito casu respondeat, & ille sub eam responsionem quippiam illicitum agat, peccat, & tunc completur oraculum illud evangelicum, *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.*

Eamdem doctrinam amplectuntur Scholastici, & imprimis Gregorius Arimin. qui florebat ânno Redemptoris 1550. Cùm enim sibi objecisset, quòd secundum omnes Doctores non imputantur homini quæ ex ignorantia simpliciter invincibili committuntur: ita respondet in 2. distinct. 29. q. 1. art. 2. *Dico, quòd istud est intelligendum de ignorantia, quæ nec est peccatum, nec pœna peccati, cujus ille sit, aut fuerit reus. Nam ignorantia quæ provenit homini ex peccato, cujus ipse fuit reus, eum nequaquam excusat saltem à toto.* Et suprà ad distinct. 26. 27. & 28. q. 1. art. 3. sub finem præmiserat: *Non omnis impotentia bene agendi excusat hominem à peccato, si non bene agat; quia non illa quæ est pœna peccati: sicut nec ignorantia quæ est pœna peccati, excusat hominem à peccato, si non agat quod debet, aut agat quod non debet.* Hæc ille.

Constat igitur juris divini naturalis circa prima & universalia ejus principia ignorantiam, nunquam excusare hominem à peccato. Nec enim invincibilis ignorantia cadit in legem divinam naturalem, ut diximus, sed vincibilis dumtaxat, & sic semper peccabunt, qui ex ea ignorantia circa dicta principia quippiam illicitum admiserint, cum nemo sit, quin vincibilem ignorantiam rei, quam facere vel fugere debet, culpam semper importare fateatur.

Probatam hactenus doctrinam de juris naturalis ignorantia, neminem à peccato excusante retulit Gratianus in corpus Juris Canonici, scilicet 1. in capit. *Turbatus*. §. ult. sub finem, ubi ait: Item ignorantia juris, alia naturalis, alia civilia. Naturalis omnibus adultis damnabilis est. Et Glossa ibidem: Ignorantia juris naturalis neminem excusat.

Ideo Innocentius III. cap. *Per tuas*. tit. de simonia, eum qui in sui ordinatione aliquid promiserat, simoniacum esse, nihil obstante ejus ignorantia, pronuntiat.

Q UÆSTIO XXXIX.

Quænam ignorantia excuset à peccato, vel toto, vel tanto.

Respondeo 1°. ignorantiam, quâ fit, ut actus, qui alioqui peccatum esset, sit omnino involuntarius, ita videlicet, ut nec directè, nec indirectè, nec actu, nec virtute à voluntate eligatur; in totum excusare à peccato: sive illa ipsa ignorantia sit vincibilis, & sit earum rerum quas quis scire non tenetur, sive sit invincibilis, id est justa & probabilis. Ac reipsa quidem cum ignorantia eatenus excuset à peccato, quatenus tollit voluntarium, & utraque hæc ignorantia actum, quem producit per modum causæ removentis prohibens, id est scientiam illi oppositam, reddat omnino involuntarium, necessaria consecutione conficitur, eum actum ab omni omnino peccato esse vindicandum.

Ratio a priori est, quòd utraque illa ignorantia ita antecedat actum, & ita removeat scientiam, eidem ipsi actui oppositam, ut si ea scientia agentis animum illustraret, numquam ejus voluntas consentiret in ejusmodi actum, atque adeo externam ejus executionem nullatenus imperaret. Ergo utraque illa scientia antecedens aliquem actum, eum omnino i. voluntarium efficit.

Respondeo 2°. ignorantiam directè voluntariam nec tollere nec minuere, sed majorem in modum augere & exaggerare peccatum, quippe quæ voluntati rationem augeat, ut patet ex iis quæ in prima conclusione diximus.

Respondeo 3°. ignorantiam quæ est peccati causa, & solum indirectè voluntaria, minuere quidem peccatum, quia minuit voluntarium; non ita tamen minuere, ut ex mortali fiat veniale, si præsertim quippiam magni momenti in maximo salutis negotio per eam vel omittatur, vel admittatur.

Respondeo 4°. ignorantiam concomitantem non reddere actum illum quem comitatur, culpabilem. Ratio est, quia ejusmodi actus cum ignorantia concomitante conjunctus, neque directè, neque indirectè est voluntarius, quia nullo pacto cogitatus: & ideo immeritò viro aliquid ex ea ignorantia perpetranti ad culpam imputaretur. Quis enim unquam dixerit aliquem actum prorsus ignoratum, nullo pacto volitum esse peccatum veri nominis.

Si quis objiciat hanc ignorantiam non efficere, quin actus adhuc virtute sit voluntarius, maximè in eo, qui actualem habuit voluntatem, occidendi inimicum v. g. & paratus est eum interficere, ubicumque eum habuerit obvium, qui proinde si eum per ignorantiam interfecerit, videtur virtualiter hunc ejusmodi interfectionis actum voluisse. Quapropter hic actus peccatum est, & illi meritò imputatur. Hæc objectio facilè solvitur, si dicamus actum non posse dici virtute voluntarium à voluntate, à qua nullo pacto producitur. Constat autem, voluntatem illam præcedentem nullum habere causalitatis ordinem ad hunc actum producendum: unde hic actus neque directè, neque indirectè, neque actu, neque virtute, volitus ab illa præcedenti voluntate dici potest, ut rectè explicat Medina in 1. 2. q. 6. art. 3. & post illum Estius ad dist. 21. lib. 2. Sentent.

Respondeo 5°. ignorantiam quæ est causa actus peccati, nec omnino tollit scientiam, malitiæ actus, non omnino excusare à peccato, sed solùm excusare à peccato, quod est ex ignorantia ignorata; in totum quidem, si illa circumstantia fuerit invincibiliter ignorata; ex parte verò, si culpabiliter ignorata fuerit. Unde Judas Genes. cap. 38. accedens ad mu-

lierem, quam ignorabat esse Thamar nurum suam, quia compertum habebat non esse suam uxorem, fornicationem quidem, sed non incestum admisit, si ejus ignorantia hac in parte fuerit invincibilis, ut supponitur: si autem fuisset culpabilis, peccasset quidem, & admisisset incestum minùs vel magis culpabilem, prout ignorantia plus vel minus de voluntario detraxisset. Similiter qui injustè enecat hominem, quem ignorat suum esse patrem, neutiquam interfecturus, si rescisceret, reus est homicidii, non parricidii.

Respondeo 6°. In his quæ sunt facti cujuscumque, etiam pertinentis ad jus naturale, potest esse ignorantia invincibilis: quia ignorantia facti semper est respectu alicujus particularis contingentis, circa materiam vel circumstantiam actus, quæ facilè potest ignorari, ut patet ex Genesi cap. 29. ubi Jacob cognovit Liam pro Rachele.

Respondeo 7°. ignorantiam invincibilem juris cujuslibet positivi à peccato penitus excusare. Hoc perspicuum est, & ab omnibus admittitur, sicut & certum est, ejus ignorantiam invincibilem reddere actum prorsus involuntarium, atque ita excusare penitus à peccato.

Respondeo 8°. ignorantiam juris naturalis circa prima ejus & universalia principia, quorum respectu, ut diximus, nulla datur quæ sit verè invincibilis, non excusare à peccato, ut affatim probatum est à nobis tota conclusione quinta. Et peccatum quod ex illa ignorantia committitur, ejusdem speciei est, cujus esset, si scienter admitteretur. Quia scilicet isthæc ignorantia culpabilis est, nec excusat.

Respondeo 9°. ignorantiam invincibilem facti excusare à pœnis seu censuris ecclesiasticis: quia cùm censura ecclesiastica non feratur nisi in contumaces, qualis non est qui aliquod factum ignorat invincibiliter, sequitur eum non esse obnoxium censuris ecclesiasticis. Unde Alexander III. cap. *Si verò*. tit. de sententia excommunicationis, declarat eum esse immunem ab excommunicatione, qui manus violentas injicit in Clericum quem ignorabat esse Clericum. Unde Gregorius IX. cap. *Apostolicæ*. tit. de Clerico non ordinato ministrante, Sanè certum est, ait, quòd qui invincibiliter ignorat se esse excommunicatum, aut suspensum, non fiat irregularis, quamvis celebret divina.

Observandum est autem, invincibilem facti ignorantiam excusare ab irregularitate, nec eum incurrere irregularitatem, qui dabat operam rei licitæ, aut illicitæ, non tamen periculosæ, nec tendenti ex suo genere vel consuetudine ad aliquid, cui irregularitas veluti pœna quædam annexa est: si autem quis dederit operam rei illicitæ, & ex suo genere vel consuetudine vergenti in id, cui annexa est irregularitas, ignorantia facti licèt invincibilis non excusat ab irregularitate, sicuti neque juris, neque facti ignorantia, quantumcumque sit invincibilis, excusat ab ea irregularitate quæ incurritur sine peccato, quia talis irregularitas non est pœna peccati, sed est quædam qualitas seu conditio, quâ quis ad tonsuram & ordines ecclesiasticos promoveri, promotusque in iisdem ministrare prohibetur.

Et hactenus de peccatis ex ignorantia committi solitis: quæ ut vitentur accuratè, aliquot consectaria sunt hîc subjicienda.

Primum consectarium.

Ex hac doctrina de ignorantia hactenus tradita, sequitur quoscumque pastores, seu primi seu secundi ordinis, teneri ad informandos commissos sibi populos, & imbuendos notitiâ earum omnium rerum, quæ ad assequendam salutem sunt necessariæ. Sic enim istud cujuslibet Pastoris officium illis ab omni ævo divinitus impositum declarat Concilium Tridentinum session. 5. cap. 2. de reformatione, his verbis: Archipresbyteri quoque plebani, & quicumque parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Et subdit Concilium, eos si ab Episcopo moniti trium mensium spatio huic illi muneri defuerint, per censuras ecclesiasticas esse cogendos.

Id ipsum inculcat eadem sacrosancta Synodus Tridentina session. 24. cap. 7. de reformatione. Necnon, ait, inter missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia & salutis monita eâdem vernaculâ linguâ singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus quæstionibus inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

Catechismus Romanus p. 3. n. 2. hac de re ita loquitur. Cum Decalogus totius legis sit summa, Pastores oportet in ejus contemplatione diu noctuque versari, ut non vitam suam modo ad hanc normam componant, sed etiam ut populum sibi creditum in lege Domini erudiant. Hæc ibi.

Quod si si ejusmodi muneri ad ædificationem corporis Christi tam idoneo & necessario fuerint impares, sciant se ut malos Presbyteros puniendos. Hi enim sunt mali Presbyteri, qui concupiscunt accipere pastorale ministerium Ecclesiæ, nec tamen possunt ad populum prædicare: ut præclarè ait Chrodogangus Metensis Episcopus in Reg. Canonicorum cap. 79. ut videre est tom. 1. Spicilegii Acheriani.

Floruit Chrodegangus tempore Pipini & Caroli M.

Secundum consectarium.

Confessarius tenetur ignorantiam à pœnitentis animo propulsare, in tribus præsertim casibus.

1°. Quando pœnitens aliquid ignorat bona fide, & ostenditur spes, aperiendam veritatem ei non mediocriter profuturam, tunc eum sedulò debet admonere, eique veritatem retegere: cùm ingentis cujuspiam boni inde ad pœnitentem redituri spes, sublato cujuslibet incommodi metu, non obscurè affulgeat.

2°. Confessarius pœnitentis ignorantiam veritatis luce discutere tenetur, cùm eum consulit de scrupulo quopiam quo angitur: tenetur, inquam, tunc temporis ei patefacere veritatem, licèt eam ab ipso pœnitente in usus parum legitimos convertendam esse prospiciat.

3°. Confessarius tenetur explicare pœnitenti veritatem, si eum animadvertat criminosâ quâpiam laborare ignorantiâ, quæ ex ipsa peccantem coram Deo non excuset: debet, inquam, eum erudire, & imbuere monitis & præceptis, per quæ possit æternam salutem assequi: tametsi id ab eo non poscat ipse pœnitens, & præterea suam illam instructionem nihil penitus ei profuturam esse videat. Cùm enim sit ejus pater spiritualis, & paternam ejus salutis curam susceperit, tenetur ex officio eum informare ad ea omnia quæ citra crimen ignorare non potest.

Tertium consectarium.

Nemo est verè Christianus, quin pro peccatis innumerabilibus per ignorantiam admissis coram Deo ingemiscere, & pœnitentiam agere debeat, & precari cum Propheta; *Delicta quis intelligit? ab occul-*

tis meis munda me. Neque ibi hærere, sed maximo Christianæ humilitatis sensu affici debet, quod etiam nesciens infinitâ peccatorum, licèt venialium, multitudine scateat, & nisi divina misericordia succurrat, obruatur.

Quæstio XL.

Quænam dicantur peccata infirmitatis: & an graviora sint iis quæ admittuntur ex ignorantia.

RESPONDEO 1°. peccata infirmitatis ea esse, quæ per incogitantiam & subreptionem, vel per passionem admittuntur. Peccat qui per incogitantiam, subreptionem & inconsiderantiam, cùm inter peccandum nullo modo cogitat, an id quod facit, æquum sit, an iniquum, etsi fortasse, si animum adverteret, non ignoraret illud sibi minimè esse faciendum. Ut enim egregiè docet S. Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 5. aliud est rem non nosse, aliud de re non cogitare. Neque enim, inquit, multarum doctrinarum peritum ignorare grammaticam dicimus, cùm eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat. Sive, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 2. in corpore, nihil prohibet sciri aliquid in habitu, quod tamen actu non consideratur. Plena est hominum vita talibus peccatis, quæ per subreptionem & incogitantiam fiunt.

Dicitur ille peccare per passionem, qui in passione constitutus, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 2. in c. non considerat in particulari id, quod scit in universali, in quantum passio impedit talem considerationem. Sic Aristoteles lib. 7. Ethicor. ait eos peccare quos vocat incontinentes, & ejusmodi peccata dicuntur infirmitatis peccata. Quemadmodum enim, ut ratiocinatur S. Thomas eadem 10 quæst. 77. art. 3. in c. membrum dicitur infirmum, quando non potest fungi officio membri sani, sicut oculus aliqua suffusione, aut alio quopiam morbo affectus non potest videre rectè & distinctè: ita infirmitas animæ dicitur, quando partes animæ non subduntur ordini rationis, id est quando vis concupiscibilis aut irascibilis aliqua passione extra ordinem rationis afficitur, ita ut anima passionibus veluti quibusdam ægritudinibus malè affecta suos motus, suaque consilia ad divinæ legis, atque adeo rectæ rationis amussim componere nequeat, atque ita peccet. Ex hoc peccatum ex infirmitate esse dicitur, ait ibidem S. Thomas. Unde & Philosophus in 7. Ethicor. cap. 8. comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus, quod ipse disponit.

Quod ut clariùs eluceat, observandum, infirmitatis nomen à corpore translatum ad animam, bifariàm in sacris Litteris usurpari.

1°. Interdum peccatum & culpam significat, ut Roman. 5. dicit Apostolus, Christum, cùm adhuc infirmi essemus, pro impiis mortuum esse; quod postea repetens ait, cùm adhuc peccatores essemus. Ergo infirmos & peccatores pro iisdem promiscuè sumit. Ita S. Augustinus usurpat lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17.

2°. Sumitur pro ægritudine seu imbecillitate animæ, quâ quis, licèt alioquin bonæ voluntatis, non est tamen ita firmus & validus, ut passioni vel externæ tentationi valeat resistere, sed facilè succumbat. Tales sunt, de quibus ait Christus in parabola seminantis, Nam qui supra petram; hi sunt qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, Luc. 8. v. 13. Ex ejusmodi infirmitate peccavit Petrus, cùm degeneri metu fractus & debilitatus Christum, quicum se moriturum esse promiserat, abnegavit.

Sic justi naturâ iracundi multa faciunt per iram, quæ ira durante justissima arbitrantur, quorum tamen cùm ira deferbuit, eos maximè pœnitet. Facilè etiam contingere potest, ut qui diuturnam blasphemandi consuetudinem contraxit, etsi conversus ad Deum, in ipso conversionis exordio, si effervescat ira, in assidua blasphemiæ verba cum scandalo prorumpat.

Quid quòd ardentior in amicos & propinquos affectus ita plerumque excæcat, ne dicam, effascinat viros alioqui bonos, ut eorum causâ, ea sine peccato se facere certò credant, quæ sine peccato nullatenus fieri possunt, ut cùm viri pietatis existimatione celebres & conspicui, ex reditibus Ecclesiæ quos Concilia nominant vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, locupletant propinquos, ut conjugia cum primariæ nobilitatis hominibus ineant, vel ob alium quemlibet finem, vel cùm optima, id est opima Sacerdotia, vel dignitates ecclesiasticas non dignioribus, (quod lex naturalis & ecclesiastica præcipit) sed amicis & propinquis, etiam plerumque indignissimis, conferunt.

Hæc infirmitas omnibus hominibus importata est per primum hominem, cùm se suamque prolem secuturis omnibus sæculis ex se nascituram, Creatorem libera quidem voluntate, sed nefaria rebellione deserendo vitiavit. Unde multa nobis vulnera, at præsertim duo inflicta sunt; vulnus scilicet ignorantiæ & infirmitatis. Ideoque duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus, ut ait S. Augustinus Enchirid. cap. 81. Unde tam sæpe idem S. August. & alii Patres per ignorantiam naturam contenebrari, & per concupiscentiam naturalia hominis bona labefactantem infirmari asserunt.

Respondeo 2°. Peccata infirmitatis cæteris paribus graviora sunt iis peccatis, quæ ex ignorantia committuntur. Hæc est doctrina S. Augustini lib. 4. contra Julian. cap. 5. *Ex hoc autem*, ait, *concupiscentia pejor est quam ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentia minùs peccat, concupiscentia verò sine ignorantia graviùs peccat. Et nescire malum non semper est malum; concupiscere autem malum, semper est malum. Bonum quoque ipsum utiliter aliquando ignoratur, ut opportunè sciatur; nullo autem modo fieri potest, ut carnali concupiscentia bonum hominis concupiscatur, quandoquidem nec ipsa proles libidine corporis, sed voluntate animi concupiscitur, quamvis non sine libidine corporis seminetur. De hac quippe agimus concupiscentia, quâ caro concupiscit adversus spiritum, non de illa bona, quâ spiritus concupiscit adversus carnem.* Hæc sanctus Augustinus, qui perspicuè declarat, graviora esse peccata infirmitatis, ex passionibus scilicet quas concupiscentia perturbavit, admissa, quàm ea quæ ex ignorantia committuntur.

Ac reipsa quidem cùm concupiscentia, quam desiderium peccati, vel cupiditatem rebus inferioribus fruendi, definit S. August. sit arbor mala, quæ non potest bonos fructus facere, ut Christus in Evangelio testatur; illa autem arbor tribus veluti patulis diffusa ramis, concupiscentiâ nimirum carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ, (ad quæ tria reduci possunt omnes passiones) omne peccatum ex se proferat: rectè colligitur, peccata quæ ex concupiscentia triplici ramo porrecta, atque adeo omnes animæ passiones & infirmitates enixa, committuntur, esse multò graviora iis quæ ex ignorantia perpetrantur. Siquidem ex S. August. sententia, concupiscentia sine ignorantia graviùs peccata: ergo peccata infirmitatis, quæ scilicet admittuntur ex passione, quæ rationem ab attenta rerum hîc & nunc agendarum fugiendarúmve consideratione revocat, sunt graviora iis quæ committuntur ex ignorantia.

Præterea certum est, peccatum ex ignorantia commissum esse minùs voluntarium, quàm illud

quod ex passione perpetratur. Nam qui peccat ex ignorantia, non ita cognoscit actum suum, quia semper illi aliqua ejus circumstantia lateat: qui autem ex passione peccat, totum actum quem eligit, perspectum habet, licèt passionis vehementia prohibeat, ne quod scit in universali, hîc & nunc in particulari casu consideret. Cùm igitur qui peccat ex ignorantia, peccatum minùs voluntarium admittat; sequitur eum minori leviorique sese peccato constringere, quàm eum qui ex passione delinquit. Imò sæpenumero passio auget voluntarium, quod aliquando ignorantia penitus involuntarium efficit. Quod ut eluceat,

Observandum est, duo pertinere ad voluntarium quod cadit in actus humanos. Unum est cognitio finis seu objecti, & circumstantiarum ejus; alterum est propensio seu inclinatio voluntatis. Si consideretur primum, concupiscentia sicut & quælibet alia passio antecedens minuit voluntarium: passionis enim impetus prohibet, quominus singula expendantur accuratiùs, & sic in causa est, cur actus non tam liberè exerceatur. Si spectetur alterum, id est propensio voluntatis, passio auget voluntarium: efficit enim ipsa illa passio, ut intellectus majori quadam vi & ardore voluntati offerat amplectendum id, ad quod ipsamet impulerit, atque adeo ut voluntas illud ipsum ardentiùs appetat. Et sic certum est, ex ignorantia peccantem minùs delinquere, quàm eum qui ex passione peccat. Quod patet ex sacris Litteris. Nam Luc. 12. v. 47. & 48. *Ille autem servus*, ait Christus, *qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis.* Qui igitur peccavit ex ignorantia, vapulabit paucis; sed qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis, id est multò graviùs plectetur, quàm is qui domini voluntatem ignoravit, quia, ut apparet ex contextu Evangelii, videtur esse ille ipse servus, *qui dixit in corde suo, Moram facit dominus meus venire; & cœpit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari*: graviori igitur afficietur supplicio præ altero, qui domini voluntatem ignoravit, quia ille non tantùm sciens domini sui voluntatem, eam non fecit, sed etiam ex passione peccavit, se tradidit scilicet suis cupiditatibus, seu passionibus, quarum illecebris captus voluntatem domini sui perficere neglexit. Ergo cùm graviora irrogentur supplicia homini, non tantùm scienti domini voluntatem, & non facienti, imò suis passionibus indulgenti, quàm alteri ejusdem domini voluntatem ignoranti, nec facienti: sequitur peccata ex passione perpetrata graviora esse iis, quæ admittuntur ex ignorantia, cùm attestante Christo majoribus sint suppliciis afficienda.

Quæstio XLI.

Utrum peccatum ex passione possit esse mortale.

Respondeo, peccatum ex passione admissum non solùm esse posse, sed sæpenumero esse mortale.

Ratio est manifesta. Nemo enim dubitat, quin actus mortaliter malus tunc sit peccatum mortale, quando ratio in eum deliberatè consentit. Passio autem non semper est tanta, ut impediat quominus ratio deliberatè consentiat in actum qui ex passione proficiscitur. Sed quæritur, an ratio deliberatè consentire censeatur, atque adeo an actus ex genere suo lethalis semper ex deliberata voluntate procedat, atque adeo sit revera lethalis, quotiescumque aliquis in actum exteriorem ex passionis impetu prorumpit.

Eam esse Doctoris Angelici mentem, plures colligunt ex 1. 2. q. 77. art. 8. ubi sic loquitur in c. *Respondeo dicendum, quod peccatum mortale consistit in aversione ab ultimo fine, qui est Deus: quæ quidem aversio pertinet ad rationem deliberantem, cujus etiam est ordinare in finem. Hoc igitur modo potest contingere quòd inclinatio animæ in aliquid quod contrariatur ultimo fini, non sit peccatum mortale, quia ratio deliberans non potest occurrere, quod contingit in subitis motibus. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum, hoc non fit subitò: unde ratio deliberans potest hîc occurrere; potest enim excludere, vel saltem impedire passionem: unde si non occurrat, est peccatum mortale: sicut videmus, quòd multa homicidia & multa adulteria per passionem committuntur.*

Ex isto Doctoris Angelici loco colligitur, hominem ex passione in actum externum & illicitum (in materia gravi) erumpentem peccare lethaliter, eo quòd ratio deliberans, actum peccati, vel consensum deliberatum, passionem excludendo, vel saltem impediendo prohibere potuerit, nec fecerit: ergo dubio procul peccabit lethaliter, quisquis in talem actum externum (à quo per rationem deliberantem, & resistentem voluntatem debuit & potuit abstinere) ex passionis impetu prosiluerit.

Inde conficere licet ordinariè loquendo actum externum arguere internum voluntatis assensum: ita ut quisquis in actum mortaliter malum ex passione proruperit, ex gravium Theologorum sententia lethaliter peccasse censeatur.

Si equidem tanta esset vis & vehementia passionis, ut omnem omnino rationis usum cuipiam adimeret, ille nec mortaliter, nec venialiter peccaret. Sed cùm ordinariè loquendo effervescente cupiditate, seu passione remaneat in hominum liberum arbitrium, quo possit averti à Deo, vel ad eum converti, non potest ex passione peccare, seu peccatum in ipso dumtaxat admittatur corde, seu externo actu compleatur, quin sæpenumero, & quidem gravissimè delinquat, ut colligitur ex S. Thoma 1. 2. q. 77. art. 8. ad 3.

Potest equidem fieri aliquando, ut passio diuturnâ consuetudine roborata omnem penitus antevertat deliberationem, atque præcipiti ineluctabilique, ut ita dicam, impetu hominem abripiat: sed nihil tunc temporis passio excusabit à peccato, quod quidem est voluntarium saltem in causa, nisi fortè ejusmodi vir bene animatus erga Deum pravæ illi consuetudini seriò resistat, eamque omni studio stirpitùs avellere moliatur.

Hæc doctrina pulcherrimè explanatur à Christo Domino in Serm. de monte, Matth. cap. 5. v. 21. & 22. *Audistis*, ait, *quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Christus ibi facit tria.

Primò, damnat iram in intimo corde conceptam.

Secundò, eam damnat, cùm sese per manifesta indicia prodit.

Tertiò denique eam flammis æternis puniendam asserit, cùm in verba contumeliosa proximum non mediocriter dehonestantia proruperit.

Quamvis ira sit passio vehementissima, quæ hominem ut plurimùm de statu mentis dejicere, & velut in præceps abripere solet, non tamen propterea excusatur à Christo, si vel dumtaxat in corde remaneat, vel in contemptûs verba, vel in maledicta prorumpat.

Non est existimandum, iram esse peccatum lethale, si ad ejus ardorem & impetum nullus rationis consensus accesserit. *Nam*, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 158. art. 3. ad 2. *loquitur ibi Dominus de motu iræ, quo quis appetit proximi occisionem, aut quam-*

cumque graviorem læsionem: cui appetitui, si consensus rationis superveniat, absque dubio erit peccatum mortale. Et ibid. ad 3. *Dicendum quòd in illo casu in quo ira contrariatur charitati, est peccatum mortale.* Et in corp. art. *Ira est peccatum, cùm aliquis appetit injustam vindictam; & sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati & justitiæ.*

Si primus ex tribus illis gradibus, irasci videlicet fratri suo, est peccatum mortale, ut affirmat idem S. Thomas in ead. quæst. art. 5. ad 3. (eo videlicet sensu quo iram declaravit idem sanctus Doctor art. 3. ad 2.) *multò magis alia: & ideo singulis eorum ponuntur correspondentia aliqua, pertinentia ad condemnationem: sed in primo ponitur judicium quod minus est, quia, ut Augustinus dicit lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 19. in judicio adhuc locus defensionis datur: in secundo verò ponit concilium, in quo judices inter se conferunt, quo supplicio reum damnari oporteat: in tertio ponit gehennam ignis, quæ est certa damnatio.*

Hactenus S. Thomas, qui perspicuè affirmat, eum peccare lethaliter, qui proximum verbo despicit, veluti si dicat, Raca, aut simile quiddam, quod animi malevolentiam testatam faciat. Tunc enim reus erit judicio, id est non habebitur dubium ejus crimen, quippe quod in judicum trutina sit appendendum, ut pœna illi congrua decernatur. Porrò si rebellis animi motus eò proruperit, ut fratrem suum manifesto jam certóque convitio perculiat, & appellet fatuum, vel alia quapiam simili contumelia dedecoret, se æternis inferorum flammis cruciatum iri pro comperto habeat.

Quis jam dubitet ordinariè loquendo, passionem in verba vel opera prorumpentem, hominem reum coram Deo constituere? Ergo quemadmodum certum est, iram semper esse peccatum mortale, cùm nempe aliquis appetit se vindicare, non servatâ justitiâ, inferendo aliquod grave nocumentum cum consensu deliberatæ rationis, ut loquitur S. Thomas q. 12. de malo art. 3. in corp. ita etiam indubitatum est, actum exteriorem ex ira, id est deliberato ultionis appetitu manantem, non posse excusari à peccato mortali.

QUÆSTIO XLII.

Quid sit propriè peccare ex malitia, & an quisquis peccat ex habitu, peccet ex malitia; & vicissim utrum qui peccat ex malitia, semper peccet ex habitu.

RESPONDEO 1°. peccare ex certa malitia, seu de industria, nihil esse aliud, quàm eligere malum scienter & libenter, non ex passione, vel ex ignorantia potissimùm. Nam licèt quispiam de industria malum eligat sub ratione boni, semper tamen aliquâ laborat ignorantiâ, ut rectè observavit S. Thomas 1. 2. q. 78. art. 1. ad 1. *Dicendum*, ait, *quòd ignorantia quandoque excludit scientiam, quâ aliquis simpliciter scit hoc esse malum, sicut cùm ex passione peccatur. Quandoque autem excludit scientiam, quâ aliquis scit hoc malum non sustinendum propter consecutionem illius boni; scit tamen simpliciter hoc esse malum, & sic dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat.*

Quod ut luculentiùs appareat, proferenda sunt verba ipsius S. Thomæ in corp. articuli proximè laudati. *Respondeo dicendum*, ait, *quòd homo sicut & qualibet alia res naturaliter habet appetitum boni. Unde quòd ad malum ejus appetitus declinet, contingit ex aliqua corruptione, seu inordinatione in aliquo principiorum hominis: sic enim in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur. Principia autem humanorum actuum sunt intellectus, & appetitus tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm sensitivus. Peccatum igitur contingit in humanis actibus, quandoque sicut ex defectu intellectûs, putà, cùm aliquis per ignorantiam peccat; & ex defectu appetitus sensitivi, sicut cùm aliquis ex passione peccat. Ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius. Est autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat; consequens autem est, ut aliquis eligat pati detrimentum in bono minùs amato, ad hoc quòd potiatur bono magis amato: sicut cùm homo vult pati abscissionem membri, etiam scienter, ut conservet vitam quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, (putà divitias, vel voluptatem) quàm ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid hujusmodi; sequitur quòd velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem est aliud malum, quàm privatio alicujus boni. Et secundùm hoc aliquis scienter vult aliquod malum temporale, quod est malum simpliciter, per quod bono spirituali privatur, ut ipso bono temporali potiatur. Unde dicitur ex certa malitia vel industria peccare, quasi scienter malum eligens.*

Ex hoc Doctoris Angelici texto patet, eos ex certa peccare malitia, qui non ex ignorantia, vel ex alicujus passionis impetu, sed ex certa scientia & deliberatione alicujus rei spiritualis, id est majoris boni, detrimentum patiuntur libenter, ut alicujus rei temporalis, id est minoris boni usu potiantur. Eo quòd privatio boni spiritualis, sit malum, & quidem ingens, atque adeo bonum temporale quod est multò minùs bonum, illi per præposteram electionem anteponendo graviter peccent.

De hac malitia, per quam multi ab ipso Deo desciscunt, ut eo velut abdicato rebus creatis fruantur. Unde Job cap. 34. v. 27. de ejusmodi hominibus ita loquitur Spiritus sanctus: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Et Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* Et Prov. 2. cap. v. 14. *Qui lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et Isaïæ cap. 3. v. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* Et Hebræor. 10. v. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.*

Respondeo 2°. hominem ex habitu peccantem, peccare ex certa malitia: cùm enim habitus sit confirmata, & quasi naturalis voluntatis ad malum conversio, & proclivitas, secundùm quam voluntas malum eligit, peccantes ex habitu ex certa malitia peccare indubitatum est. Ita sanctus Thomas quæst. citata art. 2. in corp. *Potest contingere*, ait, *quòd aliquis habens habitum vitiosum, interdum non ex habitu operetur, sed ex passione insurgente, vel etiam ex ignorantia: sed quandocumque utitur habitu vitioso, necesse est quòd ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum, est per se diligibile id quod est ei conveniens secundùm proprium habitum, quia sic fit ei quodammodo connaturale secundùm quod consuetudo & habitus vertitur in naturam. Hoc autem quod est alicui conveniens secundùm habitum vitiosum, est id, quod excludit bonum spirituale: ex quo sequitur quòd homo eligat malum spirituale, ut adipiscatur bonum quod est ei secundùm habitum conveniens & hoc est ex certa malitia peccare. Unde manifestum est, quòd quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

Hæc sanctus Thomas qui hanc ipsam doctrinam tradit in q. de malo art. 12. in c. *Aliquando*, ait,

voluntas inclinatur in bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati ex aliquo habitu, quando per consuetudinem inclinari in tale bonum, est ei jam versum quasi in habitum & naturam. Et tunc ex proprio motu absque aliqua passione inclinatur ad illud. Et hoc est peccare ex electione, sive ex industria, aut ex certa scientia, aut ex malitia.

Et in eod. art. ad 5. id ipsum præclarè explicat. *Ad quintum dicendum*, ait, *quòd cùm dicitur aliquis peccare ex aliquo, datur intelligi quòd illud sit primum principium peccati. In eo autem qui peccat ex infirmitate, voluntas mali non est primum principium peccati, sed causatur ex passione. Sed in eo qui peccat ex malitia, voluntas mali est primum principium peccati, quia ex seipso & per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio.*

Et in eod. art. ad 12. *Dicendum*, ait, *quòd sicut passio in irascibili, vel concupiscibili existens causat electionem, in quantum ligat rationem; ita habitus in his potentiis existens causat electionem, in quantum ligat rationem, non jam per modum passionis pertranseuntis, sed per modum formæ immanentis.* Et ad 13. *Ratio ligatur per passionem vel habitum in eo qui peccat, quantum ad particularia eligibilia.* Et infrà: *Ad hoc quòd aliquis ex malitia peccet, oportet quòd malitia sit primum peccandi principium.*

Respondeo 3°. eum qui peccat ex malitia, non semper peccare ex habitu. Quod perspicuè docet S. Thomas loco citato art. 3. Et ratio est, quia tunc aliquis peccat ex certa malitia, cùm ejus voluntas nullius impulsu, sed ex seipsa movetur ad malum: atqui sæpenumero voluntatem alicujus nullo vitioso habitu corruptam & præpeditam ex seipsa, non autem ex aliqua passione vel ignorantia ad malum moveri & incitari contingit: ergo non omnis, qui ex malitia peccat, peccat etiam ex habitu.

Et revera quemadmodum qui nondum adeptus est alicujus virtutis habitum, subinde sciens & volens eligit quod est bonum secundùm virtutem, ut patet in pœnitentibus, qui tametsi charitatis habitum nondum per reconciliationis gratiam acceperint, Deum tamen tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ut loquitur Tridentinum: ita etiam nihil prohibet, quominus is qui nondum est vitioso habitu depravatus, possit sciens & volens eligere malum, quod est de industria, id est ex certa malitia peccare.

Porrò præter habitum & diuturnam peccandi consuetudinem, aliæ sunt causæ, propter quas possit quis sciens & volens eligere malum, & ex certa peccare malitia.

Dato igitur quòd prima causa sit habitus ille, de quo locuti sumus hactenus, seu inveterata illa consuetudo, quæ cùm sit in alteram propè naturam conversa, hominem ad malum, veluti sibi conveniens incitat:

Secunda est ex S. Thoma, aliqua ægritudinalis habitudo ex parte corporis, sicut aliquis habens quasdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter naturæ corruptionem in ipso.

Tertia causa, cur aliquis possit sine habitu vitioso peccare ex certa malitia, petitur ex eo quòd voluntas suopte motu feratur in malum per remotionem alicujus prohibentis: putà si aliquis prohibeatur peccare, non quia peccatum ei secundùm se displiceat, sed propter spem vitæ æternæ, vel propter timorem gehennæ: remota nimirum spe per desperationem, vel timore per præsumptionem, sequitur quòd ex certa malitia quasi absque fræno peccet.

Quarta est, ipsius voluntatis libertas per primum primi hominis peccatum vitiata, per quam homo majori bono, id est spirituali minus bonum, id est temporale perperam anteponit.

Quinta potest addi, perditorum hominum familiaritas & frequentia, in quam ubi quis nondum firmata stirpe virtutis immerserit sese, ut non minùs ferox & generosus, quàm cæteri, appareat, mira faciet, & captandæ cujuspiam gloriolæ causâ perpetrabit ea, à quibus, si foret solus, incredibiliter abhorreret. Quod sibi contigisse deplorat S. Augustinus. Ergo qui peccat ex malitia, non semper ex habitu peccat.

Quæstio XLIII.

Utrum qui peccat ex certa malitia, graviùs peccet, quàm qui ex passione peccat.

Hanc quæstionem egregiè solvit sanctus Gregorius Magnus lib. 25. Moral. cap. 11. ad illa Job verba: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo. Sciendum quippe est*, ait, *quòd peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & graviùs quidem infirmitate quam ignorantiâ, sed multo graviùs studio, quàm infirmitate peccatur. Ignorantiâ Paulus peccaverat, cùm dicebat: Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Petrus verò infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, & Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa, vel ignorantia eo faciliùs tergitur, quò non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit, sciendo correxit; & Petrus motam & quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria verò peccaverunt ii, de quibus ipse per se Magister dicebat: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Et paulò pòst: *Et viderunt & oderunt me, & Patrem meum. Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse Doctorem; sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare: sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse, ex studio verò peccare, est bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est peccatum diligere, quàm perpetrare; ita nequius est odisse justitiam, quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia qui non solùm bona non faciunt, sed etiam persequuntur: & quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur. Quia videlicet, si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi, vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent: sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, rectè dicitur: Qui ex industria recesserunt ab eo.*

Hactenus S. Gregorius, ex quo discere est quantopere peccatum ex industria commissum aliud ex infirmitate admissum superet.

Cur autem major sit improbitas hominis ex malitia, quàm ex infirmitate peccantis declarat, sanctus Thomas q. 3. de malo art. 13. in corp. & 1. 2. q. 78. art. 4. in c. *Respondeo dicendum*, ait, *quòd peccatum quod est ex certa malitia, est gravius peccato, quod est ex passione, triplici ratione.*

Primò quidem, quia cùm peccatum principaliter in voluntate consistat, quantò motus peccati est magis proprius voluntati, tantò peccatum est gravius cæteris paribus: (loquendo scilicet de peccato unius speciei, putà si quis unum peccatum faciat ex malitia, & aliud idem specie committat ex passione) cùm autem ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius voluntati, quæ ex seipsa in malum movetur, quàm

quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsu ad peccandum. Unde peccatum ex hoc ipso quod est ex malitia, aggravatur, & tantò magis, quantò fuerit vehementior malitia: ex eo verò quod est ex passione, diminuitur tantò magis, quantò passio fuerit magis vehemens.

Secundò, quia passio quæ inclinat voluntatem ad peccandum, citò transit: & sic homo citò redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato: sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens; & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. Unde Philosophus in lib. 7. Ethicor. intemperatum qui peccat ex malitia, comparat infirmo qui continuè laborat: incontinentem autem qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolatè.

Tertiò, quia ille qui peccat ex certa malitia, est malè dispositus quantùm ad ipsum finem qui est principium in operabilibus: & sic ejus defectus est periculosior, quàm ejus qui ex passione peccat, cujus propositum tendit in bonum finem, licèt hoc propositum interrumpatur ad horam propter passionem. Semper autem defectus principii est pessimus. Unde manifestum est, quòd gravius est peccatum, quod est ex malitia, quam quod est ex passione. Hæc ibi S. Thomas, qui & in eod. art. ad 3. docet aliud esse, peccare eligentem, & aliud, peccare ex electione. Ille enim qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, sed non ex electione, quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id quod extra passionem existens non eligeret. Sed ille qui peccat ex certa malitia, secundùm se eligit malum eo modo quo dictum est; & ideo electio quæ est in ipso, est principium peccati, & propter hoc dicitur ex electione peccare.

Unde fit ut per quosdam veluti peccati gradus deveniat ad quamdam peccandi necessitatem quisquis peccat ex malitia, dum alia ex aliis peccando sese in laqueos, ut plurimùm inextricabiles induit.

Hac catena sese olim religatum graphicè depingit sanctus Augustinus lib. Confess. 8. cap. 5. *Cui rei ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.* Et infrà in eodem cap. *Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens, quo nollem, perveneram: & quis jure contradiceret, cùm peccantem justa pœna sequeretur?* Et exeunte eodem capite: *Lex peccati est violentia consuetudinis qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.*

Hanc catenam ex pluribus ansulis innexam repræsentat Isidorus Hispalensis lib. 2. Sentent. cap. 23. *Istis fomitibus*, ait, *quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem. Sicque his vinculis homo implicatus quâdam catenâ vitiorum tenetur astrictus, ita ut ab ea evelli nequaquam valeat, nisi divina gratia manum jacentis apprehendat.* Hactenus Isidorus ex sancti Gregorii mente, ut assolet, elocutus.

Ex his omnibus patet quàm malè agatur cum iis, in quorum animis vitiosi habitus, tam altas egere radices, ut vix revelli valeant. Verùm parum profuerit, tam pernicialem ostendisse morbum, nisi opportunum ei remedium adhibeatur. Sit itaque

Quæstio XLIV.

Quo pacto sese gerere debet Confessarius erga pœnitentes, quos diuturna peccandi consuetudo infecerit.

RESPONDEO, ejusmodi homines cum singulari mansuetudine ab Sacerdotibus excipi oportere. Quod egregiè explicat Petrus Blesensis in tractat. de satisfactione à Sacerdote injungenda, his verbis: *Ars est artium regimen animarum, sicut scribit beatus Gregorius; spiritualis ergo medicus in recipienda confessione multâ cautelâ utatur. Oportet enim, sicut in Pœnitentiali Romano docemur, ut Sacerdos in multa mansuetudine & benignitate suscipiat pœnitentem. Oret inprimis pro eo, nec se peccatorem profiteri dubitet, ut ad compunctionem provocet pœnitentis affectum proprio humilitatis exemplo. Nullum omnino despiciat peccatorem, quia sicut beatus Hieronymus scribit, ille nullum despicit peccatorem, qui peccatores redimere venit.* Et adjungit: *Si pœnitens post confessionem contemnitur à Prælato, facilè in desperationis foveam detruditur: quod quidem peccatum adeo damnabile est, ut Deum ad iram provocet, nec veniam mereatur. Sicut ergo confitenti necessaria est humilis & sincera devotio, sic Pœnitentiali, id est Sacerdoti necessaria est diligens & circumspecta discretio, ut discernat inter lepram & lepram, ut habeat in se tria, bonitatem, scientiam, disciplinam: bonitatem in sanctitate, scientiam in eruditione, disciplinam in correctione. Hæc tria quidam postulabat: Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me. Sit Samaritanus infundens oleum misericordiæ, vinumque justitiæ. Habeat conscientia ejus, quasi arca fœderis, manna & virgam, ut sciat compati & ignoscere, arguere & monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, sicut bonus agricola: compatiatur infirmo, dubiumque confortet, recolens illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? & audiens tentationes illius, suam infirmitatem cogitans, apud se dicat: Si in tanta tentatione fuissem, cecidissem. Nihil dicatur, aut fiat cum indignatione & ira: ira enim viri justitiam Dei non operatur: medium autem teneat, ne nimia remissio, vel nimia austeritas sit in eo, certumque pœnitentis modum juxta sanctorum Patrum instituta præscribat.*

Et infrà in eodem tractatu: *Quantò frater infirmior est, tantò ei mansuetior & diligentior esse debes: infirmior quidem filius teneriùs à matre diligitur, & sicut Apostolus dicit, infirmioribus membris abundantiorem honorem circumdamus. Sis ergo infirmanti misericors, ut misericordiam consequaris: in qua enim mensura mensus fueris, remetietur & tibi. Judicium enim sine misericordia fiet ei, qui misericordiam non fecit: misericordes verò misericordiam consequentur. Christus splendor & figura substantiæ Dei, peccatorem blandè suscipit: tu peccator quâ præsumptione eum despicis & repellis? Christus non mediocre reputat lucrum se recuperasse ovem perditam, & diem festum cum Angelis suis agit: exultat cælestis curia de converso & reverso ad pœnitentiæ fructum: tu nec lucrum, nec jacturam reputas animarum. Vis sub certis finibus limitare misericordiam Dei, cujus misericordiæ non est finis? Paterfamilias largus est, & avarus est dispensator. Existimasti, inique, quòd ero tui similis, dicit Dominus, & misericordiam meam de duritia tua metiris?* Hæc & plura affert iste Author incitamenta, quibus ad blandè, & clementer excipiendos pœnitentes, Confessarios adhortatur.

Respondeo 2°. ejusmodi homines non esse citò absolvendos: quia non nisi ægrè admodum convertuntur ad Deum sicut oportet. Nam, ut ait sanctus Thomas 1. 2. q. 78. art. 2. ad 3. *Ille qui pec-*

cat ex habitu, semper gaudet de hoc quod ex habitu operatur, quandiu habitu utitur. Sed quia potest habitu non uti, sed per rationem quæ non est totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, potest contingere, quòd non utens habitu doleat de hoc, quod per habitum commisit: & sic plerumque tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex peccato incurrunt. Hæc S. Thomas. Ergo cùm peccantibus ex habitu vitioso non displiceat peccatum propter se, quatenus scilicet est offensa Dei, sed propter aliquod detrimentum, vel incommodum temporale, quod ex ipso percipiunt, illis ita affectis, sicut & quibuslibet aliis ita animatis, ad tempus deneganda & differenda est sacramentalis absolutio, donec eorum conversio per dignos pœnitentiæ fructus, ex inchoato saltem Dei amore concepta, cernatur & appareat.

Adde quòd Sacerdos, qui ordinariè loquendo ejusmodi homines diuturnâ scilicet peccandi consuetudine irretitos absolveret, non plus saperet quàm medicus, qui cùm primùm accederet ad hominem gravi pariter & diuturno morbo laborantem, nullo remedio adhibito tentatoque, statim in pristinam valetudinem restitutum esse assereret. Qui non aliter sese gerunt erga pœnitentes vitioso habitu constrictos, sunt iidem omnino cum iis quos carpit Isidorus Hispalensis lib. 3. de summo bono.

Sunt, inquit, *qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur: Curabunt contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, Pax, pax, & non est pax: cum ignominia, inquit, curant contritionem, qui citò pœnitenti promittunt securitatem.* Et S. Hieronymus explicans illa verba cap. 5. Danielis: *Quamobrem consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, si fortè ignoscat tibi Deus;* sic arguit eos qui audacter veniam peccatoribus repromittunt. *Cùm beatus Daniel*, ait, *præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter veniam peccantibus pollicentur.* Sunt ergo pœnitentes in vitiosos peccatorum habitus implicati, ardentiùs excitandi ad generalem totius vitæ anteactæ confessionem, quam fieri necesse est, ut ipsius adjumento, pœnitentis ætatem, conditionem & dominatas ejus animo libidines, consilia, vires, & imbecillitatem introspiciat, & intimos conscientiæ recessus & latebras exploret Confessarius, & ex accurata illa pœnitentis notitia necessaria & opportuna propulsandis ejus vitiis remedia præscribat.

Ubi primùm pœnitentem omnia sua crimina sigillatim quoad numerum, & quoad circumstantias tam speciem mutantes, quàm notabiliter aggravantes percensentem audierit; debet imitari Deum supremum directorem animarum, & imprimis ab eo veram sinceramque conversionem cordis exposcere, & postea ad eam vel impetrandam, vel perficiendam confirmandamque mortificationes injungere. Hæc enim ab pœnitentibus flagitat Deus Joël. cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* En conversio cordis. *In jejunio & fletu, &c.* En mortificationum praxis, quæ ab pœnitente jam converso, tam ad impetrandam gratiam quàm satisfactionem Deo præstandam exigitur. Revera peccatum, cui nefaria consuetudo callum vetustatis obduxerit, jure ac meritò comparatur illi dæmoniorum generi, quod non nisi in jejunio & oratione ejici Christus in Evangelio contestatur.

Præterea debet Confessarius quantum poterit, imitari Spiritum sanctum, qui Christum Dominum pœnitentiæ *principem & caput eorum qui salvantur per pœnitentiam*, ut vocat S. Hieronymus, statim à baptismo expulit in desertum, ut omnibus fidelibus ostenderet, unumquemque Christianæ Religionis sanctimoniam solemni baptismatis voto professum, ab hujus sæculi nequam frequentatione & corruptela secedere oportere, seu innocentiam per sacramentum

In cap. 5 Isaia.

regenerationis inditam tueri, seu amissam per pœnitentiam recuperare decreverit. Si enim, Christus qui divinâ ob unionem hypostaticam pollebat impeccantiâ, in solitudinem ad agendam pœnitentiam se contulit: quidni nos infecti pravâ illâ concupiscentiâ peccati prole & peccati matre, ex peccato scilicet natâ, & ad peccatum inclinante, sæculi corruptelam toto pectore fugiamus.

Adde quòd Dæmon princeps mundi dicitur à Christo: ergo in mundo fortissimus est, (sicut nullibi qualiscumque Princeps fortior est quàm in proprio regno) atque adeo nusquam ab ullo fideli superari poterit, quin ab illo ipsius regno, id est mundo toto animi conatu studioque recesserit.

Pœnitens in ipso secessu regendus est ab perito Confessario, qui imitabitur peritiores quosque medicos ab levioribus præsidiis curationem inire solitos, ut æger blandioribus remediis veluti delinitus asperiora posthac sibi adhiberi patiatur. Nam extrema primo nemo tentavit loco. Unde S. Joannes Climacus gradu 14. Scalæ mysticæ, graviter succenset Evagrio Pontico Hyperboritæ, (quem S. Hieronymus ad Ctesiphontem, Origenistam appellat) eumque stultorum omnium stultissimum extitisse asserit, eo quòd concupiscentiam nostram varia ciborum genera ardentiùs appetentem pane & aquâ perdomandam esse docuerat, pari stoliditate & amentiâ, quâ quis infantulum non sensim, sed uno passu omnes unius scalæ gradus transcendere, imò pervolitare imperaret. Ex adverso S. Joannes Climacus peritissimus animarum medicus docet sensim ad perfectam abstinentiam ascendere oportere, primò removendo cibos qui nimiùm saginant, deinde qui inflammant, deinde delicatiores, qui plus æquo gustui lenocinantur. Deinde tradit præbenda esse alimenta ventri, quæ illum impleant, & facilè digerantur, ut per saturitatem inexplebilis ejus aviditas expleatur, & facili promptaque concoctione liberemur ab ardore, quem solidiores & concoctu difficiliores cibi nostris in visceribus efficerent.

Sic Christus Dominus suos discipulos degens in terris indulgentiùs habuit, ut eos paulatim ad austeriorem vitam proveheret. Nondum enim jejuniis & vitæ severioris instituto pares erant, unde ait: *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit: neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.* Matth. 9. v. 26. & 17. quasi diceret Christus, Nondum jejunia & alia quævis asperiora ab meis discipulis exigo. Nemo enim prudens panni novi & rudis particulam veteri vestimento assuit, siquidem hac via non solùm veteris vestimenti plaga non sarcitetur, verùm etiam non cohærente novo panno cum vetere, major ac deformior hiatus vetus vestimentum dedecoret. Neque qui sapiunt, vinum novum vetustis utribus credunt, alioquin & vinum effunditur, & effracti utres pereunt: quin potiùs vinum novum effundunt in novos utres, qui ferant exæstuantis vini vim, nec musto effervescente dissiliant.

Eadem prudentiâ usum esse S. Paulum observavit Joannes Chrysostomus homil. 16. ad pop. Antioch. ubi quærit, cur perorans coram Agrippa Rege dixerit, Optarem utique te fieri Christianum absque vinculis his. *Numquid non videtur esse quæstio quod dicitur? sed celerrimam solutionem affero. Non enim ex anxietate vel timiditate Paulus hoc faciebat, sed ex sapientia multa & spirituali providentia: quo verò pacto ego dicam*, ait S. Joannes Chrysostomus, *gentilem alloquebatur, & infidelem & nostra ignorantem. Nolebat igitur ipsum per gravia inducere; sed quod dicebat, Factus sum carentibus lege tanquam sine lege; hoc &*

& hic faciebat: Si vincula audierit, inquit, & tribulationes, statim refugiet, cùm vinculorum virtutem non noverit. Fiat prius fidelis, & prædicationem gustet, & tunc ipse quoque ad hæc vincula curret. Audivi Dominum meum dicentem, quòd nemo immittit commissuram panni rudis, &c. Anima hujus est vestimentum vetus, & uter antiquus, non est renovatus fide, non spiritûs gratiâ recens redditus est, debilis adhuc est, & terrenus, mundana sapit, & ad mundanam vanitatem stupet, gloriam præsentem adamat. Si à primordiis statim audierit, quòd factus Christianus captivus mox fiet, & catenâ circumdabitur, totus confusione perfusus à prædicatione resiliet. Propterea dicit: Absque vinculis his, non ipsa vincula recusans, absit: sed illius obsequens infirmitati, quoniam sic ipse illa diligit & amplectitur, ut ambitiosa mulier monilia sua. Hactenus S. Joannes Chrysostomus.

Quod spectat igitur ad arduos pœnitentiæ labores & corporis vexationes, per quas pœnitentem divinæ justitiæ satisfacere opporteret, poscat ab eo non fortia, sed possibilia, ut loquitur S. Bernardus. Verum est equidem directorem animarum, & judicis & medici sustinere personam: ut judex debet injungere pœnas, ut medicus remedia præscribat, necesse est. Verùm satius est eum medici, quàm judicis partes exequi: quippe qui ægrotantis incolumitatem ardentiùs, quàm rei punitionem expetere debeat. Severum se præbeat respectu peccatorum, quæ pœnitens occultare voluerit, & proximarum occasionum respectu, & restitutionis ad quam tenetur pœnitens, si ipsi sarciendæ facultas suppetat; ex adverso sese præstet clementem & benignum in infirmitatibus tolerandis, in satisfactionibus injungendis, & præscribendis remediis ad pœnitentis animum in ipso præsertim pœnitentiæ exordio attemperatis: quibus si se submittere recuset pœnitens, persuadendus est rationibus ab ejus commodo & salute ductis, terrendus est metu divini judicii, alliciendus bonorum cælestium amore, deliniendus Christianæ virtutis elegantiâ, infundendum denique vinum & oleum exemplo Samaritani, qui viatorem Hierichuntinum ab prædonibus spoliatum, & multis vulneribus confossum, totis misericordiæ præcordiis adjutavit.

Respondeo 3°. huic hominum generi crebrò inculcandum aureum illud S. Augustini effatum: Minimum, minimum est; sed in minimo fidelem esse maximum est. Sit ergo pœnitens fidelis in exequendis minimis, quæ Confessarius injunxerit, in aperiendis peccatis vel minimis, in declarandis tentationibus, quibus pulsatus fuerit: sit fidelis in agendis Deo gratiis pro minimis etiam beneficiis: (si minima ab eo qui solus magnus est, possunt proficisci beneficia) sit denique fidelis in omnibus, quæ ad peragendam pœnitentiam, & pravos habitus ex animo revellendos idonea videbuntur.

Accommodatè ad habitus vitiosos, memini me legere in Vita S. Caroli Borromæi, quibus gradibus ad summam vitæ asperitatem pervenerit. Per quos gradus, quia, quivis ad pravorum habituum stragem & interitum pervenire potest, hîc eos prout in ejus Vita referuntur, afferam.

Corpus ut tractarit, (sic loquitur Author ejus Vitæ lib. 7. c. 2.) quibúsve quasi gradibus ad summam vitæ asperitatem venerit, pluribus locis suprà demonstratum est. Quam ad rem usus est, Deo concedente, duobus magnis adjumentis: alterum, quòd nihil durius subitò suscipiebat, sed sensim progrediens, tum vires experiebatur, tum sese paulatim assuefaciebat, in quo magnum salutaris progressionis momentum esse, meritò existimatur, ne vel se quis citò conficiat; vel defatigatus subsistat, aut de via declinet. Ita sese in aquæ usu habuit, ad quem annorum cursu ita pervenit, ut vinum paulatim minuendo, aquam verò addendo, stomachus demum aquâ solâ contentus esset. Ita in jejunio, quod multis annis, dierum numerum per hebdomadas paulatim augendo, fecit quotidianum, illud prandii solius, nihil vesperi prorsus admittens. Ita in omni ferè obsonii genere rejiciendo, ut primò carnem, mox ova, cæteraque seorsim dimittens, ad panem solum cum aqua cibus denique redigeretur: quanquam mors antevertens fecit, ut aliquot dies, putà tres in hebdomada restarent, quibus lacte potissimùm, & pomis etiam & herbis, similibusque adhuc uteretur. Similiusus in Quadragesima ratione gradatim in angustias sese ficuum aridarum lupinorumque deducere curavit.

Alterum adjumentum fuit, quòd quæ semel susceperat, ita constanter tenebat, ut neque labore, neque incommoditate, neque humano diabolicóve impulsu ab iis deduci posset. Plurimi enim parum progressûs idcirco habere videntur in via salutis, quòd leviter ab instituto deflectunt, quotidieque nova ordientes, nihil ad exitum perducunt. Hæc ille.

Ex quibus discere licet, vitiosos habitus malè vivendo comparatos, posse frangi seorsim & debilitari, & tandem superari ab eo qui semel suscepta constanter persecerit: si modò Christiana circumspectione, cum humili pariter & ardenti oratione conjuncta, ad singulos suos actus animum adverterit. Erit, erit, seriùs ocius, ubi Sextius ille, cujus meminit Seneca lib. 3. de ira cap. 36. plerisque Christianis pudorem maximum incutiat, eo quòd cùm iram penitus domitam habere vellet, consummato die cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Erit, inquam, ubi ille Ethnicus maximâ verecundiâ perecllat plerosque Christianos, qui suâ incuriâ suas animas, quarum latebras, vel rarò vel nunquam explorant, innumerabilibus vitiis scatere patiuntur.

Quod ille de ira, nos dicere possumus de quolibet habitu vitioso: cùm scilicet quis sua dicta factaque sæpo coram Deo remetiri decreverit, non dubium quin ad eum frangendum majorem curam & diligentiam adhibeat, & tandem è suo corde radicitus avellat. Id etiam apud plurimos eosque sanctissimos viros in more positum accepimus, ut bis quotidie sua ejus diei dicta, facta, cogitata remetirentur, & quàm diligentissimè recognoscerent, conferentesque hodiernum cum hesterno die, hebdomadam cum hebdomadâ, mensemque cum mense, suos in spiritu vel progressus vel regressus sibi nihil parcitari, perquàm accuratè rutinarent. Ex ejusmodi praxi sanè sanctissima saluberrimaque plurium animarum emendatio & progressus extitit, & etiamnum existeret, si nobis eodem, quo ab illis, studio & ardore coleretur.

Respondeo 4°. contraria vitiosis habitibus adhibenda esse remedia. Quod enim facundissimus Fernelius Method. Med. lib. 1. c. 2. de corporum morbis affirmat, nos de vitiosis habitibus certissimis animorum morbis asserimus. *Morbus omnis*, ait, *contrariis profligandus: contraria enim sunt morborum remedia. Remedium est, quod morbum depellit: quicquid autem morbum depellit, id illi vim infert, contrarium est. omni ratione igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi depulsionem atque curationem contrariis perfici.*

Quod ille de morbis corporum affirmavit, idem de morbis animarum SS. Patres affirmandum esse docuerunt. Quod igitur in curandis corporum morbis usurpatur, in propulsandis animorum morbis & ægritudinibus, id est habitibus vitiosis necessariò est usurpandum.

Ergo perperam agunt Confessarii, qui ad profligandos superbiæ, avaritiæ, libidinis, ebrietatis & maledicentiæ habitus, qui radices habent altiores, aliquot dumtaxat preces injungunt pœnitentibus,

qui avaris uberes eleemosynas, superbis abjecta quædam opera, voluptuariis carnis vexationem, maledicis & obtrectatoribus alienæ existimationis cum propriæ etiam dispendio restitutionem imponere deberent. Unde Apostolus: *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Ephesior. cap. 4. v. 28.

Apostoli vestigiis institere SS. Patres, & inprimis S. Joannes Chrysostomus hom. 10. in Matth. *Pœnitentiam loquor*, ait, *quâ non solùm abstinemus ab præteritis flagitiis, sed quod potius & melius est, in opera pietatis incumbimus. Facite, inquit Joannes Baptista, dignos fructus pœnitentiæ; quâ autem pacto ejusmodi fructus efferre poterimus? si videlicet opera præteritis criminibus omni ex parte contraria exerceamus. v. g. furto aliena expilasti, deinceps ultro de tuis impartias: dudum in fornicationum libidinumque cœno volutatus es, dudum etiam ab legitimo matrimonii usu constitutis diebus abstineas, teque exerceas ad continentiam. An proximum vel maledicentiâ & obtrectatione, vel violentâ quadam percussione violasti? benedictionem deinceps tuis obtrectatoribus pro maledictis repende, & pro illatis contumeliis beneficia refunde. Neque enim sauciato è plaga ferrum extrahere suffecerit, admovenda sunt præterea vulneri remedia: ingurgitasti te lautioribus ferculis & mero? jejuna & adhibe frigidam ad potum, & profectam ex intemperantia corruptelam resecare connitere. Libidinosos oculos ad alienam mulierculam adjecisti, nec posthac conjicias oculos in mulieres, ut in majori securitate degas. Declina à malo, ait Scriptura, & fac bonum.*

Eadem inculcat S. Gregorius 3. p. Pastoral. Curæ, admonit. 31. *Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbo medicamentis contrariis medetur; ut qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricari debeamus; & qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringendo, surgamus: & cor quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat: & quod vulneraverat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ.* Hæc S. Gregorius.

Ita sancti Patres quælibet flagitia contrariis virtutibus & operibus curanda, expianda, & extirpanda esse, uno animo calamoque docuerant.

Cæterum si pœnitens sibi cum inveterata consuetudine luctandum esse videat, ne propterea cadat animo, sed omnem spem in medicinali Salvatoris gratia defigat, gaudeatque sibi idem accidere, quod S. August. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 1[illegible] *sanctis & fidelibus evenire* commemorat: cujus verba, quia sunt solatio plenissima, hîc ascribere juvat. *Idcirco*, ait, *etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis, tardiùs sanat. ut in his eos minùs, quàm implenda ex omni parte justitia sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est: ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in ea ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam; ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse, quod ejus est: qui error multùm est religioni pietatique contrarius. Nec ideo tamen in eisdem vitiis, nobis permanendum esse existimemus; sed adversus ipsam maximè superbiam propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes, & quòd sic conamur, & quòd sic deprecamur, dono illius nos habere: ut in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo gloriemur.*

Totam hanc quæstionem pulcherrimo Thomæ Kampensis loco claudere necesse est. Cùm enim hominem ad certamen Christianum hortatur, subdit hæc incitamenta lib. 3. de Imitatione Christi cap. 12. *Obsistet*, ait, *inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur. Remurmurabit caro: sed fervore spiritus frænabitur. Instigabit & exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur, insuper & labore utili, aditus ei magnus obstruetur.*

Quæstio XLV.

Unde potissimùm peccatorum gravitas repeti debeat.

HANC quæstionem tam graviter & eruditè solvit S. Joannes Chrysostomus homil. 75. in Matth. ut hîc aliud præter ejus sensa, imò oracula proferre, religioni habeam.

1°. Peccati cujuspiam gravitatem repetit ex ingratitudine peccantis. *Ignorantis*, inquit, *beatum Davidem, cùm vulgatum illud flagitium admisisset cum Bersabee, cùm ab Propheta corriperetur, nulla de re ab ipso Deo vehementiùs objurgatum, quàm quòd ab ipso tot ornatus beneficiis in tantam esset ingratitudinem prolapsus. Audi exprobrantem Deum: Nonne, inquit, in regem te unxi, & de manu Saulis eruit te, & quæ fuerunt Domini tui, tibi concessi, & universam Juda & Israëlis domum? & si hæc pauca tibi essent, alia quoque tibi adjecissem: Cur flagitium hoc fecisti coram me? Deus non omnia peccata iisdem suppliciis afficit: sed plectit pro variis adjunctis & circumstantiis temporis, ætatis, conditionum, dignitatum, educationis, ingenii, experientiæ, aliarumque rerum plurimarum. Verum ut id clariùs appareat, expendatur in flagitio fornicationis: perpende igitur quantam pœnarum varietatem non à me, sed ab sacris Litteris accipias.*

2°. Idem Chrysostomus attendit peccantium statum & dignitatem, ad quam peccati gravitatem admetiatur. *Fornicatus est*, inquit, *quispiam ante legem, eum esse plectendum asserit S. Paulus: Quicumque, ait, sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Si autem alter idem promulgata lege crimen admisit, graviores pœnas oppetet: Quicumque enim, inquit, in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Si Sacerdos in illud ipsum fornicationis crimen inciderit, ejus dignitas eum in pœnam multò graviorem implicabit. Eam ob rem, cum olim scorta vulgari morte mactarentur, Sacerdotum filiæ ejusdem flagitii conscia flammis cremari consueverant, Moyse eo facto significante, quanta Sacerdotem maneret pœna, si in idem peccatum prolaberetur. Si enim tantam severitatem exerit in puellam, eà dumtaxat nomine quod est Sacerdotis filia, quàm severè illum ipsum Sacerdotem excipiet?* Si quæpiam mulier vi extrinsecùs illatâ adigatur ad crimen, insolens pronuntiatur à lege. Statuit etiam magnum discrimen inter duas mulieres (quarum una dives, altera verò egentissima) quæ uno eodemque fornicationis flagitio sese dedecorarent: ut patet ex iis, quæ de Davide retulimus.

3°. Asserit idem Chrysostomus graviora esse post adventum Christi, quæ admittuntur peccata. *Si quispiam*, inquit, *fornicatus fuerit post adventum Christi, & è vivis non initiatus excesserit, certum est eum multò graviores pœnas daturum esse, quàm eos, qui ante Evangelium deliquerunt.*

4°. Repetit peccatorum immanitatem ex violata baptismi gratia. *Si quis*, inquit, *sancti baptismatis gratiam abjicit, & ea percepta, crimen admittit, nullum ex Apostolo solatium huic homini superest. Legem Moysi, ait, aliquis infregit, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quanta existimatis eum graviora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? An quispiam Deo dicatus fornicatus est, ejus fornicatio ad summum improbitatis fastigium evasit. Vides igitur quot & quàm varii gradus concurrant in uno flagitio. Aliud est enim* Heb. 10.

ante legem, aliud post legem: aliud Sacerdotis, aliud laici: aliud in paupere, aliud in divite: aliud in catechumeno, aliud in initiato.

5°. *Maximè perpendenda est peccantis cognitio, quæ multò graviorem efficit culpam. Nam qui novit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit multis, & qui post tot exempla peccat, sibi multò gravius supplicium*
Isai. 4. *accersit; ideo dicit: Vos verò neque videntes pœnitentiam postea egistis, quamvis magno cultu sitis honorati. Ideo & Hierusalem improperans ait: Quoties volui congregare filios vestros & noluistis?*

6°. *Gravius est etiam delinquentem affluentem peccare, ut placet in exemplo divitis & Lazari.*

7°. *Locus etiam facinoris immanitatem exaggerat, quod ipse Christus significat in Evangelio: Zachariam, inquit, occidistis inter templum & altare.*

8°. *Ipsa quoque delicta gravitatem à semetipsis ac-*
Prov. 6. *cipiunt; unde illud: Occidisti filios tuos & filias tuas hoc super omnem fornicationem & abominationes tuas gravius est.*

9°. *Repetitur peccati gravitas ex dignitate personarum, in quas peccatur; unde illud: Si peccaverit aliquis*
1. Reg. 2. *in hominem, orabunt pro ipso; sin verò in Deum peccaverit, quis orabit pro ipso?*

10°. *Peccatum efficitur gravius, cùm quis deteriorem se præstat iis, quorum improbitas præter cæteros est nobilitata: quod fuit objicit Deus apud Ezechielem, dicens:*
Cap. 16. *Ne secundùm quidem justitiam gentium fecisti.*

11°. *Augetur crimen, cùm nec aliorum exemplo resipiscimus, unde illud: Vidit sororem ipsius, & justificavit*
Ezech. 16. *eam.*

12°. *Crimen multò atrocius est cùm quis majoribus ab ipso Deo beneficiis cumulatus est; unde illud Christi: Si in Tyro & Sidone hæ virtutes factæ fuissent, olim pœnitentiam egissent; verumtamen tolerabilius erit Tyro & Sidoni quam civitati huic.* Hactenus S. Joannes Chrysostomus sui sæculi, quamvis eruditi, facilè doctissimus: cui mirabiliter astipulatur S. Augustinus in Enchiridio, cujus verba, quia sunt eruditione refertissima, subjicere necesse est.

Sic itaque loquitur Enchirid. cap. 78. *Quæ sint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale est illud quod venerabilis Paulus conjugibus ait: No-*
1. Cor. 7. 5. *lite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus ut vacetis orationi: & iterum ad id ipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentiam devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica authoritate fateatur? Tale quiddam est, ubi dicit: Audet quisquam vestrûm adversus alterum negotium habens judicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Et paulò pòst: *Sæcularia igitur judicia si habueritis, inquit, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad judicandum: ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem & fratrem judicare: sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles. Nam & hic posset putari judicium habere adversùs alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari nisi secutus adjungeret: jam quidem omnino delictum est inter vos, qui judicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hæc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit à se judicum sententiâ removeri; continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? ut ad illud redeatur quod Dominus ait: Si* Math. 5. v. 40.
quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium; & alio loco: Qui Luc. 6 v 30.
abstulerit, inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum. Tamen cùm sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; manifestum est etiam hîc quid secundùm veniam concedatur infirmis: propter hæc atque hujusmodi peccata, & alia, licèt iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo confitente ac dicente: In multis enim offendimus omnes; oportet ut quotidie crebroque oremus Dominum atque dicamus: Dimitte nobis debita nostra: nec in eo quod sequitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Cap. sequenti, 79. scilicet, pergit. *Sunt autem quædam,* ait, *quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Cui tamen vulneri subjecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens. Mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, &c. Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies observare, & menses, & annos, & tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora: nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo vos,* Galat. 4. v.
ne fortè sine causa laboraverim in vobis. 11.

Et cap. seq. 80. scilicet: *Ostendit peccata, cùm in consuetudinem venerint, videri levia. Hinc accidit,* ait, *quòd peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur: usque adeo ut non solum non occultanda, verùm etiam prædicanda ac diffamanda videantur: quando sicut scriptum est, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Talis in divinis libris iniquitas, clamor vocatur. Sicut habes apud Isaiam Prophetam de vinea mala: Expectavi, inquit, ut face-* Isai. 5. v 7.
ret judicium; fecit autem iniquitatem, & non justitiam, sed clamorem. Unde est illud in Genesi: Clamor Gen. 18 20.
Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est. Quia non solùm jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde cùm exponerem ante aliquot annos ad Galatas, in eo ipso loco, ubi ait Apostolus, Timeo, ne fortè sine causa laboraverim in vobis: exclamare compulsus sum: Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, ô Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus. Sed videro utrum me immoderatus dolor incautè aliquid compulerit dicere. Hactenus S. August. ex cujus verbis Scripturæ consentaneis non est arduum aut operosum colligere, quæ peccata levia, quæ gravia dici debeant.

Præterea SS. Patres peccata spiritualia multò carnalibus esse graviora uno ore pronuntiant. Ita enim loquitur S. Gregorius lib. 33. Moral. cap. 11. *Peccata carnalia sunt minoris culpæ & majoris infamiæ, quàm spiritualia.* Hujus rei tres rationes affert S. Thom. 1. 2. q. 73. art. 3. in c. quarum præcipua inde peti-

tur, quòd cùm ipsa ratio culpæ præsertim posita sit in aversione à Deo, & hæc aversio ex spiritu, id est ea voluntate proficiscatur, sequitur necessariò, peccata spiritualia carnalibus esse graviora, quippe quæ majorem importent à Deo aversionem, quàm carnalia. Quæ quidem licèt etiam includant aversionem à Deo, (quæ ad omnia promiscuè flagitia pertinet) non tamen tam in ipsa ab ipso Deo aversione, quàm in præpostera ad bonum creatum conversione, vertuntur & insistunt. Unde sæpenumero multò sceleratiores habentur apud Deum superbi, quàm homines in suarum libidinum cœno volutati.

Eam ob rem S. Joannes Chrysostomus homil. 41. aliàs 40. in Matth. disertè affirmat, dandam esse operam, ut quemadmodum adultero, sic etiam invido Ecclesiæ aditus intercludatur; imò verò multò magis invidus quàm adulter ab cœtu fidelium arceatur. Superiùs enim dixerat, fornicatores & publicanos in cælum ascendere potuisse, at Judæos invidiæ malo conflictatos (qui alioquin erant filii regni) è regno foras esse propter invidiam ejectos. Ergo peccata spiritualia longè sunt atrociora carnalibus. Unde S. Augustinus ait, quosdam carere vitiis hominum, qui tamen abundant vitiis Diabolorum. Inde fit ut sæpenumero multi se præcipua pietate præditos arbitrati suspiciant sese, elatóque tam animo, quàm supercilio despiciant cæteros, & tandem judicio Dei semper occulto, at nunquam injusto, ex edito illo præsumptæ sanctitatis fastigio deturbati in horrenda flagitia devolvantur.

Huc accedit, quòd ex traditione discimus prioribus sæculis, in quibus sanctioris disciplinæ ratio viridi observantia valebat, tria præsertim extitisse peccata quæ perpetuâ multabantur pœnitentiâ, ita ut per ducentos annos in aliquibus Ecclesiis, ne morituri quidem ad pacem admitterentur. Tria hæc peccata sunt idololatria, mœchia & homicidium. Tertullianus in libro de pudicitia, tria illa peccata conjungit, & quantopere fugienda sint peccata carnis, egregiè demonstrat, licèt illa ipsa peccata nullo pacto ab Ecclesia (secundùm Montanistarum hæresim, in quam sese cùm librum istum elaboraret, implicaverat) condonari posse, hæretico, id est rebelli pervicacique animo contendat. Arbitrabatur quippe vir austerioris ingenii, ex quo verbum divinum naturam humanam hypostatica secum unione devinctam asseverat, ejusmodi peccata eo immanitatis & horroris processisse, ut ea jam non peccata, sed monstra nominanda esse diceret, atque adeo prorsus indigna, quibus remissio concederetur. *Reliquas autem libidinum furias, impias, & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesia tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*, ut ait de pudicitia cap. 4.

Ejusdem lib. cap. 6. profert rationes multò pulcherrimas, ob quas ea peccata monstra vocari debeant. *Malo*, inquit, *in gloriam Christi à Christo deducere disciplinam. Habuerint pristina tempora omnis impudicitiæ, si volunt Psychici, (sic vocabat Christianos) etiam potestatem. Luserit ante Christum caro, imò perierit, antequam à Domino suo requisita est, nondum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis. Adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facilè quod speciosum viderat, concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de ficulneis foliis pruriginem retinens. Inhærebat usquequaque libidinis virus, & jacta sordes non ablui idonea, quod nec ipsa adhuc aqua laverant. At ubi sermo Dei descendit in carnem, ne nuptiis quidem resignatam, & sermo caro factus est, ne nuptiis quidem resignanda, quæ ad lignum non incontinentia, sed tolerantia accederet; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad cælum pertineret; quæ non lasciviæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præcingeretur; quæ munditias suas aquis traderet, exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas solvit, alia jam res est, nova emergit jam, non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo, sed ex aqua pura, & spiritu mundo. Quid itaque illam de pristino excusas? non corpus Christi, non membra Christi, non templum Dei vocabatur, cùm veniam mœchia consequebatur. Itaque si exinde quo statum vertit, & in Christum tincta induit Christum, & magno redempta est sanguine scilicet Domini & Agni, tenes aliquod exemplum, sive præceptum, sive formam, sive sententiam indulta, sive indulgenda fornicationis atque mœchiæ: habes etiam à nobis temporis definitionem, ex quo deputetur ætas quæstionis.* Hactenus Tertullianus, qui libidinis & impudicitiæ horrorem præclarè & verè repetit ex stupendo Incarnationis mysterio, & ex regenerationis sacramento: per quæ mysteria cùm Christianus fiat membrum Christi & templum Dei, inde conficit, cum inexpiabili sese flagitio constringere, qui geminum illud, Incarnationis scilicet & baptismi, mysterium adulterio, vel stupro, vel aliquo id genus flagitio violaverit, atque adeo esse penitus indignum, cui tam immane flagitium remittatur.

Verum est equidem, per ducentos circiter annos in aliquibus Ecclesiis, ut asserunt docti, idololatris, homicidis & mœchis etiam morti proximis denegatam esse pacem. Nam constat concessam esse reconciliationis gratiam mœchis primùm à Zephirino Pontifice maximo, cujus ea de re edictum, ut acriùs perstringit, refert Tertullianus in ipso jam tum libri de pudicitia exordio. Idololatris patefacta est remissionis janua ab Cornelio, Cypriano & aliis ejusdem temporis Episcopis. Homicidæ iisdem temporibus ad pœnitentiam, atque adeo ad pacis gratiam sunt admissi, vel à quo, vel quibus de causis, hactenus est ignoratum.

Ut igitur eo unde digressa est, nostra revertatur oratio, certum est tribus hisce flagitiis per ducentos annos circiter interclusam esse reconciliationis januam, & hanc disciplinam ab Bœticæ provinciæ præsertim Episcopis observatam esse, non quòd crederent Ecclesiam nullam habere potestatem ejusmodi flagitia remittendi, (in hoc enim hæretici fuissent) sed ut fidelium animis ejusmodi criminum horrorem & odium quantum maximum ingenerarent; & id sanè jure ac meritò. Quid enim efficaciùs fideles ab iis criminibus avocare & deterrere poterat, quàm si Ecclesiam matrem alioquin ignoscentissimam ea omni venia & remissione penitus indigna judicare, animadverterent?

Tametsi igitur tribus hisce flagitiis promiscuè denegatam esse reconciliationis gratiam pateat ex Concilio Eliberitano, observandum est tamen, mœchis, & adulteris, & cæteris id genus hominibus non esse præcisam omnem spem reconciliationis, nisi peractâ jam pœnitentiâ in eadem essent peccata revoluti. Et id decernitur can. 3. ejusdem Conc. Eliberitani his verbis conceptis: *Si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs his non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur.* Et can. 7. *Si quis fortè fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, acceptâ pœnitentiâ denuò fuerit fornicatus, placuit nec in finem eum habere communionem.* Idem decernitur can. 4.

Quod spectat ad cætera ejusdem generis flagitia ipso mœchiæ crimine graviora, qualia sunt lenocinium, incestus, puerorum constupratio, adulteria conscio marito perpetrata, licèt semel duntaxat essent admissa, denegata etiam in fine communione & pace plectebantur. Ita enim de lenocinio statuitur canon. 12. *Mater vel parens, vel qualibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs suum, placuit eas nec in fine accipere communionem.* Idem statuitur de incestibus canon. 66. *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quòd*

sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.

Idem decernitur de puerorum stuptatoribus can. 71. *Stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem.*

Id ipsum statuitur can. 65. & 70. de marito qui sciens & volens uxorem suam mœchari patitur.

In fine quoque denegabatur reconciliatio uxoribus, quæ filios ex adulterio conceptos enecaverant, ut patet ex can. 63. ejusdem Concilii Eliberitani. *Si qua* (sunt verba canonis) *per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit neque in fine dandam esse communionem.*

Si quis quærat, qua de causa idololatria & homicidium perpetuâ communionis privatione plecterentur, non item mœchia & adulterium, nisi quis peractâ pœnitentiâ ea denuò admisisset:

Respondeo, id inde videri profectum, quòd exorta Montanistarum hæresi, quæ varios inter errores docebat, neque idololatris, neque mœchis, neque homicidis impartiendam esse reconciliationis gratiam, eo quòd Ecclesia potestate ad remittenda hujuscemodi peccata necessariâ careret. Quam hæresim, ut suo facto paternâque clementiâ refelleret, Zephirinus Pont. Max. severiorem illam disciplinam benigniori edicto sustulit. Quod edictum cum Tertulliano Africani pessimam in partem arripuerunt, quippe qui cum ipso jam in Montanistarum hæresim lapso, & cum ipsis Montanistis feralium ejusmodi dogmatum architectis, arbitrarentur esse quædam peccata remissibilia, quæ scilicet verè pœnitentibus Ecclesia clavium ministerio remitteret: alia verò irremissibilia, & inprimis mœchiam & adulterium, ad quorum impertiendam remissionem Ecclesia nulla authoritate, nulla potestate polleret: qua in parte sese hæreticos præstiterunt. Est enim de fide, nullum esse flagitium tam atrox, tam immane, quod Ecclesia clavium ministerio, sibi à Christo Domino adhuc in terris agente concesso, verè pœnitenti remittere nequeat, si unum dumtaxat delictum, qualecumque sit, quod Christus in Evangelio æternum vocat, exceperis. Sic enim loquitur ipse Christus Marc. cap. 3. v. 28. & 29. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemia quibus blasphemaverint: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Vel ut habetur Matth. cap. 12. v. 32. *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Si quis quærat prætereà, cur promulgato receptóque Zepherini Pontificis edicto, mœchiæ peccatum remiserint Bæticæ provinciæ Episcopi, nec tamen lenocinia, puerorum stuprationes, incestus & similia, quæ mœchiæ flagitio graviora judicabant, denegata etiam in fine pace, plectere destiterunt.

Respondeo, Patres Eliberitanos strictissimè interpretatos esse, & ad verbum, Zephirini edictum, ideóque non censuerunt per illud imperari remissionem iis dandam, qui post peractam pœnitentiam adulterium denuo admitterent, sicut nec iis qui lenocinia, incestus & alia mœchiæ peccato graviora perpetrarunt. Ac reipsa quidem nihil simile ejusmodi edicto strictiorem in sensum explicato continetur. Adde quòd verisimillimum est peccata carnis, in iis regionibus majorem in modum grassata esse, ideóque Patres Eliberitanos mœchis, ut obtemperarent summi Pontificis edicto, indulsisse quidem veniam; at in cæteris capitibus nihil ejusmodi edicto derogantibus pristinam retinuisse severitatem, quâ populos ad libidinum flagitia propensos, & fortè Synodorum suarum canonibus rebelles in officio continerent.

Quorsum hæc, dixerit aliquis?

Respondeo hæc me ex sacro traditionis scrinio deprompsisse, ut omnes intelligerent, quid de hujusmodi peccatis, & præsertim de flagitiis ad impudicitiam, immonditiam, & alia id genus monstra pertinentibus Christiana senserit antiquitas, & ut Confessarii Christi Domini amore studióque succensi, proposito peccatorum carnalium horrore, ea ex pœnitentium animis radicitus avellere conarentur. Nam devenimus in ea tempora, quibus plerique Christiani ad eam cæcitatem sunt redacti, ut non solùm atrocissima quæque flagitia non perhorrescant, sed etiam, quod est supra fidem, ne ipsa quidem inter flagitia recensenda esse pervicacissimè contendant.

Tales sunt innumerabiles dissolutis moribus homines, qui insanis muliercularum amoribus capti & effascinati, simplicem fornicationem non esse peccatum asserunt, & hac in parte flagitia libidinum hæreseos errore & impietate cumulant. Nemini enim, vel tantillum erudito, latet fornicationem, immunditiam & alia id genus ad infandas carnis libidines pertinentia, non solùm à sacris Litteris, verùm etiam ab tota traditione damnari, & inter ea peccata recenseri, quæ à regno Dei sui conscios excludunt.

Quorsum enim Apostolus totis viribus in fornicationem insurgeret, si nec inter ipsa quidem flagitia recenseretur? Quorsum ad ingenerandam ejus flagitii detestationem Apostolicas hasce voces veluti totidem fulmina vibraret: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.*

Nihil hac oratione terribilius, ait sanctus Joannes Chrysostomus: *non enim dixit: Tollens ergo membra Christi, conjungam cum meretrice: sed quid? faciam membra meretricis: quod quidem magis pungebat.* Subdit Apostolus & alia fugiendæ fornicationis incitamenta, & tandem subjicit, fugite fornicationem: quæ quidem si non foret peccatum, & illud atrocissimum, insulsè (absit verbo invidia) ejus immanitatem ab tot tantisque capitibus repetitam, Apostolorum eloquentissimus exaggeraret.

Sed esto fornicario ab hujusce sæculi viris peccatum habeatur. Quidquod ab iis existimatur tam leve, ut quisquis illud ex Apostoli præcepto omni studio declinandum fugiendúmque dixerit, omnem continuò urbanitatem, & politioris vitæ cultum & elegantiam, & necessariam humanæ societati prudentiam abdicasse, atque adeo ad Anticyras relegandus esse videatur. Quod quàm sit luctuosum, videant Confessarii divinæ gloriæ studio succensi, & nulli labori, nulli orationi, nullis pietatis operibus parcant, ut istius flagitii pœnitentium animis odium quantum maximum ingenerent, & identidem inculcent, nullum esse peccatum in omnia hominum genera grassatum, perinde ac impudicitiam, uno illo nomine omnia libidinum genera complexam, ac proinde nullum esse crimen, nullum flagitium, quod tot hominibus ex omni statu, ex omni regione, ex omnium denique gentium multitudine collectis, imò coacervatis inferos impleat.

Tantum est hoc peccatum impudicitiæ, ut videatur illud ipsum peccatum quod Scriptura vocat peccatum ad mortem. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem*, 1 Joann. cap. 5. v. 16. & 17. Nam si, ut ait S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Ego dico peccatum ad mortem, id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Si, ut ait Gelasius Papa I. tomo de ana-

thematis vinculo tom. 1. Concil. p. 488. est peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus; est peccatum non ad mortem ab eodem peccato recedentibus. Si, ut ait S. Gregorius Moral. lib. 16. cap. 18. & Homil. 21. in Ezechiel. peccatum illud usque ad inferus ducit, quod ante finem vitæ præsentis per correptionem & pœnitentiam non emendatur; de quo videlicet peccato per Joannem dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Peccatum namque ad mortem est peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hîc non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. Si denique S. Pacianus Epist. 3. ait, peccatum ad mortem esse illud, in quo quis ad mortem usque pervicaciter perseverat, non immeritò quis dixerit impudicitiam esse peccatum ad mortem. Nam si ullum est peccatum, cujus emendatio ut plurimùm desperari debeat, illud certè est. Quotus enim quisque est, qui ubi sese in blandos muliercularum laqueos induerit, sese ex iis expediat. Si quotidiano experimento fides habeatur, paucos reperias, qui ex hac abysso emergant, & verè conversi sese ad meliorem frugem recipiant. Testis esto vel unus Augustinus, qui insanis muliercularum amoribus irretitus, nonnisi Summa cum difficultate post multa certamina cum carnis illecebris inita, tandem per victricem Salvatoris gratiam è tenacissimis concupiscentiæ vinculis erupit.

Quæstio XLVI.

Quo pacto pœnitentem tentationi succubuisse Confessarius deprehendere poterit.

Respondeo, hujus quæstionis solutionem esse repetendam ex cap. 1. Epist. Catholicæ sancti Jacobi Apostoli, v. 14. & 15. ubi sic loquitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit; generat mortem.*

Ex his Apostoli verbis colliguntur quinque gradus, per quos tentatio devictum hominem, ad mortem æternam pertrahit.

Primus positus est in tentatione, qua quis allicitur ad malum ab sua ipsius concupiscentia, quæ tentatio vacat omni peccato, si nihil aliud evenerit.

Secundus in conceptu peccati, quod concipitur per imperfectum voluntatis assensum.

Tertius consistit in partu peccati, quod per plenum & perfectum consensum in corde generatur.

Quartus positus est in consummatione, cum videlicet peccatum in corde generatum, in opus externum prosilit.

Quintus & postremus consistit in generatione mortis æternæ, quâ plectitur quisquis vel assentitur peccato lethali, yel etiam consensum opere externo cumulat, nisi ante obitum peccatum vel solo voluntatis assensu admissum, vel etiam opere externo consummatum verâ pœnitentiâ expiare studeat.

Hos quinque gradus ab S. Jacobo Apostolo indicatos, utpote ad Christianam praxim apprimè necessarios, singillatim attingere necesse est.

Primus igitur gradus positus est in eo, quòd damnabilis ad omnia peccatorum genera propensio, ex primorum parentum vitio, nostris animis insita, & etiam in renatis relicta, tentat nos, & quibusdam illecebris allicit & inclinat ad peccatum, cujus tamen non sumus conscii, nisi ejusdem concupiscentiæ motus voluntario assensu exceperimus.

Certum est in altissima S. Augustini doctrina, concupiscentiam, quæ cum reatu peccatum originale constituit, per sacramentum regenerationis transire reatu, & manere actu, id est perpetua in renatorum animis excitare desideria prava, quæ renatos ipsos divellerent à Creatore, damnabiliter alligarent & affigerent creaturæ, nisi adversus rebelles ejus motus & suggestiones victrice Salvatoris gratiâ muniti assiduè certarent.

Hujusmodi concupiscentia ad agonem relinquitur in carne Sanctorum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas, ut toties asserit sanctus Augustinus.

Cùm autem illam Deus naturæ non inseruerit, sed Deo deserente surrexerit, atque adeo non sit ex Deo, sed ex diabolo & mundo, qui totus in maligno positus est, ejus motus etiam indeliberati pravi sunt, illiciti & prohibiti, nec tamen regeneratis imputantur ad culpam, nisi eos deliberato voluntatis assensu fuerint amplexi.

Theologi concupiscentiæ motus secant bifariàm. Alios enim vocant primo-primos, alios autem secundo-primos. Vocant concupiscentiæ motus primo-primos, alios potentiarum animæ sentientis & rationalis actus inordinatos, qui omnem omnino deliberationem antevertunt. Appellant autem motus secundo-primos potentiarum animæ sentientis & rationalis actus inordinatos, qui quidem plenam, non semiplenam, & imperfectam deliberationem præveniunt.

Unde sequitur, repentinos concupiscentiæ motus, id est repentina peccati desideria, ut loquitur sanctus Augustinus, nullatenus renatis ad culpam deputari: quia, ut loquitur Apostolus Roman. 8. v. 1. & 2. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Toto nempe capite 7. deploraverat Apostolus miserrimum statum, ad quem (sicut & omnes homines) primorum parentum flagitio redactus fuerat, quòd scilicet carnalis esset vænumdatus sub peccato, & non quod vellet bonum, hoc ageret, sed quod odisset malum, illud faceret, & quòd non operaretur illud, sed quòd habitaret in se peccatum, (id est concupiscentia) sese nimirum vocabat infœlicem, quòd experiretur assiduos rebellantis concupiscentiæ motus; ideòque ingemiscens exclamaret: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Tandem hac spe sustentat sese, & in eamdem spem omnes Christianos erigit, dum ait: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Perinde ac si regeneratos solaretur his verbis: Licèt mente legi Dei, carne autem legi peccati serviamus, id est insidentem in nobis concupiscentiam habeamus, & assiduè pravis ejus desideriis abstrahamur, & illiciamur ad malum; non tamen hac in parte delinquimus, aut pertrahimur nolentes ad ullum grave crimen, ob quod damnari metuamur, nos qui Christo Jesu per fidem ac baptismum insiti ex cupiditatum & affectuum carnalium arbitrio vivere destitimus; postquam lex Christi quæ spiritualis est, nos à lege peccati efficacissimè liberavit.

Ergo ea quæ relicta est in renatis concupiscentia, mala est; ejus motus etiam indeliberati, prohibiti sunt & illiciti, nusquam tamen (si consensus absuerit) criminosi. Tametsi nemo diffiteatur innumerabilia etiam ab justificatis admitti peccata, licèt levia, per subreptitium consensum, quem istius concupiscentiæ motibus secundo-primis præbent. Ex eadem illa concupiscentia velut è teterrimo fonte scaturiunt innumerabilia illa peccata, quorum inter mysteria nemine universi, etiam Sacerdotes sanctissimi, pro quibus & sacrificium

offerunt & ingemiscunt, & inter orandum dicere coguntur, *Dimitte nobis debita nostra.*

Indeliberatos concupiscentiæ motus, licèt illicitos, non esse peccata, pulcherrimè declarat Concilium Tridentinum session. 5. in decreto de peccato originali, his verbis: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quin imò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Ex his Concilii verbis patet, indeliberatos seu primo-primos concupiscentiæ motus non esse peccata, quia, ut ait Concilium, concupiscentia non potest nocere non consentientibus, quod verè affirmari non posset, si ejus motus indeliberati fidelibus deputarentur ad culpam.

Secundus gradus ab Apostolo indicatus positus est in eo, quòd per imperfectum voluntatis assensum peccatum concipitur. Quod ut intelligatur, observandum est, consensum esse actum voluntatis deliberatè aliquid acceptantis vel ordinatum, vel inordinatum, quod ab intellectu propositum fuerit. Consensu peccatum admittitur, nec potest ullum esse peccatum, quin proposito sibi malo voluntas assentiatur. Unde Tobiæ 4. c. v. 6. *Cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Et Roman. 1. v. 32. *Qui talia agunt, digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* S. Aug. lib. 1. de mendacio cap. 19. *Tunc consentimus, cùm approbamus & volumus.* Et S. Bernard. de grat. & lib. arbitr. *Consensus motus est voluntatis spontaneus.* Consensus universè sumptus quadrifariam ab Theologis dividitur.

Primus dicitur semiplenus seu imperfectus, seu subreptitius; & definitur, actus voluntatis aut sine advertentia, aut cunctanter aliquid sine perfecta approbatione acceptantis.

Secundus dicitur plenus & perfectus, & definitur, actus voluntatis aliquid deliberatè, & cum plena approbatione acceptantis. Duo igitur postulat ejusmodi consensus; primò advertentiam & deliberationem intellectûs; secundò plenam voluntatis approbationem.

Tertius consensus dicitur expressus sive explicitus, & definitur, actus voluntatis aliquid directè & in se acceptantis.

Quartus denique dicitur implicitus, seu interpretativus, & definitur, actus voluntatis aliquid acceptantis, non directè in se, sed in alio vel in negligentia quâ malum, quod interpretativè acceptat, non repellit, cùm repellere debeat. Hujusmodi consensus in moralibus æquivalet expresso: ita ut non minùs hominem reum constituat, quàm expressus seu explicitus.

Ut autem ejusmodi consensus dijudicari valeat, observandum est quod ait S. Thomas in quæst. disput. de veritate, quæst. 15. art. 4. ad 10. *Dicendum,* ait, *quòd antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, utpote cùm percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per ejus actum, quia agere & non agere, cùm quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur, secundùm quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur.*

Ex quibus verbis apparet, sanctum Doctorem non agnoscere perfectum completumque consensum interpretativum, nisi sit periculum consensûs vel nocumenti.

Unde consensus interpretativus, seu indirectè voluntarius, non semper alligat hominem peccato mortali, etiamsi versetur circa materiam mortalem; sed tunc demum eum lethalis peccati reum constituit, cùm non impedit aliquid, quod sub mortali flagitio impedire debet & potest: ut patet in rerum turpium & illicitarum cogitationibus, quæ animum delectatione afficiunt, & alliciunt ad peccatum. Hujusmodi enim cogitationes si non statim, ut animum subierint, abigantur, iis quidem non expressè consentit voluntas, sed interpretativè: ita ut ejusmodi consensus plenus, id est, actu vel virtute deliberatus hominem non minùs quàm expressus lethali flagitio devinciat.

Cùm delectationis morosæ notitia latissimè pateat in moralibus, facturum me operæpretium arbitror, si & ejus naturam explicem, & percenseam præcipuos casus, in quibus lethalis ab Theologis existimatur. Ut igitur ab ejus definitione ordiar,

Dico primò, delectationem morosam esse deliberatam voluntatis conniventiam, & interpretativam complacentiam, quâ tam suis, quàm potentiarum sibi subditarum inordinatis motibus oblectatur, circa objectum turpe & inhonestum, licèt in opus externum prosilire nolit.

Dicitur primò, delectatio morosa, non ab mora temporis; sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, ut Augustinus dicit 12. de Trinitate. Ita S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. ad 3.

Dicitur secundò, conniventia voluntatis, quia licèt in genere delectationis actus tam ad appetitum sentientem, quàm rationalem sibi in bono possesso placentem pertineat; morosa tamen delectatio ad solum appetitum rationalem, id est, voluntatem pertinet, quatenus in ea residet; sicut in proximo principio, licèt sit in ratione sicut in primo motivo: secundùm hoc quod dictum est, quod actiones quæ non transeunt in exteriorem materiam, sunt sicut in subjecto in suis principiis, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 6. ad 1.

Dicitur tertiò deliberata. Ad hoc enim ut sit illicita delectatio & criminosa, debet intervenire intellectûs deliberatio, ita ut ipse intellectus ad objecti malitiam advertat: quod enim nullatenus est cognitum, non potest esse volitum, atque adeo nec peccatum. Illam autem animadversionem non actualem non formalem & explicitam esse necesse est: sed saltem virtualem, quam scilicet antecedens actualis advertentia effecerit; & satis superque delectatio deliberata, atque adeo criminosa censebitur, si, qui ea delectatione afficitur, voluntatem non advertendi habeat, aut colpabiliter advertere negligat. Unde cùm aliquis, postquam deliberavit, quòd motus passionis insurgens est inordinatus; nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit, secundùm hoc dicitur peccatum delectationis morosæ esse in ratione, secundùm S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6 in c.

Quartò dicitur conniventia, quia scilicet voluntas dissimulat se videre quod ob implicitum quempiam affectum, quo delectationes ejusmodi prosequitur, atque ideo inordinatos illos motus tolerat, permittit, dissimulat & cùm in moralibus implicitus ille affectus æquivaleat explicito, non minùs circa ejusmodi actus inordinatos rea voluntas suâ conniventiâ constituitur, quam si reipsa illos assensu explicito complecteretur.

Quintò dicitur interpretativa complacentia, quia cùm voluntas inordinatos ejusmodi motus refugere & adversari debeat, eos approbat, in iis velut

in rebus sibi convenientibus acquiescit; & quia in iis immoratur, eosque abigere & repellere negligit, eam ejusmodi motibus oblectari, in iis conquiescere, nemo non prudens interpretatur.

Sextò additur, tam in suis, quàm in potentiarum sibi subditarum motibus inordinatis: nam in delectatione morosa non solùm voluntas suos motus inordinatos, id est, rectæ rationi dissentaneos & æternæ legi contrarios approbat, sed etiam appetitus sentientis aliarùmque potentiarum suo imperio subditarum motus, quantumvis ab recta ratione & æterna lege dissentiant, quos repudiare debuerat, accipit, suóque assensu comprobat.

Septimò additur, circa objectum turpe & inhonestum. Nam potentiæ voluntati subditæ quibusdam illecebris sensuum ministerio propositis capiuntur, & directo, ut ita dicam, impetu, in objecta turpia & inhonesta rapiuntur: voluntas autem indirectè saltem, & interpretativè ejusmodi objectis adhærescit, iis & afficitur & inficitur: inde manat delectatio morosa, quæ ex ipsa voluntate, si non expressum, explicitúmque consensum, at certè interpretativum elicit.

Octavò additur, licèt in opus externum prosilire nolit, quia nimirum delectatio morosa interpretativo dumtaxat assensu voluntatis approbata, hominem coram Deo reum constituit, licèt non eruperit in actum externum. Unde sanctus Augustinus lib. 12. de Trinitate cap. 12. *Nec sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minus, quàm si & opere statuatur implendum. Et ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum atque dicendum, Dimitte nobis debita nostra: faciendum quoque quod sequitur, atque in oratione jungendum, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hæc ibi sanctus Augustinus.

Hoc loco abusi quidam credere voluerunt, per cogitationes de rebus illicitis admissas peccari dumtaxat venialiter, nusquam autem lethaliter, eo quòd Augustinus in Enchiridio & alibi, sæpe asserat orationem Dominicam & tunsionem pectoris valere, vel esse remedia contra venialia deputata, ideóque ex mente S. Augustini peccata cogitatione dumtaxat admissa esse tantùm venialia, eo quòd ea venialium remedio, id est, tunsione pectoris & oratione Dominica esse delenda contenderet.

Hoc argumentum sibi objicit S. Thomas in quæst. disput. de veritat. q. 15. art. 4. & sic respondet: Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in Enchiridio, oratio Dominica & alia hujusmodi non solùm ad delenda peccata venialia valent, sed ad remissionem mortalium, quamvis non ita sufficiant ad deletionem mortalium, sicut venialium. Hanc esse S. Augustini mentem constat ex cap. 71. Enchirid. ubi sic loquitur: Delet omnino hæc Oratio (Dominica) minima & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; id est si fiat, quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

His ita constitutis esto

Secunda conclusio.

Qui de re mala cuperet delectari, nisi esset illicita & mala, non peccat, si solùm delectari cupiat, ex hypothesi quòd ea non sit illicita, & ille arbitratur bonam, nec ea delectetur impræsentiarum. Nam objectum ejusmodi cogitationis non est aliquid malum: quamvis enim res de qua cogitat, sit mala, atque adeo suapte natura illicita, objectum tamen ejus cogitationis non est res illa mala simpliciter, sed ex hypothesi dumtaxat, quòd non sit mala & illicita. Unde fit, ut voluntas eam rem non admittere, sed penitus aversari & refugere censeatur.

Si autem impræsentiarum delectetur re mala & illicita, de qua cogitat, peccat lethaliter, si sit materia lethalis: quippe qui delectationem absolutam & præsentem capiat ex re mala & illicita, quod citra lethale flagitium fieri non potest, si materia lethalis ex sententia Theologorum habeatur.

In ejusmodi cogitationes potest cadere duplex consensus: unus conditionatus respectu operis cogitati: talis esset consensus in eo qui diceret, Vellem hoc agere, si esset licitum, sed quia illicitum est, refugio; & hic consensus ad summum venialem efficit culpam: alter autem, quo quis citra ullam conditionem & absolutè consentit in præsentem delectationem, quam capit ex re illicita & gravi, peccat lethaliter: v.g. si quis diceret, Si liceret per leges, inimicum è medio tollerem; si inter hæc verba, ipsa inimici cæde oblectetur, peccat lethaliter. Item eodem se flagitio constringit, qui cùm dicit se uxorem ducturum esse, reipsa oblectatur commercio illo conjugali, de quo cogitat vel afficitur libidinosis motibus, quos impura cogitatio in ejus corpore concitavit.

Tertia conclusio.

Delectatio morosa non solum cadit in res suapte natura malas & illicitas, sed etiam in alias res lege dumtaxat positiva prohibitas. Quòd delectatio morosa circa res suapte natura malas & illicitas sit peccatum lethale, (si cætera ad ejusmodi peccatum requisita affuerint) nemo vel mediocriter eruditus inficiari voluerit: sicut nec negaverit, delectationes morosas circa ea quæ lege positiva sunt prohibita, versatas, esse peccata.

Hujus conclusionis vera ratio petenda est ex eo quòd in priori casu delectatio capiatur ex rebus suapte natura malis & illicitis; (quod est nefarium. neque minùs enim prohibitum est lege naturali & divina rebus per se illicitis oblectari, quàm eas exequi) quod cùm non eveniat in posteriori casu, in eo pariter vel nullum est, vel veniale dumtaxat peccatum.

Huc accedit quòd rei per se malæ non solùm externa executio, sed etiam affectus, oblectatio, desiderium, & quælibet complacentia æternâ lege prohibeatur: quod non cadit in rem positiva tantùm lege prohibitam, cujus externa dumtaxat executio vetatur, non autem affectus de illa conceptus, modò ejusmodi affectus non feratur in illam sub ea ratione qua prohibita est, neque sit voluntas eam externo opere consummandi, & ejusmodi voluntatis periculum absit. Si enim talis voluntas inesset alicui de rebus positiva lege vetitis cogitanti, & iis quatenus legi contrariis oblectaretur, peccatum in materia gravi, & lethale dubio procul admitteret. Unde S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 8. in c. sub finem: *Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.* Hæc S. Thomas.

Quarta conclusio.

Delectatio morosa, quâ quis delectatur de opere quod est ex suo genere peccatum lethale, quodque commissum est sine culpa, putà per vim aut ignorantiam inculpabilem, ex probabili Theologorum

sententia

sententia est peccatum mortale, sive delectatio ista sit de isto opere absolutè considerato, sive ob aliquem alium bonum finem. Ita docent Adrianus quodlib. 10. art. 2. proposit. 2. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. Medina in 1. 2. q. 74. art. 6. Cordubensis lib. 2. q. 30. Azorius tom. 1. lib. 4. cap. 6. q. 9.

Hujus conclusionis veritas multis rationibus astrui potest: nam tale opus pro futuro tempore concupiscere non licet: ergo nec pro præterito approbare. Quod in hoc casu est indubitatum. Non enim hîc malitia ex circumstantia temporis derivatur in opus, atque adeo si pro futuro tempore sit opus criminosum & illicitum, pro præterito quoque fuit illicitum: ergo si pro futuro, eo quis citra lethale flagitium oblectari non potest, neque pro præterito, eo citra crimen oblectari poterit.

Cùm enim talis delectationis objectum sit suapte natura malum, ipsa quoque delectatio circa illud versata, mala erit, ut constat, licèt vacet culpâ, qui vel per vim vel inculpabilem ignorantiam opus per se malum admiserit.

Non licet, inquam, de opere nefario jam perpetrato, etiam propter bonum finem delectari. Quis enim sanæ mentis dixerit homicidam posse lætari de homicidio, eo nomine quòd in finem sibi percommodum exierit, quòd videlicet inde sibi magna & opulenta hæreditas obvenerit, quòd discordia, quâ jactabatur familia, per ejusmodi homicidium sit extincta, aut aliud simile ex eo manaverit.

Quinta conclusio.

Peccat lethaliter circa morosam delectationem Religiosus aut Sacerdos, qui hoc modo loquitur: Nisi mei statûs rationem haberem, seu nisi meum statum inspicerem, seu nisi meum statum æstimarem, profectò te occiderem, vel furarer. Hic enim graviter peccàt, si verè habeat propositum & voluntatem committendi illa mala, nisi talem statum haberet.

Ratio est, quia desiderium elicitur de re turpi, sub ea conditione, quâ positâ desiderium adhuc esset malum: nam sive spectetur status Religionis, sive non, homicidium & furtum est peccatum; consequenter si adsit voluntas illa præstandi, nisi talis status adesset, peccatum committitur, cùm sit voluntas & affectus committendi peccatum absque motivo honesto, & à peccato excusante.

Item peccat lethaliter Religiosus, vel Sacerdos qui dicit: Nisi essem Religiosus vel Presbyter, vellem committere fornicationem. Ratio est, tum quia non adest motivum sufficienter honestum, quo posito auferatur turpitudo fornicationis, tum quia hujusmodi actus includit affectum ad peccatum, quod adhuc esset peccatum, si ipse non esset Religiosus aut Sacerdos.

Item peccant lethaliter qui dicunt: Ego occiderem, ego fornicarer, si non esset infernus. Nam hoc motivum non est ita honestum, ut eo posito, homicidium vel furtum sit licitum, ut observat Suarez. Deinde intercedit timor servilis cum servilitate, qui timor ratione servilitatis est peccatum. Nam timor servilis cum servilitate est, quando aliquis timet aliquod malum ob aliquam pœnam; sed ita est affectus, ut si pœna illa non intentaretur, nihilominus peccatum committeret. Hactenus Bonacina de iis quæ pertinent ad usum matrimonii quæst. 4. punct. 8. n. 27. 18. & 29.

Sexta conclusio.

Non semper peccat qui delectatur rei malæ cogitatione; sed semper peccat, vel venialiter vel damnabiliter, qui de re mala cogitata delectatur. Nam rei malæ cogitatio potest ab fine laudabili honestari: potest enim quis vel Tractator, vel Prædicator animo volutare res obscœnas, fœdas scilicet libidines & peccata ad eas pertinentia, ut proposita ejusmodi vitiorum turpitudine populum, quà scripto, quà vivæ vocis oraculo, ab iis absterreat. Tunc illa cogitatio ad honestum relata finem, laudabilis erit; & qui hac rei illicitæ cogitatione eo pacto fuerit oblectatus, vacabit omni culpa, non item is qui de re cogitata delectabitur: hujusmodi enim delectatio semper vitiosa est.

Quod luculenter explicat S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 8. in c. *Aliquis*, inquit, *de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione; alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam. Cogitatio autem ipsa secundùm se non est peccatum mortale, imò quandoque est veniale tantùm, putà cùm aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino, putà cùm aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cùm vult de ea prædicare, vel disputare. Et ideo per consequens affectio & delectatio quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. Unde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale. Quòd autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc quòd affectio ejus inclinata est in hunc actum. Unde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil est aliud, quàm quòd ipse consentiat in hoc quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur his, quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.* Hactenus S. Thomas.

Utrum autem quis de rei malæ cogitatione tantùm delectetur, vel de re cogitata, hoc indicio facilè animadverti poterit. Si cogitatio rei malæ & illicitæ, putà fornicationis, aut alicujus alterius flagitii, sæpe in animum cum delectatione recurrat, & velut obtrudat sese citra ullam aut necessitatem, aut utilitatem, tunc indicium est, hominem, quisquis fuerit, de re cogitata, & non tantùm de rei cogitatione delectari. Nam indubitatum est, illam cogitationem toties animo cum delectatione recursantem proficisci ex perversa inclinatione depravati affectus in rem, quæ passim recogitatur. Si verò talis cogitatio sese nec crebrò nec importunè ingerat, sed rationis eam vel debito tempore velut advocantis, vel alieno repudiantis imperio pareat & obsequatur, indicium est non obscurum, delectationem esse duntaxat de rei malæ cogitatione, quam aliquis ad honestum laudabilemque finem assumpserit.

Observandum tamen est, delectationem quæ circa rei cogitationem, non autem circa rem cogitatam versatur, posse vitiosam esse, si videlicet adhibeatur ad malum finem. Quod quidem apparet in iis qui ad parandam scientiam ardentiùs incumbunt, non ut Ecclesiam Christi sanguine redemptam ædificent, sed ut opes congerant, ut plura, eaque opima beneficia captent, suumque nomen (si possint) in omnium sæculorum memoriam propagare valeant.

Præterea non eximitur à culpa is qui in principio quidem oblectatur ipsa rei malæ & illicitæ cogitatione propter finem honestum & laudabilem, sed paulatim & sensim delectationem de re cogitata in animum admittit. Nam facilè homines mente corrupti, & potissimùm ii, quos scientia inflat, nec charitas ædificat, ab delectatione cogitationis ad delectationem rei malæ & illicitæ transeunt. Unde luctuosissimo experimento cernere est quamplurimos ejusmodi, qui à Deo suam ob superbiam deserti, & in peccata carnalia implicati miserrimè perierunt.

Tertius tentationis gradus

Ab sancto Apostolo Jacobo declaratus, in eo consistit, quòd peccatum pleno consensu in corde pariatur. Hic gradus facilè intelligi potest ex iis quæ de perfecto consensu diximus. Iste consensus duo requirit, primò electionem rationis consiliantis & deliberantis, secundò plenam approbationem voluntatis.

Quòd utraque requiratur, docet S. Thomas in 2. Sentent. ad dist. 24. q. 3. art. 4. in c. *Perfecta autem ratio virtutis*, ait, *vel peccati mortalis non potest esse sine electione rationis consiliantis & deliberantis; & ideo quicquid fornicationis ante hoc invenitur per accidens, peccatum mortale non est: ubi autem ad hoc pervenitur, statim peccatum mortale esse incipit. Unde etiamsi usus exteriorum membrorum, & delectatio eorum esset sine voluntate tali, peccatum non esset, sicut Beata Lucia dixit, Si invitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Sed consensus adveniens actui exteriori facit peccatum mortale. Similiter appetitus sensualitatis, & delectatio consequens appetitum ante consensum rationis deliberata, peccatum mortale non est; sed post consensum rationis deliberantis peccatum mortale incurritur.* Hæc ibi S. Thomas.

Idem docet S. Augustinus lib. 12. de Trinit. *Totus homo damnabitur*, ait, *nisi hæc (quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata) per Mediatoris gratiam remittantur.* Hæc Augustinus.

Observandum est, hîc perfectum consensum intelligi, non solùm consensum expressum & explicitum, sed etiam interpretativum, qui fit duobus modis: vel acceptando aliquid non in se, sed in alio; vel non impediendo quod quisque habet in sua potestate, nec impedit quod impedire tenetur. Exemplum primi modi est, aleator v. g. qui propriâ novit experientiâ se, si fortè tali jactus parum prosperè ceciderit, erumpere in blasphemias horribiles: ille in ludum consentiendo interpretativè consentit in blasphemias, quas ex occasione ludi, in Deum evomit, atque ita blasphemias non quidem in se, sed in ludo acceptat. Exemplum secundi est: quis libidinosis cogitationibus agitatus, quibus licèt non expressè consentiat, interpretativum tamen iis præbet assensum, nisi eas ipsas cogitationes statim ut animadvertere potuerit, valere jubeat.

Nemo hac in parte sibi blandiatur & dicat, Sunt motus primo-primi & indeliberati, & ideo vacant omni peccato: multi enim hoc nomine sua flagitia nequicquam prætexere gestiunt.

1°. Enim hac in excusatione uti nequeunt, qui pravos jurandi, blasphemandi aut aliorum criminum habitus malè vivendo compararunt: nam quoties ex habitu in quem sese ultro induerunt, operantur, peccant; nisi fortè adnitantur ad emendationem, & tametsi sibi vim afferant, abrepti violenta consuetudine delinquant.

2°. Nec ad eamdem excusationem perfugere possunt homines ingenio feroci & iracundo, qui vel minimo verbo se lacessitos existimant, & excandescunt, & proximum vel contumeliosis verbis, vel verberibus appetunt; indeliberatos quippe ingenii ardentioris impetus causantur: in iis enim commotionibus, quas sæpe sunt experti, est aliqua deliberatio saltem virtualis, quam scilicet actualis antecesserit.

3°. Nec illi à peccato immunes haberi poterunt, qui dicunt, se inter peccandum non habere animadversionem formalem & actualem: nam præterquam quòd sufficit virtualis, ut diximus, etiam illi homines in materia gravi sese lethali flagitio devinciunt, quippe qui vel ad peccatum advertendi voluntatem non habeant, vel advertere, culpabiliter negligant, quæ duo hominem reum in re gravi constituunt. Hac enim in parte in peccatum saltem interpretativè consentiunt, sicut & universi, qui nihil agunt & nihil aggrediuntur ad fugienda peccata & eorum occasiones. Hujusmodi enim homines censentur hærere velle in flagitiis, è quibus emergere nihil annituntur.

Quartus tentationis gradus

Ab eodem Apostolo declaratus, fit, cùm peccatum jam in corde electione rationis deliberantis & plena approbatione voluntatis admissum, externo opere consummatur.

Hunc gradum sicut & cæteros, mirabiliter illustrat S. Gregorius Magn. lib. 4. Moral. cap. 25. *Quatuor modis*, inquit, *peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu & defensionis audaciâ perpetratur: fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat, sed graviùs elevando supplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit: nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc verò in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit: Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Consensum verò Adam mulieri præpositus præbuit, quia videlicet spiritus, quo peccando à veritate distingitur, eo in ruina sua audacia nequiùs obduratur. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur; postmodum verò etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur; ad extremum verò vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.* Hæc & alia ibidem pulcherrimè prosequitur sanctissimus Pontifex: sed ista ad rem nostram accommodata delibasse sat habuimus.

Quintus tentationis gradus, imò hominis tentatione prostrati pœna & interitus.

Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem: id est, quotquot peccatum admittunt, & opere externo consummant, incurrunt reatum mortis æternæ: quod non est sic intelligendum, quasi soli peccatores qui peccata nefario cordis assensu admissa exteroi operis improbitate cumulant, flammis addicerentur æternis; (hoc enim falsissimum est, imò hæreticum) sed quia graviùs plectendi sunt, qui peccato interno externi operis malitiam addiderunt; ideo præsertim peccatum exteriùs consummatum generare mortem, pronuntiat Apostolus.

Quòd peccatum æternam mortem generet, disertè affirmat S. Augustinus 50. homil. lib. hom. 42. *Vel mortem*, inquit, *time, si peccatum non times: peccatum enim cùm consummatum fuerit, generat mortem. nondum times peccatum, time quò perducit peccatum: dulce est peccatum, sed amara est mors. Ipsa est infœlicitas hominum: propter quod peccant, morientes hîc admittunt, & ipsum peccatum secum portant. Peccas propter pecuniam, villam, mulierem? Hæc dimittenda sunt, quando oculos in morte clauseris; & ipsum peccatum quod commiteris, tecum portas, ut te comburat in omnem æternitatem.* Hæc S. Augustinus.

Quòd peccatum consummatum generet mortem æternam, certum est; nam peccatum in corde dum-

taxat admissum generavit animæ mortem, quæ potest dici prima mors, ut loquitur Scriptura, & secundam in gehenna suo tempore generabit: quanquam ea mortis æternæ generatio, peccato exteriùs consummato, ob allatam rationem potissimùm ascribatur.

Præterea dicitur peccatum externo opere consummatum generare mortem, æternam scilicet, eo quòd postquam aliquis abjecto Dei timore, quo absterrebatur à peccato, in externum peccati jam mente commissi opus proruperit, non satis habeat illud semel perpetrasse, sed gliscente per externam actionem audacia, in ipsum denuo & identidem flagitium revolvatur, atque ita ex repetita scelerum perpetratione veniat in peccandi consuetudinem, quâ tandem implicatus pertrahatur in mortem. Quod aliter accidit, si peccatum animo dumtaxat admissum externum in opus exire prohibeatur. Certum est enim, faciliùs sanari peccatum, quod externi operis malitiâ non fuerit cumulatum. Hunc sensum non obscurè indicat S. Aug. serm. 43. de verbis Dom. in Evang. secundùm Joannem cap. 11. In te ergo, ait, fiunt ipsæ concupiscentiæ, fatendum est, fiunt: ideo dixit, ne perfeceritis; id est, non perficiantur. Decrevisti facere, perfecisti. Perfecisti enim, si decernas faciendum esse adulterium, & ideo non facias, quia locus non est inventus, quia opportunitas non datur, quia fortè illa casta est, de qua videris esse commotus. Ecce jam illa casta est, & tu adulter es. Quare? quia perfecisti concupiscentias. Quid est, perfecisti? in animo tuo faciendum esse adulterium decrevisti. Jam, quod absit, si & membra fuerint operata, in mortem devolutus es. His verbis sanctus Augustinus non negat eum adulterii reum esse, qui adulterium faciendum esse decreverit: at asserit eum maximè esse devolutum in mortem, si ad internum flagitium nequitia externi sceleris accesserit.

QUÆSTIO XLVII.

Quo pacto Confessarius pœnitentis anteactas confessiones nullas, atque adeo iterandas esse, dijudicare poterit.

RESPONDEO, Confessarium id posse dijudicare indiciis repetitis tam ex ipso Confessario, quo suum pœnitentem usum esse cognoverit, quàm ex ipsius pœnitentis persona. Tunc enim deprehendet, confessiones pœnitentis nullas esse, & iterandas, si confessus sit apud Sacerdotem debita jurisdictione, aut aliis dotibus ad excipiendas confessiones necessariis carentem. Ex parte verò pœnitentis id ipsum deprehendet, si contritione ad obtinendam remissionis gratiam necessaria, aut aliis id genus ad sacramentum requisitis destitutus fuerit.

Dico igitur primò, confessionem factam Sacerdoti jurisdictione carenti esse nullam, & necessariò repetendam. Cùm enim Sacerdos in tribunali pœnitentiæ sedeat ut judex, & reipsa judiciarios actus exerceat in pœnitentem, & nemo possit judicandi potestatem exercere, nisi in personas suæ ditioni subditas; necessariò sequitur, neminem Sacerdotem posse excipere cujusquam confessionem, nec quemquam posse absolvere, aut ligare, quin jurisdictionem aut ordinariam aut delegatam habeat. Et hanc potestatem jurisdictionis esse distinctam ab potestate ordinis, patet ex Conciliis Florentino & Tridentino, quæ cùm requirunt in Sacerdote jurisdictionem ordinariam aut delegatam, ut validè possit pœnitentem absolvere, cum omni jurisdictione tam ordinaria, quàm delegata carere posse, atque adeo illam non habere ex vi ordinationis: quod enim accipitur per sacramentum ordinis, non potest auferri, licèt possit ejus functio interdici. Quicquid sit, certum est, confessionem factam Sacerdoti jurisdictione carenti, esse nullam, & necessariò repetendam.

[illegible] 14. can.

Dico 2°. iterandam esse confessionem, quam quis fecerit Sacerdoti indocto, & minùs idoneo & sufficienti ad excipiendam ejus confessionem, quem facta confessione, rescit tantam ejus imperitiam esse, ut nec mortalia peccata à venialibus, nec reservata à non reservatis secernere valeat, quantumvis bona fide apud illum confessus fuerit. Ita sentit Vasquez q. 93. art. 3. dub. 2. & multi alii apud Suarez in 3. p. tom. 4. disput. 26. sect. 6. & id ratione nititur. Quemadmodum enim æger qui malè ab imperito medico suæ sanitati consultum esse resciisceret, statim accersere teneretur alterum, (si vitam prorogare vellet) cujus peritiâ in pristinam sanitatem restitui posset: ita non est dubium, quin confessus apud imperitum Sacerdotem, apud peritum (si animæ salutem expetat) denuo confiteri teneatur.

Dico 3°. Pœnitens qui sciens & prudens committit se Confessario tenenti formam absolutionis, sed circa judicium de peccatis erranti, ita ut veniale putet quod est lethale, & vicissim lethale quod est veniale, confessionem ejusmodi homini factam repetere tenetur, non tam propter Sacerdotis imperitiam, quàm propter ipsius pœnitentis indispositionem & malitiam, qui cum lege naturali & divina ad peritum medicum adire teneatur, elegit imperitum quem falleret, & à quo vicissim ipse falleretur. Ita Adrian. q. 4. de Confess. circa finem, Navarr. Manual. cap. 9. n. 12. affirmat, posse prudentem Confessarium dignoscere, quando pœnitentis confessio, ob id quòd imperito Confessario facta fuerit, debeat iterari: *videlicet quando ipsum ipsiusque omnimodam ignorantiam novit, & ex discursu confessionis sibi factæ, id colligit, eo quòd in rebus gravibus, quas minimè ignorare debuisset, nullum remorsum conscientiæ aut scrupulum ingessit ipsi pœnitenti; veluti si simplicem fornicationem, vel omissionem sacræ communionis in Paschate, aut semel in anno, esse peccata mortalia, dijudicare non novit.* Hæc Navarrus.

Præterea imperitia Confessarii, cui facta confessio erit iteranda, deprehendi poterit ex eo, quòd pœnitentem ex vitioso habitu, atque adeo ex malitia peccantem, vel in aliis casibus absolverit, nec probaverit antequam absolveret. Quibus autem in casibus id observari debeat, uberius in sequenti quæstione pertractabimus. Inde sequitur, graviter peccare mercatores, & ad iterandam confessionem teneri, dum quærunt Confessarios imperitos, qui fraudes & versutias in factitanda mercatura usurpari solitas ignorent, ne pecunias doctis dolis emunctas restituere teneantur. Debent illi adire ad Confessarios, qui suas fraudes vel jam intelligant, vel certè inter confitendum declaratas intelligere, & cùm necesse fuerit, eos ad restitutionem obligare valeant. Alioquin lethali flagitio, imò sacrilegio sese inter confitendum devinciunt, & confessionem iterare, & iterando sacrilegium in ea superiori confessione admissum declarare tenentur.

Dico 4°. Nulla est & iteranda confessio, quæ fit schismaticis, hæreticis, excommunicatis, & suspensis & degradatis. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. in solut. quæstiunc. 3. *in omnibus prædictis* (schismaticis scilicet, &c.) *manet clavium potestas, quantùm ad essentiam, sed usus impeditur ex defectu materiæ: cùm enim usus clavium prælationem in utente requirat respectu ejus, in quem utitur, propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo subditus: & quia per ordinationem Ecclesiæ, unus subditur alteri; ideo etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subditus. Unde cùm Ecclesia hæreticos & schismaticos, & alios hujusmodi privet, (subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quan-*

De Sacram. R ij

tum ad aliquid) quantùm ad hoc, quo privati sunt, non possunt usum clavium habere. Ita sanctus Thomas.

Unde licèt excommunicatus v. g. possit validè, licèt illicitè, administrare quælibet sacramenta; non potest tamen, excepto uno necessitatis casu, validè conferre sacramentum pœnitentiæ: quod est præsertim intelligendum de excommunicato vitando, seu non tolerato. Et ratio à priori est, quia excommunicatus vitandus, caret jurisdictione, quæ ex Conciliorum definitione ad sacramentum pœnitentiæ validè administrandum requiritur. Unde confessio facta excommunicato vitando, necessariò repetenda est, & prætetea exprimendum est nominatim peccatum, quod pœnitens communicando in sacris cum excommunicato vitando admisit, nisi fortè eum inculpabilis ignorantia excusaret à peccato.

Prætetea confessio facta excommunicato vitando, est invalida & iteranda, etiamsi pœnitens eum esse excommunicatum ignoraret: quia sacramentum pœnitentiæ, sine jurisdictione nemini validè administrari potest: quâ cùm careat excommunicatus vitandus, neminem sacramentaliter absolvere potest. Ita passim Theologi.

Addunt nonnulli duplicem restrictionem. Prima est; modò confessio non fuerit facta in eo loco in quo ignorabatur Sacerdos esse excommunicatum, & ex communi errore ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote: tunc enim jurisdictionem ab Ecclesia suppleri asserit Suarez de Censur. disput. 11. sect. 2. n. 14. & alii. Secunda est, modò confessio non fuerit facta in articulo mortis: tunc enim validum est sacramentum, etiam ab excommunicato administratum. Ita Cajetan. v. *absolutio.* & alii passim.

Ex parte pœnitentis in multis casibus potest esse invalida & repetenda confessio. Itaque

Dico 5°. cùm examen jure divino confessionem sacramentalem antecedere debeat, & esse tam accuratum & diligens, ut per illud omnia & singula peccata mortalia, quantùm patitur humana fragilitas, in memoriam revocari possint: certum est, eam confessionem nullam & invalidam & repetendam esse, quam nulla vel perfunctoria dumtaxat conscientiæ discussio præcesserit. Nam omnes Theologi ad unum asserunt, cùm agitur de suscipiendo pœnitentiæ sacramento, tantam esse oportere inquisitionem in omnia & singula peccata mortalia, quantam in rem maximi momenti conferri necesse est. Accuratam hanc conscientiæ discussionem divino jure imperatam esse, convincit vel hæc una ratio: quo jure aliquod opus imperatur, eodem illo media præcipiuntur: atqui omnium & singulorum peccatorum mortalium confessio divino jure præcipitur: ergo & præmittendum confessioni sacramentali examen eodem jure divino imperatur.

Quisquis ergo ante confessionem non excutit conscientiæ latebras & recessus eâ diligentiâ, quam ad negotium gravissimum adhibendam esse vir prudens & cordatus judicaverit, non solùm divinum de præmittendo confessioni debito examine præceptum violat; verùm etiam invalidæ repetendæque confessionis sacrilegium admittit: eo quòd cùm nemo sine mediis finem assequi valeat, &, ut vidimus, prævium examen diligens & accuratum sit medium, ad validam confessionem faciendam necessarium, sequitur, nullam atque adeo repetendam esse confessionem illius hominis, qui vel nullam vel levem conscientiæ discussionem sacramentali confessioni præmiserit.

Unde indubitatum est, ejusmodi hominem teneri ad novam confessionem, tametsi suam in discutienda conscientia negligentiam aperuerit inter confitendum, & ab Confessario ab illa, sicut & ab cæteris peccatis, absolutus fuerit. Nam cùm debitam diligentiam & ad sacramenti perceptionem necessariam omittendo peccaverit mortaliter, non censetur eam adhibuisse, cùm suam illam inter confitendum negligentiam aperuit. Ita Navarr. cap. 9. Manual. & alii. Unde si certò noverit Confessarius, pœnitentem aientem se debitum confessioni examen præmisisse, mentiri, illi absolutio deneganda est; indignus enim est qui absolvatur, sicut & qui mentitur in alia re gravi, nihil obstante trito illo & pervagato axiomate: Confessarius tenetur stare dictis pœnitentis tam pro se quàm contra se: verum enim est illud axioma, nisi, ut observat Suarez disput. 25. sect. 10. n. 5. & Sylvester v. *Confessio.* 1. quæsito 8. n. 7. evidenter constet oppositum, & nisi indispositio pœnitentis explorata teneatur.

Dico 6°. Confessio ex solo timore pœnæ facta, invalida est, & repetenda. Ratio manifesta est, & inde petitur, quòd qui confitetur solo timore pœnæ, etiam inter confitendum retineat peccandi voluntatem, ut suprà ex S. Augustino probavimus. Ergo qui in eo affectu peccati confitetur, adeo confessionem validam non facit, ut ex sua confessione nihil aliud præter sua peccata, licèt Sacerdoti declarata, novo sacrilegii crimine cumulata referat. Certum est enim, peccandi voluntatem non adimi solo timore pœnæ, sed ali, sed augeri, & dumtaxat comprimi, ne in externa improbitatis opera prorumpat. Quod quidem cùm suprà ex SS. Patribus, & ex sancto potissimùm Augustino probaverimus affatim, in his non immoramur, ne actum agere videamur.

Dico 7°. eam confessionem esse nullam & repetendam, quæ contritione imperfecta destituta fuerit, id est caruerit quatuor conditionibus, sine quibus ne ipsa quidem imperfecta contritio (quam suprà veri nominis contritionem esse probavimus) ullatenus subsistere potest.

Primò imperfecta contritio, ut sit vera, exigit dolorem de peccatis, non naturalem, (ut quidam falsò & perperam asserere voluerunt) sed supernaturalem, id est præveniente sancti Spiritus inspiratione & auxilio conceptum, ut definitum est ab Concilio Tridentino sub anathematis interminatione, atque adeo de fide session. 6. canon. 3.

Secundò, eadem illa contritio exigit dolorem, qui non ex timore pœnæ, nec ex aliquo hominum respectu, sed ex sincero Dei amore proficiscatur, alioquin qui non diligit, manet in morte, 1. Joann. cap. 3. Adde quòd Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. vult hominem sacro fonte regenerandum, sicut & ab ipsa regeneratione lapsum, ita esse affectum, ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat.

Tertiò, nulla est contritio, etiam imperfecta, nisi amorem Dei super omnia, saltem inchoatum, contineat: alioquin qui Deum æqualiter cum creaturis, vel minùs quàm creaturas diligeret, eum quanta maximâ afficeret injuriâ, suum scilicet Creatorem & Deum vel creaturis æquipararet, vel etiam (quod est horrendum dictu) creaturis postponeret; atque ita perrumperet primum & maximum mandatum ab omnibus servandum, & præsertim ab ipsis pœnitentibus, quibus Scriptura nihil frequentius, nihil ardentius, nihil sanctius inculcat, quàm ut Dominum Deum suum toto corde quærant, & tota tribulatione animæ suæ, si vero illius inveniendi possidendique desiderio ardeant.

Quartò, imperfecta illa contritio includit firmum tam peccata, quàm eorum occasiones fugiendi propositum, alioquin nec verè doleret pœnitens, nec Deum sicut oportet, diligeret, nisi cum eo dolore & amore firmum ea peccata & occasiones (quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminit) fugiendi propositum ex animo conjungeret.

Quisquis ergo ad sacramentalem confessionem non attulit imperfectam illam contritionem quatuor illis dotibus ornatam, noverit suam illam confessionem nullam & invalidam & sacrilegam esse, & in nihil aliud, quàm suam in confusionem seriùs ociùs exituram, nisi alterâ diligenti, ferventi & verâ contritione comitatâ fateatur.

Si ergo vel una ex his veræ, licèt imperfectæ, contritionis dotibus ab sacramentali confessione adfuerit, ea est invalida & necessariò repetenda. Nam, ut antea prælibavimus, pœnitens vel in se defectum contritionis agnoscit & confitetur, vel non: si confitetur, quandiu ita est affectus, ut contritione saltem imperfectâ ad validam sacramenti perceptionem necessariâ careat, absolvi non potest. Neque enim potest Sacerdos eum absolvere, quem tam malè animatum & dispositum esse perspexerit: non potest, inquam, eum absolvere, quin sese summque pœnitentem immani sacrilegio devinciat. Si autem non confiteatur, non est integra ejus confessio, cùm hoc ipso quod confitetur, lethale flagitium admittat. Si verò defectum contritionis in se non advertat, ejusmodi inadvertentia non præbet necessariam sacramento materiam, quæ cùm desit, sacramentum nullo modo subsistit.

Hanc sententiam tradidere plerique Theologi, ut Adrianus quæst. 4. de Confessione, Major in 4 dist. 17. quæst. 9. Gabriel q. 1. Joannes Medina tract. 2. q. 20. de Confessione, Philippus Gamachæus olim Professor Sorbonicus cap. 21. de pœnit. Vasquez tom. 4. in 3. p. quæst. 92. art. 2. n. 13. Laymannus tract. 6. cap. de sactam. pœnit. Fagundez de 2. præcept. lib. 1. cap. 2. n. 2. & cap. 4. n. 13. lib. 2 cap. 7. eamdem illam tuetur sententiam cum multis aliis, quorum ibidem numerum pertexit.

Ex his inferuntur tria.

Primum est, sacramentum pœnitentiæ fictè, id est sine supernaturali dolore de peccatis in Deum admissis, seu sine vera contritione, saltem imperfectâ, esse prorsus invalidum, nullumque prorsus consequi effectum, etiamsi recedat fictio.

Secundum est, ejusmodi confessionem esse repetendam, ubi quis debitæ contritionis defectum animadverterit.

Tertium est, per ejusmodi confessionem præcepto nec divino, nec ecclesiastico satisfieri.

Dico 8°. eam confessionem esse nullam & iterandam, in qua pœnitens aliquod peccatum mortale, vel aliquam circumstantiam, vel speciem peccati mutantem, vel notabiliter duntaxat aggravantem, vel de industria, vel ex culpabili negligentia reticuerit.

Cùm enim pœnitens animi conscientiam Confessario ex divino Christi præcepto nudare, & omni ex parte reserare teneatur, tum ut remedia sanandis suis vulneribus idonea ab eo accipiat, tum ut satisfactionem suarum criminum multitudini & gravitati respondentem ab eodem injunctam impleat, neutrum sanè præstari posset à Confessario, nisi illi omnia & singula peccata mortalia, & circumstantiæ tam mutantes peccati speciem, quàm notabiliter peccatum intra eamdem speciem aggravantes, ab pœnitente fideliter aperirentur. Quod nisi faciat, dubio procul confessionem nullam & iterandam facit, & se constringit sacrilegio, quod in altera confessione necessariò declarandum est. Hac in parte conveniunt omnes Theologi.

Dico 9°. Confessio est invalida & iteranda, cum pœnitens ita est affectus, ut nolit vel acceptare pœnitentiam suis viribus accommodatam & peccati gravitati proportionatam, vel acceptatam impellere tenuat. Ratio ex eo petitur, quòd pœnitens Sacerdoti veluti Christo Domino in tribunali pœnitentiæ sedenti propositâ damnationis æternæ pœnâ in rebus ad salutem necessariis obtemperare teneatur, atque adeo acceptare quicquid ab eo ad exstirpanda extirpandaque peccata injunctum fuerit, si modo se eorum Deo implendæ ejusmodi satisfactioni parem esse noverit: sin secus, nefaria illa non satisfaciendi voluntas est peccatum lethale: quod si pœnitens declarat, absolvendus non est, & confessio valida esse non potest stante illo proposito, quamvis ei impendatur absolutio, quam dare, peccatum est grave danti & recipienti, ut egregiè docet Toletus Instruct. Sacerd. lib. 3. capite 10. n. 9.

Præterea certum est apud Theologos, satisfaciendi voluntatem includi in contritione: ergo ubi deest ejusmodi voluntas, deest pariter contritio, atque adeo sacramento deest integritas, quæ per veram contritionem & confessionem iteratam reparanda est.

Dico 10°. Ea confessio nulla est & iteranda, in qua pœnitens post ipsam confessionem & ante absolutionem admittit peccatum lethale, de quo neque contetur; neque confitetur: quod adeo certum est, ut nemo quantumvis imperitus, sacramentum cum peccati lethalis actu conjunctum esse validum asserere audeat. Illa igitur confessio invalida est & necessariò repetenda sicut & illa, in qua pœnitens mendacium circa lethale flagitium, aut circa circumstantias necessariò confitendas admiserit.

Dico 11°. Confessio, in qua pœnitens excommunicatus, prius voluntariè absolvitur à culpa, quàm ab excommunicatione, invalida est & iteranda. Ita S. Thom. in 4. dist. 18. art. 5. in solut. quæstiunc. 1. ad secundum.

Dicendum, ait, quòd cum excommunicatus non sit particeps sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absolvere excommunicatum à culpa, nisi sit prius absolutus ab excommunicatione. Ergo ex mente sancti Doctoris confessio excommunicati invalida est, & repetenda, si illum prius à culpa, quàm ab excommunicatione absolvi contigerit: nisi fortè excommunicatus habeat ignorantiam invincibilem juris, id est invincibiliter ignoret excommunicatum non posse confiteri; vel invincibilem facti ignorantiam habeat, id est invincibiliter ignoret se excommunicatum esse. Tunc enim validam esse confessionem asserunt Adrianus quæstiunc. 2. de confessione, & Paludanus dist. 18. q. 4 nam enim intendit Ecclesia, quæ contumaces duntaxat & rebelles ab fidelium societate segregat, ab sacramentorum perceptione eos arcere, quos invincibilis facti vel juris ignorantia penitus excusat, ut patet ex cap. *Apostolicæ de Clericor. excommunicat.*

Hæc conclusio intelligenda est de excommunicatione tam majori quàm minori excommunicatione; utraque enim ab sacramentorum perceptione hominem penitus excludit.

Quæstio XLVIII.

Quibus præsertim in casibus Confessarius absolutionem, vel omnino denegare, vel ad tempus differre debeat.

Antequam huic quæstioni respondeatur, operæpretium erit adscribere exordium, quo usus est S. Carolus Borromæus in 4. p. Act. Ecclesiæ Mediolan. ubi sic loquitur: *Ut Confessarii plenius instruantur, nec absolutionis beneficium iis impertiantur, qui revera eo sunt indigni: (id quod vel incuriâ vel negligentiâ, vel alia de causa sæpe accidit, ac proinde multi in eisdem semper peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum cùm sæcularium, tum Regularium diversorum Ordinum consensu, quædam quæ in frequentiori consuetudine*

agendi à Confessariis observanda erunt, inferiùs monuimus. Quandocumque verò ab iis pœnitentes vel absolvent, vel relinquent ligatos, volumus ut secundùm id quod infrà dicetur, sua consilia dirigant. Hoc posito,

Primus casus.

In quo vel denegânda, vel differenda est absolutio, pertinet ad eos qui Christianæ fidei rudimenta nesciunt, & ad patresfamilias, qui domesticorum suorum instructionem Christianam & mores negligunt. *Itaque*, ait sanctissimus Pontifex Carolus, *quandoquidem quilibet qui jam ad rationis usum pervenit, sub peccati mortalis periculo articulos omnes fidei scire & intelligere (saltem generaliter) teneatur, necnon Decalogum & sanctæ matris Ecclesiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in scholis cum Catechismo doceri solent: si Confessarius deprehendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea, quamcitissimè poterit, perdiscenda appositum, non debet eum absolvere: si verò ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen aliàs à Confessario, (sive ipsemet is sit, sive alius) vel speciatim à Pastore suo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari, ut commodiùs interroget) neque tamen studii tantum adjunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, ejusque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verùm si hac de re à nullo admonitus fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, ut eo tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absolvere.*

Secundò: si patres, aut matresfamilias fuerint, qui curæ suæ subditos, sive filios & filias, sive servos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerit) cùm rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non advigilant ut Decalogi & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod pejus est, ab eorum observatione eosdem prohibeant, ut faciunt qui servos & ancillas usque adeo occupatos diebus profestis detinent, ut propria necessitate urgente, diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, ut secundùm Ecclesiæ præceptum sacro officio Missæ interesse queant, aut qui nescientes quinam eorum qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscuè tempore quadragesimali, aut aliis jejuniorum diebus cœnam, vel tempore antemeridiano escam ante horam debitam in ædibus suis præbent, vel dari patiuntur: aut si quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt nec corrigunt: vel si servi corrigi nolint, & scandalo cæteris sint, è domo sua non quamprimùm eos ablegant. In omnibus his peccatis, nisi reipsa præstent officium suum negligentiamque in familiæ administratione commissam, quantum ad ea quæ dicta sunt, attinet, nec in posterum sese emendare promittant, nullo pacto eos absolvat: quòd si se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti unquam à Confessario vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absolvere: quòd si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tandiu absolutio differatur, donec promissa appareant, veraque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint. Hæc sanctus Carolus.

Quod spectat ad eos qui Christianæ fidei rudimenta nesciunt, duo Ritualia, Parisiense scilicet & Catalaunense, declarant eorum confessiones esse invalidas. Moneant, aiunt, frequenter Parochi suos parochianos, accedentes ad sacramentum pœnitentiæ, cum hac ignorantia fidei nostræ rudimentorum, omnino imparatos esse ac indispositos ad absolutionem consequendam, atque adeo confessiones eorum esse invalidas.

Secundus casus.

Deneganda est, vel differenda absolutio iis, qui cùm interverterint alienas facultates, nec in totum, nec in partem, etsi potuerint, restituere noluerunt. Tales sunt plerique brevissimo temporis spatio locupletati, qui scilicet contractibus fœneratitiis, fraudibus, dolosis litibus, aliisque malis artibus aliena rapuerunt, quibuscum sic agendum esse censent Theologi: si nusquam his de sceleribus sunt confessi, quorum tamen erant conscii, omnes præteritæ confessiones sunt proculdubio iterandæ, utpote quæ ad illud usque tempus cum immani sacrilegio conjunctæ fuerint. Quod cùm ritè præstiterint, & tunc primùm se aliena seu bona, seu famam restitutum ire fuerint polliciti, absolvi poterunt: sin autem aliàs, quod est diligenter inquirendum, se restituturos esse promiserint, nec steterint promissis, non sunt antè absolvendi, quàm promissa restituendo compleverint. Unde Bonacina de restitutione in genere disput. 1. quæst. 6. puncto unico, in 2. proposit. n. 18. sic loquitur cum Cajetano in Summ. v. *restitutio.* P. Navarr. lib. 4. cap. 4. n. 79. Reginaldus n. 226. Azorio 3. p. lib. 4. cap. 34. quæst. 4. & multis aliis apud ipsum Azorium. *Respondeo*, ait, *Confessarium non debere, regulariter loquendo, absolutionem impendere pœnitenti, qui sæpius eidem vel alteri Confessario promisit restituere, sed nondum realiter restituit, cùm posset commodè restituere, nec obtinuit dilatationem à creditore. Ratio est, tum quia non est absolvendus pœnitens, quandiu existit in proxima peccandi occasione; qui autem potuit, & potest commodè restituere, censetur existere in proxima peccandi occasione quandiu non restituit; cùm detentio rei alienæ sit illi causa peccandi, ut patet à simili, de illo qui domi retinet concubinam: tum quia Confessarius tenetur assumere media necessaria ad salutem pœnitentis; assumit autem medium ad salutem pœnitentis necessarium, non impendendo absolutionem, antequam pœnitens actu restituat: tum quia Confessarius ex præteritis omissionibus facilè potest præsumere, pœnitentem obtenta absolutione non restituturum, & non habere debitum dolorem & firmum propositum vitandi peccata.* Hactenus Bonacina loco citato, cujus verba exscribere placuit, quippe quæ duo pronuntiata latè patentia, & ad legitimam confessionum praxim mirè conducentia continerent, quorum

Primum est, nusquam absolvendum esse pœnitentem qui ab proxima peccandi occasione recedere noluerit.

Alterum est, denegationem seu dilationem absolutionis in proposito casu, ut & in similibus, esse medium ad pœnitentis salutem necessarium. His ita positis,

Tertius casus.

In quo vel omnino deneganda est absolutio, vel ad tempus differenda, accidit, cùm pœnitens, vel occultas, vel apertas cum proximo simultates exercet, & odia & inimicitias deponere abnuit. Nihil enim tam adversatur Evangelio, quàm susceptas offensiones oblitterare nolle. Unde Ecclesia semper ab sacris officiis & sacrificiis arcuit, ceu profanum vulgus eos, qui implacabili in proximos odio ardebant. Inde manavit 1. ille canon Nannetensis Concilii: *Ut Dominicis & diebus festis Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant: & si inventi fuerint, statim reconcilientur: quòd si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquequò ad charitatem redeant*

Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis, Sacerdotes Missarum solemnia ritè peragant. Hunc canonem legere etiam est apud Gratian. 9. q. 2. in Dominicis, & apud Ivonem Decret. p. 2. cap. 122. Inde facile colligere est, Ecclesiam nolle eos ad reconciliationis sacramentum admitti, qui cum proximis reconciliari noluerint.

Quinam autem sint hujusmodi pœnitentes, ex sequentibus indiciis facilè deprehendi poterit.

Primum est, cùm pœnitens profitetur se non malè cupere inimico, sed secunda in eum voluntate esse non posse, vel ei nec bene velle nec malè, nisi aperiendo mentem patefaciat se ei communia officia omnibus scilicet præstari solita exhibiturum esse, putà eum ex occursu salutaturum, pro illo oraturum, eique ad penuriam aut aliquam necessitatem redacto ex animo subventurum.

Secundum est, si ipse sit aggressor, & intulerit injuriam, sese subjicere, & ei quem læserit, satisfacere recuset.

Tertium est, cùm inter confitendum de eo, cum quopiam ardore hostilem adhuc animum & impetum redolente loquitur.

Quartum, cùm & ejus accessum & alloquium, imò & aspectum respuit, & omni conatu refugit, quod non proficiscitur ex naturali dissidio, sed ex prava quadam mentis affectione, quæ exeret sese, si de illo honorificè locutos audire nequeat, si in adversa ejus fortuna præ gaudio gestiat, vel cùm aliquam ejus mentionem quispiam injicit, iracundiâ effetatur.

Quintum, cùm ei communia & omnibus exhiberi solita urbanitatis & charitatis officia, ut fratris erga fratrem, vicini erga vicinum, quibus eum ante susceptas inimicitias pro sua conditione prosequebatur, impendere detrectat. Tunc citra dubium, id est, si vel omnia illa vel aliqua infestæ mentis indicia in pœnitente cernantur & appareant, absolvi nec potest, nec debet: nisi per aliquod tempus probatus, se cum proximo in gratiam rediisse, liquidò testatum faciat.

Quartus casus,

In quo differenda est absolutio, ex proximis peccandi occasionibus petitur.

Quas res cùm egregiè, supra quàm dici potest, explicet sanctus Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ipsissima ejus verba referre suffecerit. Sic itaque loquitur.

Deinde nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Porrò cùm è re Confessarii vel maximè sit, ut, quæ sunt eæ occasiones, perspicuè sciat, paulò de illis loquemur distinctiùs hoc loco.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eo quòd hujusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione confitens usque adeo ad peccandum allicitur, ut certè Confessarius metuere possit, quod ex perverso, quem diu induit habitu*, in posterum non magis abstinebit, quàm priùs à peccato, si in iisdem occasionibus versabitur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scilicet suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: artem profiteri tabellis carthaceis, vel aleis ludendi, domum tenere in hunc finem aliis paratam, aliquam, cum qua fit peccatum, vel apud se, vel apud alium suo rogatu fovere, vel quocumque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu, & similibus turpium amorum irritamentis. Itaque si pœnitentem iis aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam reipsa existat, veluti quòd concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius eum absolvere non debet, nisi priùs illam ipsam occasionem penitus abscindat.

In aliis verò ut aleâ ludere communiter, in venereis aspectibus diu esse, conversari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuntium remittere non polliceatur, vel si spondeat, aliàs tamen cùm de eodem fidem fecerit, nec vitam emendaverit, absolutionem differat usque eo dum emendationis quædam argumenta perspexerit. At verò cùm usu venire possit, ut ex omnibus quæ solers ac circumspectus Confessarius excogitaverit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his viis.

Primò absolutionis beneficium eo usque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè si absolutio citra aliquod illius periculum vel infamiam procrastinari possit, eáque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem promptitudinémque suscipiendi omnia quæ pro ejus emendatione necessaria Confessarius judicabit; quo tempore remedia hujusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna magisque necessaria apparebunt: v. g. præscribet ei, ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, aliquam corporis macerationem subeat, quodque præcipuum est, ut frequenter confiteatur, aliáque similia, quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolvi.

Contra verò si ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confessarius jamdiu adhibuit, non se emendaverit, non absolvatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod convenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, ut factum nobiscum expendat, ita tamen ut nulla fiat mentio peccantis.

Ecce tibi quid sentiat vir verè Apostolicus de proximis peccandi occasionibus, id est de rebus quæ ex natura sua suisve circumstantiis hominem ad peccatum lethale proximè disponunt & pertrahunt. Vides etiam quæ remedia hominibus in eas occasiones implicatis adhiberi oporteat. Hactenus explanatæ sunt occasiones primi generis, ad alias ergo transeamus.

Alterius generis occasiones, (verba sunt S. Caroli in Actis Eccl. Mediolan.) quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se liceant, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseveret: tales ob mundi corruptelam plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, magistratus obire, Advocati & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, fit sæpe ut vocibus blasphemis, furtis, injustitia, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ejusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem asciverint, ut conjectari liceat, si in iisdem officiis maneant, cùm se rursus eædem illæ oblaturæ sint occasiones, quòd fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponent, quàm hactenus fecerint, quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabentur. Omnes qui sunt ejusmodi secundùm D. Augustinum, vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia pii ac probati Sacerdotis non exerceant; qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quandiu in an-

tiqua consuetudine perseverat: sed æquum est ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur. Atqui hîc vigilandum est diligentiùs, quò manifestum est hac in parte Confessarios incuriâ suâ maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.

Exempli gratiâ, in magistratu adeundo & aliis officiis assumendis multa juramenta inveniuntur, quæ servari debeant, quæ tamen postea non servantur. Inter Consiliarios, Advocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id quod propria conscientia dictat faciendum. Idem fit in bello, ubi duellis locus datur, ubi odiis, homicidiis plena sunt omnia.

Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricii. Apud mercatores hæc regnant, usuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miscent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multoque pluris quàm pretium justum est, eas distrahunt, nec desunt perjuria, mendacia, vectigalium fraudulenta aversio, aliaque ejus ordinis permulta.

Plerique opifices festis æquè ac profanis diebus ita occupantur, ut nunquam neque cultui divino vacent, neque conciones frequentent, nec se solùm, sed ad similem modum totam distentam familiam habeant.

Quamobrem magno numero inveniet Confessarius inter eos qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia priùs accedat; quæ simul & ab involucris hujusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Quòd si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non est dubium, quin plures deprehendat, qui nunquam, ut oportuit, sacramento pœnitentiæ peccata sua expiatint: quod cùm fuerit ab eo animadversum, ostendat iis, prætereàquam quòd de emendatione majorem probationem facere debebunt, vel opificii genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Multò magis Confessarius circa ea officiorum actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel necessitatem reipublicæ vel utilitatem secum ferunt; quæ quamvis ex priori ordine rerum non sint, (illæ enim per se ad mortale peccatum inducunt, ac propterea necessariò à quovis homine quocumque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad malè agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus utplurimùm peccare mortaliter homines solent: qui quidem antè non debent absolvi, nisi animo ab ejusmodi rebus abalienato, illas ipsas penitus se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, cum promissionis intuitu absolvat; sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat, usquedum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo priùs vixerat.

Deinde monet, non esse absolvendos pœnitentes, antequam contractus illicitos, si quos fecere, resciderint, & pro iis omnino satisfecerint.

Ut autem hæc doctrina faciliùs conferatur in praxim, operæpretium fuerit indicare sigillatim personas proximis peccandi occasionibus utriusque generis irretitas.

1°. Igitur proximis peccandi occasionibus sunt implicati servi, ancillæ, aut aliæ personæ in iis ædibus versatæ, in quibus commoratur aliqua persona, quæ in causâ est, cur prolabantur in infanda carnis flagitia, in ea sæpenumero prolapsuri, nisi se inde quocumque tandem modo proripiant.

2°. Heri & heræ, qui cùm flagitia ab suis domesticis perpetrari solita resciscant, nec alterutrum, nec utrumque suis è domibus ablegant, imò utrumque sæpius apud se commorari patiuntur.

3°. Fœminæ & puellæ, quæ gradiuntur expanso reseratoque sinu, quæque, cùm sæpius admonitæ fuerint de malis per illam nudatæ cervicis immodestiam plurimis importari solitis, nihil propterea resipiscunt.

4°. Homines utriusque sexus qui celebrant domos, vel eos adeunt cœtus, in quibus in peccata carnis per obscœnas cogitationes, vel per prava desideria, vel denique per opera libidinosa sese impingant.

5°. Aleatores, qui eùm ludum depereant, eo facilè capiuntur, & inter ludendum non se comprimunt, quin hortendas in blasphemias, in rixas, in fraudes, & in similia iniquitatis opera prosiliant.

6°. Quotquot frequentes sunt in choreis, in saltationibus nocturnis, in comœdiis in quibus utplurimùm sese effundunt in pura carnis flagitia, in flagitiosa nempe desideria, in obscœnas cogitationes, in aspectus impudicos, & denium in libidinosas attrectationes. Et quamvis tanta inibi peccata non admitterent, Confessarii tamen ob peccandi pericula, quæ in his occasionibus adeunt, iis periculosis ejusmodi aberrationibus interdicere tenentur.

7°. Qui evolvunt libros hæreticos, aut amasios, quibus veluti quibusdam follibus propudiosi amoris ignes in improvidis juvenum præcordiis excitantur, vel jam excitati roborantur, & hac in parte eò criminosiores sunt, quò sæpius de ejusmodi lectionum periculis admoniti fuerint.

8°. Qui lascivas habent imagines, quarum aspectu vel ipsi, vel alii ad obscœna & libidinosa quæque facinora provocari valeant. Hoc enim plerisque accidit, quod olim contigit adolescentulo, quem Terentius inducit proponentem sibi Jovem ad exemplum stupri, dum spectar tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium, quemdam imbrem aureum, fucum factum mulieri, & vide quemadmodum se concitat ad libidinem quasi cælesti magisterio: At quem Deum, inquit, qui templa cæli summo sonitu concutit? Ego homuncio id non facerem? ego verò illud feci ac libens. Hæc Augustinus lib. 1. Confession. cap. 16. Unde paret quàm periculosæ sint tabellæ fœdarum libidinum imaginibus adumbratæ.

9°. Popinones qui totos dies sorbillando extrahunt, & sese ad ebrietatem usque, mero ingurgitant, admittunt peccata lethalia, in blasphemias, & inficeta verba prorumpunt, & prætetea furari, & malas artes exercere solent, vel suas familias ad penuriam adigere, ut suis compotationibus sumptum suggerere valeant. Hujuscemodi homines indigni sunt omni absolutione, nisi per longum tempus bene probati, omnem popinationum occasionem penitus absciderint.

10°. Ad hoc personarum in assiduis peccandi occasionibus

casionibus versantium genos revocari possunt personæ quædam publicæ, quales sunt hi Parochi, Judices, Medici, Pharmacopolæ, Chirurgi, & alii id genus homines, qui cùm sint imperiti, atque adeo suis officiis & muneribus impares versantur in continuo peccandi periculo: nullum enim propè momentum intercurrit, quin proximo gravem injuriam suâ imperitiâ inferre valeant. Ideoque nemo eos in proxima peccandi occasione nunquam non degere, nemo vel mediocriter doctus inficias ierit.

IIo. Ancillæ quæ cùm sint prostratæ apud herum pudicitiæ, versantur in proxima, eaque continua peccandi occasione; ideoque nullatenus absolvi possint, quin heros sui corruptores omnino deserant, & ex eorum domo sic tanquam ex lupanari sese celerrimè proripiant. Quem casum proponere & solvere placuit, ut appareret quàm horrenda esset sententia quorumdam Theologorum aientium, ejusmodi ancillas ex flagitiosis illis ædibus egredi non teneri, si debiti stipendii dispendium jacturamque vel patiantur vel passuræ videantur. *Dictum est suprà*, ait nonnullus, *quòd nullus teneatur occasionem proximam vitare cum magno suo detrimento, nec tunc dicetur velle occasionem, vel permittere, cùm non abigere occasionem non oriatur, quia velit penitus in ea permanere, sed quia velit non incurrere damnum, quod abjecta occasione obveniret.* Quæ si vera sint, jam ex lege tam veteri, quàm nova, expungendum est primum & maximum divinæ dilectionis mandatum; ex Evangelio pariter eradendum est divinum illud Christi Domini oraculum: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ipsum denique Evangelium penitus est obliterandum.

Huic igitur propositioni & similibus gravem censuram inussere nostrates Episcopi, qui teterrimam Casuistarum Apologiam omnem omnino licentiam in disciplinam morum invehentem, suarum censurarum fulmine perculerunt. Sic enim loquitur Synodus Senonensis ex istius Apologiæ occasione advocata, in censura 26. Hæ propositiones quæ præposterâ in peccatores indulgentiâ in proximis illos peccandi occasionibus hærere sinunt, falsæ & perniciosæ sunt, expressis summorum Pontificum definitionibus adversæ, ac palam evangelico præcepto refragantur, quo manum & pedem amputare, oculum eruere jubemur, cùm nobis scandalum & peccandi occasionem afferunt. Quod verò Author asserit ultimam ex illis posse usu Ecclesiæ probari, impium & scandalosum est. Ita loquuntur omnes alii Antistites, qui uno consensu Apologiam pestiferis quorumdam Casuistarum placitis redundantem episcopali judicio reprobarunt.

Ex sanctissimis & æquissimis tanti Præsulis (S. Caroli) documentis tria maximi momenti effata colligere necesse est, quorum

Primum est, maximè culpandam esse coram Deo Confessariorum incuriam, qui persuasum habent se suas partes luculenter obiisse, si modò audierint obvios quosque, & iis properatam absolutionem impenderint. Quod certè apprimè criminosum est, siquidem vir Apostolicus S. Carolus profitetur, inde manasse tot peccata, quæ omnes in artes hisce temporibus ita grassantur, ut nulla jam citra salutis jacturam & dispendium ab ullo factitari posse videatur. Stupenda sunt ejusmodi verba, digna sanè quæ cunctis Confessariorum tribunalibus inciderentur, ut eorum beneficio meminissent, quanta sint suscepti officii momenta, quámque gravia sint errata, quæ ibi falsâ, imò crudeli clementiâ committuntur. Verùm ad deploranda tot tantaque mala verbis aptiores sunt lachrymæ, quæ profectò hîc pondera vocis habere debent, si unquam habere vel debuerunt vel potuerunt.

Alterum occurrit seriò considerandum, sanctum nempe Carolum meritò (cùm morborum causas contrariis remediis profligare oporteat) judicasse ad compescenda paulatim flagitia (quibus aditum Confessariorum incuria patefecerat) nullam rat onem suppetere meliorem, quàm si coërceretur inconsiderata illa facilitas absolvendi teterrimos quosque peccatores, quos sanctiùs postea victuros nulla omnino ratio suaderet, & astringerentur Sacerdotes ad postulandos & recognoscendos veræ emendationis & pœnitentiæ fructus, antequam eos prolatâ reconciliationis sententiâ divinam in gratiam, & amicitiam restituerent.

Tertium est ex his tanti Episcopi verbis inferendum. Homo scilicet Dei docet, eos, qui fortiorem animum ad resistendum peccatis (quibus ex sua conditione irretiuntur) non sunt oppositiri, esse cautaturos suum illud negotium vel officium in peccatum pertrahens, penitus abjicere oportere, vel certè illud cum maturo probi Sacerdotis consilio, & ingenti præcautione exercere. Revera alterutrum præstandum est, ita ut si nolint præstare primum, præstent saltem secundum; id est, negotium vel officium suæ saluti contrarium vel abjiciant, vel sub moderamine boni Sacerdotis exerceant; quod quidem si præstiterint, sequentur saluberrimum istud consilium quod tantum momentum habet ad regimen animarum, quod non excogitavit ipse S. Carolus; illud enim ab omni ævo Ecclesia velut immobilem regulam habuit, à qua qui deflecterent, eos suis in Conciliis falsâ pœnitentiâ decipi declaravit.

Id patet ex pluribus Conciliis.

1°. Ex II. Concilio Lateranensi generali decimo celebrato sub Innocentio II. anno Redemptoris 1139. cujus canon 22. est in hæc verba conceptus: *Sanè quia inter cætera unum est quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur, &c. Falsa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prævalet.*

2°. Idem constat ex Concilio Romano V. sub Gregorio VII. anno Redempt. 1078. celebrato, cujus est cap. 7. *Quicumque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, cognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia, vel negotium relinquat, vel officium deserat.*

3°. Illud ipsum declarat Concilium Melfitanum in Apulia tempore Urbani II. Papæ, anno Redemptoris 1090. celebratum. Sic enim loquitur canone 16. *Falsa fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccatis agi nulla ratione prævalet.* Totus canon ille idem omnino est cum canone 22. Concilii Lateranensis.

Illud ipsum antea docuerat S. Gregorius Papa I. hom. 24. in Evang. his verbis: *Sunt enim pleraque negotia quæ sine peccato exhiberi aut vix aut nullatenus possunt: quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.* Hæc ibi S. Gregorius. Ex quo sicut & ex citatis Conciliis discendum est, ea officia vel negotia quæ in se bona & licita sunt, esse omnino deserenda ab iis qui illa citra lethale flagitium exercere non potuerunt, & nequeunt.

Ut autem Confessarius in ejusmodi occasionibus agnoscendis resecandisque castè & integrè versari valeat, non abs re fuerit hîc quasdam ascribere regulas, quas ab viris singulari pietate & præcipuâ in regimine animarum experientiâ præditis, accepimus.

Prima regula

Est hujusmodi. Non semper peccat, qui incurrit in proximam peccandi occasionem: qui enim inconsultò fortuitoque incidit in illam, nec prævidere potuit, & in eam implicatus, statim explicat & extricat sese, vacat omni culpa; sin autem animo prospicere potuit & debuit, seque segniùs & negligentiùs habuit in ea declinanda, semper aliquod peccatum, pro ratione negligentiæ levius, aut gravius, admiserit.

Secunda regula.

Semper quilibet commoda temporalia ad effugiendas peccati occasiones sibi abjudicare debet, ut constat ex evangelico illo pronunciato Luc. 9. v. 25. *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?* Unde teterrima docent, qui contendunt, posse quempiam navare operam rebus illicitis, dummodo inde commodum aliquod temporale capiat. Unde non excusantur, qui necessitatis obtentu gravibus sese flagitiis obstringunt. Neque enim Christianos decet necessitatis nomine scelera pretexere, quibus una non peccandi necessitas incumbit. Si quis dicat sibi præsentissimam imminere mortem, nisi per quippiam illicitum sibi consulat; audiat aientem Christum Joann. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, (* vitam *) perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Tertia regula.

Non est absolvendus pœnitens, qui sibi satis virium suppetiturum ire, & se divinâ gratiâ munitum, non ulteriùs ad præterita peccata rediturum esse fiserit; tametsi in ipsa peccandi occasione remaneat. Ejus enim spei vana est fiducia, & impetus animi suis viribus arrogantiùs confisi. Ideoque ille tentat Deum, qui cùm voluntariè in ipsa peccandi occasione commoretur, sese tamen ab peccato immunem fore perperam existimat. Cùm econtra Spiritus sanctus disertè pronuntiet, virum amantem periculum, in illo periturum esse. Huc accedit quòd secundùm Scripturas Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam: quo igitur titulo superbus ille plus æquo sibi suisque viribus tribuens, dum in ipsa peccati occasione sponte & ultro hæret, divinam obtinebit gratiam, quam illi, ejusque similibus Spiritus sanctus denegandam esse prædicat.

Quarta regula.

Non est impendenda pœnitenti absolutio, statim atque peccandi occasionem deseruit, & verè & ex animo deseruit; sed necessum est judicare Confessarium, an subsit legitima metuendi causa, ne reconciliationis gratiâ donatus sese illâ ipsâ denuò irretiat, & si deprehendat non inanem esse metuendi causam, justo temporis spatio ejus animum exploret.

Quinta regula.

Confessarius non potest nec debet absolvere herum, qui ancillam suæ libidini servientem, ejicere recusaret, eo nomine, quòd familiæ suæ commodis mirabilem in modum consular: ita ut illa exeunte totam familiam summâ rerum omnium penuriâ conflictari & confici oporteat.

Convincendus est ejusmodi vir efficacissimis verbis Christi aientis Marc. 9. v. 42. *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et v. 44. *Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et v. 46. *Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Christus hisce oraculis, ut interpretantur sancti Patres, nihil aliud præcipit, quàm secedere ab hominibus quantumvis propinquis & necessariis, qui nobis sunt offendiculo, nosque suis dictis vel factis ad peccatum incitant. Cùm enim divinæ charitati & nostræ saluti nihil anteferre debeamus, nullum tantum esse potest, aut debet impedimentum, quod procurandæ salutis gratiâ removeri non oporteat, undecumque id est, ab quibuscumque personis nobis vel instar manuum ac pedum necessariis, vel ad instar oculorum charis oriatur.

Sexta regula.

Non sunt pariter absolvendi, qui dicunt: Libenti animo ab hac occasione recederem, abstinerem libenter ab hac consuetudine; sed si abstineam, aliquid inesse mali plerique omnes suspicabuntur, inde mihi dedecus imprimam, vel infamia in alteram personarum mearum libidinum consciam redundabit. Sic enim hac in parte Confessarium ratiocinari necesse est: Vel plerique omnes vestram illam familiaritatem nefariam & cum scelere conjunctam esse credunt, vel non: si credunt, prompta vestra discessio & separatio minus scandali afferet: si non credunt, non est verendum, ne vestra illa disjunctio vobis detrimenti quippiam inferat. Sed esto homines in alicujus mali suspicionem adducat vestra illa disjunctio; nemo est quin suspicionis etiam teterrimæ & turpissimæ timori salutem suam anteponere teneatur. Satius enim est coram hominibus in hoc sæculo paululum erubescere, quàm in altero coram Filio hominis, & Angelis ejus æterno pudore suffundi.

Septima regula.

Si fortè Confessarius incurrat in pœnitentes, qui non sint sui juris, & quibus ab invicem discedere non sit liberum, quales sunt frater & soror, aut alii genere proximi, qui in eisdem ædibus commorati peccata carnis admittant, excogitet aliquam rationem & viam quam capessant pœnitentes, ut è paternis ædibus exeant: quibuspiam v. g. humili genere natis suadeat, ut curent esse in famulatu apud aliquem, vel aliquam addiscant artem: si sint illustriori familia oriundi, aliquò proficiscantur studiorum causâ, cujuspiam peregrinationis iter aggrediantur, vel aliquam ineant vivendi rationem, qua patrium solum deserere cogantur. Si id fieri nequeat, omni illis familiaritate interdicat, prohibeat severè ne unquam remaneant soli, nec solus colloquatur cum sola, id est nullum unquam commercium remotis arbitris habeant. Præterea crebras iis injungat preces, hortetur ad singularem Christi Domini & Deiparæ amorem, & ad præcipuam erga utrumque pietatem: nullum enim ad extinguendam fœdæ libidinis flammam adjumentum Christi merito efficacius, & Deiparæ præsidio præsentius excogitari potest. Injungat etiam ipsis crebram confessionem factitandam, ut eorum in pœnitentia progressus & regressus exploratos habeat, & tandem bene probatos, & ex tenacissimis occasionum peccatorumque vinculis ex-

tricatos ad reconciliationis gratiam & ad cæleste divini corporis convivium admittat.

Quintus casus,

In quo differenda est absolutio, pertinet ad eos, in quorum animis lethale flagitium per varios actus diu repetitum, altissimas egit radices, ita ut non nisi ægerrimè extirpari valeat. Qua de re ita S. Carolus loco citato: Differenda est absolutio, donec aliqua correctio appareat iis pœnitentibus, quos verisimile est ad eadem peccata redituros, quicquid contrà affirment. Cujusmodi sunt præsertim juvenes otio utplurimùm dediti, qui majorem vitæ suæ partem conterunt in ludis, comessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, blasphemiis, detractores, turpiloquio addicti, innumerisque id genus vitiis, qui semel tantùm quotannis, sub finem Quadragesimæ sese Sacerdoti sistunt ad confessionem, sicut & universim omnes qui per plures annos in iisdem peccatis perseverant, abjecto omni correctionis studio.

Ista sanctissimi Antistitis regula duo nobis apprimè consideranda proponit, quorum primum est, conversiones parum stabiles nullas & falsas ut plurimùm existimari, vel certè falsitatis nomine admodum suspectas esse. Et hæc consideratio nititur iis verbis, quibus decernit, differendam esse absolutionem iis pœnitentibus, quos verisimile est ad eadem peccata redituros: quasi diceret, non esse dijudicandam pœnitentiæ veritatem ex eo, quòd pœnitens affirmat sese peccatum velle omnino deserere, nec id sufficere, sed præterea requiri, ut judicet Sacerdos, ipsum pœnitentem in eo proposito strenuè constanterque permansurum esse, nec ad eadem, de quibus confitetur, flagitia reversurum. Quod cùm unâ dumtaxat experientiâ, per opera scilicet prospici & dignosci queat, ideo vir sanctissimus judicat sæpenumero differendam esse absolutionem, donec pœnitens veram sui conversionem per sanctioris vitæ opera testatam faciat.

Quæ quidem pœnitentium probatio cùm nostra hac ætate apud plerosque obsoleverit, in eam incidimus corruptelam, quæ plerosque Hispanos exeunte sæculo sexto infecerat. Volebant scilicet hanc invehere consuetudinem, ut peccata iterarentur impunè, & omnibus promiscuè absolutio impenderetur; quam corruptelam canon 11. Concilii Toletani III. sub Pelagio II. celebrati saluberrimè compescuit. *Quoniam comperimus*, inquit, *per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundùm canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbytero pœnitentiam expostulent: ideo pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio jubetur, ut secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia.*

Hujus canonis vim & authoritatem ut eliderent nonnulli, verba Christi Domini non septies dumtaxat, sed septuagies ignoscere præcipientis, suam in sententiam detorquere voluerunt: quasi præcepisset Christus non solùm quibuslibet Christianis, verùm etiam Sacerdotibus, etiam in pœnitentiæ tribunali sedentibus, toties pœnitentes absolvere, quoties in sua flagitia, quantumvis lethalia & atrocia, revolverentur. Quod esse falsissimum & ab Christi Domini mente protsus alienum, ne ipsi quidem recentiores ignorare potuerunt. Istum enim locum Math. cap. 18. v. 2. explicans Maldonatus Jesuita sic loquitur: *Quâ sententiâ non docentur Sacerdotes absolutionem sæpe peccantibus temere dare, sed docentur offensi semper ad ignoscendum parati esse.* Hæc ille & verè & solidè. Ac reipsa quidem hunc esse germanum istius loci sensum tradit S. Joannes Chrysostomus, Euthymius, & optimis S. Augustinus serm. 15. cap. 2. in Evangel. secundùm Matth. *Audeo, audeo dicere*, ait, *ut etsi septuagies octies peccaverit, ignoscas: si autem peccaverit, ut dixi, septuagies octies, ignosce; & si centies peccaverit, ignosce. Et quid dicam toties & toties? omnino quoties peccaverit, ignosce. Ergo ego ausus sum supergredi modum Domini mei? ille in septuagesimo & septimo numero ignoscendi limitem fixit: hunc ego limitem transilire præsumam? Non est verum, non sum ausus plus aliquid. Ipsum Dominum meum audivi loquentem in Apostolo suo, ubi modus & numerus præfixus non est. Ait enim: Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis. Audistis formam, si septuagies septies peccata tibi Christus donavit, si huc usque ignovit, & ultra negavit, pone & tu limitem, & ulteriùs noli ignoscere. Si autem Christus millia peccata peccatorum invenit, & tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam, sed posce illius numeri solutionem: non enim sine causa Dominus, septuagies septies, dixit, cùm omnino nulla culpa sit, quam non debeas ignoscere.*

Ex S. Augustini loco patet, hæc Christi verba intelligenda esse de quibuslibet privatis, quos vel mille contumeliis inquinatos, omni maledicentia lacessitos, omni denique injuria violatos, ignoscentissimos esse necesse est, & revera ignoscere non usque septies dumtaxat, sed usque septuagies septies. Quasi Christus (qui nos jubet in his quæ committuntur in nos, esse facillimos ad veniam) diceret: Non dico, ignoscendum esse usque ad offensam septimam, sed usque ad septuagies septimam & septies sepmagesimam, ut ignoscentiæ Christianæ nullum modum statuendum esse, nullum tempus definiendum, nullum denique numerum præscribendum esse declararet, imò fratri quoties peccaret in nos, toties ex animo præciperet esse condonandum; atque ita omnem ulciscendi libidinem ex Christiano corde stirpitus avelleret.

Hæc igitur Christi verba ad privatosquosque Christianos pertinent, non ad Sacerdotes, quatenus sunt clavium potestate præditi, & in pœnitentiæ tribunali judices constituti: quo enim pacto eos sese in reconciliandis peccatoribus gerere oportet, suo ipse Christus docuit exemplo. Cùm enim paralyticum veram peccatoris effigiem & miseriam in se referentem in pristinam sanitatem restituisset, de peccatis seriò vitandis pejus quippiam interminatus admonuit. *Ecce*, inquit, *sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Joan. 5. v. 14. Sic & compellat mulierem in adulterio deprehensam: *Nec ego te condemnabo: vade, & jam ampliùs noli peccare.* Joann. 8. v. 11.

Ex his Christi tam verbis quàm factis, Ecclesia omnibus retro sæculis constantissimè docuit, eos dumtaxat reconciliationis gratiâ donandos esse, qui sua crimina lugerent, detestarentur, fugerent, & admissa nusquam per divinam Salvatoris gratiam admittenda, debitâ pœnitentiâ expiarent. Unde SS. Patres non censuerunt eos verè ad Deum esse conversos, qui hodie confessi, cras in sua flagitia relaberentur, imò veluti canes reversos ad vomitum abegere procul, & ab participatione mysteriorum ablegarunt.

Unde S. Isidorus Hispalensis lib. 2. Sentent. cap. 16. ita ejusmodi homines adumbrat. *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: nec videtur poscere Deum subditus, sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum est pœnitens ad peccatum: multi enim lachrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt: quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam & effectum pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantiâ mentis, nunc recordatione peccati lachrymas ad pœnitentiam & effectum pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantiâ mentis, nunc recordatione peccati lachrymas fundunt, nunc verò reviviscen-*

re usu, ea qua fleverant, iterando committunt. Et paulò infrà: *Animam pœnitentem, atque iterum delinquentem sermo divinus increpat dicens: Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Quisquis ergo culpas præteritas plorat, hunc necesse est modum teneat, ut sic admissa defleat, ne iterum flenda committat.*

Ille ipse sanctus Isidorus eodem lib. 2. cap. 13. affirmat, hominem peccata deflentem, & ea denuo admittentem, fieri pejorem quàm antea. *Ille,* inquit, *pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat: nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum, quem quantò magis eluerit, tantum ampliùs lutum facit.* Hæc ille.

Reveta multi ex nostri hujus sæculi pœnitentibus sceleratiores sunt iis, de quibus prædicat S. Petrus Epist. 2. cap. 2. v. 20. 21. & 22. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

Ex his facillimum est colligere, pœnitentes in sua scelera identidem revolutos meliùs sibi consulturos, si nullam agerent pœnitentiam, imò si tot sceleribus & sacrilegiis continuò in sua flagitia relapsu non alligarent sese, nec pœnitentiæ sacramentum ad omnium salutem institutum in suam ipsorum perniciem converterent.

Nam ut sæpe homines ægri morbo gravi, primò relevari videntur, deinde multò graviùs vehementiusque affliguntur: sic ejusmodi pœnitentes si ad Sacerdotis pedes fuerint advoluti, sibi relevati videntur, at eorum peccata veluti lethales quipiam morbi in eorum corda grassati vehementiùs ingravescunt: atque ita sæpenumero sunt æquiparandi perditissimis hominibus, quos nec pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaret.

Ergo si ex mente Principis Apostolorum, qui agnita veritate, vel semel ad priora peccata redeunt, pejores sunt quàm erant antea, dubio procul longè sceleratiores erunt, qui susceptâ sæpe pœnitentiâ ad priora sese flagitia referunt. Quod insigniter explicat S. Gregorius 3. parte Pastoral. Curæ, admonit. 31. *Admonendi sunt,* inquit, *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cùm idcirco se lachrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est, Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Canis quippe cum vomit, profectò cibum qui pectus deprimebat, projicit; sed cùm ad vomitum revertitur, unde levigatus fuerat, rursum oneratur. Et qui admissa plangunt, profectò nequitiam, de quâ malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo projiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt. Sus verò in volutabro luti, cùm lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit, quia & ipsam quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam lachrymas facit.* Hæc S. Gregorius.

Ex allatis & probatis hactenus meridiano sole clariùs & illustriùs apparet, quanti facere oporteat plurimorum pœnitentiam, quorum improbitas per aliquot horas vel fortè dies intervallatur, at graviùs quàm antea recrudescit; cùm scilicet de gravissimis & sæpe repetitis sceleribus confessi, ab iis brevissimo temporis spatio abstinent sese, ut in eadem ipsa, à quibus se recessum ire apud Sacerdotem sanctissimè juraverant, majori quàm antea impetu revolvantur.

His de causis alterum accuratè nobis expendendum ab eodem sanctissimo Præsule offertur: abrogandam scilicet esse omnem fidem obstinatis peccatoribus, quantacumque pollicitis, nisi efficacia infucatæ emendationis argumenta præbuerint.

Quicquid igitur pervicaces ejusmodi peccatores afferant, iis deneganda est, vel certè differenda absolutio, donec ediderint sinceros veræ conversionis & pœnitentiæ fructus, ex quibus eos omnem omnino peccandi affectum abjecisse pelluceat.

Ea sanctissimi Præsulis verba docent nos gravissimam hanc veritatem, potestatem scilicet Sacerdotis non esse suspensam ex pœnitentis verbis & pollicitationibus: ita ut, si rectè dijudicare velit, an quempiam reconciliationis & absolutionis gratiâ donari, vel ab ea excludi oporteat, debeat adhibere facem discrepantem ab eo lumine, quod ipsi aliquot verba pœnitentis, eaque fallacia, & evanidæ protestationes suggererent.

Nam arrogantia, & impœnitentia hominum hoc nostro sæculo eò processere, ut plerique persuasum habeant, sibi absolutionis gratiam non posse denegari, si modò sua peccata, voce ad historiæ memorandæ sonum inflexa, numerando percensuerint, & unis duntaxat labris emendationem fuerint polliciti. Ita ut reconciliationis gratia non solùm iis non denegari, sed nec citra injustitiam in alterum diem rejici protrahique valeat. Et profectò usurpatæ jurisdictionis nomine ad superiorem provocarent judicem, nisi nanciscerentur deceptores Confessarios, qui damnatam aliorum severitatem intempestivâ improvidâque clementiâ sarcirent, sive eluderent.

Quisquis ita sese gereret in pœnitentiæ tribunali, institutum à Christo Domino ordinem labefactaret: subjiceret quippe medicum ægroto, pastorem ovi, reo judicem. Præterea reos, & ideo judicandos, protruderet ad illud ipsum tribunal, è quo legitimos judices, Sacerdotes nempe detruderet: protereret denique pedibus immortalia Christi redivivi verba, per quæ Apostolis eorumque successoribus divinam peccata remittendi retinendique potestatem impertiit. Nam semper remitteret peccata, & nunquam eadem illa ad tempus vel propter pœnitentiæ immaturitatem, ut paulatim perficeretur, sive omnino propter impœnitentiam retinenda, retineret.

Si quis igitur sanctissimis S. Caroli regulis aliquid contrarium ab plerisque Confessariis sua, non quæ sunt Jesu Christi, quærentibus, factitari videat, detestetur factum potius, quàm sumat exemplum, ut in simili propemodum occasione loquitur Hilarus Papa Epist. 4. ad Episcop. diversar. provinciar. Galliæ. Si pœnitentes qui susceptam publicè pœnitentiam intermiserant, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti vitæ se sæculari conversationique reddiderant, non solùm à communione divinorum sacramentorum, sed etiam à conviviis fidelium submovendos esse decernunt veteres Synodi, ut patet ex can. 3. Concilii Venetici anno Redemptoris 465. celebrati, & ex canone 11. Concilii Aurelianensis I. anno Redempt. 511. habiti: quid statuerent nostris hisce temporibus eadem illa Concilia? Nonne decretis severioribus & Sacerdotum suo ministerio servili animo fungentium ignaviam, & impœnitentium opportuna recidendis suis sceleribus remedia recusantium, cæcitatem perfidiamque compescerent? Veros Christi Sacerdotes dubioprocul sancitas ab sancto Carolo regulas in excipiendis confessionibus servari accuratissimè juberent.

Debent ergo Sacerdotes Domini probare pœni-

rentes, & eorum conversionem non per verba tantùm, sed etiam per opera declaratam intueri : quod necessariò factitandum est, ubi primùm pœnitentem in eadem peccata lethalia jam tertiò relapsum esse viderit. Ita statuit sanctissimus Pontifex his verbis : *Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, eum promissionis intuitu absolvat. Sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat, usquedum reipsa videat pœnitentem ab omni peccato recessisse, in quo antea vixerat.* Ut autem Confessarius bellè & faciliter pœnitentes probare, & utrum ad reconciliationis gratiam sese rite disponant, perspicere valeat, proferendæ sunt aliquot regulæ, quarum adjumento veram eorum conversionem explorare poterit. Sit itaque

Regula prima.

Tunc optima futuræ conversionis indicia præbebit pœnitens, cùm ad extirpandas suorum scelerum causas toto pectore incumbit. Id esse certum veræ pœnitentiæ argumentum, ipsi etiam ethnici prodiderunt. Unde Lyricus lib. 3. carmin. Ode 24.

Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa, & tenera nimis
Mentes asperioribus
Formanda studiis.

Quasi diceret : Si verè nos flagitiorum pœnitet, & animum ad sanctiorem vivendi rationem seriò convertere volumus, necesse est, ut ipsa elementa, seu malarum cupiditatum primordia radicitus è pectoribus nostris extrahamus. Quam veritatem si ex Ethnici ore excipere nolles, eam tibi sanctus Bernardus vehementiùs inculcaret. Sic enim loquitur sermone 2. de Assumpt. beatæ Virgin. cap. 6. *Dicit quia dives sum, & nullius egeo, cùm sit pauper, miser, & miserabilis. Nam & inventa occasione ebullire saniem, qua latebat in ulcere, & excisam, non extirpatam arborem, in silvam videas pullulare densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos.* Vult scilicet S. Bernardus eos in gravissimo salutis negotio frustra laborare, qui ab externis dumtaxat peccatis abstinent sese, nec regnantem intus cupiditatem, (è qua velut è teterrima radice tot peccata identidem, imò in singula momenta fruticantur & pullulant) penitus excidere moliantur.

Secunda regula.

Non absolvendus est peccator, statim atque rariùs in peccata peccandi consuetudine animo altiùs infixa cadit, in quæ tamen identidem relabitur. Non potest, inquam, ejusmodi pœnitens citra periculum absolvi. Nam illi in peccata lethalia relapsus, etsi rariores, hunc hominem nondum in pristinam sanitatem restitutum esse liquidò declarant. Quis enim dicat, eum penitus ex epilepsia seu morbo comitiali esse recreatum, qui semel dumtaxat in mense totius corporis convulsionem non perpetuam cum mentis & sensuum oblæsione patitur, cùm antea ter in hebdomada eadem illa convulsione conflictaretur ? Sancti Patres nunquam non falsam pœnitentiam esse prodiderunt eam, in qua quis relaberetur in eadem crimina, ad quæ expianda pœnitentiam susceperat. Unde legere est apud S. Ambros. serm. 34. apud Hieron. in Psalm. 118. apud S. Gregor. hom. 34. in Evang. apud S. Eligium homil. 8. 11. & 16. apud Ivonem, & alibi pervulgatum istud axioma : Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

Hac de causa Gregorius VII. qui circa sæculum XI. regebat Ecclesiam, anno 1079. coëgit Concilium in Britannia ad exterminandos abusus, qui Sacerdotum passim homines suis in sceleribus citra ullam emendationem hærentes absolventium, incuriâ & imperitiâ in eam provinciam irrepserant.

Illum ipsum Gregorium VII. Pont. Max. falsas pœnitentias expostulantem audire juvat : *Sacerdotalis culminis dignitas*, ait lib. 7. Epist. 10. *tum imperitiâ, tum negligentiâ Sacerdotum, (sicut vestra dilectio novit) ex longo jam tempore peccatis exigentibus fuit collapsa. Ex qua quidem re, quasi ex pestifera radice innumera mala exorta sunt, adeo ut ad hæc nostra tempora inter cætera, quæ malè pullulant vitia, falsæ nihilominus pœnitentiæ consuetudo inoleverit.*

Ibidem declarat quæ sit falsa, quæ vera pœnitentia. *Infructuosam enim pœnitentiam dicimus*, ait, *quæ ita accipitur, ut in eadem culpa vel simili vel deteriori vel parùm minori permaneatur. Unde quisquis dignè vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, (quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia) illi peccatorum suorum remissionem Apostolica freti potestate largimur : insuper æterna beatitudinis gaudia de omnipotentis Dei misericordia confisi promittimus.*

De falsis pœnitentiis ita loquuntur duo Concilia superiùs à nobis recitata, Concilium scilicet Lateranense generale X. sub Innocentio II. habitum, & Melfitanum sub Urbano Papa II. celebratum. Illud quidem canone 22. hoc autem canone 16. sic ait : *Falsam pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus de uno solo peccato pœnitentia agitur ; aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio*, peccato scilicet. *Unde scriptum est, Qui totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*, scilicet quantùm ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantùm maneat, vitæ æternæ januam non intrabit.

Ergo hujuscemodi hominibus deneganda vel certè differenda est reconciliationis gratia, & sæpenumero proponenda sunt hæc Christi Domini verba : *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Erigendi sunt in spem futuræ conversionis, excitandi sunt ad laborem, ut citiùs ad veram sanitatem perveniant. Qui aliter eos adhiberet, nec exerceret charitatem in eos, neque ad Spiritus sancti prudentiam sese componeret.

Tertia regula.

Si pœnitens crebrò in peccata lethalia caderet, probari posset per duos menses vel toto trimestri, quo exeunte, si vera perspiceretur emendatio, profecta ex integra ejus fidelitate, & ex vi, quâ peccata diuturna consuetudine insita ex animo revellere conatus esset, posset absolvi ; quippe qui efficacia suæ conversionis & pœnitentiæ edidisset argumenta. Verùm si se à peccato dumtaxat abstinuerit, eo quòd abfuerit ab occasionibus, quas tamen nullâ suâ operâ, nullo studio declinavit, plus temporis ad explorandam ejus conversionem impendere oporteret. Non enim dijudicari potest, an vera sit, an simulata : si v. g. pœnitens commoratus est cum iis hominibus, apud quos peccandi occasiones adire non potuit, si conflictatus est morbo, qui ei omnem peccandi facultatem ademit, si denique alius quispiam casus ei omnem peccandi subduxit occasionem, non continuò vera ejus conversio existimanda est, sicut nec muliercula verè pudica censenda est, quæ dum-

tasat casta est, quia nemo rogavit, id est suam castimoniam nullo in occursu, nulla in occasione patefecit.

Quarta regula.

Si pœnitens urgeat Confessarium, & nonnullis rationibus, quæ vulgò existimantur bonæ & solidæ, eum ad impertiendam sibi absolutionis gratiam adigat, si v. g. muliercula quæpiam adulterii sibi conscia, dicat se dedecoratum iri, & publicâ laboraturam infamiâ, nisi absolvatur, & ipso die Resurrectionis cum cæteris ad sacram synaxim accedat; si præterea Sacerdoti minitetur se rem totam sparsuram in vulgus, & omnem in eum plebeculam concitaturam, omnia denique molituram, quæ muliebris ira (quæ omnem superat iram) suggerere & comminisci poterit, ut omnia pessimè cadant, melius est ut scandalum oriatur, quàm ut veritas relinquatur, ait S. Gregorius homil. 7. in Ezech.

Hac in parte Confessarios sese fidelem cælestium mysteriorum dispensatorem præbeat, sese in deneganda vel differenda absolutione præster constantem, & impavidum. Meminerit se ab ipso Christo constitutum esse judicem, atque adeo eum esse oportere, qui neque inflecti gratiâ, neque perfringi potentiâ, neque adulterari pecuniâ valeat. Meminerit pulcherrimum illud elogium quo S. Bernardus Humbertum Monachum sui Monasterii Confessarium ornavit: nec ipsi mundus placuit, ait, nec ipse mundo. Hac fortitudine verè Christiana munitus Confessarius sanctâ quapiam libertate declaret pœnitenti ejus salutem agi, & quòd si velit ipse in interitum ruere sempiternum, ruat; se verò æternæ suæ consulere saluti, nec quicquam ad ejus damnationem conferre velle: id autem præstandum est cum perspicua paterni amoris testificatione, quæ in verbis Christianæ charitatis affectu plenissimis eluceat.

Quinta regula.

Si Parochus aut Confessarius quispiam in administrando pœnitentiæ sacramento sancitas ab Ecclesia regulas studiosissimè observet, seque fidelissimum in suo ministerio exhibeat, & pœnitenti deneget absolutionem; & pœnitens nolit exequi ea quæ illi ipse Confessarius ad percipienda rite sacramenta omnino necessaria injunxerit, vel quia ad deserendum peccatum, vel peccati occasionem, sibi vim inferre abnuit, vel quia ejus cupiditas ei persuasum facit, esse quosdam Casuistas suo illo Confessario longè doctiores, qui ab ejus opinione dissentiant, ideoque immeritò nectere intempestivas difficultates, quibus pœnitentes irretiat, illum ipsum Confessarium convenit pœnitens stipatus Notario & duobus testibus, interpellat Confessarium, ut profiteatur num sibi absolutionem, & quibus de causis abnegaverit. Hoc in casu Parochum illum aut Confessarium coram Notario & binis testibus ab pœnitente interpellatum omni ex parte, ceu foret elinguis, obmutescere necesse est.

Sexta regula.

Si Confessario ab pœnitente constituatur vadimonium, vel dicatur dies, quo coram judice seu ecclesiastico seu sæculari, se sistere teneatur, redditurus rationem de iis quæ in pœnitentiæ tribunali gesserit, & ipse pœnitens illi suæ confessionis retegendæ declarandæque facultatem faciat, ex hoc negotio in speciem difficili & arduo, sic sese extricabit. Si coram judice sæculari vadimonium obire oporteat, hac de re certiorem facere Episcopum, & ab eo quid facto fuerit opus, an scilicet obeundum sit, an deserendum vadimonium, accipere oportebit. Si verò dictus sit ille dies coram judice ecclesiastico, ad diem & horam præstò esse debet, (ut debitam ecclesiastico foro reverentiam habeat) & palam profiteri, sedentem se in sacro tribunali, ut accedentium confessiones exciperet, suo fungi officio religiosè & integrè pro ea, qua pollet, notitia, ita ut hisce de rebus uni Deo rationem reddendam esse meminerit: quod cùm præcisè dixerit, ab vadimonio absolvi, curiâ & foro & lite eximi postulabit. Et quanquam ipsi Confessario per adversarium litigatorem ejus confessionem retegere & nudare liceat, hac tamen facultate uti non potest, ut appareat coram judicibus quàm integrè & quàm religiosè suum ministerium exerceat. Si enim ista revelandæ confessionis facultate uteretur, id totum in sacramenti injuriam redundaret: in hoc quippe casu ipsius sacramenti administrandi rationem & modum subjiceret hominum judicio; unde alterum, idque gravius malum existeret: omnis quippe libertas suas partes, ut decet, agendi Confessario cuilibet adimeretur. Metueret enim, ne si, sicut oportet, officii religionem impleret, vocaretur in jus, atque ita eo metu perterrefactus, vel indignos absolvendo, & indulgentiùs cum pœnitentibus agendo, levissima scilicet opera pro gravissimis delictis injungendo potestate clavium abuteretur. Quo malo nullum gravius aut animarum saluti perniciosius in Ecclesiam grassari potest.

Sextus casus,

In quo vel omnino deneganda vel certè differenda est absolutio, pertinet ad eos qui publico fidelibus offendiculo fuerunt, nec sustulerunt scandalum, qui proinde non sunt absolvendi, nisi publicè satisfecerint. Ejusmodi sunt

1°. Concubinarii publici. 2°. fœneratores publici. 3°. blasphematores item publici. 4°. qui simultates publicas exercent. 5°. quotquot alii offendiculum, id est offensæ occasionem ingerunt: nisi sublato offendiculo se ad meliorem frugem recepisse testatum fecerint.

Si quærat quispiam, qua præsertim satisfactione publica illa flagitia expiari oporteat:

Respondeo, homines publicorum criminum conscios vel ex morbo decumbere, vel integra esse valetudine: si eos ex morbo decumbere contigerit, iis id pœnitentiæ genus exponendum est, ut de turpissima vita sua, quæ gravem apud omnes offensionem habuit, veniam poscant ab toto illo cœtu, qui affuerit, cùm iis porrigendum erit Viaticum, aut sacramentum Unctionis adhibendum. Concubinarii concubinas ejiciant, fœneratores pecunias fœnore comparatas restituant, vel suppeditent sponsores idoneos & pares exolvendis pecuniis, quas debitoribus emunxerint: qui autem apertas secum invicem inimicitias exercent, eas oblivione sempiterna conterant, multosque reconciliatæ gratiæ testes adhibeant. Si verò secunda valetudine fuerint, & adierint ad Confessarium cum vero emendationis proposito, recurrendum erit ad superiorem, à quo accipiendum erit, quo satisfactionis genere illata toti populo scandala & oblitterare & sarcire debeant.

Septimus casus,

In quo vel deneganda vel differenda est absolutio, accidit, cùm pœnitens habet casus reservatos, à quibus Confessarius absolvere non potest. Nemini dubium est, quin summi Pontifices & Episcopi in sua diœcesi sibi reservare possint, & reipsa reservent quosdam casus, id est gravia quædam flagitia, à quibus cæteri Sacerdotes absolvere nequeant, ut scilicet fideles quodammodo concipiant immanita-

rem ejusmodi scelerum, à quibus soli Episcopi apostolica authoritate ad remittenda retinendàve peccata supra cæteros Sacerdotes præditi, absolvere valeant.

Catholicam ejus reservationis doctrinam luculenter suo more explicat Concilium Trident. sessioo. 14. de pœnit, cap. 7. ubi inter cætera ait: *Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ authoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Hoc ipsum ut de fide definit canone 11. ejusdem sess. 14. *Si quis dixerit*, ait, *Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.*

Hac doctrina de reservatione casuum ita constituta, Sacerdos tria observet in præfata reservatione casuum.

1º. Pœnitentem casu reservato irretitum remittat ad superiorem, à quo & sui absolvendi facultatem ad Confessarium directam obtineat, citra quam eum absolvere non posset. Cùm enim confessio dimidiari nequeat, non potest ei remittere peccata, donec vel onum, qood non potest remittere, superfuerit.

2º. Si ullum pœnitentem, nulla accepta ab Episcopo facultate, absolvit ab quopiam casu reservato, illi significet hanc suam absolutionem esse oullam & invalidam, & ideo ad Episcopum adire, & ab eo obtinere facultatem oportere, quâ legitimè possit absolvi.

3º. Deoique habeat pro comperto, neminem Religiosum, cujuseumque Ordinis, qualibuscumque privilegiis innixum, posse quemquam absolvere à peccatis seu casibus summo Pontifici & Episcopo Diœcesano reservatis, quin specialem ad hùnc effectum vel à summo Pontifice, vel ab Episcopo Diœcesano facultatem acceperit. Si ergo Sacerdos in quempiam pœnitentem ab ejusmodi hominibus absolutum inciderit, monebit ejus confessiones, si plures fecerit, apud eos esse nullas & invalidas, & necessariò repetendas, postquam ab Episcopo obtinuerit facultatem factam Confessario, à quo validè possit absolvi. Quia fusetiùs de hujusmodi privilegiis summorum Pontificum authoritate revocatis egimus, non immoramur in iis, sed ad alia properamus.

Hactenus percensuimus præcipuos easus, in quibus deneganda vel certè differenda est absolutio. Hujusecmodi casus proferunt & recensent varia Manualia: Catalaunense nimirum, Remense, Petracoriense, & alia. Videat, aiunt, diligenter (Sacerdos) ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces; quales sunt, qui nulla dant signa veri & supernaturalis doloris, & vitam in melius emendare nolunt, qui odia & inimicitias ex corde non deposuerunt, & omnem ad quodvis peccatum mortale affectum, qui in confessione admoniti articulos fidei, & alia ad salutem oecessaria edifcere neglexerunt; aliena, cùm possent, non restituerunt; qui proximam peccandi oecasionem actu non deseruerunt; qui vitiosos habitus, putà blasphemiæ, luxuriæ, &c. à Confessariis correpti corrigere non studuerunt; aut qui publicum scandalum dederunt: nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant juxta præscriptum nostrum.

Manuale Petracoriense addit, esse denegandam absolutionem iis qui oblationes decimarum altari ejusque ministris, aut injustè detineot, aut ingratè denegant.

Franciscus Salesius non pridem ad Cælites solemni Ecclesiæ ritu adscriptus, in suis ad Confessarios monitis, tribus personarum generibus denegandam vel differendam absolutiooem asserit.

Primi sunt conjugati qui citra causam legitimam dissident ab invicem, & degunt separati, nec ideo possunt absolvi, donec in prava illa voluntate perstiterint.

Secundi sunt Ecclesiastici viri, malè, id est contra canones sua beneficia adepti, & qui absque legitima causa incompatibilia retinent, vel in iis citra legitimam causam non resident, vel qui utplurimùm injunctum Beneficiariis & Sacerdotibus officium de industria prætermittunt, vel deoique Clericali habitu non utuntur.

Tertii sunt nonnulli, qui cùm puellæ cuipiam aut mulierculæ vi aut dolo, aot fucatis pollicitationibus aspersetint infamiam, & vinum intulerint, se eas in matrimonium ducturos polliciti eas ducere renuunt, si sint pari conditione, nec ullum aliunde impedimentum appareat, vel dotem ad justas nuptias accommodatam impertiri abnegant, si inæquali conditione fuerint.

Si quis Sacerdos in casibus hactenus enumeratis se habuerit aliter, quàm sanctissimi viri censuere, suum dubio proeul ministerium dedecorabit, sibique æteroam accersct infamiam & pœnam: hominum quippe, non Dei (cui uni placere summa laos est) gratiam aucupari voluerit.

Quæstio XLIX.

Quid sit sigillum, & quo jure Sacerdos illud violare prohibeatur.

RESPONDEO 1º. sigillum confessionis ab sigillo quo muniuntur litteræ, ne arcana in iis comprehensa retegantur, per metaphoram denominatum, nihil esse aliud, quàm Confessarii di ectam obligationem celandi sacramentalem pœnitentis confessionem, & omnia ad illam pertinentia, quæ vel in ipsius pœnitentis infamiam, vel in sacramenti odium & injuriam redundare valeant. Hujus vel definitioois vel descriptionis singulas partes expendere juvat.

1º. Dicitur, Confessarii, &c. Nam quemadmodum Sacerdos est ordinarius hujus sacramenti minister, ita sigilli obligatio, quæ alios quoscumque secundariò respicit, primò & per se ad illum pertinet; ita ut propriè loquendo confessionis sigillum sit solius duntaxat Sacerdotis. Nam, ut loquitur S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 11. art. 3. in c. *Respondeo dicendum, quòd sigillum confessionis competit Sacerdoti, in quantum est minister hujus sacramenti, quod nihil aliud est quàm debitum confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi. Tamèn sicut aliquis qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem: ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis, & tenetur celare; quamvis propriè loquendo sigillum confessionis non habeat.* Ita S. Thomas.

Unde fit ut multi teneantur servare sigilli religionem sub pœna peccati mortalis, sicut & Sacerdos qui hac in parte semper peccat lethaliter, nisi de pœnitentis licentiâ quædam in confessione audita in bonum finem & rite revelaverit.

1º. Igitur tenentur sigilli religione, qui vel malignè & deditâ operâ peccata confitentis audierunt, sicut & ii qui in casu & citra culpam illa ipsa peccata audierunt, cum hoc discrimine, quòd priores peccavere lethaliter, non autem posteriores. Quòd autem utrique confessionis sigillo teneantur, certum est: res enim hæc transit cum suo onere, alioquin confessio oaerosa pariter & odiosa exsisteret.

2º. Ad sigillum tenetur is, cui Confessarius confessionem aperuerit, sive justè de consensu pœni-

tentis petendi consilii causâ, sive injustè id faciat, quia, ut ait S. Thomas ejusd. quæst. art. 4. ad 4. participat in aliquo actum Sacerdotis: & ideo simile est de eo & de interprete, nî fortè peccator velit quod ille absolutè sciat ac liberè.

3°. Ad ipsum sigillum tenetur interpres, cujus ore & lingua pœnitens inter confitendum utitur. Neque enim soli pœnitenti suam impendit operam, sed etiam Sacerdoti, qui per interpretem cognoscit peccata confitentis, perinde ac si pœnitens qui confitetur, suo ipsius ore sua peccata declararet.

Nec refert quòd pœnitens non teneatur per interpretem confiteri: nam quemadmodum non est necesse de venialibus confiteri, & tamen venialia sunt materia sigilli sacramentalis, nec possunt sine peccato mortali revelari: ita etiam interpres, tametsi pœnitens non teneatur per ejus linguam & ministerium confiteri, sigillum tamen sacramentale sine peccato mortali reserare non potest. Et hæc est omnium passim Theologorum sententia. Ratio est, quia quamvis venialia non sint necessariò confitenda, quando tamen à confitente clavibus subjiciuntur, tunc eorum secretum ad eamdem cum mortalibus legem pertinet; quod secretum si violetur, contra sacramenti sanctitatem veritatemque peccabitur.

Non igitur solus Sacerdos & laïcus, cui propter aliquam necessitatem fit confessio, & etiam interpres qui partes pœnitentis linguam ignorantis agit, hoc secretum observare tenentur: verùm etiam qui casu vel dolo, licitè vel illicitè alicujus confessionem audit. Imò & is cui consilii ab eo petendi vel detrahendi causâ revelatur: quoniam res cum suo onere transeunt, & confessio simul ac fit in forma sacramentali, annexam habet obligationem secreti: adeo quidem, ut judex nihil deberet agere vel moliri ob famam, vel indicium, quod inde oritetur, ut rectè observavit Navarrus in Manuali cap. 8. n. 6.

4°. Obligatur ad sigillum quisquis, cùm non sit Sacerdos, se gerit tamen pro Sacerdote, id est aliorum confessiones Sacerdotis ad instar excipit: quia aliorum peccata cognoscit per confessionem, & quidem ex prudenti pœnitentium æstimatione & intentione sacramentalem, atque adeo ad sacramentale sigillum & secretum obligantem.

5°. Denique tenentur ad sigillum quotquot ex confessione noverunt peccata Confessario declarata, sive per se audierint, sive ab aliis acceperint, sive immediatè, sive mediatè, sive licitè, sive illicitè. Ac proinde si quid ita acceptum & ex pœnitentis confessione cognitum aperuerint, non tantùm erunt injusti, utpote qui contra secretum naturale peccaverint, sed etiam sacrilegi, utpote qui gravem sacramento injuriam intulerint. Cùm autem non tam strictè obligentur ad sigillum sacramentale, quàm Sacerdotes; atque adeo non tam graviter in eodem peccati genere delinquant: sacrilegium tamen veri nominis, licèt Sacerdotum sacrilegio minus admittunt. Nihil enim unum sacrilegium ab altero graviore, scilicet malitia & immanitate, superari prohibet. Unde factum est, ut pœnæ sigilli violatoribus constitutæ, & in eos per judicem ferendæ, non autem à jure latæ, atque adeo ipso facto non incurrendæ, ad unos dumtaxat Confessarios pertinerent.

2°. Additur in definitione, directa obligatio celandi, id est obligatio quæ immediatè ex divina sacramenti pœnitentiæ institutione proficiscitur: cùm enim Christus pœnitentiæ sacramentum instituit, sicut & cætera, voluit per ea quæ exteriùs in institutis à se sacramentis fierent, significari alia quæ interiùs in hominum animis efficerentur. Cùm ergo pœnitens ad Sacerdotis genua provolvitur, eique se totum subjicit, externo illo corporis habitu, Christo Domino utpote Sacerdoti summo & æterno, se totum ex intimo cordis affectu subjicere testatur. Similiter etiam absolutio illa externa, quâ Sacerdos verè pœnitentem impertit, significat absolutionem, quâ Christus, cujus vice Sacerdos in eo sacramento fungitur, peccatorem sibi reconcilians, ejus peccata remittit, eique nunquam imputanda penitus obtegit. Sunt enim hæc tria secum invicem connexa, ut patet ex his Psalmi 31. verbis: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, id est (ut Scripturæ verbis utar) cujus Dominus peccatum projecit post tergum suum, ut illud oblivione perpetua contegeret. Christus igitur Dominus eodem momento quo Sacerdos pœnitentem absolvit, illum pariter absolvit, & reconciliat, modò non sit in spiritu ejus dolus, id est non sit dolosa ejus pœnitentia, sicut illorum qui peccant animo pœnitendi, aut qui pœnitent animo peccandi, ut rectè explicat Kimhi.

His ita prælibatis, si Sacerdos peccatum hominis ei se tanquam Christi vicario subjicientis, aliqua ratione proderet, cùm ea scelerum, quoquo modo fiat, patefactio seu revelatio cum ingenti dedecore & ignominia sit apud homines conjuncta; ejusmodi Sacerdos suo facto significaret, fore ut aliquando ignominiosa revelatione Christus homines à seipso ab iisdem peccatis absolutos ingenti verecundia perculleret; quod quidem hujus sacramenti significationi mirabiliter adversatur. Unde perspicuum est, hominem sigillum sacramentale violantem se sacrilegio pariter & teterrimo constringere mendacio; quippe qui sacramenti ad hominum reconciliationem instituti sanctitatem & veritatem nefariâ peccatorum quæ ex confessione rescit, revelatione violat.

Hujusmodi sigilli servandi obligatio nititur iisdem Scripturæ locis, quibus astruitur ea potestas, quâ Christus Sacerdotes ad ligandum & solvendum, id est ad retinenda remittendàve peccata, sui vicarios instituit. Cùm enim (ut ex Scriptura tota traditio probat & asserit) peccatores ad secretam peccatorum confessionem Sacerdoti factitandam absolutionis ab eodem obtinendæ gratiâ Christus astrinxerit, Sacerdoti pariter sigilli servandi necessitatem imposuit. Quorsum enim instituta fuisset arcana peccatorum confessio, si illa ipsa peccata Sacerdoti seu Christo declarata evulgare licuisset? Inviolabilis hæc sigilli servandi necessitas proficiscitur ex jure divino, atque ex ratione sacramenti: quod hac in parte nullo pacto quacumque de causa violari potest.

Cùm enim sigillum generatim sumptum dividatur in legis divinæ naturalis sigillum, (quod nihil est aliud, quàm obligatio ab ipso jure divino naturali, ad aliquid occultandum inducta) & in sigillum sacramentale seu confessionis, quod nihil est aliud, quàm obligatio ab lege divina positiva per Redemptorem nostrum inducta ad occultandum quicquid pœnitentes inter pœnitendum absolutionis obtinendæ gratiâ Sacerdotibus aperiunt: certum est primùm, sigillum posse aliquando reserari, scilicet cùm superior jubet arcanum aliquod inferiori suo commissum propter bonum commune declarari, vel cùm talis arcani occultatio vehementer nocet animæ, corpori, honori, aut proximorum rei familiari. In hujusmodi enim casibus lex naturalis secreti revelationem ad bonum commune vel etiam privatum pertinentem quibusdam in circumstantiis vel locorum vel personarum vel temporum imperans aut certè tolerans, sibimetipsi privati cujuspiam utilitati & commodo secreti occultatione consulenti præponderat. Quod in sigillo sacramentali contingere non potest, eo quòd ejus obligatio non ex sola lege naturali vel humana, sed ex jure divino

&

& ex sacramenti ratione proficiscatur, atque adeo in nullo prorsus casu, etiamsi propria Confessarii vita, etiamsi reipublicæ salus ageretur, etiamsi accederet dispensatio ecclesiasticæ potestatis, (quæ ibi nullum potest habere locum) nullum peccatum vel minimum ex confessione cognitum revelare liceat.

Unde rectè sequitur, Confessarium directè vel indirectè confessionem revelantem, sive absolvat pœnitentem, sive non, semper peccare mortaliter, sive id timore mortis, aut alterius cujuspiam rei perdendæ metu, sive ut vitetur scandalum, aut commodum aliquod reportetur, vel propter quemcumque alium finem rectum aut pravum, ut cum omnibus Theologis observat Navarrus Enchirid. cap. 8. n. 11. Tametsi, generatim loquendo, nullum unquam peccatum per confessionem cognitum revelare liceat; unus tamen est casus, in quo, ex omnium Theologorum consensu, Confessarius non peccaret contra sigilli religionem, si revelaret peccatum, cujus revelandi facultatem pœnitens ipsi fecerit: modò illa facultas tres habeat conditiones, quarum

Prima est, ut sit liberrima; alioquin si metu, vel aliqua alia ratione vel vi esset extorta, nulla penitus haberetur. Cùm enim ista facultas ad bonum dumtaxat pœnitentis obtineri debeat, nusquam ut oportet, nisi en volente, & liberrimè assentiente, obtineri potest.

Secunda est, ut ea facultas verbis vel factis exprimentibus concessionem facultatis, vel saltem æquivalentibus actu concedatur: nam per hujusmodi concessionem confessio non redditur odiosa, nec fit injuria pœnitenti, si Confessarius obtenta ea facultate, de rebus auditis in confessione loquatur.

Tertia, ut ea facultas sufficiat, non debet esse tantùm tacita & præsumpta, quam scilicet pœnitens reipsa concederet, vel concedere deberet, si rogaretur. Nam revelans confessionem, ex licentiâ dumtaxat præsumptâ, confessionem odiosam redderet. Fieri enim potest, ut sibi quispiam persuadeat, eam facultatem sibi ab pœnitente factum iri, quam tamen, si rogaretur, funditus denegaret.

Confessarius, impetrata ab pœnitente ejusmodi facultate, non censebitur violare sigillum, si peccata ex confessione sacramentali cognita cuipiam cujus interest, aperiat. Ratio est, quia per ejusmodi concessionem Sacerdos novit peccata non tantùm ut Deus, vel ut Christus, cujus partes agit in hoc sacramento, qui proinde declarata sibi flagitia alto silentio premere tenetur: verùm etiam ut homo, cui illa ipsa revelandi facultas facta fuerit, quâ proinde uti potest, perinde ac alter, cui pœnitens eamdem faceret facultatem.

Quam revelandæ confessionis facultatem ubi ab pœnitente Confessarius impetraverit, eâ, nisi cum sacerdotali maturitate & prudentia, & non nisi magna proximi utilitate exigente, uti potest ac debet: & præterea non debet revelare peccatum, cujus revelandi potestatem accepit, nisi iis quibus perspectum & cognitum esse oportebit. Maximè etiam cavendum erit, ne per surreptionem & dolum peccatum illud revelandum rescissat extra confessionem, atque ita aliunde quàm ex confessione acceptum retegat. Et inprimis Sacerdoti metuendum est, ne vel hoc casu, vel in aliis improvida rerum in Confessionibus auditarum revelatione, sacramentale sigillum ullatenus infregisse videatur. Nam tanta est ejusdem sigilli religio, ut majus sit illius vinculum, quàm sit ulla servandi secreti promissio, etiam jurejurando firmata, neque ab ullo violari queat, quin sacrilegii crimen admittat.

Huc accedit, quòd multos peccatores vel ipsa revelatæ vel revelandæ confessionis suspicio ab suscipiendo pœnitentiæ sacramento deterreat, atque adeo in æternam damnationem præcipites agat.

3°. Additur in definitione, celandi sacramentalem pœnitentis confessionem, & omnia ad illam pertinentia. Quibus verbis comprehenduntur omnia sub sigillum cadentia, quæ strictum enumerare necesse est.

Primò certum est, ea omnia cadere sub sigillum, quæ declarata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacerdotalem, quam quis animo se accusandi fecerit. v. g. si quis animo se in confessione sacramentali accusandi, aperiat superiori peccatum, ut ab ipso, vel ab ejus delegato absolutionem obtineat; ista declaratio, quia dicit ordinem ad confessionem sacramentalem, sub sigilli secreto comprehenditur. Quin etiam si Confessarius dubitet sibi aliquid declaratum esse per ordinem ad confessionem sacramentalem, tenetur ad sigillum confessionis, quia Doctores passim asserunt, esse ex æquo & bono præsumendum in favorem confessionis & pœnitentis, ne ipsa confessio, à qua nonnulli nescio quo prolubio abhorrent, in fidelium odium adducatur.

Secundò cadunt sub sigillum omnia peccata tam mortalia quàm venialia, sive sint occulta, sive publica. Quòd tam mortalia peccata quàm venialia clavibus objecta, citra lethale flagitium, imò sacrilegium revelari nequeant, patet ex ratione superius allata, quòd videlicet Sacerdos in excipiendis confessionibus & peccatoribus absolvendis Christi personam & authoritatem sustineat, & ideo debeat celare peccata, quemadmodum ea celat Christus, cùm semel ea condonavit. Non minùs igitur venialia clavibus subjecta, sunt sigillo sacramentali obnoxia, quàm mortalia, cùm eorum secretum ex eodem jure & lege, quo mortalium secretum oriatur. Peccata igitur tam mortalia quàm venialia, sive sint occulta, sive publica, quæ aliàs Confessario erant ignota, cadunt sub sigillum, & quidem sub reatu peccati mortalis servandum. Eam ob causam de ejusmodi peccatis, etiam publicis, citra sigilli infractionem loqui non potest Confessarius, nisi ea aliunde quàm ex sacramentali confessione resciverit. Quòd si aliunde cognoverit, poterit extra confessionem de iis loqui, eo modo quo antea noverat, modò nihil addat, quod unâ dumtaxat confessionis viâ cognoverit.

Tertiò cadunt sub sigillum non tantùm circumstantiæ peccatorum, quæ peccata sunt, vel peccati speciem mutant, vel illud intra eamdem speciem notabiliter exaggerant, verùm etiam aliæ circumstantiæ, sive ad confessionis integritatem necessariæ sint, sive non sint, & omnes illæ quibus declaratis posset patefieri peccatum pœnitentis, aut alterius, quem pœnitens nominavit. Certum est igitur, omnes circumstantias in confessione ad explicanda peccata expressas, cadere sub prædictum sigillum; tametsi ad declaranda eadem peccata nihil conducerent. Exempli gratiâ, si pœnitens ad declarandum aliquod peccatum diceret se esse nothum & spurium, aut egestate vel aliquo naturali defectu laborare assereret; omnes illæ circumstantiæ, licèt ad confessionis integritatem forent fortè inutiles, quia tamen ad declaranda peccata essent allatæ, sub sigillum caderent; quia ex omnium Theologorum sententia & consensu, sub sigillum cadit id omne quod peccatorum Sacerdoti in confessione sacramentali declaratorum notitiam afferre, vel pœnitenti aliquam infamiæ notam inurere, vel denique ipsam confessionem in populorum odium adducere potest.

Quartò cadunt sub sigillum omnia peccata, quæ cum suis circumstantiis pœnitens Confessario declaravit, licèt eum auditâ confessione judicaverit Confessarius indignum quem absolveret. Ratio est, quia

omnia peccata ab pœnitente ex animo clavibus subjecta cadunt sub sigillum, quod nullo modo reserari debet aut potest.

Quintò cadit sub sigillum propositum cujuspiam sceleris perpetrandi, quod pœnitens per modum accusationis, coram Deo, Confessario declaraverit. Ita docet Major in 4. dist. at. q. 3. argum. 4. Adrianus in 4. de confessione, ubi d: sigillo: qui Authores contrariam sententiam inibi & egregiè refellunt; & id ratione non pœnitenda nititur. Sicut enim præteritum peccatum sine firmo abstinendi proposito declaratum in ordine ad confessionem sacramentalem, cadit sub sigillum, quamvis eo stante proposito pœnitens absolvi nequeat: ita etiam si quis confiteatur præsens propositum flagitii futuro tempore perpetrandi, cadit sub sigillum, licèt ejusmodi propositum abjicere nolit.

Indubitatum est igitur, peccata futura cadere sub sigillum, si declarentur Confessario per modum accusationis & subjectionis in interno conscientiæ foro, non autem si pœnitens ea declaravit non animo se accusandi, sed illudendi, & Confessarium in aliquod crimen incitandi. Ita S. Thom. Supplem. q. 11. art. 1. ad 1. S. Bonaventura distinct. at. art. 2. q. 1. Gabriel art. 2. & 3. Richardus art. 4. Dominicus dist. 18. q. 4. art. 5. Petrus Soto lect. 11. de confessione.

Prima ratio inde petitur, quòd, ut ait S. Thomas loco proximè laudato, *affirmat, opinionem aientem, Sacerdotem non teneri servare sub sigillo, nisi peccata de quibus pœnitens emendationem promittit, aliàs posse ea dicere ei, qui potest prodesse, & non obesse: erroneam videri, quia hoc est contra veritatem sacramenti: sicut enim baptismus est sacramentum, quamvis quis fictus accedat; nec est mutatum aliquid propter hoc de essentialibus sacramenti: ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat, & ideo nihilominus sub occulto tenenda est: nec tamen sigillum confessionis contra charitatem militat; quia charitas non requirit quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit: illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum; cùm illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus, (hæreseos ad aliorum criminum) quantum potest, sine revelatione confessionis, sicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quòd diligentiùs vigilet super gregem suum, ita tamen ut non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem prodat.* Hunc totum D. Thomæ locum exscribere placuit, quòd pulcherrima monita ad plurium casuum solutionem mirè conducentia contineret.

Secunda petitur ex eo quòd peccatum futuro tempore perpetrandum revelari nequeat, quin pariter præsens peccatum, id est criminosa peccandi voluntas retegatur; quæ quidem cùm cadat sub sigillum, ipsum etiam peccatum ex ea suo tempore secuturum, sub sigillum pariter cadere necesse est.

Tertia petitur ex gravi incommodo quod inde sequeretur, Sacerdotem videlicet non teneri ad sigillum, quoties aliquis sua peccata sine emendationis proposito confiteretur: quod quàm falsum sit, patet ex cap. *Quod quidam. de pœnitentiis & remissione.*

Sextò, cadit etiam sub sigillum peccatum alterius in confessione auditum: ita ut si Sacerdos etiam proprium peccatum citra revelationem flagitii alieni, quod ex confessione duntaxat cognoverit, confiteri nequeat, illud reticere teneatur, donec citra illud periculum majorem confitendi opportunitatem nactus fuerit. Ratio est, quia cùm duo præcepta, eaque divina, concurrunt: v. g. celare peccatum ex confessione cognitum, & generatim loquendo, non infamare proximum, & peccatum suum confiteri; tum præceptum juris divini naturalis, quale est non infamare proximum præcepto juris divini positivi, quale est peccata lethalia Sacerdoti confiteri, præponderat, & in eo rerum articulo posterioris hujus præcepti præstatio impossibilis censetur. Et ideo Sacerdos seu quilibet alius excusatur à peccati hujusmodi confessione, donec eam impossibilitatem oblata quæpiam aut personarum aut locorum, aut temporum opportunitas abstulerit.

Ut alteri quæstionis parti faciam satis.

Respondeo 2°. Sacerdotem teneri ad sigillum triplici jure; jure scilicet naturali divino, jure divino positivo, & jure ecclesiastico: quod singillatim probandum est.

Primò igitur lege naturali divina tenetur Confessarius tegere sacramentali sigillo omnia peccata & circumstantias, & omnia inter confitendum, sibi declarata, quæ proximum infamiâ, & sacramentum injuriâ afficere possunt: non solùm quia quilibet eadem lege tenetur reticere arcanum sibi commissum; verùm etiam quia omnes Christiani unum Christi corpus efficiunt, in quo non minùs singuli suo & proximorum honori consulere debent, quàm corporis naturalis membra sibi invicem opitulantur & prospiciunt. Cùm igitur in corpore humano membris quæ honesta fecerat solertia creantis, & inhonesta reddidit libido peccantis, naturæ ipsius impulsu extrinsecùs honorem addimus uberiorem, ne dissidium oriatur inter membra, & ejusmodi dissidio labefactatum corpus intereat: ita etiam in Ecclesia, quæ est corpus Christi, ignobiliora membra, ut ita dicam, id est peccatores non solùm toleranda sunt, verùm etiam toleranda, & imperato vel ab ipsa lege naturali silentio tegenda premendaque sunt, id est sacramentali sigillo velanda obsignandaque eorum peccata, ne orto schismate scissa toto orbe terrarum Ecclesia (cujus tota spes & gloria in unitate posita est) miserrimè concidat. Hanc comparationem divinitus prosequitur Apostolus 1. Corinth. cap. 12. Ex hujus comparationis occasione definimus sigillum sacramentale, directam Confessarii obligationem celandi sacramentalem pœnitentis confessionem, & omnia ad illam pertinentia, quæ vel in ipsius pœnitentis infamiam, vel in sacramenti odium & injuriam redundare valeant.

Secundò, Sacerdotem lege divina positiva teneri ad sigillum sacramentale, nemo vel mediocriter in sacræ traditionis notitia versatus, inficiari voluerit. S. Thomas in Supplem. q. 11. art. 1. ad 2. tam perspicuè docet, sigillum, id est celandæ confessionis præceptum, ex jure divino profectum esse, ut nihil ad nostram assertionem astruendam illustrius, aut efficacius afferri posse videatur. Ad secundum, inquit, dicendum, quòd præceptum de confessione celanda consequitur ipsum sacramentum: & ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda, est de jure divino, & non potest aliqua dispensatione vel jussione humana homo absolvi ab eo; ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentiari. Unde si præcipiatur sub pœna excommunicationis jam latæ, quòd dicat, si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere; quia debet existimare, quòd intentio præcipientis est, si sciat ut homo, hoc autem non scit ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione, interrogans; non deberet dicere, nec excommunicationem incurreret, quia non est subjectus superiori suo, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus.

Ergo ex sententia Doctoris Angelici sigillum sacramentale non minùs est de jure divino, quàm ipsa confessio sacramentalis: & ideo non aberrabit à vero quisquis illud divinum esse præceptum incorrupto

Apostolicæ traditionis alveo ad nos usque transmissum asseruerit. Tale enim esse, & semper extitisse, pulcherrimè probat certissima illa regula, quâ S. Augustinus utitur ad refellendos Donatistarum errores, lib. 4. de baptismo contra Donat. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Id cadere in sigillum sacramentale clarius est, quàm ut probari debeat.

Adde quòd S. Leo Epist. 80. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, celandæ confessionis obligationem vocat Apostolicam regulam. *Illam etiam contra Apostolicam Regulam præsumptionem*, ait, *quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publicè recitetur. Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta; quamvis enim plenitudo fidei videatur: tamen quia non omnium sunt hujusmodi peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta reserare, quibus possint legum constitutione percelli: sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedat. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Hoc tam perspicuo sanctissimi & eloquentissimi Pontificis testimonio ad divinam sigilli sacramentalis institutionem probandam, nihil efficacius afferri potest.

Quanta autem charitate confitentes audire, & sigilli religionem servare oporteret, præclaro exemplo docuit S. Ambrosius. Nam, ut refert in ejus Vita sancto Augustino nuncupata, Paulinus Presbyter ejusdem Ambrosii discipulus, *quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret: videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quàm accusatores apud homines. Nam & secundùm Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda charitas est, quia ipse sui accusator est, nec expectat accusatorem, sed prævenit, ut confitendo suum alleviet ipse delictum, nec habeat, quod adversarius criminetur.*

Ex hoc loco discere est, quanta charitate confessos peccatores amplecteretur S. Ambrosius, & quanta sigilli sacramentalis religione Confessarius multis annis ante S. Leonis Papæ I. tempora teneretur.

Tertiò, ad leges divinas infractionem sigilli severissimè prohibentes, accesserunt & leges ecclesiasticæ, quæ propositis infractoribus pœnis, camdem illam prohibitionem instaurari voluerunt.

Quod constat ex canone relato à Gratiano de pœnit. dist. 6. cap. *Sacerdos*. qui canon etsi citetur sub nomine S. Gregorii VII. videtur tamen multis sæculis post sanctum Gregorium vel ab Gregorio VII. vel ab altero quopiam Gregorio ejus ætate suppari conditus: quippe qui meminit peregrinationum, quas circa sæculum XI. in pœnitentiam impositas esse Docti prodiderunt. Sic autem habet: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosè peregrinando pergat.*

Ex hoc decreto patet, duplicem pœnam Sacerdotibus revelatarum confessionum consciis, infligi solitam esse, depositionem nimirum & perpetuam peregrinationem: sed; ut mox videbimus, posteriorem pœnam utpote Sacerdotium maximè dedecorantem, in perpetuam pœnitentiam in arctiori Monasterio peragendam immutari placuit. Hæc mutatio facta est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & continetur in celeberrimo illo canone *Omnis utriusque sexus*. cujus hæc verba sunt: *Caveat autem omnino* (Sacerdos) *ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* Hæc est pœna totius Ecclesiæ consensu Sacerdotibus sigillum sacramentale reserantibus irroganda. Rationem reddit Innocentius III. qui præfuit huic Concilio, sermon. 3. de consecratione Pontificis. *Graviùs*, ait, *peccat Sacerdos qui peccatum revelat, quàm homo qui committit.*

COROLLARIA QUÆDAM EX SUPERIORI DOCTRINA DEDUCUNTUR.

Primum Corollarium.

Cùm tanta sit sigilli sacramentalis obligatio, ut nulla de causa violari possit aut debeat, sequitur, Parochum qui novit ex confessione impedimentum aliquod matrimonium dirimens, teneri contrahentes conjungere, (si id publicè exigant) nisi eos ab illicito illo matrimonio in confessione sacramentali deterreat, vel aliunde quàm ex ipsa confessione illud ipsum impedimentum cognitum habeat. Ita passim Theologi, quibus id & rectè propositum est, ut nunquam in sacramentalis sigilli violationem consentiant: atque ita multis peccatoribus sacramentum pœnitentiæ ob peccatorum revelationem quam metuunt, perosis, omnem spem salutis adimant. Hanc esse mentem Ecclesiæ constat ex variis canonibus, & inprimis ex canone *Placuit*. qui refertur à Gratiano & aliis quos suprà retulimus. Quem canonem contractum refert Ferrandus Diaconus Carthaginiensis tit. 2. cap. 73. Ut Episcopus à communione suo suspendat eum, quem asserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum. Hunc Canonem suis operibus inseruere omnes Canonum collectores, ut pateret omnibus, quanta sigillo sacramentali religio deberetur.

Secundum Corollarium.

Tanta est istius sigilli necessitas, ut ne mortuo quidem pœnitente illud resignari liceat: etiamsi ista sigilli resignatio maximam vel regno vel urbi vel familiæ copiam utilitatem esset allatura, vel impeditura matrimonium, quod alioquin ob aliquod crimen, futurum esset nullum, tum quia triplex illud jus, divinum scilicet naturale, divinum positivum, & ecclesiasticum, id severè prohibet: tum quia invisa & exosa plurimis confessio redderetur: quippe vivi confiteri sua flagitia recusarent, si rescirent ea vel post mortem suam posse revelari. Nemo enim est Christianus, quin famam sua viventis virtute partam, sibi superstitem esse cupiat: ut Corporis Christi, id est Ecclesiæ ædificationem tam vivus, quàm mortuus pro data sibi gratia promoveat. Adde quòd testimonium Sacerdotis habitum ex scientia per confessionem comparata, nullam facit fidem, ut colligitur ex cap. *Dilectus. de excessibus Prælatorum.*

Tertium Corollarium.

Ex dictis hactenus constat, Sacerdotem sigillum sacramentale reserantem duo flagitia, eaque gravissima, committere. Nam primò peccat contra justitiam, & tenetur restituere damnum, si aliquod ea injusta ejus revelatione fuerit secutum. Si enim ille, cui declaratum est aliquid, sub secreto, tenetur jure naturæ secretum servare, & violando secretum perfringit datam fidem, & tenetur sarcire damnum ex injusta ejus revelatione profectum; multò magis tenetur Confessarius jure naturæ res ex una dumtaxat confessione cognitas reticere: tum quia jure naturæ tenemur proximum ab infamia vindicare; tum quia ab ejus cervicibus omnia incommoda, quantum in nobis est, propulsare debemus: quorum neutrum præstaretur, si res ex una confessione cognitas tetegere liceret. Nam ex ista revelatione & proximo infamia aspergeretur, & proximos ipse pateretur ea, quæ ex eadem illa revelatione damna emergere valerent. Ergo Confessarius confessionem revelando, infamiam & aliarum fortè rerum jacturam afferrot pœnitenti, & peccaret contra justitiam, atque adeo ex omnium Theologorum consensu, tam famam, quàm alia per confessionis revelationem ablata, restituere teneretur.

Hanc assertionem passim astruant vel ipsi recentiores, ut Navarrus cap. *Sacerdos, de pœnit.* dist. 6. n. 35. Reginaldus lib. 3. n. 3. Gabriel Vasquez de pœnitent. q. 93. art. 4. dub. 1. n. 9. Clavis regia, de pœnitent. cap. 26. n. 11. & alii passim.

Secundò, Confessarius revelans confessiones immane sacrilegium admittit: violat enim religionem violando sacramentum, quod à Christo Domino cum obligatione sigilli sacramentalis & institutum, adeo ut peccatum quo sigillum sacramentale cum deliberatione perfringitur, sit semper lethale, tametsi veniale dumtaxat peccatum ex una dumtaxat confessione cognitum revelaretur, nec astantes illud in confessione dumtaxat esse auditum intelligerent. Unde fit ut in ista confessionum revelatione nulla detur parvitas materiæ, quâ quis Confessarius ab lethali peccato excusari valeat: cùm vel ea minima rei ex confessione dumtaxat cognitæ revelatione gravia possint emergere incommoda, & plurimorum odium in ipsam confessionem concitari soleat, ut rectè observavit Suarez disputat. 33. sect. 1. n. 12. & sect. 3. n. 2. Vasquez loco proximè citato n. 14. & dub. 12. ad finem, & Onuphrios de sacro sigillo sect. 5. q. 1. vers. *Notandum secundò.*

QUÆSTIO L.

Quando sigillum violatur, & quando servatur illæsum.

RESPONDEO 1°. in multis casibus hîc, quantum fieri poterit, breviter enumerandis violari.

Cùm nec directè nec indirectè, nec expressè nec implicitè possit prodi pœnitentis peccatum, non solùm verbis, sed nec factis aut signis; nec tantùm sponte, sed nec respondendo ad quamcumque interrogationem: hæc enim omnia canone Concilii Lateranensis à nobis suprà recitato prohibentur.

Primò, violat sigillum expressis verbis, qui dicit: Joannes tale mihi peccatum in confessione narravit.

Secundò, violat sigillum qui dicit: Petrus mihi confessus est casum reservatum, vel gravia peccata, etiamsi nullum nominatim exprimat: nam ex ejusmodi verbis conjicere possunt astantes, Petrum multò graviora commisisse flagitia, quàm existimarent.

Tertiò, indirectè saltem violat sigillum is, qui cùm plurium confessiones exceperit, de uno dicit: Hic mihi solùm venialia confessus est. Nam ita loquendo tacitè innuit, alios sibi inter confitendum peccata lethalia declarasse.

Quartò, violat sigillum, qui dicit de loco quopiam angusto, in quo confessiones audit, esse multos improbos, putà fornicatores, adulteros, aut similes: cùm propter angustiam loci privari ejusmodi scelerum conscii facilè innotescere valeant. Violat etiam sigillum, qui asserit, in quopiam Monasterio esse quemdam vel quosdam ebriosos, fures, aut obscœnis amoribus irretitos. Per hæc enim multi in ejusmodi hominum notitiam devenirent.

Quintò, violat sigillum, qui implicitè & generaliter dicit: Ex quo Joannes mihi confessus est, non ampliùs peccavit mortaliter, sive non ampliùs fornicatus aut furatus est; vel sic: Joannes est mihi confessus omnia quæ admisit peccata mortalia; vel sic: Hic homo me utitur Confessario, & est valde scrupulosus & phantasticus; vel: Ego multos habeo pœnitentes, sed iste omnium est innocentissimus: laus enim istius in aliorum infamiam redundat: cùm enim de illius virtute magnificè prædicatur, aliorum peccata non obscurè reteguntur; siquidem nemo adit ad Confessarium, quin habeat levia saltem peccata de quibus confiteatur, & ille innocentissimus est: si autem conferatur cum aliis, & omnium innocentissimus dicatur; dubio procul alii, quibuscum componitur, vel plura peccata, vel graviora confiteri necesse est, propter quæ ille oous iis anteponatur: quod ab Confessario citra directam vel saltem indirectam sigilli violationem affirmari non potest. Item violat sigillum, qui dicit: Aliquis ex isto Collegio vel Communitate tale vel tale peccatum admisit. Item perfringit sacramentale sigillum, qui dicit alicui superiori: Vigila atque observa diligens, ô præsidens, vel paterfamilias, quia unus de tua familia est hæreticus, aut tale vel tale aliquid molitur. Hos casus quinto hoc numero relatos ita solvit Joannes Hesselius sui Catech. lib. 5. in Explicat. sacrament. cap. 57. fol. 153.

Sextò, violat idem sigillum, qui denegat suffragium aut electionem ad aliquod officium aut beneficium pœnitenti, qui exteriùs in communi omnium opinione vir bonus, & illi de quo agitur officio vel beneficio par & maturus existimatur) eo nomine quòd ea una dumtaxat ejus confessione illum improbum, atque adeo eo officio vel beneficio indignum esse perspexerit. Ita Suarez & alii recentiores bene multi. Quam sententiam egregiè confirmat Clemens VIII. in motu proprio, quem pro Regularibus edidit anno 1594. 16. Maii. Nam ibi præcipit, ne Confessarii ad superioritatis gradum evecti scientiâ de aliorum peccatis habitâ, in confessione utantur ad externam gubernationem.

Bonacina in tractat. de pœnitent. disputat. 5. q. 6. punct. 4. in propositione 2. n. 8. affirmat, in Societate Jesu prohibitum esse contrarium publicè vel privatim docere. Quod observandum esse convincunt rationes, quibus astruitur in nullo casu citra sacrilegium confessiones posse revelari. Duæ sunt illæ potissimæ rationes, quarum prima repetitur ex significatione & sanctitate sacramenti; altera verò ex parte pœnitentis, cujus infamiam ex sacrilega confessionis revelatione secuturam omni conatu Confessarium effugere necesse est. Cùm igitur duæ illæ rationes in hoc casu valeant, ut cùm maximè Confessarius pœnitenti, cujus indignitatem ex sola confessione cognitam habuit, suum ad aliquod officium aut beneficium obtinendum suffragium de-

negare non poterit : alioquin & odiosa fieret confessio, & pœnitenti infamiæ nota inureretur.

Quòd si Confessarius aliâ viâ quàm confessionis, ante vel post confessionem, sui pœnitentis indignitatem resciscerer, suum ei posset denegare suffragium, si modò revelationis periculum abesset : tunc enim suum suffragium illi, veluti digno, impertiri teneretur.

S. Thomas in Supplement. q. 11. art. 1. ad 3. ait, *posse Prælatum sine læsione conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantùm ut Deus, vel sine aliquo remedio : quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum defertur. Unde in his quæ ad ipsum deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantum potest, adhibere remedium : ut Abbas in casu (quo scit per confessionem alicujus Priori subjecti sibi, peccatum, cujus occasio inducit ipsum ad ruinam, si eo Prioratum dimittat) debet eum admonere, ut Prioratum resignet : vel si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absolvere eum à cura Prioratûs, ita tamen quòd omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione.* Hæc S. Thomas. Quæ verba perspicuè confirmant nostram sententiam.

Ergo, si quis sit indignus aliquo officio, aut beneficio propter peccatum ex sola confessione cognitum, ab eo nec potest, nec debet amoveri propter periculum revelationis ; sed is, qui scit illum esse indignum, quærat alias causas, propter quas ad illud officium aut beneficium assumi nequeat. Nam ex multis aliis causis redditur quis indignus ad prælationis officium, quàm ex peccato, sicut ex defectu scientiæ vel ætatis, vel alicujus hujusmodi ; & qui uteretur hujusmodi causis, nec suspicionem de crimine induceret, nec confessionem revelaret, ut ait idem S. Thomas ead. quæst. 11. art. 1. ad 3.

Septimò, in locis in quibus sepultura virginum seu adolescentulorum seu puellarum flosculorum sertis adornari solent, Confessarius ille violaret sigillum, qui cùm duorum adolescentulorum Confessarius extitisset, unius feretrum floreis sertis adornari juberet, non item alterius, quia eo facto unum perpetuam virginitatem coluisse, alterum verò sibi confessum esse de admissa per fornicationem virginitate revelaret, & infringeret præceptum divinum in Concilio Lateran. denuo promulgatum, quo jubetur Sacerdos omnino cavere, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Ita Hesselius loco proximè citato.

Ex his casibus, in quibus sacramentale sigillum infringi docuimus, facile colligere est alios casus, in quibus ut plurimùm & citra culpam reseratur. Itaque propero ad aliam quæstionis partem ; &

Respondeo 2°. in multis casibus non violari sigillum. Nam

1°. Non violat præfatum sigillum, qui peccatum ex confessione cognitum, & aliunde etiam, putà ex communi fama compertum, vel etiam à se, dum admitteretur, visum ; sive ante, sive post confessionem cognitum habuerit, revelat ; vel de eo testatur ex ea solùm cognitione, quam non ex confessione, sed aliunde hausit. Non enim revelat peccatum ut ex confessione cognitum, (tunc enim sigillum perfringeret) sed ut aliunde compertum, & ideo citra culpam ab eo revelandum, (si id aut necessitas aut utilitas publica poposcerit) cùm revelandi jus, quod habet extra confessionem, confessiones excipiendo amittere nequeat : ac proinde (modò revelationis periculum absit) possit hominem facinorosum deferre ad judicem, non minùs quàm alter quilibet, qui ejus confessionem nunquam audierit.

2°. Non frangit sigillum, qui cùm in aliqua diœcesi crebras confessiones audierit, & deprehenderit flagitia in ejus diœceseos multis oppidis & urbibus frequentiùs perpetrari solita, monet Episcopum, & illi indicat ejusmodi flagitia suppressis personarum nominibus, ut illa, quo poterit meliore modo, coërceat. Item non frangit sigillum, qui Parochum, quem certò viâ confessionis confessas sibi mulierculas dedecorare solitum esse resciscerer, & petitâ ab ejusmodi mulierculis veniâ & ritè obtentâ eum deferret ad Episcopum, quem utpote Episcopali charitate & prudentiâ præditum, ejusmodi hominem paterno affectu, & remotis arbitris correpturum esse perspiceret : is, inquam, non frangit sigillum, quod frangeret dubio procul, si ejusmodi Parochum deferret ad Episcopum, qui tyrannicâ quadam vi hominem peccatorem ad officii religionem (paternâ dumtaxat clementiâ revocandum) opprimeret.

3°. Non frangit sigillum Sacerdos, qui cum ex confessione cognoverit sibi insidias in loco quopiam adornari, & nonnullos in suam conspirasse perniciem, ex eo sese loco proripit, ut suæ saluti consulat : nullam enim revelat confessionem, sed suæ dumtaxat securitati prospicit. Non frangit pariter sigillum, qui cùm ex confessione didicerit sibi ad altare porrectum iri vinum veneno imbutum, occasione aliunde acceptâ, non celebrat, nec propterea confessionem reddit odiosam, nec cuiquam eo facto pudorem incutit.

4°. Non violat sigillum, qui revelat aliquid quod sibi præter confessionem sacramentalem commissum est, licèt id illi sit commissum his è verbis : Id tibi committo sub sigillo confessionis, & qui revelat illud ipsum, quasi sub sigillo confessionis acceperit. Ratio est, quia sigillum, id est obligatio celandi confessionem, nititur non solùm ex confessione valida, neque ex omni ea quæ quomodocumque fiat, sed ex omni & sola illa confessione quæ est sacramentalis, id est quæ cum animo sese accusandi, & clavibus Ecclesiæ subjiciendi se, fit illi qui habet, vel absolvendi potestatem habere creditur. Ergo sigillum sacramentale non ex qualibet, sed ex sacramentali dumtaxat confessione oritur.

Ut igitur confessio sigilli sacramentalis necessitatem inducat, debet 1°. fieri Sacerdoti, adeo ut illa quæ fit scienter laico, vel etiam Clerico inferioris ordinis, non inducat sigillum confessionis, sed secreti naturalis dumtaxat naturalis obligationem. Addita est ea particula, scienter, quia si quis bonâ fide confiteatur homini, quem (quantum ex externis indiciis conjici potest) Sacerdotem existimat, ex tali confessione sacramentale sigillum oritur, sicut & ex confessione, quæ apud Sacerdotem quidem, sed jurisdictione carentem fieret : quia ejusmodi confessio ex pœnitentis intentione fit Sacerdoti legitimam potestatem habenti, & ideo sacramentalis est, (etsi per accidens notabili defectu vitietur) atque adeo revelari non potest citra gravem injuriam tam sacramenti (quod bonâ fide subsistere creditum est) quàm pœnitentis, qui se idem illud sacramentum ab legitimo Ecclesiæ ministro suscipere nihil mali suspicatus existimavit. 2°. Necesse est ut confessio ad sacramentale sigillum obligatura fiat animo accusandi se, & subjiciendi se clavibus Ecclesiæ vel ut confitens ab Christi vicario absolvatur, vel ab eo in negotio salutis instituatur, vel alio quocumque modo adjuvetur ; alioquin non est confessio.

Unde fit, ut si peccator suam improbitatem speciosо confessionis titulo prætexens irridere, decipere, & ipsum Confessarium in sui sceleris cognoscentiam & societatem allicere, & pertrahere velit, non sit ejus confessio sacramentalis, nec proinde servandi sigilli necessitatem efferat. Quæ res declarata est Romæ in causa cujusdam Cardinalis, qui cùm exitiosam conjurationem in summum Pontificem adornaret, accesserat ad alterum etiam Cardinalem, quem prætextu confessionis sui sceleris participem

efficere gestiebat, ut commemorat Dominicus distinct. 18. q. 4. art. 5. & alii.

Quisquis igitur confitetur Sacerdoti cum animo se accusandi & subjiciendi clavibus Ecclesiæ etiam sine ullo dolore & contritione, sine ullo emendationis proposito, ejus confessio sacramentalis est, & ad sigillum obligat, secus autem ad arcani reticentiam ex jure scilicet naturali obligat quælibet alia secreti confessio vel revelatio, non autem ex præcepto sigilli, quo nemini Sacerdoti peccata ex sacramentali duntaxat confessione cognita declarare licet.

S. Thomas Supplement. q. 11. art. 2. ad 2. de his arcanis sic loquitur: *Ad secundum dicendum quod aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo (sub sigillo confessionis;) si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat.* Hæc S. Thomas.

Inde fit ut quisquis aliquod secretum extra confessionem sacramentalem acceperit, possit illud revelare, si ex ejusmodi revelatione magna quæpiam utilitas, vel Ecclesiæ, vel reipublicæ, secutura probabiliter appareat, etiamsi jurejurando quis se ejusmodi secretum vel flagitium nemini unquam patefactum ire promiserit: tunc enim dici debet solvi juramentum, quod ad iniquum & malum declinaret.

Si quis tamen aliena peccata nondum evulgata sub sigillo confessionis extra confessionem cognoverit, ea reticere debet jure naturali divino, sicut & alia magni momenti secreta, quorum revelatio magnam cuipiam afferret injuriam: quia ubique debet servari fides, sine justa autem ratione secretum prodere & fidem violare, præsertim in re gravi, est peccatum mortale, ut affirmat Hesselius loco paulò antè laudato.

5°. Non frangit sigillum sacramentale, qui de licentia pœnitentis libera, & debitis vestita circumstantiis, quas antea recensuimus, peccata ejus ex confessione cognita ob justam necessitatem & utilitatem publicam alteri patefacit. Hanc enim licentiam confitens Sacerdoti potest impertiri, non quòd possit impertiri facultatem violandi sigilli, quia dum peccata sua revelari permittit, intelligitur eadem illa peccata velle extra confessionem sacramentalem evulgari, quemadmodum aliquam historiam aut aliquidaliud commemorari fineret.

Sed ne quis Sacerdos se hac in parte decipi patiatur, non quolibet pœnitentis permissu ejus peccata declarare potest. Si enim hisce verbis uteretur pœnitens: Si vis peccata mea prodere, nihil contradico: si conscientiam tuam hoc flagitio devincire libet, vel audes, per me licet; tunc ea citra sacrilegium revelare non poterit.

Debet autem Sacerdos petratò istam revelandæ confessionis acceptare licentiam, propter scandala quæ inde oriri possent; sed tantùm in casu magnæ necessitatis & utilitatis, idque cum ingenti circumspectione & singulari prudentia perficiat; ita ut illum nemo confessionum proditorem esse suspicari valeat. Vix enim ullum gravius aut periculosius malum in Ecclesiam Dei grassari potest, quàm si fideles peccata in confessione sacramentali declarata ab Sacerdotibus revelari, persuasum habeant.

Unde gravi sese flagitio constringunt nonnulli Sacerdotes, qui ab rudibus & imperitis intempestivam, eorum peccata revelandi licentiam, extorquent, vel fraudulenter doloseque iis eliciunt, fortè ad instar hominum, non Christo Domino, sed suo ventri servientium, qui scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

Nec minùs peccant alii, qui posteaquam omnia peccata semel in sacramentali confessione declarata denuo ea repeti jubent, ut sic extra confessionem declarata etiam esse videantur.

Inprimis igitur caveant Sacerdotes, ne unquam sacramentale sigillum violent. Nam hoc discrimen intercedit inter secretum in alia materia, & sigillum confessionis, quod illud nonnunquam ita exigente necessitate & utilitate revelari, hoc verò nunquam reserari queat: etiamsi tota Ecclesia id imperaret. Præceptum quippe sigilli strictiùs obligat quovis alio præcepto, ut tradunt plerique omnes Theologi, etiam recentiores, ut Delrio lib. 6. disquisit. magic. c. 2. sect. 3. vers. *Quoad secundam limitationem.* Suarez disput. 33. sect. 2. n. 11. Onuphrius de sacro sigillo sect. 2. quæst. 3. conclus. unicâ, & alii.

Huc accedit quòd illud ipsum sigillum perfringi nequeat: tametsi ex peccati in confessione declarati reticentiâ Confessario, mors immineret: eo quòd infractio sigilli sit intrinsecè mala, nec ulla de causa cohonestari valeat, ut docet S. Thomas in additionibus quæst. 11. art. 1.

Ex omnibus prædictis inferuntur quædam monita ab quolibet Confessario servanda, qui utiliter ad ædificationem Corporis Christi, & ad æternam tam sui ipsius quàm proximi salutem incumbere decreverit.

Monitum primum.

Tametsi Confessarius generatim de rebus in confessione auditis, personarum nominibus suppressis, citra sigilli violationem colloqui possit; id tamen tam sobriè factitandum est, ut astantium nemo quempiam nominatim in peccati vel minimi suspicionem vocare valeat. Præterea id nunquam sine ratione fieri debet, v. g. ad ædificationem proximi, vel ad exquirendum ab viro docto pariter & cordato, quo pacto in tali & tali occasione sese gerere debeat. Sed inprimis cavere debet, ne coram laicis habeat ejusmodi colloquia: cùm enim ignorent quàm latè Confessarii libertas hac in parte pateat, neque sint satis emunctæ naris, ut per hujuscemodi colloquia nemini ullum damnum aut injuriam importari dijudicent, ex his arripiunt offensionis ansam, & omnem secreti fiduciam obeundæ confessioni necessariam abjiciunt.

Monitum secundum.

Confessarii qui unius hominis confessionem excepere vel etiamnum excipiunt, non possunt de ejus peccatis secum invicem colloqui: certum est enim apud Theologos neminem uti posse scientiâ confessionis extra confessionem cum manifestatione pœnitentis: id enim sacramentalis sigilli natura postulat. Ita cum aliis Suarez tom. 4. disp. 33. section. 1.

Monitum tertium.

Confessarius non potest etiam de pœnitentis licentia revelare quicquam, per quod alteri personæ vel inuratur infamiæ nota, vel aliquod qualecumque damnum inferatur: tunc enim sigilli religionem violaret. Quia sigillum institutum est divinitus ad bonum pœnitentium, atque adeo quoties ex alicujus rei in confessione duntaxat auditæ revelatione malum aliquod proximo vel imminet vel emergit, proculdubio violatur, & immane sacrilegium admittitur. Quod non fit, cùm de licentia pœnitentis ejus complicem citra revelationis periculum Confessarius corrigit, admonet, & peccata alioquin ab eo perpetranda extra confessionem impedit, & in hoc consentiunt plerique omnes Theologi.

Monitum quartum.

Confessarius non potest animi gratiâ referre in-

eptias hominum minimè malorum, quas in sacramentali confessione audiit, licèt eas generatim commemoret. Nam præterquam quòd ejusmodi nugæ citra quandam irreverentiam sacramento debitam narrari nequeunt, si id compertum haberent laici, confiterentur ægrè admodum, minusque fiderent Confessariis, à quibus suam simplicitatem & verba alioquin innoxia ludibrio haberi rescirent.

Monitum quintum.

Potest non solùm Confessarius petere facultatem ab pœnitente eos alloquendi, quos ex ejus confessione eorumdem cum ipso scelerum conscios & participes perspexerit; verùm etiam id quibusdam in casibus eum factitare necesse est, ut ejusmodi homines ad conversionem & pœnitentiam inducat, si præsertim apud se confiteantur. Sed hac in parte singularem prudentiam adhibere debet, ne sigilli religionem violare, suumque ministerium parum fideliter exercere videatur. Eam ob rem complici declarare debet, eum hac de re non alloqui, nisi quia id pœnitens æqui bonique consuluit.

Tunc temporis Sacerdos non peccat contra sigilli religionem. Nam duabus de causis Confessarius cognita ex sacramentali dumtaxat confessione peccata reticere tenetur.

Prima est & præcipua, quia ipsa peccati ex confessione cogniti reticentia est de essentia sacramenti, in quantum Sacerdos in sacramento peccata aliena cognoscit, & scit non ut homo, sed ut Deus, cujus vicem gerit in confessione sacramentali.

Secunda ratio petitur ex scandalo, quod summopere fugiendum est ubique, at præsertim in hujus administratione sacramenti: quod fit, cùm pœnitens, qui facere potest, ut Sacerdos qui sua peccata cognovit ut Deus, eadem cognoscat ut homo, facit ei facultatem alteri eupiam eadem revelandi peccata, de ejus licentia alteri patefacit, sacramentale sigillum non teserat; summa tamen circumspectione vitare debet scandalum, & cavere ne ipse Sacerdos sacrilegus ejusdem sigilli perfractor habeatur.

Hinc S. Carolus part. 2. c. 20. suarum Instruct. sic loquitur: Si Sacerdos necessitate coactus cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui debeat, id non nisi præfatâ veniâ faciat. Et part. 3. cap. 1. loquens de impedimento Communionis occulto. Si, inquit, usque adeo esset occultum, ut ex prævia dumtaxat confessione constaret, nihil extra confessionem præstare tenetur, quàm ferventi eos (pœnitentes) oratione Deo commendare: & si ad Communionem se præsentes sisterent, nullo eam pacto ns negare. Hactenus S. Carolus. Non potest ergo Confessarius pœnitentem de peccato ex confessione dumtaxat cognito corripere, nec speciatim exprimere peccatum aliquod, à quo illum perperam absolverit, nisi de prævio ejus consensu: sed illum quoquo modo poterit, inducat, ut rursum sibi confiteatur; vel illi ipsi patefaciat in genere, sibi esse aliquid ipsi pœnitenti necessarium, quod nullibi, præterquam in confessione declarare liceat.

Quæstio LI.

Quænam probitas in Confessario ad confessiones excipiendas necessariò requiratur.

Respondeo, eam in Confessario probitatem requiri, ut nullius peccati mortalis sit sibi conscius; alioquin peccabit mortaliter: sicut & quilibet alius Sacerdos sacramentum aliquod administrans in statu peccati mortalis sive lethali flagitio devinctus. Hæc est communis omnium Theologorum sententia in jure naturali & divino fundata. In jure naturali, quia, ut ait S. Thomas in 4. distinct. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 5. ad 2. est de jure naturali, ut homo sancta sanctè pertractet. Unde S. Augustin. conc. 1. in Psalm. 103. *Videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sanctè utuntur*, scilicet administrando & recipiendo. Et tractat. 5. in Joann. *Et ego dico, & omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis ministros.*

Nititur etiam jure divino illa ipsa Theologorum sententia. Nam crebrò Deus suis ministris sanctitatem imperat. Unde Exodi c. 19. v. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Et alibi: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et Isaïæ 66. *Iniquus est qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidit*, juxta lectionem LXX. Interpretum, quam etiam retinet S. Cyrillus Alexandrinus.

Pulcherrimam hujus rei rationem reddit S. Thom. 3. p. q. 65. art. 6. in c. ubi ait, esse conveniens ut sacramentorum ministri sint justi, quia ministri debent Domino conformari, secundùm illud Levit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Et Ecclesiast. c. 10. *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus.* Unde concludit, eos peccare lethaliter, qui in statu peccati lethalis administrant sacramenta. Et ideo, inquit, non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licèt sacramenta secundùm seipsum incontaminabilia sint) consequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale. Hæc ibi.

Observandum est tamen, non esse ibi duo peccata; unum scilicet commissionis in irreverentia, & alterum omissionis in omittendo contritionis actu, quem elicere debet Sacerdos peccati mortalis sibi conscius, antequam sacramentum administret: sed unicum sacrilegii peccatum, quod in indigna, sacrilegaque sacramentorum tractatione admittitur. Nam actus contritionis & pœnitentiæ in eo rerum articulo non cadit per se sub præceptum; sed solùm ratione præcepti religionis, quod quidem sacramenta indignè tractari prohibet. Et ideo cùm istius actus omissio specialem malitiam non importet, novum peccatum non constituit. Licèt autem per nefarios Sacerdotes sacramenta ministrentur, non propterea eo carent effectu, ad quem à Christo Domino sunt instituta. Nam, ut ait S. Aug. lib. 2. contra Epistol. Parmen. cap. 10. *omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Unde Concilium Tridenr. sess. 14. can. 10. eos anathemate percutit, qui dicerent Sacerdotes peccato mortali irretitos, potestatem ligandi & solvendi non habere, atque adeo absolutionem ab eis impertitam esse nullam & invalidam.

Respondeo 2°. in Confessario requiri, ut nullâ censurâ sit innodatus; ita tamen ut absolutio per excommunicatum, suspensum, aut interdictum prolata sit valida, modò nec sit nominatim denunciatus, nec notorius percussor Clerici, juxta Extravagantem *Ad evitanda*, communiter receptam.

Quicquid sit, semper Confessarius meminerit, in eo Confessionum excipiendarum ministerio, suam aliorumque salutem periclitari, nisi ad veram solidamque pœnitentium conversionem nervos omnes intenderit. Nam summopere verendum est, ne si eo munere perfunctoriè fungatur, aliorum saluti consulere volens, ipsemet reprobus efficiatur. Si enim id doctor Gentium aliis prædicans timuit, nemo est Sacerdos, quin illud ipsum potiori jure pertimescere debeat.

Si quis autem odiscere velit, qualibus quantis-

que virtutibus Confessarium ornatum esse oporteat, legat librum S. Gregorii de Pastorali Cura, legat sermon. 18. S. Bernardi in Cant. & audiat Basilium Magnum in tract. de abdicatione rerum, verum animarum directorem graphicè depingentem. Alloquitur virum qui jam terrenis rebus nuntium remiserat. *Summâ*, inquit, *vigilantiâ, acerrimaque in omnes partes animi circumspectione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, & ejusmodi, qui rectum iter pergentibus ad Deum indigitare valeat; qui virtutibus fulgeat; cujus opera domestica & quotidiana sinceram ejus flagrantemque in Deum charitatem testatam faciant; qui divinas litteras pulchrè calleat; qui nulli distractioni indulgeat, ab avaritia penitus abhorreat, nec sese ingerat pertractandis negotiis; quieti studeat, Dei amore ardeat, studeat sublevandæ pauperum inopiæ, sit expers iracundiæ, injuriarum immemor; qui libenti animo ventitantes ad se doceat; qui non turgeat inani gloriola; quem superbia non extollat, adulatio non frangat; qui præbeat sese constantem; qui denique divinâ gloriâ nihil antiquius & commendatius habeat.* Hactenus S. Basilius.

Quæ prosecuti sumus hucusque, satis superque demonstrant, qualem Confessarium esse, & qualem diligere oporteat. Jam ergo properandum est ad satisfactionem, quæ, cum contritione & confessione, sacramenti pœnitentiæ quasi materiam constituit. Sit itaque

---

Quæstio LII.

Quid sit satisfactio, & quomodo dividatur.

Ut assignetur legitima satisfactionis definitio, observandum est, satisfactionem generatim acceptam, nihil esse aliud quàm alicujus debiti, qualecumque sit, solutionem, ita ut quamcumque solutionem, restitutionem, compensationem, satis-passionem, tam liberam quàm coactam, tam assumptam quàm impositam, sua illa latitudine comprehendat.

Unde fit, ut si accipiatur satisfactio pro actu ab pœnitentiæ virtute imperato, definiatur, voluntaria pœnæ toleratio ad compensandam quodammodo injuriam Deo per peccatum illatam, ipsumque per ejusmodi satisfactionis opera, placandum.

Si autem accipiatur satisfactio prout est quasi tertia pars materialis sacramenti pœnitentiæ, definiri potest, voluntaria pœnæ ab Confessario in pœnitentiæ sacramento injunctæ, perpessio, ad compensandam quodammodo injuriam ipsi Deo per peccatum illatam, ad ipsum placandum, atque ita ad redimendam graviorem pœnam, quam peccator vel uno lethali flagitio promeruit.

Hujus definitionis partes expendere juvat.

1º. Dicitur voluntaria, quia cùm satisfactio sit actus à justitia elicitus & ab charitate imperatus, ut docet S. Thomas, voluntarium illum esse & ex electione procedere necesse est; alioquin nec esset actus virtutis, nec ullatenus acceptaretur à Deo.

2º. Dicitur pœnæ, quia scilicet cùm peccator præpostera creaturarum delectatione peccaverit, cum Deus per contritionem cordis & affectionem carnis ad se reverti voluit, ut per quæ peccaverat, per hæc & torqueretur. Atque ita honorem Deo debitum, & per lethale flagitium ademptum, impenderet, ut loquitur S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*. cap. 11. vel ut per pœnalia satisfactionis opera peccatorum causas excideret, nec suggestionibus eorum aditum indulgeret, ut loquitur Gennadius lib. de eccles. dogm. cap. 54. & ideo in lib. de vera & falsa pœnit. cap. 8. describitur pœnitentia, quædam dolentia vindicta, voluntariè in se punientis quod commisisse se dolet.

3º. Additur, ab Confessario in pœnitentiæ sacramento injunctæ: ut enim sit satisfactio sacramentalis, debet ab Confessario potestate clavium injungi, & forma absolutionis aliquatenus informari. Inde fit ut satisfactio ab Confessario imposita multò majoris sit meriti, quàm alia quælibet voluntariè assumpta, tum quia consideratur ab æterno Patre, velut ab ipso imposita Christo, cujus personam Sacerdos in pœnitentiæ tribunali sustinet: tum quia satisfactiones Christi, quæ nobis per hoc præsertim sacramentum applicantur, satisfactiones ab Confessariis impositas ad majus meritum majoremque dignitatem evehunt. Hac de causa pœnitentes, qui seriò suæ saluti prospiciunt, & animadvertunt, quibus potissimùm modis Deo satisfacere & in posterum ab peccatis abstinere valeant, rogant Confessarios, ut sibi satisfactiones quas vel ipsi indicant, ad expiationem criminum & sinceram vitæ emendationem idoneas injungant. At ipsa quidem satisfactio non sufficit ad expiandam pœnam peccati ex quantitate pœnæ, quæ in satisfactione imponitur; sed sufficit, in quantum est pars sacramenti, virtutem sacramentalem habens: & ideo oportet quòd per dispensatores sacramentorum imponatur; & ideo necessaria est confessio, ut loquitur S. Thom. Supplement. q. 6. art. 1. ad 4.

4º. Additur, pœnæ; nulla est enim satisfactio sine pœna, & nulla pœnitentia sine satisfactione: ergo nulla pœnitentia sine pœna; unde pœnitentia dicta est, quasi punitentia vel pœnæ tenentia, eo quòd nulla pœnitentia sive spectetur ut virtus, sive spectetur ut sacramentum, sine aliqua pœna pœnitenti vel sibi ab ipsomet vel ab altero vel inflicta vel infligenda consistere nequeat. Ideo satisfactio dicitur voluntaria suipsius punitio: quia licèt ad æqualitatem justitiæ non requiratur, ut peccator semetipsum afficiat pœnâ, sed satis sit eam ab alio inflictam pati; tunc tamen non erit verè satisfactio, sed satis-passio. Ut autem sit propriè dicta satisfactio, debet homo in se vindicare injuriam, quam Deo per peccatum intulit, sibique pœnam infligere, præsertim cùm ad obtinendam reconciliationem pertineat.

5º. Additur, ad compensandam quodammodo injuriam Deo per peccatum illatam, quia scilicet satisfactio formaliter est actus justitiæ, ut affirmat S. Thom. quæ est sui ad alterum, vindicantis scilicet in se offensam, quâ læsit alterum, ita ut quodammodo ad justitiam vindicativam, non tamen propriè, pertineat, sed constituat specialem virtutem, quâ nimirum aliquis sponte & ultro plectit in se injuriam, quam alteri intulit, ut illum placare, sibique reconciliare valeat: satisfactio quippe suapte natura illatam injuriam reparat, & ex necessaria consecutione amicitiam, quæ per injuriam fuerat dirempta, violataque, redintegrat; ac proinde est actus à justitia elicitus, à charitate autem imperatus, ut docet S. Thomas Supplem. q. 12. art. 2. ad 1.

6º. Additur, ad Deum placandum. Satisfactio enim quæ à pœnitente exigitur, non est qualiscumque solutio pœnæ debitæ pro injuria, quâ quis Deum lacessiverit; sed voluntaria, & Deum offensum & iratum placandi studio, suscepta, quam proinde omnem peccandi voluntatem excludere oporteat. Alioquin non esset illa satisfactio, sed mera vindicta, & satis-passio, quâ scilicet quis afficeretur pœnis lege constitutis, nec posset pœnam graviorem leviori redimere, quod damnatis accidit, qui cùm sint in pœna, pro pœna satisfacere nequeunt.

7º. Additur, ad redimendam graviorem pœnam, quia scilicet pœna æterna temporali afflictione expungitur, quod pulcrè explicat Tertullianus in lib. de

de pœnitent. Temporali, ait, afflictione pœnitentis æteroa supplicia expunguntur, & peccatot macetatur xeque excruciatur pœnitentiæ operibus, ne in æternum percat.

Hac de causa ad hoc, quòd aliquod opus sit satisfxctorium, oportet quòd sit bonum, ut in honorem Dei sit; & pœnale, ur per hoc aliquid peccatori subtrahatur, ut ait S. Thomas Supplem. q. 15. att. 1. in c.

Respondeo 2°. satisfxctionem multifxriàm dividi. Nam

1°. Dividitur in eam quæ est in pœna, & eam quæ est pro pœnx. Sxtisfactio in pœna fit, quando quis pœnis divina vel humana lege constitutis plectitur: v. g. cùm prædones & xlii id genus homines secundùm leges capitali supplicio mactantur. Satisfactio pro pœna ea est, in qua fit commutatio gravioris pœnæ in leviorem; ita ut pœnx xb lege constituta alterius, sed mitioris compensatione redimatur: v. g. si is, quem lega extremo supplicio xddicerent, pecuniariâ dumtaxxt mulctâ plecteretur.

Hæc divisio indicat, quod diserimen intercedxt inter hujus, & futuri sæculi pœnxs. Nam quotquot pœnitentiæ dignos fructus non ediderunt, dum adhuc degerent in terris, & decedunt in charitate Dei & proximi, temporales purgatorii pœnas subeunt, & in pœna non tam satisfaciunt, quàm satispatiuntur, quippe qui ea patiantur, quæ justitix Dei hominibus, etiam remissâ culpâ, æquissimx lege infligi voluit.

Verùm si quis divinæ gloriæ, suæque salutis studio succensus divinam justitiam antevertat, & ab semetipso pœnas peccatorum suorum multitudini & gravitxti respondentes repetat, prout per Scripturaa Spiritus sanctus passim imperxt, ille dubio procul satisfaciet pro pœnx graviori, divinitus infligenda, eamque pœnæ commutationem rxtam habebit divina benignitas: eam quippe sxcris in Litteris sæpe, nec obscurè, præcipit & inculcat.

Hujusmodi est ille quem describit Thomas à Kempis lib. 1. de Imitat. Christi c. 24. n. 2. *Habet*, inquit, *magnum & salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias, plus dolet de alterius malitia, quàm de sua injuria; qui pro contrariantibus sibi libenter orat, & ex toto corde culpas indulget, qui veniam ab aliis petere non retardat; qui faciliùs miseretur quàm irascitur; qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, & carnem omnino spiritui subjugare conatur: melius est modò purgare peccata, & vitia resecare, quàm in futuro purganda reservare.* Hæc ille pari ad veritatem pietate litteris prodidit.

2°. Satisfactio dividitur in xbsolutè perfectam, in sufficientem & imperfectam. Absolutè perfecta ex est, quæ exactam secundùm justitixm æqualitatem continet, itx ut nullius alterius includat & prærequirat grxtiam & liberalitatem, ex qua dependeat. Talis fuit solius Christi satisfactio, quam pro pœna æterna obtulit Patri, cui & in rigore justitiæ satiafecit. Nam si ad ejusmodi sxtisfactionem personæ condignitxs requiratur, quæ proveniat ex satisfaciente tanquam ex causx, sicut gravitas offensæ ex offendente proficiscitur, ut sit æqualitas inter rem & rem, solutionem & debitum, opus & offensam: Christus Dominus, qui non rxpinam xrbitratus est, esse se æqualem Deo, erxt infinitæ dignitatis, sicut & Pxter, à quo semper nxtus, semper nasciturus æternx fœcunditate generatur. Si requiritur, ut ea satisfactio fiat ex propriis, Christus sxtisfecit ex propriis, sive quia gratia, charitas, & cætera charismata erant personæ Verbi tanquam absolutissimi Domini, cui proinde nihil est grxtuitò donatum, ad hoc ut satisfxcere posset; sed quicquid gratis datum invenitur, ipsi humanitati datum est: ideoque & ipsa unio hypostatica beneficium est humanitati Christi, non autem ejus personæ concessum: sive quia dignitas personæ, quæ actiones Christi divino-humanas ad infinitum valorem provehebat, erat propria Verbi, sicut & persona divina. Unde fiebat ut actiones sibi proprias infiniti valoris & meriti & dignitatis ederet.

Si denique xbsoluta illa & perfecta sxtisfactio fieri debeat ex aliàs indebitis, id est ex iis qui creditori justitiæ titulo non debeantur: quamvis enim deberentur ipsi creditori titulo gratitudinis, obedientiæ vel alterius virtutis; non propterea minueretur rigor & perfectio justitiæ: æqualitas quippe quæ inter bonitatem satisfactorii operis, & malitiam criminis intercedere debet, nulla ex parte minueretur. Christus etiam ex xliàs indebitis satisfecit æterno Pxtri. Et hæc de Christi satisfactione delibare placuit, ut nimia ejus in nos charitas elucesceret: quippe ita pro nobis satisfacere voluit, ut nostræ, quantulæcumque satisfactiones ab ejus satisfactionibus infinitx dignitate & valore præditis, vim omnem & efficaciam traherent.

Satisfactio sufficiens ea est, quæ aliqua quidem æqualitate nititur, & tantum solvit quantum oportet; ita tamen ut personæ læsæ gratiam includat, & ex ea dependeat, atque adeo perfecta & xbsoluta nequeat xppellari. Hujusmodi satisfxctionem Deo exhibent homines peccxtorum veniam in pœnitentiæ sacramento consecuti, & reipsâ pro temporali pœnâ vel in hoc sæculo vel in altero persolvenda satisfaciunt; si tamen eorum satisfactio tam multitudini quàm gravitati criminum, quæ admisere, respondeat.

Satisfactio imperfecta ea est, quæ nulla rei vel operis æqualitate, sed sola personæ læsæ beneficentia & liberalitate nititur. Ea satisfactio deprehenditur in hominibus lethali flagitio constrictis, qui ante adeptam reconciliationis gratiam conteruntur, & Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, sibi ultro infligunt pœnas, & omnimodis iratum sibi Deum reconciliare conantur. Sed ea ejusmodi hominum satisfactio admodum est imperfecta, si cum lethali culpa & æterna damnatione illi debita conferatur. Non txmen contemnenda est, imò magni facienda. Omnes enim Patres per eam satisfactionem superioribus sæculis, iisque multis, pœnitentium reconciliationi præmitti solitam, intuitu sxtisfactionum Christi, mortis æternæ reatum, quodammodo aboleri crediderunt.

Tridentinum, cùm sess. 6. cap. 14. ait, nos non satisfxcere pro pœna æterna, sed pro temporali. Perspicuum est ex ipso contextu, citatum Concilium loqui de satisfactionibus, quæ sacerdotalem absolutionem consequuntur. Nam constat, ejusmodi satisfxctiones non fieri simpliciter ad xbolendum mortis æternæ reatum, sed xd exolvendam pœnam temporalem, quæ remissâ culpâ, & sublato per sacramenti susceptionem mortis æternæ reatu, superfuit.

3°. Satisfactio dividitur in liberam & coactam, sive in eam quæ ultro assumitur, sive in exm quæ pœnitenti ab Sxcerdote injungitur. Vocatur ea libera, quam sponte & ultro assumit pœnitens, præter eam quam Sacerdos injunxerit; & dicitur libera, non quòd eam pœnitens assumere, & coram Deo implere non teneatur, sed quòd eam suo ipsius, non alterius impulsu vel imperio suscipiat. Ea dicitur coacta, quæ à Sacerdote in sacramentali confessione injungitur, ita ut eam (nisi gravis obstiterit causa) pœnitens acceptare & implere teneatur.

4°. Dividitur satisfactio in publicam & privatam. Publica ea est quæ palam omnibus videntibus & intelligentibus peragitur, sive sit sponte assumpta: talia extitit pœnitentia Natalis Confessoris, qui, ut commemorxt Eusebius lib. 5. Histor. Eccle-

siast. cap. 28. cùm descivisset ad hæreticos, & crebris secundùm quietem admonitionibus corriperetur, & revocaretur ad Ecclesiam, & primæ apud hæreticos sedis, & turpia lucri cupiditate (quæ multos in exitium trahit) inescatus, ad Catholicam reverti obnueret; tandem ab angelis per totam noctem flagris cæsus, gravissimisque verberibus admonitus, surrexit primo diluculo, saccum induit, & cinere respersus, evolutis per ora lacrymis, sese abjecit ad Zephirini Episcopi pedes, ita ut non solùm Clericorum, sed etiam laïcorum genibus advolveretur, atque ita Christi misericordis & ejus Ecclesiæ pariter misericordis viscera commoveret. Inde factum est, ut multis precibus usus, ostensis etiam plagarum vibicibus, quas pro Christi confessione impressas exceperat, ægrè tandem ad fidelium communionem admitteretur. Est igitur satisfactio publica, vel sponte suscepta, ut constat ex allato exemplo; vel à Sacerdotibus injuncta: & talis olim extitit satisfactio factitari solita ab omnibus Christianis, qui post susceptum regenerationis sacramentum, ab Christo, cui sese devoverant solemni professione, per aliquod flagitium lethale, idque publicum, defecerant. Hanc in Ecclesia disciplinam totis duodecim sæculis viridi observantia valuisse resciunt quotquot ecclesiasticæ antiquitatis notitiam vel primoribus labris attingere voluerunt.

Ad has divisiones nonnulli adjiciunt aliam trimembrem. Dicunt enim, aliam esse ab Sacerdote in sacramento pœnitentiæ injunctam; aliam sponte extra sacramentum pœnitentiæ susceptam, tertiam denique neque ab Sacerdote injunctam, neque sponte susceptam, sed ab ipso Deo per immissa flagella hominibus inflictam. Tres illæ satisfactiones in hoc differunt, quòd prima duabus aliis tum utilitate, tum merito antecellat, tum quia pars est sacramenti pœnitentiæ, tum quia importat meritum obedientiæ quam pœnitens Sacerdoti veluti Christo Domino exhibet, impositam ab eo ejusmodi satisfactionem implendo; quod non cadit in alias duas, quæ tamen sua utilitate non carent. Nam, ut definitum est à Concilio Tridentino, per eas Deo satisfacimus: tametsi secunda, quæ est omnino voluntaria, tertiæ, quæ est patiens, & sincera pœnæ extrinsecùs inflictæ perpessio, antecellere videatur.

Hæc divisio est solida & docta, & eam huc afferre voluimus, tum quia Concilio Tridentino est apprimè consentanea, tum quia eam strictim dumtaxat in tertia satisfactionis divisione indicaveramus.

Quæstio LIII.

Utrum necessaria sit satisfactio ad remissionem pœnæ tam temporalis quàm æternæ.

RESPONDEO 1°. esse de fide, non semper à Deo totam pœnam cum culpa remitti, & ideo justitiæ divinæ per opera pœnalia satisfieri oportere. Cùm enim Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. declarasset, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonaretur, illud ipsum dogma sub anathematis interminatione sanxit ejusdem 14. session. can. 12. *Si quis dixerit*, (verba sunt Concilii) *totam pœnam simul cum pœna remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro illis satisfecisse; anathema sit.*

Quam veritatem, ut orthodoxam & Catholicam sanctos Patres omnibus retro sæculis implexos esse, declarat illa ipsa Synodus in ipso laudati octavi capitis exordio, cùm satisfactionem ex omnibus pœnitentiæ partibus ab patribus nostris, Christiano populo perpetuo tempore commendatam fuisse pronuntiat.

Quidquod eadem sacrosancta Synodus ejusdem session. 14. can. 13. declarat veluti fidei divinæ articulum, pro peccatis quoad pœnam temporalem Deo per Christi merita satisfieri. Hic est autem Canon: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque adeo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.*

Id igitur ab Concilio definitum est congruenter sacris Litteris, & toti traditioni, quæ frequentissimis hortamentis Christianos ad edenda condignæ satisfactionis opera incitat, ut Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et Proverb. 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Et item Proverb. 13. *Redemptio animæ viri divitiæ sua*, ut hunc locum interpretatur S. Augustinus. Dum enim dives suas divitias ad sublevandam pauperum inopiam erogat, seipsum ab pœnis, suis sceleribus debitis, eximit & redimit, & hæc redemptio satisfactionem seu debiti solutionem necessariò includit.

Illud ipsum probatur ex 2. Corinth. cap. 7. *Ecce enim hoc ipsum*, ait Apostolus, *secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*: quia scilicet Corinthii contristati erant ad pœnitentiam per Apostolum eos objurgantem, in semetipsos exarserant, ut ab seipsis debitas suo peccato pœnas repeterent. Prætereo alia Scripturæ loca ab aliis ad astruendam satisfactionis necessitatem studiosissimè collecta.

Tota pariter traditio eamdem implendæ satisfactionis necessitatem, sive pro pœna temporali, sive pro æterna, luculenter astruit & explicat. Tertullianus in lib. de pœnitentia pulcherrimè & necessitatem & modum depingit cap. 8. & 9. *Tantùm*, ait, *relevat confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio, contumacia. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ & unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est, ut non solùm conscientiâ preferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exhomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare: cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exhomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat: cùm squallidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit: in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Hæc ibi Tertullianus.

Gloriosissimus Martyr Cyprianus hanc eam-

dem satisfactionis necessitatem magnificè comprobat Epist. 55. ad Cornel. apud quem expostular nonnullorum impietatem, qui cùm idolis fudissent libamina, & imposuissent sacrificia, ab Ecclesia recesserant eo nomine, quòd non essent reconciliati, statim atque reconciliationis gratiam poposcerant. *Super hac non indignabor? dicit Dominus: & intercedunt, ne rogetur Deus, qui indignari seipse testatur: intercedunt, ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profitetur. Nos in ipso persecutionis tempore de hoc ipso litteras misimus, nec auditi sumus. Concilio frequenter acto, non consensione tantùm nostra, sed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret, & illi contra Deum sacrilega, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Ecclesia recedentes, & contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes elaborant, (ut opus suum Diaboli malitiâ consumment) ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet; miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat, ne Christum Dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodum quærat, ne ad Ecclesiam qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris novercâ intercedente præcluditur, ne de pectore atque ore lapsorum fletus & gemitus audiatur.* Hæc ibi.

Et idem Cyprianus idipsum prædicat in tractat. de lapsis. *Non cesset*, inquit, *in agenda pœnitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat.* Ex his S. Cypriani verbis paret, quanta sit satisfactionis necessitas, sive pro temporali pœna, sive pro æterna suscipiatur.

Hanc eamdem necessitatem pulcherrimè probat Clerus Romanus, celebrato in lapsorum causa Concilio, dum inscriptis ad S. Cyprianum litteris ita loquitur: *Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longè positos persecutionis istius ardor ejecerat: ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso, eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur; eorum autem quorum vita sua finem urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi, si qua prodiderint, cùm spes vivendi nulla substiterit; ita demum cautè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera: nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Hunc locum ex Cleri Rom. litteris excerptum cùm retulisset Cardinalis Baronius Annal. Eccles. tom. 2. ad ann. Christi 253. n. 79. eum pulcherrima hac & prudentissima animadversione locupletavit. *Quàm ergo rarum tuta*, ait, *quamque dubia sit illa festinanter exhibita reconciliatio, etiam petentibus eam cum lacrymis, dicta nuper sententia declaravit.*

Ille ipse Clerus Romanus in Epistola quæ est apud Cyprianum tricesima prima, satis indicat satisfactionis necessitatem, dum expostular eorum temeritatem, qui ante peractam pœnitentiam reconciliari vel invitis & reluctantibus Episcopis volebant. Sic enim ejusmodi hominum insolentiam perstringit. *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere, ut cum adhuc non solùm jaceant, sed & cadant, eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Non hoc est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.* Hæc hactenus ex traditionis thesauro eruere placuit. Qui plura requiret Patrum testimonia, ea legere poterit apud eos, qui hæreticorum placita ex sanctorum Patrum authoritate erroris & falsitatis revincere voluerunt. Itaque

Respondeo 2°. sanctos Patres credidisse & docuisse, satisfactionibus & laboribus ab pœnitentibus ante reconciliationem exantlari solitis, Deo pro pœna æterna quodammodo satisfieri. Nam quantùm ex eorum scriptis colligere & conjicere licet, duo totius pœnitentialis disciplinæ fundamenta posuerunt, quorum primum repetierunt ex immanitate criminum, quæ ab suscepto baptismo multò graviora esse, quàm ante perceptam regenerationis gratiam existimarunt, ut mox videbimus.

Alterum ejusdem disciplinæ fundamentum, erat istud axioma Christianorum omnium animis à patribus impressum: scilicet satisfactiones ab Ecclesia impositas diligenter, & strenuè peractas, non tantùm pœnæ temporariæ, sed etiam æternæ, satisfacturas esse & expunctrices, animam emundare, Dei misericordiam in peccatores allicere.

Quod cùm persuasissimum esset tam Patribus, quàm pœnitentibus, Patres diuturnos & gravissimos pœnitentiæ labores ipsis indicebant, ut æterna inferorum supplicia suis sceleribus debita, suis afflictationibus non quidem adæquarent, (hoc enim præstare non poterant) sed per opera laboriosa ex infinitis Christi satisfactionibus & meritis suam omnem vim trahentia, quodammodo compensarent. Quod cùm ipsi pœnitentes exciperent ex ore sanctorum Patrum crebrò id ipsis inculcantium, nulli parcebant labori, nulli difficilium asperarumque rerum perpessioni, ut per temporariam carnis macerationem calamitosæ æternitatis pœnam expungerent.

Doctrinam hanc jam à multis sæculis in Ecclesia receptam, tradidere vetustissimi quique Patres.

Tertullianus id perspicuè declarat in lib. de pœnit. cap. 9. quem locum suprà retulimus. Et cap. 11. *Deliqui*, ait, *dicito in eum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* Et cap. 12. *Si de exhomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exhomologesis extinguet, & pœnæ priùs magnitudinem imaginare ut de remedii adeptione non dubites.* Et paulò post. *Igitur cùm sciat adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exhomologesi secunda subsidia; cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi?*

Sanctus Pacianus vir primatiæ in Hispania nobilitatis, qui quarto sæculo præcipua castitatis & eloquentiæ laude floruit, ut testatur S. Hieronymus,

idem] cum Tertullisno perspicuè docet in Parænesi ad pœnitentiam sub finem, his verbis : *Timete, dilectissimi, judicia, omittite errorem, damnate delicias, properat jam tempus extremum, tartarus & gehenna laxatos impiis sinus pandunt. Post animarum tempestiva supplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna servatur. Nemo Titii jecur credat, & vulturem Poetarum. Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus.* Et paulò pòst. *Si de cruciatu exhomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis exhomologesis extinguet.*

Postea suum gregem, populum scilicet Batcinonensem, hortatur ad pœnitentiam : *Rogo vos per Ecclesiæ fidem, fratres, per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor & deprecor : ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimùm remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari : in quantum pœna vestra non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet.*

Julianus Pomerius ex Mauritania in Africa oriundus, Sacerdos in Gallia ordinatus, cujus scripta tanti sunt æstimata, ut sancto Prospero ab octingentis anois fuerint ascripta, id ipsum docuit sæculo quinto in lib. 2. de Vita contemplat. cap. 7. *Quòd si ipsi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hîc in se voluntariam pœnam severissima animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia.*

S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 4. id ipsum tradit his verbis : *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos, expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Et ad Virg. lapf. cap. 8 *Quantamvis afflictionem, quantumvis laborem & indecorem subire, esto contenta : dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* Et postea. *Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur. & si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.*

Solida illa sanctorum Patrum doctrina Scripturæ authoritate nititur. Quid enim aliud indicant metuenda illa divini Præcursoris verba, Matth. cap. 3. v. 7. & 8. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira ? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Per iram venturam significari gehennam, declarat idem Præcursoc in eod. capite v. 12. Cùm igitur ait, *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, satis superque, pœnam per laboriosa veræ pœnitentiæ opera penitus aboleri significat.

Constat igitur ex hoc toto capite, Dco per opera pietatis pro pœna tam temporali quàm æterna, quodammodo satisfieri oportere. Tametsi enim satisfactio absolutionem sacramentalem consequatur, eam tamen pœnam quodammodo respicere debere, inde conficitur, quòd & ipsa sit pars saccamenti pœnitentiæ instituti ad tollendum pœnæ reatum ; & præterea impertiatur absolutio non tantùm intuitu contritionis & confessionis, verùm etiam satisfactionis, vel jam factæ vel postea faciendæ. Cùm igitur pœnitentem absolvat Sacerdos à pœna æterna, coosequens est, etiam satisfactionem in suo genere atque ordine valere, sicut contritionem & confessionem, licèt non omnino æqualiter, ut doctè & solidè observavit Estius in 4. Sentent ad dist. 15. §. 10.

Quæstio LIV.

Vnde fit ut in pœnitentia sacramento non concedatur peccatorum remissio eadem facilitate, quâ in baptismo conceditur.

UT hæc quæstio perspicuè solvatur,

Observandum est, Christi Domini satisfactiones æterno Patri ad nostrorum peccatorum solutionem & medicinam exhibitas, non eodem modo in regenerationis & pœnitentiæ sacramento nobis applicari. Nam tametsi Deus utpote justus, peccata nonnisi punita dimittat, atque ita misericordia quâ baptizatos afficit, non omnino disjungatur à pœnitentia, in qua misericordia & justitia societatem ineunt, mutuáque sibi pacis oscula faciunt ; in baptismo tamen, quemadmodum affirmat S. Augustinus, vel ipsi infantuli sacramento baptismatis initiandi sint pœnitentes, & pœnitentiam agunt eorum adjumento, quorum manibus ad regenerationem afferuntur, sicut eorum ore credunt & profitentur fidem. Quod cùm ita se habeat, nihil tamen prohibuit, quominus SS. Patres satisfactionem prolixiorem, difficiliorem, operosiorem, magisque scelerum gravitati & multitudini respondentem, ad consequendam in pœnitentiæ sacramento reconciliationem ab pœnitentibus exegerint, cùm multò minor & levior (Deo uberiori misericordiâ & gratiâ, quod deerat supplente) sufficeret.

Quod egregiè declarat Concilium Tridentinum session. 14. cap. 2. *Alius est*, ait, *baptismi, alius est pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus : ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.*

His ita prælibatis,

Respondeo, eam coosequendæ remissionis in sacramento pœnitentiæ difficultatem esse repetendam ex peccatis, quæ suscepto baptismo longè graviora sunt, quàm antea, & ideo majoribus & lacrymis & laboribus expianda.

Hanc esse constantissimam SS. Patrum doctrinam, nemo in eorum libris vel mediocriter versatus inficiari voluerit.

Audire juvat S. Joannem Chrysostomum id mirabili eloquentiâ prosecutum homil. 1. in Acta Apostol. *Illud*, ioquit, *considera. Habuit aliquis commissa gravia, vel homicidio, vel adulterio, vel aliquo quopiam facinore perpetrato : hæc per lavacrum remissa sunt. Non enim est, non est, inquam, ullum jam peccatum, ulla impietas, quæ non cedat, locumque det dono Dei. Nam divina res est gratia. Deinde mœchatus est aliquis, aut homicidium perpetravit : prius quidem adulterium condonatum est, & homicidium illud simul cum adulterio concessit, ac nequaquam revocatur : nesciunt enim pœnitentiam dona & vocatio Dei. Cæterùm pro his, quæ post baptismum concessa sunt, tantam damus pœnam, quasi & illa revocata sint, ac multo etiam graviorem. Iam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex. Quod autem his gravior pœna debeatur, audi quid dicat Paulus : Qui spernit legem Mosis sub duobus aut tribus testibus, absque misericordia moritur ; quantò putatis*, &c.

Id ipsum tradit Theodoretus in Epitome divinorum Decretorum sub finem capitis de pœnitentia. *Sunt ergo*, ait, *medicabilia etiam quæ post baptismum*

sunt vulnera: medicabilia autem, non ut olim per solam fidem datâ remissione, sed per multas lacrymas & fletus & luctus & jejunium, & orationem & laborem facti quantitati respondentem. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec divina eis facilè impertiri. Nolite, inquit Christus, dare sanctum canibus, nec margaritas porcis.

Eam consuetudinem, sacra scilicet mysteria non impertiendi, nisi iis qui multis lacrymis, & jejuniis, & orationibus admissa post baptismum flagitia eluissent, in Ecclesia Orientali viguisse, disertè sub finem laudati tractatûs ille ipse Theodoretus asserit.

Cassianus Collat. 23. cap. 15. id ipsum affirmat. Quisquis post baptismum & scientiam Dei in illud corpus mortis irruerit, sciat se non quotidianâ gratiâ Dei, id est facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus noster erroribus nostris donare consuevit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis, ac pœnali dolore purgandum, aut pro his in futurum ignis æterni suppliciis addicendum.

S. Augustinus lib. 50. hom. postremâ homiliâ, quam divinam viri docti appellari voluerunt, triplicem distinguit pœnitentiam, unam ante baptismum, duas alias post baptismum: unam scilicet quotidianam pro levioribus peccatis, sine quibus in terris non vivitur; alteram verò pro gravioribus peccatis, quæ baptismi gratiam penitus extinguunt.

Ista pœnitentia, ait, *majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus non dijudicetur à Domino. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini: ut qui separari à regno cælorum timet, per ultimam sententiam summi Judicis, per ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis interim separetur.*

Hæc in laudata homilia cap. 3. & cap. 5. sub finem: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Hanc sanctorum Patrum doctrinam ex limpidissimis traditionis fontibus haustam expressit insigniter Richardus à sancto Victore, lib. de Potestate ligandi & solvendi, cap. 12. *Si vultis nosse*, ait, *& potestis patienter audire, faciliùs reconciliatur paganus post crimina centum, quàm Christianus quilibet post unum solum. Hinc est quòd cuilibet pagano quantumlibet criminoso, accepto baptismate, nulla injungitur satisfactio: Christiano autem criminaliter peccanti, sed jam pœnitenti & confitenti, non sufficit Sacerdotis absolutio sola sine satisfactione injuncta. Sola verò Christi hostia, mactata videlicet caro, satisfacit pro recenter baptizato.*

S. Gregorius Nazianzenus orat. 40 in sancta lumina, vocat *pœnitentiam lacrymarum baptismum, sed multò asperiorem & laboriosiorem, (baptismatis sacramento) quo quidem ille tingitur qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis lavat, cui ipsa quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens & contristatus ingreditur.*

Ex his SS. Patrum testimoniis colligitur, quàm meritò Concilium Trident. sess. 14. cap. 8. affirmet, divinam clementiam decere, ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur.

QUÆSTIO LV.

Quibus rationibus inducti sunt sancti Patres, ut flagitia baptismum antegressa, leviora: & eumdem baptismum secuta, graviora esse pronuntiarent.

HUJUSMODI rationes è Concilii Tridentini verbis exprimere necesse est. Sic ergo loquuntur ejus Concilii Patres sess. 14. cap. 8. *Sanè & divina justitia ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis peccata absque ulla satisfactione dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

Ex pulcherrimis hisce Concilii verbis tres elicio rationes, propter quas peccata baptismum antegressa, leviora; baptismum autem subsecuta, multò graviora dici debeant.

Prima ratio petitur ex ignorantia eorum qui deliquerunt ante baptismum, & ex notitia eorum qui post baptismum sese in lethale flagitium immerserunt.

Secunda petitur ex eo, quòd Christiani per baptismum in Dei templum sunt inaugurati, & in sancti Spiritus domicilium assumpti, & utrumque lethali flagitio violarunt.

Tertia, quòd gravem Spiritui sancto contumeliam inferant per lethale peccatum, abjiciendo gratiam ab ipso Spiritu sancto in illos abundè per lavacrum regenerationis effusam, pactumque in baptismo initum animadvertendâ perfidiâ temerare audeant.

Hujusmodi rationes expendere operæ pretium est.

Primam Concilii Tridentini rationem tantâ facundiâ explicat Tertullianus in lib. de Pœnit. cap. 5. ut ejus verba præterire non liceat. Sic igitur ait: *Hoc dico pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere. Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique delictorum pœnitentia functus, (antequam baptizarere) rursus te in delicta restituis. Ita, in quantum ignorantiâ segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti! Neque enim timorem alia res, quàm contumacia subvertit. Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cælestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quanto cognitum despici periculosum est? Despicit porro, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit, respuit datorem, cùm datum deserit; negat beneficium, cùm beneficium non honorat: quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non solùm contumax, sed etiam ingratus apparet. Cæterùm non leviter in Dominum peccat qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit, ut denuo malus recuperatâ prædâ suâ adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum*

est, sed ad ædificationem proferendum est, Diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet, eritque tantò magis perosus Deo, quantò æmulo ejus acceptus.

Ex hoc eloquentissimo & pulcherrimo Tertulliani loco elucet magnum, quod intercedit, discrimen inter peccata, quæ baptismum antecesserunt, & inter ea, quæ baptismum sunt consecuta: illa enim adscribit ignorantiæ, quæ quidem peccata, alioquin gravia, respectu peccantis leviora facit, ut constat ex cap. 3. Act. v. 17. ubi sanctus Petrus Judæos Christi interfectores alloquens ait: *Authorem vitæ interfecistis.* Et paulò pòst: *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Ergo peccata ante baptismum admissa, leviora sunt iis, quæ post baptismum sunt perpetrata: nam illis ignorantiæ excusatio obtenditur; his verò cùm nulla patrocinari possit ignorantia, graviora reputantur, eo nomine quòd baptizatus repudiato Christo Domino, cujus notitiam in sacramento illuminationis habuit, Diabolum apud quem fœdam ante baptismum servitutem servierat, Diabolum, inquam, (quod horresco referens) per lethale flagitium anteponat.

Illam ipsam rationem ab hominum nondum regeneratorum ignorantia petitam, egregiè prosequitur Richardus à sancto Victore, in tractatu de potestate ligandi & solvendi, cap. 22. *Quicquid*, ait, *ab infideli committitur, inter peccata ignorantiæ deputatur. Nam etsi sciat se peccasse, cùm peccat; nescit tamen examinare pondus peccati: nescit enim illud non posse expiari, nisi per mortem Hominis-Dei. Caligo itaque hujusmodi ignorantiæ supra modum levigat immanitatem culpæ. Christiani verò, qui se cognoscunt redemptos à morte per mortem Christi, proculdubio non possunt per hujusmodi ignorantiam excusari. Ad plenam itaque satisfactionem pro peccato illis hostia conceditur, istis omnino non relinquitur. Ubi peccatum per hostiam expiatur, aliena potiùs quàm propriæ carnis mactatione reconciliatur. Infideli itaque converso & in Christi fide baptizato nulla satisfactio, nulla carnis afflictio injungitur, cui propter priorem ignorantiam ad expiationem peccati hostia conceditur: nam per passionem & mortem Christi ab omni reatu ad plenum purgatur. Criminosus autem Christianus, quoniam per infidelitatis ignorantiam de suis criminibus nullatenus excusatur, in propria carne punitur, & quasi voluntariè peccanti post acceptam veritatis notitiam voluntaria satisfactio injungitur. Et quod contra Deum jam non ignoranter præsumpsit, non sola hostiæ oblatione, sed propria carnis maceratione & mortificatione purgatur. Ecce quod superiùs jam diximus, quòd difficiliùs expiatur criminosus Christianus, quàm criminosus paganus. Sed cur, quæso, expiatur difficiliùs, nisi quia offendit graviùs?* Totam hanc doctrinam deduxit ipse Richardus ex duobus principiis in ejusdem capitis vicesimi secundi exordio stabilitis, quorum

Primum est, per ignorantiam peccantibus ad expiationem, satisfacere hostiæ per legem determinatæ, oblationem.

Alterum est, voluntariè peccantibus juxta Apostolum non relinqui hostiam pro peccato. Quod in lege mysticè præcipitur, ait, hoc sub isto tempore, amoto figuræ velamine, quotidie veriùs adimpletur. Præcipitur in lege, ut anima quæ per ignorantiam peccaverit, hoc vel illud pro peccato offerat, & dimittetur ei quod per ignorantiam commiserat. Sed de voluntariè peccantibus præcipitur reddere animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

Ex his Scripturæ locis vult inferre hic Author, nullam homini baptizando injungendam esse satisfactionem: quippe qui per ignorantiam peccaverit, atque adeo illi hostia à Christo Domino in ara crucis oblata ad regenerationem sufficiat: cùm Christianum, qui sciens & volens perceptâ baptismi gratiâ peccavit, non sola hostiæ oblatione, (sine qua nulla fit peccatorum remissio) sed etiam propriæ carnis maceratione & mortificatione purgari oporteat.

Secunda ratio propter quam graviora sunt regeneratorum flagitia, quàm Catechumenorum, repetitur ex eo, quòd Christiani per baptismum fiant templum Dei & domicilium Spiritus sancti. Quod verissimum prædicat Apostolus 1. Cor. cap. 3. v. 16. & 17. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit disperdet eum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et cap. 6. ejusd. Epist. v. 19. postquam significavit Corinthiis, eos esse ablutos & sanctificatos, & justificatos in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, ait: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?*

Ratio hujus honoris & dignitatis, quâ donantur regenerati, petenda est ex stupendo Incarnationis mysterio. Ex quo enim Verbum æternum hominum naturam æterno unionis hypostaticæ vinculo sibi devinxit, corpus ejus factum est templum: in ipso enim habitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Apostoli verbis utar: ex quo, inquam, peractum est inenarrabile illud & magnum pietatis sacramentum, omnes in Christo regenerati in totidem templa Deo dedicata inaugurari meruerunt. Unde S. Hieronymus in cap. 1. Zachar. explicans illa Evangelii verba, *Solvite templum hoc, ille autem dicebat de templo corporis sui*, sic loquitur: *Templum hoc in passione destructum, in resurrectione suscitatum est: & omnium templorum seminarium & exordium fuit, de quibus Apostolus: Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* 2. Corinth. c. 6. v. 16.

Inde patet, quanta & quàm immania sint peccata, quæ admittuntur à regeneratis. Si enim sacri cujuspiam loci, putà templi violatio, tantis pœnis ab ipso Deo & hominibus plectitur, quantis suppliciis afficiendus erit regeneratus, qui seipsum templum Dei per flagitium lethale profanaverit.

Si profanationem Templi Hierosolymitani quæ in sanctæ illius civitatis excidio contigit, vocat Christus in Evangelio *abominationem desolationis stantem in loco sancto, quæ dicta est à Daniele Propheta*; quo nomine appellaret profanationem, quâ Christiani, qui templa sunt Dei vivi, seipsos, id est animata Dei templa per peccatum lethale violant, destruunt, labefactant? Hæc lectori meditanda & Concionatoribus prosequenda relinquo.

Tertia ratio unde petitur gravitas peccatorum baptismatis gratiam populantium, repetitur ex contumelia quâ Spiritus sanctus per lethalia renatorum flagitia violatur. Per peccata baptismum consequentia violari præsertim dicitur Spiritus sanctus, quia illi potissimùm gratia nostræ regenerationis ascribitur. Unde Concilium Nicænum in can. de baptismo, qui est in Actis Gelasii Cyziceni lib. 2. c. 30. sive in Actis Alphonsi Pisani can. 7. *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est. Aquam vides, sed tamen considera Dei potentiam, quæ latet occulta in aquis: nos enim Spiritu sancto & igne baptizari sacra testantur eloquia.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. *Non tan-*

quam aqua simplici accede huic lavacro, sed ut spirituali gratia, qua cum aquâ datur. Nam ut illa qua in ara offeruntur, cùm naturâ sint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur: sic contrà aqua simplex per sancti Spiritus, Christi & Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur.

S. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat qua habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit.*

Idem S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 11. *Audi, quomodo testis Spiritus sanctus mentem renovat; aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad pretium, Spiritus Dei vos per adoptionem filios Dei facit, sacri fontis unda vos abluit, sanguis Domini vos redemit.*

S. Joannes Chrysostomus hom. 35. in cap. 5. Joann. *Quemadmodum hujus aqua natura per se non sanabat; siquidem semper sanasset, sed duntaxat cùm ab Angelo movebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cùm Spiritûs gratiam accipit, omnia peccata abluit.*

S. Augustinus Epist. 23. ad Bonifacium. *Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratia, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratia, regenerat hominem in uno Christo ex uno Adam generatum.*

Recitata tot Patrum testimonia eò tendunt, ut unusquisque nostrûm suam in Christo regenerationem acceptam Spiritui sancto referri oportere noverit, atque adeo se secundùm Apostolum contristare Spiritum sanctum Dei, si post acceptam divinæ regenerationis gratiam admittat aliquod flagitium lethale, propter quod Spiritus sanctus velut offensus & contristatus, sese ex ejus animo proripiat. Ergo infertur contumelia Spiritui sancto, cùm accepta ab eo gratia per aliquod crimen abjicitur. Nam, ut ait Tertullianus, respuit quis datorem, cùm datum deserit; negat beneficum, cùm beneficium non honorat.

Præterea qui gratiam è sacro baptismatis fonte haustam, per lethale flagitium effudit, contumeliam infert Spiritui sancto, eo quod Spiritum veritatis mendaci pollicitatione, quam baptizandus edidit, è suo corde abigat: quæ summa est in Spiritum sanctum offensa. Nam constat ex SS. Patribus nos in baptismo inire pactum cum Deo, quod quidem sine gravi flagitio perstringere non possumus.

Qua de re nos insigniter admonet S. Gregorius Nazianz. orat. 40. in sanctum baptisma. *Ut compendio dicam, ait, nihil aliud esse vim & facultatem baptismi existimare debemus, quàm secunda vita ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodia nostras animas servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta formanda, Deus medius adhiberi soleat: quantum, quaso, periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur ac præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur?* Hactenus S. Gregorius.

Ad has omnes rationes una adjici potest desumpta ex ingratitudine, quæ admissa post baptismum flagitia mirum quantum exaggerat. Quod ut elucescat, proferenda sunt verba, quibus ille ipse Gregorius Theologus baptismi dignitatem attollit in ipso citatæ orationis exordio. *Baptismus, inquit, omnium Dei beneficiorum præclarissimum est & præstantissimum. Etenim quadam sancta sanctorum vocantur, & cantica canticorum, quòd scilicet latius pateant, ac plura complectantur, præ quam quæ dignitatem habeant: eodem modo baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate superet. Quemadmodum Christus hujus dator multis ac diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur, sive id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat, (fit enim ferè, ut qui rem aliquam impensissimè amans, nomina quoque ipsa libenter usurpent) sive quòd multiplex hujus beneficii utilitas multas quoque appellationes nobis pepererit. Donum vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellamus. Donum dicitur, quia iis qui nihil prius contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Unctio, quia sacer & regius: hujusmodi enim ea erant quæ ungebantur. Illuminatio porrò, quia splendor & claritas. Indumentum, quia ignominia nostra velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est & dominationis significatio. Huic gratulamur cœli: hunc angeli propter splendoris cognitionem celebrant: hic beatitudinis illius simulacrum gerit: hunc laudibus quidem & hymnis celebrare volumus, verùm pro rei dignitate non possumus.*

Ex declarata tanti oratoris & Theologi verbis baptismi præstantia elucet, quanta se ingratitudine obstringant, qui tanti beneficii jacturam per peccatum lethale facere nihil reformidant.

Author Canonum Pœnitentialium, quisquis ille sit, proponit quæstionem nostram ad rem accommodatissimam. *Si quæratur, ait, quare pœnitentia sit aggravata cùm lex nova sit lex misericordiæ? respondeo, inquit, quòd hic est major ingratitudo propter majorem gratiam, & major contemptus propter majorem dignitatem nova legis, in qua Christi sanguis est effusus, & gravius peccatum propter statum peccantis, qui debet esse perfectior: & ulterius satisfactio in lege nova debet esse perfecta, ut in pristinum statum reducat.*

Hanc quæstionem & ejus solutionem reperies in principio Canonum Pœnitentialium, qui post Decretum Gratiani subjici solent, fol. 2057. Omnes illæ rationes liquidò declarant, peccata quæ post perceptam baptismi gratiam admittuntur, esse multò graviora iis, quæ baptismum antecedunt. Ac reipsa quidem multis nos per baptismum donis beneficiisque cumulari sancti Patres passim prædicant, ut significent nostra peccata eò graviora fore, si nos per lethale flagitium, tantæ gratiæ immemores præstiterimus.

S. Clemens Alexandrinus quem S. Hieronymus & Theodoretus Græcorum Patrum eruditissimum crediderunt, lib. 1. Pædagogi cap. 6. insigniter recenset dona quibus in baptismo afficimur. *Tincti, inquit, illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur Ergo, inquit, dii estis, & filii Excelsi omnes. Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, quâ remittuntur pœna, qua peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est per quam id quod est divinum, perspicimus: perfectum autem dicimus, cui nihil deest: quid enim ei desit, qui Deum novit? Est enim revera absurdum, (ei vocari gratiam, qua non sit perfecta & undequaque plena.* Hæc ille.

Non solùm igitur sancti Patres ab omni ævo docuerunt, omnia peccata, quantacumque essent, in baptismo remitti quoad culpam, & quoad pœnam: verùm etiam baptizatos cælestibus donis affatim locupletari prodiderunt, ut suprà vidimus.

Quod spectat ad peccata, omnia per baptismum dimitti, docet sanctus Augustinus Enchirid. cap. 64. & Serm. 6. de verb. Apost. cap. 9. & inprimis lib. 3.

de Symbolo ad Catechum. cap. 10. ubi sic loquitur: *Omnia prorsus peccata delet sanctum baptisma & originalia & propria: dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem: donat delicta, qui non quærit merita.* Idem tradit ipse S. Aug. Serm. 29. de verb. Apostoli cap. 1. & 3. & lib. 3. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 3. & tractat. 80. in Joann. & Ep. 23. Idem asserunt S. Hieronymos Epist. 83. ad Oceanum, S. Ambrosius Serm. 31. ubi divinam illam baptismi in remittendis omnibus peccatis virtutem mirabili facundiâ exaggerat; S. Joannes Chrysostomus homil. 11. in Epist. ad Philipp. Isidorus Pelusiota S. Joannis Chrysostomi discipulus, lib. 3. Epistol. Epist. 195. & Optatus Mileviran. lib. 5. de Schismate adversus Donatist. ubi inter cætera ait: *Quis nesciat, singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium?* Hæc ille.

Hæc igitur extitit fides sanctorum Patrum, & quidem ita communis & pervulgata, ut can. 1. Concilii Carthagin. IV. sancitum sit, neminem Episcopum ordinandum esse, quin priùs interrogaretur, an peccata omnia in baptismo, id est tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, remitti crederet.

Præterea multa alia sanctorum Patrum testimonia eò collineantia persuadeant quod luculenter affirmat Innocentius III. Sermon. 2. in fest. Pentecostes. *Sciendum est*, ait, *quòd fides Christi quæ justificat impium, revera mundat à culpa, sed non semper ab omni pœna. Sacramentum verò baptismi, si dignè sumatur, liberat omnino à culpa pariter & à pœna.* His ita constitutis,

Si ingratitudinis immanitatem ad beneficiorum multitudinem & dignitatem admetiri oporteat; cùm tanta bona è sacro baptismatis fonte nostros in animus derivata scaturiant: nemo non videt, quanta sint peccata quæ cum tanta ingratitudine perceptâ regenerationis gratiâ perpetrantur, atque adeo quantâ, quámque severâ satisfactione expiari debeant.

Hactenus satisfactionis necessitatem ad Concilii Tridentini mentem edisserere conati sumus: jam ejusdem Concilii vestigiis nobis est insistendum, & aperiendæ utilitates, quæ ex legitima satisfactione capiuntur.

QUÆSTIO LVI.

Quasnam utilitates nobis legitimæ satisfactiones afferant.

CONCILIUM Trident. session. 14. cap. 8. quod de satisfactionis necessitate & fructu inscribitur, varias enumerat utilitates, quas verè pœnitentes ex debita satisfactione percipiunt. *Et divinam clementiam*, aiunt Concilii hujus Patres, *decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Hisce Concilii verbis indicatur

Prima satisfactionis utilitas.

Quòd videlicet pœnitentes (qui alioquin eadem peccata sæpius admitterent, rati esse levia, utpote quæ nullâ pœnâ coërcerentur) debitæ satisfactiones ab peccando deterreant. Ita enim non à natura, sed ab insita naturæ corruptela, comparati sunt homines, ut ea dumtaxat studiosè caveant, propter quæ vel jam pependere pœnas, vel à quibus sibi pœnas imminere prospiciunt. Et profectò maximum est divinæ misericordiæ beneficium, quòd Christus Dominus pœnitentiæ sacramentum instituendo, pœnitentibus opera pœnalia eorum flagitiis (quantum fieri posset) respondentia, injungi voluerit, ut divino clementiæ severitatisque temperamento revicti homines, divinæ quidem misericordiæ fiderent, nec tamen divinæ justitiæ (cui seriùs ocyùs, sive in hoc sæculo, sive in futuro, satisfaciendum est) obliviscerentur.

Id nempe in eum finem institutum est, ut allecti homines immensâ Dei misericordiâ in spem salutis erigerentur, & ejusdem Dei justitiâ terrefacti, non solùm facerent peccandi finem; verùm etiam impositos sibi pœnitentiæ labores alacri animo capesserent.

Per satisfactiones, id est per baptismum laboriosum, homines ab peccato revocari, egregiè docet S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist. 3. ad Sympronianum, contra tractatus Novatianorum; qui cùm ipsi objicerent, Deum sæpius peccare permittere, si sæpius hominem pœnitere juberet, respondit: *Quid ais? ergo qui sæpius criminis remedium monstrat, crimen ostendit; & medicus ille cùm curat, assiduè vulnerari docet? Deus nec hominem vult peccare semel, & tamen liberat à peccato. Nec utique cùm liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat: nec qui naufragium eripit scopulis, in saxa compellit. Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortasse pateret hoc credi, si pœnitentiæ deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterùm se secari, rursus exuri? volet peccare iterum, & iterum pœnitere, cùm scriptum sit: Noli adjicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat? & adhuc assiduè peccanti non miserear?* Hæc ibi.

Hac utilitate suos pœnitentes frustrantur Confessarii, quotquot levia quædam opera pro plurimis, iisque gravissimis, flagitiis injungunt. Si enim hominem jam per plures annos propudiosis mulierculatum amoribus irretitum, in libidinum suarum cæno (supra quàm dici potest) volutatum, audierint hujusmodi Confessarii, & illi vel orationem Dominicam quinquies recitandam, aut decurrendum uno & altero die rosarium, vel exiles eleemosynas erogandas injunxerint in satisfactionem; an ille reformidabit pœnitentiæ labores? an suorum scelerum immanitatem pœnæ magnitudine metietur? an operosioris & prolixioris pœnitentiæ metu sibi ab horrendis criminibus temperabit? Adeo ab flagitiis saluberrimo exantlandæ pœnitentiæ timore non avocabitur, ut majori, quàm antea, libidine in assueta flagitia deferatur? Illi scilicet erit ludus peccando cadere in mortem, qui tam citò redierit ad pristinam sanitatem. Illi scilicet medicus attulerit crudeli clementia perniciem, qui ejus salutem paterna severitate procurare debuerat.

S. Ambrosius Patrum gravissimus, explicans Psalm. 118. versiculum hunc: *Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei*; mollem hanc & intempestivam hujusmodi hominum clementiam insectatur his verbis: *Lege miseretur, qui cum justitia sapientiâque miseretur, ut ea dimittat, quæ scit jure posse dimitti; ne cùm alteriùs miseretur, seipsum legi faciat obnoxium.* Et paulò infrà: *Consideremus etiam, ne & ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè. Plerumque enim non coërcere delinquentes, ma-*

jora

juris austeritatis est, quàm si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominia, qui cùm aliquid inhonestum commiserint, nullum culpa pretium ferunt. Denique eos qui cognitorem Deum suorum scelerum non putabant, & quasi sine judice & sine lege vivebant, tradidit, inquit, illos Deus in reprobum sensum, quia elegerunt viam iniquitatis, viam autem veritatis eligere noluerunt.

Ille ipse sanctissimus Doctor interpretans istum alterum ejusdem Psalm. 118. versiculum, *Miserere mei secundùm eloquiam tuum*; idem argumentum pulcrè prosequitur. *In ipsa Ecclesia*, ait, *ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitia, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? facilitas enim venia incentivum tribuit delinquendi: hoc ideo dictum est, ut sciamus, secundùm verbum Dei, secundùm rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interiùs inveniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat, tamen à secandi urendique proposito lacrymis inflexus agroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit; nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem, corpus omne tabescat, vita usus intereat?* Hæc S. Ambrosius, cujus verba prudentiâ pariter & pietate plenissima satis superque indicant, quantopere discreparet ab eorum sententia, qui magnam è lethali flagitio emergendi facilitatem inducere, imò peccatoribus obtrudere gestiunt. Unde existit perniciälis plurium error, qui cùm persuasum habeant se è lethalibus flagitiis nullo negotio, cùm libuerit emersuros, in ea intrepidè prosiliunt, in iis consenescunt, & cum iis in interitum ruunt sempiternum. Non solùm hanc à peccato resurgendi facilitatem nonnulli prædicant, verùm etiam sanctioris vitæ curriculum tribus aut quatuor peccatis lethalibus nihil abrumpi, asserere non erubuerunt.

Dicamus igitur esse imponendas debitas satisfactiones hominibus gravium plurimumque peccatorum mole obrutis, ut vel pœnarum magnitudine deterriti ab iis abstrahantur, quia, ut ait S. Augustinus serm. 34. de diversis, *si citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.*

Secunda condigna satisfactionis utilitas.

Satisfactoria pœna, ait Concilium loco laudato, *medentur peccatorum reliquiis, & vitiorum habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Hæc est secunda, quæ ex pœnis satisfactoriis utilitas percipitur, ut scilicet earum adjumento verè pœnitentes vitiosos habitus per contraria Christianarum virtutum opera ex animo revellere valeant. Hanc utilitatem dubio procul maximam suis pœnitentibus adimunt Confessarii, qui cùm animadvertant eos in flagitia, diuturna peccandi consuetudine roborata, sæpenumero revolvi, injungunt aliquot preces per aliquod tempus recitandas, nec contrarias injungunt actiones, per quas dubio procul brevissimo tempore vitiosos habitus aut omnino frangerent, aut certè maximè debilitarent.

Ut igitur ea satisfactionum utilitas ad pœnitentium salutem omnino necessaria ab iis in sacramento pœnitentiæ capiatur, Confessarius suas partes non implebit, si ad revellendos superbiæ, avaritiæ, impudicitiæ, ebriositatis, & maledicentiæ habitus, decurrendas aliquot duntaxat orationes indixerit: sed ut strenuè suo muneri satisfaciat, uberiores eleemosynas rapacibus & avaris; actiones cum humilitate & abjectione conjunctas, arrogantibus & superbis; libidinosis & voluptatum magis quàm Dei amatoribus, carnis macerationes & afflictationes; helluonibus & ebriosis inediam & jejunia; obtrectatoribus & maledicis, alienæ famæ, etiam cum suæ dispendio, restitutionem; iis denique quos pestifera sæculi nequam contagia in æternum pertrahunt interitum, secessum, silentium & orationes, repudiatis inutilibus colloquiis, domi factitandas injungat, necesse est.

Hanc satisfaciendi rationem divinè explicat S. Joan. Chrysostomus hom. 10. in Matth. Hunc locum superiùs, ut arbitror, retulimus; sed quia insigniter mirabilis est, eum hîc denuo ascribere juvabit. *Non solùm*, inquit, *pœnitentia in eo posita est, ut quis ab anteacta vita flagitiis abstineat sese, verùm etiam ut (quod multò prostantius est) in opera pietatis incumbat. Facite*, inquit, *dignos pœnitentia fructus. At quo pacto ejusmodi fructus efferre poterimus? si atque admissis antea peccatis contraria & omnino repugnantia faciamus. Exempli gratiâ, aliena intervertisti bona? posthac impertire propria. Diu in fornicationum obscœnitate volutatus es? diu constitutis diebus abstineas ab tua conjuge, teque ad continentiam exerceas. Obtrectasti proximo, & ejus famam depeculatus es, an illi vel facto vel verbo vim intulisti? pro conviciis & maledictis rependa benedictiones, & pro illata vi omnia rependa, qua poteris officia. Nam ad recuperandam sanitatem non satis est infixum pracordiis telum avellere, sed praterea vulneri adhibenda sunt remedia. Genialiter epulatus es, & exquisitis dapibus & mero te ingurgitasti? jejuna & ad potum adhibe frigidam duntaxat, ut profectam inde corruptelam reseces, & excutias. Ad muliercularum venustatem salaces oculos adjecisti? ne posthac eosdem oculos in ullam mulierem intendas, ut majori securitate potiaris. Denique, ut Scriptura loquitur, declina à malo, & fac bonum.* Hactenus S. Joannes Chrysostomus.

Apostolicam hanc doctrinam ambabus ulnis amplexa est sancta Paula nobilis genere, sed nobilior sanctitate, quam ideo S. Hieronymus immortali Epitaphio æternitati consecravit: qui, quo pacto sua peccata contrariis operibus expiaverit, declarat his verbis: *In qua* (Paula) *fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret evangelica lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei praceptum purpurisso & cerussâ & stibio sape depinxi: affligendum corpus quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii compensanda: qua verò & saculo placui, nunc Christo placere desidero.* Hæc in Epitaphio S. Paulæ S. Hieronymus, id est Epist. 27. ad Eustochium S. Paulæ filiam inscripta.

Nihil obstante ea doctrina sacris Litteris consona, Sanctorum authoritate & exemplo munita, nonnulli (quod est dictu & horribile & mirabile) docent, eam fore justam commutandæ pœnitentiæ alicui ab Confessario impositæ rationem, si in ea implenda ob vitiosos habitus plus æquo laboraret. Hujus rei exemplum afferunt: si v. g. ebrioso, postera die quàm esset obrutus vino, jejunium indiceretur: perindè ac si satisfactiones deliciis circumfluere oporteret; quasi nemo ad extirpandos pravos habitus sibi vim inferre teneretur: quasi æquius aliquid foret, quàm dolore & inflictâ pœnâ sanare eos, qui sibi deliciis & voluptatibus exitium attulerunt: quasi denique legitima rescindendæ cujuspiam judicis sententiæ foret causa, eo nomine quòd legisla-

toris edictis & animo consonaret; quasi etiam convellenda esset sententia quam Sacerdos in persona Christi protulerit, eo quòd adhæserit ad irretractabiles traditionis Apostolicæ regulas denuò sancitas ab postremo generali Concilio, quod eas satisfactiones injungi præcipit, quibus velut opportunis remediis ulcera venenata ex criminibus nostras in animas dimanantia curari, nostrique habitus vitiosi contrarius Christianarum virtutum operibus radicitus extirpari valeant.

Tertia condignæ satisfactionis utilitas

Continetur his Concilii verbis ex eodem cap. 8. session. 14. repetitis. *Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

His verbis declarat Concilium, pœnitentiæ opera tanta esse oportere, quanta ad Deum nostris flagitiis offensum placandum sufficiant. Sic enim ipsum placatum & placandum esse sacræ Litteræ contestantur. Sic enim Achab cùm audisset Eliæ sermones, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite: ita ut cùm Deus vidisset eum humiliatum coram se, intentata mala ab ejus cervicibus depulerit, ut narratur lib. 3. Regum cap. 21. v. 27.

Sic Manasses postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deum patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intentè, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum, & cognovit quòd Dominus ipse esset Deus, ut narratur 2. Paralipom. cap. 23. v. 12. & 13.

Sic Deus Nabuchodonozor Babyloois Regem, qui diu pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exhomologesim operatus, unguium aquilinum in morem effetatione, & capilli incuriâ horrorem leoninum præferente, in sua regna restituit, ut loquitur Tertullianus libro de Pœnitent. cap. 20.

Sic denique Ninivitæ ad prædicationem Jonæ plenam terroribus, impendentis exitii timore utiliter concussi, pœnitentiam egerunt, id est vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem, prædicaverunt jejunium, & Rex Ninive surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, atque ita omnes perseverantâ ad longum tempus inediâ, & adjectis aliis pœnitentiæ operibus à Deo per tot pœnitentiæ labores placato, veniam impetrare & imminentem suæ civitati stragem propulsare potuerunt, ut narratur in Proph. Jonæ cap. 2.

Ita sese gesserunt olim Ninivitæ, & etiamnum ita se gerunt, qui divinam in se misericordiam allicere cupiunt. Quod cùm ita sese habeat, ut constat ex sacris Litteris & ex SS. Patribus, quorum aliquot testimonia suprà retulimus, & infrà relaturi sumus, virum religiosum & timentem Deum, inque Apostolica traditione versatum, magna incesset admiratio, cùm in satisfactiones pro multis, iisque gravissimis, criminibus profligato hoc sæculo & imponi & peragi solitas intueri voluerit: deprehendet enim omnes utplurimùm satisfactiones, quæ hodie injunguntur in sacramento pœnitentiæ, ita esse leves, ut cum iis, quæ totis duodecim sæculis in Ecclesia Dei sunt usurpatæ, nullâ ex parte conferri valeant.

Audiant delicatuli pœnitentes, quid de eorum pœnitentia jam à multis annis, imò sæculis, Tertullianus prodiderit in lib. de Pœnit. cap. 11. *Quòd si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd inlotos, quòd sordulentos, quòd extra opertos deversari, in asperitudine sacci & horrore cineris & oris de jejunio vanitate? Num ergo in coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis: si quid falsi nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat: præterea exquirito balneas lautiores hortulani maritimive secessus: adjicito ad sumptum: conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini: cumque quis interrogaris: Cuinam ea largiaris? Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.*

Quarta condignæ satisfactionis utilitas

Colligitur ex his Concilii verbis: *Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.* Hæc loco citato session. 14.

Cùm omnes Christiani baptizati in Christo Jesu, in morte illius baptizati sint, & consepulti sint cum illo per baptismum in mortem, non est dubium, quin Christo Jesu compati, seu in ejus passionis societatem (utpote ejus cruci per regenerationis mysterium consecrati) sese inserere debeant. Nemo enim est regeneratus, quin cum Apostolo dicere possit & debeat: *Christo confixus sum cruci*, id est, quemadmodum Christus affixus cruci hac mortali vita defunctus est, ita & ego per baptismum qui mortis Christi similitudinem gero, & mundo & peccato moriar necesse est.

Omnes igitur Christianos, etiam insontes, id est, qui nullum unquam lethale flagitium admisere, cum Christo crucifigi, cum Christo pati decet & oportet, ita ut singuli dicant & verè dicant cum Apostolo Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Quibus verbis declarat Apostolus, Christum semel in propria carne passum, in finem usque sæculi in membris suis, id est in omnibus sanctis esse passurum. Quod mirabilem in modum explicat S. Leo Serm. 19. & ult. de Pass. Domini: *Ibi ergo se constituat Christianus, quò eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam. Passio enim Domini usque ad finem producetur sæculi: & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur.* Hæc S. Leo.

Ergo & vicissim Christo Christianos omnes in carne suâ compati necesse est. Nam, ut ait idem S. Leo Serm. 14. de passion. Dom. *oportet ut caro regenerati fiat caro crucifixi*; atque ita sancti mortificationem Christi Jesu in corporibus suis circumferentes, ad æternam ejus gloriam provehantur. *Fidelis sermo*, ait Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. v. 12. *Nam si commortui sumus, & convivemus; si sustinemus, & conregnabimus.* Unde S. Leo in Serm. 9. de Quadrag. *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.* Cùm ergo omnium Christianorum vita patienti Christo conformari, atque adeo pœnitentia perpetua esse debeat, ut loquitur Concilium Tridentinum, nemo dubitare vel inficiari potest, quin agendæ, & quidem acrioris pœnitentiæ obligatio maximè pertineat ad regeneratos, quos tanta fuit Redemptoris, & suæ salutis cœpit oblivio, ut per flagitium lethale templum Dei violare, Filium Dei conculcare,

sanguinem testamenti pollutum ducere, in quo sanctificati erant, & Spiritui gratiæ contumeliam facere non formidaverint.

Et hujusmodi sunt utilitates quæ ex satisfactionibus in sacramento pœnitentiæ, sicut oportet, impositis, percipi possunt.

Verùm ne quis ignoraret, cui has utilitates, profectò maximas, acceptas referre debeamus, subdit Concilium: *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Ex his Concilii verbis patet, quantum debeamus Christo Domino, & quam arctè nos triplici fidei, spei, & charitatis vinculo religatos ipsi adhærescere oporteat, ne fortè tanquam recisi ab vite palmites, non modò nullum afferamus fructum, verùm etiam in ignem æternum semper comburendi, nusquam consumendi projiciamur.

Quæstio LVII.

Utrum Sacerdos satisfactionem pœnitentibus in sacramento pœnitentiæ injungere teneatur.

RESPONDEO, teneri: quod quidem certissimum est. Nam Concilium Tridentinum, enumeratis fructibus qui ex legitimis satisfactionibus in sacramento pœnitentiæ injunctis percipiuntur, subdit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, & levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quasi diceret Concilium: Cùm tot utilitates satisfactiones in pœnitentiæ sacramento ab Sacerdotibus impositæ afferant, debent Sacerdotes Domini, id est Sacerdotes rite in Ecclesia ordinati, ab suis commodis alieni, gratuita Dei & proximi charitate succensi, ejusmodi satisfactiones injungere. Quæ verba præceptum Sacerdotibus ad injungendam pœnitentibus satisfactionem impositum esse, perspicuè declarant: & revera impositum est illud præceptum ab Christo Domino Apostolis & omnibus Sacerdotibus, Matth. cap. 18. v. 18. cùm hæc protulit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ergo Christus Apostolis & Sacerdotibus impertiit & ligandi & solvendi potestatem: ergo utraque facultate uti debent in sacramento, prout poposcerit status pœnitentis: ergo & ligare debent, sicut & solvere: ergo & satisfactiones injungere. Nam potest Sacerdos ligare quoad culpam, absolutionem denegando; & ligare quoad pœnam, illi convenientem satisfactionem injungendo.

Ista duo esse Sacerdotibus imperata, demonstrat egregiè S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 2. *Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm ei cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: quis est qui De Sacram.* *magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit, in quo se suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Sicut enim secundum Dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, & solvendi habet; ita istorum assertio seipsam strangulat, ut quia solvendi jus negant, negare debeant & ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? quibus datum utrumque est licere. At quibus datum utrumque non licere?* Et infrà: *Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis; jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est.*

S. Pacianus Epist. 3. ad Sympronian. Novatian. hanc Ecclesiæ potestatem sic prædicat: *Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis, cùm tantùm in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi planè, sed Deo soli, qui & in baptismate donat admissum, & pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo jure, sed Domini. Dei sumus adjutores, inquit Apostolus, Dei ædificatio est. Et iterum: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Quare sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id authore tractamus.*

S. Cyprianus hac de re scribit in Epist. 54. Synodi Africanæ nomine ad Cornelium Pontificem inscripta. *Statueramus quidem*, ait, *jampridem, frater charissime, participato invicem consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælo ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic priùs in Ecclesia solverentur.*

Ex his SS. Patrum testimoniis liquet, Apostolis & Sacerdotibus datam esse ligandi & solvendi potestatem, & utriusque potestatis usum ad ædificationem Corporis Christi, esse imperatum. Sicut & sacrificare in pane & vino, prædicare Evangelium omni creaturæ, & alia Christi mysteria fidelibus dispensare, illis ipsis & eorum successoribus est præceptum. Unde Concilium Tridentinum ait, etiam antiquos Patres credidisse & docuisse, claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum esse concessas. Ergo Sacerdotes non solùm solvere pœnitentes, sed etiam ligare debent, prout ad animarum salutem expedire, composito ad divinas regulas judicio, perspexerint. Quid sit autem solvere & ligare pœnitentes, breviter ex traditione docuit S. Thomas in opuscul. 17. aliàs 22. cap. 5. *Sacerdos*, inquit, *tanquam minister à peccato solvit, sacramentum gratiæ apponendo, & ligat non apponendo, præter hoc quòd ligat ad pœnam quam injungit.*

Richardus à S. Victore geminam hanc, ligandi scilicet & solvendi, potestatem doctissimè declarat in Tractat. de potestate ligandi & solvendi cap. *Sciendum itaque*, ait, *quòd sacerdotalis illa ... ligandi atque solvendi maximè versatur circa ... modum expiandi. Expiandi siquidem ... in duobus. Nam quia nullum pecc... oportet ut expietur in hac vita*

cerdotis per dignum pœnitentiæ fructum, aut in vita futura juxta divinum arbitrium per ignem purgatorium. Habet itaque peccatrix anima à solo damnationis debito relaxata, & adhuc debito expiationis obnoxia: habet, inquam, & quomodo per sacerdotale officium possit utiliter ligari, & unde egeat misericorditer absolvi. Verè namque pœnitens libenter subit judicium humanum, ut meritò evadere possit judicium divinum. Ligatur ergo per Sacerdotem debito dignæ satisfactionis, & ab illo quod ignem meretur, debito futuræ purgationis. Eo ipso namque quo devotè suscipit sententiam humanam, meretur evadere sententiam divinam. Ecce quomodo habes quod sub uno eodemque tempore homo solvitur atque ligatur.

Notandum autem, quòd quemadmodum in divina solutione, transit pœna in pœnam, æterna in transitoriam; sic in sacerdotali absolutione transfertur sententia in sententiam, divina in humanam. Utrobique ergo peccator solvitur, utrobique ligatur; sed ibi absolutio est causa obligationis, hîc è converso obligatio est causa absolutionis. Hinc est quòd cùm ad Petrum dicitur: Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis; promittitur: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Nam, uti jam diximus, eo ipso in posterum absolvitur à debito debitæ animadversionis, quod hîc interim ab homine ligatur debito præsentis satisfactionis. Ad hanc solvendi potestatem & illud pertinere videtur, quod à Domino Apostolis omnibus, & in ipsis omnibus, eorum vicariis dicitur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quid enim est peccata remittere, nisi districtionis sententiam, quæ peccatis debetur, relaxando absolvere, & absolvendo relaxare? Et quid est peccata retinere, nisi non verè pœnitentes nolle absolvere? Multi enim confitentium absolutionem quærunt, qui tamen crimina sua ex toto corde deserere nolunt: multi cautelam de futuro promittunt, sed satisfacere nolunt. Ejusmodi omnes eo quòd verè non pœnitent, proculdubio absolvi non debent. Hoc est enim verè pœnitere, de præterita prævaricatione dolere, cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, & cum omni cautela in posterum cavendi. In hunc modum pœnitentes meritò debent absolvi; alioquin sine absolutione remitti, & hoc est peccata retineri. Hactenus Richardus à sancto Victore docuit, in quo posita esset gemina ligandi solvendique potestas Apostolis & eorum successoribus, & tam supremi quàm secundi ordinis Sacerdotibus ab Christo Domino concessa; & quo pacto eâ uti oporteret, ligando scilicet, & retinendo peccata eorum, qui se absolutione indignos præstiterint, & ligando debito dignæ satisfactionis eos, quos verè pœnitentes absolvendos esse judicaverint: ita ut Sacerdos in tribunali pœnitentiæ auditâ pœnitentium causâ, utrumque, si non ex jure naturali, saltem ex præcepto divino & ecclesiastico, præstare teneatur.

Unde rectè inferunt Theologi, peccare lethaliter eum Sacerdotem, qui in sacramento pœnitentiæ nullam satisfactionem injungit. Cùm enim in eo misericordiæ tribunali personam judicis pro Christo Domino sustineat, ejus est prospicere, & efficere, ut inter læsum & lædentem servetur æqualitas, id est pœna offensæ respondeat, quod fieri non potest, nisi reo satisfactio injungatur: ergo Sacerdotem illatam Deo injuriam sacramentali absolutione condonando, præstandam ipsi Deo satisfactionem injungere necesse est: nisi pœnitens sit proximus morti, vel ad eum statum vel impotentiam sit adactus, ut nullam omnino satisfactionem implere valeat.

His ita constitutis, facile est animadvertere, quàm turpiter allucinentur nonnulli qui dicunt,

1°. Posse pœnitentem absolvi nullâ injunctâ pœnitentiâ, cum scilicet nullam accepturus pœnitentiam probabiliter creditur.

2°. Qui asserunt absolvendum eum esse pœnitentem, qui gravem pœnitentiam acceptare nollet, & affirmaret se velle purgatorii pœnas subire; cui tamen ad integritatem sacramenti levem pœnitentiam imponere oporteret.

3°. Satis habere posse Confessarium, in administrando pœnitentiæ sacramento, si dicat solùm pœnitenti: Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie vel hac hebdomada boni feceris, vel mali passus fueris.

4°. Ex prædictis deprehendi potest, quantus sit eorum error, qui asserunt, Confessarium pœnitentiam omnino liberè faciendam pœnitentis arbitrio posse permittere, nec semper requiri, ut ei aliquod opus in particulari imponatur.

5°. Ex superioribus etiam deprehendi potest eorum inscitia, qui dicunt, sacramentalem satisfactionem sufficienter injunctam esse, si per modum consilii dumtaxat imponatur.

6°. Ex allegatis & probatis colligi potest, quanto in errore versentur ii, qui docent, ad revellendos scrupulos ex eorum animis, qui præfatis de satisfaciendi facilitate placitis, acquiescere renuerent, ipsis esse declarandum, nullum omnino esse præceptum, neque naturale, neque divinum, quo quis declarata Sacerdoti peccata aliqua satisfactione expiare teneatur.

Quod placitum quàm falsum sit, & à verbo Dei tam scripto quàm non scripto alienum, ex dictis animadverti potest, & ex dicendis clariùs elucebit.

QUÆSTIO LVIII.

Utrum pœnitens injunctam sibi à Sacerdote pœnitentiam acceptare & implere teneatur, ita ut satisfactionem in purgatorio implendam obtendere nequeat.

QUÆSTIO hæc bipertita duas postulat responsiones.

Respondeo igitur 1°. Cùm Sacerdos pœnitentiam ligandi, id est ad condignam satisfactionem obligandi potestatem divinitus traditam habeat, & eam ex præcepto tam divino, quàm ecclesiastico, in pœnitentes ad eorum salutem exercere teneatur; non est dubium, quin vicissim ipse pœnitens injunctam sibi satisfactionem & acceptare, & implere propositâ damnationis æternæ pœnâ debeat. Revera illa potestas ex divina institutione Sacerdotibus collata, respicit subditos, in quos eam exerceri oporteat: ergo tenentur subditi sese subjicere illi ipsi potestati, alioquin resistent Dei ordinationi, ut loquitur Apostolus Rom. cap. 13. v. 1. & 2. cujus hæc sunt verba: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

Ex quo loco sic ratiocinari licet: Cùm omnis potestas sit à Deo, etiam potestas ligandi Sacerdotibus concessa, est à Deo. (siquidem est de fide, eam non ab alio quàm ab Christo Domino esse institutam, & Sacerdotibus tam primi quàm secundi ordinis traditam) Ergo qui resistit huic potestati, id est renuit acceptare satisfactionem, quam illi Sacerdos in sacramento pœnitentiæ, virtute clavium injunxerit, Dei ordinationi resistit: ergo sibi damnationem acquirit: ergo nemini dubium esse potest, quin detrectando injunctam sibi in sacramento pœnitentiæ virtute clavium satisfactionem, lethale flagitium admittat: (nemo enim sibi damnationem acquirit, quin lethaliter peccaverit) ergo nemini dubium esse potest, quin pœnitens injunctam sibi in pœnitentiæ tribunali satisfactionem, & acceptare & implere proposito damnationis æternæ supplicio teneatur.

Præterea tenetur pœnitens implere omnes sacramenti partes, nisi eas perficere manifesto ingruentis necessitatis articulo prohibeatur: ergo tenetur subire satisfactionem sacramentalem, neque recurrere ad alias quæ non sunt sacramentales: alioquin sacramentum sua carebit integritate, & erit nullum & iterandum. Unde Rabanus Maurus in Collatione Synodorum: *Pœnitens*, inquit, *illud quod ei institutum fuerit cautè observet, ac si ex ore Dei fuerit prolatum.* Ita sese gessere totis duodecim sæculis pœnitentes. Cùm enim juberentur Presbyteri secundùm Canones pœnitentias injungere, pœnitentes, satisfactiones, quantumvis duras & diuturnas, tanquam ex ore Dei profectas, implebant strenuè; quod si facere detrectassent, eos ad suorum mysteriorum communionem Ecclesia nusquam admisisset. Ex quo conficitur, eos ad acceptandam & implendam satisfactionem ab Sacerdotibus impositam, sub pœna peccati lethalis fuisse obligatos. Nam Ecclesia neminem nisi peccati lethalis reum, ab suorum participatione mysteriorum excludit.

Quod præclarè insinuat S. Leo Epist. 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, ait, *hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus, actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Hæc S. Leo. Ex cujus verbis per regulam à contrario deductam inferre licet, homines qui salubri satisfactione purgari noluissent, ad sacramentorum communionem per reconciliationis gratiam non fuisse admittendos, atque adeo tunc temporis, sicut & nunc ad acceptandam & implendam sacramentalem satisfactionem fuisse obligatos.

Quod & docent Patres S. Leone antiquiores. Unde sæpe S. Cyprianus in tractatu de lapsis, & alibi, ait: *Is veram pœnitentiam agit, qui Dei & Sacerdotis præceptis obediens, operibus justis Dominum promeretur.* Unde & Canon *Omnis utriusque sexus*, præcepit, ut pœnitens injunctam sibi pœnitentiam totis viribus adimplere studeat.

Totam hanc rem luculenter explicat Richardus à sancto Victore in tract. de potestate ligandi & solv. cap. 13. ubi ait, Christum Dominum, cùm leprosum misit ad Sacerdotem, unum fecisse, & tria præcepisse. *Leprosum*, inquit, *mundavit, simul & præcepit ire, ostendere & offerre. Quid est leprosum mundari, nisi peccatorem quemlibet peccatorum suorum sordes abominari? Quid est mundatum leprosum ire, nisi prioris vitæ statum relinquere, peccata priùs perpetrata deserere. Sacerdoti autem se ostendere, est qualis priùs fuerit, cujus propositi modò sit, per confessionem aperire. Offert munus, & quale Moyses instituit, qui ad omnem canonicæ institutionis satisfactionem juxta Sacerdotis arbitrium seipsum exponit. In primo consideratur odium peccati: in secundo votum continendi: in tertio propositum confitendi: in quarto studium satisfaciendi.*

Votum continendi hoc loco largè accipitur, non tantùm continendi à libidine, verùm etiam à quolibet crimine: *Pro certo in vera pœnitentia quatuor ista omnia sunt requirenda. Ubi aliquid horum deest, vera pœnitentia non est, sine qua & peccatorum lepra mundari non potest. Quando Deus dat animæ peccatrici odisse, quod priùs amabat, detestari quod antea desiderabat, cum voto continendi, confitendi, satisfaciendi, efficitur statim emundatio integra & plena leprosi. Quid est autem leproso in lepra emundatione tria illa præcipere, nisi votum continendi, confitendi, satisfaciendi per internam aspirationem purgandæ animæ persuadere?*

Hæc Richardus à S. Victore, qui satis explicat necessitatem satisfactionis, sine qua nemo pœnitentiam agere potest. Cùm igitur, ut patet ex suprà dictis, Sacerdos dignam satisfactionem injungere debeat, non est dubium quin pœnitens, nisi gravis quæpiam obstiterit causa, eam acceptare, & acceptatam sub pœna peccati mortalis adimplere teneatur. Ratio à priori est, quia satisfactiones injunguntur vel ad castiganda vitæ præteritæ flagitia, vel ad ea in posterum fugienda. Si injungantur satisfactiones ad præteritorum criminum vindictam, & castigationem ab Sacerdote sic tanquam legitimo judice divinitus constituto, ut debitas anteactis pœnitentium flagitiis decernat pœnas, quas proinde pœnitens sub pœna flagitii lethalis acceptare debet: nemo enim in re gravi legitimi judicis imperium detrectare potest, quin sese lethali flagitio devinciat. Si autem injungantur satisfactiones veluti medicamenta, quibus futura peccata declinari præcaverique valeant, ejusmodi satisfactiones ab Sacerdote tanquam ab animarum medico acceptare, sibique adhibere debet pœnitens: cùm omnia præsidia & adjumenta ad procurandam & assequendam animæ suæ salutem necessaria capessere jure naturali divinoque teneatur.

Unde constat apud Theologos, esse peccatum ex genere suo mortale, non acceptare injunctam satisfactionem, vel acceptatam non implere: atque adeo denegandam esse absolutionem homini, qui injunctam satisfactionem vel acceptare vel adimplere recusaverit. Hoc enim redundat in gravem irreverentiam sacramenti, quod injusta mutilatione dedecoratur.

Respondeo 2°. satisfactionem admissorum non posse alteri reservari sæculo, ut in purgatorio impleatur. Nam præceptum indictum est in Evangelio unicuique peccatori, ut in hac vita pœnitentiam agat, & quidem proposito damnationis æternæ supplicio. Ab hoc præcepto sanctissimus Præcursor, super quem factum erat verbum Domini, ut pararet Domino plebem perfectam, suam prædicationem auspicatus est, & jussit unumquemque facere dignos fructus pœnitentiæ, intentans inextinctum ignem iis, qui ejusmodi fructus non ederent. *Omnis ergo arbor*, ait, *quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, Matth. cap. 3. v. 10. Et ipse Christus Luc. cap. 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Id est, nisi in laboriosa pœnitentiæ opera incubueritis, nihil aliud vos manet pœna, quam nulla temporum circumscriptio metiatur.

Aliud est apud Patres, pœnitere, aliud pœnitentiam agere, ita ut ex familiari eorum sermone dicatur aliquis frustra pœnitere, nisi pœnitentiam egerit. Id est, nequicquam aliquis de admissis peccatis dolorem etiam maximum conciperet, nisi illa ipsa condignis satisfactionibus expiare contendat. Unde Petrus Blesensis in tract. de confessione sacramentali: *Vides profectò, quàm gratum Deo sit sacrificium lacrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? Confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum suum, sed in spiritu humilitatis & in animo contrito fugientibus ad pia viscera Jesu, & continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.* Hæc ille.

Ex illatis Scripturæ locis perspicuum est, promulgatum esse de peragenda pœnitentia præceptum, ita ut quisquis illud perfringeret, æternis inferorum suppliciis addiceretur. Ergo malè ratiocinantur, qui satisfactionem purgatorio reservari posse asserunt, cùm hoc præceptum in hac vita propositâ damnationis æternæ pœnâ impleri debeat.

Unde Petrus Damiani serm. 58. sive 2. de S. Andræa, ridiculam & explodendam ejusmodi hominum sententiam refellit his verbis: *Nec sibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia, vel à*

nesciente vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorii ignibus perficiendum sit, quicquid hic minùs fecerit, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licèt autem non evaserit manus Dei viventis, qui tibi planè non consuluit; tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantùm à licitis abstinere, quantùm te memineris illicita perpetrasse. Hæc ille.

S. Cæsarius Arelat. Archiepiscopus hom. 8. in hæc Apostoli verba, *Cujus opus manserit, mercedem accipiet*, &c. disertè pronuntiat, sub interminatione damnationis æternæ peccata lethalia pœnitentiæ laboribus expiari oportere. *Multi sunt*, inquit in ipso laudatæ hom. exordio, *qui lectionem istam malè intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quòd tùm supra fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possunt purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam pervenire. Intellectus iste, fratres charissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus. Ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et paulò pòst enumerat, *sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, & si longo tempore teneatur, iracundia, ebrietas, si assidua sit,* (id est in ea quis hæreat) *& detractio in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè (si habuerit spatium) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit; sed æternâ illâ flammâ sine ullo remedio cruciabitur.*

Et multò inferiùs idipsum denuo inculcat. *Illi,* ait, *qui capitalia peccata committunt, si ea, dum vivunt, emendare pœnitentiæ lamento & medicamento noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus, Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, sicut jam dictum est, venire non poterunt, sed magnam illam duram & irrevocabilem sententiam audituri sunt: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum. Et ideo qui & ab ista perpetua pœna, & ab illa purgatoria desiderant liberari, capitalia crimina non admittant, aut si jam commiserunt, fructuosam pœnitentiam agant, & illa parva vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, pleniùs vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio jejunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentiùs convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris quoties petierunt, indulgemus: istis operibus & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addenda sunt lacrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore protracta jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ, ultro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes.*

Ex allatis locis constat, neminem qui à baptismi gratia per lethale flagitium exciderit, salvatum iri, nisi illud ipsum peccatum per condignam satisfactionem expiare contenderit. Quod quidem ipse Cæsarius Arelatensis disertè explicat homilia 4. sub finem. *Nemo se circumveniat, fratres. Omnis homo,* ait, *qui post baptismum mortalia crimina commiserit, hoc est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, si pœnitentiam non egerit, eleemosynam justam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam, sed cum Diabolo descendet in tormenta.* Hæc ille.

Inde patet quanto qualique in errore versentur ii, qui pœnitentiam seu satisfactionem in piaculares purgatorii flammas rejici posse docuerunt.

QUÆSTIO LIX.

Utrum pœnitens in peccato mortali injunctam sibi satisfactionem implere valeat.

Ut huic quæstioni satisfiat, observandum est, aliquem trifariàm in peccato lethali esse posse.

1°. Actu, cùm quis reipsa prudens & volens lethale flagitium admittit.

2°. Affectu seu habitu, cùm scilicet aliquis ita peccavit, ut peccati actus, qui jam præteriit, adhuc habitualiter, ut ita dicam, ejus voluntati placeat.

3°. Reatu, cùm peccator ob admissum flagitium, quod fortè jam detestatur, tenetur adhuc damnationis æternæ reus, quippe qui nondum reconciliationis gratiam assecutus fuerit.

His ita prælibatis,

Respondeo 1°. neminem in peccati lethalis actu vel affectu perseverantem, posse pro ullis peccatis Deo satisfacere.

Prima hujus responsionis ratio petitur ex eo, quòd pœnitentia definiatur studium placandi Deum admissis criminibus mortaliter offensum, quod quidem ex amore ejusdem Dei super omnia dilecti, & ex odio peccati super omnia exosi proficiscitur. Ergo cùm nulla possit esse veri nominis pœnitentia, nec ullum pœnitentiæ opus, quin ex aliquo amore Dei & odio peccati oriatur, conficitur necessariò, nullam esse posse veram satisfactionem, quæ vel cum peccati actu vel affectu conjuncta fuerit; atque adeo neminem sicut oportet, Deo pro ullis peccatis satisfacere posse, quin non solùm peccare desierit, verùm etiam omnem peccati, ac præsertim lethalis, affectum penitus abjecerit.

Quòd nemo per peccati lethalis actum Deo satisfacere queat, nemini dubium est: qui enim humanæ præsertim laudis intuitu vel oraret, vel eleemosynas erogaret, vel aliquod aliud pietatis opus exerceret, & arbitraretur aliquo id genus actu ad captandam dumtaxat hominum gloriam comparato, se satisfacere Deo; non plus saperet, nec minùs foret reus, quàm is qui ab offenso rege veniam de perduellione petiturus districtum gladium ejus cervicibus intentaret.

Quòd etiam nemo adhuc peccati lethalis affectu irretitus, vel absolutus ab Sacerdote, & nondum perfectâ consummataque satisfactione in aliquod flagitium lethale denuo revolutus, Deo satisfacere valeat, perspicuum est: quia sive peccati affectus insideat dumtaxat in corde, nec in opus externum prosiliat, sive in illud erumpat, voluntatem indicat inimicam & rebellem Deo, atque adeo hominem infensum & exosum ipsimet Deo, cui proinde satisfacere nequeat.

Secunda ratio petitur ex natura satisfactionis, quæ quidem jure naturali divino, omnibus indicta est, ut sive Deus ab homine offensus, vel homo ab altero violatus, per aliquid illi acceptum gratumque mitigaretur. Inde fit ut omnis satisfactio placandi studium necessariò includat, atque adeo quisquis eum, cui satisfacere debet, vel aliquo flagitio denuo lacessiverit, vel ejus iterum offendendi affectum retinuerit, ei satisfacere nequeat.

Quod cùm in omnem satisfactionem cadat, ac præsertim in eam quæ pro pœna debita vel aliqua ejus parte Deo est exhibenda, rectè & theologicè concluditur, cum non posse satisfacere Deo, qui

adhuc inimicitias vel per actum vel per affectum flagitii lethalis exercet, cum ipso, quem adeo placare non studet, ut majorem ejus iram in se commoveat, quippe qui etiam inter ipsa satisfactionis opera, quæ inter Deum & ipsum pacem conciliare debuerant, animum adhuc retineat armatum, eumque sic tanquam redintegrato prælio exasperare non desinat.

Tertia ejusdem responsionis ratio petitur ex eo, quòd opera nostra nullam satisfaciendi vim, nisi ex divina acceptatione habeant, atque adeo cùm nostra opera, qualiacumque fuerint, non acceptentur à Deo, nisi fuerint cum aliquo Dei amore conjuncta, necessariò conficitur, hominem vel actu vel affectu in lethali flagitio perseverantem Deo satisfacere non posse, quippe qui careat dilectione Dei, sine qua frustra satisfacit, quicumque satisfacit. Sive ergo quispiam peccati lethalis actu constrictus, vel ejus affectu irretitus distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, etsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat; nihil illi proderit. Nam, ut ait S. Augustinus in Enchiridio cap. 70. *Sanè cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidianis redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de præteritis peccatis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Hæc ibi.

Ergo non potest quis vel actu peccati vel affectu implicatus Deo satisfacere per eleemosynas, vel etiam per martyrium, ut patet ex 1. Cor. cap. 13. v. 3. sed nec per orationes. Nam *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*, Prov. cap. 28. v. 9.

Ex allegatis hactenus & probatis sequitur,

1°. Nec Sacerdoti Dei Vicario, nec ipsi Deo satisfacere posse, nec reapse satisfacere hominem, qui opera sibi in sacramento pœnitentiæ injuncta in peccati lethalis actu vel affectu impleverit, eumque ad eadem illa opera iteranda teneri in conscientia, ita ut hæc ipsa opera non implevisse censeatur, donec illa vel in statu gratiæ, vel saltem deposito peccati mortalis affectu, per veram pœnitentiam persecerit: quod nisi præstiterit, semper ad eamdem satisfactionem denuo & ritè implendam obligatus maneat. Quam ad rem licèt pœnitentes non adigat Ecclesia, nec adigere possit, quandiu occultum est eorum peccatum, eos tamen ad iterandam satisfactionem, quam non impleverunt, sicut oportet, posset adigere, si illud eorum flagitium in ejus notitiam deveniret.

2°. Sequitur, satisfacere extra affectum peccati lethalis, esse præceptum, cujus materia cùm sit gravis, obligat sub pœna peccati, atque adeo cùm pœnitens sub mortali injunctam in sacramento pœnitentiæ satisfactionem acceptare & implere teneatur, non est dubium quin illam ipsam satisfactionem, sicut præcipitur, id est ritè, & converso ad Deum animo implere teneatur. Tenetur enim illam implere, ut & illa sit pars sacramenti, & sacramentum per eam integretur, quod fieri non potest, si in affectu peccati mortalis impleatur; tunc enim nec est pars sacramenti, neque sacramentum per eam integratur; quippe quæ non fiat studio placandi Deum: quod quidem studium ita pertinet ad satisfactionis naturam, ut absque illo nullo pacto consistere valeat. Unde conficitur, non satisfieri præcepto satisfaciendi, ab eo qui peccati lethalis affectu implicatus vel jejunat, vel orat, vel eleemosynas impertit, vel aliud quodcumque opus sibi ab Sacerdote injunctum exequitur. Cùm enim ista sub ratione satisfactionis sint injuncta, atque adeo studium placandi Deum necessariò includant, non possunt eo modo, quo præcepta sunt, præstari ab homine peccati lethalis affectum implicato: quippe qui nullum placandi per opera satisfactoria Dei studium habeat; imò lethales (per lethalis peccati affectum) inimicitias cum ipso exerceat. In hanc sententiam non obscurè propendet S. Thomas in Supplem. q. 14. art. 2. ad 2. ubi ait: *Sicut homo nescit pro certo, utrum charitatem habuerit in satisfaciendo, vel habeat: ita etiam nescit pro certo, utrum plenè satisfecerit. Nec tamen exigitur, quòd propter hoc iteratam homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat.*

3°. Sequitur, opera satisfactoria extra Dei dilectionem facta non reviviscere adveniente charitate, ita ut sint vel satisfactoria pro peccatis, vel vitæ æternæ meritoria.

Hæc est solidissima Doctoris Angelici doctrina in Supplem. q. 14. art. 3. in argum. *Sed contra. Opera, ait, extra charitatem facta ideo non erant satisfactoria, quia fuerunt mortua: sed propter pœnitentiam non vivificantur: ergo nec incipiunt esse satisfactoria.*

Præterea charitas non informat actum, nisi qui ab ipsa aliqualiter procedit; sed opera non possunt esse Deo accepta, ac per hoc nec satisfactoria, nisi sint charitate informata: ergo cùm opera facta extra charitatem nullo modo ex charitate processerint, vel de cætero procedere possint, nullo modo poterunt in satisfactionem computari. Et in corp. art. *Respondeo, dicendum*, inquit, *quòd quidam dixerunt, quod opera in charitate facta quæ viva dicuntur, sunt meritoria vitæ æternæ, & satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ; & quòd per charitatem sequentem, opera extra charitatem facta vivificantur, quantum ad hoc, quòd sunt meritoria vitæ æternæ. Sed hoc non potest esse, quia utrumque habent ex eadem ratione opera ex charitate facta, scilicet ex hoc, quòd sunt Deo grata. Unde sicut charitas adveniens non potest opera extra charitatem facta grata facere, quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud.* Hæc S. Thomas.

Observandum tamen, in eodem articulo in responsione ad 3. S. Thomam non loqui pugnantia, quamvis id speciem id appareat: non enim existimat opera satisfactoria, quæ postquam transierint, permanentem effectum in homine relinquunt, adveniente charitate vivificari, atque ita valere ad satisfactionem: sed asserit effectum post hujusmodi opera relictum acceptari à Deo, quando illi in statu gratiæ, recuperatâ nimirum ejus amicitiâ, in satisfactionem offertur. Perperam ergo ratiocinantur, qui credunt jejunium in affectu peccati mortalis factum recuperata charitate valere ad satisfaciendum; è contrà rectè philosophantur, qui dicunt debilitatæ carnis macerationem ex jejunio profectam in satisfactionem computari, si Deo ab homine justificato ad eum effectum offeratur. Hinc fit ut Confessarius pœnitentiam ejusmodi priùs injunctam & in peccato expletam minuere possit; quamvis eo non minuente tota iteranda sit; quemadmodum est ea, quæ nullum post se effectum reliquerit. Unde si reticeat Confessarius, quempiam satisfactionem sibi in sacramento pœnitentiæ injunctam, cum affectu peccati lethalis implevisse, debet illi eamdem satisfactionem iterandam injungere; & ille vicissim tenetur eam sub peccato iterare, quippe qui eam non adimpleverit in affectu peccati lethalis, nec eluerit virtutis actum, quo Deum sibi propitium reddiderit. Ergo necesse est Confessarium sciscitari ab pœnitente, utrum injunctam sibi ab Sacerdote satisfactionem cum conscientia peccati lethalis impleverit, necne: si fateatur se cum conscientia peccati lethalis implevisse, illius iteratio illi est injun-

genda, ut eam in statu gratiæ, vel saltem deposito penitus peccati lethalis affectu, impleat.

4°. Ex præcedente doctrina conficitur, non posse hominem de uno peccato satisfacere sine alio; id est non posse Deo satisfacere pro uno lethali peccato, quin cæterorum lethalium affectum abjecerit. Unde S. Thomas Supplem. q. 14. art. 1. in argum. *Sed contra.* Isaïæ cap. 58. *Jejunium eorum*, ait, *qui ad contentiones & lites jejunabant, Deo acceptum non erat, licèt jejunium sit satisfactionis opus: sed non potest fieri satisfactio, nisi per opus Deo acceptum: ergo non potest, qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere. Præterea satisfactio est medicina curans peccata præterita, & præservans à futuris: sed peccata non possunt sine gratia evitari: ergo cùm quodlibet peccatum gratiam auferat, non potest de uno peccato sine alio fieri satisfactio.*

Et 10 ejusdem articuli corp. *Non potest*, inquit, *de uno peccato satisfieri sine alio. Cùm enim per satisfactionem tolli debeat offensa præcedens, oportet quòd talis sit modus satisfactionis, qui competat ad tollendam offensam: offensæ autem ablatio est amicitiæ restitutio; & ideo si aliquid sit, quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cùm ergo quodlibet peccatum (lethale) amicitiam charitatis impediat, quæ est hominis ad Deum: impossibile est, ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento; sicut nec homini satisfaceret, qui pro alapa sibi data, se ei prosterneret, & alteram similem daret.* Hæc S. Thomas, cujus doctrina sacris Litteris & sanctis Patribus est apprimè consentanea, ut constat ex cap. 58. Isaïæ suprà laudato; ut & constat ex cap. 34. Ecclesiastici v. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Et ibidem v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavacro ejus? Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Et ejusd. Ecclesiast. cap. 35. *Deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.* Et infrà v. 5. *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.* Et Isaïæ cap. 66. v. 2. *Ad quem autem respiciam, dicit Dominus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.*

Ex his & similibus Scripturæ locis luce meridiana clarius apparet, Deum repudiare dona & satisfactiones eorum omnium, qui ab peccatis recedere noluerint, quicquid agant aliunde, & quicquid ejus majestati, eorum sceleribus & pravis affectibus exulceratæ, offerant.

Sacris Litteris congruenter locuti sancti Patres, id ipsum luculenter asserunt.

S. Hieronymus in cap. 27. Matth. irritam fuisse Judæ pœnitentiam, testatur, eo quòd scelus per pœnitentiam emendare nec potuerit, nec voluerit. *Nihil*, inquit, *Judæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit.*

Hanc doctrinam admirabiliter astruit S. Augustinus in Enchir. cap. 75. ubi probat, eos qui sceleratam vitam non corrigunt, nec eleemosynas frequentare cessant, frustra sibi de hac Christi voce blandiri: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Nam ejusd. lib. cap. 76. affirmat, nullam eleemosynam aliis erogatam Deo placituram esse, nisi quis misereatur animæ suæ placens Deo, atque ita primam sibi eleemosynam impertiatur. Et cap. 77. ita loquitur: *Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum permanendi: non solùm enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent tantùm, si possint, impunè versari. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam; & qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundùm sæculum, odit eam secundùm Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundùm sæculum, & diligeret eam secundùm Deum. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi unde det, ab illo accipiat qui non eget: & ideo dictum est, Misericordia ejus præveniet me.* Hæc ibi S. Augustinus.

Sancto Augustino consonat Cæsarius Arelatens. hom. 17. quâ probat, neminem, quantumlibet uberes eleemosynas impertientem, Deo satisfacere posse, nisi ab quolibet peccato lethali recesserit. *Rogo vos, fratres*, ait, *diligenter considerate, quantum potestis, expavescite vel cavete, ne nobis ille crudelis humani generis inimicus ita subrepat, quomodo solet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus & adulteris unam securitatem ingerere, ut cùm quotidiana crimina committunt, credant quòd ea quotidianis eleemosynis redimant, putantes quòd Deus, corruptorum more judicum, pecuniam accipiat, & peccata dimittat. Accipit planè pecuniam, & eleemosynis delectatur; ea tamen ratione, ut unusquisque peccator, quando offert Deo pecuniam suam, simul & offerat animam suam. Nam rogo vos, fratres, quæ justitia est, ut aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam suam Deo offerat, & animam suam Diabolo per luxuriam tradat? In pecunia imaginem Imperatoris offert Deo, & in seipso imaginem Dei tradit Diabolo.* Cætera lectu dignissima totâ homiliâ pari ad elegantiam eloquentiâ prosequitur.

Idem docet S. Gregorius Pastoral. part. 3. admon. 31. *Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo se nequiter inquinant, cùm idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant.* Et alibi sæpe repetit, pœnitentiam agere, nihil esse aliud, quàm commissa plangere, & iterum plangenda declinare.

Idem astruit Pius Papa I. in Epistola ad omnes Ecclesias inscripta. *Nihil prodest*, ait, *homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Ex allegatis hactenus & probatis necessariò concluditur, hominem peccati lethalis actu vel affectu implicatum, nullatenus Deo satisfacere posse. Jam examinandum superest, utrum quis in reatu lethalis flagitii constitutus injunctam ab Sacerdote satisfactionem implere valeat.

Respondeo igitur 1°. hominem mortis æternæ reatu implicatum Deo satisfacere, saltem de congruo, si per veram pœnitentiam ad Deum conversus, eum summè diligat, & in ejus amicitiam, è qua per peccatum excidit, per digna pœnitentiæ opera redire contendat.

Si ita sit affectus, qui satisfacit, satisfactionem quamdam imperfectam, seu de congruo, non autem de condigno, Deo exhibere poterit; quia sicut meritum, ita satisfactio suam condignitatem trahit ex gratia justificante; congruitatem verò ex gratia specialis auxilii, quo adjutus pœnitens, non solùm per actus fidei, spei & charitatis, gratiam justificationis promereri, sed etiam satisfacere potest. Non igitur magis repugnat, pœnitentem per opera ex actuali Dei amore procedentia ipsi Deo de congruo satisfacere, quàm per ejusmodi opera reconciliationis gratiam de congruo promereri.

Non ergo requiritur ad præstandam satisfactionem

nem illam imperfectam, ut homo sit omnino in amicitiam Dei restitutus; (quod certè requiritur ad perfectam & condignam satisfactionem) sed sufficit, ut per actualem amorem per Spiritum sanctum in ejus corde diffusum convertatur ad Deum, eumque super omnia diligat, & ad recuperandam ejus amicitiam toto pectore incumbat. Etsi enim sit extra statum charitatis, non est tamen sine aliqua charitate; sive, licèt non sit in gratia, agit tamen ex gratia. Unde fit, ut quamvis ejus opera non sint accepta Deo in ordine ad vitam æternam; nihil tamen prohibet, quominus accepta sint ad effectum remissionis pœnæ: ita ut cùm illi per absolutionem sacramentalem æterna remittetur pœna, minorem pœnam temporalem, quàm antea persolvere debeat; nec, si ante reconciliationem plenè in eo statu satisfecerit, ulterior ab eo sit exigenda satisfactio, postquam absolutus fuerit.

Quod perspicuum est ex ordine erga pœnitentes totis duodecim sæculis observato. Nam ut plurimum peracta satisfactione, ad reconciliationis gratiam & ad sacram synaxim admitti consueverant: ergo credebat Ecclesia, pœnitentes nondum reconciliatos ita Deo satisfacere posse, ut reconciliati ulteriorem & uberiorem satisfactionem Deo non exhiberent.

Quæstio LX.

Utrum quis pro altero satisfacere valeat.

Respondeo 1°. posse Christianos non solùm pro suis, sed etiam pro aliorum peccatis satisfacere.

Primò, doctrina hæc fundatur in articulo fidei, quo credimus Sanctorum communionem, id est omnium Sanctorum, Christo, sic tanquam capiti adhærentium, arctissimam societatem, & præterea mutuam omnium bonorum communicationem, quâ Sancti omnes charitatis impulsu, imò imperio, sibi invicem opitulantur. Hanc veritatem in ipso surgentis Ecclesiæ exordio coluere Christiani divinæ charitatis igne succensi. Nam, ut commemorant Acta Apostol. cap. 4. v. 32. *multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Charitas scilicet, quæ diffusa erat in cordibus eorum per Spiritum sanctum qui datus erat illis, eorum corda tenacissimis religata vinculis adunaverat, universaque eorum bona citra exceptionem communia reddiderat.

Revera, ut ait S. Augustinus tractat. 32. in Joan. *varia sunt in Ecclesia dona Spiritus sancti, nec omnes omnia habere possumus. Si amas unitatem, nihil non habes: nam etiam tibi habet, quisquis in illa aliquid habet: tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam, & meum est quod habes. Livor separat, charitas adunat.* Hæc S. Augustinus, qui satis superque declarat, inter Christianos, quos divina devinxit charitas, esse omnia communia: quidni ergo per pietatis opera quispiam pro altero satisfaciat? Quod quidem si fieri non posset, non diceret Doctor Gentium in veritate ad Galat. cap. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Quod non intelligitur de onere reddendæ rationis, qua unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo: sed quantùm ad onera mutuæ charitatis, in quibus hic alter alterum debet sublevare, ut ait S. Augustinus lib. 3. cont. litt. Petiliani cap. 5. unde subdit ibidem Apostolus: *Et sic adimplebitis legem Christi*; id est legem his verbis ab Christo Domino conditam & promulgatam: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joann. 15. v. 12.

Quam doctrinam astruit insigniter idem Apostolus Coloss. c. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Christi (in assumpto per incarnationis mysterium corpore) patientis passionibus nihil tam ad meritum, quàm ad satisfactionem defuit, aut deesse potuit; sed eidem Salvatori in altero ejus corpore, quod est Ecclesia, multa ad consummationem usque sæculi, toleranda supersunt; & hæc sunt quæ adimplebat Apostolus in carne sua, & quæ ab omnibus verè Christianis sunt adimplenda, donec Ecclesia variis tentationibus & persecutionibus & voluntariis tam insontium quàm pœnitentium laboribus, & castigationibus omni fidelium societati communicatis, probata expiataque, atque ita sine ruga & macula ad æternam æterni sponsi gloriam assumatur.

Igitur cùm ex hoc loco constet, Paulum adimplevisse ea, quæ deerant passionibus Christi in Ecclesiæ suæ membris patientis; certum est, sancti Apostoli passiones, satisfactiones & alia opera fuisse quantùm ad aliquid toti Ecclesiæ communicata; alioquin frustra & falsò (quod absit) Doctor Gentium in veritate prædicasset, se adimplere ea, quæ deerant passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, si nihil ex illis utilitatis in Ecclesiam redundasset.

Eadem doctrina probatur ex interpretatione S. Joann. Chrysostomi hom. 4. in cap. 1. ad Coloss. *Ita credo*, ait, *quòd & pro ipso patior; & non solùm patior, sed etiam lætor patiens, ac spem futuram aspiciens, & patior non pro me, sed pro vobis.*

Eadem doctrina confirmatur ex cap. 8. 2. ad Corinth. v. 14. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*: quod fieri nullatenus imperasset Apostolus, nisi pro comperto habuisset, bona spiritualia fidelibus, id est Christi membris, in uno eodemque corpore adunatis, liberalissimâ divinæ charitatis munificentiâ communicari.

Quam eamdem doctrinam indubitatam esse crediderunt cum Cypriano, Episcopi, qui pœnitentes rogantibus per libellos martyribus, ad Ecclesiæ sacramentorumque communionem admittebant: quippe passiones martyrum & eorum opera ad pœnitentium satisfactionem, apud Deum valere plurimùm existimarent; & meritò: quis enim dubitet, Christianos cum ejusdem corporis membris, & membra de membro, & posse, & reapse sibi invicem opitulari.

Respondeo 2°. ad hoc ut satisfacere quis ritè pro alio possit, tria potissimùm requiri.

Primò requiritur, ut ambo, id est tam is qui satisfacit, quàm ille pro quo satisfacit, sint in statu gratiæ, vel saltem extra peccati lethalis affectum, quia, cùm, ut suprà demonstravimus, satisfactio Deum placandi studium necessariò includat, irrita proculdubio foret, si vel peccati lethalis affectum includeret.

Secundò requiritur, ut qui pro altero non solùm satisfactionem liberam, sed etiam pœnitentiam sacramentalem injunctam vel injungendam, (nisi necessitas aut justa ratio prohiberet) implere cupit, illam de Confessarii voluntate & licentia impleat: alioquin pœnitens juxta canonem *Omnis utriusque sexus*, injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Unde si Confessarius nullam alteri injunctæ satisfactionis implendæ facultatem faciat, sed illam dumtaxat injungat, censetur obligare pœnitentem, ut illam per se adimpleat.

Tertiò requiritur, ut is pro quo alter satisfacere voluit, conetur pro virium suarum modulo Deo saltem ex parte satisfacere, & ad integram satisfactionem quodammodo, quantùm per vires licebit, accedere. Non enim credibile est acceptari à Deo pœnitentiam sibi exhibitam pro quopiam homine, qui cùm se per peccatum lethale, debitorem pœnæ præ-

stiterit, nullam omnino pœnam suscipere velit. Nam si ejusmodi vir ita aliorum satisfactionibus confidat, ut ipse cùm possit, vel nihil agat, vel quod agit, nihili instar obtrudat, ille videtur adversari divino satisfaciendi præcepto, nec ex aliorum passionibus, ullum satisfactionis percipere fructum, ut asserit S. Joannes Chrysostom. hom. 5. in Matth.

Ergo necesse est pœnitentem, pro quo alter quispiam satisfacere voluerit, satisfacere etiam pro viribus. Quod constat ex eo quod contigit sancti Cypriani temporibus, quibus cùm multi detonante procella persecutionis, in idololatriam essent lapsi, freti martyrum interventu, (quorum supplicia ad pœnitentium satisfactionem valere credebat Ecclesia, si tamen ipsi suas etiam satisfactiones pro virium facultate exhiberent) impetratis ab iisdem Martyribus libellis, sine ullis pœnitentiæ laboribus volebant in fidelium communionem restitui; multi cum S. Cypriano Episcopi, ejusmodi hominibus sacerdotali fortitudine restiterunt.

Hanc rerum perturbationem sic expostulat sanctus ipse Cyprianus Epist. 15. ad Clerum Romanum inscripta. *Cùm comperissem eos*, ait, *qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia, contra Evangelii legem: litteras feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantùm possem, ad dominica præcepta revocarem. Item Presbyteris & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor, ut quidam minùs disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipsi, quantùm potuimus, animum composuimus, & ut ecclesiastica disciplina servaretur, instruximus.* Hæc ibi S. Cyprianus.

Patet igitur, posse quempiam pro alio satisfacere, si tamen is, pro quo exhibetur satisfactio, sit in statu gratiæ, vel saltem verè pœnitens, & ipse pro suarum facultate virium satisfacere connitatur.

Observandum tamen est, satisfactionem, quam unus pro alio exhibet, acceptari quidem à Deo solùm de congruo, ea tamen acceptatione posita valere de condigno, sive ex justitia, si uterque, id est tam satisfaciens, quàm ille, pro quo satisfacit, sit in statu gratiæ; per hanc cum est aliqua solutionis æqualitas cum pœna per alterum debita.

Licèt igitur non possit quispiam alteri mereri de condigno, (nam posse de congruo docet S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 6.) potest tamen pro illo satisfacere de condigno. Quod egregiè tradit idem S. Thomas Supplem. q. 13. art. 2. ad 1. *Dicendum*, ait, *quòd præmium essentiale redditur secundùm dispositionem hominis, quia secundùm capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinæ: & ideo sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur præmium essentiale, nisi meritum ejus habeat infinitam efficaciam, sicut Christi, cujus merito solo pueri per baptismum ad vitam æternam perveniunt. Sed pœna temporalis pro peccato debita, post culpæ remissionem non taxatur secundùm dispositionem ejus cui debetur, quia quandoque ille, qui est melior, habet majoris pœnæ reatum: & ideo quantùm ad pœnæ remissionem, unus alteri potest mereri, & actus unius efficitur alterius mediante charitate, per quam unum sumus in Christo.* Hæc S. Thomas.

Observandum est præterea, posse aliquem charitate præditum pœnam satisfactoriam, quatenus ad debiti solutionem ordinatur, explere, non autem quatenus injuncta est in sequentis peccati remedium, quia ejusmodi satisfactio non prodest alteri: nam ex jejunio unius, caro alterius non domatur, nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit, nisi secundùm accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum; sed hoc est per modum meriti magis, quàm per modum satisfactionis.

Observandum denique, satisfactionem pœnitenti in medicinam, & consequentis peccati remedium injunctam, non posse ab altero impleri. Unde, ut rectè monet S. Thomas ejusdem Supplem. q. 13. articulo 2. in corpore, non est permittendum, quòd aliquis pro alio pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente: vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum; vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam.

S. Thomas in art. 2. ejusd. Suppl. q. 13. in argum. 4. dat occasionem quærendi, utrum si quis moriatur, postquam totam pœnam illi debitam suscepit alter, id est promisit se pro illo satisfacturum, nondum tamen satisfecit: Utrum, inquam, qui in eo rerum articulo moritur, susceptas ab altero pœnas soluturus sit in purgatorio, vel statim quasi persolutis pœnis evolaturus sit in cælum? Si prius, id est susceptas ab altero pœnas subiturus sit in purgatorio, bis unum & idem punietur; si posterius, id est pœnis nondum exolutis evolaturus est in cælum, aliquis non plenè purgatus ingredietur in cælum; quod nemo admiserit.

Huic quæstioni respondetur, eum hominem qui sic moritur, subiturum purgatorii pœnas, nec tamen idem bis punitum iri: quia si promissor postea satisfaciat, hoc ei vel cedet in utilitatem propriam, vel cedet mortuo in diminutionem pœnæ, quæ tunc luenda superfuerit, vel in thesauri Ecclesiæ cumulum redundabit. Si autem non satisfaciat, plectetur, quòd non liberaverit fidem, & mortuus ob peccatum, cujus reatum (pœnæ) moriendo secum extulit.

QUÆSTIO LXI.

Utrum indubitatam Ecclesiæ consuetudinem differendæ absolutionis, usquedum peracta sit satisfactio, in usum revocare liceat, & aliquando oporteat.

RESPONDEO 1°. opinionem aientem, vetustam illam consuetudinem differendæ absolutionis omnibus, & potissimùm publicis pœnitentibus, usquedum peracta sit satisfactio, totis duodecim sæculis ab Ecclesia sanctissimè usurpatam, in usum revocare licere, & aliquando oportere, ita certam & veram esse, ut vel ipsi recentiores Theologi, quos nemo nimiæ severitatis nomine hactenus damnavit, eam suis consignatam litteris publicè profiteantur & doceant.

Martinus Bonacina Sacræ Theologiæ & J. U. Doctor, quem cæteri Casuistæ non ultimum sui ordinis virum suspiciunt & prædicant, id luculenter asserit de sacramento pœnitentiæ disputat. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. proposit. 4. n. 20. ubi quærit, utrum Confessarius possit obligare pœnitentem ad implendam (ante absolutionem) pœnitentiam. Et postea propositam quæstionem solvit his verbis: *Si pœnitentia consideretur ut medicina, Confessarius potest obligare pœnitentem ad pœnitentiam ante absolutionem adimplendam, quoties ita judicaverit expedire, consequenter pœnitens tenetur eam acceptare, eamque ante absolutionem adimplere. Nam Confessarius tanquam judex, & medicus habet jus præcipiendi ea quæ ad curationem & medicinam pœnitentis judicaverit expedire; si ergo expediat pœnitenti persolvere pœnitentiam ante absolutionem, ut si Confessarius timeat, pœnitentem non adimpleturum satisfactionem, nisi eam curet adimpleri ante absolutionem, aut si cognoscat, pœnitentem sæpius prætermisisse pœnitentiam*

præcedentium confessionum, poterit Confessarius eam præcipere faciendam, antequam sacramentalem conferat absolutionem. Ita Suarez disput. 38. sect. 7. n. 7. Reginaldus lib. 7. n. 83. Fillucius tract. 8. cap. 2. q. 9. n. 56. & alii. Hæc ibi Bonacina, ex cujus verbis tria nostram ad rem apprimè conducibilia possunt elici, quorum

Primum est, spectata satisfactione veluti medicina, Confessarium posse obligare pœnitentem ad eam ante absolutionem adimplendam, si ita ejus saluti expedire judicaverit.

Secundum est, pœnitentem teneri eam satisfactionem ante absolutionem adimplendam acceptare, & acceptatam reipsâ adimplere.

Tertium est, Sacerdotem in tribunali sustinere personam judicis & medici, quem penes jus est præcipiendi quicquid ad castiganda pœnitentis peccata necessarium fuerit, & injungendi quicquid ad promovendam ejus salutem conducibile & opportunum esse reputaverit.

Quæ cùm certa sint & perspicua, quæ nemo, nisi ignarus, & in theologicis plumbeus, in dubium revocare possit. Nam qua fronte, temeritatis incusari poterit Sacerdos, qui absolutionem ab confessione disjunxerit, & usque ad absolutam satisfactionem distulerit? siquidem ita se gerit, eo quòd vel ex trita pervagataque vel recentiorum Theologorum sententia, id illi, quoties judicaverit, expedire liceat: ita ut hujus potestatis executio, ex ejus judicio penitus apta sit & suspensa, ejusque judicium pendeat ex rebus, quas pœnitentes ex intimo conscientiæ recessu repetitas aperiunt, cùm inter confitendum ei sua peccata nudant, & anteactæ vitæ rationem nefarias ad malum propensiones, pravos habitus malè vivendo comparatos, varias habitudines tam internas quàm externas explicant, quo pacto potest quis citra dementissimam temeritatem carpere, & damnare actionem suspensam ex notitia ejusmodi rerum nobis ita latentium, ut de illis ne sciscitari quidem liceat, quin sigilli sacramentalis religionem violari cupiamus.

Contendo præterea, quòd si Confessarii ea, quâ par est, attentione perpenderent infinitos homines, qui sacramenta ludos faciunt, qui semper eadem, imò alia ex aliis peccant, & de iis quotidie citra emendationem confiteri non cessant, haud dubiè facilè prospicerent, quàm sæpe propositus ab citatis Theologis casus eveniat, quamque utile, imò ad procurandam pœnitentium salutem necessarium foret, illos obligare ad edendos dignos pœnitentiæ fructus, per quos veluti per indicia manifesta, sincera eorum conversio, antequam adipiscerentur reconciliationis gratiam, appareret.

Quod quàm verum sit, declarat egregiè Petrus Blesensis in tractatu admirabili de confessione sacramentali, ubi docet sa de suo genio non philosophari, sed colligere micas, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, id est sanctorum Patrum. Nam tradit, veram conversionem non posse sicut oportet, explorari, nisi per dignos pœnitentiæ fructus, quos quis perseveranter ediderit. *Putant aliqui*, ait, *sibi sufficere, quòd aliquandiu à sua turpitudine destiterunt, atque de primitiis arrepta continentia præsumentes, veteres excessus non recolunt, & quasi spatia temporis evanuerint culpa, vel earum oblitus sit, aut dormiat Deus putant de omnibus debitis brevi pœnitentia compendia transegisse.* Et paulò infrà: *Non sine dolore cordis acerbissimo, & anxia cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita & intimis animarum medullis infixa sunt: nec horaria & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur.* Et multò inferiùs. *Propositum itaque pœnitentiæ perseverantia comitetur. Quid enim omnia prædicta proderunt pœnitenti, si ad vomitum revertatur? Verbum Augustini est: Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardiùs, sic lugens & peccans veniam non meretur; nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata; nec valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare.* Et paulò pòst. *Nemo itaque de momentanea contritione vel affluentia lacrymarum præsumat. Sunt enim plerique irreligiosi aut potius iniquitatum abysso absorpti, lætantur cùm malè fecerint, & exultantes in rebus pessimis, quos videmus timore pœnæ, aut peccatorum recordatione compungi usque ad lacrymas, mira etiam devotione liquescere in amorem Jesu, & ipsum totis medullis animæ, brachiis devotæ affectionis amplecti.* Et infrà. *Si ergo in te senseris gratiam compunctionis & affluentiam lacrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris Domino reconciliatum, nec æstimetur servus se esse filium, licèt quandoque pascatur pane filiorum.* Et versus finem ejusdem tractatûs: *Vides profectò quàm gratum sit Deo sacrificium lacrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? Confitentibus, punientibus, non revertentibus ad vomitum, sed in spiritu humilitatis & in anima contrito fugientibus ad pia viscera Jesu, & continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.* Hæc Petrus Blesensis & eruditè & verè.

Si hujus Doctoris sua ætate singulari pietatis, & eruditionis laude celeberrimi sensa Sacerdotes attentiùs expenderent, deprehenderent se profectò simulatâ plerorumque pœnitentiâ decipi, nec eos verè ita converti ad Dominum, qui in lethalia peccata nihil obstante frequenti eorum confessione identidem revolvuntur, & ideo per dignos pœnitentiæ fructus justo tempore explorandam esse eorum conversionem, quæ nunquam meliùs & certiùs deprehenditur, quàm cùm per opera pietatis ante absolutionem sacramentalem injuncta, & exhibita declaratur.

Cùm enim potestas satisfactionis ante absolutionem injungendæ, sit penes Sacerdotem, & vicissim ejusdem satisfactionis ante absolutionem implendæ pœnitenti necessitas incumbat, seriò debet discutere Sacerdos, utrum pœnitentis salus satisfactionis ante absolutionem implendæ remedium, necessariò requirat, necne: quòd si id ejus saluti expedire, nec eam aliter procurari posse judicaverit, illi ejusmodi satisfactionem sub pœna peccati indicere tenetur.

Dum proponuntur ejusmodi sanctorum Patrum, imò & recentiorum Theologorum sensa, multi Sacerdotes obstrepunt & objiciunt: Si absolutionem peccatoribus obduratis denegavero, & injunxero opera satisfactoria, ejusmodi hominibus ante absolutionem adimplenda, illi circa Paschales ferias dumtaxat confiteri, & corpus Christi suscipere soliti, abibunt irati, nec usquam ad sacramentum pœnitentiæ sunt redituri.

Hanc objectionem egregiè dissolvit Gerson Cancellarius Parisiensis in tractatu de arte audiendi confessiones, considerat. 3. ubi sic loquitur: *Sacerdos compleat erga quemlibet sibi confitentem sollicitè Confessoris officium, nihil præcipitanter, aut in solo cursu transvolans, sed morositate, id est diligentia pervigili omnia plenè examinans, dijudicansque, memoria quoque confitentis, quæ dicenda, imponendave fuerint, ea diligenti repetitione reponere insigat: quippe eligibilius est paucos audire completè, quàm multos imperfectè, cum conscientiarum scrupulis non tam expedire, quàm inexpeditos plerumque relinquere. Imitetur in hoc Deum, cujus perfecta sunt opera. Mallem namque, si Curatus essem, multorum confessiones differre post Pascha, etiam ubi quidam non essent redituri, quàm quòd cæcos eos seducerem, dum pro verè absolutis ipsi non rectè absoluti se gererent.* Hæc ille Doctor, ut quondam vocatus est, Christianissimus.

Quæstio LXII.

Utrum illæ ipsæ rationes, quibus inducti SS. Patres, pœnitentes injunctam ab Sacerdote satisfactionem per tot sæcula ante reconciliationem implere voluerunt, nostra hac ætate ad idem factitandum nos impellere valeant.

Respondeo, nos iisdem planè rationibus, quibus sancti Patres pœnitentes graviorum peccatorum reos, ad peragendam satisfactionem, antequam reconciliarentur, adegerunt, ad idem factitandum rite incitari posse, modò nihil damnemus permissam, & toleratam ab Ecclesia praxim, per quam absolutio iis, quos Sacerdos verè pœnitentes judicaverit ante peractam satisfactionem, impenditur. Sicut enim Ecclesia sine præjudicio veteris consuetudinis, quam per tot sæcula satisfactionem ante absolutionem sacramentalem adimplendam injungendo retinuit, nec abrogavit, immutato paulatim absolutionis ordine; sed eamdem illam consuetudinem usurpare liberum reliquit cuique Sacerdoti, eam saluti pœnitentis necessariam judicanti; ita & nos neminem absolutionis gratiam ante peractam satisfactionem impendentem, vituperare debemus, nec vicissim alii, aliam ingressos viam accusare debent, ne quis Spiritui sancto indesinenter eamdem Ecclesiam regenti, & utramque approbanti, vel certè toleranti contumeliam inferre videatur.

Ut igitur appareat, nos ad praxim satisfactionis ante reconciliationem adimplendæ iisdem impelli posse rationibus, quæ sanctos Patres ad id impulerunt, proferendæ sunt ejusmodi rationes, & discutiendum, utrum in hæc nostra tempora conveniant.

Prima igitur ratio quæ sanctos Patres impulit ad exigendam satisfactionem ab pœnitentibus, antequam absolverentur, spectat veram eorum conversionem, quam justo tempore patefacere jubebantur, ut ad veram cum Deo reconciliationem pœnitentiæ laboribus perfuncti pertingerent.

Hanc rationem egregiè prosequitur S. Eligius, Noviomensis Episc. hom. 4. in Cœna Dom. *Ad vos igitur nostra, imò Doctoris Gentium Pauli per nos ista sit exhortatio, ut agnoscat unusquisque vestrûm ex semetipso, si reconcilietur, vel reconcilietur Deo, quamvis reconciliari ejus Ecclesiæ nostro videatur ministerio: & sciat per quem fiat, vel quid sit ipsa reconciliatio. Loquitur beatus Apostolus in Epistola ad Corinthios specialiter, omni autem Ecclesiæ generaliter: Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia: omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Diligenter, quæso, attendite, quæ sit ista nova creatura, & ipsi studete nova esse creatura, quia non vetera, quandiu manent vetera, sed nova reconcilias sibi Deus Pater per Dominum nostrum Jesum Christum, & per eos quibus dedit reconciliationis ministerium; vetera autem sunt peccata ad veterem hominem pertinentia, quæ sunt infidelitas injustitia, inobedientia, concupiscentia mala, avaritia, rapina, adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, & quæ idem Apostolus ad Galatas enumerat. Qui ergo ex vobis talibus & his similibus involuti sceleribus fuerint, & per confessionem ac pœnitentiam nequaquam condignam satisfactionem egerint, sed adhuc in hac vetustate perdurant, non se à nobis reconciliari posse existiment, nisi prius veterem hominem cum actibus suis nunc enumeratis exspolient, & novum induant, & ipsi in eodem novo homine (id est in Christo) nova creatura (id est novi homines) per pœnitentiam fiant, sicut dudum per baptismum facti fuerant, ut hoc Apostoli dictum meritò illis conveniat: Vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia. Si igitur condignam Deo pœnitentiam obtulistis de præteritis, & si hæc eadem admittere non vultis, sed cum Dei gratia & adjutorio in omni bonitate & justitia & veritate perseverare desideratis; tunc scire potestis, quia noxia vetustate exuti, nova creatura facti estis, & verè Deo reconciliamini per Christum & per nos, quibus dedit mysterium reconciliationis. Et ita gaudentes, Apostolum ad vos & de vobis dicentem audietis: Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C. & in Spiritu Dei nostri. Si autem (ut diximus) aliter est, nemo vestrûm se fallat, nemo se seducat, nemo circumveniat: non enim potest Deus, sicut homo, ullis decipi fraudulentiis, clamante omnibus Apostolo: Nolite errare, Deus non irridetur. Qui enim peccando factus est ei inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari, ut fiat amicus. Reconciliatio namque eorum est, qui antea inimici fuerunt: & conciliantur amici, reconciliantur inimici.* Et paulò pòst.

Quamvis, sicut dicit S. Leo Papa, Deus sic suæ bonitatis præsidia ordinaverit, ut indulgentia ipsius, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri, quia mediator Dei & hominum Dominus J. C. hanc Ecclesiæ Præsulibus potestatem tradiderit, ut & confitentibus satisfactionem & pœnitentiam darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per medicinam reconciliationis admitterent: huic tamen operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit.

Et homil. 11. idem docet. *Scriptum est*, ait, *Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris: ex eo enim unusquisque justus esse incipit, ex quo accusator sui extiterit. Confessio enim pœnitentiam monstrat, pœnitentia satisfactionem ostentat, satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat: nec enim poterit indulgentia tribui, nisi ira Dei possit confessione placari. O veneranda pietas Dei! peccavimus, & parcit! deliquimus, & ignoscit! offendimus, & adhuc placatus existit!* Hæc S. Eligius.

Constat igitur, satisfactionem ante absolutionem peragendam pœnitentibus olim fuisse injunctam, ut per veram cordis conversionem, & Deo & Ecclesiæ sanctæ Dei reconciliarentur. Quod est certum: nam non poterant Deo reconciliari, nisi per sinceram cordis conversionem; illa autem cordis conversio non poterat Sacerdotibus patefieri, nisi per condignam satisfactionem: ergo illa satisfactio ante absolutionem injuncta conducebat ad obtinendam veram cum Deo reconciliationem. Quam ad rem accommodatissimè S. Gregorius in 1. lib. Reg. cap. 15. cujus locum integrum suprà retulimus. *Tunc bene peccatorem conversum cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur.* Hæc S. Gregorius.

Ut igitur Patres veram pœnitentium conversionem, quantùm licet humanæ fragilitati, perspectam haberent & cognitam, hunc ordinem in administrando pœnitentiæ sacramento retineri voluerunt. Ut

1°. Pœnitentes confiterentur & admitterentur ad pœnitentiam, id est, ut loquitur S. Augustinus, acciperent satisfactionis suæ modum.

2°. Ut daretur actio pœnitentiæ, ut loquitur idem S. Augustinus, & post eum S. Leo.

3°. Ut secundùm peccatorum differentiam pœnitentiæ tempora decernerentur & implerentur, ut est apud Concilium Carthagin. III. vel ut tempus abstinendi præscriberetur, ut loquitur Concilium Turonense III.

*4°. Denique ut post evoluta legitimæ pœnitentiæ tempora, pœnitentes gratiâ reconciliationis do-

narentur, & Eucharistiæ sacramentum (quod erat tam perfectæ reconciliationis, quàm futuræ gloriæ pignus) in fidelium societatem veluti postliminio reversi, perciperent.

Germanum hunc pœnitentiæ ordinem olim extitisse probant tres summi Pontifices: Innocentius scilicet I. Sanctus Leo, & Gregorius Magnus, quos nemo ex successoribus Petri vel eruditione vel virtute superavit.

Innocentius Papa I. in 1. Epist. decretali in Canonum corpus inserta, sic nostram propositionem astruit. *Cæterùm de pondere æstimando delictorum*, ait, *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* Hæc ille.

Tanti Pontificis verba satis superque declarant, juxta sanctiores regulas, quas ille ex perpetua Ecclesiæ traditione haustas fidelibus indixit, quo ordine Sacerdotes ligandi solvendique potestatem sibi ab Christo Domino traditam, erga pœnitentes exerceant, eos nempe non absolvendo, nisi priùs perstiterint in lacrymis, & in contriti cordis acerbissimo dolore, & satisfactionem suorum criminum atrocitati, & multitudini respondentem impleverint.

Idem contestatur S. Leo Epist. 91. ad Theodor. Forojuliensem Episcop. cujus verba, quia jam alibi retulimus, & paulò antè præcipua ejusdem verba nostram in rem convenientia, ex laudata S. Eligii homilia 4. recitavimus, hîc prætermittimus.

Cùm enim ait loco laudato, *Christum Jesum hanc præpositis Ecclesiæ tradidisse potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Ex isto tam expresso & perspicuo sanctissimi Pontificis loco constat, adeo non esse culpandam & reprobandam veterem illam Ecclesiæ consuetudinem, ad cujus amussim nonnulli bene animati homines satisfactionem ante absolutionem sacramentalem implendam præcipi volunt, ut maximi sit facienda, quippe quæ ex traditione per os tanti Pontificis declarata, refertur.

Tertius Pontifex qui nostram hanc doctrinam stabilit, est S. Gregorius Magnus eo nomine primus: sic enim loquitur homil. 26. in Evang. *Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sententia pastoris absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis.* Hæc S. Gregorius.

Quod quidem, tametsi per multa sæcula sit usurpatum, non tamen damnanda est Ecclesiæ praxis, quâ nunc absolutio sacramentalis, multis ante peractam satisfactionem impenditur: quàm praxim improbavere nonnulli, qui cùm hunc ordinem satisfactionis ante absolutionem implendæ à Christo institutum, atque adeo pœnitentiæ sacramento essentialem, nec ullatenus ab eo separandum, aut separabilem temere assererent, in teterrimum errorem inciderunt. Quippe qui, ex quo illa consuetudo satisfactionis ante absolutionem adimplendæ retineri desiit, sacramentum pœnitentiæ non nisi cum sacrilegio administratum esse, pari ad inscitiam temeritate docuerunt.

Quod esse falsissimum & teterrima erroris, imò & hæreseos labe suffusum, constat ex omnium Theologorum sententia, qui docent, non omnia, quæ à Christo instituta sunt, esse invariabilia; & esse quædam præcepta, de quibus Ecclesia dispensare potest; & penes Ecclesiam, cui mysteriorum Christi dispensatio concredita est, esse authoritatem judicandi, quæ Christi mysteria possint dispensationem admittere, quæ item admittere nequeant, & quo tempore, & quibus de causis dispensari debeant. Quod eruditè suo more probat Cardinalis Perronius in Respons. ad Regem majoris Britanniæ inscripta lib. 6. cap. unico de communione sub utraque specie, fol. 1109. ubi probat, Ecclesiam non conficientes, id est laicos, de præcepto Christi, quo eos sub utraque specie communicare jusserat, dispensasse: eo quòd ista dispensatio nihil officiat integritati essentiæ communionis, nec integritati significationis, quæ in consecrantium sub utraque specie communicantium, persona retinetur, ita ut ad pleniorem perfectioremque dumtaxat significationis integritatem pertineat.

Id ipsum probat, cùm ait, Christum Dominum baptismum non per aspersionem, sed per trinam immersionem conferri præcepisse, & nihilo secius Ecclesiam citra scrupulum consuetudinem hanc immutasse, eo quòd tametsi trina immersio à Christo Domino fuisset imperata, & ab Apostolis eorumque discipulis observata, eam tamen ad essentialem sacramenti integritatem nihil pertinere, sed ad pleniorem dumtaxat ejusdem sacramenti significationem conducere perspexerat.

Hanc observationem veluti pendente manu præflorare placuit, ne quis nodum in scirpo, ut vulgari jactatur adagio, quæritaret. Ut igitur eo unde paululùm digressa est, sese nostra referat oratio; si sancti Patres Christi vestigiis, & ab eo præscripto ordini institerunt, & satisfactionem ante reconciliationem adimplendam pœnitentibus injunxerunt, ut per injuncta satisfactionis opera eorum conversio, si nondum erat inchoata, inciperetur, incœpta ab eo, qui incrementum dat, augeretur, aucta perficeretur, perfecta probaretur, atque ita innotesceret Sacerdotibus, in quibus verbum reconciliationis Deus posuit: si, inquam, sancti Patres ita sese erga pœnitentes publicos & alios habuere ob allatam rationem; an illa ipsa ratio minoris erit facienda nostra hac ætate, quàm heroïcis eorum temporibus? non minùs ponderis nunc dubio procul habere debet, quàm olim habuit.

Nullos hîc libet testes adhibere, præter ipsosmet pœnitentes & Confessarios, quos si adhuc aliqua salutis attingit cura, non pudebit, quod res est, confiteri: vel enim pœnitentes crebrò confitentur, vel rarò; si crebrò eadem semper peccata & vivendo & confitendo iterant, nullam sibi vim afferunt, ut domitas habeant cupiditates, omnia suis sensibus obsequuntur, confitentur, ut in speciem appareant Christiani. Si enim Confessarium paulò severiorem fuerint nacti, alterum quærunt indulgentiorem, cujus patientiâ & indulgentiâ penitus abusi, in vitiis & pravis habitibus misserimè consenescunt: ita ut eorum vita maximam partem, ne dicam tota, in lethalibus transigatur flagitiis, atque ita ex criminosa relapsionum, confessionumque serie intertexta, continuataque esse videatur: si raro confiteantur, vivunt in perpetua salutis incuria, & ita assuescunt gravissimis quibusque peccatis, ut ea nihili ducant, & confessuri vix in toto unius vel plurium annorum curriculo, vix aliquid inveniant, de quo possint confiteri.

Quod spectat ad Confessarios, testificari possunt, quàm pauci vera cordis conversione donati, redeant ad Dominum Deum suum.

Vereor ne tantum malum jure ac meritò refundatur in multos Sacerdotes, qui propriis addicti commodis, non incumbunt ea, quâ par est, religione & diligentia ad coercenda, curandaque mala, quibus laborant pœnitentium animæ, quæ dubio procul ex vulneribus per lethalia flagitia inflictis revalescerent, si opportuna illis per idonea congruæ satisfactionis opera, remedia, nihil parcente manu, ad-

hiberentur. Et profectò non aberraverit à vero, quisquis cum S. Carolo deplorabit, ejusmodi hominum ignaviâ, medicinalem pœnitentiæ disciplinam magis magisque lapsam esse, tum ire cœpisse præcipitem, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum fuerit.

Cùm istud malum corroboretur, & serpat in dies latiùs, Sacerdotes bene animatos satisfactionem ante absolutionem sacramentalem adimplendam injungere oporteret. Sed proh dolor! Multi (si dicere fas est) hæreticos Audianos imitati, omnes pœnitentes ad aperienda peccata obligant, nec tamen ullum iis factitandæ pœnitentiæ tempus assignant; & confessis, nullâ interpositâ morâ, reconciliationis gratiam impertiunt. Quo in errore versatos esse Audianos, commemorat Theodoretus lib. 4. hæreticar. fabular. cap. 10. *Jubent*, inquit, (Audiani) *peccatores sua peccata confiteri, & confessos statim absolvunt, nec iis præscribunt idoneum pœnitentiæ tempus, sicut Ecclesiæ legibus sancitum est, sed iis offensas solâ potestatis authoritate remittunt.* Hæc ille.

Secunda ratio,

Propter quam sancti Patres satisfactionem reconciliationi præmitti voluerunt, spectabat peccati fugam, ut scilicet pœnitentes diuturnis molestiisque pœnitentiæ laboribus admoniti, peccata quæ defleverant, & expiaverant, omni cura & studio declinarent. Hanc rationem insigniter explicat canon 11. Concil. Toletan. III. *Quoniam comperimus* (sunt verba canonis) *per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundùm canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbytero se reconciliari expostulent: ideo pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio jubetur, ut secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia; hoc est, ut priùs eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum faciat, inter reliquos pœnitentes ad manûs impositionem crebrò recurrere: expleto autem satisfactionis tempore, sicut sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat. Hi verò qui ad propria vitia vel intra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem labuntur, secundùm priorum canonum severitatem damnentur.* Hæc in eo canone Toletani Patres.

Hic canon, sicut & omnia sanctorum Patrum monumenta, testantur multis sæculis injuncta fuisse pœnitentibus satisfactionis opera, antequam reconciliationis gratiam adipiscerentur, ne citò reconciliati, luderent de communione pacis, ut loquitur Concilium Illiberitanum, néve, ut loquitur S. Augustinus, si facilè reciperent sanitatem, ludus illis esset peccando cadere in mortem: hujusmodi enim est nostræ naturæ primi hominis flagitio sauciatæ, corruptela, ut quicquid vel nullo vel levi negotio comparatur, omnibus vilescat; quicquid autem paratur per varia ardui laboris opera, permagni fiat, & ingenti cura studioque retineatur. Quàm id verum sit, quotidiana contestatur experientia: quàm multos enim videas, quos peccare delectat, eo nomine quòd rem sint habituri cum mollioribus Confessariis, à quibus sibi levem satisfactionem, vel propè nullam impositum iri resciunt.

Quod sanè malum non corroboraretur in dies, nec manaret latiùs, si Sacerdotes se cum pœnitentibus, quos molliùs, quàm Christus præcipiat, adhibent, in eamdem cum ipsis offensam atque perniciem implicari, seriò & identidem recogitarent.

Tertia ratio,

Quæ sanctos Patres induxit ad satisfactionem reconciliationi præmittendam, repetitur ex eo, quòd dare sanctum canibus, id est indignis mysteria dispensare metuerent maximè, imò perhorrescerent. Ideo singularis penes illos excubabat cura, ut non solùm infideles, verùm etiam Christiani pœnitentes mysteriorum accessu, imò etiam aspectu prohiberentur: nec unquam ad eorum participationem admitterentur, nisi diuturnis & debitis pœnitentiæ laboribus repurgatos esse, Sacerdotum judicio pateficret.

Unde illi ipsi sancti Patres, cùm in Ecclesia præsentibus catechumenis de oraculis evangelicis perorarent, ipsa mysteria religioso premebant silentio, ut videre est apud S. Joann. Chrysostomum hom. 40. in 1. ad Corinth. *Cupiam sanè clarè proferre verba*, ait, *si per prophanos illos liceret.* Ut legere est apud S. Ambrosium lib. 1. de iis qui initiantur, cap. 1. *Nunc de mysteriis*, ait, *dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum, si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potiùs, quàm edidisse existimaremur.* Hæc sanctus Ambrosius. S. Gregorius Nazianz. orat. 1 de Theolog. *nihil aliud esse prophanis mysteria reserare, quàm cantare canticum Domini in terra aliena*, profitetur. Unde passim apud Augustinum cùm de mysteriis facienda sunt verba, leguntur hæ voces, *Norunt fideles*; & apud S. Joann. Chrysostom. *Sciunt initiati*; & apud Dionysium, S. Basilium, Theodoretum & S. Epiphanium, quorum testimonia brevitatis causâ prætereo.

Si sancti Patres per tot sæcula infidelibus, etiam catechumenis, ne mysteriorum quidem nomina indicare voluerunt, multò sanè ardentiùs & studiosiùs in legitimam eorum dispensationem incubuerunt, ne sanctum daretur canibus, & margaritæ projicerentur ante porcos, id est, homines in libidinum cœno volutatos, quos nondum pœnitentiæ sacris canonibus consentanea severitas, repurgaverat: neminem enim ad divini corporis epulas admittebant, nisi priùs illum ab ipso Deo absolutum, aut saltem suo ministerio, clave non errante, absolvendum, optimis rationibus adducti crederent.

Hoc pronuntiatum tota passim astruit antiquitas. Eusebius Pamphili lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap. 42. quosdam Martyres, eam in reconciliandis, & ad percipienda mysteria admittendis quibusdam in idololatriam lapsis, curam & diligentiam adhibuisse, ex Dionysii Alexandrini Epistola commemorat. *Cæterum*, inquit, *hi divini Martyres, qui nunc assessores sunt Christi, & regni illius consortes, ac judicii participes, unà cum ipso judicaturi; dum hìc apud nos essent, quosdam è fratribus lapsos, & idolis sacrificasse convictos, susceperunt: & conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cùm judicassent eam placere posse illi, qui pœnitentiam peccatoris mavult, quàm mortem, eos admiserunt & collegerunt, atque in cœtum suum receperunt, & in orationibus & cibo communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? quid nos agere debemus? Utrum sententiæ Martyrum accedemus, & rem ab illis judicatam, seu potiùs gratiam concessam tuebimur: & cum iis quos illi miseratione prosecuti sunt, benignè agemus? An contrà, judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiæ illorum discussores ac judices constituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus?* Hæc ibi.

Hanc semper extitisse disciplinam Ecclesiæ, ut qui innocentiam è sacro baptismatis fonte haustam per lethale flagitium, idque publicum vel privatum effuderat, sese per diuturnos pœnitentiæ labores ad percipiendum Christi corpus appararet, ne manducaret illud indignè, perspicuè indicat Concilium Ancyranum sub Sylvestro Papa I. anno Redemptoris 314. celebratum, & postea à Leone IV. approbatum. Sic

enim loquitur cap. 4. *De his qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in idolio, quicumque eorum cùm ducerentur, latiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparata cœna indifferenter participes extiterunt: placuit eos inter audientes uno anno constitui, succumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire, id est ad communionem corporis Christi admitti*, ut interpretatur Baronius ad ann. Chr. 314. n. 87.

Et cap. seu canone 5. *Quotquot autem ascenderunt templa veste lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere discubitus, si compleverunt pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio subjecti pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, ut perfectionem*, (id est Eucharistiam) *consequantur.*

Et cap. seu can. 6. idem decernit. *De his*, ait, *qui minis tantùm cessere pœnarum, aut privatione facultatum territi, aut demigratione sacrificaverunt, & hactenus pœnitudinis negligentes, neque conversi, nunc hujus Concilii tempore semet obtulerunt, conversionis suæ consilia capientes: placuit usque ad magnum diem* (*Paschatis*) *eos inter audientes suscipi, & post magnum diem, triennio pœnitentiam agere, & postmodum duobus aliis annis sine oblatione communicare, & tunc demum sex annis completis ad perfectionis gratiam pervenire.*

Ista Ancyrani Concilii decreta satis superque comprobant, pœnitentes per varios pœnitentiæ gradus & labores, ideo fuisse expiatos, ut ad dignam corporis Christi perceptionem peracto aliquot annorum curriculo pertingerent.

Quod egregiè probat S. Gregorius Thaumaturgus, qui primus Patrum quatuor pœnitentiæ gradus, fletum scilicet, auditionem, substrationem, consistentiam distinctè percensuit. Nam omnes ejusmodi gradus ad percipiendam Eucharistiam relatos esse declarat. Quod etiam S. Basilius, ejusque frater S. Gregorius Nyssenus non obscurè significant.

Quam rem tam luculenter explanavit Gabriel Albaspinæus Aureliorum Episcopus in profundâ traditionis notitiâ strenuè versatus, ut ejus verba præterire religioni habeam. Sic igitur ille Observationum lib. 2. Observat. 22. de primo pœnitentiæ gradu: *In his damnis & cladibus*, ait, *quibus oppressi tenentur, qui peccarunt, tria inprimis spectavit Ecclesia, Christum ejusque legem quam non timuerant, satisfaciendi debitum, & culpa quam commiserant, exolvenda, Eucharistiam denique cujus accipiendæ jus amiserant. His morbis ac vulneribus medelas invenit totidem gradus pœnitentiæ, quibus indocti legem Christi edisceerent, Deo satisfacerent, Eucharistiâ denique digni redderentur. In auditione enim leges Christianæ religionis edocebantur. In tertio gradu graves illas pœnas subibant, quibus Deo satisfactum putabant. In quarto denique gradu sanctificabantur & quasi consecrabantur, ut ornatiores & digniores essent ad Eucharistiam suscipiendam, & ejus accipiendæ jus amissum recuperarent. Quæ attentè diligenterque consideranda sunt, ut gradus hi pœnitentiæ quem ad finem instituti sint, intelligatur. Nec enim in id tantùm ut à peccatis solverentur, sed ut ad Eucharistiam, quæ præcipuus pœnitentiæ & Catechumenorum scopus, tum Christiani hominis finis atque consummatio, ac religionis caput est, dignè percipiendam præpararentur. Nam cùm Ecclesia hoc haberet donum amplissimum & maximum, tum nihil gravius in quemquam statuere potuit, quàm si summo illo beneficio illum privaret. Hoc præmium amplissimum dedit, hanc pœnam gravissimam imposuit.* Hæc ille.

Hoc ipsum, quod intendimus, solidè probat Gennadius Presbyter Massiliensis, & postea Episcopus, in egregio de Ecclesiasticis dogmatibus libro, quem aliàs adscriptum sancto Augustino, proprio tandem Authori, ipsi nempe Gennadio doctissimi quique reddiderunt. Sic enim ejus libri cap. 53. loquitur: *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit: nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamvis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat orationibus & lacrymis, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ satisfacere, (ut fiebat illis temporibus) & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere: sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus. Sed mutato priùs sæculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu, miserante Deo, ita dumtaxat ut contraria pro his quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus dominicis diebus supplex & submissus usque ad mortem percipiat.* Hæc hactenus Gennadius.

Hanc veritatem, satisfactionem nempe reconciliationi præmittendam esse, apud SS. Patres traditio ita pervulgaverat, ut passim Eucharistiam (quæ erat absoluta reconciliatio) ab iis qui nondum injunctam impleverant pœnitentiam, indignè accipi dictitarent.

Quod probat insigniter S. Eligius, qui VII. sæculo floruit, homil. 4. his verbis: *Ut ante nos dictum est à Patribus, cùm tanta est plaga peccati & impetus morbi, ut medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint, authoritate Antistitis debet se quippe ab altari removere ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Lectum quippe modo est, Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: hoc est eum indignè illud accipere, qui accipiat eo tempore, quo debet pœnitentiam agere.* Hæc ille, qui à Patribus se accepisse gloriatur, quod litteris consignavit.

Quapropter ille ipse sanctus Eligius sic fideles adhortatur homil. 7. *Ille scrutator cordium & renum intrinsecùs corda nostra inspicit, & divinitatis suæ omnipotentiâ considerat, si per lamenta pœnitentiæ illi satisfecistis. Nos autem qui puri homines sumus, tantummodo facies intuemur. Unde saluti vestræ consulentes, hortamur, ut si quis vestrùm fictè pœnitentiam accepit, aut pœnitere dissimulavit, ad reconciliationis sacramentum nullatenus accedere præsumat: sed magis sordes scelerum diluat, fontibus lacrymarum cæterarumque operibus virtutum. Si verò quantùm humanæ fragilitati scire permittitur, dignè pœnituistis; & deinceps ne talia facere velitis, tota mentis contentione promittitis, dexteras manus vestras in sublime extendite, ut abhinc cælestem conversationem & vitam Deo dignam gerere ostendatis.* Hæc ibi S. Eligius.

Si ergo, ut constat ex tota traditione, heroïcis illis temporibus pœnitentes arduis prolixisque pœnitentiæ laboribus ad percipiendam dignè Eucharistiam expiatos & probatos oportuit, quo animo nos animatos esse par est, quippe nostra hac ætate sontes, insontes, induratos, pœnitentes, bonos & malos, ad percipiendam Eucharistiam ab nonnullis casuum architectis, non tam impelli, quàm promiscuè protrudi videamus.

Quidquod, non ignobilis casuum artifex quæris

tom. 2. moral. quæstion. tractat. 4. cap. 8. n. 224. p. 94. quanto temporis spatio teneatur communionem differre, qui peccavit mortaliter; & respondet, eum, qui contritus est & confessus, posse per se communicare, etiamsi præcedente nocte vel aliquo spatio antè mortaliter peccaverit.

Neminem nomino: itaque nemo mihi irasci poterit, quin priùs de se voluerit conferri. Quicquid sit, compellandi sunt optimi Sacerdotes, & alii iisdem vocibus, quibus olim Episcopos aliosque pastores compellavit S. Carolus Borromæus, cui hodiernus dies (quo hæc scribo) sacer illuxit. *Nec est*, ait in oratione, quam habuit in II. Concil. Mediolanensi: *Nec est cur ab muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis, vel quia populares illæ, (quibus quasi ficus foliis deformes, pravique mores contegi solent) voces audiantur. Non ferunt hæc tempora veterum canonum severitatem: sic jamdiu viximus, sic vixerunt, ita egerunt, qui nos ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quòd mutemus. At nos hæc atque adeo ejusmodi alia contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritûs & virtutem, quâ armati Patres nostri Apostoli, quâ muniti Martyres, quâ instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius hujus Ecclesiæ Antistes, quâ affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum ferè exemplo adducti, nos quoque Apostolicâ illâ constantiâ & Evangelica virtute, quâ una nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu & constanter certè agamus, usque adeo perficiamus, quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ authoritas, dignitasque postulat. Num si contra à nobis fiet, in formidoloso illo Dei judicio, cùm animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ sunt, rationem reddemus: tum aliorum nos accusantium vociferationes, & irati judicis nos item acerbè objurgantis eas voces audiemus: Si speculatores eratis, cur cæci? Si pastores, cur gregem vobis commissum errare permisistis? Si sal terræ, quomodo evanuistis? Si lux eratis, cur sedentibus in tenebris & umbra mortis non illuxistis? Si Apostoli, cur apostolica virtute non usi, cuncta egistis ad hominum oculos? Si os Domini, cur muti? Si vos huic oneri impares esse sentiebatis, cur tam ambitiosi? Si pares, cur ita desides, ita negligentes? Nihil vos Prophetarum voces, nihil Evangelii leges, nihil Apostolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil labentis Ecclesiæ status, nihil hic formidolosus judicii dies, nihil præmia, nihil supplicia, æternique cruciatus moverunt?*

Has horribiles judicis irati voces, nobiscum, Patres, animo menteque reputemus, ut iis, atque adeo aliis excitati, in hac sacrosancta tam gravium rerum tractatione non remissè, non leviter, non timidè, non negligenter, non dissimulanter sed sincerè, & constanti sanctaque sollicitudine, Deum solum spectantes, quod in nostro officio, nostroque munere positum est, agamus & perficiamus, duce Spiritu sancto omnium actionum & consiliorum moderatore, cui gloria sit & honos sempiternis ætatum sæculis. Amen.

Hactenus sanctus Carolus, quem Deus Apostolico spiritu plenum superiore sæculo excitavit, ut disciplinam Ecclesiæ plurium Sacerdotum inscitiâ collapsam, & populorum suo arbitratu & prolubio victitantium socordiâ & impietate profligatam instaurare inciperet, & sequentibus sæculis veterum canonum praxim in usum revocandi planum & regium iter aperiret.

Ergo si quis est adeo induratus, ut librata Apostolico tanti Præsulis ore fulmina parvi, vel nihili faciat, suam salutem maximè periclitari noverit, quippe qui verbis petras conterentibus nullo pacto moveatur.

Quæstio LXIII.

Utrum pœnitens ritè ab Confessario uno ligatus, possit ab altero solvi: sive utrum imposita, clave non errante, pœnitentia ab uno Confessario, ab altero possit immutari.

HANC quæstionem solvi & illustrari necesse est sequentium Conciliorum canonibus, quibus nemo verè Catholicus reluctari queat.

1°. Id astruit Concilium Illiberitanum ex novem Episcopis supra decem conflatum, sub Marcello I. anno Redempt. 305. celebratum, cujus canon 53. quod asserimus, astruit his verbis. *Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit; quòd si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, illo adhuc minimè sciente, vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.*

2°. Concilium Arelatense I. tom. 1. Concil. Galliæ pag. 7. habitum anno Redempt. 314. can. 16. cujus titulus est: *Ubi quisque fuerit excommunicatus, ibi communionem consequatur.* Sic rem nostram probat: *De his qui pro delicto suo à communione separantur, placuit, ut in quibuscumque locis fuerint exclusi, eodem loco communionem consequantur.*

3°. Concilium Taurinense, quod est tom. 1. Concil. Galliæ fol. 29. habitum anno Redempt. 396. rem nostram confirmat can. 4. in hæc verba concepto: *De Palladio autem laïco, qui Spano Presbytero non leve crimen intenderat, inter quos Episcopus Triferius ejusdem criminis causas se cognovisse testatus est; id Concilii decrevit authoritas, ut idem Palladius in eadem sententia maneret, quâ cognitionis tempore, à Triferio fuerat Sacerdote multatus: in hac si humanitate reservata Concilii, ut ipse Triferius in potestate habeat, quando voluerit, ei relaxare.*

Idem statuitur ejusdem Concilii can. 5. de Exuperantio Presbytero: *Statuit quoque de Exuperantio Presbytero sancta Synodus, qui ad injuriam sancti Episcopi sui Triferii gravia, & multa congesserat, & frequentibus eum contumeliis provocaverat, ita ut nonnulla fecerit contra ecclesiasticam disciplinam, propter quam causam ab eo fuerit dominica communione privatus, ut in ejus sit arbitrio restitutio ipsius, in cujus potestate fuit ejus abjectio, hoc est, ut quando vel idem Exuperantius satisfecerit, vel Episcopo Triferio visum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.*

4°. Concilium Romanum III. ex octo Episcopis supra trecentos conflatum anno Redempt. 487. sub Felice III. celebratum, id ipsum comprobat in canonibus recitatis in Epist. 7. ejusdem Felicis III. ut videre est 1. part. 2. tom. Concilior. ex editione Binii pag. 454. *Curandum verò maximè*, ait, *& omni cautela est providendum, ne quis fratrum Coepiscoporumque nostrorum, aut etiam Presbyterorum, in alterius civitate vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum Sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & litteris, ad cujus pertinet parochiam, Presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat. Quòd si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam Clerum, qui in locis, in quibus hoc minùs curatum fuerit, commoratur.*

5°. Id

5o. Id pariter affirmat Concilium Lugdunense II. quod habetur tom. 1. Conciliorum Galliæ fol. 567. & est habitum ann. Redempt. 567. sic enim loquitur can. 4. *Illud etiam quod sancti Patres salubriter ordinarunt, placuit iterari, ut, si quicumque Episcopus pro reatu aliquo quemquam à communione suspenderit, apud omnes Sacerdotes eatenus habeatur à communione alienus, usquequo ejus judicio debeat recipi, a quo meruerat pro reatu suo à charitate Ecclesiæ sequestrari.*

6o. Id etiam Concilium Salegunstadiense ann. Redempt. 1022. sub Benedicto Papa & Henrico Imperatore celebratum, quod legere est 2. p. 3. tom. Conciliorum generalium ex editione Binii, pag. 176. cap. 18. *Quia multi*; ait, *tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata, sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus, adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum ex eisdem rebus, deferendas accipiant.*

Id ipsum confirmat Concilium Lemovicense II. habitum ann. Chr. 1034. sub Benedicto IX. hoc Concilium extat in 2. p. tom. 3. Concil. general. ex editione Binii, p. 182.

Laudata hactenus Concilia satis superque declarant, semper eam Ecclesiæ mentem extitisse, ut nemo vel Episcopus vel Sacerdos pœnitentem ab altero Sacerdote, clave non errante, ligatum solvere attentaret; ne fortè sancitam tot canonibus pœnitentiæ disciplinam, non mediocriter labefactaret, atque ita filiis sæculi voluptatum magis amatoribus quàm Dei, latam perditionis viam per impœnitentiam præpostera relaxatione invectam, imò per impunitatem, aut certè per degenerem indulgentiam aperiret.

Quidquod Ecclesia multis sæculis, antequam commemorata cogerentur Concilia, secundo nempe ab Redemptoris ortu sæculo, quid hac in parte fieri vellet, in Marcionis persona perspicuè declaravit. Quod ubetiùs persequi juvat. Fuit Marcion genere Ponticus, ut commemorat S. Epiphan. lib. 1. advers. hæreses in hæresi Marcionistarum, quæ est hæresis 22. aut 42. ex ea parte, quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope, quemadmodum frequens de eo fama percrebuit: qui initio vitæ scilicet castitatem præ se ferens, Monachorum instituta professus est, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Postea cùm virginem quandam deperiisset, & mirandis pellexisset fraudibus, de spe vitæ cælestis illam pariter & semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum ejectus est ex Ecclesia ab ipso parente, viro cumprimis religioso ac veritatis amore flagrantissimo, & in Episcopalium munerum administratione præter cæteros nobilitato. Cui cùm Marcio diu multumque supplicasset, ac postulasset pœnitentiam, eam à patre nullis precibus obtinuit. Vehementem siquidem ex ea re dolorem optimus senex & Episcopus hauserat; quòd ille non solùm excidisset, sed etiam ignominiam sibi ac dedecus impressisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperet, animadvertit, popularium suorum probra ac ludibria nòn sustinens, clam ab oppido secessit, ac sese contulit Romam, post Hygini Papæ obitum, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eò statim ac Marcion pervenit, ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit, quamobrem extimulatus invidiâ, quòd non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.

Tum ab ipso principio, ipsisque, ut ita dixerim, quæstionum foribus exorsus, Presbyteris qui tunc temporis erant, cœpit ista proponere. Cedo, inquit, quid hoc sibi vult: Non mittunt vinum novum in utres veteres, neque commissuram panni rudis in vestimentum vetus; alioqui tollit plenitudinem, neque veteri congruet: major enim scissura fit. Quod candidi ac sanctissimi Dei Ecclesiæ Presbyteri ac Doctores audientes, hunc in modum respondebant: Fili, veteres illi utres nihil aliud sunt quàm Pharisæorum Scribarumque corda, quæ peccatis inveteraverant, nec Evangelii doctrinam admiserant; eodemque vetus illud vestimentum pertinet. Cujusmodi Judas extitit, qui in avaritiæ tanquam vetustate quadam obsoleverat, neque novi ac sanctissimi cælestisque mysterii prædicationem accepit: tametsi ad undecim Apostolos esset aggregatus, & ab ipso Domino vocatus; ex quo majorem scissuram non alio, quàm ipsemet sibi authore conscivit: propterea quòd ejus animus caducis his opibus, ac fastu, fluxaque hominum amicitia ac spe voluptateque contemptis, nequaquam se ad cælestem spem, ac futurorum bonorum vocationem accommodaverat.

Ad hæc contradicere Marcion; ac longè secus id habere se dicere, pro eo quòd admittere sese detrectassent. Quare palam eos alloquens, Cur me, inquit, recipere noluistis? Responderunt illi: Nobis injussu venerandi patris tui facere istud non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum Collegam patrem tuum moliri quippiam possumus. At ille vehementiùs excandescens, ac superbiâ invidiâque percitus, schisma conflavit, ac privatam hæresim architectatus est; &, Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam. Quod ille revera nec mediocre quidem injecit: non ita tamen ut Ecclesiam, sed ut se potiùs ac suos discinderet.

Hanc historiam ex S. Epiphanio promptam pluribus referre placuit, ut ex ea tria disceremus.

Primum, non licere uni Episcopo vel Sacerdoti solvere, quod alter, non errante clave, ligaverit.

Secundùm, hanc disciplinam ab Apostolis verosimiliter esse profectam. Siquidem hac in historia traditur ab sanctissimis Ecclesiæ Dei Presbyteris ac Doctoribus, qui ab sanctissimis Apostolorum discipulis edocti, supersuerant, à quibus dubio procul eam acceperant; & profectò ratio ab unitate fidei & animorum consensione repetita, sanctissimam illam legem, de qua sermo est, ab Apostolis veluti limpidissimis divinæ traditionis fontibus manasse convincit. Nihil enim dum adhuc degerent in terris, antiquius habuerunt Apostoli, quàm ut unitas tenacissimo Christianæ charitatis pacisque vinculo religata, Ecclesiam Christi sanguine redemptam, ab omni dissidio & schismate vindicaret.

Tertium, quod ex hac historia discendum est, magnam animi constantiam ingenerabit omnibus Confessariis, qui suas partes, ut oportet, explicare voluerint. Nihil enim movebuntur, cùm audient nonnullos pœnitentes malè animatos, qui cùm nacti fuerint Confessarium sua ipsorum vulnera nihil parcente manu contrectantem, & paterna severitate persanare molientem, exasperantur, & propemodum aguntur in rabiem, & si ad hæreticorum castra transituros insolentissimè minitantur. Animadvertent enim Confessarii, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros & Doctores, nihil de legis vel divinæ, vel saltem ecclesiasticæ severitate relaxasse in gratiam Marcionis; tametsi monstrum illud superbiâ invidiâque percitum, se schisma conflatum ire minitaretur.

Idem factitabunt optimi quique Sacerdotes vete-

divinæ gloriæ studio succensi, & tametsi res cadant in teterrimam partem, suo strenuè fungentur officio, & frementibus licèt, & allatrantibus hominibus, freti uno insontis conscientiæ testimonio, in Domino gloriabuntur. Nonnunc primùm profligatæ conscientiæ homines has minas Episcopis & aliis Sacerdotibus proposuere, ut constat ex S. Joanne Chrysostomo, cui cùm illa ipsa comminatio objiceretur, eam excussit homil. 7. in cap. 3. Epist. ad Coloss. cujus verba, quia sunt magni ponderis, & ad corroborandos Sacerdotum animos cumprimis idonea & efficacia, hîc ea exscribere juvabit; eaque lectorem expendere delectabit. *At sunt hisce temporibus plures secta & hareses*, ait, *ad quas illi abdicata fide Catholica veluti transfuga deficient, si eos acriùs urgere perrexeris. Inanis & frigida est hujusmodi objectio. Virum unum voluntatem Domini perficientem, mille iniquis anteferendum esse, sacra me Littera docuerunt. Nam amabo, an malles habere mille servos perditos, nebulones, fures? an unum dumtaxat fidelem & benevolum? Eum dubio procul mille improbis & sceleratis anteponeres. Sum igitur author, & edico, ut omnia illa ornamenta, aurum, gemmas, & alia id genus, quibus caput & locupletas & oneras, abjicias penitus, & vasa, de quibus dixi, tuo jussu liquefacta vendites, & conflatum ex iis pretium pauperibus impertias, nec simili in posterum amentia tenearis. Quisquis ex Ecclesia exire voluerit, exeat sanè: quisquis me incusare, & reprehendere voluerit, reprehendat, per me licet. At palam & liberè profiteor, me neminem ex iis quos arguo, in Ecclesiam ingredi passurum esse. Cùm ad Christi tribunal judicandus astitero, non estis mihi prastò futuri, nec mihi quicquam profuturus est vester in me amor, in ratione, quam tam formidoloso judici sum redditurus. Pessumdantur & exulcerantur omnia, cùm dicit quis: Parce illi paululum, ne se ab Ecclesia communione segreget, & ad haresin deficiat; imbecillis est, demitte te paululum, & ad ejus imbecillitatem te tantillum attempera. Sed quousque tandem? Semel & iterum & tertiò ejus infirmitati dare aliquid possumus, sed non perpetuò. Ecce denuo contestor, & ipsissimis Pauli verbis denuntio, quòd si redeam ad vos, me nemini esse parciturum. Quando autem vos Christianè gerere volueritis, tunc scietis quantam utilitatem sitis ex hac mea oratione percepturi.* Hæc ibi S. Joannes Chrysostomus.

Si igitur quispiam legitimam satisfactionem ab Sacerdote injunctam, acceptare noluerit, vel acceptatam implere detrectaverit, (nisi gravissima intercesserit causa) ab alio solvi non debet, ut videlicet ei levior, quàm par est, imponatur pœnitentia; tametsi se ad hæreticorum castra transitum ire aliquatenus minitetur. Si enim ejusmodi comminationis esset habenda ratio, omnis pœnitentiæ disciplina labefactata corrueret, & in Ecclesiam inveheretur, & grassaretur impœnitentia, quæ multò plures quàm nunc, in mortem pertraheret sempiternam. Illa igitur opinio aiens, pœnitentem ab uno Confessario, clave non errante, ligatum ab altero solvi facilè posse, impœnitentiæ suffragatur, & alit superbiam pœnitentium, imò impœnitentium, qui se suprà Sacerdotum capita efferre, eorumque se judices constituere gestiunt. Si ergo unus rescinderet, quod sanciret alter, in eos conveniret sancti Spiritus effatum, Ecclesiast. cap. 34. v. 18. *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?* Id est, ut interpretatur Jansenius Gandavensis: *Sit unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor? hoc est, quam utilitatem consequuntur præter laborem suum? hoc est, nullam ex labore suo utilitatem capiunt, sed tantùm gravamen.* Hæc ille.

Si igitur unus Sacerdos destrueret, quod, clave non errante, ædificaret alter; ambo inani sese stultoque labore conficerent: eo tamen discrimine, quòd qui pœnitentem legitimam satisfactionem injungendo ligaret, faceret quod decet verum Domini Sacerdotem, suasque partes laudabiliter ageret; alter verò pro arbitrio rescindens, quod ille statuisset, non solùm suâ abuteretur operâ, sed etiam accerseret sibi conscientiæ gravamen, suumque ministerium in certam tam pœnitentium, quàm suimet ipsius perniciem converteret.

Nam dubio procul qui suo arbitratu & prolubio solvit pœnitentes aut ligat, violat duo præcepta, quorum

Primum est, unumquemque Confessarium ligare aut solvere oportere, non suo arbitrio, sed prout Deus immediatè per se vel per Ecclesiam indixerit.

Secundum est, non esse injungendas pœnitentibus satisfactiones ad eorum voluntatem & nutum, sed secundùm Canones pro qualitate criminum & facultate pœnitentium; alioquin reus non tam indueret personam judicis, quàm in ejus partes invaderet.

Quod spectat ad primum præceptum, illud egregiè explicat S. Thomas in Supplem. q. 18. art. 4. in c. *Respondeo, dicendum*, ait, *quòd Sacerdos operatur in usu clavium, sicut instrumentum, & minister Dei: nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur à principali agente. Et ideo dicit Dionysius in fine Ecclesiast. Hierarch. quòd Sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo divinitas eos moverit. In cujus signum Matth. 16. ante potestatem clavium Petro traditam fit mentio de revelatione divinitatis ei facta. Et Joann. 20. præmittitur potestati remissionis Apostolis datæ, Spiritus sancti donum, quo filii Dei aguntur. Unde si quis præter illum motum divinum, uti sua potestate præsumpserit, non consequeretur effectum, ut dicit Dionysius loco citato. Et præter hoc à divino ordine averteretur, & sic culpam incurreret. Et quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ, medicinæ sunt, sicut medicinæ in arte determinatæ, non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundùm arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ: ita pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundùm arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ, majus periculum oriatur: ita Sacerdos divino instinctu motus, non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & à pœnitentia totaliter recedat.*

Ex vi igitur hujusmodi præcepti Sacerdos non potest pro nudo suo arbitratu solvere vel ligare. Nam certum est apud omnes Theologos, eum peccare, & nihil agere, si vel indignum absolvere, vel injunctam rite ab altero satisfactionem, citra necessitatis articulum, aut aliam gravem causam commutare vel rescindere attentaverit. Ejus enim potestas est dumtaxat instrumentalis, quæ proinde nihil valet, nisi à principali agente moveatur. Hoc enim importat instrumenti natura, ut nihil penitus efficiat, nisi ab ea, cujus est instrumentum, præmovente causa, omnem efficiendi vim accipiat. Quod non fieret, si Sacerdos mero suo arbitratu vel indignum solvere, vel innocentem ligare præsumeret.

Quod quidem nihil prohibet, quominus in injungendis satisfactionibus aliquid prudenti Sacerdotis arbitrio sit relictum: ita ut illum non præcisè pro qualitate criminum & severitate Canonum eas injungere oporteat; sed quoddam temperamentum & modum, habita ratione rerum, personarum, aliarumque circumstantiarum adhibere valeat. Quod declarat Capitulum *Mensura. de pœnitent.*

dist. 1. Quod quidem capitulum ex Synodi Metensis canone 10. excerptum, observatio Gregoriana testatur.

Alterum præceptum, quod infringitur ab eo Sacerdote, qui impositam ab altero, clave non errante, pœnitentiam mutandam aggreditur, io eo positum est, quod nemini Sacerdoti pœnitentiam ad pœnitentium nutum & voluntatem imponere liceat, nisi fortè pœnitens eo esset animatus animo, ut ipsemet convenientem sibi, salutaremque satisfactionem ab Confessario flagitaret. Aliter enim ad pœnitentis nutum satisfactionem injungere non licere pulcherrimè declarat Concilium Parisiense VI. anno Redempt. 829. celebratum lib. 1. cap. 32. *Sacerdotes porrò*, ait, *qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut certè favoris causâ, tempora modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentiam indicunt, audiant quid Dominus per Ezechielem Prophetam terribiliter dicat: Hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium: ecce ego ad vos, ait Dominus Deus, & erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domûs Israël non scribentur; & scietis quia ego Dominus Deus, eo quòd deceperint populum meum, dicentes, Pax, Pax, & non est pax. Et post non multa: Cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmentum panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discretè inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam authoritatem pœnitentiæ noverint imponere: quoniam hactenus eorum incuriâ & ignorantiâ multorum flagitia remanserunt impunita. Et hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.* Hactenus Concilii verba, quæ satis superque significant, non licere ulli Sacerdoti satisfactiones ad pœnitentium nutum compositas imponere, nec debere quemquam impositum ab altero, clave non errante, pœnitentiam immutare, nisi secundùm statuta Synodorum, quæ quidem cùm, ut suprà vidimus, id severè prohibeant, nemo id secluso necessitatis articulo, attentare, vel præstare debet.

Quæstio LXIV.

Utrum injungendæ ab Confessario satisfactiones qualitati criminum respondere oporteat.

PROPOSITAM quæstionem ita solvit Concilium Tridentinum session. 14. cap. 8. ut ejus verba præterire nefas existimem. *Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Ex his Concilii verbis tria colligo, quorum

Primum est, Sacerdotes Domini teneri injungere pœnitentias.

Secundum est, teneri injungere satisfactiones non qualescumque, sed eas quæ qualitati criminum, & pœnitentium facultati respondeant,

Tertium, si desint huic officio, quod implere tenentur lege naturali & divina & ecclesiastica, eos alienorum peccatorum participes seu conscios effici.

Quod spectat ad primum, quod colligitur ex recitatis Concilii verbis, à nobis pertractatum est uberiùs suprà in quæstione LVII. ad quam adibit, qui hac de re plura voluerit.

Quod spectat ad secundum pronuntiatum, ex Concilio pariter deductum, qui in sacramento pœnitentiæ maximum obtinet momentum, illud accuratiùs discutere, & tam Scripturæ, quàm traditionis authoritate astruere necesse est.

Quod spectat igitur ad satisfactiones, peccatorum & multitudini & qualitati pares & consentaneas, eas Scriptura multis in locis prædicat, & inprimis Luc. c. 3. v. 7. ubi sic loquitur, ubi Joannes prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum dicit ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis*, ait S. Gregorius Magnus hom. 20. in Evang. *notandum est, quod amicus sponsi non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ fructus admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur ut licitis utatur; sicque pietatis opera faciat, at tamen, si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est; tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, ejus qui minùs, & ejus qui ampliùs deliquit: aut ejus qui nullis, & ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, Facite dignos fructus pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur: ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.*

His tanti Pontificis verbis vel oraculis, quid ad rem nostram accommodatiùs possit afferri, nihil video.

Easdem satisfactiones criminum qualitati consonas prædicat S. Paulus Act. cap. 26. v. 20. *Gentibus annuntiabam, ut pœniteatiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Quæ quidem verba perspicuè declarant ex unanimi sanctorum Patrum assensu, eam dignam fore satisfactionem seu pœnitentiam, in qua acerbitas & magnitudo doloris & pœnæ, magnitudini voluptatis, & immanitati culpæ responderit.

Unde S. Joannes Climacus in gradu 5. sic pœnitentiam describit: *Pœnitentia est corporee consolationis perpetua & jugis repudiatio: pœnitentia est voluntaria earum rerum omnium, quæ affligant, toleratio: pœnitentia est cruciatuum sibi semper opifex: pœnitentia est valida ventris afflictio, animæque in sensu firmissimo jugis reprehensio.* Sunt ibi multa alia lectu dignissima, quæ consulere poterit lector.

Ergo Christus Dominus idem factitandum imperat in satisfactione seu pœnitentia peccatoris, quod in supremo infandæ Babylonis exitio fieri præcepit: *Quantùm glorificavit se*, ait, *& in deliciis fuit; tantùm date illi tormentum & luctum.* Apocal. cap. 18. v. 7.

Hæc est doctrina ab omni ævo ab sanctis Patribus tradita. Hanc tradidit S. Cyprianus sub finem tractatûs de lapsis. *Quàm magna*, inquit, *deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? cui patrimonium præponere maluisti? cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupa-*

re, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari; post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum: post diaboli cibum, malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur.

Hoc ipsum pulcrè asseverat Clerus Romanus Epist. 31. ad & apud sanctum Cyprianum. *Aspice totum orbem pene vastatum*, aiunt Sacerdotes Romani, *& ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas, & idcirco tam grande expeti consilium, quàm late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina, quàm vulnus est; non sint minora remedia, quàm funera: ut quomodo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quòd cæca temeritate nimis incauti fuerunt; ita qui hoc disponere nituntur, omni consiliorum moderamine utantur, ne quid, non ut oportet factum, tanquam irritum ab omnibus judicetur.*

S. Ambrosius ad virginem lapsam cap. 8. describit varias corporis afflictationes illi subeundas; & postea subdit: *Grandi plagâ altâ & prolixâ opus est medicinâ; grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Et lib. 1. de pœnitentia cap. 2. Novatianos eo refellit argumento, quòd peccati magnitudini, pœnæ seu satisfactionis magnitudinem consonare oporteat. *Qui exaggeravit culpam*, ait, *exaggeret etiam pœnitentiam: majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus, nec vos ejus discipuli imitatores ejusdem & condemnatores, qui ibi minuitis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet, quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.*

S. Basilius in homil. *Attende tibi ipsi.* id ipsum luculenter affirmat. *Itaque attende tibi ipsi*, ait, *ut pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum: multâ opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti jejunio. Levis est nec intoleranda offensio; huic quoque exæquetur pœnitentia. Solùm attende tibi ipsi, ut cognoscas animæ tuæ sanitatem & morbum.*

Idem contestatur S. Hieronymus in cap. 1. Threnor. *Anima peccatis obnoxia, dum pro iniquitatibus suis à Domino corripitur, si introrsus rediens salubri dolore compungitur, abstinendo se à peccatis omnem luxum pristinum in lacrymas vertit, & tantò fortiùs constringendo seipsam plangit, quantò laxiùs per varia desideria se diutius errasse recolit.* Hæc S. Hieronymus.

Idem docet S. Gregorius Magnus lib. 4. Moral. cap. 17. *Tantò arctiori pœnitentiæ manu mens à pollutione tergenda est, quantò se per consensum conspicit sordidiùs inquinatam.* Idem asserit in cap. 15. libri 1. Regum, quem locum suprà retulimus.

Astipulatur citatis Patribus S. Eligius Noviomensis Episcopus, hom. 15. *Quia ergo*, ait, *majora crimina admittentibus, majora sunt admittenda remedia, convertam me ad vos, quos Ecclesia ex more pœnitentes vocat, cupiens videre & audire, quanta intensione deflere studuistis commissa vestra, & quanto studio deinceps procurare vultis, ne in barathrum perditionis animæ vestræ relabantur.*

Illam ipsam doctrinam è limpidissimis sanctorum Patrum fontibus haustam, Concilia longè lateque in omnem Ecclesiam refuderunt.

Canones Synodi Romanorum ad Gallos Episcopos juxta quæstiones ab illis propositas missi, qui habentur tomo 1. Conciliorum Galliæ ex editione Jacobi Sirmondi, fol. 585. id ipsum stabiliunt egregiè can. 1. *Si* (velata virgo) *volens crimen protegere, adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis, ut quæ sponsa Christi fuerat, conjunx hominis diceretur. In ejusmodi muliere quot sunt causæ, tot reatus: integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata, atque in irritum devocata. Qualì hìc & quanta satisfactione opus est? quàm magna pœnitentia ejus, quæ interitum incurrit? Non est parva culpa reliquisse Deum, & ivisse post hominem: unde annis quamplurimis deflendum ei peccatum est, quo digna fructu pœnitentiæ facto, possit aliquando ad veniam pervenire, si tamen pœnitens pœnitenda non faciat.* Hæc ibi.

Hunc Canonem, sicut & alios loco laudato comprehensos, antiquissimos prorsus esse, tum exemplarium vetustas docet, tum ipsa maximè quæ priscis Ecclesiæ sæculis congruunt, decretorum argumenta confirmant. Decretorum autem & scriptionis forma non abhorret ab Epistolis Innocentii Papæ I. quare non inanem opinionem fore, (si quis horum authorem illum fuisse conjiciat) asserunt eruditi.

Concilium Metense in commonitorio de ratione imponendæ pœnitentiæ, ad Episcopos in Comitatu Ludovici Regis, cap. 5. *Tantò majora quærat bonorum operum quisque lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.*

Huic doctrinæ inviolabiliter institerunt omnes Episcopi, qui statuta synodalia ad pœnitentium salutem idonea, suis in Diœcesibus promulgare voluerunt.

Testis est Ludovicus S. R. E. Diaconus Cardinalis, de Barro vulgariter nuncupatus, perpetuus Ecclesiæ Lingonensis administrator, qui ejusdem Ecclesiæ Lingonensis statuta synodalia recenseri per viros expertos, scientificos, & litteratos visitari, declarari & reformari, & in unum volumen referri curavit anno Redempt. 1404. ubi de satisfactionibus convenientibus id est constitutum. *Licèt pro quolibet peccato mortali esset regulariter septennis pœnitentia injungenda, quæ deberet imponi magis vel minùs aspera, prout majoritas vel minoritas, & circumstantiæ eorum exposcunt; tamen hodie omnes pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio sunt taxandæ, sive in quantitate temporis aut rei, vel modi, seu conditionis, considerando gravitatem peccati, & circumstantias temporis, loci, personarum, conditionis, & status earum.*

Et ut peccatis satisfactio respondeat, in iisdem statutis synodalibus decretum, ut semper pœnitentia sceleribus admissis contraria injungeretur. *Sacerdotes* (sunt statuti verba) *debent semper injungere pœnitentiam per contrarium peccatori, putà superbo humilem orationem, avaro eleemosynarum largitionem, aceidioso peregrinationem & ecclesiarum frequentationem, guloso abstinentiam à cibis & potibus, luxurioso carnis macerationem, & quandoque loci mutationem, iracundo mansuetudinem, & quòd in corde reprimat fortiter primum motum iræ, & sic de similibus.*

Idem statutum est, imò instauratum in Concilio Senonensi celebrato anno Redempt. 1524. *In injungendis pœnitentiis* (verba sunt Concilii) *considerent Confessores peccatum, modum peccandi, tempus, locum, qualiter, & quando, personam, qualitatem, & quantitatem culpæ, & contritionem confitentis.*

Idem decernit Concilium Bituricense anno Christi 1584. habitum. *Sacerdotes*, ait, *canones pœnitentiales discant, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant.* Et ibidem: *Pœnitentiam & satisfactionem injungant Sacerdotes, non pro suo arbitratu, sed pro gravitate peccatorum: habeant tamen rationem contritionis, dum pœnitentem absolvunt.* Hæc ibi.

Idem statuit Synodus Parisiensis celebrata anno 157-. *Satisfactionis partes sunt*, ait, *oratio, jejunium, eleemosyna, quæ tamen ratione habitâ juxta horum*

qui confitentur, vires, & delicti magnitudinem Confessarius imperet; & qui vicem Domini sum misericordis & clementis tenet, ne sit erga pœnitentes durus ac difficilis, néve gravius pondus humeris confitentium, & forti impar, imponat.

Cùm disciplina de pœnitentiis peccatorum magnitudini æquandis, tam veterum, quàm recentiorum Synodorum sanctionibus sit constituta, ut demonstravimus, ne fortè quis malè feriatus veterum statuta Synodorum per recentiorum canones abrogata esse præposterè contenderet, jam nemo erit Sacerdos, (nisi omnem reverentiam Christo & ejus Ecclesiæ debitam excusserit) quin vel unius Concilii Tridentini authoritate revictus se ad injungendam satisfactionem, peccatorum gravitati & facultati pœnitentium consentaneam teneri profiteatur.

Si tamen uberiorem ejusmodi doctrinæ probationem expetat, poterit consulere vetera Concilia quæ id ipsum quod asserimus, perspicuè decreverunt.

Consulat Concilium Toletanum III. sub Pelagio II. anno Redemptoris 589. celebratum, quod nostram assertionem astruit can. 11. quem suprà exscripsimus.

Consulat Concilium Moguntinum sub Rabano, ubi illud ipsum quod astruimus, affirmat can. 31. *Modus*, ait, *tempusque pœnitentia peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum authoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet à Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentia modos, consuunt pulvillos secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universa ætatis ad capiendas animas.* Hæc verba utpote Scripturis & divinæ traditioni consonantia repetunt Pœnitentiale Romanum tit. 9. cap. 11. Burchardus lib. 19. cap. 28. Ivo in Decret. p. 15. cap. 46. Et ut hæc regula ubique terrarum religiosissimè servaretur, præcipua apud Episcopos excubabat cura, ut libelli pœnitentiales ad Canonum amussim exacti traderentur singulis Sacerdotibus, & juxta illos congruam criminibus personisque pœnitentiam injungerent. Quod semper esset factitatum, nisi cùm dormirent homines, venisset inimicus homo, & superseminasset zizania in medio tritici; id est Sacerdotibus parum vigilantibus vel altè stertentibus, Dæmon per nonnullos sparsisset quosdam libellos pœnitentiales, per quos omnis pœnitentiæ disciplina, tot Canonum statutis roborata, labefactaretur & concideret.

Quorum libellorum cùm numerus increbresceret, habitum est Concilium Turonense III. anno Ch. 813. sub Carolo Magno celebratum, & inibi sancitum, ut omnes Episcopi decernerent, quem præsertim librum pœnitentialem sequi oporteret. Sic enim habet ejus Concilii Canon 22. *Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi ascribant, & juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus, & indiscretè hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium nobis videbatur, cùm omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimùm sit sequendus.*

Illo ipso tempore, anno videlicet Redemptoris 813. habitum est Concilium Cabilonense II. & can. 38. sancitum est, repudiatis libellis pœnitentialibus, pœnitentiam secundùm antiquos canonas esse imponendam. *Modus autem pœnitentia* (sunt verba Canonis) *peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum authoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superiùs dictum est, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti authores, de quibus rectè dici potest: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebunt; qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentia modos, consuunt pulvillos, secundùm propheticum sermonem, sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universa ætatis ad capiendas animas.* Hunc canonem Concilii Moguntini canoni 31. simillimum hic exscribere placuit, ut appareret quanto consensu concentuque Catholica dogmata, Concilia declararent.

Cùm impœnitentia per ejusmodi libellos pœnitentiales importata latiùs in Ecclesiam grassaretur, habitum est Concilium Parisiense VI. anno Redemptoris 829. imperante Ludovico, in quo nostrates Episcopi perquisitos ejusmodi libellos ultricibus flammis cremandos esse censuerunt. Sic enim loquuntur in ejus Concilii can. 32. *Quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ, partim ignorantiâ, modum pœnitentia reatum suum confitentibus secus quàm jura canonica decernant, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam authoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potiùs foventes palpant, incidentes in illud propheticum: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, &c. omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulteriùs Sacerdotes imperiti, homines decipiant.* Hactenus Canon.

Non solùm libelli pœnitentiales damnati sunt, sed etiam homines qui leviorem, quàm par esset, satisfactionem pœnitentibus injunxerant. Testis esto ille Episcopus, qui cùm militem voluntariæ cædis conscium, imposita leviori breviorique, quàm par esset, pœnitentia, absolvisset, ab Episcopis in Synodo congregatis reprehensus est, & per aliquod tempus officii ac ministerii suspensione multatus. Intempestiva videlicet istius Episcopi indulgentia Emmanuelem Commenum Imperatorem graviter exulceravit: ideoque Patriarcham Constantinopolitanum, Lucam nomine, cognitorem adhiberi voluit, quo nimirum discuteretur, utrum miles brevi pœnitentia perfunctus, legitimam absolutionem esset consecutus. Ad Concilium advocantur Episcopi, accersito, qui militem absolverat, Episcopo. Ille excusare pœnæ militi injunctæ levitatem, obtendere varios Canones, per quos Episcopis pœnitentiæ tempus aut producere aut contrahere licebat. Ex adverso sancta Synodus Canones rectè distinguens, & explicans secundùm divinam sancti Spiritus ipsi adhærentem illuminationem, militem quidem canonicarum pœnarum compedibus subjecit; Episcopum autem ad aliquantum temporis, officii ac ministerii suspensione punivit, dicens, Episcopis quidem licere pœnas canonicas augere & diminuere; aranearum autem filis ligare, quæ debent triplici rudente alligari, non esse concessum. Hanc historiam legere est in Commentario, quo Theodorus Balsamon canonicas S. Basilii Epistolas illustravit.

Illam ipsam Patriarchæ Constantinopolitani Lucæ & Synodi sententiam totam refert Hermenopulus in Epitome Canonum sect. 5. tit. 3. in Scholio ad can. 54. sancti Basilii.

Hinc discere debent Sacerdotes, quanto studio in lectionem Canonum ipsos incumbere oporteat, non quidem ut totam eorum in injungenda satisfactione severitatem retineant; sed adhibito Christiano prudentique temperamento, pœnitentes sibi imponendam esse graviorem satisfactionem noverint, nec ægrè ferant, si ipsis injungatur satisfactio, quæ

peccatorum ipsorum gravitati non omnino, sed quodammodo respondeat.

Eò spectavit S. Carolus, cùm tanto studio & ardore pœnitentiales Canones ab Confessariis lectitari, & sæpe regustari voluit. Illam scilicet canonum lectionem indixit Sacerdotibus, tam ut admissorum criminum gravitatem pernoscerent, quàm ut pœnitentiam offensæ qualitati consonam injungerent. Qua in parte Præsul sanctissimus non fecisset operæpretium, si ad gravium peccatorum satisfactionem, orationis Dominicæ recitationem, & leves aliquot eleemosynas sufficere credidisset. Quid enim necesse est me tenere canones, quibus homines fornicatione constricti ad pœnitentiam toto triennio ante sacram communionem peragendam obligantur, si pœnitentem fornicationis reum, recitata quinquies oratione Dominica & Angelica salutatione, statim ad corporis Christi perceptionem admittam? Quid mihi proderit notitia canonis adulteros ab divina Christi mensa depellentis, donec peractâ toto decennio pœnitentiâ, non solùm anteactæ vitæ maculas eluerint, sed etiam in charitate Dei profecerint? Si adultero septem pœnitentiæ psalmos ter quaterve recitandos, si jejunia per sextas trium aut quatuor hebdomadarum ferias obeunda injunxero, & interea ejusmodi hominem, sanctum sanctorum percipere permisero? si patiar Sacerdotem celebrare eo ipso die, vel postridie, quàm suas effusas in omni intemperantia libidines inter confitendum aperuerit? An potero profiteri me adhæsisse ad S. Caroli canonem, quo Sacerdoti fœdas in libidines immerso decennalis pœnitentia indicitur?

Ut igitur injungantur satisfactiones, quæ criminum gravitati quodammodo respondeant, nec pœnitentium vires excedant, tria sunt observanda, quorum

Primum est, quemlibet Sacerdotem animas in pœnitentiæ tribunali rite moderari & regere cupientem, imbutum & instructum esse oportere notitiâ canonum seu regularum, quas sancti Patres & Concilia ad plectenda mortalium flagitia, & condiderunt & promulgarunt: alioquin perrumpet decretum Cælestini Pontificis præstantissimi, insertum in Corpus Juris, hisque verbis conceptum: *Nulli Sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare.*

Secundum est, omnem justitiæ formam & regulam in ipso pœnitentiæ tribunali exercendam è canonibus hauriendam esse. Qui quidem non solùm ad pernoscendam criminum gravitatem, verùm etiam ad injungendam veram satisfactionem, peccatorum immanitati consentaneam, sunt conditi. Unde Gregorius VII. arripuit occasionem asserendi in Concilio Romano, eas demum falsas esse pœnitentias, quæ non secundùm authoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponerentur.

Eamdem ob causam Isaac Lingonensis Episcopus, Canonum pœnitentialium titulos pulcherrimis hisce verbis claudere voluit: *Qualis verò peccatis adhibenda sit medicina? Secundùm Canonum authenticarum & sanctorum Patrum esse debet institutionem, & non secundùm placitum hominis, sed secundùm Dei voluntatem: nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda, quatenus dignis precibus & pœnitudine digna placare possit omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit.* Hæc Isaac Lingonensis sub finem Canonum pœnitentialium, tom. 3. Concil. Galliæ, ex editione Sirmondi, in prætermissis ejusdem tomi, fol. 653. Inter hujusmodi canones sunt plurimi ad pœnitentiam rite injungendam peragendamque cumprimis idonei.

Tertium est, canones servandos, & in usum, quantùm fieri poterit, esse revocandos, ut disertè pronuntiat S. Carolus; tametsi ad pœnitentium contritionem, ætatem, vires, facultatem aliasque id genus circumstantias attemperari possint & debeant. Unde Isaac Lingonensis loco laudato, cap. 19. de mensura pœnitentiæ, sic loquitur: *Tempora pœnitudinis, habita moderatione & arbitrio, sunt constituenda, prout conversorum animos Sacerdotes viderint esse devotos: pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumcumque aut ægritudinum respicientes necessitates.* Hæc ibi.

Quisquis igitur disponere potest pœnitentes gravissimorum criminum reos, ad observantiam canonum, ad colendam, quam præcipiunt, altissimam humilitatem, & ad procurandam cordis repurgationem per laboriosa pœnitentiæ opera, antequam sacramentorum apicem complementumque percipiant, adeo non incurret in offensam & reprehensionem, ut ex adverso æternam coram Deo & hominibus laudem sibi pariat.

Antequam huic quæstioni fastigium imponamus, necesse vel unum ex toto antiquitatis penu promere exemplum, quo cernatur & appareat, quo pacto sese vel ipsi summi Pontifices in injungendis ex canonum præscripto pœnitentiis habuerint. Stephanus V. Hastulpho nobili viro, qui uxorem insano zelotypiæ impetu correptus interfecerat, hanc injungit satisfactionem, ut vel monasterium ingrediatur, vel degens in sæculo pœnitentiam, quam præscribit durissimam, peragat.

Id totum ipsius Pontificis verbis declarare necesse est. *Ingredere*, inquit, *in monasterium, humiliare sub manu Abbatis, multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta supplici animo, quæ tibi fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, ut refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc melius & levius: certissimè scias. Sin autem publicam pœnitentiam permanens in domo tua, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi pejus & durius & gravius esse non dubites, ita ut agere debeas, exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum & omnem siceram non bibas, carnem nullo unquam tempore comedas præter Pascha & diem Natalis Domini. In pane & aqua saleque pœnitere debes: in vigiliis, jejuniis, orationibus, & eleemosynis omni tempore persevera. Armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas, uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere, in balneo nunquam lavare, in conviviis lætantium te miscere, in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis, post ostium & postes humiliter te ponere, ingredientium & regredientium suppliciter orationibus commendare. Communione corporis & sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris, pro viatico, si sit qui tribuat, tantummodo venialiter, ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa, quæ tibi duriùs & satis acriùs erant juxta magnum pondus peccati, infœlix, adjicienda: sed si hæc omnia quæ suprà misericorditer dicta sunt, perfecto corde Domino auxiliante feceris, & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia remissionem te tuorum habiturum peccatorum, & secundùm justi boníque Pastoris dictum, resolvet te sancta Ecclesia ab hoc peccati vinculo in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam sanguine suo acquisivit, solutus sis in cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis: sanguis tuus super caput tuum, nos alieni à consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, & Domini attentiùs misericordiam quotidie implorare, qui cum Patre, &c.*

Hactenus Stephanus Papa V. cujus Epistola sæculo IX. ad Hastulphum uxoricidam inscripta, Ecclesia ita volente, relata est in Corpus Juris. Nam refertur à Gratiano 33. q. 2. cap. *Admonere.* ab Ivone Carnot. Decreti p. 8. cap. 126. Refertur & in Pœnitentiali Rom. tit. 1. c. 11. à Burchardo 1. 6. c. 40. ab multis aliis denique commemorata, ne tam præclarum injungendæ pœnitentiæ exemplum inter sacros Canones non tam relatum, quàm confestratum, ullo unquam tempore abolesceret; atque adeo omnibus Confessariis ad injungendas ex canonum præscripto satisfactiones, quantùm fieri posset, regium iter secuturis temporibus aperiret.

De hac quæstione dictum satis. Jam properandum est ad tertium pronuntiatum, quod deduxeramus ex Concilii Tridentini verbis, eos scilicet Sacerdotes, qui minorem, quàm par esset, satisfactionem injungerent, alienorum peccatorum participes fieri. Sit itaque

Quæstio LXV.

Utrum Sacerdotes leviorem quàm oportet pœnitentiam injungendo, vel aliis modis, alienorum peccatorum participes fiant.

Respondeo, Concilium Tridentinum satis superque declarasse, Sacerdotes, qui non injungunt salutares & convenientes satisfactiones pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, alienorum peccatorum participes effici: ita ut una illa sacræ Synodi authoritas ad id comprobandum sufficiat.

Nam si sunt peccatà aliena, quæ licèt aliorum manibus operaque perficiantur, nobis tamen meritò imputantur, nostrasque conscientias damnationis coram Deo reas constituunt, eo nomine, quòd aliquid ad ea perpetranda contulerimus: non est dubium, quin Sacerdotes pro gravissimis delictis leviora quædam opera injungendo, peccata pœnitentium præposterà indulgentià nutriant, atque adeo eorumdem peccatorum coram Deo consci teneantur.

Unde Apostolus 1. Timoth. cap. 5. *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et ad Ephes. item cap. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed magis redarguite.*

Quod ut clariùs intelligatur, observandum est, novem præsertim modis quempiam alienis peccatis implicari.

1°. Peccata aliena perpetrantur *consilio*, cùm scilicet quispiam est author & administer pravi consilii, quo alii ad aliquod impelluntur crimen. Hoc se flagitio devinxit Caïphas, qui suo consilio Judæos in Christi necem incitavit.

2°. Admittuntur eadem peccata *jussione*, cùm scilicet alicujus decreto, mandato, imperióve, proximo gravis infertur injuria. Eo se crimine obligavit David, cùm Uriam innocentem in confertissimos hostium cuneos detrudi, atque ita per litteras interfici demandavit.

3°. Admittuntur *consensu*, cùm scilicet quod ab aliis nefariè perficitur, nostro quasi donatur suffragio, & consensu saltem tacito approbatur. Ita peccavit Saulus, cùm in Protomartyris Stephani lapidibus obrui necem consensit.

4°. Peccatum alienum *irritatione* perpetratur, cùm quis sciens & volens alterum sive dictis, sive factis, aut alia quacumque ratione ad peccatum provocat. Talis fuit uxor Job, quæ cùm patientissimo viro graviter & petulanter insultaret, eum ad blasphemiam in Deum proferendam pro viribus incitabat.

5°. Contaminamur alieno peccato, cùm aliquem de nefario quopiam facto *commendamus*, vel in malefactis ita laudamus & approbamus, ut ille in pravis institutis, nostris laudibus impulsus & arrectus, hæreat. Tales fuere Doctores, qui per dulces sermones & benedictiones seducebant corda innocentium, quos vitari jubet Apostolus Roman. cap. 16.

6°. Aliena peccata redundant in nos, *cùm silentium nostrum intempestivum redundat in proximi perniciem*, ut cum ipsi, quibus docendi, monendi, corripiendique fratris munus incumbit, ejusmodi desunt officio, cui, nulla interveniente justa causa, satisfacere debuerunt.

7°. Nostra nos *conniventia* alieni peccati reos & participes facit, quoties nimirum impunitum, atque adeo in pejus abire sinimus, quod nostra facultate vel authoritate emendatum & vindicatum oportuit. Illud est patrum & matrumfamilias peccatum, quorum blanda indulgentia segnes facit natos, ita ut sese præcipites capessant ad malos mores. Talis fuit Heli Sacerdos, cujus præposteram in educandis, corripiendisque liberis mollitiem, Deus acerrimo supplicio castigavit, ut libri Regum commemorant.

8°. *Participatione* alienum peccatum contrahitur, cùm quis venit in partem lucri cum raptoribus, cùm itidem bona malè parta, vel quovis modo aliena, sibi unà cum aliis scienter vindicat aut retinet. Talis est ille quem sic affatur Propheta: *Si videbas furem, currebas cum eo.*

9°. Denique alienum peccatum nostra *defensione* committitur, cùm aut malefactoribus patrocinamur, aut aliorum doctrinam, quamvis nefariam, & evangelicæ veritati contrariam, defendimus, & seu verbo, seu scripto in populos spargimus: quales sunt qui usuram, simoniam, aliaque peccata omni lege prohibita, nescio quibus argutiis, imò cavillis approbant: sicque suâ curâ vel operâ quod contra fas & æquum instituitur, promovete atque propugnare gestiunt. Adversus hujusmodi homines divinum apud Isaiam intonat oraculum: *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum: ponentes tenebras, lucem; & lucem, tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Isai.c.5.v.20

His ita prælibatis, facile est animadvertere, Confessarios in alieni erroris & peccati societatem incidere, non solùm leviores, quàm par est, satisfactiones injungendo, verùm etiam aliis modis hactenus enumeratis: quam rem declarare operæpretium est.

1°. igitur, cùm quilibet pravo consilio proximum ad peccatum impellere valeat, possunt multò magis Confessarii nefario consilio pœnitentes in peccatum inducere, quod sæpe contigisse cum dolore meminimus. Sed de hujusmodi consiliis manifestè nefariis silemus, ot faciamus verba de iis, quæ dantur pietatis & religionis obtentu: cùm quis Confessarius v. g. mulierculam ad pecunias sibi ad sublevandam pauperum inediam inscio marito tribuendas sollicitat: hoc sane pravum est consilium, cui adhærere peccatum est, atque adeo consilii authorem, & executricem in idem pariter flagitium implicat. Hoc autem pravum esse consilium docet S. Augustinus in Epist. 199. in qua graviter reprehendit & increpat Ecdiciam eo titulo, quòd inconsulto marito, quicum ex mutuo consensu sese continentiæ vinculo innexuerat) omnia vel penè omnia quæ habebat, nescio quibus duobus transeuntibus Monachis, tanquam pauperibus eroganda donaverat. Unde acciderat, ut ille detestans eos cum uxore, & non Dei servos, sed domûs alienæ penetratores, & uxoris captivatores & deprædatores putans, tam sanctam sarcinam, (continentiæ votum) quam

cum eadem sua uxore subierat, indignatus abjiceret.

2°. Si jussione aliena peccata perpetrantur à quolibet alio, admittuntur à Confessariis, cùm videlicet zeli cujusdam obtentu ea suis pœnitentibus injungunt, atque adeo præcipiunt quæ in proximi detrimentum abeunt. Si v. g. Confessarius quispiam flagrantiori suimet, vel sui ordinis amore perustus, suis pœnitentibus aut viris aut mulierculis id pœnitentiæ & satisfactionis injungeret, ut quosdam quos nominaret, viros vituperarent passim, & in omni cœtu eorum doctrinam quantumvis orthodoxam, & Catholicam, tanquam heterodoxam, & hæreticam allatrarent. Ejusmodi Confessarius ab impacta ejusmodi hominibus calumnia, adeo excusari non posset, ut in illum velut in authorem & architectum, in alios dumtaxat, ut ministros, cum omni sua malitia recideret. Et revera ille qualiscumque esset, non minori se alligaret flagitio, quàm Judæi, qui, ut est Act. cap. 13. versu 50. *concitaverunt mulieres religiosas & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus suis.*

3°. Si quis incurrit in alienorum criminum malitiam & societatem, ea vel aperto & evidenti, vel saltem tacito consensu approbando, non est dubium, quin Confessarius alienorum criminum particeps efficiatur, dum vel absolutionem sacramentalem pœnitentibus in peccata lethalia sæpius revolutis, impendit, vel non injungit convenientes satisfactiones, quibus ceu saluberrimis remediis & adjumentis ex suis flagitiis veluti totidem morbis, iisque lethalibus, recreari valeant. Et hoc tam certum est, quàm illud Apostoli pronuntiatum Roman. 1. c. v. 12. *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Unde pulcherrimè Clerus Romanus Epist. 31. apud S. Cyprianum: *Adversus illos, qui acta fecissent, licèt præsentes cùm fierent, non affuissent, cùm præsentiam suam utique, ut sic scriberentur, mandando fecissent. Non est enim immunis à scelere, qui ut fieret, imperavit, nec est alienus à crimine, cujus consensu, licèt non à se admissum crimen, tamen publicè legitur, & cùm totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit, & qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipse jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Hæc ibi.

4°. Si peccato alieno quis contaminatur, cùm alterum ad iram, ad vindictam, ad libidinem, aut ad aliud quodcumque peccatum provocat, vix potest ullus Confessarius (nisi sit perditissimus) pœnitentem ad peccatum impellere, nisi fortè eum nimia severitate exasperaverit, atque ita ad desperationem & impœnitentiam adegerit. Cui malo saluberrimum adhibet remedium Petrus Blesensis in tractatu de satisfactione. *Oportet*, inquit, *sicut in Pœnitentiali Romano docemur, ut Sacerdos in multa mansuetudine & benignitate suscipiat pœnitentem, oret imprimis pro eo. nec se peccatorem propterea dubitet, ut ad compunctionem provocet pœnitentis affectum proprio humilitatis exemplo: nullum omnino despiciat peccatorem, quia, sicut beatus Hieronymus scribit, ille nullum despicit peccatorem, qui peccatores redimere venit. Et adjungit: Si pœnitens post confessionem contemnitur à Prælato, facilè in desperationis foveam detruditur. Quod quidem peccatum adeo damnabile est, ut Deum ad iram provocet, nec veniam mereatur. Sicut ergo confitenti necessaria est humilis & sincera devotio, sic pœnitentiali, id est Sacerdoti necessaria est diligens & circumspecta discretio, ut discernat inter lepram & lepram, & habeat in se tria, bonitatem, scientiam & disciplinam; bonitatem in sanctitate, scientiam in eruditione, disciplinam in correctione. Sit Samaritanus infundens oleum misericordiæ, vinumque justitiæ. Habeat conscientia ejus quasi arca fœderis, manna & virgam, ut sciat compati & ignoscere, arguere & monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, sicut bonus agricola. compatiatur infirmo, dubiumque confortet, recolens illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et audiens tentationes ejus, suam infirmitatem cogitans, apud se dicat: Si in tanta tentatione fuissem, gravius cecidissem. Nihil dicatur, aut fiat cum indignatione & ira; ira enim viri justitiam Dei non operatur: modum autem teneat, ne nimia remissio, vel nimia austeritas fit in eo, certumque pœnitentis modum, juxta sanctorum Patrum institutum præscribat.* Hactenus Blesensis, cujus verba utpote saluberrimis redundantia monitis, exscribere placuit. Porro quanta mansuetudine pœnitentes excipere oporteat, insigniter docet Epistola ad Demophilum Monachum, qui S. Dionysio Areopagitæ vulgò, vel alteri Dionysio ascribitur, & est inter ejus Epistolas sexta.

5°. Peccatum alienum contrahitur adulatione, cùm scilicet Confessarii malefacta quidem non afficiunt laudibus, at extenuant, excusant præcipuè apud magnates & principes viros, eorum vitiis, peccatisque, licèt gravissimis, propter scandala in populum ex his fontibus teterrimis derivari solita, degeneri blandiuntur animo, ut ab iis ingens quodpiam beneficium aut donum aliquod eblandiri valeant. Hujusmodi sunt plerique Confessarii, qui primariæ nobilitatis tam viros, quàm mulierculas, tametsi mundo, id est sæculo nequam prodigaliter addictas, sacramentis, quoties eis placuerit, impertiunt, nec eas licèt adulteriis contaminatas, comœdiis, & fœdis earum imaginibus intrinsecùs pollutas, sacræ synaxeos accessu prohibent, imò impellere nihil dubitant, proinde ac si quibuslibet personis in altissimum libidinis vanitatisque gurgitem immersis sanctum sanctorum accipere liceret, perinde ac licèt, viris Christianis, qui sæculi vanitatem & insaniam perosi, & execrati, Deum suum & Christum Jesum æqualem æterno Patri Filium, in omnibus & super omnia diligunt.

Ejusmodi homines carpit Spiritus sanctus Prov. 24. v. 24. *Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.* E contra v. 25. *Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.* Et hi similes sunt Prophetis Israël, qui prophetant ad Hierusalem, & *vident ei visionem pacis, & non est pax, ait Dominus Deus.* Et ibidem paulò pòst v. 19. *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

Cùm ergo Confessarii tam sæculares quàm regulares, ut vocant, sacramenta dispensant personis, quas sæpenumero (ut loquitur S. Judas in Epistola sua Catholica) mirantur quæstûs causâ, & pravo affectu, non est dubium, quin sacrilega sacramentorum perceptione, quâ sese illæ contaminant, & earum Confessarii æternam sibi pariter damnationem, suis adulationibus accersant.

6°. Confessarii alienorum se criminum reos constituunt, cùm reticent ea, quæ ad pœnitentium salutem sunt omnino necessaria. Nam cuilibet Sacerdoti animas in viam salutis dirigenti, illud quod imperatum est Isaïæ, præcipitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit: ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur*, ut ait S. Gregorius 2. p. Pastoral. curæ cap. 4. Quòd autem silens Confessarius, cùm de necessariis admonendus est pœnitens, delinquat, liquidò

dò declaratur his Ezechielis Prophetæ verbis. *Factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium : Morte morieris ; non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat ; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia ; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Ezechiel. cap. 3. v. 16. 17. 18. 19.

His adde hortamenta Apostoli quemlibet Sacerdotem in charissimi Timothei persona erudientis : *Prædica verbum, insta opportunè, importunè argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*, 2. ad Timoth. c. 4. v. 2. Qui ergo in hoc rerum articulo silet, graviter peccat : est enim consentire, silere, cùm arguere possis ; & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes, ut ait S. Bernardus in serm. de Nativ. S. Joannis Baptistæ num. 9.

7°. Confessarii suâ conniventiâ alienis criminibus implicantur, cùm peccatis connivent, & indulgentiùs cum pœnitentibus agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, vel non imponendo ea, quæ ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum conducibilia & opportuna judicaverint. Qua in re duplici se flagitio constringit Sacerdos. Nam 1°. peccat contra justitiam, non imponendo idonea opera, per quæ Deo gravissimis criminibus offenso satisfiat. 2°. Contra charitatem, cujus impulsu & imperio proximi salutem per convenientia remedia procurare debuit.

Quod spectat ad primum peccatum, graviter reprehenditur ab Petro Blesensi in laudato tract. de satisfactione. *Quorumdam mos aut potiùs mors est*, ait : *Anima enim peremptorium judicatur à sanctis Patribus, quòd ferventiore zelo proprias, quàm Christi persequuntur injurias. Verumtamen sicut B. Augustinus scribit : Peccare in nos longè levius est, quam peccare in Deum. Si enim vir in virum peccaverit, dicit Samuël, remitti ei potest ; si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo ? Nos autem è contrario, dicit Augustinus, injuria Dei misericordes & faciles sumus, & ejus offensam, quasi velle & nolle Dei in nostra potestate sit, sine pœnitentia satisfactione remittimus. Si quid autem in opere vel in verbo contumeliosè attentatum est contra nos, illud graviori animadversione consequimur. Unde Ambrosius in homilia : Quod in hominem committitur, remitti facilè potest ; non autem sic, quod attentatur in Deum. Graviter itaque offendis, si domino debitori, culpas quæ in Deum sunt, impunè dimittis, at cælestis Regis debitum tua præsumptione resolvis. Pœnitentialis authoritas multos convertit in reprobum sensum.* Hactenus Petrus Blesensis, qui sanctorum testimonio satis indicat, cum Sacerdotem graviter peccare, qui pro gravissimis sceleribus in Deum admissis, nulla, vel pene nulla, satisfactionis opera injunxerit.

Quod spectat ad alterum peccatum Sacerdotis, salutarem & convenientem satisfactionem pœnitenti non injungentis, certum est illud adversari charitati proximi. Non enim in pœnitentiæ tribunali sedet tantùm Sacerdos, ut judex, cujus ministerio per imposita congruæ satisfactionis opera Deo, quod ipsi per peccatum ademptum est, restitui necesse est ; verùm etiam, ut medicus, quem pœnitenti remedia ad effugienda in posterum flagitia, præscribere & admovere Christus Dominus imperavit. Utrumque hoc Sacerdotis officium Concilium Tridentinum hisce verbis amplectitur session. 14. cap. 8. *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Debet ergo Sacerdos secundùm legem Dei per Concilium Tridentinum enuntiatam, consulere saluti pœnitentis per idonea remedia, quibus præterita flagitia in posterum ab animo propulsare, & divinam iram impositis pœnis placare valeat. Postremam hanc partem declaravimus, alteram in tractatu de lapsis sic edisserit S. Cyprianus. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem : Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & castigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putaminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet, licet & conqueratur æger impatiens per dolorem : gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.* Hunc sancti Cypriani locum leviter antea delibatum proferre placuit, quò saluti pœnitentium per remedia fortiora procurandæ, nullus non Sacerdos accuratiùs prospiceret.

Ex hoc pronum est colligere, Confessarium satisfactiones ad præteritorum peccatorum ultionem idoneas, nec ad futurorum depulsionem accommodatas pœnitentibus injungentem, duplici se devincire flagitio ; iniqui nempe judicis prævaricatione, (quippe qui ablatum Deo per lethale flagitium honorem, per condignam satisfactionem restitui non jubeat) & inexcusabili medici vel imperitia, vel culpabili, imò crudeli clementia. (quippe qui remedia ad procurandam promovendámve pœnitentis salutem opportuna & necessaria non indicat, nec ut tenetur, præcipiat.)

8°. Sacerdotes aliena peccata in pœnitentiæ tribunali contrahunt, cùm bona injustè parta, atque adeo legitimis possessoribus restituenda intervertunt, & vel in suam ipsorum, vel suorum ordinum usus commodaque convertunt. Quod severissimè nostrates Episcopi suis edictis synodalibus sæpenumero prohibuerunt.

Id nempe vetitum est in Synodo Parisiensi celebrata anno sal. 1557. *Quibus illatum est damnum, aut illorum hæredibus, si ipsi obierint satisfaciat, aut Ecclesiæ, vel pauperibus, si nulli reperiantur hæredes, elargiatur. Qui verò restituendi provinciam susceperint, citra furis vel raptoris scandalum restituant, nec quicquam sibi retineant.*

Idem statutum est in Synodo Senonensi habita ann. 1524. *Caveat Confessor, ne de restitutionibus faciendis aliquid sibi seu ad utilitatem suam, vel suorum retineat, ne per hoc pœnitentes à restitutione retrahantur, & etiam ne ipsi non pœnitentiarii, sed fraudulenti consiliarii videantur ; sed omnia in eleemosynas, ubi fuerit major indigentia, expendantur : nec ullus Sacerdos præsumat celebrare Missas, quas in pœnitentia injunxerit.*

Id ipsum decernit Synodus Carnotensis habita anno salutis 1526. *Prohibemus ne de bonis & vagis restitutionibus Confessores aliquid ad suam vel suorum utilitatem, prætextu divini servitii, vel aliàs retineat : sed restituta, si sexaginta solidorum summam non excedant, distribuant infra mensem in eleemosynas, ubi major erit necessitas. Quòd si major sexaginta solidis sit restitutio, deferatur ad nos aut Officialem nostrum, ut in similes usus convertatur, & non in aliam quampiam causam. Item ut in sacramento pœnitentiæ committendi abusus suspicio tollatur, & districtè inhibemus sub pœna suspensionis, ne illas Presby-*

teri celebrent Missas, quas in confessione injunxerunt celebrandas.

Si igitur, ut ex laudata Synodo Carnotensi, & ex Synodo Senonensi patet, non licet Confessariis eas Missas celebrandas recipere, quas ipsi in sacramento pœnitentiæ injunxerint, multò minùs illis aliquid ex restituendis suos in usus convertere licebit.

9°. In alienorum criminum societatem implicantur Confessarii, cùm pravas quorumdam recentiorum opiniones evangelicæ veritati contrarias, ab Conciliis & summis Pontificibus reprobatas, ab nostratibus Episcopis in teterrima Casuistarum Apologia damnatas, ab sacris Catholicorum Theologorum Facultatibus, quibus doctrinarum censum detulit Ecclesia, proscriptas, ab omnibus denique Catholicis veluti nova commenta repudiatas, sequuntur in praxi, atque ita suos pœnitentes in æternum conjiciunt interitum.

Hujusmodi sunt qui pravæ ac novæ probabilitatis doctrinam, & ejus consectaria, superiùs à nobis refutata, tuentur, spargunt in vulgus, & in praxim conferunt, & alienorum criminum sibi reatum accersunt. Docent enim

1°. In sacramento pœnitentiæ non necessariò requiri verum realemque de peccatis dolorem; sed probabile esse dolorem existimatum sufficere.

2°. Non necessarium esse dolorem supernaturalem, sed sufficere naturalem, qui tamen supernaturalis existimetur.

3°. Confessarium, quando advertit pœnitentem suum valde alicui crimini addictum, non debere inculcare doloris actum circa illud peculiare peccatum: periculum enim suberit, ne illud ex animo non detestetur, dum ejus specialis memoria refricatur, quòd in universum & simul cum aliis detestandi difficultatem, vel nullam sentiet, vel exiguam.

4°. Confessarium, quando non habet sufficientia signa doloris, debere interrogare pœnitentem, an peccata ex animo detestetur; & si affirmet, posse & debere credere.

5°. Sufficientem cum sacramento dolorem esse, dolere quòd non doleas.

6°. Asserunt, omnino sacramentum Pœnitentiæ informe, causare tempore sequenti suum effectum, si tollatur indispositio, quæ causa fuit, ut in principio effectus non sequeretur.

7°. Docent absolvendum esse pœnitentem, tametsi in eo nulla spes emendationis affulgeat, ita ut absolutionem Sacerdos sine peccato mortali illi denegare nequeat, eo nomine quòd pœnitens ipse illi conscientiæ arcana nudaverit.

8°. Volunt eum absolvi pœnitentem, qui nollet ullam acceptare pœnitentiam, & affirmaret se velle purgatorii pœnas subire: cui tamen imponenda esset levis pœnitentia ad sacramenti integritatem, cùm præcipuè agnoscatur gravem non acceptaturum.

9°. Docent non videri datum esse præceptum de satisfaciendo in hac vita pro pœna temporali; atque adeo sufficere, si sacramentalis satisfactio per modum consilii imponatur.

10°. Posse Confessarium pœnitentiam omnino liberè faciendam pœnitentis arbitrio imponere, atque adeo non semper requiri, ut illi aliquod opus in particulari imponatur.

11°. Eum absolvi posse qui proponit abstinere à peccato, etiamsi credat se proposito non staturum. Imò docent, absolvi posse pœnitentem hypocritam, id est qui ore tenus duntaxat se peccata vitaturum esse promitteret, idque toties quoties eadem promissa ficta simulataque repeteret.

12°. Absolvi posse eum, qui ex justa & rationabili causa non vult omittere peccandi occasionem, modò proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus.

13°. Docent posse eos absolvi, qui versantur in peccandi occasionibus, putà adolescentulos, qui emendo, vendendo, laborando, & cum mulieribus conversando eas corrumperent, etsi officio, domo, negotiatione discedere nolint, in qua periculum peccandi propinquè imminet; modò habeant hujus rei probabilem causam, quòd v. g. eam domum & negotiationem nequeant deserere, quin sinistris sermonibus præbeant occasionem, & aliquod detrimentum ex suo illo recessu capiant.

14°. Tradunt non esse habendam occasionem illam proximam, si quis in iisdem ædibus habitet cum muliercula, cum qua bis vel semel in mense peccet, quia sic posset peccare cum extranea.

15°. Dicunt & scribunt, posse quempiam duos habere Confessarios, quorum uni gravia & immania peccata, alteri verò levia duntaxat aperiat.

Hæc quorumdam Theologorum commenta qui sequuntur, & conferunt in praxim, aliena peccata suâ defensione committunt, atque adeo suas & aliorum conscientias his criminum sordibus deturpant, ac perpetuis inferorum pœnis obligant.

Fatendum est profectò, imò deflendum est, quòd devenerimus in ea tempora, quibus illi ipsi, qui ad omnia virtutum genera, & ad pœnitentiæ præsertim opera facem præferre debuerant, præpostera & degeneri quadam indulgentia elidant omnes pœnitentialis disciplinæ nervos: ita ut arctam salutis viam intercludere, & latam, quæ ducit ad perditionem, mollioribus sententiis aperire videantur.

Hi nempe sunt, qui virgines & mulierculas juramento vel voto devinciunt, ut alteri confiteri nequeant: quam rem utpote perniciosam & sæpe in teterrima flagitia desinentem, proh dolor! & plerumque desituram, damnat & prohibet Concilium Mechliniense sub Matthia Hovio Mechliniensi Archiepiscopo anno Redemptoris 1607. habitum, & ab Paulo Papa V. iv. Kal. Maii anno sal. 1608. approbatum. Sic enim loquitur istud Concilium cap. 7. *Nemo aliquem ad sibi soli perpetuò confitendum obliget, & ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationalem & indiscretam, hæc Synodus irritam esse declarat, & quatenus opus est, irritat.* Hæc ibi.

Attendant ergo Confessarii, ne in dictas peccatorum species prolabantur, quæ in tria ferè genera conjici ostendit S. Basilius serm. 2. de Baptismo cap. 9. Quòd enim in alieni erroris vel peccati societatem incurrimus, id fit, aut re & opere, aut voluntate, certóve animi proposito tantùm, aut supinâ negligentiâ, si quando nostro admonendi & emendandi officio proximi defraudantur. Quæ omnia ut effugiant, auscultent saluberrimo monito citati Concilii Mechliniensis cap. 5. sic aientis: *Magnâ oportet instructum esse scientiâ, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet; ideo Confessarii, quibus non hominis, sed Dei judicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso Christi Jesu sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissimè vacare debent.* Hæc Christiani Concilii verba si quis eo quo debet animo, percipiat, maxima tum sibi, tum aliis fidelibus æternæ salutis adjumenta cumulabit.

Quæstio LXVI.

Utrum pœnitens, cui certò, vel probabiliter constat, pœnitentiam sibi à Sacerdote injunctam, non sufficere ad expianda peccata sua, aliam ad hunc effectum idoneam, sponte assumere teneatur.

RESpondeo, pœnitentem, cui certò constiterit sibi leviorem, quàm sua mereantur crimina, ex praxi Ecclesiæ satisfactionem ab Sacerdote impositam esse, ad aliam ultro assumendam teneri: quæ quidem tota, ad aliquam æqualitatem cum pœna temporali, pro peccatis debita, perveniat.

Ut hujus responsionis veritas eluceat,

Observandum est, omnibus lege naturali divina, & lege divina positiva indictum esse præceptum, ut cùm peccaverint, illi ipsi satisfaciant, in quem peccaverint, non utcumque, sed pœnam culpæ respondentem subeant.

Quòd ista satisfactio præceptum sit divinum ex lege naturali profectum, constat ex verbis divini Præcursoris: *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, Matth. c. 3. & Luc. c. 3. Quæ verba præceptum importare perspicuè asserit Magister Sentent. dist. 16. lib. 4. aiens: *Satisfactio à Joanne præcipitur, cùm dicit, Facite dignos fructus pœnitentiæ: scilicet ut secundùm qualitatem & quantitatem culpæ, sit qualitas & quantitas pœnæ: non enim par debet esse fructus boni operis ejus, qui nihil, vel qui minùs peccavit, & ejus qui gravius deliquit, ut Gregorius dicit hom. 20. in Evang. Quem textum explicans S. Thomas ita loquitur: Non quòd Joannes fuerit author præcepti, sed denuntiator; Christus autem sacramenti institutor, & partium ejus.*

Ergo satisfactionem esse in præcepto, constat ex omnium Patrum sententia: ergo etiam in præcepto est satisfactio digna, quæ scilicet peccatorum qualitati, & quantitati per opera pœnalia satisfaciat. Quicquid enim agat pœnitens, nusquam ejus satisfactio acceptabitur à Deo, quin per dignos pœnitentiæ fructus exhibeatur. Unde Magister Sentent. dist. 16. lib. 4. Sentent. littera B. Et sicut (ait) sunt digni fructus pœnitentiæ, ac vera satisfactio, ita & indigni fructus pœnitentiæ, & falsa satisfactio, id est falsa pœnitentia. Unde Gregorius VII. in Synodo Romana (ut habetur distinct. 5. de pœnit. cap. *Falsas.*) de hujusmodi pœnitentiis ita loquitur: *Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundùm authoritatem canonum pro qualitate criminum imponuntur.* Cùm ergo unusquisque pro peccatis admissis Deo legitimam satisfactionem, id est suorum criminum qualitati multitudinique consonantem, ex præcepto divino exhibere teneatur, dubio procul ejus præcepti violati coram Deo reus habebitur, quisquis illi ipsi Deo dignam satisfactionem pro suarum modulo vitium non exhibuerit.

Si quis contendat satisfactionem quidem ad integritatem sacramenti ab Sacerdote injungendam esse, & implendam ab pœnitente, sed non eam, quæ admissorum criminum immanitati & multitudini respondeat; noverit ille quisquis est, se toti antiquitati adversari, & Concilio Tridentino, quòd (absit verbo invidia) pessimè ratiocinaretur, cùm ait, Sacerdotes Domini debere pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, eosque, si pro gravissimis delictis levia quædam opera injungant, alienorum peccatorum participes effici, si nullo satisfactionis, & quidem salutaris & convenientis, seu qualitati numeroque peccatorum respondentis, injungendæ præcepto tenerentur. Absit ut tantum Concilium tam insulsè ratiocinatum & elocutum esse credamus.

Cùm ergo Sacerdotibus injungendæ salutaris convenientisque pœnitentiæ indictum sit præceptum, pœnitentibus pariter ejusmodi satisfactionis acceptandæ & adimplendæ præceptum indictum est, ut consentiunt omnes Theologi. Ergo sive Sacerdos congruam pœnitenti satisfactionem injunxerit, sive non, pœnitens semper congruæ satisfactionis præcepto tenebitur.

Hanc nostram assertionem præter cæteros insigniter astruit Petrus Damiani sermon. 58. seu 2. de S. Andrea Apostolo, ubi postquam edisseruit, quanta Pastoribus debeatur reverentia, sine quorum licentia ad alium Confessarium recurrere non licet, sic ad rem nostram accommodatè loquitur: *Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur, cùm purgatoriis ignibus perficiendum sit, quicquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licèt autem non evaseris manus Dei viventis, qui tibi plenè non consulis; tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantum à licitis abstinere, quantum te memineris illicita perpetrasse.*

Aureus ille sanctissimi Præsulis locus, tria nobis pronuntiata ad pœnitentiam maximè pertinentia suppeditat.

Primum est, non esse omittendam pœnitentiam, licet levior sit nobis imposita, & peccatorum reliquiæ sint purgatoriis ignibus expiandæ.

Secundum est, eos Sacerdotes, qui leviores, quàm par est, pœnitentias injungunt, serius ocyus ab ipso Deo punitum iri.

Tertium est denique, unumquemque, cùm sibi minorem æquo satisfactionem injunctam esse deprehenderit, parem suorum scelerum gravitati & multitudini, ultro assumere oportere, cùm id vel ipsa ratio magistra illum edoceat. Nec huic veritati adversatur, quòd quidam aiunt, Sacerdotem in pœnitentiæ tribunali esse judicem tanquam Dei Vicarium, ita ut ejus judicio stare, nec ad satisfactionem, licèt levem, ab illo impositam quicquam adjicere oporteat.

Nam licèt judicium cum authoritate conjunctum, in pœnitentem Sacerdos (juxta præscriptas sibi regulas) exercendum obtineat, nihil tamen prohibet, quin homo vindicativum in sese exerceat judicium, atque ita pœnam sibi divino judicio alioquin infligendam antevertat, juxta illud Apostoli, 1. Corinth. c. 11. *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Adde quòd tenetur, quantùm in se est, Dei flagella tam æterna, quam temporalia, id est tam æternas inferorum pœnas, quàm temporales purgatorii flammas antevertere, & orare ut non tantùm ab gehenna, verùm etiam ab igne purgatorio liberetur. Quod ab Propheta per hæc verba, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, factitatum S. Augustinus & S. Gregorius asserunt. Petit enim ne arguatur in furore Dei, id est, ne æternis inferorum addicatur suppliciis; rogat insuper ne corripiatur in ira Dei, id est ut è purgatorii pœnis eripiatur. Nam cùm ait Apostolus Hebræor. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, intelligendus est juxta quosdam Interpretes, de temporalibus purgatorii pœnis, quibus erunt obnoxii, qui in gravia post baptismum flagitia fuerint revoluti, & è quibus per veram pœnitentiam emerserint. Quod certè, horrendum scilicet esse incidere in manus Dei viventis, verum est non solùm quoad æterna inferorum supplicia, de quibus multi hunc locum accipiunt, sed etiam quoad temporales purgatorii pœnas, secundùm nonnullos. Nam etsi pœnæ illæ purgatorii misericordiâ sint temperatæ, tamen si sancto Augustino in Psalm. 37. scribenti credimus, longè graviores sunt, quam quicquid homo pati potest in hac vita. Hîc tanti Patris verba exscribere operæpretium est: *Domine, ne in indigna-*

Possunt etiam injungi Sacerdotibus & aliis hominibus, ut solita pietatis opera majori quàm antea fervore & vigilantia exerceant: Sacerdotibus v. g. ut celebrent, non quadam consuetudine, ut fieri amat, sed majori & ardentiori præparatione animum ad cælestium mysteriorum celebrationem & tractationem accendant, & majori attentione solitum persolvant officium; & ita de cæteris.

3°. Ex eadem S. Thomæ doctrina sequitur, opera aliàs debita, non esse ordinariè per Confessarios pœnitentibus injungenda; si pœnitentes injunctam satisfactionem ab officiis aliàs debitis distinctam, adimplere valeant. Ratio inde petitur, quòd quilibet pro peccatis admissis Deo lege naturali divina satisfacere teneatur: quæ satisfactio per opera aliàs debita fieri non debet, ordinariè loquendo, licèt aliquando possit. Ita enim verendum esset, ne admissa peccata sæpius impunita remanerent; quod quidem advertatur institutioni sacramenti pœnitentiæ, in quo Sacerdotes non solùm solvere, verùm etiam ligare possunt & debent, id est pœnitentibus salutares & convenientes satisfactiones injungere pro facultate pœnitentium, quod non fieret, si opera aliàs debita injungerentur in satisfactionem iis, qui per opera aliàs indebita satisfacere possent.

Adde quòd si opera aliàs debita in satisfactionem pœnitentibus injungerentur, carerent pœnitentes præsidiis ad novæ vitæ custodiam comparatis, id est, satisfactionibus, quæ velut infirmitatis medicamenta ipsis pœnitentibus injunguntur, quod sanè in maximam eorum perniciem redundaret.

Hoc accedit, quòd si nulla pœnitentibus satisfactio præter opera aliàs debita imponeretur, adhærescere diceremur ad Lutheri hæresim damnatam ab Concilio Tridentino. Sicut enim ille hæresiarcha ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docebat, ut omnem satisfactionis vim & usum tolleret; ita nos nullam aliam præter opera aliis titulis Deo debita pœnitentiam injungendo, & id sufficere nostrâ praxi asserendo, vel satisfactionis vim & usum tolleremus, aut certè tollere videremur: atque adeo intentatum ab Concilio Tridentino anathema quodammodo incurreremus. Quod ut fugiamus omni ex parte, sicut Catholicos decet, non solùm credendum est novam vitam seclusâ satisfactione non esse optimam pœnitentiam: verùm etiam reipsâ, id est tam convenientes satisfactiones injungendo, (quod est Sacerdotum munus) easque adimplendo, (quod est pœnitentium officium) demonstrandum est, nos ita credere, ne dum hac in parte, sicut & in cæteris nostra fides Catholica est, nostra praxis hæretica esse videatur.

Quod ergo ex doctrina S. Thomæ sequatur, ordinariè loquendo, non esse injungenda opera aliàs debita, constat, si præsertim pœnitens injunctam ab Sacerdote pœnitentiam ab aliis aliàs debitis distinctam adimplere valeat: quia ex Doctoris Angelici principiis, satisfactio debet fieri per opera pœnalia, & quidem de novo injuncta, ut novæ culpæ nova pœna respondeat, quod videtur fieri non posse per opera aliàs debita: quia tunc pœnitens novæ culpæ conscius, nullam pœnam novam subiret, atque adeo non satisfaceret: siquidem per opus satisfactorium nobis aliquid utilitatis & delectationis subtrahi oporteat; quod non videtur fieri per opus aliàs debitum.

Scio, graves Theologos respondere, cùm injunguntur in satisfactionem opera aliàs debita, utilitatem & delectationem, quæ ex ipsis percipi poterat, jam per antecedens præceptum subtractam esse alio modo, quàm eùm in satisfactionem injunguntur ejusmodi opera: nova quippe pœnitenti adveniat obligatio faciendi, quod aliàs facere tenebatur; quod si non faciat, eum se duplici peccato constringere asserunt: tum quia non fecerit, quod antea facere tenebatur; tum quia satisfactionem sibi per illa opera injunctam non impleverit.

Quicquid sit, de illa responsione, contendimus ordinariè, verius esse & tutius docere, non esse injungenda in satisfactionem opera aliàs debita, si pœnitens alteram satisfactionem per opera aliàs indebita præstare valeat; si autem nequeat, opera aliàs debita in satisfactionem sunt injungenda, sicut suprà diximus: ut ea scilicet majori fervore, attentione & vigilantia perficiat. Nam tunc temporis major ille fervor, accuratior illa attentio & vigilantia, opera illa vel pœnalia vel magis pœnalia, atque adeo satisfactoria, efficient.

Respondeo 2°. opera satisfactoria ad tria potissimùm revocari, ad jejunium scilicet, eleemosynam & orationem. Tria hæc opera præsertim commendat Angelus Raphaël, Tobiæ cap. 12. v. 8. & 9. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam.*

Tria hæc legitimæ satisfactionis opera convenienter enumerari docet egregiè S. Thomas ad dist. 15. lib. 4. Sent. q. 1. art. 4. in solutione quæstiunc. 3. *Ad tertiam quæstionem dicendum*, inquit, *quod satisfactio debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam: sed ex bonis corporalibus, per jejunium: ex bonis autem animæ non oportet, quòd aliquid subtrahamus nobis, quantùm ad essentiam, vel quantùm ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti; sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa, quâ satisfactio peccatorum causas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur, 1. Joan. 2. Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum, eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio. Ut Augustinus dicit super Matthæum: Competit etiam, quantùm ad hoc quod satisfactionis est, peccatorum suggestionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus, & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc eleemosyna; vel in nos ipsos, & contra hoc ordinatur jejunium.* Hæc ibi.

Ad hæc tria omnia alia satisfactionis opera revocari docet idem sanctus Thomas loco laudato. *Ad quintum dicendum*, ait, *quòd quicquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; & quicquid ad proximi utilitatem expenditur, totum eleemosynæ rationem habet: & similiter quæcumque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem.* Hæc ibi.

Concilium Tridentinum per hæc tria, & per alia pietatis opera, vel ab Sacerdoti imposita, vel ab ipso pœnitente ultro assumpta, vel per pœnas à Deo inflictas & patienter toleratas, per Christi merita ipsimet Deo pro peccatis quoad pœnam temporalem satisfieri, esse fidei articulum, sub anathematis interminatione declarat, sess. 14. can. 13. *Si quis, ait, dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.*

Hic sacrosanctæ Synodi canon maximo cuilibet pœnitenti solatio esse debet, per quos nomine quòd innumeras aperiat rationes, per quas Deo per Christum pro peccatis, quantumvis gravibus & multis, satisfacere possit.

Primò, per flagella divinitus immissa, quæ patienter tolerata incredibilem satisfaciendi vim habent. Quod pulcherrimè explanat idem Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 9. *Docet præterea*, (sancta Synodus) *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis imperio pro mensura delicti impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

Quòd flagella divinitus immissa, & patienter à nobis tolerata, acceptentur à Deo in satisfactionem, maximum esse in nos amoris argumentum, jure ac meritò contestatur sancta Synodus, eo quòd ea nos vel invitos pati oporteat, & quæ alioquin nihil aliud essent quàm justa supplicia, nobis ad meritum satisfactionemque valeant, si à nobis æquo & patienti animo perferantur. Nam quamvis ea flagella non sint omnino in potestate nostra; tamen quatenus ad aliquid sunt, cùm scilicet eis patienter utimur, & sic homo facit de necessitate virtutem: unde & meritoria & satisfactoria esse possunt, ut loquitur S. Thomas Supplem. q. 15. art. 2. ad 1.

Observandum est autem, ejusmodi flagella patienter tolerata, esse meritoria & satisfactoria, non solùm quoad actum interiorem, sed etiam exteriorem, ita ut exterior pœna majorem uberioremque satisfactionem efficiat, si patienter toleretur. Unde fit, ut si duo æquali voluntate seu charitate divina, flagella perferant, plus ille satisfaciat, qui plura & graviora incommoda patiatur.

Ergo opus magis pœnale, est magis satisfactorium cæteris paribus: si tamen ex promptitudine voluntatis pœnalitas & molestia minuatur, (quod facit charitas) non propterea diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget: quemadmodum diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget, ut docet S. Thomas Supplem. q. 15. art. 1. ad 3.

Hac de causa seriò & crebrò monendi sunt fideles, ut omnia flagella divinitus populis inflicta, & alia, quæcumque ex causa provenient, in spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiant & perferant, confidantque diram luem, famem, morbos, & alia quælibet adversa, per Christum ab æterno Patre esse acceptanda in satisfactionem, si ab ipsis patienter tolerata fuerint: sic enim fiet, ut prolixiores acerbioresque purgatorii pœnas Christianâ patientiâ, vel penitus expungant, vel certè magna ex parte minuant.

Secundò, per opera à Sacerdote injuncta, vel sponte suscepta, putà per orationes, eleemosynas, & jejunia, certum est Deo satisfieri.

Tertiò, per alia pietatis opera, quæ si fiant in Christo Jesu, qui portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, haud dubiè Deo satisfacient pro pœna peccatis debita, & pœnitentes ab omni reatu liberos in libertatem filiorum Dei asserent.

Cùm igitur pietatis opera, tanta vi polleant apud Deum, præcipua percensere juverit.

S. Cæsarius Arelatensis hom. 38. duodecim enumerat modos, quibus peccata remittuntur. Alii ad septem præcipua capita revocant omnes modos, quibus remissio peccatorum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, obtineri potest. Id videre est in Epistola ab Theodulpho Aurelianensi Episcopo ad fratres & compresbyteros suos anno sal. 835. inscripta. Hoc ipsum legere est apud Jonam item Episcopum Aurelianensem, qui floruit etiam IX. sæculo, in lib. 1. de Institutione laïcali cap. 5. cujus vestigiis insistere operæpretium fuerit.

In hoc capitulo, inquit, *demonstrandum est, quibus modis fiat remissio peccatorum: scribit namque Origenes in hom. 1. libri Levitici ita: Audi nunc quanta sint remissiones peccatorum.*

Prima est, quâ baptizamur in remissionem peccatorum.

Secunda est, in passione martyrii.

Tertia est, quæ per eleemosynam datur. Dicit enim Salvator: Verumtamen date eleemosynam, ecce omnia munda sunt vobis.

Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quòd & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit Dominus ipse & Salvator: Quia si remiseritis ex corde fratribus vestris peccata ipsorum, & vobis remittet Pater vester peccata vestra. Quòd si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet Pater vester peccata vestra. Et sicut in Oratione nos dicere docuit: Dimitte nobis debita nostra.

Quinta peccatorum remissio est, cùm converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Hoc affirmat S. Jacobus in Epistola sua canonica pariter & Catholica. Fratres mei, ait, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum, Jacob. c. 5. v. 19. & 20.

Sexta quoque fit remissio peccatorum per abundantiam charitatis, sicut ipse Dominus dicit: Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et Apostolus ait: Quoniam charitas operit multitudinem peccatorum.

Est adhuc & septima, licèt laboriosa & dura, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte: cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, ut adquirat medicinam, secundùm eum qui ait, Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et illud: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Hactenus Jonas Aurelianensis percensuit præcipua pietatis opera, ad quæ complura alia facilè revocari poterunt. Hîc sanè adoranda est & prædicanda infinita Dei misericordia, quæ porrexit hominibus infinitas propè rationes, quarum adjumento ipsi pro sceleribus admissis satisfacere possent, cùm ad eum sincero & infucato corde revertuntur, suamque illam reversionem Christianis operibus testatam faciunt.

Quid enim commemorem corporalem eleemosynam, quæ in pluribus personis in austeritatum, mortificationumque, ut vocant, locum substitui & supponi potest?

Quid proferam eleemosynam spiritualem, quæ corporalis potest esse supplementum? Et quid dicam de charitate, quæ utriusque vim incredibiliter præstare potest?

Quid præterea commemorem fidelitatem & justitiam, quâ quisque suæ vocationis partes explicare potest? Nam (quod maximè omnibus cujuscumque generis hominibus est attendendum) illa ipsa est præcipua pietatis pariter & pœnitentiæ regula, ut unusquisque impositum sibi in ea conditione, in qua vocatus est, officium diligentiâ quantâ maximâ expleat.

Quid dicam de internis mortificationibus, quæ in plerisque externarum locum obtineant? Quid hîc percenseam persecutiones & calumnias, quibus ap-

petimur ab hominibus, si præsertim tuendæ propagandæque veritatis studio teneamur? Nonne illæ infectationes Christiano animo toleratæ, satisfaciendi vim apud Deum obtinere poterunt? Quid proloquar eam lenitatem & tranquillitatem cordis ab Apostolo cum patientia sociatam, quæ omnium, quas toleramus, pœnarum acerbitatem abstergit, quæque per fidem animam tantùm coram Deo sanctificat, quantùm apud homines moderationis laude nobilitat?

Quis dubitet, Christianam liberorum educationem in qualibet familia apud omnes fideles esse insignem perfectamque pœnitentiam? cùm Apostolus dixerit de muliere in ejusmodi educationem incumbente: *Salvabitur autem per filiorum generationem*, 1. ad Timoth. c. 2. v. 15.

Quid denique in medium adducam unicas illas occasiones, quæ scilicet semel in omni vita viris aliqua dignitate in Ecclesia vel in sæculo fulgentibus offerunt sese? Nonne tantam satisfaciendi vim obtinent, ut Petrus Blesensis qui XII. sæculo floruit, ausus sit asserere, vel unam ejusmodi occasionum commodè arreptam posse sufficere coram Deo ad expianda omnia peccata, quibus illi viri suæ tam conditionis, quàm prælationis amplitudine conspicui, sese toto vitæ curriculo devinxissent?

Eo pacto insigniter satisfit Deo. Si quis v. g. Ecclesiæ dignitatem vel mediocriter labefactatam, ab injuria strenuè asserat: si veritatem quampiam lacessitam, & obscuratam, erecto liberoque defendat animo: si oppresso per vim publicam innocenti opem afferat: si pauperem, viduam, orphanum è magnatum manibus eripere contendat: si quis in præclarâ quapiam occasione usurpet hasce Sacerdotis Eleazari voces: *Exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar*, 2. Machab. cap. 6. v. 28. Si quis item imitetur S. Thomam qui dicitur Didymus, qui fractos condiscipulorum animos hisce verbis erexit: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Quæ verba tanti fecit Christus Dominus, ut propter illa, juxta nonnullos Interpretes, illum ipsum Thomam, licèt incredulum, singulari post resurrectionem apparitione dignatus fuerit, & insuper hac donaverit mercede, ut cæteros Apostolos Evangelii in ultimas terras longiùs propagati gloriâ superaret.

QUÆSTIO LXVIII.

Quo pacto satisfactiones injungere oporteat.

HÆc quæstio ad rite administrandum pœnitentiæ sacramentum cumprimis idonea & necessaria, non potest dissolvi meliùs quam ipsissimis S. Caroli verbis, quem Deus opt. max. veluti pœnitentiæ præconem, & acerrimum ecclesiasticæ disciplinæ vindicem superiore æculo excitavit. Nam ex quo sanctus, & bonorum omnium memoriâ dignus Præsul, regulas summo plurium piorum pariter & eruditorum hominum studio elaboratas, imò de cælo delapsas, in Confessariorum gratiam edidit; nemo bene animatus extitit in Ecclesia Dei, quin illas ambabus amplecteretur ulnis, & ad eas pariter amplectendas quemvis ardentiùs hortaretur.

Antonius Possevinus Jesuita, Selectæ Bibliothecæ lib. 3. in quo tractat de studiis casuum conscientiæ, ejusdem libri cap. 23. fol. 152. omnes ipsius sancti Caroli de pœnitentia instructiones exscripsit ad verbum, addito ad marginem hoc salutari monito: *Legent Confessarii, & sapiant.*

Andreas *du Saussay*, aliàs S. Lupi apud Parisios Parochus, & postea Tullensis Episcopus, in Panoplia Sacerdotali p. 2. lib. 2. de munere benedicendi, totam illam S. Caroli methodum ad confessiones excipiendas editam verbatim exscripsit, & hoc elogio decoravit: *Postquam*, ait, *Latino stylo fuit instructa* (illa methodus) *cum duobus aut tribus aliis aureis verè opusculis, Coloniæ anno 1587. typis edita, vix Gallias abhinc penetravit: quicquid sit, à nostris Typographis, qui tot libros magna parte inutiles quotidie excudunt, vix, quod sciam, huc usque prælo commissa est, unde in Sacerdotum nostrorum commodum, atque totius Ecclesiæ Gallicanæ utilitatem copiosam, publicam in lucem exiret: tum quod ipsum istud opusculum dignissimus sit tanti revera parentis fœtus, qui nonnisi afflatu Spiritusſancti, cujus vivum fuit his postremis temporibus oraculum, hoc dictasse, ut cætera pleraque scientiæ salutis, quæ reliquit, monimenta, meritò videatur.* Hæc ille.

Hoc ipsum luculenter præstitit liber *de frequentanda Communione* inscriptus, in quo ipsas illas D. Caroli regulas vernaculo idiomate donatas legere est.

Clerus Gallicanus zelo zelatus pro Domino exercituum, easdem illas instructiones denuo excudi voluit anno sal. 1658. præfixo pulcherrimo præloquio, in quo mollioribus recentiorum quorumdam placitis totam morum disciplinam depravari, labefactari, imò constuprari conqueritur: ut omnibus fidelibus testatum faciat, neminem sive Confessarium, sive pœnitentem, posse suas, sicut oportet, obire partes, nisi conculcatis recentioris Theologiæ commentis, dictatis à sancto viro, imò ab Spiritu sancto regulis medullitus inhæreat.

Sic ergo S. Carolus propositam solvit quæstionem in Act. Eccles. Mediol. p. 4. p. 766.

In satisfactionibus vel pœnitentiis injungendis Confessarius circumspectus esse debet, ne adeo leves illæ sint & faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat & consors alienorum peccatorum; neque nimis graves aut longæ jubeantur, ut vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plenè non perficiant. Ideirco Confessarius Canones pœnitentiales ad unguem sciat, oportet. Nam quamvis illi possint & debeant secundùm prudentis & morati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio aliæque circumstantiæ ostendent; utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, atque eos tanquam ad amussim respicere, quantùm conveniens erit. Et quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet sequi, tanquam pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacriùs exequatur. Et interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta mater Ecclesia cum pœnitentibus observat, quando disciplinæ ecclesiasticæ vigorem tantopere moderatur.

Curet etiam, ut satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque adversum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare ac castigare possunt carnem.

Contra avaritiæ peccata, præter restitutiones quæ fieri debent, apponet opera misericordiæ pro facultate & modo cujusque. Peccata superbiæ quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem animique constantiam acquiret.

Præcipiet contra negligentiam in iis ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam ut ad certum tempus Scholas, & Catechistas Christianæ religionis frequentent.

Remissis hominibus, quíque in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigidè se gerunt, præcipiet ut adeant templa, divinisque officiis assistant, multasque usurpent orationes.

At verò blasphemis, & sacrilegâ linguâ in Deum & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graves & difficiles injungent, quæque culpæ gravitati respondeant. Quâ in re canonibus sacris, Pontificiis decretis, Concilio Lateranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis, sese conformabunt.

Verùm hac in parte integro judicio, & personarum delectu utentur; non enim omnibus omnia conveniunt: quare non mandent pauperibus, ut liberaliter tribuant eleemosynas, neque iis qui diurnis sudoribus victum sibi suisque quæritant, jejunia prolixa, ac simile judicium in reliquis pœnitentiis usurpabunt & sequentur.

Videndum est etiam, ut qui publicis vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non absolvantur, priusquam satisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem iis injunxerint, ut simul cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis resarciant: qua in causa Concilii Tridentini præscriptum observabunt, ac institutionem nostram super hac re in primo ac tertio provinciali nostro latam, qui etiam pœnitentias publicas, in alias secretas non commutabunt, nisi expressam à nobis hujus rei habeant potestatem.

Ut liberior sit Confessarius in exequendo officio, quod illi cum pœnitente est, majorique apud eumdem autoritate habeatur, in decernendis iis omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, non solùm fugiet studiosè avaritiam, sed etiam omnem ejus vel minimam suspicionem.

Nominatim autem pecunias, aut aliquid hujusmodi pro confessionum audientia non petet, etiamsi occasio se præbeat, ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat: quin potiùs voce & reipsa declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus, habere.

Cùm pœnitenti jubebit, ut Missæ sacrificium faciat uspiam peragi, nec rectè nec obliquè significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia aut monasterio curare celebrari. Idem faciat in satisfactionibus iis, cùm pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere jubebit.

Sed neque pecunias, aliáve quæ à pœnitente restituenda sunt, propriis dominis in se reddendi, provinciam assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod cùm erit ab eo factum, curet ut is, cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consignet, ac planè eo modo procedat, ut omnem speciem ac signum avaritiæ subterfugiat. Hactenus vir sanctissimus satisfactionum injungendarum rationem mirificè declaravit.

Ut igitur sanam & irreprehensibilem ejus doctrinam hac in parte, sicut & in aliis, sequamur, juvat nunc agere de indulgentiis, eo quòd nulla sit alia melior ratio consequendi indulgentias, quàm Deo per pietatis opera satisfaciendo. Sit itaque

QUÆSTIO LXIX.

Quænam dispositiones exigantur ab iis, qui indulgentias lucrifacere cupiunt.

RESPONDEO, omnes dispositiones ad consequendas indulgentias omnino necessarias, ad duo præsertim capita revocari. 1º. Ut qui eas consequi volunt, sint verè contriti. 2º. Ut sint verè pœnitentes.

Hæc duo ad obtinendam indulgentiam requisita, semper in suis diplomatis exprimunt summi Pontifices, declarantque toti Ecclesiæ, se concedere indulgentias non omnibus, aut quibuslibet promiscuè, sed duntaxat *verè contritis & pœnitentibus.*

1º. Igitur eum, qui voluerit indulgentias consequi, esse verè contritum necesse est, id est ab omnis peccati, quantumvis venialis & parvi, affectu liberum & expeditum esse: siquidem nemo potest consequi remissionem pœnæ alicui peccato debitæ, cujus affectu, & voluntaria quapiam oblectatione teneatur. Ea enim videtur esse impudentia, quæ magis accersat pœnam, quàm alliciat misericordiam, de sceleribus admissis ab Deo flagitare veniam, & adhuc eorum culpabili studio detineri. Id enim per indulgentiam ab ipso poscimus, ut nostra peccata oblivione conterat sempiterna, nec ea plectat, neque in hoc, neque in futuro sæculo, si nostra corda adhuc aliquo quapiam in re illi displicendi desiderio irretita permaneant. Quod sanè animadvertendum est.

Quid sit præterea esse verè contritum, satis superque explanavimus in quæstionibus de contritione, ad quas ne actum agere videamur, lectorem remittimus.

Ex hac dispositione, id est vera cordis contritione, altera necessariò proficiscitur, id est firmum & constans satisfaciendi propositum: nemo enim se verè contritum affirmare potest, qui non omnia adjumenta ad præteritorum scelerum destructionem idonea necessariaque strenuè capessere decreverit.

Unde si in pœnitente ad Confessarium accedente aliquod occurrat impedimentum, non est deflectendum à communibus regulis, propter indulgentias, quas lucrifacere cupit. Nam inprimis obligandus est ad amovendum illud impedimentum. Neque enim Ecclesia concedit indulgentias ad suæ eversionem disciplinæ, aut ad fidelium perniciem: quæ duo dubio procul evenirent, si in ejusmodi occasionibus recederent Sacerdotes ab ejusmodi regulis tam sanctis, & tam utilibus, universis, qui ad earum amussim diriguntur: quarum etiam præsidio peccatores non solùm impetrant relaxationem pœnæ suis peccatis debitæ, (quod indulgentiæ factitant) verùm etiam conferunt ad destruendum in us peccatum, perfringendo nimirum omnia vincula, quibus eos fœdæ Dæmonum servituti mancipatos obstrinxerat.

Præterea quemadmodum is, qui indulgentias consequi expetit, insolitâ donari gratiâ concupiscit, ita debet communem solitamque fidelium dispositionem prætergredi. Quapropter jure, ac meritò ab eo tunc easdem exigit dispositiones, quas ab eo reposceret alio tempore, quo de tanta gratia acquirenda nihil cogitaret.

Inde etiam sequitur, non esse imponendas pœnitentibus satisfactiones solito leviores, indulgentiarum intuitu: quod sanè fieri oporteret, si in injungendis pœnitentiis tota canonum severitas retineretur. Sed cùm graviores pœnitentiæ maximis peccatoribus

toribus nunc injungi solitæ, veteri canonicarum satisfactionum severitati comparatæ instar nihili propemodum obtineant; inde quotquot convertuntur tangente Deo cor hominis, quæcumque iis imponatur satisfactio, existimare debent, suam pœnitentiam semper fore tam tenuem & imperfectam, ut semper & meritò veluti singularem Ecclesiæ gratiam suspicere debeant, quòd ejus partes per indulgentias suppleri voluerit.

Perperam ergo ratiocinantur, qui contendunt sine ulla, vel certè levissima satisfactione indulgentias lucrifieri posse: qui error, quia nostra hac ætate plurimorum animos occupavit, refellendus est iis Authoribus & rationibus, quibus vel pertinacissimi reluctari nequeant.

Ut igitur ab ipsa Scriptura probandi faciamus initium, proferendus est Apostoli locus, ex quo prima indulgentia incestuoso, quem ipse Apostolus cum virtute Domini nostri Jesu tradiderat Satanæ in interitum carnis, concessa colligitur. *Sufficit illi*, ait S. Paulus 2. Cor. cap. 2. v. 6. ad 12. *qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita ut è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est, Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.* Et infrà. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

Guillelmus Estius, cujus eruditissima in Paulum commentaria omne tulere punctum, utpote quæ ab doctioribus quibusque universim sunt approbata, elicit ex hoc loco quinque dogmata ad astruendam indulgentiarum fidem maximè pertinentia, quorum

Primum est, in Ecclesia esse potestatem conferendi indulgentias, quâ pœna temporalis adhuc restans relaxatur ei, qui pro peccato pœnitentiam agit.

Secundum est, Præfectos Ecclesiæ illa potestate uti, tanquam Christi ministros, à quo eam acceperunt, & cujus vice eam exercent: quibuscum eam quodammodo exercent cæteri fideles, in quantum scilicet unà cum Præfectis condonant, & solvunt consensu, desiderio, commiseratione, & precibus ad Deum fusis pro fratre peccatore, sicut & nos admissa in nos condonamus, cùm dicimus ex animo, *Dimitte nobis debita nostra.* Unde S. Augustinus ait lib. 3. de Bapt. contra Donatistas cap. 17. & 18. & alibi, per gemitus columbæ, id est per orationes Sanctorum, remissionem peccatorum dari.

Tertium est, quòd illa pœnæ relaxatio valeat in judicio divino ad remissionem pœnæ, alioquin in futuro sæculo persolvendæ. Valeat, inquam, perinde ac si Christus ipse hujusmodi condonationem faceret, & facit revera per ministrum, cui id faciendi potestatem dedit.

Quartum est causa seu ratio dandæ indulgentiæ ex parte pœnitentis, & ex parte Ecclesiæ. Ex parte pœnitentis, *ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est*, atque adeo ad desperationem adigatur. Ex parte autem Ecclesiæ, ut scilicet ea condonatio in ejus utilitatem & ædificationem desinat.

Quintum denique, quod nostrum propositum luculenter supra quàm dici potest, illustrat & probat, est quòd bona pars satisfactionis à pœnitente debeat esse expleta ad hoc, ut reliquum ei condonetur. Id enim est quod ait Apostolus, *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc.* Nam eam objurgationem non levem fuisse, declarat metus Apostoli dicentis: *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur.* Exigunt illud ipsum veteres Ecclesiæ canones, qui ea de re extant complures: exigunt autem propterea, ne per indulgentiam enervetur ecclesiastica disciplina, quodque deterius est, ipsa pœnitentium satisfactio, quæ legis divinæ est, evertatur ac pessumeat. Quas ob causas etiam beatus Cyprianus Epist. 11. quæ est ad Martyres & Confessores in carcere constitutos, seriò monet eos, ac rogat, non alios, quàm quorum pœnitentiam satisfactioni proximam, id est propinquam, conspexerint, libellis suis ad plenam delictorum indulgentiam Episcopo commendent.

Sed quæret ad extremum aliquis, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potiùs intelligenda veniat absolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel à peccatis in sacramento pœnitentiæ: siquidem utraque absolutione pœnitens ille egebat.

Respondeo tam verba quàm contextum Apostoli, planè respuere ejusmodi intellectum. Nam primùm, relaxatio vinculi excommunicationis neque in Scriptura sacra, neque apud Patres usquam condonatio vel indulgentia vocatur: obstante videlicet ipsarum vocum proprietate. Deinde quod ait, *cui aliquid*, hoc est aliquam partem donatis, æquè in absolutione excommunicati locum non habet, ut nec in ea, quâ pœnitens à culpa absolvitur: fit autem illud, dum per indulgentiam matris Ecclesiæ, post aliquantam satisfactionem pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifestiùs etiam declarat illud præcedens, *sufficit illi*, quasi dicat: Satis jam pœnarum dedit, reliquum ei condonetur. Hoc est enim quod sequitur: *Ita ut è contrario magis donetis.* Veluti si sonte quopiam per sententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato, post tricesimam plagam, dicat Judex, Sufficit, aut, Satis est: non quòd sententiæ sit satisfactum, sed quia vult uti clementiâ, reliquum plagarum numerum ei gratiosè remittens. In quem sensum Chrysostomus & Theophylactus ea Pauli verba disertè sunt interpretati. Hactenus solidus ille & eruditus Interpres Apostoli doctrinam Catholicam de indulgentiis, ineluctabili traditionis authoritate stabilit, probavitque relaxationem pœnæ, quæ fit per indulgentias, supponere, non minimam pœnæ debitæ partem esse jam ab pœnitente persolutam.

Hanc doctrinam utpote solidam & divinæ traditioni, rationique consentaneam, antea tradiderat Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus vulgò dictus, qui in hanc indulgentiarum materiam accuratiùs versandam & discutiendam incubuerat eo animo, ut Luthero acerrimo earumdem indulgentiarum oppugnatori, ea quâ pollebat eruditione, resisteret.

Cajetanus igitur, ut testatur Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 13. q. 5. in tractatu, qui est de suscipientibus indulgentias, q. 1. docet præter alias hanc requiri conditionem, ut videlicet qui vult consequi indulgentias, habeat propositum satisfaciendi Deo propriis laboribus, quoad poterit; iis autem qui nolunt pro seipsis satisfacere, cùm possint, negat prodesse indulgentias. Ex quo etiam colligit, paucos admodum revera frui pontificiis indulgentiis ex tanto numero adeuntium Ecclesias temporibus stationum, aliarumque indulgentiarum. Hæc ibi Bellarminus, qui, pace tanti viri dixerim, perperam ex hoc loco colligit, summos Pontifices deceptum ire populos, si indulgentias cum ea conditione proponere vellent, quam nunquam explicarent: id est, si ex Cajetani sententia, vellent eos, qui donantur indulgentiis, habere propositum satisfaciendi Deo propriis laboribus, quoad possent.

Nam nec summi Pontifices decipiunt populos in concedendis indulgentiis, & suam mentem hac in parte luculenter explicant per hæc verba, pontificiis

diplomatis nunquam non apponi solita, *verè contritis & pœnitentibus*: per quæ verba declarant summi Pontifices, se concedere indulgentias omnibus fidelibus verè contritis & pœnitentibus, id est qui sincerum Deo per opera pœnalia pro viribus satisfaciendi propositum conceperint. Nemo enim est Theologus, quin asserat satisfaciendi propositum includi in vera contritione. Ergo cùm declarant summi Pontifices, se indulgentias *verè contritis* impertiri, liquidò demonstrant, se eas velle impertiri iis dumtaxat hominibus, qui Deo per proprios labores, nihil obstante indulgentia, satisfacere proposuerint.

Id ipsum non obscurè significant, cùm addunt, *pœnitentibus*: nam neminem admissi flagitii verè pœnitere, nisi offenso vel Deo, vel homini satisfacere velit, evidentius est, quàm ut probari debeat: ergo per posterius hoc verbum, *pœnitentibus*, declarant, se velle aliquid ex pœnis debitis relaxare, iis qui verâ pœnitentiâ ducti, Deo pro suarum virium modulo satisfacere voluerint.

Hæc sanè doctrina sacrosanctis Conciliorum Pontificumque decretis est consentanea. Sic enim loquitur Alexander III. in Concilio Lateranensi III. *Nos etiam de misericordia Dei & BB. Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos* (hæreticos) *arma susceperint, & ad, piscoporum, seu aliorum Prælatorum consilium, ad eos decertando expugnandos, biennium de pœnitentia injuncta relaxamus: aut si longiorem ibi moram habuerint, Episcoporum discretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, secundùm modum laboris major eis indulgentia tribuatur.* Hæc ibi.

Id ipsum, quod asserimus, sancitum antea, renovavit Innocentius III. anno 1215. cum toto Concilio Lateranensi IV. can. 62. *Ad hæc*, ait, *quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cùm dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur. Deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potestatis, non in talibus moderamen consueverit observare.*

Hic canon, eo quòd gravissimum ad retinendum in Ecclesia satisfactionis disciplinam, momentum obtineret, relatus est in Corpus Juris cap. *Cùm ex eo, de pœnitentia & remissionibus.*

Concilium Tridentinum ejusmodi Conciliorum, Pontificumque decretis fidelissimè institit in continuatione sess. 25. cap. 21. in Decreto de Indulgent. *Cùm potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Hæc ibi.

Ex his Concilii verbis hæc consecutio necessariò conficitur: ergo vult Concilium ab unoquoque, Deo per opera pœnalia pro cujusque facultate satisfieri, nihil obstante indulgentia. Quo enim pacto faciliori indulgentiarum concessione enervari potest ecclesiastica disciplina, nisi quia inde peccatores ansam arripiunt prætermittendæ pœnitentiæ, quam alioquin ex Canonum præscripto peragere tenerentur? Non mihi latet, veterum Canonum magnam desiisse severitatem, sicut & opera quædam externa & publica: sed contendo, non ita esse abrogatos ejusmodi Canones, quin satisfactiones pro admissis criminibus injunctas, eorum qualitati & multitudini aliquo saltem pacto respondere oporteat. Hoc enim ita declaratum esse ab eodem Concilio Trid. sess. 14. cap. 8. suprà demonstravimus.

Hanc esse perpetuam Romanæ Ecclesiæ praxim in concedendis indulgentiis, ut nonnisi satisfactiones congruas exhibere volentibus impertiantur, pulcherrimo exemplo & prudentissima animadversione declarat Cardinalis Baronius Ann. Ecclesiast. tom. 11. ad ann. Christi 1073. num. 71. *Cùm autem*, ait, *idem* (Lincolniensis in Anglia Episcopus) *suis litteris ab eodem summo Pontifice petiisset suorum peccatorum absolutionem, quam usitatiori vocabulo indulgentiam appellamus, eam his verbis impendit: Absolutionem præterea peccatorum tuorum (sicut rogasti) authoritate principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* En exemplum, quo nostram assertionem stabilit Baronius, cui pulcherrimam hanc animadversionem aureis imprimendam litteris annectit. *Ut appareat*, inquit, *Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentiâ torpescentibus.* Hactenus Baronius.

Quæ verba ab duobus viris tam dignitatis quàm eruditionis laude cumulatis, profectò, si quis non ad cupiditatis humanæ, sed ad sanctuarii trutinam expenderit, dubio procul aversabitur plurium Christianorum effœminatam mollitiem, ne dicam, novas quorumdam recentiorum opiniones, qui omnem indulgentiarum vim elidi vociferantur, cùm plura exiguntur à sceleratioribus, quàm ab insontibus, & (ut Ecclesiæ indulgentiam suam in salutem convertant) ab iis laboriosa postulantur opera, ut sic assequantur pœnæ suis criminibus debitæ relaxationem, quàm nisi verè contritis & pœnitentibus, id est Deo pro suo modulo satisfacientibus concedi tota traditio contestatur.

Tametsi ea assertio non tanta niteretur authoritate, admitti tamen deberet eo nomine, quòd tanti Pontificis, tantique Cardinalis testimonio fulciretur. Non enim id affirmat levis quidam Author, (cujus authoritas facilè apud eruditos evanescit) sed summus Pontifex, Gregorius nempe VII. qui & suam in concedendis indulgentiis potestatem, & indulgentiarum quas impertiebatur, vim perspectam habebat, & cognitam, quique injungebat Episcopo, ut in opera pietatis pro viribus incumberet, suosque defleret excessus, si petitâ indulgentiâ potiri cuperet.

Id ipsum disertè profitetur Cæsar Baronius in Ecclesiæ traditione & historia versatissimus, cui proinde habenda fides, eo titulo quòd non tam author, quàm rerum, quas commemorat, scriptor & interpres habeatur.

Constat igitur, inter dispositiones ad assequendam indulgentiam necessarias principatum obtinere conversionem cordis, & sincerum pro viribus Deo satisfaciendi propositum, & effusionem thesauri ecclesiastici, esse offerendam Deo, ut nostram suppleat egestatem, non autem, ut commodè, nihil omnino perferendo, debita dissolvamus. Dicamus ergo cum Cypriano: Pœnitenti, operanti, roganti, potest Deus clementer ignoscere, potest acceptum ferre, quidquid pro talibus,

& perierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.

Idem Baronius Annal. Ecclesiast. tom. 12. ad an. Christi 1177. n. 49. commemorat, Alexandrum III. consecrasse in majori Ecclesia Ferrariensi majus altare ad honorem omnipotentis Dei, & intemeratæ & gloriosæ virginis Mariæ, &c. & quibuslibet verè pœnitentibus & confessis in festivitate dedicationis ipsius altaris, hoc majus altare visitantibus, præfatum summum Pontificem annum unum de criminalibus, & septimam partem venialium relaxasse. Hæc ex antiquis ejus Ecclesiæ monumentis. *Quibus videas*, pergit Baronius, *usum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione terræ sanctæ, ut constat ex aliis aliorum etiam Pontificum diplomatibus. Quibus redarguuntur scripta, quibus proditur concessum ab eodem Pontifice primis diebus dominicis singulorum mensium Anconitanis, tantum indulgentiarum, quantum arena possent capere ambæ manus simul junctæ: quæ digna risu quamvis nullo penitus veritatis testimonio fulciantur, pluribus tamen contradictionibus locorum, temporum, rerumque gestarum facillimè convelluntur, ut lector ea videns, & istis, quæ dicta sunt atque dicenda, conferens, perfacilè recognoscet.* Hæc Baronius qui promiscuam indulgentiarum profusionem veluti Lydium lapidem admovet ad explorandas indulgentias, an scilicet veræ sint, an supposititiæ.

Supponit scilicet Cardinalis eruditissimus, eas indulgentias esse falsas, vel certè admodum suspectas, quæ satisfaciendi Deo per laboriosa pœnitentiæ opera necessitatem penitus, vel magna ex parte abrogant, cujusmodi sunt illæ quæ faciliùs & crebriùs concessæ plurium Christianorum impœnitentiæ suffragantur.

Idem Baronius ad ann. Chr. 847. num. 4. de hac indulgentiarum profusione restricta, sic loquitur: *Huc usque vetus monumentum, quo etiam pristinum usum sacrarum indulgentiarum expressum habes: ad quam laudabilem antiquam formam S. D. N. Clemens Papa VIII. non sine divino instinctu effusam nimis indulgentiarum concessionem restringere aggressus est: fiunt enim potiùs remissiores vasta indulgentiarum laxitate fideles.* Hæc ibi.

De eadem Clementis VIII. in moderandis indulgentiis prudentia, sic loquitur Bellarminus lib. 1. de Indulgent. cap. 12. *Laudandus meritò est Clemens VIII. Pont. Max qui nunc sedet, quòd decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. de moderandis indiscretis indulgentiis, & decretum Concilii Tridentini session. 25. de revocandis indulgentiis, ad veterem & probatam Ecclesiæ consuetudinem executioni mandare studet. Veteres enim parcissimos fuisse in indulgentiis conferendis, notissimum est.*

Hinc liquidò patet, quàm audiendus sit Guilielmus Estius ad dist. 20. lib. 4. Sent. §. 10. sub finem. *Jam quod ad indulgentias attinet non plenas, in iis rigor canonis pœnitentialis relaxatur, dumtaxat remissione certi temporis, velut aliquot dierum, vel unius anni, aut plurium. Neque enim dies illi vel referendi sunt ad pœnam luendam in purgatorio, quasi v. g. quadraginta dierum indulgentia tollat pœnam quadraginta dierum futuri sæculi, sed ad pœnitentiam in hoc sæculo pro peccatis secundùm Canones debitam. Sensus enim est, per tot dierum vel annorum indulgentiam demi tot dies vel annos de pœnitentia, quæ secundùm Canones pro peccatis injuncta fuit, vel certè injungi debuit. Quem sensum manifestè arguit indulgentiarum forma, in qua non dicit Pontifex, se remittere tot dies, vel tot annos de pœnis, sed de pœnitentiis, & plerumque addit, injunctis. Quod ad pœnas purgatorii nullo modo referri potest. Consequenter tamen remittitur pœna purgatorii tantæ pœnitentiæ respondens. Quanta verò respondeat, soli Deo cognitum est. Hinc autem patet, quàm sit absurda, ac Sedi Apostolicæ minimè ascribenda, sed vel merè commentitia, vel imprudenter extorta in annos centenos, aut millenos indulgentiarum liberalitas: cùm nec ullo canone tam diuturna pœnitentia præscripta unquam fuerit pro quantiscumque peccatis, nec verò propter humanæ vitæ brevitatem præscribi possit, tametsi ob criminum vel enormitatem vel multitudinem, pœnitentiæ magnitudo intendi debeat, quando extendi non potest.*

Hactenus Estius satis superque declaravit, non posse pœnitentiæ, imò pœnæ relaxationem sic extendi, ea scilicet ratione adductus, quâ Concilia, & summi Pontifices profusam indulgentiarum largitionem quibusdam terminis coërceri voluerunt, ne scilicet satisfactionis præceptum suapte natura indispensabile, improvida illa indulgentiarum concessione penitus abolesceret; atque ita major peccandi licentia in Ecclesiam grassaretur.

Hæc ratio Sixtum IV. ad revocandas plures, quàm concesserat indulgentias, impulit anno 1478. ut patet Extravag. communium lib. 5. cap. 5. ubi sic loquitur: *Etsi dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus, ea benignè concedere studeamus, per quæ (peccatorum mole deposita) salus ipsa succedat, & hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciamus Altissimo, qui nobis eas sua bonitate commisit; id tamen propensiori studio præcavendum esse censemus, ne cujusvis indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu, Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ, eis peccandi tribuat incentivum. Cùm itaque (sicut multorum fide dignorum testimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per nos, vel auctoritate nostra concessarum, tam verbo quàm in scriptis .... fideles præfati ad peccandum, & alia illicita committendum, nonnumquam procliviores existant, in non parvum periculum salutis animarum suarum: nos qui Deo propitio ejusdem gregis dominici (meritis licèt insufficientibus) causam gerimus, & illam spiritualis thesauri elargitionem cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem: ne exinde clavium auctoritas deducatur in contemptum, ipsique ad peccandum procliviores, ut diximus, liberiùs prolabantur: auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum hujusmodi concessarum à nobis. &c.*

Ex quibus verbis constat, ab eo summo Pontifice rescissas esse plures indulgentias, ne homines impunitatem per crebriores & largiores indulgentias adepti, sese liberiùs ad malos mores & flagitia capesserent.

Ex tot probationibus colligere est, à nemine posse lucrifieri indulgentias, quin per laboriosa pœnitentiæ opera Deo satisfacere connitatur: quod agnoscit Bellarminus, & explicat insigniter Estius ad dist. 20. lib. 4. Sent. §. 10. Jam verò, ait, quòd etiam ex parte suscipientis necessaria sit dispositio proportionabilis, id est opus aliquod proportionem habens ad indulgentiæ concessæ quantitatem, ex eo probatur, quia non sufficit causæ magnitudo ex parte conferentis indulgentiam, nisi ad eamdem justa aliqua proportione per opus suum accedat ille, qui indulgentiam vult promereri. Requiritur enim illa causa ad applicandum thesaurum huic vel illi; quæ applicatio non fit nisi intuitu alicujus pii operis quod iste facit. Qua-

re si iste vel nihil, vel exiguum aliquid faciat comparatione peramplæ indulgentiæ, non valebit ei quantum sonat. Ubi tamen diligenter est animadvertendum, non requiri æqualitatem causæ, vel operis ad indulgentiam, sed proportionem. Nam si exigeretur opus æquivalens, jam non esset absolutio, sed vera commutatio.

In qoo autem gradn præcisè ea proportio consistat, non est facile desinire; sed id relinquitur Ecclesiæ Prælatis, quibus indulgendi potestatem Christus concessit dijudicandam. Sanè Cyprianus in Epist. 16. lib. 3. rogat Martyres, ut non alios, quàm quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspeaerint, libellis suis apud Episcopum ad plenam indulgentiam obtinendam commendent. Et Apostolus Paulus nonnisi post afflictionem pœnitentiæ, tam gravem, ut ex ea desperationis periculum metueretur, illi Corinthio residuum donat pœnitentiæ. Et vetera Concilia statuunt circa eos pœnitentes humanius aliquid cogitandum, qui cum omni timore, & lacrymis perseverantibus, conversationem bonam ostendissent. Ex quibus apparet, eos qui graviter deliquerunt, non consequi plenam remissionem per indulgentiam, nisi ipsi quoque satisfaciendo certa quadam proportione ad tam magnum beneficium accesserint.

Neque verò quicquam id derogat indulgentiis, quæ plenæ, seu plenariæ conceduntur. Plenæ enim dicuntur indulgentiæ, qnarum ea vis est, ut plenam is, qui sit præparatus, ex iis accipere queat peccatorum remissionem, per quod inprimis certum est, non omnem satisfactionem excludi, quandoquidem præparatio sen dispositio quædam satisfactoria, requiritur ex parte suscipientis, idque ex lege divina, cui beneficium hoc indulgentiæ plenariæ non contrariatur.

Quocirca Pontifex hujusmodi indulgentiam concedens non infringit legem divinam, sed eâ præsuppositâ de plenitudine potestatis, indulgentiam dispensat nullâ temporis mensurâ limitatam, tantum videlicet largiens, quantum quisque secundùm præparationem suam capere potest, & totam condonans pœnam, si totalis condonationis secundùm suam præparationem capax est pœnitens. Unde verè dicitur, quòd indulgentia etiam plenaria tantum valet quantum sonat, tametsi non omnis, qui eam participat, plenum inde fructum consequatur. Quod significant illa verba Bonifacii VIII. in Eattavag. *Jubilæi.* quibus ait: Unusqoisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs & devotiùs frequentabit. Quæ verba manifestè significant indulgentiam plenariam, non semper æqualiter ab omnibus participari.

Atque id voluit Bonaventura, cùm dicit, indulgentias, quantùm est ea potestate dantis, tantum valere, quantum promittunt; nec tamen omnibus valere æqualiter, sed secundùm æstimationem quam habuit, vel habere debuit, qui indulgentiam dedit. Quam, inquit, æstimationem non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quòd dona, & miserationes sancti Spiritus dentur cum æquo libramine.

Eruditissimum hunc Estii locum totum eascripsimus, quippe qui totam de satisfactionis necessitate, concessis etiam indulgentiis, doctrinam illustraret inprimis, & mirificè roboraret. Quod & factitatum est ab Comitolo Jesuita Italo, cujus etiam verba exscribere juvabit.

Probata hactenus doctrina, locupletissimo Comitoli Jesuitæ doctissimi testimonio confirmatur.

Comitolus Casuistarum recentium æqoissimus, nostram de satisfactionis necessitate, nihil obstantibus indulgentiis, doctrinam astruit his verbis: Cùm amplissimæ indulgennarum largitiones à Romanis Pontificibus Christiano populo proponuntur, valéntne peræquè omnibus, qui præstant ea, quæ à Christianis exigit Christi Vicarius? Et qui tribuere debet eleemosynam ad Jubilæi gratiam consequendam, consequatúrne, qui minorem tribuit, quàm ejus status & conditio suadet?

Hæc disputata sunt à nobis diligenter, in explanatione Jubilæi à Clemente VIII. concessi 1592. Pontificatûs sui initio: illudque auditoribus nostris persuasimus, quamvis plenissima sit indulgentia, cui nihil addi possit, pœnas nihilominus non æqualiter condonari universis, qui efficiuot, quæ requirit Pontifex: sed perinde ut iidem minore majoréve pietate, pœnitentia, & charitate instructi, Jubilæi gratiam quærunt: idque præcipuorum Theologorum authoritate comprobavimus. Namque palam negat Altissiodorensis in 4. lib. suæ Summæ Theologicæ, tract. de relaxationibus quæ fiont per claves, q. 3. quem insignes Authores citant & sequuntur, evolare eos in cælum beneficio indulgentiarum, qui non faciunt fructus dignos pœnitentiæ; & in sol. ad 1. In veritate, inquit, multa promittunt Prælati, quæ non solvuntur. Idem seotit Henricus Gandavensis quodlib. ult. q. 14. littera X. cùm sic scribit: Quantitati subsidii & affectûs proportionaliter respondet indulgentia. Et Bonaventura in 4. dist. 20. art. 3. q. 6. apud quem extant hæ propositiones.

Prima: Indulgentiæ, quantùm est ex potestate dantis, tantum valent, quantum promittunt.

Secunda: Indulgentiæ non æqualiter valent omnibus, sed secundùm eastimationem ejus quam habuit, vel habere debuit, qui indulgentiam fecit: quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quòd dona & miserationes sancti Spiritus donentur cum æquo libramine. Non aliter Adrianus in qq. de clavibus, in q. quæ proximè est ad illam quæ incipit *Viso de excommunicatione.* 2. conclus. sequentis quæst. 2. imò hanc rem à superioribus Theologis constitutam indignum est in dubium vocare: quam suis verbis probasse videtur Bonifacius VIII. iu sua Extravag. *de Jubileo. Antiquorum habet relatio.* quæ titulo subjecta est de pœnitentiis & remissionibus, lib. 6. Unusquisque tameo (verba sunt Pontificia) plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas illas ampliùs & devotiùs frequentabit.

Scio aliam mentem fuisse Paludano in 4. dist. 20. q. 4. sed frustra unius conatus contra tot tantosque Theologos. De eleemosyna impertienda hoc item ex sensu & authoritate gravissimorum Authorum tradidimus in illius Jubilæi explicatione, eam esse dignam debere opibus & facultatibus ejus, qui impertitur; cæteroqui fructu carere Jubilæi. Sic prorsus docuerunt D. Bonaventura in eamd. dist. & quæst. Paludanus in eamdem dist. & quæst. §. *Quoad.* 3. Durandus in eamdem dist. 20. quæst. 20. Major in camd. dist. q. 1. proposit. 4. Henricus quodlib. nlt. quæst. 14. litt. X. Adrian. in posteriore quæstione, ex iis quæ suprà citatæ sunt, Sylvester in verbo *Indulgentia.* n. 22. à quo citantur D. Thomas & D. Bonaventura, Angelus in eod. verbo, n. 2. nec ullus quidem unus aliter existimare poterit, qui ad veritatem rationem revocabit. Nam Romanus Pontifex, qui indulgentiarum thesaurum distribuit populo Chri-

stiano, ita dispensat, ut Deum intelligit dispensari velle: Deus autem magis mereri vult de dignioribus, quàm de minùs dignis, & majori misericordia complectitur eos, qui majore misericordiæ & beneficentia pauperes prosequuntur. Ita monebat Christus apud Luc. cap. 6. *Date, & dabitur vobis.* Et, *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Quis autem hominem copiosum & locupletem dare dicat, qui è suo ita restrictè dat, ut dare minimè videatur?

Hactenus Comitolus in Resp. moral. q. 36. pulcherrimè explanavit necessitatem satisfaciendi Deo per opera pietatis, prout cuique indulgentias acquirere cupienti, vires suppetent: quod & alii Authores suprà citati incunctanter asserunt. Si enim nulla satisfactio ab pœnitentibus indulgentias lucrifacere volentibus exigeretur, divinum de satisfactione Deo per opera pietatis exhibendâ, præceptum infringeretur, & abrogaretur funditus, atque adeo indulgentiæ concessio, quæ secundùm jura res est odiosa, quippe quæ relaxat pœnitentiæ rigorem, ut rectè docet & probat Navarrus in tract. de Jubilæo, notab. 9. n. 9. & approbat Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 7. Jam non esset odiosa tantùm; sed etiam perniciosa: quippe homines alioquin Deo per pietatis opera satisfacturos, ad infringendum satisfactionis præceptum, vel rectè vel obliquè induceret eo nomine, quòd ab omni pœna vel in isto vel in altero sæculo exolvenda, simul & semel eximeret. Quæ sensa quantopere decretis Conciliorum summorumque Pontificum adversentur, hactenus meridiano sole clarius ostendimus.

Ex dictis hactenus colligi debent dispositiones, quibus instructos esse oportet eos, qui indulgentiarum beneficio potiri cupiunt. Hujuscemodi dispositionum

Prima est, ut pœnitentes in acquirendis indulgentiis non intendant ab suis cervicibus propulsare dumtaxat pœnas suis peccatis debitas; (hoc enim propositum ex vitioso sui amore proficisceretur) sed spectent ad majorem Dei gloriam, plenioremque ejusdem justitiæ satisfactionem exhibendam, ut arctiùs ad ejus adorandam puritatem adhærescant, abolendo cunctas peccatorum labes & reliquias, ad quas obliterandas indulgentia, verum nostræ pœnitentiæ supplementum, nobis per peculiarem meritorum Christi applicationem opitulatur.

Secunda est, ut imitentur prudentes Christianos, qui, ut ait Bellarminus lib. 1. de Indulgent. cap. 13. sic accipiunt pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. Eos igitur toto vitæ curriculo pœnitentiam colere necesse est, tum ut agant vitam Christianam, quæ ut Concilii Tridentini verbis utar, perpetua pœnitentia esse debet, tum ut sincero Deo satisfaciendi desiderio teneantur, veriti, ne quid prohibuerit quominus pœnæ debitæ relaxationem per indulgentiam assequerentur. Sicut enim monet Spiritus sanctus Ecclesiastici cap. 5. v. 5. *de propitiato peccato noli esse sine metu.* Ita sunt admonendi singuli fideles, sese per indulgentias debitæ relaxationem pœnæ consecutos arbitrati: De condonata pœna noli esse sine metu; tametsi enim per indulgentiam, si lucrifiat, pœna temporalis peccato debita omnino remittatur: certum tamen est, neminem posse resciscere, utrum eam lucrifecerit; siquidem ignorat, utrum ad factitandum tantæ tamque pretiosæ rei quæstum rite comparatus accesserit. Unumquemque ergo saluberrimo illo timore perculsum, vero Deo per pœnitentiam satisfaciendi desiderio flagrare, & reipsa in pœnitentiæ opera incumbere necesse est: siquidem sibi despondere potest per eam vitæ rationem certò satisfieri Deo, & per illam ipsam teterrimorum quorumque peccatorum salutem vel effici vel promoveri: nam, ut ait S. Augustinus, qui pro incertis certam fecere pœnitentiam, certam sunt consecuti misericordiam.

Tertia dispositio pœnitentium ad lucrifaciendas indulgentias contendentium, in eo posita est, ut non solùm in pietatis opera suorum criminum immanitati, multitudinique aliqua saltem proportione respondentia incumbant: sed etiam illa ipsa opera cum fervore perficiant. Nam constat ex Conciliis, & Patribus pro mensura doloris & fervoris ab Episcopis concessas esse indulgentias, id est Episcopos contraxisse, vel produxisse pœnitentiæ tempus habitâ ratione fervoris, quo quisque pœnitens laboriosa pœnitentiæ opera exequeretur & perficeret: id enim passim Concilia statuerunt.

Concilium Nicænum I. can. 12. id decernit: *Quicumque & metu, & lacrymis*, ait, *& tolerantia & bonis operibus conversionem & habitu & opere ostendunt, hi expleto auditionis tempore, quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Episcopo, humanius aliquid de iis statuere.* Quæ verba aliquid pœnitentibus majori ardore & studio laborantibus indulgendum esse declarant, & sequentia confirmant. *Quicumque autem*, ait Concilium, *non adeo graviter tulerunt, nec multùm sua referre existimarunt, satisque esse putarunt in Ecclesias ingredi ad conversionem, tempus impleant.* Id ipsum statuit Concilium Carthaginense IV. c. 75. *Negligentiores pœnitentes tardiùs reconcilientur.* Quod decretum legere est etiam in Capitul. Caroli Magni lib. 5. c. 74. apud Burchardum lib. 19. c. 38. apud Ivonem p. 15. c. 7. apud Gratian. 26. q. 7. c. 6. Ut inde appareat per regulam à contrario deductam, pœnitentibus ferventioribus aliquid pro ratione fervoris indultum esse; negligentibus autem temussis nihil de injuncta secundùm Canones pœnitentia esse condonatum.

Idem decernit Concilium Ancyranum cap. 5. *Statuimus autem, ut Episcopi modo conversationis examinato, potestatem habeant, vel utendi clementiâ, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem, & præcedens vita, & quæ consecuta est, examinetur, & sic eis clementia impertiatur.*

Idem statuit Concilium Laodicenum can. 2. *Eos qui in diversis delictis peccant, & in oratione confessioneque & pœnitentia fortiter perseverant, & se à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miserationes & bonitatem offerri communioni.* Hunc Canonem repetit Ivo Decreti p. 15. c. 56. & Gratian. 26. q. 7. cap. *His qui.*

Concilium in Trullo eadem de re sic Episcopos & Presbyteros admonet can. ult. *Oportet eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo acceperunt, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam, ne si in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat, salute excidat.*

Quod hac in parte Concilia decrevere, Patres studiosissimè retineri voluerunt: quod omnium clarissimè explicat S. Basilius in Epist. ad Amphiloch. cap. 74. *Sin autem unusquisque eorum*, ait, *qui in prædictis peccatis fuere, diligenter & studiosè pœnitentiam exequitur is, cui à Dei benignitate ligandi & solvendi credita est potestas, si fiat clementior in minuendo tempore pœnarum peccatori impositarum, videns summum ejus in iis tolerandis studium, non erit dignus damnatione, cùm sacra Scriptura nos doceant, quòd ii qui majori labore & studio exhomologesin peragunt, Dei misericordiam celeriùs apprehendant.* Hæc S. Basilius.

S. Gregorius Nyssenus eadem cum fratre Basilio

sensa tradit & explicat in Epist. canonica ad Letoium Melitines Episcopum inscripta. Sic enim loquitur can. 4. *In iis autem qui diligentiori confessione usi fuerint, & vita, ad id quod bonum est, reditum ostenderint, licet ei, qui dispensat pro Ecclesiastica œconomia utilitate tempus auditionis contrahere, & celeriùs ad conversionem deducere: & rursus hoc quoque tempus contrahere, & celeriùs communionem reddere, ut sua probatione, ejus cui medela adhibetur, constitutionem dijudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas projicere est vetitum; ita & pretiosâ margaritâ privare eum, qui jam per alienationem à vitio & purgationem homo sit factus, absurdum est.* Et paulò infrà. *In eo autem, ejus etiam cui medela adhibetur, affectio considerabitur, ut vel citiùs vel tardiùs ad boni participationem evehatur.* Sub finem citatæ Epistolæ profert generale effatum. *Ubique in hoc castigationis pœnitentialis genere hoc inprimis consentaneum est intueri, qualis sit ejus, cui hæc infligitur pœna, dispositio, seu animi præparatio, & non existimare tempus ad medelam sufficere; (quanam enim fuerit ex tempore medicina?) sed ejus qui sibi per conversionem medetur, animum & institutum.* Hæc ille.

Dies me deficeret, si omnia Conciliorum & Patrum hac de re effata huc congerere vellem: sufficiat canon 34. Concilii Cabilonensis sub Carolo Magno habiti: *Non est pensanda* (inquit) *pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.* Hæc ibi.

Quisquis ergo indulgentiam lucrari voluerit, rectam habeat intentionem, pietatis operibus, suorum scelerum qualitati quodammodo respondentibus non segniter, sed ardentiùs incumbat, & dubio procul consequetur indulgentiam, seu relaxationem pœnæ peccatis debitæ tam in hoc sæculo, quàm in altero, id est in purgatorio persolvendæ. Quod nisi fieri diceremus, impugnaremus privilegium Petro datum, cui dictum est, ut quod in terra remitteret, in cælo remitteretur. Unde remissio quæ fit, quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei: & præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quàm adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo duntaxat à pœnitentiis injunctis, ut disertè asserit S. Thomas Supplem. q. 25. art. 1. in corp.

Est tamen hoc loco animadvertendum, indulgentias, quæ conceduntur in hac vita, immediatè & principaliter liberare à debito pœnæ subeundæ in hac vita; mediatè verò & quasi secundariò à debito pœnæ subeundæ in purgatorio, ut affirmat Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 7.

Quarta dispositio ad lucrifaciendas indulgentias necessaria, posita est in vera cordis puritate, quæ est conjuncta cum vera tam mortalium peccatorum, quàm venialium detestatione; cum recessu ab omni occasione, quæ nos in priora peccata inducere valeat; cum sincero proposito subjiciendi se clavibus Ecclesiæ, & implendi omnia, quæ ab earumdem clavium ministris fuerint imperata; cum sincera proximi dilectione; cum vera acceptarum injuriarum condonatione, & infucato hostium amore; cum mente ab aliis, præter Deum, rebus expedita; cum voluntate ejus voluntati prout nostræ (licèt imbecillitati) subdita; cum casto timore ejus iræ nostra ingratitudine & perfidia toties lacessitæ; cum amantissimo illi usquequaque placendi proposito. Mens denique adjunctam habeat intentionem indulgentiæ comparandæ, ut illi simus acceptiores, nec quicquam supersit in nobis, quod nos ab ipso removeat, quale est debitum pœnæ, vel æternæ, vel temporariæ, seriùs ocyùs in isto vel in altero sæculo persolvendæ.

Et hactenus de dispositionibus ad consequendam indulgentiam necessariis, non ex nostro, sed ex Conciliorum summorumque Pontificum genio philosophati egimus. Quisquis ergo Deo verè satisfacere, atque indulgentiam consequi cupierit, seriò volutet mente quæ retulimus, & inprimis pulcherrima effata quæ pronuntiat S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 8. *Ergo & agendam pœnitentiam*, ait, *& tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tamen tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. Aliud est enim mereri, aliud præsumere. Tanquam ex syngrapha fides impetrat: præsumptio autem arroganti proprior est, quam roganti. Prius solve debitum, ut quod speraveris, impetrare merearis. Solve boni affectum debitoris, ut usuram non facias; sed fidei tua censu contracti nominis fœnus evacues. Plura solvendi habet subsidia; qui Deo, quàm is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præstò est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet, quæ vendat, habet quæ solvat. Oratio, lacryma, jejunium, debitoris boni census est, multoque uberior, quàm si quis ex pretiis fundorum sine fide deferat. Denique pauper erat Ananias, cùm vendito agro pecuniam deferret ad Apostolos; unde nec solvere se potuit, sed implicare. Dives illa vidua, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, de qua dictum est: Hæc vidua paupercula plus omnibus misit. Non enim pecuniam Deus, sed fidem quærit.* Hactenus Ambrosius insigniter explanavit varia Deo satisfaciendi subsidia, si modò ad illa, fides quæ per dilectionem operatur, accesserit.

Ergo ut unde cœpit, ibi nostra desinat de indulgentiis tractatio, summi Pontifices concedunt indulgentias hominibus verè duntaxat contritis & pœnitentibus: quibus verbis, sicut & toti tractationi fastigium imponet S. Ambrosius sermon. 35. de modo verè agendi pœnitentiam, ubi sic loquitur: *Ecce quid facit pœnitentia homini peccatori, qui dum in stercore jacet, cum principibus sublimatur. Pœnitentem hominem dico, qui plangit quod peccaverat, & rogat Dominum, ut non iterum faciat, quod admiserat. Pœnitentem hominem dico, qui diebus ac noctibus ingemiscit, & cum Propheta dicit: Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis. Pœnitentem hominem dico, qui repellit quod malè fecerat, & rogat Dominum, ut veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod antè neglexit, & quod fecerat mali, deserit. Adhæreant ergo tibi quæ bona sunt; & quæ mala, deleantur. Si pœnitentiam non egeris, incides in manus Domini secundùm severitatem judicii ejus, quod cavere debemus. Nam, dicit Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Et infrà. *Dic ergo: Commisi mala, & reverenter bona: fac etiam dignos fructus pœnitentiæ, & ne dixeris, Peccavi, quid factum est mihi triste?*

Hactenus S. Ambrosius graphicè depingit hominem indulgentiæ maturum & parem. Nam, ut paulò pòst ait, *Ecce pœnitentia hominis se humiliantis, quomodo non veniam habebit, qui talia ingemiscit? quis audiat illum, & non moveatur? qui enim se humiliat, exaltabitur, sicut & qui se exaltat, humiliabitur.* Hæc ille.

Hactenus de indulgentiis, quæ quidem cùm hominibus pœnitentiæ publicæ labores obeuntibus primitus concessæ & potissimùm fuerint, non erit ab nostro proposito alienum de eadem pœnitentia publica quæstiones aliquot instituere, ut appareat, quàm ægrè & quàm meritò viris graviori pœnitentia, magna ex parte perfunctis, impertirentur indulgentiæ. Sit itaque

Quæstio LXX.

Unde Ecclesia pœnitentiæ publicæ fidelibus imponendæ consuetudinem hauserit?

RESPONDEO, Ecclesiam pœnitentiæ publicæ post baptismum lapsis imponendæ consuetudinem, ex Apostolicæ traditionis fontibus hausisse. Quod liquidò probatur ex cap. 5. 1. ad Corinthios, in quo Apostolus incestuosum Corinthium publicæ pœnitentiæ addixit his verbis: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & mea spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Per hæc verba, incestuosum illum tradidisse Satanæ in interitum carnis, id est, excommunicationis anathemate perculisse Apostolum, & ad pœnitentiæ publicæ labores obligasse, tota traditio contestatur.

Ita Zephyrinum summum Pontificem & Ecclesiam Carthaginensem hunc Apostoli locum intellexisse, affirmat Tertullianus lib. de pudicitia cap. 13. *Hic jam carnis interitum*, inquit, *in officium pœnitentiæ interpretantur, quòd videatur jejuniis, & sordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando satis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, imò incestuosum illum non in perditionem Satanæ ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ob interitum, id est conflictationem carnis consecuturum.* Hæc ibi Tertullianus, qui sensum Ecclesiæ refellendum profert, quippe qui jam ab Ecclesia ad hæresim deflexerat.

Id ipsum asserit Origenes hom. 24. exeunte in Leviticum: *Quod dixit*, (Apostolus) *in interitum carnis, hoc est, in afflictationem corporis, quæ solet à pœnitentibus expendi, eumque carnis interitum nominavit, qui tamen carnis interitus, vitam spiritui conferat.*

Ita & hunc Apostoli locum intellexit S. Pacianus in Paræn. ad pœnitent. & Epistol. 3. ad Sympronian. Ita & intelligit S. Ambrosius exeunte lib. 2. de pœnitentia: *Interitus*, ait, *non consummatam absumptionem carnis significat, sed castigationem. Sicut enim mortuus peccato, Deo vivit; ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus moritur caro.* Hæc ibi. Est igitur tradere in interitum carnis, aliquem excommunicationis pœnâ afficere, & ad pœnitentiam obligare, ut videre est apud S. Aug. lib. de fide & operib. cap. 26.

Eumdem, quem hîc astruimus, sensum, perspicuè tradit idem S. Augustinus lib. 3. contra Epist. Parmeniani, c. 1. ubi allatum Apostoli locum sic illustrat: *Quid ergo agebat Apostolus, nisi ut per interitum carnis saluti spiritali consuleret, ut sive aliquâ pœnâ vel morte corporali, sicut Ananias & uxor ejus ante pedes Apostoli Petri ceciderunt; sive per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam, quia ipse item dicit: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: inter quæ & fornicationem commemorat. Et iterum: Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: non tamen fraternam ab eo separat charitatem, quem de fraterna congregatione præcipit separari.* Hæc ibi S. Augustinus, de cujus, sicut & cæterorum Patrum, sententia constat, incestuosum illum fuisse excommunicationis pœnâ multatum, (quâ passim omnes lethali flagitio constricti multari consueverant) & ad subeundos pœnitentiæ labores obligatum.

Hujus hominis pœnitentiam fuisse publicam, id est spectante tota Corinthiorum Ecclesia peractam, clariùs indicant Apostoli verba, quàm ut probari debeat. Unde concludimus, pœnitentiam publicam, nonnisi ex Apostolica traditione, esse inter Christianos Catholicos institutam.

Cujus rei veritas etiam pellucet ex historia quam refert Eusebius Pamphyli lib. 3. Ecclesiast. Hist. c. 23. Nam ibi commemorat, S. Joannem seu discipulum quem diligebat Jesus, cum accessisset ad urbem, Epheso ab civitate haud longè dissitam, visum quem jam juvenem procero corpore, eleganti vultu, & ardenti vividaque indole præditum, Episcopo quem ordinaverat, coram universa Ecclesia, & sub testimonio Christi studiosissimè commendasse; cùmque ejusmodi adolescens sese præceps capessivisset ad furta & homicidia, tandem quæsitum ab Apostolo, ab eodem in Ecclesiam esse reductum, & ad publicam pœnitentiam obligatum; ita ut amoris discipulus, partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis unà cùm juvene jejuniis simul decertans, omnibus denique verborum illecebris animum ejus demulcens, non priùs abscesserit, quàm illum restitueret Ecclesiæ, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum regenerationis documentum, & egregium conspicuæ resurrectionis trophæum omnibus ostenderit. Hæc Eusebius.

Ex duabus illis historiis, quarum una ex sacris Litteris est excerpta, altera verò ex Annalibus Ecclesiasticis repetita, duo colligimus, quorum

Primum est, Apostolos, peccatores per publicam pœnitentiam reconciliasse, atque adeo nihil eos aberrare à vero, qui publicam pœnitentiam nonnisi traditione Apostolica in Ecclesiæ praxim inductam esse affirmaverint.

Secundum est, in ipsis Ecclesiæ primordiis, non tantam adhibitam esse severitatem erga pœnitentes, neque tantopere productum esse pœnitentiæ tempus, quantopere postea productum est. Nam reipsa usque ad Montanum hæresiarcham, leviorem brevioremque fidelium pœnitentiam extitisse, tam ex Apostolorum, quàm Ecclesiæ post Apostolorum obitum consecutæ, praxi discimus. Nam S. Paulus Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis eodem anno, quo scripta est & missa prior ad Corinthios Epistola, id est anno Redempt. 57. ab ejusdem passione 24. & absolutus & reconciliatus est eodem anno. Nam secunda ad Corinth. Epistola eodem anno, id est circa annum Christi 57. & ab ejus morte 24. ex Macedonia scripta, & per Titum & S. Lucam ad eosdem Corinthios missa. Unde conficitur, inter incestuosi Corinthii pœnitentiam, & reconciliationem non intercurrisse annum integrum, & post aliquot mensium pœnitentiam, per Apostolicam, & Ecclesiæ, quæ erat Corinthi, indulgentiam, esse reconciliatum, ne abundantiori tristitia absorberetur. Ideo S. Aug. lib. 3. cont. Epist. Parmen. cap. 2. ita loquitur: *Sicut adhibet* (Apostolus) *peccanti damnationem, sic correcto atque trementi, atque humilianti in pœnitentia cor suum, vult reddere consolationem.* Hæc ibi.

Sicut igitur ille Corinthius primus est, quem Scriptura publicæ pœnitentiæ addictum esse narrat, ita & illum primum indulgentiâ donatum esse, commemorat.

Quod spectat ad juvenem illum ab Apostolo Joanne Ecclesiæ restitutum, omnibus doctis fit verisimile, paucis mensibus eum pœnitentiæ laboribus esse perfunctum. Cùm enim Apostolus rediisset in illam ipsam urbem, in qua illum eumdem juvenem Episcopo commendaverat, eò cujuspiam necessitatis, lustrandæ forsan ejus Ecclesiæ, causâ evocatus, cùm omnium Ecclesiarum Asiæ cura & sollicitudo penes illum excubaret, ibi diu non potuit commorari, atque adeo impositam ejusmodi adolescentulo pœnitentiam brevi absolutam fuisse oportuit. Nam, ut

est apud Eusebium, inde proficisci noluit, quin illum legitimâ pœnitentiâ expiatum in Ecclesiæ communionem restitueret.

Exeunti huic de pœnitentia dissertationi, aliquot de pœnitentiæ gradibus olim usurpari solitis, quæstiones adtexendo operæpretium facturum me judicavi, ut inde & Sacerdotes in injungendis, & pœnitentes in exequendis pœnitentiæ operibus, sese ad Ecclesiæ mentem, quanto possent studio, componerent. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXXI.

Quo præsertim tempore quatuor pœnitentiæ gradus in Ecclesia vigere ceperint.

Huic quæstioni ut perspicuè satisfiat, observandum est, exteriorem Ecclesiæ disciplinam circa pœnitentes pro ratione temporum & personarum variasse; ita ut illa ipsa Ecclesia cum pœnitentibus quibusdam temporibus indulgentiùs, aliis autem severiùs egerit. Nam

1°. Mitiorem sese pœnitentibus præstitit ab ipsis Apostolorum temporibus, usque ad Montanum.

2°. A Montani temporibus, usque ad Novatum paulò severiùs cum iisdem pœnitentibus actum est.

3°. A Novato usque ad VII. sæculum longè severiorem disciplinam Ecclesia in pœnitentes exercuit.

4°. Eamdem, vel etiam majorem severitatem erga eos adhibuit ab VII. sæculo ad XI. ad cujus finem eamdem severitatem accuratissimè retinuit.

Quas observationes, quia ad intelligendam veteris disciplinæ rationem maximè conferunt, breviter & solidè discutere necesse est. Sit itaque

Prima propositio.

Constat ex SS. Patribus, ab Apostolorum temporibus usque ad Montanum, laboriosa pœnitentiæ opera mitiùs & breviùs fuisse pœnitentibus injuncta. Cùm enim Episcopi Apostolicis temporibus proximi, & Apostolico Spiritu pleni, pœnitentiæ labores non tam temporis diuturnitate, quàm contritionis vehementiâ metirentur, verisimillimum est, brevì expetitam reconciliationis gratiam impertiisse plerisque omnibus, quos verè contritos, id est offensi numinis amore perustos, & implacabili peccati odio percitos, in prompta debitæ satisfactionis opera strenuè incombere adimadverterent.

Hanc nempe regulam minuendæ pro contritionis vehementia pœnæ didicerant ex Apostolo 1. Cor. 5. qui quidem incestuosum Corinthium tradiderat Satanæ in interitum carnis, id est jejunia, chameunias, id est humi cubationes, adgeniculationes, saccum, cinerem, & alia id genus opera pœnitentibus, è consortio fidelium expulsis imponi solita, injunxerat, ut constat ex Tertulliano lib. de pudicitia cap. 13. ex Origene hom. 14. in Levit. ex S. Paciano in Paræn. ad pœnitent. & in Epist. 3. ad Sympronian. & ex S. August. lib. 3. contra Epist. Parmen. cap. 2. Illum, inquam, incestuosum tradiderat Satanæ in interitum carnis, id est inflixerat ejusmodi viro excommunicationis pœnam, & pœnitentiæ labores pro doloris magnitudine subeundos imposuerat; verùm, ut colligere est ex 2. ad Corinth. cap. 2. illi ipsi incestuoso parci imperat: *Sicut enim adhibet peccanti damnationem, sit correcto atque trementi, atque humilianti in pœnitentia cor suum, vult reddere consolationem,* ait S. Aug. loco proximè laudato.

Ac reipsa quidem nondum ab excommunicatione in ipsum ab Apostolo prolata, unus annus effluxerat, cùm ab eodem in Ecclesiæ communionem restitutus est: siquidem & ei aliquid donavit in persona Christi, & ad aliquid ei donandum, & confirmandam in illo charitatem, Corinthios adhortatus est, ne vir ejusmodi abundantiori tristitia absorberetur; & præterea ne Satanas semetipsum, & Corinthios, aliquem è Christianis sibi per desperationem usurpando circumveniret.

Id ipsum, id est brevem pœnitentiam adolescenti, quem sua improbitas teterrimum prædonum ducem effecerat, injunctam esse ab sancto Joanne Apostolo, & eâ peractâ ab eodem in perfectam & integram Ecclesiæ communionem esse restitutum, ex Eusebio superiori capite retulimus.

Id ipsum confirmat exemplum Natalii, ut commemorat Eusebius lib. 6. cap. ult. qui cùm seductus esset ab hæreticis, apud quos episcopatum gesserat, nec ab iis divinitus admonitus recederet, ab Angelis per noctem verberibus acerrimè cæsus, rediit ad sanam mentem, & fidem, se quippe abjecit ad pedes Zephyrini Pontificis, & Cleri, & laïcorum, & toto habitu ad commovendam misericordiam composito, brevì quidem, sed ægrè admodum denuo in Ecclesiæ communionem est admissus.

Revera breve tempus primis illis sæculis pœnitentiæ laboribus assignatum esse, perspicuè docet Tertullianus lib. de pœnit. cap. 10. *Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras: æquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facilè imperatur semper, quod Filius postulat.* Quæ postrema Tertulliani verba turpi mendacio viderentur infuscata, si reconciliationis gratia ab pœnitentibus expetita, in septem, aut decem, aut viginti, aut in plures etiam annos protraheretur.

Hoc ipsum luculenter astruit idem Tertullianus ejusdem libri de pœnitentia cap. 8. ubi de patre reducem prodigum amplectente magnificè prædicat, quique nullâ interpositâ morâ, priori stolâ eumdem patris desertorem, sui patrimonii helluonem, imò gurgitem, & omnium libidinum asseclam, indui jubet. *Citò*, inquit, *proferte stolam primam. Quis ille nobis intelligendus pater*, ait Tertullianus? *Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, & si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate latabitur: sed si pœniteat ex animo, &c.*

Et hac de re hactenus: jam ad Montani tempora transeamus. Esto itaque

Secunda propositio.

Exorta Montanistarum hæresi, Ecclesia severiorem in pœnitentes disciplinam exercuit, ut sibi divinitus concessam quælibet peccata, quantumvis gravia, remittendi potestatem ostenderet, si modò converterentur peccatores ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, suaque flagitia condignis pœnitentiæ fructibus expiare contenderent.

Revera Ecclesia severiùs pœnitentes habuit ad debellandam illam hæresim, quæ post baptismum in aliquod lethale flagitium lapsis, unam duntaxat desperationem afferre poterat. Montanus nimirum immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit, ut commemorat S. Hieronymus scribens ad Ctesiphontem adversus Pelagianos.

Perfidus scilicet transfuga, ut suis commentis & erroribus quantam maximam authoritatem conciliaret, sese Paracletum appellari voluit ab suis sectatoribus;

ribus; eo quòd pari ad insolentiam amentia se Spiritum sanctum Apostolis ab Christo promissum accepisse, & pleniùs, quàm ab Apostolis esset factitatum, cum aliis impertiri prædicaret. Qua de re ita S. Hieronymus tom. 2. Op. Epist. 54. ad Marcellam adversus Montanum: *Aperta est convincenda blasphemia dicentium, ait, Deum primùm voluisse in vetori Testamento per Moysen & Prophetas salvare mundum; sed quia id non poeuerit explere, corpus sumpsisse de Virgine, & in Christo sub filii specie prædicantem, mortem obiisse pro nobis; & quia per duos gradus mundum salvare nequiverit, ad extremum Spiritum sanctum in Montanum, Priscam, & Maximillam insanas fœminas descendisse, & plenitudinem quam Paulus non habuerit, dicent: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; & : Nunc videmus per speculum in ænigmate; abscissum & semivirum habuisse Montanum.* Hæc ibi.

Huc accedit, quòd ille ipse tot hæreseon sator, Pepuzam, & Tymium Phrygiæ oppidula, Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homines eò convocaret, ut refert Eusebius lib. 5. Hist. Eccles. cap. 18.

Montanistæ igitur à Montano dicti, à Phrygia gente, è qua Montanus, & ejus prophetissæ Priscilla, & Maximilla erant oriundi, Cataphryges appellati, ab Pepuza Phrygiæ oppido Montani ortu notissimo, Pepuziani denominati, emersere circa annum Redemptoris 173. & plurimas in Ecclesiam hæreses invehere sunt conati, & inprimis (quod ad rem nostram pertinet) omnem reconciliationis aditum peccatoribus intercluserunt. Quod egregiè declarat S. Hieronymus laudatâ Epist. 54. ad Marcellam: *Illi* (Montanistæ) *ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores: nos quotidie legimus: Malo peccatoris pœnitentiam quàm mortem; & : Numquid qui cadet, non resurget, dicit Dominus?* Et paulò pòst: *Rigidi autem sunt, non quòd & ipsi pejora non peccent; sed hoc inter nos & illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata, quasi justi: nos dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.* Hæc ille.

Porrò Montanistæ tot tantisque præstigiis suos errores populis propinaruot, ut illos ipsos quos suarum hæreseon expugnatores experti fuerant, earumdem defensores efficerent. Testis esto miserabilis ille Tertullianus, qui in calce lucubratissimi operis de Præscriptione, quo hæreticorum omnium artes, convertit in crudele dogma, cùm abrogavit Ecclesiæ potestatem reconciliandi lapsos post baptismum in mœchiam, homicidium, idololatriam & alia id genus monstra (tametsi pœnitentiam agerent) & asseruit eos ad Dominum remitti oportere, à quo ipsi veniam exorarent. Inde factum est, ut Zephyrinum Pontificem maximum ob concessam mœchis veniam acriùs sugillaret, ut videre est in lib. de Pœnit. Usque adeo verum est è traditionum firmitate semel alterutro pede convulso in abrupta hæreseon facilè quempiam impelli: ut miserrimo Tertulliano vidimus accidisse, ut observat Baronius in ann. Ch. 217. n. 7.

Hoc posito, observandum est, sicut jam ab pluribus eruditis observatum est, pœnitentiæ disciplinam fuisse severiorem à Montano usque ad Novatum, pœnas tamen, licèt majores, quàm antea, admodum tamen breves extitisse, ut ex variis Cypriani locis, ex Cornelio Pontifice maximo, & Clero Romano perspicuè colligi potest.

Tertia propositio.

Novatiani, qui anno Redemptoris 254. emersenunt, recoctam Montanistarum hæresin, larvatæque & ementitæ puritatis imagine velatam, tam callidè fidelibus obtruserunt, ut brevissimo tempore Orientem Occidentemque pestifero dogmate infecerint, & præterea conflato adversus Cornelium schismate, plurimos variis in locis revulserint ab Ecclesiæ Catholicæ sinu.

Verùm in teterrimam hanc Novatianorum sectam paulò accuratiùs inquirere, non abs re fuerit.

Quod ut fiat egregiè, duo præsertim sunt indaganda.

Primum, quis hujus hæreseos author & sator extiterit, & qualibus moribus fuerit.

Secundum, in quo præsertim errore constiterit illa ipsa hæresis.

Quod spectat ad primum caput, constat apud eruditos, hanc hæresim ascribendam esse Novato & Novatiano: (quos nonnulli Authores perperam confundere videntur) Novato quidem, ut primo illius authori; Novatiano autem, ut ejusdem vindici & assertori. Duos extitisse Sacerdotes & hæreticos Novatum & Novatianum probant S. Cyprianus Epist. 43. & 49. ad Cornelium; & S. Pacianus Epist. 2. & 3. Quod & patet ex eo quòd sit perspicuum, Novatum Africanum fuisse, & S. Cypriani Presbyterum, nusquam verò Episcopum extitisse; (ut mox videbimus) Novatianum autem Romanum fuisse Presbyterum. Utriusque igitur mores discutere juvabit, ut quid aliud præter virulenta dogmata, & opera ab profligatis hominibus expectari posset, luculenter appareat.

S. Cyprianus Epist. 49. ad Cornel. Pont. max. de Novati sceleribus inscriptâ, teterrimam ejus indolem & vitam graphicè depingit. *De Novato*, ait, *nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cùm magis per nos vobis debeat Novatus ostendi, rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper istic Episcopis malè cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus, omnium Sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad facienda fidei naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus.* Et paulò pòst. *Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ & schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit.* Et in calce ejusdem Epistolæ: *Spoliati ab illo* (Novato) *pupilli, fraudata vidua, pecunia quoque Ecclesiæ denegata has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus: uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cùm sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est. Hanc conscientiam criminum jampridem timebat, propter hoc se non de Presbyterio excitari tantùm, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & urgentibus fratribus imminebat, cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam evadendæ & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit, & miscuit; ut qui ejici de Ecclesia, & excludi habebat, judicium Sacerdotum voluntariâ discessione præcederet, quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam.* Ecce tibi virum vel monstrum doctissimo gloriosissimi Martyris penicillo depictum, quem ideo nusquam ad Episcopalem amplitudinem provectum esse, jure ac meritò credideris.

Revera nusquam Episcopus fuit: licèt id S. Cyprianus in Epistola proximè laudata id innuere videatur his verbis. *Qui istic* (Carthagine) *adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic* (Romæ) *Episcopum fecit.*

Ista Cypriani verba non ita sunt accipienda, quasi Novatus Felicissimum ad Diaconatum Carthagine Episcopali authoritate provexerit: (neque enim ea unquam authoritate præditum fuisse constat) sed ita sunt interpretanda, ut dicamus illum ipsum Novatum Felicissimum satellitem suum, Diaconum, nec

De Sacram. Cc

permittente S. Cypriano, nec sciente sua factione, & ambitione constituisse, ut testatur sanctus ipse Cyprianus, id est ab aliquo Antistite suæ factioni fortè non infenso, aut Ecclesiasticorum Canonum ignaro, impetrasse, ut Felicissimum in Diaconum ordinaret. Quæ responsio clariùs elucescet, si dicamus, eumdem Novatum non consecrasse Novatianum in Romanum Episcopum, sed dolis & strophis, & impactis in Cornelium verum Pontificem calumniis, id tandem effecisse, ut à tribus Episcopis imperitis vel factiosis ordinaretur.

Ac reipsa quidem Novatum non per se, sed per Antistites aliunde evocatos, Novatianum in Antistitem Romanum inaugurasse, liquidò declarat Epistola Cornelii summi Pontificis ad Fabium Antiochenum Episcopum inscripta, quam legere est apud Euseb. lib. 6. Hist. Ecclef. cap. 43. ex editione Henrici Valesii. Sic enim loquitur idem Cornelius Pontifex maximus: *Egregius ille vir* (Novatianus ab Novato ad intervertendum quoquo modo Episcopatum impulsus) *qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se episcopatum non concupiscere: repentè tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et is qui se doctorem & Ecclesiasticæ doctrinæ propugnatorem ferebat, cùm episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deplorata salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam & vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices fraudulenta quadam molitione deciperet; constantissimè affirmans ipsos quamprimùm Romam proficisci oportere, ut omnis undequaque orta discordia, ipsorum unà cum aliis Episcopis interventu & arbitrio sedaretur. Qui cùm advenissent homines, ut diximus, simplicioris ingenii, nec in dijudicandis perditorum technis fallaciisque satis oculati: eos ille à quibusdam sui similibus, quos eum in finem adornaverat, inclusos horâ decimâ temulentos, & crapulâ oppressos adumbratâ quadam & inani manuum impositione, sibi Episcopatum conferre adhibitâ vi subigit: quem dignitatis gradum nullo sibi jure competentem per dolos & insidias intervertit, nec multò post unus ex illis Episcopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis ac fletibus confitens.*

Ex his Cornelii Pontificis verbis conficitur, Novatum non fuisse Episcopum, siquidem Novatianum, quem sui erroris socium & assertorem asciverat, dubio procul in Episcopum Romanum consecrasset, tum ut illum sibi arctiùs devinciret, tum ut latiùs ejus opera & ministerio ex pontificiæ authoritatis arce, suæ hæreseos venena diffunderet.

Huc accedit, quòd omnes veteres Novatum Presbyterum dumtaxat, non Episcopum appellaverint. S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist. 3. ad Sympronian. Novatianum. *Tum fortè quidam Presbyter Novatus ex Aphrica fraudatis in Carthaginensi Ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecuniâ Ecclesiæ denegatâ, projecto extra domum patre, & eodem fame mortuo, nec sepulto, uxoris gravida utero calce percusso, partuque ejus effuso Romam venit.* Hæc ibi sanctus Pacianus affirmat.

S. Hieronymus in lib. de Scriptor. Ecclesiast. ita de Novato loquitur: *Hujus hæresis* (Novatianorum) *author Novatus Cypriani Presbyter fuit.* Id etiam contestatur Eusebius in Chronico, ubi ait: *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens Novatianum & cæteros Confessores sibi sociat, eo quòd Cornelius pœnitentes apostatas recepisset.*

Nunquam ergo Novatus ad Episcopatum provectus est, quicquid dicant nonnulli recentiores, qui rem hanc non satis expenderunt. Et profectò divina providentia hunc virum, imò monstrum ex omnium scelerum importunitate conflatum, in Episcopum assumi noluit, ne tantæ fastigium dignitatis suâ improbitate dedecoraret, & episcopali authoritate fretus virulenta depravatæ mentis commenta latiùs audaciùsque disseminaret.

Tantum malum ab eo metuendum fuisse declarat perturbatio rerum, quam Romæ, id est in ipsa religionis arce concitavit: cùm apud Carthaginem, ut commemorat S. Pacianus Epist. 3. ad Sympronian. *urgentibus in Ecclesia fratribus, dies cognitionis ipsius immineret, & hic latitavit. Nec multò post Novatianum ipsum Episcopatu Cornelii anxium, (nam sibi speraverat) cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid speret, hortatur. Invenit aliquot ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserunt, apud quos hanc ipsam de lapsis receptis Cornelio inflaret invidiam, dat eorum epistolas ad Novatianum. Ille ex authoritate epistolarum sedente jam Romæ Episcopo* (Cornelio) *adversum fas sacerdotii singularis, alterius Episcopi sibi nomen assumit: Cornelium lapsis communicasse arguit, se vendicat innocentem.* Hactenus S. Pacianus, qui perspicuè tradit, Novatum, quem S. Cyprianus appositè nominat facem & ignem ad conflanda seditionis incendia, & turbinem & tempestatem ad facienda fidei naufragia, ut suprà vidimus, Novatianum ad usurpandum Episcopatum impulisse; tametsi multis nominibus, & impedimentis canonicis arceretur ab Episcopatu. Nam, ut affirmat Cornelius in Epist. ad Fabium Antiochenum Episcopum inscripta, ab Eusebio loco superiùs laudato relata, *tardiùs in Ecclesiam venerat, nulla pro ejus defensione certamina subierat, nullis periculis religionis causâ conflictatus fuerat. Quippe cui causam atque initium credendi præbuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commeratus. Cumque ab Exorcistis adjuvaretur, incidit in gravissimum morbum, & dum mox moriturus crederetur, in ipso, in quo jacebat lectulo, perfusus baptismum suscepit: si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque ut è morbo recreatus est, reliqua, quæ juxta Ecclesiasticam regulam ab unoquoque sunt percipienda, percepit, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum accipere potuit?* Et aliquantò pòst. *Qui persecutionis*, inquit, *tempore præ metu ac nimia vivendi cupiditate Presbyterum sese esse negavit. Admonitus enim, & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo in quo seipsum incluserat, fratribus destitutis, auxilio succurreret, tantum abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin potius ira, & indignatione percitus abiit ac discessit. Neque enim Presbyterum se ampliùs velle esse respondit, sed alterius Philosophiæ desiderio teneri. Paucis deinde transcursis hæc iterùm subjungit. Nam cùm egregius ille vir deseruisset ab Ecclesia Dei, in qua post susceptum baptismum Presbyteri gradum fuerat adeptus, idque per gratiam Episcopi, qui illum impositione manuum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm omnis Clerus, multique ex populo refragarentur, eo quòd non liceret quemquam ex iis* (Clinicis) *qui urgente morbi vi in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in Clerum assumi: postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ab sese ordinari paterentur.* Post hæc facinus quoddam subjungit, omnium, quæ unquam perpetraverit, immanissimum, ita scribens: *Etenim oblatione facta, portionem singulis dividens: dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejusmodi portionem accipientis ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quàm jurati ista dixerint:* (ipsis enim utar illius verbis) *jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miserandus ille non prius gustare sinitur, quàm sibi ipse malum sit imprecatus. Et cùm panem illum accipiens dicere deberet, Amen; ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.* Et post alia rursus hæc addit: *Scias porrò illum jam nudatum ac*

pene solum remansisse, fratribus quotidie ab eo recedentibus & redeuntibus ad Ecclesiam. Hactenus Cornelius in Epistola jam sæpe laudata, ex qua conjicere est, quàm perditis & profligatis moribus esset ille Novatianus, quem ideo Dæmon ad infringendam sacerdotalis unitatis concordiam, veluti satellitem suis machinationibus exequendis idoneum ascivit. Nec Dæmonem sua fefellit opinio : nam, ut ait S. Hieronymus adversus Novatianos, *Novatianus urbis Romanæ Presbyter adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus est invadere.* Et S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 15. *Episcopatus amissi dolore succensus Novatianus schisma composuit.*

Ecce tibi primum caput, quo viros teterrimos, utpote ex omnium scelerum colluvione concretos, adumbravimus iis coloribus, quibus olim à SS. Patribus expictos esse meminimus. Jam ad eorum dogmata omnium sæculorum detestatione prosequenda, transire necesse est. Quod ut præstetur, observandum ex S. Paciano Epist. 1. ad Sympronian. *Novatianorum tam multiplicem & diversum esse errorem, ut non hoc unum in illis quod contra pœnitentiam sapiunt, sed quasi quædam capita Lernæa credenda sint.* Et infrà : *Montanum & Maximillam & Priscillam secuti*, (Cataphryges seu Novatiani) *quàm multiplices controversias excitarunt de Paschali die, de Paracleto, de Apostolis de Prophetis, multaque alia, sicut & hoc de Catholico nomine, de venia pœnitentiæ.* Hæc ille.

Inter tot errores, quorum refutatio non est bujus loci, in eum dumtaxat, qui pœnitentiæ sacramentum labefactat, ad nostrum propositum accommodatè inquirimus.

Sancti Patres, qui Novatianorum hæresim litteris prodiderunt, in eo consentiunt, quòd nullam eorum pœnitentiam admitterent, qui post baptismum in aliquod lethale flagitium sese implicaverant. Novatus Africanus & S. Cypriani Presbyter dumtaxat, & nunquam ullius Ecclesiæ Episcopus, peccatis omnibus, etiam levioribus, remissionis aditum intercludit, nullumque peccatum à baptismo commissum posse ab Ecclesia condonari, animo hæretico, id est pertinaci, asseruit; imò nullam peccatori pœnitentiam injunxit, ut non ligaret, quod ei solvere nefas esset, ne quis ab eo ligatus ab eodem se absolutum iri, sperando præsumeret; ideoque uni Deo, penes quem unum, esset peccatorem reconciliandi facultas, remitti oportere, innatâ hæreticis pertinaciâ docuit.

Novatianus verò primò accesserat ad sententiam eorum, qui (quod Catholica ab omnibus retro sæculis Ecclesia docuit) lapsos in communionem fidelium peractâ pœnitentiâ oportere restitui credebant, sed postea cùm arderet incredibili Episcopatûs desiderio, ideoque linteatam sedem (id est episcopalem, ab linteis quibus ornabatur, ita dictam) omni contentione invadere conaretur, & non posset; tandem de omni Episcopatus adipiscendi spe dejectus, adversus Cornelium Pontificem legitimum, schisma conflavit, ipsumque schisma teterrima hæresi cumulavit : negavit quippe Ecclesiam lapsos in idololatriam post baptismum posse reconciliare Deo, licèt leviora peccata ab ea remitti posse crederet, graviora autem ab illa ipsa perpetua pœnitentia ligari, non autem condonari posse dictitaret; atque ita tametsi lapsos hortaretur ad satisfactionis pœnitentiam, subtrahebat de satisfactione medicinam. Inde contigit, ut immites Novati Novatianique sectatores, negantes concessam Ecclesiæ remittendorum (quæ admissa fuerant post baptisma) criminum potestatem, concessum eidem reconciliationis munus Domino refunderent.

Verùm ut ejusmodi hominum pernicialis doctrina magis eluceat, nonnulla sunt observanda.

Primò observandum, Novatianos hæreticos extitisse in eo, quòd pertinaciter assererent Ecclesiam Dei nulla pollere authoritate, quâ peccata lethalia post baptismum admissa remittere, atque adeo lapsos offenso Deo reconciliare valeret. Non ergo hæretici sunt appellati, quòd lapsos à baptismate ab ecclesiastica pace arcerent; sed quòd divinam peccata, quamtumvis atrocia, remittendi potestatem ipsi Ecclesiæ Catholicæ pari ad protervium pervicacia abrogare contenderent. Quod certissimum est : alioquin (quod affirmari non potest) fatendum esset, Ecclesiam prioribus sæculis in errore versatam esse, quippe quæ nullis peccatorum generibus veniam & remissionem omni ex parte denegaret.

Secundò advertendum est, Novatum primum hæresis Novatianæ satorem, cùm Ecclesiæ Catholicæ peccata remittendi potestatem adimere voluit, id intellexisse de omni peccatorum genere, ita ut in illa ipsa nulla potestas remittendi peccata, sive levia, sive gravia resideret. Quam sententiam emollierunt ejus discipuli, & Ecclesiam leviora peccata, non autem graviora condonare posse docuerunt.

Id perspicuè contestatur S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cont. Novatianos c. 2. his verbis : *Sed aiunt, se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem author vestri erroris Novatus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit : ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando sperari à se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propriâ damnatis sententiâ, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatus probatur, qui veniam intercludit omnibus; nec vos imitatores ejusdem & condemnatores, qui ibi minuitis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet : quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris, deinde Christi misericordia. Quæ autem ista perversitas est, ut vobis vendicetis possibilia concessa, Deo (ut ipsi dicitis) impossibilia reservetis? hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam relinquere feriendi.* Hactenus S. Ambrosius.

Novatianis hanc fortè distinctionem Montanistæ præformaverant. Nam, ut ait Tertullianus, jam in eorum hæresin implicatus, *hæc* (peccata) *dividimus in duos exitus; alia erant remissibilia, alia irremissibilia*, lib. de pudicitia cap. 2.

Tertiò observandum est, Novatianos peccatoribus pœnitentiam imponere solitos esse, licèt se illos reconciliationis gratiâ donare non posse prædicarent. Quos ideo insigniter exagitat gloriosissimus Martyr Cyprianus Epist. 52. de Cornelio & Novatiano ad Antonianum inscripta. *Neminem*, ait, *putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem authore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. Et tunc, ô frustranda fraternitatis irrisio! ô miserorum lamentantium caduca deceptio! ô hæretica institutionis inefficax & vana traditio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris, Plange, & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemisce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare; sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris : quæcumque ad pacem pertinent, facies; sed nullam pacem, quam quæris, accipies : quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? quis non animum suum à proposito lamentationis avertat? operari tu putas rusticum posse, si dixeris: Agrum peritiâ omni rusticitatis exerce, culturis dili-*

genter insiste: sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos olivetis tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. Hactenus S. Cyprianus, qui inanem irritamque Novatianorum satisfactionem & pœnitentiam luculenter exaggerat, sicut & S. Ambrosius, ut legere est apud illum, lib. 1. de Pœnitent. cap. 2. initio.

Quartò observandum est, Novatianos non ademisse peccatoribus spem salutis æternæ per pœnitentiam consequendæ, tametsi mortalis flagitii ab percepto baptismate admissi conscios, perpetuò ab fidelium communione ablegandos esse, Ecclesiamque omnimoda eos reconciliandi potestate carere contenderent.

Hanc ejusmodi hominum extitisse doctrinam, liquidò contestatur S. Pacianus Epist. 1. ad Sympronian. *Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis; & quæcumque solveritis in terris, soluta erunt & in cælis. Cur hoc, si ligare hominibus, & solvere non licebat?* Ex ejusmodi verbis perspicuum est, Novatianos peccatores de spe salutis æternæ non dejecisse, sed tantùm negasse, eos remissionem peccatorum per ministerium Ecclesiæ consequi posse.

Hoc ipsum etiam evidenter colligitur ex Epist. 3. ejusdem S. Paciani, in qua sic affatur Sympronianum: *Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis, cùm tantùm in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi planè, sed Deo soli, qui & in baptismate donat admissum, & pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterum quod ego facio, non meo jure, sed Domini: Dei sumus adjutores, inquit Apostolus: quare sive baptizamus, si ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id authore tractamus. Tibi videndum est an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit. Si pœnitentibus remissio peccatorum dari potuit, ais, baptisma non fuit necessarium: insulsissima comparatio. Baptismus enim sacramentum est dominicæ passionis, pœnitentia venia meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt quia gratia Dei donum est, id est gratuita donatio; labor verò iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.* Hæc ibi S. Pacianus, qui totâ reliquâ Epistolâ in ea totus est, ut probet, Christum remittendi peccata potestatem contulisse illi ipsi Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo. Tota enim controversia inter Christianos Catholicos & Novatianos hæreticos orta in eo potissimùm vertebatur, quòd Catholici Sacerdotibus nullo schismatis flagitio contaminatis remittendi peccata, quantumvis gravia, potestatem ab Christo Domino concessam esse, divinæ traditionis authoritate contenderent: Novatiani verò eamdem ipsam peccata remittendi potestatem, uni dumtaxat Christo attributam, Ecclesiæ Catholicæ penitus abrogarent. Inde fiebat, teste S. Ambrosio, lib. 1. de pœnit. cap. 2. ut jactitarent *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservarent.*

Id ipsum astruit ipsius Novatiani factum. Cùm enim, ut refert Socrates, in pseudo-Pontificem Romanum esset inauguratus, scripsit ad omnes Ecclesias, hortatusque est omnes Episcopos, imò mandavit omnibus, ut eos qui immolaverant idolis, ab mysteriis arcerent quidem, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque Deo, penes quem unum est potestas dimittendi peccata, remitterent.

Ex his omnibus conficitur,

1°. Novatianos fuisse hæreticos non eo nomine, quòd post perceptam baptismi gratiam lapsos ab Ecclesiæ pace excluderent, sed quòd Ecclesiæ peccata remittendi potestatem adimere vellent.

2°. Infertur, inde Novatum ademisse Ecclesiæ potestatem remittendi quælibet peccata, etiam levissima, quorum dumtaxat remissionem eidem Ecclesiæ ejus discipuli concesserunt.

3°. Colligitur, Novatianos peccatoribus equidem pœnitentiam imposuisse, nec tamen reconciliationis gratiam pollicitos esse.

4°. Denique, inde constat, eosdem Novatianos pœnitentes erexisse ad spem veniæ, atque adeo salutis æternæ, aliquando consequendæ, non ministerio Ecclesiæ, cui hanc potestatem pertinaciter abrogabant, sed merâ Dei misericordiâ, qui solus peccata ex eorum sententia, per se, non per homines dimittere voluerat.

Ex his omnibus conficere est, Novatianorum hæresim in eo præsertim positam esse, quòd Ecclesiæ Catholicæ peccata, quantumvis gravia, verè pœnitentibus remittendi potestatem penitus abrogare contenderent.

His ita prælibatis, faciendum est satis quæstioni, quâ quæsitum est, quo præsertim tempore quatuor vulgati pœnitentiæ gradus, (quorum passim meminere Scriptores tam antiqui, quàm recentiores) usurpari cœperint. Ut pœnitentiæ disciplina, ejusdemque severitas per tot sæcula ab omnibus Ecclesiis observata clariùs eluceat, esto

Quarta propositio.

Quatuor illi pœnitentiæ gradus, *fletus* nimirum, *auditio*, *substratio*, & *consistentia*, circa annum Redemptoris 260. in Ecclesia, eo quo a nobis ordine sunt enumerati, observari cœperunt, non quòd antea non sint observati, vel in toto, vel ex parte; sed quòd pœnitentiæ disciplinam ab Apostolicis temporibus traditam & usurpatam ad majorem severitatem extulerint Episcopi, & ex iis gradibus distincta serie postea decurrendis, statam curandorum pœnitentium methodum conflaverint.

Hujus assertionis veritas ex eo colligitur, quòd S. Gregorius Thaumaturgus, qui devixit anno Redemptoris circiter 266. primus, ejusmodi gradus, eo, quo circumferuntur ordine, postremo Epistolæ Canonicæ canone recensuerit, cùm ibidem ita loquitur: *Fletus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in narthece, ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio sacramentorum.*

Hactenus S. Gregorius Thaumaturgus, qui si, ut nonnulli conjiciunt eruditi, non est author postremi illius Canonis, at illum quispiam decursis pluribus annis ab ejus obitu ex S. Basilii canonibus collectum canonicæ ejus Epistolæ adtexuerit, tunc quatuor illos pœnitentiæ gradus in Ecclesia, IV. dumtaxat sæculo usurpari cœptos asserere oporteret. Nam S. Basilius, ex quo ejusmodi Canon excerptus præsumitur, eo sæculo floruit. Anno quippe Redemptoris 369. vel 370. Cæsariensem in Cappadocia Episcopatum iniit, & obiit 1. Januarii anno salutis 378. juxta Baronium, aut secundùm alios 379.

Eorumdem graduum plures meminere, putà Hermenopulus in Epitome Canonum sect. 5. titulo 3. ubi 58. sancti Basilii canonem contrahit: Anstæus in 21. Ancyranæ Synodi canonem, illos ipsos pœnitentiæ gradus egregiè distinguit & explicat.

Quicquid id est, probabilissimè cœpta ejusmodi graduum usurpatio ad Gregorii Thaumaturgi tempo-

ta refertur. Nam plerique omnes eruditi consentiunt hac in parte, quòd nempe exorta Novatianorum hæresi, quæ emersit anno Redemptoris 254. statim distincti illi pœnitentiæ gradus in Ecclesia usurpari cœperint, tunc temporis florebat S. Gregorius Thaumaturgus, qui devixit ann. sal. 266. Ergo cùm ejusmodi graduum nemo ante illum meminerit, eos illo adhuc vivente usurpari cœptos esse, probabilissimum est.

Verùm omissâ hac controversiâ quam breviter attingere placuit, juvat nunc expendere singulos illos gradus, ex quorum consideratione studiosus lector non parvam utilitatem capere poterit.

Quæstio LXXII.

Quando ex Ecclesiæ imperio peragi cœpta est prima pœnitentiæ statio: quo habitu pœnitentes eam stationem inierint: quibus in ea mysteriis imbuti: quandiu in ea commorati fuerint.

Hæc quæstio quatuor capita complectitur, quæ totidem conclusionibus explico.

Prima conclusio.

Antequam Novatus excitatam Montani hæresim denuo fidelibus obtruderet, non est dubium, quin pœnitentes quanta maxima humilitate, ingenti lacrymarum copia, atrati, neglecto flebilem in modum capillo, & ad commovendam omnium astantium misericordiam usquequaque compositi, peragendæ pœnitentiæ facultatem, tam ab Episcopo, quàm ab astante populo poposcerint, cum eo tamen discrimine, quòd ante Novatum id sponte & ultro, post Novatum autem ex Ecclesiæ imperio præstiterint, id est usurpaverint fletum, seu pœnitentialem illam stationem, ad quam nemo antea adigebatur, (nondum quippe in partem pœnitentiæ ab Episcopis imponi solitæ venerat) ad impetrandam sanctitandæ pœnitentiæ gratiam ex præcepto inierint.

Unde constat, non semper Ecclesiam constituisse quatuor pœnitentiæ gradus, quos pœnitentes non ex arbitrio, sed ex præcepto celebrare tenerentur. Nam verisimillimum est duobus primis Christianæ reipublicæ sæculis tres dumtaxat pœnitentiæ gradus usurpatos esse, *auditionem* videlicet, *substrationem* & *consistentiam*: ita ut fletus seu primi gradus, qui III. sæculo præcipi & celebrari cœpit, pœnæ nondum imperatæ seu Ecclesiæ præcepto sancitæ, ab pœnitentibus sponte & ultrò susciperentur. Nam etiam primoribus sæculis constat, pœnitentes in ipso templorum aditu fideles opperiri solitos, ut eorum opem, & ad impetrandum legitimæ pœnitentiæ jus, apud Episcopos intercessionem implorarent. Ideo lacrymari, ad omnium sese pedes abjicere, omnes altissimis interrupta suspiriis voce deprecari, obtestarique consueverant.

Hoc ex antiquissimo Tertulliano perdiscere licet. Sic enim loquitur cap. 9. libri de Pœnitentia, ubi inter cætera exhomologeseos opera hæc enumerat, *ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum. Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Et ejusdem libri cap. 10. *Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur.*

Ad solemnes illas pœnitentium lacrymas dubio procul alludit idem Tertullianus cap. 12. libri de Patientia, his verbis: *Atenim cùm omnem speciem salutaris disciplinæ gubernet* (patientia,) *quid mirum, quòd etiam pœnitentiæ ministrat, solita lapsis subvenire?* Et paulò pòst. *Hæc* (patientia) *exspectat, hæc exoptat, hæc exorat pœnitentiam quandoque initaris salutem.* Hæc ille.

Hujusmodi fletùs, etiam antequam ab Ecclesia præciperetur, argumenta legere est apud S. Cyprianum Epist. 12. 13. 14. 19.

Quam rem pulcherrimè probat Clerus Romanus Epist. ad S. Cyprianum inscriptâ, quæ est apud ipsum 31. in qua insignis ille Clerus describit officia ab lapsis adimplenda, donec Episcopi congregati eorum crimina discutere, & lethalibus eorum plagis ritè sanandis opportuna remedia inquirere & adhibere potuerint. *Maximè illis congruit verecundia*, aiunt illi Ecclesiæ Romanæ Presbyteri & Diaconi, *quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sanè fores, sed non confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestiâ, quâ intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed quâ non bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis, & quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum, resumant: sed ut contra hostem Diabolum vel nunc armati, non contra Ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem. Imò si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris & conscientiæ suæ lethalem plagam, & sinuosi vulneris altos recessus verè medicâ manu tractant, erubescant & petere: nisi quia majoris & rursum & periculi & pudoris, auxilium pacis non petiisse.* Hæc ibi.

Ex his Cleri Romani monitis deprehendere est, quantâ modestiâ, quantâ humilitate, quantis lacrymis, quantaque contriti pectoris testificatione pœnitentes peragendæ pœnitentiæ gratiam flagitare consueverant, licèt ad ea omnia nullo adhuc Ecclesiæ præcepto adigerentur.

Secunda conclusio.

Pœnitentes in ea *flentium* statione utebantur veste lugubri, tonso aut promisso pro regionum consuetudine capillo, utplurimùm cilicio deformati, cinere aspersi, nihil præ se ferentes, quod non conspicua mœrentis animi & verè pœnitentis lamenta redoleret. Et verò nonne æquum est, eum quanto maximo dolore affici, imò contabescere & confici, qui Deum quem in omnibus & super omnia diligere debuerat, contempserit, & ejus infringendo præcepta, lethali flagitio violaverit. *Si quem* (verba sunt S. Cypriani) *de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres: facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam miser perdidisti, spiritualiter mortuus supervivere hîc tibi, & ipse ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?*

Hujus rei pulcherrimum exemplum suppeditat Fabiola nobilis Romana, quam S. Hieronymus laudem Christianorum & miraculum gentium appellat. Illa enim in habitu lugubri & sordido culpam potiùs ex errore imprudentiaque, quàm ex malitia profectam publicæ pœnitentiæ laboriosis operibus expiare voluit. *Sibi quippe persuaserat, & putabat à se virum adulterii causâ jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa*

causatio, viventibus viris, fœminis amputatur, dum multa Diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Et paulò pòst: *Quis hoc crederet*, pergit S. Hieronymus, *ut post mortem secundi viri in semetipsam reversa, saccum indueret, ut errorem publicè fateretur, & tota urbe spectante Romana, ante diem Pascha, in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret. Quæ peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Et infrà: *Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit, dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalciatis pedibus transivit fluenta lacrymarum, sedit super carbones ignis, hi fuerunt ei in adjutorium, faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat. Oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, sic dolebat quasi adulterium commisisset, & multis impendiis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat.* Hactenus S. Hieronymus in Epist. 30. ad Ocean. inscripta.

Cur autem pœnitentes ciliciis induerentur, & spargerentur cinere, tamque miserabili habitu sese coram Ecclesia sistere jubebantur, præclarè explicat S. Hieronym. in cap. 3. Threnor. *In cilicio quippe*, ait, *asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in compunctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, & in favilla cineris perpendamus, quid per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia: consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa vitiorum pœna. Quia enim post peccatum carnis contumelia surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit; videat in cinere usquequo peccando pervenit.* Hæc ibi.

S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui floruit VII. sæculo, ab anno scilicet 646. ad annum 665. asserit, cilicia pœnitentium fuisse indumenta: sic enim loquitur homil. 8. sicque compellat pœnitentes: *Cur ergo in sinistra parte Ecclesiæ positi estis? non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit: quia nempe Dominus in judicio oves, hoc est justos à dextris, hædos verò, id est, peccatores à sinistris ponet: hædi enim significant peccatores. Unde & cilicia quæ sunt indumenta pœnitentium, è pilis hædorum atque caprarum fiunt, hædus namque in lege, pro peccato semper jubetur offerri.* Hæc S. Eligius ibi.

Si ad auream illam tanti Pontificis sententiam nonnihil adjicere liceret, dicerem pœnitentes quondam sibi Ecclesia vel imperante, vel certè annuente, induisse cilicia ex hædorum pilis contexta, ut meminissent se per anteactæ vitæ flagitia id esse promeritos, ut ab ovibus, id est, innoxiis & beneficis, ad hædos, hoc est ad nocentes & maleficos, ablegarentur, & præterea reapse sese, cùm sederit Filius hominis super sedem majestatis suæ, cùm hædis, hoc est reprobis, ad sinistram constitutum iri rescirent, nisi omni studio facerent dignos pœnitentiæ fructus, per quos divinæ justitiæ satisfieret.

Conclusio tertia.

Pœnitentes in primo illo *flentium* grado constituti erant extra portas Ecclesiæ, ut observat S. Basilius, & ut asserit ejus frater S. Gregorius Nyssenus, perfectâ separatione erant ab Ecclesia sejuncti, & ab omni oratione expulsi, & denique extra omnem Ecclesiæ ambitum positi. Illis nulla sacramenta, vel si mavis, sacramentalia impertiebantur, nullæ iis adhibebantur impositiones manuum, nullæ peculiares pro ipsis fundebantur orationes, nisi privatim ab astante populo Dei, qui maximæ charitatis testificatione id precabatur unum, ut ad veram pœnitentiam per medicinalem Salvatoris gratiam perducerentur. Ad id incitabantur fideles squalore, & mœrore flentium, qui cùm jacerent in vestibulo, uberiores fundebant lacrymas, & duo præsertim obibant in hac pœnitentiali statione. Nam primò sua crimina publicâ confessione vulgabant, ea deflebant: & postea advolvebantur ad fidelium Basilicas ineuntium genua, precati vehementiùs, ut apud Deum sese pro ipsis præberent deprecatores, ut pro se apud Episcopi tribunal dicerent, ut denique Christianæ multitudinis & fraternitatis preces, & suam in pœnitentiam consensum, (sine quo vix ulli absenteo concessam ab Episcopo pœnitentiam reperias) vel facilè, id est breviori lacrymarum impendio, impetrarent, vel diuturnis & precibus & gemitibus & lacrymis extorquerent.

Hæc duo *flentes* præstitisse testatur S. Basilius in Epist. ad Amphiloch. c. 56. in quo agitur de pœnitentia voluntario homicidæ imponenda. *Debet*, ait, (voluntarius homicida) *quatuor annis deflere extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogare, propriam iniquitatem evulgans.* Id ipsum aliis verbis repetit ille ipse S. Basilius can. 75.

Prætetea cùm ejusmodi hominibus in primo pœnitentiæ gradu ex præcepto Ecclesiæ positis, nec Scripturarum lectiones, nec Episcoporum prædicationes audire fas esset, ad eum erant detrusi locum, unde distinctas tam legentium quàm prædicantium voces audire non poterant: erant quippe collocati sub dio, atque adeo ab omni Ecclesiæ ambitu semoti, ubi cùm imbres, nimbos & alia id genus hiberni sideris incommoda perpeti cogerentur, eos hiemantes appellari placuit. Unde illustrari potest iste canon, qui est Concilii Ancyrani 17. *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hiemantes orare.* Hoc est ad flentes, seu ad primum pœnitentiæ gradum, eos, quorum libido in bruta animantia exarsit, & leprosos ablegari voluit.

In eum sensum hunc Canonem Gabriel Albaspinæus doctissimus Aurelianensium Episcopus, & Joannes Morinus in rerum Ecclesiasticarum notitia non mediocriter versatus, explicant, & hæc verba, *inter hiemantes orare*, ad primum pœnitentiæ gradum referri oportere asserunt; sed cum ejusmodi discrimine, quòd Joannes Morinus id omnibus promiscuè primi gradus pœnitentibus fuisse commune asserat; Albaspinæus autem hanc pœnam, *inter hiemantes* scilicet *orare*, pœnitentibus dumtaxat irrogatam esse, quos graviorum scelerum conscientia stimularet. Enimverò sic loquitur in notis in quosdam Canones Conciliorum Asiæ, ad can. 17. Concilii Ancyrani p. 245. *Qui ob gravia delicta, v. g. fornicationis aut adulterii, pœnitentiam agebant, aut petebant; certum est, sub quodam tectulo pro templi foribus eos ritus pœnitentiæ & exhomologesin peregisse, id est Presbyteris advolutos, charis Dei & martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos esse, cæteros denique fratres, ut sibi deprecatores essent, oràsse. Verùm qui graviora delicta, ut sunt ea, quæ hisce canonibus commemorantur, commiserant, quique perpetuam agerent pœnitentiam, non solùm ab Ecclesia, sed etiam ab illo tectulo arcebantur, quos hic hiemantes vocari existimo, & inter eos hos impudicos, leprosos, orare juberi: hiemantes autem dici videntur, vel*

quia ab hoc tectulo semoti sub dio orare, & pœnitentiam agere cogerentur, vel certè quòd in Ecclesiæ portum nunquam reciperentur, ut ait Balsamo. Tertulliani verba de pudicitia totam hanc rem & locum illustrant: reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus ultra jus naturæ, non modo limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra. Hactenus Albaspinæus loco citato, ubi & rationem reddit, cur leprosi qui bruta animantia inierant, graviùs plecterentur, quàm can. 16. ejusdem Concilii Ancyrani, alii eodem crimine obstricti, *nec leprosi puniantur. Quid sit,* inquit, *causa, quamobrem hi leprosi (bestialitatis conscii) graviùs puniantur, quàm alii, non invenio, nisi quòd hi pecudes & cætera animalia, quæ ad victum mactantur, contagione inficere poterant.*

Joannes Morinus lib. 6. de pœnit. cap. 2. n.7. his verbis suam aperit mentem: *Pœna illa* (inter hiemantes orare) *ad fletus stationem mihi referenda videtur, quæ sub dio erat constituta, aerisque tempestatibus exposita. Inter hiemantes igitur orare, nihil aliud est, quàm esse in fletu, atque ab omni Ecclesiæ ambitu semotum, eò igitur relegarant leprosos, qui bruta turpiter inierant. Zonaras hunc canonem interpretans, eorum sententiam, qui per hiemantes, dæmoniacos intelligunt, refutat: sed quid hoc sit, ingenuè fatetur se nescire.* Hæc ibi Joannes Morinus, qui & ibidem n. 8. indicat can.17. Concilii Ancyrani sanxisse submovendos ab omni Ecclesiæ ambitu leprosos bestialitatis reos, ne cæteros sui corporis contagio inficerent, & collocandos sub dio, ut inibi injunctam sibi pœnitentiam peragerent.

De his hactenus. Jam videamus quamdiu pœnitentes in primo illo gradu fuerint immorati. Sit itaque

Quarta conclusio.

Prima illa pœnitentiæ statio nullo utplurimùm certo temporis spatio circumscribi, sed pro gravitate criminum, & fervore pœnitentium, ab Episcopo vel produci, vel contrahi consueverat. Quod ipsum in cæteris gradibus fieri amabat: nam gravitati criminum respondebat dura, diuturnaque satisfactio, de cujus severitate & diuturnitate quippiam remittebant Episcopi pro fervore, quo pœnitentes in opera legitimæ satisfactionis incubuisse, & adhuc incumbere perspexerant. Inde, ut superiùs observavimus, manarunt indulgentiæ, id est pœnarum relaxationes, quibus alioquin pœnitentes in quolibet gradu, pro scelerum gravitate & multitudine juxta Canonas diutiùs affici oportuisset.

Ut igitur ad propositum sese nostra referat oratio, variabatur istius primi gradus tempus, pro criminum personarumque varietate.

Quod quidem clariùs elucescet, si S. Basilium audiamus in Epist. 3. canonica ad Amphiloch. in cujus canone 56. homicidæ voluntario quatuor annorum fletum imperat. *Qui sciens & volens aliquem interfecit, & postea pœnitentiâ ductus est, viginti annis ab corporis Christi communione arcebitur. Viginti autem anni sic illius respectu dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter audientes recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum iis qui in substratione orant, egredietur. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps: iis autem expletis, sacramentis corporis & sanguinis Domini participabit.*

Vides quantum temporis spatium homicidio voluntario, utpote crimini atrocissimo, sanctissimus Præsul indixerit. At quàm minorem pœnitentiam, breviorem que homicidio involuntario imposuerit, can. 57. sequenti advertere est. *Qui non voluntariè interfecit, undecim annis ab sacramentorum communione arcebitur. Undecim autem anni sic erga illum dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter audientes perseverabit, in quatuor substratus, uno duntaxat consistet anno, & deinceps admittetur ad percipienda mysteria.* Et can. 58. *Qui adulterium commisit, totis quindecim annis ab communione mysteriorum excludetur: in his quindecim annis sic dispensabitur. Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens, sine communione.*

In his & similibus canonibus facilè deprehendere est, pœnam singulis gradibus assignatam, pro varietate criminum esse variatam, necnon pro personarum improbitate & malitia, quæ tanta esse poterat, ut unum & idem crimen ab quopiam scelerato perpetratum, & ab altero sceleratiore admissum mitiori severiorique pœna, habita personarum minus graviter & graviùs peccantium ratione, coërceatur. Unde sæpenumero contigit, ut eadem peccata, quæ ob minorem malitiam aliquot annorum pœnitentiâ multabantur, ob majorem malitiam, cum qua conjuncta erant, perpetuâ pœnitentia plecterentur.

Eam ob rem dubio procul S. Gregorius Nyssenus in plectendo homicidio, sanctissimo fratre Basilio sese severiorem præbuit. Nam cùm viginti annorum pœnitentiâ illud S. Basilius expiari voluerit, ipse totum præterea huic tempori septennium adjecit, quippe qui majorem in ejusmodi flagitio malitiam animadverterat.

Hactenus de primo pœnitentiæ gradu. Jam ad alios breviùs pertractandos accedere necesse est. Pergamus igitur ad secundum pœnitentiæ gradum, quem Patres *auditionem* appellari voluerunt. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXXIII.

Quinam propriè ad hanc stationem pœnitentialem pertinerent: quo in loco starent audientes, & quid circa illos ageretur.

HÆc quæstio tripertita, tribus propositionibus est dissolvenda. Sit itaque

Prima propositio.

Tametsi plura hominum genera cum audientibus, Scripturarum lectionem, earumque interpretationem prædicari solitam, auscultare possent, solis tamen pœnitentibus jam primo pœnitentiæ gradu perfunctis, pœnitentialis audientium status propriè competebat. Quod ut intelligatur,

Observandum est, ethnicos, Judæos, hæreticos, schismaticos, & primi ordinis catechumenos, & pœnitentes ad audientium classem & numerum aggregatos, potuisse interesse fidelium concionibus, & eas audire potuisse permissu Ecclesiæ, quæ iis hanc facultatem fecerat, ut evangelicæ veritatis efficaciâ permoti, divinoque lumine illustrati, suorum errorum caliginem ejurarent.

Id ita sancitum est in Concilio Carthaginiensi c.84. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum.* Hujus rei rationem à nobis paulò antè delibatam affert Valentinum Hispaniæ Concilium can. 1. *Antiquos canones relegentes,* ait, *inter cætera hoc censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem vel Missam catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur: quatenus salutaria*

præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermonem Sacerdotis, non solùm fideles, sed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus. Hactenus Concilii verba.

Eamdem ob causam Concilium Ilerdense proximè citatum, etiam ab Ecclesia maxima excommunicatione segregatos, quos alioquin sacræ Litteræ (ne communicet quis operibus eorum malignis) salutari vetant, ad hanc audientium stationem admissos esse commemorat.

Easdem Episcoporum conciones audire poterant primæ classis catechumeni; siquidem catechumeni universè loquendo tres in classes erant distributi.

Prima classis complectebatur eos, qui testificabantur se velle Christianam fidem religionemque profiteri, qui synaxibus intererant, sicut & concionibus; nondum tamen ad catechumenatum, atque adeo ad baptismum statuto tempore percipiendum, nomen dederant.

Altera comprehendebat eos qui Ecclesiæ nomen dederant, qui in ipso fidelium cœtu provolvebantur in genua, super quibus in genua procumbentibus proferebantur orationes, ut tandem ad divinæ regenerationis gratiam perducerentur; & hi erant propriè catechumeni ab prioribus egregiè sejuncti: illi siquidem cum ethnicis & pœnitentibus in *audientium* gradu constitutis ex Ecclesia promiscuè pellebantur; hi autem hisce Diaconi vocibus, *Quicumque catechumeni, discedite*, dimitti consueverant.

Tertia denique classis erat eorum qui catechumenatu laudabiliter perfuncti, visi erant Episcopis digni, qui regenerationis gratiâ donarentur: & ideo dicebantur *electi* seu *competentes*; & hi sunt, qui quadragesimali dumtaxat tempore, vel circa Pentecostes tempora sese in conspectum Ecclesiæ dare soliti erant.

Ex his perspicuum est, propriè pœnitentes ad hunc *audientium* gradum pertinuisse, tametsi catechumenos secundi ordinis ad eumdem ipsum gradum pertinuisse appositè quis affirmare valeat: cum eo tamen discrimine, quòd pœnitentibus iste gradus assignatus sit semper in pœnam, catechumenis autem rarò ad pœnam, semper autem ad institutionem & doctrinam indictus appareat.

Secunda propositio.

Locus *audientium*, *narthex* seu *ferula* dicebatur, & erat infima pars seu spatium, quod abloco, in quo sua officia celebrabant Monachi, ad portas exteriores, quas etiam includebat, porrigebatur. Quod ut clariùs explicetur,

Observandum est, antiquitus tam apud Græcos, quàm apud Latinos, Ecclesias in duas partes esse distributas, quarum prima sanctuarium erat, in quo mysteriorum causâ Episcopis, Presbyteris & Diaconis dumtaxat consistere liceret. Altera verò aula seu laïcorum atrium appellabatur. *Narthecis* nulla mentio est apud Authores, præterquam apud eos qui quingentis ab Christi nativitate annis floruerunt. Tunc enim istud nomen, *narthex* hac occasione usurpari cœpit; cùm scilicet veterum Ecclesiarum portis semper annecteretur aliquod ædificiolum, seu tuguriolum, cui nomen erat *narthex*, seu *ferula*, eo quòd sua longitudine suam ipsius latitudinem multis partibus excederet, atque ita suâ figurâ *ferulæ* similitudinem referret, posteriores Græcorum Monachi eo nomine Ecclesiam, quâ ab eorum choro sejungebatur, *narthecis* nomine appellari voluerunt. Inde factum est, ut Orientales Monachi suas Ecclesias tres in partes dividerent, quarum prima, id est sanctuarium Episcopis, Presbyteris & Diaconis ad celebrandam liturgiam erat assignatum: altera quæ dicebatur templum, Monachis ad cantum, cæteraque officia celebranda erat attributa: tertia, id est omne spatium Ecclesiæ, quod ab isto Monachorum choro ad portas exteriores, quas etiam includebat, porrigebatur, appellabatur *narthex* seu *ferula*, ob allatam rationem, & erat proprius eorum locus, qui ab fletu ad secundam pœnitentiæ stationem, id est auditionem transierant.

Superest jam expendendum quid circa *audientes* ageretur aut non ageretur. Sit itaque

Tertia propositio.

Non est dubium, quin *flentibus*, id est primi gradus pœnitentibus, & *audientibus*, id est in secunda pœnitentiæ statione constitutis, imponerentur manus, & super eos funderentur orationes, eo nempe tempore, quo crimen sive privatim, sive publicè confessis, pœnitentia ab Episcopo in ipso Ecclesiæ meditullio imponebatur, & assignabatur statio pœnitentialis, ad quam protinus ablegabantur. Per hanc ceremoniam, id est per impositionem manuum, & per preces, quæ numquam ab pœnitentiæ impositione aberant in gravissimis peccatis, propter quæ peccator ab Ecclesia ceu membrum putre per majorem excommunicationem revelli meruerat, absolvebatur ab eo excommunicationis vinculo, ita ut qui ab Ecclesia extorris erat, in ejus sinum impositam suscipiendo pœnitentiam reverteretur, & ab ea protegeretur, foveretúrque, donec decurso pœnitentialium stationum stadio, bravium acciperet, hoc est ad consummatam reconciliationem in corporis Christi perceptione positam, perveniret.

Excepto igitur illo tempore, quo per impositionem manuum & preces ad ejusmodi ceremoniam adhiberi solitas, *audientibus* indicebatur pœnitentia, & assignabatur statio pœnitentialis; nullæ, cùm versarentur in assignata statione, nullæ, inquam, eis impendebantur impositiones manuum, nullæ orationes expiatoriæ, aut aliæ specialiter super illos fundebantur: quippe qui ejusmodi expiationibus nondum pares idoneique censerentur.

Nam ea *audientium* statio nihil aliud ab *audientibus* exigebat, exorta Novatianorum hæresi, quàm ut audirent verbum Dei per Episcopos aut alios Sacerdotes annuntiatum, & postea ex Ecclesia utpote precatione indigni sese proriperent. Ante Novatum pœnitentes equidem sese conferebant ad Ecclesiam, Scripturarum lectionem & prædicationes audituri, non tamen ita ut hæc auditio per tot annos aut menses frequentanda illis injungeretur in pœnam, (quod grassante Novatianorum hæresi factitatum est) sed sponte & ultrò ad audiendas conciones adibant, quò se suæ salutis adjumenta nihil negligere declararent.

Audientes audito verbo Dei ex ecclesia ejectos esse illis temporibus, declarat sanctus Gregorius Thaumaturgus, & luculentiùs explicat S. Basilius jam sæpe laudatâ ad Amphilochium Epistolâ, can. 75. *Qui cum propria, ex patre vel ex matre, sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua & nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum & animadversionem venerit, triennio defleat, stans propter fores domus orationi destinatæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam auditionem admittatur, & Scripturam ac doctrinam audiens ejiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde siquidem illam cum lacrymis exquisivit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione* [illegible] *procidit, detur ei substratio in aliis tribus annis: & sic postquam dignos pœnitentiæ fructus osten-*

ostenderit, decimo anno ad fidelium orationes admittatur sine oblatione; & cùm duobus annis unà cum fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps boni communione dignus habeatur.

Hactenus S. Basilius, ex quo quatuor pœnitentiæ stationes liquidò distinctas, & *audientes* ex Ecclesia tanquam indignos, qui cum cæteris fidelibus precarentur, ejectos esse, discere operæpretium est.

Quid porrò audientibus, hoc est in secundo pœnitentiæ gradu constitutis, inculcaretur, egregiè docet Gabriel Albaspinæus doctissimus Aurelianensium Episcopus, Observationum lib. 2. observatione 23. p. 137. *Ut igitur Ecclesia certos quosdam ludimagistros, & quasi doctores instituerat,* (sunt ejus verba) *renuntiaratque, qui nihil aliud agerent inter Christianos, quàm singulis diebus operam suam conferre & profiteri, ut ipsos catechumenos saluberrimis Christianæ religionis præceptis (omissa omni mysteriorum & sacramentorum mentione) imbuerent, atque eos ipsos divini numinis horrore incusso, inferorumque & sempiternorum cruciatuum timore proposito ab usitata & assueta vivendi ratione averterent, & paulatim mentem eis Christianæ religionis inspirarent. Quidquod secundus gradus catechumenatus in eo tantùm verteretur, ut iis, quæ disputarentur, audiendis attentas aures præberent; eoque nomine tantùm auditores essent & dicerentur; ita statuerat Ecclesia, ut easdem lectiones pœnitentes memoriâ custodirent, & iisdem doctoribus, quibus catechumeni subjiciebantur, erudiendi traderentur, eodemque modo pœnitentes in secundo gradu habebat, & docebat, ac si nunquam è catechumenatu, in quo priùs versabantur, emersissent, atque de integro omnia fidei præcepta, & prima rudimenta eos ediscere & audire volebat.*

Et si hujusce instituti rationem quæras, alia non est, quàm quòd opinaretur Ecclesia, eos qui se flagitiis mortiferis obstrinxissent, divinæ supremæque justitiæ cognitione aliquâ scientiâque non tinctos fuisse, quandoquidem tam brevi tempore eorum omnium memoria ex eorum animis effluxisset; ideoque illos rursus ad fidei rudimenta condiscenda remittebat, eosque inter collocabat, qui nullam vel levissimam divinæ justitiæ, ejusque legum cognitionem ullam hausissent. Et quantum conjicio, pœnitentes fidei, divinæque legis ignari magis, & imperiti censebantur, quàm catechumeni, quòd eos diutius in isto secundo gradu morari vellet Ecclesia; atque adeo eos doctorum disciplinæ diutius subjiceret, quàm catechumenos audientes; & inter pœnitentes secundi gradus vix ullum discrimen esset; quòd iisdem lectionibus simul interessent, iisdem magistris, eodem in loco operam navarent, in eundemque finem omnis eorum labor & industria desudaret.

Ex hoc loco perdiscere est, quid *audientes*, hoc est pœnitentes in secundo pœnitentiæ gradu, & catechumeni, in secundo item catechumenatus gradu constituti, docerentur, & præterea quo pacto Ecclesia baptizatos, qui se lethalibus flagitiis obstrinxerant, adhiberet. Quod clariùs elucescet in tertio pœnitentiæ gradu, qui *substratio* dicebatur. Sit itaque

---

Quæstio LXXIV.

Quæ & quot hominum genera comprehenderet tertia pœnitentiæ statio, quæ substratio dicebatur: quo in loco, quomodo & quandiu ejusmodi homines expiarentur.

AD solvendam hanc de substratione quæstionem, quatuor sunt explicanda.

1°. Quænam hominum genera hæc statio comprehenderet.

2°. Quo in loco substrati versarentur.

3°. Quomodo ejusmodi homines expiarentur.

4°. Quandiu in hac pœnitentiali statione morarentur.

Ut primum hujus quæstionis caput expediam, sit

Prima propositio.

Tertia pœnitentiæ statio, quam exhomologesim legitimam veramque pœnitentiam, prosternendi humilificandique hominis disciplinam, ὑπόπτωσιν, id est substrationem & genuflexionem, Concilia & SS. Patres appellant, quatuor hominum genera complectebatur.

1°. *Catechumenos secundi ordinis*, qui scilicet ad baptismum ex nutu & judicio Ecclesiæ suo tempore percipiendum, dederant nomen, & cum pœnitentibus secundi gradus Scripturarum lectioni & explanationi intererant. Unde cùm antiqui hunc pœnitentiæ gradum explicant, in eamdem significationem confundunt has voces, *substerni*, *cum catechumenis egredi*, & *precari*.

2°. *Energumenos*, id est ab immundis spiritibus agitatos, quos sæpius & crebrò videre erat in primis illis Ecclesiæ temporibus. Cujus rei hæc ratio proferri potest, quòd Dæmon, quem Dei simiam appellat Tertullianus, Verbum incarnatum æmulari voluerit. Ex quo enim Verbum de cælo delapsum, naturam assumpsit humanam, atque adeo corpus hominum oculis & sensibus obtulit, ipse quoque hominum corpora subiit, ne idololatris quos deluserat, Christo inferior esse videretur.

3°. Complectebatur ea statio *competentes*, *seu tertii ordinis catechumenos*, quos è multis primo quoque tempore regenerandos Ecclesia delegerat.

4°. Denique tertii ordinis pœnitentes, qui è prima *flentium*, & è secunda *audientium* statione ad tertiam, id est ad *substrationem* pervenerant. Hæc de *substratorum* generibus, nunc eorum locus indicandus est. Sit itaque

Secunda propositio.

Locus in quo versabantur quotquot pertinebant ad *substrationem*, id est ad tertium pœnitentiæ gradum, definiebatur eo spatio, quod interjacebat inter fores Ecclesiæ (à quibus incipiebat) & *ambonem*, pone quem tertiæ stationis homines subsistere, nec ultra, versus sanctuarium progredi jubebantur.

Quæ propositio præclarè poterit illustrari, si *ambonis* significationem breviter explicemus.

Ambo erat parvum quoddam ædificium excelsum & editum, eodem quasi loco, in quo nostra hac ætate concionatorum pulpita desiguntur, collocari solitum, retro quod tertii gradus pœnitentes, manuum Episcopalium impositione, & precibus expiari consueverant.

Ambo variis nominibus apud Authores tam Græcos, quàm Latinos, afficitur. Nam

1°. Vocatur *ambo*, ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν, ab ascendendo, quod ad illum per gradus orientales, id est conversos ad Orientem, ascenderetur, cùm descenderetur per Occidentales. Hoc etymon affert Onuphrius Panvinius libello de Ecclesiasticis vocibus elaborato; & ad id alludit canon 15. Concilii Laodiceni. Vel, ut vult Walfridus Strabo, *ambo* dicitur, eo quòd intrantem ambiat, & quodam quasi circulo circumscribat.

2°. Vocatur *analogium*, quòd in eo, ut affirmat idem Strabo, Evangelium legatur & annuntietur. Eamdem ob causam *lectorium* etiam nominatum est.

3°. *Ambonem*, *dicterium* seu *ostentorium*, seu *auditorium*, esse vocitatum, constat ex S. Basilio Seleuciensi in Vita sanctæ Teclæ.

4°. *Ambonem* vocatum esse *pulpitum* seu *tribunal* Ecclesiæ, apertè indicat S. Cyprianus Epist. 33. & 34. ubi quemdam Confessorem, qui Lector renuntiatus fuerat, post varia, quæ strenuè pertulerat, supplicia, extollens ait: *Quid aliud quàm super pulpitum, id est super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Evangelium Domini? Pulpitum* inde dictum ait Strabo, quòd sit in publico statutum, ut qui ibi stant, ab omnibus videantur.

5°. *Ambo* appellatus est etiam *absis* vel *absida*: utrumque enim ab Authoribus usurpatur. S. Augustinus Epist. 225. ad Albinam, *absidem* vocat: *Dicebam*, ait, *quibus poteram, qui nos in absidem honoratiores & graviores ascenderant.* Absidis etiam meminit Concilium Carthag. III. can. 32. *Cujuscumque autem pœnitentis*, ait, *publicum & vulgatissimum crimen est, quòd universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponantur.* Qui canon recitatur libro 5. Capitular. tit. 53. *Absida* nomen usurpat S. Augustinus Epist. 203. ad Maximum Donatistarum Episcopum: *In futuro sæculo*, ait, *nec erunt absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ.* Sic etiam eodem vocabulo utitur Evodius lib. 1. de miracul. B. Stephani cap. 3.

Dicta est autem *absis*, seu *absida*, ab nomine Græco ἁψὶς, quod fornicem seu arcum significat, eo quòd sinuaretur in modum fornicis & arcûs, vel quòd per arcum seu arcuatum fornicem lumen intromitteret, ait Walafridus Strabo, lib. de reb. Eccles. cap. 6. Unde autem *absidam* Græcè, *lucidam* Latinè dici repererit, nullibi reperire potui.

Igitur tertio *ambonem*, ex quo utpote edito Evangelium & Epistola inter celebranda mysteria legebantur, ex quo recitabantur diptycha, (id est geminæ tabellæ, quarum altera vivorum, altera defunctorum nomina contineret) ex quo denique annuntiabatur quicquid congregatis fidelibus edicendum erat, genua flectebant tertii ordinis pœnitentes, & alii ad eorum ordinem aggregati, vel ibi tum impositione manuum, tum precibus super eos fusis expiarentur. Sed quia plura alia ad eorum expiationem adhibebantur, ea edisserere necesse est. Sit itaque

Tertia propositio.

Substrati jam per duos pœnitentiæ gradus, per *fletum* scilicet & *auditionem* verbi Dei, ad debitam suorum scelerum expiationem præparati, admittebantur intra ambitum Ecclesiæ cum catechumenis & energumenis, & non secus ac ipsi Scripturarum lectioni & interpretationi ex Ecclesiæ præcepto intererant, & crebris orationibus, & frequenti manuum impositione purgabantur, & corroborabantur in dies, ut tandem medicinali Christi gratia muniti, Diaboli tyrannidem, in quam per lethale flagitium sese rursum induerant, excuterent. Huc accedit, quòd toto illo *substrationis* tempore multos in annos utplurimùm propagari solito, exantlarent gravissimos pœnitentiæ labores, ut tum Ecclesiæ suffragiis, tum crebris corporum afflictationibus divinam in se allicerent misericordiam, & per salubèrrima illa salutis adjumenta reconciliationi pares, maturique redderentur.

Primò igitur in ea *substratorum* statione expiabantur catechumeni non solùm secundi, sed etiam tertii ordinis, qui *competentes & electi* dicebantur, & præparabantur ad regenerationis gratiam, non solùm per impositionem manuum, & preces ad hanc ceremoniam adhiberi solitas, verùm etiam per opera pœnalia, quæ illis per totos quadraginta dies implenda, injungi consueverant: indicebantur scilicet iis hominibus, antequam sacramento regenerationis initiarentur, jejunia, vigiliæ, orationes; præterea jubebantur exorcismis & catechesibus interesse, & sese ab assueto matrimonii commercio abstinere. Hæc omnia legere est apud Tertullianum lib. de baptismo, & apud Cyrillum Hierosolymitan. in præfatione Catecheseon, & Catechesi prima, apud sanctum Augustinum lib. 50. homil. homil. 1. cap. 2. & in lib. de fide & operib. cap. 6.

Secundò *energumeni*, qui & *arreptitii*, inter *substratos* versabantur, bifariàm curari consueverant: 1°. in media fidelium synaxi, 2°. extra synaxim. Et quidem curabantur in media fidelium synaxi, cùm *audientes* ab Ecclesia erant expulsi, catechumenorum oratione & dimissione perfecta, super eos (energumenos nempe baptizatos) in oculis fidelium pro iis ardenter orantium, manus imponebantur ab Episcopo, & ab eodem fundebantur preces, ut sic Ecclesia per suas ceremonias & suffragia miseros ab Dæmonum tyrannide liberaret: postea dimittebantur ab Ecclesia, ut precibus pœnitentium daretur locus.

Hunc ritum describit Dionysius, vel quisquis est author Hierarchiæ Ecclesiast. cap. 3. & cap. 4. ubi ait, energumenos ab orationibus fidelium, & vel ipso mysteriorum aspectu arceri solitos. Immundi scilicet præsumebantur, quippe qui Dæmonis receptacula crederentur. Nam si vasi putri non creditur unguentum, secundùm magnum in Theologia Gregorium, quomodo receptaculo Dæmonis gratia Spiritus sancti creditur, ut asserit Balsamon Timothei Alexandrini responsiones explicans? Hac de causa Concilium Illiberitanum c. 29. nomen eorum ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministrent. Postrema istius canonis verba insigniter illustrat & asserit canon 16. Concilii Arausicani I. *Energumeni*, ait, *non solùm non assumendi sunt ad ullum ordinem clericatûs, sed & illi qui ordinati sunt, ab imposito officio sunt repellendi.* Qui canon, sicut & canon 6. Concilii Aurelianensis III. antiquos canones, ut affirmat, sequentis, omnem energumenis ad ordines vel suscipiendos vel exercendos aditum in omne tempus intercludere videtur.

Altera energumenos curandi extra synaxim ratio exercebatur ab Exorcistis. Unde Concil. Carthaginense IV. can. 90. *Omni die Exorcistæ energumenis manus imponant.* Et idem Concilium can. 7. *Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.*

Ita expiabantur *energumeni* baptizati bifariàm, id est in fidelium synaxi ab Episcopo, & extra synaxim ab Exorcista: Catechumeni autem ab Exorcista duntaxat curari consueverant.

Quia suprà diximus quo pacto expiarentur *catechumeni* tam secundi, quàm tertii ordinis, jam indagandum est quo pacto tertii gradus pœnitentes expiarentur.

Dico itaque tertiò, *substratos*, hoc est tertii ordinis pœnitentes, tribus præsertim remediis expiari solitos, quorum

Primum erat, manus Episcopalis impositio.

Secundum, orationes ab fidelibus, & præsertim ab Episcopo fusæ.

Tertium locum in hac expiatione obtinebant opera pœnalia, & ardui laboris multos in annos propagari solita. Et in his operibus longo temporis spatio factitandis vertebatur potissimùm baptismus ille laboriosus, de cujus prædicatione & necessitate nullæ sanctorum Patrum litteræ

conticescunt. Itaque ex infinitis eorum testimoniis nonnulla sunt nostram in rem conferenda, ne nostra hæc oratio legitimis probationum præsidiis destituta videatur.

1°. Igitur enucleandum est, quod spectat ad impositionem manuum, quam ad tertiam pœnitentiæ stationem, seu substrationem pertinere nemo eruditus inficiari voluerit. Unde passim in Conciliis & Patribus sese offerunt hæ voces: *Substerni, pœnitentem esse, Sacerdotum manibus subjacere, sub manûs impositione detineri*, (hoc est ad excipiendam manuum impositionem tertiæ pœnitentium stationi annexam obligari, & quodammodo adigi) *Deo colla submittere, sub manu Sacerdotis poni*, nihil aliud significant, quàm in tertia statione versari.

Quod liquidò contestantur ista Concilii Toletani III. verba can. 11. sic expressa: *Faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impositionem crebrò recurrere.* Nam inde colligitur, sæpius esse repetitas ejusmodi impositiones manuum, non in primo pœnitentiæ gradu, qui in eo versabatur, ut pœnitentes suis lacrymis ad pœnitentiam admitti dumtaxat extra limen Ecclesiæ flagitarent: non item in secundo, in quo nihil aliud muneris obibant, quàm ut Scripturarum lectionem & interpretationem promiscuè cum Judæis, hæreticis & catechumenis auscultarent; multò minùs in quo jam absoluti pœnitentes in omnem fidelium communionem (si unam exceperis Eucharistiam) erant restituti. Ergo crebræ illæ & sæpius iteratæ manuum impositiones, conveniunt in tertium pœnitentiæ gradum.

Quod declarat canon 80. Concilii Carthag. IV. his verbis: *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.* Hic Canon jubet, impositionem manuum omni tempore jejunii celebrari: quia erant semijejunia, & jejunia integra; jejuniorum dies pleni, quidam non pleni, quales erant stationum dies. In his nulla erat dubitandi ratio, quin manus imponerentur pœnitentibus, & purgarentur, eo quòd in illis jejuniis, quæ non ad noctem usque proferebantur, Missa fieret, paulò antequam jejunium terminaretur. Et ita ordo qui servandus erat, tempusque imponendi manus tertii gradus pœnitentibus, non mutabatur, nec cuiquam ea res incerta erat aut dubia; sed si quæ dubitatio fuit, ea ad dies jejuniorum integros revocabatur, quòd in iis nulla Missæ celebrandæ mentio esset, ut observavit Gabriel Albaspinæus in notis ad can. 80. Concilii Carthag. IV. *Ex crebris illis manuum impositionibus erga pœnitentes tertii gradus adhiberi solitis, manavit assidua substratorum genuflexio, à qua ne ipsis quidem lætitiæ diebus, quibus fideles stantes & erecti orare consueverant, eximebantur, ne scilicet dimoverentur de humili illo statu, quo eos manuum impositionem excipere oporteret. Ita nempe sancitum est can. 82. Concilii Carthagin. IV. in hæc verba: Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.*

Ad cujus canonis intelligentiam observandum est, dies remissionis fuisse quondam, & etiamnum esse, dies festos, dies Dominicos, & quinquaginta illos dies, qui inter Pascha & Pentecosten intercurrunt. Tunc enim Christianos ingenti lætitia deliquescere æquum est, tum ut resurgenti Christo reportatam de Dæmonibus, de mundo, & de morte victoriam gratulentur; tum ut conceptam de percepta Eucharistia lætitiam ubique testatam faciant. Hac de causa nec jejunabant ejusmodi diebus, nec genibus nixi Deo supplicabant, ne gestientem publicamque lætitiam infringerent, vel certè minimis mœroris indiciis infuscarent. Unde Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Hæc ille.

Ratio autem cur pœnitentes tertii ordinis ab ea communi fidelium lætitia excluderentur, inde peti potest, quòd in Ecclesia potestati Dæmonum mancipati crederentur; ideoque indigni, qui venirent in societatem ejus lætitiæ, quæ ad unos dumtaxat Christi servos jure ac meritò pertineret: ideoque eos expiari oportere genuflexionibus crebris, manuum impositionibus & orationibus, donec excusso Dæmonum jugo, in libertatem filiorum Dei assererentur.

Quis autem erat præcipuus impositionis manuum effectus, nisi ut pœnitentem criminum maculis ablueret, Dæmonum impressiones averteret, peccandi habitus malè vivendo comparatos expungeret, ipsumque denique peccatum ex animo radicitus avelleret? Nam quid hæc erat impositio manuum, præter quemdam exorcismum, & lustrationem pœnitentium, quos quasi in potestate Dæmonum esse fideles arbitrabantur, & meritò credebant eos Dæmonum potestati, volente & plectente Deo, fuisse mancipatos? *quippe qui (quod dicere periculosum, sed ad ædificationem proferendum est)* ut Tertulliani verbis utar, *Diabolum Domino præposuerant: comparationem enim videbantur egisse, qui utrumque cognoverant, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursum esse maluerant.* Quicquid sit, exorcismus urebantur Episcopi, quibus Dæmoni usurpatam in eos potestatem abrogarent.

Quod eò verius est, quò frequentius inter baptismum & pœnitentiam, magnam similitudinem sancti Patres intercedere docuerunt. Cùm enim convenirent in multis, in eo præsertim egregiam inter utrumque expressere similitudinem, quòd & pœnitentes, & baptizandos exorcismis & lustrationibus expiari oporteret. Baptizandos exsufflari & exorcizari solitos, docet S. Aug. pluribus in locis, at inprimis Epist. 105. ad Sixtum. *Cùm exorcizantur & exsufflantur infantes, ait, hoc enim procul dubio fallaciter fit, si Diabolus eis non dominetur: si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & insufflantur: per quid dominatur, nisi per peccatum, princeps peccatorum?* Hæc ille. Quemadmodum ergo exorcizabantur infantes, non quòd possessi ab Dæmone crederentur velut energumeni & arrepti, sed ut nefaria societas, quam cum illo per peccatum originale inierant, omnino dirimeretur, atque adeo Christo Domino sua creatura per regenerationis gratiam restitueretur: ita etiam pœnitentes, utpote peccati servos, & imperio Dæmonis obnoxios, impositionibus manuum & orationibus velut exorcismis expiandos, Ecclesia decreverat; quo tandem Christo Domino redditi, teterrimo Dæmonum imperio per reconciliationis gratiam subducerentur.

De ejusmodi manuum impositionibus loquuntur Capitularia Caroli Magni lib. 5. can. 62. his verbis: *Criminalia peccata multis jejuniis & crebris manûs Sacerdotum impositionibus, eorumque supplicationibus, juxta canonum statuta placuit purgari, ita ut nemo sine manûs impositione Episcopi, aut ejus jussu, alicujus Presbyteri, se credat esse à suis facinoribus absolutum.*

De eadem manuum impositione fit etiam mentio in sequenti canone, qui est sexagesimus tertius.

Cùm crebris illis manuum impositionibus semper conjunctam fuisse orationem, constat ex multis sanctorum Patrum locis, sed præsertim ex cap. 19. Concilii Laodiceni, synaxeos ordinem graphicè describentis. *Oportet*, inquit, *seorsum primum post Episcoporum sermones catechumenorum orationem peragi, & postquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem, & cùm ii sub manum accesserint & recesserint, fidelium preces sic ter fieri, unam quidem scilicet primam sub silentio, secundam autem & tertiam per pronuntiationem impleri,*

De Sacram.

deinde sic pacem dari, & sic sanctam oblationem perfici.

Hic canon liquidò explicat ordinem, quo liturgia perfici consueverat.

1°. Legebantur scripta Apostolorum & Evangelium Christi, & hæc explanabantur ab Episcopis.

2°. Orationes super catechumenos fundebantur.

3°. Catechumenis ab Ecclesia pulsis, sub manum succedebant tertii ordinis pœnitentes, hoc est, iis de more manus imponebantur cum oratione, quæ nunquam ab hoc ritu aberat.

4°. Ipsis ex cœtu fidelium emissis, inchoabantur quæ propriè fidelium erant preces, quas sub silentio ex intimo pectoris recessu fundebant, ut postea voce precarentur; quibus peractis & data pace celebrabantur mysteria, quibus (sicut nec precibus) catechumeni & pœnitentes citra nefas interesse non poterant.

Ex hoc liturgiæ ordine rectè colligitur, pœnitentibus manus imponi, & eorum orationes recitari solitas, antequam fieret oblatio, & solemnes super eam preces celebrarentur.

Igitur pœnitentibus tertiæ stationis frequenti manuum impositione, & oratione procuratis, injungebantur opera pœnalia per longum tempus adimplenda. Hic enim pœnitentiæ gradus erat propriè baptismus laboriosus, cujus beneficio quisquis primæ regenerationis gratiâ per lethale flagitium exciderat, in pristinam innocentiam (si modò laboriosis legitimæ pœnitentiæ operibus ritè & strenuè perfungeretur) quodam quasi postliminio reverti poterat. Nam, ut ait S. Joannes Climacus Scalæ myst. grad. 5. de accurata sinceraque pœnitentia inscripto: *Pœnitentia est revocatio baptismatis. Pœnitentia est pactum cum Deo initum de vita priori emendanda, & meliore instituenda. Pœnitentia est procuratrix humilitatis. Pœnitentia est cujuslibet corporeæ consolationis perpetua & jugis abdicatio.* Et paulò infrà: *Pœnitentia est reconciliatio cum Deo factitanda per exercitationem bonorum operum admissis antea flagitiis adversantium. Pœnitentia est voluntaria rerum omnium quæ affligunt & macerant, tolerantia. Pœnitens est strenuus pœnarum sibi ob flagitia infligendarum artifex. Pœnitentia est valida ventris afflictio, & animæ in firmissimo sensu jugis & assidua reprehensio.*

Ex his veræ pœnitentiæ definitionibus, seu descriptionibus nemo erit vel tantillum cordatus, quin inferat, nullam posse reperiri pœnitentiam veram, & eo nomine dignam, nisi duriorem vitam, & afflictationes cordis & corporis, vel earum rerum per duriora quædam æquo animo tolerata, compensationem contineat.

Si quis igitur voluntariam rerum asperarum tolerantiam ex ipsa pœnitentiæ natura revellere pertentaret, non plus saperet, quàm is, qui solem è mundo, claritatem è sole, rationem ex homine, hominem denique ex homine extrahere conaretur.

Quàm duriter sua corpora pœnitentes habuerint, perspicuè demonstrat Tertullianus in lib. de pœnit. multis capitibus, S. Pacianus in Parænesi ad pœnit. S. Ambrosius ad virg. lapsam, cui consentanea suis flagitiis remedia præscribit, S. Gregorius Nyssenus hom. de pœnit. & alii, quorum testimonia omnia nec complecti possumus dicendo, nec percensere numerando.

Quicquid sit, omnes uno suffragio prodidere, laboriosa admodum opera hisce pœnitentibus fuisse imposita, & Episcopos tam per se, quàm per vicarios diligenter explorasse, utrum in ejusmodi opera, ut par erat, incumberent, ne scilicet indignis, hoc est debitâ pœnitentiâ, vel nihil, vel leviter expiatis, reconciliationis gratiam impertirent. Quin etiam tertium hunc pœnitentiæ gradum ut plurimùm ad septennium usque productum, non pauca Patrum Conciliorumque testimonia declarant.

Id luculenter astruit Felix Pontifex III. in Pontificem anno 483. assumptus, Epist. 7. ad universos Episcopos, indicit hanc pœnitentiam laïcis injungendam, qui se denuò baptizari permiserunt. *Tribus annis inter audientes sint, septem autem annis subjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum, duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur, nec confundatur Deo colla submittere, qui eum non timuit abnegare.* Hæc ibi.

Libro 5. Capitularium can. 69. eadem penè repetuntur Felicis Papæ III. verba, cum ea tamen distinctione, quòd non solùm iis, qui se denuo baptizari permiserint, sed & omnibus aliis graviore flagitio constrictis eadem decernatur ipso canone pœna, & ad quinquennium vel septennium proroganda constituatur. Hic est canon: *Pœnitentes qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, si ex corde pœniteant, sicut Nicæna Synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter audientes: quinque verò vel septem annis subjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum.* Et paulò pòst jubet idem Canon, eos absolvi, si ad extremam vitæ lineam devenerint. *Quòd si, utpote mortalis intra metas præscripti temporis cœperit vita finis urgere, subveniendum est implorantibus, seu ab Episcopo qui pœnitentiam dedit, seu ab alio, qui tamen datam esse probaverit, aut similiter à Presbytero, jussu tamen aut permissu proprii Episcopi, per manûs impositionem absolutione precum sacerdotalium viaticum abeuntibus de sæculo non negetur.* Hic per viaticum peccatorum absolutionem intelligi negaverit nemo, qui Nicæni Concilii canonem 13. expenderit. Sic autem habet: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico non privetur. Quòd si desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* vel ut alii verterunt, *Episcopus cum examinatione oblationem impertiat.*

Ex hoc canone duplex infertur reconciliatio; minor scilicet & major. Minor quæ & viaticum tum in citato canone, tum in Gerundensis Concilii canone 10. dicitur, erat simplex reconciliatio & absolutio morienti sufficiens, licèt ei Eucharistia denegaretur. Altera verò major reconciliatio dicebatur, & beatica benedictio, ut constat ex can. 9. Concilii Barcinonens. quæ tam præclaro nomine donata fuerat, eo quòd Eucharistiæ percipiendæ potestatem faceret.

Eorumdem Capitularium lib. 5. can. 71. fit mentio memorati septennii & operum pœnalium, in quæ pœnitentes tertii gradus toto illo septennio incumbere oporteret. Sunt autem ista Canonis verba: *In his verò septem annis, multipliciter jejuniis & orationibus, fletibus & eleemosynarum, prout meliùs potuerint, exhibitionibus & lacrymis persistant. Et ne ulteriùs eis talia contingant, admodum caveant, dicente Domino: Vade, & ampliùs noli peccare.* Hæc ibi.

Utplurimùm igitur septennis pœnitentia indicebatur in tertio illo pœnitentiæ gradu, nisi cum pœnitentibus spectato eorum fervore Episcopi mitiùs agerent, ut videre est in Concilio Ancyrano can. 4. & alibi sæpe: alioqnin septennii spatio pœnitentia definiebatur, nisi quis ob atrociora quædam flagitia perpetuæ pœnitentiæ addiceretur.

Hæc hactenus de tertio pœnitentiæ gradu, cui antequam imponamus finem, quærere juvat utrum in eo positis, sacramentalis absolutio concessa fuerit. Sit itaque

Quæstio LXXV.

Quo tempore, quóve in gradu postremam à peccatis absolutionem impetraverint.

Respondeo, pœnitentes qui plenam pœnitentiam ediderant, utplurimùm decurso tertio pœnitentiæ gradu, cui substratio nomen erat, postremam à peccatis absolutionem esse consecutos; ita ut sacramentali relaxatione iis concessâ, omnia cum fidelibus, si unum Christi corpus exceperis, communia possiderent.

Quæ responsio ut perspicuè dilucescat, tria sunt breviter observanda.

Primum, quid sit plena pœnitentia.

Secundum, quomodo pœnitentes decurso tertio pœnitentiæ gradu, à peccatis absolverentur.

Tertium denique, in quam fidelium communionem restituerentur.

Quod spectat ad primum, statuendum est, eam pœnitentiam dictam fuisse plenam, non quia quis pœnitentiæ tempus ab Episcopo constitutum expleverat, nec quia per omnes pœnitentiæ gradus (per quos ad pacem Ecclesiæ pervenire ex Conciliorum Canonibus oportebat) legitimè decurrerat; sed ita denominatam esse eam duntaxat, eo quòd sincero corde perageretur ab eo, qui in spiritu humilitatis & animo contrito, & ad Deum rite converso exhomologeseos actus, id est arduos pœnitentiæ labores ex Canonum authoritate subeundos amplecteretur, &, ut loquuntur sancti Patres, lacrymis, fletibus, gemitibus maximum verissimumque pœnitentis animi dolorem Ecclesiæ testatum faceret.

Neque enim Episcopi aut fideles pœnitentiam temporis diuturnitate metiri consueverant, sed illam demum existimabant plenam esse, quâ pœnitens Deum suis flagitiis lacessitum, justa satisfactione, (id est suorum criminum immanitati & multitudini respondente) placare contenderet. Ea igitur est vera, plena & suis numeris absoluta pœnitentia, quam quis ex intimo humilitatis Christianæ sensu legitima rerum asperarum perpessione, non molli brachio exequitur.

Quod quidem ex variis S. Cypriani locis nullo negotio studiosus lector colligere poterit: modò enim pœnitentiam exprimit per hæc verba: *Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere*; modò per ista: *cum plena humilitate & satisfactione revocante*; modò per alia: *Neque enim*, ait, *præjudicamus Domino judicaturo, quominus si pœnitentiam plenam & justam peccatoris invenerit*. Quibus ex verbis liquidò apparet, Deum alia ratione quàm temporis diuturnitate pœnitentiæ plenitudinem seu perfectionem expensurum & probaturum. Nam eo Cypriani loco agitur de pœnitente, qui veniæ locum in Ecclesia invenerat, cui reddita fuerat pax, quique legitimum pœnitentiæ tempus expleverat. Ideoque declarat S. Cyprianus, se ejusmodi hominem reconciliationis gratiâ donando, nihil de Christi Domini judicio decerpere, si modò ipse Dominus peccatoris pœnitentiam plenam, id est veram & perfectam, & justam, hoc est criminum atrocitati respondentem, invenerit.

Quod spectat ad alteram observationem, an scilicet pœnitentes, & quomodo decurso tertio pœnitentiæ gradu postremam à peccatis absolutionem obtinerent, probabilissimum est, peractâ substrationis statione, peccatorum illis veniam, hoc est sacramentalem illam relaxationem esse concessam.

Cùm enim ex eo gradu ad consistentiæ gradum (qui quartam pœnitentium stationem facit) emerserant, omnia illis cum cæteris fidelibus (præter unam Eucharistiam) erant communia. Quod maximo est argumento, statim atque substrationis tempus effluxerat, iis relaxari, ac condonari solita esse crimina, propter quæ duram illam obeundæ pœnitentiæ necessitatem incurrerant.

Expleto igitur substrationis tempore pœnitentes ministerio clavium ab suis criminibus absolvebantur per manuum impositionem. Quod ut explanari valeat,

Observandum est, quatuor manuum impositiones, olim pœnitentibus adhiberi solitas.

Prima manuum impositio fiebat ab Episcopo, cum peccatoribus agendæ pœnitentiæ facultas & copia fieret. Unde Canon 12. Concilii Toletani XI. Pœnitentia per manûs impositionem accepta. Unde S. Leo ad Narbonensem Episcopum resp. 2. Pro crimine aliquo suo per manûs impositionem remedium accipiant pœnitendi.

Secunda manuum impositio crebrò adhibebatur pœnitentibus, qui se ex edicto Canonum procumbebant in genua, & impositione manuum impertiebantur, quamdiu in tertia pœnitentiæ statione, quæ dicebatur *substratio*, consisterent. De qua manuum impositione hic pauca dicimus, quia de ea paulò antè pluribus disseruimus, & explanavimus, quo loco, & quo tempore fieret.

Tertia manuum impositio suscipiebatur à pœnitentibus cum à tertio pœnitentiæ gradu seu *substratione*, ad quartum, hoc est ad *consistentiam* emergerent; & hæc dicebatur minor reconciliatio, per quam pœnitentes ab suis criminibus, decurso legitimæ pœnitentiæ stadio, absolvebantur ministerio clavium, & pœnitentes esse quodammodo desinebant.

Quarta manuum impositio erat illa, per quam pœnitentes peractâ pœnitentiâ, & decursis quatuor ejus gradibus, consummatâ reconciliationis gratiâ, & perfectâ Ecclesiæ communione donabantur. Et hæc erat absolutissima reconciliatio, & major appellabatur, eo quòd proveheret ad Eucharistiam, cujus perceptio est divinum perfectæ reconciliationis sigillum, atque adeo pœnitentes restitueret in eum ordinem & gradum, è quo profligatâ regenerationis gratiâ exciderant.

Tertium quod observandum superest, spectat ad communionem, in quam restituebantur pœnitentes, ab tertio pœnitentiæ gradu ad quartum transituri.

Qui nodus facilè dissolvitur, & paucis, si dicamus ejusmodi pœnitentibus, ex quo minori reconciliatione per sacramentalem absolutionem donati fuerant, omnia cum cæteris fidelibus fuisse communia, locum scilicet & tempus orationis: in eodem quippe versabantur loco cum ipsis fidelibus, eorum orationibus, à quibus ablegabantur catechumeni & pœnitentes, intererant: nec excludebantur, ut antea. Aderant sacrificiis & liturgiis, ad quarum communionem nondum pervenerant. Erant igitur illis omnia communia, locus orationis, & tempus, sacrificia, & liturgiæ, citra tamen corporis Christi communionem, ad quam pertingere non poterant, nisi in quarto pœnitentiæ gradu, qui *consistentia* dicebatur, pleniùs essent repurgati.

Quæstio LXXVI.

Quid concederetur, quidve denegaretur pœnitentibus, qui ad quartum pœnitentiæ gradum, seu consistentiam pervenerant: & quot, & quæ præsertim hominum genera illo ipso gradu continerentur.

Hæc quæstio bipertita duabus conclusionibus est absolvenda. Sit itaque

Prima conclusio.

Consistentibus, hoc est quartum pœnitentiæ gradum adeptis, id potissimum concedebatur, ut in eodem cum fidelibus loco consisterent, & omnibus orationibus, quibus eorumdem fidelium oblationes ipsâ Eucharistiâ & corporis Christi sacrificio consectarentur, interessent, eaque omnia sacra & mysteria, & auribus haurirent, & oculis usurparent; quorum tamen participatione secluderentur, quippe qui in conventum fidelium absque oblatione admitterentur, hoc est in Ecclesia quidem cum fidelibus consisterent & orarent, nec propterea communicarent, ut Concilia mox à nobis laudanda sanciunt.

Ut hujus conclusionis extrema pars facilè intelligatur,

Explicandum est, quid Concilia & Patres per communionem sine oblatione significare voluerint.

Cæsar Baronius recitatis duobus Ancyrani Concilii canonibus, quibus pœnitentes sine oblatione communicare, &, quod eodem recidit, communionem sine oblatione percipere, ejusmodi phrases luculenter explicat ad ann. Christi 324. n. 87. his verbis: *Sed quid est quod frequentiùs dicitur, communicare absque oblatione, vel cum oblatione, cùm & perfectam gratiam plenamque communionem ejusmodi, tum consequi dicerentur? Sed hæc omnia ex verbis 4. Canonis ejusdem Synodi* (Ancyranæ) *facilè assequi possumus, quibus ex prima nempe Dionysii versione dicitur: Placuit eos inter audientes (nempe catechumenos) uno anno consistere, tribus verò annis succumbere, nempe pœnitentia, (ut habet secunda versio) ex tribus verò annis biennio communicare in oratione: videlicet satis sufficere cum fidelibus orare, nec à precibus ut audientes excludi: id enim erat communicare absque oblatione: tertiò verò anno ad perfectionis gratiam pervenire; quod erat communicare cum oblatione, id enim (habet secunda versio) erat reconciliari sacramentis, nempe participem fieri corporis & sanguinis Christi, quod perfectionis gratia dicebatur, sive plena communio, dum scilicet nihil minùs à cæteris Christianis haberet.* Hæc Baronius.

Et hanc esse veram Ancyranorum Canonum interpretationem indicat Zonaras ad canonem ejus Concilii V. his verbis: *Communionem namque hoc loco non sacri corporis & sanguinis perceptionem, sed solam cum fidelibus consociationem intelligit, ex quo illud addit, sine oblatione, ut tertio anno quod perfectum est, accipiat;* (id est Eucharistiam) *ut, inquam, exacto triennio communionis quoque participes fiant.* Id ipsum repetit idem Author ad 6. ejusdem Concilii canonem. *Biennio*, ait, *absque oblatione communicare, hoc est inter fideles absque ulla tamen sacrorum perceptione versari.* Idem asserit Balsamon ad 4. Canonem ejusdem Ancyranæ Synodi: *In Ecclesiasticam communionem suscipiantur*, ait, *sed non etiam divinis digni sacramentis habebuntur; id enim est, sine oblatione suscipi.*

Hunc sensum confirmat locus Felicis Papæ III. quem superiori quæstione recitavimus, ubi hæc habet inter cætera: *Duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre: sed tantummodò sæcularibus in oratione socientur.*

His ita explanatis, probabilissimum est, neque bene multos, & Concilii Ancyrani, & Nicæni, neque aliorum Conciliorum canones rite explicari & conciliari posse, nisi hanc phrasim, *communicare sine oblatione*, & alias phrases ei finitimas, nihil aliud præter communionem orationum, & aspectum mysteriorum, sine corporis Christi perceptionem, significare statuatur.

Cur autem consistentibus una dumtaxat orationum communio sine oblatione sit concessa, inde repeti potest, quòd nemo offerre, id est ad altare sua munera consecranda deferre poterat, quin eadem sacerdotali consecratione sanctificata, perspicere posset. Cùm igitur pœnitentes constituerentur in quarto pœnitentiæ gradu, (cui consistentiæ erat nomen) ut ad divinam Eucharistiam puriores accederent, nec debitam puritatem, licèt exantlatis pœnitentiæ laboribus, adhuc ex Ecclesiæ judicio assecuti crederentur, inde factum est, ut nondum Eucharistiæ percipiendæ maturi, etiam offerre prohiberentur.

Hoc ipsum quod asserimus, egregiè confirmat Canon 28. Concilii Illiberitani, in hæc verba: *Episcopus placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.*

Hic Canon duo insinuat, quorum

Primum spectat ad non communicantes, quales erant catechumeni perpetuæ pœnitentiæ addicti, pœnitentes primi, secundi & tertii gradus, pœnitentes denique qui è substratione ad quartum pœnitentiæ gradum seu consistentiam, emerserant: hi omnes dicebantur non communicantes, eo nomine quòd prohiberentur Eucharistiæ perceptione, in qua plena perfectaque communio posita erat. Atque adeo tametsi quarti gradus pœnitentes, v. g. ad orationum communionem, mysteriorumque celebrationem admitterentur, non propterea dicebantur communicantes, eo quòd ab Christi corpore, cujus perceptio maximam & absolutissimam implebat communionem, excluderentur.

Alterum hoc canone expressum pertinet ad munera non communicantium, quæ quidem munera, sive essent privata dona, quæ infligitarentur Episcopis, seu aliis Sacerdotibus, & Clericis, sive essent oblationes, quæ altaribus admoverentur, & offerrentur Deo, ipsi Episcopi, & alii Sacerdotes & Clerici accipere prohibentur, ut fideles, tam Clerici quàm laïci, ea prohibitione perdiscerent, Deum opt. max. minùs sibi gratam & acceptam ducere ejus oblationem, quem adhuc corporis Christi participatione indignum (utpote non satis ab suis cupiditatibus vitiisque repurgatum) Ecclesia judicaret. Eadem de causa dissidentium fratrum oblationes recipi Carthaginensis Concilii IV. can. 93. vetitum est: sicut & ibidem horum qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus refutanda, seu repudianda sanciuntur. Cùm enim ejusmodi dona, etiam privata, in alimenta Clericorum, pauperumque cedere oporteret, hujus Concilii Patres altarium ministros & membra Christi prædonum muneribus ali, turpe, imò detestabile censuerunt.

Erat igitur (quantùm ex antiquis Canonibus colligere licet) jus offerendi, singulare fidelium privilegium, quo ab hæreticis, pœnitentibus, schismaticis, peccatoribus publicis, personisque infamiâ dedecoratis secerni consueverant, ut definitum est in Concilio Lateran. III. can. 25. & in Concilio etiam Lateran. IV. can. 3. Inde manavit illa eximia liturgiæ pars, quæ ab illa oblatione ab omnibus fidelibus, tam Clericis quàm laïcis, inter solemnem psalmodiam fieri solita, *offertorii* nomen induit.

Ab hoc religioso pietatis officio nemo eximebatur, nisi ingenti conflictaretur inopia: pia illa consuetudo tam religiosè retenta est, ut totis duodecim sæculis in Ecclesia Occidentali viridi observantia valuerit.

Ejusmodi oblationis meminere sancti Patres, ut S. Iræneus lib. 4. cap. 34. S. Cyprian. de oper. & & eleemosynis, S. Augustinus sermon. 215. de Tempore.

Religiosam hanc oblationum observantiam, quæ vel obsoleverat magna ex parte, vel certè jam obsolescere cœperat, nostratia Concilia in usum revocare, & ideo illam ipsam sub anathematis interminatione popolis indicere decreverunt. Hujus rei fidem non obscuram facit Concilium Matisconense II. 585. Redempt. anno celebratum. Sic enim loqoitur canone 4. *Residentibus nobis in sancto Concilio cognovimus, quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum sacris altaribus nullam ad movent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justè offerentibus promereantur esse consortes. Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur.* Hæc ibi.

Hunc ipsum Canonem paucioribus verbis recitat Ivo Carnot. Decreti p. 2. c. 41. *In Synodo Matisconensi decretum est*, ait, *ut in omnibus diebus Dominicis, aliisque festivitatibus, ab omnibus oblatio, qui ad Missam convenerint utriusque sexus, offeratur in Ecclesia singulis singulas oblationes offerentibus, finita Missa à Presbytero oblationes accipiantur. Omnis autem qui hanc definitionem per inobedientiam evacuare præsumpserit, anathemate percellatur.* Hæc Ivo.

Earumdem oblationum meminit, & de illis factitandis canonem 44. condidit Concilium Moguntiacum anno Christi 813. imperante Carolo Magno, 13. imperii sui anno celebratum. Unde & idem canon repetitur totidem verbis lib. 5. Capitul. ejusdem Caroli Magni can. 94.

Quemadmodum hujusmodi oblationem Ecclesia præcipiebat, ita illam ipsam ingenti beneficio remunerari consueverat. Offerebat enim nomen ejus, qui aliqoid offerret, id est ex ipsius Ecclesiæ edicto, si quis fidelium vel vivens, vel mortuus munera obtulisset, inter ipsas orationes quibus tremenda mysteria conficiebantur, ejus nomen enuntiari commendarique, communis consuetudo susceperat. Revera nemo unquam oblationes & munera Sacerdoti in Ecclesia obtulit, quin Sacerdos ejusdem nomen cum ipsis muneribus propria & privata quadam oratione Deo inter adoranda sacrificii mysteria commendaret.

Præterea solemni ritu offerebatur eorum nomen, qui decursis omnibus pœnitentiæ gradibus ultimâ & perfectâ communione donandi erant, id est sacro Christi corpore, ab cujus participatione ad illud usque tempus ablegati fuerant, erant impertiendi, ut mox videbimus.

Cùm hactenus primam hujus quæstionis partem explanaverimus, ad alteram properare necessum est. Sit itaque

Secunda conclusio.

Quartus pœnitentiæ gradus, qui & *consistentia* dicebatur, tria vel quatuor hominum genera complectebatur.

Primum genus erat eorum, qui peccata mortalia quidem, hoc est à regno Dei excludentia, sed ex canone, publicæ pœnitentiæ laboribus nullo pacto subdita commiserant: ideoque illa ejusmodi peccata in hac quarta statione ex Episcoporum, Sacerdotumque divinis regulis congruenter pœnitentium saluti prospicientium eluebantur.

Quod ut illustriùs appareat.

Observandum est, ut viri aliqui eruditi asserunt, tria dumtaxat crimina, sive occulta essent, sive publica, cum suis speciebus, per humilem luctuosamque pœnitentiam & canonum sanctionibus castigata curataque fuisse, idololatriam scilicet, homicidium, & mœchiam; ita ut cætera peccata ad tria hæc nihil pertinentia pœnalibus pœnitentiæ publicæ operibus, nullatenus ex canone subjacerent; atque adeo Episcopis & Sacerdotibus opportunis remediis in hac statione (quod probabilissimum esse contendunt) curanda, idoneisque satisfactionibus expianda reservarentur.

Hæc tria dumtaxat crimina publicæ pœnitentiæ laboribus fuisse expianda, probant ex Concilio Ancyrano, quod non solùm publicam pœnitentiam tribus hisce criminibus injungit, sed addit interdum: Talis pœnitentia ex antiqua consuetudine illi (uni ex his tribus peccatis) convenit. Id etiam comprobant ex Concilio Neocæsariensi, quod nulli alteri crimini, præterquam ex his tribus alicui, pœnitentiam publicam scilicet infligit.

Addunt etiam quadringentis propemodum annis ab Christi ascensione, hæc tria dumtaxat crimina fuisse publicis multata pœnis, cætera verò clementiùs excepta, blandioribusque & secretioribus curata remediis, quæ viri in solida Ecclesiasticæ antiquitatis notitia versatissimi litteris prodiderunt.

Alii etiam pereruditi primis illis Ecclesiæ sæculis omnia nullo discrimine crimina, (hoc est apud SS. Patres quælibet peccata à regno Dei excludentia) sive occulta forent, sive publica, arduis publicæ pœnitentiæ laboribus ex Ecclesiæ præcepto expiari solita esse, asserunt, Tertulliani id aientis in libro de pœnitentia, & S. Ambrosii lib. 1. de pœnit. cap. 16. & aliorum Patrum authoritate freti.

In ejusmodi hominum sententia nulla unquam in hoc quarto pœnitentiæ gradu expiata fuisse peccata lethalia asserere oportet, nisi illi ipsi prudenter affirmarent, & doctè secretam pœnitentiam pro criminibus occultis multis in occasionibus ab antiquis retro temporibus usurpatam esse. Quod erga Presbyteros & Diaconos factitatum esse legimus. Nam iis lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata erat expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si esset digna, esset etiam fructuosa, ut ait S. Leo, Epist. 92. cap. 2. quod & erga plores alios factum esse nemo negaverit. Quod cùm ejusmodi homines concedant, haud ægrè peccata lethalia secretis pœnitentiæ operibus in hoc quarto pœnitentiæ gradu saltem nonnunquam expiata fuisse fatebuntur.

Secundum genus hominum ad hanc stationem pœnitentialem pertinentium constabat ex iis, qui inferiores pœnitentiæ gradus obierant, & inibi detinebantur, ut exploraretur quàm sancta esset illorum vita, atque adeo quàm essent digni, qui vivifica Christi carne & sanguine reficerentur.

Tertium genus hominum ad hanc stationem pertinentium per accidens dumtaxat comprehendebat conjugatas mulieres, quæ adulterium à se perpetratum ultro confessæ, vel de illo quomodocumque convictæ, prætermissis cæteris pœnitentiæ gradibus, relegabantur ad consistentiam, ne si ad substrationem detruderentur, iis à maritis zelotypiâ correptis, haud dubiæ mortis periculum immineret. Hanc rationem præclarè explicat S. Basilius secunda ad Amphiloch. Epist. can. 34. *Adulterio pollutas mulieres*, ait, *& confessas ob pietatem, vel quomodocumque convictas evulgare quidem Patres nostri vetuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem sine communio-*

ne consistere voluerunt, donec pœnitentia tempus impleretur. Hæc ibi.

Ne igitur mariti in iram, imò furorem acti, uxorum adulteria districto gladio vindicarent, Ecclesia ejusmodi mulierculas consistere voluit in quarto pœnitentiæ gradu, ut earum saluti tam animæ, quàm corporis, citra ullam infamiæ notam singulari divinaque sapientia prospiceret. Verùm aliter erga adulteros sese habuit: cùm enim in obeundis publicæ pœnitentiæ laboribus nullum, sicut mulieres, capitis periculum adirent, canonicis pœnis citra misericordiam sunt addicti, ut affirmat Balsamon hunc ipsum S. Basilii canonem explicans: *Viri enim*, ait, *adulterium confessi, immisericorditer dictis pœnis subjiciuntur, quia non est timor in eis, qui de mulieribus dictus est*. Hæc ille.

Ac reipsa quidem ille ipse S. Basilius in Epistola canonica 3. can. 58. adultero quindecim annorum pœnitentiam indicit, hoc ordine peragendam: ut quatuor annis defleat, quinque audiat, quatuor in substratione transigat, in reliquis duobus sine communione consistat. En tibi quatuor pœnitentiæ gradus, per quos omnes passim adulteros ad reconciliationis gratiam ex Canonum sanctionibus ascendere priscis illis temporibus oportuit.

Quartum genus hominum ad consistentiam pertinentium constabat ex iis hominibus, qui arduis publicæ pœnitentiæ laboribus perfuncti, ad eadem, quæ laboriosæ diuturnæque pœnitentiæ gemitibus eluerant, crimina revolvebantur: cumque iis pœnitentiæ denuo & propalam peragendæ facultas denegaretur, admittebantur ad consistentiam toto vitæ curriculo, ut in ea unà cum fidelibus precarentur, atque ita quantam possent, ab ipso Deo misericordiam impetrarent.

Hujuscemodi homines cum ante Syricium Pontificem maximum ad audientes, hoc est ad secundum pœnitentium gradum dejicerentur, ab illo ipso Pontifice ad consistentiam reliquo vitæ tempore sunt admissi, in extrema vitæ linea absolvendi. Quod egregiè declarat ejus decretum cap. 4. Epist. 1. ad Himericum Tarraconensem Episcopum inscriptæ, comprehensum his verbis: *Ut qui actâ pœnitentiâ tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeunt, solo intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint. A dominica autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur: quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus*. Ex isto Syricii Pontificis maximi decreto nostra propositio tam perspicuè conficitur & roboratur, ut ulteriori probatione non egeat. Et hactenus de quarto pœnitentiæ gradu, nunc indagandum est, quo ritu pœnitentes è consistentia ad majorem reconciliationem, hoc est ad corporis Christi perceptionem emergerent. Sit itaque

---

Quæstio LXXVII.

Quo ritu pœnitentibus integrum jus communionis, quod peccando amiserant, redderetur.

Respondeo: Primis illis florentis Ecclesiæ sæculis, nemo exantlatis pœnitentiæ laboribus jus perfectæ communionis recuperabat, quin ejus nomen inter mysteria offerretur. Quo autem tempore & ordine id fieret, pandere operæpretium est.

1°. Igitur paulò antequam funderentur orationes & ipsa liturgia, hoc est sacrificium celebraretur, ex limine Ecclesiæ pœnitentes in medium ab Episcopo adducebantur.

2°. Eorum pœnitentia laboriosis operibus contestata probataque, & vera eorum conversio, quantum conjectari licuerat, toti fidelium celebritati aperiebatur paucis, ne quis immeritò & immaturè plenam communionem illis redditam esse causaretur.

3°. Per impositionem manuum ab Episcopo majori reconciliatione, hoc est Eucharistiæ percipiendæ privilegio donabantur.

4°. Illa ipsa quæ in reconciliationis impetratæque veniæ gratiam attulerant, munera benedicebantur, & offerebantur Deo, ut omnibus astantibus appareret eos, qui ad illud usque tempus sine oblatione communicaverant, in offerendi jus, atque adeo in plenam perfectamque communionem esse restitutos.

5°. Denique certis quibusdam, destinatisque verbis pro ipsorum pœnitentium salute supplicabatur, & recitabantur eorum nomina inter ipsas orationes. (& hoc significant sancti Patres, cùm pœnitentium nomina offerri asserunt) Unde colligere licet, neminem unquam pœnitentem priscis illis temporibus ad corporis Christi communionem admissum esse, quin priùs illius oblationem, munera & nomen inter ipsas sacrificii orationes Sacerdos obtulisset, antequam sacra communio de[illegible]retur.

Hoc ritu & hoc ordine integrum jus communionis pœnitentibus redditum esse, observatum est ab viris insigniter eruditis: quorum observationi egregiè suffragatur S. Cyprianus Epist. 9. in qua conqueritur de nonnullis Presbyteris, qui nondum sedata persecutione temere pacem lapsis dederant: *Nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*. Hæc ibi.

Ex his S. Cypriani verbis liquet, pœnitentes 1°. ad communicationem (orationum dumtaxat) admitti solitos. 2°. eorum nomen offerri. 3°. exhomologesi facta manum eis ab Episcopo & Clero impositam fuisse. 4°. eis esse datam Eucharistiam.

Ad hæc omnia alludit idem S. Cyprianus Epist. 10. his verbis: *Ante exhomologesin gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est sanctum Domini corpus profanare, audeant.*

Idem Cyprianus Epist. 11. conqueritur de præcipiti quorumdam Sacerdotum temeritate, qui violato quem retulimus, ordine, pœnitentes reconciliare nihil verebantur. *Audio quosdam de Presbyteris*, ait, *nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint, cogitantes, nec Episcopo honorem sacerdotii sui & cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis*, (tam munera quàm nomina) *& Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire.*

Declarat nimirum hoc loco S. Cyprianus, neminem illis temporibus admitti potuisse ad communionem corporis Christi, nisi ex ordine quem Episcopi Apostolicis traditionibus imbuti, pœnitentibus ad plenam fidelium communionem redire cupientibus indixissent. Sed de his satis, jam ad alias quæstiones, ad publicam pœnitentiam pertinentes, properandum est. Sit itaque

Quæstio

QUÆSTIO LXXVIII.

Utrum Ecclesia quondam unam dumtaxat publicam pœnitentiam, & quibus de causis eam semel dumtaxat indulserit.

BIPERTITAM hanc quæstionem duabus propositionibus absolvere juvat. Sit itaque

Prima propositio.

Publicam pœnitentiam, prout aliquot in Ecclesia sæculis factitata est, semel tantùm in omni vita permissam esse, negaverit nemo, qui vel mediocriter in sanctorum Patrum lectione versatus fuerit.

Primò enim id ex vetustissimis Patribus luculenter asseverat Tertullianus in libro de Pœnit. quem ipse exaravit, antequam ad Montani dogma descisceret: sic enim loquitur ejusdem libri cap. 7. *Hæc igitur venena ejus* (Dæmonis) *providens Deus, clausâ licèt ignoscentiæ januâ, & intinctionis* (baptismi) *serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam,* (prima enim antecedebat baptismum) *quæ pulsantibus patefiat; sed jam semel, quia jam secundò; sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra. Non enim & hoc semel satis est? Habet quod jam non merebaris; amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato: majus est enim restituere, quàm dare: quoniam miserius est perdidisse, quàm omnino non accepisse.* Et postea in ipso capitis 9. exordio. *Hujus igitur pœnitentiæ secundæ & unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est, ut non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Hæc ibi Tertullianus, hujus nostræ assertionis testis locupletissimus.

Secundò id ipsum testificatur S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Meritò reprehenduntur,* ait, *qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia, sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum. Facilius autem inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Hæc S. Ambrosius.

Tertiò sancto Ambrosio, suo in fide doctori & parenti mirificè suffragatur S. Augustinus in Epist. 54. ad Macedonium judicem, qui cùm aliquid, acceptis S. Augustini per Bonifacium venerandæ legis Antistitem literis, concessisset, interrogavit Augustinum per litteras his verbis: *Officium sacerdotii vestri esse dicitis, intervenire pro reis, & nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat officii vestri, minimè reportetis: hîc ego vehementer ambigo, utrum istud à religione descendat. Nam si à Domino peccata ista prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur?* Quæ Macedonii verba meridiano sole clariùs & illustriùs, unicam dumtaxat pœnitentiam publicam dari solitam esse, demonstrant: si enim in graviora post pœnitentiam peccata vel æqualia revolutis concessa fuisset secunda pœnitentia publica, in Ecclesia Romana & Africana, insulsè unicam pœnitentiam S. Augustino Macedonius objecisset: & quod caput est, non dixisset S. Augustinus, cautè salubriterque provisum esse, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concederetur; quod bis in illa ipsa Epistola repetiit, ut uberiùs ex ejus verbis proximè referendis apparebit.

Quartò ad hujus rei veritatem astruendam afferri solet locus Origenis promptus ex hom. 15. in cap. 25. Levitici, ubi ait, in gravioribus criminibus semel tantùm vel raro pœnitentiæ concedi locum. Sed hunc locum dubiæ fidei utpote interpolatum doctissimi viri prodidere: siquidem repugnat consentaneo eruditorum omnium judicio, qui publicam pœnitentiam non ampliùs, quàm semel impertitam esse, constantissimè docuerunt.

Quidquod publicæ pœnitentiæ singularitatem astruunt Concilia.

Illiberitanum scilicet can. 7. & 47. & Concilium Toletanum III. can. 11. his verbis: *Comperimus est, fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent.* Et ibidem: *Hi verò qui ad propria vitia vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundùm priorum canonum severitatem damnentur.* Hæc verba satis superque declarant, neminem per iteratam pœnitentiam ad amissæ reconciliationis gratiam pervenire potuisse, alioquin immeritò sanè damnarentur à Concilio, qui quoties peccarent, toties à Sacerdotibus reconciliari cuperent. Propterea non fuissent puniendi secundùm severitatem canonum relapsi in præterita flagitia: (si secunda concederetur pœnitentia) eam enim postulando nihil nisi licitum, atque adeo nullâ plectendum pœnâ flagitassent. Et hactenus de prima propositione. Esto itaque

Secunda propositio.

Duabus potissimùm de causis olim Ecclesia relapsis secundæ pœnitentiæ aditum interclusit: quarum

Prima est, ut pœnitens, cùm videret sibi ab Ecclesia denegatam esse iterandæ pœnitentiæ facultatem, pœnas suis flagitiis debitas à semetipso flagrantiùs exigeret, atque ita divinam eliceret misericordiam. Hanc rationem insigniter explanat S. Augustinus laudatâ Epist. 54. ad Macedonium: *In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant; & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minùs tribuit, quàm antè tribuebat largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos sua patientia non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat: Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili: aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementiùs quàm priùs, excruciavero, si miserabiliùs ingemuero, si flevero uberiùs, si vixero meliùs, si pauperes sustentavero largiùs, si charitate (quæ operit multitudinem peccatorum) flagravero ardentiùs: quis nostrûm ita desipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi ista proderunt in posterum, vade, saltem vitæ hujus suavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam.*

Ex his S. Augustini verbis, hominem, tametsi pœnitentiæ publicæ laboribus exclusum, posse per plura, quæ hîc enumerat, pietatis opera, salutem æternam & promereri & adipisci. Ut igitur ad illu-

ciendam in se Dei misericordiam peccatoris in opera pœnalia generosiùs incumberent, ipsis Ecclesia per aliquot sæcula iterandæ pœnitentiæ facultatem relapsis post reconciliationem impulit, peritur ex contemptu, quem impetrandæ pœnitentiæ facilitas peccantium animis ingenerasset. Nam si homo facilè adeptus esset reconciliationem, ludus illi fuisset peccando cadere in mortem.

Hanc rationem prosequitur idem S. Augustinus loco laudato. *Quamvis ergo*, ait, *cautè salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus sese laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere, erga istos non agi, quod Apostolus ait, Ignorat quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? aut ad istos non pertinere quod dicitur, Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum?* Hæc Augustinus, qui docet, publicæ pœnitentiæ locum semel dumtaxat in Ecclesia concessum, ne pœnitentiæ factitandæ gratia facilè concessa vilesceret non solùm, verùm etiam contempta nullam afferret salutem; pœnitentes quippe, ut loquuntur Concilia, luderent de dominica communione, hoc est inter agendam pœnitentiam, spe veniæ nullo negotio assequendæ, in nova sese flagitia immergerent.

Ex omnibus hac quæstione propositis & probatis videre est, quomodo curarentur peccata graviora, in quæ quis peractâ pœnitentiâ denuo incurreret. Nam cùm essent multò graviora quàm antea, uberioribus etiam lacrymis & prolixioribus erant expianda, iisque curanda remediis, quæ ex S. Augustini Epistola 54. in prima ratione secundæ nostræ propositionis retulimus.

Porro secundam, imò tertiam pœnitentiam (nam prima antecedebat baptismum) secunda ob crimina post baptismum admissa factitari consueverat: tertiam igitur ob crimina post peractam pœnitentiam fieri oportebat, tertiam, inquam, pœnitentiam, hoc est ejus factitandæ facultatem Ecclesia ab Christo ad annum prope 700. relapsis in sua scelera denegavit; ut suos omnes, alioquin in præterita flagitia facilè revolvendos, ea disciplinæ severitate in officii religione contineret. Quanquam enim nullum non crimen, quantumvis atrox & immane, concessa sibi divinitus authoritate remittere valeret, ea tamen potestate tunc uti renuebat, ne consequendæ veniæ facilitas peccandi libidinem accenderet; atque adeo peccati remedium in ejusdem irritamentum incorrecta peccantium nequitia converteret.

Cùm enim pœnitentiæ juxta Ecclesiæ canones & præcepta peragendæ jus, ingentis cujusdam beneficii loco numeraretur, ne tanta ejus magnitudo adduceretur in contemptum, secundæ vel tertiæ, si mavis, pœnitentiæ propalam agendæ facultas aliquot sæculis ægrè admodum in Occidentali Ecclesia concessa est. Quæ severitas postea excepta est magnâ indulgentiâ, cùm viri graves & docti iterandæ pœnitentiæ, & quidem publicæ, facultatem hominibus jam publicâ pœnitentiâ perfunctis, & in sua flagitia relapsis, concessam existimant: imò eos ad pœnitentiam publicè obeundam ex Ecclesiæ imperio adactos esse sentiunt, & probant ex decreto illo Capitularium lib. 5. c. 72. ut hi qui frequenti prævaricatione peccata vel pœnitentiam iterant, frequenti sententia, nisi per satisfactionem, quæ prævaricati sunt, emendare nitantur, coërceantur vel condemnentur, ut hæc quæ voluntariè non diluerunt, in vita emendent. Quòd si hæc aliquis renuerit, & præceptis sui Sacerdotis inobediens apparuerit, secundùm modum culpæ excommunicetur. Hæc ibi.

Constat igitur ex tota hac quæstione, publicæ pœnitentiæ (sive propter publica crimina, aut legitimè apud judicem, sive ecclesiasticum, sive sæcularem, probata, aut etiam occulta, ex mera pietate peragetetur) iterandæ facultatem ab ipso Ecclesiæ exordio per aliquot sæcula esse denegatam, quicquid obstrepant nonnulli, qui unâ distinctiunculâ hujus doctrinæ soliditatem convellere annitantur: fatentur enim semel dumtaxat peractam esse pœnitentiam publicam solemnem, sed aliter de publica non solemni philosophantur. Contendunt quippe pœnitentiam publicam in solemnem & non solemnem subdividi.

Publicam pœnitentiam solemnem vocant eam, quæ à solo Episcopo imponitur, quæ iterari non potest, & imponitur laïcis, non autem Clericis, cum ea solemnitate quæ in capite Quadragesimæ eum in finem adhibetur; ita tamen ut non nisi propter gravissimum crimen, quod totam unam civitatem commoverit, imponatur.

Non solemnem pœnitentiam dixere illam, quæ etiam à Sacerdote ipsis etiam Clericis sæpius iteranda, & coram Ecclesia sine præfata solemnitate injungeretur pro peccato, manifesto quidem, sed quod non tantùm scandalum, quantùm illud, quod solemni pœnitentia multabatur, attulerat.

Hanc distinctionem omnes usurpavere illi Authores, ex quo Petrus Pictaviensis, Petri Lombardi discipulus, ut ita dicam, eam in medium adduxit.

Eam quippe celebrarunt S. Raymundus lib. 3. Summæ cap. de pœnitentiis & remissionibus, §. 6. Albertus Magnus in 4. dist. 14. art. 28. Alexander de Hales lib. 4. Summæ quæst. 14. memb. 6. & alii, qui scripserunt à sæculo XII. ad XIII. completum, quorum vestigiis institere multi, qui satis habuere, quòd ejusmodi hominum authoritate niterentur. Ut habeatur ejusmodi distinctio, exploratum est, eam nullo canonum vel Patrum niti patrocinio. Quotquot autem Authores ante sæculum XII. de pœnitentia scripsere, nemo pœnitentiam publicam in solemnem & non solemnem partiri voluit, siquidem nullum ejus divisionis vestigium in canonibus aut in SS. Patribus appareret. Ac reipsa quidem Hugo à S. Victore, quem primum, *solemnis*, epithetum pœnitentiæ indidisse commemorant, solemnem pœnitentiam & publicam pro eadem penitus usurpat, nec ullatenus à non solemni (quam alto silentio premit) separat. *Solemnis pœnitentia*, inquit tractat. 6. Summæ cap. 12. *dicitur, quæ fit in manifesto extra Ecclesiam, scilicet quæ de gravibus peccatis tantum injungitur, & de iis quæ manifestè Ecclesiam læserunt, & olim illa pœnitentia non iterabatur. Et adhuc quidem in quibusdam Ecclesiis hoc servatur pro reverentia sacramenti: nec injungitur illa pœnitentia solemnis iterum criminaliter peccanti, sed datur aliquod consilium.*

Ex hoc loco colligere est, unam dumtaxat fuisse pœnitentiam publicam, quæ & solemnis appellata est.

Præterea eamdem & unam esse publicam pœnitentiam & solemnem, demonstrant omnia attributa solemnis pœnitentiæ, quæ cadunt in eam pœnitentiam, quam super omnes publicam appellarunt.

1°. enim si constat apud omnes, neminem solemni pœnitentia perfunctum posse ad sacros ordines promoveri, nonne certum est, pœnitentes ob sua crimina à IV. sæculo usque ad VII. fuisse irregulares, nec potuisse ad præfatos ordines provehi.

2°. Si in solemni pœnitentia positi, nec matrimonium contrahere, nec contracto uti potuerunt; nonne publicam pœnitentiam professi, vel matrimonium abdicare, vel ab ejus usu sese abstinere debuerunt? ut constat ex Patribus & Conciliis, quæ tamen hoc temperamentum adhibuerunt, ut conjugatis pœnitentia nunquam nisi ex consensu partium injungeretur. Ita definit Concilium Arelatense II. can. 22. & ita sanxit Concilium Aurelianense III. can. 24. Unde Patres conjugatorum (à quibus ad ineundam pœnitentiam mutuus consensus exprimi non poterat) crimina curabant secretâ satisfactione, eodem scilicet modo quo plectebant crimina minùs atrocia, quibus nullam pœnam canonum severitas inflixerat.

3°. Si solemnis pœnitentia iterari non poterat; nec etiam repeti poterat pœnitentia publica, ut in hac quæstione demonstravimus. Cujus rei pulcherrimam rationem affert S. Thomas in 4. ad dist. 14. q. 1. art. 5. *Pœnitentia*, inquit, *solemnis, est solemnis quædam professio non redeundi iterum ad publica illa scandala, sicut baptismus est solemnis professio non redeundi ad infidelitatem: & ideo sicut unum baptisma, ita & una est pœnitentia solemnis.* Ita Doctoris Angelici ratio mirabilem in modum conducit ad nostram propositionem astruendam. Nam publica pœnitentia peracta in Ecclesia nihil erat aliud præter professionem publicam, quâ quis diuturnos durosque pœnitentiæ labores obeundo tam Angelis quam hominibus se omnem peccati affectum & occasionem & actum ejurare testificabatur; quippe qui se ad ejusmodi pœnitentiam posthac non admittendum esse resciscerct. Nam sicut Ecclesia baptismum quo renascimur ex aqua & Spiritu sancto, repeti noluit, ita laboriosum pœnitentiæ baptismum per multa sæcula iterari vetuit, ne impetrandæ per iteratam pœnitentiam veniæ facilitas, incentivum peccati fieret.

4°. Si pœnitentia illa solemnis Sacerdotibus imponi non poterat, ita etiam publica pœnitentia, cujus unius meminere Patres & Canones, nemini Clero & Sacerdoti poterat injungi, ut manifestè sacrosancti Canones edicunt.

5°. Si militia ad agendam solemnem pœnitentiam erat deserenda, si rerum sæcularium procuratio erat abdicanda, eadem illa pariter abjicienda erant homini, qui publicam pœnitentiam inire & peragere decreverat. Cùm ergo omnia illa quæ recentiores suæ illi solemni pœnitentiæ ascribunt, verè & præclarè conveniant publicæ pœnitentiæ in Ecclesia per tot annos observatæ, neque Patres aut Canones ullius alterius meminerint, nusquam publicam pœnitentiam ab solemni, nec vicissim solemnem ab publica totis duodecim sæculis fuisse distinctam, necessaria consecutione conficitur. Sit tamen honor suus ejusmodi distinctioni; dummodo non retorqueatur ad superiora sæcula, (in quibus ne minimum ejus quidem vestigium cernitur & apparet) nec ad elidendam sacræ traditionis authoritatem adhibeatur.

Porrò, si quis quærat, unde ejusmodi distinctio tot tantorumque hominum suffragiis ab sæculo duodecim celebrata manaverit:

Respondeo cum Joanne Morino, viro apprimè docto, eam distinctionem, imò aberrationem, profectam esse ex Gratiani inconsiderantia vel cæcutientia cuilibet erudito cognita: quippe cùm multos canones nullo delectu, nulla temporum & regionum habita ratione, in rudem quamdam indigestamque molem congereret, multis decantatam illam publicæ pœnitentiæ divisionem procudendi ansam præbuit. Enimverò cùm multos apud illum canones in contraria distractos legerent, arbitrati sunt, ejusmodi canonum repugnantiam non posse tolli, nisi publicam pœnitentiam in solemnem & non solemnem tribuerent. Lectitabant enim apud ipsum Gratianum plerosque canones, qui pœnitentes ad sacros ordines promoveri, negotia sæcularia capessere, matrimonium contrahere, contracto uti, publicam pœnitentiam Clericis imponere, & laicis impositam iterare prohiberent; ex adverso lectitabant alios apud eumdem canones, qui Clericos peractâ pœnitentiâ in suæ dignitatis gradum restitui, laïcos ad clericatum promoveri, utrisque negotia sæcularia capessere, matrimonia contrahere, pœnitentiam publicam iterato crimine iterare permitterent. Cùmque ancipiti cogitationum æstu, inspecta illa canonum contrarietate jactarentur, ad duplicis pœnitentiæ publicæ portum confugerunt, rati non aliter contrarios in speciem canones conciliari posse, nisi (quod superioribus sæculis fuerat inauditum) pœnitentiam publicam duplicarent, unique priores prohibitionis, alteri verò postremos permissionis canones ascriberent. Sed (ejusmodi hominum pace dixerim) nodum quæsierunt in scirpo: nam universa quæ attribuunt pœnitentiæ publicæ solemni, & non solemni, conveniunt uni & eidem pœnitentiæ publicæ per tot sæcula in Ecclesia usurpatæ, quæ quidem pro temporum aut etiam regionum varietate variavit. Cùm enim Ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, nihil ab omni ævo salute fidelium antiquius habuerit, modò paterna severitate quædam sub gravissimis pœnis prohibuit, modò eadem maternâ indulgentiâ relaxavit, & omnia omnibus facta est, ut omnes lucrifaceret. Unde nemini mirum videri debet, si varios canones modò ad severitatem implicatos, modò in lenitatem inflexos, habitâ personarum temporumque ratione condiderit. Ita eam ipsam gravissimis quibusdam criminibus etiam in ipso mortis articulo in aliquibus Ecclesiis, absolutionem denegasse, aliis verò temporibus iisdem criminibus relaxationem impertiisse aliqui tenent: quod sequenti quæstione discutere necesse est. Sit itaque

---

Quæstio LXXIX.

Utrum Ecclesia olim ob atrociora quædam delicta, vel ipsis morientibus absolutionem denegaverit.

Respondeo, hanc quæstionem non posse rite solvi, nisi locorum & temporum habita ratione circumscripta fuerit: quod ut fiat, esto

Prima conclusio.

Non est dubium, quin interdum quibusdam in provinciis austerioris disciplinæ studio quorumdam criminum reis communionis Ecclesiasticæ spes omnis adempta fuerit, ita ut vel ipsis morientibus reconciliationis gratia denegaretur.

Ejusmodi severitatem erga morituros in quibusdam Africæ Ecclesiis adhibitam esse, testatur S. Cyprianus, cujus ævo tanta illa severitas desuetudine obsoleverat; sic enim loquitur Epist. 52. *Apud antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen à Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt: vel quia apud alios adulteris pax dabatur; qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* Hæc ibi S. Cyprianus, qui declarat, quosdam Africanos Episcopos in totum, pœnitentiæ locum contra adulteria clau-

esse, multò magis contra idololatriam & homicidia, quæ mœchiæ sunt flagitio graviora, hoc est ejusmodi criminum conscus, seu viverent, seu morerentur, reconciliationis gratiam denegasse.

Illud ipsum in Hispania ab Bœticæ provinciæ Episcopis factitatum esse, declarant canones Illiberitani bene multi, qui idololatris, mœchis & homicidis reconciliationem vel in exitu denegandam esse sanciunt. Quod spectat ad idololatriam, ejus Concilii canon 1. eam inter crimina pacis denegatione plectenda annumerat. *Placuit inter eos*, (sunt verba canonis) *qui post fidem baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololaturus accesserit, & fecerit quod est crimen capitale*, (alii legunt *principale*) *quia est summum scelus; placuit nec in fine eum communionem accipere.*

Idem statuitur can. 2. de flaminibus, id est Christianis, qui gentilium sacerdotia capessebant: eo quòd geminarent scelera, accedente homicidio, vel triplicarent facinus cohærente mœchia.

Idem statuitur de homicidio can. 6. *Si quis verò maleficio interficiat alterum, eo quòd sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.*

Idem decernitur in adulterium & homicidium can. 63. *Si qua per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus, occiderit, placuit, neque in fine dandam esse communionem.*

Eadem pœna infligitur iis qui denuo mœchati fuerint: *Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus: quòd si promiserit cessaturum, detur ei communio: si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulteriùs non ludere eum de communione pacis.*

Idem statuitur de criminibus ejusdem generis mœchiâ gravioribus, quæ licèt semel dumtaxat essent perpetrata, pari cum aliis denegatæ vel in exitu, communionis pœnâ multabantur. Unde canon 12. ejusdem Concilii mulierculis quæ lenocinium factitaverint, communionem vel sub mortis ictu denegari præcipit: *Mater, vel parens, vel qualibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs suum, placuit eas nec in fine accipere communionem.* Eadem pœna irrogatur can. 65. & 70. viro, cum cujus conscientia mulier sui corporis quæstum facit. Item puerorum stupratoribus can. 71. Item incestuosis can. 66.

In hisce canonibus observandum est, tribus peccatis, mœchiæ scilicet, idololatriæ, & homicidio, consimilem denegatæ vel in exitu communionis pœnam irrogatam esse, cum eo tamen discrimine, quòd mœchiam & adulterium ejusmodi pœnâ non afficiant, nisi quis ea peractâ pœnitentiâ denuo perpetraverit.

Verisimillimum est, hanc distinctionem ab Patribus Illiberitanis adhibitam esse propter edictum Zephirini Pontificis maximi, qui cum Montanistarum, Ecclesiam tria illa peccata remittendi nullam habere potestatem, pertinaciter asseverantium, hæresim suo tempore grassari, hancque disciplinam ab quibusdam Episcopis observari, animo non hæretico cerneret, statuit ut in posterum peractâ pœnitentiâ mœchis & adulteris communio redderetur, ut videre est apud Tertullianum in ipso exordio libri de Pœnitentia, quem jam Montanistarum hæresi deceptus exaravit. Cui summi Pontificis edicto in stricta verborum significatione accepto obtemperavere quidam Patres Illiberitani, & mœchis reddidere communionem, nec propterea in adulteria post actam pœnitentiam revolutis, nec aliis lenocinio, & puerorum stupratione (quæ peccata mœchiâ graviora judicabant) contaminatis communionem pacis abnuere destiterunt: tum quòd id agere Zepherini Pontificis edicto non juberentur, tum quòd ejusmodi vitia, imò vitiorum portenta, suis in oris audaciùs grassari, & in dies mauare latiùs, & corroborari cernerent, atque adeo illa ipsa quantâ maximâ severitate comprimenda, coërcenda, obruendaque judicarent. Nam illi Episcopi Apostolico ædificandæ Ecclesiæ studio succensi, nulla non remedia ad infandas quasque libidines radicitus ex toto orbe revellendas, idonea conquisierunt, conquisita etiam atque etiam expenderunt, expensa sancti Spiritus afflatu suis populis indixerunt.

Enimverò Concilium Illiberitanum Cypriani tempora & persecutionem Decianam multis annis antegressum esse, inficiabitur nemo, si modò Patres Illiberitanos homicidis & idololatris communionem denegare animadverterit.

Hoc enim sanè maximo argumento est, eos antecessisse Novatianorum homicidis & idololatris omnem reconciliationis spem eripientium, hæresim. Nam si didicissent aut advertissent, illam vel ante sua tempora, vel etiam suis temporibus ab Apostolica sede reprobatam, ab Conciliis bene multis damnatam, ab toto denique terrarum orbe proscriptam esse; adeo nullum canonem ei consentaneum condidissent, ut eam toto pectore dubio procul ejurassent. Quis enim dubitet, Episcopos bene animatos (quales erant illi) obtemperaturos fuisse Ecclesiastico de recipiendis homicidis & idololatris decreto, qui simillimo de mœchis ad communionem denuo admittendis edicto paruerant. Cùm ergo homicidas & idololatras ab communione pacis ablegandos esse sanciant, eos Ecclesiasticum illud decretum antecessisse necessariò conficitur.

Quòd autem huic Concilio Novatianæ hæreseos crimen & infamiam quidam allinere certant, perquam sanè ridiculum est. Nam tam Montanistæ, quàm Novatiani, remittendorum quorumdam criminum potestatem abrogabant Ecclesiæ, atque adeo reos ab ejus communione sine ulla spe reconciliationis arcebant. Verùm ab ejusmodi sententia ferali & hæretica Patres Illiberitanos majorem in modum abhorruisse, deprehendet quisquis eorum canones accuratiùs intueri voluerit. Semper enim se communionem pacis quibusdam denegare, non defectu potestatis, sed severioris disciplinæ studio testatum faciunt. Eorum exemplo idem multi Episcopi factitarunt, *non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ*, ut loquitur S. Augustinus Epist. 50. Non solùm in quibusdam Africæ & Hispaniæ Ecclesiis quorumdam criminum reis denegata est etiam in exitu reconciliationis gratia, verùm etiam in Gallia illud ipsum observatum est erga reos publico supplicio mactandus, nec paucis annis illa consuetudo retenta est. Nam perseveravit usque ad annum Redemptoris 1396. usquedum scilicet Carolus VI. plurium procerum, Sacerdotum & virorum principum hortamentis & precibus eam abrogaret edicto regio, eodem ipso Redemptoris anno promulgato; quod legere est apud Fontanonem tom. 1. Edictorum & Constitution. Francorum Regum, tit. 68. num. 1. ex editione ann. 1611. pag. 660.

Igitur reis publicoque supplicio plectendis absolutionis denegandæ consuetudo usque ad Carolum VI. Franciæ Regem in plerisque hujus regni provinciis perseveravit, & etiamnum ejusmodi reis Eucharistiæ denegandæ mos perseverat, ut omnes abhorreant ab omnibus, & præsertim ab iis criminibus, quæ leges civiles fœdo supplicio multari & canones Ecclesiastici, vel consuetudo quæ vim canonum obtinuit, denegatâ quondam reconciliationis gratiâ puniri voluit, & etiamnum denegato Eucharistiæ sacramento, utpote gravissimâ pœnâ plecti præcipit. Si quis illam denegandorum reis sacramentorum consuetudinem ex canonibus quorumdam criminum consciis reconciliationis gratiam vel in ipso

exitu impertiri vetantibus, crediderit arreptam, à vero, ut opinor, non longè aberraverit. Quidquid id est, esto

Secunda conclusio.

Si quis contemptâ Ecclesiâ, à qua desciverat, vel à qua expulsus fuerat, morbo dumtaxat vehementiore conflictatus, & propemodum oppressus, tum primùm pœnitentiam reconciliationemque peteret, & omnino denegabatur, tametsi eam ex animo externis indiciis affatim declarato desideratam efflagitaret. Revera feram illam, licèt alioquin seriam, reconciliationis postulationem Ecclesia, aliquo tempore in Africa repudiavit, & omni reconciliatione penitus indignam judicavit. Hujus propositionis testimonium multò locupletissimum nobis suppeditat gloriosissimus Martyr Cyprianus in Epist. 52. ad Antonianum. Sic enim loquitur: *Dominus in Evangelio beatos dicit plangentes, qui qui plangit, misericordiam provocat: qui pervicax & superbus est, iram sibi & pœnam judicii venientis exaggerat. Et icirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis sua professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Antea illa sanctissimi Martyris verba, imò effata & oracula liquidò demonstrant, vel parvi, vel nihili, & semper factam esse ejusmodi pœnitentiam, quam non pepererit amor Dei, sed vis morbi, imminentisque mortis, servilisque impendentium pœnarum timor ex animo in omnia flagitiorum genera immerso expresserit.

Id ipsum edixit Concilium Arelatense I. Redemptoris anno 314. hoc est, quinquaginta quinque vel sex annis ab S. Cypriani martyrio celebratum, & omnium prope Occidentalium Ecclesiarum cœtu frequentiàque nobilitatum; sic enim decernit can. 22. & ultimo. *De his qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Hæc sunt ipsissima canonis verba, quæ luculenter indicant, iis omnino denegandam esse, vel in ipso exitu communionem, quam in ipsa dumtaxat infirmitate petierint, nec eam illis redhiberi oportere, nisi ex morbo recreati sese ad reconciliationis gratiam per condigna satisfactionis opera obtinendam comparaverint.

Hanc ipsam sanctionem non obscurè ex Concilio Illiberitano colligere licet. Cùm enim canonem 46. in hæc verba concepit: *Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit idololatra, post decem annos placuit communionem accipere.* Cùm, inquam, hunc canonem condidere Patres Illiberitani, satis significarunt, se admissum ire ad fidelium communionem apostatam, qui quamquam per multos annos abfuisset ab Ecclesia, eidem tamen sanus & incolumis flagitandæ reconciliationis gratiâ sese sisteret, nullo idololatriæ crimine contaminatus; (alioquin vel in exitu omnis ei spes reconciliationis fuisset erepta) tunc enim decennali pœnitentia perfunctus in pristinam communionem restitutus esset. Ergo per regulam à contrario deductam, si ejusmodi apostata, cogente sanè durissimo necessitatis telo, hoc est præter solitum urgente morbo, reconciliationem flagitasset, nihil ab ejusmodi Patribus præter repulsam referre potuisset.

Tertia conclusio.

Tametsi Ecclesia quibusdam in locis & quibusdam temporibus aliquot flagitiis vel in ipso exitu veniam non indulgentiæ desperatione, sed rigore disciplinæ denegaverit, nullum tamen agnovit peccatum irremissibile, cujus consessi pœnitentiam agere vellent. Hac in parte Tertullianus Montani hæresin amplexus ab illa ipsa Ecclesia discedere & diffidere non potuit, quin ab semetipso & discederet & diffideret. Quam levitatem agnovit eo tempore, quo eam erubescere debuit. *Erit igitur & hic adversus Psychicos titulus*, ait libri de pudicitia cap. 1. *adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Quicquid egerit, viderunt omnia sæcula, & obstupuerunt animadvertendam illam instabilitatem, quâ deflexit ad hæresin, ut quæ de omnium omnino peccatorum pœnitentia & remissione catholicè stabilierat in doctissimo de pœnitentia libro, eadem illa hæreticâ pertinaciâ in lib. de pudicitia convelleret, & alia peccata remissibilia, alia verò irremissibilia esse ejusdem libri cap. 2. contenderet. In refellendo hac in parte Tertulliano pluribus immorarer, nisi semetipsum pugnantia loquendo in duobus libris proximè laudatis satis superque refutarer.

Hic tantùm adjiciam, quod de eo perdidit Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 24. Tertulliani laudes mihi mirificè prosecutus, ait. *Ejus quot penè verba, tot sententia sunt; quot sensus, tot victoria.* Et paulò pòst subjicit: *Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic, inquam, Tertullianus catholici dogmatis, id est universalis, ac vetusta fidei parum tenax ac disertior multò quàm fidelior, mutatâ deinceps sententiâ fecit ad extremum quod de eo beatus Confessor Hilarius quodam loco scribit: Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus authoritatem; & fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio. Quippe qui novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia, veras prophetias adseveraverit.* Hæc ibi.

Quarta conclusio.

Viri docti censent, prioribus Ecclesiæ sæculis id in statu solemnique more positum fuisse, ut idololatræ, mœchi & homicidæ, quantavis se pœnitentiâ discruciarent, ordinariè, ne in exitu quidem absolverentur. Nam primò quantum ad mœchos attinet, pristinam illam severitatem, quâ illis etiam ad ultimam vitæ lineam redactis reconciliatio negabatur, decreto suo Zepherinus Pont. max. infregit. Quantum attinet ad lapsos seu idololatras, S. Cyprianus illis cum Clero Romano & Cornelio in Pontificem maximum assumpto reconciliationem impertiit. Ipsam denique severitatem in homicidas exerceri solitam Synodus Ancyrana sustulit. Usque adeo verum est, nullum esse tam immane piaculum, quod sacramentis, hoc est fontibus aquæ & sanguinis è Christi gratiarum abyssi latere scaturientibus in verè pœnitentibus ministerio clavium expiari non possit.

Primò igitur patet, Zepherinum Pont. max. penes quem præcipua, imò quanta maxima procurandæ & propagandæ Ecclesiæ excubabat cura, cùm animadverteret quamplurimos adulterii reos perpetuæ pœnitentiæ (quam illius temporis consuetudo sanciebat) addictos adeo severiorem illam disciplinam nihil colere, ut etiam ab Ecclesia Dei desciscendo ad Dæmonum castra, id est ad hæresin, vel etiam ad gentium idololatriam ceu perduelles transfugæ convolarent, pari ad clementiam prudentiâ

promulgavit edictum, quo adulteros posthac transacto aliquot annorum inter laboriosa pœnitentiæ opera spatio, ad fidelium communionem denuo admitti pro ea quâ pollebat, authoritate voluit, idque ab omnibus in toto terrarum orbe Episcopis observandum accuratiùs imperavit. Hoc edictum, quod mirabiles in Africa motus excitavit, utpote novum & inauditum, & quorumdam Episcoporum (qui ut loquitur S. Cyprianus, *in totum, pœnitentia locum contra adulteria clauserant*) opinioni penitus adversatum, animo pertinaci & hæretico acriùs & infensiùs sugillat & carpit Tertullianus lib. de pudicitia cap. 1. *Audio*, inquit, *edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchia & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. O edictum, cui ascribi non poterit bonum factum. Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem opinor in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ista versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & virgo est. Absit, absit à sponsa Christi tale præconium. Illa quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculâ. Non habet quibus hoc repromittat: & si habuerit, non repromittit: quoniam & terrenum Dei templum citiùs speluncа latronum appellari potuit à Domino, quàm mœchorum & fornicatorum.* Hæc ille, quem pluribus refellere esset operæpretium, nisi refutaretur ab semetipso, & nunquam non hac in parte pugnantia loqueretur. Ait scilicet, Ecclesiam Dei utpote pudicam & sanctam saluberrimum hoc edictum, quo adulteris pœnitentiâ functis reconciliatio repromittitur, auribus respuere, quasi prædicata & annuntiata passim vel ipsis adulteris peccatorum remissio ipsius integerrimæ puritati officeret. Quo pronuntiato quid insulsius ab tanto viro proferri potuit? Tantum enim abest, ut hoc edictum destruat, vel tantillùm Ecclesiæ sanctimoniam, ut eam insigniter astruat. Cùm enim infinitam filiorum multitudinem Christo inexhaustâ fœcunditate parturiat, & nonnulli ob insitam ab originali peccato corruptelam sese capessant ad fœdas libidines, libidinosis & adulteris adulteriorum remissionem annuntiat, ut suam ipsius sanctimoniam filiorum libidine deturpatam, tandem per dignos pœnitentiæ fructus in repurgatis eorum animis corporibusque reflorescere videat.

Ergo quicquid obstrepat Tertullianus hac in parte hæreticus, penes Ecclesiam est summa remittendorum criminum, quantumvis gravium & atrocium, authoritas. Non solùm enim mœchis & fornicatoribus per Zepherinum Pontificem veniam impertiit anno Redemptoris circiter ducentesimo decimo septimo; verùm etiam illa ipsa crimina pluribus ante Zepherinum annis, nonnullis mulierculis, quas Marcus quidam hæresiarcha non solùm mente & animo per hæresin, verùm etiam corpore per libidinem corruperat, factâ exhomologesi, id est exantlatis pœnitentiæ laboribus, condonavit, ut commemorat sanctus Irenæus secundus Lugdunensium Archiepiscopus, lib. 1. adversus hæreses cap. 9. qui floruit ab centesimo septuagesimo octavo Redemptoris anno ad martyrium usque sub Imperatoris Severi persecutione, anno circiter ducentesimo secundo, vel ducentesimo tertio toleratum. Porro pulcherrimum adversus hæreses opus inter annum Redemptoris centesimum septuagesimum septimum & centesimum octogesimum quintum Eleutherio Pontifice composuit: ut liquidò constet, virum Apostolicum & heroïcis Apostolorum temporibus finitimum, ut ipsemet contestatur, ex ipsissimis Apostolorum discipulis didicisse, nullum esse peccatum, quantumvis refervens & immane, quod Ecclesia relaxare nequeat, si modò vera reorum pœnitentia ad summam ejus in relaxandis criminibus authoritatem accesserit.

Quam authoritatem, ut ipsamet Ecclesia illustriùs declaret, monstris etiam, quibus nullam posse veniam indulgeri Tertullianus asserit, uno circiter post Zepherinum sæculo reconciliationem impertiit. *Reliquas autem libidinum furias, impias & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*, ut ait Tertullianus lib. de pudicitia cap. 4. Hæc monstra, de quibus loquitur hoc loco Tertullianus, sunt referventia quædam & immania supra quàm dici potest, flagitia, qualia sunt ea quorum meminit Apostolus Roman. cap. 1. v. 26. & 27. qualia sunt coitus cum animalibus, incestuosæ fratrum sororum copulæ, & aliud genus.

Hujuscemodi monstris pœnitentiam indixit, & veniam repromisit Concilium Ancyranum anno Redemptoris 314. celebratum. Sic enim loquitur can. 15. *De his qui irrationabiliter versati sunt*, (hoc est monstra, seu monstruosa peccata superiùs memorata perpetrarunt) *sive versantur, quotquot ante vigesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterint, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & uxores habentes hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communionem suscipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quòd si qui & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.*

Hactenus verba canonis, ante cujus promulgationem existimat Albaspinæus, monstra illa, id est peccata illa tam execranda tamque horribilia, (tametsi ea remittendi potestas penes Ecclesiam semper extiterit) etiam in ipso mortis articulo non esse relaxata. Nihilo secius eorum relaxationem colligit ex can. 13. Concilii Nicæni I. in quo licèt nulla monstrorum fiat mentio, eorum tamen remissio subindicatur. Si enim apostasiæ voluntariæque idololatriæ reos ad pœnitentiam admittit, hæcque crimina (quibus atrociora nulla censebantur) pœnitentiæ laboribus expiari permittit; monstra, gravia quidem, sed apostasiæ voluntariæque idololatriæ malitiam non adæquantia, laboriosis pœnitentiæ operibus proculdubio expiari sineret. Ut ut sit, ejusmodi monstrorum, hoc est gravissimorum ejusmodi criminum reos constat veniam esse consecutos ex divo Basilio, qui post Nicænum I. Concilium trecentesimo vigesimo quinto Redemptoris anno celebratum floruit. Nam Cæsareæ in Cappadocia renuntiatus est Episcopus circa 369. aut 370. Redemptoris annum, & 378. aut 379. ejusdem Redempt. anno ipsis Kalend. Jan. obiit.

Secundò, quod spectat ad idololatras, hoc est in persecutione lapsos, certum est, eos ab S. Cypriano & Clero Romano sede vacante, & postea ab Cornelio Pontifice, diversimodè in Ecclesiæ communionem restitutos esse. Quod ut liquidiùs explanari valeat,

Observandum est, varia lapsorum fuisse genera, sicut & stantium. *Stantes* dicebantur Confessores pariter & Martyres: dicebantur scilicet Confessores, qui ad Magistratuum tribunalia pertracti Christi fidem constanti impavidoque animo profiterentur: Martyrum autem albo inscribebantur, quotquot

persecutionem propter justitiam passi, suam tandem confessionem oppetita morte coronarent. Lapsi verò varias in classes pro delicti gravitate erant distributi. Alii enim erant *libellatici*, alii *thurificati*, alii *sacrificati*, alii denique *blasphemi*, & hi omnes idololatræ habebantur.

Libellatici dicebantur, non quòd libellum offerrent Magistratui, sed quòd ab Magistratu acciperent libellum, quo eos Christum abnegasse ejusque religionem ejurasse testatum fieret. Quos quidem *libellaticos* velut idololatriæ reos, fideles abhorrere consueverant. Nam ita de illis loquitur S. Cyprianus in lib. de lapsis. *Nec sibi blandiantur, quominus agant pœnitentiam, quia etsi nefandis sacrificiis manus non polluerunt, libellis tamen conscientiam prostituerunt: & illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat, abnuentis: fecisse se dixit, quod alius faciendo commisit.* Hæc ibi.

Id ipsum contestatur idem S. Cyprianus Epist. 68. ad Clerum & plebes in Hispania consistentes, in qua Basilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientiâ vinctos, Episcopatum gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere probat.

Qui propriè fuerint *libellatici*, ex variis S. Cypriani locis ita colligit Baronius ad ann. Christi 253. n. 21. *Cùm propositis*, ait, *à provinciarum Præsidibus Decii Imperatoris edictis, ut Christiani omnes sacrificarent, qui id facere erubescerent, Magistratum adirent, vel ad eum alios suo nomine mitterent, rogarentque, ne ad sacrificium immolandum compellerentur. Cæterùm se Christum negare, iidemque etiam pro hujusmodi dispensatione consequenda pecuniam spondere nt: Magistratus verò post negationem concessionis libellum scriberet. Qui igitur hunc in modum fidem prodidissent, & similiter perdidissent, libellatici dicebantur, quòd libellum securitatis à Magistratu conscriptum accepissent, cùm negassent.* Hactenus Baronius.

Non ergo erant libellatici, qui ne cogerentur Christum negare, pecuniâ se redimerent; (cùm aliquando Christiano se pecuniis à persecutoribus redimere liceat) sed ii dumtaxat eo appellabantur nomine, qui abrogato vel clam vel propalam Christo, datis pecuniis securitatis libellum ab Proconsule acciperent. Ita se gessit Martialis, qui in S. Cypriani actis etiam publicè habitis apud Procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse contestatum esse, laudatâ jam Epistolâ commemorat.

Illi igitur dumtaxat *libellatici* ab S. Cypriano vocitantur, qui cùm Christum negassent, idque cùm se fecisse Magistratui testatum fecissent, securitatis libellum ab eo numeratis pecuniis acciperent: neque eo nomine donati sunt quidam alii, quorum meminit Plinius junior lib. 10. Epistolar. Epist. 97. quique statim atque promulgatum adversùs fideles edictum audierant, negabant per oblatos Præsidi libellos se esse Christianos aut fuisse, ne conjicerentur in vincula, vel aliquam fortunarum jacturam paterentur. Tametsi enim hujusmodi homines non minùs essent criminosi, quàm alii, qui propriè dicebantur *libellatici* non tamen eo nomine designabantur, eo quòd pauciores reperirentur, qui ita Christum ejurarent, quàm alii qui abnegato Christo impetratis ab Magistratu pecuniarum beneficio libellis, sese persecutionis turbini subducerent. Unde apud Cyprianum de lapsis passim differentem, nulla eorum hominum Christum apud Proconsules per libellos ejurantium mentio deprehenditur: ita ut cùm de libellis agit, de libellis dumtaxat ab Magistratu acceptis ab erudito quolibet intelligatur.

Præter *libellaticos* ad lapsorum numerum aggregabantur *sacrificati*, omnes scilicet, qui quomodocumque vel idolis immolassent, vel idolothyta seu idolis immolata gustassent.

Erant & inter lapsos *thurificati*, qui ad simulacra & idola thus adolevetant.

Inter lapsos etiam annumerabantur *blasphemi*, qui ita Christum abnegabant, ut etiam illum blasphemiis apperterent, quod & ab plerisque factitatum affirmat Plinius Junior lib. 1. Epist. 97. jam citata.

Omnes denique lapsi dicebantur vocabulo generali *idololatræ*, qui quemlibet religiosis cultum publicè idolis exhibuissent.

Hæc omnia sunt lapsorum genera, de quorum absolutione disceptabatur S. Cypriani temporibus, qui quidem eorum reconciliationi annuebat, si modò ex ea nihil detrimenti Ecclesiæ disciplina caperet: qua in parte ut se S. Cyprianus gesserit, paucis attingendum est.

Cùm multi in persecutione Deciana essent lapsi, properatam reconciliationem nullâ prævia satisfactione ab Episcopis non tam obtinere, quàm extorquere gestiebant: obtentu scilicet libellorum, quos ab Martyribus & Confessoribus assidua deprecantium & obtestantium importunitate flagitatis, elicuerant, rati non posse sibi ab Sacerdotibus eam denegari reconciliationis gratiam, quam Confessores, qui Christum confessi, carcerique mancipati, nondum in quæstione tormenta susceperant, quamque Martyres, qui tormentorum sævitiam Christianâ constantiâ superaverant, ab Episcopis in lapsorum gratiam flagitarent.

His nimirum libellis lapsi sic intumuerant, ut jam non pacem veluti gratiam ab maternis Ecclesiæ visceribus proficisci solitam, Christianâ humilitate & modestiâ deprecarentur, sed velut justitiæ titulo debitam passim ab Episcopis & Presbyteris exigerent. Unde ista S. Cypriani ad Clerum Rom. scribentis expostulatio: *Hujus seditionis origo jam cœpit: nam in provincia nostra per aliquot civitates in præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem, quam semel cuncti à Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coëgerunt, territis & subactis præpositis suis, qui ad resistendum minùs virtute animi & robore fidei prævalebant.* Hæc S. Cyprianus Epist. 22. Hac de re plures litteras S. Cyprianus scripsit, quas qui legerit, multa ad istius sæculi historiam pertinentia condiscet.

Clerus Romanus religiosissimus S. Cypriani litteris mirificè delectatus, eum mirabiliter animavit, & tantum Præsulem jam doctissimum & Ecclesiasticæ disciplinæ usquequaque tenacissimum, Epistolâ, quæ apud eum est 31. quid in eo rerum & calamitatum articulo aggredi & exequi oporteret, admonuit.

Primò enim ad lacrymas & orationes confugiendum esse indicavit. *Mutuis*, ait, *votis nos invicem foveamus, custodiamus, armemus: oremus pro lapsis, ut erigantur: oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur: oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam.* Postea subdit: *Multum illis* (lapsis) *proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa.* Et sub finem docet, quo temperamento lapsos tractare oporteat. *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam* (pergit Clerus Romanus) *mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras dilationis sustinere possunt, causa teneatur: eorum autem quorum vita sua urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ & professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes vivendi secundum hominem nul-

la substiterit, ita demum cautè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat. & qualiter judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. Hactenus autea Cleri Romani verba, quæ quidem tria observatu dignissima nobis apertè significant.

Primò eorum declarant, quantâ curâ quantaque sollicitudine Romani Sacerdotes & Clerici, sede vacante prospexerint, ne leviores, quàm par est, satisfactiones injungendo pœnitentialem disciplinam infringerent, atque adeo alienorum peccatorum participes efficerentur: quippe qui, ut contestantur ipsi, in lapsorum causa temperamenti moderamen tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante con[illegible]onem Episcopi nihil innovandum putaverunt, [illegible]psorum curam mediocriter temperandam esse cre[illegible]erunt, eo scilicet modo, quem proximè recitavimus.

Alterum observatu dignum admonet, quàm parum tuta, (quæ est saluberrima in hunc locum Baronii animadversio aliàs à nobis relata, & sanè digna quæ hîc denuo referatur) quámque dubia sit illa festinanter exhibita reconciliatio, etiam petentibus eam cum lacrymis.

Tertium denique in his Cleri Romani verbis observandum, declarat Romani Cleri Presbyteros pacem etiam morientibus fuisse denegaturos, nisi manifesta contriti animi & verè pœnitentis in ejusmodi hominibus indicia deprehendissent & rescivissent eos petiisse & egisse pro viribus pœnitentiam, antequam urgente morbo ad extremam vitæ lineam adigerentur. Nam quibuslibet in ipso dumtaxat necessitatis articulo pœnitentiam etiam seriò flagitantibus, Christi Sacerdotes illis temporibus abnoere consueverant in his Ecclesiis, ut jam suprà annotavimus.

Tam magnificis Cleri Romani litteris acquievit S. Cyprianus, & aliquid œconomicè, & provisionali, ut ita dicam, decreto noonihil de pœnitentialis disciplinæ severitate relaxavit: ita tamen ut omnia sese optimis rationibus, nihil autem suo arbitratu gessisse fateatur. *Postmodum verò cùm quidam de lapsis* (ait Epistolâ 14.) *sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione prorumperent, ut pacem sibi à Martyribus & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum litteras feci, & legi eas mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello à Martyribus accepto de sæculo excederent, exhomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi à Martyribus promissa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere constitui: sed cùm videretur & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, & præterea vestra scripta legissem, quæ huc ad Clerum nostrum per Clementium Hypodiaconum nuper feceratis, ut iis qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur: standum putavi, & cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet.* Hactenus S. Cyprianus, qui quomodo sæviente persecutione lapsorum saluti cum Clero Romano consuluerit, commemorat.

Igitur quid redditâ Ecclesiæ pace de lapsorum causa sit constitutum, indagare, & ex ipso Cypriano discere operæpretium est.

Propterea observandum, duas Synodos, Africanam nimirum & Romanam, ad eam rem accuratè discutiendam fuisse celebratas, & ut ab eodem S. Cypriano accipimus.

Nam quid de lapsis decreto peremptorio sit constitutum in utraque Synodo, luculenter enuntiat. Quod enim spectat ad Synodum Africanam, peremptorium ejus decretum explicat Epist. 52. ad Antonianum: *Secundùm quod antea fuerat destinatum, persecutione sopita, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quòd sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ & voluntates, & necessitates singulorum, secundùm quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt.*

Ex his S. Cypriani verbis colligere licet, quanto studio in retinendam pœnitentiæ disciplinam incubuerint iis temporibus Episcopi, quippe qui ne tantillum quidem de pristina severitate deflectere nec volebant, nec audebant, quin priùs in Spiritu sancto legitimè congregati, prolatis in utramque partem Scripturis, diu multumque versassent, quo temperamento lapsis annuerent spem pacis, & quæ quantaque pœnitentiæ opera iisdem injungerent. Nisi (quod summopere dolendum est) temporum injuriâ periisset libellus iste, cujus hoc loco meminit S. Cyprianus, in eo videremus, quænam & quanta, & quanto temporis spatio exercenda pœnitentiæ opera unicuique lapsorum Africana illa Synodus indixerit.

Africanam illam Synodum Cornelius in summum Pontificem assumptus alterâ Synodo Romæ celebratâ mirificè roboravit, ut testatur ibidem S. Cyprianus: *Ac si minùs*, ait, *sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit.* Hæc ibi.

Quid autem in lapsorum causa, sive sani & incolumes forent, sive premente morbo in vitæ periculum adducerentur, sit constitutum, & quo pacto illi ipsi sanctioni consenserit Cornelius Pontifex maximus, egregiè declarat idem S. Cyprianus Epist. 54. ad ipsum Cornelium Africanæ Synodi nomine inscripta: *Statueramus quidem jampridem*, ait, *frater charissime, participato invicem nobiscum Concilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hîc priùs in Ecclesia solverentur.*

Ex his S. Cypriani verbis & rationibus ipsum gloriosissimum Martyrem idololatris reconciliationis gratiam indulsisse, etiam antequam gemina Synodos, Africana nimirum & Romana, iis concedendam pacem decerneret, non malè quis intulerit. Quicquid id est, saltem idololatris ab SS. Pontificibus Cypriano & Cornelio concessam esse, nemo prudens inficiati voluerit.

Ex

Ex his locis colligi potest, prioribus Ecclesiæ sæculis eum statum & solemnem fuisse morem, ut mœchis, & idololatris, & homicidis reconciliationis gratia denegaretur. Nam & mœchis, si modò pœnitentiæ labores capesserent, veniam ab Zephetino Pontifice maximo frustra tumultuantibus Africanis indultam fuisse ostendimus : idololatras, si non antè, saltem S. Cypriani & S. Cornelii temporibus reconciliationis gratiâ donatos esse probavimus. Superest igitur ut homicidas eamdem gratiam ab Ancyrana Synodo consecutos esse comprobemus.

Tertiò igitur Concilium Ancyranum 314. Redemptoris anno celebratum, homicidas in Ecclesiæ communionem peractâ pœnitentiâ restituendos decernit can. 21. *Qui voluntariè, ait, homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant; perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur; hoc est, eis Christi corpus in Eucharistia præbeatur.*

Ita statuit de homicidio voluntario. De involuntario autem sequenti can. ita decernit : *De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit. Secunda verò quinquennii tempus explere. Modus autem hujus sententiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundùm conversationem pœnitentiam possint & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.* Hæc ibi.

Constat igitur ex allegatis & probatis tota hac quæstione, adeo non fuisse statum & solemnem Ecclesiæ morem, ut mœchis, idololatris & homicidis reconciliationis gratia denegaretur, ut etiam fuerint reconciliati illo ipso tempore, quo Novatiani nihil non moliebantur, quò ejusmodi peccata remittendi eidem Ecclesiæ potestatem abrogarent. Jam igitur examinandum superest, quid de canone 13. Concilii Nicæni I. circa morientium pœnitentiam sentire oporteat. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXXX.

Utrum Ecclesiæ disciplinam ægros in infirmitate dumtaxat pœnitentiam deprecatos reconciliare prohibentem canon 13. Conc. Nicæni I. vel omnino, vel aliqua ex parte infregerit?

RESPONDEO, ejusmodi canonem nihil veterem Ecclesiæ labefactâsse disciplinam. Quod ut planum fiat, hunc ipsum canonem hîc propriis verbis ascribere necesse est. Sic igitur habet.

De his verò qui recedunt de corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam nunc : ita ut si fortè quis recedit ex corpore, ultimo & necessario viatico non defraudetur. Quòd si desperatus, & communionem assecutus, supervixerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & Eucharistiæ participationem petenti, Episcopus cum examinatione oblationem impertiat.

Hujusmodi canon tria, & illa quidem Ecclesiæ disciplinam circa morituros insigniter astruentia, præcipit.

Nam primò morientem reconciliationis gratiâ donari imperat.

Secundò, si, qui credebatur moriturus, revalescat, eum in quarto pœnitentiæ gradu collocari jubet.

Tertiò denique, nemini morienti, & Eucharistiam petenti, denegandam esse decernit, si modò Episcopus expensâ ejus vitâ, eum tantâ gratiâ dignum judicaverit. Quæ tria, ut jam insinuavi, Ecclesiæ disciplinam præclarè stabiliunt.

Quod enim spectat ad primam canonis partem morituros necessario viatico defraudare vetantem, eam de pœnitentibus intelligendam esse, multa comprobant. 1°. Canones superiores ejusdem Concilii, nempe 11. & 12. decernunt pœnitentiam, quâ sanos & incolumes mulctari oporteat : postea Concilii Patres servandas in morientium pœnitentia regulas constituunt : *De his autem,* &c. ut loquuntur in can. 13. hoc est, de pœnitentibus verò : hanc enim vocem, *pœnitentibus*, supplet Rufinus lib. 2. Hist. ubi hunc canonem recitat. Et hanc vocem rectè ab eo suppleri verisimillimum est. Cùm enim ab Concilii Nicæni celebratione ad ejus ætatem usque vix anni octoginta effluxerint, ejus mentem facilè assequi potuit.

Hunc etiam canonem de pœnitentibus intelligunt Zonaras & Balsamon in canonum intelligentia versatissimi.

Hæc erat igitur canonica lex, ut quotquot adhuc incolumes pœnitentiam susceperant, imminente mortis periculo absolverentur, etiamsi nondum eam penitus obiissent, & juxta canones, eorum, si devixissent, munera reciperentur, quia pœnitentiam honoraverant. Nihil ergo ecclesiasticæ disciplinæ officit prima hujus canonis pars, quæ pœnitentes ad ultimam vitæ lineam redactos absolvi præcipit.

Non est igitur morituris pœnitentibus denegandum viaticum necessarium, id est, absolutio sacramentalis, quæ si sola esset, minor reconciliatio dicebatur. Quòd autem per viaticum necessarium hæc reconciliatio, non autem Eucharistiæ perceptio intelligatur, patet ex eo, quòd in principio Canonis, *necessarium illud* quodcumque sit, *viaticum* appelletur; in fine autem, non necessarium, utpote authoritate dumtaxat Episcopi conferendum asseratur.

Ut ergo tollatur ea contrarietas, quæ inter primam & ultimam hujus canonis partem, primo aspectu cernitur & apparet, dicendum est per *viaticum necessarium,* intelligendam esse reconciliationis gratiam, non autem Eucharistiam, quâ, si viaticum esset necessarium, pœnitentes morituri sæpe fraudarentur, siquidem nonnisi ab Episcopo post accuratam in morientium mores inquisitionem concedenda decernitur. Nam vix ejus viatici necessarii mox morituro administrandi suppeteret tempus, si consultum Episcopum in ejus vitam inquirere, eique postmodum necessarium hoc illi impertiri viaticum oporteret.

2°. Ejusmodi canonem ad pœnitentes esse referendum evincit illa sanctio, quâ reconciliatione donatus ad quartum pœnitentiæ gradum, hoc est ad *consistentium* numerum ascribitur. Quod argumento est, cum hominem in imminenti mortis periculo absolutum integris viribus pœnitentiam iniisse. Nunquam enim impœnitens omissis tribus aliis pœnitentiæ gradibus ad quartum, hoc est ad *consistentiam* ascendere sineretur.

3°. Eumdem illum canonem de pœnitentibus intelligi oportere, probant postrema ejus verba, quibus morituris pœnitentibus Eucharistia, non nisi Episcopi, discussâ morituri vitâ, quid opus sit facto, judicantis authoritate, porrigenda decernitur. Certum est enim, canones, quotquot agunt de pœnitentibus morientibus, iis indulgere reconciliationis, saltem minoris, gratiam, ut illorum nemo ex hac vita migraturus necessario hoc viatico defraudetur. Quod autem ad Eucharistiam attinet, decernunt ei tantùm impertiendam esse, quem Episcopus maturo examine libratis ejus moribus tanto sacramento dignum esse declaraverit. Ab omni enim ævo Ecclesia tantâ religione Eucharistiam præsentiâ dominici corporis consecratam prosecuta est, ut eam, quantum in se fuit, nemini nisi integerrimo, innocentissimoque porrigeret. Eam ob rem extrema hujus canonis pars nemini dandam Eucharistiam, nisi de Episcopi judicio & authoritate præcipiens, ad solos pœnitentes pertinere meritò creditur.

Nam tria dumtaxat sunt hominum genera, quæ possunt hoc canone comprehendi: insontes videlicet, & veri Christiani; pœnitentes & impœnitentes, qui anteactæ vitæ flagitia pœnitentiæ lacrymis & laboribus eluere abnuunt. Atqui insontes & verè fideles non comprehenduntur hoc canone: neque enim consultum priscis illis temporibus oportuit Episcopum, qui de Eucharistia insontibus Christianis impertienda vel deneganda judicaret. Insontes enim, hoc est nullo lethali flagitio contaminatos, esse filios Dei, nemo unquam prudens in controversiam evocavit: sicut & flagitiosos & pœnitentiam semper aversatos, ab divino Christi convivio procul ablegandos esse, nemini unquam dubium extitit. Ergo supersunt soli pœnitentes, quorum vitam cùm Episcopi ponderaverant æqua lance, illis ex æquo & bono Eucharistiam impertiebantur in exitu, vel denegabant.

Quæstio LXXXI.

Utrum & quomodo posterior Ecclesiæ consuetudo circa moribundos pœnitentes priorem mitigaverit juxta Innocentii I. litteras ad Exuperium Tholosanum Antistitem inscriptas.

Ut hæc quæstio solidiùs enodari, & ab ipsis radicibus lunari valeat, operæpretium est, ipsissima recitare verba, quibus Innocentius quæstionem ab præfato Tholosatium Episcopo propositam dissolvit. Illum igitur loquentem audiamus. *Et hoc quæsitum est, quid de his observari debeat*, (ait Innocentius Pont. max. Epist. 2. ad Exuperium Episcopum Tholosanum cap. 2.) *qui post baptismum omni tempore incontinentia voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessâ pœnitentiâ, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum, profecturis: & ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia, extrema communio. ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.* Hactenus sanctissimus Pontifex Innocentius eo nomine I. qui ut quæstioni ab S. Exuperio propositæ satisfaciat, in duarum rerum explicatione versatur.

Tomo I. Conc. Gall. fol. 35.

Nam 1°. duriorem consuetudinem olim circa pœnitentes moribundos observari solitam explicat, ejusque rationem edisserit. 2°. Posteriorem minoremque circa eosdem pœnitentes consuetudinem observandam enuntiat, ejusdemque rationem ex pacatis Ecclesiæ rebus repetitam non obscurè significat.

Ut igitur ejus vestigiis inhæreamus, inquirere juvat, in quo præsertim durior illa consuetudo & disciplina consisteret, & erga quos potissimùm pœnitentes exerceretur rigidis illis temporibus, quibus & interritus Episcoporum vigor, & invictus pœnitentium ardor ardua quæque & difficilia nullo negotio, imò flagranti studio capessebat.

In quo verteretur durior illa consuetudo, affatim colligitur ex allatis Innocentii verbis, quæ illam in hoc positam fuisse significant, ut flagitantibus concederetur pœnitentia, communio autem negaretur. Hoc est, eis factitandæ pœnitentiæ jus dabant Episcopi, & denegabant absolutionem, quæ hic apposito communionis vocabulo designatur. Nemini enim erudito latet, in sanctorum Patrum scriptis & Conciliis absolutionem communionis nomine sæpenumero significari, siquidem ejus beneficio pœnitentes in communionem fidelium & orationum societatem, decurso tertio pœnitentiæ gradu, restitui consueverant.

Verùm non exigua difficultas emergit ex verbis Innocentii aientis, priscis illis temporibus pœnitentiam quidem esse concessam, communionem verò (hoc est absolutionem, ut jam insinuavimus) esse denegatam.

Quæ consuetudo prima specie rationem & charitatem in pœnitentes exercendam sua, ut ita dicam, immanitate labefactat. Quid enim durius excogitari potest, quàm pœnitentiam imponere & indicere morituris, & reconciliationis gratiam, ad quam potissimùm collineat, iisdem denegare.

Hanc à se cogitationem ablegabit procul, qui pœnitentiam moribundis pœnitentibus, denegatâ etiam absolutione, datam, maximas utilitates attulisse perpenderit.

Nam 1°. per illam pœnitentiæ impositionem maxima solvebatur excommunicatio, quam ejusmodi homines per apostasiam, aut aliud quodlibet lethale flagitium incurrerant. Certum est enim, Christianos quoslibet lethali flagitio fœdatos ab corporis Christi participatione fuisse seclusos primis illis temporibus, atque adeo majori excommunicatione perculsos.

Quæ enim major excommunicatio infligi potest homini lethali crimine contaminato, quàm eum ablegare ab Christi corpore, cujus participatio maximam inter Christum & Christianos, & Christianorum secum invicem communionem perficit. Certum est ex Tertulliano & S. Cypriano quodlibet gravius delictum corporis Christi privatione mulctatum esse. *Christus noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidiè postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur*, ait S. Cyprianus in Orat. dominicam.

Non igitur parvipendenda est ea utilitas, quâ moribundi pœnitentes alioquin ab Christi corpore suo flagitio divulsi, per impositionem pœnitentiæ denuo in idem corpus, quod est Ecclesia, velut rediviva quædam membra cooptarentur. Sic enim loquitur S. Cyprianus loco laudato, ut Christianos lethalis culpæ conscios ab utroque Christi corpore, hoc est ab eo quod continet Eucharistia, & ab eo quod constituit Ecclesia, fuisse segregatos, vel tandem segregandos affirmare videatur.

2°. Super gementium capita fundebantur preces ab Ecclesia institutæ, quibus divinam misericordiam in ejusmodi reos Sacerdotes allicere conabantur: quas preces, si quis irritas, & nihil morituris profuturas fuisse, asserere vellet, dubio procul Ecclesiam ut rerum ludicrarum & inutilium inventricem facetosa dicacitate laceraret.

3°. Denique, tametsi absolutionem denegarent ejusmodi hominibus, iis tamen pollicebantur veniam, non ab hominibus, sed ab ipsomet Deo consequendam, si illum eorum criminibus lacessitum per digna debitæ satisfactionis opera placare contenderent, adpromittebant scilicet Deum ignoscentissimum ipsis parciturum esse, si sibi non parcerent. Satis quippe habebant Episcopi moribundos ejusmodi pœnitentes constituere in

eo statu, quo per se divinum numen placare possent, rari, si fideliter pœnitentiæ labores obirent, illis ab ipso concedendam esse reconciliationis gratiam, quam denegabant iis, ne ecclesiastica circa pœnitentiam disciplina penitus elideretur.

Hanc disciplinam imponendæ moribundis pœnitentiæ denegata communione, sive absolutione, hausisse videtur Innocentius I. ex Concilio Valentino I. triginta circiter annis, antequam Exuperio decretum illud suum per litteras significaret, celebrato. Suam enim Epistolam secundam, scilicet ad præfatum Exuperium, direxit 405. Redemptoris anno; Concilium autem Valentinum I. suum canonem id ipsos erga moribundos sancientem anno 374. condidit in hæc verba: *Circa eorum verò personas, qui se post unum & sanctum lavacrum vel profanis sacrificiis Dæmonum, vel incesta lavatione polluerint, eam censura formam duximus esse servandam, ut his juxta Synodum Nicænam, satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel solatii janua desperatione claudatur. Acturi verò pœnitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plenè sperare debebunt, qui ejus largitatem & solus obtinet, & tam dives misericordia est, ut nemo desperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.*

Hactenus tertius Concilii Valentini I. canon declaravit, hujusmodi Concilii Patres profiteri se adhærescere ad Nicænam Synodum, à qua tamen longissimè recedere videntur. Nam reos criminum quæ recensent in ipso canonis exordio, deducunt in perpetuam pœnitentiam, cùm eosdem, hoc est eorumdem criminum conscios, Nicænæ Synodi canon II. per duodecim dumtaxat annos satisfacere jubeat, atque ita reconciliari.

Non igitur hac in parte ad Nicænam Synodum Valentini Patres adhærescunt; sed ejus decretis in eo consentiunt, quòd spontaneis idololatris factitandæ pœnitentiæ jus offerant, & aperiant satisfactionis aditum, qui universis infando illo idololatriæ crimine dehonestatis ante Nicænum Concilium interclusus fuerat. Sed mirum hoc videri debet, quòd Valentini Patres, qui alioquin Nicænorum Patrum vestigiis insistere, sese illis multò rigidiores præbuerint, gravioresque pœnas, hoc est perpetuam, denegatâ communione sive absolutione, pœnitentiam, viris idololatriæ labe suffusis infligere voluerint.

Inde fortè hujusmodi Antistites maximo divinæ gloriæ studio succensi, majoris severitatis ansam arripuere, quòd per quinquaginta circiter annos qui inter Nicænam I. & Valentinam suam Synodum intercurrerunt, deprehenderunt idololatriam frequentiùs & audaciùs solito in populos grassati, ideoque tantam luem latiùs in dies manantem acrioribus etiam solito pœnis coërcendam esse censuerunt.

In hoc ergo posita erat durior illa consuetudo erga moribundos pœnitentes exerceri solita, quòd iis imponeretur pœnitentia; sed communio, hoc est absolutio negaretur, & promitteretur scelerum remissio & venia, non ab homine, sed ab uno Deo per pœnitentiæ labores sponte susceptos impetranda.

Nunc ergo discutiendum superest, ergà cujusmodi homines ea disciplinæ severitas adhiberetur.

Hanc severitatem erga desertores & apostatas adhibitam esse verisimillimum est; tametsi enim Innocentium Pontificem maximum, hypothesin ad thesin, hoc est generalem disputationem controversiamque revocasse contendant aliqui, multi tamen eruditi ejusdem Pontificis decretum de lapsis potissimùm, hoc est apostatis, intelligi oportere sentiunt.

De Sacram.

Ac reipsa quidem pessimè (absit verbo invidia) ratiocinatetur Innocentius, si durioris illius consuetudinis rationem repeteret ab crebris persecutionibus, quæ ad eos, de quorum crimine & pœnitentia tunc temporis agebatur, nihil omnino pertinerent. Ergo ipsius Innocentii verba ad unos duntaxat idololatras referenda sunt, eos siquidem unos grassata persecutio in crimen & lapsum impelleret: cùm cæteri peccatores ab sua concupiscentia tentati, abstracti & illecti in interitum ruant voluntarium.

Si quis objiciat, Innocentium Pontificem max. propositam ab Exuperio Tholosatium Episcopo objectionem dissolvere debuisse, & reipsa dissolvisse, atque adeo cùm Exuperius quæreret dumtaxat, quo pacto essent adhibendi ejusmodi homines, qui cùm post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus fuissent dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem exposcerent, credibile est de ejusmodi dumtaxat hominibus Innocentium esse locutum, atque adeo de idololatris & lapsis nullatenus intelligendum esse, sicut nec hypothesin ad thesin revocasse.

Verùm hæc objectio nullo negotio dissolvitur. Nam licèt Exuperius de lapsis nullam mentionem fecerit, de iis tamen intelligi illum oportere declarat Innocentii responsio. Cùm enim ob crebras persecutiones, quibus illis temporibus Nicænam Synodum antegressis jactabatur Ecclesia, multi in idololatriæ crimen incurrerent, Episcopi lapsos denegata communione, hoc est absolutione plectere voluerunt, ne præfatæ communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu. Hæc erat mens Ecclesiæ, quæ modis omnibus, & præsertim majori disciplinæ severitate fideles tunc in officio continere, & ab teterrimo idololatriæ scelere materno affectu & studio avertere conabatur. Quam responsionem tanti Pontificis nemo intueri potest, quin illico eum de idololatris cogitasse, & de eorum pœnitentia locutum esse, atque adeo ad Exuperii mentem respondisse fateatur. Nec propterea hypothesin ad thesin revocavit, ut suprà insinuavimus.

Si quis iterum urgeat, contendatque Exuperium Innocentium Pontificem interrogasse de modo, quo eum libidinosis, qui omnem vitam suis flagitiis fœdaverant, & pœnitentiam & reconciliationem in extrema vitæ linea flagitarent, agere oporteret.

Respondeo, multos in persecutione lapsos pœnitentiam in mortis tempus & periculum distulisse, ne in integra sanitate positi duros diuturnosque pœnitentiæ labores exantlare cogerentur. Cùm enim alia peccata leviori breviorique pœnitentiâ castigarentur, & ægrè admodum idololatriâ, utpote omnium scelerum gravissimo, devinctis, nisi & duris & diuturnis pœnitentiæ laboribus perfungerentur, indulgeretur venia, multi ea disciplinæ pœnitentialis asperitate deterriti imitabantur eos perduelles, quorum meminit Apostolus Eph. 4. v. 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Hinc factum est, ut libidinosi, quorum maxima pars ab Christo per idololatriam desciverat, illis temporibus apostatæ dicerentur. Et ejusmodi homines abjectâ suæ salutis curâ, in ultimum vitæ discrimen factitandam rejiciebant pœnitentiam, & eos vicissim denegata communione, hoc est absolutione, licèt impositâ pœnitentiâ, Ecclesia quodammodo rejiciebat, eosque eo nomine, quòd pœnitentiam reconciliationemque flagitarent, ut apostatas Concilia damnaverant.

Hactenus de duriore illa consuetudine denegandæ absolutionis iis hominibus, qui eam in ultima vitæ

periodo flagitarent: jam expendenda est altera, quam Innocentius, interveniente misericordia, inclinatiorem vocat.

Posteriorem hanc consuetudinem his verbis explicat præfatus Pontifex. *Tribuetur ergo cum pœnitentia, extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.*

Decernit ergo Innocentius, apostatis tribuendam esse extremam communionem, hoc est reconciliationis gratiam, seu absolutionem à peccatis. Posterior ergo consuetudo circa pœnitentes moribundos observari solita, in eo discreparet à priori, quòd non solùm iis imponendam pœnitentiam, sed etiam impertiendam esse reconciliationis gratiam indiceret; prior verò & durior, imponendam quidem iis pœnitentiam, ut benedictione pœnitentiæ moribundi erigerentur in spem veniæ ab uno Deo consequendæ; at reconciliationem denegandam esse denegaret.

Posteriorem illam consuetudinem moribundis pœnitentibus reconciliationem indulsisse, colligitur ex triplici capite.

1°. Ex eo quòd Innocentius hanc indulgentiam acceptam referat pacatis Ecclesiæ temporibus, quibus, quia defervuerat persecutionis ardor, atque adeo jam non verendum erat, ne multi (quod fiebat antea) carcerum aut suppliciorum metu fracti debilitatique ab Christo desciscerent, Ecclesia quæ flagrante persecutiône suos propositâ denegandæ communionis seu absolutionis pœnâ, ab lapsu deterrere voluerat, redditâ postmodum pace sese ignoscentiorem præstitit.

2°. Eam lapsis indulgentiam exhibuere Episcopi, ne in Novatianorum remissionem veniamque denegantium, & Ecclesiæ omnem ab atrocissimo quoque peccato absolvendi authoritatem abjudicantium, hæresim & immanitatem incurrere viderentur. Hæc ratio, quæ tunc temporis Sacerdotes ad impertiendam reconciliationis gratiam impulit, nihil obstitit, quin secutis temporibus, etiam post Novatianos hæresi & errore convictos damnatosque, illam ipsam gratiam in certis rerum personarumque circumstantiis, ex officii religione denegaverint; quippe qui, sicut peccata remittendi, ita etiam retinendi potestatem sese à Christo Domino, supremo animarum nostrarum Episcopo, accepisse reseiscerent.

3°. Denique id ipsum colligitur ex ipsis Innocentii verbis: *Ut*, inquit, *apostatæ & alii peccatores vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur*; hoc est, ut eis major suæ salutis spes affulgeat. Nam revera non tam periclitabatur eorum salus, qui absolutionis gratiâ donabantur, quàm eorum, quibus licèt imponeretur pœnitentia, eadem reconciliationis gratia denegabatur.

Si quis per extremam communionem, quam hoc loco Innocentius Pontifex maximus moribundis pœnitentibus impertiendam indicit, non solùm ab criminibus absolutionem, sed etiam Eucharistiæ perceptionem intelligendam esse existimet, id nemine refellente, & credere & profiteri poterit. Nam omnia propemodum Synodorum decreta, quæ morientibus viaticum vel communionem reddi jubent, sic intelligenda sunt, ut simul cum absolutione Eucharistia concederetur.

Hactenus nonnullas quæstiones de pœnitentia tam privata quàm publica, in Ecclesia quondam observari solita, ex quâ potuimus, brevitate perstrinximus, ut quantum pœnitentia nostrâ hac ætate ab plerisque Christianis inertibus, ne dicam, impiis, celebrari solita, ab majorum nostrorum pietate absit, clariùs appareret.

Has etiam quæstiones, quæ si non omnino, saltem ex parte, in usum & praxim transferri poterant, delibavimus, ut Sacerdotes Christi in administrando pœnitentiæ sacramento ad veteris illius disciplinæ amussim sese pro viribus componerent: ut discerent canones pœnitentiales, & juxta illos satisfactiones peccatorum gravitati consonas pœnitentibus imponerent, ne, quod graviter monet Concilium Tridentinum, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficerentur. Eam ob rem saluberrimum hoc Catechismi Romani aureum de pœnitentiæ tractatum absolventis, omnibus monitum Confessariorum animis, adamantinis litteris inscriptum velim: *In irroganda autem satisfactionis pœna*, ait, *Sacerdotes nihil suo arbitratu statuendum esse: sed omnia justitiâ, prudentiâ, & pietate dirigenda existimabunt.*

Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant; operæpretium erit, interdum eis significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sint. Igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit. Hanc doctrinam doctissimi istius Catechismi Authores hausere ex veteribus Summistis, qui quidem cùm haberent persuasissimum, injungendas esse pœnitentias pro criminum gravitate & pœnitentium facultate ex canonum præscripto, illos ipsos canones inserebant tractatibus de pœnitentia, ne Sacerdotes illorum ignorantiâ, satisfactiones perperam imponendo, delinquerent. Quod quidem videre licet apud Raymundum lib. 3. Summæ, tit. de pœnitent. & remissionibus, §. 42. & apud Cardinalem Hostiensem lib. 5. eod. tit. num. 60. §. *Ut autem.* apud Joannem de Friburgo lib. 3. eod. tit. q. 125. apud Astesanum Summ. lib. 5. cap. 32. Hi sunt Summistarum antiquissimi, qui secutis Authoribus ad studiosam canonum relationem & observantiam pro viribus facem prætulerunt.

Revera Cardinalis Hostiensis canones suam in Summam insertos hac præfatione munit. *Ut autem Sacerdos circa pœnitentias dispensando cautiùs arbitretur, notandi sunt & casus, in quibus per canones certa pœna seu pœnitentia imponuntur. Nam canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliàs vix in eo nomen Sacerdotis constabit.* Idem totidem verbis in suorum præfatione canonum expressit Joannes de Friburgo.

Huc accedit, quòd canonibus pœnitentialibus in Juris corpus insertis præfixus est hujusmodi titulus: *Canones pœnitentiales, quorum notitia viris Ecclesiasticis est valde necessaria: sunt enim quadam regula directiva ad pœnitentias delinquentibus imponendas.*

Multas alias de publica pœnitentia quæstiones prætermisimus: hoc enim nobis propositum erat, ut eas duntaxat quæstiones excuteremus, quæ ad praxim pertinere viderentur; de his ergo satis. Superest igitur, ut aliquid de hujus sacramenti, id est pœnitentiæ forma breviter attingamus, nec immoremur in variis disputationibus in Theologorum Schola ventilari solitis; sed velut certa & inconcussa velut in transcursu indicemus, quæ unis omnium Catholicorum suffragiis approbantur.

Quæstio LXXXII.

Quænam sint præcipua Catholicorum de absolutione sacramentali dogmata.

PRIMÒ certum est, & de fide, unos dumtaxat Sacerdotes esse ministros hujus sacramenti, ad peccata remittenda vel retinenda, ab Christo Domino institutos.

Secundò indubitatum est, absolutionem sacramentalem Sacerdotis esse actum judicialem, quo dimissionis vel retentionis peccatorum sententiam pronuntiat. Si quis igitur præfatam absolutionem contendat, nudum esse ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat, aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit: non video quo pacto liberatum ab Concilio Tridentino fulmen anathematis effugere valeat.

Tertiò certum est, Sacerdotem, quocumque privilegio fulgeat, neminem absolvere posse, nisi in eum jurisdictionem vel ordinariam vel subdelegatam habeat: quâ si careat, ejus absolutionem nullius momenti esse, declarat sacrosancta Tridentina Synodus sess. 14. cap. 7. ubi & affirmat, id semper in Ecclesia Dei fuisse persuasum, idque verissimum esse, sese confirmare illa ipsa Synodus apertè, & remotâ omnis obscuritatis nebulâ contestatur.

Quartò constat apud omnes Theologos, duo hæc verba, *te absolvo*, constituere formam sacramenti pœnitentiæ; & hæc verba non solùm significare, pœnitentem esse absolutum à peccatis, verùm etiam per illa revera Sacerdotem sic tanquam judicem in eum finem divinitus institutum, illum ipsum pœnitentem ab suis peccatis absolvere: ita ut si nihil desit tam ex parte pœnitentis, quàm Sacerdotis, ipse pœnitens ab omni reatu culpæ & pœnæ æternæ, quam per lethalia peccata incurrerat, coram Deo liber & expeditus habeatur.

Quintò, tametsi hæc verba, *te absolvo*, formam sacramenti pœnitentiæ constituant, nemo tamen Sacerdos preces, quæ absolutionem antecedunt & subsequuntur, sine peccato omittere potest, nisi gravis causa illum ad illas prætermittendas adegerit. Ratio inde repetenda est, quòd Sacerdos sacramentum pœnitentiæ, sicut & cætera, præscripto ab Ecclesia ritu administrare debeat. Neque enim credibile est, Ecclesiam frustra ad ejus administrationem sacramenti eas adhibuisse preces. Dicat ergo Sacerdos *Misereatur*, &c. & *Indulgentiam*, &c. deinde *Dominus noster*, &c. si pœnitens sit laicus, omittat hoc verbum, *suspensionis*; deinde prolatâ absolutionis formâ, dicat quæ subsequuntur: *Passio Domini nostri*, &c. Per hæc verba, *quicquid boni feceris, & mali patienter sustinueris*, &c. omnia bona ab ipso pœnitente postea perfecta, & mala æquo animo tolerata veniunt in partem satisfactionis sacramentalis, & eumdem cum illa meriti gradum quodammodo assequuntur, ut aliàs ex S. Thoma observavimus.

Sextò indubitatum est, Sacerdotis jurisdictione carentis absolutionem esse irritam, illicitam, & invalidam. Irrita est ex Conc. Trident. session. 14. cap. 7. Illicita, quia Sacerdos usurpat potestatem judicis, atque adeo graviter peccat, tum illam authoritatem usurpando, tum illam in homines nihil sibi subditos exercendo, cui ideo inculcari potest illud Apostoli: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Si ergo nemini privato de proximi statu & conscientia citra crimen judicare licet, quanto se flagitio constringet Sacerdos, qui nulla ad hunc effectum authoritate præditus, de pœnitentis conscientia judicare non solùm, verùm etiam eum ab peccatis absolvere attentaverit?

Illa etiam absolutio ab homine nullam jurisdictionem habente collata, est invalida, id est pœnitenti nihil profutura. Unde doctiores Theologi docent, pœnitentem nec licitè, nec validè absolvi ab Sacerdote jurisdictionem non habente, etiamsi pœnitens jurisdictionis carentiam in ejusmodi Sacerdote etiam inculpabiliter ignoraret, cùm nullus major defectus, quàm potestatis habeatur.

Septimò certum est, & de fide apud omnes Catholicos, Sacerdotes, etiam malos, habere potestatem clavium. Nihil enim prohibet, quominus mali Sacerdotes habeant utramque clavem, scientiæ nimirum & potestatis. Scientiæ quidem, quâ causam peccatoris audire, & de ea cognoscere queant: (in hoc enim consistit scientiæ clavis, ex omnium Theologorum sententia) ergo clavem hanc etiam penes indoctos pariter & malos Sacerdotes esse, nemo negaverit. Potestatis autem, cùm cognita ex confessione sacramentali pœnitentium peccata dimittere vel retinere valeant.

Hanc doctrinam ad fidem Catholicam pertinere nemo dubitat: contraria enim sententia olim in Donatistis, postea verò (ut constat ex actis Concilii Constantiensis & Bulla Martini V.) in Joanne Wiclef, & Joanne Hus, velut hæretica damnata est, & novissimè ab Concilio Tridentino sub anathematis interminatione proscripta est, session. 14. can. 10. his verbis: *Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, sit anathema.* Unde colligere licet, eum peccaturum esse, qui ad malum Sacerdotem adiret confitendi gratiâ: nam illi præberet offendiculum, & sacrilegii, sacramentum in peccato lethali administrando, perpetrandi occasionem ingereret. A qua tamen culpa citra dubium immunis est, quisquis aliquod sacramentum petit ab improbo, hoc est lethalis flagitii conscio Sacerdote in ipso necessitatis articulo; & ille ex officio sacramenta viro hujusmodi etiam extra necessitatis casum ministrare teneatur. Tunc enim ille utitur suo jure, nullo respectu habito ad crimen, in quod sese improbus Sacerdos implicavit.

Octavò, requiritur potestas jurisdictionis ad absolvendum à peccatis venialibus & mortalibus jam antè in sacramento declaratis & remissis, quia ejusmodi absolutio est actus judicialis, qui propterea in absolvente jurisdictionis quidem potestatem, sed non ab Episcopo impetratam exigit: cùm ea jurisdictio, quâ quis ab ejusmodi peccatis absolvere queat, unicuique Sacerdoti tacito Ecclesiæ consensu concessa intelligatur.

Nonò, valida est absolutio collata ab eo, qui coloratum dumtaxat beneficii titulum habet, juxta pronuntiatum hoc ab Ecclesia receptum: Communis error facit jus.

Decimò, ad administrandum rite pœnitentiæ sacramentum requiritur approbatio. Hujus approbationis necessitatem perspicuè patefacit Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 15. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus.* Hactenus Concilii decretum, per quod omnino derogatum

est Clementinæ *Dudum*. quâ freti Mendicantes, satis habebant se sistere Episcopis, à quibus peterent approbationem, quæ quidem si legitimè petita denegaretur, eam à jure ipso facto accipere se profitebantur. Jam autem plerique omnes obtemperant saluberrimo Concilii decreto, rati se ab omnibus velut Ecclesiæ hostes habiturum iri, si proculcato illo Concilii dicto hierarchis & hierarchiæ divinitus constitutæ bellum indicerent.

Ergo tria requiruntur in Confessario, ut fidelium confessiones excipere, eosque confessos à peccatis in sacramento pœnitentiæ rite absolvere valeat. 1°. remittendi vel retinendi peccata potestas, quæ Sacerdoti cuilibet in ordinatione confertur. 2°. potestas jurisdictionis, quam Sacerdotibus conferri existimant plures Theologi, cùm iis vel per collationem beneficii pastoralis, vel per simplicem delegationem assignantur subditi, in quos remittendi vel retinendi peccata potestatem à Christo per Episcopi ministerium acceptam exerceant. 3°. denique requiritur approbatio.

Ergo ut Sacerdos seu sæcularis, seu regularis, valide possit excipere confessiones, & pœnitentes absolvere, alterutrum habeat, necesse est, hoc est, vel habeat parochiale beneficium, vel aliàs approbationem ad hunc effectum obtinuerit ab Episcopo. Nec satis est eam ipsam approbationem petiisse, sed illam ad excipiendas rite & validè confessiones obtentam oportuit, ut perspicuè decernit Concilium Tridentinum, & Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Cùm sicut accepimus*, &c.

Illud ipsum sub chirographo omnes Regularium ordinum moderatores & præfecti confirmarunt anno salutis millesimo sexcentesimo tricesimo tertio 19. Februarii, ita statuente Eminentissimo Cardinale Richelio, ex occasione cujuspiam controversiæ, quæ inter sæculares & regulares ex longo collecta recruduerat. Sed hæc facilè sileri patimur, utpote à nobis affatim pertracta quæst. 29. 30. & 31. & aliis. Hîc unum tantum addimus, quosdam regulares sæpe damnatos esse tam ab Clero Gallicano, quàm ab sacra Theologorum Parisiensium Facultate, quòd propositiones Episcoporum authoritati contrarias evulgassent, & per vindicata privilegia, Concilii Tridentini de approbatione ad hierarchicas functiones necessariâ, decretum convellere conniterentur.

Hæc sunt præcipua Ecclesiæ & fidei Catholicæ circa sacramentalem absolutionem dogmata, quæ quia ab omnibus citra controversiam sunt admissa, pluribus persequi detrectamus. Sit itaque

---

Quæstio LXXXIII.

An pœnitentem vivum dumtaxat Sacerdos solvere debeat.

Respondeo, aliquorum esse sanctorum Patrum doctrinam, Sacerdotem neminem posse solvere pœnitentem, quin illum aliquatenus vivum, imò redivivum esse perspexerit.

Hanc veritatem ipsi Patres probant exemplo Lazari quatriduani, quem Christus efficaci clamore excitatum evocavit è monumento, & Apostolis solvendum tradidit; & inde conficiunt, neminem peccati sui mole veluti tumulo reconditum & obrutum, posse ab Presbytero Apostolica in remittendis peccatis authoritate prædito absolvi, quin vivificâ Salvatoris gratiâ, quæ ideo datur, ut duritia cordis primitus auferatur, adjutus revixerit, & ad Sacerdotem per veram lethalium flagitiorum confessionem, ab illo ipso absolvendus accesserit.

Hanc doctrinam perspicuè non uno in loco explicat S. Augustinus, ut tract. 49. in Joann. *Ut confiteatur*, inquit, *Deus facit, magna voce clamando, id est magnâ gratiâ vocando. Ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: Solvite illum, & sinite abire. Quid est, solvite, & sinite abire? quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo.* Hæc ibi S. Augustinus, qui quidem non ait, peccatorem remissionem peccatorum consequi, antequam solvatur à Sacerdote; sed non obscurè significat, eum non posse ab Sacerdote solvi, quin priùs amoto lapide, (quod in suscitando Lazaro fieri jussit Christus) hoc est corde lapideo per Salvatoris gratiam ablato, Deus ipse cor carneum impertierit, hoc est peccatorem excitatum & revocatum ad vitam, è tumulo, hoc est peccato, ad Sacerdotem per veram contritionem confessionemque absolvendum adire impulerit.

Hoc ipsum docet idem S. Aug. in Psalm. 101. concion. 2. de secunda parte Psalmi: *Solvitur unusquisque à vinculis cupiditatum malarum, vel à nodis peccatorum suorum. Remissio peccatorum solutio est; quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, Solvite eum, & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulcro impositam vicit, & processit ille vinctus, non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis, fit hoc in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit: cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? à quibus solvitur? quæ solveris, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino, potest. Hæc enim Deus interiùs agit. Loquimur ad aures vestras, unde scimus quid agatur in cordibus vestris? Quod autem intus agitur, non à nobis, sed ab illo agitur?* Hæc S. Augustinus, cujus verba cujuspiam animo fortè suggerent hanc objectionem: Quid ergo peccatori confert Ecclesia, si non nisi gratiâ Salvatoris revocatus ad vitam, Ecclesiæ se sistere imperatur?

Hanc objectionem ipse solvit Augustinus serm. 8. de verbis Dom. in Evang. secundùm Matth. Sic enim loquitur in ipso secundi capitis initio. *Dicit ergò aliquis: Quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce dominica resuscitatus prodit? quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, Quæ solveritis, soluta erunt; nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos: Solvite illum, & sinite abire?*

Hæc sunt sancti Doctoris verba, & hæc est ejusdem sententia: tametsi peccator per efficacissimam Salvatoris gratiam redivivus è tumulo per confessionem prodierit, adhuc tamen eget ministerio Ecclesiæ, quæ cùm ab sponso plenam verè pœnitentibus remittendi peccata potestatem acceperit, eam suis Sacerdotibus impertit, & per eam peccatores, tametsi divinâ gratiâ suscitatos, adhuc tamen reos, utpote suorum criminum vinculis adhuc irretitos solvere, hoc est ab ejusmodi vinculis expedire, & absolvere præcipit. Et serm. 44. in Evang. secundùm Joann. idem asserit idem S. Aug. cap. 6. *Processit*, ait, *de monumento vivus*, (Lazarus) *& ambulare non poterat. Et Dominus ad Discipulos, Solvite eum, & sinite abire. Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum.* Et paulò pòst ibidem loquens de nonnullis, qui post objurgationes & increpationes displicentes sibi ob pessimam consuetudinem, quâ premuntur, mutare vitam instituunt, ait: *Resurrexerunt jam isti: revixerunt quibus dis-*

plicet quod fuerunt. Sed reviviscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, *ut qui revixit, solvatur, & ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: Quæ solveritis in terra, soluta sunt in cælo.* Hæc Ibi S. Augustinus hac de re tot in locis tam perspicuè elocutus est, ut nullis eum interpretationibus illustrari oporteat.

Hanc ipsam doctrinam ab antegressis Patribus sibi velut in manus traditam S. Gregorius Pont. Max. Apostolicæ sedis authoritate insigniter roboravit multis in locis: at præsertim hom. 26. in Evang. *Causa pensanda sunt*, ait, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sententia pastoris absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit dicens: Lazare veni foras! & postmodum is qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione. Vnde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Revivisce; sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur. Veni foras; ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis, Foras jam per confessionem egredere, quia apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei debeant pœnam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare.*

Unde idem S. Gregorius paulò ante recitata verba arguit Pastores, qui aut gratiæ, aut odio ascribunt suo: *Sæpe fit*, ait, *ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur Pastor: judicare autem de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum à supplicio absolvere conatur.* Ex hisce tanti Pontificis oraculis discimus, neminem pœnitentem, nisi divinæ gratiæ revixerit, absolvendum esse.

Sanctissimam hac doctrinam de peccatore non solvendo, nisi se divinæ gratiæ adjumento revixisse declaraverit, amplexi sunt quotquot Patres & Doctores post Gregorij I. tempora floruerunt. S. Eligius qui 646. salutis anno, hoc est quadraginta duobus annis ab obitu S. Gregorij, ad Episcopatum Noviomensem provectus est, in suas homilias, & præsertim in undecimam, hanc sancti Pontificis doctrinam, & ipsissima ejus verba transtulit.

Idem ab pluribus aliis factitatum est, ut ab venerabili Beda in caput. 11. Joannis, ab Haymone Halberstatensi Episcopo hom. in octavam Paschæ: item ab S. Anselmo in caput. 16. Matth. & in Joannis 11. Quid quod Concilium Aquisgran. I. ann. 816. imperante Ludovico Pio, celebratum cap. 37. persequitur collatam Episcopis ligandi atque solvendi potestatem, & ad tantæ potestatis explicationem nihil affert præter verba S. Gregorij, quæ & nos ex 29. in Evang. hom. exscripsimus. Usque adeo verum est, eam S. Augustini & S. Gregorij doctrinam esse veram & Catholicam, utpote quam secuti Patres & Doctores ab iis acceptam objecerit, ex ea sequi, Sacerdotem pœnitentem non absolvere.

Hanc objectionem ita solvit S. Thomas opuscul. 13. aliàs 23. Constat, ait, quòd Dominus Lazarum suscitavit, & discipulis solvendum mandavit: ergo discipuli absolvunt. Per hoc ergo non ostenditur, quòd Sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere, *Ego te absolvo*; sed quòd eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt. Ex hujus quæstionis occasione quæri potest, utrùm pœnitens suscitatus à Deo, vitam etiam per absolutionem Sacramentalem accipiat à Presbytero. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXXXIV.

Vtrum pœnitenti jam ab ipso Deo per gratiam suscitato, Sacerdos per absolutionem Sacramentalem ei vitam impertiat.

RESPONDEO, Sacerdotem reipsa pœnitenti vitam spiritualem impertiri. Nam inter articulos ab Pio V. Pont. Max. damnatos, reprobatus est quinquagesimus quintus in hæc verba conceptus: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.* Per hanc condemnationem hujus propositionis voluit declarare summus Pontifex, pœnitentem jam per gratiam à Deo suscitatum, & inchoatâ, ut ita dicam, animæ vitâ donatum, adhuc tamen reum, utpote adhuc peccatorum vinculis implicatum ab Sacerdote verè absolvi. & per ejus absolutionem ad perfectam charitatis vitam, atque adeo ad veram filiorum Dei adoptionem promoveri. Nam quid aliud significant hæc verba: *Ego te absolvo?* nisi, ut interpretatur S. Thomas in opusculo proximè laudato cap. 3. Sacramentum vel ministerium absolutionis tibi impendo: vel, Authoritate Christi mihi per Ecclesiam concessa demandataque, tibi peccata indulgeo & remitto; ita ut illa ipsa etiam coram Deo me condonante tibi relaxata dimissaque, citra errorem credere possis, & citra præsumptionem confidere valeas.

Ergo pœnitens, licèt ab ipso Deo suscitatus per gratiam ab absolvente Presbytero etiam excitatur ad vitam: quod ut planum fiat, observandum est, duplicem animæ vitam, & utramque supernaturalem, ab SS. Patribus attribui: quarum

Prima est imperfecta & inchoata, per quam pœnitens vivíscere, imò reviviscere incipit, cùm illi peragendæ pœnitentiæ & ineundæ sanctioris vitæ, ab ipso Deo interiùs vocante, movente, & ad veram cordis conversionem incitante, propositum inspiratur: quod fit, cùm pœnitentes *excitati divinâ gratiâ adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum*

peccatores se esse intelligentes, à divina justitia timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod & detestationem, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. Imperfecta igitur illa vita, quâ Deus peccatorem mortuum suscitat, posita est in illa dilectione inchoata, quâ quidem donatus ille peccati odium, ejusque penitus abjiciendi voluntatem, & confitendi, satisfaciendique propositum concepit. Inchoatam hanc pœnitentis vitam in suscitato Lazaro adumbratam esse, laudati Patres uno animo, calamoque prædicant.

Secunda pœnitentis vita perfecta dicitur, omnium sanctorum propria, cùm scilicet ab omni culpæ & æternæ damnationis reatu Sacerdotis ministerio absolutus, justus & filius Dei per gratiam & charitatem in ejus corde per Spiritum sanctum diffusam, atque adeo hæres æternæ gloriæ constituitur. Utraque vita pulchre in prodigo declaratur. Prima quidem, cùm attendens miseriam dixit: *Surgam, & ibo ad patrem.* Secunda verò, cùm pater filium reducem osculatus, eum stolâ primâ indui, & annulo certo pristinæ nobilitatis indicio donari, & illi cætera deperditi honoris insignia restitui voluit.

Hanc esse doctrinam Catholicam demonstrat damnatio propositionis oppositæ, quæ talis est: *Illa distinctio duplicis vivificationis: alterius quâ vivificatur peccator, cum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens.*

Hanc propositionem damnarunt duo summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. Quam condamnationem probans Theologorum Lovaniensium Facultas anno salutis 1586. pulcherrimo S. Augustini testimonio roboravit. *Etenim, ait, ante remissionem peccatorum atque inhabitantem spiritum, & justificationis & vitæ quædam inchoationes dumtaxat sunt conceptionibus, ut loquitur S. Augustinus quæst. 1. ad Simplician. similes: at non solùm spiritualiter concipi; verùm etiam nasci opus est, actum demum cœptum justificationis ac vivificationis opus infusione vivificæ charitatis absolvitur.* Hunc locum nobis suppeditavit Sylvius in 3. part. ubi de Sacramentali absolutione eruditè disputat. Sed jam transeamus ad praxim, imò ad casum singularem cujus discussio & affirmatio magnam Christianis utilitatem afferre potest.

QUÆSTIO LXXXV.

Utrum, & quando moribundo, vel petenti, vel non petenti, absolutionem Sacramentalem concedere vel negare oporteat.

RESPONDEO, hanc quæstionem latissimè patentem non posse, ut par est, dissolvi, quin priùs quibusdam veluti limitibus circumscripta fuerit. Quod ut fiat,

Observandum est, Christianos posse in sex ordines seu classes distribui.

Primus ordo complectitur viros pios, & communi hominum existimatione bonos.

Secundus continet Christianos, qui vulgò non habentur admodum boni, sed nondum publicâ suorum criminum infamiâ perfusi, in quibus tamen utrum sint perseveraturi, necne, dubium est.

Tertius includit homines constrictos flagitiis lethalibus, in quibus abjectâ pœnitentiæ, atque adeo suæ salutis curâ, perseverant, ita ut eorum flagitia possint inter peccata, quæ secundùm Scripturas dicuntur ad mortem, annumerari.

Quartus comprehendit eos quos communis fama sic tanquam impios prædicat; eorum tamen impietas, non ita pervulgata est, ut abomnibus populatibus pro certa exploratâque teneatur: quippe quæ nondum in ullo judicio vel civili, vel Ecclesiastico probata fuerit. Nec propterea ejusmodi homines ab publico fidelium cœtu, & perceptione Sacramentorum arceantur.

Quintus continet eos, quorum improbitas sic in propatulo collocata est, ut nulla tergiversatione celari queat.

Sextus denique complectitur eos quos non solùm in peccati statu, sed etiam in ipso actu repentinus intercipit stupor aut morbos.

His ita prælibatis, ad quæstionis solutionem per aliquot conclusiones enucleandam accedere necesse est. Sit itaque

Prima Conclusio.

Plures Theologi censent homines primi ordinis, hoc est pios, & communi hominum existimatione bonos repentino morbo correptos, & quantùm conjicere licet brevi morituros, absolvi posse; etiamsi nulla animi pœnitentis indicia vel verbo, vel nutu ediderint. Nam toto vitæ Christianæ, quam egerunt, curriculo, idonea satè & luculenta conversi ad Deum cordis argumenta præbuerunt, atque adeo se præstitere dignos, quibus in ultima vitæ linea constitutis Ecclesiæ Sacramenta absque ulla alia suæ mentis voluntatisque significatione porrigerentur. Si enim sancta sanctis sunt destinata, sanctis profectò, quales sunt primi hujus ordinis homines, citra flagitium non possunt denegari. Hoc accedit, quòd timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur, Ecclesiastici cap. 1. v. 13. Ergo Sacramenta iis impertienda sunt, qui vel minimum peccatum admittere mortis instar semper putaverunt, ut ejusmodi pollicitatio omni ex parte compleatur.

Secunda Conclusio.

Quidam Theologi tenent, posse conferri absolutionem Sacramentalem secundi ordinis hominibus, hoc est Christianis non admodum bonis, id est devinctis vel uno lethali flagitio, vel pluribus, nondum tamen in propatulo positis; tametsi nulla prorsus animi pœnitentis ediderint signa, dubium etiam reliquerint, utrum in suis illis criminibus perseverare vellent. Ut hanc conclusionem probent, asserunt sanctos Patres eodem modo Catechumenorum obmutescentium, & suam voluntatem nihil testantium, baptismo, & de baptizatorum, qui nulla pœnitentiæ signa edere poterant, reconciliatione philosophatos esse. Quemadmodum igitur Catechumenis animam mox exhalaturis baptismum conferre, ita etiam baptizatis brevi morituris absolutionem Sacramentalem impertiri consueverant, etsi tam hi, quàm illi, (licèt utrique gravissimis sceleribus obstricti) nullam pœnitentiæ significationem ostenderent.

Hujus rei assiduum & idoneum sponsorem se habere putant S. Augustinum, qui quidem excunte libro primo de adult. conjug. ad Pollentium, existimantem, Catechumenos in hujus vitæ exitu constitutos, qui-

qoi quamvis adhuc viverent, sibi tamen baptismum petere non poterant, baptizandos esse, ejusdem Pollentii sententiam amplectitur, & sua authoritate mirabiliter corroborat.

S. Augustini locum utpotè prolixiorem non hîc exscribimus: nam præcipua ejus loci pronuntiata nostrum ad propositum accommodata decerpsisse suffecerit.

1°. Proponit vel commemorat eo loco S. Augustinus quæstionem à Pollentio propositam, quæ quidem à nostro casu nihil omnino discrepat. Quærit nimirum Pollentius, utrum baptizari oporteat Catechumenos ad extremum spiritum vi morbi adactos, seu aliquo casu oppressos, qui quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, nec (ut disertè ex verbis S. Augustini conficitur) ullo pacto, morbo, vel altero quopiam casu conflictati, baptismum petierint. Quod nostram in rem bellè & omnino cadit: Nam expendimus, utrum hominem baptizatum gravi quopiam flagitio devinctum, suam de percipienda reconciliatione voluntatem nihil testificatum in extremo vitæ spiritu absolvi valeat.

Quemadmodum igitur S. Augustinus vult Catechumenum baptizari, etiamsi ejus voluntas incerta supponeretur: tum quia baptismum multò satius est nolenti dare, quàm negare volenti: tum quia, ut affirmat idem sanctus Augustinus, credibilius est eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, non se oportere de corpore exire. Quæ rationes non minorem vim in Christiani reconciliandi negotio, quàm in Catechumeni baptismo inquiunt illi, quorum sententiam proponimus, obtinent. Ergo si Catechumenum baptismo regenerari in propositis circumstantiis oporteat, vel saltem liceat, baptizato in iisdem circumstantiis constituto reconciliatio ex mente S. Aug. denegari non poterit. Siquidem ut ipse affirmat hoc ipso loco, sub finem: *Quæ baptismarit*, ait, *eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Ne quis ex his sancti Augustini verbis sententiæ de qua loquimur impugnandæ occasionem arripiat, dicatque nos abesse ab sententia ejusdem sancti Augustini; quippè qui hîc verba faciat de viro pœnitentiam amplexo, de cujus hac in re, consilio & voluntate dubitare non liceat: nos autem loquamur de homine, in quo nulla animi pœnitentis indicia cernantur & appareant. Sed hac in parte nihil dissidemus ab sancto Augustino. Nam quemadmodum, ut paulò antè vidimus, ait esse credibilius, catechumenum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum, ea Sacramenta percipere, (sine quibus jam credidit) non se oportere de corpore exire: ita congruenter ejus effatis affirmare possumus, baptizatum credibiliùs, si posset, velle se potiùs esse dicturum, reconciliationem percipere, sine qua neminem Catholicum ex hac vita discedere oportere, ex omnium Fidelium ore, vel ab infantia didicit. Unde colligitur, credibilius eum esse pœnitentem, & id patefacturum, nisi repentina, quâ correptus est, infirmitate prohiberetur.

Huc accedit, quòd (cùm ex ejusdem Patris & cæterorum sententia Catechumeni baptizandi & baptizati in extremo spiritu reconciliandi par sit ratio) eodem modo baptizatus reconciliari, quo catechumenus baptizari, possit & debeat. Atqui baptizati sunt nonnulli qui probabiliter erant catechumeni, ita ut collato etiam nescientibus baptismo, uberem regenerationis gratiam assecuti, sese Christianos esse profiterentur: ergo etiam baptizatis nescientibus regenerationis gratia conferri potest.

Nonnullos qui se baptizari nescierunt, neque petierunt, sanctificatos esse per baptismum, testatur perspicuè S. Augustinus lib. 4. Confess. cap. 4. in quo commemorat, quemdam amicum suum sibi coævum & conflorentem flore adolescentiæ, qui à vera fide deflexerat in superstitiosas fabellas & perniciosas, nescientem fuisse baptizatum & sanctificatum; qua de re sic ipse Augustinus: *Quis tuas laudes enumeret unus in se uno, quas expertus est? Quid tunc fecisti, Deus meus! & quàm investigabilis abyssus judiciorum tuorum! Cùm enim laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore lethali; & cùm desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, & præsumente id retinere potiùs animam ejus, quod à me receperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat; nam recreatus est, & salvus factus. Statimque ut primùm cum eo loqui potui, (potui autem mox ut ille potuit, quoniam non discedebam, & nimis pendebamus ab invicem) tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irrisuro mecum, baptismum quem acceperat mente atque sensu absentissimus; sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, essetque idoneis viribus valetudinis, cum quo agere possem quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies, me absente, repetitur febribus, & defungitur.*

Hactenus S. Augustinus tria nos hac narratione docuit.

Primum, hunc adolescentulum non petiisse baptismum; quippè quem S. Augustinus arbitraretur suis erroribus imbutum, perceptum baptisma secum irrisurum esse, ubi primùm revalesceret.

Secundum, eum, baptismum nescientem, & ab alienato ab sensibus animo percepisse.

Tertium, nihilò seciùs per ejusmodi baptismum sanctificatum esse: siquidem ipsum Augustinum joculari dicacitate regenerationis Sacramentum illudere & infringere gestientem, ut infensissimum hostem exhorruit, & liberè denuntiavit, se ejus amicitiam abdicaturum, si ejusmodi facetiis & salibus indulgere pergeret.

Ex principiis S. Augustini ai[illegible]is, inter baptismum catechumeno ad salutem necessarium, & inter baptizati reconciliationem, quam Nicæna Synodus prima, viaticum ad eamdem salutem apprimè necessarium appellat, maximam intercedere similitudinem, nullo negotio infertur, posse baptizato in extremis posito concedi reconciliationis gratiam, quam non petierit, sicut & Catechumeno baptismus, quem nullo aut nutu, aut verbo poposcerit.

Hanc sententiam stabilit Concilium Toletanum XII. circa tempora Agathonis Papæ, anno scilicet Redemptoris 681. celebratum. Sic enim loquitur can. 2. *Sicut baptisma, quod nescientibus parvulis, sine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita pœnitentiæ donum quod nescientibus illabitur, absque ulla repugnantia inviolabiliter, hi qui illud exceperint, observabunt.* Innuit igitur hoc Concilium ex 35. Episcopis conflatum, donum pœnitentiæ adultis etiam nescientibus illabi, sicut baptisma parvulis nescientibus impenditur: sicut ergo baptismum parvulis conferri nihil vetat, ita etiam pœnitentiæ donum, sivè per illud gratia sancti Spiritus pœnitentiæ propositum inspirantis, sivè reconciliationis gratiâ per Ecclesiam concedi solita; sivè utraque pariter intelligatur, adultis etiam reconciliationis gratia, quam etiam nescientibus impertiri posse contendunt plures Theologi, declarant hujus Concilii Patres, in eodem canone in hæc verba: *Nec ista statuentes, Sacerdotes quosque, ut passim*

& licenter donum pœnitentiæ non pœnitentibus audeant prorogare, absolvimus. Hæc ibi.

Quemadmodum igitur in extremis Catechumenum Ecclesia baptizat propter antegressam voluntatem, quam meritò præsumit continuatam, quia nescit esse revocatam; ita etiam ob percipiendæ reconciliationis propositum, quod probabiliter à baptizato credit conceptum, quodque ab eo in extremis posito ignorat esse revocatum, illi etiam non petenti reconciliationis viaticum indulgere nihil dubitat.

Hoc est primum quod in allato S. Augustini loco observari necesse est.

Secundum verò in eodem notandum loco, demonstrat objectiones, quæ fieri possunt adversus hancce S. Augustini doctrinam. Erant enim nonnulli, qui Catechumenos moribundos, nec suam de percipiendo baptismo voluntatem testatos baptizare renuebant, duabus de causis, quarum prima erat, ne Sacramento regenerationis initiandi contrarium gererent voluntatis arbitrium. Quam objectionem sic ibidem diluit S. Aug. Hoc de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est casus. Sed non solùm incredibile est nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verumetiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet; & tamen credibilius est, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire. Quæ verba suprà & retulimus, & ad propositam quæstionem accommodavimus.

Altera ratio, propter quam Catechumenos, qui nullam suæ voluntatis de percipiendo baptismate significationem ediderant, sacris aquis quidam perfundere renuebant, petitur ex præcepto, quo Christus in Evangelio sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere prohibet. Cui rationi satisfacit ibidem idem S. Augustinus: *Si autem Dominus, ubi ait,* (ipsissima sunt S. Augustini verba:) *Nolite dare sanctum canibus, hoc quod isti cavendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam ille perniciem sine culpa dantis cum dignis indignus accepit. Unde cùm hoc diceret Dominus, credendum est, significare voluisse, quòd lucem intelligentiæ spiritualis immunda corda non portant. Et si portanda Doctor ingesserit, quæ non rectè accipiunt, quia non capiunt, vel reprehensionis morsibus lacerant, vel contemnendo conculcant.* Hæc ibi.

Quæ quidem liquidò declarant, deprompta illa ex Evangelio verba nihil prohibere, quominus & Catechumeni, qui suam de baptismi perceptione voluntatem testificari nequeunt, baptizentur, & baptizati nihil etiam de sua reconciliatione testati, in ipso mortis articulo absolvantur.

Si quis urgeat, contendatque, non sine profanationis & insignis irreverentiæ periculo reconciliationis gratiam concedi homini, qui nullam doloris & pœnitentiæ significationem exhibeat. Nam multi sunt pessimè erga Deum animati, qui (etiamsi illis per sanitatem & tempus liceret) nullum tamen de suis flagitiis dolorem concipere & significare vellent, aut simulatam dumtaxat pœnitentiam ostenderent.

Verû, hoc omnibus assentiamur, esse multos in suorum criminum gurgite altiùs immersos, unde emergere pertinacissimè renuunt, an propterea reconciliationis gratia deneganda est bonis, quia indignis modis & suscipitur, & profanatur à malis? An propterea Christus Dominus sui corporis mysteria recens instituta cæteris Apostolis denegavit, quia illa ipsa ab teterrimo proditore immani sacrilegio violanda præscüt? Minimè verò ut ex illo ejus facto disceremus, non esse subducenda bonis Sacramenta, quibus uterentur ad salutem, tametsi prænosceret fore ut iisdem Sacramentis plures reprobi ad Creatoris contumeliam & suam ipsorum perniciem abuterentur.

Ita ratiocinatur S. Cyprianus Epist. 54. ubi ait, Episcopos ab lapsis pacem subdolè petentibus posse decipi. *Nos,* ait, *in quantum nobis & videre, & judicare conceditur, faciem singulorum videmus, cor scrutari & mentem percipere non possumus. De his judicat occultorum scrutator & cognitor.* Et insrà allatam à nobis rationem, subjicit: *Bonis,* ait, *obesse mali non debent, nec idea martyrium facturis pax neganda est, quia sunt quidam negaturi, cùm propter hoc pax danda sit omnibus militaturis, ne per ignorantiam nostram ille incipiat preteriri, qui habet in prælio coronari.* Quæ verba nostram ad quæstionem facillimè possunt accommodari.

Quicquid id est, constat, S. Augustinum docuisse, Christianum Catholicam religionem propalàm professum, esse satis ad percipiendam in extremo spiritu reconciliationis gratiam dispositum. Quod multis rationibus astruit loco citato: nam incredibile est Christianum in Ecclesia semper educatum, in extrema vitæ linea constitutum nolle pœnitere; & præterea satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet, ut suprà retulimus ex eodem S. Augustino.

Theologi aliqui hisce S. Augustini rationibus inducti convictique, illam bonæ voluntatis in homine morituro, & de sua reconciliatione nihil testificato præsumptionem, tametsi errori obnoxiam, esse justam impertiendæ reconciliationis causam, absque illa tergiversatione docuerunt.

Ipsum Augustinum in ea, quam explanamus, sententia fuisse & perstitisse, sequentia declarabunt.

Tertium itaque observandum est, ex eo nempe, quem versamus, S. August. loco, non parvam existere difficultatem. Nam asserit esse baptizandum Catechumenum meretrici adhærentem, repentino morbo correptum, nihil de percipiendo baptismo testificantem. Ut tota res pateat, proferenda sunt ipsius verba. *Sed ut sermo noster,* ait, *ab hoc potius claudatur, unde sumpsit exordium; ego nõ solùm alios Catechumenos, verumetiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia, cùm salvo corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum; tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione fuerint recreati, potuerint vivere, aut facient, quod statuerant; aut docti obtemperabunt: aut de contemptoribus fiet, quod etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hactenus S. Augustinus, ex cujus verbis tria referuntur.

Primò vult S. Augustinus, baptizari non solùm Catechumenos, quorum nulla cernuntur flagitia; verumetiam eos, qui viventium conjugiis copulati, (hoc est quorum uxores nondum è vivis excesserint) retinent adulterina consortia, quosque integris viribus in ejusmodi adulteriis perseverantes ad baptismum Ecclesia non admitteret. Vult, inquam, S. Augustinus, ejusmodi Catechumenos baptizari, si desperati & intra se pœnitentes jacuerint, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Hæc verba, *si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint*, difficultatem afferunt. Nam si S. Augustinus velit eos baptizari dumtaxat, qui intra se pœnitentes jacuerint, non sunt profectò baptizandi: siquidem in hypothesi proposita agitur de baptismo Catechumenorum animam efflantium, viribus, sensu, & voce carentium, atque adeo qui

suam pœnitentiam patefacere nequeant : ergo aliter intelligenda est illa conditio, si nimirum Sacramenti minister verisimilem habeat de interna hujusmodi hominum pœnitentia conjecturam. Tunc eos baptizari oportere S. Augustinus asserit. Et hanc esse genuinam ejus mentem declarant, quæ ex ipso suprà retulimus, nempe credibilius esse, Catechumenos quoslibet declaraturos dubio procul, si possent, se nolle ex hac vita sine regenerationis Sacramento discedere, atque adeo se velle exequi quidquid ad hujus perceptionem Sacramenti necessariò pertineret. Ergo non solùm eos apud se suorum criminum pœniteret, verùm etiam quoquo possent meliore modo suam pœnitentiam Ecclesiæ testatam facerent. Hæc S. Augustini sententia sic explicata duabus veluti fundamentis nititur, quorum primum petitur ab catechumenatu, quem nunquam illi homines de quibus agitur, essent professi, nisi & baptismo initiari, & omnia ad illum percipiendum necessaria exequi voluissent. Quam eorum voluntatem, quia præsumit continuatam, quia nescit esse revocatam S. Augustinus, ideo eos esse baptizandos profiteri non dubitat. Illa profectò sententia accepta referenda est ardentissimæ tanti Doctoris charitati, quæ omnia ad proximi salutem spectantia nunquam non credidit & speravit.

Alterum, quo ejusdem S. Augustini sententia statuitur, fundamentum elicitur, ex ratione propter quam ejusmodi Catechumenos baptizandos esse declarat. *Quis enim novit*, ait *utrum fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri?* Quia ergo certa erat & continuata ejusmodi hominum percipiendi baptismatis voluntas, nec ullo pacto apparebat revocata, & in adulteriis hærendi propositum erat anceps & dubium, ideo de iis baptismate regenerandis S. Augustinus sine tergiversatione pronuntiat.

Alterum quod hic insinuat S. Augustinus, pertinet ad ejusmodi homines, hoc est catechumenos morti proximos, si fortè revalescerent. Quemadmodum enim eos depositos baptizari volebat propter eorum voluntatem, quam credebat, bonam: ita etiam ob illam ipsam voluntatem quam sperabat, percepto etiam baptismate continuandam, omnia sibi pollicebatur bona, eos nempe quæ statuerant, executuros, & Christianis legibus, quibus imburi fuerint, obtemperaturos, aut certè eos ab Ecclesia plectendos, eo planè modo, quo illa in ejusmodi contemptores animadvertere consueverat.

Tertium hoc loco tradit S. Augustinus, idem nempe de baptizati reconciliatione, & de Catechumeni baptismate affirmandum esse. *Quæ autem baptismatis*, ait, *eadem est reconciliationis causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Quemadmodum igitur catechumenos, tametsi vivis adhuc conjugibus adulterinis consortiis inquinatos, & in finiendæ vitæ periculum adductos, suamque de baptismo percipiendo voluntatem nihil ob phrenesim, aut alium id genus morbum testificatos, vult baptizari; ita etiam pœnitentem baptizatum in simili statu tam quoad peccata, quàm quoad periculum mortis positum, reconciliari oportere, vel saltem posse, non obscurè significat. Ne mirere, si pœnitentem vocet hominem multis contaminatum flagitiis: Nam & ejus ætate grassabatur in Ecclesiam ea corruptela, ut plerique revolverentur in sua flagitia, & nihilo seciùs pœnitentiam subdolè professi, sese ad verorum pœnitentium cœtum & ordinem aggregarent. Quos tamen homines non secùs ac catechumenos adulteriis implicatos Deo reconciliandos esse asserit, illos quidem per baptismum, hos verò per Sacramentalem reconciliationis gratiam. Quod quidem egregiè confirmat allata ab ipsomet Augustino ratio: *Nec ipsos enim*, (catechumenos & pœnitentes) ait, *ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* hoc est, Ecclesia, quia mater est, quæ jam baptizatum Christo peperit, & mox catechumenum per Sacramentum regenerationis est paritura, sinere non debet, nec velle, ut ambo illi sine arrha suæ pacis (id est catechumenus sine baptismo, & baptizatus sine reconciliationis dono) ex hac vita exeant. Quæ enim mater filios materno affectu prosecuta, eos longam diuturnamque peregrinationem sine viatico aggredi pateretur? Quod cum ab matribus (nisi fortè in novercalem duritiam degeneraverint) abhorreat, multò magis ab Ecclesia, quæ quidem, etsi matres pleræque omnes suæ prolis abjicerent memoriam & curam, nunquam tamen hominum ad se glorioso filiorum titulo jam pœnitentium vel brevî ad filios aggregandorum oblivisceretur. Vult ergo & catechumenos, quales ostendimus, baptizari, & baptizatos quales adumbravimus, per absolutionem Sacramentalem reconciliari. Hanc esse genuinam S. Augustini Pollentio de hac nostra quæstione respondentis mentem, dubitabit nemo, qui S. Fulgentium sui Doctoris sensa in eadem omnino difficultate promentem & reserantem audierit.

Quod ut planum fiat, observandum est, Fulgentium Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum, duas quæstiones S. Fulgentio Ruspensi Episcopo proposuisse per litteras de moribundo Æthiope, qui in extremo spiritu sine voce, sine sensu baptizatus fuerat.

Prima quæstio est, utrum Æthiops ejusmodi baptizari debuerit. Secunda, an per baptismum in eo statu perceptum salutem æternam consequi potuerit, ita ut illi adempta vox ad illam consequendam nihil nocuerit. Has quæstiones solvit affirmando S. Fulgentius Epistolâ ad Ferrandum Diaconum inscriptâ. Verùm, ut appareat quanta inter hanc hypothesim à Ferrando propositam, & inter alteram ab S. Augustino, ut vidimus, discussam, intercedat similitudo, juvat eam ipsis Ferrandi verbis edisserere: *Æthiops dominorum Fidelium diligentiâ, Sacramentis Ecclesiasticis imbuendus, ad Ecclesiam traditur: fit ex more catechumenus; post aliquantulum nihilominus temporis, propinquante solemnitate Paschali, inter competentes offertur, scribitur, traditur, universa quoque religionis Catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio per exorcismum contra Diabolum vindicatur, cui se renuntiare constanter, sicut hic consuetudo poscebat, auditurus symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu Fidelis populi clara voce pronuntians, plam regulâ Dominicæ orationis accepit. Simulque jam & quid crederet, & quid oraret, intelligens, futuro baptismati parabatur; cum subitò violentis invaditur febribus, & crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum brevitas, ut ad fontem cum cæteris abluendus differretur, sivè potiùs servaretur. Et quid pluribus immorer? Hora expectata cunctis advenerat, in qua populus acquisitionis, Redemptori suo per baptismum consepultus vitam veterem poneret & novam resurrectionis fidem innovatus assumeret. Tunc ille in extremo halitu constitutus sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens Sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo nobis quasi pro infante respondentibus, mente absentissimum accepit baptismum, quem se accepisse, post paululum mortuus, in hac præsenti arbitror, vita nescivit.*

Ecce primam quæstionem, quâ quæritur ab S. Fulgentio, quid de hoc baptismo sentiat, utrum scilicet Æthiopi in eo statu collatum oportuerit. Adjicit Ferrandus alteram: *Quæso nunc*, inquit, *utrùm nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valde enim timeo, ne propter Dominus,*

cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegaverit, quòd eum beneficio secunda nativitatis judicavit indignum. Quomodo namque potuerit ætas illa rationis capax alienâ confessione purgari, non video. Et paulò pòst. *Hic Æthiops proprio vivebat arbitrio; super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propriâ cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate salvandus, quam in illo redemptionis loco confiteri, nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens, vel se omnino aliquid non valuit.*

En hypothesin illi, quam ex sancto retulimus Augustino, simillimam. Nam proponit Augustinus catechumenos adulterinis consortiis inquinatos, hoc est plurium adulteriorum reos; Ferrandus autem producit catechumenum & originali & plurium aliorum peccatorum vinculis obligatum. S. Augustinus verba facit de catechumenis, qui nullam præ morbi magnitudine suæ voluntatis significationem edere valeant: Ferrandus indicat catechumenum sine sensu, sine voce baptizatum, nihil obstantibus plurimis (præter originale) peccatis, quæ proprio admiserat arbitrio. Ergo duæ illæ hypotheses sunt multò simillimæ: quas quomodo dissolvere oporteat, S. Folgentius explicabit: Nam ejusmodi hominem esse salvatum asserit, & illi per baptismum non solùm originale, sed etiam quæcumque alia, quæ præter illud admiserat, flagitia illi penitus esse relaxata. *Istud*, ait, *rectè dicimus sine dubitatione salvatum, quia & intelligens credidit, & quod credidit, propria confessione firmavit. Et deinde quamvis jam non intelligens, tamen adhuc vivens, sacramentum sanctæ regenerationis accepit. Nam per sancti baptismatis sacramentum illa vita est peccati originalis nexibus absoluta, quæ fuerat ejusdem peccati vinculis obligata. Et quia tanta est virtus sancti baptismatis, ut ubi vitam invenerit, in qua illud originalis peccati vinculum solvat, omnia quæ superadjecta repererit, secunda nativitatis beneficio diluat.* Et infrà. *Illo autem originali peccato dimisso, cuncta peccata, quæ propria voluntate contraxerat, dimissa fuisse nemo Fidelium dubitat.* Et infrà. *Proinde*, ait, *tenenda est illa Canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti Patres, ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata, non debere denegari Sacramentum baptismatis, ubi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sancti Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset.*

Hisce verbis S. Fulgentius utramque quæstionem ab Ferrando propositam egregiè dissolvit. Cùm enim affirmat, illum Æthiopem per hunc baptismum in eo rerum articulo susceptum, salutem esse consecutum, non est dubium, quin baptizari debuerit, quod prima quæstione quærebatur. Item cum eodem tenore contendit, illi dimissa esse omnia peccata, etiam illa, quæ (præter originale) propria voluntate admiserat, atque adeo salutem æternam esse consecutum; satis ostendit, nihil illi ad æternam illam beatitudinem consequendam vocem ablatam nocuisse, quia quandiu potuit, in ipsa fidei confessione permansit; & hoc erat dubium ab Ferrando in secunda quæstione popositum.

Præterea utraque quæstio perspicuè solvitur authoritate Canonum, quibus, (ut constat ex verbis S. Fulgentii superius recitatis) Ecclesiæ iodicitur quid facere debeat, hoc est quo pacto Sacramentum regenerationis infirmis, si pro se respondere nequeant, conferre debeat. Et hæc est prima quæstio. Iisdem præterea canonibus declaratur, quodnam infirmi in eo statu baptizati beneficium percipiant. Quod quidem beneficium nullum est aliud, quàm omnium remissio peccatorum, atque adeo salus æterna, ad quam illi per ejusmodi baptismum perveniunt: ita ut illis ad æternam beatitudinem consequendam nihil vox vi morbi lethalis ablata noceat. Et hæc est secunda quæstio, quæ hìc ab S. Fulgentio dissolvitur. Alioquin ut ibidem ratiocinatur S. Fulgentius, jam Ecclesia non posset dici columna & firmamentum veritatis, si baptizati, quibus & omnium peccatorum relaxationem, & vitam æternam pollicetur, nec peccatorum remissionem, nec vitam consequerentur æternam per baptismum, ad cujus perceptionem nos illa ipsa Ecclesia authoritate Christi idipsum præcipientis obligavit. Quia igitur veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apostolo nuncupatur, quicquid secundum ipsius Ecclesiæ constituta in sanctis mysteriis redemptionis & reconciliationis humanæ intra eam datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur.

Ex duabus illis quæstionibus ab Ferrando Diacono propositis & ab Fulgentio Episcopo solutis, duo ad rem nostram inprimis accommodata inferre possumus, suppositâ S. Augustini doctrinâ, eamdem scilicet esse rationem catechumeni etiam flagitiosi baptizandi, & baptizati post sua scelera in ipso mortis articulo reconciliandi.

Primum est, quod sicut S. Fulgentius Æthiopem morti proximum pluribus peccatis propriâ voluntate commissis obstrictum, asserit baptizari debuisse, ita quidam Theologi baptizatum in supremo vitæ halitu positum, multisque flagitiis devinctum absolvi posse, imò (nisi de ejus teterrimâ in peccatis perseverandi voluntatè certò constiterit) & absolvi oportere, vel certè licere contendunt.

Secundum, quod inde inferimus, est, quòd quemadmodum S. Fulgentius affirmat illum Æthiopem per baptismum ab eo nesciente, nec sentiente perceptum, æternam salutem consecutum esse, eo quòd fidem in catechumenatu professam tenere semper velle crederetur: ita etiam dici potest baptizatum ob fidem Catholicam toto vitæ curriculo professam & retentam, etiamsi ob stuporem vi morbi lethalis incussum, nec fidem, nec conceptum de suis flagitiis dolorem testificari valeat, per sacramentalem tamen absolutionem ad æternam gloriam esse perventurum.

Ne quis autem existimet, hanc de moribundorum reconciliatione sententiam sanctorum Patrum temporibus admissam & approbatam, nostra hac ætate ut obsoletam repudiari, noverit eam ab recentioribus quibusdam Casuistis esse propugnatam, ab aliis ita indicatam, ut ex eorum principiis necessariò inferatur.

Inter eos qui disertè hanc amplectuntur sententiam, principem locum obtinet Homo-Bonus Bononiensis Pœnitentiarius, in Exam. Ecclesiæ p. 1. tract. 7. cap. 18. q. 84. *Prudenter aget Parochus*, ait, *si favorabiliori opinioni adhæreat, quæ sentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse: etiamsi nullum confessus sit peccatum, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, nec quibus actus contritionis, vel attritionis argui possit: modò talis in mortis articulo constitutus, Christiano more vivere soleret, & bonus ac Fidelis homo æstimaretur.* Ergo ex hujus hominis sententiâ posset impendi absolutio viro, qui bonus ac Fidelis æstimaretur, qui validè ac licitè ab flagitiis lethalibus absolveretur, si quæpiam clanculum & remotis arbitris admisisset, etiamsi nullum animi pœnitentis indicium edidisset.

Hujus autem Casuistæ mentem de flagitiis lethalibus saltem occultis capiendam esse, certum est. Quorsum enim vir Christianus Catholicus absolve-

retur in supremo vitæ halitu, nullo etiam edito pœnitentiæ signo, nisi Ecclesia eum aliquo lethali flagitio devinctum esse suspicaretur, propter quod (nisi donaretur necessariò Sacramentalis absolutionis viatico) æternis inferorum suppliciis addiceretur. Ergo Ecclesia verita, ne moribundus ille lethalis cujuspiam culpæ reus æternùm pereat, illum absolvit: neque enim ab venialibus, sine quibus non vivitur in terris, absolvi oportere judicaret. Adde quòd immeritò illa haberetur opinio favorabilior, quæ hominem moribundum ab venialibus dumtaxat, non autem ab lethalibus absolvi posse assereres. Siquidem id quo facilè carere possumus, (qualis est peccatorum venialium remissio) adeò non habetur favorabilius, ut ne quidem inter favorabilia recenseatur.

Nemini igitur prudentem latere potest, cùm quæritur, an Christianum moribundum, qui nullum pœnitentiæ signum possit edere, reconciliare oporteat, agi de absolutione à peccatis lethalibus, quæ fortè moribundus ille perpetravit, nec jam confiteri potest.

In eo sensu loquitur Homo-Bonus, suamque sententiam egregio Clementis VIII. Pont. Max. facto roborat. *Quod quidem placitum*, ait, *in praxi referunt amplexum fuisse Clementem VIII. Pontificem maximum ac prudentissimum virum. Cùm enim quidam ex fabrica D. Petri praceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit dicens: Si es capax, absolvo te à peccatis tuis. Quæ sententia illa sanè ratione confirmatur, quòd in necessariis ad salutem tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est, & irreverentiam Sacramenti, vel sacrilegii periculum, tum conditione apposita, tum authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium cessare dicimr.* Hæc ille.

Hoc factum Clementis VIII. in toto terrarum orbe celebratum refert etiam Bartholomæus Faustus in Theol. moral. tom. 1. l. 4. q. 204. ex quo sanè facto tanti Pontificis nostra sententia maximum authoritatis pondus accipit.

Unde enim major authoritas ad aliquam opinionem accedere potest, quàm à summo Pontifice insigniter erudito. Atqui talem extitisse Clementem VIII. utpote in antiqua sanctorum Patrum, & præsertim S. Augustini doctrina versatissimum, inficiàs ierit nemo, qui tot congregationes ad astruendam Christi gratiam ab eo authoritate Apostolica celebratas fando audierit.

Unde maxima sese temeritate devinciunt, qui cùm contrariam asserant sententiam ob ejusmodi factum, tantum Pontificem in varias gravium virorum reprehensiones incurrisse dictitant. Quid enim culpandum aut vituperandum fuit in viro Apostolica authoritate prædito, qui hanc doctrinam dubio procul hauserat ex limpidissimis S. Augustini fontibus. Legerat quippe & penitus introspexerat pulcherrimum & solidissimum locum libri *s.* de adult. conjug. ad Pollentium, quem suprà expendimus, in quo S. Augustinus & catechumenos moribundos, etiam gravium criminum reos, de sua pœnitentia nihil testificatos, baptizandos esse, & babrizatos etiam moribundos in eodem rerum articulo reconciliationis gratiâ donandos esse pronuntiat. Ergo ejusmodi homines tanti tamque luculenter eruditi Pontificis famam & factum allatrare desinant.

Ex sacræ etiam traditionis fontibus eamdem hausere doctrinam Abbates XI. Decani III. Præpositi VII. Priores X. Archipresbyteri X. qui synodalia Lemovicensis Ecclesiæ statuta in Synodo decreta roborataque approbarunt, & Opusculum hujusmodi statuta synodalia complexum, Cardinalem Richelium (utpote sibi dedicatum, & sanæ doctrinæ apprimè consentaneum) serenissimo vultu excepisse commemorant. Ea statuta Lemovicibus excusa anno salutis 1620. nostram hanc sententiâ mirificè astruunt cap. 21. his verbis: *Poterit quoque idem applicari remedium* (reconciliationis) *ei qui judicio, omniumque sensuum usu statim captus est, non petitâ pœnitentiâ, nulloque signo contritionis edito, cùm violentia morbi judicatur derepentè, & ex improviso præventus & oppressus, & Christianè vixit, fierique potest judicium ex actionibus vitæ & moribus, eum libenter pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, si tempus & morbi violentia permisissent, licèt hoc in casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus. Sed animarum salvandarum causâ nullum remedium omittere debemus quod Deus potestati nostræ commisit, Deum orantes, ut immensa bonitate & misericordia, quod deest, ægrotorum dispositioni suppleat, cætera inscrutabilibus Dei judiciis commendantes.* Hæc ibi.

Quid quod, nonnullos Doctores ea in parte nihil improbatos hanc ipsam sententiam tueri & asserere cum S. Augustino affirmat Ægidius Konink disput. 5. de necessitate confess. num. 2.

Alii Casuistæ, ipse quoque Ægid. Konink suppeditant nobis principia, quibus si quis rectè ratiocinatus inhærere voluerit, eum ad hanc nostram sententiam accedere oporteat, ut mox meridiano sole clarius & illustrius apparebit.

Bonacina quem plerique omnes ceu Casuistarum antesignanum aspiciunt, affirmat, homini Catholico in articulo mortis existenti validè administrari Sacramenta, hoc uno dumtaxat nomine, quòd Catholicè vixerit. *Observandum est*, ait tom. 1. disput. 7. q. 6. punct. 2. unic. proposit. num. 8. *ad recipienda Sacramenta non semper requiri intentionem actualem, aut virtualem, sed sufficere habitualem, ita ut qui suscepturus est Sacramentum, aliquando intenderit recipere, seu petierit implicitè, ut patet ex Concilio Carthagin. III. c. 34. & Arausicano c. 12. ubi habetur, subitò obmutescenti conferenda Sacramenta, si ea antè vel implicitè petierit. Ita Koninchus loco citato num. 107. Valent. tom. 4. disp. 4. q. 2. punct. 2. a 1 fin. Suarez loco citato, Sylvester v. Baptism. 4. q. 14. Reginaldus loco cit. n. 50. Henriquez & alii.* Pergit ibidem n. 9. *Hinc patet validè, administrari Sacramenta existenti in articulo mortis, si Catholicè vixit: hic enim Catholicè vivendo censetur implicitè petiisse sacramenta, quæ conferri consueverunt existentibus in articulo mortis.* Hæc ille.

Eodem tenore idipsum affirmat Ægid. Konink. q. 64. quæ est de causa Sacram. art. 8. dub. 5. n. 102. *Ut quis*, ait, *validè suscipiat aliquod ex dictis Sacramentis, non est necesse ut id actu intendat, dum suscipit; sed sufficit, ut id aliqua do actu intenderit, & hoc nunquam revocarit.* Quod probat authoritate Innocentii III. c. *Majores de baptismo*, & S Leonis Epist. 91. Et aliquantò pòst ad rem nostram accommodatissimè loquitur. *Qui Catholicè vivit, ait, censetur velle sibi conferri Sacramenta ab Ecclesia morientibus conferri solita: itaque si subitò destituatur usu rationis, debet inungi, nisi sciatur certò esse in peccato mortali, de quo non sit saltem attritus, quòd non debet facilè præsumi, nisi quis in ipso actu peccandi ita subitò destituatur ratione, ut humanitus impossibile sit eum doluisse de peccatis.* Et postea id ipsum affirmat de Confirmatione, quæ potest conferri etiam nescienti, vel etiam dementi, modò nunquam habuerit voluntatem eam non suscipiendi. Hæc ille.

Duo illi Authores asserunt quidem hominem qui catholicè vixit, petiisse implicitè sacramenta, quæ moribundis administrari solent, atque adeo validè illa ipsa iis administrari: sed excipiunt in aliis suorum operum locis pœnitentiæ sacramentum, quod moribundis (nisi priùs illud petiisse testetur aliquis) denegari volunt. Contendũt scilicet in hac hypothesi

nullam esse materiam, quæ hujusmodi Sacramento substerni valeat.

Quam rationem vel ex ipsorum sententia subruere facillimum est: Nam contendunt, absolvi posse quemlibet hominem in supremo halitu constitutum, si vel verbo, vel nutu aliquo se velle confiteri testificatus fuerit, vel aliquis eum Sacerdotem inclamasse, testatum fecerit, & affirmant eam esse sufficientem materiam, propter quam moribundo Sacramentalis absolutio conferatur. Hoc posito,

Quis negaverit, hominem qui Catholicè vixerit per plures annos, qui Sacramenta frequentaverit, qui divinis interfuerit officiis, & alia id genus præstiterit, multò plura suæ de percipiendo pœnitentiæ Sacramento voluntatis, & conversionis indicia præbuisse, (etiamsi in lethalia quædam flagitia prolapsus fuerit) quàm præbuerit ille fortè teterrimus, pluribusque flagitiis inquinatissimus, qui in extrema vitæ linea impendentis tam mortis, quàm pœnæ metu territus, reconciliationis gratiam poposcerit? An credibile est, Ecclesiam matrem omnium, quas unquam sol aspexerit, indulgentissimam reconciliationis gratiam in ipso mortis articulo denegare velle homini sibi conjunctissimo & obsequentissimo, hoc uno nomine, quòd nec verbo, nec nutu Sacerdotem inclamare, & ut illi aiunt, pœnitentiæ Sacramento materiam substernere potuerit, in cujus gratiam ab suis criminibus absolveretur? Minimè verò. Sic ratiocinantur illi quorum hîc discutimus sententiam.

Clemens VIII. qui Ecclesiæ, quam Apostolica regebat authoritate, mentem & sensa penitùs introspexerat, ab ea sententia, utpotè immani & dira longissimè absuit, credititque Sacerdoti, ad impertiendam absolutionem Sacramentalem, idoneam subministrari materiam ab eo, qui cùm in Ecclesia Catholica semper vixerit, nec erepto vi morbi lethalis linguæ & sensuum usu Sacerdotem & Sacramentum petere possit, vel solo suæ calamitatis & necessitatis aspectu reconciliationis gratiam, ut cum maximè flagitare videatur.

Nam, ut referunt Homo-Bonus & Bartholomæus Faustus, (quos ejus ætate suppares fuisse commemorant) ubi primùm vidit hominem ex altissimo Basilicæ S. Petri fastigio præcipiti lapsu ruentem, eum absolvit, ne coram Deo absolutionis huic homini Ecclesiæ, ut præsumendum est, opem imploranti denegatæ reus haberetur. Reverà cum possit Sacerdos absolvere moribundum, qui nullum pœnitentis animi signum ediderit, ut hactenus probavimus, non est dubium quin eum absolvere teneatur.

Si quis post hæc dicat ad impertiendam absolutionem moribundo requiri ejus, vel nutum, vel vocem, quæram ab eo utrum mendicanti ulceribus adoperto, qui suam aliter miseriam, quàm ostensis, quibus scatet, ulceribus aperire nequeat, succurrere teneatur. Si fateatur se teneri, dicam illicò nostram hanc hypothesim esse huic casui multò simillimam. Nam moribundus fortè scatet ulceribus, id est flagitiis lethalibus: ergo illi Sacerdotem per reconciliationis gratiam opitulari necesse est. Si contendat se non teneri succurrere pauperi muto & elingui, dicam illum æquiparandum esse diviti epuloni, qui Lazarum elinguem ulceribus plenum pro suis foribus jacentem, vel ipsis canibus miserandum misereri noluit.

Ergo potest Presbyter dare absolutionem viro Catholico, nullam etiam pœnitentiæ significationem edenti, juxta illud præceptum: *[illegible]ipite pauperem & egenum, [illegible]e manu peccatoris liberate.* Id est de manu Dæmonis peccatorum teterrimi principis. Hoc præceptum clariùs inculcat Spiritus sanctus Prov. cap. 24. v. 12. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris: Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Si Spiritus sanctus his oraculis jubet unumquemque liberare proximum, & eripere è faucibus lethi illi ab potentiore quopiam imminentis, ne scilicet temporaria hæc fugaxque vita illi ante diem adimatur, quantò magis æternæ proximi saluti consulere, eumque ab æterno interitu vindicare præcipit? Si quis suam imbecillitatem causari voluerit, sciat se non posse oblitescere ab oculis ejus, qui cùm perspiciat an illi vires suppetant, necne, unicuique serius ocyùs debita vel præmia, vel supplicia decernet.

Summa igitur hujus conclusionis tot probationibus suffultæ, in eo vertitur, ut sciat quilibet Sacerdos, se posse juxta quorumdarum Theologorum opinionem moribundum, etiam nullo edito pœnitentis animi signo, vel apposita, ut quibusdam placet, conditione, vel subducta, ut videtur aliis, absolvere: ita ut in eo rerum articulo proximo, cujus ut cum maximè tunc agitur æterna salus, per Sacramentalem absolutionem opitulari possit.

Tertia conclusio.

Sacerdos hominem in extremis positum, quem sciret perseverasse ad illud usque tempus in flagitiis lethalibus, quemque in iisdem perseverare velle probabili conjectura resciscerer, non posset absolvere citra immane sacrilegium, nisi ille evidenti quopiam signo se peccandi, & in peccatis perseverandi voluntatem abjecisse declararet; vel cum, antequam morbi vis sensum & vocis usum adimeret, pœnituisse, idoneo testimonio patefieret. Nam regula fidei est, iis duntaxat impertiendam esse reconciliationis gratiam, quos suorum criminum ex animo pœnitere verisimile est. Quod certè nemo crediderit de viro, qui in perseveratis ad mortem usque flagitiis pervicaciter hæserit, nec ullum internæ pœnitentiæ ediderit argumentum. Ille profectò peccavit peccatum ad mortem, quod ex sanctorum Patrum sententia nihil est aliud, quàm peccatum ad mortem usque perseveratum. Illi igitur formidanda hæc Apostoli verba conveniunt: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Pro tali (inquit Joannes Apostolus) non dico ut quis oret. Sed numquid dicis, ô Apostole! ut quis desperet, imò gemat, qui illum amat: non præsumat orare, nec desistat orare? Quia fortè fides aliquando recipit, quod oratio non præsumit ut loquitur S. Bernardus tract. de grad. humil. cap. 22. Ita dicere possumus de homine, quem peccatum ad mortem irretierit, non dicimus ut illum absolvat quis, nisi de interna ejus pœnitentia quocumque tamdem modo consliterit: Alioquin non magis absolvi potest, quàm is qui ab initio peccat. Ejus quippè immedicabilem malitiam suâ in peccando perseverantiâ expressit, & hoc uno ab Dæmone discrepat, quòd præpotenti Salvatoris gratiâ innixus, ad meliorem frugem, dum adhuc vivit, sese recipere possit; Dæmonis verò voluntas Deum aversata, & in implacabili ejus odio obfirmata peccato irretractabiliter adhærescat.

Quarta Conclusio.

Quod spectat ad homines, quos sola fama velut impios prædicat, quorum tamen impietas nondum ita pervulgata est, ut ab omnibus popularibus pro certa exploratatque teneatur, utpotè nondum in ullo Ecclesiastico, vel civili judicio probata, nec propterea ab cœtu Fidelium, & ab Sacramentorum perce-

ptione arceantur; quod spectat, inquam, ad ejusmodi homines, si moribundi fuerint, illis impertire posse reconciliationis gratiam, quam nullo pacto petierint, asserunt graves Theologi, ob rationes solidissimas, & locupletissima SS. Patrum testimonia, quæ ad astruendam secundam conclusionem suprà retulimus.

Hæc conclusio & ratione & authoritate nititur. Ratione quidem: crimina quæ de hujusmodi hominibus plurium sermone circumferuntur, vel falsa sunt, vel vera: si falsa sunt, ut sæpenumero contingit, nullam iis fidem Sacerdos adhibebit, atque adeo propter illa nemini denegabit reconciliationis gratiam. Hinc accedit, quòd sacerdotalis gravitas rumoribus in vulgus disseminari solitis fidem adjicere vetat. *Nam fama incerti est*, ut ait Tertullianus in Apologetico cap. 8. *locum non habet, ubi certum. An verò famæ credat, nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto.* Ergo Sacerdos aspernabitur incertos rumores, nec certa moribundis hominibus, licèt non petentibus, salutis præsidia subministrare dubitabit.

Vel quæ de iis hominibus crimina circumferuntur, vera sunt, & tunc quis ea nullâ eorum pœnitentiâ expiata fuisse asserere audeat? Nonne duodecim sunt horæ diei? Nonne Deus sæpenumero vel uno momento homines fecit agnos, quos multi dies, imò plures anni viderant lupos? Cur enim tam severè Evangelium de proximo judicare vetat, nisi quia ille ipse quem herì & nudiustertius improbum noveras, fortè jam mutatus ab illo est, & ab improbitate ad virtutem provectus est? Et canit cum Psalte regio: *Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Ad hanc rationem accedit authoritas S. Augustini, qui lib. 50. homil. rem totam dirimit, ult. hom. cap. 4. *Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutifera hujus debere pœnitentiæ contemnere*, (verba sunt S. Augustini) *quia multos fortè advertit, & novit ad sacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus: multi tolerantur, ut Judas: multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium. Nam plerique nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam; non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Hæc ibi S. Augustinus, qui docet, neminem quantumvis improbum, posse arceri & amandari ab Ecclesiæ communione, hoc est ab sacramentorum perceptione, ab fidelium orationibus & societate, nisi ipse lethale quodpiam flagitium eâ pœnâ dignum aut sponte confessus fuerit, aut de illo ipso in judicio quopiam vel sæculari vel ecclesiastico fuerit convictus.

Ergo ne ipse quidem Episcopus, qualis erat Augustinus, neminem eâ prohibitionis pœnâ afficere potest, tametsi illa prohibitio nondum sit mortalis; (quæ scilicet hominem ab Ecclesiæ corpore veluti perniciale membrum, excommunicationis gladio penitus abscindat) sed sit dumtaxat medicinalis, id est ad tempus homini ignavo, & in vitæ Christianæ studio torpenti per modum remedii adhibeatur. Ergo quis jure ac meritò homini accusato quidem, sed coram nullo judice convicto, jam jam morituro, tametsi de sua pœnitentia nihil testificato reconciliationem denegare (quod idem sonat, ac à communione prohibere) vel audebit vel poterit? Nemo sanè, nisi se (quod certissimum esset temeritatis, ne dicam amentiæ, argumentum) S. Augustino doctiorem prudentioremque velit profiteri.

Quinta conclusio.

Homines quorum improbitas, ita in publicam erupit lucem, ut nullâ tergiversatione celari queat, nemo citra sacrilegium absolvere potest, quin priùs aliqua pœnitentis animi vel per se vel per alios rite patefacta præbuerint. Hujusmodi sunt concubinarii publici, apostatæ, hæretici, schismatici, qui tales fuerint ab Ecclesia juridicè declarati, excommunicati, & nominatim denuntiati, qui cùm propalam sua peccata sint professi, vel infando scortorum commercio, vel teterrimo apostasiæ flagitio, vel execrandis hæreticorum dogmatis inhærendo, vel referventi schismate ab Ecclesia se segregando, & in excommunicatione contempta nequiter perseverando, reconciliationis gratiâ donari nec possunt, nec debent, quin priùs ipsi Ecclesiæ, quam tot contumeliis inquinarunt, quodammodo aliqua saltem pœnitentiæ significatione satisfecerint.

Recentiores uno consensu ejusmodi homines, tametsi publicâ suorum scelerum infamiâ perfusos, & aliquo vel nutu vel verbo per idoneum testem renuntiato suam pœnitentiam testificatos, absolvi posse asserunt. Hoc equidem illis assentior; sed non possum, quin succenseam illis ipsis, eo quòd eamdem reconciliationis gratiam homini qui catholicè vixerit, hoc est qui nec libidinoso scortorum commercio proximis offendiculo fuerit, nec deseruerit ab Ecclesia ut apostatæ, nec veritati catholicæ bellum indixerit, ut hæretici, nec ecclesiasticam violaverit unitatem, ut schismatici, nec denique ex Ecclesiæ corpore fuerit revulsus, ut excommunicati, denegandam esse censeant, licèt doceant passim, hominem catholicè viventem censeri implicitè petiisse sacramenta, quæ conferri consueverunt in periculo mortis. Cùm tamen ventum est ad pœnitentiam & reconciliationem, quam viaticum moribundis maximè necessarium Concilia nominant, eam omni conatu moribundis, qui catholicè vixerunt, (nisi aliquod pœnitentiæ ostenderint signum) subducere moliuntur; perinde ac si vitæ ab omnibus hisce criminibus alienæ & catholicè peractæ, levis aliqua, & admodum incerta pœnitentiæ significatio, ab homine immanissimis flagitiis, iisque publicis, contaminatissimo, & moribundo edita, præponderaret.

Si ejusmodi homines repeterent memoriâ clementiam erga moribundos primis Ecclesiæ sæculis exerceri solitam, aliam dubio procul mentem hac in parte susciperent. Nam compertum est, tribus primis ab ortu Christi sæculis hoc inter baptismum & sacramentalem absolutionem intercessisse discrimen, quòd baptismus omnibus quoquomodo petentibus vel per se, vel per alios, sive catechumeni, sive gentiles forent, facillimè conferretur. Sacramentalis autem reconciliatio transfugis & desertoribus, apostatis, excommunicatis, & aliis id genus peccatoribus publicis non denegaretur, si urgente dumtaxat mortis periculo eam flagitarent: post annum Christi 300. in quibuscumque causis & casibus concessus est baptismus, concessa est & reconciliatio, si unum excipias casum, in quo denegabatur baptismus, qui credebatur non sine crimine conferri iis, qui nunquam catechumeni fuerant, nisi saltem evidenti quopiam nutu se baptizari velle testarentur, siquidem premente morbi violentia aliter id sacramentum petere non possent, nec aliàs ante morbum illud ipsum sacramentum velle se suscipere declarassent.

In eodem casu denegabatur reconciliatio sacramentalis excommunicatis, apostatis, hæreticis, schismaticis, & aliis quibusque peccatoribus publicis, nisi eos vel sanos vel certè moribundos voce vel nutu eam efflagitasse idoneo testimonio constaret. Alioquin grave admisisset sacrilegium, quisquis ejusmodi hominibus jam publicâ suorum scelerum infamiâ flagrantibus, atque adeo inimicitias Deo & Ecclesiæ Dei propalam denuntiantibus, &; quod pejus est, de sua pœnitentia nihil testificatis, impertiisset, vel veriùs obtrusisset reconciliationis gratiam. Nec enim dispensatores mysteriorum Dei mysteria sibi credita nolentibus adultis vel invitis vel indignis, vel illa susque deque habentibus porrigere debent. Alioquin non jam mysteriorum dispensatores, sed dissipatores & contemptores essent appellandi: ea quippe profanis proculcanda traderent, ceu margaritas porcorum pedibus obterendas projicerent. Hæc disciplina ab primis illis sæculis ad nostra usque tempora dimanavit: nec enim sine teterrimo sacrilegio excommunicatis & aliis quos suprà percensuimus, reconciliationis sacramentalis gratiam impertiri licet, quin illos aliquo vel nutu vel verbo vel coram Sacerdote vel coram uno vel pluribus probatæ fidei testibus eam efflagitasse constiterit.

Excepto illo casu, cunctis qui catholicè vivunt, & eo nomine Ecclesiæ sacramenta, implicitè dumtaxat petunt, (ut etiam apud ipsos Casuistas in confesso est) in ipso mortis articulo sacramentalis reconciliatio non debet denegari. Hanc esse mentem Ecclesiæ, decreta summorum Pontificum liquidò contestantur. Hoc enim decretum sanxit Julius Papa, ut videre est ad calcem Decretorum Julii 26. q. 6. cap. *Si Presbyter.* & apud Ivonem Decreti p. 15. cap. 43. *Si quis Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit: Quacumque die fuerit conversus peccator, vitâ vivet, & non morietur. Vera enim conversio in ultimo tempore potest esse, quia Dominus non solùm temporis, sed etiam cordis inspector est: sicut latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora ultima confessionis.* Hoc est decretum Julii Papæ, quo Sacerdotes declarantur animarum rei, si morientibus pœnitentiam abnegaverint. Hoc loco Julius Pontifex generatim omnibus Catholicis morientibus (sive Sacerdotem petierint, sive non) reconciliationem indulgendam esse pronuntiat. Quod & idem ab sancto Celestino Papa primo factitatum esse mox videbimus: quippe qui Catholicos morientes reconciliationis gratiam ardenter expectare verisimile supponat.

Præterea ultimam pœnitentiam nemini denegandam esse edixit Celestinus Pont. max. in Epist. 2. ad Episcopos Gall. cap. 2. *Agnovimus*, inquit, *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quàm morienti mortem addere, ejusque animam suâ crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cùm Deus ad subveniendum paratissimus invitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori: In quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei; & iterum. Nolo mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur, & vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit, & desperaverit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dextram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cùm esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit.*

Hactenus S. Celestinus Pont. max. cujus saluberrimum hoc decretum ubique terrarum amplexa est Ecclesia; & ne quis ejusdem decreti ignorationem in denegandâ moribundis pœnitentia obtenderet, illud in corpus Juris inseri, ad Conciliorum canones aggregari, ab præcipuis canonum collectoribus referri, ab omnibus denique Sacerdotibus in praxim & usum transferri voluit. Nam refertur à Gratian. 26. q. 6. c. 13. Concilium Vormatiense sub Hadriano II. c. 80. sancit hoc ipsum quod Celestinus edixerat, ejusque decretum suppresso authoris nomine recitat. Concilium Triboriense cap. 31. illud idem decretum profert. Illud ipsum repetunt Rabanus Maurus c. 38. de Pœnit. Burchard. lib. 18. cap. 22. Ivo p. 15. c. 44.

Ex hac igitur conclusione colligendum est, excommunicatis, hæreticis, & aliis id genus peccatoribus publicis moribundis, non posse concedi gratiam reconciliationis, quin aliquo signo quacumque tandem ratione, bene tamen & morali certitudine cognita, edito, se pœnitere declaraverint: sicut & inferendum est cuilibet catholicè viventi non esse denegandam illam eamdem reconciliationis gratiam, tametsi nullo nutu aut verbo tunc (hoc est in mortis articulo) poposcerit; quippe qui toto vitæ Catholicæ curriculo satis eam petiisse, & tunc temporis maximè petere censeatur, & censeri debeat. Sit itaque

Sexta conclusio

Homines qui moriuntur in ipso peccati actu, non debent, nec possunt ab ullo Sacerdote absolvi, nisi perspicua internæ pœnitentiæ signa, & evidentiora, quàm ab aliis Catholicis exigantur, patefecerint. In ipso peccati actu plerique moriuntur; at præsertim, & ut plurimùm turpissimi illi gladiatores, imò grassatores, ac sicarii mutuis se cædibus ac parricidiis conficere soliti in singulari certamine, quod ab omni ævo leges divinæ, & jampridem leges humanæ, propositâ mortis tam temporariæ, quàm æternæ pœnâ, prohibuerunt. Hujusmodi, inquam, homines, qui commentitiæ cujusdam gloriolæ studio fascinati in mutuis cædibus sui nominis existimationem collocant, absolvi nequeunt, nisi magni doloris indicia demonstraverint, duabus præsertim de causis, quarum

Prima petitur ab ardore & præcipiti mentis impetu, quo uterque dimicantium suum invicem sanguinem sitit, vel ad persequendam injuriam, quam sibi credit illatam, vel ad tuendum honorem quem sibi ab socio præreptum arbitratur, qui quidem dementatæ mentis ardor ita effervescit ut plurimùm, ut vix ullum piæ cuiquam cogitationi locum relinquere posse videatur, & ideo perquirenda sunt & exigenda pœnitentis animi signa ab ejusmodi sicariis, ne fortè sacramentalis absolutio indignis, atque adeo cum Sacerdotis sacrilegio conferatur.

Secunda causa, cur ab hominibus gladiatoriam pugnam ineuntibus, & moribundis pœnitentiæ signa exigere oporteat, petitur ab excommunicatione quam incurrunt ipso facto, quotquot ad singulare certamen descendere nihil seformidant. Quod ut pateat,

Observandum est, Regem Christianissimum Ludovicum XIV. apud quem non minor religionis, quàm aviti regni excubat cura, anno salutis 1653. novo edicto duellum prohibuisse, quod edictum ut majori polleret authoritate, Episcopali potestate muniri roborarique voluit. Eam ob rem selecti Ecclesiæ Gallicanæ proceres, hoc est multi tam Cardinales quàm Archiepiscopi & Episcopi mandati formulam condidere, & ad suarum Diœceseon Parochos

chos tribus Dominicis diebus consecutis, & primâ quaque Dominicâ Quadragesimæ quotannis publicandam in parochiali pronao direxere, quæ formula hæc præter cætera continet.

Nos infrà scripti congruenter Conciliorum canonibus & Sanctionibus summorum Pontificum, & ex potestate nobis divinitus collata ad ædificationem, non ad destructionem ovium nobis creditarum in nomine & ex nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, excommunicamus, & declaramus excommunicatos ipso facto, omnes & singulos, qui decertabunt singulari pugna, vel ex occursu meditato, seu primi, seu secundi, seu etiam majori numero fuerint, cujuscumque generis sint & conditionis, quacumque tandem id ratione contigerit. Excommunicamus pariter & declaramus excommunicatos ipso facto, omnes & singulos, qui provocabunt ad singulare certamen, vel verba, vel provocationis schedulas deferent & eos qui suscipient ejusmodi schedulas, tametsi indicta dimicatio non sequeretur, dummodo non steterit per eos, quominus veniretur ad manus.

Observandum est, eo mandato declarari excommunicatos ipso facto omnes & singulos, qui descendunt ad singulare certamen, & eos qui provocant, & provocationis vel verba, vel tabellas proferunt. Hanc excommunicationem induxit à Jure Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 19. Sed cùm Doctores plerique omnes hisce decreti verbis singularia illa dumtaxat certamina, publica & solemnia, quæ Principum permissu committuntur, non autem privata comprehendi passim asseverarent, Gregorius XIII. pœnas ab Concilio constitutas etiam ad privata illa certamina derivavit anno salutis 1582. Clemens VIII. Papa maximus non solùm Gregorii XIII. Constitutionem confirmavit anno sal. 1591. verumetiam pœnas in ea decretas extendit ad eos, qui provocationes aut faciunt, aut accipiunt: tametsi dimicatio non sequatur, nec stet per eos, quominùs veniatur ad manus: easdem etiam pœnas protulit ad eos, qui aliquid sui consilii, vel auxilii ad eam actionem quoquo modo promovendam impertiunt. Et quia ejusmodi Constitutiones non erant in hoc regno promulgatæ, Casuistæ nostrates hoc crimen ab excommunicationis pœna his in oris immune esse crediderunt. Itaque hasce constitutiones in Gallia susceptas oportuit statuendo, ut singuli Episcopi in suis Diœcesibus ordinaria sua authoritate, excommunicationis pœnam jam Conciliorum canonibus & Pontificum Sanctionibus constitutam decernerent, tam adversus eos, qui singularem dimicationem ineunt, quàm adversus eos, qui provocant, & eos qui provocationis tesseram, vel perferunt, vel suscipiunt. Attamen non est visum è re impræsentiarùm; eos excommunicationis pœnâ percellere, qui vel consilio, vel auxilio adjutant ejusmodi certamina, tametsi deinceps ille ipse casus excommunicationis censurâ sit plectendus, sicut à Clemente VIII. factitatum est, si experientia id ad coërcendam singularium certaminum, vel licentiam, vel insaniam conducere docuerit. Prætereà Cleri Gallicani Patres ejusmodi certamina pœnitentiâ publicâ expiatum iri statuerunt, nisi vel Episcopis vel majoribus eorum Vicariis optimis de causis alia ratio in plectendis id genus flagitiis ineunda videretur.

Prætereà iidem Cleri Gallicani Patres declararunt, ab ejusmodi certaminibus absolutionem sese inter reservatos casus annumerare: ita ut nemo ab eo casu Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis quocumque privilegii obtentu (excepto uno mortis articulo) præter ipsum Episcopum, vel majorem Episcopi Vicarium, vel quempiam alterum Sacerdotem, cui specialis ad hunc effectum potestas & quidem scripto concessa fuerit, nec licitè, nec validè absolvere valeat.

Huc accedit, quòd istis gladiatoribus in agenda pœnitentia, sivè publica illa, sivè secreta fuerit, injungetur ab Sacerdote subscriptio solemnis illius declarationis, quâ plurimi primariæ nobilitatis viri denuntiarunt se nunquam singulare certamē inituros: hæc, inquam, illis imponetur subscriptio sic tanquam conditio eorum absolutionem antecessura. Quin etiā interposita jurisjurandi religione se nunquam in id criminis revolutum iri profitebuntur. Nam nobiles plerique omnes, & plerique militiam professi, in ea sunt animi præparatione, ut data occasione, gladiatoriam inituri sint pugnam: quippè qui persuasum habeant se ejusmodi pugnam sine sui honoris dispendio detrectare non posse, perindè ac si propria nobilium dignitas, & militum gloria non posset, nisi per scelus flagitiumque retineri. Eam ob rem Cleri Gallicani proceres quoslibet Confessarios ejusmodi homines, hoc est nobiles & milites de præpostero illo & nefario singularium certaminum affectu pari ad diligentiam prudentiâ interrogari præcipiunt, ne ad Pœnitentiæ sacramentum accedant cum criminoso illo affectu, atque adeò ad anteacta flagitia novum sacrilegii crimen adjiciant.

Hæc ex occursu de duellis edisseruimus, ut animadverterent Sacerdotes quantam discussionem adhibere oporteat in absolvendis iis gladiatoribus, si præsertim in ipso certaminis ardore lethali plagâ sauciati fuerint: nam citra sacrilegium absolvi non possunt, nisi perspicua internæ pœnitentiæ indicia præstiterint. Quod eò majoris esse momenti quisquis perspiciet, quò magis attendere voluerit ad pœnam, quâ nostrates Episcopi singularium dimicationum carnificinam, insanamque libidinem compescere voluerunt.

Edixerunt nimirum, ut quotquot ad singulare certamen descenderent, & repentinam opperirent mortem, Ecclesiasticâ sepulturâ privarentur, tametsi editis pœnitentiæ signis Sacramentalē absolutionem ante obitum essent consecuti. Quantum autem spectat ad eos qui aliquot dies ab inflictis vulneribus viviscerent, & per id temporis non vulgarem de suis peccatis dolorem testari, ad percipiendam Eucharistiam ritè dispositi comperirentur, illis equidem sepulturam Ecclesiasticam annunt, sub ea tamen conditione, ut ad eorum exequias nulla pompa funebris, nullus campanarum clangor, aut alius quispiam ritus in Fidelium funeribus usurpari solitus, adhibeatur.

Ex his collige, quanto se facinore devinciant, quotquot ad tuendam, vel ad amplificandam sui nominis existimationem singulare certamen ineunt: & ideò quanto studio Sacerdotes Domini ad revellendum hoc ex Ecclesia peccatum incumbere, & quanta cum circumspectione absolvere debeant ejusmodi homines, quovis tempore, at præsertim in necessitatis articulo, quo teterrimi illi gladiatores impressis ab adversario vulneribus confossi animam exhalant.

Ex his omnibus quæ hactenus & attulimus & probavimus, sex veluti corollaria sunt deducenda, quorum

Primum est, nemini pietatem & Christianam virtutem colenti deneganda est absolutio sacramentalis in ipso mortis articulo, tametsi nullum pœnitentiæ signum exhibeat: quippè qui manifesta pœnitentiæ & reconciliationis, vel in ipso mortis articulo percipiendæ, signa (toto vitæ Christianæ quam exercuit, curriculo) satis superque exhibuisse censeatur.

Secundum, Christianis in Ecclesia Catholica catholicè viventibus in extremo halitu impertiri potest absolutio sacramentalis, juxtà quorumdam Theologorū sententiam, quamvis in ipso proximæ mortis

articulo nullam pœnitentiæ significationem præ stupore aut morbi violentiâ dederint: quia ejusmodi homines sine suæ pacis arrha exire velle non debet mater Ecclesia, cum qua præsumimus virum Catholicum reconciliationis gratiam petiturum esse, si posset.

Tertium, non possunt neque debent absolvi, qui peccant peccatum ad mortem. hoc est, qui hærent & jacent in peccatis ad mortem usque perseverantes, nisi externa & idonea internæ pœnitentiæ argumenta præbuerint in ipso mortis articulo: alioquin citra sacrilegium absolvi nequeunt. Vix enim credibile est, hominem voluntariè lethalia ad mortem usque flagitia perpetrantem velle per veram pœnitentiam resipiscere, atque adeo omnem peccandi voluntatem abjicere, quod tamen ad percipiendam citra sacrilegium, reconciliationem necessariò requiritur.

Quartum, hominibus communi fama in gravium criminum suspicionem evocatis, aut etiam de impietate accusatis, nullo tamen judicio, vel sæculari, vel Ecclesiastico convictis & damnatis in ipso mortis articulo reconciliationis gratiam, sive sacramentalem absolutionem impertire licet, tametsi nec illam petierint, nec ullum ediderint signum, quo se illam flagitare testificarentur: si præsertim credantur & habeantur viri non omnino desperati, quos probabiliter pœnitentiæ signa edituros esse constet, nisi morbi violentiâ præpediretur, quia ut suprà ex sancto Augustino retulimus, nobis (hoc est Episcopis & Presbyteris) quemquam à communione prohibere non licet, nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.

Quintum est: homines, quorum præter cæteros est nobilitata & pervulgata improbitas, ita ut nulla tergiversatione celari queat, reconciliationis gratiâ donari, nec possunt, nec debent in extremo spiritu, quin aliquo, vel nutu, vel verbo suam de percipienda reconciliatione, atque adeo de flagitiis penitus abdicandis voluntatem, contestati fuerint; quia valde metuendum est, ne obstinatam illam peccandi voluntatem, quam ad illud usque tempus propalam per sua flagitia patefacere non erubuerunt, irretractabiliter, ut ita dicam, & protervè retineant.

Sextum denique, quotquot in ipso peccati statu & actu, vel morbi ingruentis de repente stupore & violentia, vel inflicta quapiam lethali plaga, ad extremam vitæ lineam sunt adacti, non possunt, nec debent sacramentali absolutione imperriri, quin externum saltem internæ pœnitentiæ signum ediderint ob eamdem omnino rationem quam superiori corollario protulimus.

Ad hujusmodi homines in hoc sexto corollario memoratos, & absolutione sacramentali indignos, (nisi externa pœnitentis animi signa ediderint) aggregari necesse est quotquot culpabili negligentia semel in en anno, vel aliis antecedentibus, proprio Sacerdoti non sunt confessi, nec ad minùs in Pascha Eucharistiæ sacramentum suscepere, juxta præceptum universis Fidelibus indictum in canone, *cùm utriusque sexus*. Hujusmodi, inquam, hominibus deneganda est absolutio sacramentalis juxta præfati canonis edictum, quo declaratur hominem in eo statu constitutum, viventem ab ingressu Ecclesiæ arcendum, & morientem ab Ecclesiastica sepultura procul ablegandum.

Cùm ista dogmata probaverimus hactenus authoritate sanctorum Patrum, & multis rationibus eadem ipsa authoritate nixis, nemo jam dubitare debet quin eam sententiam, quam tanto tantorum argumentorum pondere stabilitam ostendimus, tutò in praxim & usum conferre liceat.

Cùm docuimus, Christianis Catholicis ad extremam vitæ lineam adactis, & nullam pœnitentiæ significationem edentibus præ morbi violentia, absolutionem sacramentalem impendi posse, id docuimus, antequam hujusmodi doctrinam in praxi periculosam esse declararet sacra Theologorum Parisiensium Facultas, cui propterea nihil omnino detractum volumus; siquidem ejus judicio acquiescimus prolixa libentique animo, eamque sincero affectu prosequimur.

APPENDIX *ad quæstionem hactenus explanatam, in qua solvuntur objectiones, quibus videtur everti doctrina, quâ astruitur sententia a'ens, quibusdam Christianis morti proximis nullum doloris & pœnitentiæ signum edentibus, posse concedi.*

Prima objectio.

PRimò igitur nonnulli objiciunt, sacram Theologorum Parisiensium Facultatem, opinionem aientem, posse virum Christianum Catholicum in extrema vitæ linea positum, absolvi sacramentaliter, etiamsi morbi violentiâ oppressus, nullum pœnitentiæ signum ediderit, appellasse in praxi periculosam, & ideo damnasse, cum Amadæi Guimenii Scripta censoriâ virgulâ perstrinxit.

Hujus primæ objectionis solutio.

Huic objectioni respondemus, præfatam Facultatem dictam propositionem ita notasse, generatim loquendo, ut tamen in quibusdam circumstantiis posse benigniori interpretatione molliri, & ad praxim adhiberi posse non negaverit. Pulchrè enim novit in orthodoxa morum disciplina reperiri quamplurima, quæ generatim loquendo, ut periculosa vel erronea damnantur, & nihilo secius hic & nunc in peculiaribus quibusdam casibus posse honestari, & revera vestiri & honestari quibusdam circumstantiis, quarum adminiculis ab existimatis periculis & erroribus asserantur. Nam beneficiorum pluralitatem v.g. (si possideatur unum duntaxat quod ad clericalis vitæ frugalitatem sufficiat) damnant omnes cum sanctis Patribus, & Conciliis; ita tamen damnant, ut ipsam illam circumstantiis in Ecclesiæ, vel utilitatem, vel necessitatem, vel utramque redundantibus, honestatam, vituperare & carpere nequeant. Usque adeo verum est, esse multa in disciplina morum, quæ universè loquendo sunt illicita, & quibusdam in casibus & circumstantiis, ceu licita factitantur. Hac solutione nihil derogamus sacræ Parisiensium Theologorum Facultati, quam omni pietatis & eruditionis laude cumulatam omnes Christiani Catholici ab omni ævo coluerunt, & etiamnum utcumque maximè colunt. Et revera singulari sapientia & prudentia dictam propositionem in tota sua latitudine comprehensam appellarunt in praxi periculosam, ne imperiti quidam passim & temere quoslibet etiam indignos in suam ipsorum, pœnitentiumque condemnationem absolverent. Cæterùm absit ut aliquid contra sacræ Facultatis Parisiensis determinationem asseramus, imò sententiam nostram ejusdem Facultatis judicio, in omnibus & præcipuè in hacce materia libenter submittimus.

Secunda objectio.

Secundò objiciunt nonnulli, si morientibus & nulla pœnitentiæ signa demonstrantibus, sacramentalis impendatur absolutio, debitam Sacramento materiam procul dubio defuturam.

Hujus objectionis solutio.

Ut hujusmodi objectio rite dissolvatur, juvat quærere ab objicientibus, utrum is, qui petit Sacerdotem, ut ab ipso absolvetur, quem tamen præsentem & aliqua contritionis indicia reposcentem, de sua suscipiendæ pœnitentiæ voluntate certiorem facere non potest ob ingravescentem morbum, sufficientem ad impetrandam absolutionem sacramentalem, materiam exhibeat. Si dicant, Clementem Papam octavum decrevisse, ut hujusmodi persona absolvatur, justo, & contendo, in eo casu, quo quispiam Sacerdotem petit, nec ipsi ulla contritionis signa exhibere potest, non majorem inesse materiam, quàm in eo, qui Sacerdotem non petiit. Siquidem ipse ille qui Sacerdotem petiit, hoc uno dumtaxat ab altero discrepat, quòd Sacerdotem petierit: quæ petitio sufficiens ad sacramenti materiam appellari non potest, cùm ipse, qui Sacerdotem petit, nulla ipsi signa doloris & pœnitentiæ, sicut nec alter, qui non petiit, exhibere valeat. Quòd si in eo, qui suam de factitanda confessione voluntatem Sacerdotem petendo patefecit, sufficientem ad sacramentum rite percipiendum materiam, interpretativam scilicet, reperiri quis asserat: quidni & idem profiteatur de viro Christiano Catholico, qui toto vitæ curriculo animum Christianum exhibuit? Ac reipsa quidem cùm alicui, qui vel Sacerdotem petierit, vel non petierit, absolutio sacramentalis impenditur: impenditur dumtaxat sub ea conditione, si videlicet adsit materia, vel manifesta, vel saltem interpretativa; quæ si defuerit, perinde futurum est, ac si non essent prolata ipsius absolutionis verba. Nam ex intentione ministri sacramentorum, dum conferuntur, efficacia dependet. Itaque cùm in præfatis casibus intentio proferentis verba absolutionis sub conditione tacita vel expressa, quòd adsit materia ad sacramentum necessaria, illa deficiente, nuda tantùm absolutionis verba protulerit. Quæ conditio respectu ejusmodi pœnitentium, quibus per morbi violentiam pœnitentiæ signa dare non licet, rite apponitur in absolvendo, quæ tamen apponi non oportet respectu Christianorum integra valetudine pollentium. Nam tunc Sacerdos judicis ab ipso Deo constituti partes implere, & omni tamota conditione dijudicare debet, utrum pœnitens sit in eo statu, quo reconciliationis gratiam obtinere mereatur. Ad nostram solutionem attuendam mirum quantum valet authoritas Clementis Papæ octavi, qui cum eruditione pietatem adæquavit, qui Christianum, qui Sacerdotem petiisset in extrema vitæ linea, absolvendum esse verbo docuit, & Christianum, qui nulla pœnitentiæ signa exhibere posset, esse pariter absolvendum, suo ipsius facto declaravit. Cùm enim artificem quempiam ex editissimo sancti Petri Ecclesiæ fastigio cum evidentissimo vitæ periculo corruentem aspexisset, eum absolvit hisce verbis: *Si tu es capax absolutionis, ego te absolvo à peccatis tuis, &c.* De hoc Clementis Papæ facto plura dicturi sumus infrà. Et hoc factum eò magis approbandum est, quò probabiliùs ejusdem authoritatem facti ab sancto Augustino, in cujus lectionem doctissimus Pontifex diligentissimè incubuerat, accepisse novimus. Hoc factum referunt plerique moderni, Corduhensis, Diana, Turrianus, Suarez, Coninckus, & alii, ut postea videbimus. Si ergo summus ille Pontifex cum conditione dictum hominem absolvit, quidni virum Catholicum in Ecclesia Christianè versatum, licèt Sacerdotem non petierit, absolvendum esse asseramus?

Objectio tertia.

Qui contrariam nobis sententiam propugnant, contendunt, absolutionem, quam moribundis Catholicis in extrema vitæ linea positis, nullo ab ipsis edito contritionis, seu pœnitentiæ signo, impendi posse, asserimus; Romano Rituali prohiberi, atque adeo nemini in dicto rerum articulo exhiberi posse.

Hujus objectionis solutio.

Ut hæc rite dissolvatur objectio, operæpretium est expendere, quid Sacerdotale Romanum ab summis Pontificibus toties approbatum, & quid Rituale etiam Romanum de hac ipsa absolutione profiteatur & asserat.

Ut igitur ordiamur ab Sacerdotali Romano, in quo summi Pontifices omnes promiscuè Sacerdotes docent, quo pacto Ecclesiæ sacramenta rite administrare debeant; certum est, illud ipsum Sacerdotale Romanum ipsam illam quam hic asserimus, doctrinam perspicuè profiteri & tradere. In ipso enim, id est in Sacerdotali Romano Venetiis apud Joannem Variscum & socios, anno Christi 1560. excuso, folio 72. summi Pontifices de infirmorum confessione agunt, suamque mentem de re proposita aperiunt hisce verbis: *Advertendum autem est, inquiunt, quòd aut infirmus est in periculo mortis, aut non. Dico autem periculum mortis, non solùm quia in extremis constitutus, sed quia contingit frequenter homines mori ex illa infirmitate, & medici dubitant. In tali casu potest quilibet absolvi à quolibet Sacerdote de quolibet peccato, & a qualibet sententia absque alia licentia, cùm periculum est in mora. Tali enim infirmus aut jam amisit loquelam, vel usum rationis, prima quia phreneticus, aut non. In primo casu, si bene vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem & communionem, & hujusmodi, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, vel etiam si malus & obstinatus diu perseverans in peccato est, & diu non confessus, si petiit Sacerdotem ut confiteretur, ostendit se velle facere omnia qua debet, & interea factus est mutus vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato, &c.*

Ex hujusmodi verbis patet, summos Pontifices imperare omnibus promiscuè Sacerdotibus, ut quemlibet Christianum vitam rite professum, nec ulla doloris & pœnitentiæ signa testificatum, absolvant.

Ne quis autem de præfati Sacerdotalis authoritate dubitet, discat vel ex ipso ejus titulo, quanti ab omnibus æstimari debeat. Siquidem ipse ille titulus est in hæc verba conceptus: *Sacerdotale juxta sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum ex Apostolica bibliotheca, ac sanctorum PP. Jurium sanctionibus, & Ecclesiarum & DD. scriptis ad optatum commodum quorumcumque Sacerdotum collectum, & omni nuper diligentia castigatum, ac summorum Pontificum authoritate multoties approbatum.*

Tali libro ex tot fontibus, iisque limpidissimis hausto, quis adversari poterit? Nemo profectò sanæ mentis ejus authoritatem repudiare poterit, atque adeo hominem Catholicum, & pietatis laude præditum, ab omni peccato & sententia (etiamsi nulla præstiterit pœnitentiæ signa) absolvere nihil dubitabit. Hactenus summorum Pontificum de proposito casu sensa ex citato Sacerdotali: jam utrum Rituale Romanum in contrariam abeat sententiam, (ut nonnulli caussantur) discutere necesse est.

Quod igitur spectat ad ipsum Rituale Romanum, si sobrium adhibeatur judicium, seclusa contentione, nihil Sacerdotali Romano adversari videbitur. Eo quippe loco de iis dumtaxat verba facit, quibus suppetit integra & secunda valetudo, & alia ex aliis peccant, & in eadem peccata, eaque lethalia, citra emendationem identidem revolvuntur, atque adeo sese præbent indignos, quibus reconciliationis beneficium indulgeatur. De hujusmodi hominibus Rituale Romanum sanè, &, ut oportet, intellectum, loquitur; non autem de iis, quos morbi vis ad extremam vitæ periodum adegit: de quibus sequenti paragrapho verba facit, nec tamen ipsis denegandam esse reconciliationem pronuntiat. Ergo si rectè ratiocinabimur, dictum Rituale Romanum ab Sacerdotali Romano nihil hac in parte discrepare judicabimus; eo nomine, quòd utrumque Romanorum Pontificum & imperio & authoritate conditum, & diligentiùs castigatum, & eorumdem jussu ad Sacerdotum nostra mysteria dispensantium informationem editum, nemini verisimile videri queat, summos Pontifices, quorum cathedra ab Catholicis, ut centrum unitatis Ecclesiasticæ creditur & colitur, adeo in eadem materia, eaque gravissima, ab invicèm dissedisse, ut eorum aliqui propositionem unam assererent veram, alii verò eamdem illam in iisdem omnino circumstantiis veluti falsam reprobarent.

Cùm ergo universis Christianis Catholicis sit ab omni ævo persuasum, summos Pontifices vix, ac ne vix quidem, tam turpiter ullo umquam tempore hallucinatos esse, ut ex iis unus aliquod pronuntiatum in materia fidei scilicet & morum astruxerit, alter verò illud ipsum sua authoritate labefactatum destruxerit; contendimus in præsenti materia, Rituale Romanum nihil discrepare ab Sacerdotali Romano, ideoque juxta præscriptum ejusdem Sacerdotalis Romani, virum Christianum, qui sanctè ut bonus fidelis in Ecclesia vixit, & sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentavit, licèt ipsa sacramenta non petierit, utpote graviore morbi violentia conflictatus, in ipso mortis periculo absolvendum esse. Ergo in isto casu, hominem, qui sacramenta non petierit, summi Pontifices in Sacerdotali suo, seu Romano, absolvendum esse pronuntiant. De cæteris, qui non accesserunt ad eum Christianæ perfectionis gradum, quid in isto rerum articulo factitari oporteat, inferiùs opitulante Deo discutiemus.

Objectio quarta.

Qui adversus nostram sententiam adversantur, objiciunt, varios Doctores & multos eam impugnasse, atque adeo penitus repudiandam esse.

Hujus objectionis solutio.

Varios quidem Doctores huic nostræ doctrinæ refragari concedimus: sed varios etiam, eosque non pœnitendos, ipsi illi suffragari contendimus. Nam

Primò sanctus Augustinus nostram hanc sententiam de baptismo catechumenis conferendo, & de reconciliatione baptizato, qui nullam suæ pœnitentiæ significationem prodere potest, indulgenda, tam disertè & luculenter amplectitur, & propugnat, ut nihil ad ipsam astruendam illustrius & efficacius afferri posse videatur.

Quod quidem facilè deprehendet cordatus lector ex ipsa lectione loci, quem retulimus ex ult. capite libri primi de adulterinis nuptiis ad Pollentium, ex quo loco nonnihil hîc excerpere juvat, cum proliximus postea discussuro: *Ego*, inquit, *non solùm alios catechumenos, verùm etiam qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore, in his permanentes, non admittamus ad baptismum, tametsi desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterina carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hæc ibi.

Paulò ante hæc verba in eod. cap. de catechumenis etiam verba faciens: *Multò satius est*, inquit, *nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, & tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus eam credidit se non oportere de corpore exire.* Hæc ibi.

Ex his sancti Augustini verbis colligere est, eumdem S. Augustinum præsumere, catechumenos, qui nulla suæ pœnitentiæ indicia præstare possunt, intra se pœnitentes jacere, & ideo baptizandos esse, etiamsi adulterinis conjugiis fuerint implicati, nec quispiam sciat, utrum istis in peccatis ad mortem usque perseverare voluerint. Ita, inquam, sanctus Aug. de ejusmodi hominum pœnitentia præsumit, ut ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis, seu reconciliationis exire velle matrem Ecclesiam non debere disertè profiteatur: cùm, ut ait, sit credibilius, eos, si possent, petituros sacramenta, sine quibus jam se non oportere exire de corpore, crediderunt.

Quisquis plura nostræ assertionis argumenta ex ipsissimis S. Augustini verbis deducta optaverit, hujus quæstionis secundam conclusionem consulat. Inibi quippe deprehendet, eumdem sanctum Augustinum in mitissimam illam, misericordiaque plenissimam inclinasse sententiam, quam propugnamus, ut ostenderet, catechumenos, quibus per morbum, suum de peccatis dolorem vel nutu vel verbo testificari non liceret, esse regenerandos in Christo, eo nomine quòd ipsa catechumenatûs professione suam percipiendi baptismatis, & quæ ad id requirerentur, præstandi voluntatem, satis superque testati præsumerentur. Et quia baptismi in catechumeno, & reconciliationis in baptizato par est ratio, ideo utrique in eodem rerum articulo jacenti, ita ut neuter ulla doloris & pœnitentiæ signa vel verbo vel nutu edere queat, uterque, sed interpretativè dumtaxat, hujusmodi signa patefacere præsumatur, catechumeno per baptismum, baptizato autem per arrham pacis & reconciliationis, succurrendum esse, ipse ille sanctus Augustinus sine ulla tergiversatione pronuntiat.

Secundus nostræ propositionis assertor

Est sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, cui cùm Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiæ Diaconus per litteras, duas quæstiones de moribundo Æthiope proposuisset: 1°. utrum hujusmodi Æthiops baptizari debuerit, cùm nullam suæ de percipiendo baptismo voluntatis significationem demonstraverit: 2°. utrum per baptismum in eo statu perceptum ad æternam salutem pervenire potuerit: S. Fulgentius utramque quæstionem ita dissolvit, ut & eum Æthiopem baptizatum oportuisse, & per ipsum baptismum æternam salutem consequi potuisse intrepidè affirmat, ut ex ipso Fulgentio Ruspensi Episcopo retulimus, ex ipsius epistola ad Fulgentium Ferrandum inscripta, cujus ipsa verba in citata hujus quæstionis conclusione secunda declaravimus.

Tertius noſtræ ſententiæ aſſertor.

Tertio loco inter noſtræ ſententiæ aſſertores primum locum dignitate ſibi vindicant ſummi Pontifices; ſed tertium obtinent, ſi ratio temporum habeatur. Hi, inquam, Pontifices qui Sacerdotale Romanum (cujus verba in ſolutione tertiæ objectionis recitavimus) ſua autboritate multoties approbarunt, & ad informationem omnium Sacerdotum in cæleſtium ſacramentorum diſpenſationem incumbentium, toties incredibili diligentia laudari, & typis mandari voluerunt, noſtræ ſententiæ (ut patet ex eorum teſtimoniis à nobis ſuprà citatis) ita ſunt ſuffragati, ut nemo eorum approbationi citra temeritatis notam refragari poſſe videatur.

Quartus ejuſdem noſtræ ſententiæ defenſor

Eſt Clerus Lemovicenſis, qui in frequenti conſeſſu conflato ex duodecim Doctoribus, ex tribus Decanis, ex ſeptem Præpoſitis, ex Prioribus decem, & ex decem Archipreſbyteris, qui omnes juſſu & diligentia Raimundi *de la Martonie*, Epiſcopi Lemovicenſis, ad Synodum anno Redemptoris 1619. celebratam evocati, in eamdem ipſam, quam Sacerdotale Romanum aſſeruerat, ſententiam conceſſere, ut patet ex cap. 21. Statutorum ſynodalium Diœceſis Lemovicenſis, impreſſorum per viduam Jacobi *Barbou* anno ſal. 1620. Hujus Synodi verba, utpote à nobis in ſecunda hujus quæſtionis concluſione referenda, hoc loco non referimus.

Quintus noſtræ aſſertionis aſſertor.

Quintum inter noſtræ ſententiæ vindices locum obtinere poteſt liber, qui *Cura Clericalis* inſcribitur: ſiquidem paginis 115. & 116. ſic loquitur: *Nunquam abſolvat (Sacerdos) ab peccatis ſub conditione de futuro, vel ſub ratihabitione, quia non eſſet valida abſolutio. In aliquo tamen caſu licitum eſt ſub conditione impropriè ſumpta abſolvere, ut cùm quis abſolvit puerum, vel phreneticum, vel infirmum in articulo mortis, & dubitat, an habeat plenum rationis uſum, poterit abſolvere, retenta ſaltem in mente ea conditione: Si es capax abſolutionis, &c.*

Hoc ipſum docent & Theologi, & inter cæteros Jacobus Gordonius Huntlæus, Societatis Jeſu, ſacræ Theologiæ Profeſſor, diſput. de ſacramentis cap. 7. quæſt. 2. ſub finem: *Si Sacerdos*, inquit, *invenerit aliquem in via ſemimortuum, ſibi planè ignotum, ſed adhuc ſpirantem, qui nullum poteſt dare ſignum contritionis, debet tamen illum abſolvere ſub conditione, hoc pacto: Si tu es capax abſolutionis, ego te abſolvo.*

Hujus rei pulcherrimam rationem reddit ipſe ille Author. *Hoc enim proderit*, inquit, *ſi eſt capax abſolutionis. ſin minus, talis abſolutio non poterit nocere, nec abſolventem peccato contaminare, cùm detur tantùm ſub conditione; & de omni ignoto, quando non conſtat contrarium, cenſendum eſt illud quod melius eſt, nimirum eſſe Catholicum & pœnitentem: in his enim omnibus ſatis eſt propoſitum confitendi antea aliquando declaratum, donec contrarium declaraverit.* Hæc ille. Hujus Theologi ſenſa mihi videntur eò veriſimiliora, quò propiùs accedunt ad abſolutionem, quâ Clemens Papa VIII. hominem ex alto ruentem in præceps abſolviſſe memoratur.

Si igitur aliquando dubium ſit, quomodo in intimo animi receſſu affectus ſit ægrotus, nec ulla ex eo poſſint elici ſigna, quibus intelligâtur, utrum ſibi ſacramenta conferri velit, necne, ſatius eſt relinquere ſacramentum in dubio, quàm cujuſpiam Catholici animam æternæ damnationis periculo exponere. Cùm enim ſacramenta ſint veluti quædam inſtrumenta ad procurandam animarum ſalutem inſtituta, ab divina inſtitutione videtur aberrare Sacerdos, qui dum plus æquo in dubio ea conferre pertimeſcit, animas, quarum causâ inſtituta ſunt, æternam in mortem immergere videatur.

Sextus noſtræ hujus doctrinæ defenſor celeberrimus, eſt Clemens Papa VIII.

Hujus Pontificis eruditio, pariter & prudentia æternam illi apud omnes Catholicos condidere famam, & ea abſolutio quâ dignatus eſt reconciliare, quantum in ipſo fuit, opificem ex divi Petri fabrica corruentem, ab plurimis Theologis inſigniter eſt laudata. Unde & exploſa eſt ab pleriſque omnibus cordatis cenſura nonnullorum hominum, qui tanti Pontificis factum allatrare voluerunt. Ex adverſo quippe Theologorum veterum & modernorum melior pars & ſanior hoc factum approbavit, litteris mandavit, & paſſim in uſum praximque contulit.

Hujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Homo-Bonus Bononienſis Pœnitentiarius in examine Eccleſiæ part. 1. tract. 7. cap. 18. quæſt. 84. ubi ait, *in neceſſariis ad ſalutem, tutiorem partem eſſe amplectendam & certiori periculo occurrendum eſſe, ſiquidem irreverentiam ſacramenti, vel ſacrilegii periculum tum conditione appoſitâ, tum authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium, ceſſare dicitur.* Hæc ille.

Ejuſdem rei teſtis eſt etiam Bartholomæus Fauſtus in Theologia morali tomo 1. lib. 4. quæſt. 204. *Hujuſmodi hominum teſtimonio innixi, & inprimis Clementis Papæ octavi authoritate freti, præfatam quàm hic aſſerimus, ſententiam intrepidè propugnarunt plures alii, ut puta Cordubenſis, Turrianus, Suarez, Coninckius, qui quidem quæſt. 64. quæ eſt de cauſa ſacrament. art. 8. dubio 5. nu. 102. noſtram hanc ſententiam confirmat authoritate Innocentii Papæ III. & ſancti Leonis Epiſtolâ 91. & affirmat, hominem catholicè viventem cenſeri velle ſibi conferri ſacramenta ab Eccleſia morientibus conferri ſolita, &c.* Quæ legere eſt in cit. noſtra concluſione ſecunda, in qua ejuſmodi Authorum verba referimus. In eamdem nobiſcum conſenſere ſententiam Molfeſius in ſua Summa tomo primo, tractatu 7. cap. 5. numero 48. & 49. Antonius de Litterans in ſua Summa Romæ cum approbatione impreſſa, parte prima, cap. 37. Hîc plures alios noſtræ ſententiæ defenſores proferre poſſem; ſed ab prolixioribus eorum locis abſtineo manum, ne lectori tædium afferam.

Hujuſmodi Authoribus ſententiam, moribundis eſſe concedendam in circumſtantiis à nobis hactenus explanatis, aientem propugnantibus, nemo jure ac meritò ſuccenſere poteſt: quippe qui Pontificis pari ad eruditionem pietate prædiri decreto & facto ſtudioſiùs inſtiterunt.

Huc accedit, quòd tantus Pontifex præfatam doctrinam, quæ moribundis morbi violentiâ, omni ſenſu, & voce deſtitutis, reconciliationem indulgendam eſſe decernit, non excogitavit, ſed ex limpidiſſimis uberrimiſque ſancti Auguſtini fontibus arripuit, hauſit, expreſſit, & cunctis Sacerdotibus in praxim ad animarum ſalutem conferendam, tam vivæ vocis oraculo, quàm ſuo ipſius facto propoſuit. Enimverò eumdem ſanctum Auguſtinum & diurna & nocturna manu ita verſaverat, ut in Congregationibus de Auxiliis neſcio quem in Redemptoris gratiam multa deblaterantem, & inſuper ſuppoſititio ejuſdem ſancti Auguſtini loco præſidentem, de falſitatis crimine revicerit, & exinde extemplo ceu falſarium & ſycophantam mentâ verecundiâ perculerit.

Duplici igitur, ſancti nimirum Auguſtini, & Clementis Papæ VIII. authoritate ſuffulti poſte-

riores Theologi, præfatam doctrinam astruere sunt conati.

Ex dictis & probatis hactenus, habemus persuasum, multis & SS. Patrum, & Pontificum, & Synodorum, testimoniis in eam quam defendimus sententiam haud dubiè concessuros. Si enim quærant veterum testimonia, ea in hujus quæstionis solutione, seu in sex conclusionibus, quibus explanatur, intueri poterunt: si quærant recentiorum sensa, ea pariter inibi affatim tractata reperient. Nam laudavimus recentiores, qui quod nos probare contendimus, suo etiam calculo veterum vestigiis insistendo, approbarunt: inter quos non postremum obtinet locum Joannes Morinus Presbyter Oratorii doctissimus: siquidem in erudito illo de pœnitentiali doctrina libro, quem totos viginti quinque annos elaboravit, hanc quam asserimus, asseruit doctrinam, & nobis plurima solidissimaque argumenta ex Ecclesiasticæ disciplinæ penu eruta suppeditavit, quibus nonnullis Catholicis, (qui morbi ingravescentis violentiâ oppressi, & alioquin vitâ Christianâ persuncti, nullum doloris & pœnitentiæ signum edere queunt) indulgenda reconciliationis, seu sacramentalis absolutionis gratia tantùm non ineluctabiliter astruitur.

QUÆSTIO LXXXVI.

Utrum peccata semel per pœnitentiam dimissa, per sequens peccatum redeant.

UT præsenti quæstioni fiat satis,

Dico 1°. Peccata per pœnitentiam remissa non possunt redire eadem numero quoad actum: quia iste peccatorum reditus fieret vel humana virtute, vel divina, quorum neutrum dici potest. Nam humana virtute præteritus quispiam actus idem numero produci non potest, cùm secundùm naturæ vires actus seu forma corrupta eadem numero redire nequeat. Et dato quòd divina virtute idem numero actus denuo produci & redire valeat, non tamen sub ratione peccati denuo produci potest, alioquin ipse actus sub ratione peccati reproductus in Deum, ut in authorem peccati refunderetur, quod nemo Christianus Catholicus admiserit. Non possunt ergo peccata eadem numero redire secundùm actum, licet possint post remissionem redire eadem secundùm genus vel secundùm speciem. Nam cùm definitum sit à Concilio Tridentino sub anathematis interminatione, atque adeo ut articulum fidei, justitiam semel habitam posse deperdi, & cùm deperdi nequeat nisi per peccatum lethale, certum est, peccata lethalia posse non solùm redire, sed etiam sæpenumero secundùm genus, vel secundùm speciem redire: ita ut quis in æternæ damnationis reatum, sive per eadem quæ antè admisit, sive per alia crimina revolvatur.

Dico 2°. Peccata semel per pœnitentiam remissa non redeunt simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Quod ut intelligatur, observandum est, dici peccata redire simpliciter, cùm quis in maculam & reatum, in quem aliàs peccata hujusce modi perpetrando incurrerat, denuo incurrit, ita ut peccatum quod pœnitentiam sequitur, non solùm maculam & reatum sibi peculiarem importet, verùm etiam veterum peccatorum reatum, quem remissio sustulerat, revocet & inducat, perinde ac si nulla unquam fuisset remissione sublatus, & ideo peccator ille dimissorum aliàs criminum reus habeatur, perinde ac si nunquam essent condonata, atque adeo æternis inferorum pœnis sit addicendus, non solùm ob peccata quæ post pœnitentiam admisit, sed etiam ob priora illa, quorum veniam per cordis contriti sacrificium, & gemitus à Domino impetravit.

Peccata autem dicuntur redire secùndùm quid, in quantum graviora fiunt peccata sequentia tam quoad maculam, quàm quoad reatum, eo nomine quòd ob remissionem præcedentium peccatorum novam plectendæ ingratitudinis deformitatem induant.

Quam distinctionem præclarè explicat S. Thomas in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in corp. *Dicendum est*, ait, *quòd aliquid potest redire dupliciter: vel in se, & sic peccata dimissa nullumodo redeunt, quantùm ad culpam, & per consequens, nec quantùm ad reatum: vel in suo effectu; & hoc modo peccata dimissa redeunt, in quantum ex dimissis peccatis aliquid in sequentibus relinquitur: ex hoc enim quòd homo Deum per peccatum offendit, post remissionem præcedentium peccatorum, quandam deformitatem ingratitudinis actus peccati sequentis acquirit: & ideo dicitur communiter, quòd redeunt quantùm ad ingratitudinem.* Hæc ibi S. Thomas.

Eamdem doctrinam stabilit 3. p. q. 88. art. 1. in corp. ubi primò probat, peccata non redire simpliciter, & postea redire tantùm secundùm quid. Et quidem probat priorem nostræ conclusionis partem hac ratione, quòd opus Dei per opus hominis irritari nequeat. Cùm ergo remissio præcedentium peccatorum sit opus divinæ misericordiæ, non potest irritari per sequens peccatum hominis secundùm illud Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit.*

Si quis objiciat, gratiam habitualem seu sanctificantem esse opus Dei, & tamen per peccatum quod est opus hominis, irritari & destrui, meminerit, Theologos constituere hoc discrimen inter gratiam habitualem, & remissionem peccatorum, quod gratia habitualis detur equidem per absolutam Dei voluntatem, sed quoad sui perpetuitatem semper includat hanc conditionem, nisi homo ab ea per peccatum excidat. Remissio autem peccatorum Dei opus est, & munus, quod ab ipso Deo absolutè & independenter ab illa futura conditione conceditur, atque adeo sic donatur, ut ab hominis opere irritari & destrui nequeat.

Hujusce ratio diversitatis petenda est ex eo, quòd remissio peccati ab continuo influxu seu voluntate Dei peccatum destruentis & abolentis non pendeat: siquidem per remissionem ipsum peccatum usquequaque deleatur, atque ita semper destructum maneat, sicut & cætera omnia, quæ semel sunt labefactata & destructa, semper suis in ruinis jacent, nisi de integro erigantur. Remissio ergo peccatorum, quæ absolutè conceditur, pertinet ad illa dona, de quibus prædicat Apostolus Rom. 11. c. v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*: hoc est, ea dona quæ Deus semel impertit, nusquam rescindit aut irrita facit.

Quod autem spectat ad gratiam habitualem, cùm sit qualitas permanens, continuam Dei conservationem & influxum exigit; (neque enim aliter Deus omnia conservat, nisi perpetuò in eas influendo id quod semel creando impertit) atque ideo habitualis illa gratia semper pendet à voluntate Dei, qui solùm vult eam tribuere justis, eamque in illis perpetuo influxu conservare, nisi ab eo vel per unum lethale flagitium desciscant. Et tunc non est dicendus Deus convellere suum opus: adeo enim suam gratiam ab homine mortaliter peccante auferendo suum non irritat opus, ut potiùs compleat: efficit enim dumtaxat quod statuerat, id est suam gratiam adimit homini, quam adimere decreverat, statim atque sese lethali flagitio constringeret.

Non ergo Dei opus, hoc est remissio peccatorum semel concessa, per opus hominis, hoc est per subsequens ejus peccatum irritatur: errant ergo, & magnâ Deum afficiunt contumeliâ, qui contendunt,

semel dimissa per pœnitentiam peccata redire simpliciter: ita ut peccatori ad æternam imputentur pœnam, perinde ac si nunquam essent remissa, atque adeo per illa & propter illa damnationis æternæ reatum denuo incurrat.

Nec minùs aberrant à vero, qui dicunt Deum non remittere peccata pœnitenti postmodum peccaturo secundùm præscientiam; sed solùm secundùm præsentem justitiam: præscit enim se pro his peccatis eum æternaliter puniturum, & tamen per gratiam facit eum præsentialiter justum; sed hoc stare non potest, quia si causa absolutè ponatur, & effectus ponitur absolutè, ut ratiocinatur S. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. jam citato in corp. Si igitur absolutè non fieret per gratiam & gratiæ sacramenta, peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, sequeretur quòd gratia & gratiæ sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum, quod est erroneum, utpote derogans gratiæ Dei. Et ideo *nullo modo potest esse, quòd macula & reatus precedentium peccatorum redeant, secundùm quòd ex talibus actibus causabantur. Contingit autem quòd sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, in quantum scilicet aliquis homo secundò peccans, ex hoc ipso videtur graviùs peccare, quàm priùs peccaverat, secundùm illud Rom. 2. Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die ira, ex hoc solo, quòd contemnuntur Dei bonitas, qua ad pœnitentiam expectat. Multò autem magis contemnuntur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati, secundò peccatum iteratur, quanto maius est beneficium, peccatum remittere, quàm peccatorem sustinere. Sic igitur per peccatum sequens pœnitentiam redit quodammodo reatus peccatorum priùs adm ssorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis priùs dimissis, sed in quantum causabatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex prioribus peccatis: & hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundùm quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.*

Hactenus S. Thomas perspicuè docuit, peccata priorum peccatorum remissionem consequentia continere virtualiter reatum præcedentium peccatorum, in quantum homo eò graviùs peccat iterando peccatum, quò majus in præcedentium peccatorum remissione accepit beneficium. Redeunt ergo præcedentia peccata propter ingratitudinem, dum omnia dona peccatori antea impensa, ac præcipuè remissionis donum, quo relaxata sunt peccata præterita, redeunt ut sequens peccatum aggravantia, & sic suo illo reditu efficiunt, ut graviùs plectatur peccator, quàm si nunquam ejusmodi dona percepisset. Quisquis igitur post perceptam suorum criminum remissionem sese lethali flagitio constringit, revolvitur in priorem damnationis statum, in quem sese per prius peccatum implicaverat, cum hoc tamen discrimine, quòd præcedentium criminum remissio, utpote cum ingratitudine conjuncta, illum in atrocius peccatum conjiciat, atque adeo graviori supplicio reddat obnoxium.

Quod spectat ad secundam nostræ conclusionis partem, quâ asserimus cum S. Thoma, peccata semel condonata redire per peccata lethalia, quæ remissionem consequuntur, non sic est intelligenda, quasi dimissa peccata redirent, peccatori ad æternam imputanda pœnam, sed tantùm secundùm quid, ut suprà ipsis S. Thomæ verbis explanavimus.

Huic doctrinæ repugnat primo aspectu parabola ab Christo Domino Matth. cap. 18. proposita. Nam servus ille nequam, cui decem millia talenta, hoc est (si nostrati monetæ ea summa conferatur) quadraginta sex libellarum milliones remissi sunt, jussu domini adversus eum implacabiliter irati, quòd centum denarios (hoc est triginta-tres nostratis pecuniæ libellas) conservo dimittere noluisset, traditus est tortoribus in vinculis detinendus, quoad usque redderet universum debitum, id est totam summam priùs condonatam resolveret. Ergo cùm decem millia talenta nihil aliud præter peccata in Deum admissa significent, & illa sint sicuti priùs in debitum revocata, rectè conficitur, nostra etiam peccata semel dimissa veluti priùs nobis ad æternam imputari pœnam, si proximo dimittere noluerimus levia, quæ in nos peccata commiserit.

Huc accedit, quòd S. Joannes Chrysostomus tom. 5. hom. 1. de decem millium talentorum debitore, præterita peccata per fraternum odium revocari disertè asserit. Hoc autem peccatum (fraternum odium) Dominum planè exacerbavit: *Quid igitur est pejus recordatione*, ait, *cùm benignitatem Dei jam depromptam revocet, & quæ non poterant efficere alia peccata, hæc efficiat ira adversùs proximum? Atqui scriptum est, Dei dona ex pœnitentia non revocari. Cur igitur hîc post eductum munus, post progressam benignitatem, reductus est calculus? Propter injuria pertinacem memoriam. Quam ob rem non erraverit quis, si hoc peccatum omni peccato gravius pronuntiet: alia enim omnia veniam impetrari potuerunt, istud solum adeo veniam adipisci non potuit, ut jam obliterata & extincta denuo refricaverit. Duplex igitur malum pertinax injuria memoria, & quòd nullam excusationem apud Deum obtendere valeat, & quòd reliqua peccata jam remissa revocet, & adversum nos constituat.* Et infrà. *Quocirca audacter dixero, omni peccato istud esse gravius: quinimo non hoc dico, sed Christus per parabolam istam istud ostendit. Si enim non decem millibus talentum, hoc est inessabilibus peccatis istud gravius esset, nequaquam hu us causâ illa omnia jam donata revocata fuissent.* Hæc S. Joan. Chrysostomus.

Hoc ipsum affirmat S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. ult. & Innocentius III. in lib. Mysteriorum Missæ cap. 24. *Hoc pacto*, inquit, *& eadem cautione nobis debita dimittuntur, si nos debitoribus dimittimus: alioquin etiam dimissa revocantur in debitum, secundùm illud, Serve nequam, omne debitum, &c.*

Ut huic objectioni ex evangelica parabola repetitæ, & allatis sanctorum Patrum testimoniis satisfiat:

Observandum est, in parabolis esse quædam velut emblemata & ornamenta, quæ quidem ad rem propositam singillatim accommodari nequeant, ut monent S. Joan. Chrysost. hom. 20. in Matth. & S. Hieronymus in cap. 13. Matth. Et ideo omnes Scripturarum interpretes, sicut & Patres universi affirmant, vix posse parabolas explicari & applicari, quin potissimùm attendatur ad scopum, ad quem divino Christi consilio collineant.

Igitur juxta hanc regulam à SS. Patribus traditam affirmare possumus, id unum hac in parabola fuisse dumtaxat Christo propositum, ut ostenderet nos, quantumvis offensos, erga proximum ignoscentissimos esse oportere, alioquin Deum nulquam nobis esse parciturum. Cùm enim interroganti Petro, an septies parciturus esset, respondisset non septies, sed usque septuagies septies, seu septies septuagies, hoc est vicibus innumerabiliter innumerabilibus, hanc proposuit parabolam, quâ docuit, quanti nostra interesset illatas à proximo injurias condonare. In hac enim ignoscentia & condonatione, æterna nostrûm omnium salus vertitur, & insistit. Nam quemadmodum Rex qui cum servis suis rationem ponere voluit, servum illum nequam, illum scilicet creditorem inexorabilem, conservum suum simul & debitorem præfocare molientem, jussit in carcerem detrudi, donec summam antea remissam penitus exsol-

veret; ita Pater cælestis faciet nobis, si non remiserimus unusquisque fratri nostro de cordibus nostris: hoc est, detrudet in inferos quotquot fratribus ex animo ignoscere noluerint, donec reddiderint universum debitum. Quod quidem cùm reddere nequeant: (quia enim decem millia talenta, quæ ad quadraginta sex nostrarium libellarum milliones perveniunt, exolvere, hoc est pro peccatis per tot talenta significatis Deo satisfacere queat?) cùm, inquam, tot tantaque debita, quotquot fratribus offensas condonare abnuerint, persolvere nequeant, eos æternis inferorum suppliciis affici necesse est.

Enimverò quantis oportet plecti suppliciis referventem illam ingratitudinem, quâ insultat in Deum, quisquis, cùm ab ipso clementissimo Rege decem millium talentorum, hoc est plurimorum, gravissimorumque criminum relaxationem acceperit, nihilo seciùs leviores quaspiam injurias in se à proximis admissas dimittere recusat. Nemo sanè Christianus potest se in parcendo inexorabilem præbere, quin se suo, ut ita dicam, mucrone confodiat, & sempiternam sibi perniciem accersat.

Hic est igitur scopus parabolæ, declarare nimirum, neminem suorum criminum veniam à Deo consecutum ire, nisi priùs admissas in se leviores offensas, per centum exigui valoris denarios significatas, proximo & ex animo condonaverit. Non propterea dicendum est, redire priora peccata simpliciter, hoc est, dimissa per pœnitentiam peccata denuo peccatoribus ad æternam imputari pœnam, quasi non essent dimissa. Nam præterquam quòd ea sententia in divinæ justitiæ contumeliam redundat, etiam traditioni adversatur. Unde S. Prosper in responsion. ad 2. objection. Gallorum. *Qui recedit à Christo*, ait, *& alienus à gratia finit hanc vitam, quid, nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit: nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina, ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ dimissa sunt, debebatur.*

Item Gelasius Papa relatus de pœnit. c. 24. *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.* Hæc est pervulgata omnium Patrum doctrina, quâ discimus, remissa priùs peccata redire secundùm quid propter ingratitudinem; quæ peccata antecedentium peccatorum remissionem consequentia comitatur.

Ergo peccata vel reipsa remissa, vel quæ putabantur remissa, redeunt, quoties aliquis fratri veniam præsertim petenti denegat. Nam, ut ait S. Hieronymus in Epist. ad Ephesios: *Tunc maximè diabolo in potestatem damur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine ejus vincemur, quem indignè odimus.* Hæc ille.

Unde Christus concludit parabolam his verbis: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis.* Quod epiphonema referendum est potissimùm ad parabolæ scopum; quasi diceret Christus: Quemadmodum Rex qui rationem posuit cum servis, tortoribus tradidit servum illum crudelem, qui acceptâ decem millium talentorum relaxatione, centum denarios, levem scilicet summam, roganti conservo remittere voluit; ita nos adhibebit Pater vester cælestis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Imò quod remissum putabatur, quodque, quantum est ex parte sacramenti & Ecclesiæ, poterat remitti, (nisi malè animatus fuisset in fratrem, qui voluit remissionem consequi) ad æternam imputabitur pœnam. Et hæc est fundatissima S. Aug. doctrina lib. 1. cont. Donatist. cap. 12. *Nec*, inquit, *illud quod nondum conservo dimiserat, impediunt Dominum ejus, quominus in illo tempore accipiendæ rationis dimitteret ei omnia, quæ debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput ejus, propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuò replicata sunt?*

Ex his Augustini verbis colligitur peccata maximo illo decem millium talentorum debito significata non fuisse remissa coram Deo: eo quòd cùm eorum veniam flagitaret servus in parabola expressus, occultum adversus proximum odium in corde aleret, nec paratus esset petenti & roganti acceptam ab eo injuriam condonare: quem quidem affectum in intimo cordis recessu latentem perseverantemque, ubi primùm oblata est occasio, patefecit. Unde S. Augustinus pessimam hanc animi præparationem per odiorum perseverantiam expressit: quæ perseverantia cum sacramenti perceptione conjuncta peccatorum veniam per sacramentum alioquin consequendam impedit.

Remissio igitur per parabolam designata ab S. Augustino sic accipitur: ut intelligatur concessa, quantum est ex parte Dei, qui peccatori per Ecclesiæ ministerium sacramentum adhibet: cujus sacramenti beneficio plenam peccatorum remissionem assequeretur, nisi fraterno, quo flagrat odio, hujuscemodi remissioni per sacramentum consequendæ aditum intercluderet. Ad hunc igitur modum peccatorum debita redeunt, quia cùm servus putaret ea penitus sibi esse remissa, & quantum ad Deum & Ecclesiam attinet, fuissent verè dimissa, nisi per teterrimam animi dispositionem obstitisset, in Dei tamen judicio deprehensus est omnium peccatorum, quæ sibi remissa perperam crediderat, reus: ita ut omnia illi sint ad pœnam imputata, perinde ac si nullum remissionis sacramentum in Ecclesia percepisset.

Allata igitur SS. Patrum testimonia, quæ adversus nostram conclusionem objiciuntur, solvi possunt, dicendo, peccatori verè pœnitenti peccata, hoc est decem millia talenta, esse dimissa, sed post impetratam hujusmodi remissionem illatam sibi à proximo injuriam condonare noluisse, atque ita priora peccata non simpliciter, sed secundùm quid rediisse ob ingratitudinem, quâ Deum accepto tam singulari beneficio exulceravit.

Vel allatis SS. Patrum testimoniis responderi potest, dicendo, peccatores qui proximis à quibus læsi fuerant, ignoscere noluerunt, accessisse ad sacramenta, nec ullam suorum criminum veniam esse consecutos propter fraternum odium, quo sibi omnem remissionis aditum intercluserant. Atque ita dicendum est, peccata à quibus se expeditos arbitrabantur, rediisse, ita ut coram Deo per perceptionem sacramenti non minùs quam antè rei habiti fuerint. Ac reipsa quidem multi, qui illatas injurias condonare nolunt, nequicquam Ecclesiæ sacramenta percipiunt; nullam enim suorum scelerum consequuntur veniam; & cùm ad Christi tribunal fuerint evocati, sese adhuc decem millium talentorum debitores esse deprehendent & fatebuntur: quippe qui sese præstitisse duros, imò omni diritate teterrimos creditores, nec usquam debita, licèt minima, suis proximis condonare voluerunt. Eam ob rem eorum ingratitudo æternis inferorum suppliciis punietur; quod patebit clariùs, cùm de ejusmodi ingratitudine egerimus. Sit itaque

---

Quæstio LXXXVII.

An ingratitudo, quam quis post acceptam peccatorum remissionem admittit, sit peccatum, & quale, & quæ præsertim peccata per illam ingratitudinem redeant.

Hæc quæstio bipertita duplici conclusione est resolvenda. Sit igitur

Prima

Prima conclusio.

Ingratitudo, per quam dimissa peccata redire dicuntur, quandoque est speciale peccatum, aliquando autem non est speciale peccatum, sed tantùm circumstantia, quæ quodlibet peccatum lethale consequitur.

Quam conclusionem edisserit luculenter S. Thom. 3. p. q. 88. art. 4. in corp. *Respondeo dicendum*, ait, *quod ingratitudo peccantis quandoque speciale peccatum est, quandoque autem non, sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur: peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis. Unde ut Philosophus dicit 5. Ethic. ille qui mœchatur ut furetur, magis est fur quàm mœchus: si igitur aliquis peccator in contemptum Dei & suscepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis, & hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si verò aliquis intendens aliquod peccatum committere, (putà homicidium aut adulterium) non retrahatur ab hoc, propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum; sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quædam. (nunc enim non ex contemptu, ut qui ingratitudinis intentione peccatur, sed ex passione vel ex alia causa) Ut autem Augustinus dicit in lib. de nat. & grat. cap. 29. non omne peccatum est ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis. Unde manifestum est, quòd ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum, sed non semper. Nam licèt ingratitudo secundùm se sit quædam species peccati, eadem tamen ingratitudo secundùm quod invenitur in omni peccato, non est speciale peccatum.* Hactenus S. Thomas.

Ex his Doctoris Angelici verbis colligendum est, ingratitudinem peccatum speciale constituentem, in confessione sacramentali necessariò aperiendam esse. Cùm enim singula peccata mortalia, quorum pœnitens post diligentem sui discussionem meminerit, inter confitendum Sacerdoti declarare teneatur; quidni ingratitudinem ut speciale peccatum eidem Sacerdoti declarare tenebitur? Nam eam esse peccatum lethale, nemo prudens inficiari potest: quod enim peccatum magis lethale perpetrari potest, quàm illud quod deditâ peccantis operâ ad Dei contemptum & percepti ab eo beneficii ludibrium opprobriumque collineat?

Præterea si ingratitudo fit, non jam speciale peccatum, sed circumstantia dumtaxat notabiliter aggravans, etiam in confessione aperienda est, sicut & omnes id genus circumstantiæ, quæ peccatum notabiliter aggravant, ut suprà demonstravimus.

Dominicus Soto in 4. dist. 15. art. 4. credit, eum qui sæpe remissionem peccatorum obtinuit, & ereptus est ex grandioribus periculis, in quæ ex eorum merito incurrerat, debere talem ingratitudinem ut circumstantiam aggravantem confiteri. Quæ doctrina evangelicæ veritati maximè est consentanea. Quis enim dubitat, eò majorem & criminosiorem eam esse ingratitudinem, quæ post plura majora frequentioraque beneficia committitur, atque adeo esse saltem circumstantiam novas in sua crimina prolapsiones aggravantem, quam ad confessionis integritatem declarare oporteat.

S. Thomas 3. p. quæst. citatâ art. 2. ait, tantò majorem esse ingratitudinem, quantò post majus beneficium acceptum al quis peccat. Et in eod. art. ad 3. *Dicendum*, ait, *quòd beneficium aliquod habet pensari dupliciter. Uno modo ex quantitate ipsius beneficii, & secundùm hoc innocentia est major Dei beneficium, quàm pœnitentia, quæ dicitur secunda post naufragium tabula. Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minùs est dignus, & sic magis fit sibi gratia, unde & ipse magis est ingratus, si contemnat: & hoc modo beneficium remissionis culpæ est majus, in quantum præstatur totaliter indigno, & ideo ex hoc sequitur major ingratitudo.*

Cùm ergo ex S. Thoma beneficium remissionis culpæ sit majus ex parte recipientis, quàm innocentia, (quia confertur in hominem tantâ gratiâ penitus indignum) sequitur, ejus ingratitudinem esse multò deteriorem cujuslibet alterius ingratitudine: quæ quidem ingratitudo, si non est speciale peccatum, erit saltem circumstantia hominis crebrò relapsi peccata, notabiliter aggravans, quam ideo quilibet inter confitendum aperire tenebitur.

Præterea perfecta consummataque ingratitudo, sive sit speciale peccatum, sive circumstantia ingrati peccata notabiliter aggravans, efficit ut peccata redeant, quod non fit in peccatis venialibus: neque enim per venialia subsequentia, dimissa priùs venialia redeunt ullo modo, hoc est nec simpliciter, nec secundùm quid, seu per ingratitudinem, quæ simpliciter & perfectè sit ingratitudo. Nam 2. 2. q. 107. art. 3. S. Thomas disertis verbis agnoscens, peccatum veniale habere aliquid ingratitudinis, dicit eam esse imperfectam, eo quòd non sit contraria charitati, cùm ejus habitum non expellat.

Secunda conclusio.

Tametsi dimissa per pœnitentiam peccata secundùm quid, ut jam explanavimus, per omne peccatum mortale remissionem subsecutum, redeant; certum est tamen peculiari quapiam ratione & peccatum vehementer aggravante, illa ipsa redire per quatuor hæc peccata, per fraternum nempe odium, per apostasiam, per contemptum confessionis, & denique per dolorem de suscepta pœnitentia coceptum. Unde hoc distichum:

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Hac conclusione duo asseruntur, quorum

Primum est, per omne peccatum lethale remissionem subsecutum dimissa peccata redire secundùm quid, quia propter ingratitudinem reatus præcedentium peccatorum quodammodo continetur in subsequente, quod ex iis aggravatur.

Secundum est, per quatuor peccata, fraternum scilicet odium, apostasiam, contemptum confessionis, & dolorem de suscepta pœnitentia, speciali quodam modo & valde peccatum exaggerante redire; quia ejusmodi peccata maximè adversantur beneficio remissionis peccatorum, atque adeo singularem quandam ingratitudinem important, & majorem, quàm cætera peccata inferre soleant.

Hanc doctrinam luculenter explicat S. Thomas 3. p. citat. quæst. 88. art. 2. in corp. *Respondeo dicendum*, ait, *quòd peccata dimissa per pœnitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti. Ingratitudo autem potest committi dupliciter; uno modo, ex eo quòd aliquid fit contra beneficium, & hoc modo per omne peccatum mortale quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit, & sic per quodlibet peccatum mortale sequens, redeunt peccata prius dimissa ratione ingratitudinis. Alio modo committitur ingratitudo non solùm faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii præstiti: quæ quidem forma, si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum: unde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam, non remittit, sed odium tenet; si autem attendatur ex parte pœnitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur ex parte ejus duplex motus liberi arbitrii, quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum,*

qui est actus fidei formata: & contra hoc facit homo apostatando à fide. Secundus autem est motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentia: ad quem primò pertinet, quòd homo detestetur peccata preterita: & contra hoc facit ille, qui dolet se pœnituisse. Secundò pertinet ad actum pœnitentia, ut pœnitens proponat se subjicere clavibus Ecclesia per confessionem secundùm illud Psalm. 31. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri secundùm quod proposuerat: & ideo dicitur, quòd specialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata priùs dimissa.

Hactenus S. Thomas docuit, cur quatuor illa peccata efficerent, ut peccata aliàs per pœnitentiam dimissa speciali quadam ratione redirent, eo quòd scilicet singularem ingratitudinem & formam præstiti beneficii impugnantem adjunctam habeant. Cùm enim illa forma quatenus se tenet ex parte benefactoris, nihil sit aliud quàm remissio debitorum, qui proximo petenti veniam abnegat, peccat contra hanc formam, & ideo ejus peccata redeunt; quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi à Domino indultum fuerat, amisit, ait S. Cyprianus. Cùm autem peccatorum relaxatio, quantum est ex parte pœnitentis, non concedatur nisi per fidem in Deum & in Christum, contra hanc beneficii seu remissionis formam peccat, qui sese apostasiæ crimine implicat, atque adeo ab fide, quod est donum Dei, desciscit. Adeo igitur non est suorum scelerum veniam consecuturus, ut etiam teterrimo sese crimine devinciat. *Nam hac est summa scelerum, nolle confiteri, quem ignorare non possis*, ut loquitur gloriosissimus Martyr Cyprianus.

Præterea nemo peccator peccatorum remissionem consequi potest, quin eorum detestationem concipiat & profiteatur: cui detestationi pervicaciter adversatur, qui de susceptâ aliàs pœnitentiâ dolet.

Cùm denique nemo suorum flagitiorum remissionem consequi possit, quin sese Ecclesiæ clavibus per confessionem sacramentalem subjicere statuat, abhorret ille ab hoc proposito, qui contemnit confiteri secundùm quod proposuerat. Ergo ejusmodi peccatis præcedentium peccatorum reditus peculiari quadam ratione ascribitur, non quòd cæteris sint graviora, sed quia directiùs opponuntur beneficio remissionis peccatorum, ut loquitur S. Thomas q. cit. art. 2. ad 1. Atque adeo cùm maximo illi remissionis beneficio apertiùs & directiùs adversari soleant, majorem etiam important ingratitudinem, propter quam anteriora peccata, tametsi per pœnitentiam dimissa, redeunt, quia propter illam ipsam ingratitudinem reatus eorum quodammodo continetur in subsequentibus flagitiis, quæ ex eis aggravantur.

In his igitur quatuor peccatis inest specialis quædam ingratitudo, quæ non cadit in alia peccata. Nam tametsi blasphemus v. g. qui Deum ipsum contumeliosis vocibus appetere & violare non dubitat, sese præbeat indignum beneficio remissionis peccatorum, non propterea in ejus peccatum cadit specialis quædam ingratitudo. Quamvis enim sese præstet indignissimum eo remissionis beneficio, ea tamen indignitas non inde proficiscitur, quòd peccatum istud directè opponatur formæ seu modo, quo peccatorum remissio concedi solet, sed oritur ex gravitate sceleris, quo quis impuro & sacrilego ore Deum lacessere non erubescit. Quod & de aliis peccatis etiam immanissimis asserendum est, si excepetis quatuor præfata, ad quæ nonnulla alia peculiarem pariter ingratitudinem includentia revocari possunt, idololatriam v. g. ad apostasiam; desperationem & odium Dei ad confessionis contemptum pertinere perspicuum est; atque adeo peculiarem quamdam in iis ingratitudinem contineri, & necessaria consecutione per illa, sicut & per ea ad quæ revocantur, priora peccata per pœnitentiam dimissa redire secundùm quid, ut antea probavimus, nemo inficias ire voluerit.

Si quis quærat an propter ingratitudinem tantus sit reatus peccati remissionem consequentis, quantus peccatorum præcedentium extitit:

Respondeo posse fieri, ut gravitas peccati remissionem subsequentis adæquetur gravitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non est necessarium. Nam si loquamur de gravitate ejus, quam habet ex sua specie, peccatum illud quod peccatorum remissionem consequitur, potest esse minùs grave, quàm quodlibet præcedentium peccatorum, puta si sit ebrietas, aut fornicatio simplex, peccata verò præterita fuerint adulteria, vel homicidia seu sacrilegia. Item si peccatum remissionem subsequens admittatur ex infirmitate vel ignorantia, & præcedentia ex mera malitia commissa fuerint. Si autem loquamur de gravitate quam habet ex ingratitudine annexa, non oportet quantitatem ingratitudinis esse absolutè æqualem quantitati beneficii suscepti, cujus quantitas attenditur secundùm quantitatem peccatorum priùs dimissorum. Contingit enim, quòd contra idem beneficium unus est multùm ingratus, vel secundùm intentionem contemptus beneficii, vel secundùm gravitatem culpæ contra benefactorem commissæ; alius autem parum, vel quia minùs contemnit, vel quia minùs contra benefactorem agit.

Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii: supposito enim æquali contemptu beneficii vel offensâ benefactoris, tantò erit gravior ingratitudo, quantò beneficium fuit majus. Unde manifestum est, quòd non est necesse, quòd propter ingratitudinem, semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: sed necesse est, quòd proportionaliter quantò peccata priùs dimissa fuerunt plura & majora, tantò redeat major reatus per qualecumque sequens mortale peccatum. Ita S. Thomas q. cit. art. 3. in corp. Quemadmodum igitur peccata semel per pœnitentiam dimissa redeunt propter ingratitudinem admissam ab eo, qui perceptâ peccatorum remissione denuo peccat; ita etiam bona opera per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscunt, ut sequenti quæstione declarabimus. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXXXVIII.

Utrum virtutes possint recuperari per pœnitentiam, & quomodo.

HÆc quæstio, sicut & nonnulla ad eam pertinentia, per aliquot conclusiones est dissolvenda. Sit itaque

Prima conclusio.

Quemadmodum opera bona per peccatum lethale mortificantur, ita etiam eadem illa opera per veram pœnitentiam reviviscunt.

Hanc conclusionem quoad utramque partem passim tradunt Theologi Scripturarum authoritate nixi. Nam bona opera per peccatum lethale mortificari pluribus in locis sacræ Litteræ contestantur. Unde Ezechiel. 18. v. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur* Et cap. 33. v. 12. *Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum in quacum-*

que die conversus fuerit ab impietate sua, & justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo, quod vitâ vivet, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur. Et Ecclesiastici cap. 34. v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?* Unde S. Paulus ad Galat. cap. 3. v. 3. & 4. sic affatur Galatas, qui per fidem in Christum multis bonis operibus locupletati, ad legis opera, hoc est ad Judaismum desciverant. *Sic stulti estis*, ait, *ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? tanta passi estis sine causa?* Quasi diceret Apostolus: Tantáne vos cœpit dementia, ut cùm per fidem Christi, spiritualia quæsieritis, & per ejus gratiam effeceritis, jam ad carnalia legis opera transeatis, atque ita miserrimè effundatis omnia merita, quæ tum in opera pietatis incumbendo, tum adversa tolerando paraveratis. Unde & S. Joannes Epist. 2. ad Electam & ejus filios inscripta admonet, ut sibi ab pestifera hæreticorum doctrina caveant, ne illorum erroribus irretiti suorum bonorum operum jacturam faciant: *Videte*, inquit v. 8. *vosmetipsos, ne perdatis, qua operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.*

Certum est igitur & de fide, bona opera (hoc est æternam salutem promerentia) per quodlibet peccatum lethale mortificari, non quòd in se aliquam mutationem ab peccato supervenienie suscipiant: cùm enim ejusmodi pietatis opera sint transeuntia, mox secundùm se desinunt, (sive peccatum subsequatur, sive non) sed ideo mortificari dicuntur, quòd quemadmodum viventia per mortem perdunt operationem vitæ; ita etiam bona opera per sequens peccatum quod est mors animæ, impediuntur ab propria operatione seu effectu, qui in eo præsertim positus est, ut hominem ad salutem æternam provehat.

Revera iste effectus bonorum operum impeditur per peccatum lethale, quod cùm extingnat gratiam & charitatem, per quam hujuscemodi opera æternam promerebantur vitam, illa etiam mortificat, & impedit, quominus homo per illam ad æternam beatitudinem perveniat.

Porrò bona opera per sequens peccatum lethale mortificari, docent S. Joann. Chrysostomus, S. Hieronymus in cap. 3. Epist. ad Galatas.

Prima igitur pars nostræ conclusionis certa est certitudine fidei: altera verò pars, tametsi apud Doctores Catholicos ut indubitata teneatur, non tamen velut fidei certitudine fundata traditaque declaratur; licèt ea multis Scripturæ locis ejus magna probabilitas eruatur. Cùm enim Scripturæ passim prædicent, Deum remittere peccata, nec eorum ampliùs recordari, inde conficitur, bonorum operum merita coram eo reviviscere; alioquin præterita peccata adhuc recordari diceretur, si propter illa prioribus hominum meritis æternæ vitæ præmium abnegaret. Unde pulcherrimè Gratianus de pœnitent. dist. 4. in cap. *Intermittentes. Dicens*, ait, *opera mortua priora bona significat Apostolus, que per sequens peccatum erant mortua: quia hi peccando priora bona irrita fecerunt: hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviscunt, & ad meritum æternæ beatitudinis singula prodesse incipiunt, etiam illa quæ peccatis inveniuntur admissa.* Hæc ille. Idem Gratian. de pœn. dist. 3. idem confirmat ex lib. de vera & falsa pœnit. cujus Author, quisquis sit, ita loquitur: *Primum est credere, & nostra fides expostulat*, (non ut dogma de fide tenendum, sed ut Catholicæ fidei maximè consonum) *ut cùm gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remunerret bona: & cùm destruxerit quod suum non invenit, amet & diligat bonum, quod etiam in peccante plantavit.*

Huic doctrinæ suffragantur plura Scripturæ testimonia, ut Joel. cap. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locusta.* Quem in locum dicit glossa: *Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis.* Sed illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per pœnitentiam reviviscunt opera meritoria priùs facta, ut ratiocinatur S. Thomas 3. p. q. 89. art. 5. Alia loca Scripturæ in eum sensum profert Concilium Tridentinum sess. 6. de justificatione cap. 16. ubi ait: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba, Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Quæ Scripturæ testimonia ideo protulit Concilium Tridentinum, ut bonis operibus mercedem æternam misericorditer à Deo promissam haud dubiè redditum iri declararet, quod de bonis operibus omnibus, etiam iis quæ per peccatum lethale mortificata per pœnitentiam revixerunt intelligendum est. Nam si non reviviscerent illa opera, dubio procul foret inanis labor eorum omnium, qui incumberent in opera pietatis, & postea lethale flagitium incurrerent, quod tamen adversatur Apostolo asseveranti nullius inanem fore laborem in Domino, si bona opera exercuerit. Adde quòd Deus esset injustus: (absit verbo invidia) nam oblivisceretur bonorum operum, quæ æternam meruere vitam, si per pœnitentiam ea opera non reviviscerent. Nonne enim æquum est, ut circa bona opera non plus valeat culpa quàm gratia? Ergo si per culpam mortificantur, quidni per gratiam & pœnitentiam resuscitabuntur? Cùm præsertim gratia tanta vi & efficacitate polleat, ut & tollat culpam, & & omnem ejus effectum perimat. Hoc satis indicat Concilium Tridentinum loco laudato, cùm ait, hæc Scripturæ testimonia justificatis esse proponenda, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint. Vult enim utrosque erigere in spem vitæ æternæ per bona opera consequendæ, sive illa opera nunquam fuerint mortificata per peccatum lethale, sive mortificata fuerint, & per pœnitentiam revixerint. Et profectò ab suo proposito videretur aberrare Concilium, nisi de duobus illis operum generibus se velle intelligi declararet.

Quomodo autem reviviscant bona opera per pœnitentiam, quæ fuerant mortificata per culpam, sic explicant Theologi. Bona, inquiunt, opera non habent vim perducendi ad vitam æternam, quatenus existunt in rerum natura, sed quatenus in mente & acceptatione divina subsistunt & remanent. Non remanent autem in acceptatione divina, ubi primùm is, qui illa operatus est, lethale flagitium admisit: quod quidem prohibet, quominus propter illa vitâ æternâ dignus habeatur: quisquis enim sese lethali flagitio constringit, sibi æternæ vitæ aditum intercludit, ut testatur ubique divina Scriptura, dum eos qui talia agunt, regnum Dei nusquam consecuturos asserit. Unde necesse est lethale peccatum, quod est unicum æternæ vitæ consequendæ impedimentum, per pœnitentiam removeri. Illo enim sublato per pœnitentiam, Deus rediviva illa opera denuo ad vitam æternam acceptat, & hominem propter illa æternâ gloriâ dignum judicat, non quòd mutet æternam illam voluntatem, quâ homini vitam æternam propter bona opera reddere decrevit; (hoc enim decretum immutabile est respectu hominis secundùm propositum electi, etiamsi peccet) sed potest aliter

& aliter judicare de homine aliter & aliter affecto & disposito.

Quando enim homo in charitate & ex charitate operatur, judicat illum dignum, cui vita æterna conferatur, sive eam illi velit impertiri, sive non. Cùm verò agit ex cupiditate, & ejus impulsu peccat, & quidem lethaliter, judicat eum æternâ vitâ indignum: ita tamen ut in hominem cadat illa mutatio, non in Deum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Cùm enim omnia nuda & aperta sint oculis ejus, semper de homine judicat secundùm veritatem, nec propterea æternam de hominis prædestinatione mutat voluntatem. Cùm igitur homo ab peccato ad colendam rite justitiam convertitur, ille ipse Deus illum judicat dignum, cui salus æterna retribuatur, non tantùm propter opera præsentia, sed etiam propter præterita, quæ per subsequens peccatum mortificata fuerant, & in hunc sensum mortificata per culpam opera per pœnitentiam reviviscere, hoc est, ad vitam æternam consequendam de integro valitura reflorescere, Theologi contestantur.

Non est igitur dubium, quin opera per peccatum lethale mortificata reviviscant per pœnitentiam, eo quòd per illam vim & efficaciam hominis ad vitam æternam producendi recuperant. Ita S. Thomas 3. p. q. 89. art. 5. in corp.

Secunda conclusio.

Certum est, virtutes per peccatum lethale deperditas per pœnitentiam recuperari. Quæ conclusio non est generatim de omnibus virtutibus intelligenda. Nam fides v. g. non per quodlibet peccatum lethale, sed per solam infidelitatem amittitur. Nam si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit. Ita definit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 28. Non ergo semper restituitur fides per sacramentum pœnitentiæ. Possumus tamen affirmare, per sacramentum illud restitui aliquatenus fidem & spem secundùm perfectam virtutis rationem, quia per illud infunditur charitas, earum sicut & cæterarum virtutum vita & forma seu perfectio, per quam animantur, atque adeo suæ perfectionis amplitudinem recuperant.

Quòd autem recuperentur virtutes per pœnitentiam, probat S. Thomas 3. p. q. 89. art. 1. in corp. *Respondeo dicendum* ait, *quod per pœnitentiam remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse, nisi per infusionem gratiæ: unde relinquitur, quòd per pœnitentiam homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ animæ. Unde relinquitur, quòd per pœnitentiam omnes virtutes restituantur.* Hæc S. Thomas, qui & docet, eas virtutes non recuperari per pœnitentiam, ut virtus est, sed ut est sacramentum. Nam sic loquitur in eodem articulo ad 1. *Eodem modo pœnitentia restituit virtutes, per quem modum est causa gratiæ. Est autem causa gratiæ, in quantum est sacramentum: nam in quantum est virtus, est magis gratiæ effectus. Et ideo non oportet quòd pœnitentia, secundùm quòd est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum, sed quod habitus pœnitentiæ simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum pœnitentiæ causentur.* Hæc ibi.

Quòd autem objicitur à nonnullis authoritas SS. Patrum aientium, amissam virginitatem, ne divina quidem virtute posse recuperari, atque adeo nec per pœnitentiam restitui: huic objectioni facilè satisfieri potest, si supponamus cum S. Thoma 2. 2. q. 152. art. 3. virginitatem specialem esse virtutem, cujus formale, ut ita dicam, nihil est aliud quàm propositum ab rerum venerearum delectatione perpetuò abstinendi: materiale verò est carnis integritas ab omni præfatæ voluptatis ex rebus venereis percipi solitæ experimento penitus abhorrens. Itaque fatendum est, per pœnitentiam non restitui carnis integritatem illicito quopiam rerum venerearum usu labefactatam, sed infundi propositum in præparatione mentis, quo quis sibi omnem carnis in res venereas inclinatæ delectationem abjudicare statuit. Cùm igitur tota virginitatis essentia, ut ita dicam, in hoc potissimùm proposito vertatur & insistat, nemini dubium esse debet, quin virginitas amissa per pœnitentiam recuperetur. Cùm autem dicunt SS. Patres, Deum, etiamsi omnia possit, non posse de corrupta facere incorruptam, non negant integritatem mentis & corporis posse divinitus reparari; sed id dumtaxat affirmant fieri non posse, ut quæ corrupta fuit, non fuerit corrupta. Unde S. Augustinus lib. 26. cont. Faustum cap. 5. ita scribit: *Quisquis ita dicit: Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt se hoc dicere: Si omnipotens est, faciat, ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint.* Hæc ibi.

Tertia conclusio.

Cùm motus liberi arbitrii, qui est ultima dispositio ad gratiam, sit in pœnitentia interdum remissior, interdum intensior: inde fit ut pœnitens interdum resurgat ad majorem, interdum ad æqualem, interdum ad minorem gratiæ vel charitatis gradum. Unde perperam inferunt nonnulli, non reviviscere per pœnitentiam bona opera, quæ fuerant mortificata per culpam, quia, ut aiunt, si reviviscerent ejusmodi opera, sicut ad æqualem vel majorem gratiam illi gloriæ respondentem hominem per pœnitentiam resurgere oporteret.

Quod perperam inde concluditur: cùm enim affirmant passim Theologi priora opera per lethale flagitium extincta per pœnitentiam reviviscere, non docent, hominem per pœnitentiam reparatum per rediviva priorum operum merita necessariò perductum iri ad tantam gloriam, quantam pro illis erat adepturus, si non cecidisset; sed volunt dumtaxat hominem propter illa, rursum vitâ æternâ dignum effici: quâ quidem pro illis, si perseveret, sicut & pro bonis operibus postea factitatis, donandus est. Nam quod spectat ad gloriæ gradum, talem consecuturus est, qualem promeritus fuerit per eam magnitudinem gratiæ, & ardorem charitatis, in qua decesserit.

Duo igitur sunt certa, quorum primum est, resurgentem à peccato non semper ad æqualem gratiam redire, aut ad majorem, quàm priùs habuerat: quia ut quotidianâ constat experientiâ, nonnulli ardentiori conatu in opera pœnitentiæ incumbunt, alii languidiore & segniore animo eadem pœnitentiæ opera capessunt: unde fit ut alii resurgant ad majorem charitatis gradum, alii ad minorem. Nam cuilibet pœnitenti gratiam fervori, quem inter pœnitendum edidit, respondentem conferri, clarius est, quàm ut probari debeat. Prout igitur se quisque ad justificationem disposuit, ita vel majorem vel minorem gratiam percipit. Ita docent veteres Scholastici. Ita sentit Durandus in 3. dist. 31. q. 2. *Gratia seu charitas,* ait, *cùm amittuntur per peccatum mortale, recuperari possunt per pœnitentiam in æquali, vel majori, vel minori, secundùm modum conatus sui per divinum adjutorium.* Hæc ille.

Idem docet Paludanus in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. conclus. 3. Capreolus in eamdem dist. art. 1. Petrus à Soto lect. 6. de pœnit. ubi sic loquitur: *Cæterum redeunti à peccato gratiam dari secundùm dispositionem & conatum suum, valde consonat Scriptura.*

In eadem sententia est S. Bonaventura in 4. dist. 14. art. 2. q. 1. ubi sic loquitur: *Dixerunt quidam, quòd semper in æquali vel majori oportet resurgere, &c. sed hanc positionem credo falsam.* Et postea sic conclu-

dit: *Credo quòd probabilior est alia opinio, quòd resurgat in æquali & majori & minori, secundùm quòd se melius præparat, & divina largitas dispensat.*

Hæc S. Bonaventura qui ab Alexandri Halensis præceptoris sui doctrina recedere religioni habuit. Et meritò: nam ejusdem Alexandri Halensis Summam Innocentii IV. jussu conscriptam tanti fecit Innocentius IV. ut eam pontificio diplomate ac septuaginta virorum Ecclesiasticorum syngraphis comprobaret. Sic autem ad rem nostram accommodatè loquitur Halensis p. 4. q. 57. mem. 5. *Aliter*, ait, *dicunt alii; quòd non semper resurgit pœnitens in æquali munere virtutum, quod mihi videtur verisimilius: unde sine præjudicio dico quòd quandoque resurgit pœnitens in majori munere virtutis, quandoque in æquali, quandoque in minori.*

Eamdem doctrinam ex Alexandri Halensis sui etiam præceptoris fontibus haustam tradidit S. Thomas, & junior & ætate provectior: junior quidem in 3. dist. 31. q. 1. art. 4. quæst. unc. 1. ubi sic loquitur: *Cùm aliquis post peccatum possit multum & parum conari ad recipiendam charitatem, & divinæ liberalitati non ponatur terminus per peccatum, cùm ipse* (Deus) *quantum in se est, sit paratus omnia peccata totaliter delere; oportet dicere, sicut & communiter dicitur, quòd aliquis potest post peccatum in majori & in minori & æquali charitate resurgere.* Et ibid. quæst. unc. 2. *Non est necessarium quòd semper in majori charitate resurgat, quia etiam minor præparatio vel æqualis sufficit ad hoc quòd gratia infundatur.* Ætate autem provectior eamdem doctrinam uberiùs explanavit 3. p. q. 89. art. 2. in corp. *Contingit*, ait, *intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quàm fuerit illa, à qua ceciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque verò minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori; & eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.* Hæc ibi.

Nonnulli objiciunt adversus hanc doctrinam authoritatem Apostoli aientis Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: quod adeo verum est*, ait S. Augustinus in lib. de corrept. & grat. cap. 9. *ut si qui horum devient & exorbitent, etiam hoc ipsum eis Deus faciat in bonum proficere.* Unde concludunt: Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo videtur quòd pœnitens nunquam resurgat in minori virtute.

Hanc objectionem ita solvit S. Thomas art. suprà cit. *Ad primum ergo dicendum*, ait, *quòd non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum, hoc ipsum quòd per peccatum à Dei amore cadunt; quod patet in his qui cadunt, & nunquam resurgunt, vel qui resurgunt iterum casuri. Sed his tantùm qui secundùm propositum vocati sunt sancti, id est prædestinatis, qui quotiescumque cadant, finaliter resurgunt. Cedit ergo eis in bonum, hoc quòd cadunt, non quia semper in majori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia. Non quidem ex parte ipsius gratiæ, (quia quantò gratia est major, tantò de se est permanentior) sed ex parte hominis, qui tantò stabilius in gratia, quantò est cautior & humilior. Unde & glossa ibidem subdit, quod ideo proficit eis in bonum, quòd cadunt, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Hæc ibi.

Alexander Halensis idem docet loco antea citato, nempe p. 4. q. 57. mem. 5. *Lapsus*, ait, *in electis cooperatur illis in bonum non quia necessariò majorem habeant gratiam post lapsum quàm ante, sed quia cautiores redeunt contra tentationes, & humiliores.*

Ex his colligitur, hominem resurgere post peccatum aliquando in majori, aliquando in minori, aliquando in æquali gratia & charitate: siquidem infunditur gratia & charitas in animum pœnitentis secundùm conatum quem exeruerit per auxilium gratiæ, & secundùm dispositionem, quam ad justitiam per peccatum lethale deperditam recuperandam attulerit: ut perspicuè docet Concilium Trident. sess. 6. de justificat. cap. 7. his verbis: *Unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundùm mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Hactenus Concilii verba.

Primum igitur quod certum diximus, est, resurgentem à peccato non semper ad majorem aut æqualem gratiam, quàm habuerat ante peccatum, resurgere, sed ad eam gratiam per justificationem pervenire, quæ sive sit major, sive æqualis, sive minor, respondeat fervori, & dispositioni, quam Deo in peragenda pœnitentia exhibuerit.

Alterum inde sequitur effatum pariter indubitatum; hoc est nimirum: tametsi ex sententia S. Thomæ priora bonorum operum merita per peccatum lethale mortificata maneant apud Deum, & sublato peccato recuperent efficaciam hominem perducendi ad vitam æternam, non tamen ita recuperant, ut hominem provehant ad eum beatitudinis gradum, ad quem provexissent, si non cecidisset in peccatum lethale. Nam licèt ejusmodi meritis æterna beatitudo debeatur, non tamen illis retribuenda est, nisi secundùm mensuram charitatis, in quâ per pœnitentiam revixerint. Et hæc est sententia omnium Theologorum, bona scilicet opera nullam habere vim hominem perducendi ad æternam beatitudinem, & ad talem vel talem beatitudinis gradum, nisi charitate non solùm sint informata, sed etiam ad talem vel ad talem charitatis gradum provecta. Ergo secundùm mensuram charitatis erit mensura beatitudinis.

Nostram hanc sententiam confirmat Alexander Halensis citato loco, hoc est quæst. 57. sic aiens: *Opera vivificata non remunerabuntur secundùm quantitatem charitatis, ex qua provenerant in esse, sed per quam reviviscunt.*

Similiter S. Bonaventura asserit loco citato remunerationem operis vivificati futuram non juxta radicem ex qua factum est, sed potiùs juxta radicem in qua revivisci. Unde sequitur, Deum juxta legem ac potentiam suam ordinariam non infundere gratiam & charitatem, nisi secundùm præparationem aut dispositionem hominis, seu, ut emendatiùs loquar, quæ homini inest à Deo. Nam ut ait S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 4. in corpore, præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium ejus præparatur à Deo secundùm illud Proverb. 8. secundùm LXX. *Præparatur voluntas à Domino.*

Idem S. Thomas explicans verba illa Matth. 25. *Dedit unicuique secundùm propriam virtutem*, sic loquitur 2. 2. quæst. 24. art. 3. *Ad primum*, inquit, *dicendum, quod illa virtus secundùm quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem vel conatum prævenit Spiritus sanctus, movens mentem hominis vel plus vel minùs, secundùm suam voluntatem. Unde & Apostolus dicit ad Coloss. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Hæc S. Thomas.

Non hîc discutimus an opera mortua, hoc est, extra charitatem facta, possint per pœnitentiam reviviscere. Certum est enim ejusmodi opera nullo pacto posse vivificari. Non enim est par ratio bonorum operum quæ per peccatum lethale mortificata sunt, & operum, quæ nunquam ab vitæ principio pro-

cesserunt, & nunquam nisi mortua haberi potuerunt. Nam bona opera mortificata quatenus talia, mortua quidem sunt, non ex parte principii, hoc est charitatis ex qua processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci, hoc est peccati, quod dum in hominis corde charitatem extinxit, illa pariter opera mortificavit: opera autem mortua, quia nusquam processerunt à charitate, & transeunt, & eadem numero reparari non possunt, ab eadem charitate vivificari nequeunt. Unde fieri non potest, ut per pœnitentiam ejusmodi opera reviviscant, licèt opera per peccatum lethale mortificata, sublato per pœnitentiam impedimento sive lethali flagitio, reviviscant, hoc est hominem denuo ad æternam gloriam perducant. Sed de his satis. Sit itaque

Quarta conclusio.

Potest homo per pœnitentiam recuperare quoad Deum principalem dignitatem è qua per peccatum excidit; quoad Ecclesiam verò suum in gradum restituit aliquando potest, aliquando non potest. Quod ut intelligatur,

Observandum est, hominem posse obtinere duplicem dignitatem, quoad Deum scilicet, & quoad Ecclesiam. Dignitas quoad Deum duplex est, primaria scilicet & secundaria. Primaria illa est, per quam homo per sacramentum regenerationis in filium Dei, atque adeo in vitæ æternæ hæredem adoptatur: & hæc dignitas recuperatur per pœnitentiam. Secundaria est innocentia nullo unquam fœdata flagitio, & hæc recuperari non potest; fieri enim non potest, ut qui per peccatum eam innocentiam perdidit, eam non perdiderit, ut dicebamus de virginitate, quæ semel amissa reparari non potest, ita ut virgo quæ corrupta est, non fuerit corrupta.

Quod spectat ad dignitatem Ecclesiasticam, ea dignitas quæ fundatur in ordine & charactere per ordinationem impresso, nec amittitur, nec amitti potest, sed dignitas quæ proficiscitur ex jurisdictione potest amitti, & revera amittitur per peccata lethalia non quælibet, sed per ea dumtaxat quæ tali pœna sacrosancti Ecclesiæ Canones coërcenda decreverint. Dignitatem ecclesiasticam homo per peccatum perdit, ait S. Thomas, quia indignum se reddit ad ea quæ competunt dignitati ecclesiasticæ exercenda, quam quidem recuperare prohibetur.

Uno modo, quia non pœnitet.

Secundo, quia pœnitentiam negligenter agit.

Tertio, si commisit aliquod peccatum quod irregularitatem annexam habeat.

Quarto, si cum scandalo peccatum perpetratum fuerit. Unde Rabanus hac quæst. 89. art. 3. citatus à S. Thoma: *Hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto atque fornicatione & cæteris hujusmodi criminibus, secundùm canonum sacrorum instituta à proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei tales personas supra se positas habere.* Hactenus S. Thomas.

Quod spectat ad Sacerdotes lapsos in peccata carnis, alibi probavimus, eos secundùm statuta canonum de suo gradu in perpetuum esse dejectos; utrum autem ob peccata publica tantùm, vel etiam ob secreta, è suæ gradu dignitatis exciderent, non explicant canones, sed indistinctè Episcopos, Presbyteros, Diaconos peccatorum carnalium reos ab sacris altaribus removendos esse statuunt, ut videre est apud S. Basilium Epistolâ Canonicâ 1. can. 3. Idipsum testatur Concilium Aurelianense II. anno 533. celebratum can. 8. & Joannes II. Pont. max. Epist. 1. ad Cæsarium Arelatens. in causa Contumeliosi Regiensis Episcopi in fornicationem lapsi. Idipsum videre est apud Gregorium Magnum lib. 3. Epist. Epist. 26. & lib. 6. Epist. 39. & lib. 7. Epist. 25.

Testantur idipsum passim priorum sæculorum Patres, qui omnes constanter asseverant, Sacerdotes in carnis flagitia lapsos, ita fuisse ab sacro altarium ministerio propter ejusmodi flagitia ablegatos, ut nunquam in pristinum restituerentur gradum, nisi Ecclesia ob insignem quampiam utilitatem inde profecturam, puta ad componendum schisma, aut aliquod gravius malum evitandum, aliquid de suæ disciplinæ severitate remittendum esse judicaret. Posterioribus sæculis multi canonum collectores & Theologi, Sacerdotes luxuriæ sordibus commaculatos peractâ pœnitentiâ ad sacrum ministerium non solùm posse, sed & revocari oportere crediderunt. Bona scilicet fide persuasum habuerunt Calixti Pont. max. Epistolam & Gregorii Magni inscriptam ad Secundinum Epistolam, item Isidori Hispalensis ad Massanum Epistolam, (quæ hanc lapsorum Sacerdotum suos in gradus restitutionem licitam prædicant) esse conscriptas ab tantis viris, atque adeo hanc ipsam ejusmodi Sacerdotum ad sacra ministeria revocationem litteris consignarunt. Quod profectò non credidissent hujusmodi homines, si vel subodorati essent suppositias ejusmodi Epistolas ad Isidoro mercatore adulterinorum operum & mercium fictore & subjectore, in Ecclesiam introductas esse, quibus proinde omnem abrogassent fidem.

Hactenus opitulante Deo opt. max. si non omnes, at certè plurimas gravissimasque difficultates circa pœnitentiæ sacramentum emergere solitas, pro nostrarum tenuitate virium, sacrarum litterarum sanctorumque Patrum effatis enodare contendimus, prolixiùs fortè quàm par esse videatur. At candido lectori nostram illam prolixitatem accusanti candidè fatebimur, hanc ideo materiam uberiùs à nobis esse pertractatam, eo quòd in hujus potissimùm sacramenti administratione tam pœnitentium quàm Sacerdotum salutem verti & insistere crederemus. Cæterum etiam atque etiam rogitamus Christianum lectorem, ut si quid in hac Dissertatione peccavimus, (quod aliter fieri non potuit) id nobis Christiana & Catholica charitate condonet, & pro nobis se precatorem præbeat apud Deum, ut præpotenti ejus adjuti gratiâ, peccata à nobis in hoc tractatu, sicut & alia innumerabiliter innumerabilia aliàs & alibi commissa, per veram cordis conversionem & dignos pœnitentiæ fructus expiare valeamus.

Porro quicquid in hac Dissertatione ædificationem Corporis Christi, non ad rixam aut altercationem asseruimus & scripsimus, & quicquid posthac in eum finem annuente Deo & filio ejus Jesu Christo scripturi sumus, id totum ex animo, & coram eo cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, subjicimus, & nunquam non subjectum esse volumus judicio sanctæ Ecclesiæ Romanæ, quam semper, ceu veram fidelium matrem, utpote in ejus sinu regenerati, educati, & morituri colimus, quia semper & quanto maximo cordis affectu Deum Patrem, æternùm habere volumus. Hæc semper fuit & etiamnum est suprema nostra voluntas, cum qua & in qua supremum diem obire, sicut & hunc tractatum concludere desideramus. Ita nos Deus amet.

FINIS

DISSERTATIONIS DE POENITENTIA.



DISSERTATIO V. DE EXTREMA-UNCTIONE.

QUÆSTIUNCULA I.

Cur istud sacramentum vocetur extrema-unctio.



RESPONDEO, hoc sacramentum extremam-unctionem appellari, eo quòd inter unctiones in Ecclesia usurpari solitas, illa sit extrema. Ter enim vulgò unguntur Christiani.

1°. In baptismo, ut in Christo regenerati toto vitæ curriculo athletarum ad instar, cum salutis nostræ hostibus strenuè congrediantur, & dimicent.

2°. Unguntur in sacramento confirmationis, ut per illud Christianæ gratiæ plenitudinem adepti, atque adeo novarum virium accessione corroborati, plures & illustriores & frequentiores de implacabili Christi & Christianorum hoste victorias reportare valeant.

3°. Denique extremam adversus dæmonem ipsis acriùs in ipso mortis articulo insidiantem, luctam ingressuri unguntur, ut de ipso ultimam maximi momenti victoriam, utpote æternitatis decretoriam, referre possint, & ad Christi tribunal abstersis peccatorum reliquiis sese vegetiores, & per victricem ipsius gratiam puriores sistere nihil metuant.

Hoc etiam sacramentum non modò pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum esse, existimatum est ab SS. Patribus, ut loquitur Concil. Tridentinum.

Unde (quæ gratia Dei maxima est) Christus, ut cuncti, quos & inæstimabili divini sanguinis pretio redemerat, vitam fœliciùs & gloriosiùs consummarent, extremæ-unctionis sacramento finem, ejusdem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & de fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. in doctrina de sacram. extremæ-unction. Hinc est quòd aliquando vocatur sacramentum exeuntium; aliquando sacramentum unctionis infirmorum; aliàs verò extrema-unctio, propter rationem quam paulò antè attulimus.

QUÆSTIUNCULA II.

Utrum extrema-unctio sit novæ legis sacramentum à Christo Domino institutum.

RESPONDEO, neminem citra hæresim inficiari posse, extremam-unctionem esse veri nominis sacramentum ab ipso Christo Domino (sicut & cætera novi Testamenti sacramenta) institutum, & ab beato Jacobo Apostolo promulgatum.

Hæc est Catholica fides ab Ecclesia Catholica in Spiritu sancto in Concilio Tridentino congregata, sub anathematis interminatione liquidò declarata: *Si quis dixerit*, inquiunt istius Synodi Patres, *extremam-unctionem non esse verè & propriè sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Errant igitur qui contendunt, hoc sacramentum ab Apostolis institutum esse: neque enim Apostoli potuerunt instituere sacramenta, eo quòd institutio sacramentorum pertineat dumtaxat ad eum, qui sacramentis gratiæ non solùm significandæ, sed etiam conferendæ vel augendæ vim & facultatem impertiri potest. (ad hoc enim instituta sunt sacramenta, ut vel amissam gratiam hominibus restituerent, vel conservatam aut redditam ampliarent) Quas res cùm Apostoli præstare non potuerint, æquum est ut sacramentorum institutio non ipsis, sed uni dumtaxat Christo, utpote divinæ gratiæ authori, citra controversiam ascribatur.

Hanc doctrinam, quâ contendimus, extremam-unctionem verum esse sacramentum, & inter sacramenta novæ legis ab omni ævo annumeratum, multis annis ante Concilium Tridentinum ex incorrupto traditionis fonte haustam tradiderat S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. a. 1. in solut. 1. quæst. in c. In his quæ Ecclesia visibiliter operatur, inquit, quædam sunt sacramenta, ut baptismus; quædam sacramentalia, ut exorcismus. Inter sacramenta & sacramentalia hoc intercedit discrimen, quòd sacramentum dicatur illa Ecclesiæ actio, quæ attingit ad effectum primò & per se intentum in sacramentorum administratione: sacramentale autem dicatur illa actio, quæ licèt non pertingat ad illum effectum, ad illam tamen actionem principalem, sacramentis propriam quodammodo ordinatur. Cùm igitur effectus qui potissimùm in sacramentorum administratione intenditur, sit curatio morbi ex peccato contracti, & extrema-unctio animæ peccati morbo laboranti per peccatorum remissionem quam efficit, (ut mox

patebit ex S. Jacobo) medeatur, nec ad aliud sacramentum velut ipsi annexum referatur, ut sacramentalia; certum est eam non inter sacramentalia, sed inter sacramenta esse recensendam, ut constat ex S. Thomæ loco citato.

Quæstiuncula III.

Quomodo definiatur hoc sacramentum, & cur quinto inter sacramenta loco reponatur.

AD primam quæstiunculæ propositæ partem respondeo, ita sacramentum hoc posse definiri: Extrema-unctio est sacramentum unctionis, quod confertur infirmis in probabili mortis periculo constitutis, ad obtinendam animæ salutem, & si ita expedierit, ipsius etiam corporis sanitatem.

Vel aliter definiri potest: Extrema-unctio est sacramentum, quo fideles ægroti per oleum sacrum & verba Christi in magnis morbi molestiis relevantur, & si in peccatis fuerint, eorum remissione donantur, ut sanctiùs & securiùs ex hoc sæculo proficiscantur ad Christum, & insuper (si ita expedierit) in pristinam corporis sanitatem restituantur.

Has definitiones secuturæ quæstiunculæ uberiùs explanabunt. Ad secundam nostræ quæstiunculæ partem respondeo cum S. Thoma, sacramentum hoc quintum inter alia sacramenta obtinere locum, & anteponi duobus sacramentis, ordini scilicet & matrimonio: quia ista duo sacramenta instituta sunt ad commune totius Ecclesiæ vel humani generis bonum; hoc autem ad unius bonum, quod est prius, quàm multorum bonum, quod ex singularibus bonis consurgit. Unde hoc sacramentum ultimo loco inter illa, quæ ad unius personæ bonum ordinantur, reponi, & ante illa quæ spectant ad multitudinis bonum, pertractari debuit.

Quæstiuncula IV.

Quomodo probari potest hujus sacramenti existentia, & quid præsertim de illo ad fidelium ædificationem affirmari debeat.

RESPONDEO, hujus sacramenti existentiam ex omnium Patrum & Conciliorum unanimi consensu probari ex illo celeberrimo S. Jacobi loco: *Infirmatur quis in vobis, &c.* Revera ita S. Jacobi verba esse accipienda, ut per illa hujus sacramenti veritas astruatur, docet Innocentius Papa I. qui floruit ante annos 1200. in Epist. ad Decent. cap. 8. S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. cap. 6. Origenes in Levitic. hom. 2. Petrus Damiani Serm. 1. in dedicat. Ecclesiæ & alii.

Item Concilium Wormat. can. 72. Cabilon. can. 48. & Concilium Meldense laudatum ab Ivone Carnot. Decret. p. 1. cap. 269. & Concil. Florent. & Tridentinum, quorum omnium Patrum & Conciliorum testimonia satis superque probant hujus sacramenti veritatem, quam post tantum testium nubem nemo impugnare potest, nisi mendacii patet illum excæcaverit.

Quid autem de hoc sacramento potissimùm explicari debeat, luculenter ostendit citatus S. Jacobi locus. Nam

1°. Cùm dicit, *Infirmatur quis in vobis*, declarat hoc sacramentum ægrotantibus esse impertiendum, id est explicat quibus illud conferri oporteat.

2°. Cùm ait, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, declarat Sacerdotes esse veros hujus sacramenti ministros.

3°. His verbis, *orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum*, declarat Apostolus quænam sit hujus sacramenti forma.

4°. Per hæc verba, *ungentes eum in nomine Domini*, indicatur & indicitur materia remota hujus sacramenti, oleum scilicet, & proxima, quæ est unctio per oleum factitari solita.

5°. Denique Apostolus per has voces, *salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &c.* explicat præstantissimos effectus, quos ipsum illud sacramentum importat in ægrotantis & periclitantis animam, & in ejusdem corpus, si ipsius sanitas ad æternam salutem sit ægrotanti, seu periclitanti profutura.

Quæstiuncula V.

Quibus hoc sacramentum conferri debeat.

RESPONDEO, hoc sacramentum unis dumtaxat fidelibus infirmis & periculosè decumbentibus esse conferendum. Ita definitum est in Concilio Florentino in doctrina de sacramentis: *Hoc sacramentum*, inquit istud Concilium, *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Hanc doctrinam tradidit (antequam haberetur dictum Concilium) S. Thomas iisdem verbis, quibus usum est dictum Concilium, opusculo nempe quinto.

Et id ita factitari oportere definiit pariter Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. *Declaratur etiam*, inquit, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & sacramentum exeuntium nuncupatur.* Hactenus Concilium. Quibus verbis non significat, omnibus passim infirmis conferendum esse hoc sacramentum, sed declarat adhibendum illud esse omnibus periculosè decumbentibus, præsertim tamen illis qui jam in exitu vitæ constituti videntur.

Ex tali Apostoli doctrina Conciliorum canonibus explanata, nonnulla colligi necesse est.

1°. Non esse conferendam hanc extremam-unctionem sanis, quibus mortis periculum imminet, quales sunt rei capitali supplicio mactandi, quales sunt & duces & milites grave periculosumque prælium inituri, & denique viri navigationem periculis plenissimam aggressuri. Quamvis enim hujuscemodi homines prudentum judicio probabilissimum oppetendæ mortis periculum adeant, & ideo sese ad illam seriò comparare debeant, non tamen in eorum gratiam institutum est hoc sacramentum. Christus enim Dominus illud instituit, ut fideles periculoso conflictati morbo illius adminiculo allevarentur & peccatorum remissionem assequerentur. Quod ita certum est juxta communem Ecclesiæ sensum, ut si alteri prærterquam infirmo periclitanti adhiberetur, irritum foret sacramentum, eo nomine quòd deesset persona periculosè decumbens, quæ ut ab Conciliis definitum est, sola ad illud percipiendum idonea censetur, ut constat ex Apostoli citat. verbis: *Infirmatur quis in vobis, &c.*

2°. Ex præfata doctrina inferendum est, non esse differendam & rejiciendam sacræ unctionis perceptionem in illud tempus, quo ægrotus præcisâ omni spe salutis & vitæ, & sensibus destitui incipit. Graviter enim delinquunt ii, per quos illud accidit. Cùm enim ad uberiorem hujus sacramenti gratiam plurimùm valeat ipsius ægrotantis devotio (quæ vix, ut ne vix quidem sine sensuum & rationis usu consistere potest) magno spirituali fructu illum privant, eo quòd illum consecrato oleo liniri non curaverint, eo tempore, quo adhuc integra mente & plena ratione potiebatur.

Quod quidem egregiè confirmat S. Thomas in 4. dist.

dist. 23. q. 2. a. 2. in solut. quæst. 3. in corp. *Ad 3. quæst. inquit, dicendum, quòd ad effectum hujus sacramenti percipiendum, plurimùm valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ: quod patet ex hoc, quòd per modum deprecationis forma hujus sacramenti confertur, & ideo illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere, hoc sacramentum dari non debet, & præcipuè furiosis, & amentibus, qui possunt irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam inferre, nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum recognoscerent; & sic eis in illo statu conferri posset.*

Hactenus S. Thom. loco cit. in quo observandum est, eumdem S. Thom. ideo affirmare ad percipiendum sacræ unctionis effectum plurimùm valere devotionem suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ, ut hoc sacramentum ab aliis in eo differre ostendat, quòd alia effectum suum absolutè per conferentis authoritatem & propriam formam operentur, nec personale conferentium meritum exigant, sicut sacræ unctionis sacramentum, de quo hic sermo est, ad salutarem, cujus perceptionem, & suscipientis devotio personale conferentium, & generale totius Ecclesiæ meritum concurrit.

Unde per orationem, cujus meminit S. Jacobus loco cit. non solùm intelligitur oratio fidei, quæ est hujus sacramenti forma, sed etiam quælibet oratio, quam & Sacerdos fundit in persona Christi; & totius Ecclesiæ, quamque circumstantes ut membra ejusdem Christi & Ecclesiæ ad Deum pro exeuntium qui inunguntur, salute dirigunt.

Quæstiuncula VI.

An rabidis, dira lue correptis, lethali vulnere sauciatis, ex epoto veneno decumbentibus, fœminis in ipso partu pereuntibus, senibus senio confectis, & adultis ab ipso statim baptismo, ut apparet, morituris, sacramentum hoc conferri oporteat.

Diximus paulò antè ex S. Thoma, furiosis & amentibus posse hoc sacramentum administrari per intervalla lucida, quibus eorum furor & amentia intervallatur: ita ut si nullis hujusmodi intervallis gaudeant, ipsis præfatum sacramentum conferri nequeat.

1°. Igitur quod spectat ad rabidos, seu rabido cujuspiam bestiæ morsu appetitos, potest ipsis hoc sacramentum dari, modò irreverentiæ sacramento inferendæ periculum absit.

2°. Peste laborantibus conferri potest idem sacramentum.

3°. Potest etiam administrari hominibus lethali vulnere repentino quopiam casu, ut puta latronum vel animalium occursu sauciatis; non potest tamen illud ipsum sacramentum exhiberi hominibus, quibus inflicta esset in singulari certamine lethalis plaga, utpotè qui in manifesto lethalis peccati statu decederent. Si tamen per aliquod tempus ex dicta plaga decumberent, docti & prudentis Confessarii interesset attentiori animo perpendere, utrum hoc eis sacramentum impertiri oporteret, eo quòd hujusmodi homines utplurimùm eo animo sunt animati, ut si ex lethali vulnere revalescerent, ad singulare certamen data qualibet occasione denuo properarent.

Dempto ejusmodi casu hoc sacramentum lethali vulnere percussis denegari non debet: quamvis enim eorum ægritudo ex causa externa violentaque extiterit, verè tamen ægrotant & periclitantur; quod quidem periculum (si cætera sint paria) ad suscipiendam hanc unctionem sufficit.

4°. Administrandum est hoc sacramentum mulieribus ex puerperio periculosè decumbentibus, propèque moribundis, non autem uno duntaxat partu laborantibus, ut constituit S. Carolus in I. Mediolan. Concilio sub tit. *De iis quæ pertinent ad sacram. extrem. unction.*

5°. Administrandum est idem sacramentum senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris, ut ibidem edicit S. Carolus. Siquidem senectus morbus est gravis & insanabilis, qui sæpenumero senes ipsos nihil tale cogitantes & præstolatos repentino interitu intercipit.

6°. Administrari non debet hoc sacramentum pueris, qui nondum ad rationis usum pervenere, sicut nec adultis, qui ab ipso statim baptismo in lethalem incidunt morbum, nisi certò constet eos peccasse, ex quo sunt regenerati. Siquidem falsò & frustra adhiberetur eis sacramenti forma hujusmodi: *Per istam sanctam unctionem, &c.*

Quis enim v. g. persuasum haberet Deiparam Virginem hoc extremæ-unctionis sacramentum suscepisse, cùm ne venialiter quidem peccaverit, ut de illa credit & tenet Ecclesia juxta Concilium Tridentinum. Non est igitur credibile, B. Virginem hoc sacramento ab Apostolis impertitam esse propter eximiam & integerrimam illam sanctimoniam, quæ (singulari privilegio) nullâ umquam vel minimi peccati labeculâ tesperfa est.

7°. Conferendum est hoc sacramentum iis, qui cùm sint ab ratione præ morbi violentia deserti, creduntur probabiliter, si adhuc essent integra mente, illud petituri.

Ita constitutum est ab S. Carolo; quòd Concilio I. (Mediolanensi) decretum est, ut dum æger integris est sensibus, extremæ-unctionis sacramentum ei ministretur: si tamen vel curantium negligentiâ, vel morbi vi, vel repentino aliquo casu sensum omnem amiserit, ut nihil planè intelligat, illius decreti sententiâ vetitum non esse declaramus, quin hoc extremæ-unctionis sacramentum ei ministrari liceat; si modò adhuc vivat, & dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum hoc sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset. Hactenus S. Carolus loco cit.

Quæstiuncula VII.

Quænam dispositiones ad legitimam hujus sacramenti perceptionem exigantur.

Respondeo, ad hoc sacramentum rite suscipiendum exigi dispositiones remotas & proximas.

Remotæ sunt. 1°. ut qui liniendus est oleo sacro, sit baptismi sacramento initiatus.

2°. Ut periculosè decumbat.

3°. Ut sit adultus, id est ad rationis usum pertigerit. Olim in tota Ecclesia nemini sacramentum hoc conferebatur, præterquam iis qui decimum octavum ætatis annum attigerant.

4°. Ut nulla excommunicatione sit innodatus, vel si quam excommunicationem incurrit, ab ea superioris authoritate sit absolutus. Nemo enim inficiatur, quin hoc sacramentum infidelibus, excommunicatis, interdictis, amentibus, & phrenesi nusquam intervallara laborantibus, & pueris nondum ad rationis ætatem & usum provectis, & impœnitentibus, & in manifesto peccati lethalis actu & statu decedentibus denegari debeat.

Inter dispositiones proximas & internas primum locum conscientiæ puritas obtinet: ut scilicet nemo

sibi peccati mortalis conscius præsumat hoc suscipere sacramentum, quin priùs de illo contritus & confessus, & ab Confessario rite absolutus fuerit. Et hoc ita factitari præcipiunt libri rituales, ne fortè quis stimulante lethalis peccati conscientia, æternam sibi perniciem & mortem accersat.

2°. Ad hoc sacramentum cum fructu & gratia suscipiendum requiritur magna hujus sacramenti fides & fiducia, comparanda cum illa, qua sese sistebant Christo Domino & Apostolis, quotquot ab iis animæ corporisque sanitatem impetrare gestiebant.

3°. Requiritur, ut oleo sacro liniendi suam intentionem suasque preces conjungant intentioni & precibus, quibus Ecclesia inter hujus sacramenti administrationem utitur, ut majorem ex hujusmodi adunatione trahant efficaciam, & dum unguntur, Sacerdotem Christi Domini personam repræsentantem, & ad instar Samaritani evangelici sua ipsorum corpora consecrato oleo perfundentem, & ipsis divinæ unctionis (quâ in ipso incarnationis mysterio delibutus est) plenitudinem uberiùs impertientem, venerabundi suspiciant.

Quæstiuncula VIII.

Utrum hoc sacramentum devotionem actualem requirat in suscipiente.

S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 32. a. 4. in c. hujusmodi devotionem in suscipiente requiri asserit. » Respondeo dicendum, inquit, quòd hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia. Hæc ibi.

Quæ quidem S. Thomæ sententia si vera esset, & ad literam acciperetur, ex ea ægrotantibus, quibus morbi violentia rationis usum ademisset, hoc sacramentum denegandum esse, nemo non necessariò concluderet: quod profectò adversus quotidianam Ecclesiæ Catholicæ praxim adversaretur. Nam quamvis quispiam repentino correptus morbo confiteri non potuerit, si tamen dum esset sana mente, dictum sacramentum petierit, vel si non petierit, sed per vitam verè Christianam, & per sinceræ ad Deum conversionis signa restatum fecerit, se bene priùs sensisse de sacramentis Ecclesiæ, ita ut ex æquo & bono præsumi possit, illum dictum sacramentum petiturum fuisse, si per morbum improvisum licuisset, illi denegari non debet, nisi in lethali peccato, eoque manifesto, absque ulla contritionis significatione jaceat.

Igitur operæpretium est interpretari S. Thomam aientem, præfatum sacræ unctionis sacramentum exigere in suscipiente motum liberi arbitrii, & ideo non esse conferendum iis, qui per motum liberi arbitrii devotionem erga illud exhibere nequeunt.

Quod quidem certum est, & nemo negat ad hoc sacramentum rite percipiendum exigi devotionem actualem saltem præteritam, & ita intelligendum esse S. Thomam, affirmat Sylvester, v. *Unctio.* quæst. 5.

Et in hunc sensum suam mentem explicat ipse S. Thomas 3. p. q. 80. a. 9. in c. R°. dicendum, inquit, » quòd aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui malè videt. Et quia talea non possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere usum rationis totaliter. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic à nativitate permanserunt: & sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit hujus sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis: & tunc si priùs quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi. «

Ex isto S. Thomæ loco rectè colligitur, ad percipiendum unctionis extremæ sacramentum sufficere devotionem actualem præteritam, non autem præsentem exigi. Siquidem loco antea cit. ex Suppl. a. 4. in c. requirit ad hoc sacramentum suscipiendum devotionem actualem, sicut & ad percipiendam Eucharistiam requiritur: ergo requiritur devotio quidem actualis, non autem præsens, sed præterita, ad percipiendam ultimam fidelium unctionem: siquidem ut patet ex allato proximè Doctoris Angelici loco, ad percipiendam Eucharistiam non requiritur devotio actualis præsens, cùm (ipsomet docente) præterita sufficiat.

Quæstiuncula IX.

Utrum hujus sacramenti perceptio sit in præcepto.

Respondeo, videri præceptum esse hujus sacramenti perceptionem, & id probari ex istis Apostoli Jacobi verbis: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.*

Per quæ verba non solùm hoc sacramentum ab eodem Apostolo promulgatum & commendatum est, sed etiam imperatum, ita ut quisquis ad extremam vitæ periodum periculosè redactus illud omitteret, gravissimè delinqueret. Cur autem ab nonnullis hujus sacramenti perceptio ad consilium dumtaxat, non autem ad præceptum referatur, non satis intelligo. Nam quicquid spectat ad ministros, ad materiam & formam ejusdem ipsius sacramenti in præcepto est, nec potest confici idem sacramentum, nisi & ministri & materia cum forma ab Apostolo præscripta conficiatur, & ita necessitate sacramenti pariter & præcepti periculosè decumbentibus conferatur.

Quod cùm ita sit, quæro cur Presbyterorum advocatio ab ægrotis & propè moribundis factitanda potiùs ad consilium, quàm ad præceptum pertinere dicatur? cùm in eodem contextu cætera quæ proximè percensuimus ad præceptum, non autem ad consilium pertineant, ut clarum est.

Porrò sacræ unctionis perceptionem imperatam esse, Concilium Coloniense ann. Redempt. 1538. habitum restatur cap. 50. partis 7. » Hæc, inquit, sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici. Id est, ægrotantibus explicetur præceptum ab Apostolo Jacobo de percipienda extrema-unctione promulgatum, ita ut S. Jacobus istius sacramenti ab Christo ejus institutore, & de illo suscipiendo præcepti promulgator, seu præco constitutus esse videatur.

Item de præcepti necessitate, suscipiendum esse hoc sacramentum, satis superque declarat Senonense Concilium aliquot annis, id est ann. *sal.* (pro reformatione Ecclesiæ) 1528. sub Clemente Papa VII. celebratum, ut patet ex decreto *10.* sub tit. *de extrema-unctione*: » Ad unctionis autem extremæ sacramentum (verba sunt Concilii) Christus manuduxisse primùm videtur, cùm Apostoli oleo ungerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed præceptoris instituto fecisse putandi sunt. Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur: *Si quis infirmatur*, inquit Jacobus, *in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, *&c.* quibus liquidò constat extremam-unctionem

„ non ægritudinis tantùm corporalis medicamentum „ esse, sed etiam cæterorum sacramentorum instar, remissionem peccatorum efficaciter operari; ac proinde „ nec ab Jacobo quidem fuisse institutum, sed ab eo „ tantùm, cui peculiare est, ut gratiam & gloriam conferre possit.

Hactenus Concilium, quod satis superque indicat, hujus sacramenti perceptionem cadere sub præcepto. Si enim præcepit Christus infirmos oleo liniri (ut ab S. Jacobo commendatum & promulgatum est) haud dubiè infirmos ad hoc ipsum sacramentum suo tempore percipiendum obligavit. Neque enim Sacerdotes astrinxit ad sacramenta & alia salutis adjumenta conferenda, quin populos ad ea pariter percipienda obligaret. Quæ obligatio videtur non mediocriter confirmari decreto Concilii Coloniensis ano. Redempt. 1549. indictum sub Paulo Papa III. Siquidem decernit eos privandos esse ecclesiasticâ sepulturâ, qui hoc sacramentum contempserint. Relatum nobis est in Concilio, inquiunt „ istius Synodi Patres, impios quosdam homines in„ firmitatis suæ tempore unctionem sacram respuisse ac „ contempsisse: quamobrem statuimus, ut si quis sacra„ mentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere „ commendatum contempserit, ecclesiasticâ careat se„ pulturâ. Hæc ibi.

Cùm hujusmodi pœna sit gravissima, utpote cum excommunicationis anathemate conjuncta, ostendit quàm gravis sit culpa propter quam infligitur. Ac reipsâ quidem gravissima est. Nam præter contemptum sacramenti & præcepti ab Christo indicti, quo sacram illam unctionem in proximo mortis periculo versati percipere jubemur, sibi abjudicat pleraque auxilia, quibus destitutus sese in probabile damnationis æternæ discrimen implicat, quo facto referventissimo sese flagitio devincit, utpote qui violat legem naturalem & divinam, quâ unusquisque per media divinitus instituta, suæ saluti singulari attentione & sollicitudine prospicere tenetur.

Ideoque dictum sacramentum ab fidelibus præfato tempore suscipi necesse est. Nam, ut ait Magister in textu, dist. 23. de sacramento unctionis. extrem. „ litt. B. sicut in aliis sacramentis, ita & in isto aliud „ est sacramentum, aliud res sacramenti: sacramentum „ est ipsa unctio exterior; res sacramenti unctio inte„ rior, quæ peccatorum remissione & virtutum am„ pliatione perficitur: & si ex contemptu vel negli„ gentia sacramentum hoc prætermittitur, periculo„ sum est & damnabile. Hæc ibi.

Quod & affirmat Concilium Trident. sess. 14. „ can. 3. de sacramento extremæ-unctionis. Si quis di„ xerit, inquit, extremæ-unctionis ritum & usum „ quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare „ sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideòque eum mutan„ dum, posseque à Christianis absque peccato con„ temni, anathema sit.

Quanti momenti sit hoc præceptum de suscipiendo unctionis sacræ sacramento ab Christo Domino per os Apostoli promulgatum, luculenter aperit S. Carolus in Concilii Mediolan. V. part. 2. sub tit. „ *Quæ pertinent ad sacram. extrem. unctionis.* Caveat „ Parochus, inquit, ne in eo sacramento ministran„ do negligentiam ullámve moræ culpam contrahat. „ Alioqui si ad illius ministrationem accersitus, ire „ neglexerit, cùm rationem Deo reddet, tum pœnâ „ ab Episcopo graviter plectatur. Is porrò ad om„ nem hujus sacramenti in tempore administrandi di„ ligentiam, præterquam quòd præcipuè curâ suâ, „ quæ sanctæ sollicitudinis plena est, officio valde ad„ modum perpetuò excitetur; proposito etiam sibi „ exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus „ est, quòd culpâ suâ mulier quædam sacramenti hu„ jus gratiâ fraudata decesserit, ut totam noctem oran-

De Sacram.

do, gemendo, lacrymando consumpserit, lacrymarumque vi quasi maximo imbre pro oleo sancto, „ quod non ministravit, mortuam perfuderit. Ma„ nè autem exaudivit Dominus sanctum suum: ita „ ut illa è morte tamquam è somno excitata, è le„ cto sese erigens, sacramentum hoc ab eo acceperit, „ ac deinceps à morbo convaluerit. Hactenus S. Ca„ rolus loco cit.

Ex dictis satis constat, hujus sacramenti perceptionem cadere sub præcepto; quapropter celeberrima Theologorum Parisiensium Facultas ano. sal. 1632. suâ censurâ perculit hanc propositionem inter propositiones Hibernicas annumeratam.

Propositio.

Omnes Theologi dicunt, confirmationem non „ præcipi, nisi cùm commodè haberi potest, vel, ut „ alii dicunt, quando commodissimè, quando sine ul„ lo, vel minimo prorsus incommodo. „

Censura.

Ista propositio est scandalosa, in maximum sa„ cramenti confirmationis contemptum maligno ani„ mo proposita, & in errorem potest inducere. „ Quod in hac propositione & ejus censurâ de sacramento confirmationis damnatur & asseritur, nulla vi propositioni, aut ejus censuræ adhibitâ, de sacramento unctionis affirmari potest. Quia nonnulli contendunt sacramentum præfatæ unctionis nullo pacto vel divino vel ecclesiastico jure præcipi, quemadmodum nec confirmatio præcipitur: ergo, ut aiunt, par est utrobique ratio, hoc est utriusque sacramenti perceptio neminem obligat.

Sed si res ad veræ Theologiæ amussim exigatur, istæ propositiones fidelibus scandalum afferunt, quippe quæ duo illa sacramenta ab Christo Domino incassum instituta, & indifferentia, atque adeo nihil vel parum suscipientibus profutura disertè profiteri, atque adeo manifestum amborum hujusmodi sacramentorum contemptum inducere videantur.

Verùm si theologicè loqui libeat, affirmabimus equidem nullo Ecclesiæ præcepto, quod appareat, adultos fideles ad hujusmodi sacramentorum, confirmationis scilicet & extremæ-unctionis, perceptionem obligari ingenuè fatemur: sed contendimus Ecclesiæ praxim religiosamque consuetudinem ab omni ævo ab iisdem fidelibus observatam, jam obtinere vim legis, quam nemo regeneratus in Christo citra immane flagitium infringere valeat.

Quæstiuncula X.

Utrum dato, non concesso, unctionis sacramentum non cadere sub præcepto, sine peccato lethali vel veniali prætermitti possit.

Respondeo, esse certum & indubitatum, hoc sacramentum neque negligi sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali, ut disertè declaratum est ab Martino Papa V. in Bulla quæ ab ipso Constantiæ est edita.

Quod quidem repetitum & confirmatum est ab Concilio Tridentino sess. 14. can. 3. in quo percelluntur anathemate, quotquot hoc sacramentum à Christianis absque peccato posse contemni, affirmare præsumpserint. Quando autem peccent lethaliter, qui hoc sacramentum deditâ operâ prætermittunt, expendere necesse est. Sit itaque

Prima conclusio

Hujus sacramenti omissio lethalis est, si oriatur ex contemptu, vel certè ex ea negligentia, quæ ab viris prudentibus patem cum contemptu malitiam continere censeatur.

Quæ conclusio probari potest, servata proportione, iisdem mediis quibus quidam Authores confirmationis omissionem modò venialem, modò lethalem esse asserunt. Cùm enim inter utrumque sacramentum comparationem instituerint, quod de uno dixere, de altero pariter affirmari potest. Quamvis enim hujusmodi Authores contendant confirmationem nulla lege imperari, (quod & de sacramento extremæ-unctionis asserunt) fatentur tamen notabilem in percipienda confirmatione negligentiam esse lethalem, ut patet ex Emanuele Sa in v. *Confirmatio. Non solùm*, inquit, *contemptus*. (confirmationis) *sed etiam notabilis negligentia mortalis est*. Hanc propositionem confirmat ibidem idem Jesuita authoritate Soti, Toleti & Suarii.

Alii Authores, ut Navarrus & alii, etiam non notabilem negligentiam saltem veniale peccatum faciunt.

Ægidius Coninck de sacram. q. 72. art. 8. dub. unico, conclus. 3. licèt nullum de suscipienda confirmatione præceptum admittat, ita tamen de illa loquitur: *Vix unquam*, inquit, *sine justa causa hoc sacramentum omittitur sine peccato veniali, quia per illam omissionem privamus nos magnis bonis & auxiliis spiritualibus quod per se continet quandam prodigalitatem atque indecentiam: & hac ratione efficimur minùs idonei ad resistendum peccatis*. Hæc ille.

Quæ hactenus allata sunt de sacramento confirmationis, egregiè quadrant in sacramentum extremæ-unctionis. Nam

1°. Dato, non concesso, quòd sacramentum extremæ-unctionis non cadat sub præcepto, sicut nec confirmatio, ut volunt Authores citati; concedunt tamen & affirmant, duplicem esse negligentiam, per quam sacramentum confirmationis omittitur: unam levem seu non notabilem, & venialem; alteram verò notabilem, ut ex Emannele Sa in suæ sententiæ probationem, Sotum, Toletum & Suarium adducente, probavimus. Hoc & de sacramento extremæ unctionis asserimus. Si quis enim illius perceptionem veniali negligentia omittat, venialiter eum peccare dicimus; si verò ejusdem sacramenti prætermissio ex notabili negligentia oriatur, eum, qui omiserit, lethaliter peccasse contendimus.

Quod etiam de sacramento confirmationis affirmat Ægidius Conink loco cit. de extremæ-unctionis sacramento admittimus ex parte. Concedimus enim, etsi nullum de supremæ unctionis perceptione præceptum extaret, illam tamen vix unquam sine peccato veniali prætermitti. Sed hujus propositionis rationem admittere non possumus, quippe quæ non veniale peccatum, sed mortale inducere videatur. Quis enim credat peccare dumtaxat venialiter hominem per omissionem hujus sacramenti, sese privantem magnis bonis & auxiliis spiritualibus per quamdam prodigalitatem & indecentiam, ita ut per dictam privationem minùs ad resistendum peccatis idoneus efficiatur? Quis, inquam, talem personam ingentium bonorum auxiliorumque cælestium jacturam supremæ unctionis voluntaria omissione cum quadam prodigalitate facientem, venialem dumtaxat culpam admittere fateatur?

Nemo sanè. Quod enim dixit Ægidius Conink de confirmatione, hoc ipsum de extrema-unctione pariter affirmare possumus, ejus scilicet omissione quamdam admitti prodigalitatem respectu ingentium bonorum auxiliorumque cælestium, quibus in ipso mortis articulo potissimùm indigemus, quibus tamen præfata ejusdem sacramenti omissione, eaque voluntaria, cum magno nostræ salutis detrimento, aut certè periculo carere volumus. Quis, amabo vos, tantam jacturam ab peccato lethali discrepare asserat? Si enim temporalium bonorum ingentium, quinque aut sex millium aureorum v. g. dissoluta profusio peccatum mortale haud dubiè censeri debeat, quamvis hominem non ideo necatura fames & inedia, sed ad aliquam dumtaxat rei familiaris decessionem perductura videatur: quâ ratione tot tantorumque bonorum spiritualium (quæ ex unctionis-extremæ perceptione prosiliunt) prodigalitas inter peccata dumtaxat venialia recenseri poterit? Hujusmodi propositio sustineri non potest, nisi ab viro ab omni ratione & pietate deserto, qui pluris bona temporalia quàm spiritualia faciat?

Si ex Martino Papa V. suprà docuimus, hoc sacramentum non posse sine peccato mortali contemni, nonne ipsum contemnere dicendi sunt illi, qui data sufficienti opportunitate illud omittunt, atque adeo sese lethali flagitio devinciunt? Siquidem plures Theologi docent eos, qui hoc sacramentum sine ulla causa omittunt, in foro exteriori præsumi id facere ex contemptu.

Quamvis igitur id sit commune cæteris & omnibus Ecclesiæ sacramentis, ut sui contemptores lethalis peccati reos efficiant, peculiari tamen ratione sacramenti unctionis contemptus majori lethalis culpæ reatu implicat eos à quibus contemnitur, quippe qui Christum & remedium per sacram unctionem adversus peccata & Dæmonum impetus ab ipso comparatum eo ipso tempore, quo magis ipso indigent, nihili faciunt, & suam ipsorum salutem culpabili negligentia parvipendunt. Atque adeo reverentiam ipsi Christo ejusque saluberrimo sacramento omnis pœnitentiæ & vitæ Christianæ consummatori debitam & charitatem animæ suæ tunc temporis maximè exhibendam proterunt.

Secunda conclusio.

Qui sibi sunt conscii peccatorum lethalium de quibus confiteri nequeunt, neque in sacramento pœnitentiæ absolvi (quocumque tandem modo id accidere possit) tenentur præcepto naturali & divino si periculosè decumbant, percipere unctionis extremæ sacramentum, utpote quod institutum est ut medium ordinarium ad remissionem peccatorum, etiam mortalium. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. a. 2. in solut. q. 1. in corp.

Apostolus igitur per istud verbum, *Inducat*, non tantùm consilium, sed & præceptum significat; scilicet eum qui commodè potest, debere hoc sacramentum suscipere, ut suæ saluti in tanto periculo & supremo vitæ articulo, majori, quâ potest, securitate, suæ saluti consulat: quia non raro accidit ut per extremam-unctionem salvetur, qui sine ea periisset & damnatus fuisset. v. g. si æger confiteri & absolvi nequeat, & tamen sit in peccato lethali, ungendus est. Siquidem sacra illa unctio delebit peccatum, & primam gratiam & justitiam illi conferet. Ubi igitur alia sacramenta ægro adhiberi nequeunt, adhibenda est extrema-unctio. Id ita jure naturali divinoque præcipitur, ut suprà diximus. Cùm enim nemo tutò suæ contritioni, qualemcumque se habere putet, possit & debeat confidere, ut docet Magister in 4. dist. 21. & S. Bonaventura & Cajetanus in Summula, tenetur profectò perfugere ad hoc sacramentum, per quod ægrotis illud rite suscipientibus omnia citra ullam exceptionem peccata condonatum iri S. Jacobus loco toties citato asserit.

Quæstiuncula XI.

Quandonam hoc sacramentum periculosè laborantibus conferri oporteat?

Hujus quæstiunculæ solutioni præmittendum est decretum Concilii Lateranensis IV. œcumenici sub Innocentio Papa III. in consessu quadringentorum Episcoporum celebrati: Quoniam infirmitas corporalis, aiunt quadringenti istius Concilii Patres, nonnumquam ex peccato provenit, medici ante omnia curent advocare medicos animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius, cùm causâ cessante, cesset effectus. Cæterum cùm anima sit multò præstantior corpore, sub anathemate prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur. Hactenus caput 22. præfati Concilii.

Ex hoc decreto discimus ægrotos in ipso ægritudinis exordio Ecclesiæ sacramentis esse muniendos, ne ingravescente sensim morbo, repentino intercipiantur interitu, & sacramentorum præsidio destituti in æternum ruant exitium.

Est ergo saluberrimum in ipso morborum initio ægrotantes munire sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & postea unctionis extremæ, si eorum morbi ab medicis periculosi & lethales judicentur. Officio igitur ab Concilio Lateranensi præscripto abundè satisfactum fuerit, si pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramento ægrotantes in ipso morbi exordio fuerint procurati, & illis extrema-unctio adhibeatur, statim atque morbus ab medicis periculosus judicari cœperit. Cujus rei tantam curam gessere sanctissimi quique viri, ut priscis temporibus sacram unctionem sacrosanctæ Eucharistiæ perceptioni præmitterent.

Ita se gessit S. Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus, Innocentii Papæ III. ætati suppar: si quidem unctionis sacramentum humiliter & devotè suscepit, eo percepto sanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissimè postulavit, ut tanto itineris duce munitus posset securiùs hostium cuneos penetrare, ut Surius in ejus vita commemorat.

Ita sese habuit S. Malachias Episcopus, qui post extremam-unctionem Eucharistiæ viaticum accepit, ut testatur S. Bernardus in ejus vita.

Si quis quærat, cur sacra unctio Eucharistiæ præmitteretur:

Respondeo, id ab fidelibus tribus de causis id esse factitatum. 1°. Quia veteres sperabant ægrotum sacræ unctionis virtute in pristinam sanitatem restitutum iri, ideo non differebant ejus perceptionem in illud tempus, quo penitus de laborantis salute conclamatum esset; sed ubi primùm deprehensum erat mortis periculum, illum hoc sacramento muniri curabant, ne sine sacro viatico decederet. Cur autem rarissimè nostris temporibus ægroti percepta sacra unctione revalescant, duæ causæ ab Roberto Bellarmino proferuntur.

Prima est, quia seriùs quàm oporteret, hoc sacramentum ægrotantibus impenditur: neque enim per hoc sacramentum expectanda sunt miracula, qualia essent, si qui agunt animam, continuò seu in puncto temporis revalescerent. Verùm si hoc sacramentum conferretur ægrotis, quando periculosè ægrotare incipiunt, sæpe videremus effectum sanitatis, quæ non quidem in momento, sed tempore suo succederet.

Altera causa est, quia non semper expedit ægroto ex morbo suo recreari, sed potiùs expedit mori: & ideo oratio Ecclesiæ quæ inter conferendum hoc sacramentum adhibetur, non petit absolutè sanitatem, sed sub conditione, si nempe sanitas ad æternam ipsius salutem conductura videatur.

Secunda ratio, cur sacra unctio periculosè decumbentibus conferretur ante Eucharistiam, repetitur ex eo, quòd ipsa illa unctio ipsis remitteret peccata & peccatorum reliquias, juxta fidem Catholicam, atque adeo ad Eucharistiam, quæ maximam puritatem exigit, fideles insigniter præpararet.

Tertia denique ratio, quâ movebantur veteres, ut primo loco inungerent ægrotos, & iis postea sacrum Eucharistiæ viaticum porrigerent, inde oriebatur, quòd quemadmodum circuli omnes lineæ ad unum centrum collineant; ita omnia novi Testamenti Sacramenta ad unum sacramentum Eucharistiæ referuntur, & in illud velut in centrum coëunt. Inde factum est, ut omnium sacramentorum perceptio in Eucharistiam velut omnium mysteriorum consummatricem apud Christianos desineret. Cui rationi addi potest, quòd extrema-unctio est complementum pœnitentiæ, & ideo Eucharistiæ perceptioni antiquitus præmittebatur.

Quæstiuncula XII.

Cur nostris temporibus inverso ordine ab veteribus observato, Eucharistia extremæ-unctioni præmittatur.

Hanc quæstiunculam ita solvit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de arte bene moriendi cap. 7. Nostro, inquit, tempore invertitur ordo (quo scilicet unctio antiquitus Eucharistiæ præmittebatur) non sine justissima causa. Sæpe enim accidit, ut extrema-unctio, ne terreantur ægroti, differatur in longum tempus, & periculum est, ne interim ægrotus, vel usum rationis amittat, vel alia de causa reddatur inhabilis ad Eucharistiam rite percipiendam. Ideo igitur viaticum nostro tempore præmittitur. Melius est enim, ut inverso ordine sacramenta ita ministrentur ægrotis, quàm ut altero, eoque saluberrimo, careant. Unctio enim extrema conferri potest ægroto etiam in agone posito, & non intelligenti vel sentienti quid circa se agatur, modò tamen in vivis sit: defuncti enim nullius sacramenti capaces sunt. Hactenus Bellarminus loco cit.

Quæstiuncula XIII.

Quinam sint legitimi hujus sacramenti ministri.

Respondeo, juxta fidem Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, solos Sacerdotes tam primi, quàm secundi ordinis, esse legitimos hujus sacramenti ministros, sicut per S. Jacobum hujus ipsius sacramenti promulgatorem declaratum est. Non igitur soli Episcopi hoc sacramentum ministrare possunt, sed etiam alii Sacerdotes. Nam ut ait Innocentius Papa I. Epist. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum cap. 8. Illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non est dubium. Nam ideirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Hæc ille.

Orthodoxam hanc doctrinam & fidem liquidò explicat Concilium Tridentinum sess. 14. de sacram. extrem. unction. cap. 3. Jam verò, inquit, quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere & ministrare hoc sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis tradi-

„ tum. Nam ostenditur illic, proprios hujus sacra-„ menti ministros esse Presbyteros. Quo nomine eo „ loco non ætate seniores aut primores in populo in-„ telligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdo-„ tes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum „ Presbyterii.

Hactenus Concilium, quod & eamdem doctrinam ad fidem Catholicam pertinere sub anathematis interminatione pronuntiat ejusd. sess. 14. can. „ 4. in hæc verba concepto : Si quis dixerit, Presby-„ teros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse „ ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacer-„ dotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in „ quavis communitate, ob idque proprium extremæ-„ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, „ anathema sit.

Quæstiuncula XIV.

Utrum hujus sacramenti administratio plurium Sacerdotum cœtum exigat.

Respondeo, in hujus sacramenti administratione plurium Sacerdotum præsentiam non esse necessariam, sed optandam, utpote meliorem & infirmorum saluti condncibiliorem. Hoc enim huic sacramento peculiare est, quòd licèt cæterorum ad instar gratiam ex opere operato producat, astantium tamen personarum, & maximè Sacerdotum, orationes ad impetrandos ejus effectus conferant. Quòd si plures Sacerdotes interessent sacræ illi unctioni, neminem tamen præterquam uni, ægrotantem inungere, & sacramenti formam proferre liceret.

Si quis dicat, non frustra S. Jacobum dixisse, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*: ergo unus non sufficit ad hujus sacramenti administrationem :

Respondeo secundùm nonnullos, loqui Apostolum de consuetudine quæ suo tempore vigebat : quo scilicet & Presbyteri & fideles salutem animarum tanto deperibant studio, ut ejus maturandæ gratiâ plures Presbyteri, & interdum etiam Episcopus, Presbyteris comitatus, unà cum fidelibus accurreret.

Vel ut alii dicunt : Hic Apostolus adhibet numeri enallagen, plures scilicet pro uno, quasi dicat : Infirmus vel alii ejus nomine advocent Presbyteros, id est unum è Presbyteris.

Si quis quærat, quisnam Sacerdos ægroto periculosè decumbenti hoc sacramentum administrare possit & debeat :

Respondeo omnem Sacerdotem vi suæ ordinationis esse idoneum hujus sacramenti ministrum, atque adeo posse illud validè, non tamen licitè administrare : quia nemini Sacerdoti hoc sacramentum conferre licet, præterquam iis, in quos jurisdictionem vel ordinariam vel subdelegatam habet.

Ordinariam jurisdictionem habet Episcopus & Parochus ; delegatam verò is, cui vel Episcopus vel Parochus sacræ unctionis conferendæ facultatem fecerit : ita ut Religiosi sine expressa Parochi licentia præsumentes illam ipsam unctionem administrare Clericis aut laïcis, excommunicati sint ipso facto, juxta Clement. *de Privil.* cap. *Religiosi*. exceptis quibusdam casibus, ut puta si abesset Parochus, vel sine legitima causa, imò per evidentem malitiam hoc sacramentum suo parochiano denegaret : in hujusmodi casibus quilibet Sacerdos, aut sæcularis aut regularis, illud moribundo conferre posset. Cùm enim Ecclesia anathemate perculit Religiosos etiam exemptos, qui citra Parochi licentiam hoc sacramentum administrarent, id non fecit, ut moribundis subduceret auxilia divina, quibus in ejusdem sacramenti perceptione donantur & roborantur, sed ut fervventem quorumdam Monachorum pastorales actus intervertere conantium audaciam eliderer.

Unde ipsius Ecclesiæ judicio graviter peccant hoc sacramentum administrando Sacerdotes, qui destituti jurisdictione, vel degradati, vel excommunicati, in ejus se administrationem citra ullam necessitatem ingerunt.

Quæstiuncula XV.

Quænam sit hujus sacramenti materia tam remota quàm proxima.

Cum extrema-unctio definiatur passim ab Theologis, signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis fidelium periculosè decumbentium liniuntur oleo consecrato sub præscripta verborum formula, ad salutem animæ & corporis à Christo Domino institutum, & ab S. Jacobo Apostolo promulgatum, illud suam materiam & formam cæterorum ad instar sacramentorum habere necesse est.

Ac reipsa quidem habet duplicem materiam, remotam scilicet & proximam.

Materia remota est oleum ab Episcopo consecratum. Quod quidem perspicuè docet Concilium Tridentinum sess. 14. de extrema-unct. cap. 1. ubi recitatis S. Jacobi verbis : *Infirmatur quis in vobis, &c.* sic loquitur : Ut ex Apostolica traditione per manus acceptâ, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum & effectum salutaris hujus sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissimè Spiritus sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat : formam deinde esse illa verba, *Per istam unctionem, &c.* Hæc ibi.

Porro cùm docet Ecclesia, oleum esse materiam hujus sacramenti, nihil aliud intelligit, quàm oleum ex olearum baceis expressum ; cæteros verò liquores ex alia quavis pingui crassaque natura elicitos in hujus sacramenti materiam non assumi, quippe qui non sunt oleum propriè loquendo, cùm ex similitudine quam habent cum nativo genuinoque oleo, ejus nomen accipiant.

Cur autem oleum adhibeatur potiùs in hoc sacramento, quàm alter quispiam liquor, multæ rationes efferuntur, quarum potissima est, ut scilicet fideles per externam illam corporis unctionem, aliam internam per varios effectus ab Spiritu sancto in ægrotantium animis produci solitos repræsentari perciperent. Enimvero maxima inter oleum & inter internæ unctionis effectus intercedit similitudo. Nam

1°. Si oleum morbos lenit & sanat, nonne Spiritus sanctus in hoc sacramento ægrotantium dolores mitigat, &, impetsa eorum animis ex peccato vulnera (nisi aliquid impediat) sanat, sicut, ut postea videbimus, ipsius corporis sanitatem restituit, si ægrotantium saluti expediat ?

2. Si oleum lumini tamquam pabulum præbet, nonne Spiritus sanctus in hoc sacramento per orationem fidei, fidei lumen in ægrotantium cordibus uberiùs accendit ?

3°. Si oleum vires suppeditat, ut proditum est de athletis, quorum corpora perungebantur ad luctam feliciùs ineundam, nonne Spiritus sanctus per internam unctionem moribundos corroborat, ut de implacabili fidelium hoste in ultima vitæ periodo acriùs in ipsos sæviente referant, victoriam, quam

nulla temporum circumscriptio metiatur? Meritò igitur per oleum ad alendas & suppeditandas, & recreandas defatigati corporis vires accommodatum dicimus significari robur, quo Spiritus sanctus armat moribundorum pectora, ne in extrema lucta æternitatis decretoria, atque adeo cum periculo quanto maximo conjuncta, succumbant, & in æternum ruant interitum.

4°. Denique, si oleum exhilarat juxta illud, *ut exhilaret faciem in oleo*, nonne Spiritus sanctus per hoc sacramentum ita mulcet morientium corda, ut plerumque nihil morati propinquorum amicorumque lacrymas, nihil commoti jacturâ divitiarum, quas deserunt, & ab doloribus quibus torquebantur, expediti, & posito mortis terrore, quo antea frangebantur, inter moriendum incredibili gaudio deliquescant?

Verè igitur Theophylactus in 6. cap. Marci, infirmos sanatos esse tradit: *Cùm oleum ad labores utile sit, lucis fomentum, & hilaritatem efficiens, significetque misericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus.* Hæc ille.

Quæstiuncula XVI.

Utrum hoc oleum ab Episcopo de necessitate non solùm præcepti, sed etiam sacramenti, benedictum esse oporteat.

Hæc quæstiuncula duo continet. Primum, utrum oleum quod est materia extremæ-unctionis, ab Episcopo consecratum esse oporteat. Secundum, utrum validum sit unctionis sacramentum in oleo ab Episcopo non consecrato ministratum.

Quod spectat ad primam quæstiunculæ partem,

Respondeo, hujusmodi oleum, in quo extrema ministratur unctio, oportere ab Episcopo consecratum esse. Ita passim Theologi cum S. Thoma disertè nostram propositionem astruente in 4. dist. 23. q. 4. 3. in solut. quæst. 2. in c. Dicendum, inquit, quòd hoc sacramentum consistit in ipsa unctione, sicut baptismus in ablutione, & materia hujus sacramenti est oleum sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari; quare exigitur materiæ sanctificatio in hoc sacramento, & in quibusdam aliis.

Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum descendit à Christo, & ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipsius usu, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ.

Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non solùm ut culpam tollat, sed etiam reliquias & infirmitatem corporis.

Tertia est ex hoc, quòd effectus ejus corporalis (scilicet sanitas corporalis) non causatur ex materiæ naturali proprietate, & ideo oportet, quòd hæc efficacia per sanctificationem ei tribuatur. Hactenus S. Thom. loco cit.

Postremam hanc rationem confirmat V. Beda, cùm ait, per hæc Apostoli verba, *in nomine Domini*, significari oleum consecratum (ab Episcopo) in nomine Domini.

Ipse ille Beda in 6. cap. Marci, allatis S. Jacobi verbis: *Patet*, inquit, *ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti unguantur oleo, Pontificali benedictione consecrato.* Hæc ibi.

Idem testatur ipse Beda in cap. 5. Epistolæ Catholicæ & Canonicæ S. Jacobi in hæc verba: *Ungentes eum oleo. Hoc est ab Apostolis in Evangelio factum legimus*, (cùm scilicet hoc sacramentum ab ipsis) ægrotos adhibito oleo curantibus, insinuatum est, *& nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur.* Et paulò pòst: *Quod tamen oleum nonnisi ab Episcopis licet confici. Nam quod ait, oleo in nomine Domini, significat oleum consecratum in nomine Domini: vel certè quia etiam, cùm unguunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent.* Hæc ille loco citato.

Hoc ipsum velut ex Apostolica traditione ad nos usque transmissum asserit Concilium Cabilonense cap. 48. *Secundùm*, inquit, *B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo quod ab Episcopo benedicitur, ungi debent.*

Idem renovatur in Concilio Moguntino cap. 26. in Concilio Aquisgran. cap. 8. item Concilium Wormat. cap. 72. item in Conciliis œcumenicis Florentino & Tridentino.

Atque hæc de priori quæstiunculæ parte, jam ad ad alteram partem transeundum est. Quod ut fiat,

Contendimus cum plerisque omnibus Theologis, olei ex olearum baccis expressi benedictionem ab Episcopo factitari solitam, necessariam esse non solùm necessitate præcepti, sed etiam sacramenti: ita ut si Presbyter infirmum periculosè decumbentem ungeret oleo vel non consecrato, vel per alium, non per Episcopum consecrato, nullum penitus esset sacramentum.

Quemadmodum enim ut confirmationis sacramentum subsistat, chrismatis benedictio ab Episcopo facta, non solùm præcepti, sed etiam sacramenti necessitate requiritur; ita ut subsistat supremæ unctionis sacramentum, infirmos adeo ab Episcopo consecrato inungi necesse est. Ita docent Hugo à sancto Victore & Magister Sentent. qui quidem ita distinguunt baptismum ab extrema-unctione, ut dicant, baptismum quidem celebrari posse in aqua non benedicta, unctio autem extrema sine oleo ab Episcopo consecrato conferri nequeat.

Hujus discriminis ratio præcipua refundenda est in Christi sacræ unctionis institutoris beneplacitum, quod & æquissimum sanctissimumque colimus, tametsi illud assequi nequeamus. In hoc igitur discrepant ista duo sacramenta, quòd in aqua non benedicta validè baptismus conferri valeat. (licèt de necessitate præcepti nemini, dempto mortis periculo, sine aqua consecrata baptizare liceat.) Quod autem spectat ad extremam-unctionem, asserimus, eam tam de necessitate præcepti, quàm sacramenti, conferri non posse, nisi ad ejus celebrationem oleum dumtaxat infirmorum ab Episcopo consecratum adhibeatur: ita ut si Parochus per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi chrismatis aut catechumenorum sit, erratum emendare, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibere, & tunc sacramenti formam iterare teneatur, ut sub titulo *Quæ pertinent ad sacramentum extremæ unctionis.* constitutum est in Concilio provinciali Mediolanensi V. quod S. Carolus Borromæus sub Gregorio Papa XIII. celebravit.

Hactenus de materia remota sacræ unctionis. Jam ergo ad proximam properandum est. Sit itaque

Quæstiuncula XVII.

Quomodo unctiones quæ fiunt in hoc sacramento, secernuntur ab aliis unctionibus in Ecclesia usurpari solitis.

Ut hæc quæstio dissolvatur, observandum est, multas unctiones in Ecclesia usurpari, quarum Prima est, quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis unctio, quia in ea principaliter Paraclerus datur: unde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mistos habet, oleum scilicet & balsamum: oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ, chrisma verò Græcè, unctio Latinè dicitur: nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum chrisma dicitur, sed illud solùm quod miscetur cum balsamo, quo capita Regum & Pontificum unguntur, quo etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, & Pontifex per impositionem manûs confirmandos ungit in fronte.

Est & secunda unctio, qua catechumeni & neophyti unguntur in pectore & inter scapulas in perceptione baptismi.

Tertia verò unctio est, quæ dicitur oleum infirmorum, de quâ hîc agitur. Hactenus Magister in 4. Sentent. dist. 23. litt. A.

Quarta unctio est cum chrismate, id est oleo cum balsamo, quâ sacerdotum manus, Episcoporum verò caput & manus in ipsorum ordinatione inunguntur.

Quinta est quæ adhibetur in altarium & templorum & calicum consecratione. His positis,

Respondeo, duas unctiones dumtaxat, confirmationem & extremam-unctionem esse sacramenta novæ legis propriè dicta, & in hoc secerni ab cæteris unctionibus, quæ tantùm sunt sacramentalia, vel nudæ cæremoniæ, quas Ecclesia ad excitandam & augendam fidelium pietatem sapientissimè introduxit.

Hujusmodi unctio quæ dicitur extrema, est materia proxima hujus sacramenti, & multis corporis partibus adhibetur.

Quæstiuncula XVIII.

In quibus corporis partibus adhibendæ sint unctiones hujus sacramenti.

Respondeo, hujusmodi unctiones cum debita forma singulis propria, quinque sensibus & pectori adhiberi oportere, ut ex apostolica traditione ad nostram ætatem usque transfusa didicimus, juxta regulam à S. Augustino allatam lib. 4. contra Donatist. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate apostolica traditum rectissimè traditur.* Hæc ille.

Juxta hanc traditionem, doctrinam hanc tradidere Concilia, ut in multis legere est, ex quibus hausta est hæc doctrina.

Id perspicuè patet ex decretis Concilii Florentini super unione Jacobinorum & Armeniorum, ubi Catholica de sacramento extremæ-unctionis fides exponitur his verbis: Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui ungendus est in oculis, propter visum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter gustum vel locutionem; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter gressum; in renibus, propter delectationem ibi vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum.* ℟. *Amen.*

Si quæras cur unctio exhibeatur oculis, naribus, &c.

Respondeo, id factitari, quia nostri sensus sunt organa, perquæ peccata nostras in animas irrepunt. Unde illud propheticum, *Mors intravit per fenestras nostras*, id est per sensus, per quos peccata, seu potiùs peccatorum irritamenta in hominum animas sese penetrant.

Ut ergo hæc organa peccatorum corruptelis inquinata traducantur ad sanctiorem statum, adhibitis olei ab Episcopo benedicti unctionibus, adhibito ad majorem efficaciam crucis signo repurgantur, & consecrantur.

Cur prima unctio ab oculis inchoatur.

Respondeo, id ita fieri, quia, ut dicitur vulgò, oculi sunt in amore duces; & revera oculi sunt & duces & fontes plurimi peccatorum, quæ ex ipsis assiduè scaturiunt. Nam per ipsos admittuntur aspectus lascivi, admittitur criminosa curiositas, vanitas; per ipsos leguntur libri libidinosis amoribus pleni, effunduntur lacrymæ nugis aut insanis amoribus impensæ, spectantur comœdiæ, & ex alienarum opum aspectu oriuntur invidiæ, & alia id genus, quæ animam in graviora scelera implicant.

Primò igitur his de causis inunguntur oculi; qua in unctione semel tantùm hæc forma pronuntiatur: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum.* ℟. *Amen.*

Cùm enim inunguntur duæ partes similes, aut quæ ad unius sensus functionem velut erga organa concurrunt, duas illas partes inungendo, semel dumtaxat hujusmodi unctionis forma pronuntiari debet.

In aliorum sensuum unctione eadem forma profertur cum hoc tantùm discrimine, quòd in fine nominatur sensus, qui ungitur, v. g. *Per istam sanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per odoratum*; & ita de reliquis.

In quinta unctione unguntur manus laïcorum intrinsecùs, Episcoporum verò & Sacerdotum manus propter sacri ordinis reverentiam non inunguntur in interiori parte, sed extrinsecùs dumtaxat, ut præscribitur in Rituali Pauli Papæ V. jussu edito.

In sexta unctione ungitur pectus: quæ unctio, quia in antiquis Ritualibus nec indicitur, nec exprimitur, videtur substituta in locum veteris unctionis, quâ ungebantur renes; nunc autem non unguntur, ne fortè inter istam lumborum unctionem nonnihil fiat, quod adversus decorum & debitam sacramento reverentiam adversari videatur. Hanc ob rem cùm mulierculæ inunguntur, non nudantur earum pectora, sed parti ipsis faucibus propemodum inhærenti unctio impenditur, ut hujusmodi sexus honestati consulatur.

Si quæris utrum hoc sacramentum per tot unctiones administratum, unum dumtaxat censeri debeat:

Respondeo hoc sacramentum, quod est unum specie in se, in singulis suscipientibus esse unum numero, unitate compositionis seu constitutionis, seu perfectionis: quemadmodum enim domus ex pluribus diversisque rebus coagmentata, unâ dumtaxat formâ perficitur; ita hoc sacramentum ex pluribus unctionibus & pluribus formis compositum, unum est tamen signum, & unius rei quam significat, efficientiam habeat.

Porrò singulæ unctiones, quæ in ejus administratione exhibentur, sunt tamquam materiæ partiales, quæ unam integram constituunt: & similiter singulæ formæ quæ istis unctionibus respondent,

dent, partiales sunt, & unam integram formam constituunt, & sic ex totali materia & totali forma unum integrum perfectumque sacramentum exurgit; eo quòd perfecta vel explicita hujus sacramenti significatio haberi nequeat, nisi per plures unctiones, quæ ut spiritualium vulnerum medicinæ, ad eorum radices adhibeantur.

Quæstiuncula XIX.

Utrum omnes illæ unctiones, quas proximè recensuimus, de hujus sacramenti necessitate censeri debeant.

Respondeo, hujusmodi unctiones esse tantùm ægrotis adhibendas de necessitate præcepti, quippe quæ ad hujus sacramenti dumtaxat integritatem, nihil autem ad ejus essentiam pertineant.

Hujusmodi unctiones non pertinere ad essentiam præfati sacramenti, rectè infertur ex Concilio Tridentino sic loquente: Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater & magistra, aliud in administranda hac unctione, quantùm ad ea, quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quàm quod beatus Jacobus præscripsit. Hactenus Concilium Tridentinum sess. 14. de extrema-unctione cap. 3.

Ex hoc loco sic ratiocinari licet: Atqui S. Jacobus non præscripsit quinque vel sex unctiones, quippe qui unius dumtaxat unctionis (per hæc verba, *ungentes eum oleo*) meminisse, atque adeo unam illam huic sacramento essentialem asseruisse videatur. Ergo Ecclesia Romana unâ dumtaxat unctione hujus sacramenti substantiam seu essentiam perfici, alias verò unctiones ad eamdem essentiam nihil pertinere credidit.

Nec sequitur, Ecclesiam Romanam credidisse dictas unctiones præscriptas ab S. Jacobo Apostolo, eo nomine, quòd eas adhibeat in hujus collatione sacramenti: quia, ut patet ex ipso Rituali Romano, Ecclesia Romana unget pedes & renes; quas tamen unctiones hujus sacramenti essentiam nihil attingere, certum pariter & perspicuum est. Quòd si eadem Ecclesia ad majorem sacramenti reverentiam & ad ferventiorem fidelium pietatem excitandam alias unctiones veluti sacramentalia quædam, vel pios ritus ejus celebrationi adjici præcipit, non propterea eam evertit doctrinam, qua una dumtaxat unctione hujus ejusdem sacramenti substantiam perfici declaravit ex Apostolo, qui quidem indefinitè (ut ita loquar) Christianum periculosè decumbentem ab Sacerdore ungendum esse pronuntiat.

Una igitur unctio hujus sacramenti essentiam constituit; modum autem & numerum unctionum Ecclesiæ arbitrio & dispositioni ab ipso Christo relictum esse, valde probabile est, cùm ab beato Jacobo hujus sacramenti præcone seu promulgatore nihil sit hac in parte determinatum.

Reverà Sylvius ad q. 34. Suppl. 3. part. S. Thomæ, profert libros rituales plurium Theologorum judicio approbatos, in quibus unam unctionem ad validam hujus sacramenti collationem sufficere declaratur.

1o. Profert authoritatem Bartholomæi ab Aula, qui quidem in suo Pastorali ab Theologia Lovaniensibus approbato ano. sal. 1573. sic de re proposita loquitur: Si videat extremum periculum, ita ut difficulter consuetas possit inungere partes in pectore vel in fronte, eum inungat, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, accipe De sacram sanitatem. ℟. Amen. Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per quinque sensus tuos & cogitationes, Per Christum Dominum nostrum.* Et nota quòd hic modus communiter observatur apud pestiferos, propter periculum. Hæc ille.

Hoc ipsum affirmat Molanus tract. 4. suæ Theolog. pract. Ex justa causa, inquit, licet unica actione perficere sacramentum. Hæc ille. Justa autem causa vel est mors ægrotanti proximè imminens, vel pestis, quæ grassatur.

2o. Idem Sylvius affert sententiam Becani cap. 27. de sacram. in specie q. 7. aientis: Tametsi plures unctiones fiant in hoc sacramento, tamen videri unam sufficere ad essentiam sacramenti, sive fiat in capite, sive in pectore: quia, inquit, nec ex Scriptura, nec ex universali Ecclesiæ traditione aliud colligi potest. Et præterea forma Ambrosiana unam dumtaxat unctionem significat, sicut & Veneta, quæ ab Leone Papa X. dicitur approbata. Sic enim habet: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus varias catervas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hæc ibi.

Idem Sylvius ibidem citat Pastorale Mechliniense anni 1589. ab Professoribus sacræ Theologiæ Facultatis Lovaniensis, ex selectioribus aliarum diœceseon Ritualibus collectum, & ab ejusdem Facultatis Professoribus, & aliis viris apprimè doctis recognitum & approbatum ann. sal. 1588. die 23. Septembris, in quo stabilitur eadem doctrina quam hic tradimus in hæc verba: In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum & detectum, dicendo: *Per istam sanctam unctionem & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum.* Hæc ibi.

Si quis dicat, Pastorale illud Mechliniense emendatum fuisse per aliud, quod est editum ann. sal. 1607. (nam qui postremum hoc Pastorale ediderunt, noluêre hoc sacramentum unica unctione conferri:

Huic objectioni facilè satisfit, si dicantur hujusmodi homines, qui hoc edidere Manuale, locuti de via ordinaria; quod certum est: non autem de urgente necessitate, v. g. grassante pestilentia, quo tempore prius Manuale hoc sacramentum conferri posse asserit; quam propositionem posterius Manuale non damnat: neque Professores Lovanienses, sicut nec viri insigniter eruditi, à quibus & concinnatum & approbatum est prius illud Manuale, recesserunt ab ea doctrina, quam in illo approbatam tradiderant.

Quidquid, eamdem doctrinam disertè astruit Octavius Tricaricensis per Germaniam & Belgarum provincias Apostolicus nuntius. Sic enim loquitur in Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ: Etsi ordinariè, inquit, inungenda sint singula singulorum sensuum loca, nec unquam, nisi gravissima necessitas cogat, aliter faciendum sit: constabit tamen sacræ unctionis sacramentum, & in inungendo contagioso morbo aut peste laborante, ad evitandum contagionis periculum, sufficerit, si inungatur sensus organum ad unctionem magis expositum & detectum, dicendo: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum.* Hæc ille.

Quæstiuncula XX.

Cur hoc sacramentum præ cæteris precatoriam habeat formam.

RESPONDEO, hujus rei triplicem causam afferri.

Prima petitur ex eo, quòd suscipiens hoc sacramentum, cùm sit propriis & corporis & animi viribus sæviente morbo destitutus, & Sacerdotis & aliorum fidelium precibus ut cummaximè indigeat.

Secunda est, quòd ipse, qui ungitur, infirmus, mox ex hoc sæculo sit migraturus, & Christi Domini, cui Pater omne judicium dedit, tribunali sistendus, & ideo Ecclesia variis orationibus Christum etiam atque etiam deprecatur, ut misereatur talis infirmi: supponit enim quemlibet Christianum, & eum præsertim, qui ungitur, oportere animatum esse eo animo, quo animatus erat Job, cùm diceret: *Verè scio, quòd ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Job cap. 9. v. 2. & 3. Et in eodem cap. v. 15. *Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.*

Unde & Sacerdotes & laici pro hujusmodi homine jam jam morituro, ferventissimas effundunt preces, quæ omnes eò collineant, ut consequantur ejus gratiâ, quod enixè flagitabat Vates regius: *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quæ misericordia ut ab ipso Deo, & in infirmum exerceatur, orationes fidelium adhuc in terris degentium & sanctorum in cælo triumphantium, per litaniarum recitationem implorantur, ut qui ungitur, Ecclesiæ militantis pariter & triumphantis suffragiis, precibusque sublevatus, constantiùs dæmonum insidiis & tentationibus reluctari valeat.

Tertia ratio, cur forma sacramenti sit deprecatoria, petitur ex eo, quòd hoc sacramentum id habeat peculiare, ut scilicet ejus effectus sive ad animæ, sive ad corporis sanitatem pertineant, nonnisi per totius Ecclesiæ preces obtineantur. Revera hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus, quæ sunt de essentia sacramenti, rite peractis; sicut character in baptismo & confirmatione, & transsubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ; non autem de essentis hujus sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis, ut docet S. Thomas in 4. dist. 23. q. 2. a. 4. in solut. quæstiunc. 2. in corp. Sacræ igitur unctionis forma tota in oratione fidei, quæ & ab Sacerdote ægrotantem inungente, & ab ipso ægrotante, qui ungitur, & ab circumstantibus effunditur ad Deum: quia ipse ille qui sacro linitur oleo, viribus & corporis & animi ob grassantem morbum destitutus, nulla jam possit pœnitentiæ opera edere, maximè indiget, & suis & totius Ecclesiæ precibus, quarum beneficio sua ipsi peccata condonentur, & pœnitentia, quam vel non egit, vel negligenter & perfunctoriè exercuit, apud Deum suppleatur.

Unde qui periculosè decumbunt Christiani Catholici, hoc sacramento in forma deprecatoria conferri solito, recreari solent in ipso vitæ exitu, quippe qui jam desinunt esse in foro Ecclesiæ, & in solius Dei manu requiescunt. Unde & ei per orationem committuntur, ut ait S. Thomas in 4. loco proximè citato.

Totius denique Ecclesiæ preces inter hujus sacramenti administrationem adhibentur, ut dispositionis in ejus perceptione locum obtineant.

Quemadmodum enim in cæteris sacramentis, ut puta in Eucharistia, in ordine, in matrimonio, gratia effunditur & percipitur pro ratione dispositionum, cum quibus ad ejusmodi sacramenta acceditur; ita & in isto unctionis sacramento recipitur gratia pro ratione orationum, quæ ejus perceptionem vel antecedunt, vel subsequuntur.

Si quæras cur in hujus administratione sacramenti pœnitentiales & graduales Psalmi præ cæteris adhibeantur:

Respondeo, id factitari, quia, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. de sacram. extrem. unction. cap. 1. hoc sacramentum non modò pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus, ideoque per preces ex animo verè contrito, id est Dei super omnia amore & quanta maxima peccati detestatione percito, profectas administrari & suscipi debet. Quod insigniter ab S. Augustino præstitum est. Nam, ut refert Possidius in ejus vita, dicere nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & Sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultima quâ defunctus est, ægritudine: nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat: & ne intentio ejus à quopiam impediretur, ante dies ferme decem quàm exiret de corpore, à nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantùm horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Et ita observatum ac factum est, & omni illo tempore orationi vacabat. Hactenus Possidius ejus vitæ cap. 31.

Quæstiuncula XXI.

Quænam sit oratio fidei, de qua S. Jacobus loco citato.

RESPONDEO, per orationem fidei posse intelligi orationem communem, qua Sacerdos sacramentum administrans, & astantes invocant Deum opt. max. ut infirmo periclitanti salutem animæ & corporis, si ad ejus salutem sit profuturs, per indulgentem misericordiam impetratur. Verùm ut propriùs accedamus ad mentem S. Jacobi,

Respondeo 1°. orationem fidei, propriè loquendo, esse formam extremæ-unctionis, quæ quidem forma, cùm sit deprecatoria, seu per orationem hoc sacramentum conferatur, necessariò adjunctam habet fidem, cui veluti radici, oratio sic tamquam primus ejus fructus ascribitur. Nam juxta Apostolum, Rom. 10. *Qui non credunt, Deum orare non possunt. Quomodo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt?*

2°. Hæc oratio, quæ sacræ unctionis formam facit, dicitur oratio fidei, quia fides metonymicè complectitur & significat omnia charismata & virtutes, quæ ea ipsa velut ex

divino quopiam fonte profiliunt. Nos enim Rom. 5. v. 28. ait Apostolus, justificati per fidem, quia (ut loquitur Concilium Tridentin. sess. 6. c. 8. fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis. Quæ cùm ita sint, ipsa fides non est radix sterilis & infœcunda: nam in ipsa, virtute continetur omnis justitia nostra: quæ quidem cùm perfici nequeat, quin spem, pœnitentiam, charitatem, cæterasque virtutes Christianas veluti comites individuas habeat, eas ex fide velut ex radice pullulare & succrescere necesse est. Hæc igitur oratio, quæ est sacræ unctionis forma, dicitur velut per antonomasiam, oratio fidei, quia non solùm ex fide proficiscitur, sed etiam totius Ecclesiæ & fidelium unctionem suscipientium fides, per spem, pœnitentiam, charitatem & cæteras virtutes, seu per actus singulis iis virtutibus proprios in hoc sacramento elici & impetrari solitos, ut cummaximè declaratur, ut videre est in hujus ejusdem sacramenti administratione.

3°. Hæc eadem oratio dicitur oratio fidei, quia pro solis fidelibus est instituta, & proficiscitur ex fide Ecclesiæ, cujus Sacerdos hujus sacramenti legitimus minister personam sustinet, eaque nititur & valet.

4°. Quia hujusmodi oratio, quæ sacræ unctionis formam constituit, & tot effectus, eosque præstantissimos, in suscipientium animis ingenerat, sola fide intelligitur, utpote quæ magnum fidei mysterium contineat.

5°. Denique hæc oratio dicitur oratio fidei, eo quòd omnia sacræ unctionis effecta Christus Jesus ex hac oratione cum sincera totius Ecclesiæ & suscipientium fide conjuncta, ut jam insinuavimus, apta & suspensa esse voluerit.

Quæstiuncula XXII.

Quis sit proprius & primarius hujus sacramenti effectus.

Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. quæstiunculam hanc mirabilem in modum solvit & explicat: Res porro, inquit, & effectus „ hujus sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res „ etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio „ delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati „ reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & „ confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ „ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & „ morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti „ animæ expedierit, consequitur. Hactenus cit. Concilium.

Ex ista œcumenici Concilii doctrina colligimus, proprium ac primarium hujus sacramenti effectum esse gratiam Spiritus sancti, cujus spiritualis unctio, id est interior quædam devotio, seu promptitudo voluntatis ad Deum arrectæ ab eodem Spiritu sancto in ægrotantis animam infusa, quæ & peccata, si quæ in illa sint, & peccatorum reliquias abstergit.

Ergo inter effectus hujus sacramenti proprios videtur primum locum obtinere gratia ad roborandam ægrotantis animam ordinata.

Secundum tenet remissio peccatorum.

Tertium abstersio reliquiarum ex iisdem peccatis existentium.

Quartum animæ alleviatio & confirmatio. Quæ omnia sunt dilucidè & breviter explananda. Sit itaque

Quæstiuncula XXIII.

Utrum remissio peccatorum ad extremam unctionem pertineat ex vi primariæ institutionis.

Ut hæc quæstiuncula resolvatur, operæpretium est observare, triplicem esse rationem seu modum, quo peccata per sacramenta remittuntur.

Prima dicitur fieri per se, & ex vi primariæ institutionis: & hæc ratio competit baptismo & pœnitentiæ.

Altera fit per se ex secundaria institutionis propriæ intentione, & hæc extremæ unctionis sacramento secundùm Theologos ascribitur.

Tertia denique, quæ cæteris quatuor sacramentis convenit, per accidens fieri dicitur.

Quod autem per sacram unctionem peccata possint deleri, & revera deleantur per se & ex secundaria intentione propriæ institutionis, probatur ex eo, quòd Scriptura loquatur aliter de peccatorum remissione, quæ comparatur per extremam-unctionem, quàm de illa quæ per cætera vivorum sacramenta indulgetur. Cùm enim de hujusmodi remissione prædicat Jacobus Apostolus, sic illam affirmat: *Oratio fidei salvabit infirmum, &c. & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quod de sacramentis confirmationis, Eucharistiæ, ordinis, & matrimonii, quæ sunt sacramenta vivorum, non asseritur. Siquidem hujusmodi sacramenta per accidens peccatorum remissionem efficiunt, ita tamen ut ista remissio inter eorum effectus non recenseatur, quemadmodum inter sacræ unctionis effectus annumeratur: ut patet ex Concilio Tridentino, cujus canon 2. de extrema-unctione, in hæc verba conceptus est: Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.

Ex isto Concilii canone colligere est, sacram unctionem conferre gratiam roborantem ex primaria institutione, & ex secundaria propriæ institutionis intentione, remittere peccata, si quæ sint in persona, quæ hoc sacramentum suscipit.

Hac de re juvat S. Thomæ sententiam explanare: Dicendum, inquit, quòd quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit, quia sacramentum efficit, quod figurat: ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis; medicina autem est ad pellendam infirmitatem: unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati; ut sicut baptismus est quædam regeneratio spiritualis, & pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & extrema-unctio sit quædam spiritualis sanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ita hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, (scilicet peccatum originale & mortale) sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ vel gloriæ. Et hic defectus nihil est aliud quàm quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali:

& contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & confirmatione dictum est. Et ideo etiam S. Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens: *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, scilicet quoad culpam. Non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit: sed semper quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt.

Quidam verò dicunt, quòd principaliter institutum est hoc sacramentum propter veniale: sed hoc non videtur verum, quia pœnitentia sufficienter etiam in hac vita delet venialia peccata quoad culpam: quòd autem non possunt evitari post peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ suum effectum; & iterum, hoc pertinet ad debilitatem prædictam.

Unde dicendum, quòd principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.

Hactenus S. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 1. a. 2. in solut. quæst. 1. in corp.

Ex istâ S. Doctoris loco multæ conclusiones ad sacram unctionem pertinentes inferuntur.

Prima conclusio.

Hujusmodi sacramentum annumeratur inter sacramenta vivorum. Cùm enim sit institutum veluti medicina quæpiam ad propulsandas infirmitates, quas anima ex peccato originali vel actuali contraxerit, supponit spiritualem recipientis vitam, sicut & medicina corporibus ægrotantium adhibenda supponit hominem ægrotum quidem, sed vivum: neque enim ullum medicinale remedium mortuorum corporibus impenditur.

Secunda conclusio.

Hoc sacramentum præsertim institutum est ad efficiendam remissionem peccatorum quoad reliquias, quas removet, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam, ut loquitur idem S. Thomas 3. p. q. 65. a. 1. in corp. Revera cùm anima spiritualem infirmitatem contrahat ex peccato actuali vel originali, atque adeo careat expertecto illo vigore, quo vitæ, gratiæ vel gloriæ, actus exerceri necesse est, Christus Jesus hujus institutione sacramenti, debilitati & ineptitudini illam prægravanti succurrere, & præfatam ineptitudinem propulsare voluit.

Tertia conclusio.

Sacra unctio hoc habet commune cum cæteris sacramentis novi Testamenti, quòd conferat gratiam, ut patet ex verbis S. Jacobi aientis: *Oratio fidei salvabit infirmum*: hoc est, sacramentum & forma sacramentalis extremæ-unctionis salvabit infirmum; id est conferet ei gratiam, quâ salvetur anima; gratiam scilicet vel primam, si æger citra culpam se in peccato lethali jacere nesciat, vel secundam, id est illi jam in gratiâ constituto novam gratiæ accessionem impertietur: ita per salutem gratiam intelligunt duo Concilia: Florentinum scilicet & Tridentinum loco suprà cit. Revera si S. Jacobus aliter intelligeretur, diceretur omisisse primarium & proprium sacræ unctionis effectum positum in eo, quòd impertiat gratiam justificantem, vel ipsam augeat, atque ita fidelem inunctum vel justum, vel justiorem efficiat, & sic per illam animæ sanatio, ut ait Concilium Florentinum, per orationem fidei, quæ est dictæ unctionis forma, compleatur.

Quemadmodum igitur singulis sacramentis ex institutione Christi sua assignata est gratia, quæ sacramentalis dicitur, tum quia ex sacramentis profluit, tum quia homines ad finem, cujus gratiâ instituta sunt, provehit: ita etiam sacra unctio peculiarem sibi confert gratiam in eo consistentem & positam, quòd ex secundaria propriæ institutionis intentione remittat peccata etiam lethalia, ut mox dicturi sumus, quòd animam lætitiâ perfundat, & armis ad debellandum dæmonem illi præter solitum & acriùs insidiantem idoneis instruat, & corporis sanitatem, si ægrotantis saluti profutura sit, afferat.

Quarta conclusio.

Sacra unctio remittit quodammodo peccata quoad maculam, reatum pœnæ & reliquias peccati.

Quod ut intelligatur, juvat objectionem ab S. Thoma allatam, & resolutam hic ascribere.

In peccato non sunt nisi tria, ait sanctus Doctor, macula, reatus pœnæ, & peccati reliquiæ: sed per externam unctionem non remittitur peccatum quoad maculam sine contritione, quæ etiam sine unctione remittit: nec iterum quoad pœnam, quia adhuc si convalescat, (æger) tenetur perficere satisfactionem injunctam: nec quoad reliquias culpæ, quia adhuc remanent dispositiones ex actibus præcedentibus relictæ, ut patet post convalescentiam: ergo nullo modo per extremam-unctionem fit peccatorum remissio.

Respondeo, dicendum, loquit sanctus Doctor, quòd extrema-unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum: quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam, quam infundit, facit quòd ille motus liberi arbitrii in peccatum, sit contritio, sicut etiam in Eucharistia & confirmatione potest accidere. Similiter etiam & reatum pœnæ temporalis dimittit, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit; quia eamdem pœnam leviùs portat fortis, quam debilis. Unde non oportet quòd propter hoc minuatur satisfactionis mensura.

Reliquiæ autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati, sed quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, quâ sublatâ (etiam eisdem habitibus, vel dispositionibus manentibus) non ita potest inclinari mens ad peccata.

Quinta conclusio.

Per extremam-unctionem tam peccata remittuntur, quàm absterguntur peccati reliquiæ. Licèt enim hoc sacramentum non sit præsertim ad peccatorum remissionem institutum, sed ad conciliandum robur ægrotantium animo, qui alioquin in luctâ cum dæmone intra succumberent: quia tamen gratia (quæ per illud infunditur, sicut & quævis alia justificans) omne peccatum delere nata est, & idoneo robore & præsidio animam

in peccatis jacentem munire non potest, ideo omnia non solùm venialia, sed etiam (nisi obsistat prava recipientis dispositio) mortalia ex consequenti remittit, ut loco cit. docet S. Thomas.

Proprius igitur hujus sacramenti effectus in eo vertitur & insistit, ut peccati reliquias abstergat.

Quæres quænam sint istæ peccati reliquiæ?

Respondeo, hujusce modi reliquias duplicis generis ab Theologis assignari.

Nam 1°. per peccatorum reliquias intelligunt peccata mortalia, vel venialia nondum condonata, quæ perceptis aliis sacramentis in anima remanserunt.

Quod pluribus modis accidere potest. Si quis confessus v. g. Christi corpus in Eucharistia suscepterit, & antequam sacro liniretur oleo, in peccatum mortale ita inciderit, ut bona fide se in illud incidisse nesciat, & ideo de illo confiteri nihil cogitet; vel ob ingravescentis morbi violentiam nec confiteri, nec communicare possit, vel ex ignorantia inculpabili pœnitens quispiam peccata quæ admisit, nescivit esse lethalia, vel inter confitendum præmisso diligenti examine ejus memoriæ non occurrerunt: vel si in statu peccati lethalis ad pœnitentiæ vel Eucharistiæ sacramentum accesserit; nec suam illam hujusmodi sacramentorum profanationem habuerit perspectam: in cunctis hisce casibus per extremam-unctionem remittuntur ægrotantibus incertis peccata, perinde ac si tunc deprehensa cognitaque per pœnitentiam expiassent, dummodo supremæ illius unctionis gratiam nullo permiant impedimento, & saltem imperfectam contritionem de omnibus generatim peccatis cognitis pariter & ignotis in præparatione animi concipiant.

Et hujusmodi sacræ unctionis effectus disertè exprimitur in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. suprà cit. Et si qua delicta sint adhuc expianda, abstergit. Et ipse ille effectus declaratur tam per Apostoli verba, *Et si in peccatis sit, &c.* quàm per formam ipsius sacramenti: *Per istam sanctam unctionem... indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, &c.*

Si dicas, id esse commune omnibus sacramentis, ut peccata lethalia latentia & ignota remittant:

Respondeo equidem, S. Thomam id asserere de confirmatione & Eucharistia. Sed hoc inter confirmationem & Eucharistiam, & inter sacram unctionem intercedit discrimen, quòd duo illa sacramenta peccata tollant per accidens, in quantum illa ipsa, quam pariunt, gratia cum peccatis lethalibus consistere nequeat: sacra verò unctio non solùm propter eamdem ipsam causam peccata deleat, sed etiam per se & propriè, licèt ex secundaria institutoris intentione id faciat, ut à nobis suprà probatum est.

2°. Aliud reliquiarum genus ab iisdem Theologis assignatur, & hujusmodi peccatorum reliquiæ profluunt ex peccato originali vel actuali, & sunt animi torpor, debilitas, ineptitudo ad exerendos actus vitæ spiritualis, gratiæ & gloriæ, & quidam borror, sive tristitia & mœror, & similia quæ invadunt & pervadunt ægrotantium animos; quæ quidem per hoc sacramentum discutiuntur & abiguntur juxta divinum illud promissum ab Apostolo promulgatum: *Et alleviabit eum Dominus.* Exhilarat enim hoc sacramentum ægrotos, & ab eorum animis propulsat angores, terrores, consternationes, & alia id genus, quæ vel ipsa mortis imminentis, & divini judicii, vel beatæ vel calamitosæ æternitatis decretorii cogitatio ipsis incutit, & insuper eos divino præsidio armatos ad æternæ gloriæ spem divinæ misericordiæ fiduciam, per Christi mortem & merita excitatam erigit.

Unde graviter peccant, qui fideles vel sine hoc sacramento ex hoc sæculo demigrare sinunt, vel ejus perceptionem ab ægrotis factitandam rejiciunt in extremum illud tempus, quo nec audire, nec intelligere, nec cum debita reverentia & pietate tantum sacramentum, nec ejus fructus eâ, quâ possent, ubertate, si forent sui compotes, colligere possunt.

Præterea ex citato S. Thomæ loco discimus, non esse institutum hoc sacramentum ad tollenda peccata venialia, propter rationes, quas videre est in loco citato, ex quo allatas hactenus conclusiones expressimus.

Sexta conclusio.

Conditionalis vocula, si, quæ est in loco S. Jacobi toties citato, potest triplicem sensum pati. 1°. potest usurpari pro concessione rei certæ. 2°. pro conditione rei dubiæ. 3°. pro particula, *tametsi*, vel, *quamquam.*

Quod spectat ad proximum sensum, nempe particulam, *si*, ita accipi: ut rei certæ concessionem significet, habet fundamentum in Scriptura. Unde Jacobi 1. *Si quis vestrûm indiget sapientiâ.* τὸ *si*, hoc in loco significat concessionem rei certæ, quasi diceret Apostolus: Cùm nemo sit, quin indigeat sapientiâ, eam à Deo postulare debet. Item Malachiæ 1. v. 6. *Si pater ego sum, ubi est honor meus? Si dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quo in loco, τὸ *si*, idem sonat ac particula, *cùm*. Non enim significat conditionem dubitantis, sed causam supponentis; perinde ac si Deus per Prophetam diceret: Cùm sim ego pater, quare mihi subtrahitis honorem, quo me afficere debetis ut patrem? item; Cùm ego sim dominus, quem cum timore & tremore colere debetis, cur hujusmodi timorem pervicaciter abjicitis?

Item in citato Apostoli loco, τὸ *si*, significat concessionem rei certæ, quasi diceret Apostolus: Cùm infirmus sit in peccatis, vel certè in peccatorum reliquiis, ei peccata, vel quoad culpam, vel certè quoad reliquias, vel quoad utrumque remittentur.

2°. τὸ *si*, usurpatur pro conditione rei dubiæ, & in hunc sensum particulam, *si*, accepit S. Thomas loco citato, ubi sic loquitur: *Si in peccatis sit, dimittentur ei quoad culpam:* non enim semper delet, quoad culpam, quia non semper invenit; sed semper quoad debilitatem prædictam. Hæc ibi.

Inde plerique Theologi inferunt, dictam particulam, *si*, accipi oportere pro conditione rei dubiæ: quia cùm Apostolus loquatur generatim de peccatis, atque adeo etiam mortalia comprehendat, quæ & ipsa remittuntur per sacram unctionem, si quæ sint adhuc expianda, ejusdem Apostoli verba in tota sua latitudine usurpari debent, nec restringi ad peccata duntaxat venialia, ut nonnulli restringere voluerunt. Si enim Apostolum de solis venialibus intelligendum esse dicamus, necesse est nos fateri frustra adhibitam ab ipso conditionalem particulam: cùm nemo sit qui peccatis venialibus careat, juxta illud S. Joannis 1. Epist. cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.* Unde percellitur anathemate quisquis dixerit, hominem semel justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia. Ita sub anathematis interminatione definiit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23.

3°. Particula, *si*, juxta textum Græcum verti potest in hæc adverbia, *etsi*, vel *quamquam*, & tunc erit iste Apostoli sensus: Quamvis ægrotus habeat peccata seu venialia, seu mortalia, non propterea ab perceptione sacræ unctionis absterreatur, eo quòd per illam peccata quæcumque remittantur, nisi con-

donationi per hoc sacramentum ægrotantibus importari solitæ, prava eorumdem ægrotantium dispositio obstiterit.

Revera hujusmodi quorumcumque peccatorum remissionem indicant satis superque ista formæ hujus sacramenti verba: *Quicquid deliquisti per visum, &c.* Unde S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. Sacerdotes non tantùm in baptismo & pœnitentiæ sacramento, sed etiam in extrema-unctione peccata remittere luculenter asserit.

Quæstiuncula XXIV.

Utrum sanitas corporis sit effectus sacræ unctionis.

Respondeo, definiisse Concilia, ægrotos qui inunguntur, per hoc sacramentum interdum corporis sanitatem consequi, ubi saluti animæ expedierit.

Id insigniter explicat S. Thomas ad 2. quæstionem. Dicendum, inquit, quòd sicut baptismus per ablutionem corporalem facit emundationem spiritualem à maculis spiritualibus; ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem: & sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam extrema-unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed hæc est differentia: quia corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo semper eam facit; sed extrema-unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divinâ, quæ rationabiliter operatur: & quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundùm quòd expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Hactenus S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. a. 2. in solut. quæst. 2. in corp.

Quæstiuncula XXV.

Utrum hoc sacramentum possit iterari.

Hanc quæstiunculam egregiè dissolvit Concilium Tridentinum sess. 14. de extrema-unctione cap. 3. Declaratur, inquit, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, si in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Hactenus Concilium loco cit.

Hic observandum est ex S. Thoma, esse quasdam diuturnas ægritudines, qualis est hectica, & hydropisis, & hujusmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur: iterum potest inungi, quia jam quasi est alius infirmitatis status; quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Hactenus S. Thomas Suppl. 3 p. q. 33. art. 2. in corpore.

Monita *ad hujus sacramenti administrationem necessaria ab S. Carolo præscripta.*

Primum monitum.

Ne pueris qui nondum ullum usum rationis habent, sacramentum hoc ministretur. Ita S. Carolus. Ergo juxta ejusdem mentem, hoc idem sacramentum, pueris qui ad rationis usum pervenerunt, potest administrari.

Secundum monitum.

Parochus si per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi chrismatis aut catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri, quod proprium est infirmorum, unctionem eidem adhibeat, tuncque sacramenti formam iteret.

Tertium monitum.

Æger si dum oleo sacro ungitur, extremum spiritum emiserit, Parochus ungere desistat. Si verò aliqua morbi vis derepentè illum oppressit, ut dubitetur, vivúsne sit, an mortuus, ea conditione in ungendo utatur: *Si es vivus, per istam sanctam unctionem, &c.*

Quartum monitum.

Nullus Sacerdos nisi Parochus, hoc sacramentum ministret; si porrò is impeditus, aut aliàs in mora est, mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret.

Quintum monitum.

At caveat Parochus, ne in eo administrando negligentiam ullamve moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, eám rationem Deo reddet, tum pœnâ ab Episcopo graviter plectatur. Hactenus S. Carolus in Concilio Mediolan. V. part. 1. sub titulo *De his quæ pertinent ad sacramentum extremæ-unctionis.*

Circa quintum hoc monitum observandum est, Parochum, qui sine causa legitima hujus sacramenti administrationem differt, & maximè cum probabili periculo suum parochianum privandi tanto tamque necessario subsidio, peccare lethaliter. Id ita esse multa Ritualia, Rhemense scilicet, Coloniense, Treverense, Leodiense, nominatim & disertè pronuntiant his verbis: Pastores qui in hujus sacramenti administratione sunt negligentes, lethalem culpam, seu (ut in aliis Ritualibus habetur) mortale peccatum non effugiunt.

Necesse est igitur Parochos, qui (ut par est) suorum parochianorum salute nihil antiquius habent, in catechismis, in pronao, ut vocant, & inter alias conciones de hoc sacramento, & maximis beneditionibus & commodis, sive ad animam, sive ad corpus ex eo derivari solitis, verba facere, & illius suo tempore percipiendi desiderium in ipsis accendere, ne quisquam semetipsum vel suos tanti sacramenti præsidio destitutos è vivis excedere patiatur.

Sextum monitum.

Quoniam nihil sacramenti gratiam magis impedit, quàm mortiferi alicujus peccati conscientia,

„ ideirco in eo ministrando usum consuetudinemque „ hanc tenebis, ut si fieri potest, infirmum non antè „ ungas, quàm peccata confessus sit. Ita S. Carolus „ Act. p. 4. in Instruct. extrem. unction. Idem præscri- „ bit Rituale Romanum, in quo illud, inquit, inpri- „ mis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum „ est, ut si tempus, & infirmi conditio permittat, an- „ te extremam-unctionem, pœnitentiæ & Eucharistiæ „ sacramenta infirmis præbeantur.

Monitum septimum.

„ Si quis repentino correptus morbo, vel inter mor- „ bum phrenesi conflictatus, nulla possit edere signa „ pœnitentiæ, non propterea privandus est hoc sacra- „ mento. Si præsertim Parochus probabili conjectura „ persuasum habeat hujusmodi personam (sive pro- „ pter vitam piè religioseque transactam, sive pro- „ pter desiderium quod de sacramentis generatim per- „ cipiendis antea testata fuerit) hoc sacramentum pe- „ tituram esse, si liceret per morbum, hoc ipsum illi „ administrare debet. Quod enim S. Augustinus sub fi- „ nem libri 1. de adult. conjug. ad Pollentium de pœ- „ nitentia dixit, valet hoc in casu. *Multò enim satius est*, inquit, *nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet: attamen credibilius est eum* (catechumenum) *si posset, velle se potiùs dictu-rum fuisse.* Hæc ibi S. Augustinus.

Inde cùm dubitat Parochus, utrum ægrotus ad eas angustias redactus hoc sacramentum suscipere velit, necne, nec ullis movetur rationibus, quarum vi in unam potiùs quàm in alteram partem propendeat, illud ei denegare non debet, nisi in notorio esset lethali peccato, nec ulla pœnitentiæ signa patefaceret. Tunc enim illi denegandum esset hoc sacramentum, ut patet ex dist. 95. can. *Illud.* juxta quod, id docuit S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 8. §. 3.

Possent & alia tradi monita, quæ facile alibi reperiri possunt: si v. g. Sacerdos non haberet satis olei consecrati ad perficiendam unctionem, posset admiscere oleo consecrato aliud non consecratum, dummodo major esset consecrati copia.

Si v. g. festinanter & raptim inunctus esset æger omissis precibus propter proximum mortis periculum, & postea meliusculè se haberet, omissæ preces essent recitandæ.

Hactenus de sacra unctione Scripturæ traditionique congruenter pro nostrarum modulo virium egimus: & ut huic Dissertationi fastigium, ut ita loquar, imponamus, hortamur omnes in Christo Jesu, ut nemo vel laïcus, vel Clericus, vel Sacerdos negligat hujus sacramenti perceptionem, imò ipsam maturare gestiat, ne imitatus virgines fatuas, (quæ, cùm oleo ad suas lampades adornandas idoneo caterent, ab sponsi nuptiis procul sunt ablegatæ) incurrat in idem malum & exitium, quod quotidie accidit quampluribus, quibus saluberrimo illo sacræ unctionis præsidio, vel per suam ipsorum impœnitentiam, vel suorum incuriam, vel Parochorum negligentiam destitutis, & exinde ab implacabili hominum hoste ultimo illo in prælio æternæ salutis vel damnationis decretorio superatis, cælestis regni janua nusquam deinceps per totam æternitatem reseranda intercluditur.

FINIS

DISSERTATIONIS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.



DISSERTATIO VI.

DE ORDINIS SACRAMENTO

Per varias quæstiunculas explanata.

QUÆSTIUNCULA I.

An scilicet sit ordinis sacramentum, & quomodo definiatur.



RESPONDEO, pertinere ad fidem Catholicam in duobus Conciliis, Florentino scilicet & Tridentino, constitutam, esse in Ecclesia Dei, ordinem seu ordinationem, quam omnes orthodoxi ceu verum, & propriè dictum novæ legis sacramentum agnoscunt, & usquequaque profitentur. Quod quidem sacramentum non nominatur ordo, quasi sit ipse gradus ministrorum Ecclesiæ; sed ita denominatur, eo quòd sit ipsa sacra ordinatio, per quam ut per signum & causam significatur certus officii gradus, qui sacro & solemni ritu confertur, ita ut per hujusmodi gradûs perceptionem, percipiens ad peculiare ministerium divino sacrificio exhibendum destinetur.

Propriè igitur loquendo, hoc sacramentum est sacræ ordinationis sacramentum ab omni ævo inter sacramenta novæ legis annumeratum. Est enim talis præfata ordinatio, ut sit (sicut & cætera sacramenta) visibile signum à Christo Domino institutum, quod confert gratiam suscipientibus, ut sacrum divinis mysteriis ministerium exhibeant.

Præterea dicta ordinatio instar cæterorum sacramenentum constat ex materia & forma, ut videbimus, cùm ad singulos ordines tam minores, quàm majores ventum fuerit.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem de ejus definitione afferenda, institutam:

Respondeo, triplicem sacræ ordinationis afferri posse definitionem.

Prima colligitur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. & 2. sic eam definiente: Ordo propriè dictus est sacramentum novæ legis, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem Christi, necnon peccata remittendi & retinendi, vel ex officio Sacerdotio deserviendi.

Hujus definitionis prima pars Sacerdotii munia & partes explicat. Altera verò cæterorum ordinum officia inferiùs aperienda declarat.

Secunda definitio ordinis est,

Ut dicatur ordo seu ordinatio, signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.

Paulò aliter definitur à Magistro dist. 24. litt. K. Ordo, inquit, sanè dici potest, signaculum, (id est sacramentum quoddam) quo spiritualis potestas traditur ordinatis, & officium. Hæc ille.

Hujus definitionis genus est, signaculum, id est aliquod externum & visibile signum: differentia autem ejusdem definitionis est traditio potestatis ad singulorum ordinum officia rite & sicut oportet, obeunda.

Tertia sacræ ordinationis definitio.

Potest etiam ordinis sacramentum definiri, signaculum, quo spiritualis potestas traditur, & gratia confertur ad ecclesiastica munia rite obeunda.

Hæc definitio cum aliis coincidit, sed unum supra cæteras addidit, quòd videlicet per ordinationem gratia conferatur, per quam omnes Ecclesiæ ministri suas partes cum debita reverentia explicare valeant.

Ex dictis igitur constat, ordinem sive ordinationem esse verum novæ legis sacramentum. *Si quis ergo dixerit ordinem, sive sacram ordinationem non esse verè & propriè sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantùm ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & sacramentorum, anathema sit.* Ita Concilium Trident. sess. 23. can. 3.

Quòd ordo sit sacramentum, satis superque Scriptura testificatur. Siquidem cùm loquitur de ordinatione, ait illam esse factam per impositionem manuum, per quam gratia conferebatur illis ipsis quibus manus imponebantur, ut declarat Apostolus 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.*

Hoc loco admonetur Timotheus ab Apostolo, ne negligat gratiam quæ illi affatim data est per prophetiam, id est revelationem, quâ Deus jussit illum ordinari in Episcopum: vel ut alii volunt, per prophetiam

phetiam significatur oratio sacra, seu verba mystica, seu forma quâ conferebatur ordinatio, quod dici potest, eo quòd Apostolus 1. Corinth. cap. 14. v. 5. & alibi prophetiam vocat quamliber orationem, & sermonem sacrum, & præsertim arcanum & mysticum, quales sunt sacramentorum formæ.

Addit Apostolus, cum impositione manuum Presbyterii, id est per impositionem manuum Episcoporum, qui Sacerdotii primum obtinent gradum, & qui te unà mecum ordinaverunt. Presbyterium igitur accipitur hîc collectivè pro cœtu Episcoporum. Nam, ut asserit S. Joannes Chrysostomus in hunc locum, non de Presbyteris hoc loco, sed de Episcopis loquitur Apostolus: neque enim Presbyteri ipsum ordinaverant. Revera in ipso nascentis Ecclesiæ exordio plures Episcopi unum ordinabant Episcopum, ita tamen ut ordinationis seu inaugurationis substantia ad unum dumtaxat Episcopum pertineret.

Id ipsum probatur ex eodem Apostolo 2. ad Timoth. cap. 1. v. 6. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex his locis constat, sacram ordinationem esse verum sacramentum quod duabus potissimùm rebus continetur, signo nempe externo & visibili & gratiâ interiori, quæ per impositionem manuum ordinati animum majori gratiâ cumulat. Hac de re satis. Sit itaque

---

Quæstiuncula II.

Cur plures sint ordines, & quot ab Catholicis passim recenseantur.

RESPONDEO, tribus de causis plures ordines fuisse in Ecclesia constitutos.

1°. Ut elucesceret & commendaretur Dei sapientia quæ in ordinata rerum tam ad naturam, quàm ad gratiam pertinentium dispositione & distinctione ut cummaximè cernitur & apparet.

2°. Plures ordines in Ecclesiam sunt divinitus invecti, ut humanæ infirmitati tot divini cultus, peragendorumque mysteriorum adminicula succurrerent: nisi enim nobis ordines diversi ad diversa officia supperterent, ægrè admodum omnia ad divinorum mysteriorum celebrationem necessariò pertinentia implerentur.

3°. Denique plures ipsi ordines sunt apud fideles instituti, ut illis omnibus & singulis uberior merendi proficiendique seges & materia præberetur, dum plures diversis funguntur officiis, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut testatur S. Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5.

Ad secundam quæstiunculæ partem, respondeo vulgò septem ordines ab Theologis recenseri. Nam

1°. Est ordo Ostiarii.
2°. Lectoris.
3°. Exorcistæ.
4°. Acolythi.
5°. Subdiaconi.
6°. Diaconi.
7°. Sacerdotis.



Quæstiuncula III.

Quo pacto omnes ordines ordinentur, seu referantur ad Eucharistiæ sacramentum.

RESPONDEO, S. Thomam in 4. dist. 24. in solut. quæstiun. 2. in c. hanc quam proponimus, quæstiunculam omnium optimè & doctissimè explanasse.

Dicendum, inquit, quòd ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum, ut dicit Dionysius. Sicut enim templum & altare, & vasa & vestes, ita & ministeria quæ ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent, & hæc consecratio est ordinis sacramentum: & ideo distinctio ordinum est accipienda secundùm relationem ad Eucharistiam: quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc. Si primo modo, sic est ordo Sacerdotum. & ideo cùm ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, potestatem accipiendo consecrandi corpus & sanguinem Christi.

Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo, sic tripliciter. Nam 1°. est ministerium quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso sacramento quantùm ad dispensationem, licèt non quantùm ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit, & hoc pertinet ad Diaconum institutum non solùm ut humanis & corporalibus, sed spiritualibus divinisque mensis potissimùm inserviret. Unde in littera Magistri dicitur, quòd ad Diaconum pertinet ministrare Sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in sacramento Christi, unde ipsi sanguinem dispensant. Quapropter numquam sacris operabantur Episcopi, quin præsiò Diaconos haberent.

2°. Est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti; & hoc pertinet ad subdiaconum: unde in littera dicitur, quòd vasa corporis & sanguinis Domini portant, & oblationes in altari ponunt: & ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cùm ordinantur.

3°. Est ministerium ordinatum ad præsentandam materiam sacramenti: & hoc competit Acolytho: ipse enim, ut in littera dicitur, urceolum cum vino & aqua præparat, unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, jam sunt ad recipienda sacramenta idonei.

Triplex autem est genus immundorum, ut dicit Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3.

Quidam enim sunt omnino infideles credere non volentes; & hi penitus etiam à visione divinorum, & à cœtu fidelium arcendi sunt, & hoc pertinet ad Ostiarios.

Quidam verò sunt volentes credere, sed nondum sunt instructi, scilicet catechumeni; & ad horum instructionem ordinatur ordo Lectorum, & ideo prima rudimenta ad doctrinam fidei, scilicet vetus Testamentum eis legendum committitur.

Quidam verò sunt fideles & instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni; & ad hoc habet ministerium ordo Exorcistarum. Et sic patet ratio, & numerus & gradus ordinum.

Hactenus S. Thomas loco citato.



QUÆSTIUNCULA IV.

An subdiaconatus semper & ubique inter majores & sacros ordines fuerit annumeratus.

RESPONDEO, subdiaconatum non semper nec ubique terratum inter sacros ordines fuisse annumeratum, sed habitum ut ordinem non sacrum, non quòd è numero sacramentorum expungeretur; sed quia ii dumtaxat haberentur ordines sacri, quorum Scriptura disertè & nominatim meminisset. Quia ergo in ipsa Scriptura nulla subdiaconatûs mentio reperiebatur, ideo non habebatur ut sacer ordo, licèt inter sacramenta recenseretur.

Præterea non habebatur in numero sacrorum ordinum in quibusdam etiam Ecclesiæ Latinæ provinciis, eo nomine quòd in ipsis ipse subdiaconatus ordo nondum haberet annexam continentiæ seu perpetui cælibatûs legem. Quæ tamen lex ad ordinis sacri seu majoris constitutionem exigitur: quæ res & conditio cùm abesset ab subdiaconatu quibusdam in locis, ut patet ex cap. *Ante triennium.* d. 31. & ex cap. *Multorum.* d. 32. in sacrorum ordinum numero non reponebatur; alia etiam de causa, quia scilicet Subdiaconis prohibitum erat in sacrarium ingredi, ut ex eo vasa sacra Christi corpus continentia acciperent & deferrent, ut patet ex cap. *Non oportet.* d. 32. & ex cap. *Nullus.* d. 24.

QUÆSTIUNCULA V.

Cur subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus dicantur potissimùm sacri, cùm minores ordines sint etiam sacri.

RESPONDEO, minores ordines sacros esse generali ratione, sed subdiaconatum, diaconatum & presbyteratum majores, & peculiari ratione sacros appellari, tribus potissimùm de causis.

1°. Quia annexum habent perpetui cælibatûs votum, & illud irrevocabile & solemne, quod quidem tale redditur, non per aliquam solemnitatem conceptis quibusdam verbis factitari solitam, sed per voluntariam & externam sacri ordinis, id est subdiaconatûs præsertim susceptionem. Quod non obscurè Clericis ad subdiaconatum promovendis Episcopus in ipso ordinationis procinctu significat, dum clara & sonora voce ita proloquitur:

» Filii dilectissimi, inquit, ad sacrum subdiaconatûs
» ordinem promovendi, iterum atque iterum conside-
» rare debetis attentè quod onus hodie ultro appetitis.
» Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbi-
» trio ad sæcularia vota transire; quòd si hunc ordinem
» susceperitis, ampliùs non licebit à proposito resilire,
» sed Deo, cui servire, regnare est, perpetuò famulari,
» & castitatem illo adjuvante servare oportebit, atque
» in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proin-
» de dum tempus est, cogitate, & si in sancto proposito
» perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite.
Hactenus verba Romani Pontificalis.

Ex istis verbis rectè & catholicè colligitur, subdiaconatum propter rationem ab cælibatûs voto ipsi annexo repertam, esse inter sacros ordines reponendum, eo nomine quòd ad eosdem sacros ordines ab Patribus & Conciliis referatur, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. & ex Conciliis œcumenicis, Florentino scilicet & Tridentino.

Secunda ratio propter quam subdiaconatus, diaconatus & presbyteratus per antonomasiam dicuntur ordines majores & sacri, petitur ex eo, quòd hujusmodi ordines Clericos propiùs ad Eucharistiæ sacramentum, à quo omnis ordo suam sanctitatem & dignitatem mutuatur, admoveant. Nam Sacerdos per presbyteratum ad divinissimum sacramentum per ejus confectionem propiùs quàm Diaconus & Subdiaconus accedit; Diaconus verò per ejus dispensationem (si ita jusserit Sacerdos) propiùs astat eidem sacramento, quàm Subdiaconus, qui inferioribus ministris antecellit, quippe qui sacra vasa contingit, & sacramenti materiam præparat, & propiùs cum Diacono illud ipsum sacramentum participat. Quia, ut ait S. Tho- «
mas, ordo dicitur sacer dupliciter: uno modo secun- «
dùm se, & sic quilibet ordo est sacer, cùm sit sacra- «
mentum quoddam; alio modo ratione materiæ circa «
quam habet aliquem actum, & sic ordo sacer dicitur, «
qui habet aliquem actum circa rem aliquam conse- «
cratam; & sic sunt tantùm tres ordines sacri, scilicet «
Sacerdos & Diaconus, qui habet actum circa corpus «
Christi & sanguinem consecratum; & Subdiaconus «
qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo etiam «
eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui «
sancta tractant. Hactenus S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. «
a. 1. in solut. quæstiunc. 3. qui & art. 2. in corp. ait, unum ordinem esse eminentiorem alio, secundùm quòd illius actus magis de proximo ad prædictum sacramentum ordinatur.

Tertia præfatæ rei ratio desumitur ex charactere, qui per susceptionem trium illorum ordinum ita in suscipientium animis imprimitur, ut vel uno ex tribus illis ordinibus ordine suscepto Clericus sui juris esse desinat, & totus quoad animum & corpus in Ecclesiæ toto suæ vitæ curriculo ædificandæ, & pro viribus promovendæ, dominium & obsequium transferatur, atque adeo ad majorem tanti tamque divini status perfectionem majori in dies charitatis cæterarumque virtutum accessione aspirare & assurgere teneatur.

QUÆSTIUNCULA VI.

Utrum ista ordinis in plures divisio sit totius potentialis in suas partes potentiales, vel totius universalis in suas species divisio.

RESPONDEO, utrumque rectè dici posse. Primum quidem, id est ordinis divisionem, esse totius potentialis in partes potentiales divisionem. Quemadmodum enim intrinseca totius potentialis ratio exigit, ut sit in uno secundùm completam naturam, & in partibus secundùm aliquam sui participationem; ita etiam plenitudo sacramenti ordinis subsistit in uno sacerdotio, in inferioribus autem ordinibus est aliqua dumtaxat ordinis participatio: ita tamen ut omnes simul juncti unum dumtaxat sacramentum completum quoad unitatem specificam, imò & numericam constituant.

Possumus etiam dicere, istam ordinis divisionem, esse totius universalis in suas species partitionem: quia ista vox (*ordo*) instar generis de unoquoque ordine prædicatur; & cùm ordo, seu ordinatio sit veri nominis sacramentum, dici potest quòd omnes ordines sint sacramenta, eo quòd omnes præfati ordinis genere propinquo unum constituant sacramentum. Cùm ergo dicuntur septem ordines esse septem sacramenta, intelliguntur species, quæ proximè ipsi sacramento subjiciuntur veluti species, sive illæ ipsæ species quæ subjiciuntur ordini, atque adeo sacramento veluti generi species simul & genera vel habeantur, vel non.

Quæstiuncula VII.

Quibus conveniat Clerici nomen, & unde hoc nomen viris singulari ritu Ecclesiæ obsequio mancipatis impositum est.

RESPONDEO ad primam hujus quæstiunculæ partem, hoc nomen Clerici esse commune omnibus per ordinationem in Ecclesiæ ministerium & obsequium assumptis, tametsi ordinum vel minorum vel majorum candidatis & clericali tonsura insignitis primùm ar tribui soleat, ut scilicet meminerint se cooptatos in Clerum, atque adeo ad Christianas virtutes progredi, & per minores ordines ad majores ascendere resciant.

Hoc igitur nomine intelliguntur, quotquot vel aliquos ordines, vel omnes suscepere. Et hic est sensus canonum leges Clericis, id est omnibus Diaconis, Presbyteris & ipsis Episcopis promiscuè præscribentium. Unde Concilium Tridentinum sess. 21. de reformat. cap. 1. sub tit. *Canones de vita & honestate Clericorum innovantur.* omnibus (nemine excepto) in Clerum cooptatis religiosam veterum canonum ab Conciliis & summis Pontificibus sancitorum observantiam indicit.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, eam ipsis S. Hieronymi verbis explanabimus. *Clericus*, inquit, *qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est. Qui autem ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur: si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens, iterum iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares; & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos.*

Hactenus S. Hieronymus in Epistola inscripta ad Nepotianum Heliodori ex sorore nepotem, qui adhuc junior ad S. Hieronymum jam cano capite, & ut ipse loquitur, arata rugis fronte id est seniorem, scripserat, & ab ipso poposcerat, ut sibi vivendi regulam ab veris Clericis studiosiùs observandam traderet, quod ipse S. Hieronymus egregiè præstitit: ita ut si omnes Clerici vitam suam ad ea sola quæ hic tenuimus, monita componerent, aurea proculdubio Apostolici temporis sæcula, nostra hac ætate reviviscerent.



Quæstiuncula VIII.

Quid ex allato S. Hieronymi loco colligere debemus & possumus.

RESPONDEO, nos ex præfato tanti Doctoris loco colligere posse & debere, longissimè ab clericali sanctitate abesse tria hominum genera, quos ita admonet & insectatur pulcherrimus Parochorum Catechismus.

De hoc inprimis, qui sacris initiari volunt, admonendi sunt, inquit, nihil sibi tanto munere indignum proponant, qui quidem locus eò diligentiùs tractandus erit, quò graviùs hoc tempore ea in re peccare fideles solent. Postea idem Catechismus enumerat tria hominum genera, qui indigno perversoque animo ad clericatum obrepunt. Hujusmodi hominum

Primi sunt, qui eo consilio ad clericalem vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum vestitumque necessaria sunt, parent: ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio (quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere) spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura & divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat; tamen quæstûs & lucri causâ ad altare accedere, maximum sacrilegium est.

Alterum hominum genus complectitur eos, quos honorum cupiditas & ambitio ad sacerdotalem ordinem ducit.

In tertio degenerantium & toto cælo ab Ecclesiæ spiritu aberrantium Clericorum genere comprehenduntur illi, qui ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumento est, quòd nisi opulentum aliquod ecclesiasticum beneficium iis deferatur, nullam sacri ordinis cogitationem habent. Hi verò sunt, quos Salvator noster mercenarios appellat, & quos Ezechiel dicebat, semetipsos, & non oves pascere, quorum turpitudo & improbitas non solùm sacerdotali ordini magnas tenebras offudit, ita ut nihil jam ferè à fideli populo haberi possit contemptius & abjectius; verùm etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quàm Judas ex Apostolatûs munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Hactenus Catechismus Parochorum part. 2. de ordinis sacram. num. 4, 5, 6, & 7.

Utinam profligatis hisce temporibus, characteribus flammeis digitus Dei omnia hæc monita, imò fulmina insculperet in animis omnium ad sacros ordines aspirantium. Sublatis enim hujusmodi corruptelis, quas tanto ardore dictus Catechismus insectatur, Sacerdotium ad mirabilem totius Ecclesiæ ædificationem propagationemque, sicut olim, efflorescecret.

Quæstiuncula IX.

Utrum Clericis sit omnino interdicta bonorum temporalium possessio.

RESPONDEO, talem possessionem Clericis non esse interdictam. Unde Concilium Constantiense inter alios articulos Joannis Wicleff, damnavit eum, quo contendebat, nemini Clerico licere aliquid proprium possidere. Qua in re turpiter allucinatus est, eo nomine quòd Deus Levitas possessionem inter filios Israël accipere prohibuerit. Ista enim prohibitio intelligenda est de partibus terræ promissæ, quæ dividebantur in singulas tribus, ita tamen ut Levitis nullam earum partium accipere liceret, ne si ipsi Le-

vitæ separatam ab cæteris tribubus terræ promissæ assignatam portionem haberent, in ea ab iisdem tribubus sejuncti degerent, atque ita verus Dei cultus (quem iidem Levitæ assidua cum dictis tribubus habitatione & conversatione retinere tenebantur) sensim & paulatim ipsis absentibus seu separatim ab aliis Israëlitis habitantibus obolesceret. Unde Num. cap. 18. v. 20. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum* (Israëlitarum) *nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël.* Ubi Deus se dicit partem & hæreditatem Levitarum, eo quòd decimæ, primitiæ, primogenita, præcipuæ victimarum partes, & alia id genus, ipsi Deo offerri solita in necessarios eorumdem Levitarum sumptus & usus ipso Deo volente & jubente cederent, ut patet ex cap. 18. Deuteron. v. 1. & 2. *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini & oblationes ejus comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis.* Hæc ibi, quæ & repetuntur aliis in locis Scripturæ. Ergo perperam ratiocinatus est Wicleff, cùm ex citatis Scripturæ testimoniis intulit, omnem rerum temporalium possessionem esse Clericis interdictam. Nam constat ex cap. 35. Numeror. v. 2. Deum per Moysen præcepisse filiis Israël, ut darent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum & suburbana eorum per circuitum, ut ipsi in oppidis manerent, & suburbana essent pecoribus ac jumentis. Ergo & Levitæ urbes sibi proprias, ergo & Clerici per Levitas adumbrati aliquid proprium extra crimen possidere possunt.

Si quis dicat, Clericos inter ipsas tonsuræ cæremonias palam profiteri se Deum eligere pro parte hæreditatis suæ:

Hoc nihil probat ad astruendam interdictionem, quâ contendunt aliqui, omnem rerum temporalium possessionem Clericis esse prohibitam. Nam more Scripturæ pars hæreditatis res est præstantissima, quam aliquis eligit velut opimam & optimam hæreditatis partem, & omnibus aliis rebus anteponit, seu supra omnia diligit, & in ea suam spem omnem collocat & defigit.

Hujusmodi hæreditas cùm nihil sit aliud præter Deum, pertinet ad omnes Christianos, quibus diligendi Dei & omnibus rebus creatis anteferendi propositâ damnationis æternæ pœnâ necessitas incumbit, in hoc tamen ab cunctis fidelibus secernuntur Clerici, quòd per clericalem tonsuram, & per ordines tam minores, quàm majores, si eos suscipiant, sese arctiori nexu ad implendum tale præceptum devinciant, non quòd teneantur suas facultates relinquere, sed ut abdicatis curis & negotiis sæcularibus, moderatis facultatibus contenti, sese toto & animo & corpore ad divinum cultum ferventiùs quàm laïci solent, admoveant & penitus impendant.

Quæstiuncula X.

Quomodo definiatur tonsura, & quid profiterentur, qui sese tonderi volebant.

RESPONDEO, tonsuram posse vel definiri vel certè describi hoc modo: Tonsura est cæremonia sacra ab Ecclesia ex apostolica traditione juxta Christi spiritum instituta, per quam quisquis illam suscipit, ab sæculo & sæculari vita segregatur, & ad ejusdem Christi sacrificium suo tempore offerendum destinatur.

Ex hac vel definitione vel descriptione satis superque colligi potest, quantâ reverentiâ tonsuram affici & suscipi oporteat. Nam

1°. Dicitur res sacra, & ideo sine peccato, ut res nullius momenti despici non potest.

2°. Instituta est ab Ecclesia, quæ, cùm ab Spiritu sancto semper & ubique in rebus ad salutem necessariis dirigatur, ab eodem illo spiritu proficisci creditur.

3°. Ex apostolica traditione instituta dicitur, atque adeo plurimi facienda: siquidem ejus dignitatem & institutionem celebrandam ab ipso Christo didicerunt, & ideo juxta ipsius spiritum institutam & in Ecclesia usurpatam esse prædicamus.

4°. Quæ maxima Dei gratia est, per illam homines ab hoc sæculo nequam separantur, ut ad sanctiorem vitam ex omnibus perditi sæculi tentationibus & tentationum periculis & occasionibus erepti, quæcunque sunt placita Deo, libera charitate exerceant.

5°. Per eamdem tonsuram divino Christi sacrificio suo tempore offerendo destinantur. Si nempe clericalem vitam egerint, id est sese integros vitæ, scelerisque puros, divina opitulante gratia præstiterint, provehentur ad regale Sacerdotium, & in incruento sacrificio, quod Christus pridie quàm pateretur, instituit in supremæ noctis cœnæ, ipsius Christi corpus & sanguinem consecrabunt, & comedent, & fidelibus populis epulandum cum debita reverentia ministrabunt: quibus officiis nihil præstantius, imò divinius excogitari potest.

Quod spectat ad alteram quæstiunculæ partem, quid scilicet profiterentur qui capillum attondebant in prima tonsura.

Respondeo, hujusmodi homines per capillum attonsum nihil aliud profiteri nec declarare, quàm se velle per ordinum tam minorum, quàm majorum susceptionem in Clerum cooptari, ita ut sese ad dictam ordinum susceptionem quasi voto quodam astringere significent. quod ut præstent, incipiunt à prima tonsura, quam Catechismus Romanus ait esse *quamdam præparationem ad ordines accipiendos. Ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent; ita, cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur: declaratur enim qualis esse debeat, qui sacris imbui cupit.* Hæc Catechismus Rom. p. 2. de ord. sacram. n. 26.

Ut igitur adolescentes sponte & ultro, & matura deliberatione prævia, se clericali militiæ nomen velle dare testificarentur, de illis præsertim quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatus officio vel monachali posuerat, constitutum est in Concilio Toletano II. cap. 2. ut ubi decimum octavum ætatis suæ annum compleverint, coram totius Cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, primò subdiaconatus ministerium probatione habitâ professionis suæ à vicesimo anno suscipiant. Hactenus citati Concilii decretum quod refertur dist. 23. c. 32.

Graviter ergo objurgandi sunt parentes quidam, hiante & insatiabili divitiarum aviditate perusti, qui suos filios vix è pannis & fasciis puerilibus extricatos protrudunt ad tonsuram, & ad beneficia, hac opinione, imò errore freti, quòd (si illorum aliquis ecclesiasticum beneficium quod illi per fas & nefas quæsierint, ineundi matrimonii causâ abdicaverit) illud ejus beneficium cum eodem avaritiæ genio alteri è fratribus resignandum curare liceat.

Quidquod, nonnulli ex hujusmodi parentibus pluribus filiis suis idem nomen imponi procurant, ut si unus ex iis qui beneficium possideat, excedat è vivis, alteri superstiti datum esse beneficium, & ejus verum esse titularem, citra scrupulum affirmare valeant. Quæ crimina quanta sint, conciperent nefarii illi parentes, nisi eos avaritiæ flagrantis impetus excæcaret.

Quæstiuncula XI.

Quid exigat Concilium Tridentinum ab iis qui primâ tonsurâ sunt initiandi.

Respondeo, ab iis plura exigere.

1°. Ut confirmationis sacramentum susceperint.

2°. Ut fidei rudimenta fint edocti.

3°. Ut legere & scribere sciant.

4°. Ut de iis probabilis sit conjectura, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, (quod & de quolibet obliquo vitiosoque fine dicendum est) sed ut Dei fidelium cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Cùm loquitur Concilium de fraude fugiendi judicii sæcularis, indicat Italiæ consuetudinem, per quam ipsi adolescentuli clericali tonsurâ initiati eximuntur ab justitia sæculari Principum, in quorum ditione degunt, quod privilegium vel parum in Gallia extitit, vel dudum exolevit.

Quæstiuncula XII.

Quomodo clericalis tonsura ab Episcopo conferatur.

Respondeo, Episcopum implorata numinis ope, totam tonsuræ cæremoniam ordiri ab hac oratione: *Oremus, fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum*, ut legere est in Pontificali Romano.

Deinde præmissâ Antiphonâ, incipitur Psalmus 15. *Conserva me, Domine, &c.* Dum Psalmus iste decantatur, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio & ad utramque aurem, deinde in medio capitis, &c. ut initiatus tonsurâ clericali universas animæ suæ facultates per hanc cæremoniam esse consecratas, atque adeo nusquam ad profanos usus adhibendas esse noverit. Siquidem abraditur in fronte, in qua phantasia collocata esse dicitur: in occipitio, in quo residet memoria: ad utramque autem, cui discipline sensus ascribitur: in vertice denique capitis, in quo æstimativa, id est ratio & judicium collocatur. Ita novo Clerico resecantur capilli in quatuor præfatis partibus in formam crucis, ut discat sibi deportandam esse Christi crucem arctiùs & religiosiùs quàm cæteri Christiani, quippe qui & phantasiam & memoriam & aures & æstimativam seu rationem ad Christi crucifixi amussim & mortificationem componere, & ab omni rerum sæcularium affectu & usu abstrahere tenetur.

Ac reipsa quidem dum singulis ab Episcopo capilli resecantur, singuli propheticum hoc carmen pronuntiant: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Perinde ac si rerum sæcularium (præ Deo quem sibi in hæreditatem assumunt, & in quo suam omnem spem & beatitudinem collocatam volunt) curam & sollicitudinem abdicarent.

Quod ut opitulante Christi gratia præstent, sic precatur Pontifex: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum depofuimus, in tua dilectione perpetuò maneant, & eos sine macula in perpetuum custodias, &c.*

Deinde decantato Psalmo *Domini est terra*, &c. precatur Pontifex, ut Dominus benedicere dignetur suos famulos, quibus mox in ejus nomine habitum sacræ religionis impositurus est, & accipiens in manum super pelliceum, dicit singulis: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Postremò tota cæremonia terminatur oratione, quâ precatur, ut divinâ semper in ævum gratiâ perfruantur: *Ut*, inquit, *sicut similitudinem coronæ tuæ eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereantur in cordibus, &c.*

Quæstiuncula XIII.

Utrum adolescentuli, vel alii clericali tonsura initiati, habitum clericalem ex Ecclesiæ spiritu gerere teneantur.

Respondeo, ex spiritu Ecclesiæ Clericos ad circumferendum clericalem habitum obligari: & hanc obligationem satis superque indicari ea oratione, quâ exeunte tonsuræ cæremonia Pontifex in persona Ecclesiæ precatur, ut *omnipotens Deus peccatis nostris propitiatus ab omni servitute sæcularis habitus famulos suos* (id est novos Clericos) *emundet, ut dum ignominiam sæcularis habitus deponunt, divinâ semper in ævum gratiâ perfruantur.* Hactenus Pontificale Romanum.

Ex hisce verbis tria colligere est, quorum

Primum est, Pontificem sive Ecclesiam in ipso & per ipsum orantem petere à Deo, ut recentiores illi Clerici ab omni sæcularis habitus servitute emundentur.

Secundum est, ipsum Pontificem supponere ut certum & indubitatum, eos, quos tunc totondit Clericos, vestem & habitum clericalem circumlaturos, quippe qui asserat, eos jam tum ignominiam sæcularis habitus deponere.

Tertium quod in ista Pontificis oratione declaratur, est finis, cujus gratiâ omnes passim Clerici sui status vestem gerere debent, ut scilicet divinâ semper gratiâ in ævum perfruantur.

Ex his tribus in præfata Pontificis oratione comprehensis, nemo cordatus aliud inferet, quàm Clericos ad clericalem habitum obligari. Nam si quis Clericus hujusmodi habitum gerere abnuat, non emundabitur ab omni servitute sæcularis habitus, quod tamen pro ipso Ecclesia postulat. Ergo habita status clericalis ratione, servilem & (ut paulò post videbimus) ignominiosum circumferet habitum.

Dixi servilem Clerici respectu, quia Clericus laïcorum more indutus patefacit per suæ vestis pompam se adhuc hujus sæculi vanitati mancipatum esse, sicut & satanæ pompis implicatum, quibus jam bis abrenuntiavit: 1°. in sacramento regenerationis: 2°. in clericalis tonsuræ cæremonia, per quam ad devotum Clericorum gregem est aggregatus.

2°. Ipse ille Clericus nondum deposuit ignominiam sæcularis habitûs: cùm ergo tali habitu utitur, sibi probrum & ignominiam accersit, quippe qui nomen & formam ea serica veste & argenti aurique fulgore sibi comparare moliantur. Quod quidem nihil est aliud quàm bombycum spoliis ornari, & terræ exetemento ex aurifodinis eruto decorari hominem, qui abdicatâ vestium sæcularium pompâ locupletissimo Christianarum virtutum ornamento in Ecclesia Dei effugere debuerat.

3°. In præfata Pontificis oratione declaratur finis, cujus gratiâ Clerici clericalem habitum circumferre debent, ut scilicet divinâ gratiâ semper in ævum perfruantur: unde rectè inferri potest, Clericos divinâ gratiâ (ordinariè loquendo) privandos esse, si sui status habitum deferre vel

neglexerint, vel moniti recusaverint.

Ergo, dicet aliquis: Quisquis Clericus clericalem habitum citra causam legitimam abjecerit, peccabit lethaliter? Nemo enim divina gratia sanctificante scilicet privatur, quin lethali sese peccato devinciat? Quæstionem hanc cum Deo discutiemus infrà. Sit itaque

Quæstiuncula XIV.

Utrum Concilia in quibus, & per quæ spiritus Ecclesiæ declaratur, Clericis habitum clericalem deferendi præceptum indixerint.

Respondeo, reapse Concilia Clericis habitum clericalem deferendi præceptum indixisse. Quod ut clariùs elucescat, operæpretium est hic referre, Concilii Tridentini verba omnia veterum Synodorum statuta hac de re condita complexi, ut postea videbimus, quo Ecclesiæ spiritus luculentiùs appareat.

Quia verò etsi habitus non facit Monachum, (verba sunt ejusdem Concilii Tridentini) oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publicè laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio & beneficio ac fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coërceri possint & debeant: juxta constitutionem Clementis Papæ V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit: *Quoniam innovando & ampliando.* Hactenus Concilium Tridentinum sess. 14. de reformat. cap. 6. Qua in re veterum Synodorum vestigiis institit. Nam

1°. Adhæsit ad sanctionem Concilii Viennensis XV. generalis, ex trecentis & pluribus Episcopis conflati, anno Redempt. 1300. tempore Clementis Papæ V. Viennæ in Gallia celebrati. Siquidem in eo Concilio irrogata est suspensionis pœna Clericis, qui aliis vestibus, quàm iis quæ suo congruentent ordini, uterentur, cap. *Quoniam. De vita & honestate Clericorum.* in Clementinis.

2°. Idem Concilium Tridentinum adhæsit Concilio Constantiensi ann. Redempt. 1400. celebrato, sess. 43. sub titulo *De vita & honestate Clericor.* ita loquenti: Inter cæteros, inquit, Prælatorum & Clericorum excessus hoc maximè inolevit, quòd spretâ in vestibus formâ ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt laicis conformari, quod mente gerunt, (id est contemptum & ignorantiam conditionis quam capessiverer) habitu confitentur. Unde quàm graviter tantum Concilium de Clericis clericalem habitum aspernantibus conqueratur.

3°. Concilium Basileense anno 1431. celebratum assiduam habitus clericalis gestationem indicit Clericis, propositis iisdem pœnis, quibus anteriora Concilia contumaces hac in parte Clericos coërceri voluerunt.

4°. Idem præstiterunt tria Concilia Lateranensia, unum nempe sub Leone X. Papa celebratum, in quo ipse Leo constituit, ut Clerici tunicam talarem deferrent, & declaravit eos excommunicatos, qui quidem admoniti suo illi decreto parere abnuerent.

Alterum (quod est Lateranense III.) vult eos qui non deferunt habitum clericalem, haberi velut apostatas, & ab Ecclesia revelli, sic tamquam membra putrescentia, si in eo delicto fuerint deprehensi. Tales enim, inquit citatum Concilium, inter apostatas numerandos sanctorum Patrum statuta declarant.

Id ipsum confirmat can. 16. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Papa III. celebratum, cui intersuerunt cum summo Pontifice ducenti supra mille Patres, duo Patriarchæ, septem supra decem Metropolitani, duorum Imperiorum Legati, Oratores Hispani, Galli, Anglicani, & Cyprini, siquidem in tanto tamque celebri cœtu idem quod asserimus, constitutum est, Clericos nimirum ad deferendam clericalem togam propositis canonum pœnis obligari.

Si quis tot tantisque viris hanc legem jam ab anterioribus Conciliis sancitam innovantibus tergiversari præsumeret, eum è Clericorum pariter & hominum albo expungere oporteret.

Id ipsum statuit Concilium Romanum sub Leone Papa IV. habitum can. 12. quæst. 21.

Hoc ipsum constituerunt antiquiora Concilia Carthaginense IV. can. 44. & 45. & Agathense can. 20.

Præterea hîc plura Concilia in nostra Gallia celebrata, quæ hoc ipsum quod hactenus astruere conati sumus, mirum in modum stabiliunt.

Quæ omnia licèt ad convincendam quorumdam Clericorum clericalem habitum deferre abnuentium, contumaciam sufficere debeant, non tamen prætermittam aliquot nostratum Synodorum decreta, & inprimis canonem V. Concilii Matiscon. I. in hæc verba concepti: *Ut nullus Clericus sagum aut vestimenta, vel calceamenta sæcularia, nisi quæ religionem deceant, induere præsumat. Quòd si post hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à seniore ita coërceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aquâ tantùm & modico pane diebus singulis sustentetur.* Hactenus Concilium Matiscon. I. anno Christi 585. celebratum.

Item Concilium Liptinense sub Karlomanno Majore domûs regiæ habitum, prohibet can. 7. ne Presbyteri vel Diaconi utantur sagis laicorum more.

Concilium Rhemense ab Gregorio Papa XIII. confirmatum, & Concilium Burdigalense suspendunt ipso facto Clericos, qui in his, id est in habitu clericali & tonsura deferenda parere noluerint.

Possem hîc referre plura plurium Conciliorum & summorum Pontificum decreta, quibus gestatio coronæ & habitus clericalis cunctis promiscuè Clericis indicitur, & inprimis decretum Leonis Papæ X. qui, postulante & plurium Clericorum sine tonsura & habitu clericali publicè incedentium temeritate & audacia, & apud ipsum expostulante Francisco I. Francorum Rege, statutum condidit, quo Clericos omnes sine tonsura & habitu clericali quatuor mensibus ab ejus statuti promulgatione elapsis deprehensos, comprehendi ab judice sæculari, & veluti reos nefariosque scandali fatores in carcerem conjici, & severiore pœna coërceri voluit; & ne quis suæ contumaciæ ignorantiam obtenderet, denuntiatâ debitâ contumaciæ pœnâ cunctis superioribus Ecclesiasticis suum illud decretum quo-

tannis tribus primis Quadragesimæ dominicis legere vel legendum curare in ipso Missæ parochialis pronao imperavit: sicut & excommunicatos declaravit universos, qui tali statuto contrairent, vel illud infringerent, & in alios detorquerent, nihil obstante oppositione vel qualicumque appellatione. Nulli ergo hominum, inquit ipse Leo X. liceat hanc paginam nostri statuti & decreti infringere, vel ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini 1516.

Sixtus Papa V. idem statuit anno sal. 1589. & Urbanus Papa VIII. confirmat omnia suorum hac de re decreta in edicto anno sal. 1624. promulgato: Statuimus & præcipimus, inquit, ut omnes qui sacris ordinibus initiati sunt, vel qui possident ecclesiastica beneficia, aut cum stipendiis serviunt in Ecclesiis, gestent tonsuram clericalem, omnesque gestent vestes clericales, sive, ut vocant, subtanas à collo usque ad talos demissas. Hæc ille.

Post tot Conciliorum summorumque Pontificum decreta indagare juvat, quale peccatum admittant talium decretorum infractores. Sit itaque

Quæstiuncula XV.

Utrum peccent mortaliter, qui tonsuram & habitum clericalem gestare renuunt.

Respondeo, eos tevera peccare lethaliter. Legem enim Ecclesiæ hac de re toties ab tot Conciliis sancitam & repetitam, & ab tot summis Pontificibus & confirmatam & toties inculcatam, animadvertendâ contumaciâ violant.

Quòd à peccato mortali excusari non potest, nemo est tam rudis & imperitus, quin Ecclesiæ legem in materia gravi citra peccatum lethale violari non posse resciat.

Si quis objiciat, rem esse vel nullius vel minimi momenti, si Clericus nec tonsuram nec habitum deferat clericalem.

Si quis ita loqueretur, sese toti terrarum orbi deridendum propinaret. Tot scilicet Concilia & generalia & provincialia, & tot summi Pontifices in rem nullius vel exigui momenti in universa, quaqua patet, Ecclesia stabiliendam toties incubuerunt, quod sanè abhorret à communi sensu. Nam sequeretur, tot homines in Spiritu sancto congregatos ad inania quæpiam figmenta appulisse animos & pretiosissimum Synodorum tempus in nugis contrivisse, quod nemo cordatus admittere voluerit.

Ac reipsa quidem ipsi Casuistæ, quibus plerique nihil in sacris Litteris evolvendis, nihil in sanctis Patribus & Conciliis lectitandis versari, plus æquo consisi, omnem in omnibus habent fidem, inelucta-bili rationis proximè allatæ pondere oppressi, in eam concessere partem, ut tonsuræ & habitus clericalis neglectum & omissionem inter peccata lethalia recenserent, & insuper homines talis omissionis consios excommunicationis anathemate perculsos vel certè percellendos assererent.

Ita sentit Bartholomæus Fumus in Armilla v. *Apostat.* n. 8. & cum ipso Panormitanus contendit, Ecclesiasticos qui clericalem habitum non deferunt, esse apostatas.

Item Sotus in 4. Sentent. dist. 24. ait, Episcopum ordinem sacrum conferentem homini nec tonsuram nec habitum clericalem deferenti, sese gravissimo devincire flagitio.

Item Azorius lib. 7. Institut. moral. p. 2. cap. 14. & Reginaldus lib. 30. num. 10.

Item Cajetanus in Summula v. *Clericorum peccata.* ait, eorumdem peccata ex transgressione juris positivi esse tot, ut vix numerari queant. Tenentur siquidem, inquit, quoad habitum deferre rasuram, hoc est clericam & tonsuram, hoc est non nutrire comam, & non nutrire barbam, & deferre habitum clericalem clausum desuper. Hæc ille.

Ille ipse Cajetanus in cit. Summ. v. *Interrogatio.* ait, esse quasdam interrogationes confessioni præmittendas, si v. g. sit pœnitens concubinarius, si sit fœnerator, aut alio graviori flagitio constrictus, à quo Confessarius eum absolvere nequeat, ut scilicet non possit conqueri pœnitens dicendo, Tu voluisti audire & scire facta mea, & non vis me absolvere, &c. Et ideo censet ipse Cajetanus ibidem, Ecclesiasticos comatos, quia scilicet contra statuta canonum alunt & promittunt cæsariem & barbam, esse præmittendos ad tonsorem, deinde audiendos. Hæc ille loco cit. num. 5.

Et rectè Cajetanus ita sentit, quia Clerici tenentur obtemperare Conciliis prohibentibus, ne comam nec barbam nutriant. Præterea rectè docet Cajetanus, Clericos comatos antequam in confessione sacramentali audiantur, esse præmittendos ad tonsorem. Siquidem sub anathematis interminatione debent tonsuram gestare, & ab coma barbaque nutrienda abstinere, ut patet ex sess. 9. Concilii Lateranensis sub Leone Papa X. celebrati, sic ea de re statuentis: *Clerici in sacris constituti barbam neque comam nutriant, sed tonsuram ferant: si quis contrà fecerit, excommunicationem incurrat.*

Priora Concilia Romana sub Gregorio Papa XI. dist. 23. & sub Zacharia babita, can. 9. anathemate feriunt Clericos quotquot prolixiorem capillum gerunt. *Si quis*, inquiunt, *ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.* Secundum Concilium Bracarense can. 66. & Viennense *De vita & honestate Clericorum.* Sicut & Constantiense sess. 43. jubent, ita compositam & circumtonsam esse Clericorum comam, ut illorum aures pateant.

His ita constitutis, si qui hanc quæstionem, quam multi temere in controversiam evocant, Casuistarum (quos fortè pluris quàm oportet faciunt) arbitrio dijudicandam permittere velint, causa & lite proculdubio cadent.

Nam & Azorius & Reginaldus, quos paulò antè citavimus, & Vasquez disput. 150. nu. 4. & Navarrus sua in Summa cap. 25. n. 109. & 110. & Angelus v. *Clericus.* nu. 1. Filliucius in Synopsi tract. 41. cap. 6. nu. 3. & Bonacina de sacramento Ordinis disput. 8. q. unica, puncto ult. nu. 2. primæ propositionis, & Nugnus 2. p. cap. 17. conclus. 3. Henriquez lib. 13. c. 39. nu. 3. & alii, in illos impetum facient, & eos insertiæ & erroris nomine accusabunt, quippe qui obterant & veluti pedibus conculcent sacrosanctos canones, quibus Clericis gestandæ tonsuræ & clericalis habitus præceptum sub anathematis interminatione indicitur.

Hæc omnia Conciliorum summorumque Pontificum decreta & Casuistarum hujusmodi decretis inhærentium sensa intelligenda sunt, (ut declarat Concilium Tridentinum in cit. sess. 14. de reformat. cap. 6.) de omnibus ecclesiasticis personis quantumcumque exemptis, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, quæ quidem personæ, si juxta proprii Episcopi ordinationem & mandatum, clericalem habitum & tonsuram clericalem (juxta cæterorum Conciliorum & Pontificum decreta) non tulerint, pœnis

canonicis in istis Concilii Tridentini & aliarum Synodorum canonibus expressis subjacere debeant. Revera si constitutiones Conciliorum, tam in hac materia quàm in aliis ad beneficia pertinentibus, vitidi observantia in Ecclesia Gallicana, quàqua patet, colerentur, non tot videremus homines, qui sic tamquam ignavi & inertes fuci ad ecclesiastica, ut ita dicam, pabula sedent, id est nihil se habere clericale significant, præterquam quòd Christi pauperumque patrimonium incredibili aviditate corripiunt & abliguriunt, seu in profanas epulas & libidines instigante sæculo, & hujus sæculi principe & tyranno conferunt. Nonnulli dicunt, faciliùs Clericos excusari posse ab peccato mortali, qui minores dumtaxat ordines susceperunt, nisi in casibus expressis ab Concilio Tridentino, id est eos non posse excusari à peccato mortali, si (ut ait ipsum Concilium Trident. loco suprà citato) dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint. Cæteri verò Clerici tonsuræ dumtaxat cæremoniâ initiati tenentur sub peccato lethali gerere & tonsuram & habitum clericalem juxta consuetudinem vel legem ex canone promulgatam ab Episcopo, in cujus diœcesi eorum quisque versabitur. Præterea si habitum deferre velit, potest cogi, ut habitum decentem & honestum, id est nihil ab tonsura, quâ est initiatus, abhorrentem deferat, ut patet ex cap. *Nullus*. 21. q. 2. Hac de re satis, jam ad tonsuram clericalem properandum est. Sit itaque

Quæstiuncula XVI.

Unde manaverit tonsura clericalis, & quid illius gestatio Clericos doceat.

Respondeo, hanc quæstionem ab Geofrido Abbate egregiè persolutam esse in Epist. ad Naitanum Pictorum Regem inscripta, cujus verba operæpretium est hic referre, ut referuntur ab Beda in Historia Anglicana cap. 22. Inter omnes, inquit, quas vel in Ecclesia vel in universo hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam nobis amplectendamque jure dixerim, eâ, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et paulò pòst. Neque verò ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est: sed quia Petrus in memoriam dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia quæ per mortem sui vivificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ crucis ejus, in fronte portare consuevit, ut crebro vexilli hujus munimine à malignorum spirituum defendatur incursibus, crebra hujus admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigere debere; ita etiam oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus se necesse habent pro domino continentiæ votis astringere.

Formam quoque coronæ, quam ipse in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret & auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre: ut se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant, ut coronam vitæ æternæ quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, proque hujus perceptione, & adversa se mundi & prospera contemnere designent. Hactenus Beda loco proximè citato.

Ex isto Venerabilis Bedæ loco tria colligimus, quorum

Primum est, Clericos ad recolendam dominicæ passionis memoriam in coronam attonderi cœpisse, quod quidem eamdem ob causam ab S. Petro factitatum esse, Authores locupletissimi prodiderunt. Nam in eo libro qui *Ordo Romanus* inscribitur, & est antiquissimus, legimus præfationem ad faciendum Clericum in hæc verba conceptam: *Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo, qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore & exemplo B. Petri Apostoli festinat, ut donet ei Spiritum sanctum*, &c. Quod & confirmat Amalarius Fortunatus Treverensis Episcopus lib. 4. de Ecclesiast. offic. cap. 39. in quo refert locum V. Bedæ à nobis paulò antè recitatum, & alterum ejusdem Bedæ profert locum ex vita sanctissimi Cutberti Episcopi excerptum: Postquam, inquit, servitutis Christi jugum tonsuræque Petri formam in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, Domino adjuvante susceperat. Id ipsum asserit Gregorius Turonensis cap. 8. libri de gloriâ martyr. Petrus Apostolus, inquit, ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit.

Id ipsum refert Rabanus Maurus lib. 1. de institut. Clericor. cap. 3. Alterum quod nos docet citatus V. Bedæ locus, est, quòd Clerici & Monachi debent suam carnem crucifigere cum vitiis & concupiscentiis. Quod rectè declarat B. Isidorus lib. 2. de offic. Ecclesiast. cap. 4. *Est autem in Clericis*, inquit, *tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostra quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus enitescamus, expoliantes nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum qui in agnitionem Dei renovatur. Quam in renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare.* Hæc ibi.

Tertia res quam dicimus ex citato Bedæ loco colligi, demonstrat, Clericos clericalem gestare coronam, ut se etiam irrisiones & opprobria pro Christo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant.

Revera apud plerasque gentes cùm homines ludibrio erant exponendi, tondebantur, radebantur, & id rasos & detonsos magno afficiebat probro. Unde Suetonius in Caio c. 35. Pulchros, inquit, & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Idem legere est apud Philostratum in vita Apollonii Tyanæi, quem Domitianus Imperator in carcerem conjectum ignominiæ causâ abraso capillo barbaque detonsa omnium ludibrio exposuit.

Quod & accidisse sancto Petro Germanus Episcopus Constantinopolitanus commemorat in Theoria rerum ecclesiasticarum: ibi quippe affirmat tonsuram clericalem institutam esse, ut imaginem referret venerandi Apostoli Petri, qui cùm missus esset ad prædicationem Domini & Magistri, ei tonsa est coma ab eis, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, &c.

Hoc ipsum confirmat quisquis est author Gemmæ animæ, lib. 1. de antiquo ritu Miss. cap. 195.

Præter has rationes, propter quas Clerici coronâ decorantur, afferuntur & aliæ, ut puta sacerdotium & regnum Ecclesiæ, quod peculiari quadam ratione proprium est Clericorum. Hanc rationem

nem affert Isidorus Hispalensis lib. 2. de Eccles. officiis cap. 4. *Quod verò detonso capite superiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari: thiara enim apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo auree est circuli, quæ Regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in cap. Clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine quod scriptum est Petro Apostolo perdocente: Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Hæc ibi.

Præterea gestant Clerici tonsuram clericalem seu coronam, ut meminerint se ad perfectiorem vitam per figuram circularem, quæ est perfectissima, obligari. Hac de re sic loquitur Author libri qui *anima Gemma* nominatur. *Rotunditas*, inquit, *qua remanet crinium, est ornatus virtutum. Capilli verò in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in charitatis concordia consummantur.* Hæc ille.

Huic loco addere possumus, coronam clericalem esse circularem, ad significandam charitatem quæ extra se non evagatur, sed semper ad circulum, id est ad perfectionem & statum, in quo vertitur & insistit, revertitur. Nam, ut ait S. Augustinus, *tunc est verè opus bonum, cùm à charitate jaculatur agentis intentio, & tamquam ad locum suum rediens rursus in charitate requiescit.* Ita charitatis circulum repræsentat ipse S. Aug. in libro singul. de catechizand. rudibus cap. 11.

Quæstiuncula XVII.

Utrum clericalis corona & vita in Nazaræis adumbrata fuerit.

RESPONDEO, reipsa Nazaræos in veteri Testamento coronæ & vitæ clericalis formam prætulisse. Nam

1°. Si Nazaræi juxta Hebraïci textus significationem dicti sunt, eo quòd peculiari quodam voto & sanctimoniæ professione ab communi vulgi vita essent separati: nonne Clerici clericalem tonsuram adepti, separati sunt ab communi fidelium vita, utpote qui majorem quàm cæteri fideles sanctimoniam profiteri debeant?

2°. Si Nazaræi à vino & sicera, id est Hebræo sermone, ab omni potione, quæ inebriare potest, severissimè abstinere jubebantur: nonne Clericis magna sobrietas, ne sibi & suo ordini dedecus & infamiam accersant, imperatur?

3°. Si Nazaræi tenebantur vitare legalem immunditiam, quæ contrahebatur ex funeribus, ut puta si essent in domo, in qua quis erat mortuus, vel si mortui cadaver, aut illius ossa, vel sepulchrum tangerent, vel si mortui funus comitarentur; si, inquam, Nazaræi hisce modis contaminabantur, & Nazaræatus denuo erat inchoandus: nonne Clerici quanta maxima circumspectione fugere debent opera mortua, id est profligati sæculi corruptelas? Nam licèt eos sæculi vitiis contaminatos & perditos clericali tonsurâ, vel alio ordine quem susceperint, denuo initiare, quod indicebatur Nazaræis, nec liceat, nec oporteat, coram Deo tamen & Angelis eraduntur è Clericorum albo, utpote quos immanissima supplicia cum desertoribus Angelis æternùm subeunda maneant.

4°. Denique si completo Nazaræatus tempore ipsorum Nazaræorum cæsaries resecta cremabatur igni in eum finem apparato: nonne Clerici divini amoris ardore ab Spiritu sancto in ipsorum cordibus accenso promissam longioremque comam in ipsa tonsuræ cæremonia resecari, & in circularem coronam attonderi & volunt & gestiunt? Unde hujus amoris sub finem cæremoniæ meminit Pontifex, cùm precatur Deum, ut tonsurâ initiati, qui comas capitum pro amore divino deposuerunt, in ejus dilectione perpetuò maneant.

Quæstiuncula XVIII.

Utrum Nazaræorum status usque ad Apostolorum tempora duraverit.

RESPONDEO, institutum Nazaræorum ab ipso Mosaicæ legis exordio usque ad Apostolorum tempora perstitisse: quia Moyses descripsit institutum eorumdem Nazaræorum, ut patet præsertim ex cap. 6. libri Numer. Et S. Paulus illud ipsum institutum amplexus legitur, ut patet ex cap. 18. v. 18. ubi dicitur de ipso, quòd sibi totonderat comam: habebat enim votum, Nazaræatus scilicet, quod conceperat, ut Nazaræorum in morem abstineret à vino, & comam aleret non toto vitæ curriculo, sed ad certum tempus, quod ipse sibi præfinierat. Et hoc votum nuncupaverat Apostolus consilio & hortamento S. Jacobi, à quo perpulsus fuerat ad nuncupandum votum Nazaræatus, cujus terminus & consummatio erat sanctificatio, id est comæ in circulum seu rotunditatem attonsio, lustratio, & sacrificii oblatio, juxtà legem Num. 6. v. 13. & seqq. ne sparsi ab Judæo-Christianis rumores, quibus accusabatur Apostolus de abrogata & abroganda Moysis lege, increbrescerent, & apud multos posthac nihil eidem Apostolo credituros pronis exciperentur auribus, & tamquam certi & indubitati passim haberentur & invalescerent. Et hæc vera est ratio, propter quam Apostolus Nazaræatus votum emiserat, ut constat ex Act. cap. 21. v. 21. & seqq.

Porrò Nazaræi singulari pietatis professione, eaque publica, adumbravere novi Testamenti Clericos per abstinentiam ab vino & ab sicera, id est ab quibuslibet poculentis, quæ ebrietatem inferre, & mentem de suo gradu dejicere possunt, & denique per attonsam in circulum comam, ut ex ista Nazaræorum disciplina discerent nostri Clerici, spirituale, quod per coronam significatur, non tamen per illam efficitur, esse mentis subvectionem ad cælestia seriis & crebris meditationibus animo pertractanda, & regustanda; atque adeo dicta corona declarat, abjicienda esse quæcumque sunt in rebus humanis superflua, (non autem omnia temporalia, id est necessaria hujus vitæ sustentandæ & prorogandæ subsidia) ut præfati Clerici separati Nazaræorum ad instar, ab communi fidelium vita, & ab anxia illa rerum mundanarum sollicitudine absoluti, profiterentur, non solùm sanctiorem vitam, sed etiam reapse agerent, & omnibus Christianis Catholicis facem ad universa religionis & æquitatis officia præferrent.

Et de his hactenus. Jam propertandum esset ad minores ordines, nisi aliquid de vocationis non tam necessitate, (quam alibi probavimus) quàm de ejus indiciis, & de spiritu ecclesiastico præmittere oporteret. Sit itaque



Quæstiuncula XIX.

Quomodo dijudicari potest, utrum aliquis ad ordines, & præsertim ad sacerdotium, à Deo sit vocatus.

Quamquam ægrè admodum divina ad aliquem statum vocatio in hujus vitæ tenebris internosci valeat, nonnulla tamen nobis suppetunt indicia, quibus & deprehendi aliquatenus & excoli potest.

1°. Videri potest adolescentulus divinitus ad capessendos ordines vocatus, si ab rebus sæculi, & ab hujus mundi sectatoribus & amicis sese sponte & ultro sejungat & abstrahat.

2°. Si non ad vitam privatam secum ipso & otiosè traducendam, (quod ab superbis pariter & melancholicis factitari solet) sed ad majus & ferventius obsequium Deo præstandum, & ipsimet Deo sese religiosiùs dedicandum, secessus & devotæ solitudinis amore teneatur.

3°. Si orationis studio afficiatur, ut ejus adminiculo divinam voluntatem explorare & ejus adimplendæ vires comparare possit. Si enim orationem sustuleris, nihil impetrari, nihil sperari poteft. Illius autem beneficio nihil non obtinere, & ad summum perfectionis fastigium pertingere possumus.

4°. Si præcipua apud illum excubabit cura, ut in dies conscientiæ puritatem & sanctimoniam singulari circumspectione retineat, & in dies nova integritatis accessione amplificare studeat. Quisquis enim hac in parte sese tepidum & segnem præbuerit, sese ab infirmitatis humanæ vitiis vix, at ne vix quidem extricare, nedum assurgere poterit ad eum animi vigorem, sine quo ecclesiastica munia (sicut oportet) exerceri nequeunt.

5°. Si polleat inconcussa illa fortitudine & experrecto vigore, quo exorbeat omnem sollicitudinem & omnes difficultates, quæ passim in ipso Dei obsequio & Ecclesiæ ministerio occursant & recusant: ita ut omnia Dei & proximi causâ exequi & perpeti statutum atque decretum habeat, nec ulla re quantumvis difficili & arduâ ab proposito deterreatur. Id enim utraque, carnis scilicet & spiritus, prudentia, longè tamen discrepanti proposito exigit, ut nemo quicquam grave, & vel in suam utilitatem vel perniciem exiturum aggrediatur, quin priùs accuratè suas vires & omnia vel ad destinatum finem conducentia, vel illius assecutionem impedientia ipse secum expenderit. Si enim sese haberet aliter, in facetosam hominum dicacitatem proculdubio incurreret: haud secus quàm ille, quem Evangelium commemorat ab aliis illusum fuisse eo nomine, quòd non computato sumptu cœperit ædificare, nec consummare potuerit. Quod sanè tale malum est, & tam latè longeque grassatum, ut plurimis sit deplorandum lachrymis, & (ô nos miseros) tamen infixum animo dolorem hærere oporteat. Quot enim videre est Sacerdotes degeneres & mercenarios, quos non divina charitas ad capessendum sacerdotium impulit, sed sacrilega divitiarum cupiditas & avaritia protrusit. Nam ejusmodi homines acceptione personarum vel spe pecuniarum excæcati indignos passim ad reconciliationis gratiam admittunt, atque ita Filium Dei conculcandum, & sanguinem testamenti polluendum per sacramenta temere & perperam administrata, porrigunt, & spiritum gratiæ contumeliâ quantâ maximâ afficiunt & dedecorant. Quia videlicet hujusmodi homines, nec coram Deo, nec coram hominibus cordatis & eruditis & piis explorare voluerunt, utrum essent iis ornati dotibus, quas ardua & formidanda evangelici sacerdotii munia exigunt.

6°. In adolescentulis possunt præter jam memorata divinæ vocationis indicia, alia deprehendi, si nimirum habeant docilitatem, id est viros probitate & doctrinâ præditos attentè & libenter audiant, eosque (si non suppetunt) perquirant, ad illos adeant, & inprimis confugiant ad Episcopum in episcopalibus officiis castè & integrè versatum, & illi omnes animi latebras & recessus & affectus aperiat, & speret suam illam demissionem & obedientiam in præparatione animi Episcopo velut Apostolorum successori exhibendam, divinâ gratiâ & misericordiâ cumulatum iri. Sic enim exercebit quod olim fieri solebat erga victimas, quarum viscera inspiciebantur, antequam altari imponerentur.

Quæstiuncula XX.

Utrum ad suscipiendos ordines sacros aliquæ dotes à natura insitæ requirantur.

Respondeo, requiri ad sacros ordines suscipiendos quasdam corporis & animæ dotes homini ad sacros ordines provehendo, à natura insitas. 1°. Requiritur, ut in tali viro sit tolerabilis quædam oris species & elegantia, id est ab ejus vultu & toto corpore absit deformitas, quæ vel horrorem incutiat, vel personam in contemptum pertrahat.

Præterea ut nulla conflictetur infirmitate, quâ decorum & gravitas in ordinum officiis retinenda, infuscari violarique videatur.

Animi dotes ad ordines capessendos sunt bona ratio, mens sana, ab levitate & instabilitate dissita, & tale indolis temperamentum, quod nec ingenium tristius nec melancholicum plus æquo redoleat.

Ab ordinando denique exigitur, ut ad scientias comparandas aliquam facultatem & aditum habeat.

Quæstiuncula XXI.

Quis sit spiritus ecclesiasticus, & qua in re positus habeatur.

Respondeo, spiritum ecclesiasticum nihil esse aliud, quàm plenitudinem Spiritûs sancti sese uberiùs & liberaliùs in Ecclesiasticorum (juxta eorum gradus & officia) animos, quàm in fidelium corda effundentis.

Respondeo 2°. eam Spiritus sancti plenitudinem, cujus redundantiâ Clerici cæteros fideles supereminere debent, in ardenti erga Deum & proximum charitate positam esse. Hisce coloribus eam Spiritus sancti plenitudinem, id est spiritum ecclesiasticum, Christus repræsentat, cùm interrogat sanctum Petrum, quem ad Ecclesiæ suæ regimen veluti principem Apostolorum, peculiari quopiam modo & privilegio admovere decreverat: implicita nimirum interrogatione sciscitatur ab eo, utrum seipsum diligat, & cæteris Apostolis in eo amoris ardore anteecellat? *Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce oves meas.* Quibus verbis testificatur est Christus, in primo suarum ovium pastore cæteros omnes Sacerdotes & Clericos in Apostolorum collegio repræsentante, ecclesiasticum spiritum consistere potissimùm in charitate, *quæ diffunditur*

in cordibus nostris non per liberum arbitrium quod est in nobis, *sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et ideo declarat se ipsam illam charitatem exigere ab iis, qui ad Clericos aggregari cupierint, & se illis quos ad eum statum vocaverit, ipsam impertiri, passim sacris in Litteris contestatur. Unde officia & onera ecclesiastica vocantur ab sanctis Patribus officia charitatis, id est testificationes & professiones charitatis, non qualiscumque, sed illius eximiæ charitatis, quæ communem fidelium charitatem supereminet.

Hanc charitatem comitantur dona Clericis necessaria, quæ Deus liberaliter per istius charitatis impressionem communicat iis, quos ad Ecclesiæ suæ ministerium advocat. Præfata enim charitas nihil est aliud quoad principium, quàm ipse Spiritus sanctus, qui est spiritus sapientiæ, fortitudinis, prudentiæ, intelligentiæ, cæterorumque donorum, quibus afficit veros Clericos, quorum corda sibi dedicavit juxta ministerium, cui ab ipsomet sunt mancipati; quamquam semper ad ipsa comparanda & augenda incumbere teneantur, ut sint ejusdem Spiritus sancti cooperatores, & divino ejus auxilio digni, hac in parte Apostolos potissimùm imitati, qui assiduam & labori & orationi dabant operam, tametsi & toties, & tam insignem & mirabilem in modum divino illo spiritu essent locupletati.

Multa hîc dictæ charitatis indicia recenseri possunt; at unum cætera omnia complectitur & exuperat: & dicitur rerum omnium humanarum abdicatio, quâ Deus omnibus creaturis anteponitur, & unus in omnibus & super omnia diligitur & quæritur, in eo quippe tota spes hominum divina illa & eximiâ charitate flagrantium defigitur & acquiescit: ita tamen ut Clerici dictam charitatem spiritum ecclesiasticum constituentem pro dignitate graduum & ordinum, ad quos provehuntur, quotidianis incrementis augeant.

Quæstiuncula XXII.

Quibus mediis & adjumentis spiritus ecclesiasticus obtineri & comparari valeat.

Respondeo, tria potissimùm recenseri adjumenta, quibus spiritus ecclesiasticus obtineri & comparari queat.

Primum est abdicatio spiritûs hujusce sæculi, quod triplici concupiscentia desciscit ab Spiritu sancto, & ab charitate Dei, quæ per illum in cordibus hominum diffunditur.

Nemo ergo ad ecclesiasticum spiritum pertingere poterit, quin priùs concupiscentiam carnis, id est mundanarum voluptatum desideria, ex primi peccati teterrimo fonte passim prosilientia, & concupiscentiam oculorum, id est vel spectaculi cupiditatem vel avaritiam, ipsam denique superbiam, ex qua velut ex nefaria radice cuncta erumpunt flagitia, suo ex animo per victricem Christi gratiam excitato strenuè revulserit.

Secundum ecclesiastici spiritus obtinendi adjumentum, est oratio, per quam impetratur quicquid pertinet ad necessitatem salutis, si petitur & expetitur in nomine Salvatoris: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur: si nimirum oratio cum altissima humilitate, cum ardenti desiderio & charitate & insigni perseverantia conjuncta fuerit. Tali enim oratione flectitur Pater noster de cælo, & *dat spiritum bonum petentibus se,* Luc. cap. 11. v. 13.

Hîc tamen observandum, non esse petendum ab ipso Deo spiritum ecclesiasticum, quin ipsum nobis ab ipso concedendum esse resciamus: quod quidem rescire possumus, si per aliquot indicia nos divinitus ad Ecclesiæ ministerium vocatos esse noverimus, quod non à nobis, & secundùm nostra sensa, sed ab Episcopis & directoribus (qui de nobis juxta Dei & Ecclesiæ regulas consideratis sententiam tulerint) dijudicari necesse est. Cùm ergo moralis nostræ vocationis ad Ecclesiæ ministerium certitudo per ipsos Dei ministros nobis significata fuerit, & de ipsa nostra vocatione (quantum per hujus vitæ caliginem licet) certiores facti fuerimus, ab præpotente Deo spiritum ecclesiasticum & gratiam, quâ ipsius vocationi respondeamus, pari ad humilitatem ardore flagitare possumus, & debemus; & præterea nihil non precibus & operibus moliri, quo talem tantamque gratiam impetrare & assiduis incrementis adaugere studeamus.

Tertium adjumentum ad spiritus ecclesiastici acquisitionem idoneum est bonorum & probitatis laude florentium Clericorum familiaritas & consuetudo, quâ si quis rectè & sicut oportet, utatur, maximam ex ea proculdubio utilitatem reportabit; secus si tali familiaritate popularem auram aucupari, & probitatis famam colligere velit, sibi & infamiam & damnationem accerset. Id ita scribimus, quia complures Clericos novimus, qui vel lucri cupiditate, vel humanæ laudis aviditate (quæ boni naturam fallaciter imitando adulterat) versabantur cum hominibus singulari pietate & eruditione celeberrimis, ut sua vitia hujusmodi hominum familiaritate & consuetudine obumbrarent; atque ita ad honores vel ecclesiasticos vel civiles obreperent. Sed hujusmodi hominum simulatio cadit in irritum: nam seriùs ocyùs venenum quod in eorum cordibus ab hominum oculis oblitescit, erumpit, & improbitatem quâ bonos in errorem inducere conabantur, in propatulo collocat.

Hujus rei argumentum & illud apprimè formidandum suppeditat, qui cùm Christi Domini Apostolis esset ascriptus, & quotidiano ejus colloquio poteretur, sese tamen in æterna inferorum supplicia properatâ desperatione conjecit, utpote qui insatiabili, licèt latitante, avaritiâ laboraret.

Quisquis ergo ad spiritum ecclesiasticum pertingere voluerit, sese in optimorum Sacerdotum, id est divina charitate flagrantium, consuetudinem immergat, eorum virtutes & exempla meditetur, & suum in animum imprimat, & in omni actione imitetur & referat.

De spiritu ecclesiastico satis. Jam antequam ad singulos ordines deveniamus, operæpretium est indagare, utrum singuli ordines sint sacramenta, atque adeo ordinis sacramentum plura sacramenta ad unius sacramenti constitutionem collineantia contineat. Sit itaque

---

Quæstiuncula XXIII.

Utrum septem ordines, tam minores scilicet, quàm majores, septem sacramenta constituant.

Quamquam Theologi multùm ab invicem dissideant hac in parte, probabilior tamen sententia est eorum qui asserunt septem ordines esse vera sacramenta. Ita Sentit Magister in 4. Sent. dist. 24. litt. K. *Dicuntur*, inquit, *hi ordines* (septem scilicet, quos in hac ipsa distinctione enumerat) *sacramenta: quia in eorum perceptione res sacra* (id est gratia) *confertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur.* Hæc ille.

Magistri doctrinam amplexus est S. Thomas, & plerique veteres Scholastici. S. Thomam in ca

fuisse sententia, constat ex quæst. 37. in Supplem. 3. partis art. 2. ad 1. ubi sic loquitur : Ordines, inquit, habent, quòd sint sacramenta ex relatione ad maximum sacramentorum; (Eucharistiam scilicet) & ideo secundùm hoc debet numerus ordinum accipi. Hæc ibi. Id ipsum constat ex ejusdem Supplem. q. 35. art. 2. in corp. ubi ait, in singulis ordinibus imprimi characterem : Quia, inquit, per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem. Unde cùm character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quòd in omnibus imprimatur character : cujus etiam signum est, quòd perpetuò manet, & numquam iterantur. Et hæc est tertia opinio, quæ communior est. Hactenus S. Thomas.

In ea etiam extitere sententia S. Bonaventura, Scotus, Richardus, & alii.

Concilium Florentinum eamdem propugnat sententiam, quippe quòd minoribus ordinibus tribuat materiam, cujus traditione conferantur : quod quidem eos vera esse sacramenta probat eo nomine, quòd cæterorum ad instar sacramentorum per certæ & singulis propriæ materiæ traditionem cum propria singulis forma conferantur.

Concilium Tridentinum sess. 23. can. 2. & 3. id ipsum indicat, cùm in 2. declarat esse in Ecclesia præter sacerdotium minores & majores ordines, quasi diceret non tantùm sacerdotium esse sacramentum, sed etiam alios ordines esse vera sacramenta. Quod & confirmari potest ex can. 3. jam cit. in quo definit dictum Concilium ordinem seu sacram ordinationem esse verè ac propriè sacramentum. Unde colligitur minores ordines esse veri nominis sacramenta, cùm ad illos etiam sacra ordinatio pertineat. Ubique enim ordinationis nomen usurpatur, sive de Subdiaconis, sive de Diaconis & Presbyteris instituendis agatur. Hanc ob rem Concilium Carthaginense IV. præscribit quomodo singuli, id est Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, &c. ordinari debeant. Cùm autem de sanctimonialibus, viduis, & aliis id genus, qui se divino obsequio per solemnem consecrationem dedicabant, non jam utitur ordinationis vocabulo, ut ostendat hanc vocem (ordinatio) esse propriam ordinibus tam majoribus quàm minoribus, quos & ipsa Concilia inter vera sacramenta recensuerunt, (ut per legitimam ratiocinationem colligere est) ut quotquot hujusmodi ordines suscipere vellent, ad eorum velut ad sacramentorum perceptionem per sacramentalem confessionem, (si eos peccati lethalis conscientia stimularet) & per alia pietatis opera sese religiosissimè compararent.

His ita prælibatis, nunc agendum est de minoribus ordinibus, id est de Ostiario, Lectore, Exorcista, & Acolytho. Sit itaque

Quæstiuncula XXIV.

Quid sit Ostiarii ordo, & qua sit ejus materia & forma.

Respondeo, Ostiarii ordinem seu ordinationem illam esse, per quam Ecclesiæ fores dignis aperiendi, & indignis occludendi potestas confertur & recipitur.

Respondeo 2°. materiam hujus ordinis remotam esse claves Ecclesiæ; proximam verò esse hujusmodi clavium traditionem ab Episcopo factam, sicut in baptismo materia remota est aqua, proxima verò ablutio. Forma verò sunt ipsa ordinantis Episcopi verba, quæ leguntur in Pontificali Romano, & quæ proferuntur ab ipso Episcopo, eo ipso tempore, quo tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successivè manu dextera tangunt : *Sic agite*, inquit Episcopus, *quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Hæc est ordinationis Ostiarii forma.

Quæstiuncula XXV.

Quænam sunt præcipua Ostiariorum officia.

Respondeo, hujusmodi officia Ostiariis ab Episcopo ante clavium traditionem significari. Nam

1°. Ostiarium oportet percutere cymbalum & campanam.

2°. Aperire Ecclesiam & sacrarium.

3°. Librum aperire ei, qui prædicat.

4°. Providere ne per negligentiam suam illarum rerum quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat.

5°. Id Ostiariis futuris injungebatur, ut certis horis domum Dei aperirent fidelibus, & semper clauderent infidelibus.

6°. Ostiarii ordinandi jubebantur studere, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperirent, & clauderent, sic & invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis & exemplis suis clauderent Diabolo, & aperirent Deo : ut divina verba, quæ audiissent, corde retinerent, & opere complerent.

Quanta sit Ostiariorum dignitas, patet ex eo, quòd ipsis injungitur, ut quemadmodum materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperiunt, sic & invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis & exemplis suis claudant Diabolo, & aperiant Deo.

Per hoc enim munus & officium comparantur Christo Domino, & assumuntur ab Ecclesia ad participationem potestatis, quâ ipse Christus claudit & aperit; ipse nimirum est *sanctus & verus qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, ut denuntiatur Angelo Philadelphiæ.* Apoc. cap. 3. v. 7.

Quem locum insigniter interpretatur Richardus sancti Victoris : *Aperit*, inquit, *& nemo claudit; claudit, & nemo aperit: id est aperit corda ad intelligentiam fidei, aperit ora ad prædicationem verbi: aperit affectum ad dilectionem, aperit linguas doctorum ad prædicationem seu ad docendum : aperit corda populorum ad credendum, & quantum quæ electis aperit, reprobis claudit. Rectè dicitur, claudit, & nemo aperit : quòd autem ipso aperiente nemo possit claudere, testantur Apostoli, Act. cap. 4.* Non possumus, *inquiunt*, quæ vidimus & audivimus, non loqui. *Ipso verò claudente reprobis ea quæ recta sunt, exigentibus peccatis suis, nemo potest aperire, quia nemo potest corrigere quem ille despexerit.*

Et paulò post id, Richardus sic explicat ea verba ejusdem cap. Apocalyps. *Dedi coram te ostium apertum.* Sic loquitur : *Aperiam tibi intellectum ad Scripturarum cognitionem, os ad earum prædicationem, corda audientium ad fidei susceptionem.* Hæc ibi.

Ita Ostiarii Ecclesiæ januam reserant bonis, & claudunt reprobis, & ipsam Ecclesiæ januam quam reserant bonis, nemo claudere valet, sicut nemo sanæ mentis & fidei eamdem Ecclesiæ januam improbis ab Ostiariis interclusam aperire potest.

Quidquod Spiritus sanctus in Scripturis, nempe Joann. cap. 10. Ostiarius appellatur secundùm Joannis Chrysostomi explicationem, eo quòd per ejus gratiam pastoribus & ovibus Ecclesiæ janua

aperiatur & pareat. Et præterea pastorum pariter & ovium ipse ille spiritus aperiat corda, ut omnes tam pastores quàm oves intelligant, & submissa mente recipiant verbum Dei; illi quidem ut illud annuntient, oves verò seu fideles populi illud ipsum clementer audiant, & bono corde retineant, & piis operibus adimpleant.

Ex his colligere est, Ostiarios posse jure ac meritò appellari Christi Domini & Spiritus sancti cooperatores, dum invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis & exemplis suis claudunt Diabolo, & aperiunt Deo. Quod quidem ipsis ab Episcopo indicitur.

Hæc sunt præcipua munia imposita Ostiariis, qui & intererant tremendo Missæ sacrificio, curaturi ne quis propiùs quàm par esset, accederet ad aram, & Sacerdoti divinis mysteriis operanti molestiam distractionemque facesseret. Hujus ordinis officium præmonstravit Christus in seipso, cùm vendentes & ementes ejecit è templo.

Magnam autem in antiqua Ecclesia hujus ordinis (ostiariatus) dignitatem fuisse, ex eo intelligitur (ait Catechismus Romanus) quod his temporibus in Ecclesia servari animadvertimus. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiamnunc habetur. Quibus in verbis Catechismi Romani observandum est, Ostiarium præter cætera officia quæ recensuimus, interdum exercuisse Thesaurarii officium, non tamen velut Ostiarium, sed ut Diaconum vel Archidiaconum, cujus præcipuum munus in eo positum erat, ut fidelium oblationes in quatuor partes ab Episcopo dividendas & distribuendas asservaret. Quod officium Romæ ab S. Laurentio præstitum esse legimus.

Quæstiuncula XXVI.

Quanam sit materia & forma ordinis, qui lectoratus dicitur.

Respondeo, hujus ordinis materiam esse codicem sacrarum Litterarum, è quo lecturi sunt qui ordinantur, & quem eis tradit Pontifex, quem manu dextera tangunt. Forma autem ejusdem ordinis posita est in his quæ proferuntur ab Episcopo verbis: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Quæstiuncula XXVII.

Utrum Lectores quas legebant Scripturas, olim interpretarentur in conventu fidelium.

Respondeo, olim Lectoribus per legitimam ordinationem factam fuisse potestatem legendi sacras Scripturas coram populo: ita tamen ut easdem Scripturas vel Episcopus vel alter quispiam secundi ordinis Sacerdos interpretaretur, & populo fideli recondita in eis mysteria reseraret.

Præterea ipsi Lectores vi suæ ordinationis elatâ, & perspicuâ voce legebant Lectiones & Prophetias, quæ ut olim, etiam matutinas inter horas, & inter tremenda mysteria decantantur.

Priscis temporibus totâ Lectorum functio in præfata Scripturarum lectione posita erat. Nam instructio & Scripturarum explanatio ita pertinebat ad Episcopum, ut illius factitandæ facultas concederetur unis dumtaxat Presbyteris, & Diaconis in peculiaribus Ecclesiis, quarum regimen ipsis demandatum fuerat.

Quæstiuncula XXVIII.

Utrum Lectoribus juniores primis fidei elementis imbuere liceret.

Respondeo, hoc licitum fuisse Lectoribus. Poterant enim simplices & rudes docere distinctam & devotam Orationis dominicæ & apostolici Symboli recitationem, & Dei & Ecclesiæ præcepta; insuper & fidem in sanctam Trinitatem, & in Trinitate Dei unitatem, & fidem in Christum Jesum, secundam scilicet adorandæ Trinitatis personam, quæ nostram per incarnationis mysterium naturam, id est corpus & animam humanam assumpsit in unitate personæ; & alia id genus rudibus & imperitis tradere & inculcare poterant.

Quæstiuncula XXIX.

Quid potissimùm Lectoribus commendat Episcopus.

Antequam Episcopus codicem sacrum ordinandis dextera manu tangendum porrigat, & antequam super singulos proferat hanc formam: *Accipe, & esto Dei verbi relator, &c.* eos admonet, ut studeant verba Dei, videlicet lectiones sacras, distinctè & apertè ad intelligentiam & ad ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre.

Admonet præterea, ut quod ore legunt, corde teneant, & opere compleant, & dum inter legendum stant in edito loco, meminerint se in alto virtutum gradu debere conversari.

Hoc Lectoris officium exercuit Christus, cùm, ut narratur Luc. cap. 4. legit in synagoga istum Isaïæ locum: *Spiritus Domini super me, &c.*

Quæstiuncula XXX.

Quanam sit præcipua Lectorum occupatio, & utrum hujus ordinis antiquitas probari possit.

Respondeo 1°. præcipuam Lectorum curam & virtutem consistere in assidua Scripturarum meditatione, ut cùm eas degustaverint, earumque suavitate deliniti fuerint, earumdem gustum & saporem populi hoc pacto ad Christianam pietatem incitandi animis imprimant. Nam qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientiâ debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Audientium & cordi debet consulere vox Lectoris, ut ait Magister in 4. dist. 24. litt. D.

Respondeo 2°. hujus ordinis antiquitatem ex can. 27. 43. & 68. Apostolorum probari posse; ex S. Cypriano Epist. 33. ex Concilio Laodiceno cap. 23. ex VI. Synodo generali can. 6. ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 8. ex S. Isidoro lib. 7. Etymolog. cap. 12. & lib. 2. de offic. ecclesiast. cap. 3. De his satis. Jam ad Exorcistatum ordinem properandum est. Sit ergo



Quæstiuncula XXXI.

Quomodo definiatur Exorcistarum ordo, & quæ sit ejus materia & forma.

Respondeo, ordinem Exorcistarum seu adjutantium definiri, ordinem, per quem invocato Dei vivi & veri nomine dæmones ex energumenorum corporibus ejiciendi facultas confertur.

Per hunc ordinem conceditur quidem facultas imponendi manus super energumenos, & eos ab possessione dæmonum per exorcismos & invocationem Dei nostri asserere, non autem baptizandis exorcismos adhibere. Hujusmodi enim exorcismi ad baptismi cæremonias pertinent, atque adeo Sacerdotum, non Exorcistarum officio comprehenduntur.

Quod spectat ad hujus ordinis materiam & formam, dicimus, materiam istius ordinis esse librum in quo scripti sunt exorcismi, vel ejus loco Pontificale seu Missale quod ordinandi manu dextera tangunt. Forma his verbis Episcopi continetur: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

Quæstiuncula XXXII.

Quid præsertim Episcopus Exorcistis injungit.

Respondeo, Episcopum illis præsertim commendare summam cordis puritatem. Sic enim eos affatur: *Studete*, inquit, *ut sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare.*

Quæstsuncula XXXIII.

An rectè ageret Episcopus vel Parochus, qui junioris Exorcistæ operâ ad ejiciendos Dæmones uteretur.

Respondeo, id optimum fore, & ad majorem verecundiam & confusionem Dæmonis, qui superbissimus est, & super omnes filios superbiæ dominatur, aptissimum. Reipsa accepimus ab viro pari ad pietatem eruditione prædito, satius esse energumenis exorcismos adhiberi ab adolescentulo Exorcista, coram uno vel altero Sacerdote, quàm coram frequenti populo: quia coram celebri cœtu triumphat Dæmon, quòd tot spectatores & suorum mendaciorum auditores habeat; triumphat, inquam, sic tamquam de Christo, quòd ipso regnante adhuc habeat homines, in quos sævitiam suam exercere possit, tametsi in ipsum sævire nequeat. Ex adverso autem incredibili verecundia & furore percellitur, cùm ab adolescentulo nihil aliud præter exorcismorum verba proferente ex possessis energumenorum corporibus erumpere cogitur.



Quæstiuncula XXXIV.

Quomodo definiatur Acolythorum ordo, & quænam sit ejus materia & forma.

Respondeo, Acolythorum ordinem ita definiri oportere. Acolythorum ordo ille est, per quem confertur gratia, & traditur potestas deferendi accensos cereos, cùm Missæ sacrificium celebratur; præcipuè verò cùm Evangelium legitur: & ideo ab Latinis Acolythi Ceroferarii dicuntur. Præterea iisdem conceditur facultas parandi vinum & aquam in urceolis ad peragendum sacrificium, quod ut rite fiat, hoc etiam eorumdem Acolythorum munus est ministris majoribus, Subdiaconis & Diaconis in altaris ministerio famulari, & eos assectari; & propterea Acolythi ab Græcis sunt appellati. Acolythos autem fuisse ordinatos olim, ut nunc, testatur Concilium Laodicenum cap. 20. Concilium Romanum sub Sylvestro cap. 4. & Isidorus Hispalensis lib. 7. Etymolog. cap. 12.

Quod spectat ad materiam & formam hujus ordinis, communis opinio est, dictæ ordinationis materiam esse porrectionem tam candelabri cum cereo, quàm præcipuè urceoli vacui. Utramque materiam, candelabrum scilicet & urceolum vacuum, tangunt singuli qui ordinantur. Forma autem constituitur per Episcopi verba: *Accipite*, inquit, (dum ab singulis tangitur candelabrum) *ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Amen.*

Cùm autem Episcopus tradit eis urceolum vacuum, dicit communiter omnibus: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. Amen.* Ex dictis patet, hujus ordinis duplicem esse materiam, sicut & duplicem formam.

Quæstiuncula XXXV.

Quid potissimùm Acolythis commendat Episcopus.

Eos his Apostoli verbis hortatur ad virtutem: *Ut filii lucis ambulate*, inquit. Quæ sit verò ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat subdens: *Fructus enim lucis est in omni justitia, bonitate, & veritate, ut & vos & alios & Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio dignè vinum suggeretis & aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam & bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.*

Quæstiuncula XXXVI.

Unde peti debeat minorum ordinum dignitas, quæ vel nulla est, vel exigua, cùm hujusmodi ordinum functiones passim ab laicis exerceantur, & in Ecclesia perierint.

Respondeo, minorum ordinum dignitatem ex multis capitibus proficisci.

1°. Magna est dignitas talium ordinum, eo nomine quòd ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter sint recepti & factitati, & eos ideo sancta Synodus Tridentina in usum revocandos esse decreverit. Sic enim loquitur sess. 23. cap. 17. de reformatione: Ut sanctorum ordinum, inquit, à diaconatu ad ostia- «

» riatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tamquam otiosæ, traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria, non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur. Hactenus Concilium loco citato.

Quod ut religiosè præstetur, decernit idem Concilium cit. sess. 23. cap. 5. de reformat. ut ad minores ordines promovendi bonum à Parocho & à Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.

2°. Quatuor minorum ordinum & subdiaconatus (qui annumeratur inter sacros ordines, de quibus verba facit dictum Concilium cap. 17. de reformat. suprà cit.) dignitas & amplitudo pendet ex eo, quòd & præfati minores ordines & subdiaconatus sint vera sacramenta, ut suprà probavimus. Tametsi enim minorum ordinum, ostiariatus videlicet & cæterorum officia, ab laïcis exerceri possint, & reipsa exerceantur, non tamen ipsis propterea sacramenti dignitas adimitur. Neque enim necesse est omnia quæ sunt in sacramentis à Christo instituta, ab ordinatis exerceri. Siquidem ipse Christus Apostolos & Sacerdotes ordinarios sui baptismi ministros instituit, & tamen ipse ille baptismus non desinit esse sacramentum, si ab laïcis in debita materia & forma conferatur.

Quis igitur eò temeritatis progredi audeat, ut & minores ordines & subdiaconatum, quorum institutio ipsis Apostolis ascribitur, & inter sacramenta annumerantur, parvipendendos asserat. Si quis dicat præfatorum ordinum munia in Ecclesia penitus defecisse, de falsitate revinci poterit ex eo, quòd hujusmodi munia & officia semper exerceantur in Ecclesia Dei. Licèt enim plerique omnes Clerici celerrimè transeant, imò sese protrudant ad sacerdotium, nec in minoribus ordinibus, & eorum officiis hæreant, sicut priscis temporibus in iisdem officiis obeundis constituto tempore hærere consueverant; minorum tamen Clericorum, Ostiariorum scilicet & cæterorum officia ab Sacerdotibus sactitantur. Nam Scripturas & explicant, & energumenis exorcismos adhibent, &c. Præterea in plerisque Cathedralibus dicta officia per ordinatos exercentur.

Huc accedit, quòd Concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. 11. de minoribus ordinibus conferendis & exercendis sic loquitur: Minores ordines, inquit, iis qui saltem Latinam linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eò accuratiùs quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea, cui ascripti erunt, Ecclesia. Hæc ibi.

Quæstiuncula XXXVII.

Utrum minorum ordinum & subdiaconatûs institutio apostolica & divina possit appellari.

Respondeo, hujusmodi ordinum, de quibus hic fit mentio, institutionem posse Apostolis & ipsi Deo acceptam referri, & ideo apostolicam & divinam posse jure ac meritò denominari, si nimirum spectentur in radice seu fonte suo, id est in diaconatu, quem ab Apostolis institutum sacræ Litteræ prædicant. Nam ipse diaconatus non solùm eminenter, sed etiam formaliter continet universos ordines inferiores, quos Ecclesia augescente fidelium numero ex ipso diaconatûs fonte in plures rivulos, seu in plures personas, concessâ ipsi divinitus authoritate derivavit, cùm in ipso ejusdem Ecclesiæ exordio omnibus præfatorum ordinum ministeriis tam propter ministrantium, quàm fidelium paucitatem Diaconi fungerentur.

Hanc rem insigniter explicat S. Bonaventura in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd falsum est*, (solos ordines sacros fuisse in primitiva Ecclesia) *imò & alii fuerunt, sed impliciti dabantur in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum. Ratio autem quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium, & propter paucitatem fidelium; ideo oportebat quòd omnia officia darentur uni, &c.*

Idem docet S. Thomas in 4. ad eamd. distinct. q. 2. a. 1. in sol. quæst. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionysium 3. cap. Ecclesiast. Hierarch. ubi dicit: Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud proprii ordinis operantur; alii cum Sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem & benedictionis calicem: nihilominus erant omnes prædicta potestates, sed implicitè in una Diaconi potestate: & postea ampliatus est divinus cultus, & Ecclesia quod implicitè habebat in uno ordine, explicitè tradidit in diversis: & secundùm hoc dicit Magister in littera, quòd Ecclesia alios ordines instituit.* Hactenus S. Thomas, qui ait Magistrum asserere, Ecclesiam alios ordines instituisse, id est ostiariatum, & alios ordines minores, & subdiaconatum, eo nomine, quòd ex diaconatu divinitus instituto, & in ipso Ecclesiæ initio propter paucitatem & ministrorum & fidelium omnibus præfatorum ordinum officiis occupato, eosdem ordines eruerit, & plures in ministros partita fuerit. Docet idem S. Thomas ibidem ad 1. Cùm enim dixit Dionysium secundùm tres actiones hierarchicas, id est purgationem, illustrationem, & perfectionem distinguere trium ordinum homines, Episcoporum scilicet, penes quem sunt tres illæ actiones hierarchicæ; & Sacerdotem, ad quem duæ actiones hierarchicæ pertinent, purgatio scilicet & illustratio; Diaconum denique qui factitandæ purgationi dumtaxat destinatur; ait Diaconum dici ministrum, & sub hoc omnes inferiores ordines comprehendi.

Possunt igitur subdiaconatus & minores ordines ad apostolicam institutionem referri, & inde apostolici denominari, & insuper quia ex divino de Diaconorum institutione præcepto sunt eruti, jure ac meritò ad jus divinum pertinere prædicantur, quemadmodum jus gentium (quod alioquin ab jure naturali secernitur) jus naturale vocitatur, eo quòd ex communissimis juris naturalis principiis & legitimas conclusiones deductum fuerit.

Cùm hactenus probaverimus, minores ordines & subdiaconatum esse veri nominis sacramenta, & ad apostolicam & divinam institutionem esse referenda, jam declaratis minorum ordinum officiis properandum est ad subdiaconatum. Sit itaque

Quæstiuncula XXXVIII.

Quid sit subdiaconatus, & quæ ejus sit materia & forma.

Respondeo, subdiaconatum esse ordinem sacrum, per quem confertur gratia & potestas apparandi vasa sacra ad peragendum Missæ sacrificium necessaria, & ad decantandam Epistolam in solemnibus Missis. Hic autem ordo dicitur subdiaconatus, eo quòd Subdiaconus in altaris mysterio & ministerio

Diacono, qui inter sacrificii ministros principem obtinet locum, inserviat.

Quod spectat ad subdiaconatûs materiam & formam:

Respondeo, materiam hujus ordinationis esse tum traditionem calicis vacui cum patena vacua superposita, tum etiam porrectionem libri Epistolarum; alterutrum quidem seorsum esse materiam partialem, sed utramque simul esse totalem, formam verò esse verba quæ utrique applicantur.

Hæc sententia de duplici materia subdiaconatûs infrà discutietur.

Quæstiuncula XXXIX.

Quæ & quot sunt præcipua hujus ordinis munia, & quid significant.

Hujus ordinis officia ad quinque vel sex revocari possunt: quæ quidem officia totidem virtutes ab Subdiaconis singulari studio colendas significant.

1°. Subdiaconorum est sacra vasa & alia sacrificio deservientia sollicitè procurare. Fideli huic sacrorum utensilium procurationi respondere debet irrevocabilis, & præcipua castitas, juxta divinum istud præceptum: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Quod ut studiosiùs ab Subdiaconis præstaretur, Ecclesia eorum ordinationi solemne castitatis votum annexuit: ita ut si illud infringerent, eos ab altaris ministerio amoveri, id est juxta canonum sanctiones de suo gradu dejici oporteret. Unde nemo ad hunc ordinem accedere debet, quin priùs sese in hac virtute, divinâ opitulante gratiâ, bene constitutum esse deprehenderit: & omnia libidinosæ voluptatis irritamenta per sensuum, & præsertim aurium & oculorum & omnium sensuum, mortificationem, & fugam occasionum, ut puta familiarium cum mulierculis quibuscumque colloquiorum, in quæ ut plurimùm per speciem pietatis veniunt Clerici & fœminæ, quæ se devotas gestiunt appellari, & tandem in teterrimos exitus & gravia scandala desinunt. Si ista dæmonum & lenocinantium voluptatum retia cum debita circumspectione quilibet Clericus declinaverit, omnem à se libidinis tentationem per ardentem orationem & singularem erga Christum amorem, & sinceram erga Deiparam devotionem, vel propulsabit, vel proculdubio superabit.

Quia igitur solemne votum ab Subdiacono in ipsius ordinatione emittitur, ideo præcipua illi munditiès indicitur. Unde & pallas altaris & corporalia abluere jubetur ab Episcopo, ut cùm ista in altari reponenda adhibitis aquis repurgabit, sese ab omni carnis & spiritus inquinamento, utpote sacro altaris ministerio nobiliùs quàm ista inanimata, mancipatum, abhorrere penitus oportere meminerit.

Alterum Subdiaconi munus est præparare aquam, & in calicem vina superfundere; quod quidem designat fidelium secum invicem, & cum Christo adunationem ipsius Christi sanguine procuratam. Et hoc indicat quanto studio Subdiaconi ad animas tam secum invicem, quàm cum Deo reconciliandas incumbere debeant.

Tertium Subdiaconi munus est cantus Epistolæ in Missis solemnibus, quod significat illum magno studio populum saluberrimis consiliis imbuere oportere.

Quartum est deferre codicem Evangeliorum, & sustinere cantanti Diacono. Quo officio admonetur Subdiaconus, ut nihil obstantibus quibuslibet difficultatibus magnam evangelicæ doctrinæ reverentiam cum amore conjunctam supremis viris pariter & infimis incutiat, & propter evangelium oblatâ occasione persecutionem sustineat.

Quintum est ejusdem munus deferre crucem in supplicationibus. Virtus huic officio respondens est mortificatio, cujus exemplò cæteris prælucere debet.

Sextum est populi oblationes accipere, Sacerdotis manus abluendas aquâ perfundere, Diacono ministrare, & patenam in usum sacrificii eidem offerre. Ideo enim & institutus & dictus est Subdiaconus, ut sibi Diacono subserviendum esse rescisceret. Huic officio respondet humilitas & observantia, quâ Diaconum, & multò magis Sacerdotem & Episcopum colere debet.

Quæstiuncula XL.

Quænam munera vel onera suscipiat Subdiaconus in sua ordinatione.

Respondeo, illum sibi sponte & ultro imponere aliquot onera per voluntariam subdiaconatûs perceptionem. Quorum

Primum est, ut ordinetur sub aliquo titulo (quod in minoribus ordinibus non observatur) vel alicujus Ecclesiæ, vel patrimonii, vel paupertatis, quam solemni voto in approbato quopiam ordine professus fuerit: ne altaris ministerio mancipatus victum quæritando suis ab functionibus abstrahatur. Licèt enim Concilium Carthaginense IV. Presbyteris & aliis Clericis victum artificiolo quopiam quæritandi facultatem fecerit, non tamen hanc facultatem ad artes quaslibet factitandas impertit. Graviter enim peccarent Clerici, si vel artes indignas, & ab sui gradûs & characteris dignitate alienas abhorrentesque factitarent, vel horas divino officio destinatas in earum artium labore consumerent, vel suo labore animum ita implicarent, ut eum ad rerum divinarum contemplationem appellere non possent.

His de causis Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. de reformat. ita loquitur: Cùm non deceat eos qui divino ministerio ascripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneis moribus, scientiâ & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Hactenus Concilium Tridentinum.

Est ergo lex ecclesiastica, quâ sancitur, ne quis Clericus ad sacros ordines promoveatur, quin habeat aliquem titulum, qualem supra ad majorum ordinum susceptionem exigi diximus. Unde peccant graviter contra hanc legem, quotquot proferunt titulos fallaces & suppositos.

Debent igitur tituli esse veri vel in patrimonio, vel in ecclesiastico quopiam beneficio fundari: quod quidem beneficium ad ordinandi victum sufficiat, & ab ipso pacificè possideatur.

Cur autem contraria consuetudo invaluerit, ut scilicet plerique sub titulo beneficii ecclesiastici vel nullius, vel exigui admodum reditûs & pretii ordinentur, ignoro. Nam id apertè sacrosanctæ Synodi Tridentinæ sanctioni adversatur; cui tamen inhærere oporteret in tota quaqua patet Ecclesia, propter easdem omnino rationes, ob quas Tridentini Patres præfatam sanctionem condendam esse censuerunt.

Ac reipsa quidem si quis sine titulo ordinaretur

sub

sub ea conditione, ut Episcopo id exigenti cepromittat se numquam ipsius Ecclesiam gravaturum, nec quicquam ab eo ad vitam sustentandam importunè petiturum, & ille ad hujusmodi conditionem accedeter, & Episcopus & ordinandus sese teterrimo simoniæ flagitio devincirent. Fieri enim potest ut aliquando quispiam Episcopus ita ordinandum alloquatur: Clementer equidem volo te sine titulo ad sacros ordines provehere, sed ea lege ut cedas de jure tuo (quo me tibi ad inopiam redacto necessaria vitæ subsidia suggerere oporteret) nec mihi ullam in iis exigendis, nec Ecclesiæ meæ aliquod in ea beneficium postulando molestiam exhibeas: talea Episcopi, sicut & ordinandi, simoniaci sunt, ut patet. Quod egregiè asserit Joannes Rivius sacræ Theologiæ Doctor & Professor in Joannis Hesselii Catechismi secunda parte, quam ipse ab aliquot annis recognovit & edidit.

Secundum onus quod sibi Clericus imponit in suscipiendo subdiaconatu, est integræ & irrevocabilis castitatis observatio, quam solemni voto in sua ordinatione profitetur. Constat enim non nunc primùm servandæ castitatis obligationem subdiaconatûs ordini annexam esse, ut antiquissima Concilia contestantur, & imprimis Illibertanum, iv. ineunte sæculo in Hispania celebratum, quod quidem canonem de Subdiaconorum & aliorum Ecclesiæ ministrorum sancivit in hæc verba: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quicumque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Hactenus Concilium Illiberitanum can. 33.

Qui canon ut religiosiùs observaretur, idem Concilium can. 30. statuit, *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati, eo quòd postmodùm per subreptionem ad altiorem gradum promovebantur; si autem aliqui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.* Hæc ibi.

Hic canon ab Illiberitanis Patribus sancitus est, quia, cùm olim tanta in Subdiaconis eligendis, quanta in Diaconis & Presbyteris adhiberetur cura, etsi hominem in adolescentia mœchatum quibusdam videri posset, Subdiaconum ordinari posse, ne tamen is suscepto istius ordinis gradu per subreptionem postea tacito anteactæ vitæ crimine ascenderet ad altiores, qui majorem vitæ poscebant integritatem, & ne per vitiosos habitus ex mœchia contractos ad præterita vitia revolveretur, Illiberitani Patres aditum ad hunc ordinem universis in adolescentia sua mœchatis intercluserunt, ut adolescentuli sanctiorem vitam, & ab omni libidinum contagione penitus abhorrentem agerent.

Hoc ipsum, id est Subdiaconos, & Diaconos, & Sacerdotes ad cœlibatum obligari, plura Concilia declararunt,

Arelatense scilicet II. can. 2.

Carthaginense can. etiam 2. cujus verba, utpote cœlibatus altaris ministris imperati antiquitatem apprimè testificantia, referre operæpretium est: *Ita placuit*, inquiunt ejus Concilii Patres, *& condecet sacrosanctos Antistites & Dei Sacerdotes, necnon Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter quod à Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Hæc ibi.

Idem decernit Toletanum I. can. 1.

Item Agathense can. 9.

Et Taurinense can. 5.

Arausicanum can. 23. & 24.

Turonense I. can. 1.

Aurelianense III. can. 2.

Altissiodorense can. 20.

Matisconense can. 11.

Quibus addi possunt Toletanum II. III. IV. VIII. IX.

Hæc omnia Concilia confirmata sunt ab duobus Conciliis œcumenicis, ab Lateranensi nimirum quod sub Innocentio Papa III. celebratum est, & ab Tridentino quod antiquioribus Synodis, earumque statutis ita inhæsit, ut ab iis ne latum quidem unguem discedere oportere secuturis ad sæculi consummationem ætatibus luculentissimè patefecerit.

Postquam Episcopus Subdiaconis, quos ordinaturus est, servandi cœlibatûs necessitatem declaravit, eos hortatur ut sint in vera & catholica fide fundati, & ad alias virtutes incitat his verbis: Et ideo, inquit, si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodò debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodò vigiles; si usque nunc ebriosi, amodò sobrii; si usque nunc inhonesti, amodò casti. Ista leguntur in Pontificali Romano.

Tertium onus, quod imponitur Subdiacono, est quotidiana Breviarii recitatio.

Quæstiuncula XLI.

Quomodo Subdiaconorum ordinatio perficiatur.

Respondeo, Pontificem postquam oravit, ut super ordinandos requiescat spiritus sapientiæ, & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, &c. amictum qui in collo ordinandorum jacet, imponete super caput singulis in hæc verba: *Accipe amictum per quem designatur castigatio vocis, in nomine Patris, &c.*

Cùm omnia & singula suæ ordinationis verba Subdiaconi seriò meditari debeant, maximè & sæpius animo pertractare debent, per amictum suis capitibus ab Episcopo impositum designari castigationem vocis, et lingua refrænandæ necessitatem omnibus Christianis, at præsertim Subdiaconis, & aliis qui altari deserviunt, indictam. Nam ut egregiè docet Petrus Damiani opuscul. 6. contra inscit. & ignav. Clericorum. *Admonendi sunt*, inquit, *qui sacris altaribus ministrare disponunt, ut non modò cor ab æstuantium passionum igne custodiant, sed etiam linguam quæ inter Deum & nos quodammodo mediatrix est, à supervacui sermonis levitate compescant.* Et paulò pòst. *Sit ergo*, inquit, *usque ad Missarum peragenda mysteria, saliva lingua nostra virgo vel casta: vel se sub virginali taciturnitatis censura coerceat, vel sub pudicæ quodammodo lenitatis moderamine sobria verba depromat.* Hæc ibi.

Quidquod, Concilium Narbonense vetat, ne Clerici, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri stent, & hæreant in compitis, ut ibi confabulentur: *Nam*, inquit, *& hoc secundùm priscorum censuram canonum definitum est, ut nullus Clericus, Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter in plateis resideat; certè nec in plateis stare, & fabulis diversis commisceri. Quòd si quis facere præsumpserit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, si non emendaverit, & à communione & officio privetur.*

Hujusmodi statutum pluribus vel parum vel nihil in sacrorum canonum lectione, nedum in praxi & usu versatis duriùs & rigidiùs quàm par est, apparebit: at aliis qui ad ecclesiasticæ disciplinæ notitiam animum appulerunt, æquissimum videbitur.

De Sacram. Oo

Enimvero ao quosdam homines sic tamquam è plebe selectos Ecclesia in Clericos assumpsit, ot passim cum laicis laica, & saeptus profana colloquia miscerent cum jactura temporis, quod & in oratione & Scripturarum lectione & meditatione collocatum oportuerat.

Quòd *si quis*, ut testatur S. Jacobus in sua Canonica cap. 1. v. 26. *putat se religiosum esse*, id est Christianum esse, *non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Quod cùm ita sit: an inter veros Clericos jure ac meritò recenseri poterit Subdiaconus, aut alius Clericus, qui maximam partem temporis sanctis operibus destinati, in profanis & jocularibus colloquiis saepe cum blasphemia conjunctis, misericrumè ut plurimùm absumit.

Mirabitur forsan aliquis, quòd Clericorum cum laicis vel aliis jocantium colloquia reprehendam, sic tanquam cum blasphemiis conjuncta: sed hac in parte vituperet (si fas est) sanctum Bernardum disertè aientem, nugas (quae sunt veri nominis nugae) esse nugas in ore laicorum, sed blasphemias in ore Sacerdotum, seu quorumlibet Clericorum. De his satis.

2°. Pontifex immittit manipulum in sinistrum brachium cuilibet ordinando, dicens: *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum, in nomine Patris, &c.*

3°. Idem Pontifex induit quemlibet tunicâ, dicens cuilibet: *Tunicâ jucunditatis & indumento laetitiae induat te Dominus, in nomine Patris, &c.*

4°. Tradit omnibus librum Epistolarum manu dextra ipsum simul tangentibus, dicens: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, &c.*

Ex hoc ritu quo ordinatur Subdiaconus, tria vestium genera Subdiaconis inter ordinationem imponi solita, amictum scilicet, manipulum & tunicam, colligimus cor, manum, & linguam ordinati Subdiaconi divino cultui & obsequio penitus applicari per virtutes & amictu & manipulo & tunica designatas, quas suprà recensuimus. Nam per tunicam designatur cor & laetitia quâ diffunditur, cùm per pietatis opera Deo ad aedificationem proximi famulatur: per amictum linguae mortificatio: per manipulum bonorum operum strenua executio significatur.

De subdiaconatu multae proponuntur quaestiones.

1°. Utrum ipsius subdiaconatûs essentialis materia sit calix vacuus cum patena superposita.

Hoc pro certo asseritur authoritate Concilii Carthaginensis, Toletani, & Florentini.

2°. Utrum imprimatur character per contactum calicis & patenae.

Hoc etiam certum est, & patet ex decreto Eugenii aientis, Subdiaconum per calicis vacui cum patena vacua traditionem ordinari. Unde sequitur hujus ordinis esse duntaxat onam, (calicem scilicet vacuum cum patena superposita) non autem duplicem materiam. Neque enim porrectio libri Epistolarum potest substantialem subdiaconatus materiam ingredi. Cùm enim subdiaconatus ab ipso Ecclesiae surgentis exordio extiterit ordo sacer, habuit profectò determinatam materiam & functionem: non habuit autem pro functione publicam Epistolae lectionem. Nam erant Subdiaconi eo tempore, quo nondum extabant litterae Apostolicae, quae decurrente primo ipso saeculo inscriptae sunt ad fideles, prout ipsorum necessitas & instructio deposcebat.

Praeterea cùm eaedem Apostolorum Epistolae inter mysteria recitari coeperunt, olim à Diacono in Missa recitabantur, ut disertè asserit Catechismus Romanus: siquidem legimus recitandae in Missa Epistolae facultatem Subdiaconis esse factam, duntaxat in Concilio Rhemensi habito anno Redempt. 813. Carolo Magno imperante. Quod quidem argumento est, porrectionem libri Epistolarum non posse pertinere ad essentialem subdiaconatûs materiam, cùm essent in Ecclesia Subdiaconi, nec adhoc apostolicae litterae in Missa recitarentur, utpote quae nondum extarent, vel cùm extitere, & recitari coepere, & ab ipso Diacono legerentur, & insuper post octingentos ab ortu Redemptoris annos legendae inter sacra mysteria Epistolae facultas Subdiaconis impertita fuerit.

Haec omnia liquidò demonstrant, librum Epistolarum non posse pertinere ad subdiaconatûs materiam, cùm Epistolae lectio sit actus secundarius ab Subdiacono exerceri solitus, ut ait S. Thomas.

Quaerunt nonnulli, utrum calicem qui adhibetur ad subdiaconatûs materiam, consecratum esse oporteat. Certum est illum consecratum esse oportere: quia Subdiaconus tenetur offerre Diacono vasa, in quibus corpus & sanguis Christi & confici & reponi valeat. Quod quidem cùm in calice non consecrato factitari non debeat, certo certius eum calicem qui Subdiacono in ipsius ordinatione porrigitur, consecratum esse oportere, ut ipse Subdiaconos se nihil profanum Diacono citra culpam offerre posse meminerit. Jam de diaconatu agendum.

QUAESTIUNCULA XLII.

Quomodo definiendus sit diaconatus, & qua occasione sit institutus.

RESPONDEO, diaconatum sic rectè definiri: Diaconatus est ordo sacer, in quo confertur gratia, & traditur praecipua potestas ministrandi Episcopo & Presbytero in incruento Missae sacrificio, cui porrectio Evangelii inter Missarum solemnia legendi facultas adjicitur.

Ista vox, *Diaconus*, ministrum significat, & istud nomen per antonomasiam Diaconis attributum est, quippe qui principarum obtinent in ministrorum ordine, qui omnes infra Episcopos & Presbyteros in Ecclesia deservire solitos amplectitur.

Omnes igitur ordines inferiores antecellit diaconatus multis titulis, at eo praesertim nomine, quòd caeterorum ministrorum proximè ad altare accedant Diaconi, & supra ipsos Episcopo & Presbytero caelestibus mysteriis operantibus maximè deserviant. Quapropter S. Cyprianus docet, Diaconos ab Apostolis esse ordinatos, ut haberent episcopatûs sui ministros. Et S. Polycarpus in Epist. ad Smyrnenses asserit, Diaconos esse ministros non hominum, sed Christi, utpote qui Episcopis & Presbyteris Christum in sua summi Pontificis & Sacerdotis dignitate repraesentantibus in praecipuis ipsorum ministeriis inserviendi, concessa sibi divinitus authoritate fulgeant.

Quod spectat ad alteram quaestiunculae partem, quâ quaeritur, qua occasione instituti fuerint Diaconi:

Respondeo, ipsos Diaconos institutos fuisse ex occasione murmuris, quod Graeci seu Judaei qui extra Judaeam in Graecia nati, vel in ea diu versati fuerant, excitarunt adversus Hebraeos, eo quòd viduae earum in quotidiano ministerio despicerentur,

vel quia viduæ Hebrææ, eo nomine quòd essent Hebrææ, honoratiora locupletioraque ministeria in distribuendis cibis & vestibus posita sibi vindicarent, & contemptas Græcorum viduas vilioribus & tenuioribus ministeriis addicerent: vel quia Hebrææ mulieres, penes quas vestium & ciborum cura, & distributio excubabat, Hebræis viduis, utpote suis popularibus plura & lautiora, tenuiora autem & despicatiora vitæ subsidia Græcorum viduis impertirent: atque adeo hujusmodi viduæ parcè & duriter alerentur.

Igitur occasio creandi Diaconos juxta præceptum Christi & institutionem (cujus executio ab eodem Christo Apostolis demandata fuerat) orta est ex præfato murmure Græcorum adversus Hebræos, ut scilicet Diaconi pleni Spiritu sancto & fide bona fidelium Deo oblata & dicata, & ante pedes Apostolorum posita dividerent singulis, prout cuique opus erat.

Quæstiuncula XLIII.

Utrum præter mensarum ministerium aliud quodpiam sacrum Diaconis injungeretur.

Respondeo, præter mensarum ministerium, quod profanum videri potest, Diaconis aliud omnino sacrum ab Apostolis fuisse impositum, ut scilicet calicem sanguinis Christi portarorem (ut loquitur Optatus Milevitanus) fidelibus distribuerent, ut testatur S. Ambrosius de S. Laurentio lib. 1. Officior. cap. 41. & S. Cyprianus in tract. de Lapsis, ubi narrat quod contigit puellæ quæ apud idolum panem mero mixtum ederat, & cui Diaconus, nempe reluctanti licèt, de sacramento calicis infuderat.

Non solùm Diaconi sacrum Christi calicem populo porrigere, sed etiam aliis quàm Sacerdotibus ipsum Christi corpus sub specie panis administrare possunt, ut constat ex can. 14. Nicænæ Synodi.

Ac reipsa quidem ideo fiunt Diaconi per impositionem manuum, quia sunt ministri sacramentorum. Unde Episcopus, ut ait S. Thomas in 4. dist. 24. in collatione ordinum duo facit: præparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem, & ordinis potestatem tradit: præparat quidem & instruendo eos de proprio officio, & circa eos operando, ut idonei sint ad accipiendam potestatem; quæ quidem præparatio in tribus consistit, scilicet benedictione, manûs impositione, & unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur, & ideo benedictio omnibus datur; sed per manûs impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sunt idonei, & ita solis Diaconibus & Sacerdotibus fit manûs impositio, quia iis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni ut principali, & alteri sicut ministro: sed unctione ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur, & ideo unctio solis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt: sicut etiam calix inungitur, qui continet sanguinem, & patena quæ continet corpus, sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus Sacerdotis est consecrare corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa porrectione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. Hactenus S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. in c.

Diaconos igitur & Sacerdotes per impositionem manuum ordinari, patet ex cap. *Presbyter.* extra. *de sacramentis non iterandis.* quod caput ex Gregorii Papæ IX. rescripto desumptum est, ubi hæc habentur: *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manus impositionem ritu ab Apostolis introducto recipiunt.* Hæc ibi.

Igitur per manuum impositionem Diaconi juxta sui nominis etymon ministri ab Apostolis sunt constituti, non solùm ut Episcopis & Presbyteris sacrificantibus inservirent, sed etiam ut fidelibus sacra mysteria, seu corpus & sanguinem Christi porrigerent. Quod liquidò testificatur S. Justinus Martyr in prima sua pro Christianis Apologia, (ut eam vocat Eusebius lib. 4. cap. 7.) quæ tamen vulgò secunda nominatur. *Præsidens*, inquit, *postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus approbatione latâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt.* Hæc ibi.

Quæstiuncula XLIV.

Cur in Actis Apostolorum nulla fiat mentio de sacramentorum dispensatione Diaconis commissa.

Respondeo, S. Lucam nullam de tali sacramentorum dispensatione Diaconis per manuum impositionem tradita, fecisse mentionem, quia & Apostoli, & alii Scriptores sacri, & sancti Patres semper & majorem in modum extimuerunt, ne Christianorum mysteria humanam rationem & sensus prætergressa in facetosam infidelium (quibus tunc omnia redundabant) dicacitatem incurrerent, & ideo illa religioso silentio premere, quàm in vulgus vel scripto vel verbo spargere maluerunt.

Hanc ob rem S. Lucas & priorum sæculorum Patres de corporis & sanguinis Christi dispensatione Diaconis in ipsorum ordinatione tradita siluerunt, ne nimirum infideles in sacrosanctæ Eucharistiæ notitiam devenirent, & Christi fidem & religionem sic tamquam ex malè morato quorumdam hominum cerebro natam & anilibus fabulis refertam crederent & aspernarentur. Unde apud S. Augustinum & alios Patres legimus, catechumenos primis fidei rudimentis imbutos fuisse, hec tamen doctos esse corporis & sanguinis Domini mysteria, quæ celabantur his verbis, *norunt fideles.*

Plura hac de re videre est apud S. Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 27. & apud S. Ambrosium in principio libri de iis qui mysteriis initiantur, & apud S. Aug. tract. 11. in Joann.

Ex hoc capite colligitur, primorum Diaconorum ministerium fuisse sacrum. Nam duplici mensæ ex Apostolorum institutione serviebant, ita ut duæ illæ mensæ nihil nisi sacrum continerent. Nam prima mensa est mensa Domini, cujus meminit Apostolus 1. Cor. cap. 10. v. 20. *Non potestis*, ait, *mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Hæc autem mensa nihil est aliud, quàm altare, quod quidem definitur ab Optato Milevitano, sedes corporis & sanguinis Domini. In hac mensa sacris operantur Episcopi & Presbyteri, ita ut ex officio ipsis in sua ordinatione declarato & imposito, & Episcopis & Presbyteris sacra mysteria perficientibus Diaconi adesse teneantur. Qua in re nihil profanum cernitur.

Si de altera mensa, cui inserviebant ipsi illi Diaconi, fit sermo, nihil pariter in ea profanum videbatur. Nam ut Baronius observavit ad ann. Ch. 34. Diaconi non ita præficiebantur fidelium mensis, ut instar ministrorum hujusmodi mensas esculentis poculentisque extruerent, sed ea quibus unusquisque indigeret ad victum, oblatas ab fidelibus facultates distribuendo, procurarent, & porrigerent. Unde S.

Leo de S. Laurentio ita prædicat : *Non solùm*, inquit, *ministerio sacramentorum , sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Hoc & Prudentius Hymno 10 eumdem S. Laurentium elaborato egregiè modulatur in hæc verba :

Hic primus è septem viris ,
Qui stans ad aram proximi,
Levita sublimis gradu ,
Et cæteris præstantior ,
Claustris sacrorum præerat ,
Cælestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus ,
Votasque dispensans opes.

Hisce versibus Prudentius duo , eaque præcipua Diaconorum officia explicat , nempe primum honoris & loci gradum , quo Diaconi cæteris ministris propiùs sacrificanti Episcopo vel Presbytero adstant. Alterius etiam officii Diaconis injuncti meminit, cùm S. Laurentium Diaconum votarum opum dispensatorem appellat. Ob hujusmodi dispensationem Diaconi mensis præfuisse memorantur , eo quòd fidelibus per mensas dispositis necessaria singulis alimenta suppeditanda procurarent. Et hoc ministerium erat sacrum : rescivimus enim Diaconos fuisse ab Apostolis ordinatos , tum ut ipsismet Apostolis inter sacra mysteria ministrarent , tum ut populo Eucharistiam porrigerent , tum ut oblationes , quæ heroïcis illis Apostolorum temporibus , dum tremendum Missæ sacrificium perageretur , ab fidelibus deportari consueverant , reciperent , conservarent , & prudenter in singulos pro cujusque necessitate distribuerent. Tum enim & Apostoli primitias spiritûs habentes, & fideles tanto evangelicæ paupertatis amore, & tanto in invicem charitatis ardore tenebantur , ut pecunias ex suorum prædiorum agrorumque venditione conflatas , ad Apostolorum altari astantium pedes certatim abjicerent , ut quemadmodum Christianæ illius multitudinis erat cor unum & anima una , ita nemo eorum , quæ possidebat , aliquid suum esse diceret , sed essent illis omnia communia , nec esset quisquam egens inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum , erant vendentes , afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum , penes quos primùm hujusmodi munerum & oblationum procuratio & distributio extitit ; sed postea (quia ipsi Apostoli , quos & orationi & ministerio verbi insistere oportebat) ipsa illa ecclesiasticas illas opes & facultates , prout cuique opus erat , distribuendi cura ordinatis ad sacrum altaris ministerium , & ad obeundum præfatæ distributionis munus & officium institutis Diaconibus est demandata. Quòd autem ad altare illo ipso sacrificii tempore offerebantur pecuniæ ex fidelium prædiis agrisque vænumdatis conflatæ, id ab lege Mosaïcâ translatum est in legem evangelicam. Nam in lege veteri decimæ quæ in pauperes erant erogandæ , ipsi Deo ad altare deferri & offerri consueverant , ut patet ex Deuteron. cap. 12. 14. 16. & 26. Ergo Diaconorum ministerium in procuranda distributione bonorum , quæ Deo inter sacrificii mysterium fuerant oblata , sacrum erat , eo quòd circa res Deo consecratas versaretur.

Quæ duo ministeria utpote sacra , sine peculiari gratia impleri non potuerunt , & ideo illam Diaconis gratiam per manuum apostolicarum impositionem collatam oportuit : quod quidem diaconatum esse ordinem sacrum , & veri nominis sacramentum , inelnctabili argumento astruit.

Huc accedit , quòd ritus orationis & impositionis manuum , quem S. Lucas in eorum institutione adhibitum fuisse commemorat , est ritus sacræ ordinationis , ut patet ex Act. cap. 13. & 1. ad Timoth. 5. Et præterea magnum & sacrum esse diaconatûs officium , colligimus ex eo, quòd Apostoli , cùm Diaconos instituere voluerant , poposcerunt non quoslibet , sed viros boni testimonii , plenos spiritu sancto & sapientia , quos super hoc opus (id est mensarum procurationem) constituerent. Hujusmodi homines proculdubio non poposcissent Apostoli , si diaconatûs ministerium non extitisset tale ac tantum. Si enim illud existimassent veluti leve momentum & profanum , præfatæ mensarum procurationi obvium quemlibet , vulgari nempe pietate & fide præditum , præficere potuissent.

Erant igitur sacræ illæ mensæ , quibus præerant Diaconi ; de altaris mensa , è qua scilicet corpus & sanguis Christi percipiebatur , & de ejus sanctitate nemini dubitare licet. De altera verò , in qua celebrabantur convivia , (quæ agapæ ab charitate quæ per illa in pauperes exercebatur , nomen induerunt) asserere possumus , fuisse pariter sacram & spiritualem , licèt in se corporalis esset , & in ea fideles corporalibus cibis vescerentur , tum quia in ea fiebat appendix , & veluti consummatio convivii Eucharistici , quod fideles tam egeni quàm divites , corporali illi convivio præmiserant : tum quia ab Sacerdote sacrificante consecrabatur , seu benedicebatur : tum quia erat luculentissimum indicium divinæ illius charitatis , cujus vinculo Spiritus sanctus epulantium corda devinxerat ; tum denique quia extructa erat hujusmodi mensa ex facultatibus , quas fideles præfatæ charitatis ardore succensi dedicarant Deo , & ad Apostolorum divinis mysteriis operantium pedes detulerant.

Cùm igitur has in mensas nihil caderet profanum , nemo Diaconorum illis inservientium ministerium , ex sacris ministeriis citra culpam expungere poterit.

Quæstiuncula XLV.

An & quænam essent alia Diaconorum officia.

Respondeo , multa alia extitisse Diaconorum officia. Nam ubi primùm erant ordinati , & Evangelium annuntiare , & quoslibet credentes in Christum, in ipso Christo per baptismum regenerare poterant. Quod ab Philippo Diacono factitatum esse legimus Act. cap. 8. Cum enim descendisset in civitatem Samariæ , & ibi prædicasset Christum , & illi evangelizanti de regno Dei multi credidissent , eos baptismatis sacramento innovavit ; sicut & Æthiopem Eunuchum potentem Candacis Reginæ Æthiopum regeneravit in Christo , quem illi cap. 53. Isaiæ Prophetæ interpretando prædicaverat.

Divinum illud prædicandi munus & officium Diaconis ab Apostolis ex divina institutione commissum ab D. Stephano jam strenuè factitatum esse, Apostolorum Acta commemorant , ut omnes ejus adversarii, licèt bene multi , non possent resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.

Hac de causa Diaconi gestant orarium seu stolam juxta decretum Concilii Toletani IV. *Unum orarium oportet Levitam* (Diaconum) *gestare , quia orat , id est prædicat.* Hæc ibi.

Prædicandi officium etiam ad Diaconos pertinere , satis probat Pontificale Romanum , in quo Pontifex ad Diaconatum promovendos sic affatur : *Curate ut quibus Evangelium annuntiatis, vivis operibus exponatis.*

Quæstiuncula XLVI.

An & quænam erant alia eorumdem Diaconorum officia.

Respondeo, fuisse & alia officia Diaconorum breviter hîc perstringenda. Nam eorum valde proprium erat, ut nomine Episcoporum xenodochia ad ægrotantium Christianorum consolationem incumberent, & carceres Christianos ibi detentos ad pugnam & martyrium pro Christi nomine fortiter oppetendum incitarent, ut legere est apud S. Cyprianum.

Propterea ex decreto Evaristi Papæ tenebantur septem Diaconi tam sacrificantem, quàm prædicantem Episcopum circumvallare, tum ad honorem sacrificii pariter & Evangelii quod annuntiabat, tum ut si quid illi fortasse accideret, id ab eo propulsarent: atque ita præcipua silentii & pacis in Ecclesia, orationis & prædicationis tempore, conservandæ cura apud eos excubaret, ut restatur S. Clemens lib. 2. Constitut. cap. 61.

Insuper Diaconorum officium erat circumspicere omnia quæ in Ecclesia gerebantur, & ea referre ad Episcopum. Unde S. Clemens lib. 3. Constitut. cap. 19. vocat Diaconum animam & sensum, putà auditum, oculum, os, & cor Episcopi.

Diaconorum pariter erat munus curare non solùm vasa sacra, verùm etiam sacratum reliquiarum singularem gerere curam, & eas circumgestare, ut pater ex Victore Uticensi lib. 3. persecut. Wandal.

Plura eorumdem Diaconorum officia legere est ex dist. 93. cap. *Diaconi Ecclesiæ.*

Quæstiuncula XLVII.

Quibus præsertim virtutibus Diaconos fulgere oporteat.

Diaconi, quorum ordo ab tribu Levi duxit exordium, & Levitæ ideo passim appellantur, altari albis induti assistant, ut cælestem vitam habeant, candidique ad hostias & immaculati accedant, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nollo carnis corrumpantur contagio, sed potiùs castitatis eminentiâ splendeant. Quales enim Diaconi ordinarentur, Apostolus Paulus plenissimè scribit ad Timoth. 1. c. 3. v. 8. Nam cùm præmisisset de Sacerdotum electione, continuò subjunxit: *Diaconi similiter irreprehensibiles*, hoc est, sine macula, sicut Episcopi; *pudicos* utique, id est à libidine continentes; *non bilingues*, scilicet ne conturbent habentes pacem; *non multo vino deditos*, quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor; *non turpe lucrum sectantes*, ne de cælesti ministerio lucra terrena sectentur. Est quoque turpis lucri appetitio, plusquam de æternis, de præsentibus cogitare. Post hæc autem subjecit: *Hi autem probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Hi utique sicut Episcopi ante ordinationem probari debent, si digni sunt, & sic ministrare. Hactenus S. Isidorus Hispal. lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 8. de Diaconibus.

Beatus Isidorus recitans & explicans allatum Apostoli locum, omisit hæc ejusdem Apostoli verba, *habentes mysterium fidei in conscientia pura*: vult nimirum Apostolus Diaconos, à quibus tot & tantas virtutes, quot & quantas ab Episcopis exigit, habere mysterium fidei in conscientia pura, id est habere fidem mysteriorum Christianæ religionis, seu fidem Christianam conjunctam cum pura conscientia, id est cum animo sincero, & nullius criminis, id est peccati lethalis, quo solu charitas ex hominum animis revellitur, conscio. Quid enim prodesset Episcopo & Diacono altissima divinarum rerum notitia, si uterque careret divina illa charitate, sine qua vel ipsæ dotes eminentissimæ æternam potiùs damnationem, quàm salutem, & ipsis Episcopis, & Diaconis, & quibuslibet aliis accerserent. Igitur Apostolus universos citra ullam exceptionem ad episcopatum & diaconatum & ad alios ecclesiastici ministerii gradus promovendos, multo tempore explorari jubet, utrum innocentiam in ipso nostræ regenerationis sacramento perceptam diu ab omni piaculo saltam-tectam conservaverint, seseque præbuerint tales, ut nullum ipsis crimen impingi possit. Quo facto eos, utpote insontes, seu nullo notabili vitio infuscatos, ad rerum sacrarum tractationem & administrationem admoveri apostolica authoritate imperat.

Si ad illum Apostoli locum sæpius attenderent Episcopi, nemini citò manus imponerent, atque ita suas diœceses, seu populos suæ jurisdictioni subditos, tandem aliquando ab ministris bene probatis & nullum crimen habentibus dirigi, & ad æternam salutem provehi, cum incredibili lætitia cernerent.

Quæstiuncula XLVIII.

An sola manuum impositio constituat essentialem diaconatûs materiam, & quæ sit ejusdem diaconatûs forma.

Ut hæc quæstiuncula liquidò resolvatur, observandum est, in Diaconorum ordinatione duplicem factitari manuum impositionem. Una quippe est essentialis, per quam ordinati sunt septem primi Diaconi: nihil enim aliud ad eam ordinationem præter manuum impositionem, Apostolos adhibuisse legimus. Altera est manûs impositio dumtaxat accidentaria, ut cùm Pontifex extensis super ordinandos manibus illis adprecatur & benedicit: vel quando unà cum Presbyteria caput ordinandi tangentibus, nihil proferendo manus imponit: quo ritu se solùm approbare, & in electi ordinationem consentire significat.

His ita constitutis contendimus, essentialem materiam, qua perficitur Diaconi ordinatio, positam esse in eo, quòd solus Pontifex manum dexteram extendens ponit super caput cuiliber ordinando, & nullus alius, quia Diaconi non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur. En materia essentialis, quæ ad Diaconorum ordinationem adhibetur: forma verò eidem ordinationi essentialis consistit in his verbis quæ ab Pontifice proferuntur: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

Ista manûs episcopalis impositio mysterium est. Nam, ut ait Amalarius Fortunatus Episcopus Treverensis, lib. 2. de eccles. officiis cap. 12. per manus opera intelligimus; per digitos dona Spiritus sancti: in membris humanis non est major discretio membrorum quàm in digitis, ac per hoc discreta dona Spiritus sancti per eos monstrantur. Caput enim principale mentis designat: scripsimus in præsenti opusculo ex dictis S. Augustini, non dare Apostolos Spiritum sanctum, sed orare, ut veniret super eos, quibus manus imponebant. Hæc ille.

Revera Pontifex prolatâ, quam retulimus, formâ, extensam tenet manum dexteram, ita prosequitur & precatur: *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur, &c.* Hac de causa Concilium Tridentinum sub anathematis interminatione declaravit, in ordinatione dari Spiritum sanctum, & per eamdem ordinationem imprimi characterem, ut patet ex sess. 23. can. 4.

Quæstiuncula XLIX.

Quorsum Diaconis stola imponitur, & ipsi dalmaticâ induuntur, & committitur potestas legendi in Ecclesia Evangelii, si ista omnia nihil pertinent ad essentialem diaconatus materiam.

Respondeo, ista omnia in quæstiunculæ titulo enumerata pertinere ad accidentariam dumtaxat diaconatus materiam, sicut & verba, quibus in iis imponendis & porrigendis utitur Pontifex, ad accidentariam dumtaxat ejus formam pertinent: siquidem per manuum Pontificalium impositionem verè Diaconus ordinatur. Quòd autem Ecclesia alios ritus ad eorumdem Diaconorum ordinationem adhiberi voluerit, optimis & religiosissimis de causis ad id perpulsa est.

Nam 1°. præfatos ritus impositioni manuum addidit, ut majorem solemnitatem & reverentiam sanctissimo Diaconorum ordini ab Apostolis instituto conciliaret.

Deinde ut eosdem Diaconos per externa illa suscepti ordinis insignia de injuncto eisdem officio admoneret, & ad illud strenuè exequendum incitaret.

Prima ratio clara est; altera utpote mysteriis plena, paucis est explananda.

1°. igitur Pontifex stolam sive orarium sinistro ordinandorum humero successivè imponit, & ministri reflectunt capita stolæ, & alligant sub brachio dextro, postquam Pontifex hæc verba protulit: *Accipe stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam.*

Orarium igitur sinistro Diaconi jam ordinati humero imponitur, ut sciat sibi impositum esse prædicandi officium. Nam hoc genere vestis, (id est stolæ, vel orario solummodo eis personis uti concessum est, quibus prædicandi officium est delegatum) ut ait Rabanus Maurus in libro de ordine Antiphonarii cap. 19.

Albinus Flaccus in lib. de divin. officiis subtit. *Quid significent vestimenta.* idem asserit: *Orarium,* inquit, *id est stola dicitur, eo quòd oratoribus, id est prædicatoribus concedatur. Admonet illum qui illo induitur, ut memor sit, sub jugo Christi, quod leve & suave est, esse se constitutum.* Hæc ille.

Hoc vestimenti genus, id est orarium, Damasus Pontifex in Pontif. de Sylvestro I. vocat pallam linostinam, eo quòd tunc ex lino fieret: præfatus enim Sylvester hoc constituit, ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, & pallâ linostinâ læva eorum tegeretur.

Cur autem orarium seu palla linostina super humerum, & illum sinistrum imponitur, egregiè declarat Ivo Carnot. in serm. 2. de excellentia sacrorum ordin. *A viginti,* inquit, *annis & suprà jussi sunt* (filii Aaron) *servire in tabernaculo, quam regulam sancti Patres & in novo Testamento constituerunt, quoniam hæc ætas ad portanda onera* (*ob robustiores humeros*) *robusta est, quod illi ordini à Moyse institutum est; quod etiam in novo Testamento repræsentatur, cùm Diaconis super sinistrum humerum complicatur, quia quicquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleramus, tamquam in sinistra portamus, donec in dextra, id est in æternitate requiem habeamus.* Hæc ille.

Postea Pontifex Diaconos jam ordinatos induit dalmaticâ, quæ à Dalmatia Græciæ provincia, in qua primùm texta est, nuncupatur. Hæc vestis facta est in modum crucis, & passionis Domini indicium est, ut admoneatur minister Domini per habitus sui speciem, cujus muneris particeps est, ut cùm per mysticam oblationem passionis dominicæ commemorationem agit, (quod est Sacerdotis proprium) vel cùm Sacerdoti eam commemorationem per mysticam oblationem agenti præstò est, (quod est proprium Diaconi officium) ipse in sacrificio, sicut & Sacerdos, fiat hostia Deo acceptabilis. Et hæc est ratio moralis, propter quam dalmaticâ Diaconi & Sacerdotes induuntur, ut colligere est ex Rabano Mauro in libro Antiphonarii jam cit. cap. 20.

Id etiam petit Pontifex hac oratione: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & dalmaticâ justitiæ circumdet te semper, in nomine Domini. Amen.*

Post dalmaticam Diaconorum humeris impositam, Pontifex tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, & dicit: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Amen.*

Dalmaticæ, quâ ab Episcopis inter ordinationem induuntur Diaconi, usus recens est, sicut & porrectio libri Evangeliorum. Nam, ut testatur Joannes Morinus in lib. de sacris ordinat. in exercitatione 9. de diaconatu, antiqui omnes Rituales, toto nongentorum annorum curriculo scripti & usurpati, nec dalmaticæ, nec porrectionis libri Evangeliorum meminerunt. Unde licèt supra aliorum mentem & sententiam secuti paulò antè diximus, Sylvestrum I. constituisse ut Diaconi uterentur dalmaticis in Ecclesia, id tamen disertè vel præfractè affirmare nolumus, ne in gravem chronologiæ errorem impingamus. Itaque sit fides penes eos, qui id litteris consignare voluerunt. Quod spectat ad porrectionem libri Evangeliorum, vix sexcenti sunt anni, ex quo isto Evangeliorum porrectio in Diaconi ordinatione factitari cœpta est.

Unde nec dalmatica, nec Evangeliorum libri porrectio ad essentialem diaconatûs materiam pertinere potest, tametsi ad accidentariam ejus materiam, vel certè ad ejus solemnitatem pertineat. Quapropter ab eruditis Theologis admitti, nedum propugnari potest sententia quorumdam hominum, omnia, etiam manuum impositionem, ab diaconatûs materia excludentium: ita ut unam dumtaxat Evangeliorum traditionem ab ordinante Episcopo factam diaconatus essentialem esse materiam præfidenter asserant: quod quàm levi fundamento proferant, ipsi viderint. Quòd enim ea traditio sit recens, patet ex duobus codicibus, qui à sexcentis annis sunt exarati, in quibus præfata Evangeliorum porrectio cum hodierna formula deprehenditur: sicut & legitur in Ordine Romano, cujus scriptio vix ad sexcentos annos pertingere potest.

Non igitur pertinet ad essentialem diaconatûs materiam ista Evangeliorum porrectio, cùm Ecclesiæ magna pars eam nunquam usurpaverit. Siquidem ab eo tempore nonnullæ Ecclesiæ sub variis formulis eam sunt amplexæ, tandemque, sed seriùs, in unam eamdemque formulam conspiravere.

Quòd autem porrectio Evangeliorum sit recens, satis superque testantur Authores, qui ex professo

de ordinibus Ecclesiasticis plurimos edidere tractatus. Nam de illa porrectione Evangeliorum (sicut & de dalmatica, quæ est ipsa porrectione recentior) ne verbulum quidem fecere. Isidorus Hispalensis qui floruit ineunte VII. Redempt. sæculo, lib. 2. de divinis officiis recenset complura Diaconorum officia; nihil tamen porrectionis Evangeliorum & dalmaticæ meminit, nec quicquam ad hujusmodi Diaconorum & aliorum Ecclesiæ ministrorum ordinationem pertinere asserit præter ea, quæ per Carthaginenses canones sunt constituta.

Amalarius Fortunatus Episcopus Treverensis lib. 2. de Eccles. offic. cap. 11. ait, primævo tempore Diaconum non legisse Evangelium quod nondum erat scriptum: sed postquam staturum est à Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut & Subdiaconus legeret Epistolam sive Lectionem. Hæc Amalarius, qui floruit anno Redempt. 830.

Durandus à sancto Porriano, qui floruit anno sal. 1320. testatur in 4. Sent. dist. 24. q. 3. secundùm antiquissimum Ecclesiæ Sacramentarium, Diacono, cùm ordinaretur, non fuisse traditum codicem Evangeliorum, imò hanc ceremoniam & ejus formulam seipsum sua manu addidisse Pontificali, ut Ecclesia cui præerat, sese ad aliarum exemplum componeret.

Quæ omnia hactenus allata satis superque probant, porrectionem libri Evangeliorum nullo pacto ad necessariam diaconatus materiam pertinere posse.

Quæstiuncula I.

Quænam erant Diaconissæ. qua ætate, & quomodo, & ad quæ officia assumebantur.

TRIPARTITAM hanc quæstiunculam triplici responsione resolvere juvat.

Respondeo igitur 1°. Diaconissas fuisse virgines perpetuas vel viduas, quæ uni dumtaxat viro nupserant, vel Clericorum uxores, quibus cum maritis suis, utpote ad aliquem Clericatus gradum assumptis, cohabitare non licebat, quæ ordinabantur, seu per aliquam cæremoniam Diaconorum ordinationi simillimam, assumebantur ad quædam officia sui sexûs personis exhibenda.

Ad hujusmodi ministerium nulla provehebatur vel virgo, vel vidua, vel Clerici cujuspiam uxor, quin sese Deo per emissum castitatis perpetuæ votum dedicasset.

Consecrabantur ergo virgines & viduæ, quæ uni viro nupserant: sed & virginum & viduarum consecratio differebat in eo, quòd virginum velandarum consecratio ad Episcopum, viduarum verò ad secundi ordinis Presbyterum pertineret: & insuper velum Episcopali benedictione consecratum velandæ virgini ab Episcopo imponeretur; vidua autem velum ab Episcopo vel Presbytero consecratum, ab altari sumptum sibimet ipsa imponeret, non autem Episcopus vel Presbyter, ut ab canonibus Concilii Carthagin. II. can. 2. & 3. cap. 36. & Hispalensis II. c. 7. & Tributiensis cap. 25. & aliis constitutum est. Præterea vidua nec à Presbytero, nec ab Episcopo benedicebatur, cùm illi publica castitatis professio coram Presbytero sufficeret. Quod apertè significat Concil. Turonense II. cap. 21.

Clericorum uxores, quæ ab gradu, in quo constituti per suam ordinationem erant, earum mariti denominabantur, uxor nempe Episcopi Episcopa, Presbyteri uxor Presbytera, Diaconi Diaconissa vocabatur; illæ, inquam, cùm earum mariti, abdicato in perpetuum conjugali commercio, (quod semper viguit in Ecclesia Occidentali) ordinabantur, sese nuncupato perpetuæ castitatis voto dedicabant & obligabant Deo. Quod quidem peculiaribus vestibus ad testificandam suam professionem accommodatis, publicè profitebantur.

Respondeo 2°. ad alteram quæstiunculæ partem, quâ scilicet ætate, & quomodo Diaconissæ assumerentur ad quædam officia sui sexus personis exhibenda.

Respondeo, inquam, Diaconissas per ordinationem quibusdam officiis postea recensendis fuisse destinatas virgines & addictas; scilicet, & viduæ quæ uni viro nupserant, & Clericorum uxores quæ se Deo perpetuæ voto castitatis obstrinxerant, cooptabantur in cœtum Diaconissarum ante sexagesimum ætatis annum Apostolorum temporibus, si essent viduæ; quod declarat Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. v. 9. ne scilicet juniores viduæ, quas ipse Apostolus devitandas esse admonet, & vult eas nubere, ne per suam incontinentiam ad secundas nuptias convolarent, atque ita immani scandalo dedecorarent Ecclesiam, & æternam animæ suæ perniciem accersserent. Ipse enim expertus erat quasdam viduas juniores luxuriatas fuisse in Christo, & nubere voluerant, habentes damnationem, quia primam fidem (id est perpetuæ continentiæ votum) irritam fecerant.

Objiciet aliquis, plurium Conciliorum sanctiones præfinire quadragesimum dumtaxat ætatis annum, ut vel viduæ, vel virgines ad Diaconissas aggregari possint, atque adeo Apostolo sexagesimum annum exigenti à viduis, adversari.

Respondeo cum Zonara explicante canonem 15. Concilii Chalcedonensis, ita conciliare canones cum Apostoli effato, ut dicat ipsum de viduis; Conciliorum verò canones de virginibus intelligendos esse, eo quòd nusquam conjugale commercium expertæ minori, quàm viduæ nuptiarum desiderio tenerentur. Et sic neque Concilium universale V. can. 15. statuens, Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & cum summo libramine; item Concilium VI. in Trullo cap. 14. & alia Concilia idipsum decernentia nullo pacto repugnant Apostolo, qui suis temporibus id constitui oportere judicavit. Quod nihil prohibet, quominus Ecclesia habitâ ratione temporum & personarum, minorem sexaginta annis ætatem iis, quæ in Diaconissarum collegium cooptari cuperent, sufficere, decernere potuerit. Unde Trullani Concilii Patres cap. 40. Diaconissam ordinari permiserunt, quia viderunt Ecclesiam Dei gratiâ potentiorem ac robustiorem evasisse, & ulteriùs procedere ad divinorum mandatorum observationem, firmitatem ac stabilitatem.

Hactenus de Diaconissarum ætate. Nunc de ordinatione paucis dicendum, si priùs monuerimus benevolum cordatumque lectorem hanc præfatam Diaconissarum ordinationem non proponi à nobis, quasi velimus asserere per illam aliquid Diaconissis conferri, cujus vi sacerdotalia quæpiam munia obire valeant, absit. Exploratum enim habemus, neque sacerdotium, nec illius officia præstandi, facultatem ullo unquam tempore mulieribus concessam fuisse, & contendimus cum S. Epiphanio hæresi 79. hujusmodi Diaconissarum ordinem ad nullam sacerdotii functionem obeundam institutum esse. *Quamquam*, inquit, *Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem aut ullam hujusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur.* Ita Epiphanius loco citato.

Quare autem Diaconissarum ordo seu ordinatio dicatur in Conciliis, in Patribus, & imperatoriis legibus, norunt omnes eruditi. Diaconissæ quippe

dictæ sunt ordinari, eo quòd cæremonia, per quam allegabantur in Diaconarum collegium, in pluribus ad Diaconorum ordinationem proximè accederet.

1°. In nomine: nam Diaconarum, sicut & Diaconorum ordinatio, ab Græcis χειροθεσία & χειροτονία, id est manuum impositio vocitatur.

2°. Utraque ordinatio inter Missarum solemnia, & eodem liturgiæ loco ab Pontifice celebratur.

3°. Quemadmodum Episcopus Diacono, quem ordinat, imponit manum, ita & Diaconissam, dum adprecatur, Ecclesiæ ministerio sui sexûs personis exhibendæ, manuum impositione mancipat. Ut testatur Arcudius lib. *6.* cap. 10. in hæc verba: *Pontifex imposita Diaconissæ manu, precatur ut sine reprehensione ministerii opus perficiat, castitatem atque honestatem sectetur, atque ita sacris adibus præsto sit. Non autem permittit ei immaculata ministrare Eucharistiæ mysteria, nec flabellum ei in manus tradit, sicut in ordinatione Diaconi.* Hæc ille.

4°. Utrique, id est Diacono & Diaconissæ, orarium seu stola imponitur. De Diaconi stola superiùs disseruimus, de Diaconissæ autem orario seu stola sic loquitur Ordo Romanus in Patrum Bibliothecam insertus; post consecrationem in modum præfationis ab Episcopo recitatam. *Tunc* (verba sunt Ordinis Romani) *ponat Episcopus orarium in collo ejus, dicens: Stolâ jucunditatis induat te Dominus; ipsa autem imponat velamen capiti suo palam omnibus de altari acceptum, cum Antiphona, Ipsi sum desponsata, cui Angeli, &c.*

5°. Diaconis & Diaconissis ordinatis corpus Christi porrigitur, & illis calix sanguine Christi plenus, ut ex eo degustent, in manus traditur.

Propter hujusmodi cæremonias, quæ proximè ad Diaconorum ordinationem accedunt, Diaconissis ordinatio attribuitur, ut patet ex Concilio Carthaginensi IV. c. 12. cui congruenter loquitur Justinianus novell. *6.* cap. *6.* *Volumus*, inquit, *& ipsas quæ ad ordinationem perducuntur, Diaconissas, sive ex viduitate, sive ex virginitate, &c.*

Diaconissæ vi suæ ordinationis pertinebant ad ecclesiasticum ordinem, & ideo Diaconissam fornicantem Clericorum more puniendam esse statuit S. Basilius c. 44. & ideo ad precum communionem & sacrificii conspectum ita admittebatur, ut propter sceleris gravitatem toto septennio corporis Christi participatione privaretur.

Ad has cæremonias Diaconorum & Diaconissarum ordinationi communes accedebat annuli & torquis traditio. Annulum ordinatæ Diaconissæ tradebat Episcopus sub hac forma: *Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut sponsa Christi voceris, si ei fideliter servieris.* Torquem autem ipse Episcopus tradebat his verbis: *Accipe signum Christi in capite, ut uxor ejus efficiaris: & si in eo permanseris, in perpetuum coroneris.*

Quod spectat ad tertiam quæstiunculæ partem, ad quæ scilicet officia Diaconissæ ordinarentur:

Respondeo, multa fuisse, quæ breviter attingere conabimur.

1°. Constitutæ sunt Diaconissæ, ut Ecclesiæ portas distinctas ab iis, per quas viri in Ecclesiam ingrediebantur, diligentissimè custodirent, ne videlicet ulla mulier vel malè notata, & ab Ecclesiæ ingressu per excommunicationem ablegata, sese in Christi gregem intruderet. Et ideo per differentes januas viri & mulieres in Ecclesiam intrare consueverant, quò & Ostiarii prospicerent, ne viri sacrorum mysteriorum aspectu & participatione privati sese permiscerent aliis, quibus mysteriorum celebrationi adesse licebat; & Diaconissæ pariter, ne mulieres, quas ab sancta synaxi Ecclesia removerat, religiosarum mulierum societatem contaminarent. Unde S. Ignatius Martyr gloriosissimus in Epist. ad Antiochenos inscripta sic loquitur: *Saluto sanctarum portarum custodes Diaconissas: saluto Christo acceptas virgines.* Hæc ille.

2°. Diaconissæ erant mulierum decoris & honestatis administræ, cùm scilicet exuendæ erant, ut baptismatis sacramento initiarentur.

3°. Diaconissæ erant ordinatæ, ut mulierum honestati consulerent, si fortè earum corpora vel ad explorandam earum castimoniam, vel aliam ob causam inspicere oporteret.

Duo hæc postrema Diaconissarum officia S. Epiphanius disertè explicat eo in loco, quem paulò antè prælibavimus, & hîc integrum referimus. *Quamquam*, inquit, *Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexûs honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, sive ut inspiciat si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit: sive ut cùm nudandum est mulieris corpus, interveniat: ne virorum qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed ab sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. Qua in re cùm ordinis illius modestia, tum ecclesiastica disciplinæ prudenter admodum ex canonis præscripto est ac regula consultum.* Hactenus S. Epiphanius in Collyridianorum hæresi, quæ est 79. in qua ille ipse S. Epiphanius graviter insectatur furiosas quasdam mulieres, quæ beatissimæ Virgini divinos honores seu sacrificia esse offerenda, in animum induxerant suum.

Hactenus de minoribus ordinibus, & de subdiaconatu & diaconatu actum est. Nunc verò properandum ad sacerdotium. Sit itaque

---

QUÆSTIUNCULA II.

Quomodo definiatur presbyteratus, & quæ ejus materia & forma.

QUOD spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem:

Respondeo, presbyteratum rectè definiri ordinem sacrum, in quo gratia, & corpus Christi consecrandi, & illud æterno Patri in sacrificium offerendi, necnon peccata remittendi potestas accipitur. In explicanda hac definitione satis superque perspicua non immoramur. Itaque

Respondeo, & solvo alteram quæstiunculæ partem, quâ quæritur quænam sit presbyteratus materia & forma.

Cui quæstiunculæ propositæ parti ut fiat satis, observandum est, Theologos in plurimas, sed in duas potissimùm sententias esse distractos, quas cùm discusserimus, cordati lectoris erit dijudicare, quænam alteri anteponenda esse videatur.

1°. Multi Theologi, iique graves & eruditi, docent, presbyteratûs materiam esse solam manuum impositionem, eamque presbyteratui essentialem, ita ut sine illa ipse presbyteratus irritus habeatur. Hæc sententia ab ipsismet astruitur authoritate Scripturarum, plurium Conciliorum & Patrum.

1°. Id probatur ex Scripturis, Act. cap. *6.* v. *6.* 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14. & cap. 5. v. 22. & 2. ad Timoth. cap. 1. v. *6.*

2°. Id probatur authoritate Conciliorum, ut puta Niceni I. c. 9. Neocæsariensis c. 9. Ancyrani c. 10. Antiocheni c. 10. & 17. Carthag. IV. c. 2. & 3. Synodi VII. c. 14. Chalcedonensis c. 2. 6. 10.

3°. Id ipsum astruitur SS. Patrum testimoniis, ut puta S. Basilii in Epist. ad Amphiloch. c. 1. & 51.

&

& in Epist. 192. ad Nicopolitanos, Gregorii Nazianz. orat. 20. in laudem S. Basil. & orat. 4. de 40. Martyribus. Item S. Joannis Chrysostomi hom. 14. in cap. 15. Act. Apostol. & in 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14.

Eamdem doctrinam in eadem Apostoli loca tradunt OEcumenios, Theodoretus, Theophylactus, & alii passim Interpretes.

Eamdem ipsam doctrinam insigniter amplectitur & luculenter explicat Maldonatus de sacram. tom. 2. cùm agit de ordine, ubi sic loquitur: *Impositio manuum non est habenda tamquam caremonia non necessaria, sed tanquam pars essentialis sacramenti, idque videtur tenendum fide catholica.*

» 1°. Quia in Scriptura ubicumque fit mentio de » ordinatione, declaratur per impositionem manuum. » Et videtur mihi esse temerarium Scripturam deserere, & consectari chimæras, id est rationes naturales.

» 2°. Quia veterem Ecclesiam numquam ordinasse fine impositione manuum, est omnibus Authoribus antiquis perspicuum est. De traditione autem calicis & hostiæ nulla est apud ipsos mentio.

» 3°. Quia videtur nimis durum esse, cæremoniam, » quam nobis perspicuè tradunt Apostoli, excludere » à natura sacramenti, & inducere illam, de qua nulla » mentio fit in Scriptura.

» 4°. Quia hoc est labefactare totum sacramentum, » & victoriam concedere hæreticis. Nam si impositio » manuum non est essentialis cæremonia, per quam » hoc sacramentum exhiberi debeat, non potest probari ex Scripturis, ordinem esse sacramentum.

Hactenus Joannes Maldonatus insignis Societatis Jesu Theologus, tom. 2. de sacram. ubi tractat de ordine sub tit. *De materia & forma hujus sacramenti.* p. 398. ubi in 2. propositione asserit, positio, impositionem manuum esse cæremoniam necessariam, potiùs materiam sacramenti appellandam esse, quàm formam.

Deinde in 3. propositione contendit, non esse fidem Catholicam, quòd traditio calicis & hostiæ fit materia sacramenti ordinis, neque expedit ut pro fide doceatur, antequam Ecclesia declaret contrarium.

Hanc propositionem probat ratione quam paulò » antè insinuaverat: Si, inquit, traditio calicis & » hostiæ esset propriè materia ordinis, idque fide » Catholica tenendum esset, non posset probari ex » Scripturis, ordinem esse sacramentum, quia ut id » probetur, necessarium est ut in Scripturis ostenda» tur materia; quòd si calix & hostia est materia, » (hujus sacramenti) in Scripturis non ostenditur. » Quare non est necesse religionem sine causa prode» re adversariis. Hæc ille.

Quæstiuncula LII.

Quænam manuum impositio sacramentum ordinis constituat.

Hæc quæstio proponitur hoc loco, eo quòd in consecratione Sacerdotis triplex manuum impositio repetiatur.

Prima fit ab Pontifice, qui post recitatas litanias, nullo cantu nullaque oratione præmissis, imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successivè, nihil dicens: idemque faciunt omnes Sacerdotes qui adsunt.

Secunda manuum impositio fit, cùm tam Pontifex, quàm Sacerdotes tenent manus dextras extensas super illos: hanc secundam impositionem manuum sequuntur duæ orationes, quas in Pontificali Romano legere est.

De Sacram.

Tertia denique manuum impositio fit in fine ordinationis, cùm scilicet super unumquemque ordinati ambas manus imponit Pontifex, & dicit cuilibet: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Hoc posito, quæritur, quænam ex his tribus manuum impositionibus sit essentialis presbyteratûs ordini.

Respondent non pauci, & quidem illustres Theologi, primam illam manuum impositionem ab ipso Pontifice & Sacerdotibus ipsum comitantibus factitari solitam, constituere ipsam presbyteratus essentiam.

Quæ sententia proculdubio non parum roboris accipit ab eo Apostoli loco, quo Timotheum admonet, ne negligat gratiam, quæ in ipso est, quæ ipsi data est per prophetiam cum impositione manuum presbyterii, 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14.

Presbyterium hoc loco significat cœtum ex Episcopis & inferioribus Presbyteris ab iisdem Antistitibus ordinatis conflatum. Siquidem & Episcopi & simplices Presbyteri ordinabantur per impositionem manuum presbyterii, id est tam Episcopi, quàm aliorum Presbyterorum Episcopum in ordinatione comitantium: cum eo tamen discrimine, quòd Episcopo consecrando plures Episcopi manus imponerent, simplicem verò Presbyterum unus dumtaxat Episcopus impositione manuum cum astantibus ipsi Presbyteris manus pariter cum ipso imponentibus ordinaret. Et hic ordinationis modus communis erat omnibus Presbyteris, ut patet ex can. 3. Concilii Carthagin. IV.

Presbyter, inquiunt ejus Concilii Patres, *cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Hæc in cit. Concil. loco proximè citato.

Cùm igitur Episcopus ordinandum benedicit, id est solemnia verba instar formæ ad ordinis essentiam pertinentia & oratione antiquissimâ (quam recitat, dum & ipse & Sacerdotes ipsi astantes tenent manus dexteras extensas super ordinandum) comprehensa pronuntiat, illum sanè adhibita prima illa manuum impositione, quasi materia, & præfatæ vel unius, vel duplicis orationis (quæ leguntur in Pontificali Romano) recitatione, quasi forma, proculdubio Sacerdotem efficit.

Dicitur ergo Episcopus ordinandum benedicere, cùm verba formæ super illud pronuntiat cum impositione manuum & suarum, & Sacerdotum ipsi astantium.

Quod quidem de prima manuum impositione intelligi oportere constat. Nam per illam & Episcopus, eumque comitantes in ordinatione factitanda, Presbyteri omnibus & singulis ordinandis alternatim manus imposuerunt & ordinarunt. In secunda verò ille ipse Pontifex & astantes Presbyteri manus dexteras super ordinatos tenent extensas, dum ipse Pontifex orat Deum Patrem omnipotentem, ut super famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet, & super eosdem sancti Spiritus & gratiæ sacerdotalis infundat virtutem. Ista igitur prima manuum impositio ea est, per quam Sacerdotes efficiuntur, cùm neque per secundam manuum impositionem fiant Presbyteri, (ut vidimus) nec per tertiam, cùm illa in fine ordinationis factitari soleat.

Si dicas, ordinati Diaconos & Presbyteros per manuum impositionem, atque adeo unam & eamdem esse Diaconi & Sacerdotis ordinationem:

Respondeo equidem, & Diaconos & Presbyteros per manuum impositionem ordinari; sed cum eo discrimine, quòd (ut ait Concilium Carthaginense IV. can. 4.) solus Episcopus, qui Diaconum benedicit, manum super illius caput ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Cùm verò Presbyter ordinatur, astantes omnes Presbyteri manum simul cum Episcopo imponere debent, quia ad sacerdotium consecratur, ut paulò antè vidimus ex eodem Concilio Carthaginensi IV. juxta quod Episcopi & Presbyterorum manûs impositio, Presbytero ordinando necessaria est, sed solius Episcopi Diacono.

Verùm ut sese nostra referat oratio ad cit. Apostoli locum, quo diximus, probari manuum impositionem ad presbyteratûs essentiam pertinere, & per eam omnino perfici; ex eo sic argumentari licet:

Si per manuum impositionem datur gratia sacerdotalis, illa ipsa manuum impositio presbyteratûs essentiam proculdubio constituit:

Atqui per manuum impositionem datur gratia sacerdotalis: ergo proculdubio presbyteratûs essentiam constituit.

Hujus syllogismi major est certa: nunquam enim datur gratia sacramentalis, quin sacramenti essentia constituatur, ut patet in omnibus sacramentis.

Minor constat ex citato Apostoli loco, & ex altero ex 2. ad Timoth. c. 1. v. 6. repetito: *Admoneo te*, (ita Apostolus suum affatur Timotheum) *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ergo, &c.

Ad ea quæ diximus, accedit argumentum negativum, quo probatur, solam manuum impositionem presbyteratûs essentiam constituere, cùm de instrumentorum, id est calicis & patenæ & hostiæ porrectione, antiquissimi & Authores & Rituales penitus conticescant.

Ad postremam hanc probationem diligenter incumbit Joannes Morinus Presbyter Oratorii multò doctissimus, de sacris ordinat. part. 3. exercitat. 7. de presbyteratus materia & forma, & hanc materiam prosequitur totis tribus capitibus.

Ac reipsa quidem S. Dionysius, qui cap. 5. de Eccles. Hierarch. in secundo mysterio consecrationis sacrorum ordinum, & in contemplatione 3. agit de sacris ordinibus, verba facit de pontificiæ manûs impositione; de porrectione verò calicis, patenæ & hostiæ ne meminit quidem: quam rem (cùm sit Author citra controversiam antiquissimus) numquam prætermisisset, si ad ordinationem Presbyterorum adhibita fuisset.

Quidquod antiqui Rituales præfatam instrumentorum, id est patenæ, calicis, &c. porrectionem ne verbulo quidem judicarunt. Quod & hac de re silentium exhibuere Isidorus Hispalensis, Alcuinus, Amalarius Fortunatus Treverensis Episcopus, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, & alii qui de Ecclesiasticis officiis ubertimos tractatus sdidere.

Tam altum de hujusmodi instrumentorum porrectione silentium, & ab Ritualibus & Scriptoribus observatum, indicat, eam non pertinuisse ad ordinationis presbyteralis essentiam, atque adeo illam ipsam presbyteratus essentiam ab prima illa manuum impositione, ab omni ævo esse constitutam.

Tametsi enim Authores, qui ab anno millesimo scripserunt, meminere porrectionis dictorum instrumentorum ad Presbyterorum ordinationem adhiberi solitæ; nemo tamen eorum presbyteralis ordinationis essentiam in eâ positam asseruere: sed ea tantùm instrumenta (calicem scilicet cum vino, & patenam cum hostia) ordinatis ab Episcopo esse porrecta, ut per ordinationem se placabiles Deo hostias offerendi potestatem accepisse his instrumentis admoniti resciscerent. Ut testantur Hugo Victorinus lib. 2. de sacram. fid. p. 3. c. 13. Magister Sentent. lib. 4. dist. 24. sub tit. *De Presbyteris*.

Objicies: Si sola manuum episcopalium & sacerdotalium impositio (quæ est velut materia istius ordinationis, & oratio ab ipso Pontifice recitata, quæ est veluti ejus forma) Sacerdotes constituit; quandonam iisdem Sacerdotibus consecrandi corpus Christi naturale, & ejus corpus mysticum (quod est Ecclesia) per peccatorum absolutionem & retentionem regendi potestas tribuitur?

Respondeo cum Maldonato loco suprà citato, ipsis utramque potestatem in duplex Christi corpus, naturale scilicet & mysticum, per dictam manuum impositionem attribui.

Quæ sententia videtur probabili nixa fundamento. Nam Honorius Augustonensis qui floruit circa sæculum XII. ita loquitur de potestate ligandi atque solvendi: *His*, inquit, *ordinandis Episcopus in ordinatione manus imponit, potestatem ligandi atque solvendi tradit, quatenus ita ipsi vivant: ut alios ligare, ac solvere valeant.* Hactenus citatus Honorius in *Gemma animæ*, lib. 1. cap. 181. Ex quo loco non temere colligere possumus, per primam manuum impositionem, (de qua nunc agimus) potestatem remittendi & retinendi peccata, Presbyteris ab Episcopo traditam esse. Sicut per eamdem manuum impositionem presbyteratûs characterem in ordinandorum animis impressum esse citra errorem affirmare possumus.

Quæres qua in re præsertim posita sit præfata manuum impositio, & utrum consistat in extensione manuum supra caput ordinandi, vel in ejusdem capitis contactu.

Respondeo, hujusmodi manuum impositionem nihil esse aliud, quàm extensionem manûs seu manuum super alicujus caput aut plurium capita, ita ut vola manûs seu concavum tegat caput. Non est autem necesse, ut manus sic extensa semper capiti insideat, & illud tangat, nisi Ritualis ita præscripserit: sufficit ut sic extensa super caput ordinandi suspendatur, & illud tegat, & adumbret. *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manûs impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. De sacram. non iterand.* cap. *Presbyter.* Quem locum sic explicat Glossa in v. *Suspensio. Quando Episcopus incipit orationem ad benedicendum Sacerdotem, tunc omnes Presbyteri, qui primò tangebant caput, debent elevare manus, ita ut non tangant caput ordinandi.* Hæc ibi.

Istam manuum impositionem mysticè interpretatur S. Dionysius in lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 5. in Contemplat. 3. §. 3. Pontificalis manûs impositio, inquit, declarat protectionem τελεαρχικὴν, telearchicam, id est à Christo perfectionum seu sacramentorum conditore & principe præstandam, ita ut ordinatos tamquam filios paterno affectu tueatur ac foveat, iisque statum & potestatem ordinis impertiatur, & adversarias potestates procul ab illis abigat, pariterque consecratos sacras seu hierarchicas sui ordinis functiones implere doceat, perinde ac si illas obirent inspectante Deo, ad cujus nutum & regimen eos sese in omnibus componere necesse est. Et id significatur per manûs impositionem, quia manus est symbolum, & organum operationis.

Per hanc ipsam manuum impositionem ab Episcopo & Sacerdotibus ipsum in ordinatione comitantibus

celebratam Presbyteros ordinari liquidò declarat Concilium Tridentinum session. 14. cap. 3. in quo agit de extrema unctione, & asserit, legitimos istius sacramenti ministros esse aut Episcopos aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manum presbyterii.

Quibus verbis videtur docere Concilium, nullam esse presbyteratûs essentialem materiam, præter manuum episcopalium & presbyteralium impositionem, quæ sola cum forma, id est orationibus ipsam illam manuum impositionem comitantibus, Sacerdotes constituit. Et hæc satis de prima opinione Theologorum aientium, solam illam manuum impositionem pertinere ad essentialem presbyteratûs materiam. Sit itaque

Explanatio alterius sententia materiam & formam presbyteratûs aliis in rebus, quàm in manuum impositione reponentis.

Alii Theologi aliter de materia & forma presbyteralis ordinationis sunt locuti, atque adeo ab eorum, quorum doctrinam proximè explanavimus, sententia recesserunt. Nam in præsata presbyteratûs ordinatione duas materias partiales, & totidem formas etiam partiales, atque adeo duo partialia sacramenta constituerunt, ex quibus presbyteralis ordinationis essentia, sicut & integritas, perficeretur & coalesceret.

Nam asserunt, unius partis, ejusque præcipuæ, (quâ scilicet consecrandi corpus Christi potestas confertur) materiam esse calicem cum vino & patenam cum hostia; formam verò huic materiæ respondentem contineri & exprimi per hæc ipsa Episcopi verba: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Amen.*

Addunt præterea, alterius partis (quâ scilicet Sacerdotibus peccata remittendi retinendique potestas tribuitur) materiam esse impositionem manuum episcopalium & presbyteralium; formam verò huic materiæ applicari solitam, nullam esse aliam, quàm ista Pontificis verba: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Suam illam opinionem probant authoritate S. Thomæ aientis, quòd potestatis collatio fit per hoc, quòd datur ordinandis aliquid quod ad proprium actum pertinet: & quia principalis actus Sacerdotis est consecrare corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. Hactenus S. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. a. 3. in solut. quæstionc. *Utrum Sacerdotis character imprimatur in ipsa calicis porrectione.*

Quod spectat ad alteram partem, & ejus materiam & formam, affirmant, manuum impositionem tam ab Episcopo, quàm ab Sacerdotibus ipsum in ordinatione comitantibus, celebrari solitam, esse partialem materiam; ipsa verò verba, *Accipe Spiritum sanctum, &c.* esse istius partis formam item partialem.

Ubi notandum, manuum impositionem esse presbyteratus ordinationi essentialem secundùm S. Thom. 3. p. q. 84. a. 4. ubi docet, *in confirmatione & ordine requiri manuum impositionem, non autem in sacramento pœnitentiæ, quia in confirmatione confertur plenitudo Spiritus sancti, & in ordine confertur quadam excellentia potestatis; in sacramento autem pœnitentia neutrum istorum.* Hæc ibi.

Huc accedit, quòd cùm Episcopus imponit manum super ordinandorum capita, & dicit singulis: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* sacramentum

conficit, cujus signum visibile est ipsa manuum impositio, per quam gratia in ordinandorum corde producitur. Quam doctrinam ad fidem Catholicam pertinere sub anathematis interminatione declarat Concilium Tridentinum sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, &c. aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

Hasce sententias de materia & forma presbyteralis ordinationis, etsi ab invicem penitus diversas, proponere placuit, ut cordatus lector probabiliorem eligeret.

Ut autem eligatur probabilior, attendendum est vel ad traditionem, vel ad sententiam communiorem. Nam si attentiùs perpendatur traditio, prima sententia multò probabilior apparebit, utpote quæ majus & luculentius in ea fundamentum habeat. Si verò quis ad sententiam communiorem adhærere voluerit, amplectetur procul dubio secundam opinionem aientem, presbyteratus materiam, sicut & formam, duplicem esse, & sese Concilii Florentini authoritate munitum arbitrabitur. Itaque operæpretium est expendere, quomodo huic objectioni respondeant Theologi, qui contendunt, posteriorem illam sententiam, presbyteralem ordinationem ex duabus materiis partialibus & totidem formis constituentem, non posse ita stabiliri authoritate Concilii Florentini, ut pro articulo fidei habeatur.

Solvitur objectio ex Concilio Florentino circa presbyteratus materiam & formam repetita.

Synodus Florentina in instructione Armenorum nullam aliam affert presbyteratus materiam, quàm calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem. Ergo nullam aliam ejusdem presbyteratûs licet assignare materiam.

Respondeo, Concilium eo loco non definiisse conciliariter, (ut loquuntur Theologi) id est non proposuisse tamquam dogma catholicum, calicis cum vino, & patenæ cum hostia porrectionem esse veram & essentialem & unicam presbyteratûs materiam: sed locutum esse juxta communem consuetudinem & modum, quo passim omnes vocant sacramentorum materiam, sive illa materia sit essentialis, sive accidentaria: cùm enim in aliis sacramentis sit aliqua una res externa, quæ applicetur sacramentum suscipientibus, ut in baptismo aqua, in confirmatione oleum, quia in presbyteratu nihil erat quod applicaretur, Concilium instrumentorum porrectionem materiam appellavit, nec tamen definiit, utrum esset essentialis, vel accidentaria, vel cæremonia, per quam (ut antea declaravimus) Sacerdotes de sacrificio ab ipsis ob perceptam ordinationem offerendo admonerentur. Quòd autem non fuerit propositum Concilio dogmaticè, & sic tamquam de fide declarare, præfatam instrumentorum porrectionem esse veram & essentialem presbyteratûs materiam, ex eo constat, quòd eodem modo dixit, materiam pœnitentiæ esse tres actus pœnitentis, contritionem scilicet, confessionem & satisfactionem, qui tamen actus non sunt pœnitentiæ materia, nisi impropriè dicta. Nam Concilium Tridentinum session. 14. cap. 3. ait, eos pœnitentis actus, nempe contritionem, &c. esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ. Sicut ergo præfati actus pœnitentis dicuntur pœnitentiæ materia, vel quia sunt dispositiones necessariæ ad suscipiendum illud ipsum pœnitentiæ sacramentum, vel quia erga hujusmodi actus, ut circa materiam, versatur idem ipsum sa-

cramentum: ita etiam calix & hostia vocantur materia presbyteratûs, quia per hujusmodi instrumenta Sacerdotibus indicatur potestas sacrificii Deo offerendi, quâ donati sunt sua in ordinatione; vel quia præcipuum Sacerdotis officium, id est corporis & sanguinis Christi consecratio, cum hostia in patena offerri & imponi solita, & cum vino in calicem infuso perficitur.

Hujusmodi opinionum alterutra illæsâ fide propugnari potest, ita tamen ut si quis ad primam adhærere voluerit, teneat congruenter istius sententiæ principiis, Sacerdotes per plura sæcula ordinatos esse per manuum impositionem, & per eam cum præscripta determinataque forma ipsis traditam esse potestatem in utrumque Christi corpus, in naturale scilicet per potestatem illud consecrandi, & in mysticum per authoritatem peccata remittendi & retinendi. Quod quidem probabilius arbitratur Maldonatus loco suprà cit. sub titulo *Ad argumenta*. Teneat etiam cætera in Presbyterorum ordinatione usurpari solita, ita pertinere ad istius ordinis solemnitatem, ut quamquam non sint de necessitate sacramenti, sint tamen de necessitate præcepti, nec ab ordinante sine peccato lethali prætermitti valeant.

Si quis dicat, instrumentis, quæ porriguntur ordinandis, additas esse formas ab Ecclesia, quæ tamen essentiales sacramentorum materias & formas mutare non potest:

Respondeo, Ecclesiam equidem nihil posse circa mutationem materiarum & formarum essentialium. Et ideo contendimus cum Arcudio, quòd cùm olim Apostoli per solam manuum impositionem Diaconos, Presbyteros, imò & Episcopos ordinarent, postmodum Ecclesiam Romanam ad officia hujusmodi ordinum meliùs exprimenda & determinanda, addidisse instrumenta, quibus accommodavit & formas. Hactenus Arcudius lib. 6. cap. 7.

Quicquid id est, omnes & singuli Latinæ Ecclesiæ Episcopi tenentur sub peccato lethali conferre ordines eo ritu & modo, qui Romano Pontificali præscribitur, ita tamen ut Scholasticis Theologis disputandi, & alterutram hujusmodi sententiarum propugnandi, cum debita fidei & Ecclesiæ reverentia, facultas libera relinquatur.

QUÆSTIUNCULA LIII.

Unde orta est manuum impositio.

RESPONDEO, hanc cæremoniam quâ manus in novo Testamento ordinandis imponuntur, traxisse originem à Judæis, à quibus eam Apostoli & ab Apostolis Christiani acceperunt. Quia autem hujusmodi cæremonia mysterius suo tempore repræsentandis erat, ut ita dicam, plena & gravida, ideo Apostoli Spiritu sancto afflati, eam ad Diaconorum, & Presbyterorum, & Episcoporum ordinationem adhiberi voluerunt. Nam si in veteri Testamento imponebantur manus capitibus eorum qui benedicebantur, ut patet ex cap. 48. Gen. v. 14. ubi Jacob nepotibus suis Ephraim & Manasse benedicturus, eorum capitibus manus imposuisse legitur, quod & in novo Testamento Christum Dominum pueris benedicentem manus super eos imposuisse commemorat Evangelium Marc. c. 10. v. 16. ordinandis etiam ab Episcopo Christum repræsentante, manus imponuntur, ut sciant se per ordinationem divinitus institutam benedici, & (si officia suo ordini annexa dignè Deo præstiterint) sese maximis & uberrimis benedictionibus tum in terris, tum in cælo cumulatum iri, pro comperto habeant.

Si in eodem veteri Testamento applicabatur mactandus vitulus coram tabernaculo testimonii, & imponebant Aaron & filii ejus manus super caput illius, ut hoc ritu sese peccatores esse, & peccata sua vitulo imponere, illumque ut victimam pro peccatis suis offerre testificarentur: (manuum enim impositio symbolum oblationis erat, & testimonium reatus in hostiam translati, ut ait Eusebius lib. 1. de demonstrat. Evangel. cap. 10.) ut hoc pacto per immolatum hujusmodi vitulum, seu per piacularem victimam repurgati, digni redderentur, qui pro aliis intercederent & sacrificarent.

Si, inquam, hujusmodi ritus vituli piacularis præmittebantur, ut offerens se victimam è sua manu & potestate in Dei jus transferre, & totum se cum victima in holocaustum offerre Deo, & sese totum ipsius Dei obsequio mancipare velle patefaceret; nemini dubium est, quin Sacerdotes novi Testamenti per manuum impositionem & per sacrificium Catholicum quod singulis diebus æterno Patri in persona Christi offerunt, sese peccatores esse, & Christi corpus, quod est hostia (cui in sacrificio Missæ manus superponunt) pro suis & populi peccatis, quæ per suam ordinationem expianda, sic tamquam in ipsos translata susceperunt) offerre, & se cum ipso Christi corpore veluti victimam ipsius obsequio per ordinationem penitus mancipatam exhibere testificari tenentur, ut cælesti cibo recreati, & ab gravioribus peccatis expediti, habeantur digni, qui pro populi peccatis dignos faciant pœnitentiæ fructus.

Sed ne id gratìs dictum existiment, audiant S. Bernardum in Declamat. de vita & moribus Clericor. id ipsum verbis efficacissimis asserentem: *Populi*, inquit, *constat esse peccata quæ comedis*, (Clerice) *sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas; cùm tandem (ut minus) tibi provenire videntur: sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur. Sollicitus esto tamquam redditurus rationem pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noveris imputanda, quæ modò inter delicias comedis & parvipendis, & dissimulas tamquam nihil attinentia tibi. O judiciorum Dei abyssus multa! ô terribilis Deus in consiliis super filios hominum! Frustra tunc incipient miseri dicere montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Veniet, veniet ante tribunal Christi, audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluêre peccata: quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi, insipiens, delicia sapiunt? quid divitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam grave judicium, tam duro temetipsum obligas rationi? universa siquidem usque ad quadrantem novissimum exigeris.* Hactenus S. Bernard. cit. Declamat. cap. 7.

Si apud Hebræos, testes manus reorum (quos suo testimonio criminis, de quo erant accusati, conscios esse affirmaverant) capitibus imponebant, vel ut attactum à se caput impium & flagitiosum, atque adeo virum, cujus erat, morte mulctandum, vel ut se veritati testimonium perhibuisse patefacerent: nonne apud Christianos Sacerdotum ordinatio manuum episcopalium & presbyteralium impositione celebratur, ut per istam cæremoniam & Episcopus & astantes Presbyteri toti Ecclesiæ testatum faciant, eum hominem, cujus caput contingunt, dignum esse, qui ad sacerdotale ministerium provehatur. Id enim propalam ante ordina-

tionem affirmavit Archidiaconus ab Episcopo de ordinandorum captu & dignitate interrogatus, utpote qui respondit se scire & testificari ipsos esse dignos ad opus presbyterii, quantùm humana fragilitas nosse sineret.

Vel Sacerdotum ordinatio cum manuum impositione celebratur ab Episcopo & Presbyteris astantibus, ut sciant ordinandi se ab ipsis coram Christo judice accusandos, vel certè de sacrilega sua impietate aliquando ipsorum testimonio revincendos esse, si sacerdotii dignitatem & sanctimoniam profligatis moribus, id est avaritiâ, infandis libidinibus, vinolentiâ, aut aliis gravioribus flagitiis dedecorare & violare nec veriti sint, nec horruerint.

Vel ordinandis imponuntur manus, ut noverint se ministerio Episcopi & Presbyterorum astantium ab Ecclesia corripi, ut ita dicam, & per ordinationem veluti per initam possessionem in ejus dominium & obsequium transferri.

Quæstiuncula LIV.

Quomodo ab Episcopo reflectatur orarium, & aptetur ante pectus ordinandi in modum crucis, & quid significet.

Respondeo, orarium seu stolam imponi collo Sacerdotis ab Episcopo sub hac forma: *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.*

Quid autem significet orarium seu stola, luculenter explicat Ivo Carnotensis serm. 3. de significationibus indument. sacerdotal. *Utuntur*, inquit, *& Sacerdotes stolâ, quæ alio nomine orarium vocatur, quo vetus sacerdotium non utebatur. Hoc tamquam jugum bobus arantibus, vel triturantibus collo juxta humeros superponitur, ut illud evangelicum ab eis impleatur: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc à collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat & sinistrum, ut doceat Sacerdotem per arma justitiæ à dextris & à sinistris, id est in prosperis & in adversis, debere esse munitum.* Hæc ille.

Hoc ipsum explicat Innocentius Papa III. lib. 1. myster. Missæ cap. 54. Quam studiosè autem stolam Sacerdos gerere debeat, declarat cap. 3. Concilii Braccarensis III. quod jubet anathemate feriri Sacerdotes, qui rem divinam facturi, vel Eucharistiæ sacramentum percepturi, orario seu stolâ utrumque humerum munitum non habuerint.

Quæstiuncula LV.

Quid significet casula.

Episcopus imposito super utrumque ordinandorum humerum oratio, & ante ipsorum pectus in crucis modum composito, imponit cuilibet successivè casulam usque ad scapulas, singulis dicens: *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur: potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem & opus perfectum.*

Ex his verbis pulcherrimum documentum elicere possumus, & discere, quantam oportet esse Presbyteri charitatem. 1°. Erga Deum: hac de causâ, casula anteriori parte explicatâ induitur, & à tergo postmodum explicatur ad testificandam amplitudinem, quâ illa ipsa charitas jam in Deum ardentiùs animata sese erga proximum exetere debet: ita ut Sacerdos ejus impulsu, imò imperio, ipsi proximo ad omnia virtutum & bonorum operum genera præferat facem, & eum ad strenuam suæ pietatis imitationem alliciat.

Quia autem ordinandi tantæ charitatis Presbytero necessariæ perfectionem & præstantiam comparatu difficilem & arduam causari poterant, addit Pontifex: *Potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem & opus perfectum*

Quibus è verbis alterum documentum deducere possumus; quod scilicet tametsi non deprehendamus in nobis tantum charitatis & gratiæ gradum, quantum sacerdotalis ordinis dignitas & amplitudo, & sacrarum functionum sanctitas exigit; nihilominus si nobis aliqua suppetant indicia, quibus appareat nos ad tantum tamque divinum statum divinitus evocatos esse, & aliunde nulli nos operæ & labori ad comparandam hanc charitatem pepercisse, utpote qui eam assiduis precibus poposcerimus à Deo, & nihil non moliti simus, ut nostras libidines domitas haberemus, bene sperare possumus de illa ab ipso concedenda, prout rerum ad ejus obsequium gloriamque spectantium (in quibus nostrâ operâ voluerit uti) necessitas exegerit. Est enim quædam vis gratiæ ad actiones quasdam arduas, & in quibus maxima sunt momenta ad ejus gloriam & ipsius Ecclesiæ utilitatem procurandam apta & accommodata, quam non nisi tempore & loco, & premente necessitate impertiri solet. Ita si grassante pestilent à mortis periculum pro suarum ovium salute adire, si quempiam primariæ nobilitatis virum de peccato, in quod implicat sese, & de pernicioso exemplo, quo exulcerat plerosque omnes, admonere & corripere oporteat; siquidem simus altissimâ humilitate præditi, & ipsi Deo arctiori charitatis vinculo astricti mancipatique, in spem & fiduciam erigi debemus, ita ut habeamus persuasum, nos in eo rerum concursu & articulo ab ipso ea vi & fortitudine induendos, quâ nostras partes (ut par est) impleamus. Quandoquidem ex ipso per Ecclesiam loquente, discimus illum esse potentem, ut nobis charitatem & opus perfectum augeat.

Postea impositâ singulis ordinandis casulâ, omnes procumbunt in genua, & precatur Pontifex, ut omnes quos ad presbyterii honorem dedicat, gravitate actuum & censurâ vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus exposuit, ut quotquot sunt fideles, in iis omnium virtutum exempla valeant intueri.

Quæstiuncula LVI.

Quomodo ordinandorum manus ungantur ab Episcopo, & quid unctione ordinandi doceantur.

Ut Pontifex inungat ordinandorum manus, alta voce præcinit, & Schola prosequitur Hymnum: *Veni creator, &c.*

Tunc ipse ille Pontifex inungit successivè singulorum ordinandorum manus, sub hac forma: *Consecrare, & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem. Amen.* Hujusmodi unctio multa docet ordinandos. Nam 1°. Ex ea possunt ediscere, se in sua ordinatione maximâ gratiarum ubertate perfundi ab ipso Spiritu sancto, qui Christianorum, at maximè Sacerdotum unctio nominatur. Cùm enim Christus ab æterno Patre Spiritu sancto sit unctus ea plenitudine, quâ nulla major excogitari potest, de ipsa illa ejus plenitudine nos omnes accepimus; ita ut divinum istius unctionis unguentum (adinstar illius unguenti, quod descendit in barbam, barbam Aaron, & in oram vestimenti ejus) à Christo qui est caput Ecclesiæ, longè lateque in omnes Christianos, at præsertim in Sa-

cerdotes majori sanctiorique altarium ministerio destinatos fuerit effusum.

Meminerint igitur Sacerdotes, se instar Regum benedicto oleo perfundi & inaugurari, divina ordinatione & institutione, ut nihil nisi magnificum & regium aggrediantur & perficiant, nec unquam degeneri vita ab regio suæ dignitatis tramite deflectant, atque ita populos, ad quorum regimen presbyterali ordine suo admoti, quà verbis, quà exemplis ad eam provehant fœlicitatem, quam nulla temporum circumscriptio metiatur.

2°. Ista unctio docet ordinandos summam mansuetudinem & misericordiam, ita ut quemadmodum oleum innatat & superfertur cæteris liquoribus; sic eorum charitatem omni naturæ ultionem appetentis dolori & acerbitati superferri oporteat. Nam Spiritus sanctus per Doctorem gentium, Episcopum & quemlibet Clericum imperat non esse percussorem. Revera 28. Apostolorum canon de suo gradu dejicit Episcopum, Presbyterum & Diaconum, qui vel Christianum vel infidelem percusserit: quia, ut asserit idem canon, nusquam nos hoc Dominus docuit.

Concilium Agathense sancit & denunciat, seditionarios numquam ordinandos Clericos, sicut nec usurarios, nec injuriarum suarum ultores, ut patet ex ejus can. 69.

Quisquis ergo sacerdotii sanctimoniam retinere & meritum adipisci voluerit, eum ignoscentissimum sese præbere, & exemplo Christi, cujus quotidie sacrificium cum summa in suos interfectores misericordia in cruce peractum repræsentat, illatas sibi injurias, qualescumque sint aut extiterint, oblivione sempiterna conterere necesse est.

Quæstiuncula LVII.

Utrum Sacerdoti suas manus utpote consecratas, ad ludum aleatorium adhibere liceat.

Respondeo, non licere Sacerdoti aleatorium ludum exercere. Cùm enim ipsius manus sint ab Episcopo inunctæ & consecratæ, ut benedictiones impertiant, adhiberi nequeunt ad ludos aleatorios, è quibus ut plurimùm maledictiones & blasphemiæ prosiliunt. Unde jure ac meritò Clericum lucri cupiditate adductum, studiosissimè aleâ ludentem, & Sacerdotum ordinem & cœtum dedecorantem, lethali se flagitio devincire graves Theologi docuerunt, sive palam, sive clanculùm hujusmodi ludum exerceat: utpote qui Clericis tam severè est interdictus, ut per canon. *Cleric. 2. de vit. & honestat. Clericorum.* nec ejus ipsius ludi spectatores esse valeant.

Ostiensis in sua Summa lib. 5. *de excess. Prælat.* num. 4. §. *Clericus verò.* sic loquitur de ludis aleatoriis: Sunt igitur, inquit, ludi noxii vitandi, sicut taxillorum. Sunt enim indigni, & pessimi, & serviles, quorum effectus est injuria. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur, ut in proœmio ff. §. *Illud verò satis.* Unde ipse Ostiensis ibid. num. 5. percenset sexdecim delicta ex aleæ ludo emergentia, quæ alibi retulimus.

Clericum peccare lethaliter in ludo, constat ex principiis S. Thomæ, aientis 2. 2. q. 168. a. 3. in c. posse esse peccatum mortale in ludo, cùm quis ludi delectationem præponit dilectioni Dei, ita quòd contra præceptum Dei vel Ecclesiæ talibus ludis uti non refugiat.

Inde colligitur, Clericum aleâ ludentem peccare lethaliter, quia aleatorios sacrosanctis Ecclesiæ canonibus prohibitos exercet. Nam 42. Apostolorum canon hujusmodi ludos exerceri vetat, ut patet ex cap. 1. dist. 35. *Episcopus* (verba sunt dicti canonis) *aut Presbyter, aut Diaconus aleæ seu ebrietati deserviens, aut certè damnetur, id est deponatur.*

Quod & probatur can. 50. VI. Synodi Constantinopolitanæ œcumenicæ, sic adversus Clericos pariter & laïcos aleatores statuentis, nullum omnino sive Clericum, sive laïcum, ab hoc deinceps tempore aleâ ludere. Si autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si laïcus, segregetur, id est excommunicetur.

Observandum est, Apostolorum canonem 43. non solùm Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, sed etiam Subdiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, in hujusmodi ludos incumbentibus, intentare excommunicationis pœnam, nisi sese ab talibus ludis abstineant.

Ex isto canone Apostolorum Raymundus lib. 2. tit. *de negotiis secularibus.* §. 11. rectè colligit, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, &c. & alios aleatores in eo nominatos peccare lethaliter. Ex canone, inquit, Apostolorum colligitur, quòd peccatum eorum, qui aleæ deserviunt, sit mortale, cùm tales pœnæ non sint imponendæ pro levi crimine. Hæc ille.

Id ipsum docet S. Antoninus in 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 2.

Non solùm Clerici præfatos ludos exercere, verùm etiam illis interesse prohibentur: ita enim sancitum est in Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio Papa III. Clerici ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Hact. Concilii Lateranensis verba ejus can. 16. comprehensa.

Ex dictis colligitur, ludos aleatorios Clericis & laïcis nullo discrimine prohibitos esse: sacri enim canones hujusmodi ludos depositionis pœnâ in Clericis, & excommunicatione in laïcis, ut vidimus, coërceri voluerunt.

Quæstiuncula LVIII.

Quibus præsertim rationibus Clerici bonis Ecclesiæ potiti, ab ludis aleatoriis deterreri & avocari possunt & debent.

Respondeo 1°. esse declarandum hujusmodi Clericis, pecunias quas conferunt in ludum, pertinere ad ipsos pauperes, quos sua in ludis aviditate, inediâ sæpenumero conficiunt.

2°. Non licere eis ad factitandam animi relaxationem, dissipare Ecclesiæ patrimonium, redemptionem peccatorum, vota & dona fidelium, & hæreditatem calamitosorum.

3°. Sibi seu suæ sanitati in hisce ludis eos nocere plurimùm; quippe per speciem captandæ relaxationis, animum irâ, impatientiâ, & aliis id genus incommodis ludum comitantibus, supra quàm dici potest, exulcerant.

4°. Illis ipsis demonstrandum est, quàm perniciosum exemplum in ludendo præbeant sæcularibus, quos sic tamquam fœdâ & utplurimum lethali contagione inficiunt, & præterea Ecclesiam verecundiâ, quantùm in ipsis est, percellunt, & Clerum gravi admodum injuria afficiunt.

5°. Clericorum officiis operâ desultoriâ ita funguntur, ut in Deum ipsum præscriptum officium cursim & animo præcipiti & immerso penitus in ludum, recitando illudere & insultare, atque adeo æternam sibi damnationem accersere videantur.

Quòd si tales Clerici, nec canonum sanctionibus, nec allatis rationibus ab pertinaci criminosoque lu-

dendi proposito deterreri & avocari queant, pro competto habeant suam salutem maximè periclitari. Cujus enim aures clausæ sunt veritati, ut verum audire non possit, ejus salus desperanda est, ut Authores sacri cum profanis, & Christiani cum ethnicis uno certè calamo, si non animo, prodiderunt.

Quæret hîc aliquis, utrum liceat Clerico exiguam pecuniæ summam conferre in ludum aleatorium animi relaxandi gratiâ.

Glossa in Authentica *De sanctissimis Episcopis. §. Interdicimus*, sic proponit banc quæstionem: Numquid gratis ad tabulas potest ludere Clericus? Hanc quæstionem ita solvit.

Respondeo, quòd non, cùm etiam Clerici talium ludorum spectatores fieri prohibeantur.

QUÆSTIUNCULA LIX.

Quibus de causis alea civilibus & canonicis legibus sit prohibita.

RESPONDEO, quatuor præsertim de causis prohibitam esse aleam.

Prima hujus prohibitionis causa, est jactura temporis, cùm scilicet plus temporis quàm par est, in ludo miserrimè teritur, quæ jactura repugnat legitimo ludorum fini. Nam permissi sunt ut animum nimiâ alioquin contentione oppriméndum relaxarent, non autem diutius occuparent, ut ait S. Thomas.

Unde S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 6. *O quàm malè*, inquit, *poterunt rationem reddere Deo de tempore, qui toto die ludunt, & aliquando etiam noctem adjungunt circa ludum immorantes.*

Idem S. Antoninus ibidem declarat, lusores festa violare: *Lusores*, inquit, *negligunt festa servare, quia in illis quàm maximè ludunt, & plura peccata & graviora committunt, quàm si terram colerent, quod est festa violare.*

2°. Prohibiti sunt ludi aleatorii ad coërcendas immanes blasphemias, quibus aleatores Deum ipsum lacessere & violare non erubescunt, si jactus aleæ ipsis parum fœliciter successerit. Hujusmodi blasphematum rei sunt, vel qui eas inter ludendum proferunt, vel cum hominibus ipsas in Deum evomentibus ludunt. Ad eos, inquam, hujusmodi blasphemiæ pertinent: siquidem ex can. *Nunm.* 2. q. 1. facientem & consentientem par pœna constringit. Hæc causa Justinianum Imperatorem impulit, ut ludos aleatorios, qui fortunâ potiùs quàm arte reguntur, imperatoriâ authoritate prohiberet.

3°. Prohibiti sunt tales ludi, eo quòd ex illis nobilissimarum alioquin familiarum strages exstiterer. Nam ut ait Saresberiensis lib. 1. de nugis Curialium cap. 5. *Nonne satis improbata est cujusque artis exercitatio, quâ quantò quisque doctior, tantò nequior? aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem & perjuriorum mater est alea, & ex aliena concupiscentia sua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cùm illud effuderit, sensim in furta delabitur & rapinas.* Hæc ibi. Et infra eod. cap. *Ab alea*, inquit, *armantur homines ad lites, incurrunt inimicitias, in miseram, etsi non miserabilem, incidunt egestatem.* Hæc ille.

Ex ista bonorum jactura proficiscuntur etiam blasphemiæ, ut constat ex leg. *Alearum.* cod. *De religiosis & sumptibus funerum. Quidam* (sunt verba legis) *in alearum ludo proprias substantias perdiderunt, consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare, id est Deo maledicere conantur.*

4°. Prohibitus est ludus aleæ, quia, ut ait S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 2. *est peccatum mortale, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus ad acquirendum, & quid notabile, per ludum, non ob recreationem.* Hæc ille.

Non solùm istius finis, quem affert S. Antoninus, causâ ludus aleatorius est peccatum lethale, sed etiam tale prædicari debet propter blasphemias & alia peccata, quæ secum trahit, admittendi periculum, quod adeunt universi, qui hujusmodi ludum exercere gestiunt.

QUÆSTIUNCULA LX.

Quis fructus ex dictis hactenus de alea percipi debeat.

RESPONDEO, multiplicem fructum ex dictis & probatis de alea percipi posse.

1°. Discimus ex hujusmodi documentis, omnem ludum aleatorium interdictum esse laïcis pariter & Clericis, ut patet ex Conciliis quæ suprà retulimus, quibus adde canonem 25. Concilii Senon. anno 1528. celebrati.

Huc accedit, quòd decreta omnia veterum Synodorum renovat Concilium Mediolan. I. sub tit. *De armis, ludis, spectaculis & ejusmodi à Clerico vitandis.* Clericalis ordinis hominibus omni genere saltationis & ludi, præsertim verò aleæ, & tesserarum ac talorum interdicimus. Prohibemus etiam globos qui malleis ligneis impelluntur: item follis ludum, id est pilæ majoris. Nec solùm ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam in ædibus suis ludentem permittere. Si autem valetudinis interdum causâ, parvâ pilâ aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publicè id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quicquam quod facilè pecuniâ æstimari possit. Hæc ibi.

2°. Discimus ex dictis hactenus de alea, nemini licere suam domum reserare aleatoribus, ut in ea pro arbitrio ludant. Unde S. Carolus in Concilio Mediolan. I. sub tit. *De histrionibus, &c.* Principes & Magistratus admonet, ut id prohibeant.

Et quoniam compertum est, inquit, ex aleæ ludo sæpe furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id generis flagitia proficisci, prohibeant (Principes & Magistratus) taxillis aut aleâ ludi, & graviter in publicos aleatores, & in eos, qui hujusmodi ludis intersunt, quive domum ad recipiendos ludentes expositam habent, animadvertant. Hæc ibi.

Hoc monitum Christiano penitus animo complexus est Ludovicus XIII. fœlicis & augustæ recordationis Princeps, multò Christianissimus. Siquidem edicto Parisiis dato ann. 1611. Maii die 30. in hæc verba concepto: Inhibemus, ne quis, cujuscumque generis sit aut conditionis, in regni nostri urbibus, aut aliis locis apertas habeat ganeas, néve ulli nostris è subditis in eas chartis lusoriis, & taxillis, operam daturi conveniant.

3°. Ex eadem disciplina, quâ aleatorii ludi omnibus, at præsertim Clericis interdicuntur, Confessarii utilissimum monitum percipere possunt, quod indicavit S. Carolus instit. Confessar. cap. 5. his verbis: *Nec eos absolvant*, inquit, *qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare non proponunt; ut sunt qui domum tenent in hunc finem aliis paratam, ut tabellis chartaceis, vel aleis ludant.*



Quæstiuncula LXI.

Utrum pecunias in ludis aleatoriis lucrifactas restituere oporteat.

Antequam huic quæstioni fiat satis, observandum est.

1°. Ludum aleatorium, ut testatur Navarrus in Summa cap. 19. num. 6. ex omnium sententia quemlibet esse, & appellari, qui magis casu nititur, quàm arte: sive cubis, sive tesseris, sive pictis tabellis, sive planis sphærulis, unà cum tesserarum jactu adhibeatur.

2°. Observandum est, hic quæri, utrum lucrum quod fit ex alearum ludo, quem omnium flagitiorum seminarium appellare possumus, sit necessariò restituendum, sive ludus exerceatur cum iis, qui res suas donare possunt, sive cum iis qui non possunt. Hoc ita posito,

Respondeo cum veteribus Theologis & primariis sacrarum sanctionum interpretibus, lucrum aleatorium esse necessariò restituendum, eo quòd undecumque veniat, contra jura divina & humana sit comparatum. Ita docuerunt S. Bonaventura in 4. dist. 15. art. 2. q. 1. num. 67. Alexander Halensis (quo magistro usus est sanctus Bonaventura) in 4. p. Summæ q. 33. memb. 2. a. 5. Paludanus in 4. dist. 15. q. 5. a. 5. Richardus in 4. dist. 15. a. 5. q. 8. hanc ait esse communem & tutiorem sententiam: quia leges civiles non solùm ludum, sed acquisitionem etiam lucri prohibent: & quia jura civilia à canonibus sunt approbata, omnibus sunt imposita. Id ipsum docuit S. Antoninus in 2. p. suæ Summæ tit. 1. cap. 23. §. 6. & alii.

Quidquod, Aristoteles 4. Ethicor. cap. 1. aleatores ad prædones & latrones aggregat: *Aleator quidem*, inquit, *& spoliator & latro ex illiberalium genere sunt: siquidem lucri turpis cupidi, quæstus enim causâ negotiantur & prebra subeunt: & illi quidem causâ quæstûs maxima pericula adeunt: hi verò ex amicis lucrantur, quibus dare oportet. Uterque autem, unde non æquum est, lucrum quærens, lucri turpis cupidus est, atque hæc omnia compendia illiberalia sunt.* Hæc ille.

Hanc opinionem asserentem, lucrum aleatorium esse necessariò restituendum, probant plerique omnes Theologi, & maximè veteres propugnant insigniter, è quibus duos potissimùm proferam, ex quibus discere licebit, quàm communiter hujusmodi opinio doceatur.

Primus erit Augustinus Triumphus Anconitanus, qui illam se amplecti & tueri declarat in lib. de potestate ecclesiast. q. 62. a. 6. Acquisitio rerum & modus acquirendi, inquit, ex jure humano determinatur, qui quantùm ad præsens, triplex est.

Nam quidam est honestus, & de jure concessus est, ut fiat per aliquem justum venditionis vel donationis titulum.

Quidam inhonestus, sed permissus à jure, propter majus malum vitandum, ut per meretricium, quod permittitur in lege humana propter vitandum adulterium.

Alius inhonestus & à jure prohibitus, ut per aleæ ludum.

In primo casu licet acquirere & retinere, nec datur repetitio.

In secundo casu non licet acquirere, quia permissio est de malo; sed licet retinere, nec competit repetitio.

In tertio verò casu nec licet acquirere, nec retinere, sed competit repetitio. Quia ergo ludus alearum est inhonestus & prohibitus; qui sic lucratur, non justè acquirit, nec potest retinere, imò competit repetitio infra 40. annos, ut dicit Constitutio Græca cod. *de relig. & sumpt. funerum.* l. *alearum ludus.* Hæc ille.

Alter Author qui docet, nostram hanc opinionem esse communem, est Alvarus Pelagius, qui fuit Augustini Triumphi æqualis, quo tempore Joannes Papa XXII. Apostolicam implebat sedem. Probat lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 46. col. 22. & 23. alearum ludum jure vetitum esse; lucrum ex eo factum restituendum, ita ut cunctos suæ ætatis Doctores in ea sententia extitisse testatum faciat.

Quæstiuncula LXII.

Quibus temporibus non solùm humano, verùm etiam divino & naturali lucrum aleatorium restitui debeat.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. assignat tria tempora, in quibus lucri aleatorii facienda est restitutio.

Primum est, cùm aleator per aleam lucratus est ab his qui suam rem alienare non possunt. Tales sunt pupilli, minores, furiosi, cæci, surdi, prodigi, & ii quibus authoritate tutoris seu curatoris subvenire lex solet. Item religiosi, uxores, quæ parapherna non habent.

Secundum tempus est, cùm alter è ludentibus lucratur ab eo quem ex lucrandi cupiditate ad ludum pellexit & attraxit aut vi aut minis, & lacessivit importunis precibus aut exprobratione, & cùm volunt à ludo recedere, vi aut ratione quapiam violentiæ æquiparandâ eum retinuit. Non ergo quælibet attractio hîc intelligitur, sed ea dumtaxat, quæ habet voluntarium mistum seu conditionale, quæ scilicet cum probro, insultatione, & cum vehementibus precibus cum violentia conferendis est conjuncta: ita ut si quis in eo rerum articulo, qui recusaret ludum, inurbanus & ignobilis haberetur. Ita hanc attractionem explicat Halensis, Covarruvias, in relectione regulæ Juris *Peccatum.* 2. p. §. 4. de iis quæ ludo acquiruntur, num. 7. ubi ait, S. Thomæ de attractione sententiam esse communem.

Tertium tempus, quo lucrum aleatorium restitui necesse est, accidit, cùm quis alterius, quicum ludit, pecunias non artis peritiâ, vel fortuito aleæ jactu, sed astutiâ lucrifecit. Unde Navarrus in Summa cap. 19. num. 18. Cùm aliquid, inquit, quis lucratur etiam ludo licito, ludens cum eo, qui alienare non potest, aut cum attracto, aut cum decepto, omnium consensu ei restituendum est, à quo est lucrum ablatum.

Ad hoc tempus revocatur aliud quod accidit, quando quis est in ludi ratione magis exercitatus, superatque socium arte ac ingenio: nisi fortè alter qui est inferior, jam doctus esset de socii in ludo præstantia, neque eam ob rem ludi conditionem repudiaret: siquidem utriusque ludentis æqua debet esse conditio: quæ si desit, lucrum vel licito vel illicito comparatum ludo, necessariò restituendum est: sicut & lucrum quod vergit in notabile detrimentum alicujus familiæ, ut puta si quis conferat in ludum pecunias aut alia id genus ad uxoris, liberorum cæterorumque domesticorum victum, necessariò pertinentia, & illa amittat inter ludendum, peccat equidem lethaliter, ita tamen, ut qui ea lucrifecit, eadem illi ipsi à quo per lucrum sunt erepta, jure divino & naturali restituere teneatur. Nam ut ait Medina c. *de rebus restituendis.* quæst. 22. art. 2. Si notabiliter lædatur ludentium patrimonium, lucrum est restituendum.

Quicquid

Quicquid igitur ad familiæ sustentationem & ad civica officia obeunda necessarium inter ludendum amittitur, necessariò est restituendum. Nam, ut ait Navarrus in Summa cap. 19. num. 5. per injuriam aufertur, id quod aliis sustentandis jure divino & naturali debetur, aut ad civica obeunda munera est necessarium. Hæc ille.

Unde Sotus lib. 5. de instit. & jure q. 5. a. 2. concluſ. 4. ait, esse peccatum mortale exponere ea ludo, quæ necessaria sunt vel alendæ familiæ, vel ad implenda Dei præcepta. Hæc ibi.

Solvitur objectio, quâ quis contendere potest tria illa tempora à nobis ad restituendum ludum aleatorium designata, adversari doctrinæ, quâ statuimus illud ipsum lucrum semper esse restituendum.

SIc enim quis ratiocinari potest: S. Thomas & alii Theologi tria determinant tempora, in quibus docent, restituendum esse lucrum aleatorium: ergo aliis temporibus idem ipsum lucrum non est necessariò restituendum.

Respondeo, tria illa tempora ad restitutionem lucri aleatorii obligantia potissimùm ab Doctoribus assignari, eo quòd evidentiorem contineant injustitiam, propter quam præfatæ restitutionis necessitatem inducerent; tametsi eadem illa dictæ restitutionis necessitas aliunde probari non posset. Quamvis igitur lucrum aleatorium omni tempore ad restitutionem obliget, eo quòd nullo justo titulo comparari possit, aut possideri; magis tamen in tribus illis temporibus, seu casibus propter evidentiorem injustitiam, quam continent, quæ aliàs in ludo aleatorio non apparet. Unde cùm ludus aleatorius absolutè loquendo citra crimen exerceri nequeat, non tamen in eo comparatur aut extorquetur lucrum, vel ab iis qui alienare non possunt, vel ab iis quos quis lucri captandi aviditate ad ludendum, vel per vim vel per aliquid violentiæ æquiparandum adegerit, vel denique adhibita fraude lucrum intercepetit. Quæ omnia cùm cadant in præfata tempora, ea potiùs quàm alia, ad faciliandam lucri aleatorii restitutionem ab Theologis assignari debuerunt.

Permulti ludi aleatorii voluptate vel utilitate definiti conquerunter illum acerbiùs, quàm par est, vituperari & damnari. Quibus hoc loco respondendum, & enumeranda quæ ex eodem ipso ludo velut ex fonte teterrimo peccata profiliunt. Hac in parte adhærebimus S. Antonino, qui in 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 2. & §. 6. ait, cubos ex ossibus canis vilissimi animalis elaboratos unà & viginti notis interpunctos esse, ut ex eorum lusione appareat existere totidem flagitia, quæ hoc ordine enumerat & recenset.

Primum est jactura temporis.

Secundum, in Deum blasphemia.

Tertium, mutuæ contumeliæ.

Quartum, bonorum patrimoniique dissipatio.

Quintum, Ecclesiæ contemptus, atque adversus eam contumacia.

Sextum, furtum.

Septimum, crimen gulæ, quo ad cauponas stant.

Octavum, homicidium.

Nonum, fraterna invidentia: invidetur enim pecuniæ & thecæ nummariæ alterius.

Decimum, rerum domesticarum inopia, quâ necesse est totam familiam conflictari.

Undecimum, scelerata laus, quam sibi tribuit is, qui improbè vicit.

Duodecimum, mendacia, quibus ludus aleatorius abundat.

Decimum-tertium, divini cultûs, ut sacrificiorum & sacrarum concionum neglectus.

Decimum-quartum, quòd multi fiant eorumdem peccatorum participes, ut spectatores, ut qui credunt

De Sacram.

ludentibus pecunias, ut qui ludentes filios non puniuot.

Decimum-quintum & decimum-sextum, dissidium & ira ob ea, quæ inter ludendum contingunt.

Decimum-septimum, rapina, seu raptus, cùm invitum quis trahit ad ludum, vel recedentem prohibet, vel retinet.

Decimum-octavum, pessimi exempli pernicies, quod proditur aliis ad eamdem ludi pestem subeundam.

Decimum-nonum, desperatio, in quam traduntur nonnulli, ut etiam sibi mortem consciscant.

Vicesimum, ingens fœnus. Si enim, inquit ipse D. Antoninus, quis pro centum, quæ exponit, mutuò recipiendo decem vel quinque, dicitur usurarius: quid dicendum est de eo, qui ponit se ad ludum cum decem florenis, & in eadem die lucrabitur per ludum centum florenos? Certè videtur maxima usura. Unde & pro se retinere non potest, sed vel restituere in certis casibus, vel pauperibus erogare in aliis. Si autem perdit, sibi imputet & suæ fatuitati. Hæc D. Antoninus.

Vicesimum-primum peccatum ex aleatorio ludo oritur solutum, est Christianæ disciplinæ vituperatio. Nam per ludum, inquit sanctissimus Archiepiscopus Antoninus, servitur Diabolo: sicut enim Deus invenit viginti & unam litteras primò, (nam aliæ postea fuot superadditæ ad componenda Biblia, ubi est omnis sapientia revelata) ita invenit Diabolus taxillum biblia sua, ubi posuit viginti & unum puncta, tamquam litteras suas nigras, ubi in usu ejus reperitur omnis malitia: non ergo debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cùm vituperet nomen Christi. Hactenus S. Antoninus.

Mirabitur fortè cordatus lector, quòd pluribus aleatoriis ludos insectati sumus hoc loco; sed admirari debere, cùm animadvertere voluerit plerosque & laïcos & Clericos in eos, licèt tot canonum sanctionibus prohibitos, tot sanctorum testimoniis reprobatos, & denique cum tot tantisque peccatis & peccatorum periculis conjunctos, incumbere: ita ut Diabolo hujusmodi ludorum inventori & architecto, atque adeo scelerum, quibus nemine reclamante circumsepiuntur, incentori deserviant.

Revera S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 23. ait, esse triplicem ludum.

Primus provenit ex magna devotione, & hic peramandus.

Secundus contingit ex magna recreatione, & hic tolerandus.

Tertius procedit ex diabolica suggestione, qualis est ludus aleatorius, & hic evitandus, cùm per illum Diabolo serviatur, ut asserit idem S. Antoninus.

Omnes igitur laïci aleatorios ludos, ut teterrimos plurium ingentiumque malorum fontes, studiosè fugiant: at eosdem ludos Clerici tam majores, quàm minores, utpote ad majorem quàm laïci, sanctimoniam & perfectionem obligati, toto animo perhorrescant. Siquidem Ecclesia Catholica in Tridentina Synodo congregata statuit, ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur, nec appellatio executionem hanc quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Hactenus Concilium Trident. sess. 22. de reformat. cap. 1.

Hæc de re satis superque. Jam ad explicandam Sacerdotum ordinationem, è qua digressi sumus, reverti necesse est. Sit ergo

QUÆSTIUNCULA LXIII.

Quanam cæremoniæ presbyteralium manuum unctionem subsequantur.

RESPONDEO, presbyteralium manuum unctionem, subsequi porrectionem calicis cum vino & aqua, & patenæ superpositæ cum hostia, quæ successivè ab singulis ordinandis tangitur, Pontifice ita singulos alloquente: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Respond. *Amen.*

Peractâ hujusmodi cæremoniâ, Pontifex recitato ab omnibus ordinandis Symbolo, imponit ambas manus super capita singulorum coram ipso genuflectentium, & eorum quemlibet sic affatur: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illâ quemlibet, singulis dicens: *Stolâ innocentiæ induat te Dominus.*

Quòd Pontifex casulam à tergo complicatam explicat, innuere videtur sacerdotium novæ illius, remittendi scilicet & retinendi peccata, potestatis accessione esse penitus consummatum. Siquidem per talem cæremoniam ex quorumdam Theologorum sententia, designatur extensio characteris & potestatis in mysticum Christi corpus quod est Ecclesia, ad cujus regimen per suam ordinationem admoventur Sacerdotes, ut scilicet pro suis fidelisque populi peccatis incruentum sacrificium æterno Patri in persona Christi, quam sustinent, offerant: ut fidelibus in cunctis, at maximè in pœnitentiæ sacramento peccata, quæ cum debitis doloris contritionisque circumstantiis aperuerint, remittendo benedicant: ut eos divina authoritate & paterna mente dirigant: ut ipsis Christi Evangelium eâ (qua par est) sinceritate & charitate explicent, & proferant; ut eos denique dæmonum tyrannidi subductos in regnum Christi per regenerationis sacramentum transferant.

Ut igitur Sacerdotes meminerint, quanta & quàm vasta diffusaque erga proximos charitate ardere, & quanta in seipsis innocentia & puritate coram Deo & hominibus fulgere debeant, casulâ retrò super humeros implicatâ cum innocentiæ apprecatione ab Episcopo explicatur, ut secundùm Ecclesiæ spiritum perfectam illam erga proximos charitatem cum singulari vitæ sanctimonia & puritate in Sacerdotibus præfata munia obeuntibus conjunctam esse oportere cernatur & appareat: ne scilicet ipsimet Sacerdotes ad fidelium populorum benedictiones adhibiti, nec in conferendis benedictionibus castè & integrè versati, æternam sibi maledictionem accersant.

Hujusmodi cæremonias subsequitur promissio reverentiæ & obedientiæ ipsi Pontifici, & ipsius successoribus exhibendæ, de qua esto

QUÆSTIUNCULA LXIV.

Quibus in rebus consistat hujusmodi obedientia.

QUòd si Episcopi suas diœceses optimis legibus temperare, & singulari cura seu episcopali vigilantia moderari studeant, hæc obedientia posita est.

1°. Ut Sacerdotes suæ diœceseos officia, qualiacumque sint, nusquam, nisi vocante & præcipiente Episcopo, capessant.

2°. Ut nusquam ad beneficia vel obtinenda vel permutanda, nisi consulto priùs & annuente Episcopo, prosiliant.

3°. Ut nullius umquam beneficii acceptationem vel ingressionem ineant, quin illam æqui bonique consuluerit Episcopus, prout eos judicaverit dignos, qui ad tale beneficium procurandum admoveantur.

4°. Ne se temere protrudant ad obeunda alienorum beneficiorum officia, nec ad alia id genus munia, quæ parochiarum quietem perturbare possent.

Tametsi in casibus hactenus enumeratis, nec semper, nec in cunctis vituperandi sint Sacerdotes, rebus, ut nunc sunt, positis; eorum tamen est (si eos aliqua suæ salutis adhuc attingit cura) consulere viros & pios & eruditos, quibus nudent animi conscientiam, & à quibus discant, utrum tutâ eâdem conscientiâ tale vel tale beneficium (si præsertim annexam habeat animarum curam) capessere possint & debeant.

Quicquid id est, ipsis numquam non imposita est ea necessitas, ut populo obedientiæ Episcopo edicta ad ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem pertinentia sancienti, præstandæ facem præferant, & ipsi religiosissimè colant, quicquid potissimùm est Presbyteris commendatum, ut v. g. sese sistant collationibus, in quibus varii casus ad legitimam sacramentorum administrationem idonei & propositi discuti solent, & ad eas sese comparent congruo labore & studio, nec notabili spatio temporis absint ab sua residentia citra legitimam facultatem ab Episcopo justis de causis petitam & impetratam, ut habitus ecclesiastici insignia circumferant & doctrinam Christianam juxta præscriptam ipsis methodum adolescentulos doceant: ea denique impleant omnia quæ Episcopus, (penes quem est potestatis hierarchicæ plenitudo) sui gregis ædificationi conducibiliora judicaverit.

De his hactenus.

Si quis cætera ad ordinationis consummationem pertinentia legere voluerit, adeat Pontificale Romanum, quod ista omnia sub titulo *De ordinatione Presbyteri.* diligenter persequitur.

Jam properandum est ad impedimenta, quibus irretiti, ad sacram ordinationem citra culpam, eamque gravem, accedere nequeunt.

QUÆSTIUNCULA LXV.

Quanam sunt impedimenta ordinum susceptionem prohibentia.

RESPONDEO, esse multa.

1°. Minores natu, id est infantes, qui nondum ad completum ætatis septennium pervenerunt, minores ordines suscipere nequeunt, juxta c. *Nullus. de temp. ordin.* l. 6. aliàs si Episcopus tonsuram v. g. conferret ante septennium, per annum ab ejus executione suspenderetur.

Item de necessitate præcepti est, quòd nemo minor decem & octo annis subdiaconatum, minor viginti diaconatum, minor viginti quinque sacerdotium percipiat, c. 7. §. *inferiora. de election.* & eod. c. eod. §. nominatim vetitum est, ne quis minor triginta annis ad episcopatum provehatur.

Quod spectat ad tempus suscipiendi subdiaconatus & diaconatus ordines, id servabatur ante Concilium Tridentinum, quod quidem prohibuit, ne quis imposterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum-secundum, ad diaconatus autem vigesimum-tertium promoveretur.

Si tamen aliquis præfatos ordines sacros ante præstitutam ætatem susceperit, ab dictorum ordinum executione usque ad legitimam ætatem suspenditur, cap. *Vel non est compos.*

Quòd si adolescentulus, qui nondum pervenit ad rationis usum, sacrum subdiaconatûs ordinem (cui annexum est perpetuæ castitatis votum) susceperit, non erit reus ejusmodi voti, nisi rationis usum adeptus, illud ratum fecerit. Cùm enim votum sit deliberata promissio, quam ille utpote rationis expers facitare non potuit, sequitur, eum ad talis voti observantiam non obligati.

2°. Ordinandum oportet esse baptizatum, & chrismatis sacramento confirmatum.

Oportet, inquam, ordinandum esse baptizatum, quia character ordinis necessariò supponit baptismi characterem, ut constat ex cap. *Veniens. de Presbytero non baptizato.*

Item oportet illum esse confirmatum, quia qui nondum sunt confirmati, non inveniuntur plenè Christiani. *Omnes fideles*, inquit Urbanus Papa I. *per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur.* Hæc ille in 1. sua Epist. cap. 7.

Quod & confirmat Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. de reformat.

3°. Ordinandos oportet esse litteratos, quod probatur Epistolâ Gelasii Papæ scribentis ad Episcopos Lucaniæ in hæc verba: Illiteratos & nonnulla corporis parte imminutos sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium, quod simul antiqua traditio & Apostolicæ sedis vetus forma non recipit, quia nec litteris carens, sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil prorsus Deo offerri legalia præcepta sanxerunt. Hæc ille cap. 18. & 19. Epist. ad Lucaniæ Episcopos inscriptæ.

Quâ præsertim scientiâ Episcopos & alios Sacerdotes pollere oporteat, egregiè declarat II. Synodus Nicæna, quæ est œcumenica VII. Definimus, inquiunt istius Synodi Patres, omnem qui ad Episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse, ut ex hoc omnis Clericus, qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à Metropolita, si in promptu habeat legere scrutabiliter & non transitoriè tam sacros canones, & sanctum Evangelium, quàm divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam, atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum; & si disceptaverit, nullatenus consecretur.

Hactenus præfata Synodus ann. sal. 787. celebrata docuit can. 2. quæ scientia ab Episcopis & aliis Sacerdotibus exigatur.

Omnia Concilia de scientia Sacerdotibus necessaria ita loquuntur, ut eos in assiduam Scripturarum & sacrorum canonum lectionem incumbere oportere statuant. Et inprimis Concilium IV. Toletan. cap. 24. Ignorantia, inquit, mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi in populis officium susceperunt. Sacerdotes enim legere Scripturas sanctas frequenter admonet Apostolus, dicens ad Timotheum: Attende lectioni, & exhortationi & doctrinæ, & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones meditentur; omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ. Hæc ibi.

Et hæc doctrina, quâ statuitur & imponitur Sacerdotibus legendæ Scripturæ & meditandorum tenendorumque canonum necessitas, & præceptum, tanti ponderis visa est summis Pontificibus, qui in colligendis canonibus elaborarunt, ut eam in corpus Juris inseri voluerint.

Revera quod spectat ad divinas Litteras, è quibus sic tamquam ex perennibus pellucidisque fontibus sacerdotalis scientia prosilit, vocantur nostri sacerdotii substantia in Decreto Gratiani & *De Sacram.* in Concilio Coloniensi p. 1. c. 10.

Quod spectat ad canones, eos in Gallia incredibili studio observatos fuisse testantur nostratia Concilia, ut videre est in Concilio Aurelianensi III. cujus canon 33. de illorum observatione ita statuit: Quocirca hæc, quæ inspirante Deo communi consensu placuerunt, si quis Antistitum vivennum vel eorum, quos ipsis Deus esse voluerit successores, relicta observationis integritate, custodire & implere neglexerit, reum se divinitatis pariter & fraternitatis judicio, futurum esse cognoscat: quia canones suos nec ignorare quemquam, nec dissimulare, id est prætere permittitur. Hæc ibi.

Unde & in Concilio IV. Aurelian. can. 6. jubentur Clerici ab Episcopis statuta canonum legenda percipere. Parochiani Clerici (sunt verba canonis) à Pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne se ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse. Hæc ibi.

Præterea in Concilio Matisconensi I. celebrato ann. Redempt. 581. can. 9. statutum est, ut à feria S. Martini ad natale Domini feriâ II. IV. & VI. Sabbati jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos esse speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse. Hæc ibi.

Ex his patet, Clericos oportere sacras Scripturas legere, & canones meditari.

Quidquod, Concilium Turonense III. sub Carolo Magno celebratum, de scientia Sacerdoti necessaria sic statuit can. 2. Sanctum Evangelium, inquit, & Epistolas B. Pauli Apostoli non solùm crebrò lectitent, sed etiam quantùm possunt, studeant memoriæ commendare, sanctorumque Patrum opuscula super eadem devotè frequentent, &c.

His omnibus adde authoritatem Concilii Tridentini, quod sess. 23. liquidò declarat, quanta qualisque scientia Sacerdotes præditos esse oporteat, quod legere est capp. 4. 11. 13. & 14. de reformat.

Tam doctrinâ igitur quàm vitâ clarere debet Ecclesiasticus Doctor: (quales sunt Episcopi & Presbyteri) nam doctrina sine vita arrogantem facit, vita sine doctrina inutilem reddit, ut ait Isidorus Hispal. in Concil. Aquisgran. cap. 20.

Hactenus tria recensuimus impedimenta prohibentia, ne quis (si fuerit illis irretitus) licitè ordinari valeat.

Primum est ætas minor, ut puta si quis infra decimum-octavum ætatis annum, nunc vigesimum-secundum, subdiaconatum suscipiat, &c. ut suprà vidimus.

Secundum impedimentum petitur ex eo, quòd ordinandus non sit baptizatus, nec chrismatis sacramento confirmatus; cum eo tamen discrimine, quòd non baptizatus non ordinetur, atque adeo non recipiat ordinis characterem, qui baptismi characterem supponit; non confirmatus autem validè quidem, sed illicitè ordinetur.

Tertium impedimentum hominem ab sacris ordinibus removens, est inscitia, quâ quis ignorat ea quæ quis suscepta ordinatione præstare & exequi tenetur.

Cætera id genus impedimenta hominem scilicet ab sacris ordinibus ablegantia, persequi poteramus: sed quia vel omnia, vel pleraque omnia revocantur ad irregularitatem, ideo de illa ex professo agendum esse decrevimus. Sit itaque



Quæstiuncula LXVI.

Quomodo definiatur irregularitas, & in quot & quas species dividatur.

Quod spectat ad primam hujus quæstiunculæ partem, respondeo, irregularitatem nihil esse aliud, quàm impedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens, quo quis ad tonsuram ordinesque ecclesiasticos promoveri, promotusque in iisdem ministrare prohibetur: vel si mavis, irregularitas rectè definitur inhabilitas jure divino vel ecclesiastico introducta, quâ directè impeditur susceptio tonsuræ ac ordinum, & indirectè eorumdem ordinum jam susceptorum usus interdicitur.

Ex hac definitione duplex irregularitas, habita juris ratione, colligitur.

Alia quippe est juris divini, alia verò juris ecclesiastici. Irregularitas juris divini ea est, quâ quis ex Dei ordinatione ad tonsuram clericalem & ecclesiasticos ordines inhabilis redditur, & declaratur; talis est fœmineus sexus, & baptismi privatio. Irregularitas autem juris ecclesiastici est inhabilitas ex Ecclesiæ ordinatione introducta, quâ directè tonsuræ & ordinum susceptio, vel eorumdem jam susceptorum functio & usus indirectè interdicitur. Hac irregularitate irretitur quilibet mutilatus, & ex illegitimo concubitu procreatus.

Præterea irregularitas subdividitur in totalem & partialem.

Totalis est inhabilitas, quâ in perpetuum ordinis cujuscumque susceptio & omnis illius usus & functio prohibetur, cujusmodi est abscissio linguæ, &c.

Irregularitas partialis, est inhabilitas, quâ ordinis susceptio ad tempus dumtaxar, & suscepti determinata aliqua functio interdicitur.

Prioris partis exemplum est minor ætas in puero: posterioris verò exemplum est inculpabilis mutilatio pollicis sinistri, in Sacerdote v. g. quâ ab una dumtaxat Missæ celebratione, non autem ab aliis sacerdotii functionibus impediretur.

Hasce divisiones suppeditavit Joannes Polmannus in Breviario Theologico. His ita prælibatis,

Respondeo 2°. irregularitatem dividi in duas species generales, quarum

Prima dicitur irregularitas ex defectu; altera verò irregularitas ex delicto nominatur. Prima oritur ex defectu & indecentia citra culpam hominis illam incurrentis: altera proficiscitur ex delicto, quod Ecclesia irregularitate coërceri voluit.

Quod spectat ad primam irregularitatis speciem generalem, quæ est ex defectu, sex alias species in se comprehendit. Quarum

Prima dicitur ex defectu animi.

Secunda ex defectu corporis.

Tertia ex defectu natalium.

Quarta ex defectu ætatis & libertatis.

Quinta ex defectu sacramenti, id est bigamiâ.

Sexta ex defectu lenitatis, id est ex homicidio etiam licitè perpetrato.

Irregularitas ex defectu has omnes species complectitur.

Irregularitas verò ex delicto quinque alias species sub se comprehendit. Quarum

Prima dicitur ex iteratione baptismi.

Secunda ex indebita susceptione, vel usu ordinis.

Tertia ex actu infidelitatis aut hæresis.

Quarta ex infamia.

Quinta ex homicidio illicitè perpetrato.

De his omnibus agendum hîc singillatim. Sit itaque



Quæstiuncula LXVII.

Quinam censeantur irregulares ex animi defectu.

Respondeo, animi defectu ab ordinibus suscipiendis vel post susceptionem exercendis, non solùm jure humano, sed etiam jure divino & naturali, excludi amentes, id est ab omni rationis usu desertos, quippe qui ad ordinum functiones sunt penitus inepti. Ab iisdem ordinibus excluduntur etiam arreptitii, lunatici, epileptici, seu comitiali morbo conflictati, qui omnes etiam recuperatâ sanitate nec possunt ordinari, nec suscepti ordinis, quem antequam hujusmodi mala paterentur, susceperę, ministerio fungi.

Revera canones ad sacros ordines promoveri vetant eos, qui vel semel in aliquem ex hujusmodi defectibus inciderant. De aliis verò qui jam ad eosdem ordines erant promoti, antequam hujusmodi incommodis laborarent, ita statuunt ipsi canones, ut & ipsi tamdiu sint ab officii sui ordine & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu Dæmonum liberati, ut constat ex dist. 33. cap. *Communiter.* & ead. dist. cap. *Clerici.*

Ad talem animi defectum potest revocari ignorantia rerum, quæ vel ad ordines suscipiendos vel exercendos necessariò exiguntur: talis enim ignorantia inducit irregularitatem, ita ut vel sola ratione naturali neminem ad ordinem, vel ad onus, cui est impar, promoveri oportere, exploratum habeatur.

Quæstiuncula LXVIII.

Quid intelligitur per defectum corporis.

Respondeo, intelligi notabilem deformitatem, quæ vel ordinis usum impediat, vel horrorem & contemptum personæ ingeneret, & prohibeat ne ordinis munia cum debita reverentia decentiaque perficiantur; imò non gerantur sine scandalo, ut puta, si quis haberet truncas inhonesto vulnere nares, vel uno & præsertim sinistro careret oculo, vel in oculorum altero insignem haberet maculam, quæ majorem in modum ejus faciem deformaret, vel ita claudus esset, ut inter claudicandum risum astantium, vel offensionem accerseret, vel pollicem, vel indicem alterutrius manus amputatum præferret, vel aliquo alio defectu ex iis qui recensentur in toto tit. *De corp. vitiatis.* & in dist. 55. Decreti, laboraret; illi & ipsi similes arceantur ab ordinibus suscipiendis, si tamen eos jam susceperint, alia sacerdotii officia, ad quæ eos enumerati defectus & nævi non reddiderint inhabiles, exercere poterunt.

Tali corporis defectu dicitur irregularis, qui habet labia corrosa, vel penitus abscissa.

Item qui est surdus utraque aure, ut penitus audire nequeat, est irregularis, juxta septimum canonem Apostolorum.

Item habetur irregularis, qui caret uno patente membro, uno pede v. g.

Item qui sine baculo nec potest ascendere ad altare, nec ibi sui ordinis functiones obire.

Item irregularis est, quem infirmitas ineptum reddidit ad obeunda sui ordinis munia, vel quando sine horrore vel scandalo ea præstare non potest, cap. *Tuæ nos. de Clerico ægrotante.*

Item qui febri continua conflictatur.

Item irregulares sunt affecti morbo Neapolitano, qui per externa quæpiam signa sese prodat.

Item qui laborant leprâ vel densâ scabie, quamdiu durat ipsa scabies & lepra.

Item qui dira lue seu pestilentia sunt correpti, ne alios eodem morbo inficiant & conficiant.

Quæstiuncula LXIX.

Quid intelligatur per defectum ætatis & libertatis, quo contrahitur regularitas.

Per defectum ætatis, quo quis irregularis efficitur, intelligitur ætas minor eâ, quæ ad suscipiendos & exercendos ordines ab sacris canonibus exigitur, ut puta in infante requiritur completum septennium, ut licitè minores ordines suscipere possit.

Præterea ab ipsis canonibus statutum est, ut nemo Subdiaconus fiat, quin attigerit decimumoctavum ætatis annum, nunc vigesimum secundum; & nemo ordinetur Diaconus, quin pervenerit ad vicesimum, nunc vigesimum-tertium; & nemo provehatur ad sacerdotium infra vicesimum-quintum: nemo denique assumatur in Episcopum, quin ad tricesimum ætatis & vitæ annum pervenerit.

Quisquis has canonum sanctiones observare detrectat, incidit in irregularitatem; & qui ordinat aliquem contra ejusmodi sanctiones, ab ordinum collatione, ordinatus verò ab ordinis indebita ætate suscepti executione, usque ad legitimam ætatem suspenditur. Ut patet ex cap. *Vel non est.* in quo graviter reprehenditur Episcopus Conventren. eo nomine, quòd puerum tredecim annorum contra sacrorum canonum instituta inordinatè in Diaconum ordinasse diceretur in ludibrium ordinis clericalis. Hæc ibi.

Quòd defectus libertatis pariat irregularitatem, patet ex dist. 54. cap. *Nullus Episcoporum.* ubi vetatur, ne servi promoveantur ad clericatus officium, nisi ab suis dominis legitimam libertatem fuerint consecuti: quia, ut habetur ibidem debet esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ est aggregandus, ut à castris dominicis, quibus nomen ejus ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Hæc ibi.

Ergo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines promoveri; si tamen promovetur, ordinem suscipit: quia liberras non est de necessitate sacramenti, sed dumtaxat de necessitate præcepti. Sunt igitur irregulares servi, nec possunt ad ordines promoveri, ex cit. dist. 54. cap. *Nulli.*

Quæstiuncula LXX.

Utrum procuratores, actores, &c. debeant ordinari.

Respondeo, magnum Episcopum Astiagensem proposuisse in Concilio Carthaginensi I. c. 8. utrum procuratores, actores & executores seu curatores pupillorum debebent ordinari.

Cui quæstioni satisfecit Gratus Episcopus his verbis: Si post deposita universa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent & cum laude Cleri, si postulati fuerint, honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinari, Ecclesia infamatur. Hanc Grati Episcopi sententiam approbant omnes Episcopi, & ideo refertur in Decret. 1. p. dist. 54. cap. *Magnus.* Hæc eadem responsio refertur lib. 1. Decretal. tit. 19. *De obligatis ad ratiocinia.*

Quæstiuncula LXXI.

Utrum filii ex illegitimo concubitu nati, sint irregulares.

Respondeo, omnes ex illegitimo concubitu ortos, id est ortos ex meretrice, qui dicuntur manzeri, vel procreatos ex soluto & concubina domi retenta, qui dicuntur filii naturales, vel natos ex adultero & solutâ, qui appellantur nothi, vel susceptos ex coitu damnato, ut ex stupro, vel raptu, vel sacrilegio, vel incestu, vel ex fœmina conjugata, qui dicuntur spurii.

Respondeo, inquam, hos omnes esse irregulares, & præcepti necessitate ab susceptione ordinum amoveri. Quia, ut ait S. Thom. in Supplem. 3. p. a. 5. in c. ordinati in quadam dignitate præ aliis constituuntur: ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti: ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publicè pœnitentes: & quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam ex illegitimo thoro nati à susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tantò est difficilior dispensatio, quantò eorum est turpior origo. Hactenus S. Thom. loco citato.

Inter causas autem quibus perpulsa est Ecclesia, ut intentata irregularitate filios ex illegitimo thoro susceptos ab ordinibus tam suscipiendis quàm exercendis excluderet, videtur hæc non ultima, quòd videlicet hujusmodi exclusionem sancire voluerit, quò parentum scelus & libidinem, sese supra quàm dici potest, perhorrescere declararet.

Supposita igitur ecclesiastica lege, illegitimos ab ordinibus tam suscipiendis quàm exercendis ablegante, sequitur, illegitimum ordines recipientem, vel receptos exercentem, sine legitima dispensatione, peccare lethaliter, quippe qui infringat Ecclesiæ prohibitionem in re gravi: ubi tamen advertendum est, cum peccare quidem lethaliter, non tamen incurrere novam pœnam ab irregularitate, quâ jam irretitus est, distinctam, cùm nulla tali homini ab jure infligatur pœna.

Quæstiuncula LXXII.

Quis possit dispensare cum illegitimo.

Respondeo, Episcopum & omnes alios episcopali jurisdictione præditos, posse dispensare cum illegitimo ad suscipiendos & exercendos minores ordines, & ad aliquod beneficium simplex, quod sacri ordinis functionem non exigat; non posse autem cum eo dispensare ad suscipiendos vel exercendos majores ordines, ad aliquam dignitatem & ad beneficium, quod animarum curam annexam habeat.

Si quis dicat, Episcopum posse dispensare cum illegitimo, etiam ad majores ordines, si illegitimitas ex occulto delicto proveniat: hanc enim facultatem Concilium Tridentinum facit Episcopis sess. 24. de reformat. cap. 6. *Liceat Episcopis*, inquit, *in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.*

Respondeo, irregularitatem ex illegitimo thoro profectam, de qua hîc est sermo, duo continere principia, ex quibus existit. Nam

1°. Provenit ex occulto parentum delicto, quod si solum esset, Episcopi dispensatione nullo negotio

tolleretur. Sed quia 2°. oritur ex defectu in ipsos cadente filios, ideo Episcopi dispensatione tolli non potest. Quamvis enim Concilium Tridentinum ipsis Episcopis dederit facultatem dispensandi in irregularitatibus ex occulto delicto proficiscentibus; non tamen eam protulit & extendit facultatem ad irregularitatem, quæ ex occulto parentum delicto, & ex natalium defectu in filios redundante oriuntur. Unde in hac irregularitate Episcopus cum illegitimis ad majores ordines dispensare non potest: cùm præfatum Concilium suam illam in irregularitatibus dispensandi facultatem ad unam dumtaxat irregularitatem ex delicto proprio & occulto (quæ propriè irregularitas ex delicto dicitur) restrinxerit. Ita Navarrus c. 27. numero 174.

QUÆSTIUNCULA LXXIII.

Quid sit, & quotuplex sit bigamia.

RESPONDEO, bigamiam nihil esse aliud quàm duplicatum seu multiplicatum matrimonium, & illud per carnalem copulam consummatum, ex quo propter defectum sacramenti irregularitas, sive ad ordines suscipiendos & exercendos inhabilitas oritur.

Ad bigamiam igitur constituendam duo requiruntur.

1°. Ut matrimonium cum duabus fœminis verè vel interpretativè, vel, ut ita dicam, similitudinariè contrahatur.

2°. Ad constituendam bigamiam requiritur actualis conjugatorum copula in secundo pariter, & primo matrimonio, alioqui non tolleretur significatio conjunctionis, quam Christus Jesus cum Ecclesia per incarnationis mysterium iniit. Unde inducta est bigamia, quæ ecclesiastico jure homines ad ordinum susceptionem & executionem inhabiles reddit, utpote quæ unicam unius Christi cum una Ecclesia conjunctionem non solùm non perfectè significare, sed quodammodo destruere videatur.

Quod spectat ad divisionem bigamiæ, in hoc conveniunt omnes, ut asserant bigamiam trifariàm dividi. Nam alia dicitur vera, alia interpretativa, alia denique similitudinaria.

Vera bigamia posita est in matrimonio cum duabus conjugibus successivè contracto & consummato, sive contractum sit & consummatum duplex illud matrimonium ante vel post baptismum.

Quisquis igitur duplex matrimonium contraxerit ante baptismum, vel unum ante baptismum, & alterum suscepto baptismo, est irregularis secundùm cap. *Si quis viduam.* dist. 34. & reverà ita est irregularis, ut bigamia, atque adeo irregularitas per baptismum non aufeatur: quia, ut ait S. Thomas in Supplem. *baptismus solvit culpas, non conjugia*: unde cùm ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per baptismum tolli non potest, ut ait Augustinus in dicto Suppl. 3. p. q. 66. a. 4. in c.

Bigamia interpretativa ea est, quâ juris interpretatione quispiam habetur ut digamus, eo quòd in ipso reperiatur defectus sacramenti, tametsi non sit verè digamus, quippe multas uxores, sed non veras habuerit, v. g. qui duo matrimonia cum impedimento dirimente invalidè contraxit, teipsa est bigamus, atque adeo incurrit irregularitatem consummatis hujusmodi matrimoniis: est, inquam, bigamus non verâ, sed interpretativâ bigamiâ, quippe qui quoad affectum contraxit duo matrimonia, & consequenter in illis abest significatio mysterii, non propter verum sacramentum, sed propter effectum cum subsecuta copula, ut colligitur ex cap. *Nuper. de bigamis non ordinand.* cùm hujusmodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, (ut ait ibidem Innocentius Papa III.) secundas sibi mulieres matrimonialiter contraxerunt, tamquam eum bigamis non liceat dispensari, licèt in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, quia, ut ait ibi Glossa, quantum in ipsis fuit, secunda matrimonia contraxerunt. Hæc ibi.

Præterea incurrit hanc ipsam bigamiam interpretativam, quisquis duo matrimonia de facto, id est utraque irrita, vel saltem alterum, alterum verò irritum contrahit; & hi sunt duo priores modi, quibus irregularitas ex interpretativa bigamia incurritur.

Tertius modus, quo hæc ipsa irregularitas incurritur, fit, cùm aliquis ducit viduam ab priore marito cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ea consummat matrimonium: & hic modus colligitur ex cap. 1. & cap. *Debitum. de bigamis non ordinand.*

Quartus denique modus est, cùm quis virginem à se ductam, & postmodum adulterii reatu carnaliter cognoscit. Hic casus habetur conceptis verbis, c. *Si cujus.* dist. 34. & in Concilio Neocæsariensi cap. 8.

Hujus irregularitatis ratio petenda est ex eo, quòd vir ex parte suæ voluntatis & affectus, suam carnem in plures juris interpretatione divisisse censeatur, sicut & ejus uxor suam divisit in plures, in ipsum scilicet virum cognoscentem, & in adulterum, à quo cognita est. Unde tale matrimonium dicitur defecisse à significatione matrimonii Christi cum Ecclesia, quod quidem matrimonium est unius cum una intactâ.

Cùm igitur hujusmodi bigamia tollat significationem sacramenti integram, atque adeo significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ est unius ad unam, jure ac meritò irregularitatem inducit, & ideo ad perfectam significationem sacramenti (id est matrimonii, quod Christus iniit cum Ecclesia) requiritur, quòd vir sit tantùm unius uxoris vir, & uxor sit tantùm unius viri uxor; & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit, ut docet S. Thomas Supplem. 3. p. q. 66. a. 1. in c.

Hactenus de vera & interpretativa bigamia egimus: superest tertia, quæ dicitur similitudinaria. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA LXXIV.

Quomodo definiatur bigamia similitudinaria, & utrum inducat irregularitatem.

RESPONDEO, bigamiam similitudinariam nihil aliud esse, quàm matrimonium attentatum & consummatum, etiam cum virgine, ab eo qui est voto solemni castitatis obstrictus.

Ex hac definitione infero, omnes in sacris constitutos, & omnes solemne castitatis votum in ordine approbato professos, qui matrimonium etiam cum virgine ineunt, atque consummant, incurrere irregularitatem, utpote qui in bigamiam similitudinariam incidant.

Quòd in sacris constitutus hanc bigamiæ similitudinariæ irregularitatem incurrat, etiamsi cùm unica & virgine contrahat, patet ex cap. 1. *Qui Clerici vel vov.* & cap. *A nobis.* & cap. *Quotquot.* 27. q. 1. cap. *Decernimus.* dist. 28. quia per tale matrimonium carnale, quod de facto contrahit, violat spirituale quod præcessit.

Si enim Subdiaconus, vel Diaconus aut Sacerdos contrahat etiam cum unica & virgine, incurrit bigamiam similitudinariam, quia post matrimonium similitudinarium initum cum Christo per votum solemne castitatis ordini annexum, de facto ad alias nuptias transit, carnali copula consummavit, & ideo irregularitatem incurrit. Et proinde locum habet in ipso ratio tradita in cap. *Nuper.* & cap. fin. *de bigam.* dari scilicet quamdam similitudinem bigamiæ in hoc eventu, propter affectum ad duplex matrimonium opere subsecuto.

Unde ista similitudinariæ bigamiæ irregularitas non contrahitur ob defectum significationis, sed ob delictum dumtaxat: non enim datur alius modus incurrendi irregularitatem ex bigamia, quàm delictum vel modus significationis. Cùm igitur in hoc casu, in quo agitur de Clerico, qui constitutus in sacris matrimonium contrahit, duplex matrimonium verè non concurrat, nec appareat vera divisio carnis in plures per copulam matrimonialem; (quod exigit bigamia irregularitatem defectu significationis inducens) sequitur, eam quam præfatus Clericus incurrit, irregularitatem, non ex defectu significationis, sed ex solo delicto proficisci.

Quod diximus de Clerico in sacris constituto, hoc ipsum asserimus de professo, seu de eo qui in approbato quopiam ordine solemne votum castitatis emisit: eo quòd in utroque eadem bigamiæ similitudo reperiatur. Nam si Clericus per susceptionem ordinis cui annexum est solemne votum castitatis, similitudinarium init cum Christo matrimonium, & incurrit similitudinariæ bigamiæ irregularitatem, eo nomine, quòd alterum matrimonium contrahere affectat, id ipsum factitat professus, qui per suam professionem similitudinarium cum Christo matrimonium iniit, & nihil obstante tali matrimonio per solemnem professionem inito, carnale matrimonium attentat & consummat.

Dixi, consummat: quia nulla bigamiæ species nec annexa ipsi irregularitas incurritur, quæcumque matrimonia & cum fœmina cujuscumque status ineantur, nisi carnalis commixtio in illis matrimoniis intercedat, ut expressè definitur c. *Debitum. de bigamis.*

Ex dictis patet, & Clericum in sacris constitutum, & professum, si matrimonium inierint, & consummaverint, incurrere bigamiæ similitudinariæ irregularitatem, & id probatur ex cap. *Quotquot.* 27. q. 1. in qua referuntur verba ex Synodi Ancyranæ c. 18. excerpta: *Quotquot* (verba sunt canonis) *virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt professione contempta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.*

Si hoc de virginibus, quæ se Deo per solemne votum castitatis astrinxere, constitutum est; quantò magis de hominibus id constitutum & observatum oportuit?

QUÆSTIUNCULA LXXV.

Utrum cum bigamis, ut ordinentur, dispensari possit.

VIDETUR quòd non: cùm enim sit præceptum in sacris Litteris expressum, atque adeo divinum, Diaconos & Episcopos unius uxoris viros esse oportere, & nisi tales sint, non esse ordinandos; videtur certum, bigamos contra jus divinum nec debere, nec posse ordinari.

Ut propositæ quæstiunculæ fiat satis, dicimus cum S. Thoma, quòd bigamiæ non est adjuncta irregularitas de jure naturali, sed de jure positivo: nec iterum est de essentialibus ordinis, quòd aliquis non sit bigamus. Quod patet ex hoc, quòd si aliquis bigamus ad ordines accedat, characterem percipit; & ideo Papa in tali irregularitate potest dispensare totaliter, sed Episcopus quantùm ad minores ordines: & quidam dicunt, quòd etiam quantùm ad majores, in illis qui volunt Deo in religione servire propter vitandum Religiosorum discursum. Hactenus S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. a. 3. in c.

Ex isto S. Thomæ loco rectè concluditur, Papam in omni irregularitate, & quæ proveniat ex bigamia, vera & interpretativa, posse dispensare duabus de causis, quarum prima inde petitur, quòd jure dumtaxat positivo & ecclesiastico, non autem jure naturali divino, bigamiæ adjuncta sit irregularitas. Secunda autem reperitur ex eo, quòd non necessariò requiritur, ut ordinandos non sit bigamus: si enim ordinetur, nihil obstante bigamia ordinis characterem recipiet, ut docet loco cit. S. Thom. & cum eo plerique omnes Theologi. Ergo certum est in omni irregularitate, sive ex vera, sive ex interpretativa, sive denique ex similitudinaria bigamia, Papam dispensare posse quoad majores ordines & suscipiendos & exercendos.

Si quis contendat, summum Pontificem in veræ bigamiæ (quâ quis duas uxores legitimas habuit successivè) irregularitate, dispensare non posse, eo quòd ipsa illa irregularitas oriatur ex sacramenti defectu, quem ipse Papa tollere non potest;

Respondeo, ad dispensandum in ea irregularitate non requiri, ut auferatur significationis sacramenti defectus, quem Papa tollere non potest, sed id tantùm desiderari, ut Papa absolvat ab irregularitate, quæ ex hujusmodi defectu contracta fuerit.

Si quis urgeat, bigamiam ex præcepto apostolico & divino prohibere, ne bigami ordinentur, & ideo in c. *Super eo. de bigamis non ordin.* disertè asserit Lucius Papa III. in bigamis contra Apostolum dispensare non licere, ut debeant ad sacros ordines promoveri; vel in eis, si promoti fuerint, remanere:

Respondeo, præceptum illud de non ordinandis bigamis ab Apostolo indictum esse, non de jure naturali divino, aut positivo divino, sed de jure dumtaxat humano. Non enim omnia quæ Apostoli aliique viri sanctissimi, dum nobis sacras Scripturas traderent, præcepere, ad jus divinum pertinent. Nam ut Apostoli Scripturas ab Spiritu sancto dictatas fidelibus tradebant; quatenus verò ipse ille Spiritus sanctus eos posuerat Episcopos regere Ecclesiam Dei, condebant leges, ut præditi episcopali potestate; (quæ etiamnum in Ecclesia perseverat) condebant, inquam, leges ad tempus & personas singulari prudentia accommodatas, quæ tamen leges seu præcepta mutari vel abrogari, vel dispensationem admittere poterant, si id temporum ratio, & personarum necessitas exigeret, cùm v. g. Apostoli, ut refertur Act. cap. 15. in unum congregati decreverunt fidelibus, id est iis, qui gentium simulacra & superstitiones aversati, convertebantur ad Christum, abstinendum esse ab contaminationibus sacrorum seu ab idolothytis, id est à cibis, qui fuerant idolis immolati, ne idololatriæ participes viderentur: & ab fornicatione simplici scilicet, quam gentes inter peccata lethalia credebant recenseri non oportere: & ab suffocatis, tum quia gentiles censebant suffocata esse dæmonum cibum, ut ait Origenes lib. 8. contra Celsum: tum quia Judæi à suffocatis abhorrebant ex præscripto legis. Igitur Apostoli, quibus revelatum fuerat, gentes fore cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis ejus per Evangelium: Apostoli, inquam, temporariam hanc legem (utpote jam

multis ab sæculis abrogatam) condidere, ut Judæorum & gentium in dictis capitibus ab invicem dissidentium animos ad concordiam revocarent, & sic tamquam membra inter se sub Christo capite conglutinata, in unum Christi corpus, quod est Ecclesia, in temporum plenitudine coalescerent.

Hoc igitur præceptum erat dumtaxat Apostolicum seu Ecclesiasticum, non autem ex jure naturali divino profectum, ideoque vel abrogari, vel dispensationem admittere potuit: ita & irregularitas quæ ex bigamia vera vel interpretativa, jure dumtaxat ecclesiastico est introducta, & ideo si non abrogari, dispensationem certè admittere potest, si summus Pontifex justas in illa dispensandi causas habuerit.

Unde cùm Lucius Papa III. cap. *Super eo. de bigamis non ordinandis.* ait, in bigamis contra Apostolum dispensare non licere; per postremum istud verbum (*non licere*) non indicat, nec significat impossibilitatem dispensationis in bigamiæ irregularitate obtinendæ, sed concedendæ difficultatem, utpote quæ nec facilè, nec sine gravi causa concedi debeat.

Hanc doctrinam secuti sunt summi Pontifices, ut patet ex cap. *Lector.* dist. 34. ubi ait Martinus Papa, quòd si aliquis in minoribus constitutus viduam duxit in uxorem, vel bigamus fuerit, in lectoratu permanere posse, aut si fortè necessitas fuerit, ad subdiaconatum promoveri posse, nihil antem suprà. Quibus verbis declarat summus Pontifex, quòd licèt sit dispensatum in uno ordine, non ideo intelligi dispensatum in alio. v. g. bigamus cum quo dispensatum fuerit in bigamiæ irregularitate ad suscipiendum subdiaconatum, non propterea censetur ita cum eo dispensatum, ut possit ad diaconatûs ordinem promoveri.

Ergo potest summus Pontifex dispensare in irregularitate contracta ex bigamia ad majores ordines suscipiendos & exercendos, quod & factitatum est ab Lucio Papa III. qui quamvis pronuntiaverit in bigamiæ irregularitate, (ut supra vidimus) ipse tamen in ea dispensavit cum Panormitano Episcopo, qui fuit bigamus, ut testatur Glossa in cap. *Lector.*

Quæstiuncula LXXVI.

An & quando Episcopus in bigamiæ irregularitate dispensare valeat.

Respondeo, Episcopum in præfata irregularitate bigamiæ quoad minores ordines & suscipiendos, & cùm suscepti fuerint, exercendos, dispensare posse, ut patet ex cap. *Lector.* dist. 34. ubi habetur, dispensari posse cum bigamo in ea irregularitate, imò & posse, supposita dispensatione, bigamum ad subdiaconatum promoveri, si id necessitas exigat. Quæ verba proculdubio intelligenda sunt de Episcopo: si enim intelligerentur de summo Pontifice, post ista verba (*si necessitas fuerit, ad subdiaconatum promoveri posse*) non esset adjecta hæc restrictio (*nihil autem suprà.*) Per hæc enim verba significaretur, Papam in ea irregularitate bigamiæ posse tantùm ad subdiaconatum suscipiendum & exercendum dispensare, quod nemo Theologus concesserit.

Potest igitur Episcopus quoad minores ordines, & quoad subdiaconatum suscipiendum & exercendum dispensare in irregularitate bigamiæ veræ vel interpretativæ; siquidem ea ipsi facultas exigente necessitate conceditur à jure, ut patet ex cit. cap. *Lector.* quod & maximè potest Episcopus in disjunctissimis terrarum partibus, in quibus necessitas Subdiaconos ob ministrorum penuriam postularet.

Si quis dicat, per cap. *Lector.* Episcopo tribui facultatem in dicta bigamiæ irregularitate dispensandi, & concessa dispensatione bigamum ad subdisconatum promovendi, quia tunc subdiaconatus non annumerabatur inter sacros ordines:

Respondeo 1°. subdiaconatum semper fuisse sacrum ordinem in sua saltem origine, id est in diaconatu, ex quo minores ordines, & subdiaconatus velut è fonte profluxerunt, & à quo hauserunt hanc suam dignitatem, ut secernerentur ab profanis ministeriis, & ad sacra dumtaxat adhiberentur, ut probavimus, cùm ageremus de diaconatûs ordine.

Vel aliter, & sic respondeo: Dato, non concesso, quòd subdiaconatus inter sacros ordines non recenseretur eo tempore, quo Lucius Papa III. facultatem fecit Episcopo dispensandi in bigamiæ irregularitate, & bigamum ad subdiaconatum promovendi, si id necessitas exigeret: nemo tamen inficiari potest, quin subdiaconatus ita sanciente Ecclesia inter sacros seu majores ordines habeatur: ergo etiamnum penes Episcopum est facultas dispensandi in irregularitate, quam quis ex bigamia contraxerit, & insuper eum ad subdiaconatum promovendi, si id exigat necessitas, eo quòd vel antequam subdiaconatus aggregaretur ad sacros ordines, vel postquam inter eos annumeratus est, nulla apparet juris dispositio, quæ ipsam illam, de qua agimus, in dicta bigamiæ irregularitate dispensandi facultatem Episcopo abrogatam esse, patefaciat.

Et inde colligere est, non solùm Episcopum cum bigamo quoad minores ordines, dispensare posse in irregularitate, quam ex bigamia vel vera vel interpretativa contraxerit, sed etiam quoad majores. Nam si olim subdiaconatus fuit ordo sacer, ut nunc est, (sicut asseruimus in prima nostra responsione) vel si non fuit, ut nemine reclamante nunc est major ordo, ut diximus in secunda nostra responsione) negari non potest, quin Episcopus cum bigamo dispensare, & exigente necessitate illum ad subdiaconatum, atque adeo ad diaconatum & presbyteratum promovere valeat. Si enim poscente necessitate potest bigamum ad subdiaconatum promovere, multò magis ad sacerdotium promovere poterit, dispensando in irregularitate ex bigamia contracta. Nam proculdubio Episcopus dispensans cum bigamo quoad presbyteratum, longè meliùs fidelium necessitati consulet, si dispenset cum bigamo, & eum ad presbyteratum promoveat, quàm si cum ipso dispensaret, & in Subdiaconum ordinaret. Nam Subdiaconus pauca præstat fidelibus; & Sacerdos longè plura, quia conficit Eucharistiam, confessiones excipit, morituros ultimo sacramento roborat, & reficit. Ergo si potest Episcopus in gravi necessitate bigamum ad subdiaconatum promovere, multò magis bigamum in Presbyterum ordinare poterit, cùm major sit Sacerdotum, quàm Subdiaconorum ordinandorum necessitas, & fideles multò majora & graviora, & magis ad salutem necessaria ab Sacerdotibus adjumenta percipiant, quàm ab Subdiaconis percipere valeant.

Et hactenus de bigamia vera & interpretativa: nunc agendum de similitudinaria. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA

Quæstiuncula LXXVII.

Utrum Episcopus in bigamia similitudinaria dispensare valeat.

RESPONDEO, Episcopum posse dispensare in bigamia similitudinaria cum Clerico in sacris constituto, si ille Clericus cum unica & ea virgine contraxerit, quod probatur ex cap. *Sanè Sacerdotes. de Clericis conjugat.* non posse autem, si cum vidua vel corrupta, vel duplex matrimonium inierit. Id quidem potest Episcopus; sed cum hujusmodi homine, sicut & cum altero in ordine quopiam solemniter professo, ea potestate uti non debet. Nam nisi gravissimis & justis de causis cum hujusmodi hominibus in ea bigamiæ similitudinariæ irregularitate dispensandum est. Et hoc satis superque declaravit Lucius Papa III. in cap. *Super eo. de bigam. non ordinand.* ubi disertè asserit, eum bigamis contra Apostolum dispensare non licere, ut debeant ad sacros ordines promoveri. Quibus verbis, ut suprà monuimus, non declaratur obtinendæ dispensationis impossibilitas, sed justis de causis concedendæ maxima difficultas, ne homines in suarum libidinum cœno volutati passim obrepant ad sacros ordines, & ipsis ordinibus infamiam aspergant, & fidelibus scandalum ingerant, & sibimetipsis æternam damnationem accersant.

2°. Albertus Magnus in 4. Sent. dist. 27. a. 21. in solut. argumentorum, constanter asseverat, posse Episcopum in ista bigamiæ similitudinariæ irregularitate cum Clerico in sacris constituto dispensare, si religiosum quempiam ordinem ingredi velit; quod & indicat S. Thomas loco suprà citato.

3°. Potest Episcopus in ea irregularitate dispensare, si ex occulto quopiam delicto proveniat, ut
» constat ex Concilio Tridentino ita pronuntiante: Li-
» ceat, inquit, Episcopis in irregularitatibus omnibus
» & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus,
» exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, &
» exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dis-
» pensare. Hactenus Concilium Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6.

De his hactenus: superest ultima irregularitas, quæ oritur ex defectu perfectæ lenitatis, de qua sit

Quæstiuncula LXXVIII.

Quænam sit illa irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, & cur irregularitatem importet.

RESPONDEO, irregularitatem propter defectum perfectæ lenitatis eam appellari, quæ hominem Christianum minùs lenem, & minus quàm hominem laïcum vel ecclesiasticum decet, ab sanguinis effusione vel alienorum membrorum mutilatione abhorrentem efficit, & ostendit.

Quod ut intelligatur, observandum est, duplex esse homicidium: aliud scilicet voluntarium, per quod quispiam justè vel injustè interficitur; aliud verò est casuale, id est interfectio hominis secuta ex facto operantis, præter ipsius intentionem.

Est etiam observandum, mutilationem esse voluntariam & indebitam membri humani abscissionem. Membrum verò est corporis organici humani pars distincta, spectans ad illius integritatem, ita ut eâ sublatâ hujusmodi integritas desinat. Talia sunt membra, digitus, auris, &c. Vel membrum est corporis organici pars, habens in eo per se distinctum officium. Talia membra sunt pedes & manus, non autem digiti, similèsve partes, quæ juxta posteriorem hanc acceptationem non tam sunt membra, quàm membrorum partes.

Ex hominis igitur cæde & mutilatione contrahitur irregularitas, quæ ex defectu perfectæ lenitatis oritur: de qua hîc agimus, utpote quæ non ex delicto, sed ex defectu lenitatis dumtaxat proficiscatur.

His positis, percensendi sunt ejus varii casus, in quibus homines dictam incurrunt irregularitatem, etiamsi alioquin coram Deo mereantur.

1°. In eam incidit irregularitatem, quisquis dat causam homicidio, proximam scilicet; neque in hoc casu distinguitur, an quis det operam rei illicitæ, necne: sed indistinctè ex causa proxima incurritur irregularitas, secundùm Innocentium, in cap. *Ad audientiam.* nu. 1. v. *Tamen semper fit irregularis.* Unde judex qui justam sanguinis sententiam protulit in reum, magnum sibi apud Deum meritum comparavit; est tamen irregularis, si ex ejus sententia mors consequatur. Nemini ergo dubium est, quin judices qui sententias capitales proferunt, & assessores, qui tales sententias suo assensu fulciunt, & scribæ qui illas excipiunt, & testes qui ad condemnationem testimonium ferunt, omnes denique qui ad reorum condemnationem & mortem, suam operam ex officio conferunt, sint irregulares propter defectum perfectæ lenitatis: & hoc certum est.

Verùm ad majorem hujus irregularitatis explanationem juvat observare:

1°. Cum Glossa in cap. *Dignum.* in v. *Consilium,* quòd committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate: cùm quis scilicet propriam vitam aliter quàm aggressorem interficiendo, tueri non potest.

2°. Homicidium voluntate admitti tribus modis, facto scilicet, præcepto & consilio, & lingua, sive adhortatione.

3°. Homicidium casuale committi vel ab eo, qui eo ipso tempore, quo homicidium perpetravit, dabat operam rei licitæ, & debitam adhibuit diligentiam, vel non adhibuit; vel dabat operam rei illicitæ.

4°. Necessitas, quâ quis voluit, & potuit propriam tueri vitam, vel erat evitabilis, aut inevitabilis.

Hoc posito, contendimus,

1°. Omnes qui homicidii sunt participes, seu ad illud concurrerunt aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, esse irregulares, & non solùm non debere promoveri, sed in perpetuum debere deponi, dist. 50. cap. *Si quis viduam.* Similiter si homicidii aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur, & in fine vitæ suæ laïcam communionem tantummodo recipiat. Hæc ibi ex Concilio Martini Papæ c. 26.

2°. Eadem dist. 50. cap. *Clericum.* decernit Nicolaus Papa, Clericum qui paganum occiderit, non oportere ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est. Hæc ibi.

Id etiam probatur ex ead. dist. 50. cap. *De his Clericis.* ubi idem Nicolaus Papa vetat, Clericos qui suam propugnando vitam paganum interfecerant, etiam pœnitentiæ laboribus perfunctos, in pristinum gradum restitui, aut ad altiorem provehi. Si contigerit, inquit, ut Clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit, multùm sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit: satiusque est illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quàm alta indebitè appetendo, damnabiliter in profundum demergi. Hæc ibi.

3°. Præterea extra. *de homicid. volunt. vel casual.* cap. *Sicut dignum.* Alexander Papa III. hanc profert sententiam adversus Clericos, quos constabat armatos interfuisse tanto facinori, & adversus eos, qui consi-

lium dederant, ut sanctus vir (Archiepiscopus Cantuariensis) caperetur. Eos, inquit, perpetuò non solùm ab altaris ministerio deponendos esse censemus, sed etiam quòd in Ecclesiis nullo unquam tempore lectiones legant, vel responsoria in choro separatim canteot: sed in psalmis apud Deum de commisso satagant veniam impetrare: insuper in districto claustro Monachorum vel Canonicorum regularium (si fieri potest) sunt recludendi: ita quòd usque ad septennium vel quinquennium debeant ab Ecclesiarum introitu coërceri. Hæc ibi.

Quidquod, quilibet Sacerdos nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut revocari poterat, ut testatur S. Gregorius Papa I. Sabiniano Episcopo Epist. lib. 7. Epist. 25. Et hoc præcipuè constitutum erat adversus Presbyteros perpetrati homicidii reos, ut patet ex cap. *Miror.* dist. 50.

Advertendum est hîc, omnes eos, qui concurrerunt ad homicidium, iis modis quos recensuimus, contraxisse irregularitatem ex delicto propriè loquendo, non autem dumtaxat ex defectu perfectæ lenitatis. Nam statuendum est, irregularitatem ex defectu pertinere dumtaxat ad eos, penes quos est legitima interficiendi facultas, quâ castè & integrè utuntur Reges, judices, & alii id genus homines, ad coërcendam malorum improbitatem & audaciam. Unde tametsi sint insontes, sunt tamen irregulares ob defectum perfectæ lenitatis.

Quod spectat ad irregularitatem ex delicto, semper ex peccato, eoque lethali contrahitur, ut postea declarabimus. Unde Clerici qui inciderunt in irregularitatem ex homicidio contractam, quales extitere Clerici qui ad necem S. Thomæ Cantuariensis auxilium, consilium, favorem contulerunt, etsi non prohibeantur in choro cum aliis canere, prohibentur tamen in ordinibus etiam minoribus ministrare, ut notat Marian. Socin. in cap. *Ad audientiam.* nu. 105.

Ex dictis perspicuum est, eos omnes qui voluntarium homicidium perpetrarunt, id est uno ex præfatis modis ad illud concurrerunt, id est vel facto vel præcepto, vel consilio, vel linguâ & adhortatione, esse irregulares ex delicto, seu lethali flagitio, quo sese homicidis auxilium qualicumque ratione præstando devinxerunt: tales fuisse declarantur extra. *de homicid. volunt. vel casual.* cit. cap. *Sicut dignum.* quotquot Anglorum Regem ad interficiendum S. Thomam Cantuariensem suis suggestionibus provocarunt: sicut & alii, qui licèt fuerint illius machinationis ignari, tamen eis, quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis ministerium præbuerunt.

Ut autem meliùs & clariùs secernatur irregularitas ex delicto, ab ea quæ ex mero perfectæ lenitatis defectu contrahitur,

Observandæ sunt sequentes regulæ, quarum

Prima est, irregularitatem ex delicto non contrahi, nisi peccatum propter quod contrahitur, sit mortale, ut patet discurrendo per singulas species, ex quibus hujusmodi irregularitas nascitur. Nam v. g. quisquis publicè & solemni ritu baptizaret, & de industria seu deliberata voluntate ablutionem jam factam iteraret; & peccaret lethaliter, ut constat, & dictam irregularitatem ex hujusmodi peccato nascentem incurreret. Et ita de cæteris.

Ac reipsa quidem incurrit hanc irregularitatem quisquis, ut causa proxima & per se, non per accidens, propria manu seu facto hominem vel per alium præcepto, vel consilio, vel adhortatione interficit: si nimirum datum ab ipso præceptum vel consilium vel hortamentum, homicidam & sicarium nihil alioqnin de tali homicidio cogitantem, ad illud perpetrandum efficaciter impulerit; similiter si & aliquo membro mutilaverit.

Secunda regula est, hanc irregularitatis speciem sine voluntate libera nunquam contrahi; sive illa voluntas sit voluntas facti, sive voluntas peccati: (ut aliàs ex S. Augustino tradidimus) alterutra enim voluntas ad peccatum, seu peccati reatum incurrendam sufficit, ut testatur idem S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15.

Tertia regula est, peccatum equidem consequi ex actione voluntaria & injusta, aut injustè executioni demandata; non tamen propterea inducere irregularitatem, nisi per se, & ut plurimùm mors ex illa ipsa actione consequatur.

Ex dictis colligere est, irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis contrahi sine peccato. Licèt enim judices, assessores, testes & alii qui concurrunt ad reorum condemnationem & mortem, sint irregulares; non tamen flagitiosi habentur, si videlicet, ut supponimus, recta legum & veritatis vestigia institerint. Et hoc maximè discrimine irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, ab irregularitate, quæ nascitur ex delicto, secernitur. Et ideo de homicidio ex defectu perfectæ lenitatis & de homicidio ex depravatæ voluntatis improbitate otiet solito egimus, ut quod inter utrumque discrimen intercedit, luculentiùs appareret.

Ut igitur respondeamus ultimæ parti propositæ quæstiunculæ, dicimus, ecclesiastico jure defectum perfectæ lenitatis in homines etiam sanctissimos cadentem, ideo inducere irregularitatem, ut ex hac Ecclesiæ saluberrima lege disceremus lenitatem & mansuetudinem, quam Christus Jesus toto vitæ divino humanæ curriculo, verbo pariter & exemplo docuit nos, ne ab ejus Agni mille contumelias & supplicia cum incredibili patientia & silentio passi clementiâ, & lenitate ullo unquam tempore degeneraremus. Tantam tamque mirabilem Christi Jesu mansuetudinem Isaias vel Propheta vel Evangelista prænuntiaverat octingentis annis, antequam nasceretur: *Non contendet*, inquit, *neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.*

Ex ista Ecclesiæ lege colligere par est, quantâ minorum & majorum ordinum candidatos sanctimoniâ præditos esse oporteat. Siquidem Ecclesia ne viros quidem bonos & in publicis & necessariis justitiæ muneribus castè & integrè versatos ordinari patiatur.

Hactenus de defectu perfectæ lenitatis, jam ad homicidium casuale properandum est. Esto itaque

---

Quæstiuncula LXXIX.

Quibus in casibus irregularitas ex casuali homicidio contrahatur.

Respondeo, casuale homicidium esse propriè loquendo illud, quod accidit præter intentionem agentis, qui scilicet dat operam rei licitæ vel illicitæ, & debitam adhibet, vel non adhibet diligentiam, ne cujuspiam mors ex ipsius opere consequatur. Hoc ita posito,

Certum est, in jure homicidium casuale imputari illi, qui dabat operam rei licitæ, cùm hominem interfecit; sed non adhibuit diligentiam quam debuit, ut patet ex cap. *Presbyterum.* extra. *de homicid. volunt. vel casual.* & ibid. ex cap. *Ad audientiam.*

Quod cùm ita sit, haud dubiè contrahit irregularitatem ex homicidio casuali, qui non adhibet debitam diligentiam ad homicidium vitandum omnino necessariam. Unde S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8. in c. ita loquitur: *Illi*, inquit, *qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium.* Hæc ibi.

Ex occasione hujus loci S. Thomæ, si quis quærat, quæ negligentia requiratur, ut per homicidium casuale ex ea consequens quispiam irregularis efficiatur:

Respondeo, videri ad incurrendam irregularitatem sufficere negligentiam quantumlibet parvam. Cùm enim S. Thomas doceat loco citato, homicidium esse voluntarium illi, qui non removet homicidii causam, quam removere tenebatur, sequitur, interfectorem, qui vel venialem admisit negligentiam, non removisse homicidii causam, quam removere tenebatur, atque adeo homicidium ex dicta negligentia quantumlibet parva, subsecutum esse voluntarium, utpote volitum in causa quam ab præfato interfectore removeri oportuerat. Ergo in eo casu, defectu debitæ diligentiæ, incursa est irregularitas, ex levi quidem & veniali negligentia, sed ad incurrendam irregularitatem sufficienti, cùm ex ea mors hominis sit consecuta.

Præterea contrahitur irregularitas ex homicidio merè casuali & non voluntario, cùm quis non adhibet diligentiam quam adhibere potuit & debuit: tenetur enim de casu fortuito, licèt daret operam rei licitæ, ut patet ex hac Decretali in cit. cap. *Presbyterum.* in quo Presbyter perpetuò removetur ab omni altaris ministerio, & ab officio sacerdotali deponitur, quia quemdam puerum intuitu disciplinæ percusserat in capite, & ille post paucos dies expiraverat.

In cit. cap. *Ad audientiam.* alter refertur casus de quodam Presbytero, qui cùm quemdam è sua familia corrigere vellet, & verberare tentaret, cultello è vagina Presbyteri cingulo appensa elapso, eum in dorso aliquantulum vulneravit, revaluit tamen ex illo vulnere, & alia graviori infirmitate percussus obiit. Quia verò dubium erat, utrum occasione vulneris per cultellum è sua vagina delapsum inflicti obiisset, quæritur ab summo Pontifice quid in isto rerum articulo facitari oporteat.

Propositæ quæstioni satisfacit Pontifex his verbis: Quia utrum occasione vulneris decesserit, dubium habetur; vestræ discretioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret: injunctâ tamen pœnitentiâ congruenti, sibi poteritis concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus. Si verò ille ex alia infirmitate obiit, poterit, sicut erat solitus, divina officia ministrare. Hæc ibi. Ex hisce dictis proponitur

---

Quæstiuncula LXXX.

Utrum is qui dubitat, utrum sit irregularis, tutiorem eligere partem, & se irregularem credere, & ab altaris ministerio abstinere debeat.

Huic quæstiunculæ satisfaciendum est cum distinctione. Nam in dubio, cùm scilicet dubitatur, utrum irregularitas sit præsumenda, aut agitur de pœna in foro contentioso propter irregularitatem imponenda, & tunc in dubio quis debet potiùs dijudicari & haberi pro non irregulari, quàm è contra. Et ita loquitur Innocentius in cap. *Significasti.* in fin. utpote qui in cap. *Non pridem. de renunt.* ait irregularitatem esse de jure positivo. Unde & infert, in dubio non debere aliquem irregularem reputari, quia pœnæ sunt molliendæ potiùs quàm exasperandæ, cap. *Pœna. de pœnit.* dist. 1. Et sic loquitur Innocentius, quando agitur de pœna in judiciali foro imponenda; & sic intelligit illum Abbas d. n. a.

Aut agitur de pœna in foro pœnitentiali injungenda, & tunc in dubio debet aliquis potiùs irregularis reputari; quoniam in hujusmodi foro tutior pars est eligenda, tametsi durior & asperior esse videatur. Et idem dicendum in foro quasi pœnitentiali, pura quia propriè non agitur ad pœnitentiam sed ut quis abstineat ab altaris ministerio, quia dubiam aliquam irregularitatem debemus tutiorem in partem interpretari, ut hic perspicuè probatur in hoc cap. *Ad audientiam.* & in cap. *Significasti.* ubi agitur de malefico, qui Eucharistiam extra Ecclesiam asportaverat.

Procedit autem hæc regula de tutiori parte in foro pœnitentiali, vel quasi pœnitentiali eligenda, non solùm in irregularitate, ut hic & in juribus proximè citatis, verùm etiam in omni materia, in qua posset subesse peccatum, ut testatur Socin. hic num. 11.

Quod & servandum est in excommunicatione, ut probat textus in cap. *Illud. de Cleric. excommun.*

In baptismate, ut patet ex cap. *Parvuli. de consecrat.* dist. 4. in pœnitent. ex cap. *Si quis positus.* & cap. seq. *de pœnit.* dist. 7. in sacramento ordinis, ut patet ex cap. *Veniens. de Presbyter. non baptiz.*

In matrimonio ut cap. *Juvenis. de sponsal.* & generatim ubicumque agitur de præcepto sub culpa mortali, in Clement. *Exivi* §. *Item præterea. de verbor. signif.*

Huic veritati maximam lucem admovet S. Thom. in 2. 2. q. 60. a. 4. in c. Ex hoc ipso, inquit, quòd aliquis habet malam opinionem de aliquo absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere in meliorem partem, interpretando quod dubium est.

Adverte hîc, S. Thomam de judiciis ubique, & præsertim in foro contentioso exercendis, loqui eodem modo, quo jura pronuntiant, ut vidimus in casu quem de irregularitate præsumenda, vel non præsumenda diximus.

Quomodo autem circa nos ipsos & alios in foro pœnitentiali, vel quasi pœnitentiali, nos gerere debeamus, præclarè docet in eod. art. ad 3. Dicendum, inquit, quòd interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter: uno modo per quamdam suppositionem, & sic, cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, ut supponatur id quod est deterius: quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis efficax est contra minus malum.

Alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo, sive determinando, & sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc ut interpretetur unumquodque, secundùm quod est; in judicio autem personarum, ut interpretetur in melius, sicut dictum est. Hactenus S. Thomas loco proximè citato.

Ex allatis Doctoris Angelici verbis inferendum est, nos oportere in foro pœnitentiali, vel quasi pœnitentiali, cùm vel nostris, vel alienis malis, seu peccandis expiandis & fugiendis remedium adhibere volumus, supponere, mala, quibus mederi volumus, esse graviora, quàm sint, ut ipsis remedia & securiora & severiora & tutiora adhibeamus, eo quòd inde futurum est, ut hujusmodi remedia ad propulsandum majus malum idonea & efficacia, multò magis minora mala depellere & profligare valeant.

Ergo verissimum est juris canonici pronuntiatum, quo jubemur in dubiis semitam eligere tutiorem, nostra mala seu peccata in deteriorem partem interpretando, id est, cùm agitur de præceptis sub culpa mortali, non potiùs reos quàm insontes judicare & confiteri debemus. Quod & optimè declarat Glossa in cap. un. in verbo *æstimare. de scrutin.* quæ conciliando jura in articulo, An quis in dubio præsumatur culpabilis, necne, (hoc, inquit, generale est, ut ubi ver-

situr periculum animæ, præsumatur in deteriorem partem) cap. *Juvenis. de sponsal.* cap. *Presbyteri. 68.* distinct.

Ex dictis constat in dubiis, ex quacumque materia emerserint, tutiorem partem semper eligi oportere, ut patet in cit. cap. *Ad audientiam.* Neque enim tutam apud Deum conscientiam retinere poterit, qui ad modernam probabilitatem & periculosa ejus consectaria adhærescere voluerit. Nihil hic de eadem probabilitate disputamus. Nam satis habemus illam & Academiarum condemnationi & summorum Pontificum decretis congruenter cum suis consectariis suprà refutasse. Si quis hac de re plura desiderat de constitutionibus, reperiet in caput istius Decretalis *Ne innitaris, &c.* ibi enim deprehender quadraginta & unum fundamenta, quibus author ipsam illam probabilitatem ita subruit, & labefactat, ut deinceps à nemine cordato & erudito citra pertinaciæ & inscitiæ notam propugnari posse videatur. Aureum hunc Prosperi Fagnani tractatum legere est in commentariis ab ipso in 1. part. Decretalium & elaboratis & editis pag. 31. & bene multis sequentibus.

Quæstiuncula LXXXI.

Quinam sint precipui casus, in quibus ex homicidio casuali contrahitur irregularitas.

Respondeo, primum casum accidere, id est irregularitatem contrahi ex homicidio casuali, cùm aliquis, qui dabat operam rei licitæ, hominem interficit, quippe qui non adhibuit eam diligentiam, per quam homicidium effugere poterat & tenebatur, ut probavimus in quæst. 80. Nam licèt hoc homicidium sit casuale, & non voluntarium directè, quia in illud voluntas non fertur, dicitur tamen voluntarium indirectè, quia voluntas potest & tenetur illud prohibere, & non prohibet, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 77. a. 7.

Inde colligitur, chirurgum vel medicum in curando ægrotante fieri irregularem, nisi adhibeat omnia ipsi ad suum munus rite obeundum necessaria. Sunt enim quatuor quæ debent ad recuperandam ægrotantium sanitatem concurrere, & ab chirurgo vel medico irregularitatem propulsare, quorum

Primum est, ut illud officium illi conveniat, hoc est, ut sit laïcus, quia Clericis & Monachis est interdictum, ut patet ex cap. *Sententiam.* ex cap. *Non magnopere* & cap. fin. *Ne Cleric. vel Monach.*

Secundum, ut sit peritus.

Tertium, ut adhibeat omnem diligentiam juxta legitimas suæ artis regulas.

Quartum denique, ut doceat ægrotantem ea, quæ ad profligandam ipsius ægritudinem idonea sunt & necessaria quibus declaratis & servatis secutura mors in medicum refundi nequeat.

Si chirurgi & medici quatuor ista servaverint, erunt immunes ab omni irregularitate; ita tamen ut si vel unum ex quatuor illis capitibus suâ vel imperitiâ vel incuriâ prætermiserint, & exin æger obeat, ipsius mors illis attribuatur, & in jure sint irregulares.

Item qui alunt animalia ferocia, & nisi arctè colligata retineantur, in homines passim grassatura, ut puta apros, leones, & ursos, sunt irregulares, si ab ipsis interficiatur aliquis, eo quòd hujusmodi belluas debito modo colligatas suâ negligentiâ non repressérint, ut patet ex cap. *Qui arborem.* & cap. *Sæpe.* 50. dist. Fuerunt enim in latâ culpa, cùm eas solutas tenuerunt, ut egregiè probat Text. in l. 2. in fin. ff. *Si qua ad pauper. fecisse dicatur.*

Secundus casus, in quo ex homicidio casuali irregularitas incurritur, accidit cùm occidens vel mutilans facto proprio, aut causam præbens homicidio vel mutilationi, dabat operam rei illicitæ, & hoc casu pro regula constituitur, ut irregularis efficiatur, licèt homicidium vel mutilatio fortuitò contigerit, & præter ejus intentionem & omnem diligentiam adhibuerit, ut patet ex cap. *Suscepimus.* extra. *de homicid. voluntar & casual.*

Jura clara sunt in eo qui occidit manu propria, ut patet ex cap. *De his Clericis.* 50. dist. & de eo qui causam præbuit homicidio, in cit. cap. *Suscepimus.*

Et ratio hujus rei est, quòd istud homicidium non sit quidem voluntarium in se, sed in causa; quod fit, cùm voluntas fertur in causam, non in effectum, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 7. & ideo quoties culpa præcedit casum ordinatum ad illam culpam, etiam per casum, aliquis efficitur irregularis, ex cit. cap. *Presbyterum.* & cap. *Suscepimus.*

Juxta hanc regulam Clericus qui inter venandum, telum vibravit in feram, & hominem interfecit, est irregularis, tametsi omnem adhibuerit diligentiam, ex cap. *Hi qui arbores.* 50. dist. quippe qui hominem operam dando rei illicitæ, id est venationi Clericis interdictæ, ex cap. 1. & 2. *De Cleric. venat.* enecavit.

Tertius casus, in quo contrahitur irregularitas ex homicidio casuali, accidit, cùm quis homicidio causam præbet animo nocendi. Nam ob pravam intentionem tenetur de casu fortuito, licèt aliàs daret operam rei licitæ, & causa sit remota, ex cap. *Sæpe.* 50. dist. v. g. si quis manu præferat cultellum, non est irregularis, si quispiam in illum insiluerit, & sibi lethalem impresserit plagam: efficitur tamen irregularis, si hujusmodi cultellum tenebat manu, ea intentione ut alter in illum irrueret. atque ita lethale sibi vulnus infligeret, ut declarat Marian. Socin. in cit. caput *Ad audientiam.* numero 266.

Hactenus de voluntario & de casuali homicidio egimus: nunc ergo agendum de homicidio quod ex necessitate admittitur, cùm v. g. aliquis in eam implicatur necessitatem, ut vel ipse pereat, vel aggressorem interficiat. Sit itaque

Quæstiuncula LXXXII.

Utrum supposito necessitatis articulo unicuique suam vitam aggressoris interfectione defendere liceat.

Respondeo, licere, si necessitas de qua est sermo, sit inevitabilis, id est vitari non possit, nisi aggressor vel interficiatur, vel mutiletur, & præterea in hujusmodi interfectione vel mutilatione moderamen inculpatæ tutelæ teneatur.

Ut nostra illa responsio clariùs intelligatur, aliqua sunt observanda.

1°. Observandum est, hac in re duplicem assignari necessitatem. Una enim dicitur evitabilis, quando scilicet aliquis suam ipsius vitam aliter quàm aggressorem enecando, tueri potest. Alia verò dicitur inevitabilis, quando quis ad eas adactus est angustias, ut ipsum vel interire vel aggressorem interficere oporteat.

2°. Observandum est, moderamen inculpatæ tutelæ in multis positum esse, in eo videlicet, ut aggressor interficiatur in ipso aggressionis actu, & injustè ab ipso vis inferatur, & invasus probabiliter se enecandum aut mutilandum esse noverit & credat, nec aggressorem antevertat, id est non aggrediatur, nisi ille vim inferre cœperit. In his enim consistit moderamen inculpatæ tutelæ: at præsertim positum est in modo, quo quis oblatam vim repellere & propulsare nititur, ut scilicet si armis violentia inferatur, armis vicissim repellatur, si sine armis inferatur, similiter sine armis repellatur, ut probatur ex l. 1. §. *Vim vi.* & l. 3 ff. *De vi & vi armor.* Unde infractam alapam gladio repellere non licet, sicut nec

ei vitam auferre, qui bona nostra nobis invitis & præsentibus auferret. Nam qualibet injuria corporalis, major est quavis reali, l. *In servorum*. in fine. ff. *De pœn.* Bartholus in d. l. 1. num. 9. vers. *Sed omnis injuria*. c. *Unde vi*. Sic Jurisconsultorum opinio omni authoritate destituitur, eo quòd nulla lex conceptis terminis loquatur de occisione, nisi furis nocturni aut diurni telo resistentis, quo interficere licet eo nomine, quòd tunc agatur non solùm de fortunarum, sed etiam de personarum periculo, ut paulò pòst videbimus; & sic in eo casu, & servatur æqualitas modi, & moderamen inculpatæ tutelæ retinetur. His ita constitutis,

Dico 1°. interfectorem furis aut latronis, qui eum scilicet occidit in necessitate evitabili, id est eum citra occisionem comprehendere poterat, est irregularis, utpote qui vitam suam ab omni periculo aliâ viâ, quàm cæde sartam-tectam conservare poterat, atque adeo moderamen inculpatæ tutelæ, præpostera sui defensione violavit. Unde non tantùm irregularitatem ex perfectæ lenitatis defectu, sed etiam ex delicto contraxit, ut constat ex cap. *Interfecisti*. in quo gravis hujusmodi interfectori pœnitentia imponitur; & additur in fine: Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat. Non deponitur talis Sacerdos, quia, ut ait Glossa, non dicitur directè homicidium fecisse, tamen irregularis, ut credo, factus est, sed dispensatur cum eo, ut beneficium habeat ex misericordia sine ordinis executione, argum. 28. dist. *Presbyterum*.

Dico 2°. eum qui se defendit, & mortem vel mutilationem ab suis cervicibus propulsare annititur, aggressoris mortem intendere non posse, quia, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. in c. occidere hominem (per se nimirum & ex intentione) non licet, nisi publica authoritate propter bonum commune: illicitum est, quòd homo intendat hominem occidere, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem. Hæc ibi.

Qui igitur se defendit, non potest dedita operâ, seu ex consilio & deliberata voluntate, mortem aggressoris intendere in propugnanda sua ipsius vita: qui enim deditâ operâ mortem aggressoris intenderet, prætergrederetur moderamen inculpatæ tutelæ, quippe qui sese aliter ab imminenti mortis periculo asserere valeat. Unde ad nihil aliud spectare debet, quàm ad moderatam sui defensionem, cujus gratiâ potest interficere aggressorem cum præfato moderamine inculpatæ tutelæ, ita ut, si aliter sese tueri nequeat, ipsius mortis, quam intendere non potuit, nec debuit, nec coram Deo, nec coram hominibus reus habeatur.

Dico 3°. cuilibet homini sive Christiano, sive gentili, lege naturali licitum esse invasorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ: id enim singulis animantibus, & maximè homini insitum est à natura, eo quo potest meliore modo, & quamdiu potest, suam tueri vitam. Nam ut est apud Gratianum dist. 1. cap. 7. violentiæ per vim depulsio ex ipso naturæ jure proficiscitur.

Unde & Innocentius Papa III. extra. *de homicid. volunt. vel casual.* cap. *Significasti*. secundo: Vim vi repellere, omnes leges, & omnia jura permittunt: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, &c.

Si quis objiciat, ecclesiastico jure nusquam introducendam fuisse irregularitatem adversus homicidas, si Ecclesia aggressorem impune & citra crimen, etiam in legitimam sui defensionem, interfici posse edidisset:

Respondeo, non rectè concludi, Ecclesiam non rectè irrogasse pœnam irregularitatis iis, qui hominem etiam citra peccatum sese defendendo occiderent. Nam irregularitas, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. ad 3. consequitur actum homicidii, etiamsi sit absque peccato. Hæc ibi. Et tunc est irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, non autem ex delicto.

Quicquid id est, nunc quisquis suum invasorem mutilat aut occidit, non est irregularis, ex quo Clemens Papa V. istam irregularitatem abrogavit in Clementina *Si furiosus*. Si furiosus, inquit, aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. Hæc ibi.

Si quis objiciat decretum Concilii Tridentini statuentis voluntarios homicidas numquam, casuales verò, seu qui ab morte defenderent, vim vi repulerunt, non esse ordinandos, nisi cum ipsis vel ab loci Ordinario, vel ex causa ab Metropolitano seu viciniori Episcopo causâ cognitâ dispensatum fuerit. Ita sentit Concil. sess. 14. cap. 7. de reformat.

Respondeo, Concilium loqui de homicidio ex immoderata defensione perpetrato, quod observatum est ab Navarro lib. 5. Consilior. consil. 36. de homicidio, quem sequitur Suarez, disput. 46. de censuris, sect. 1.

QUÆSTIUNCULA LXXXIII.

Utrum ad defensionem bonorum temporalium, furem occidere homini laico liceat.

RESPONDEO, in foro contentioso posse hominem laicum furem suas res auferentem interficere, si aliter salvas eas habere vel recuperare nequeat.

Hæc est communis opinio Jurisconsultorum, qui in d. l. 1. ubi in specie Bart. num. 9. cap. *Unde vi*. & in l. *Furem*. ff. *de sicar.* communiter docent, virum laicum licitè interficere furem suas facultates diripientem & auferentem, si aliter eas ab rapina & invasione furtas-tectas tueri & retinere nequeat. Id ita factitari posse de jure civili & in foro contentioso, docere non dubitant Legistæ: sed de jure canonico & in foro pœnitentiali concludunt omnes, non licere homini laico furem interficere ad servandas duntaxat res & facultates suas: & ita in specie determinat Innocentius Papa III. in cap. *Si verò*. il. primo, num. 2. sed si pro rebus occideret, infrà. de sentent. excommunicationis.

Idem Hostiensis in Summ. de homicid. §. *quâ pœnâ*. & alii.

Ergo nemini furem interficere licet, si agatur tantùm de rebus suis conservandis, sed si & de vita & rebus servandis pariter agatur, licitè fur enecari poterit, non propter facultates quas invito & reluctanti domino ademerit, sed propter vitam quam ipsi idem fur eripere tentaverit. Quod patet ex cap. *Interfecisti*. extra. *de homicid. voluntar. vel casual.* ubi ex Pœnitentiali Romano confessus aliquis, se fures interfecisse sine odii meditatione, se suaque liberando, pronuntiatur innocens, atque adeo illi pœnitentia ipsius arbitratu peragenda proponitur. Sic enim interrogatur: Si sine odii meditatione re tuaque liberando. Ergo si tantùm rei familiaris conservandæ gratiâ interfecisset furem, illi veluti reo, utpote hominis qui ad imaginem Dei factus est, interfectori, gravis pœnitentia, in eo ipso capite expressa, indicta procul dubio fuisset.

Unde in illud ipsum caput *Interfecisti*. Abbas in 4. notab. num. 2. ita loquitur: *Nota*, inquit, *singu-*

lariter textum, quòd tunc quis excusatur ab occisione furis, etiam nocturni, quando facit, ut liberet se & sua. Ergo si tantùm de rebus suis ab invasione & rapina vindicandis agitur, furem etiam nocturnum interficere nefas est: nam & persona & bona conceptis verbis in cit. cap. *Interfecisti.* ita copulantur, ut persona quidem (si sola fuerit) sese per furis cædem ab imminenti mortis periculo vindicare possit, nec tamen bonorum suorum, si sola fuerint, jacturam, per furis mortem impedire valeat.

Unde Æneas de Falcon. in Additione ad Abbatem, in tit. 12. *de homicid. voluntar. & casual.* quod dicimus, confirmat. *Veritas ista est*, inquit, *quam elicio ex verbis Abbatis, videlicet quòd si occido illum, qui de jure naturali vel divino poterat occidi, putæ ad meam necessariam defensionem, & tunc evitabo peccatum, ut etiam vult Abbas in cap. Olim. il. primo, n. 17. suprà de restitut. spoliator.*

Et ipse ille Author subdit majori quàm par est, hyperbole & exaggeratione: *Et est vera*, inquit, *sicut Deus est in cælo; pro defensione autem rerum temporalium, potest quis occidi de jure civili tantùm secundùm opinionem Legistarum, non autem de jure naturali vel divino, imò nec de jure ecclesiastico positivo*, ut patet ex dicta Decretali *Interfecisti.* intelligendo illa verba, *te tuaque*, copulativè, prout ab ipsis Legistis communiter intelliguntur.

Id ipsum probari potest ex differentia, quâ fur nocturnus ab diurno secernitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens, fuerit inventus*, Exod. cap. 22. v. 2. & 3. *& accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Intelligitur ergo, ut ait S. Augustin. in Exod. non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere: hoc est enim quod ait: *Si oriatur sol super eum, &c.* quia poterat discernere, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non debet occidi.

Ita S. Aug. Cùm ergo ex allato textu hoc discrimen intercedat inter furem nocturnum & diurnum, quòd ill. secundùm Scripturas & jus civile & leg. 12. tabul. & l. *Itaque.* §. *Lex.* ff. *Ad legem Aquil.* & l. *Furem.* ff. *Ad leg. Cornel. de sicar.* & secundùm jus canonicum, impune possit enecari, eo quòd ejus latet vis & intentio, ita ut utrum ad furandum dumtaxat, vel etiam ad occidendum venerit, nesciatur; diurnus autem licitè non possit interfici, (nisi se telo defenderit: jam enim plus est quàm fur) eo quòd facilè discerni queat, eum ad furandum dumtaxat, non autem ad occidendum ventitasse.

Unde colligimus, & Scripturas & leges sæculares furis nocturni homicidium approbasse, non autem diurni, eo nomine quòd nocturnus ad furandum pariter & occidendum venisse præsumeretur, non autem diurnus, (nisi se telo defenderet) eo quòd ad furandum dumtaxat, non autem ad occidendum accessisse crederetur.

Ergo ex Scripturarum legumque sæcularium, quas citavimus, mente, colligimus, quemlibet posse raptorem sibi & vitam & fortunas adimere molientem impune interficere, non autem furem, qui suas alicui facultates dumtaxat eripere conaretur. Ergo vera est & orthodoxa Decretalis *Interfecisti.* quæ hominem se suaque adversus prædonis impetum tuentem, & ipsum prædonem, cum moderamine scilicet inculpatæ tutelæ interficientem, ab homicidii reatu absolvit, & ab omni irregularitate immunem esse pronuntiat.

Hæc de laïco, jam ad Clericum properandum est. Sit itaque

Quæstiuncula LXXXIV.

An Clericus qui pro necessaria rerum suarum defensione furem vel spoliatorem interficit, efficiatur irregularis.

Respondeo, Clericum posse considerari, vel ut aliquid molientem & facientem ad propriæ personæ suarumque rerum defensionem, vel ad unius personæ suæ propugnationem, vel denique ad unam dumtaxat rerum suarum conservationem vires exerentem.

In primo casu, si Clericus ad necessariam & inevitabilem suæ personæ suarumque rerum defensionem incumbat, & ex hac ipsius defensione cujuspiam mors consequatur, non propterea efficitur irregularis, ut patet ex cap. *Interfecisti. de homicid. voluntar. & casual.* & ex Clementina *Furiosus.* eod. tit. Et præterea, si defensio sit quidem necessaria, sed non omnino inevitabilis, id est Clericus teneatur ea suarum rerum tuendarum necessitate, quæ aliam dictas res conservandi viam rationemque patiatur, non vitat irregularitatem, ut patet ex cap. *Suscepimus.* Ipse ille Clericus multò minùs evitat irregularitatem, si nulla ad hujusmodi defensionem necessitate adigatur.

De secundo casu, quid sit sentiendum, satis superque suprà declaravimus: potest enim unusquisque jure naturali suam tueri vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec tamen aggressoris mortem intendere potest.

In tertio casu, Clericus qui pro una dumtaxat rerum suarum defensione homicidium perpetravit, irregularitatem proculdubio incurrit, ut suprà probatum est, & declarat cap. *Suscepimus.* in quo decernuntur duo Monachi, quorum alter latrones nocturnos, quos altero discedente custodiebat unus & occiderat, ne ab eis interimeretur. Cur autem interfector hujusmodi latronum irregularitatem incurrerit, declarat ipsa Decretalis his verbis: *Verùm quoniam expediebat potiùs post tunicam, relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat iste humiliter ab altaris ministerio, & uterque peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare. Constat enim eos contra mansuetudinem ecclesiasticam ex utriusque ope interemptos.* Hactenus Decretalis.

Cùm nemo dubitet juxta Decretalem, eum qui dictos latrones enecavit, irregularitatem incurrisse, quæritur utrum ille Monachus, qui præfatos latrones suo sodali custodiendos reliquit, & abiit, nec eorum homicidio ullatenus adfuit, irregularitatem pariter incurrerit.

Respondeo, verisimiliter incurrisse: quia, ut affirmat Decretalis *Suscepimus.* constat, eos latrones contra mansuetudinem ecclesiasticam ex utriusque ope interemptos esse. Si ex utriusque Monachi ope latrones sunt enecati, uterque Monachus irregularitatem incurrit. Si enim est irregularis ille, ex cujus opera illicita homicidium sequitur, is profectò Monachus, quo absente perpetratum est homicidium, irregularitatem ex ipsa sua profectione & absentia contraxit: quippe qui secundùm Innocentium & Doctores fuit in culpa, quia duos uni dumtaxat homini custodiendos tradidit, atque adeo non adhibuit diligentiam, quâ cavere debuit, ne duo illi latrones perfractis vinculis, quibus erant constricti, insurgerent in unum illum sui custodem, eumque sociatis viribus enecarent; vel non adhibuit diligentiam, quâ tenebatur prospicere & cavere, ne relictus

ad hujusmodi latronum custodiam Monachus, veritus ne ab ipsis jugularetur, præverteret eorum impetum & immanitatem, eosque ad timorem expectorandum librato gladio transverberaret.

Si quis dicat hanc Decretalem, & irregularitatem in ea comprehensam, pertinere dumtaxat ad Monachos, non autem ad Clericos; non satis assequitur Decretalis sensum: quæ quidem narrat factum duorum Monachorum irregularitatem ex homicidio contrahentium, nec eos ab Clericis separat, imò conjungit. Si enim Monachi peccarunt contra mansuetudinem ecclesiasticam latrones interficiendo, nonne Clerici pariter contra eamdem mansuetudinem ecclesiasticam peccaturi sunt, si eorum manus proximi cruore contaminari contigerit. Ergo ecclesiasticæ mansuetudinis infractio ad Clericos sæculares & regulares in materia irregularitatis, quæ spectat ad altaris ministerium, ex æquo pertinet.

Quod & probari potest ex cap. *Tua nos. de homicid. voluntar. & casual.* ubi Religiosus chirurgiam exercens declaratur irregularis, si ex ejus, licèt periti, opere mors consequatur; & quamvis littera loquatur de Monacho, quia Monachus memoratur in facto, de quolibet tamen alio sæculari Clerico intelligatur, cùm eadem utrobique sit ratio, ut in hoc cap. declarat Abbas in 1. notab. num. 2. in fin. & Marian. Socin. in cap. *Ad audientiam.* num. 154.

Hactenus irregularitatem ex defectu nasci solitam pertractavimus: nunc ergo pergendum est ad explanandam eam quæ ex delicto nascitur, quæ quidem in quinque species dividitur, quarum prima consistit in iteratione baptismi, &c. Sit itaque

Quæstiuncula LXXXV.

Quinam præsertim irregularitatem ex baptismo contrahant.

Respondeo, plures ex ipso baptismi sacramento contrahere irregularitatem.

1°. Dictam irregularitatem incurrunt, qui scienter & deliberatè baptismum iterant, sive publicè, sive occultè; imò non solùm baptismum iterans cum peccato mortali, & iteratum hujusmodi baptismum suscipiens, est irregularis: si videlicet pro comperto habeat, se baptizatum esse, & nihilominus se denuo baptizari patiatur. *De consecrat.* dist. 4. can. *Qui bis.*

Inde sequitur, baptismum iterantem, & iteratò baptismum suscipientem, non esse irregulares, si ex ignorantia uterque id fecerit.

Circa irregularitatem quam baptismum iterans incurrit, non esse totalem, id est non dejicere de suo ministerio seu suorum ordinum executione rebaptizantem, sed prohibere dumtaxat, ne ad superiores ordines promoveatur, animadvertendum est, ut patet ex cap. *Ex litterarum. de apostatis.*

Ergo ex solius baptismi iteratione contrahitur irregularitas, non autem ex iteratione confirmationis & ordinis: quia duorum hujusmodi sacramentorum iterationi nulla decernitur irregularitas in jure, & ideo ex illa nulla contrahitur, sicut ex baptismi repetitione, quæ in jure irregularitatis pœnâ plectitur.

Ab hujusmodi irregularitate, quæ ex baptismi iteratione tam publica, quàm occulta contrahitur, dispensat summus Pontifex, in occulta verò rebaptizatione dispensare potest Episcopus, utpote qui secundùm Concilium Tridentinum in irregularitate ex occulto delicto proveniente dispensare valeat.

2°. Contrahitur irregularitas ex baptismi dilatione, hoc est secundùm canones. Is habetur irregularis, qui baptismum ad ultimam vitæ periodum seu proximæ mortis articulum rejicit. Ita sancivit Concilium Neocæsariense ann. Redempt. 314. celebratum, ut patet ex ejus can. 12. *Si quis in ægritudine*, inquit, *fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoveri, quòd non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit.* Hactenus canon dicti Concilii: multi enim illis temporibus veriti, ne suscepto baptismate austeriorem vitam vivere & cum suis cupiditatibus sæpius luctari cogerentur, suam regenerationem æternæ damnationis metu fracti & perterriti extrahebant ad ultimum vitæ diem, & sæpe ad ultimam horam. Quod cùm animadverterent sanctissimi Episcopi, quibus ea baptismi perceptio, & tam sera & præpostera cordis ad Deum conversio admodum dubia suspectaque videbatur, hujusmodi homines ab altaris ministerio suis canonibus ablegari voluerunt, & reapse id observatum est.

Cùm enim hæresiarcha Novatianus esset in ipso ordinationis procinctu, non solùm omnis Clerus, sed etiam omnis populus huic ordinationi constantissimè restitit, eo quòd in ipso vitæ periculo clinicorum ad instar baptizatus fuerat, ut videre est in Epist. S. Cornelii Papæ ad Fabium Episcopum Antiochen. inscripta.

Quidquod, omnes qui peregrè fuerant baptizati, eo quòd eorum minimè cognita esset vita, placuit ad Clerum non esse promovendos in alienis provinciis, ut constitutum est can. 24. Concilii Illiberitani.

Hujusmodi sanctiones liquidò declarant, quantam vitæ puritatem sancti Patres ab ordinandis exigerent.

Quòd autem non essent ordinandi, quotquot baptismum usque ad periculosam & dubiam ægritudinem vel senectutem distulerant, ipsi etiam recentiores docuerunt, Suarez scilicet, Reginaldus, Toletus, & alii apud Summistas passim citati: ita ut eorum multi asserant, requiri dispensationem Episcopi, ut hujusmodi homines licitè possint ad sacros ordines promoveri; alii verò eam requiri dispensationem negant, sed affirmant eos, de quibus sermo est, non esse ordinandos, nisi ab ipsius baptismatis perceptione sese probabili fide & integritate vitæ præposteram baptismi dilationem expiaverint, & præterea eorum ordinationem sacrorum ministrorum penuria & raritas exegerit. Vide hac de re Suarez disput. 42. sect. 2. num. 5.

Quæstiuncula LXXXVI.

Quinam fiant irregulares, ordines suscipiendo, vel susceptos exercendo?

Respondeo, plures hanc irregularitatem, quâ plectitur præpostera ordinum susceptio vel executio, incurrere.

1°. Irregulares sunt, qui furtivè ordines suscipiunt, id est qui ab Episcopo, cujus fefellere religionem, nec vocati, nec approbati, obrepunt ad suscipiendos ordines, vel alterum quempiam ipsorum nomen ementitum, examini subjiciunt, deinde in ipso conferendorum ordinum procinctu, propriis nominibus advocati ordinantur, extra. *de exceſſib. Prælator.* cap. *Veniens ad nos.*

Qui autem alio sensu furtim, id est qui falsas dimissorias, vel falsos aut fictos aut fiduciarios supposuere titulos, ut ordinari possent, suspensionis vinculo sunt irretiti, ut declaratum est ab Urbano Papa VIII. in constitutione quæ incipit *Secretis.* promul-

gata ann. sal. 1614. 11. Decemb. ubi & Episcopum, qui alterius Episcopi subditum laïcum tonsoræ clericali citra ejus licentiam ordinavit, perinde suspensum esse, ac si alienæ diœceseos Clericum sine dimissoriis ordinasset.

Quòd si Episcopus, antequam ad ordinationem aggrederetur, denuntiaverit excommunicationem ab iis incurrendam, qui furtivè sese ad ordines protruderent, (quod nunc passim ab Episcopis factitatur) hujusmodi homines incurrunt irregularitatem, uni duntaxat summo Pontifici reservatam, ex communi Doctorum sententia.

2°. Quemadmodum ligati minori excommunicatione suscipiendo sacros ordines peccant equidem lethaliter, nec tamen incurrunt irregularitatem, (cùm nulla adversus eos irregularitas in jure sit expressa) ita juxta c. *Cùm illorum. de sentent. excommunic.* in 6. quotquot majori excommunicatione sunt ligati, & scienter vel ex ignorantia crassa & affectata sacros ordines percipiunt, irregularitatem incurrunt; sicut & suspensi & interdicti censentur ab nonnullis irregulares, ordines sacros suscipiendo, licèt aliis videantur irregularitatem incorrere duntaxat, cùm sui ordinis munus & officium solemniter obeunt.

3°. Incurrunt irregularitatem, qui quatuor minores ordines vel ultimum hujusmodi ordinum & subdiaconatum uno eodemque die citra dispensationem apostolicam recipiunt.

4°. Sunt irregulares quotquot suspensi sunt, vel quia ab alieno Episcopo sine proprii Episcopi licentia, vel sine litteris dimissoriis, vel extra tempora sunt ordinati, si antequam sint absoluti, sui ordinis actum exerceant.

5°. Efficiuntur irregulares Clerici, qui ministrant in pertinentibus ad ordinem quem non habent; ita ut eos deponendos & ampliùs non ordinandos decernat Hormisda Pontifex his verbis: Si quis, inquit, baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur, extra. *De clerico non ordinato.* cap. *Si quis.*

6°. Irregularitatem incurrunt minorum ordinum Clerici, qui quidem suspensi, excommunicati, vel interdicti ministrant in aliquo ex suis ordinibus; & hæc est communis & vulgata Canonistarum sententia, quam tenet Innocentius, extra. *De excessibus Prælat.* in cap. fin. ubi decernit, eum violare interdictum, qui in officio suo ministrat, sicut priùs, & irregularitatem incurrere, etiamsi in minoribus sit ordinibus constitutus, ut puta si offerat in Missa calicem, vel urceolum Subdiacono præbeat, vel aliquid aliud agat, quod spectet ad officium suum, vel si matutinas horas aut vespertinas ex officio, sicut antea in choro decantet; & id declaratur per cap. *Si quis Episcopus in Concilio.* & per cap. *Episcopus Presbyter.* in fin. 51. q. 5. quod & affirmat Marian. Socin. in cap. *Ad audientiam.* num. 105. sicut & asserit Sylvester in v. *Irregularitas.* num. 15. ubi ait, suspensum, excommunicatum vel interdictum sese divinis officiis admiscentem, & aliquid facientem, quod ad ordinem etiam minorem, ut puta ad acolythatum, vel alium ex minoribus pertineat, irregularitatem incurrere, juxta communem Doctorum opinionem: si nimirum id faciat tamquam Clericus, sive solemniter. Si verò aliquid faciat id genus, quod ab ipsis laïcis factitatur, & factitari potest & solet, & etiam ab non ordinatis exercetur, (licèt alicui sit ordini deputatum) non propterea irregularis efficitur, modò id faciat sine solemnitate. Quod ut intelligatur,

Observandum est, alicujus ordinis actum solemniter vel ex officio exerceri, quando actus talis est, ut ab nemine alio, præterquam ab eo, qui ordinem hujusmodi actus gratiâ institutum suscepit. Diaconi actus v. g. est canere Evangelium cum stola, & debitis ornamentis; & Subdiaconi actus est cantare Epistolam cum manipulo: hi sunt actus solemnes præfatorum ordinum. Si quis igitur nondum ad diaconatum aut subdiaconatum promotus, vel interdictus, aut excommunicatus aut suspensus, eos actus solemnitet cum dictis ornamentis, & tamquam ex officio exerceat, nemini latet, quin incurrat irregularitatem, quippe actum ad ordinem quem non habet pertinentem, & qui ab alio, præterquam ab eo, qui talem ordinem suscepit, & nullâ aliunde censurâ est irretitus, exerceri non potest, ipse nullo fulgens ordine, & vel excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus exercere non dubitat.

Quòd si aliquis quempiam id generis actum ab alio quocumque, nullo discrimine, etiam ab non ordinato, exerceri solitum exerceret, nulla adhibita solemnitate, irregularitatem non incurreret.

7°. Fit irregularis Clericus, qui in loco interdicto solemniter seu ex officio exercet actum vel minori vel majori ordini deputatum, ut ait Navarrus in Manuali cap. 27. num. 163.

Quod spectat ad minores Clericos, de quibus major dubitandi ratio appareret, signatura sanctæ Pœnitentiariæ Apostolicæ habita die 20. Decembris 1650. censuit, Clericos minorum ordinum excommunicatos, suspensos, vel interdictos, qui tanquam Clerici ex officio suo exercent, actum seu ministerium alicui ex dictis ordinibus deputatum, irregularitatem incurrere.

8°. Irregulares sunt Clerici, qui per saltum ordinantur, id est qui majorem ordinem ante minorem, aut superiorem ante inferiorem suscipiunt, ut puta si aliquis diaconatum ante subdiaconatum, vel subdiaconatum ante minores ordines susciperet, & in suscepto ordine ministraret. Nam ex communi Doctorum sententia, qui scienter aut ex ignorantia ad superiorem ordinem inferiore prætermisso convolat, & in eo ministrat, irregularitatem incurrit, utpote qui violat suspensionem, cujus proprium est, ut functionem ordinis per saltum suscepti directè prohibeat. Quod egregiè explicat Toletus Instruct. sacerdotal. lib. 1. cap. 50. num. 18. In Concilio Tridentino, inquit, conceditur Episcopo facultas in utroque foro dispensandi cum promoto per saltum, nisi ministraverit: si ergo ministraverit, cum illo dispensare non potest Episcopus: quod argumento est, per talem ministerii functionem contrahi irregularitatem, & novum accedere impedimentum, quod non fieret, nisi esset suspensus. Hæc ille.

Cùm autem ligatus in minori majorem accipere nequeat, sequitur, Clericum qui per saltum promotus est, nec posse suscipere ordinem prætermissum, quin priùs cum ipso in suspensione, nec in suscepto ministrare, (si ante dispensationem ministravit) in irregularitate ab Episcopo dispensatum fuerit.

Quod pertinet ad interstitia, docent plerique omnes Theologi, nullam censuram in jure decerni adversus ordinantes, & ordinatos, à quibus violata fuerint. Sic enim constitutum est ab Ecclesia, ut inter minorum ordinum & subdiaconatus susceptionem unus intercurrat annus, sicut & inter subdiaconatum & diaconatum, & inter diaconatum & presbyteratum unus pariter annus interfluat.

Hujusmodi interstitionum prorogatio vel contractio, & dispensatio penes Episcopum est: quod tamen facere non potest, quin justis de causis, Ecclesiæ scilicet utilitate, vel necessitate, vel pariter utraque, moveatur.

9°. Ex hæresi quamtumvis occulta, dummodo tamen in externus aliquod signum eruperit, oritur irregularitas: quæ quidem non solos hæreticos, sed

etiam

etiam eorum filios per lineam quidem paternam usque ad secundam generationem, per maternam autem usque ad primam tantùm, cum eorum fautoribus comprehendit. Adeo ut licèt hæreticus sui criminis veniam consequatur, adhuc tamen ulteriori absolutione ab irregularitate indigeat, ut possit ad ordines, vel ad ecclesiastica beneficia promoveri.

Ergo hæretici in exteriorem scilicet hæresim prolapsi, & ipsorum fautores & defensores, & omnium prædictorum, id est hæreticorum & eorum ipsis faventium filii, tametsi parentum crimina non fuerint imitati, sunt irregulares.

1°. Irregulares sunt quotquot laborant infamiâ publicâ, seu ex notorio crimine profecta: quod ut intelligatur,

Observandum est cum Glossa in cap. *Vestra. de cohabitat. Cleric.* in v. *notorium.* aliud esse famam, aliud manifestum, aliud notorium. Fama sic consuevit describi: fama est illæsæ dignitatis status, vitâ & moribus comprobatus, & in nullo diminutus, ff. *De var. & extraord. cogn.* l. *Nolo.* Fama verò quandoque ex scientia, quandoque ex suspicione procedit, quandoque ex certo authore, quandoque ex incerto, *de consecrat.* dist. 4. sanctum est. Manifestum dicitur, quod ex scientia & certo authore procedit, & quod potest probari, ff. *De testam. & qui testa. facit pos. hæredes palam.* Item quandoque dicitur occultum quod potest probari, c. *De app. eos.* § *si quis autem.* Sed & manifestum dicitur quandoque, de quo constat per confessionem vel probationem, vel evidentiam facti, *de verbor. signific. Cùm olim.* & tale manifestum dicitur potiùs notorium, quod trifariàm dividitur. Aliud est enim notorium facti; aliud juris, aliud præsumptionis.

Notorium facti illud est, quod ita exhibet se conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ex cap. *Cùm olim. de verbor. signific.* Vel notorium facti est crimen vel factum, cujus testis populus est, & dissimulationi locus non est secundùm Archidiaconum, in cap. *Manifesta.* Et notorium facti non requirit scientiam omnium, sed plurium, ut cùm omnes factum proclamant. Unde l. *Si vicinis.* definitur istud notorium; famosa, vel publica vox proveniens ex evidentia rei, quæ nulla tergiversatione celari potest.

Notorium juris est evidentia, quæ ex accusati confessione in judicio facta, & ex juridica criminis probatione, & demum ex sententia in ipsum accusatum, & de objecto crimine convictum, juridicè prolata proficiscitur. Tria ergo notorium juris efficiunt, nempe accusati confessio, criminis probatio, & judicis sententia.

Notorium præsumptionis est evidentia juris vehementer præsumpta, ut ait Hostiensis: vel secundùm Calderinum, notorium præsumptionis, est factum vel dictum ex publicis circumstantiis à jure pro veritate acceptum. Quod quidem planum faciet definitio præsumptionis, quæ juris, id est à jure introducta dicitur.

Præsumptio autem juris est dispositio legis aliquid tamquam certum sibi persuadentis, & super eo tamquam comperto statuentis: ita ut non admittat probationem in contrarium. Vocatur autem præsumptio juris, eo quòd à jure sit introducta, & super eam lex firmum jus stabiliat & inducat.

Luculentum notorii præsumptionis exemplum est paternitas & filiatio. Hoc enim, quòd quis sit alterius filius, non potest jure probari, l. *Lucius.* ff. *de condit. & demonstrat.* Sed jus præsumit vehementer, eum esse alicujus hominis filium, qui ex ejus nuptiis natus est, ab ipso domi suæ educatus, & omnibus affectus beneficiis, quibus patres suos filios afficere solent.

Observandum autem est, ad inducendum notorium præsumptionis duo requiri. 1°. Ut factum, ex quo à jure trahitur præsumptio, sit notorium facti, vel juris. 2°. Ut jus vehementer præsumat vel fingat habendo illud pro violenta præsumptione, quæ æquivaleat præsumptioni ad finem ferendæ sententiæ: v. g. si quis omnibus videntibus detinet fœminam suspectam in domo, vel in judicio confitetur, factum detentionis est notorium facti vel juris, & ex hoc jus violenter præsumit inter eos carnalem intercessisse copulam; & hoc est notorium præsumptionis.

His ita prælibatis,

Certum est, præter delicta jam à nobis enumerata, id est homicidium, mutilationem, illicitum sacramentorum baptismi & ordinis usum, & hæresim, nullum esse aliud peccatum, quod præcisè, id est ratione sui inducat irregularitatem. Dico præcisè, &c. quia si crimen aliquod enorme, quod notorietatem vel facti vel juris, vel præsumptionis adjunctam habeat, (etiamsi non sit unum ex iis quæ proximè recensuimus) inducit irregularitatem, ut asserit Navarrus in Summa cap. 27. num. 248. idque non tam ratione sui, quàm ratione infamiæ, quæ ex ejus fama & notorietate proficiscitur.

Enorme autem crimen censetur & appellatur à Doctoribus, delictum, cui ab jure civili vel canonico irrogata est infamiæ pœna. Dixi, ab jure civili vel canonico: quia licèt aliquis infamiæ pœnam ab jure dumtaxat civili suo crimini constitutam subeat, hujusmodi tamen infamia canonica censetur, ex cap. *Omnes.* 1. q. 6. omnis quippe infamia alicui crimini irrogata, quæ per jus canonicum nec revocata nec abrogata fuerit, habetur pro canonica, ut ex cap. *Omnes.* jam cit. observavit Bonacina. Qualia autem, & quæ sint hujusmodi crimina, recensent passim Summistæ. Talia crimina sunt, inquiunt, apostasia à fide, raptus mulierum, perjurium in judicio, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, adulterium, stuprum, blasphemia, crimen quo usuræ usurarum exiguntur, duellum, matrimonium actuale cum duabus, lenocinium, prostitutio propriæ filiæ, vel neptis, matrimonium cum meretrice, vel repudiata.

11°. Curiales in jure ab ordinibus penitus arcentur, ut constat ex cap. *Aliquantos.* & cap. *Præterea.* dist. 51. ubi Innocentius Papa consultus de Curialibus, utrum ad ordines promoveri possent, respondet in cit. cap. *Præterea.* Curiales, sicut & quibuslibet publicis functionibus occupatos, nullatenus fieri oportere.

Hujus decreti Curiales ab Clero ablegantis tres præfatus Papa rationes affert, quarum

Prima est, quòd Ecclesia afficeretur majori tristitia, (cùm de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipiebatur) quàm de iis in Clerum cooptatis gavisa fuerat. Siquidem ipse Imperator præsens quandoque institit, ut præsente Archiepiscopo Rothomagensi, ad quem scribebat præfatus Pontifex, ut dicti Curiales non solùm in minoribus ordinibus ordinati, sed etiam ad sacerdotium promoti reducerentur.

Secunda ratio, cur Curiales ab ordinum susceptione arcebantur, inde repetita est, quòd constaret eos in ipsis minorum muneribus & officiis etiam voluptates exhibere solitos esse, quas ab Diabolo inventas esse nemini dubium erat.

Tertia denique ratio affertur ab Innocentio Papa, quòd scilicet ludorum & mimorum apparatibus aut præerant, aut forsitan intererant. His de causis ex ordinandorum albo expungebantur Curiales; & ad has rationes accedit, quòd sæpius à Curia repetebantur, quod insinuatur in prima ratione, & ideo in cap. *Designata.* decernitur ab his, cavendum esse propter tribulationem, quam sæpe Ecclesia propter illos patiebatur.



QUÆSTIUNCULA LXXXVII.

Quot & quæ sint impedimenta prohibentia, ne quis ad episcopatum, archiepiscopatum, aut etiam ad aliam dignitatem provehatur.

RESPONDEO, ex Concilio Toletano IV. c. 28. in jure recenseri viginti sex impedimenta, propter quæ quemlibet ab episcopatu, archiepiscopatu aut alia dignitate amoveri necesse est.

Qui in aliquo crimine detecti sunt, sunt verba juris dist. 51. cap. *Qui in aliquo.* qui infamiæ notâ aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam se admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos, absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquod minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti, vel laïci sunt, qui sæculari militiæ dediti sunt, qui Curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non ascenderunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur.

Hactenus pernumerata sunt impedimenta in jure prohibentia, ne quis ad ullam Ecclesiæ dignitatem provehatur. Suprà eorum plura recensuimus, & explanavimus singillatim; hic autem omnia congessimus, ut unusquisque nos ad sacrorum canonum sanctiones penitus adhærescere animadverteret. Sed ad pleniorem hujus rei intelligentiam juvat inquirere, an & cur neophyti ordinari prohiberentur. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA LXXXVIII.

An & cur neophyti ab ordinibus arceantur.

RESPONDEO, sacros canones ex apostolico præcepto vetante, ne quispiam neophytus ad episcopatum (quod & de sacerdotio & aliis Ecclesiæ dignitatibus asserendum est) proveheretur, idipsum prohibuisse variis de causis, & inprimis ne si hujusmodi neophyto, id est nuper per baptismum in fidei contubernium ascito, & adhuc rudi, nec satis in religione confirmato, vel non ita pridem vel ab militia sæculari ad Clericos aggregato, vel ab sæcularibus negotiis nunc primùm segregato, & avulso, episcopatus, imò onus angelicis humeris formidandum demandaretur, efferretur in superbiam, sibique perniciosè inciperet placere, velut ob hoc ipsum cooptatus in gregem religionis, ut religioni præficeretur, atque ita in eamdem cum Diabolo superborum & ambitiosorum antesignano damnationem incurreret. Æquum enim est hujusmodi neophytos diabolicæ temeritatis & superbiæ conscios in eadem detrudi supplicia, in quæ detrusus est ipse ille, qui teterrimâ, quàm ipse primus excogitavit, superbiâ, ita se se extulit, ut sese Altissimo similem fore coram Deo & ejus Angelis, pari ad elationem temeritate & amentia prædicaret.

Ne igitur ab homine neophyto vix primis Christianæ pietatis elementis imbuto, & ab humilitate (quam omnibus fidelium, & inprimis Episcoporum cæterorumque Sacerdotum virtutibus & actionibus ceu fundamentum substerni necesse est) deserto, & ideo dæmoni super omnes filios superbiæ, ut loquitur Scriptura, dominanti, subdito, Ecclesia Dei regeretur, sacrosancti canones ad apostolicæ doctrinæ amussim & regulam exacti, prohibuere etiam neophytos in Episcopos ordinari, ut qui heri erant catechumeni, hodie non fierent Episcopi; qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia; qui vespere erat in circo, hodie non ministret altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non fit consecrator virginum. Causa autem hujus prohibitionis est secundùm Apostolum, ne in superbiam elatus, tamquam religio Christiana plurimùm eo egeret, incidat in ruinam Diaboli. Momentaneus namque Sacerdos nescit habere humilitatem, observare modos personarum, vel se contemnere: non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam (quæ est ruina Diaboli) incidunt, qui punctò horæ necdum discipuli sunt magistri, & sicut Innocentius ait: Miserum est eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus.

Hæc omnia referuntur in jure Decreti 1. p. dist. 48. Unde discere licet, quanta virtute, & quanta veræ probationis experientia, & quanta bonorum operum messe, ut ita dicam, locupletatum esse oporteat eum, quem boni omnes ad episcopatum provehi, & ad fidelium regimen admoveri cupiunt.

Ergo divini Spiritus afflatu plura Concilia neophytos, sive ex infidelitate ad fidem recèns conversos, sive ex laïcis, aut etiam militibus in Clerum subitò allectos, vel potiùs non allegendos, ad ecclesiasticarum dignitatum fastigia provehi vetuerunt. Hanc prohibitionem ita expressit Concilium Nicænum can. 2. ut ejus verba vel oracula hîc prætermittere nefas esse videatur. *Quoniam multa sive per necessitatem, sive ex quacumque causa* (aiunt istius Concilii Patres) *contra regulam gesta sunt: ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instructi, statim ad spiritualem baptismum venissent: & continuò, cùm baptizati etiam ad episcopatum vel presbyterium provecti sunt; rectè igitur visum est de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, ut sit catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget. Evidens namque est apostolicum præceptum, dicens: Non neophytum, ne fortè elatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli. Si verò procedente tempore aliquod mortale peccatum admiserit, & convictus duobus vel tribus testibus fuerit: cesset à Clero, qui hujusmodi est. Si quis verò præter hæc fecerit, tamquam contraria statutis sancti Concilii gerens, ipse præcipitabitur de statu sui Cleri.*

Hactenus Concilii Nicæni expositum est decretum, cui adjungi possunt aliorum Conciliorum statuta, ut puta Arelatensis Synodi II. can. 1. Item Concilii Sardicensis can. 23. relatus dist. 61. cap. *Osius.* Item Concilii Laodicensis cap. 12. quo decernitur, eos dumtaxat ad Ecclesiæ principatum eligendos esse, quos multò antè nota probabilisque vita commendat, & nihilominus si in sermone fidei, & recta operatione per suam conversationem fuerint probari.

Id ipsum luculenter astruunt summi Pontifices, ut puta S. Leo cap. 1. Epist. 85. al. 87. ad Africanos Episcopos inscriptæ.

Quod & egregiè præstat Celestinus Papa I. ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ Epist. 3. c. 2. ubi graviter conqueritur, quòd hi, qui Ecclesiæ præfuturi sunt, ex laïcis requirantur, qui vacantes sæculo, & omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero alienum honorem aliis scilicet debitum ambiunt immoderata cupiditate transcendere, & in aliud

vitæ genus, (calcatâ reverentiâ ecclesiasticæ disciplinæ) transire. Talibus itaque, fratres carissimi, qui juris nostri, id est canonum gubernacula custodimus, necesse est obviemus. Hactenus Celestinus Pontifex.

Jure ac meritò citatus Pontifex admonuit Apuliæ & Calabriæ Episcopos, ut suo exemplo laïcis sese, licèt magnâ rerum ecclesiasticarum inscitiâ notatos, ad Ecclesiæ regimen protrudentibus strenuè resisterent. Neminem enim nisi eruditum & suæ & alienæ salutis studio peruftum, ordinandum esse, Concilia decreverunt, ut patet ex Concilio Carthagin. III. quod can. 18. constituit, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi non ordinarentur, priusquam omnes, qui erant in domo eorum, Christianos Catholicos fecissent.

Ita citatum Concil. ann. Redempt. 397. celebratum.

Ipsam illam corruptelam, de qua hîc sermo est, apud Episcopos expostulat S. Gregorius Papa I. lib. 7. Registri Epist. 110. & apud Brunichildem Francorum Reginam lib. 7. ejusd. Regist. Epist. 113. quæ refertur dist. 61. cap. *Sacerdotale.* & apud Childebertum Francorum Regem, item sui Registri lib. 4. Epist. 53.

Ex dictis & probatis hactenus colligere est, quanto studio Concilia & summi Pontifices exarserint in teterrimam illam consuetudinem, cujus obtentu neophyti ex laïcorum grege assumpti, nullâ legum ecclesiasticarum notitiâ, nulla vel perexigua virtute vel virtutis specie commendati, vel gratia, vel ambitu, vel (quod est detestabilius) sacrilego simoniæ flagitio, ad episcopatum cæterarumque Ecclesiæ dignitatum fastigia provehebantur.

Tot tantisque probationibus obsistunt nonnulli, & causantur, plures laïcos seu neophytos ad episcopatum priscis temporibus fuisse promotos. Siquidem S. Nicolaus ex laïco electus est in Episcopum: B. Severus ex lanificio assumptus est in Archiepiscopum: item B. Ambrosius, cùm nondum esset baptizatus, in Archiepiscopum est electus.

Hanc objectionem ita diluit Gratianus cit. dist. 61. his verbis: *Sciendum est*, inquit, *ecclesiasticas prohibitiones proprias habere causas, quibus cessantibus, cessant & ipsæ: ut enim laicus in Episcopum non eligeretur, hæc causa fuit, quia vita laïcalis ecclesiasticis disciplinis per ordinem non erudita, nescit exempla religionis de se præstare aliis, quæ in seipsa experimento non didicit. Cùm ergo quilibet laïcus merito suæ perfectionis clericalem vitam transcendit, exemplo B. Nicolai, Severi, & Ambrosii, ejus electio potest rata haberi.* Hæc ille.

De eo autem quod scribit Gratianus de B. Nicolao ex laïcali ordine in Episcopum assumpto, & de B. Severo ex lanificio ad episcopatum provecto, penes ipsum Gratianum sit fides. Siquidem aliter & aliis exemplis propositæ ab ipso objectioni satisfacere possumus.

Ergo propositam objectionem diluere juvat ipsissimis Nicolai Papæ I. verbis, quibus Photium suam in Constantinopoleos patriarchatum intrusionem, Nectarii, Tarasii & S. Ambrosii exemplis propugnare molientem, graviter insectatur, sic tamquam hominum ambitiosissimum & impudentissimum, cujus ambitioni & in sedem Constantinopolitanam intrusioni nihil suffragari poterant exempla præfatorum hominum, quos gravissimis de causis ad Ecclesiæ fidem & necessitatem spectantibus, divina providentia ad episcopatum contra statuta canonum extulerat. Nam propter necessitatem & inopiam Clericorum Nectarius; propter ecclesiastica dogmata & hæreticorum expugnationem, qui venerandas imagines deponere præsumpserunt, Tarasius; & per miraculorum signa Ambrosius ad regendas Ec-

clesias promoti sunt. Quæ omnia uberiùs explicat ipse Nicolaus Papa I. in Epist. 6. quâ diluit argumenta Photii.

Temere, inquit alloquens Photium, atque impudenter ad tanti honoris (patriarchatus Constantinopolitani) culmen accedere præsumpsistis, assumentes vobis quasi à sanctissimo viro Nectario occasionem, quem sancta Synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere atque ordinare ex laïcali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quòd in sancta Constantinopolitana Ecclesia nullus Clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosa caligine non fuerit impeditus: & ob hoc ne diu dicta Ecclesia sub destitutione pastoris quasi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum & defensorem atque gubernatorem Ecclesiarum ad ecclesiasticam curam & dignitatem sacerdotalem jam dicta secunda Synodus elegit: sed ut hoc iterum fieret, non confirmavit, neque sanxit aut instituit. Et ideo licèt contra Patrum & canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in authoritate tenendum est; sed ne iterum talis proveniat necessitas, magis magisque cavendum.

De Tarasii promotione, qui similiter ex laïcali cœtu ad patriarchatûs exemplo culmen promotus est, frustra sibi Photius blandiebatur: nihil enim suffragabatur ejus intrusioni. Nam Adrianus Papa I. & Nicolai Papæ I. prædecessor, in secunda Nicæna Synodo, quæ est universalis VII. instituit, ne de laïcis ampliùs ullatenus ordinarentur Antistites, Tharasii consecrationem reprehendens, & mœrorem non minimum pro tanta præsumptione sustinere professus est, addens, quòd nisi in erigendis Sanctorum imaginibus ferventiùs contra earum depositores & conculcatores, uti verus Christi miles resisteret, ejus ordinationi assensum minimè fuerat præbiturus, nec in ordine patriarchatûs suscepturus ejus dilectionem, quæ tantùm declaratur inordinatè promota, quantùm comprobatur contra apostolica decreta enormiter præsumpta. Hoc utitur argumento Nicolaus Papa I. in Epist. cit. ad labefactanda effugia, quibus Photius suam præsumptionem & in sedem Constantinopolitanam intrusionem, ceu legitimam asserere nitebatur. Sed quia ipse Photius objiciebat S. Ambrosii præproperam ad episcopatum promotionem, sic eum alloquitur ibidem idem Nicolaus Papa I.

Beatissimum quoque Ambrosium, clarissimam & splendidissimam Ecclesiæ lucernam, qui ex catechumeno divino præsagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine opponitis, & ad vestram illicitam promotionem antefertis, qui non instinctu hominum, sed divina vocatione per miraculorum prodigia electus est? Nam extincto Auxentio Arianorum Episcopo, qui cathedram, non regendam, sed dilaniandam, tenebat episcopalem, cùm ad electionem Episcopi popularis conventus haberetur, & ipse Ambrosius majestate manûs & orationis pro concione habitæ efficacia, calidæ facere silentia turbæ, seu tumultuantes cohibere annireretur, ex officio consulari, detepentè puero divinitus afflato (ut eventu patuit) Ambrosium Episcopum inclamante, sedata seditione, omnes pariter Catholici & Ariani Ambrosium Episcopum inclamavere, & sibi nullâ morâ interpositâ, ut talem præfici, maxima in eum amoris & honoris testificatione petierunt.

Quod non humanis id fieri credendum est voluntatibus, sed divinis, ut ait idem Papa Nicolaus loco citato, ad salvationem & ereptionem fidelium de adversarii nostri faucibus, qui tamquam leo rugiens quærit quem devoret, inspirationibus: qui dum

se multis ac variis occultare voluisset argumentis, & à tanto honore delitescere, tandem superatus, ad sacerdotalem ab omni populo & Clero divinitus est dignitatem electus, & à catechumeno per singulos gradus ecclesiasticos proficiscens octavo die ab omni Catholicorum, divina annuente clementia, consensu est consecratus Episcopus. Attendat igitur prudentiæ vestræ dilectio, & intimo cordis prospiciat oculo, si debentur ea quæ per miraculorum signa fidelibus perveniunt, his æquari, quæ proprio tantùm libitu ad dignitatis gloriam percipiendam peraguntur; & sic ad authoritatis vestræ excusationem præfatos assumite viros. Hactenus dicta ex 6. Nicolai Papæ I. epistola excerpta sunt.

Quòd autem S. Ambrosii promotio divinitus facta fuerit, patet ex eo, quòd suæ ordinationi constantissimè restiterit, quod quidem ab præstantissimis omnium sæculorum Episcopis factitatum esse legimus. *Quàm resistebam, ne ordinarer!* inquit ipse Ambrosius. *postremò cùm cogerer, saltem ordinatio protelaretur: sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probarunt. & tamen neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbiâ. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitio non imputatur.* Hactenus S. Ambrosius in Epist. ad Ecclesiam Vercellensem inscripta, quæ in 1. parte Decreti dicitur 82. & in plerisque omnibus editionibus 25. & Epistolar. S. Ambrosii lib. 3. ultima censetur & legitur.

Quantum autem & quale Photii in sedem Constantinopolitanam contra sacrosanctos canonas ad apostolicæ doctrinæ regulam exactos involantis facinus extiterit, declaravit Nicolaus Papa I. quippe qui missis ad Imperatorem Michaëlem, ad Augustas Theodoram & Eudoxiam, ad Senatum Constantinopolitanum, ad omnes ubique terrarum Episcopos, ad universos denique fideles epistolis obtinuit, ut & Photius hic non simpliciter irregularis, sed primùm quidem neophytus, quia paulò antè laïcus & miles, deinde mœchus & adulter, quia Ignatii adhuc superstitis Ecclesiam aggressus, denique fur atque latro, quia aliunde ex adverso, sæcularis nimirum potestatis violentiâ in ovile ingressus, generali Synodo coacta, perpetui anathematis vinculo unà cum fautoribus & communicatoribus suis innodatus, patriarchatu exclusus, sacrum Christi corpus & sanguinem omnino (nisi vicino mortis periculo) non perciperet: ut ab eodem in quemlibet ordinem ecclesiasticum provecti, quia in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensissent & communicassent, omni clericali officio privarentur. Et Gregorius Syracusanus à Synodo antè jure depositus, & Photii tamen consecrator, omni etiam sacerdotii ministerio careret, nulla in quavis Synodo restitutionis spe, nullo satisfactionis loco relicto; quòd si de reliquo præsumpserit, in sacro officio more Sacerdotis, quovis tempore ministrare, anathema sit.

Quorsum, dixerit aliquis, tot diræ ab summo Pontifice in Photium & ejus consecratorem Gregorium Syracusanum jactatæ?

Ut hæc, inquit ipse Pontifex, unusquisque audiens, nequaquam de cætero ex laïcis in Domini castra subito & insperato impetu irrumpere audeat, & principatus amore antè ducatum præstare velit, quàm tironis consummet officium, & antè tentet docere, quàm discere, sicut in eadem Ecclesia Constantinopolitana sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis Clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quíque ab ipsis, ut ita dixerimus, incunabulis impræterміsso labore in Ecclesia Christi desudant, & indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is qui foris est, alterius ovilis, Christi repentè principatum arripiat, & nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere, & grex dominicus incipiat eum utpote extraneum & improvisum omnino contemnere: præsertim perspiciat, nihil sibi stipendia profecisse meritorum, & alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

Explicatis hactenus variis irregularitatis speciebus, jam properandum est ad varias rationes, quibus irregularitas in jure tollitur. Sit igitur

---

Quæstiuncula LXXXIX.

Quot modis tollitur irregularitas.

Respondeo, quatuor præsertim modis irregularitatem tolli.

1°. Tollitur irregularitas cessante defectu, propter quem inducta fuerat: si v. g. aliquis per temporariam quamdam cæcitatem vel oculorum suffusionem, eamque notabilem, & prohibentem ne ordines susciperet, vel susceptos exerceret, atque adeo irregularis esset, remotâ ejusmodi cæcitate vel oculorum suffusione, irregularis esse desineret.

2°. Eadem irregularitas aufertur per baptismum, cùm scilicet contracta est ex delicto. Cùm enim auferatur, sive deleatur omne peccatum per baptismum, omnem etiam infamiam ex delicto emersam & omnem pœnam ab jure propter ipsum illud delictum constitutam auferri, & aboleri necesse est.

3°. Per solemnem professionem in ordine approbato emissam: siquidem per hujusmodi professionem natalium defectus tollitur & abolescit. Nonnulli dicunt per eamdem professionem tolli omnes irregularitates partim jure, partim consuetudine & tacita Ecclesiæ interpretatione, exceptâ eâ quæ ex digamia & homicidio voluntario contrahitur.

4°. Per dispensationem tollitur etiam irregularitas, nisi fortè emergeret ex defectu, per quem præcipuas ordinis functiones exercendi facultas omnimodis adimeretur: v. g. cum homine mentis imbecillitate conflictato, vel manibus orbato, ad suscipiendum presbyteratûs ordinem dispensari non posset.

Quæstiuncula XC.

Quisnam in irregularitate dispensare valeat.

Respondeo, hujusmodi dispensationes pertinere ad summum Pontificem & ad Episcopos.

Quod spectat ad summum Pontificem, certum est, cum in omni penitus irregularitate dispensare, eo nomine quòd irregularitas humano jure sit introducta.

Quod spectat ad Episcopos, patet ex Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 6. penes eos potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto emergentibus, ita tamen ut irregularitas, quæ ex homicidio voluntario contracta, cum aliis ad forum contentiosum deductis excipiatur. Quam potestatem per se vel per substitutos exercere possunt, ut ex eodem Concilii loco colligi potest.

In his ergo irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, Episcopi dispensare possunt; non autem in aliis, quas quis ex delicto publico contraxerit, paucis quibusdam exceptis. Si quis enim inter suscipiendos

ordines, vel nondum susceptos exercendo, irregularitatem incurrerit, cum illo dispensare possunt, ut in ordinum antè susceptorum officio permaneat, non tamen ut ad superiores ascendere valeat. Ita Navarrus cap. 27. num. 243.

Cum eo autem qui ordinis actum exercendo, censuram aliquam, ut puta excommunicationem vel suspensionem vel interdictum violavit, non dispensant Episcopi, juxta cap. *Is qui. de sent. excommunicat.* in 6.

Item Navarrus cap. 27. num. 240. Episcopos in irregularitate orta ex homicidio casuali, quoad minores ordines & beneficium simplex dispensare posse asserit.

His casibus ita resolutis, quæritur, utrum Episcopi in irregularitate & notorietate cujuspiam delicti contracta dispensare valeant.

Ratio dubitandi petitur ex eo, quòd ordinariè loquendo non dispensant in irregularitate, quam quis ex delicto publico contraxerit, atque adeo in irregularitate, in quam incurreret publicus adulter, perjurus, & alii id genus homines, dispensare nequeant.

Hujus dubii solutio facilis apparebit, si expendere velimus, (quod necessariò faciendum est) unde immediatè proficiscatur dicta irregularitas. Hæc est enim regula, quâ genus irregularitatis dijudicatur. Cùm igitur irregularitas, de qua nunc sermo est, non oriatur ex delicto, sed propter infamiam & scandalum contrahatur, (ut asserunt Innocentius cap. *Si celebrat. de Cleric. excomm. minist.* & Panormitanus & Archidiacon. can. *Apostolica*, dist. 56.) atque adeo hæc crimina, quæ in publicam erupere notitiam, docent passim canonum interpretes, non per se, sed ex accidenti, id est ex notorietate irregularitatem inducere, & hac de causa posse Episcopos cum hominibus tali irregularitate innodatis dispensare, si modò per pœnitentiam, per facta contraria & bona opera nitantur pristinam recuperare famam, nec crimeo admissum ex iis, quorum absolutionem summus Pontifex sibi reservavit.

Porro per Episcoporum dispensationem tollitur

1°. Irregularitas, quæ contracta est per adulterium.

2°. Illa quæ propter ordines per saltum susceptos incurritur.

3°. Quæ propter ordines susceptos incurritur ab Episcopo, penes quem nulla erat ordinandi potestas.

4°. Per episcopalem dispensationem tollitur irregularitas, quam contrahunt ii, qui ordinis nondum suscepti functionem obeunt. In cæteris solus Papa dispensare potest.

Hactenus de ordinibus. Quia autem beneficia consequuntur ordines, & statum ecclesiasticum, utpote quæ solis ordinatis, aut certè clericali tonsura decoratis attribui valeant; ideo de illis hîc agere necesse est. Sit igitur

Quæstiuncula XCI.

Quid sit beneficium ecclesiasticum, & quomodo dividatur; & unde beneficia ecclesiastica originem traxerint.

Prima responsio seu conclusio.

Beneficium ecclesiasticum nihil est aliud, quàm jus perpetuum percipiendi aliquam partem fructuum ex bonis ecclesiasticis provenientem, Ecclesiæ authoritate constitutum, competens Clerico propter officium spirituale, quod ipsi illi Ecclesiæ, cujus bonis sustentatur, exhibere debet.

Hujus definitionis singulas voces expendere juvat, ut beneficiorum natura & finis luculentiùs appareat.

1°. Igitur beneficium ecclesiasticum dicitur jus perpetuum, id est potestas legitima ex natura & institutione sua talis, ut perpetuò sit duratura; utpote quæ uno Clerico legitimo ejus possessore seu titulari extincto, ad alterum superstitem annuentibus seu consentientibus Episcopis transferatur: quod aliàs non fiebat. Nam cùm beneficia introduci, & vigere cœperunt, ecclesiasticæ facultates & prædia ad tempus vel ad vitam ab ipsis Ecclesiis assignabantur iis Clericis, quos suis muneribus ornare decreverant, ipsis autem emortuis, præfata prædia redibant ad Ecclesiam, in massam communem, ut erant antè, transituta. Quod quidem pluribus in Conciliis videre est. Sed hodie aliter se res habet, unde retributiones Vicariorum ex Parochorum nutu pendentium, & vitalitiæ pensiones, beneficia non appellantur.

2°. Additur, percipiendi partem, id est proventuum temporalium, quibus Ecclesia dotata est. Revera ista pars talium proventuum ita singulis nominatim Clericis assignata est & constituta, ut alii (ab ipso possessore disjuncti) nullum in reliquas ecclesiasticarum opum portiones jus sibi vendicare possit. Et ideo tale jus propriè loquendo beneficii naturam constituit.

3°. Additur, ex bonis ecclesiasticis, id est Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis, vel ab ipsa ad sui ornatum suorumque ministrorum sustentationem comparatis, ut expedito ab importuna rerum temporalium procuratione animo, liberiùs & liberaliùs Deo & ejus Ecclesiæ deservirent.

4°. Additur, authoritate ecclesiastica constitutum: nemini enim sine authoritate summi Pontificis, Episcopi, vel Ordinarii officium spirituale instituere, & ei proventum ecclesiasticum annectere licet, siquidem his in rebus vertitur & insistit beneficii erectio vel confirmatio, quæ ab aliis, prærterquam ab præfatis superioribus sanctitati non potest.

5°. Dicitur, competens Clerico, id est viro clericali saltem tonsura decorato.

6°. Additur, propter officium spirituale. Qua in re multi opimis, vel si libet, mediocribus beneficiis donati, turpiter hallucinantur, cùm in animum inducunt suum, se suo officio cumulatè satisfacere, si breviarium perfunctoriè citra ullam pietatem & attentionem cursim recitent: licèt enim breviarii legitima recitatio onam clericalis officii partem constituat, non tamen omnem beneficiarii obligationem continet: siquidem ad omnia munia ad jus cujusdam bonorum ecclesiasticorum portionis percipiendæ adhærentia, ita obligantur, ut eos in ejus Ecclesiæ (cujus bonis victitant & saginantur) obsequium & ædificationem suam omnem vitam conferre oporteat.

Secunda conclusio.

Duæ præcipuæ beneficiorum divisiones numerantur in jure canonico, ut testatur Duarenus lib. 2. cap. 5. & 9.

Prima divisio complectitur quædam beneficia quæ dignitatem habent, & ea, quæ curam animarum sine dignitate, & ea quæ nec animarum curam nec dignitatem adjunctam habent, qualia sunt beneficia quæ simplicia nominantur.

Secunda Beneficiorum divisio cadit in regularia beneficia & sæcularia. Quod spectat ad beneficia quæ dignitatem habent cum jurisdictione conjunctam, bifariàm secantur: nam alia sunt beneficia à majora

primæ classis, & illa sunt quæ singulari quadam præeminentia & jurisdictione ecclesiastica cæteris omnibus, qualiacumque fuerint, antecellunt. Hujusmodi beneficia sunt papatus, archiepiscopatus, episcopatus, primatus, patriarchatus: summus quippe Pontifex, Archiepiscopi & Episcopi, &c. eâ fulgent præeminentiâ & jurisdictione, quam nemo alius citra crimen & animadvertendam insolentiam sibi vindicare potest.

Alia sunt beneficia minora, seu secundæ classis, quæ non habent adjunctam præeminentiam jurisdictionémve ecclesiasticam, vel eam non singularem obtinent. Hujusmodi beneficia sunt capellaniæ, pastoratus, prioratus conventualis, canonicatus, decanatus, archidiaconatus, præpositura in beneficio canonicali.

Præterea dividuntur beneficia in duplicia & simplicia.

Duplicia sunt, quæ obligationi horarum divinique officii habent annexam præeminentiam administrationémve ecclesiasticam cum fori externi jurisdictione, vel sine ea. Talia beneficia sunt omnia majora primæ classis, quæ suprà recensuimus.

Item prælatura, quæ definitur beneficium cum fori externi jurisdictione ecclesiastica.

Item dignitas, quæ est beneficium cum præeminentia & jurisdictione ecclesiastica. Tale est omne beneficium majus. Item archidiaconatus, præpositura, decanatus, prioratus conventualis.

Item personatus, qui est beneficium cum præeminentia ecclesiastica absque jurisdictione.

Præeminentia ecclesiastica est locus honorificus in choro, in capitulo, processione, suffragio dando, &c.

Item beneficium-officium est illud, quod habet administrationem rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione; & tale beneficium-officium pertinet ad Ecclesiarum Thesaurarios.

Item parochia seu pastorale officium seu beneficium cum cura, spectat ad beneficia quæ dicuntur duplicia. Nam definitur beneficium cum cura, quod habet annexam obligationem in spiritualibus regendi subditos, ita ut de illorum animabus Deo rationem reddere teneatur. Tale est officium pastorum tam primi, quàm secundi ordinis, Episcoporum scilicet & Parochorum, & omnium qui ad animarum regimen accedunt.

Dicuntur Episcopi pastores primi ordinis, quia nemine reclamante successerunt Apostolis, atque ita eorum personas & authoritatem repræsentant in Ecclesia Dei: ita ut quotquot Christiani Catholici vident Episcopos, eos (utpote apostolica dignitate & authoritate præditos) iisdem prosequantur honoribus, quibus ipsos Apostolos vel superstites, vel redivivos afficerent.

Dicuntur verò Parochi secundi ordinis pastores, quippe qui successerunt septuaginta duobus Discipulis, ut asseritur can. 2. dist. 21. & affirmat Beda in cap. 10. Loc. unde post Episcopos secundum gradum tenent in Concilio Rom. IV. cap. 6.

Simplicia beneficia sunt illa, quæ horarum & divini officii obligationi non habent annexam jurisdictionem, præeminentiam, administrationémve ecclesiasticam. Ejusmodi est capellania, canonicatus sive sæcularis, sive regularia, &c.

Quod spectat ad secundam beneficiorum divisionem, alia sunt sæcularia, alia regularia.

Sæcularia sunt ea, quæ instituta sunt pro Clericis sæcularibus, aut peculiariter illis annexa.

Regularia sunt illa quæ instituta sunt pro Clericis in ordine approbato professis, aut peculiariter illis annexa: hujusmodi sunt abbatiæ, canonicatus, parochiæ ita ipsis regularibus annexæ, ut per eos unos administrari valeant.

Item dividuntur beneficia in patronata & non patronata. Patronata sunt ea quæ habent fundatores, aut dotatores, quibus præsentandi jus est ab Ecclesia concessum.

Non patronata ex adverso sunt ea, quæ nullum habent patronum, qui ad ipsa adipiscenda præsentandi jus habeat.

Tertia conclusio.

Beneficiorum origo quoad ministrorum ecclesiasticorum sustentationem referri potest ad prædia, quæ concessa sunt Ecclesiis, sicut olim in veteri Testamento quædam pars terræ Levitis assignata fuerat: quod pacto contigisse videtur. In ipso Ecclesiæ nascentis exordio omnes tam Apostoli quàm cæteri fideles maximo sanctæ paupertatis ardebant studio; siquidem Christus Apostolos nihil possidere nec argentum in zonis, nec duas tunicas habere docuerat. Illorum vestigiis institere primi Christiani, utpote qui sua prædia venditarent passim, & conflatas ex eorum venditione pecunias abjicerent ad pedes eorumdem Apostolorum, penes quos excubabat ea cura, ut singulis justa vitæ subsidia pro eorum necessitate suppeditarentur. Quod ita gerebatur, ut inter fideles nemo indigens cerneretur & appareret. Et id ratio temporum exigebat, eo quòd Ecclesia nondum fixam haberet sedem, & propenderet migrationem facere ad gentes, ut dicitur in can. *Futuram*. 2. quæst. 1. Ubi autem quietas sedes variis in oris obtinuit, plerique divites religiosæ liberalitatis amore perusti, Ecclesiæ latifundia & feraciores agros tradidere, & ex eorum proventu Clerici vivere cœperunt, ut patet ex can. *Videntes*. 12. q. 1. qui canon est Urbani Papæ I. ex Burchardo lib. 3. cap. 3. & Ivone p. 3. Decreti cap. 5. atque ita variis modis amplificatum ejusdem Ecclesiæ patrimonium labentibus annis, singulis Clericis attributum & distributum est veluti demensum, quo quisque suæ necessitati consuleret. Quo præsertim sæculo id contigerit, non est omnino perspicuum & certum. Unum dumtaxat pro comperto habemus, beneficii & beneficiariorum nomen derivatum esse, ex eo quòd feuda seu prædia, quæ Principes iis ducibus militibus qui insignem & strenuam ipsis operam in bello navaverant, beneficii nomine designari, & eorum possessores, beneficiarii appellari cœperunt: quæ nomina in ea peculiari significatione sunt dumtaxat usurpata, regnantibus in Italia Gothis & Longobardis, sub quibus introducta sunt feuda, (quæ alio vocabulo beneficiarios fundos & beneficiaria prædia vocat Budæus in Forensibus) quæ & appellata sunt beneficia, & eorum possessores beneficiarii, seu vassalli sunt denominati.

Sigebertus in Chron. ann. 1007. ait beneficiare sumi pro infeudare, seu feudum alicui tribuere. Hinc beneficiatus & beneficiarius in jure civili dicitur, qui feudi beneficio est affectus. Ad imitationem igitur novæ significationis, in quam translata sunt vocabula (beneficiorum & beneficiariorum) respectu feudorum, eadem ipsa usurpari cœperunt in Ecclesia, cùm ejusdem Ecclesiæ prædia dividi, & libera eorum possessio & administratio privatis permitti cœpit, ita ut bonorum ecclesiasticorum procuratio Episcopo subduceretur. Hujusmodi bonorum partitio ab ipsis Episcopis factitari cœpta est, ut aliquot Clericis eximia virtute præditis aliquam eorum portionem gratificarentur, & eorum incommoda sublevarent. Sed illud ipsum multò longiùs est progressum, & omnes omnino limites prætergressum, ut postea in Clero passim & in Monasteriis apparuit. De his satis: jam de beneficiorum resignatione seu renuntiatione agendum. Sit itaque

Quæstiuncula XCII.

Quid sit renuntiatio, & quomodo dividatur.

Respondeo, resignationem seu renuntiationem nihil esse aliud, quàm juris quod habet aliquis in beneficium ecclesiasticum, spontaneam abdicationem, quæ certis ex causis & superioris auctoritate fieri debet in manibus ejus, à quo habetur institutio & confirmatio. Ita ferè describitur resignatio ab S. Antonino 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 11.

Resignatio ita definita vel descripta dividitur.

1°. In tacitam & expressam. Tacita ea est, quæ non ex perspicua resignantis voce & declaratione, sed ex jure proficiscitur, ut puta cùm quis init possessionem alterius beneficii, quod eum eo quod jam possidet, consistere non potest.

Expressa verò est ea, quâ nominatim & liquidò significatur voluntas beneficiarii, jus, quod habet in aliquod beneficium, dimittere statuentis.

Resignatio expressa bifariàm secatur. Alia est enim pura & simplex, alia cum aliqua conditione conjuncta, quæ vulgò renuntiatio in favorem appellatur.

Resignatio simplex & pura ea est, quâ sine pacto & nulla conditione adhibita trajicitur, seu refunditur beneficium in manus ejus, penes quem est illius conferendi potestas, ut illud, cui libuerit, conferat.

Resignatio conditionata, ut ita dicam, seu in favorem, ea est, quâ quis renuntiat beneficio ea posita conditione, ut scilicet colla et illud conferat homini, in cujus gratiam resignans illud ipsum beneficium abdicare voluerit.

Resignatio hæc, quæ & in favorem dicitur, subdividi potest in eam quæ fit, cùm beneficiarius in probabili mortis periculo versatur; & hæc dicitur resignatio causâ mortis. Et præterea dividitur in eam quæ fit causâ permutationis.

Quæstiuncula XCIII.

Quanam requirantur, ut renuntiatio legitima seu canonica censeatur.

Primò requiritur, ut fiat sponte & libera voluntate, c. 5. c. 2. & 4. *De his qua vi met. caus.* permissu superioris, & justæ causæ impellentis recitatione in manus ejus per verbum resignationis simpliciter vel in favorem, aut commodum alterius, nec servato regressu vel ingressu: tum enim nullius esset momenti, c. *ex parte, de offic. & potest. jud. delegat.*

2°. Renuntiatio fieri debet permissu & in manus ejus, ad quem hujusmodi beneficium, cui renuntiatur, conferendi, confirmandi & remittendi potestas pertinet, extra. *de renuntiat. c. quod in dubiis.* ubi itrita declaratur resignatio in manum laicam facta. Hi præterea (ut ibi decernit Innocentius Papa III.) qui beneficium ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum laicam resignantes, illud denuo à laico susceperunt, eodem sunt beneficio spoliandi; licèt resignatio laico facta nullam habeat firmitatem. Hæc ibi.

3°. Requiritur ut præfata renuntiatio fiat justis de causis, quarum

Prima est conscientia criminis, non qualiscumque, sed ejus propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impediatur, eod. tit. *de renunt. c. nisi cùm pridem. §. propter.* Tale crimen est simonia, c. *ergo simoniaces.* 1. q. 1.

Secunda, si in electione non fit servata forma, in c. *quia oportet. de elect.*

Tertia, quodlibet crimen quod ipso jure infamiam irrogat, §. *porrò.* 7. q. 3. §. *hinc colligitur.* 2. q. 3. 2.

Quarta, debilitas corporis, per quam quis impotens ad exequendum pastorale officium redditur, d. c. *nisi cùm pridem. §. illa verò.*

Quinta, defectus scientiæ, si non didicerit ea, quæ ad officium suum pertinent, c. 1. & seq dist. 38.

Sexta, malitia plebis, si eà tam duræ cervicis sit, ut amplius ab eo proficere non possit, d. c. *nisi cùm. §. propter malitiam.*

Septima, scandalum grave, si per ejus evitationem peccatum non committatur, d. c. *nisi cùm pridem § pro gravi. &c. qui scandalizaverit. de reg. juris.* in 6.

Octava, irregularitas, ut si fit bigamus, vel viduæ maritus, c. *cùm in cunctis. de elect.* & d. c. *nisi cùm pridem.*

Quæstiuncula XCIV.

Utrum electio, resignatio, permutatio, & alia id genus, sunt idonea legitima vocationis indicia.

Respondeo, ex hisce rebus non posse colligi, aliquem divinitus ad aliquod beneficium evocatum esse, nisi ad illa accesserint alia, quibus divina ad aliquod beneficium vocatio probari & altrui potest: id est, nisi priùs qui ad simplex & duplex beneficium cum animarum regimine conjunctum admovendus est, animo nullam in partem propendente, sed ad omnia quæ Deus ardentissimis precibus imploratus interno afflatu significaverit, peracta, consuluerit virum quempiam virtute & prudentiâ præditum ad rerum ecclesiasticarum peritiâ & experientiâ limatum, & imprimis adierit ad suum Episcopum in sui muneris notitia egregiè versatum, & legum divinarum & ecclesiasticarum amore perustum, à quo, utpote primarii pastoris ministro, & congruenter ipsius oraculis locuturo suæ vocationis indicia discere valeat.

Si ista monita fideliter observaverit; si nullo pacto, id est neque directè, neque indirectè beneficium consectatus fuerit, sed ab egregio Episcopo vocatus, vel ab aliquo patrono præceptatus annuente Episcopo præfati beneficii possessionem & functionem ineat: si dotibus ad tanti oneris administrationem, sana & experrecta mente, & cordata in agendo solertia sit ornatus: si denique ad gerendum beneficium aggrediatur cum recta intentione, ablegata scilicet omni & honoris & gloriæ & divitiarum cupiditate, ita ut nullo prorsus commodo extrinsecùs posito, & nulla quasi lenocinante mercede delinitus coram Deo & hominibus appareat: imò sibi proponat ardui laboris opus, cujus adminiculo in propagandam Dei gloriam, in animarum ipsi commissarum, in suam denique ipsius salutem procurandam & promovendam studiosiùs incumbat.

His adjumentis fideliter adhibitis, explorari, & his indiciis divina ad suscipienda Ecclesiæ onera vocatio internosci poterit.

QUÆSTIUNCULA XCV.

Utrum Clerici, qui ab Episcopo diœcesano repulsam passi, ad alios Episcopos ad obtinendum cujuspiam beneficii titulum confugiunt, divinæ vocationis argumenta præ se ferant.

RESPONDEO, nulla in hujusmodi hominibus elucere divinæ vocationis indicia. Cùm enim ad Episcopum in ipsius diœcesi dijudicare pertineat, quinam digni sint vel indigni ministerio ecclesiastico; quippe qui ad hujusmodi judicium rite faciendum divinitus institutus sit; argumento est, & quidem perspicuo, ad aliquod beneficium, eum à Deo non evocari, cui Episcopus diœcesanus ejus ipsius beneficii titulum denegat: si præsertim suppetat causa, quæ nobis Episcopum hac in parte nihil aliud præter ovium sibi commissarum, & nostrum ipsorum salutem spectare persuadeat.

Quòd si Episcopus petitum & beneficii titulum denegans, manifestam admittat injustitiam, nemo sibi credere, sed ad virum bene animatum pariter & eruditum adire debet, & divinam opem & lucem debitis precibus advocare, & hoc pacto divinam explorare voluntatem: quo peracto si citra scandalum ad alium Episcopum perfugere oportere, ad neminem alium præterquam ad Metropolitanum confugere poterit Clericus ab proprio Episcopo repulsam passus, ut constitutum est in comitiis Cleri Gallicani habitis ann. sal. 1645. Quòd si ab ipso Metropolitano beneficii titulum impetraverit, non potest tutâ coram Deo conscientiâ vel ingredi, vel fungi beneficium, quin sibi certò conscius sit dictum titulum nec gratiâ, nec ullâ commendatione obtinuisse; sed solo Metropolitani judicio, quo declaratum est, ordinarium seu diœcesanum Episcopum manifestam injustitiam admisisse: in quo, eoque solo casu potest in & ex jure impertiti titulum, quem diœcesanus Episcopus denegaverit.

QUÆSTIUNCULA XCVI.

Utrum in foro poli, seu coram Deo, tutus sit, qui provisiones alicujus beneficii in forma gratiosa, ut vocant, ab summo Pontifice obtinuerit.

RESPONDEO, nullatenus esse tutum coram Deo, qui tales provisiones obtinuerit: siquidem petuntur & impetrantur ad declinandum proprii Episcopi judicium: cùm scilicet aliquis subodoratur titulum, quem flagitaret sibi ab suo Episcopo denegandum iri propter indignitatem, cujus conscientiâ stimulatur, mittit Romam, postulat, expetit præfatas provisiones in forma gratiosa, & hoc pacto debitam suo Antistiti reverentiam violat. Unde factum est, ut pluribus inde pullulantibus malis convicti nostrates Episcopi, de hujusmodi provisionibus apud summum Pontificem expostulaverint, & suâ querimoniâ effecerint, ut rarò admodum vel nusquam concederentur, utpote quæ cupiditatem, ambitionem, & alia vitia in Clerum passim grassantia efferrent & alerent.

Ut autem clariùs eluceat, hominem his provisionibus instructum, non esse tutum coram Deo,

Observandum est, obtinere provisiones in forma gratiosa, nihil aliud esse, quàm testificationem de capacitate, de vita & moribus ab viris ecclesiasticis, vel laïcis, & Romam ad obtinendas tales provisiones mittere citra ullam obligationem sistendi se Ordinario ejus diœceseos, in qua situm est beneficium. Atqui hujusmodi attestatio non sufficit ad exonerandam seu repurgandam futuri beneficiarii conscientiam. Licèt enim viri, qui ejus capacitati & moribus testimonium præbuerunt, sint probatæ fidei, non possunt tamen nominatim pro comperto habere, utrum ille fulgeat dotibus necessariis, quibus beneficium ad quod aspirat, administrari necesse est. Neque enim judicare possunt, utrum dotes, quas in illo sitas intellexerunt, beneficio & personarum in eo regendarum necessitati sint pares, seu ex æquo respondeant. Et ideo verendum est, ne ejusmodi provisiones virorum, quos diximus, testimonio fultæ, maximæ inordinationi, & plurium animarum dispendio aditum aperiant.

Cùm igitur hæ provisiones non sufficiant coram Deo ad capessendum legitimè aliquod beneficium, eo quòd aliquis per illas non tam ingrediatur, quàm invadat in beneficium, inconsulto Episcopo, quem tamen divinitus institutum esse recensuimus, ut cognosceret vultum pecoris sui, & perspectam haberet & cognitam fidelium sibi commissorum fidem & vitam, & Clericorum potissimùm qui admoventur ad ministerium ecclesiasticum. Quod ita certum est & exploratum, ut nemo legitimè in beneficium pedem ponere, vel ejus functiones obire possit, quin priùs (etiam obtentis Curiæ Romanæ provisionibus) ad easdem ipsas provisiones titulus ab Episcopo datus & adscriptus accesserit. Non enim vult Pontifex suam provisionem sortiri ullum effectum, usquedum Episcopus diœcesanus provisum, sicut oportet, interrogaverit, & ioter interrogandum cum & doctrinâ & probitate, & aliis dotibus ad dignam beneficii, ad quod collineat, administrationem necessariis florere compererit. Quamobrem in Romanæ Curiæ provisionibus nominatim apponitur clausula, quâ declaratur, Ordinarium loci esse commissum, ut judicet utrum provisus sit beneficio dignus, necne; & ideo id vocatur in forma dignum.

QUÆSTIUNCULA XCVII.

An peccent qui vitiosas intentiones in suscipiendis beneficiis præ se ferunt.

RESPONDEO, hujusmodi homines graviter peccare. Quis enim à peccaro excusare velit, vel possit insontes pronuntiare eos, quos vel honoris, vel divitiarum, vel aliarum id genus rerum cupiditas ad capessenda beneficia potissimùm extimulat?

S. Antoninus 2. p. tit. 3. cap. 5. §. 4. damnat tales viros his verbis: Quærere seu appetere hujusmodi cursta (beneficia) principaliter propter honorem & divitias, quæ inde sequuntur, omnibus videtur esse mortale; & ratio est, quis est contra ordinem charitatis: est enim de ordine dilectionis, ut diligatur priùs salus animarum quàm corporum. Hæc ille. Unde S. Bernardus de vita & mor. Clericorum cap. 5. ait, eum *qui suscipit regimen animarum*, (quod & de simplici beneficio intelligendum est) *eo intuitu, ut hujus vita habeat necessaria, evangelizat*, (seu beneficii munia exercet) *ut manducet, perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur*. Hæc ibi.

Ergo vituperandi sunt & graviter increpandi, quotquot obrepunt ad beneficia, ut molliorem vitam & sensuum voluptatibus affluentem agant: quibus serius ocyùs in æterna inferorum supplicia detrusis (nisi resipiant) inculcabuntur hæ voces: *Recepisti bona in vita tua*.

Sese

Sese igitur ad sanctiora consilia, imò præcepta referant, & audiant Ecclesiam in Concilio Tridentino congregatam, & sic omnes Christi mysteriorum dispensatores & Clericos alloquentem: Optandum est, inquit sancta Synodus, ut ii qui episcopale ministerium suscipiunt, (quod & de aliis beneficiariis affirmandum est, quæ suæ sunt partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Hactenus dict. Concil. sess. 25. de reformat. cap. 1.

Præterea gravi sese flagitio implicant, qui captant beneficia quæque, quorum adminiculis & reditibus suas amplificent familias, & annuum patrimonii proventum & fundum relinquant fratribus, & sororibus, ut in ampliores, ditioresque familias nubant.

Hujusmodi corruptelas insectatur, & totis viribus extirpare nititur Concilium Tridentinum loco citato. Omnino verò eis, id est Episcopis, & cæteris sua ordinatione Ecclesiæ obsequio mancipatis, interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ: imò quammaximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum seminarium existit, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm ab quibuscumque beneficia ecclesiastica tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit. Hactenus sanctæ Synodi verba loco & cap. citatis.

QUÆSTIUNCULA XCVIII.

Quænam regula sint iis præscribenda, penes quos est jus conferendi beneficia.

Prima regula.

NEMO collator potest conferre beneficium indigno: hujusmodi enim collatio repugnat juri ecclesiastico, ut patet ex Concilio Trident. sess. 7. de reform. cap. 3. & adversatur juri naturali & rectæ rationi. Cùm enim beneficium detur propter officium, id est ad obeunda munia beneficio annexa, non potest conferri viro dotibus ad ea præstanda necessariis destituto.

Porrò is censetur indignus beneficio, qui nulla morum probitate commendatur: ergo dignus ille habebitur, qui erit simpliciter bonus, id est nullo mortali peccato contaminatus, & in nullam peccati lethalis consuetudinem immersus: quia, ut ait S. Thomas quodlibeto 8. art. 6. *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exercendum.*

Ex hac S. Thomæ doctrina rectè concluditur, peccaturum lethaliter collatorem, qui conferret beneficium homini, quem in criminosam lethalis flagitii consuetudinem implicatum esse resciseret.

Neque insons erit hujusmodi collator, si satis habeat scire, hominem non esse indignum, cui beneficium conferatur; id, inquam, non sufficit. Cùm enim indignum ad beneficium promovere nequeat, toties peccat, quoties confert beneficium homini quem non novit, eo quòd indignum eligendi periculum adeat: atque adeo necesse est, ut noverit hominem, cui beneficium conferre meditatur, utrum

De Sacram.

scilicet instructus sit iis naturæ & gratiæ muneribus, quæ ad illud administrandum exiguntur: alioquin prævaricabitur, & sese segniùs & negligentiùs habebit in negotio Dei, quàm in temporalibus, quorum administrationi præficere nollet hominem, nisi necessaria ad hanc administrationem sagacitate & prudentia præditum esse cognosceret.

Secunda regula.

Beneficiorum collatores tenentur beneficia conferre Clericis dignis, qui ad ministerium ecclesiasticum admoveantur: nec coram Deo suæ obligationi satisfaciunt, si discussionem probitatis & morum hujusmodi hominum, quos sic tamquam patroni præsentant, Episcopi judicio relinquant: nec etiam suo satisfaciunt officio, qui cùm beneficia resignare velint aut permutare, dignos ad sacerdotalem resignationem aut permutationem eligere parum curant, quippe qui explorandam eorum, quos exhibent, aptitudinem & probitatem Episcopi judicio remittant. Quotidiana enim experientia satis superque patefacit, eos quos Episcopus ecclesiastico ministerio indignos judicat, & quibus beneficii titulum denegat, perfugere ad alios de industria & sine causa, atque ita quacumque tandem ratione titulum vel obtinent vel extorquent.

Tertia regula.

Non solùm tenentur collatores conferre beneficia dignis, sed etiam dignioribus. Ita enim juxta legem naturalem & rectæ rationis dictamen declaravit & decrevit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. ubi disertè asserit, omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque ratione ab Sede apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, alienis peccatis communicantes, peccare mortaliter, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta sacros canones & Tridentinæ hujus Synodi decreta requiruntur. Hactenus dictum Concil. sess. 24. cap. 1. de reform.

Hoc capite Concilium loquitur quidem de Episcoporum creatione: sed quod asserit de Episcopis, idem asserendum de Pastoribus inferioribus, servata proportione; siquidem & ipsi ad animarum sunt regimen admoti. Eam ob rem præfatum Concilium ejusd. sess. 24. cap. 18. de reformat. disertè statuit, diligenter examinandos esse parochialium beneficiorum candidatos: ita ut peracto examine renuntientur quotquot ab examinatoribus idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit Ecclesiam conferre. Hactenus Concilium loco cit.

Hinc ergo concludimus cum S. Thoma ita loquente 2. 2. q. 63. a. 2. quantùm ad conscientiam eligentis, necesse esse eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. Quòd si aliter sese gerat collator, incurret in lethale peccatum, quod personarum acceptio denominatur: & definitur vitium, justitiæ distributivæ oppositum, quo in divisione bonorum onerúmve communium respicitur non justa causa, sed persona, ita ut fiat iniqua distributio.

Tt

Acceptio igitur personarum est peccatum ex suo genere mortale. Nam evertit proportionem geometricam, in adæquatione proportionis rerum communium distribuendarum ad proportionem qualitatis personarum, quibus facienda est distributio, positam: ita ut non spectentur personæ merita, & virtutes, & dotes, quarum adminiculo & respectu cæteris in rerum distribuendarum honore anteponeretur: sed spectantur alia quæ nihil pertinent ad rem, de qua agitur. Unde hujus flagitii reatum incurrit, qui cùm aliquot personas habeat, quibus beneficium conferre possit, non intuetur singulorum merita, ut puta erudirionem, probitatem, prudentiam & alia id genus ad beneficium (cujus collationem meditatur) sicut oportet, gubernandum idonea & necessaria; sed potissimùm attendit ad necessitudinem & cognationem, ad amicitiam & familiaritatem, ad nobilium vel aliorum commendationem, aut ad alia hujusmodi quæ hominem ad beneficium aspirantem nullo pacto digniorem efficiunt.

Hac de re si quis plura desiderat, recurrat ad ea quæ cùm ageremus de justitia & jure, probavimus in 2ª. 2ᵉ. hujus Operis.

Ex dictis colligere est, quàm graviter peccent electores, collatores, resignantes, & permutantes, qui maximam partem vel nobilium, aut aliorum precibus & commendatione perpulsi, vel pecuniis illecti, corruptique, vel denique præpostero propinquorum amore fascinati, dignos & indignos ad beneficia nullo discrimine provehunt.

Quæstiuncula XCIX.

Utrum indignorum ad ecclesiastica beneficia promotio excusari posset eo nomine, quòd Christus Jesus Judam proditorem ad sacerdotium & apostolatum assumpserit.

RESPONDEO, talem indignorum promotionem ad Ecclesiæ ministerium excusari non posse exemplo Christi, qui Judam in suorum Sacerdotum & Apostolorum collegium cooptavit: eo quòd Christus fulgeret authoritate divina, quâ & animadverrebat in hominum crimina, & misericordiam juxta æterni Patris imperia exercebat. Quâ potentiâ cùm Ecclesia careat, atque adeo bona ex malis elicere nequeat, sicut Christus Jesus malarum voluntatum ordinator justissimus, ideo citra crimen malos ad animarum regimen admovere non potest, utpote quæ ad illud ipsum regimen meliores & aptiores præscriptis ab ipso Deo legibus assumere teneatur.

Quòd si Christus Judam suis Apostolis aggregavit, id fecit in usus profundarum suarum cogitationum. Nam, ut ait S. Aug. l. de corrept. & grat. cap. 7. *Quia*, inquit, *qui secundùm propositum sunt vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti, electi sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, Nonne vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est? illos intelligere debemus electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Hactenus S. Aug. loco cit.

Huic accedit, quòd sæpenumero pervicaces populos, & suæ voluntati rebelles per improbos pastores puniat. *Unde pastorum imperitia meritis sæpe congruit subjectorum, qui quamvis lumen scientiæ sua culpâ exigente non habeant, districto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam, hi etiam qui sequuntur, offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt*, ut testatur S. Gregorius Curæ pastoralis p. 1. cap. 1.

Impios superiores & pastores ad plectenda peccantium populorum flagitia ab ipso Deo dari, probat Anastasius Nicænus quæst. 15. in Scripturam, exemplò cujuspiam Monachi, qui sceleratæ civitatis creatus Episcopus, cùm hoc honore insolesceret, ab Angelo correptus audiit: *Cur superbis, & magnificè tibi places, ô infælix? non es creatus Episcopus, quòd sis dignus sacerdotio, sed quòd civitas talis, tali digna erat Episcopo.* Hæc ille.

Quæstioncula C.

Quænam sint præcipua peccata collatorum in conferendis beneficiis.

RESPONDEO, esse multa, quæ hîc strictim attingere juvat.

1°. Peccant graviter, si beneficia hominibus vel propter imperitiam, vel propter vitam offensionibus seu scandalis implicatam, indignis conferant.

2°. Si temporariis quibusdam rationibus & causis impulsi beneficia conferant, nec iis, quos cæteris digniores esse noverint, & quos cæteris paribus, judicaverint æquiùs & coram Deo ad dicta beneficia esse promovendos, impertiant.

3°. Si eadem beneficia conferant parentibus & propinquis, uno dumtaxat necessitudinis & propinquitatis titulo, nullâ habita ratione vel dignitatis vel indignitatis, propter quam eos ab omni beneficio excludi oportuerit.

4°. Si beneficia tribuant, ut suis studiis & cupiditatibus satisfaciant.

5°. Si ea beneficia concedant hominibus, qui ea consectati, imò venati sunt, (& præsertim si annexam habeant animarum curam) vel si ea impertiant viris jam positis eo beneficio, quod ipsis necessaria vitæ clericalis adjumenta suppeditare possit.

6°. Si dicta beneficia conferant aliquibus, qui ipsis officiosos labores vel jam præstiterunt, vel posthac præstitutos existimant & sperant.

7°. Denique si beneficium aliquod impertiant instigante quopiam viro, à quo sperent sibi vel amicis suis parem gratiam esse referendam. Peccant & quidem graviter præfati collatores in omnibus hisce casibus, eo quòd per acceptionem personarum, id est per causam nihil ad beneficia spectantem, imò ab illis penitus abhorrentem, Ecclesias particulares mercenariis & improbis ministris cum gravi animarum periculo & dispendio referciant.

Jam de resignationibus agendum est. Sit itaque

Quæstiuncula CI.

Quid sentiendum de resignatione in favorem.

HUJUSMODI resignatio, per quam resignatur beneficium pollicitante collatore, se nemini resignandum beneficium alteri, præterquam viro nominatim proposito & designato, collaturum esse, ita ut resignans de resignando nihil cogitaret, nisi collatoris promissione innixus, dictum beneficium uni dumtaxat homini, de quo inter se convenerint, ab ipso illo collatore conferendum esse, certò resciseret: hujusmodi, inquam, resignatio illicita est & criminosa; ipsam quippe prohibet Pius Papa V. in Bulla 134.

Ac reipsa talem resignationem penitus interdixit citatus Pontifex, duabus præsertim de causis. 1°. quidem, ne hæreditaria beneficiorum ecclesiasticorum possessio in Ecclesiam Dei sensim irreperet: quod maximè sacris canonibus adversatur, ut patet ex Concilio Tridentino *sess.* 25. c. 7. de reformat. ubi ait, in beneficiis ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus esse odiosa, & Patrum decretis contraria.

2°. Dictam resignationem ex Ecclesia revellere voluit idem Pontifex, ut prospiceret libertati collatorum, & ipsi collatores plena potiri libertate, iis quos magis utiles & idoneos judicarent, beneficia conferrent. Hæ duæ rationes disertè recitantur in cit. Bulla 134. Pii Papæ V. qui & in altera Bulla, 58. scilicet, sic affatur Episcopos & alios, penes quos facultas est conferendi beneficia. Caveant autem Episcopi, inquit, & alii prædicti, itemque omnes electores, præsentatores, & patroni tam ecclesiastici quàm laici, quicumque sint, ne verbo quidem aut nutu vel signo, futuri in hujusmodi beneficiis & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. Hactenus Bullæ cit. verba.

In hac ergo, sicut nec in qualibet alia resignatione, nec in aliis quibuscumque spiritualibus ulla potest intercedere pactio aut conventio, ut aliàs probavimus ex cap. *Tua nos. de simonia.* ubi in spiritualibus omnem pactionem & conventionem cessare debere juxta canonicas sanctiones liquidò decernitur.

Hoc igitur 1°. statuendum est, resignationem in favorem, qualem descripsimus, esse prorsus illicitam & criminosam. 2°. Pro certo tenendum est, hujusmodi resignationem, quâ scilicet renuntiatur beneficio, ea lege & conditione, ut collator illud certo cuipiam viro ipsi designato conferat, importare simoniam jure dumtaxat ecclesiastico introductam & prohibitam, à quo solus Pontifex liberare & absolvere potest, quippe qui unus omnia ecclesiastico dumtaxat jure introducta repurgandi jus habeat: modò resignans suo beneficio renuntiare velit ad majorem Ecclesiæ utilitatem, & eum in cujus gratiam resignare cupit, cæteris (quibus resignare posset) digniorem existimet, neque spectet aliquod commodum vel incitamentum temporale: ut puta si beneficium alicui vel necessitudinis vel propinquitatis titulo resignet. Tunc enim simonia foret juris divini, atque adeo in illa dispensare non posset summus Pontifex. Nam, ut ait Glossa in cap. *Cum pridem. de pactis. v. illicitæ pactionis.* in his, quæ sui naturâ simoniaca sunt, ut vendere sacramenta, & hujusmodi spiritualia, non excusat authoritas Papæ.

3°. De hac ipsa resignatione statuendum est, eam non posse fieri in manus ordinarii, sed in manus solius summi Pontificis, penes quem unum jus est dispensandi in his, quæ per constitutionem Ecclesiæ simoniam inducunt. Unde hoc intercedit discrimen inter resignationem quæ fit inter manus summi Pontificis, & eam quæ fit inter manus collatoris ordinarii, quòd in illa exprimatur conditio, sub qua talis beneficii renuntiatio facta est, ut scilicet tali nominatim expressio conferetur eum hac clausula, in favorem N. nec aliter, nec alio modo, nec aliàs, eo quòd cùm summus Pontifex in jure ecclesiastico dispensandi potestatem habeat, cùm ipsa ad Ecclesiæ utilitatem utitur, nihil verendum est, ne ipso dispensante beneficium impenetrabile reddatur, tametsi sub præfata conditione fuerit resignatum. In postrema autem resignatione quæ fit in manus ordinarii collatoris, non exprimitur ea conditio, utpote quæ impetrabile beneficium efficeret, cùm ordinarius nullâ ad repurgandum hujusmodi simoniam jure ecclesiastico consti-

De Sacram.

tutam, authoritate fulgeat. Et hoc pacto reticetur dicta conditio, & collator eò adducitur, ut se tali & non alteri resignandum mox beneficium collaturum esse repromittat: quod ut præstet, gemina illi indicitur postulatio. Una scilicet ad beneficii renuntiationem boni consulendam, altera autem ad ipsius posterioris subscriptionem primùm, deinde ad prioris obsignationem, vel ad alias id genus conventiones ineundas astringitur. Quæ omnia cùm adimant libertatem collatoribus, quibus propositâ damnationis æternæ pœnâ incumbit necessitas conferendi beneficia, (ad quæ præsentant) iis quos meliores & ad ea administranda cæteris paribus, aptiores sincerè & coram Deo vel ipsi vel alii doctibus ad rectè discutiendos mores & captum promovendorum instructi judicaverint. Unde ne talis obligatio dignioribus beneficia conferendi vel obsolesceret, vel nefaria tam collatorum quàm Clericorum beneficia captantium cupiditate obtereretur & evanesceret, canonicæ sanctiones hujusmodi clandestinas resignationes variis ut plurimùm flagitiis implicatas è medio sustulerunt.

Quæstiuncula CII.

Verum resignatio causâ mortis fieri possit cum expressâ vel tacita regressûs conditione.

Resignatio causâ mortis ea est, quæ fit ab beneficiario instante morte, vel probabili ejus imminente periculo: cum ea tamen spe & conditione, vel expressâ vel tacita, ad illud redeundi, seu recuperata sanitate ejus recuperandi. Hoc posito,

Respondeo, hujusmodi resignationem esse prorsus illicitam, utpote quæ hæreditariam beneficiorum ecclesiasticorum successionem numquam non ab Ecclesia damnatam referat.

Hanc resignationem eam ob causam damnat Concilium Trident. *sess.* 25. de reformat. cap. 7. cujus verba tametsi superiùs à nobis allata hic denuò ascribere non pigebit, utpote quæ regressus ad beneficium jam abdicatum, damnatione mirabilem in modum astruant. Cùm in beneficiis ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, (verba sunt Concilii) sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria: nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ac in quibuscumque personis & cardinalatûs honore fulgentibus, locum habeat. Hactenus Concilium loco cit.

Eosdem ipsos ad resignatum beneficium regressus disertissimè damnat Pius Papa V. in Bulla 134. paulò antè citata, quæ incipit *Romani Pontificis* Omnes, inquit, & singulos regressus etiam de consensu aut aliàs quomodolibet sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis efficacissimis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine clausulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quoscumque Romanus Pontifices prædecessores nostros ad beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumvis ordinum regularia, &c. motu proprio & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, authoritate apostolica, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus. Hactenus verba Pii Papæ V. loco cit.



Quæstiuncula CIII.

An in foro externo aliquis recreatus è morbo, regredi legitimè possit in beneficium mortis causâ resignatum.

HUjusmodi regressum in Gallia vigere, nonnulli Authores asserunt, innixi authoritate cujusdam Senatusconsulti, vulgò Arresti, quod refert Author libri qui inscribitur *Theologia moralis*, seu *Resolutio casuum conscientiæ*, &c.

Ut igitur res illustriùs appareat, historiam cujus occasione datum est hoc Arrestum, breviter attingere juvat.

Laurentius Bouchellus in Parisiensi Senatu Advocatus, in Summa beneficiaria ad usum & praxim Galliæ redacta, v. *Regressus*, affirmat ex Papone, Arresto 17. causam hujus Arresti decretoriam extitisse ex eo, quòd Magister Joannes *Benoist* Curatus Ecclesiæ parochialis SS. Innocentium, extremo conflictatus morbo, ab Joanne Semelerio olim ejus servo, tunc Vicario, ita instigatus est, ut ipsi suam resignaret Curam, quam reipsa resignavit, adductus eâ pollicitatione, quâ suum ipsi beneficium (si ex morbo revalesceret) redditurum esse, sanctè & religiosè spoponderat. Magistro *Benoist* in pristinam valetudinem restituto, cùm Semelerius aperta circumscriptione & fraude herum suum de sua Cura dejicere vellet, & datam fidem liberare abnueret, & gravem inferret injuriam honestati & sinceritati heri sui, à quo bonæ ipsius fidei confiso expetita omnia impetraverat, ab Jurisperitis existimatum est in eo casu tot circumstantiis implicato, procudendam esse novam decisionem. Quapropter Rex regiam authoritatem interposuit, ut ordinariis judicibus novam impertiret facultatem, quâ in posterum ad resignata beneficia regressum (in pari, de quo agebatur, casu) permitterent. Quod quidem ad illud usque tempus nec auditum, nec factitatum fuerat, ut testatur ipse Papo. Unde fit, ut ex tali Arresto extra ordinem & præter morem edito, elici nequeat regula seu generalis quædam constitutio, quâ possit affirmari, hominem morbi violentiâ periclitantem, & in eo periculo beneficium cum tacita hac conditione, *si decesserit*, in alterius favorem resignantem, sine ulla altera collatione ad abdicatum beneficium regredi posse, ubi pristinam sanitatem recuperaverit. Tunc enim (quod grande nefas est) vera successio in beneficia importaretur, & spiritualia ad rerum temporalium morem devolverentur, & ipsa beneficia censerentur jure patrimonii per tacitas quasdam conditiones, quæ nominatim in actu quopiam enuntiatæ illum viriarent; quippe quæ variis simoniæ flagitiis contaminatæ cernerentur.

Hactenus Bourbellus, cujus verbis liquidò declaratur, resignationes cum regressus conditione tacita vel expressa factitatas nusquam admitti oportere. Et videntur aberrare à vero, quotquot existimant, omnes passim ad beneficia regressus usurpari & vigere in Gallia, ut testatur Rebuffus in lib. *Praxis beneficiorum* inscripto, tit. de restitutionibus, nu. 14. Quod & determinat Flaminius Parisiensis tit. de resignatione, lib. 6. q. 3. nu. 14. Nam generalis est juris canonici regula, eum qui semel benecio suo renuntiavit, non posse illud repetere, cap. *Ex transmissa*. cap. *Super hoc*. & cap. *In præsenti*. Unde fit, ut semel admissæ resignationis revocatio nulla & irrita sit, etiamsi successor abdicati ab altero beneficii possessionem nondum inierit. Neque potest quispiam ad abdicatum beneficium regredi, (qualiscumque conditio de futuro regressu in renuntiatione apposita fuerit) nisi sub nova provisione: cùm scilicet deintegro ipsum illud beneficium collatum fuerit in gratiam resignantis, qui tunc ad dictum beneficium regredi poterit, non ex conditione regressûs in renuntiatione apposita, sed ex vi novæ provisionis, quamvis jurasset se idem beneficium non repetiturum, ut habetur in cap. *Cum inter. de renuntiatione*.

Quisquis igitur resignat beneficium, videat ne impingat in simoniam fiduciariam, quæ nihil est aliud, quàm conventio sive tacita, sive apertis verbis expressa, ut qui beneficium recipit, illud ipsum posthac in alteram personam ipsi designatam ad resignantis nutum transferat, aut beneficii fructus ab alio percipi sinat.

Tutâ conscientiâ potest aliquis ad resignatum beneficium regredi, si resignatarius sponte & ultro ei qui resignavit, beneficium offerat, & Episcopus hujusmodi regressum, utpote ad majorem Dei gloriam & utilitatem Ecclesiæ pertinentem, suo judicio probet, & authoritate sanciat. Id ita factitari potest & debet. Nam alios regressuum modos damnat Concilium Trident. loco à nobis suprà citato, quippe qui hæreditariæ successionis imaginem referant.

Porrò omnium resignationum proximè accedit ad canonicarum institutionum integritatem, illa resignatio, quâ purè & simpliciter intra ordinarii manus beneficio renunciatur. Nam canonicè loquendo, penes Episcopum est jus dijudicandi merita, & dignitatem eorum omnium qui beneficia capessunt. Qui beneficium abdicaret hoc pacto, posset Episcopo aliquem virum, quem abdicato beneficio parem judicaret, proponere; ita tamen ut ad eum quem designaret eligendum, illum ipsum Episcopum non intenderet cogere, sed rem totam ipsius arbitrio prudentiæque committeret.

Jam veniendum est ad communiora vitia, per quæ multi ad ecclesiastica beneficia sese protrudunt. Sit igitur

Quæstiuncula CIV.

Quænam sint vitiosæ beneficiorum captationes ab improbis usurpari solita.

RESPONDEO, esse plurimas hîc breviter recensendas.

Prima inter vitiosas illas captationes admittitur, per simoniam, sive illa sit absoluta, sive sit fiduciaria.

De hujusmodi simoniis satis superque egimus in 2ª. 2æ. hujus Operis, cùm de simoniæ flagitio varias quæstiones discussimus. Attamen non est abs re hic observare, simoniacos, & fiduciarios incurrere excommunicationem summo Pontifici reservatam per Extravagantem Pauli Papæ II. cujus initium est *Cùm detestabile*.

Hæc excommunicatio non incurritur, nisi simonia realis utrobique, id est tam ex vendentis, quàm ementis parte consummata fuerit. Hac excommunicatione percelluntur non solùm præcipui simoniæ authores, & architecti, sed etiam quotquot ad dictam simoniam consummandam, operam suam conferunt. Ergo & simoniaci & ipsorum in utraque simonia, absoluta scilicet & fiduciaria, adjutores & ministri eodem anathematis & excommunicationis vinculo constringuntur.

Observandum est præterea, beneficii titulum per simoniam vel per confidentialem custodiam adeptum, nullum esse, & simoniacum hoc ipso reddi inhabilem ad quodcumque aliud beneficium possidendum, ita ut nullam hac in parte judicis sententiam

intervenire oporteat, ut Pius Papa V. editâ hac de re Bullâ pronuntiavit.

Revera quando summus Pontifex simoniacum ad possidenda beneficia rehabilitat, ut ita dicam, non rehabilitat circa idem beneficium. Cæterùm qui pecuniam pro beneficii nundinatione accepit, ad ejus restitutionem vel Ecclesiæ vel pauperibus factitandam obligatur, sicut & ad fructuum (quos quis ex beneficio per simoniam comparato perceperit) restitutionem astringitur, ut neutri sua flagitia patrocinari valeant. Hæc est prima, & teterrima, & communissima beneficiorum ecclesiasticorum captatio.

Secunda & vitiosa beneficiorum captatio.

Multi bene nummati, & de re domestica bene constituti, cùm suam familiam è tenebris in lucem & splendorem evocare, vel illustrem ad altiorem honoris gradum provehere gestiunt, aliquem è suis liberis (si plures habeant) ad opimum quoddam sacerdotium seu beneficium protrudere cupiunt. Sed cùm nulla vacantis beneficii sese offerat occasio, segregant magnam pecuniarum vim & copiam, & eam alicui cum annui proventus onere collocant, vel ipsas pecunias in alicujus latifundii emptionem conferunt, & pecuniarum hujusmodi proventum vel empti prædii reditum addicunt hebdomadariæ Missarum celebrationi; & hanc fundationem (cui obitûs nomen imponunt) pro vero beneficii titulo venditant, & Clerico vel canonicatum vel curam possidenti offerunt, & tandem in favorem filii ad beneficium protrudendi præfatam fundationem (quæ propriè loquendo nihil est aliud quàm pecuniarum summa vel prædium ad canonicatum vel curam emendam comparatum) cum quopiam beneficiario citra scrupulum permutant. Quod est teterrimum facinus, quia

1°. Violat & dedecorat Ecclesiæ disciplinam, & præterea immanissimo simoniæ crimini suffragatur.

2°. Eadem ipsa fundatio, quæ obitûs nomine coloratur, deturpat Ecclesiam in eo, quòd multi indigni irrepunt in ipsum, & ejus ministerium nullo merito, nulla virtute commendati, sed uno pecuniarum titulo & adminiculo suffulti capessere non erubescunt.

3°. Per eamdem fundationem ecclesiastica disciplina labefactatur. Hinc enim fit, ut Episcopi digniores ad ecclesiastica beneficia nec vocent, nec assumant; (quod tamen ad ipsos divino jure pertinet) sed plerique sese in dicta beneficia sine ullo divinæ vocationis indicio, suo arbitratu inferant, & introdant.

4°. Tali per dictam fundationem beneficiorum captationi authoritas adjungitur. Siquidem admittitur majori facilitate & impunitate, quippe quæ specioso utilitatis Ecclesiæ nomine prætexitur & velatur.

Tertia & obliqua beneficiorum captatio.

Tertiò vitiosè captantur beneficia, cùm in ipso oppetendæ mortis articulo fiunt fraudulentæ permutationes hoc pacto: beneficiarius scilicet acceptat beneficium, non ut ipsi deserviat, (quod non potest, cùm sit morti proximus) sed ut suum ipsius beneficium in alterum transferat, atque ita ordinarium dicti beneficii collatorem de suo jure dejiciat.

Quarta eorumdem beneficiorum vitiosa captatio.

Vitiosè captant beneficia, quotquot supposititia litis instrumenta proferunt, & ex lite reportant debitum alteri beneficium, vel illud idem beneficium eâ, quâ florent apud judices, gratiâ consequuntur.

Quinta eorumdem beneficiorum mala captatio.

Quinta & nefaria beneficiorum captatio oritur ex nundinatione, quæ in permutationibus factitatur: cùm scilicet quispiam beneficium cum altero permutat, non ut Ecclesiæ utilitati vel necessitati obsequatur & consulat; sed ut suam rem familiarem majoribus commodis, & pinguiori rerum temporalium proventu augeat.

Sexta & obliqua eorumdem beneficiorum captatio.

Sextò malè captantur beneficia, cùm adulterinæ resignationes & permutationes causâ mortis supponuntur; vel resignationes per plures annos cum collatorum detrimento in latebris detinentur.

Septima & obliqua eorumdem beneficiorum captatio.

Hujusmodi captationis conscii sunt, qui beneficiariorum extinctorum cadavera recondunt, ut furtim in ipsorum beneficia invadant.

Octava & perversa eorumdem beneficiorum captatio.

Talis captatio exercetur ab nonnullis hominibus, qui cùm nec jus certum ad rem seu potestatem legitimam ad beneficium obtinendum & sibi obligandum, nec jus in re, id est potestatem legitimam in beneficium obtentum tamquam sibi obnoxium & obligatum habeant; nihilominus tamen dant pecunias colliganti sub injustæ vexationis obtentu: quam tamen vexationem, injustam scilicet, nemo causari potest, nisi jus certum habeat vel in beneficio, vel ad beneficium, id est nisi electus, aut canonicè sit præsentatus, vel legitimo ejus titulo munitus, & injustam vexationem patiatur, quam in hujusmodi circumstantiis redimere poterit, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 100. Sed in eo rerum articulo cavendum est, ne corrupta & præpostera intentio prætensam vel veram hujusmodi vexationis redemptionem inficiat & exinde scandalum seu offendiculum Clericis, vel eorum propinquis beneficia anhelantibus præbeatur. Jam ad pensiones properandum.

QUÆSTIUNCULA CV.

Utrum licitæ sint pensiones, quæ ab nonnullis ex alieno beneficio percipiuntur.

RESPONDEO, ab omni ævo hujusmodi pensiones odiosas & prohibitas fuisse, exceptis paucissimis casibus, in quibus non tam admissæ, quàm toleratæ sunt.

Quæ propositio satis superque astruitur ex articulis & capitibus ab nostratibus Episcopis Legatisque in Synodo Tridentina propositis: tametsi nulla alia ad ipsam comprobandam argumenta suppeterent.

Luculenter id probat expostulatio Oratorum Regis Christianissimi ad Legatos & Patres Concilii Tridentini facta 22. Septembris ann. sal. 1563. quæ legitur in adversariis ejusdem Concilii fol. 490. & seqq. ubi Ferrerius hujus expostulationis author, coram celeberrimo plurium Episcoporum & aliorum hominum apprimè illustrium consessu declarat, legibus regni aut Ecclesiæ Gallicanæ nihil omnino contineri, quod repugnet dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ antiquisque Pontificum decretis, & Ecclesiæ universalis Conciliis. Et infrà.

De pensionibus verba facit: Non prohiberi Episcopum, inquit, qui neque sacras Litteras docere, neque prædicare umquam didicerit, se episcopatu, si velit, (uti debet) abdicare: bene meritum autem qui per ætatem aut morbum ampliùs Episcopi munere fungi non potest, coadjutorem accipere, & in hac tantùm specie pensionem retinere. Nam extra hanc speciem, si quis velit solute pensionis quæsito, ut pluralitatis prohibitionem eludat, super beneficio pensionem constituere, aut in favorem renuntiare, aut cum regressu, aut causari & defendere pluralitatem beneficiorum ex nova & bonis sæculis incognita personarum & sacerdotiorum differentia, &c.

Videri etiam potest idipsum affirmatum inter adversaria cit. ejusdem Concilii p. 573. & 575.

Oratores Regis Christianissimi eò præsertim collineabant in Concilio Tridentino, ut pensiones ex orbe Christiano, si possent, revellerent, & hanc extitisse mentem & Regis, & sanctioris ejus Consilii, declarant observationes & animadversiones, quas ipsius Regis Oratores ediderunt in articulos reformationis sess. 24. ejusdem Concilii, in quibus Pibracus & Ferrerius collegæ, ita loquuntur de pensionibus: Nota, inquiunt, hic non obscurè significari pensiones constitui, & reservationes fructuum fieri posse, tum in cathedralibus Ecclesiis, tum in parœciis, si modò summam centum aureorum annuus reditus earum excedat. Quod tum maximè adversatur iis, quæ in mandatis à Rege nostro accepimus. Nulla enim ratione, nulloque casu, fructus aut eorum partem reservari vult Rex, neque conditionaliter, aut dimidiatè, sed simpliciter tantummodò beneficia ejurari, ut integri fructus ad eum qui beneficio incumbit, perveniant. Et sanè si aliter fiat, frustra statuetur aliquid posthac adversus eos, qui plura possident beneficia, &c. Hanc observationem legere est in cit. adversariis p. 579.

Quàm justa & rectæ rationi, & juri naturali, & sacris canonibus consentanea, & nostri Principis, & nostrarium Oratorum de pensionibus abrogandis sententia fuerit, liquidò declaravit S. Carolus Borromæus, qui cùm Pii Papæ IV. nomine, Gallicanis Oratoribus renuntiasset responsum, quod pensionibus constituendis suffragari videbatur, contrariam amplecti sententiam, & pensionum constitutioni episcopali vigore intercedere & reluctari coactus est.

Inde contigit, ut plerosque omnes abusus, qui circa beneficia & pensiones in Ecclesiam irrepserant, pro viribus abstulerit. Quod quàm sit verum, ex ejus Vita ab Giussano conscripta referre necesse est. Quod spectat ad beneficia, ea omnia sic mandavit, ut amicitiæ, gratiæ, propinquitatisve causâ nihil moveretur. Si quempiam alicujus commendatione gratiáve uti, vel omnino ambitiosè quærere animadvertisset, ea ipsa de causa indignum judicabat: ipse verò suos noverat, omniumque actiones, vitam, studia per se, ac per ministros observabat; & cùm locus daretur, nullius officio interposito, vocabat ipse nec opinantes, sacerdotiaque mandabat. Unum verò satis esse cuique beneficium, nisi aliter necessariò fieri deberet, omnium maximè volebat. Præterea nolebat beneficium in sua familia relinqui, ne rem hæreditariam redoleret.

Ita se gerebat in beneficiis mandandis S. Carolus, qui in sæculo corruptissimo quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi sol refulgens effulsit in templo Dei, & hoc pacto omnibus omnium sæculorum Episcopis, quâ vigilantiâ & quo studio Clericos ad beneficia ecclesiastica promovere oporteret, suo exemplo patefecit.

Quidquod, nobilis vir, oblata occasione beneficii in ecclesiasticum ordinem, se dare nomen velle significavit, Carolique auxilium imploravit: cui negavit ille, minimeque probare respondit, hominem vitæ clericalis alioquin non studiosum, beneficii gratiâ Clericum fieri velle. Hæc de beneficiis. Esto verò

Quæstiuncula CVI.

Quid sanctus Carolus de Præsulum augendis facultatibus & pensionibus senserit.

Ejus Vitæ scriptor, sanctissimi Antistitis de rebus propositis sensa hisce verbis aperit: Si de augendis, inquit, Præsulis alicujus inopis facultatibus rogaretur, suadebat, ut paucis contentus esset. At nihilo seciùs adjuvabat, ubi animum cognoverat neque avaritia, neque inani splendore captum, sed sacri muneris perfectè administrandi studiosum. Episcopo consulenti, utrum ob tenues facultates contraheret æs alienum, an dimisso episcopato, alio quodam loco viveret, ubi in sumptum plura subministrarentur; neutrum respondit sibi placere. Assistere gregi suo Sacerdotem debere, nisi aliter, qui potest, juberet abdicare sese episcopatu: si quid offerretur difficultatis, ejus non esse, qui integrè casteque vocatus iniisset. Sumptui pro facultate modum ponendum, veterum maximè Præsulum imitatione, qui & facultatum subsidio, cùm suppeteret, sanctè usi erant, & eo destituti, sanctè tamen episcopatum administraverant. Annuam pensionem Carolo solvebat Episcopus, cui vehementer postulanti, ut illud sibi juris remitteret, & reficiendæ Ecclesiæ necessitatem, tenuesque fructus excusanti liberè respondit, nullo modo ei se velle condonare, qui episcopatum etiam adjectâ pensionis conditione quæsierat: facturum tamen, ut ea pecunia quotannis in Ecclesiam illam reficiendam vel ornandam aliorum operâ insumeretur: ita omnino concedendum quod petierat, si modò Ecclesiæ causa verè postulasset.

Fructus suos unicuique Ecclesiæ Presbyterisque singulis integros relinqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque primùm Ecclesiam capessente, vel magna ex parte, vel toti alienis hominibus erant reservati; ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri, sacerdotia recusarent, quorum facultatibus pro dignitate vitæ cultum minimè possent conservare: qui verò accipiebant, parvi pretii homines neque doctrinâ, neque authoritate satis muneri suo facere valebant: ut præter Sacerdotis, ut tempora sunt, ex ea re contemptum, neque sacra supellex pro decoro parari, neque refici, vel ornari Ecclesiæ, neque sarta-tecta haberi possent. Igitur neque pensionis onus vel minimum cuiquam Ecclesiæ imposuit umquam; & si quis fortè per authoritatem superiorem obtinere vellet, contrà totis viribus pugnavit.

Cùm ex satis magnis præpositurae facultatibus ex suis quidam, quo plurimùm utebatur, annuam pensionem sibi ferè impetrasset, ea Carolus, ut auferretur, statim effecit. Neque alius postea umquam conari aliquid simile ausus est. Sacerdoti tantùm pensionem concessam scio. Is cùm Ecclesiæ diu utilem sanè operam pro doctrina virtuteque sua navasset, demum multi laboris parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cùm eam relinquere cogeretur, neque aliunde haberet vitæ sumptum, moderatam pensionem ex Ecclesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit.

Ex his videre est, quid de pensionibus senserit S. Carolus, qui & aliud exemplum & Episcopis, & aliis collatoribus in beneficiis conferendis imitan-

dum proposuit: cùm scilicet ex domesticis quidam, cujus opera Carolo valde utilis erat, sibi, Carolo ipso insciente, simplex beneficium comparasset, hominem, ut aliis esset exemplo, missum fecit. Tum suis omnibus convocatis denuntiavit, qui ei, vel potiùs sacræ administrationi suæ inservire vellet, suo contentus stipendio, nihil ejusmodi unquam, neque omnino quicquam ex Ecclesiarum suarum fructibus speraret, nisi quis à se idoneus judicatus vocatusque cum adjuncto munere atque opera beneficium accepisset. Hactenus Giussano Vitæ & rerum gestarum S. Caroli scriptor, ut legere est ejusdem Vitæ lib. 7. cap. 35.

Ex quo capite discimus tria ab Episcopis, & beneficiorum collatoribus observanda, quorum

Primum est, in conferendis beneficiis nullam habendam esse rationem solius amicitiæ, propinquitatis, aut ullius commendationis; imò indignos eos beneficiis esse judicandos, qui talibus mediis & adjumentis ad ea pervenire tentaverint: & ideo omnium ad eadem beneficia promovendorum vitam & studia, tum per se, tum per alios diligenter exploranda.

Secundum est, non esse perpetuanda beneficia in aliqua familia, quod & fecit & docuit idem S. Carolus: siquidem ipsam Aronensem Abbatiam dudum in familia sua relictam, non conquievit, donec à se, atque à familia repelleret, ne quid fortè oleret hæreditarium.

Tertium denique, quod discimus ex S. Carolo circa beneficia, declarat domesticis (quos mercede conductos oportuit) beneficia simplicia aut alia non esse retribuenda. Qua in re graviter peccant plurimi beneficiorum collatores, qui pro stipendiis pecuniariis vel domesticis, vel eorum rogatu ipsorum propinquis vel amicis beneficia, perinde ac si licito mercatu prostarent vænalia, conferunt.

De pensionibus quid idem S. Carolus senserit, perspicuum est, & infrà pluribus explicabitur. Sit itaque

Quæstiuncula CVII.

Quot & quænam conditiones requirantur, ut justa seu canonica pensio ex resignato beneficio percipi possit.

Nemini dubium est, quin multæ conditiones ad id tam ex parte Ecclesiæ, quàm ex pensionariorum persona requirantur.

Et quidem ex parte Ecclesiæ duo requiruntur, ut canonica pensio ex resignato beneficio percipiatur.

1°. Ecclesia exigit, ut pensio approbetur ab summo Pontifice, penes quem est secundùm potestatis plenitudinem de jure supra jus dispensare, ut ait Innocentius Papa III. cap. *Proposuit. de concess. prabend.* Revera nisi ab ipso summo Pontifice approbata fuerit, est citra controversiam simoniaca. Quamobrem in resignationibus cum pensionis onere contractis ad purgandam simoniæ suspicionem & labem, adjungitur hæc clausula: Sub beneplacito & approbatione summi Pontificis, & non aliàs, nec aliter.

2°. Exigit Ecclesia, ut summus Pontifex legitimâ dumtaxat causâ ad constituendam & approbandam pensionem aliquam ecclesiasticam moveatur: » sine qua causa non habet locum in foro interiori & » eoram Deo dispensatio, ut ait Toletus loco infrà ci» tando, sed tantùm in foro exteriori. Unde qui pen» siones retinent, etiam cum dispensatione, si non ad» est causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, & ipsorum est considerare quomodo dederit. Hoc, inquam, non excusat. Si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem scit malè dispensare res domini, & contra justitiam, non potest eas in conscientia tutò retinere. Papa autem non est dominus bonorum & redituum Ecclesiæ, sed tantùm universalis dispensator. Unde sicut cùm dispensat hominem in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit; ita in pensionum & beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona. Si enim nullâ viâ vel pacto in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est causa legitima. Hactenus Toletus Instruct. sacerdot. lib. 5. cap. 83. num. 3. Hæc sunt quæ requiruntur ex parte Ecclesiæ. Sit itaque

Quæstiuncula CVIII.

Quænam requirantur conditiones ex parte pensionarii, ad justam pensionem constituendam.

Respondeo, quatuor conditiones requiri ex parte pensionarii, ut canonicam pensionem justè percipiat.

1°. Ut per plures annos beneficium ecclesiasticum gesserit, vel conflictatus sit morbo, quem in eo per plures vel pauciores annos administrando contraxerit, & ad ejus munia deinceps obeunda inhabilis evaserit.

2°. Ut assignata pensio tertiam fructuum partem non excedat.

3°. Ut persolutâ pensione & deductis aliis beneficii oneribus, trecentæ libellæ suppetant resignatario, ita ut præter præfatam trecentarum libellarum summam alia emolumenta ex sacramentorum baptismi & matrimonii administratione v. g. & aliis ex rebus inter casualia numerari solitis, provenientia in ejus utilitatem cedant: unde vitam honestati clericali consentaneam sustentare valeat.

4°. Denique ut pensionarius nihil habeat præter pensionem, unde secundùm suum statum vivat: vel si aliquid habeat, ad necessaria vitæ præsidia non sufficiat, atque adeo hujusmodi ejus inopiæ & necessitati, canonicæ pensionis adjumento subvenire oporteat.

Quatuor istas conditiones, sine quibus nulla canonica pensio institui potest, singillatim expendere necesse est.

Quod spectat ad primam, quâ videlicet decernitur, nullam pensionem assignari posse beneficiario suum in alterius gratiam beneficium abdicanti, nisi illud ipsum beneficium per plures annos, ordinariè loquendo, gesserit, vel inciderit in adversam valetudinem, per quam ad illud deinceps administrandum inhabilis redditus fuerit.

Hæc conditio (quam nemo cordatus rectæ rationi sacrisque canonibus apprimè consentaneam esse inficiari potest) exigitur ad canonicas pensiones instituendas, ut reprimantur gravia quorumdam beneficiariorum flagitia, qui sacrilego quodam emmercio, & infandâ nundinatione captant beneficia, ut ex eis pensionem percipiant; quem finem cùm dumtaxat intueantur, proculdubio simoniam admittunt, quippe qui beneficia citra controversiam spiritualia capessunt, ut ex eis pecunias colligant, atque adeo sese teterrimo simoniæ flagitio in rerum temporalium pro spiritualibus perceptione posito, constringunt & implicant.

Præterea iisdem pensionibus constituendis adjecta est hæc conditio, ut per illam coërceatur nonnullorum Sacerdotum inexplebilis divitiarum cupiditas:

licèt enim potiantur suorum beneficiorum fructibus ad clericalem vitam rite sustentandam idoneis & sufficientibus, alia quæritant, ut pensionum accessione suas facultates augeant. Quod illicitum est duabus de causis.

1°. Quia nemini licet ex beneficio percipere pensionem, nisi illius munia notabili annorum spatio (si cætera sint paria) deservierit.

2°. Pensionem ex beneficio nemo captare potest, quin ad egestatem pensionis subsidium exigentem redactus fuerit.

Hanc conditionem singulari sapientia sanxit Ludovicus XIV. duobus Edictis, quorum primo in sanctiori ejus Consilio summa maturitate & deliberatione sancito anno 1669. 24. Julii constitutum est, neminem posse ex præbendis & beneficiis curatis pensionem percipere, nisi dictis beneficiis totis viginti annis deservierit.

Altero verò Edicto plurium Præsulum rogatu ille ipse Ludovicus XIV. Princeps multis victoriis, & rebus præclarè gestis præter cæteros Principes Christianos nobilitatus, anno sal. 1670. mense Octobri, cavit ne quis pensionem ex præbendis Ecclesiarum cathedralium, aut etiam collegiatarum aut parochialium seu curarum beneficiis perciperet, quin talium beneficiorum munia solido quindecim annorum spatio præstitisset.

Secunda conditio ad constituendas legitimas pensiones necessaria in eo posita est, ut ipsa pensio non excedat tertiam fructuum partem, quod & Ludovicus XIV. in citat. Edictis, canonibus congruenter, observari imperavit.

Tertia conditio ad easdem pensiones constituendas talis est, ut scilicet exoluta pensione, & persolutis beneficii oneribus, resignatario supersint trecentæ libellæ; & præterea ut honestè pro statu clericali victitare possit, cedant in ejus emolumentum omnes oblationes casuales, quæ in resignata ipsi parochia juxta receptam loci consuetudinem factitari solent. Ista etiam conditio in citatis Ludovici XIV. Edictis speciatim exprimitur.

His conditionibus explanatis, de quarta esto

Quæstiuncula CIX.

Utrum solis Sacerdotibus vel minoribus Clericis indigentibus, pensionem ex resignato beneficio percipere liceat.

Respondeo, juxta quæstiunculæ titulum nemini Clerico licere ex resignato beneficio pensionem percipere, nisi ei necessitatis & inopiæ, quâ premitur, nomine assignata fuerit.

Hanc assertionem luculenter astruit Concilium Chalcedonense œcumenicum ann. Redempt. 451. in celeberrimo DC. Episcoporum consessu sub S. Leone Pontifice maximo celebratum. Cùm enim in act. 10. perstrinxisset pensiones, seu prohibuisset, ne quis sibi ex Ecclesia quam abdicaret, reservaret quippiam; prudenti tamen indulgentia quasdam toleravit pensiones, utpote quæ in quodam rerum concursu necessariæ pariter & legitimæ redderentur.

Id patet ex act. 10. ipsius Concilii: siquidem sub ejus 10. actionis finem sub titulo *Actio de Domno Antiocheno*, fit mentio pensionis, quæ ipsimet Domno (qui Antiochenus Episcopus fuerat) annuente tota Synodo, rogatu Maximi tunc Antiochiæ Episcopi, est constituta. Maximus reverendissimus Episcopus Antiochiæ dixit: Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos judices (verba sunt cit. actionis) & sanctam hanc & universalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Episcopus, dignemini, statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est.

Hujusmodi petitioni annuerunt Paschasinus & Lucentius reverendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarii sedis Apostolicæ, & per Paschasinum reverendissimum Episcopum dixerunt: Sanctus & beatissimus Papa, qui episcopatum sancti ac venerabilis Maximi Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur. Siquidem reverendissimus Episcopus Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia miserationis intuitu, prout æstimaverit, largiatur, ut contentus alimoniis, quiescat in posterum. Hæc ibi.

Illud ipsum Concilium eamdem hanc humanitatem exercuit erga Bassianum & Stephanum, quos de Ephesino episcopatu (ad quem præter regulas protrusi fuerant) dejicit, & tamen ab sanctissima Ecclesia Ephesina nutriri voluit. Proposita enim præpostera amborum ad Ephesinum episcopatum promotione, gloriosissimi judices dixerunt: Quoniam placuit universis interlocutio Dei amantissimi Archiepiscopi regiæ Constantinopolis Anatholii, & reverendissimi Episcopi Paschasini, obtinentis locum Leonis Dei amantissimi Episcopi senioris Romæ, præcipiens eo quòd uterque contra regulas factus est, neutrum eorum denominari, neque præesse sanctissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, & omnis sancta Synodus contra regulas eos ordinatos edocuit, & interlocutionibus reverendissimorum Episcoporum consensit: removebuntur quidem à sanctæ Ephesiorum Ecclesiæ Bassianus & Stephanus reverendissimi; habeant autem dignitatem Episcopi, & ex reditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ nutrimenti gratiâ & consolationis annis singulis solidos aureos ducentenos accipiant: alter verò secundùm regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Episcopus ordinabitur. His auditis, omnis sancta Synodus exclamavit: Hæc justa sententia, hæc justa forma, hæc bene habent.

Hactenus ipsa Concilii verba, quæ legere est ejusdem Concilii Chalcedon. act. 11. exeunte.

Tertium (quo pensiones approbantur, vel certè tolerantur ab eodem Concilio) exemplum legitur act. XIV. ejusdem Concilii, quo loco decernitur, ut Sabinianus reverendissimus Episcopus, & dignitatem episcopatûs habeat, & substitutus sit, & pascatur sicut reverendissimus Episcopus Antiochenorum Maximus, secundùm facultatem Perrhenorum sanctissimæ Ecclesiæ disposuerit. Ita in Sabiniani gratiam censuerunt Concilii Patres. & protulerunt gloriosissimi judices, qui, si Athanasius, in cujus locum suffectus fuerat Sabinianus, in Perrhenorum episcopatum restitueretur, ipsi Sabiniano ex Ecclesiæ Perrhenorum facultatibus necessaria vitæ subsidia subministrari voluerunt.

S. Gregorius, qui quatuor Conciliis, Nicæno scilicet, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi, tamquam quatuor Evangeliis honorem haberi voluit, ne latum quidem unguem ab ipsius Concilii Chalcedonensis sanctionibus recessit. Nam omissis cæteris (pontificali profectò charitate & sollicitudine omnium egenorum, & præsertim ecclesiasticorum inopiam justa Ecclesiarum & Episcoporum liberalitate recreari voluit. Hac de causa Registri lib. 3. Epist. 14. Fœlicem Diaconum ab necessariis vitæ adjumentis imparatum Syracusarum Episcopo commendat.

Quod & patet ex ejusd. Regist. lib. 11. Epist. 7. Vult reservari ex ipsius Ecclesiæ bonis pensionem ægrotanti Episcopo, si episcopatum abdicare velit.

Item Lib. 1. Regist. Epist. 43. Episcopis, quos suis

suis è locis hostium furor expulerat, ita consulit, ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere.

Ex his hactenus dictis liquidò patesit, pensiones in egentium dumtaxat Clericorum & Sacerdotum gratiam esse concessas pariter & toleratas.

Hujusmodi regulam, pensiones nimirum ad sublevandam Ecclesiasticorum hominum inopiam esse constituendas, non ignoravere delecti Cardinales & alii Prælati de emendanda Ecclesia deliberaturi. Siquidem jubente ipso Paulo Papa III. habuere Concilium, in quo quantâ maximâ diligentiâ inquisierunt in varios abusus qui circa beneficia grassabantur in Ecclesiam Dei, inter quos pensiones recensent his verbis: Alius abusus cùm beneficia conferuntur, seu ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus pensionibus, imò quandoque cedens beneficio omnes sibi fructus reservat.
» Qua in re illud est animadvertendum, nulla alia do
» causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse,
» nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus &
» indigentibus concedi solent. Nam reditus sunt an-
» nexi beneficio, ut corpus animæ: ideo suâ naturâ
» pertinent ad eum qui beneficium habet, ut possit ex
» eis vivere honestè pro suo ordine, simulque queat
» sustinere impensas pro divino cultu & templi sacra-
» rumque ædium reparatione, ut quod reliquum est,
» impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum
» redituum. Verùm sicut in rerum naturæ administra-
» tione nonnulla fiunt à natura particulari præter in-
» clinationem universalis naturæ: sic in Pontifice,
» quoniam est universalis dispensator bonorum Eccle-
» siæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios
» usus expendi debet, aut ejus partem in alium quem-
» piam usum, ut expendatur magis expedire, id face-
» re potest. Ideo jure merito pensionem ponere po-
» test, ut subveniat egeno, præsertim Clerico, ut ho-
» nestè queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo
» omnes fructus reservari, adimique id omne quod di-
» vino cultui sustentationique habentis beneficium tri-
» bui debet, magnus est abusus.

Itemque pensiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queunt ex reditibus quos habent, magnus certè abusus est, sicut & alter & uterque tollendus.

Hactenus Concilium quod ex delectis Cardinalibus & aliis Prælatis conflatum, coactum est jubente Paulo Papa III. qui quidem ut proluderet Concilio Tredentino, tale Concilium celebrari voluit, ut omnes vel plerique omnes abusus ecclesiasticam disciplinam populati in proximo Concilio radicitus evellerentur. Quod ut præstaret, ipse ille Pontifex dictum Concilium ann. 1537. habitum, sequenti anno scilicet 1538. typis mandari & Romæ promulgari, quod factitatum est, imperavit. De hoc Concilio magnificè prædicat Belcarius Episcopus Metensis lib. 22. commentat. rerum Gallicar. num. 24. ad ann. 1537. & lib. 28. num. 67. ad ann. 1560.

Quæstiuncula CX.

Quid ex hac doctrina superiori quæstione probata inferri oporteat.

RESPONDEO 1°. inferendum esse ex hujusmodi doctrina, nemini opulento seu pecuniis & reditibus ad vitam clericalem agendam idoneis instructo, licere pensionem citra gravissimum crimen accipere.

2°. Ex ead. doctrina concludendum est, hujusmodi homines qui nihil obstante rerum domesticarum abundantia, vel victûs sufficiente secundùm suum statum copia, ex aliquo beneficio ab ipsis jam inito suppeditata, ex aliquo altero beneficio pensionem percipiunt, ad hujusmodi pensionis restitutionem obligari. Cùm enim, ut paulò antè ex Ecclesiæ traditione probavimus, pensiones in Clericorum dumtaxat eorum, qui aliunde vix vivere valent secundùm statum suum, utilitates sint institutæ & toleratæ; certum est, eas sacrilega aviditate percipi & interverti ab iis, qui jam necessariis vitæ præsidiis, vel ab ipsa re familiari, vel ab altero sufficiente beneficio subministratis instructi sunt, atque adeò ad earum restitutionem eos obligari.

3°. Inde colligendum est, eos peccare graviter, quibus cùm propter inopiam indulta sit pensio, tot cumulant pensiones, ut sustentationem homini ecclesiastico congruentem excedant. Unde & graviùs peccant, & miserabilis est abusus eorum, qui multis hinc inde se onerant pensionibus, cùm unde vivere possint pro conditione sua, satis multa habeant: & quod pejus est, nulla adest causa, propter quam vel unam habere possint: quibus vix potest persuaderi, ut vel minimæ pensioni renuntiare ullo pacto velint, sed morte tandem, velint, nolint, cogentur malè possessa & retenta dimittere.

Hoc monitum multò saluberrimum excerptum est ex Cardinale Toleto in lib. 5. Instruct. sacerdot. 83. cap. *Exeunte.* Ad hujusmodi monitum sæpius regustandum, animum appellant avidi & sacrilegi beneficiorum & pensionum captatores, ne (quod seriùs ocyùs eventurum est, nisi resipiscant) infanda bonorum ecclesiasticorum mole onerati prægravatique, in æternum immergantur interitum.

4°. Ex dictis hactenus de pensionibus inferendum est, nostrates Principes & alios homines bene animatos numquam non abhorruisse ab pensionibus, quas multi beneficiarii, quamvis jam beneficio ad victum sufficiente donati, vel de patrimonio bene constituti, ab resignatariis exigebant, vel illis sua vel beneficia, quæ inexplebili aviditate undecumque captaverant, resignando.

Hanc pestem suum in regnum grassatam diligentiâ & ardore mirabili compescuit S. Ludovicus nostratium Principum immortale decus & exemplar absolutissimum. Nam in Pragmatica Sanctione ab ipso condita & promulgata anno sal. 1258. jussit quorumcumque beneficiorum collationes ad veterum canonum regulam & amussim exigi: item promotiones, collationes, provisiones & dispositiones prælaturarum, inquit, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum regni nostri secundùm dispositionem, ordinationem & determinationem juris communis, sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum fieri volumus & ordinamus.

Præter hoc Edictum generale, resignationes etiam cum fructuum reservatione, factitari solitas proscripsit, & prætereà nusquam hominem jam beneficio potientem, beneficio donavit, nisi primo beneficio simpliciter renuntiaret, ut testatur Guillelmus *de Nangis* in Gestis ejusdem S. Ludovici de collatione beneficiorum & devotione Regis Ludovici.

Ad ejus mentem sese composuerat Ludovicus XIII. utpote qui Edicto ann. sal. 1629. edito & promulgato art. 15. archiepiscopatus, episcopatus, beneficia curata, & nosocomia, seu hospitalia, ab omni pensionum onere deinceps liberanda esse sanciverat. Hoc Edicto pensiones omnes sic tamquam lethali vulnere peremerat, si esset observatum: verùm ejus observatio non est desperanda; siquidem (quæ maxima est Dei gratia) nacti sumus invictissimum Regem, qui ab tanto parente non degenerabit, imò qui & ejus gloriam & ejus in instauranda Ecclesiæ disciplina studium & ardorem non solùm æmu-

labitur, sed & nova rerum præclarè gestarum & laudum accessione superabit.

5°. Ex eadem superiori doctrinâ inferendum est, eos graviter peccare, qui consentiunt pensionibus adversus conditiones ab Ecclesia positas adversantibus, hoc est, si resignans cum pensionis onere beneficio non deservit: si resignatarius ex eo, quod ipsi pensione & aliis beneficii oneribus persolutis superfuerit, pro status clericalis conditione vivere nequeat: si denique resignans habeat aliunde unde vivat.

Graviter etiam peccant, qui minora beneficia quæ ipsis resignantur, pensionibus (quibus sunt imparia) onerari sinunt: ipsis quippe gravem imprimunt plagam, nec quemquam reperire est, qui ea capessere velit eo nomine, quòd sufficiens victus titularem deficiat.

Aliorum beneficiorum respectu potest aliquis assentiri pensionibus imponendis quibusdam in casibus, si Episcopi, vel alicujus alterius viri docti pariter & bene animati judicio imponenda pensio in Ecclesiæ utilitatem perspicuè cessura videatur. Si v. g. constituatur præfata pensio, ut viro digno beneficium conferatur, vel ut injusta redimatur vexatio, vel ut suppeditetur vitæ sumptus (sive familium habeat, sive non) homini, quem (cùm propter indignitatem ab ipso beneficio amoveri oporteat) nonnisi assignata pensione, sui beneficii abdicationi consensurum esse liquidò constat.

Hactenus de conditionibus ad canonicam pensionem requisitis. Nunc expendere juvat, quid de pensionibus, quæ regnant in hoc regno, sentire oporteat. Esto igitur

---

QUÆSTIUNCULA CXI.

Utrum sint licitæ pensiones quæ constituuntur permutationis causâ.

RESPONDEO, nonnullos habere persuasum, tria pensionum genera quæ in hoc regno usurpantur, omni vacare culpa. Nam

1°. Plerique omnes sese pensionibus exolvendis obligant permutationis causâ.

2°. Alii sese iisdem pensionibus astringunt pacis & concordiæ causâ.

3°. Denique id alii faciunt in favorem resignantis & resignationis.

Tria ista pensionum genera, quæ passim exercentur hoc in regno, non continuò damnamus: sed hoc loco quænam peccata hujusmodi pensionum obtentu committi valeant, inquirimus.

1°. Igitur initium hujusmodi peccata discutiendi facimus & ducimus ab pensionibus quæ creantur permutationis causâ. Nam in hujusmodi casu ut plurimum ab permutantium animis pariter oblitescunt duo peccata, vel certè proxima eorum pericula.

Primum peccatum, quod in pensionibus permutationis causâ creatis aut creandis latitat.

Istud peccatum positum est in fractione legum ecclesiasticarum, quibus toties & tam severè translatio, sive unius beneficii ad alterum citra Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem transmigratio interdicitur.

Dies me deficeret, si vellem hîc ascribere omnia statuta, quibus hujusmodi transmigrationem Concilia prohibuerunt. Nonnulla tamen sunt hoc loco proferenda, ne sine authoritate, eaque irretractabili loqui videamur.

1°. Talem transmigrationem Concilium Sardicense damnat can. 1. velut avaritiâ & ambitione seu dominandi cupiditate implicatam: *manifesta est enim causa,* (verba sunt Concilii) *quâ hoc facere* (id est ab sua Ecclesia in alteram demigrare) *tentant Episcopi, cùm nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majori civitate transiret ad minorem. Unde apparet avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem exerceant.* Hactenus Concilium Sardicense anno sal. 347. celebratum.

2°. Easdem translationes damnat Concilium Tricassinum II. primo Ludovici Balbi Regis anno ab Joanne Papa VIII. habitum, in quo legere est statutum inter ejusdem Concilii acta relatum, cujus tenore damnat laïcos, qui viventibus suis uxoribus alias ducunt, & graviter increpat Episcopos, (quasi alterius matrimonii, priore sponsâ adhuc vivente, initi conscios) qui calcato termino Patrum, spretoque sancitu canonicæ authoritatis, de minori ad majorem ambitûs causâ demigrant episcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus sancti gratiâ conditi concorditer contradicunt. Idem Pontifex exeunte tali statuto authoritate apostolica Episcopos ad pristinam sedem sine mora redire, quia si tardaverint, inquit, continuò omni sacerdotali honore spoliabuntur. Item jubet laïcos redire ad primum conjugium; sin autem, inquit, vinculo anathematis innodentur. Hæc ibi.

3°. In eodem ipso Concilio Tricassino II. anno Christi 878. celebrato confirmatum est traditionis authoritate statutum de prohibendis translationibus conditum. Siquidem, ut commemorat Aimoïnus lib. 5. cap. 37. ipso jubente Joanne Papa VIII. lecti sunt in eodem Synodo canones Sardicensis Concilii & decretum Papæ Leonis de Episcopis sedes suas mutantibus: sed & Africani canones, ut non fiant Episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes vel reordinationes, pro Frotario Burdegalensi Episcopo, qui à Burdigala Pictavos, indéque ad Bituricensem civitatem transiluisse dicebatur. Hæc ibi.

Præterea idem Joannes Papa VIII. in eadem Synodo, iterato anathemate ferit Formosum, qui ex Ecclesia Portuensi transmigravit ad Romanam sedem. Hujus Pontificis transmigratio tam funestis circumstantiis & casibus excepta & dedecorata est, ut vel tantæ miseriæ & tantæ calamitatis recordatio & Episcopos & Sacerdotes & alios ab quolibet transmigrationis proposito avocare & deterrere debeat.

4°. Damasus Papa scribens ad Paulinum Antiochenum de transmigrantibus Episcopis sic loquitur: *Eos Sacerdotes, qui ab Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tamdiu à nostra communione habemus alienos, quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus sunt primitus constituti.* Hoc Damasi testimonium refertur 7. q. 1. cap. 43.

5°. *Si quis Episcopus mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacumque occasione transtulerit, non solùm à cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propriâ, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.* Ita decernit S. Leo Epist. 84. cap. 8. ad Anastas. Thessalon. & refertur ab Ivone p. 5. cap. 103.

6°. Robertus Cardinalis Bellarminus, qui singulari studio omnia veterum canonum statuta perlegerat, incommoda ex translationibus emergentia in monitis Clementi Papæ VIII. exhibitis, mirabilem in modum exposuit. Res est facilis, inquit, translatio Episcoporum de una Ecclesia ad aliam. Translatio enim Episcoporum secundùm canones atque usum veteris Ecclesiæ non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem vel majorem utilitatem. Neque enim institutæ fuere Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus ea solùm de causa, ut Episcopi vel honore vel opibus augeantur. Præterea notum est ex cap. *de corporal. de translatione Episcoporum.* vinculum matrimonii spiritualis esse aliquo modo, majusque vinculo matrimonii corporalis, & ideo non posse solvi, nisi à Deo, sive à Vicario Dei, declarante voluntatem

Domini sui. Quis autem credat velle Deum, ut ob solum temporale lucrum vel honorem, vinculum sancti hujus conjugii dissolvatur, præsertim cùm id sine animarum detrimento fieri nequeat, ut experimentum ipsum docet. Neque enim Episcopi Ecclesias diligunt, quas brevì se deserturos sperant, ut ad alias commodiores transeant.

Ista sunt de Episcoporum translatione Bellarmini sensa, quæ legere est in ejus Vita lib. 3. p. 257. edit. Antuerpiens. 1631.

Quod tantus Cardinalis de Episcoporum translatione sensit & docuit, exemplo roboravit. Cùm enim ab domesticis & propinquis vehementiùs impelleretur, ut Archiepiscopatum suum cum patriæ suæ episcopatu permutaret, Domno Pietro Quiddoto suæ domûs præposito, ipsum ad hanc permutationem allicere conato, lepidè respondit: *Petre*, inquit, *caro & sanguis revelavit tibi. Hoc argumentu suggerunt affines mei, sed nihil fiet. Nam Ecclesias per mercaturam distrahere, non est via, qua itur ad cælum.*

Hac in parte sese Bellarminus Christianum pariter & antiquitatis peritum præbuit. *Nam*, ut egregiè observavit Duarenus egregiâ rerum ecclesiasticarum notitiâ præditus, *hujusmodi permutationes antiquitas ignoravit. Neque enim prisca severitas hoc commercii genus recipiebat: quod hodie utilitatis velamento, ut plerumque alia adumbrari solet*, ut ait de sacris ministeriis & benefic. lib. 5. cap. 3. Revera in Capitular. Caroli Magni lib. 2. cap. 32. constitutum est, ut Presbyteri qui in titulis consecrantur, secundùm canones, antequam ordinentur, promissiones stabilitatis loci illius faciant.

His de causis, quas proximè ex Conciliis & Cardinale Bellarmino retulimus, nemini Episcopo, Presbytero, Diacono ab una Ecclesia ad alteram transire licebat, nisi graves causæ infrà recensendæ ad id impellerent. Unde illud statutum Concilii Nicæni can. 5. Aquisgranensis cap. 43. & Triburiensia c. 28. *Consuetudo contra regulam tollatur, & Episcopus, Presbyter, Diaconus ab una urbe in aliam non transeat. Sed si quis id facere tentaverit, quod fecerit, irritum sit, & ad suam Ecclesiam, in qua ordinatus est, unusquisque revocatur.* Hactenus cit. Concilia loco citato.

Alterum peccatum, cujus admittendi periculum adeunt permutantes, est simonia.

Hac de re ita pronuntiat S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 1. ad 5. *Nomine emptionis*, inquit, *intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum vel ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest authoritate partium absque periculo simoniæ: sicut nec transactio, ut jura determinant. Potest Prælatus ex officio suo permutationes hujusmodi facere pro causa utili, vel necessaria.* Hactenus S. Thom. loco cit.

Hoc ipsum asserit Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum ab Paulo Papa III. convocatum & celebratum ann. sal. 1537. quod de vitio in permutationibus admitti solito ita conqueritur: *Alius item abusus in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito, nisi lucri.* Hæc ibi.

Concilium Bituricense habitum ann. sal. 1552. beneficiorum permutationem veluti turpem nundinationem exagitat: *Sacerdos*, inquit, *in illa Ecclesia permaneat, sub cujus titulo promotus fuit, nec cauponariam beneficiorum permutationem exerceat.* Hæc ibi.

Hujusmodi Conciliorum authoritati acquiescunt & obtemperant, quotquot germanum assecuti sunt veræ pietatis & Theologiæ sensum. Nam

1°. Veri nominis simoniam admittunt, qui talem ineunt conventionem, ut permutatum beneficium alicui tertio jus in illo non habenti conferatur, vel etiam ut ei ex eodem beneficio pensio assignetur. Hoc, inquam, illicitum est, eo quòd quæcumque conditio in resignatione, sicut & in permutatione adhibita saltem in jure canonico pro simoniaca reprobetur. Sed cùm tale simoniæ genus ecclesiastico dumtaxat, non divino jure prohibeatur, ab uno duntaxat Pontifice tolli & repurgari potest, ut passim DD. docent.

2°. Simoniam duplici titulo reprobandam admittunt, qui ut ad permutationem perveniant, pollicentur se fundaturos beneficium aliquod, atque ita permutaturos cum beneficio jam existente seu fundato. Hæc, inquam, simonia duplici flagitio est implicata, utpote quæ violat legem canonicam omnem pactionem ab rerum spiritualium, ut puta beneficiorum resignationibus, & permutationibus excludentem, ut patet ex cap. fin. *de pactis*.

Præterea quotquot contendunt ad permutationem cum beneficio fundato per futuri beneficii fundationem, quam repromittunt, sese constringunt fervventi flagitio simoniæ, non tantùm ecclesiastico, sed etiam naturali divinoque jure prohibitæ, in qua proinde nec ipse summus Pontifex dispensare valeat.

Quòd autem simonia, de qua nunc agimus, sit naturali divinoque jure prohibita, constat, quia simonia jure naturali prohibita est emptio venditióve rei spiritualis, quà talis est, & intrinsecè mala, quia per illam res spirituales & aliquatenus sacræ indignissimè tractantur, & rebus profanis æquiparantur, deducuntur in contractus, & temporali pretio ut res nihili æstimantur, & quod pejus est, in rerum spiritualium naturam per dictam simoniam graviter peccatur: siquidem præfata eorum natura in hoc posita est, ut quemadmodum ab ipso Deo gratìs, seu absque pretio liberaliter concessæ sunt, ita & ab hominibus gratìs, remota omni nundinatione, cuilibet indigenti & poscenti sicut oportet, tribuantur.

Quod sanè majorem in modum abhorret ab præsenti casu. Nam qui futurum beneficium aliquod se fundaturum pollicetur, ut illud cum altero jam fundato permutet, nonne fundatum illud beneficium turpi nundinatione mercatur, utpote qui nihil ad facilitandam permutationem, quam molitur, præter pecuniam futuræ fundationi destinatam habeat: quæ pecunia cùm sit res merè temporalis, & offeratur pro permutatione rei spiritualis, hominem tali mercatu negotiantem haud dubiè simoniæ naturali divinoque jure prohibitæ conscium coram Deo & hominibus efficit.

De hoc abusu & malis ex eo emergentibus plura diximus suprà, cùm de vitiosis beneficiorum captationibus ageremus, ut legere est in secunda & vitiosa beneficiorum captatione, quæ reipsa vitiosa est & simoniaca, ut declarat Alexander Papa II. 1. q. 3. cap. *ex multis*. ubi & citatur Concilium Chalcedonense idem astruens & decernens, *eum qui beneficium Ecclesiæ iniqua cupiditate ductus vendere vel emere temerario ausu præsumpserit, (sicut in Chalcedonensi Concilio definitum est) gradus sui periculo subjacere, nec ministrare posse Ecclesiæ, quam pecuniis venalem fieri concupit. Et is insuper terribili anathematis mucrone perfossus, nisi resipuerit, ab Ecclesia Dei quam læsit, modis omnibus abscindatur.* Hactenus Alexander II. loco cit.

3°. Admittunt simoniam non solùm jure canonico, sed etiam divino prohibitam, qui privata authoritate, vel etiam authoritate Episcopi permutant beneficium cum pensione temporali, aut commenda militari, vel alia re temporali. Ratio hujus assertionis petenda est ex eo, quòd id quod primariò & per se continetur in beneficio, est spirituale; quod autem secundariò in ipso concipitur, est temporale: ergo

permutando beneficium cum pensione temporali vel commenda militari, fit permutatio rei spiritualis cum temporali; qua in permutatione simoniæ crimen jure divino prohibitæ vertitur & insistit.

Si quis dicat, in illud ipsum simoniæ crimen impingere summum Pontificem, cùm pensiones beneficiis in permutatione vel resignatione impositas approbat & constituit:

Respondeo, Papam hac in parte omni vacare culpa, quippe qui non conferat pensionem pro beneficio: (quod nemini citra præfatum crimen id factitare licet) verùm quia est dispensator fidelis & prudens, quem constituit Christus Jesus super familiam, id est Ecclesiam suam, penes illum est plenitudo potestatis, quâ potest beneficiorum fructus ab ipsorum titulis separare, & facta separatione intentionali aut virtuali legitimam fructuum partem beneficiario assignare & impertiri potest justa de causa, vel scilicet ut beneficiarius servetur indemnis, vel ut sustentationis subsidia, alioquin ipsi defutura habeat, (quæ est præcipua & æquissima pensionum occasio & causa) aut aliis de causis legitimis, sine quibus iniqua est pensionum assignatio, ut suprà vidimus. Non ergo summus Pontifex confert pensionem cum beneficio, (hoc enim factitando in præfatæ simoniæ crimen incurreret) sed partem fructuum, quos plenitudine potestatis ab beneficiorum titulis separavit, assignat beneficiario, ne v. g. sustentationis sumptu destitutus sua egestate & inopia aliquam ordini clericali infamiam aspergat.

Quod spectat ad Episcopos, hac in parte concedimus, eos posse quidem conferre beneficia, non autem pensiones assignare, utpote qui pari cum Papa authoritate hoc in casu careant: ipsis tamen communicanda est subscriptio, quâ creatur pensio ex beneficio percipienda, ut juxta intentionem summi Pontificis indicent, utrum ex reditibus Ecclesiæ, cui renuntiatur, pensio persolvi, & pensione & aliis oneribus exolutis habeat titularis unde vitam clericalem honestè sustentare valeat.

4°. Denique hac in parte graviter & sæpenumero peccatur: illicitè enim permutantur beneficia communiter, si aut pacta firmantur sine authoritate superioris, aut si detur aliquid temporale pro spirituali, aut omnibus his servatis, si permutando nulla cura est, cui Christi oves committantur. Et hoc coram Deo est crimen maximum. Hactenus Cajetanus in Summ. v. *Permutatio.* num. 2.

QUÆSTIUNCULA CXII.

Quis fructus ex superiore doctrina carpi possit & debeat.

RESPONDEO, hunc potissimum ex hac doctrina de pensionibus permutationis causâ constitui percipique solitis tradita, fructum colligi oportere, quòd ejusmodi pensiones importent utplurimùm infractionem præcepti, quo Ecclesia translationes de una Ecclesia in alteram, quæ fiunt per permutationes, ob gravia mala ex dictis translationibus pariter & permutationibus emergentia prohibet. Cujus quidem præcepti infractio cùm ex præpostera vel honoris vel divitiarum cupiditate oriatur, ordinariè loquendo, haud dubiè gravissimis sæpenumero flagitiis implicatur, & præsertim teterrimo simoniæ crimine, ut proximè demonstravimus.

Ut ergo peccata ex translationibus & ex permutationibus existentia, si non radicitus, at saltem ex parte recidantur, operæpretium est indicare circumstantias, quibus canonicæ translationes honestari, atque adeo ab omni crimine vindicari queant.

Neque enim quisquam damnare potest eas translationes, quas approbat Anterus Papa Epist. 7. quæ ipsi tribuitur, ad Episcopos Bœticæ & Toletanæ provinciæ, cujus verba relata 7. q. 1. cap. 34. sunt hîc referenda ad majorem nostræ doctrinæ probationem & perspicuitatem.

Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, (verba sunt citati Pontificis) sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione. Petrus sanctus magister noster, & princeps Apostolorum, de Antiochia utilitatis causâ translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate, apostolica authoritate mutatus est ad Alexandriam. Similiter Felix de civitate, in qua ordinatus erat, electione civium propter doctrinam vitamque bonam, quam habebat, authoritate hujus sanctæ sedis & licentia, communi Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui hoc non ambitu, aut propria voluntate facit, sed aut utilitate loci, aut populi non superbè, sed humiliter ab aliis translatur & inthronizatus est.

Ex allato Anteri Pontificis decreto constat, eas translationes esse licitas, imò laudabiles, quæ non ambitu seu dominandi, vel pecunias congerendi cupiditate, nec propria voluntate, sed Ecclesiarum ad quas transferuntur Episcopi, aut alii Sacerdotes, necessitate aut utilitate, accedente summi Pontificis authoritate & licentia factitantur, ut etiam Pelagius Papa II. asserit Epist. 2. ad Benignum Archiepiscop. inscripta, cujus hæc verba referuntur 7. q. 1. 35. Scias, inquit, dilectissime frater, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis; aliud causam præsumptionis, ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis vel suæ delectationis migrat de civitate ad civitatem, sed causâ necessitatis aut utilitatis mutatur. Et infrà. Nam aliud est sponte transire, & aliud est coactè & necessitate venire. Unde non isti mutant civitates, sed mutantur, quia non sponte, sed coactè hoc agunt. Et infrà. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ necessitatis aut utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit. Hactenus citat. Pontifex loco cit. cujus verba etiam leguntur in Concilio Nicæno can. 15. & in Sardicensi can. 1. & 2.

Quemadmodum igitur oportet juxta S. Gregorium Papam I. ut *multis virtutibus pollens ad regimen coactus veniat, virtutibus verò vacuus, nec coactus accedat:* ita etiam juxta Pontificum Conciliorumque citatorum decreta, necesse est, ut multis virtutibus pollens, coactus ab una ad alteram transferatur, virtutibus verò vacuus, ne se vel coactum ab sua Ecclesia ad alteram transferri patiatur.

Quòd si sese aliter habuerint hac in parte plerique omnes seu Episcopi seu Parochi, qui virtutibus vacui, & nonnunquam ab omni pietatis sensu derelicti, ab suis beneficiis ad majora vel ambitionis dominationisque causâ, vel inexplebili divitiarum amore, vel propriæ delectationis intuitu transvolare gestiunt, seciùs ocyùs pœnas suæ cupiditati debitas oppetent. Nemini enim dubium est, quin graviter peccent hujusmodi homines, utpote infractores legum ecclesiasticarum, quibus omnis translatio interdicitur, nisi eam Ecclesiarum necessitas, aut utilitas exigat. Ergo valde criminosi sunt qui nulla premente necessitate, nulla spe utilitatis affulgente, sese ab suis Ecclesiis ad alias, procusis quibusdam ratiunculis, imò mendaciis, protrudunt.

Quæstiuncula CXIII.

Quid sentiendum de pensionibus quæ litium comprimendarum causâ, seu pro bono pacis constituuntur.

UT clarior appareat hujus quæstionis solutio, nonnulla sunt præmittenda. Igitur

Dico 1°. Apostolum scribentem ad Timotheum, & in ejus persona omnes Episcopos, & Sacerdotes, & quoslibet Ecclesiæ ministerio mancipatos, exigere, ut Episcopus, sicut & alii, sit irreprehensibilis, non violentus, non percussor, non litigiosus, &c. Ergo neminem ecclesiasticum litibus operam dare licet, ordinariè loquendo, nisi Ecclesiæ necessitas, aut utilitas ad lites intendendas adigat. Ut puta si cujuspiam Ecclesiæ bona, latifundia, aut alia id genus ipsi relicta ad ministrorum sustentationem, & ad alia sine quibus sarta-tecta conservari non posset, præstanda, sibi vindicaret; tunc in judicio ea repeti oporteret. Cùm enim Clerici communium Ecclesiæ rerum Deoque oblatarum sint dumtaxat procuratores, non autem domini, & ipsis non ut propriis, sed ad dispensandum creditis uti debeant, non illa sibi, sed Ecclesiæ Dei, & pauperum necessitati profutura repetunt, & ideo in tali casu lites persequi, & judices citra crimen aut scandalum, interpellare possunt. Talium enim bonorum conservatio ut depositorum, Clericis quibus commissa sunt, necessariò imminet, ac proinde repetitio, ut alia, quæ de necessitate salutis sunt, ob scandalum non sunt relinquenda.

In aliis casibus rarò vel nunquam ad lites recurrere debent Ecclesiastici. Unde dist. 90. tit. apud Gratian. de litibus ab ministris Ecclesiæ fugiendis, sic statuitur: *Litigiosus quoque prohibetur ordinari: quia qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes dissidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facultate alios ad dissidium debet provocare.* Hæc ibi.

Item dist. 46. exeunte capite afferuntur aliquot rationes, ob quas litigiosi in Episcopos (quod & de aliis quibuslibet Clericis intelligitur) prohibeantur ordinari. Litigiosi namque vel adulationibus animos Principum sibi conciliant, vel fratribus suis detrahendo infamiæ notam inurunt, vel inter fratres discordiam seminando seditionem nunquam facere cessant, quæ omnia in Prælatis (sicut in cæteris Ecclesiæ ministerio consecratis, damnabilia esse probantur. Hæc ibi.

Dico 2°. Eos qui collitigant cujuspiam beneficii obtinendi gratiâ, esse indignos, qui pensionem ex beneficio in litem & disceptationem evocato percipiant: hoc autem dictum velim de pravis litigatoribus. Quod facilè probari potest hac ratiocinatione:

Quisquis petit beneficium ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus, eo beneficio indignus est.

Sed quotquot collitigant ad obtinendum aliquod beneficium, multis & ambitiosis precibus illud petunt & ambiunt.

Ergo indigni sunt beneficio, & ipso ad quod aspirant. & quocumque alio: nam meritò præsumitur, quòd beneficia universim loquendo in posterum per lites captare gestiant.

Hujus syllogismi majorem propositionem nemo negare potest, quin adversetur adversus sententiam omnium Patrum uno consensu affirmantium, omni beneficio indignum esse eum, qui contra canonicas sanctiones ad Ecclesiæ ministerium sese protrudere voluerit.

Ita declarat S. Gregorius Papa I. Regist. lib. 7. Epist. 110. *Sicut is*, inquit, *qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, procul dubio est repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat; & ascendendo exterius, interiùs ad profunda descendat?*

Tantum tanti Pontificis effatum inter juris canonici statuta relatum est, ut videre est 1. q. 6. cap. *Sicut is*, ut in omnia sæcula propagaretur. Id ipsum sentit & asserit S. Bernardus lib. 4. de Considerat. cap. 4. *Alius*, inquit, *pro alio, alius fortè & pro se rogat: (ad obtinendum beneficium) pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, jam judicatus est: nec interest per se, an per alium quis roget.* Hæc ille.

Ab ista SS. Patrum mente non recedit S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. istum locum alibi retulimus. Imò 2. 2. q. 185. a. 2. damnat omnes qui episcopatum (quod & de aliis beneficiis affirmandum est) rerum temporalium intuitu & appetitu captant & ambiunt. *Appetere ergo*, inquit, *ratione hujusmodi circumstantium bonorum*, (id est reverentiæ & honoris & sufficientiæ temporalium) *manifestum est, quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem.* Hæc ibi.

S. Carolus in I. Concilio Mediolanensi SS. Patrum vestigiis insistit, cùm ita loquitur: *Qui beneficium ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus per se vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum, neque illud, neque aliud beneficium conferri possit.* Hæc ille.

Atqui quotquot ad beneficia per litigationes assequenda properant, sese ingerunt opportunè, importunè, nulli operæ, nulli impensæ parcunt: & id factitant vel honoris, vel pecuniarum cupiditate, vel præsumptione, perinde ac si cæteris omnibus ad gerendum beneficium essent aptiores, qua in re graviter peccant: hanc enim idoneitatem de se præsumere, est maximæ superbiæ, ut ait S. Thomas in cap. 3. Epistulæ ad Timoth. lect. 1.

Si litigatores igitur, quales expinximus, indigni sunt beneficiis, quia illa consectantur, & ambiunt, & ad illa pervenire gestiunt degeneri & propudioso ambitu, vel honoris & inanis gloriolæ studio perusti, vel insanda pecuniarum cupiditate succensi, vel animadvertenda suæ, ad beneficium aliquod administrandum, habilitatis præsumptione turgidi & excæcati, quæ omnia cùm sint apprimè vitiosa, & gratuita charitate (quâ præter cæteros fideles ardere debent Clerici) mirum quantum abhorrentia: quis (nisi sit ab omni ratione desertus) eos ausit pronuntiare dignos, qui ad beneficia promoveantur?

His ita constitutis, contendo, litigatores, (pravos intelligimus) quos hactenus ab beneficiis removendos esse probavimus, esse pariter indignos, qui pensionem ex aliquo beneficio (cujus gratiâ sese implicuerunt in lites) percipiant. Pensiones enim juxta canonicas sanctiones conceduntur iis dumtaxat, qui administravere beneficia per aliquot annos, etiam juxta nostri Principis Ludovici XIV. Edictum, quo decernitur nulli assignari posse pensionem ex abdicato beneficio curato, quin resignans illi ipsi beneficio, totos quindecim annos deservierit: & præterea exigitur secundum sacrosanctos Canones, ut ipse ille resignans sine pensione se sustentare nequeat. Unde supplicatur Pontifici, ut pensiones decernat, his verbis: *Subveniens causâ, & ne resignans nimium patiatur dispendium ex sua resignatione.*

Quæ conditiones cùm longissimè absint ab pensionibus, quibus onerantur beneficia pro bono pacis, & ad sedandas lites super possessorio beneficii exortas, quis eas rectas, & ad canonum amussim & regulam impositas pronuntiare velit, præsertim si nulla sit necessitas aut utilitas Ecclesiæ?

Hoc in regno jam haberentur illicitæ pensiones hujusmodi, si monita ab Caroli IX. Legatis in Concilio Tridentino proposita, excepissent, ut pat erat, istius Concilii Patres: siquidem non obscurè per illa prohibebatur, ne quis in posterum sibi pensionem ex resignando beneficio retineret, nec insuper ulla pensio supra beneficium pro juris litigiosi cessione constitueretur, ut patet ex adversariis Concilii Tridentini pag. 174. & 178.

Ac reipsa quidem vindicatum illud jus; quo litigantium alter colliriganti cedit, vel est aliquid, vel nihil: si est aliquid, proculdubio spirituale est, siquidem per se respicit beneficii titulum, de quo litigatur. Si ergo ad obtinendam hujusmodi juris cessionem datur pensio, quæ non est beneficium, sed res merè temporalis, datur profectò res temporalis pro spirituali, atque adeo manifesta simonia committitur. Si autem istud jus nihil est, qui cedit illo, & pro illius cessione pensionem accipit, furis opprobrium & nomen effugere non potest, utpote qui pro nihilo aliquid, & quidem notabile, accipiat.

Ergo cùm ejusmodi litigantes sint juxta sacrosanctorum canonum statuta indigni, quibus beneficia conferantur, sunt pariter indigni, quibus pensiones etiam pacis obtentu, imò potiùs cupiditatis velamine decernantur. Nam si propriè & canonicè loqui volumus, pensiones sunt iis duntaxat assignandæ, qui habent jus in re seu beneficio, non autem jus ad rem seu ad beneficium.

Quod ut illustriùs appareat, observandum est denuo, quod jam aliàs observavimus, nempe jus in re seu in beneficio nihil esse aliud, quàm potestatem legitimam in rem obtentam, tamquam sibi obnoxiam, & obligatam; jus verò ad rem seu ad beneficium, esse potestatem legitimam ad rem, ut puta beneficium obtinendum, sibique obligandum. Hoc ita constituto,

Certum est, pensiones numquam priscis temporibus fuisse constitutas, nisi in eorum gratiam, qui cùm jus haberent in re, id est reipsa suis beneficiis placidè potirentur, & iis sese justis de causis abdicare vellent, & aliunde subsidiis ad suam ipsorum sustentationem necessariis essent destituti, pensionibus ab Ecclesiis, quibus renuntiabant, sic tamquam miserationis intuitu donabantur, ut suprà probavimus ex Concilio Chalcedonensi & SS. Patribus.

Quòd autem de beneficio quopiam litigantibus ex litigioso beneficio pacis causâ assignaretur pensio, in tota antiquitate inauditum est. Legimus equidem hoc esse constitutum in Concilio Chalcedonensi can. 9. *ut si Clericus adversus Clericum haberet negotium, non relinqueret suum Episcopum, & ad judicia sæcularia concurreret, sed prius negotium agitaretur apud proprium Episcopum, vel certe si foret judicium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiretur negotium.* Hæc ibi.

Hoc in loco sicut & alibi, altissimum est silentium de pensione ad sedandas lites super beneficii possessorio exortas alterutri colliriganti assignanda, nec id mirabile videri debet: neque enim Patres qui & Conciliis præfuerunt & interfuerunt, extitere tam improvidi, ut pensiones adversus omnia statuta canonum adversatas pacis causâ constituerent hominibus, qui suis cupiditatibus obsecuti in ovile, non per ostium, id est non per Christum, sed aliunde, id est per lites & forum ingredi conarentur.

Non mihi latet, doctrinam hanc, utpote severiorem & nefariis exulcerati sæculi cupiditatibus acerrimè repugnantem, ab plerisque omnibus abjici & repudiari, quippe quæ diuturnæ consuetudini pensionum (quas hîc ex Conciliorum sanctorumque Patrum mente discutimus & explodimus) è diametro resistat.

Præterea hujusmodi pensionum captatores causantur præfatæ doctrinæ temeritatem & audaciam, utpote quæ alium pensionum usum ab Innocentio Papa III. approbatum, & in praxim & authoritatem adductum elidere, imò convellere videatur.

Solvitur objectio ex constitutione Innocentii Papæ III. petita, quæ legitur extra. De præbend. *cap.* Nisi essent.

Ut rectè diluatur hæc objectio, proferenda sunt ipsissima præfati Pontificis verba.

Nisi essent, inquit, providi & honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quàm illi circa quos est facta ordinatio in Ecclesia vestra super negotio prioratûs, ordinationem illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus.

Quod ergo post concertationem diutinam ordinatum est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat prioratum, hoc ex jurisdictione delegata secundùm justitiam videtur esse statutum: quod autem ordinatum est circa reliquum, ut ipse viginti libras de reditibus capituli & quadraginta de proventibus prioratus percipiat annuatim; hoc secundùm providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate: cùm in delegatos fuerit compromissum, qui authoritatem sibi retinendo commissam se pro bono pacis & utilitatis hoc ordinasse fatentur.

Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licitè prior & capitulum de proventibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicium provisionem hujusmodi exhibere: nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas prioratûs, sed persona prioris maneat onerata, ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus: ita quòd ipso priore defuncto successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur. Hactenus verba cit. Pontificis.

Propositæ objectionis solutio.

Hæc objectio ex ipsis præfati Papæ verbis accuratè perpensis, nihil dictis pensionibus suffragari potest. Nam

1°. Declarat Pontifex eam sententiam, quâ uni litigantium adjudicatus erat prioratus, alteri verò assignata pensio, valde suspectam fuisse vel futuram propter exempli perniciem. Ergo hanc sententiam non approbat, sed tolerat, utpote quæ ab viris probitatis laude conspicuis esset pronuntiata, sicut & ab honestis itidem viris esset acceptata. Siquidem ut ait Glossa hujus cap. v. *honesti.* ex qualitate personæ præsumitur licitum, quod aliàs esset illicitum. Propterea præfatus Pontifex non reprobat omni ex parte sententiam illam amicabilem, ut ita dicam, quâ litigantium uni adjudicatus est prioratus, alteri verò est assignata pensio, quia videlicet & arbitri & litigantes passim habebantur providi & honesti.

2°. Observat ipse ille Pontifex, & declarat, prioratum unicè duobus electis ex jurisdictione delegata secundùm justitiam adjudicatum esse; quòd autem alteri assignata fuerit dicta pensio quotannis percipienda ex reditibus capituli & proventibus

prioratus, ait id esse constitutum secundùm providentiam ex arbitraria potestate, quia in delegatos fuerat compromissum, qui hoc fatentur se fecisse pro bono pacis.

Hisce verbis non approbat Pontifex impositam pensionem, quam ait assignatam fuisse non ex jurisdictione delegata, sed ex arbitraria potestate. Qua distinctione indicat hujusmodi judices pensionem reservasse non tamquam judices, & ex virtute delegationis, secundùm quam non poterant contra jus pronuntiare, sed tamquam arbitratores & amicabiles compositores, qui pronuntiando pro bono pacis poterant excedere limites juris, ut in hoc cap. *Nisi essent.* declarat Burr. nu. 6. Imol. eod. nu. vers. *Item nota quòd arbitrator.* & nu. 13. vers. *Vnde licèt Gloss.* & Abbas nu. 4. vers. *Item nota aliud pulcrum dictum.* & nu. 6. Quod pulcherrimè observavit Prosper Fagnan. in 1. p. tertii Decret. in cap. *Nisi essent.* nu. 6. & nu. 41.

Ex hujusmodi interpretatione apud Jurisperitos & interpretes recepta, perspicuum est, dictum Pontificem non approbare hujusmodi pensionem, sed tolerare, ut assignatam ab arbitris pacificisque compositoribus, qui eo nomine juris limites prætergredi poterant.

3°. Eamdem ipsam pensionem se tolerare declarat idem Pontifex, quia talis ordinatio ab omnibus recepta erat, & ideo poterant licitè prior & capitulum de proventibus suis propter causas prædictas, *non quidem ex pactione partium*, sed ex jussione judicum, provisionem hujusmodi exhibere.

Hîc notandum est, non posse ullatenus pensiones, quæ assignantur colitigantium alteri pro bono pacis, excusari dictâ præfati Pontificis tolerantiâ. Siquidem pensio quam tolerare se dicit, imposita est non pactione partium, sed jussione judicum; qua in re toto cælo discrepat ab pensionibus, ad quas quoties sese obligant plerique omnes, qui beneficia per lites captare gestiunt. Nam inter se suas res componunt, in pensionis creationem ambo consentiunt, & beneficii in controversiam evocati fructuum sectionem faciunt, unus sibi beneficii titulum vindicat, & alteri pensionem ex ejusdem beneficii fructibus assignat. Quæ omnia fiunt ex pacto partium, non autem ex jussione judicum: & ideo quicquid agant ejusmodi litigatores, in eo rerum articulo, & eo animo, ab teterrimo simoniæ crimine excusari nequeunt.

Nam compositiones super beneficiis & beneficialibus non possunt ab simonia vindicari, nisi ab superioris authoritate initium capiant, non autem ex pactione partium. Quamobrem qui priùs inter se compositionem adornant, & postea ad judices adeunt, ut juridicam interponant authoritatem, non excusantur secundùm bonam conscientiam, quominus incidant in vitium simoniæ, ut affirmant Burr. & Imol. nu. 10. & Abbas nu. 8. v. *quandoque partes recedunt.* & alii.

Idem Abbas in cap. *Cùm pridem.* nu. 8. ait, inter partes sine judice non debere admitti pensionem, ut una pars cedat liti super beneficio, & recipiat pensionem annuatim ab altera, quia posset in se continere simoniam: & revera continet, si pars cedens liti habeat jus in causa, secus non.

Porrò nullum universim loquendo in spiritualibus pactum intercedere potest, quin simonia committatur.

4°. Papa nominatim usus est hoc verbo *toleramus*, ne ex toto videretur approbare hoc factum, quia erat suspectum de simonia, nisi processisset ab viris providis & honestis, & non expediebat ut assumeretur in exemplum: unde dicit se tolerare, quia multa sunt toleranda, non laudanda, propter malum, quod potest subesse, ut ait Abbas in hoc cap. nu. 9. Quare ergo dixit, *toleramus*?

Revera eam compositionem tolerat dumtaxat, sed adhibito moderamine. Unde licèt disertè profiteatur in ipso suæ decisionis exordio, sibi eam compositionem futuram fuisse suspectam, (simoniæ nomine scilicet) nisi & ab viris providis & honestis in gratiam hominum pariter providorum & honestorum esset facta: ita tamen eam restringit & temperat, ut ante ipsius decisionem propter exempli perniciem simoniaca fuisse videatur.

5°. Ipse ille Innocentius Papa III. non approbat, sed dumtaxat tolerat amicabilem illam compositionem ab providis & honestis arbitris, non ex delegatione, sed ex arbitraria potestate, sub pensionis onere stabilem: eam, inquam, non tolerat, nisi adhibito tam circa ejusdem compositionis authores, quàm circa ejus fines moderamine & temperamento. Nam

1°. Quod spectat ad præfatæ compositionis authores, vocat illos viros providos & honestus, qui retenta sibi jurisdictione delegata, pro bono pacis hoc se fecisse testificati fuerant.

Præterea affirmat idem Pontifex, se præfatam compositionem sub pensionis onere factam tolerare, quia ab omnibus recepta erat, & prior & capitulum dictam provisionem seu pensionem sine gravamine exhibere poterant, & (quod caput est) quia hujuscemodi pensio non pactione partium, sed jussione judicum, collitigantium alteri adjudicata fuerat.

His in rebus mirum quantum pensio ab collitigantibus inita, & quotidie partium alteri assignari solita, discrepat. Nam

1. Pensiones quas litigatores inter se fabricantur, non recipiuntur, imò refelluntur, & damnantur ab omnibus, qui canonicas sanctiones vel primoribus labris attigerunt.

2°. Sæpenumero illæ ipsæ pensiones gravant mirum in modum, qui se sponte & ultro ad eas persolvendas obligarunt: quod gravamen non cadit in provisionem ab Innocentio Papa III. toleratam, ut videre est.

3°. Denique illæ pensiones, de quibus hîc sermo est, constituuntur ex pactione partium, quæ pactio illas simoniæ crimine inficit & dedecorat, cum illa quam tolerare se dicit præfatus Papa, non ex partium pactione, sed ex jussione judicum decreta fuerit.

2°. Quod spectat ad fines, quorum gratiâ tolerata est dicta provisio seu pensio, Innocentius III. declarat, se eam tolerare, adhibito eo moderamine, ut videlicet dignitas prioratûs non remaneat onerata tali provisione; sed prioris ipsius persona illam exolvere teneatur, ita tamen ut defuncto priore, successor ejus ad præstationem quadraginta librarum nullatenus obligetur.

Præterea dictam pensionem tolerat idem Pontifex cum præfato moderamine, ut prioratûs dignitas integra, id est sine fructuum dispendio remaneat, ne circa ipsius prioratûs proventus sectio seu divisio facta videatur.

Ergo summus Pontifex suo illo decreto tolerat dictam provisionem, adhibito eo moderamine, ut scilicet pensionis solutio non sit affixa prioratûs dignitati, sed ipsius prioris personæ: atque ita hujusmodi provisio nullatenus perpetua & ad prioris successores ipso defuncto transmittenda censeatur. Et, quod seriò perpendere oportet, talem provisionem idem Pontifex non improbat ex eo, quòd ex authoritate delegata manaverit: sed quia per reservationem perpetuam & realem scinditur beneficium, & in hoc fundat decisionem suam, ut patet ex his verbis: ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio beneficii prioratûs. Et hanc istius

decisionis rationem ponderant omnes Decretalium interpretes : & hoc jure ac merito. Nam reservatio perpetuæ pensionis prohibita est ; ita ut contra hujusmodi prohibitionem indictam ab Alexandro Papa III. in Concilio Turonensi, ut patet ex cap. *Majoribus.* Episcopus dispensare nequeat, etiam ex gravi causa. Non enim potest Episcopus etiam ex magna causa dispensare contra Concilium generale, ut rectè & ubertimè probat Prosper Fagnan. in 2. part. lib. 1. Decretalium in cap. *Nimis. de filiis Presbyterorum.*

Huic decisioni è diametro repugnant quotidianæ compositiones, quas mala fide fabricantur collitigantes. Nam & beneficia, cùm suo jure cedunt, pensionibus onerant, atque ita circa eorum proventus sectiones faciunt, quod est omnino illicitum & simoniacum.

Hujus objectionis solutionem paulò uberiùs persecuti sumus, ut allatam præfati Pontificis decisionem ab omni abusu & corruptela (quâ in sensus Innocentii Papæ III. menti voluntatique contrarios ab plerisque distrahitur) vindicaremus.

Porrò ex ista decisione sequentia colliguntur secundùm Glossam.

1°. Propter honestatem personæ, pro ipsa vel pro jure præsumitur.

2°. Aliquis potest uti simul delegata & arbitraria potestate.

3°. Pro bono pacis aliqua sunt toleranda, quæ aliàs reprobarentur.

4°. Quæ fiunt ex pactione partium circa spiritualia illicita, præsumuntur.

5°. Provisio, de qua in decisione memorata sermo est, fuit personalis, non tamen transiit ad successorem. Hactenus Glossa in d. cap. *Nisi essent.* &c.

Altera solvitur objectio, quâ & litigatores & alii beneficiorum & pensionum captatores contendunt separari posse in beneficiis spiritualia ab temporalibus.

Cùm, ut objiciunt nonnulli, qui carnaliter in beneficiorum pensionúmve materia sapiunt, imò desipiunt, possit saltem per mentem separari quicquid in beneficiis est spirituale, ab eo quod est temporale, pretio comparari poterit, & quod spirituale est, per consecrationem gratis accipi.

Hanc objectionem ita diluit Petrus Damiani : » Nonnulli, inquit, planè Clericorum vitam per habitus exterioris speciem mentientes, prorsus adeo frigidi, ambitionis ecclesiasticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant : non ad simoniacam hæresim pertinere, si quis episcopatum à Rege, vel quolibet mundi Principe per interventum coemptionis acquirat, si tantummodò consecrationem gratis accipiat. Duo nimirum Capellani Gothfredi Ducis Thusciæ, tamquam Jamnes & Mambres, tempore Moysi, resistentes veritati, hanc non cessabant disseminare doctrinam, hanc canonicam atque catholicam profitebantur esse sententiam ; videlicet ut jure simoniacus non dicatur, quisquis absque manus impositione episcopatum (quod & de aliis beneficiis asserendum est) comparasse convincitur. Dicebant enim, quia cùm hoc fit, non distrahitur Ecclesia, sed facultas ; nec emitur sacerdotium, sed possessio prædiorum. Sub hac enim præstatione pecuniæ, opes tantùm, non honoris vel Ecclesiæ redimitur sacramentum. Vænalia siquidem sunt, sicut aiunt, unde sint divites : gratis accipiunt, unde fieri debeant Sacerdotes.

» O novum schismaticorum genus & os sacrilegum æterni silentii censurâ damnandum ! in una siquidem hominis persona duos esse constituunt : ut unus sit Sacerdos, sed peccato vænumdatus, alter autem dives sub taxatione pecuniæ comparatus. Ipse velut alter Sardanapalus inter delicias eructet convivantium, ille tamquam Apostolus in regimine præsideat animarum. «

Et paulò pòst. » Quemadmodum pater ille dicitur, ex cujus femore sola caro est egressa, non anima : sic ille proculdubio dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redimit, ad honoris culmen ascendit, & per corporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus sacramenti. «

Hactenus Petrus Damiani, quem Baronius asserit divinitus excitatum esse, ut teterrimam simoniæ labem, imò luem longè lateque grassantem comprimeret. Quod revera præstat pluribus in locis, & præsertim in Epist. ad Alexandrum Papam III. inscripta, ex qua decerpsimus quæ protulimus hoc loco.

Verùm ne quis existimaret, Petrum Damiani in eadem ipsa Epist. damnare tantùm ut simoniacos, eos qui episcopatus pretio compararent, & ordinationem gratis acciperent ; cæteros quoque beneficiorum etiam minimorum emptores ejusdem simoniæ conscios esse pronuntiat in ead. Epist. exeunte : » Non solùm, inquit, qui majoribus præficiuntur Ecclesiis, sed & illi quoque, qui vel plebes agrorum vel canonicales præbendas per interventum pecuniæ pestilenter accipiunt, simoniacæ hæreseos tendiculas non evadunt. « Hæc cit. hact. Petrus Damiani.

Quæstiuncula CXIV.

Quid sentiendum de pensionibus, quæ in resignationibus in favorem reservantur.

Prima conclusio.

Dico 1°. hujusmodi pensiones fore legitimas, si resignantes nec habeant necessaria vitæ subsidia, nec sine illis habere valeant. Si enim vel ex patrimonio vel ex nummis ex longo reservatis vitæ subsidia ipsis suppetant, eas pensiones percipere nequeunt.

Hanc conclusionem mirabilem in modum astruit Julianus Pomerius lib. 2. de vita contemplat. cap. 10. » Satis indignum est, inquit, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister Ecclesiæ non habeat unde vivat, non ei præmium reddat hic, sed necessaria præstet Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe dominicæ promissionis certus expectat. Illi quoque qui vel idonei nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiunt. « Hæc ille.

Quale peccatum admitterent quotquot de facultatibus Ecclesiæ viverent, quibus aliunde suppetebant necessaria vitæ sustentandæ adjumenta, definire noluit Julianus Pomerius : sed definiit S. Bernard. in Declamat. de vita & morib. Clericor. cap. 7. *Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum ; & sacrilega crudelitate eis surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini vel possessores ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de evangelio quærere aut habere delicias vel ornatum, sed vivere, ait Paulus, ex eo : ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.* Hactenus S. Bernardus loco cit.

Non

Non sunt illa nova de reditibus Ecclesiæ utendis, & in pauperes erogandis sensa. Nam anno Redempr. 398. Concilii Carthagin. IV. Patres habuere pro latronibus & sacrilegis Clericos, qui ex Crucifixi reditu prædia sibi compararent, eosque damnavere, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine tenerentur. Ita loquitur dictum Concilium can. 32.

Idem censet Concilium Aquisgranense celebratum anno Christi 816. in cap. 107.

Eam igitur esse mentem Ecclesiæ & ab omni ævo extitisse, ut quisquis Clericus haberet necessarium vitæ sumptum, nihil propter ministerium de Ecclesiæ facultatibus acciperet, vel certè accepta omnia liberaliter in sinum pauperum effunderet. Eam, inquam, esse mentem Ecclesiæ liquidò declarat jus canonicum summorum Pontificum curâ & jussu collectum & editum, & totius Ecclesiæ consensu approbatum, ut ad ejus amussim omnes Christiani Catholici, & præsertim Clerici omnia sua dicta, facta, officia exigerent.

Ergo suis facultatibus, si habeant, sese sustentare, & ab Ecclesiæ facultatibus manus furaces abstinere debent. Id enim præcipitur jure canonico in » hæc verba : Clericos autem illos convenit Ecclesiæ » stipendiis sustentari, quibus parentum & propin» quorum nulla suffragantur bona; qui autem bonis » parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod » pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò com» mittunt, & per abusionem talium judicium sibi man» ducant & bibunt.

Hactenus verba juris canon. 1. q. 2. c. 6. quem » locum sic illustrat Glossa : Si abundantes, inquit, » de bonis Ecclesiæ suscipiunt, sive absentes, sive » præsentes sint, licèt non debet eis denegari portio, » quia nemo cogitur suis stipendiis militare, morta» liter tamen peccant, præsertim si ex cupiditate sua » reservant. Hæc ibi.

» Sed qui sua relinquunt, vel pauperibus distri» buunt, vel Ecclesiæ rebus adjungunt, laudabiliter » ecclesiastica dispensant, utpote qui se in numero » pauperum paupertatis amore constituant; ita ut un» de pauperibus subministrant, inde & ipsi tamquam » pauperes voluntarii vivant. Ita jus canon. ead. c. 1. q. 2. cap. 9.

Illud ipsum decretum repetitur 16. q. 1. cap. fin. seu 68.

Secunda conclusio.

Dico 2°. Hujusmodi pensiones esse variis peccatis, & præsertim simoniæ obnoxias : quos ideo damnat Concilium Rothomag. habitum anno Christi 1581. sub titulo *De Episcoporum officiis*, ubi recenset varios hac de re casus. Quorum esto

Primus.

» Resignationes, aiunt istius Concilii Patres, quo» rumcumque beneficiorum cum retentione fructuum, » vel pensione, quæ postea ab his, qui resignationes » illas acceperaverint, præsertim pretio sine authorita» te sedis apostolicæ redimitur, pro simoniacis ha» bendas judicamus : præterquam enim quòd menta» lem saltem simoniam, aut etiam pactum illicitum » antecessisse frequentiùs deprehenditur, experientia » docet hoc unum esse velamen ad contegendam si» moniæ turpitudinem & malitiam.

Secundus casus.

» Resignationes factæ priùs incognitis, aut his » quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut » alia honesta causa commendat, suspectæ de simo» nia redduntur, præsertim si quid illicitè actum fama proclamet. Tales igitur resignationes non de- « bent ab ordinario absque purgatione canonica, ex « decreto Innocentii renovato, cùm de Canonicis « cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti. «

Tertius casus.

Omnes pensiones & pactiones super beneficiis, « in quibus non intervenit sedis apostolicæ approba- « tio, illicitas & simoniacas declaramus. «

Quartus casus.

Ad hujusmodi resignationum mangoniam, ut ita « dicam, revocari potest non levius malum, quod « (ut loquuntur ejusdem Concilii Patres, nostris « temporibus exortum, aut longiùs propagatum Ec- « clesiam affligit aut perdit per alienorum beneficio- « rum clitellarios asinos & custodes, qui confidenta- « rii vocantur, quorum nomine & ministerio viri laï- « ci & mulieres hæreditare possident sanctuarium Dei « & profanant. Tam illos custodes, quàm eos quo- « rum cupiditati deserviunt, denuntiari quoque in « pronao & concionibus pro excommunicatis, & te- « neri ad restitutionem fructuum, atque eorumdem « hæredes ex Bulla S. D. N. Papæ Pii V. per omnes « dies dominicos jubemus. Quamvis autem sicut si- « moniaci vix detegi, ita custodes illi vix latere pos- « sint; attamen à Confessariis in foro conscientiæ de « his quoque volumus inquiri, & confitentibus laï- « cis viris & mulieribus se hujus sacrilegii participes « esse, minimè absolutionem dari, nec ad commu- « nionem admitti quocumque modo compertos, « præterquam in mortis articulo, nisi priùs restitue- « rint pro viribus fructus perceptos pauperibus aut « fabricis Ecclesiarum, & à tanto crimine abstinue- « rint, atque à sanctissimo Romano Pontifice abso- « lutionem obtinuerint. «

Quintus casus.

Eodem crimine tenentur, & iisdem pœnis sub- « duntur omnes patroni sive ecclesiastici, sive laïci, « qui colore patronatus beneficia ecclesiastica in ser- « vitutem redigunt, dum per suppositas Clericorum « personas, aut ex pacto tacito vel expresso cum ip- « sis inito in præsentatione suorum beneficiorum, seu « quacumque arte aut quocumque quæsito colore ju- « ra aut fructus eorumdem, aut partem ipsorum in « usus proprios convertunt. Alii verò sine jure pa- « tronatus, atque etiam sine ullo titulario, aut per « aliquem suppositum aliena beneficia vi occupant, « eorumque jura aut fructus deprædantur. Contra « utrosque prædicto modo procedatur, qui etiam ex « decreto Concilii Tridentini patronatibus ipso jure « privati existunt. «

Ne autem Clerici sibi blandirentur, & ab ejusmodi peccatis, & eorum pœnis immunes arbitrarentur, ita de illis decernit idem Concilium loco cit. cn. 13. Quicumque, inquit, Clerici tam ne- « fandæ fraudis & usurpationis fabricatores seu con- « sentientes, atque alieni sacrilegii fautores fuerint, « eisdem pœnis per generalia Concilia & decreta « Pontificum subjacent, necnon quibuscumque bene- « ficiis privantur, & ad quæcumque beneficia inha- « biles efficiuntur, atque à divinis ordinibus suspensi, « nec in foro conscientiæ possunt absolvi, aut suorum « ordinum executioni per ordinarium restitui, nisi « post integram satisfactionem & absolutionem præ- « dictam. Celebrantes verò in eo statu irregularitatem superincurrunt, & multiplicem damnationem « tam in præsenti, quàm in futuro sæculo sibi acqui- « runt. Hæc ibi. «

Porro propter nonnullos intrepidè vendentes &

De Sacram. Xx

ementes sacerdotia spe veniæ per indulgentias comparandæ, censuit illa ipsa sancta Synodus, sanctissimo D. N. Papæ supplicandum, ne deinceps simoniæ crimen, nisi cum expressa obligatione cedendi beneficio per simoniam quæsito remittat.

Hos casus & hæc statuta dicti Concilii Rothomagensis, utpote inprimis utilia, & ea veterum Synodorum sanctionibus eruta prolataque hîc ascribere oportuit, ut quotidiani resignationum in favorem aut permutationis, aut pacis causâ abusus, sicut & confidentiarum corruptelæ collocarentur in propatulo, & bonorum omnium studio ea Ecclesia Dei revellerentur. Ut ergo ad propositum revertamur, esto

Tertia conclusio.

Resignationes, quæ sub pensionis onere fiunt ab beneficiariis superstitibus & vivis, maximum important malum, quòd scilicet resignatarii, ut plurimùm resignantium productiorem vitam ægrè & impatienter ferant, eorumque mortem præstolentur, & ardentiùs expetant.

Inde manavit decretum Concilii Lateranensis
» in hæc verba conceptum: Nulla ecclesiastica mini-
» steria, seu etiam beneficia vel Ecclesiæ tribuantur
» alicui, seu promittantur, antequam vacent: ne de-
» siderare quis mortem proximi videatur, in cujus
» locum & beneficium se crediderit successurum. Cùm
» enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur in-
» hibitum, turpe est & divini plenum animadversio-
» ne judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successio-
» nis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles con-
» demnare curarunt.

Hactenus decretum Concilii Lateranensis, quod refertur extra. cap. *nulla. de concessione prabend.* Beneficium igitur antequam vacet, non potest promitti; & si promittatur, nulla oritur obligatio ex tali promissione, quia est contra jus, ut ait Glossa in hoc cap.

Quod dixit S. Ambrosius de hærede, de resignatario verè affirmare possumus. Quemadmodum enim hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd is, cujus hæreditatem aditurus est, serò moriatur: ita & resignatarius præstolator resignantis mortem, & sæpe conqueritur de pensione, quâ gravatur, & fremit, & disrumpitur, quòd integra valetudine potiatur, & nonnumquam veluti desperando deblaterat se antè moriturum, quàm ad liberam & integram beneficii, seu proventus beneficiarii possessionem perveniat.

Hujus rei exemplum commemorat Claudius Espenceus in cap. 1. Epist. ad Titum sub titulo turpis
» lucri: Quidam, inquit, Cardinalis quinque episco-
» patuum præter abbatias totidem, fructus percipiens,
» assignato quatuor resignatariis pro sua cuique scili-
» cet dignitate vix, at ne vix quidem tuenda, nisi
» quod totidem vultures, uni illi cadaveri inhiantes
» spem interim pretio emebant. Hæc ille.

Miserandus nempe vir quatuor episcopatus abdicaverat, & resignatariis (retentis magnam partem fructibus) solum penè titulum reliquerat; ita ut miserabiles viri matrimonio cum indotatis Ecclesiis inito, una mortis Episcopi tot beneficiis, totque beneficiorum proventibus onerati, spe cruciarentur pariter & pascerentur.

Quarta conclusio.

Quàm suspectam esse oporteret alicujus beneficii abdicationem sub pensionis onere, patefecerunt viri omni exceptione majores, qui præcipua pietatis & eruditionis laude ad omnium sæculorum memoriam effloruerunt. Bellarminus è Societate Jesu in collegium Cardinalium cooptatus, in quibus monitis Clementi Papæ VIII. oblatis mirabatur, quòd arctum & penè insolubile vinculum inter Episcopum & Ecclesiam, ut canones docent, tam facilè per resignationes sine causa legitima factas quotidie resolveretur: sed magis admirabatur nonnullorum Præsulum vel avaritiam vel immanitatem, quæ tanta erat, ut retentis fructibus suas resignarent Ecclesias, perinde ac si quis uxorem repudiaret, ejusque dotem retineret. Author ejus Vitæ commemorat, illum sepenumero usurpasse istam loquendi formulam, quâ eos qui resignanda beneficia defrugabant indictis pensionibus, incusare & damnare consueverat.

Ac reipsa quidem, cùm archiepiscopatum Capuanum abdicare teneretur, & ex eo novem ducatorum millia in annuam pensionem percipere sineretur, ratus fore divitem se, si bonam famam sibi servaret, censum universum cum archiepiscopatu ad Pontificis manus redire maluit. Nam quia dixerat, sæpe non licere uxori valedicere, & ipsius dotem retinere, ne facta dictis abrogarent fidem, ita se sancti canonicique propositi tenacem præbuit, ut & archiepiscopatu pariter & reditibus cesserit, ne, quod aiebat, sponsam sine dote alteri traderet.

Verùm tametsi religiosissimi hujus Cardinalis famam & conscientiæ sanctimoniam omnibus terrarum opibus anteponentis sensa, adversus pensiones ex resignationibus existere solitas, adversarentur; illi tamen ipsi contigit, quod & accidit Domno Bartholomæo de Martyribus, quem ut virum sanctissimum colebat. Quemadmodum enim præfatus Bartholomæus ad modicam pensionem ex opimo archiepiscopatus Bracarensis proventu quotannis percipiendam adactus est: ita summus Pontifex Cardinalem Bellarminum tenuem quampiam pensionem ex Capuano archiepiscopatu (quem sine ulla fructuum reservatione in ejus manus deposuerat) retinere voluit & jussit, ut ejus pensionis adminiculo victitaret, atque ita emergeret ex despicatissimo inopiæ statu, quem sanctus ille Cardinalis suæ purpuræ dignitati & splendori dubio procul antetulisset.

Hujus generis & virtutis hominibus adjungere necesse est Franciscum Salesium, quem nostra hac ætate solemni Ecclesiæ Romanæ ritu ad sanctos Indigetes aggregari vidimus. Nam & ipse quanta & quàm gratuita charitate Christo Domino & ipsius Ecclesiæ deserviret, pinguiora beneficia, opimasque pensiones, strenuè recusando patefecit. Quod quidem ne gratis assertum esse videatur, nonnulla hujus rei testimonia ex ejus Vita depromere operæpretium est.

Henricus IV. qui tanti Præsulis insignem pietatem noverat, scire voluit, quàm dives esset: cumque nonnisi mille nummos aureos annui reditus habere accepisset, O indignum, ait, tanto Pontifice tam exilem episcopatum. Nec mora Hayanum accersivit, &, Scribe, inquit, meo nomine ad Salesium Episcopum Genevensem, ut ad me redeat. Nam eum ditiori beneficio, prætereaque alia magna dignitate donare volo; summo scilicet Pontifici eum in Cardinalem offerre cupiebat, ut legere est in ejus Vita lib. 6. pag. 272.

In eo rerum articulo nihil aliud tanto Principi significavit, quàm sufficere sibi satis superque reditum illum, quo potiebatur.

Præterea Rex ipse, dum vacaret episcopatus, amplam obtulit pensionem annuam, deditque eo inscio litteras ad Quæstorem, & Salesius quidem oblatis sponte pecuniis pudore suffusus, statim ad Regem acturus gratias & recusaturus accessit.

Insuper contestatus est, non solùm se oblata pensione nullo pacto indigere, sed etiam sese numquam

desertum esse Gebennensem episcopatum, ad quem ab ipso Deo vocatus & assumptus fuerat, ut ad alterum opulentiorem aut honoratiorem ascenderet.

Quidquod, cùm vacasset per obitum abbatia sanctæ Genovefæ Parisiensis, valoris quatuor millium nummorum, quam proculdubio ab Rege impertituro postulatam impetrasset, eam petere, suis licèt indignantibus, constantissimè recusavit.

Idem Sanctus plurimis exemplis se nullo dignitatum & divitiarum amore teneri declaravit: at id ipsum nobilissimè patefecit, cùm Cardinalis Rhetensis eum privatim sibi adhibuit, rogavitque, imò obsecravit, ut adjutoris sui munus cum futura successione, & interim optima pensione annua omnimodaque potestate acceptaret.

Cùm multi eum ad tot tantarumque rerum acceptationem ardentiùs impellerent eo nomine, quòd majora inde bona præstare posset: Videte, respondebat ille, ego æquè me divitem existimo, ac quivis alius Episcopus in Gallia esse possit: facultates enim meæ licèt aliis videantur exiguæ, sufficiunt tamen ad necessitates meas: qui plus habent, plus etiam expendunt, & ad anni calculum tantum habeo residui, quantum illi.

Talia erant tanti hominis sensa; qui quidem, ne pinguiorem fortunam inter aulicos & principes viros venari videretur, nonnisi cogente durissimo sanè necessitatis telo in regia versabatur aulis, in qua cùm unum ægrè molesteque exegisset annum, aiebat: *Annum hic aulici novitiatûs ago, sed juvante Deo professionem numquam emittam.* Ecce tibi, Christiane Sacerdos, lectissimam præstantissimorum hominum triadem exhibuimus, ut nobiscum discas ex eorum exemplis, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis: ut discas non tua quærere, sed quæ Jesu-Christi: ut summo odio prosequaris & fugias præstigias & technas forenses & vitilitigationes, quas nefaria honorum & divitiarum cupiditas excogitavit, & Dæmon in Ecclesiam invexit, ut multi ipsius laqueis jam irretiti obreperent ad beneficia, & in ovile per fortum, non per Christum ingressi, patrimonia pauperum, vota fidelium & subsidia Clericorum, per illicitas permutationes & pensiones mille nominibus & artibus quæsitas intrepidè & importunè in hoc sæculo deprædarentur.

Nolumus hîc omnes & singulas pensiones sic tamquam criminosas & simoniacas proscribere: damnamus eas duntaxat, quæ penduntur Clericis divitibus & opulentis; quæ autem conceduntur ab summis Pontificibus subventionis causâ, omni culpa vacant, si reipsa resignantes sine hujusmodi pensionibus vitam ex clericali decoro tolerare nequeant, ut suprà probavimus ex Concilio Chalcedonensi & SS. Patribus. Si enim sine tali subsidio victitare possint, illudunt & decipiunt summum Pontificem, & proculdubio ad talium pensionum restitutionem obligantur: quod enim ad sublevandam egenorum miseriam conferendum erat, interverterunt, ut vel abligurirent, vel alios in usus, profanos nimirum & divina ecclesiasticaque lege prohibitos, converterent.

Est & alius casus, in quo pensio citra culpam exolvi posset. Si nempe nefarium quemdam Sacerdotem ab sacro ministerio ob scandala, quibus exulceraret animos fidelium, amoveri, & alterum in ejus locum substitui oporteret, & ille sine pensione beneficium abdicare nollet, tunc velut ad redimendam Ecclesiæ vexationem, ipsi pensionem assignare & persolvere liceret, si nimirum de suo gradu non posset aliter deturbari.

Præfati igitur homines, qui sibi æternam generoso rerum humanarum contemptu condidere famam, nihil antiquius habuerunt, quàm ut Christum Episcopum animarum nostrarum (qui non habebat in terris ubi reclinaret caput) in sua inopia repræsentarent, & ipsos Apostolos, quorum erant in episcopatu successores, in summa pariter egestate quanto maximo studio imitarentur & exprimerent.

Apostolicum genium egregiè delineavit Doctor gentium 1. Cor. cap. 9. v. 14. *Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Hactenus Apostol. loco cit.

O virum apostolicum, ô virum seraphicum! si enim Seraphim, qui ardent igne Deo, de cælo delaberentur, quid purius, quid ab omni rerum humanarum contagione seu cupiditate remotius, quid inquam, defæcatius omnibus altarium ministris indicerent? Nihil sanè proferrent vel ad propagandam Dei gloriam accommodatius, vel ad procurandam fidelium salutem efficacius, vel denique ad promovendam ipsorum Sacerdotum salutem & gloriam & mercedem potentius, quàm ut ministerium suum (quantùm liceret per humanam egestatem & imbecillitatem) magno Pontifici Christo nullo prorsus commodo extrinsecùs posito, & quasi lenocinante mercede gratis impenderent.

Eo animo erant animati præstantissimi, de quibus nunc prædicamus, viri, ita ut dum in terris degerent, multos labores, eosque gravissimos & nullis præmiorum mercedibus evocatos, sed ex gratuita charitate profectos ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi strenuè aggrederentur, & exantlarent.

Procul hinc igitur secessant avidi, & sacrilegi beneficiorum & pensionum captatores & helluones, digni qui æterno anathemate feriantur, nisi tanto tantorum hominum exemplo provocati resipiscant.

At hujusmodi homines submurmurantes mihi audire videor: Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsivimus, & impetravimus; utinam licentiam non quæsissemus, sed consilium, id est non ut liceret, sed an liceret: unde tamen quærebatis licentiam ut liceret, quod non licebat facere: itaque volebatis quod non licebat: sed quod non licebat, malum erat: mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat. Nisi fortè tale hoc fuisse dicatur, quod absque licentia non liceret; liceret autem, si cum licentia fieret.

Ita S. Bernard. in Epist. 7. ad Adam Monach. inscripta affatur quosdam Monachos, qui impetratâ licentiâ ab apostolica sede, suum monasterium contra fas reliquerant, & ipsis denuntiat impetratam ab summo Pontifice licentiam nihil eis ad remissionem profuisse, nec profuturam.

Quod & vos quoque, inquit ibidem, non immeritò timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias apostolicâ conati estis delinire licentiâ. O frivolum satis remedium, quod non est aliud, nisi more protoplastorum cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum.

Quæ S. Bernardi verba aptissimè torqueri possunt in eos, qui Bullas Pontificias per subreptionem, id est subticentiam veri, vel per obreptionem, id est narrationem seu expositionem falsi impetratas, si-

moniacis suis pensionibus aut permutationibus obtendunt.

Ergo summus Pontifex decipi potest, & reipsa decipitur, inquiunt.

Audiant S. Bernardum de summo Pontifice ita loquentem: Non imputo, inquit, Domino meo, cui tamquam homini subrepi potuit.

Ipsum eumdem Bernardum denuo audiant ita aientem in Epist. 180. Hoc solet, inquit, habere præcipuum sedes apostolica, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & apostolicam sedem. Hæc ibi S. Bernardus.

De cujus effato quod protulimus, ita prædicat Baronius ad Redempt. ano. 1135. nu. 25. Ista Bernardus quàm sapientissimè. Alexander Papa III. id ipsum (posse videlicet Papam ab pravis hominibus decipi) testificatur in Epistola, quæ refertur cap. 5. de rescript. ad Ravennatem Archiepiscop. directa.

Si quando, inquit, aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Et infrà. Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.

Hactenus Alexander III. lib. 1. Decretal. tit. 3.

Nemini ergo dubium est, quin malis artibus summus Pontifex decipi queat: verùm quisquis tale peccatum admittere ausus fuerit, meminerit Ananiæ, cujus animum implevit spiritus satanæ, ut mendacio velut illudens Spiritui sancto, qui falli non potest, furtim detraheret de pretio fundi sui, & non hominibus, sed Deo mentiretur, quem ideo suâ derepente pœnâ corripuit severissimâ, quippe S. Petri objurgatione perculsus subitò concidit & expiravit. Meminerint hujusmodi homines, qui in impetrandis illicitis pensionibus fucum faciunt: meminerint, inquam, Saphiræ ejusdem Ananiæ uxoris, quæ cùm in idem cum marito mendacium impegisset, & S. Petrus non inflicturus pœnam, ad ejus emendationem nequicquam objurgationis infudisset acrimoniam, ad ejusdem Petri acerbiùs increpantis vocem illico collapsa mulier expiravit.

Hæc exempla attentiori perpendant animo, quotquot attentant imponere summo Pontifici legitimo S. Petri successori, ut ab eo nonnulla prorsus illicita fraudulenter extorqueant, & habeant pro comperto, Deum, quem nihil fugit, severè animadversurum esse in eos, qui fuco illudunt viris apostolicis, etiamsi tales sint, ut decipi valeant. Licèt enim hoc donum Spiritus, (quo quis pervadit & deprehendit intimos animi recessus) quod tum aderat Petro, perpetuum non sit omnibus etiam ipsius successoribus, quotquot tamen eos suis mendaciis decipiunt, non homini, sed (quod profiteri nihil vereor) Spiritui sancto mentiuntur, & serius ocyùs debitas suæ improbitati pœnas oppetent. Resipiscant igitur tantæ iniquitatis artifices, & Ananiæ & Saphiræ, quorum facta imitati sunt, & etiamnum imitantur, luctuosissimos exitus perhorrescant.

ALIQUOT QUÆSTIUNCULÆ DE PENSIONIBUS PROPONUNTUR.

Prima.

POTESTNE accipi beneficium sub onere pensionis, & in antecessum plurium annorum summam resignanti persolvere, & anticipandam solutionem in pactum deducere?

Respondeo, hanc conventionem esse illicitam & simoniacam: id enim esset perinde, ac si aliqua pecuniæ summa comparandi, seu emendi beneficii gratiâ conferretur.

Secunda.

An potest aliquis accipere beneficium cum deliberata redimendæ pensionis intentione?

Respondeo id non licere: siquidem in intentione hominis pensionis onus acceptantis, id nihil discrepat ab beneficii emptione & solutione: quia etiam is, cui pensio persolvitur, ad ejus redimendæ postulationem collineare non potest.

Tertia.

Quæritur, utrum pensionem nusquam redimere liceat.

Respondeo, ad legitimam pensionis redemptionem exigi, ut præcipuus finis tam ejus, qui pensionem persolvit, quàm alterius, qui ejusdem pensionis redemptionem accipit, spectet ad procurandum majus Ecclesiæ bonum, vel ad legitimam necessitatem, eamque præsentem sublevandam pertineat. Verùm cùm nonnisi difficiliùs hominis pensionem recipientis necessitas dijudicari queat, totam rem illam bonæ ipsius fidei, seu conscientiæ permittere necesse est. Quicquid sit, semper in Ecclesiæ bonum cedit, quòd beneficia ab pensionibus reddantur immunia: ut scilicet sacrum ejus ministerium melius & honorificentiùs exerceatur.

Quarta.

Quæritur quos in usus pensionarius, accepta ex pensione sua ipsius sustentatione, ejusdem pensionis reliquias (si quæ sint) conferre debeat.

Respondeo, pensionarium, postquam suæ sustentationi moderatæ (habita ipsius necessitatis & clericalis decori ratione) consuluit, si aliquod illi ex pensione residuum suppetat, illud (quemadmodum quod superest ex beneficiis, detracta beneficiarii sustentatione, ad canonum amussim exacta) in eleemosynas vel alia pietatis opera convertere oportere.

Quinta.

Quæritur, utrum qui pensionibus ex beneficiorum proventu decerptis victitant, aliquam Ecclesiæ operam navare teneantur.

Respondeo, nihil videri æquius, quàm ut ii quibus Ecclesia necessarios ad vitæ sustentationem sumptus suppeditat, quale vel quantumcumque ministerium, ad quos idonei sunt, illi eidem Ecclesiæ exhibeant.

Præterea nemo nescit eos ad circumferendum clericalem habitum & ad vitæ ecclesiasticæ honestatem & sanctimoniam obligari: siquidem non dumtaxat ecclesiasticæ dignitatis nomine assignatis pensionibus potiuntur.

Sexta.

Quæritur, utrum illi, quorum pensiones in controversiam & disceptationem sunt adductæ, & qui obtinent Senatusconsulta seu Arresta, ut vocant, nulla alia ratione innixa, præterquam ista, Aut cedat, aut solvat, tutam habeant conscientiam, si pensiones illæ careant conditionibus ad canonicam seu legitimam pensionem constituendam pertinentibus.

Hujusmodi quæstioni satisfacere juvat eo pacto, quo eam dissolvit quidam Episcopus, quem præcipua sanctitas & vigilantia æternitati tradidit.

Æquum est, inquit, ut is qui beneficium sub pensionis onere capessivit, liberet fidem, & promissam exsolvat pensionem. Si enim est legitima & æquitati consentanea hujusmodi pensio, nullus relinquitur excusationi locus; si verò est immoderata & nimia, bellè illud hujusmodi viro accidit, ut scilicet subiret pœnam debitam nefariæ cupiditati, quâ sese tali pensioni mancipavit, ut ad beneficium perveniret; imò sese præstitit talem, quem dejici oporteret de beneficio, ad quod sese tam excæcatæ cupiditatis impetu protrusit. Nemo hujusmodi hominibus debet suffragari, cùm in eos animadverti oporteat, ut alii eorum exemplo sapiant & desinant dolosos inire contractus, quibus eos circumveniant, à quibus resignata sub pensionum oneribus beneficia acceperint: ita tamen ut dictarum pensionum onera postmodum ab suis cervicibus propulsanda speraverint.

Quòd si quispiam illusus fuerit ab homine ab ipso pensionem exigente, & affirmante pluris valere beneficium, quàm reipsa valeat, ejus moderationem ab judicibus postulare, & resignantis fraudulentiam accusare potest. Si verò resignans res, ut erant, sincerè exposuerit, tunc nullam de ipso querimoniam habere potest, imò de seipso conqueri debet, utpote qui sese ad talem pensionem exolvendam sponte & ultro astrinxerit. Alteri ex adverso major de ipso conquerendi suppeteret causa eo nomine, quòd stare promissis abnueret. Verùm id factum hominis immodicas & canonibus adversatas id genus pensiones exigentis, insontem tutamque conscientiam non efficit, qualiacumque Senatusconsulta seu Arresta ad eas extorquendas obtinuerit.

Siquidem ea Senatusconsulta non sunt regulæ, ad quarum amussim in foro interiori conscientiam componi oporteat. Nam ad externam quamdam duntaxat politiam seu gubernationem pertinent. Non enim par est ratio beneficiorum & prædiorum, aut aliquarum mercium, quarum pretium, cùm semel fuerint emptæ, persolvendum est, vel ipsæ propriis earum dominis sunt restituendæ.

Ex dictis de pensionibus à nobis hactenus explanatis, duo colligere necesse est, quorum

Primum est, ecclesiastica beneficia juxta canones sunt sine ulla diminutione conferenda, ut patet ex cap. *Si quis prabendas*. in fin. 1. q. 3.

Secundum est, animadvertendum nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent, ut disertè asserunt Cardinales, qui ab Paulo Papa III. ad Concilium advocati sunt, ut abusus, qui in Ecclesiam irrepserant, in Concilio proponerentur, & tollerentur.

Ipsi illi Cardinales & alii Prælati cum ipsis congregati addunt: Item pensiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queant ex redibus quos habent, magnus certè abusus tollendus. Hactenus præfati Cardinales & Prælati in Concilio congregati.

Hujus Concilii, ut suprà monuimus, meminit Belcarius Episcopus Metensis lib. 22. Commentar. rerum Gallicar. & acta hujus Concilii sub fin. actor. Concilii Pisani, apud Melchiorem *Mondiere* ann. 1622. Parisiis sunt excusa.

Hactenus de pensionum abusu pluribus disseruimus, ut hujusmodi abusus, per quem multa mala importantur in Ecclesiam, penitus ex illa revelleretur. Opusculum de pensionibus inscriptum & editum plura nobis argumenta in eumdem scopum collineantia suppeditavit, & ea libenti animo in hunc tractatum transtulimus, (quod ingenuè fatemur) eo quòd nulla nobis argumenta ad nostram rem astruendam accommodatiora & efficaciora suppeterent.

Jam igitur agendum esset de horarum canonicarum obligatione & recitatione, de residentia & aliis id genus ad officium Sacerdotum pertinentibus, ut puta de vitiis & occasionibus quas Sacerdotes effugere, & de virtutibus quas præsertim colere debent. Sed quia ista omnia passim ab aliis Authoribus ex professo, libris in eum finem elaboratis & editis, sunt pertracta, Lectores benevolos ad hujusmodi Authores remittimus, & inprimis ad duas Epistolas ab Apostolo ad Timotheum inscriptas, & ad unam ab eodem Apostolo ad Titum, quem Cretentium Episcopum instituerat, directam. Sanctus enim Augustinus affirmat, hujuscemodi epistolas ob omnium Ecclesiæ ministrorum oculos semper propositas esse oportere, utpote quæ disertè & liquidò doceant, quo pacto, qua fide, qua charitate, qua vigilantia & Episcopi & alii Sacerdotes & Christi Jesu ministri populum Dei moderari debeant.

Sunt & libri vernaculo idiomate conscripti, in quibus legere est regulas, ad quas sacrosancti canones ab Spiritu sancto dictati, & omnium sæculorum reverentiâ consecrati, Sacerdotum tam primi quàm secundi ordinis, vitam componi & exigi voluerunt. Hos libros passim obvios legere possunt & debent, qui sacrorum canonum notitiam adipisci vel noluerunt, vel non potuerunt.

His ita declaratis, antequam huic Dissertationi suum imponamus fastigium, tria utpote maximi momenti monita strictim & velut pendente calamo perstotare necesse est.

Primum monitum erit, de rebus, à quibus abstinere debeant omnes tam majores, quàm minores Clerici.

Secundum erit, de vitanda laïcorum, id est tam virorum, quàm mulierum, familiaritate nimia.

Tertium denique, de canonico bonorum ecclesiasticorum usu. Sit itaque

---

QUÆSTIUNCULA CXV.

Quibus præsertim ab rebus jubentur abstinere Clerici, id est omnes Ecclesiæ ministerio dedicati.

QUÆ sint res illæ studiosè à Clericis fugiendæ, declarat Innocentius Papa III. ejus nempe decreta hisce de rebus, extra. *de vita & honestate Clericorum*. cap. *A crapula*: *A crapula*, inquit, *& ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quisquam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum.* Et paulò pòst: *Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.* Hæc ibi.

Item ibidem idem Innocentius Papa III. declarat, à quibus Clericus sese abstinere oporteat.

Clerici, inquit, *officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maximè inhonesta: mimis, joculatoribus,*

& histrionibus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in officiis ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda.

Multa Concilia omnes Sacerdotes & Clericos ab rerum sæcularium procuratione multis canonibus abstrahere voluerunt, propositis severioribus pœnis, ut quos Christi & ejus Ecclesiæ amor ab administrandis sæculi rebus non removeret, pœnæ metus canonum interminatione incussus, ab degeneri earumdem actum sollicitudine revocaret.

Plura hanc in rem Concilia proferre possem: sed quia Concilium Parisiense VI. omnium mentem & canones perspicuè complexum est, hîc ejus verba referre satis habuero: sic igitur decernit. Qui sacris officiis, inquit, ob meritorum prærogativam sunt applicati, dedecus, & valde periculosum est, terrenis actionibus, turpibusque lucris eos implicari. Comperimus igitur nonnullos Presbyteros & Monachos desertores ordinis sui, quod non sine magno animi mœrore prosequimur, adeo villicationes & negotiationes, diversaque turpia lucra sectari, ut illud videatur impletum, quod dicitur: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* Quod & leges divinæ, & jura canonica condemnant, quantumque etiam id religioni Christianæ contrarium sit, manifestum est. Quod verò ab hujuscemodi illicito actu uterque ordo & sacerdotalis & monasticus se cohibere debeat, subter breviter collecta testimonia declarant. Ait namque Dominus in Evangelio: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et Paulus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

Hæc Apostoli sententia sæculares non abstrahit ab negotiis sæcularibus; sed Sacerdotes, & omnes passim Clericos divinæ militiæ mancipatos, sacro Ecclesiæ ministerio, abdicatâ rerum sæcularium curâ, incumbere imperat.

In Concilio quoque Chalcedonensi tit. 3. ita legitur: Pervenit ad sanctam Synodum, quòd quidam qui in Clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium perpendentes, sæcularium verò domos discurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudines sumentes. Decrevit itaque sanctum hoc & magnum Concilium, nullum deinceps non Episcopum, non Clericum, vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se inserere, præter pupillorum, si fortè leges imponant, inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum, earumque quæ sine ulla provisione, sunt personarum, quæ maximè ecclesiastico indigent adjutorio, propter timorem Domini causa deposcat.

Si quis autem transgredi de cætero statuta tentaverit, hujuscemodi ecclesiasticis increpationibus subjacebit. Hæc de Sacerdotibus, simul & Monachis generaliter dicta sunt.

Cæterum de Monachis ita specialiter in eodem Concilio tit. 4. inter cætera legitur: Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo, quietem diligere, & intentos esse, tantummodò jejunio & orationi in locis, in quibus renuntiaverunt, sæculo permanentes. Nec ecclesiasticis verò nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi fortè eis præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis.

His ità præmissis, oportet ut Episcopi suæ parochiæ Sacerdotes & Monachos ab memoratis illicitis actionibus sua authoritate compescant: transgressores verò censurâ canonicâ corripiant, quia dicitur: Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur.

Hactenus Concilium Parisiense VI. 829. Redempt. ann. celebratum, ipsissimis, quæ retulimus, verbis sanxit lib. 1. cap. 28. ne quis Clericus aut Monachus sese sæcularium rerum procuratione & turpibus lucris implicaret, alioquin sese ipso facto excommunicatum esse disceret, ex Chalcedon. Concilio ex DC. Episcopis conflato, cujus authoritate suum decretum citat. Concilium Parisiense roboravit.

Ex hujus decreti occasione aliquando in consessu aliquot hominum bene animatorum quæstio adducta est in medium, utrum scilicet quidam Sacerdos, quem bene noverant omnes, duplici beneficiu & inprimis eximiâ & eximii proventus curâ potitus, posset tutâ conscientiâ cum Episcopi dispensatione (quam cujuspiam viri principis rogatu impetraverat, ab sua parochia abesse, ut apud quempiam nobilem habitans in rerum ejus domesticarum, & præter cætera, in litium persequendarum procurationem incumberet.

Responsum est, hujusmodi Sacerdotem jam mortuum, fuisse tutum in foro fori, non in foro poli, id est coram hominibus, non autem coram Deo, apud quem multis nominibus juxta canonicas leges reus extitit.

1°. Quia contra jus naturale & canonicum sine ulla necessitate aut utilitate Ecclesiæ possidebat duo beneficia, unam scilicet capellam, ut vocant, honesti proventus, quo unus Sacerdos sese propemodum sustentare poterat; præterea potiebatur beneficio parochiali egregiè dotato. Quo in casu eum ab gravi peccato ne ipsa quidem summi Pontificis dispensatio (cùm nulla hac in parte deprehenderetur Ecclesiæ utilitas vel necessitas, ut videre est) eximere potuit, ut hujusmodi vel simili casu docent duo Cardinales Bellarminus & Toletus.

2°. Gravissimi etiam peccati reatum incurrit, nihil obstante Episcopi dispensatione, quæ quidem hac in parte nullum potuit habere locum, quia residentia in beneficio est de jure naturali, ut docent plerique omnes Theologi: atque adeo cùm dispensatio non cadat in jus naturale, (nisi aliqua ejus interpretatio adhibeatur, quæ vergat ad utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ) Episcopus cum illo dispensare non potuit.

3°. Ipse ille Sacerdos præfatam dispensationem obtinuit propter pessimum finem, ut scilicet sese implicaret in alienas lites, quod facere non potest Clericus juxta canones, nisi gravissimis de causis & ad majorem Christi & ejus Ecclesiæ gloriam & amplificationem spectantibus ad id factitandum adigatur. Si enim Clericus sese suis in rebus ab litibus abstinere jubetur, ut patet ex II. Concilio Romano sub S. Sylvestro Pontifice habito: *Nemo Clericus* (sunt ipsa Concilii verba) *etiam propter suam causam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur. Si, inquam, ex sacrosanctorum canonum statutis nemo Clericus propriam causam in foro terri potest, quis illi alienas lites persequendi facultatem concesserit?*

Concilium Carthag. IV. can. 58. tantopere aversatur litigatores Clericos, ut prohibeat, ne judices citra providam cautionem admittant eorum testimonium, qui litigationibus oblectantur.

Quis ergo insontem eum dixerit Clericum, qui plures annos, vel etiam paucos divinis rebus in ipsa ipsius jam tum ordinatione citra controversiam ad-

dictos & mancipatos in alienarum procurationе litium transigere, imò conterere decreverit.

4°. Conclusum est, eumdem ipsum Sacerdotem deductis impensis, quas in præstanda suorum beneficiorum officia contulerat, obligatum fuisse ad restitutionem fructuum, quos ex dictorum beneficiorum proventu perceperat. Siquidem Concilium Bituricense ann. Chr. 1584. id satis superque ex veterum Synodorum statutis asserit. Cùm beneficium ecclesiasticum, inquit, non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum, & propter officium detur beneficium, denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui beneficia ecclesiastica solius temporalis proventus gratiâ suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri. Hactenus Bituric. Concilium sub tit. 36. de beneficiis can. 1.

Talis igitur Sacerdos multis nominibus multisque criminibus sese astrinxit, eo quòd duo beneficia nec ad Ecclesiæ utilitatem, nec ad ejus necessitatem pertinentia possederit, & eorum fructus, nihil eis deserviendo perceperit, & sine justa dispensatione ab suo grege (quem alienigenis pascendum tradiderat) abfuerit, & in hæc flagitia impegerit ob finem illicitum & nefarium, ut scilicet ad instar forensis rabulæ procurandis cujuspiam nobilis litibus, assiduam navaret operam. Quæ sola causa (ut declarant sacra Concilia) talem virum (nisi ante mortem per sinceram pœnitentiam resipuerit) æternis infetorum suppliciis addicere potuit. Nam, ut loquitur in hujusmodi hominum persona bonus quispiam Author, *Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: quid inde, nisi damnatio æterna.*

De his hactenus. Jam inquirendum de familiaritate Sacerdotum cum laïcis. Sit itaque

---

Quæstiuncula CXVI.

Utrum Clericos laïcorum tam virorum quàm mulierum familiaritatem fugere oporteat.

Petrus Cardinalis Berullius Congregationis Oratorii in Gallia institutor, tria suæ Congregationis Presbyteris tradebat monita, eaque ad sustinendam sacerdotii dignitatem gravitatemque cumprimis idonea.

1°. Ita docebat suos Sacerdotes, ut si laïcorum ædificationi studere vellent, magnam iis exhiberent charitatem.

2°. Ut rarò in eorum familiaritate versarentur.

3°. Denique, ut nusquam eorum sese negotiis implicarent.

Quomodo sese hac in parte gesserit S. Augustinus, discimus ex Possidio: In visitationibus, inquit, modum tenebat ab Apostolo definitum, ut nonnisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autem monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat. Servandum quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam numquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivium, de singulis præstans causas, scilicet ne dum inter se conjugati casu jurgarent, ei maledicerent, per quem conjuncti essent; sed planè ad hoc sibi jam illis consentientibus petitum interesse debere affirmabat Sacerdotem, ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur vel benedicerentur; & ne militiæ commendatus suam culpam malè agens suffragatori tribueret; & ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus.

Hactenus Possidius Calamensis Episcopus, ejus Vitæ, quam conscripsit, cap. 27.

Huic Authori fides abrogari non potest, quippe qui annis ferme quadraginta Dei dono absque amara ulla dissensione familiariter & dulciter vixit cum ipso S. Augustino, & omnia virtutum genera, quibus toto tot annorum spatio refulsit, mirabilem in modum perspecta habuit & cognita.

Hujus etiam rei pulcherrimum exemplum omnibus Clericis suppeditat S. Joannes Chrysostomus, qui quidem, ut commemorat Palladius Helenopolitanus Episcopus in Dialogo, in quo cum Theodoro Ecclesiæ Romanæ Diacono colloquitur. Ipse autem Chrysostomus solus edebat, ut ex parte novi ob istiusmodi causas.

1°. Quidem ob calorem capitis abstemius erat, nisi quòd in æstu, eo, quod diarrhodon appellatur, utebatur.

2°. Quoniam infirmitatis cujusdam gratiâ stomachus ejus ordinem desiderabat, adeo ut sæpius, quæ fuerant parata, ingrata viderentur, & quæ non aderant, inquiri oporteret.

Deinde plerumque cibi oblitus ad vesperam usque jejunabat, partim occupatus ecclesiasticis curis, partim spiritualibus intelligentiis abstractus. Contendebat enim, ut nihil eum sacrarum litterarum præteriret. Solet autem hujusmodi cogitatio, aut inediam, aut levem omnino refectionem operari.

Est præterea consuetudo convivis, nisi secum quis & sudet & vomat, & fœdo risu cachinnet, summis digitis tepidum calicem ferens, humanitatem susceptionis atque communitatem in maledicta convertere.

Ut autem totum, quod teor equidem verius, explicem, frugi erat nimiùm deliciarumque omnium adversarius: sacrilegium existimans, si quid in hujusmodi impenderetur: simul ut dispensatoribus quoque furti occasiones amputaret, ne opsoniorum pretia multiplicantes, quæ erant in usus pauperum deputata, sibi ipsis vindicarent.

Præterea civitatis ingenia cogitans considerabat, oportere se ut Christi dispensatorem, aut dignitates omnes ex æquo honorare, aut se subjicere nemini. Inspiciens autem diligenter & mensæ tumultus & impensarum multitudinem, exhorruit rem, & valedicens maledictis hujusmodi, illud de actibus Apostolorum sibi ipsi succinebat: Viri fratres, non licet nobis ministrare mensis, sed constituamus viros religiosos ad hunc usum: nos autem vacemus verbo & orationi. Quemadmodum enim equus ad certamen stadii exercitatus cùm viribus deficit, ad molam constituitur, infinitumque peragit gyrum: ita & Doctor, quem piget de virtutibus disputare, solet mensæ commoda prætendere. Atque utinam vel esurientibus & egenis impenderet, ex quo illa Domini benedictio provenit: *Esurivi, & satiastis me.* Hactenus Palladius in Dial. citat. protulit rationes, quæ Joannem Chrysostomum, ut fugeret convivia, & solus ederet, impulerunt.

Utinam eas seriò expendant Catholici Sacerdotes, & earum vi convicti, omnia, quantùm per charitatem licebit, effugiant convivia, si præsertim ad ea sæpius fuerint advocati. Tunc enim non patientur contemptum, cui sunt obnoxii Clerici, quotquot ad geniales epulas sese libenter, licèt invitati, conferunt. Siquidem, ut ait S. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum inscripta, *facilè contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.*

Huc accedit, quòd nemo præsertim Clericus interest convivio, quin (ut aiebat vir multâ rerum experientiâ limatus) aliquam suæ famæ decessionem, seu jacturam patiatur, & ea qualicumque jactura damnosum sibi symbolum persolvat. De his satis. Sit itaque

---

Quæstiuncula CXVII.

Quanto studio muliercularum familiaritatem Clericus vitare debeat.

QUANTO studio mulierum familiaritatem & colloquia ab Clericis declinari oporteat, suo exemplo docuit Christus Jesus, quem semel duntaxat solum cum sola, muliere Samaritana scilicet, collocutum esse legimus. Ubi & discipulus quem diligebat Jesus, commemorat discipulos intervenisse tali colloquio, & miratos esse quia cum muliere loquebatur; neminem tamen dixisse: Quid quæris? aut quid loqueris cum illa?

Admirati sunt discipuli non solòm humanitatem Christi cum muliere colloquentis, sed quòd præter solitum eam mulierem affaretur: numquam enim illum in tali rerum articulo viderant. Volebat scilicet & discipulos suos, & in eorum persona Sacerdotes & Clericos cælibatum sua ordinatione professuros docere, quantâ curâ & vigilantiâ mulierum consuetudinem & colloquia fugere oporteret.

Imò tanta castitatis laude suos Sacerdotes & Clericos efflorescere cupiit, ut ne minima quidem libidinis & impudicitiæ suspicio in eorum nomen & famam caderet. Siquidem sese gravissimis calumniis appeti & coram hominibus dedecorari permisit; numquam tamen suam gloriam & famam vel minimâ impudicitiæ suspicione & nebulâ infuscari voluit, ut ex ipso vel minimam libidinis suspiciunculam tanto odio aversante, eam pariter aversari Sacerdotes novi Testamenti perdiscerent.

Revera mulier ab SS. Patribus dicitur viri naufragium: per mulieres enim innumerabilis hominum multitudo earum illecebris delinita, & sic tamquam miserabili naufragio conquassata periit. Unde ab nonnullis describitur fœmina, & appellatur visu basiliscus, voce sirena, utpote quæ voce incantat, visu dementat, utroque perdit & necat. Jure igitur ac meritò Concilia prohibuerunt, ne quis Clericus haberet apud se mulierem, nisi illum proxima necessitudine attingeret, ut patet ex Concilio Nicæno I. eoque œcumenico, cujus est tertius canon in hæc verba conceptus: Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ omnem suspicionem effugiunt. Hactenus citati Concilii canon 3.

Huic magnæ Synodi canoni institere plura Concilia alia, & inprimis Concilium Turonense II. anno Christi 567. celebratum. Sic enim loquitur can. 10. De familiaritatibus mulierum licèt crebriùs sit in canonibus replicatum, attamen necesse est, ut si secta virgulta quæ malè pullulaverant, redeant, rursus fidei falce succidantur, & jam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps Clericorum pro occasione necessitatis, aut causâ ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et paulò pòst.

Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam pro conservatione rerum in domo sua stabilire præsumat: quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subjecta dominatui. Si quis Episcopus, aut Presbyter seu Diaconus aut Subdiaconus, de hac re statuta Patrum vel nostra temperare præsumpserit, excommunicetur. Hactenus cit. Concil. canone 10.

Item Concilium Turonense I. omnem Clericis extranearum fœminarum familiaritatem interdicit, can. 3. in hæc verba concepto. Et quia, inquit, nullum Diabolo locum dari oportet, hoc præcipuè custodiendum decrevimus, ut nullam Clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, ne ullum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit, ut Diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruina servorum Dei insultet. Si quis verò Clericus post interdictum Episcopi sui illicitis familiaritatibus extranearum mulierum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus. Hactenus 3. canon cit. Concilii Christi anno 461. celebrati, cujus recitatum à nobis canonem refert Ivo Decret. part. 6. cap. 191.

Concilium Nannetense majorem hic in parte severitatem exercuit, quippe quod mulieres etiam vetulas & propter effœtam ætatem ab omni suspicione libidinis immunes, in Clericorum ædibus commorari vetuit. Inhibendum, inquit, & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas fœminarum, (sicut & in canone insertum continetur) de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat: sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam, sororem; quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur; aut etiam in pedissequis earum. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum, longè à Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed hoc secundùm auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.

Hactenus canon 3. Concilii Nannetensis, quod nonnulli ann. Redempt. 359. celebratum asserunt. Hunc canonem legere est apud Ivonem Carnot. Decret. p. 6. cap. 192.

Ab hujusmodi canonibus nihil descivit aut aberravit S. Carolus ecclesiasticæ disciplinæ instaurator & vindex acerrimus. Ita decernit in Concilio Mediolan. IV. sub tit. *Monitiones, quibus Sacerdotes & Clericos ad pietatem ipsorum dignitati consonantem informat.* Comessationes, inquit, compotationes, convivia publica, laïcaliáve, tum maximè in quibus mulieres intersunt, evitate.

Sensus vestros ita dirigite, ut cùm à Deo utiliter dati sint tamquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis, sicut satellites cupiditatum. Sit igitur vester oculorum aspectus simplex & pudicus, aurium sensus castus & prudens, casta mens, casti omnes sensus, vitæ & morum consuetudo casta & spiritualis. Ad castitatem conservandam munite omnem viam. Suspectarum mulierum consortium omnino vitate. Cum aliis verò quibusvis mulieribus, quamvis vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ conjunctæ sint, ne in iisdem domiciliis ædibúsve simul habitate, nisi cùm ea causa alicui vestrûm aliquando episcopalibus literis permissum sit. In famulatu laïcorum ne sitis, multò minùs fœminarum, quamvis nobilium. Ne verò illas musicam litteráve docete, nisi scripta nominatim facultate ab Episcopo permissum cuiquam sit.

Hoc

Hoc ipsum pluribus verbis explicat & interdicit lib. 3. Constitutionum & Decretorum synodal. Provinciæ Mediolan. sub tit. *De vita & honestate Clericor.* num. 61. Clerici, inquit, in eo officio ne se exerceant, ut ullas mulieres etiam quavis dignitate illustres, doceant legere, scriberéve aut canere, alióve cujusvis generis musico instrumento sonare, nisi ii sint, quibus ætate, moribus & vitâ probatis Episcopi judicio id permissum est, facultate ab eodem scriptis data. Hæc ibi.

Eodem ipso loco, in quo S. Carolus multa præcepta ad Clericorum vitam & honestatem spectantia recenset, declarat, denuntiatis etiam gravioribus pœnis, ab iisdem Clericis esse observanda: Quæcumque, inquit, in hac universa, quæ ad vitam & honestatem Clericorum pertinet, parte, variis titulis expressa, præcepta continentur, efficiat Episcopus, ut ea omnia ab omnibus, ad quos spectat, diligenter & inviolatè serventur.

Qui verò Clericus, cujusvis etiam gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re iis non obtemperaverit, is salutari pœnitentia, aut pecunia, aut suspensione ab ordinum munere, & beneficiorum administratione, aut ipsis etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus simul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus Episcopi arbitratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccaverit, duplicatâ is pœnâ pro ratione criminis ab eodem plectatur.

Hactenus S. Carolus cit. lib. 3. Constitut. & Decret. synodal. Prov. Mediolan. sub tit. *Monitiones ad sacerdotalem clericalemque disciplinam, officia & partes attinentes, &c.* num. 58. & 59.

Quòd si ista monita & præcepta cum tam gravium pœnarum interminatione ab S. Carolo universis Sacerdotibus & Clericis indicta, cuipiam severiora videantur: ille quisquis est, pro comperto habeat, eumdem S. Carolum omnia illa præcepta ex veterum Synodorum statutis diligentissimè collecta, denuo promulgasse, ut Concilio Tridentino hujusmodi statuta in usum singulari sapientia revocanti obtemperaret, atque adeo Sacerdotes & Clerici, qui deflecterent ab eorum observantia, se non privato cuipiam Episcopo pervicaciter adversari, sed toti Ecclesiæ, per anteacta dudum Concilia, & novissimè per Concilium Tridentinum, cum authoritate, quâ fulget, omnes suos, & præsertim Sacerdotes & Clericos suarum significatione legum allocutæ, præfractè refragari rescirent.

Ergo Sacerdotes & Clerici obsequantur Conciliis mulierum familiaritates & colloquia ipsis interdicentibus. Pareant Concilio Nicæno I. Turonensi I. & II. Nannetensi, & Mediolanensi IV. quorum statuta suprà retulimus.

Nemo Sacerdos aut Clericus familiaritatem cum puellis aut mulierculis pietatem professis, per causam pietatis ineat, ne ista familiaritas quæ originem ab optimo principio, id est charitate, vel traxerit vel traxisse visa fuerit, vel ipsâ naturæ corruptelâ, quæ ingenerato pondere ad prava deflectit, vel satanæ sese transfigurantis in angelum lucis astutiâ, quâ plerosque homines aut reipsa vel in speciem spirituales circumvenit, in carnalem & libidinosum amorem seriùs ocyùs exeat.

Sacerdotes igitur & Clerici audiant primam Synodum Toletanam sub Innocentio Papa I. & imperantibus Honorio & Arcadio, anno scil. Chr. 450. celebratam, hac de re ita statuentem: Puella familiaritatem non habeat cum Confessore, aut cum quolibet laïco sanguinis alieni. Ita cit. Synodus can. 6.

Audiant & Concilium Parisiense VI. anno Christi 829. imperante Ludovico Pio celebratum, quod hac de re canonem prolixum condidit: Comperimus etiam, inquit, quosdam Canonicos & Monachos, posthabito religionis suæ pudore, Monasteria sanctimonialium tam Monacharum, quàm Canonicarum, inconsulto Episcopo suo, impudenter atque irreverenter adire: qui obtendere solent, se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis aut familiaritatis, aut certè nescio cujus collocutionis gratiâ. Quod factum, quia nec canonico, nec monastico congruit proposito, prorsus interdicimus, nisi fortè causâ prædicationis, aut certè inevitabilis necessitas id facere coëgerit; & hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quòd si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Si verò colloquendum cum aliqua sanctimonialium, ratio postulat, ut id non alibi, nisi in constituto loco, id est in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum fœminarum fiat.

Cætera quæ sunt prolixiora, prætereo, & dictis adjicio totius canonis clausulam in hæc verba conceptam: His ita ex canonica authoritate præmissis, oportet ut Canonici & Monachi se ab hoc illicito facto cohibeant, ne contingat eos canonicâ censurâ percelli, quâ dicitur: Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Domini blasphemetur. Qualiter autem collocutiones fœminarum his qui sacris officiis nuncupati sunt, vitandæ sint, Vita B. Augustini & B. Ambrosii, & dicta SS. Cypriani atque Hieronymi, & aliorum plurimorum apertè ostendunt.

Hactenus cit. Concilium Parisiense VI. lib. 1. cap. 46.

Huic decreto pluribus annis ante Concilium Parisiense VI. Agathense Monasteria puellarum procul ab Monachis constituenda esse statuit.

Monasteria, inquit, puellarum longiùs à Monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur. Hactenus Concilium Agath. can. 28. quod quidem Concilium ann. Ch. 506. celebratum, pericula, quæ ex familiaribus puellarum aut aliarum fœminarum colloquiis emergere poterant, (quod & à sequentibus Conciliis ejus exemplo factitatum est) totis viribus prævertere studuit.

Audiant igitur Sacerdotes & Clerici SS. Patres, & eorum verbis animati discant per viam puram & immaculatam incedere, & fugere ut periculosam pestem, mulierum spiritualium familiaritatem, quæ non meliùs quàm fugiendo vitatur.

Audiant S. Hieronymum aientem: ***Fœminam quam vides bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentia: quia initium libidinis in visitatione mulierum est, & mundus cum mulieribus non meliùs quàm fugiendo vincitur, quia cùm cæteris vitiis & morbis quis possit resistere, huic tamen non potest, nisi per fugam.***

Audiant & illum ipsum hac de re admonentem: *Ne,* inquit, *sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas, quia nec tu Samsone fortior, nec Salomone sapientior. Si fortè dicas, Jam corpus mortuum est; dico tibi, quoniam diabolus vivit, cujus flatus prunas extinctas ardere facit.* Hæc ille.

Audiant denique S. Augustinum ita de fugienda mulierum etiam sanctiorum familiaritate prædicantem, ut omnes Sacerdotes præsertim & Clericos ab earum consortio deterrere, imò avellere debeat.

Sermo brevis & rigidus, inquit, *cum mulieribus habendus est, nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minùs cavendæ: quò enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, Episcopo loquor, non mentior. Cedros Libani, id est*

contemplationis altissimæ homines & gregum arietes, id est magnos Prælatos Ecclesiæ, sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieron. & Ambrosii. Hactenus S. Augustinus.

Non solùm autem Sacerdotes & Clerici fugere debent familiaritatem mulierum, ut suæ, sed etiam ut alienæ saluti consulant. Nam, ut ait S. Bernardus, *quotidie conversaris cum muliere, & continens vis putari? esto quòd sis, maculam tamen suspicionis portas, scandalum mihi es. Tolle materiam & causam scandali, quia væ homini illi, per quem scandalum venit.* De his satis. Sit itaque

---

Quæstiuncula CXVIII.

Quos in usus bona ecclesiastica expendere oporteat.

UT huic quæstiunculæ fiat satis,

Observandum est, inter bona ecclesiastica recenseri possessiones ecclesiasticas, id est bona mobilia vel immobilia, id est agros, vites, prata, domos, molas (vulgò pistrina) & alia id genus. Recensentur & oblationes, id est omnia quæ sponte & ultro Dei ministris ad eorum sustentationem à populis ad sacrum ministerium rite peragendum Deo offeruntur.

Annumerantur quoque decimæ, sicut & primitiæ, inter Ecclesiæ facultates: per decimas intelligitur decima fructuum pars, quam Ecclesiæ ministris laïci persolvere tenentur: per primitias verò intelliguntur primi fructus soliti offerri Deo ab laïcis, qui & hoc pacto suam erga Deum gratitudinem testatam faciunt, & omnia fructuum genera ab ipso procreata, conservata & ad justam maturitatem perducta, ipsi, ut omnis benedictionis & ubertatis authori, accepta referunt.

Præterea inter bona ecclesiastica recensentur honoraria, quæ tribuuntur Vicariis & Prædicatoribus, qui per Adventum aut per Quadragesimam, aut per alia tempora verbo Dei fidelium animas aluerunt; & hujusmodi retributiones inter bona ecclesiastica reponuntur, eo quòd non conferantur Vicariis & Prædicatoribus veluti merces functionum spiritualium quas obeunt. Nam si hujusmodi honoraria mercedis titulo ab præfatis hominibus acciperentur, illi procul dubio sese simoniæ crimine implicarent. Siquidem eorum functiones spirituales sunt, & ideo nec ullis pecuniis, nec ulla re temporaria æstimari possunt. Unde fit, ut quælibet retributio ex sacro ministerio proveniens ab omnibus Catholicis sustentationis stipendium habeatur, & ut talis ab Sacerdotibus & Clericis accipiatur. Unde S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 2. *Pro spiritualium administratione aliquid dare vel accipere tamquam mercedis pretium, simoniacum atque illicitum est; non autem tamquam necessitatis & subventionis stipendium.* Hæc ibi S. Thomas.

Sacerdotes igitur & Clerici accipiant necessitatem sustentationis à populo, & mercedem dispensationis à Domino, ut ait S. Augustinus, & habeant in terra stipendium, & percipiant in cælo præmium.

Quod ut fiat, observare debent, hujusmodi bona ipsis quidem deberi, ita tamen ut ipsa veluti laborum suorum mercedem & finem non debeant intueri. Si enim suam, quam Ecclesiæ navant operam, ad ea comparanda referrent, profana rerum divinarum nundinatione in teferventissimum simoniæ crimen incurrerent, ut patet.

Præterea solemnis rerum temporalium abdicatio quam professi sunt, cùm spectante & acceptante Ecclesia, Deum ipsum hæreditatis suæ partem, imò totam hæreditatem elegerunt, eos præter victum & vestitum nihil ex ecclesiastico ministerio decerpere patitur, neque sinit eos oblationes fidelium abligurire, aut in usus profanos distrahere: quippe qui sanctissimum illud SS. Patrum effatum (*Quicquid de altari præter victum & vestitum accepisti, rapuisti*) semper ob oculos propositum habere debeant.

Porrò quos in usus conferri debeant bona ecclesiastica, egregiè docet S. Carolus in Concilio Mediolan. IV. sub tit. *Monitiones.* Qui uberiores, inquit, ecclesiasticos reditus habetis, Ecclesias, è quarum prædiis fructus percipitis, eò magnificentiùs & augustiùs, quò amplioribus donis bonisve, augustiorique liberalitate dotatæ sunt, illustri opere, præclaro opere reficite, egregiisque muneribus exornate, tum omni ecclesiasticæ supellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam ecclesiasticam erogare, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis: quibus egentibus & esurientibus cùm subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis in conspectu Domini. Memores estote ejus, quod à sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles ex animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

Vos item alii quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium propriè ad divini cultus, pauperumque usum commissum est, cavete, ne ambitione aut cupiditate prolapsi in alium, quàm cui addictum est, usum convertatis; idque propterea sacrilegii rei damnationem æternam subeatis.

Quod S. Carolus suorum Conciliorum sanctionibus edixit, assidua praxi, seu liberalitate toto vitæ curriculo perseveratâ roboravit: siquidem illum ipsius misericordiæ præcordia habuisse, & opibus excellentem, sed multò etiam animo, quàm divitiis locupletiorem, semperque in erogands potiùs quàm in contrahenda pecunia occupatum fuisse profitebitur quisquis in legenda ipsius Vita nonnihil temporis impendere voluerit. Quod enim possidebat, intuebatur ut patrimonium in Sacerdotum & Clericorum & pauperum gratiam Christi sanguine redemptum, atque adeo in Sacerdotes & Clericos, utpote ejusdem Christi ministros, & in pauperes, utpote Christi non solùm membra, sed etiam viscera, conferendum, & liberali, imò prodiga manu effundendum.

Ex viro eo animato animo, labentis annonæ subsidia oriebantur universis, & privatim alimenta inopiâ laborantibus, dotes virginibus indotatis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur, hospites tanti Præsulis penatibus excepti, variis muneribus ornati dimittebantur: & quia ipse ille S. Carolus sicut sol in domo Dei refulsit, ideo nemo extitit, qui se absconderet à calore ejus, id est nemo, quantùm in ipso fuit, repertus est, qui in divinæ charitatis, quâ flagrabat, munificentiam, & providam profusionem opum, quarum usum sibi abjudicabat, experiretur: ita ut domus ejus miserorum perfugium, munificentiæ officina, charitatis domicilium, omnium denique viduarum, orphanorum & aliorum egestate vel alia calamitate conflictatorum solatium & asylum esse crederetur.

Ac reipsa sanctus ille Præsul ita in erogandas eleemosynas incubuit, ut tota ejus vita nihil aliud, quàm assidua divitiarum in egenos effusio fuisse videatur. Quid enim ad hujus rei probationem efficacius afferri potest, quàm eleemosyna, quâ quadraginta aureorum millia ex Uritano Principatu vendito conflata, uno die in pauperes erogavit.

Si cætera id genus facta, quæ toto vitæ curriculo ad ædificationem fidelium, ad instructionem Sacerdotum, & ad subsidium pauperum edidit, percensendo numerare vellem, hujus Operis fastigium in arduam immensamque spissi voluminis molem excresceret. Quid ergo superest, & quas partes agere debent, quotquot bene animati sunt erga Christum Jesum & Ecclesiam ipsius sanguine redemptam?

1°. Flagrantissimæ charitatis impetu ab ipso Christo flagitare debent, ut in omnibus, at præsertim in hominibus divino ministerio sua ordinatione mancipatis, excitet spiritum, cui beatus Carolus servivit.

2°. Debent lugere cum Ecclesia, cujus dolorem graphicè depingit S. Bernardus his verbis: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest. Ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi verò spreverunt me. Spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris.* Hactenus S. Bernardus Serm. 33. in Cant.

Faxit Deus opt. max. ut omnium Christianorum corda, & præsertim Sacerdotum accendantur eodem, vel certè aliquo divinæ gloriæ studio, quo S. Bernardi cæterorumque Patrum, dum in terris degerent, pectora conflagrarunt. Tunc enim omnium laicorum pariter & Clericorum virtutibus & meritis coronata reflorescerer Ecclesia, & omnes in Christo Jesu adunatos per sinceram fidem, per spem inconcussam, per flagrantem denique gratuitamque charitatem uberrima bonorum operum messe redimitam, ad cælestem Sanctorum omnium mercedem gloriamque proveheret: quæ gloria in æterna Dei fruitione posita, cùm sit omnium Dei operum finis, hujus pariter Operis finem faciet.

FINIS

DISSERTATIONIS DE SACRAMENTO ORDINIS.



DISSERTATIO VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PRÆFATIO.

SANCTI PATRES magni sacramenti in Christo & in Ecclesia, ut loquitur Apostolus, utilitatem & dignitatem variis nominibus & titulis extulerunt. Nam modò magnum illud sacramentum matrimonium appellavere, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm ut mater fiat, ut testatur S. Aug. lib. 10. cont. Faust. c. 26. Cur autem matrimonium dicatur potiùs, quàm patrimonium, cùm quæ fit mater, utrique marito patris nomen adjiciat? Inde ductum est, quòd domestica res sit parere, alere, educare & instituere teneram ætatem, & hæc peculiaris sit matris-familiâs intra parietes administratio: veteres legitimam conjugum societatem matrimonium potiùs quàm patrimonium appellare maluerunt. Revera maritus in foro, in republica vel in provincia, patrimonii vel comparandi vel augendi gratiâ negotiatur. Uxor verò in providam bonorum, mariti laboribus & industriâ collectorum, conservationem & dispensationem penitus incumbit. Vel ideo matrimonium potiùs quàm patrimonium à matris nomine non adepto jam, sed cum spe & omine mox adipiscendo, est denominatum, ut ait A. Gellius Noct. Attic. lib. 18. cap. 6. quod & asserit Isidorus Hispal. lib. 9. Etymol.

Illud ipsum matrimonii sacramentum tam Scripturæ, quàm sancti Patres nuptiarum nomine expresserunt, eo quòd antiquitus velamine (quod flammeum appellabatur) puellæ maritis per conjugii contractum mancipandæ obtegerent capita, veluti quadam nube, ut oculi (qui sunt pudoris sedes) velati & absconditi testatam facerent modestiam & pudorem puellarum quæ nuptui dabantur, & præterea ut operiretur earum venustas & elegantia, quæ aliàs sic tamquam periculosissimum irritamentum intuentium animos ad libidinem incitaret. Hujus rei pulcherrimum exemplum suppeditat Scriptura Genes. c. 20. v. 16. Cùm enim Sara ab Abimelech Rege Geraræ esset rapta, tamquam Abrahæ soror, quam non ut conjugem rapuerat, sed ut germanam sororem, eamque divina ultione reddere cogeretur, dixit Saræ: ***Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam.*** Perinde ac si diceret: Jussi mille argenteos (id est siclos) viro tuo numerari, ut tibi ancillæque tuæ capitum velamina compararetis, ne fortè aliis, ut mihi, oris venustate libidinosæ cujuspiam prolapsionis occasionem & offendiculum præbeatis. Revera veluti nova nupta vel flammeum habes, quo velère: ideo pecuniam impertii, ut illud emas; simul & ruborem, quo mendacii manifesta suffunderis, obnubet, atque omnem familiarium & ignotorum sinistram de tua pudicitia à me imminuta suspicionem diluet: facilè namque intelligent te, quæ tam solemniter & honorificè sis viro reddita, castè & pudicè à me habitam simul monebit, ut in posterum cautior talia pericula effugias. Quotiescumque enim recordaberis periculi pudicitiæ tuæ, in quod te implicasti, & vanæ simulationis, quæ tibi nihil præter faciei ruborem attulit, sapies usu docta, & ab tam ancipiti stratagemate in posterum abstinebis.

Illud ipsum matrimonium dicitur etiam ab nubendo seu obnubendo, id est velando connubium, eo quòd in ipsa matrimonii solemnitate mariti quas asciscebant conjuges, vel velamine, de quo suprà, vel propria veste, seu, ut loquitur S. Hieronymus, pinnâ pallii obumbrare consueverant. Quod quidem liquidò probatur ex eo, quòd Ruth cap. 3. v. 9. ipsam Ruth Moabitidem postulasse à Booz propinquo suo, cui ipsa debebatur uxor secundùm legem: ***Expande***, inquiebat ipsa Ruth, ***pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.*** Hæc autem verba de matrimonio esse intelligenda docuit Chaldæus his verbis: ***Vocetur nomen tuum super ancillam tuam ad accipiendum me in uxorem.*** Ex hoc loco verisimillimum est de hac obumbratione sponsali intelligenda esse verba Angeli sanctissimam Virginem ita compellantis: ***Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*** Nam per virtutem Altissimi intelligitur potentissima Patris æterni fœcunditas, quæ quidem per Spiritum sanctum in castissimum purissimæ, post hominum memoriam, virginis sinum impressa, ipsam illam Virginem ad divinæ maternitatis gloriam evexit, & reddidit integerrimam sponsam æterni Patris: utpote quæ eumdem numero filium, quem ipse Pater æternus ab omni æternitate semper natum, semper nasciturum generat, in plenitudine temporum, materna, imò divina fœcunditate, sine ullo virginalis integritatis dispendio generavit.

Porrò non est hîc prætereundum muliebris vela-

minis mysterium ab Apostolo 1. Cor. c. 11. v. 9. his verbis declaratum : *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput.* Hoc est, ut interpretantur sancti Patres, mulier debet gerere in capite vel supra caput potestatem, id est signum potestatis viri supra se, quod signum nihil est aliud, quàm velamen, de quo jam verba fecimus. Est enim metonymia, quâ signo rei significatæ nomen attribuitur. Hic est genuinus veterum interpretum sensus, ut legere est apud Tertullianum lib. 5. contra Marcion. cap. 8. & de velandis virgin. cap. 7. & ult. ubi in eum sensum potestatem accipit : *Velamen*, inquit, *jugum illarum est.* Istam mulieris ad maritum subjectionem ait Hugo de S. Victore, sanciri per societatem illam, quam Deus creator à principio inter masculum & fœminam instituit, quando mulierem de latere viri formatam eidem sociavit. Quia enim socia data est, non ancilla, aut domina; idcirco nec de summo, nec de imo, sed de medio fuerat producenda. Si enim de capite fieret, de summo fieret; & videretur ad dominationem creata : si autem de pedibus fieret, de imo fieret; & videretur ad servitutem subjicienda. Propterea de medio facta est, ut ad æqualitatem societatis facta probaretur. In hoc tamen quodammodo inferior ipso, quòd facta est de ipso, ut ad ipsum semper quasi ad principium suum respiceret, & ei individuè adhærendo, ab ea se, quæ ad invicem constare debebat, societate non separaret. Hæc ergo societas conjugium est, qui fœdere sponsionis mutuæ consecratur, quando uterque voluntaria promissione debitorem se facit alteri, ut deinceps neque ad alienam altero vivente societatem transeat; neque se ab illa quæ ad invicem constat, societate disjungat. Hactenus Hugo de S. Victore Eruditionis Theologicæ de sacramento libro 2. part. undecima.

Præterea matrimonium dicitur conjugium à conjungendo, utpote quòd mulierem cum viro conjungat, ita ut si ad matrimonii essentiam accedat copula carnalis, fiant duo in carne una. Vel à jugo dicitur conjugium, deductâ metaphorâ à bobus & equis eodem jugo ad trahendos currus invicem colligatis : siquidem ambo conjuges simul ad perferenda matrimonii onera, & ad individuam vitæ societatem ejusdem matrimonii fœdere alligantur. Quod eò clarius est, quò certiùs Apostolus 2. Corinth. cap. 6. v. 14. ipsum illud, de quo loquimur matrimonium, appellat jugum.

Hactenus de matrimonii nomine, nunc igitur ad ejus essentiam & definitionem properandum est. Sit itaque

---

Quæstio I.

Quid est, vel quomodo matrimonium definiendum est.

RESPONDEO, matrimonium bifariàm posse considerari, vel ut officium naturæ, vel ut sacramentum novæ legis.

Matrimonium igitur ut naturæ officium, seu in genere spectatum, rectè definiri potest, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens, vel ad eam retinendam instituta.

1°. Matrimonium dicitur conjunctio, id est ex communi Theologorum sententia, obligatio, vinculum & nexus ille mutuus, qui ex consensu interno & ex pactione externa inter virum & mulierem legitimè inita resultat. Unde hujusmodi vinculum rectè definitur, relatio realis quæ fundatur in actione externa & reali, scilicet externo contractu, seu externa pactione. Neque enim ad matrimonium contrahendum internus consensus sufficeret. Ergo vinculum illud, quod unum & solum matrimonii essentiam constituit, ut mox visuri sumus, ex contractu externo subnititur. Non ergò conjunctionis nomine hac in definitione intelligendus est actus ille, quo primùm vir & mulier conjunguntur per mutuum consensum verbis expressum, quippe qui momentaneus est. Cùm enim matrimonium sit fixum, stabile & insolubile, quamdiu superstites sunt conjugati, illud ipsum in re fixa & permanente, id est in præfato vinculo consistere necesse est.

2°. Dicitur maritalis, non uxoria hæc conjunctio, quæ tametsi spectet ad utriusque conjugis officia, præsertim tamen ad maritalia officia pertinere dicitur, eo quòd juxta Apostolum 1. Cor. cap. 11. v. 9. *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Vel ideo hæc conjunctio dicitur maritalis, quia illi ipsi qui contrahunt, eo quem declarant, consensu ad se invicem expressè vel tacitè sui corporis dominium in usum conjugii transferunt.

3°. Additur, inter legitimas personas, id est inter virum & mulierem, quos neque natura ad ineundum matrimonium inhabiles fecerit, neque ulla lex positiva matrimonium contrahere prohibuerit.

4°. Additur, viri & mulieris, ad excludendam polygamiam olim permissam & toleratam, nunc autem omnimodis prohibitam.

5°. Denique additur, individuam vitæ consuetudinem seu societatem retinens, vel ad retinendam instituta, ut resciscant se ad talem vitæ societatem obligari, nisi vel plures, vel certè intervenerit aliquis ex iis casibus, propter quos Ecclesia conjugum separationem quoad thorum & cohabitationem factitari posse declaraverit.

Quæ quidem declaratio non dirimit matrimonium : ipsa illa siquidem Ecclesia matrimonii vinculum nulla de causa dissolvi posse, semper docuit, ut patet ex Concilio Tridentino session. 24. can. 5.

Quæstio II.

Qua in re posita sit matrimonii essentia.

UT huic quæstioni fiat satis,
Observandum est, in matrimonio septem reperiri.

1°. Invenitur mutuus consensus.

2°. Contractus externus.

3°. Mutua corporum traditio, quæ est immediatus contractûs initi effectus.

4°. Vinculum insolubile ex præfato contractu derivatum.

5°. Mutua obligatio ad reddendum debitum.

6°. Jus quod est in unoquoque ad alterum.

7°. Denique usus & consummatio matrimonii.

His ita prælibatis, contendimus, neque per mutuum consensum contrahentium, neque per contractum externum constitui essentiam matrimonii, tum quia tam consensus contrahentium, quàm contractus externus transit; matrimonium autem usque ad alterutrius conjugis mortem perseverat.

Præterea matrimonium non est ipse contrahentium consensus, sed quædam unio ordinatorum ad invicem, quam consensus facit : nec consensus propriè loquendo conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem ejus, quâ factum est ut Ecclesiæ conjungeretur, ut asserit S. Thomas ad

dist. 27. lib. 4. q. 1. a. 2. in respons. ad 1. quæstiunc. ad 2.

Ex doctrina igitur S. Thomæ, consensus est causa efficiens matrimonii, sicut & contractus externus ad ejusdem matrimonii efficientiam pertinet; ergo neuter matrimonii essentiam constituit. Nemo enim vel tantisper eruditus inveniri potest, quin effectricem cujuspiam rei causam ab ejus essentia penitus discrepare fateatur.

2°. Præterea dicimus, matrimonii essentiam non esse positam in mutua traditione corporum, quia semel facta transit, nec prohibet quominus matrimonium stabile permaneat.

Ejusdem matrimonii essentiam non constituit mutua obligatio & subjectio ad reddendum debitum: illa enim alterutrius conjugis adulterio tollitur, vel per religionis ingressum stante & perseverante matrimonii consummati vinculo penitus abolescit.

3°. Contendimus, copulam carnalem non pertinere ad essentiam matrimonii; siquidem omissis cæterorum Patrum testimoniis, quibus illa nostra assertio astrui potest, id probaturi sumus unius S. Augustini authoritate, quâ verum inter beatam Virginem & sanctum Joseph matrimonium intercessisse comprobant eruditi quique Theologi, tametsi ab sanctissimis illis conjugibus copula carnalis ita volente Deo longissimè abfuerit: quia videlicet fuit inter eos charitas conjugalis, quæ conjuges facit, non libido, ut disertè pronuntiat ille ipse S. Augustinus serm. 63. de divers. c. 13. Id ipsum confirmat idem Aug. pluribus in locis. 1°. nempe lib. de nuptiis & concup. c. 11. *Quibus verò placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere*, ait, *absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ chariùs concordiùsque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* Hæc ibi.

Postea delabitur ad conjugium B. Virginis & S. Joseph, & sic loquitur: *Propter hoc*, inquit, *fidele conjugium parentes Christi vocari ambo* (Maria & Juseph) *meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater solâ mente, sive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis.*

Paulò pòst eod. cap. id ipsum confirmat: *Omne itaque*, inquit, *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium: solus ibi nuptialis concubitus non fuit.* Unde ex S. Augustino discimus, quòd Christi parentes ambo non essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.

Eodem lib. 1. de nupt. & concup. c. 12. *Non est igitur hæc libido*, inquit idem S. Augustinus, *nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt.* Hæc ibi.

Quod asserit variis in locis S. Augustinus, asserunt & Nicolaus Papa, S. Ambrosius, ut legere est apud Gratian. q. 2. capitulis 5. 9. 35. Quod & senserunt Innocentius Papa III. & Gregorius Papa IX. cap. *Tua* & cap. *Si inter virum*. Tit. *de sponsalibus & matrimoniis.*

Ut igitur concludamus secundam hanc quæstionem, & dicamus apertè, quâ in re posita sit matrimonii essentia, & satisfaciamus quæstioni, quâ quæritur, utrum præfata illa essentia consistat in expresso contrahentium consensu, vel in vinculo ex contractu externo seu ex eorumdem externa pactione resultante; contendimus hanc quæstionem de uno dumtaxat nomine agitari. Cum enim matrimonium sit ab omnium sacramentorum institutore Christo ad sacramenti dignitatem & sanctimoniam evectum, est actus transiens, sicut & cætera sacramenta, quæ statim atque sunt collata, transeunt, præter augustissimum Eucharistiæ sacramentum, quod hæreticorum ingratiis, veluti mysterium stabile & permanens Ecclesia Catholica veneratur. Si igitur matrimonium spectetur ut aliquid transiens, essentialiter in contrahentium consensu vertitur & insistit. Si autem consideretur ut quid stabile & permanens, ejus essentia in insolubili vinculo ex contractu externo seu externa conjugatorum pactione suborto posita est, atque ita quod permanet, ab transeunte sacramento, velut ejus effectus producitur. Quia autem ut plurimùm spectatur matrimonium ut sacrum quoddam fœdus, cujus insolubili nexu vir & mulier ad invicem sunt alligati, ideo ejus essentia ex communi Theologorum sententia in præfato vinculo statuitur: utpote quæ nec in mutuo contrahentium consensu, nec in mutua corporum traditione, nec in mutua ad reddendum debitum obligatione, nec in jure quod conjugati habent in invicem, nec in usu matrimonii, ut tota hac quæstione probavimus, posita censeatur.

Hactenus de matrimonio, prout est officium naturæ, egimus, jam definiendum est, quatenus inter septem novæ legis sacramenta numeratur. Sit itaque

---

QUÆSTIO III.

An matrimonium, sive prout est officium naturæ, sive prout est sacramentum, sit divinitus institutum.

Prima conclusio.

MATRIMONIUM, prout est naturæ officium, ab ipsomet Deo immediatè institutum est hoc ipso, quòd mulierem ex costa viri dormientis efformatam eidem viro in individuam vitæ societatem copulavit, & utrumque benedixit, ut indita fœcunditate crescerent & multiplicarentur. Ita docet S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei toto cap. 21. *Nos autem nullomodo dubitamus*, inquit, *secundùm benedictionem Dei crescere & multiplicari, & implere terram, esse donum nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam: qui sexus evidens utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio subjuncta est. Nam cùm Scriptura dixisset, Masculum & fœminam fecit eos, continuò subdidit, Et benedixit eos, dicens, Crescite & multiplicamini, &c.* Per hæc verba, institutum esse matrimonium, omnes post S. Augustinum Theologi docuerunt. Neque dicendum est, per hæc verba Deum tantùm instituisse matrimonium, quod inter Adamum & Evam intercessit: sed affirmandum est, omnia omnino matrimonia per secuturorum seriem sæculorum contrahenda fuisse in primo illo primorum hominum conjugio pariter instituta & confecrata.

1°. Quia cùm Adam divino afflatu velut organum Dei hæc verba protulit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*; non de se tantùm, sed indefinitè, & universim de quolibet homine deinceps matrimonium inituro loquitur: alioquin incurreret in errorem & mendacium; siquidem nec habebat patrem, nec matrem quos relinqueret.

2°. Christus de matrimoniis apud Judæos celebrari solitis, & eorum vinculo interrogatus, satis

indicat, Deum esse institutorem omnium matrimoniorum rite initorum, per hæc verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Secunda conclusio.

Matrimonium prout est officium naturæ, ante peccatum institutum est ad prolis procreationem; post peccatum verò institutum est in concupiscentiæ remedium, non quòd institutione à priore distincta instauratum fuerit, sed quòd (ut discimus ex S. Augustino l. 9. de Gen. ad litt. c. 7.) illud ipsum quod ante peccatum ad generis humani propagationem divinitus institutum fuerat, post peccatum ad sedandam concupiscentiæ rebellionem Deo ita volente & ordinante valere cœperit.

Tertia conclusio.

Matrimonium prout repræsentat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, institutum est à Christo, & ab ipso ad sacramenti dignitatem est evectum, & ab Ecclesia Catholica inter septem, quibus adornatur, sacramenta, nullo reclamante, annumeratum.

Doctrinam hanc ad fidem Catholicam pertinere tam luculenter declaraverunt Concilia, ut nemo illam pertinaciter abnegare possit, quin eorumdem Conciliorum anathemate feriatur. Inprimis Concilium Constantiense sess. 15. Eugenius Papa IV. in decreto quod in Concilio Florentino legitur: Concilium Senonense in decretis fidei cap. 10. Item Concilium Coloniense part. 7. cap. 1. Item Augustense cap. 15. Item Moguntinum cap. 11. Et tandem Concilium Trident. sic ea de re locutum: *Si quis dixerit matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathema sit.*

Quarta conclusio.

Matrimonium, quod inter novæ legis sacramenta annumerandum sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt, hoc habet cum cæteris sacramentis commune, quòd sit rei sacræ signum, & iis à quibus legitimè conficitur pariter & suscipitur, gratiam ex Christi Jesu institutione conferat.

Hæc doctrina pertinet ad fidem Catholicam, ut patet, & probatur quoad primam partem, quâ scilicet matrimonium rei sacræ signum (sicut & cætera sacramenta) nominatur.

Hoc insigniter astruit Apostolus Ephes. cap. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est*, inquit: *ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*; vel ut Græcè legitur, *in Christum & in Ecclesiam*: sicut & legit Tertullianus lib. 5. cont. Marcion. cap. 18. & S. Augustinus in Psalm. 138. & alii.

Dicitur autem matrimonium magnum sacramentum ob magnitudinem mysterii, ad cujus vivam repræsentationem institutum est. Ac reipsa quidem si sacramentorum dignitas ex eo, quod arcana significatione repræsentant, æstimatur, haud dubiè sensibilem illam viri fœminæque conjunctionem ceu magnum sacramentum æstimari oportere, nemo inficiari potest. Siquidem ex unanimi sanctorum Patrum consensu significat stupendum & ipsis etiam Angelis adorandum Incarnationis mysterium, quo Deus divinam naturam ineffabili nexu sic humanæ naturæ conjunxit, ut in unam eamdemque hypostasim ambæ coalescerent, id est anima humana & caro humana à Christo per tantum mysterium assumptæ, in ipsa dumtaxat Verbi persona subsisterent.

Voluit igitur Apostolus significationem matrimonii à Christo per mysterium Incarnationis cum natura humana initi, per conjugia inter homines contrahi solita exprimi, sic ut per virum Christus, & per mulierem Ecclesia, & per eorum inter se conjunctionem, Christi cum Ecclesia conjunctio ex divina institutione significaretur. Quod ex ejus loco proximè recitato cernitur, ubi repetitis ex Genesi verbis illis, *Propter hoc relinquet homo, &c.* infert, *Sacramentum hoc magnum est*, id est arctissima illa conjugum inter se societas, de qua dicitur: *Relinquet homo patrem, &c.* magnæ alicujus sacræ & arcanæ rei signum est. Quale autem & quantum sit hoc signum, explicat in hæc verba: *Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*; vel Græcè, *in Christum & in Ecclesiam.* Ea siquidem verba liquidò significant, Christum & Ecclesiam esse terminum illius mysticæ significationis, ac proinde humanum viri & fœminæ conjugium, esse mysterium sive arcanum quoddam symbolum, cujus significatio ad Christum velut sponsum, & ad Ecclesiam veluti sponsam ex divina institutione referatur.

Revera si in stupendo Incarnationis mysterio tam dissimiles naturæ, divina scilicet & humana, in unam convenere personam citra substantiarum confusionem, in matrimonio personæ sine ulla sexûs confusione copulantur: si in incarnatione Verbi naturis junctis, non confusis, suus manet ordo, & quod potius est, (natura scilicet divina) quod est infirmius, id est naturam humanam amplectitur & sustinet; in matrimonii fœdere, viro sua manet authoritas, si tamen moderatur infirmiorem sexum, ut sine authoritatis dispendio sese attemperet ad mulierum fragilitatem, nec herilem dominatum in eas exerceat. Si in incarnatione Christus de cælo descendit è sinu Patris, sic tamquam relicto patre, matre etiam, id est Synagoga, (ut asserit S. Prosper sententiâ 328 ex S. Augustino) vel cælesti Jerusalem, (ut ait S. Hieronymus in citatum Apostoli locum) ut Ecclesiæ æterno unionis hypostaticæ vinculo conjungeretur, & unum cum illa corpus efficeretur; nonne hoc mysterium insigniter adumbratum & prænuntiatum est, cùm primus homo divino afflatu & in persona Dei matrimonium instituentis hæc verba protulit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Si denique per Incarnationis mysterium ipse ille Christus ad spiritualem sobolem in omnia sæcula propagandam, Ecclesiæ in plenitudine temporum est copulatus; nonne in ipso mundi nascentis exordio primis omnium nostrûm parentibus benedixit Deus, id est impertiit fœcunditatem, quâ tam ipsi, quàm procreandi ex ipsis posteri homines usque ad consummationem sæculi generarentur, atque ita conjugium fieret humani generis procreabile sacramentum, ut affirmat Cassiodorus lib. 1. Ep. 10.

Matrimonium igitur est magnum sacramentum, quia per illud Christus veluti sponsus, & Ecclesia veluti sponsa repræsentatur, ut patet ex toto Canticorum libro, ex Psalmo 44. ex Apocal. cap. 19. & 21. Quod etiam aperiè probant SS. Patres, Tertullianus lib. 3. contra Marcion. cap. 5. S. Gregorius Nazianz. orat. 31. S. Hilarius in cap. 19. Matth. S. Aug. l. 1. de nupt. & concup. cap. 21. tractat. 9. & 10. in Joann. & alii passim, qui citatum Apostoli locum interpretati sunt.

Quinta conclusio.

Si locus ex cap. 5. Epist. ad Ephesios adductus non satis convincit, matrimonium appellatum esse propriè & strictè sacramentum in ea significatione, quâ dicimus esse septem sacramenta novæ legis, ut existimavere viri apprimè Catholici Cajetanus,

Estius, Gabriel Vasquez, & alii qui contendunt, per sacramentum quod eo loco magnum dicitur, significari aliquid abditum & arcanum, id est conjunctionem Christi cum Ecclesia, ita tamen ut non rectè inferatur ex eodem loco, matrimonium inter sacramenta novæ legis annumerandum esse: Si, inquam, hic Apostoli locus non satis evincat, matrimonium esse unum ex sacramentis novæ legis, quibus id ex divina institutione inditum est, ut eam quam significant, gratiam producant; asserendum est cum veteribus Scripturarum interpretibus, matrimonium quod ante Christum erat civilis duntaxat contractus, fuisse evectum ad sacramenti dignitatem, & esse institutum à Christo, ut sacramentum novæ legis, quod & esset sacræ rei signum, & gratiam fidelibus communicandam contineret, cùm scilicet nuptiis in Cana Galilææ celebratis interfuit, easque spirituali benedictione consecravit. Neque enim tunc solùm bene precatus est nuptiis, vel aquam in vinum convertit, sed etiam ipsi matrimonio gratiam annexuit, conjugalemque castimoniam addito ejusdem gratiæ subsidio roboravit.

Hujus benedictionis, quâ matrimonium ad legis evangelicæ sacramenta est ascriptum, ita meminere Patres Concilii Ephesini, ut eam non quidem sacris Litteris consignatam, sed veluti traditione ad ipsos transmissam approbent. Unde ex eo facto, quo Christus nuptiis Cana Galilææ celebratis benedixit, intulere Catholici, matrimonium illo ipso facto ad cæterorum novæ legis sacramentorum dignitatem & efficientiam esse provectum. Quod & confirmat Cyrillus Alexandrinus in Joann. Item S. Epiphanius qui hæresi 51. quæ est Alogorum, ait, Christum duabus de causis videri fuisse invitatum. Primùm, ut aquæ similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem, nuptiarum castimoniâ & honestate constringeret; tum ut quod deerat, emendaret, ac jucundissimi vini suavitate mulceret & gratiæ. Hæc ibi. Item S. August. tract. 9. in Joann.

Quicquid supponatur aut asseratur de matrimonio ad sacramenti dignitatem ab Christo ejus institutore evecto, numquam meliùs & certiùs probabitur, illud esse veri nominis sacramentum, & inter septem novæ legis sacramenta esse annumerandum, quàm cùm in eum finem traditionis authoritas affertur. Quod præclarè factitatum est ab Concilio Tridentino session. 24. in doctrina de matrimonii sacramento: *Cum igitur matrimonium*, inquit, *in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, meritò inter novæ legis sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Hactenus Concilium loco citato.

Hanc traditionem veluti certam fidei regulam habuere tam SS. Patres, quàm Concilia, cùm matrimonium ad sacramenta novæ legis, & unum ex illis, pertinere, definire voluerunt. Revera hujusmodi traditio pellucet ex multis argumentis.

1°. Quòd ordinariè causæ matrimoniales semper ad Ecclesiæ tribunal delatæ sunt, quod non fieret, nisi sacræ essent, & nisi matrimonii contractum, posthabitâ naturalis contractûs ratione, sacra quædam ratio nobilitaret.

2°. Ratio petitur ex eo, quòd matrimonium constanter in Ecclesia sacris ritibus tanquam res sacra celebrari solitum est, ut constat ex Evaristo cap. *Aliter*. 30. q. 5. qui & affirmat, hoc haberi per traditionem ab Apostolis transmissam, & in sequentia sæcula derivatam.

3°. Concilium Carthaginense IV. cui S. Augustinus interfuit, cap. 13. meminit benedictionis ecclesiasticæ & Missæ celebratæ, dum matrimonium benedicitur. Hujus etiam benedictionis meminerunt Evaristus loco citato, & Siricius Epist. 1. cap. 4. & S. Ambrosius Epist. 70.

Ex dictis constat, matrimonium esse inter sacramenta novæ legis annumerandum, quia ab Christo institutum, & est signum rei sacræ. Jam quærendum, utrum gratiam conferat. Sit itaque

---

QUÆSTIO IV.

Utrum matrimonium ex vi suæ institutionis gratiam conferat, & quos effectus hujusmodi gratia producat.

Prima conclusio.

CUM fides Catholica apertè profiteatur, matrimonium esse novæ legis sacramentum, nemo citra errorem, imò hæresim inficiari potest, per illud, sicut & per cætera ejusdem novæ legis sacramenta, fidelibus gratiam conferri. Hanc conclusionem astruunt tria Concilia œcumenica, quorum

Primum est, Ephesinum conflatum ex ducentis Episcopis, qui omnes unanimi consensu declaravere, Christum, quando invitatus sese contulit ad nuptias in Cana Galilææ celebratas, easque insigni miraculo aquæ in vinum conversæ cohonestare dignatus est, ut legitur Joan. cap. 2. nuptiis ipsis benedixisse, id est bene precatum esse, scilicet ut hominem, ac proinde ut Deum, benefecisse, & gratiam attulisse, id est, ut patet, indidisse matrimonio gratiam, quæ in animos illud rite suscipientium ex divina institutione derivaretur.

Secundum Concilium œcumenicum id ipsum, quod asserimus, approbans, est Concilium Florentinum generale XVI. sub Eugenio Papa IV. anno Redemptoris 1428. & 1430. celebratum. Nam in decretis super unione Jacobinorum & Armenorum declarat esse septem sacramenta novæ legis, in quibus recenset matrimonium, atque ipsis multùm differre à sacramentis antiquæ legis eo nomine, quòd non causarent gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurarent; sacramenta autem novæ legis & contineant gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferant.

Tertium denique Concilium œcumenicum, Tridentinum scilicet, duo ista dogmata, matrimonium scilicet esse sacramentum novæ legis, & fidelibus conferre gratiam, (tamquam divinæ fidei articulos) toti Ecclesiæ, quaquà patet, credenda sub anathematis interminatione proposuit, ut patet ex 1. can. sessionis 24. quæ tota est de matrimonii sacramento.

Idem ipsum declaravit Lucius ante Florentinum Tridentinumque Concilium, ut constat ex ejus decreto, quod legitur cap. *Ad abolendam. de hæreticis.*

Ad hæc testimonia accedunt & rationes, quarum

Prima petitur ex educatione liberorum. Neque enim suo satisfaciunt officio, qui prolem in conjugio suscipiunt, & Christianam ejus educationem animadvertendâ quadam incuriâ negligunt, siquidem contempta puerorum educatione gravissimum Dei præceptum infringunt, quo omnes conjugati suos liberos divinis mysteriis & mandatis imbuere, vel viris probatæ virtutis & doctrinæ lusce rebus imbuendos in disciplinam, interpositâ mortis æternæ pœnâ tradere jubentur, ut ipsi Deo famulari, eumque in omnibus & super omnia diligere valeant. Quod quidem cùm ab iis absque singulari divinæ gratiæ auxilio præstari nequeat, & aliunde in ac-

curata

curata Christianæ præsertim juventutis educatione, tum ad obeundam hujus vitæ sanctimoniam, tum ad alterius fœlicitatem comparandam maxima sint momenta, non est credibile, Deum opt. max. ita instituisse matrimonium, ut illud auxiliis ad implenda tot & tanta (quæ illi circa liberos & procreandos & rite instituendos annexuit) officia, necessariis destituere voluit.

Secunda ratio, quâ probari potest necessitas gratiæ, quam sacramentorum institutor Christus matrimonio, sicut & cæteris sacramentis, indidit, petitur ex ejusdem matrimonii vinculo, quod ita arctum & insolubile est, ut nulla ex causa vel dispensatione solvi, & alterum matrimonium superstite utroque conjuge contrahi nequeat. Unde fit ut tale vinculum sæpe perrumperetur inter crebras, quas sibi invicem molestias exhibent conjugati, nisi peculiaris quædam gratia in officio seu in individua vitæ societate retineret.

Secunda conclusio.

Gratia matrimonii sacramento divinitus affixa ad varios effectus conjugatorum, & quos suscipiunt, liberorum saluti necessarios collineat: quorum

Primus est, ut hujusmodi gratia naturalem conjugum amorem perficiat, & indissolubilem unitatem confirmet. Juvat hac de re audire Concilium Tridentinum: *Gratiam verò*, inquit, *quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Hactenus Concilium in doctrina de sacram. matrimonii.

Secundus conjugalis gratiæ effectus est, ut conjuges utantur matrimonio, sicut decet Sanctos, id est cum timore Dei: non cum effrænatæ libidinis ardore conjugium ineant, & in ipso inito degant, atque verè profiteri possint, quod olim professa est Sara, cui cùm mors inopinata septem virorum, quibuscum nupserat, quosque dæmonium prima nuptiarum nocte oppresserat, ab ancilla pervicaciter objiceretur, hanc orationem ex intimo exulcerati cordis affectu ad Deum extulit: *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me; neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.* Hæc legere est Tob. cap. 3. v. 16. 17. & 18.

Tertius matrimonialis gratiæ effectus in hoc positus est, ut conjugati non sinant sese effrænatæ libidinis impetu belluarum ad instar abripi, sed juxta apostolicum effatum & præceptum his verbis comprehensum: *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus*; perinde ac si diceret: Præcipio ut omnes personæ per magnum matrimonii sacramentum conjunctæ & adunatæ servent honorem conjugii, & torum immaculatum, ita ut hujusmodi hominum nemo infringat conjugii fidem per adulteria, nec ab ipsis inter se conjugibus admittatur quicquam, quo tori conjugalis puritas & castimonia violari dedecorarique valeat. Quicquid igitur pertinet ad abominandas libidinum species, nec maritus jus habet ab uxore petendi, nec uxor tenetur obsequii lege. Imò ipse ille corporum contactus, qui vitari non potest, debet esse castissimus, & apprimè moderatus, qui ad assequendum primarium conjugii finem sufficiat, id est certis circumscribatur finibus, quos ultra citraque Christiani matrimonii sanctitas & rectitudo consistere nequeat: cùm ex adverso luxus & libido feratur in immensum & abripiatur. Quidquod, incontinentem maritum uxoris adulterum appellat S. Ambrosius, ut testatur S. Augustinus. Usque adeo verum est, oportere conjugatos ita consuescere in usu conjugii, ut matrimonium sit sobrium, verecundum & castum, &, quantùm licet, virginitati simillimum, & mariti verè Christiani possint coram Deo dicere quod olim profitebatur Tobias junior, Tob. c. 8. v. 8. & 9. *Tu fecisti Adam de limo terræ*, aiebat, *dedisti ei adjutorium Hevam. Et nunc, Domine; tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

Quartus ejusdem gratiæ conjugalis effectus eò tendit, ut tribulationem carnis, de qua Apostolus 1. Corinth. c. 7. veluti de appendice nuptiarum prædicat, æquiori animo ferant conjugati. Qualis autem & quanta sit hujusmodi tribulatio, egregiè declarant sancti Patres, & inprimis S. Basilius tom. 1. in tractat. de vera virginitate, & S. Joannes Chrysostomus in serm. de libello repudii, & uberiùs in lib. de virginitate cap. 57. Porrò hanc carnis tribulationem docent SS. Patres esse tolerandam ab iis, quibus melius est nubere quàm uri. Sic enim loquitur S. Augustinus in libro de sancta virginit. cap. 16. *Istam*, inquit, *tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur.* Hæc ibi.

Quintus ejusdem gratiæ effectus est sedula & Christiana liberorum educatio, de qua sic loquitur S. Fulgentius: *Nutriantur*, inquit, *filii secundùm Apostoli præceptum, in disciplina & correptione Domini, nec permittantur impudicè aut luxuriose vivere, cùm non lasciviæ, sed castitati ac temperantiæ proles debeat Christiana servire. Neque enim & de malis operibus filiorum, non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia judicanda, cùm & in hoc sæculo propterea Heli Sacerdos à Domino reprobatus fuerit & abjectus, non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes, mansueto quamvis sermone monuerit, prohibere tamen competenti severitate cessavit. Magis autem parentes qui verè diligunt filios, benè operando eis consulant, quàm divitias colligendo, ne dum filiis tenaciter substantia colligitur, opportunitas boni operis omittatur.* Hactenus S. Fulgent. in Epist. 1. de conjugali debito cap. 10.

Cùm igitur ista liberorum educatio tantum in vita civili & Christiana momentum obtineat, Deus ingenti misericordia ingentem gratiam matrimonio affixit, ne plerique omnes conjugati deessent huic officio, & in mortis æternæ reatum incurrerent. Vide hac de re primam rationem, quâ necessitatem divinæ gratiæ ex hoc argumento astruimus.

Sextus denique gratiæ matrimonialis effectus in hoc omnino positus est, ut uxores maritis suis morigeras præbeant sese; & si fortè maritos morosos, difficiles, dyscolos, libidinosos, feroces & inhumanos nactæ fuerint, eos sua integritate, pietate, modestia, temperantia, castitate, tolerantiaque pervincant atque permolliant, ac denique Christo lucrifaciant: & mariti vicissim nequaquam abutantur authoritate sua, quasi suas in uxores tyrannidem exercerent; sed præbeant se commodos convictores, suâque sapientiâ fœminei sexûs imbecillitati subveniant. Quò enim plus animi corporisque viribus valent, hoc magis eos infirmitati mulierum opitulari necesse est, ut ipsorum institutione & moderatione reddantur meliores, ac veluti deposito sexu ad evangelicam pietatem in dies adolescant. Ita Spiritus sanctus conjugatos mutuos defectus & nævos æquiore animo

perferre præcipit, 1. Pet. cap. 3. v. 3. & seqq.

Quòd si (ut fieri amat) mulieres gravioribus, ut plurimum, injuriis afficiantur in conjugio, imitentur mirabilem sanctæ Monicæ prudentiam & patientiam, quâ ferocem mariti animum mitigavit, & ad meliorem frugem opitulante divina gratia traduxit. Legant eum in finem caput octavum libri 9. Confess. S. Augustini, mulierculæ morosis hominibus oneratæ, & inibi discant quomodo se gerere debeant erga maritos, quantumvis intractabiles & dyscolos, ne suâ impatientiâ in æternum ruant interitum.

Hactenus prosecuti sumus matrimonialis gratiæ effectus, quos proculdubio experirentur conjugati, nisi hujusmodi gratiam indigna matrimonii perceptione præfocarent, vel acceptam infandis libidinibus & vitiis obruerent.

Ex dictis hactenus constat, matrimonium esse sacramentum novæ legis, atque adeo conferre gratiam, cujus adminiculo conjugati suas partes rite, id est divinæ legi congruenter implere valeant. Potest igitur matrimonium sub sacramenti ratione consideratum rectè definiri, legitimus viri & fœminæ contractus, quo vir & fœmina contrahentes mutuam sibi corporum suorum potestatem tradunt, & annexam tali contractui, seu sacramento gratiam percipiunt, si sint fideles, id est in Christo regenerati. Quæ postrema verba huic definitioni attexere placuit, ut matrimonium Christianorum ab matrimoniis in lege naturæ & Mosaïca & in infidelitate contractis legitimè secerneretur. Illud enim solùm sacramenti nomine ab ipso Christo nobilitatum est, cùm cætera meri dumtaxat contractus naturales extiterint.

Cùm constet, matrimonium esse novæ legis sacramentum, & conferre gratiam, juvat aliquid de ejus materia & forma edisserere. Sit itaque

---

QUÆSTIO V.

Quænam sit materia & forma matrimonii.

UT hæc quæstio perspicuè dissolvatur, Observandum est, Theologos diversimodè materiam & formam matrimonii assignasse. Nam nonnulli crediderunt matrimonii ministrum esse Sacerdotem: & ideo dixerunt, hujus sacramenti materiam esse dumtaxat tam internos, quàm externos contrahentium actus, quibus sibi invicem suorum corporum potestatem dant & acceptant.

Quia, inquiunt, quemadmodum sacramenti pœnitentiæ materia consistit in actibus pœnitentis, eo quòd illud ipsum pœnitentiæ sacramentum essentialiter & per se exigat præfatos pœnitentis actus; ita etiam matrimonii sacramentum contrahentium actus essentialiter exigit: ergo tales actus veram matrimonii materiam constituunt.

Præterea iidem Authores affirmant, formam sacramenti matrimonii esse verba; quibus Sacerdos (quem unicum ejus ministrum constituunt) contrahentes conjungit in solemni ritu singulis in provinciis recepto, ut puta cùm dicit: *Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quia, inquiunt, forma sacramentorum novæ legis consistit in verbis, quibus utpore effectum sacramenti significantibus, ipsorum minister utitur.

Alii qui contrahentes sacramenti matrimonii ministros esse contendunt, aliam iniere viam, & constanter asseruere, matrimonii materiam duplicem assignari posse, remotam scilicet & proximam: remotam quidem nihil esse aliud quàm contrahentium corpora seu conjuges, quibus nullum impedimentum saltem dirimens contrahendi potestatem ademerit: proximam autem appellavere mutuam eorumdem corporum traditionem verbis vel signis idoneis expressam. Formam autem contenderunt esse mutuam utrinque acceptationem, conceptis hisce verbis aut similibus declaratam: *Ego te in meam uxorem accipio*; & vicissim: *Ego te in meum accipio maritum.*

Hanc esse matrimonii sacramenti materiam tam remotam, quàm proximam, & talem esse formam, probant ex natura cæterorum contractuum, in quibus res ipsa quæ venumdatur & emitur, habetur pro materia remota, & ipsa rei de qua fit contractus, traditio, verbis vel signis expressa; forma denique est rei venumdatæ & emptæ mutua utrobique acceptatio, verbis aut nutibus luculenter expressa. Vel ut aliis placet, sicut in unoquoque contractu reperitur materia, id est res ipsa, de qua contractus est, modò sit legitima, id est nulla lege impedita; forma autem sunt signa & verba externa, eaque nulli legi repugnantia, quibus contrahentium consensus citra ullam tergiversationem exprimatur. Et hi dicunt non esse assignandam in contractu materiam remotam distinctam à proxima, nec acceptationem ab consensu contrahentium perspicuè per verba aut signa patefacto. Nam ut patet, nemo alicui rei præberet assensum, nisi rem illam ex animo admitteret.

Hujusmodi hominum sententiam, ut verosimiliorem amplectimur, dicimusque in contractu matrimonii contrahentium corpora esse materiam, modò sint legitima, id est nulla lege ab contractuum pactionibus exclusa; formam autem esse verba legitima, id est legibus consonantia, vel loco verborum nutus, & signa, quibus contrahentium assensus exprimatur & innotescat.

Hoc ipsum ex aliorum contractuum analogia, seu similitudine commodè explicari potest. Sicut enim in contractu permutationis & venditionis res ipsæ quæ venduntur aut permutantur, sunt propria contractus materia; sic in contractu matrimonii, quod quidem importat corporum traditionem, sive spectetur ut civilis, sive ut contractus sacramentalis, ipsa illa corpora, quorum potestatem mutuò contrahentes impertiunt matrimonio, sive sub meri contractûs ratione, sive sub sacramenti dignitate considerato, veluti materia substernuntur. Nam matrimonium pro contractu merè civili acceptum definitur, contractus quo legitimæ personæ corporum suorum dominium ad usum conjugalem mutuò tradunt & accipiunt.

Si verò matrimonium accipiatur pro contractu sacramentali, definitur sacramentum novæ legis, quo vir & mulier baptizati corporum suorum dominium ad usum conjugalem, legitimè mutuò tradunt & accipiunt.

Ex his definitionibus liquidò cernitur & apparet, ipsa contrahentium corpora nulli alteri aut privato aut communitati alligata, esse propriam utriusque contractûs materiam.

Ad hanc materiam necesse est accedat forma, id est consensus & acceptatio contrahentium. Nam ex omnium Theologorum doctrina ad verum matrimonium requiritur talis forma, id est consensus per verba vel signa declaratus, seu iis quorum interest, legitimè significatus. Sicut enim in aliis contractibus consensus determinat materiam, circa quam hujusmodi contractus versantur; ita etiam in contractu matrimonii forma est consensus expressus per verba vel signa, quibus determinantur corpora, de quibus vir & mulier inter se paciscuntur. His ita constitutis, esto

Unica conclusio.

Non potest alia matrimonii sub sacramenti ratione spectari assignari forma, præter eam quam proximè assignavimus.

Hujus conclusionis probatio deducitur ex eo, quòd sacerdos non sit minister matrimonii sub sacramenti ratione considerati: ergo verba quæ adhibet in ipso matrimonii sacramento, non possunt assignari pro legitima matrimonii forma.

Plerique omnes Theologi reclamante uno, præsertim Magistro Cano, contendunt, nec ante, nec post Concilium Tridentinum, probabilem fuisse opinionem aientem, matrimonii quà sacramentum est, contrahentes non fuisse ministros, sed Sacerdotem proferentem, eosque conjungentem. Quinimo Soto in 4. dist. 26. q. 2. a. 2. negat ullo unquam tempore eam opinionem probabilem extitisse, atque adeo eam appellat temerariam. Item Petrus Ledesma intrepidè pronuntiat, sententiam Magistri Cano post Tridentinum non esse probabilem, sed notâ dignam, ut legere est apud ipsum de matrimonio quæst. 42. a. 1. difficultate quarta conclus. ultima. Item Gabriel Vasquez disput. 3. de matrimonio cap. 4. nu. 46. affirmat sententiam præfati Magistri Cano etiam post Concilium Florentinum & ante Tridentinum, nullatenus fuisse probabilem, & sine nota defendi non potuisse.

Ideoque turpiter hallucinatur Cano in eo, quòd ante Concilium Tridentinum firma & valida fuisse clandestina matrimonia fateatur, sed neget fuisse sacramenta eo nomine, quòd Sacerdotis ad ipsorum seu sacramentorum valorem & firmitatem necessarii ministerio non celebrarentur. Nam omnes Theologi docent, matrimonia clandestina fuisse veri nominis sacramenta.

1°. Quia cùm matrimonium sit contractus ex omnium assensu, nec probari possit, Christum illius naturam mutasse, sed ad sacramenti dignitatem evexisse, necessariò sequitur, aliorum contractuum naturam in eo positam, ut ipsi contrahentes sese invicem & ad invicem mutuo consensu devinciant, nec quisquam alius præter ipsos contractum efficiat. Quod rectè declarat Eugenius Papa IV. in decreto, quo Græcis & Armenis Ecclesiæ Catholicæ doctrinam circa mysteria sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis, & circa sacramenta tradidit. Cùm enim in dicto decreto §. *Septimum sacramentum*, assignaret efficientem matrimonii causam, his dumtaxat verbis usus est: *Causa efficiens matrimonii*, inquit, *regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Unde rectè & theologicè concludimus, Eugenium pronuntiasse, causam efficientem matrimonii nullam esse aliam, quàm mutuum viri & fœminæ, dum contrahunt, consensum.

Si quis dicetet, intelligendum esse Eugenium de matrimonio, quatenus est contractus, non autem quatenus est sacramentum, esset deridendum propinaret. Neque enim ibi agebatur de matrimonio quà contractus est, sed quà septimum constituit Ecclesiæ sacramentum, ut ipsa Decreti verba satis superque indicant. Præterea semper persuasum fuit in Ecclesia, quicquid de matrimonio, quà contractus est, affirmatum est, id etiam de matrimonio, quà sacramentum est, esse pronuntiatum.

2°. Si Sacerdotis verba verè constituissent formam sacramenti matrimonii ex institutione Christi, eam proculdubio institutionem nobis aliquando declarasset Ecclesia, sicut aliorum sacramentorum institutionem, materiam, formam, ministrum sedulò declaravit. Nam verendum erat, ne ipsa Christi institutionem ignorasse diceretur, & matrimonia quæ profectò non essent administrata in eam formam quam instituerat Christus, essent irrita, & potiùs essent illiciti concubitus, quàm vera matrimonia. Quod proculdubio evenisset. Nemo enim inficiari potest, nullum esse baptismum v. g. qui non conferretur in ea forma, quà Christus homines per illud sacramentum regenerari voluit: quod & de cæteris sacramentis dicendum est.

3°. Concilium Tridentinum sess. 24. in decreto de reformat. cap. 1. declarat matrimonia clandestina, antequam ab Ecclesia rescinderentur, fuisse rata & vera matrimonia: *Tametsi dubitandum non est*, inquit, *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant*. Hactenus Concilium.

Quod ejus decretum ut faciliùs intelligatur, observandum est, matrimonium dividi in legitimum, ratum & consummatum. Legitimum dicitur, quod legitimo consensu contrahitur, quale fit apud infideles. Ratum dicitur, quando est sacramentum, nondum tamen carnali copula consummatum: & sic matrimonium infidelium dicitur legitimum, non tamen ratum, quia non est sacramentum, ut habetur conceptis verbis c. *Quanto, de divort.* & explicat Concilium Coloniense, & docent omnes quos citat Covarruvias 4. Decret. 2. p. c. 1. §. unico, nu. 4. Dicitur autem matrimonium consummatum, quando est carnali copula perfectum.

His ita positis, cùm secundùm consuetudinem canonum ea duntaxat sint rata & vera matrimonia, quæ non solùm sunt contractus civiles, sed etiam veri nominis sacramenta, & ut talia in Catholica religione agnita: inde fit ut habetur cit. c. *Quanto, de divortiis*, ut infidelium matrimonia sint vera, & non rata, quia non sunt sacramenta, quia non habent omnimodam insolubilitatem, quam habent fidelium matrimonia; quippe quæ ceu veri nominis sacramenta ab Ecclesia inter alia sacramenta ab omni ævo ab fidelibus credita & percepta recenseantur.

1°. Cùm igitur matrimonia clandestina, sive contrahantur omnibus omnino remotis arbitris & testibus, per quos ipsa fuisse inita, in foro Ecclesiæ probari possit, sive fiant præsentibus arbitris & testibus, sed omissis solemnitatibus, quæ jure seu laudabili Ecclesiæ consuetudine debent adhiberi, ut puta omissis bannorum proclamationibus, aut aliis id genus rebus: cùm, inquam, clandestina matrimonia in utroque illo sensu accepta, rata, atque adeo sacramenta fuisse, quamdiu ab Ecclesia non sunt rescissa, ab Concilio Tridentino declarata fuerint, nec ipsa illa Synodus ullum verbum de Sacerdote ut ministro ad eorum validitatem necessario, atque adeo nec de verbis ab ipso pro forma sacramenti prolatis fecerit: magnum profectò est argumentum, congregatos in præfato Concilio Patres, atque adeo Catholicam Ecclesiam per ipsos legitimè congregatos repræsentatam, censuisse & declarasse, contrahentes dumtaxat esse sacramenti matrimonii ministros, ita ut ab ipsis matrimonii sacramentum mutuo ipsorum consensu, sine ullo Sacerdotis ministerio, conficeretur pariter & perciperetur.

Hanc doctrinam tradidere summi Pontifices & Concilia œcumenica, Florentinum præsertim & Tridentinum, & Theologi.

S. Thomas in 4. distinct. 26. q. 2. a. 1. in solut. quæst. un. ad 1. sic loquitur: *Ad primum ergo*, inquit, *dicendum, quòd verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti: non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale*. Hæc ibi.

Idem S. Thomas dist. 28. quæst. unica a. 3. ad 2. ipsum illud quod dicimus, confirmat. *In matrimonio*, inquit, *actus nostri sunt causa efficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque*

est sui juris, potest se alteri obligare : & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti. Hæc ibi.

Dominicus à Soto idem affirmat in 4. dist. 26. q. 2. a. 5. suo tempore aliquos extitisse, qui disputare cœpissent, formam sacramenti matrimonii consistere in his Sacerdotis verbis : *Ego vos conjungo, &c.* sed neminem adhuc extitisse, qui hanc sententiam litteris consignare ausus esset.

Ex dictis sequitur, ex receptissima omnium Theologorum sententia actus ipsorummet contrahentium, sive sint verba, sive consensus, esse formam hujus sacramenti. Unde & contrahentes dicendi sunt ipsius sacramenti ministri. Is enim est sacramenti minister, qui formam applicat. Cùm igitur constet, contrahentes esse matrimonii sacramenti ministros, quæruntur duo sequenti quæstione explananda. Sit itaque

QUÆSTIO VI.

Utrum contrahentes sint causa partiales sacramenti matrimonii ; & utrum peccent matrimonium celebrando in statu peccati.

DUPLEX illa quæstio est duplici conclusione resolvenda.

Prima conclusio.

Certum est apud Theologos, ex propria institutione matrimonii (quà sacramentum est) non esse tantùm unum ipsius ministrum, qui sit causa gratiæ, quæ in eo confertur; sed illam gratiam, sicut & sacramentum, ab duabus causis partialibus subministrari. Ratio hujus rei repetenda ex eo, quòd Christus instituens matrimonium ceu novæ legis sacramentum, ejus contractûs naturam non mutaverit, sed sacramenti nomine & dignitate & effectu nobilitaverit, seu eumdem illum contractum in sua natura manentem consecraverit : atque adeo idem ipse contractus, licèt ad sacramenti magnitudinem evectus, postulat ad instar cæterorum contractuum, duos saltem, quorum ministerio conficiatur & suscipiatur. Non tamen propterea dicendum est, in matrimonium cadere duo partialia sacramenta, sed unum tantùm indivisibile & in ratione signi & causæ gratiæ, ut docet Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 42. a. 1. difficult. 5. ad 3.

Secunda conclusio.

Contrahentes, qui in statu peccati lethalis matrimonii sacramentum conficiunt pariter & percipiunt, peccant duplici de causa, & duobus sese flagitiis seu peccatis, iisque lethalibus devinciunt.

Igitur peccant duplici de causa. 1°. Quia sacramentum ministrant in statu peccati lethalis. 2°. Quia in eodem statu flagitii lethalis illud ipsum matrimonii sacramentum percipiunt.

Quæ duo nemo lethalia esse negaverit. Est enim communis Theologorum opinio, virum conficientem vel ministrantem sacramentum aliquod in stato peccati lethalis, peccare lethaliter, sicut & ille eodem se peccato implicat, qui io statu flagitii lethalis aliquod sacramentum percipit. Atqui vir & mulier qui matrimonium ineunt in statu peccati lethalis, illa duo præstant, id est sacramentum matrimonii ministrant & percipiunt : ergo lethali se flagitio, eoque geminato devinciunt.

Nonnulli hanc conclusionem eludere conniuntur hoc effugio, quòd scilicet ministri dumtaxat consecrati peccent lethaliter, cùm aliquod sacramentum ministrant in statu peccati lethalis : sed hoc diverticulum eluditur eadem facilitate, quà obtruditur. Non enim ideo peccant ministri ministrando aliquod sacramentum in statu peccati lethalis, quia sunt consecrati, (tametsi consecratio illorum peccatum augeat) sed quia gravem contumeliam tam ipsis sacramentis, quàm ipsorum institutori Christo inferunt.

Hanc doctrinam luculenter astruit S. Thomas 3. p. q. 64. a. 6. in c. *Non est dubium*, inquit, *quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ, in dispensatione sacramentorum peccent : & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licèt sacramenta secundùm seipsa incontaminabilia sint) consequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale.* Hactenus S. Thom. loco citato.

QUÆSTIO VII.

Utrum usus matrimonii fuerit honestus & licitus ante legem evangelicam, & sit honestus & licitus etiam sub ipsa lege evangelica.

Prima conclusio.

CUM matrimonium in ipso statu innocentiæ divinitus ad generis humani propagationem fuerit institutum, nemo citra blasphemiam ejus usum inhonestum & illicitum appellare potest.

Quòd matrimonium sit divinitus institutum, nemo inficiari potest : illius etiam usum ab ipso Deo fuisse imperatum, testantur ista verba Genes. cap. 1. v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum : masculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait : Crescite & multiplicamini, & replete terram.*

Istis verbis patet, Deum benedixisse viro & mulieri, & ipsis impertiisse virtutem & fœcunditatem, quâ per legitimam corporum copulam homines sibi similes procrearent, & ex iis homines jam procreati alios pariter generarent, atque ita genus humanum in omnium sæculorum seriem propagaretur & perseveraret usque ad terminum, quo Deus succedentium sibi sæculorum tempora circumscripsit.

Quidquod, hisce verbis quæ continent benedictionem seu donationem fœcunditatis, (*Crescite & multiplicamini*) Deus non solùm matrimonii usum approbavit, sed & imperavit. Revera cùm ipso mundi exordio pauci adhuc homines extarent, matrimonium & ejus usus obligabat singulos velut præceptum naturale, quo jubebantur homines universi & singuli dare operam legitimæ sobolis procreationi, ne humana species hominum penuriâ penitus interiret. At cùm magna hominum multitudo orbem terræ ad spem numerosissimæ posteritatis erexit, hujusmodi præceptum singulos obligare desiit, ita tamen ut conservandæ hominum speciei universa hominum communitas ex præfato illo præcepto, quod ex ipsius naturæ principiis proficiscitur, prospicere teneretur, ut cum omnibus Theologis colligimus ex S. Thoma in 4. dist. 26. q. 1.

Propterea matrimonii usus astruitur verbis, quæ primus homo divino afflatu & in persona Dei protulisse memoratur Gen. 5. c. 2. v. 24. *Relinquet homo patrem suum, &c. & erunt duo in carne una.* Hujusmodi enim verba de carnali copula intelligenda esse declarat Apostolus 1. Corinth. c. 6. v. 16.

In veteri lege adeo non est improbatus matrimonii usus, ut numerosa proles maxima familiarum benedictio crederetur, & econtra conjugatorum sterilitas magnæ & divinæ maledictionis indicium haberetur, & Hebræorum mulierculæ passim suam sterilitatem sic tanquam ingens opprobrium aspicerent.

Secunda conclusio.

Matrimonium & ejus usus tam perspicuè comprobatur in novo Testamento, ut nemo locis inde depromptis citra cæcitatem & malitiam refragari valeat.

Quid enim clarius & illustrius afferri potest eo Apostoli loco: *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundum imperium*, 1. Cor. 7. v. 3. & seqq.

Tria ex pulcherrimo illo Apostoli loco colligimus.

Primum quod ex hoc loco inferimus, est obligatio, quâ vir & mulier tenentur sibi invicem reddere debitum conjugale.

Secundum est, actum conjugalem non posse nec debere intermitti per fraudem, ut scilicet vir ab actu conjugali invita uxore, aut ex adverso uxor invito & reluctante marito ab ipso eodem actu abstinere, in animum inducat suum. Neuter enim sine alterius consensu debitum conjugale denegare potest, nisi ad tempus, ut ambo vacare possint orationi, & postea revertantur in id ipsum, ne propter incontinentiam Satanæ tentationibus oppetantur, & iisdem succumbant.

Tertium, quod ex hoc Apostoli loco colligitur, est indulgentia, secundùm quam Apostolus actum conjugalem permittit.

Hæc tria Apostoli effata, quia maximum in tractatu de matrimonii sacramento momentum obtinent, aliquot observationibus illustrare operæpretium est.

Prima observatio in primum Apostoli pronuntiatum.

Ut hoc primum Apostoli pronuntiatum eluceat, observandum est, ex contracto legitimè matrimonio duplicem oriri obligationem. Nam una dicitur negativa, altera verò positiva, ita ut utraque ad usum matrimonii pertineat. Negativa quæ semper & pro semper obligat, in eo posita est, quòd (cùm in carnali copula sit æquum jus viro & uxori) nec maritus corporis sui sit dominus, ut quod ad usum conjugalem attinet, ejus copiâ fraudare uxorem, & alteri sui copiam facere nequeat, sicut & vicissim jus uxorii corporis penes maritum est, quoad ad usum matrimonii pertinet, non penes uxorem, quæ propterea sui copiam nec marito negare debet, nec alteri facere potest.

Obligatio positiva in hoc consistit, quòd mutuum sit conjugale debitum, & utrimque, id est ab viro & uxore, bona fide, cùm tacitè vel expressè petitur, præstandum. Maritus igitur quod ex lege conjugii debet uxori reddere, & vicissim uxor quod ex jure matrimonii debet, marito ex justitia reddere tenetur. Cùm enim mutuum illud obsequium ex æquo debeatur, id denegare poscenti fraus est. Neque enim is solùm fraudator est, qui debitam pecuniam non reddit, verùm etiam qui debitum detrectat officium.

Quæ cùm ita sint,

Certum est apud Theologos, esse peccatum mortale ex suo genere non reddere debitum conjugi debito modo & cum ratione petenti: quia cùm actus conjugalis versetur & insistat in materia justitiæ, ad cujus officia unusquisque propositâ lethalis flagitii pœnâ obligatur, haud dubiè vir & uxor non possunt sibi conjugale debitum denegare, quin lethali sese peccato devinciant, nisi fortè ob materiæ levitatem excusentur.

1°. Igitur peccat lethaliter vir vel uxor, si omnino debitum conjugale sine causa deneget, & raro vel cum magna difficultate reddat, quia conjugem insigniter debito defraudat.

2°. Quisquis conjugum alteri petenti debitum denegat, peccat lethaliter, si ex hujusmodi denegatione oriantur, vel probabiliter oritura sint scandala, discordiæ, inimicitiæ, sive incontinentiæ, id est pollutionis vel secum, vel cum alio admittendæ, periculum immineat.

3°. Lethali flagitio se constringeret alter conjugum, si se excusaret, nec causam satis idoneam ad debitum denegandum afferret, & alter conjux majorem & ardentiorem in modum hujusmodi debitum reposceret.

Hujusmodi resolutiones innituntur authoritate Apostoli declarantis in allato contextu, uxorem viro & virum uxori quadam debiti communione misceri: *quod proculdubio non appellaret ipse Apostolus debitum*, ut ait S. Fulgentius, *nisi legitimè sciret esse reddendum, nec juberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua reposcentis exactio: usque adeo nuptias operi divino applicare non ambigit gentium Doctor, ut & mulieris in corpore viri, & in uxoris corpore viri potestatem æquali prorsus jure confirmet, dicens: Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier. Alio autem loco idem dicit: Quia non est potestas, nisi à Deo.* Rom. c. 13. Hactenus S. Fulgentius Epist. 1. de conjugali debito cap. 2.

Igitur ex mente S. Fulgentii mutua illa potestas, quam vir & mulier ad usum conjugalem habent in sua invicem corpora, ab æterna lege manavit, ut per legitimam eorumdem corporum copulam genus humanum usque ad sæculi consummationem propagaretur & consisteret. Ideo jus ad petendum, & obligatio ad reddendum conjugale debitum, sunt passiones quæ necessariò sequuntur ex ipsa matrimonii seu conjugalis vinculi natura. Nam vinculum istud conjugale suapte natura collineat ad generationem prolis, conservationemque speciei, quam penitus extingui necesse est, nisi jus petendi debitum pertineat ad conjuges, & illud ipsum reddendi obligatio utrosque devinciat. Sicut enim in executione non potest proles sine carnali copula generari, ita neque in præfato conjugali vinculo potest esse undo efficax ad generationem, si jus petendi debitum, & illius reddendi obligatio conjugatis adempta fuerit.

Præterea secundarius matrimonii finis, id est remedium sedandæ concupiscentiæ destinatum, nusquam acerrimos ardores concupiscentiæ restingueret, si jus petendi & obligatio reddendi debitum ab conjugiis seu conjugatis abesset.

Ex dictis hactenus patet, alterutrum conjugem debitum conjugale denegantem peccare lethaliter, nisi justa denegandi causa suppetat, & propter materiæ levitatem excusetur ab lethali flagitio. Nam quamvis reddendi debiti obligatio ad justitiæ materiam pertineat, levem tamen materiam aliquando patitur. Neque enim vir aut mulier peccati lethalis reatum incurreret, si petenti debitum raro, vel identidem, semel aut bis denegaret; vel si petenti manè redderet nocte, vel non statim atque petit, redderet, vel si petens immoderatiùs & importuniùs peteret, & alter ex rationis præscripto redderet. In his casibus & similibus non peccatur lethaliter: sicut & quando alteruter conjugum non adeo enixè sibi debitum reddi postulat. Quæ omnia, ut plurimùm loquendo, vera sunt & innuxia, excepto uno dum-

taxat casu : si enim ab debiti denegatione petenti incontinentiæ periculum immineret, tunc sub mortali debitum reddendo illi succurrere oporteret.

Altera observatio in alterum Apostoli pronuntiatum.

Prohibet Apostolus, ne quis conjux fraudet alterum studio castitatis, nisi si quid inter ipsos convenerit utrimque assentientes, ut ad tempus sibi temperent à congressu, quo puriores & defæcatiores ad preces sacras rerumque cælestium meditationem animos appellant, eo quòd corporum ille complexus mentium vigorem majorem in modum hebetare soleat. Vult igitur Apostolus aut neutrum aut utrumque ab carnali abstinere commercio, sed ex pacto : nec ob quamlibet causam, sed studio rerum divinarum, neque diutius, sed ad tempus aliquod, & mox ad pristinam consuetudinem redeant, ne Satanas qui nusquam non vigilat in nostram omnium perniciem, eos ad libidinem proclives per hanc occasionem ad deteriora pelliciat. Porrò tempus illud quo Apostolus monet abstinendum ab usu conjugii ad vacandum orationi, non de quacunque oratione intelligi oportere, eximii docent Interpretes; sed de publica, ad quam fideles publicè conveniebant, ut puta diebus dominicis ac solemnibus, quibus & orationi vacare, & corpus Christi percipere consueverant. Rectè ergo explicatur Apostoli locus de oratione publica, sub qua tamen Eucharistiæ perceptio comprehendatur. Revera quando rarior esse cœpit in Ecclesia corporis Christi perceptio, abstinebant fideles ab usu conjugii, ad majorem sacramenti reverentiam, per aliquot dies aut menses, aut annos, prout Episcopi & secundi ordinis Sacerdotes saluti fidelium conducere judicaverant.

Hac de re uberiùs agimus in disceptatione de augustissimo Eucharistiæ sacramento, quem ad locum Lectorem remittimus.

Tertia observatio in prædictum Apostoli locum.

Apostolus citato loco permittit actum conjugalem secundùm indulgentiam, non autem imperat. Inde igitur aliquis ita ratiocinari posset : Per hoc quòd Apostolus secundùm indulgentiam se dicit matrimonium concessisse, videtur exprimere, quòd matrimonium sit peccatum.

Hanc objectionem S. Thomæ verbis eruditione plenissimis diluere juvat. Ad hoc, inquit angelicus Doctor, potest responderi dupliciter. Uno modo, ut indulgentia sumatur hîc pro permissione. Est autem duplex permissio. Una, quâ permittitur minus malum, ut evitetur majus, sic Moyses permisit Judæis dare libellum repudii propter duritiam cordis eorum ad vitandum uxoricidium, ad quod erant proni, ut colligere est ex cap. 19. Matthæi. Talis enim permissio non fit in novo Testamento propter sui perfectionem, secundùm illud Hebræor. 6. *Ad perfectum feramur.* Alia autem est permissio de minori bono, cùm scilicet homo præcepto non adigitur ad majus bonum, & hoc modo Apostolus hîc indulget, id est permittit matrimonium, quod est minus bonum, quàm virginitas, quæ non præcipitur, tametsi sit majus bonum.

Alio modo potest accipi indulgentia, prout respicit culpam secundùm illud Isaiæ 26. *Indulsisti, Domine, indulsisti genti.* Et secundùm hoc indulgentia refertur ad actum conjugalem, secundùm quod habet annexam culpam, venialem tamen propter bona matrimonii, sine quibus esset mortalis. Unde considerandum est, quòd actus conjugalis, quandoque quidem est meritorius & absque omni culpa mortali vel veniali, puta cùm ordinatur ad bonum prolis procreandæ & educandæ ad cultum Dei, sic enim est actus religionis : vel cùm fit causâ reddendi debitum, sic enim est actus justitiæ. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si fit cum charitate.

Quandoque verò est cum culpa veniali, scilicet cùm quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen intra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus.

Quandoque verò est culpa mortalis, puta cùm concupiscentia fertur extra limites matrimonii, scilicet cùm aliquis accedit ad uxorem, æquè libenter vel libentiùs ad aliam accessurus.

Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, in quantum aliquis consentiens concupiscentiæ in uxorem, non fit reus peccati mortalis. Tertio modo omnino indulgentiam non habet.

Hactenus S. Thomas in caput 7. 1. ad Corinth. Epistolæ lectione 1.

QUÆSTIO VIII.

Quandonam possit exerceri actus conjugalis sine peccato, atque adeo inter actus meritorios ab sanctis Patribus & Theologis habeatur.

Prima conclusio.

TAMETSI libido seu concupiscentia carnis sit mala, utpote plaga toti hominum generi ab diabolo primorum hominum deceptore inflicta, est tamen ab nuptiarum bono discernenda : ita ut ipsæ illæ nuptiæ, quæ sine concupiscentia prolem procreare nequeunt, propter illam damnari & reprobari nequeant. Nam, ut ait S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 14. in ipso capitis exordio : *Libido sentiendi*, de qua nunc agimus, *quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit : hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo quantùm attinet ad ejus partem, quâ sibi sexus uterque miscetur, bene utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam.* Hactenus S. Aug. loco cit.

Id ipsum affirmat idem S. Aug. in libro de peccato origin. *Quicquid est pudendum*, inquit, *in membrorum illorum inobedientia, de qua erubuerunt qui post peccatum foliis ficulneis eadem membra texerunt, non nuptiis imputatur, propter quas concubitus conjugalis non solùm est licitus, verùm etiam utilis & honestus : sed imputatur peccato inobedientiæ, cujus hæc pœna est consecuta, ut homo inobediens Deo, sua quoque sibi inobedientia membra sentiret : de quibus erubescens, quòd non ad arbitrium voluntatis ejus, sed ad libidinis incentivum velut arbitrio proprio moverentur ; quæ pudenda judicavit, operienda curavit.* Hactenus S. Aug. loco citato.

Sed cùm concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum sit, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis ; & pœna peccati sit, quia reddita est mentis inobedientis ; & causa peccati sit defectione consentientis vel contagione nascentis, ut asserit S. August. lib. 5. cont. Julian. cap. 3. videtur neminem posse ita vincere concupiscentiam ad peccatum omnes promiscuè allicientem, ut inter conjugales amplexus sese intra matrimonii limites contineat.

Hæc objectio facilè dilui potest, si dicamus viatorem concupiscentiæ posse resistere, eâ autem carere non posse. Quod luculenter astruit S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 4. ubi arguit Pelagianos qui concupiscentiam laudabant ut bonam, quam malam esse vel ex eo agnoscere debuerunt, quod ad-

versus eam pugnare cogerentur. *Vos estis*, inquit, *ruina morum, qui ipsius fidei, supra quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subvertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non pudet, contra quod pugnat pudor. Hoc potiùs audire debet Ecclesia, quæ virgo dicitur, ut vos caveat: hoc matronæ, hoc virgines sacræ, hoc omnis pudicitia Christiana. Non enim, sicut insimulas, cum Manichæis dicunt, inesse carni suæ mali necessitatem; (quod malum illi substantiale & Deo coæternum esse mentiuntur) sed dicunt sanè cum Apostolo: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, esse tamen eam sub animi potestate, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore castigandam, in corporis resurrectione & mortis, morte sanandam. Tenent enim sanctam professionem non solo habitu vestis, sed & mentis, & corporis, resistendo concupiscentiæ carnis, quod hìc fieri potest: non eâ prorsus carendo, quod hìc fieri non potest. Hoc ergo audiant, ut dum illâ careant, vos caveant.* Hæc ibi docet S. Augustinus.

Hoc ipsum docet S. Fulgentius Epist. 4. ad Probam: *Omnis*, inquit, *qui nunc justè vivit, carne quidem servit legi peccati, dum in se nasci carnalem concupiscentiam sentit; mente autem servit legi Dei, quia eidem carnali concupiscentiæ non consentit. Carne servimus legi peccati, dum filii Babylonis nascentes inquietant animam nostram: sed mente servimus legi Dei, cùm iidem parvuli Babylonis eliduntur ad petram. Babylon enim confusio interpretatur, cujus filia est omnis carnalis cupiditas, quam cordis confusio generat. Ex ipsa quippe confusione omnis prava cogitatio nascitur, quæ parvula tunc ad petram eliditur, dum celeri recordatione atque opitulatione Christi superata calcatur.* Hactenus S. Fulgent. Epist. 4. ad Probam cap. 6.

Si quis instet & dicat, Apostolum satis indicare, actum conjugalem non exerceri sine peccato, cùm ait, usum matrimonii permitti secundùm indulgentiam, non secundùm imperium; quod & confirmat S. Augustinus Ench. cap. 78. *Quis*, inquit, *esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus apostolica authoritas fateatur?* Item in libro de bono conjugali cap. 10. *Quis ambigat, absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur?* Item in lib. de peccat. originali cap. 38. *Evidenter*, inquit, *dum* Apostolus *tribuit veniam, denotat culpam.* Hæc objici possunt ex S. Aug. sed ex eodem possunt dilui.

1°. Enim dicimus esse per accidens ad usum matrimonii, quòd plerumque non exerceatur sine peccato. Non enim loquitur Apostolus de usu matrimonii, prout in se consideratur; sed de usu ejusdem matrimonii, prout per incontinentiam, & solius voluptatis causâ ab quibusdam adhibetur. Nam in eo sensu actus conjugalis semper est peccatum, quod tamen bono nuptiarum excusatur.

Porro hanc esse mentem Apostoli perspicuè declarat S. Augustinus cit. cap. 78. *Videmus*, inquit, *quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale est illud quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Et iterum ad idipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi, non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis, sive adulterii, sive cujuspiam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod etiam turpe est dicere, quo potest, tentante Satana, libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus apostolica authoritas fateatur?* Hæc ibi S. Augustinus.

2°. Hanc esse, quam diximus Apostoli mentem, declarat idem S. Augustinus libro singulari de bono conjug. cap. 10. *Non nuptias*, inquit, *secundùm veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solâ causâ procreandi, sed etiam aliquando nullâ causâ procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam: de quo Apostolus tacere non potuit, cùm de corruptelis nimiis immundorum & impiorum hominum loqueretur. Concubitus enim necessarius causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non planè nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quàm quod inhonestum est: id est quod est nuptiarum, quàm id quod non est nuptiarum; hoc eis authore Apostolo, secundùm veniam conceditur. Cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non à se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus, ut orationibus vacent, & per hanc abstinentiam, sicut per jejunia, commendent preces suas, vel immutando naturalem usum, in usum qui est contra naturam; quod damnabilius fit in conjuge.* Hactenus S. Aug. loco cit.

3°. Id ipsum docet S. Aug. lib. de peccat. orig. cap. 38. ubi tractans citatum Apostoli locum, *Nolite fraudare invicem*, &c. *Evidenter quippe*, inquit, *dum tribuis veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causâ procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: qui tametsi propter corpus mortis, quod nondum est resurrectione renovatum, sine quodam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non potest fieri; tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.* Hæc S. Aug. loco citato.

Ex allatis S. Augustini locis evidentissimum est, actum conjugalem esse honestum & licitum, & citra peccatum, imò cum merito æterna mercede donando, si ob debitum finem ab viro & uxore Christiana charitate præditis exerceatur. Quod sequenti conclusione declarabitur authoritate sanctorum Patrum. Sit itaque

Secunda conclusio.

Si conjugati conjugale commercium exerceant ob debitos fines, ut puta ad suscipiendam & rectè educandam prolem, ut Deo serviat, eum diligat, & ad eum omnia sua, sicut oportet, referat, eorum actus ad religionis virtutem pertinet. Si ut sibi invicem debitum reddant, exercent actum justitiæ; atque ita si Christiana polleant charitate, sine qua nihil promereri possumus, vitam promerentur æternam. Hæc conclusio communis est inter Theologos. Ergo ablegandi sunt nonnulli homines, qui nunquam conjugale debitum sine peccato reddi posse, perperam existimant. Permultos enim reperire est Christianos in Ecclesia Dei, qui conjugium ineunt, ut prædestinatorum numerus impleatur, ut instaurentur angelicæ ruinæ. Nam, ut ait S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 1. *Deus de mortali progenie meritò*

justéque damnata tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat & instauret partem, qua lapsa est Angelorum, ac sic illa dilecta ac superna civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur. Insuper multi, licèt ignoti, ducunt uxores, ne sævienti vel illicienti concupiscentiæ succumbant & pereant: & ne intereat hominum genus; imò quod caput est, ut populorum castè & integrè Deo servientium numerus in dies augeatur.

Quidquod, Patriarcha, & plerique alii Sancti divinitùs ad ineundas nuptias evocati primis temporibus generis humani, maximè propter populum Dei propagandum, per quem & prophetaretur & nasceretur Princeps & salvator omnium populorum, uti debuerunt isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono nuptiarum, ut ait S. Augustinus lib. singul. de bono conjug. cap. 9.

Hoc sanè mirabilem in modum præstitit pater fidei nostræ Abraham, qui ut repromissam divinitus benedictionem, id est posteritatem siderum in cælo micantium, & arenarum maris littori adjacentium multitudini æquiparandam obtineret: atque ita fieret pater multarum gentium, per Christum ex ipsius posteris nasciturum, conjugium init cum libera & cum ancilla, ita tamen ut omnibus conjugatis facem præferret non ad libidinem, sed ad eam temperantiam & continentiam, quæ conjugale commercium ad ingentis meriti fastigium proveheret. Eam ob rem S. Augustinus in ejus gloriam exclamat lib. 16. de Civit. Dei cap. 25. *O virum*, inquit, *utiliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancillâ obtemperanter, nullâ intemperanter!*

Hujusmodi laude & tam magnifica exclamatione vult S. Augustinus refellere Manichæos, qui crimen insanæ libidinis impingebant sanctissimo Patriarchæ: quippe quem Faustus Manichæus affirmabat habendæ prolis insana flagrantem cupidine, & Deo, qui id jam sibi de sacra conjuge promiserat, minimè credentem, cum pellice volutatum esse, ut testatur S. Augustinus lib. 22. cont. eumd. Faust. cap. 30. Hujusmodi calumniam ibi refellit idem S. Aug. sicut & cit. cap. lib. 16. de Civit. *Quod autem*, inquit, *ad rem gestam, nullo modo est inurendum de hac concubina crimen Abraho. Usus est eâ quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potiùs obediens conjugi.* Hæc ibi.

Verùm ne quis concubinæ vocabulo deceptus, existimet, Agar ancillam sancto Patriarchæ per adulterium fuisse copulatam, meminerit illam ab Sara viro suo, id est Abrahæ, in uxorem esse traditam, ut legitur Gen. cap. 25. id enim tantùm significat non fuisse primariam uxorem, nec eodem loco habitam, qua Sara. Ea enim consuetudo apud Hebræos, sicut & apud exteras gentes invaluerat, ut discimus ex A. Gellio lib. 18. Noct. Atticar. cap. 6. ut si quis plures haberet uxores, una tamen esset primaria, quæ una dumtaxat diceretur mater familiàs, & socia esset viri in administranda familia, ita ut illius unius liberi bonorum viri hæredes haberentur. Et hujusmodi uxor primaria non nisi cum dote & statis ritibus ducebatur, cùm aliæ secundariæ, ut ita dicam, uxores, vel ut vocantur in Scriptura, concubinæ, ut plurimùm ex servili conditione, indotatæ, sine solemni pompa, & obsignatis tabulis subducerentur in uxores; & ideo admittebantur dumtaxat ad concubitum generandæ prolis gratiâ, non verò ad æqualem cum viro societatem. Unde ut & ab primariis uxoribus secernerentur, omnes ferè concubinæ dicebantur, ut Genesi cap. 25.

In hunc sensum exponit Gratianus canonem ultimum Concilii Toletani I. ubi dicuntur admitti posse ad communionem ii, qui una muliere contenti sunt, sive ea sit uxor, sive concubina. Ita Gratianus dist. 34. can. *Is qui*.

De his hactenus, ut adversus aliquot errores ostenderemus, non solùm honestum & licitum esse actum conjugalem, verùm etiam cum ingenti merito conjunctum, si ob duos præsertim fines, (qui cæteros complectuntur) ad procreandam scilicet & Christianis moribus imbuendam prolem, & reddendum conjugale debitum, exerceatur.

Hanc doctrinam tradunt passim sancti Patres, & inprimis S. Augustinus quampluribus Operum suorum locis: nempe lib. de bono conjug. cap. 6. & 10. quæ testimonia suprà retulimus. Item ejusd. lib. cap. 16. Item lib. 3. cont. Julian. cap. 16. *Illud etiam rectè dicis*, inquit, *examinatè non posse placere connubium, si mali comparatione laudetur. Hoc verum est. Omninò enim in genere suo nuptiæ bonum sunt; sed ideo bonum, quia fidem thori servant, quia prolis suscipiendæ causâ sexum utrumque commiscent, quia impietatem separationis exhorrent. Hæc sunt bona nuptialia, quibus nuptiæ bonum sunt, quæ sæpissimè diximus esse potuisse, etiamsi nemo peccasset.* Ex hoc loco patet, quomodo sine peccato possit actus conjugalis exerceri. Et ibidem S. Augustinus docet quid ignoscatur in nuptiis: *Quando conjuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt; hoc non laudatur, sed ignoscitur in comparatione mali pejoris, intervenientibus & deprecantibus nuptiis.* Hæc ibi.

Idem S. Aug. in eod. lib. cap. 13. affert pulcherrimum locum depromptum ex ipso Juliano, ubi indicat, quo in loco habenda sit pudicitia conjugalis: *Disertè sanè*, inquit, *inter lascivientes & continentes tamquam in medio pudicitiam constituis conjugalem, quæ illos illicita commisisse indignatur, hos etiam licita contempsisse miratur; ultimi limitis sortita regionem, ultra se provenientium execrata barbariem, supra se micantium venerata fulgorem, quæ verecundis manibus & confovet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes.*

In hoc loco agnoscit S. Augustinus eloquentissimam veritatem, quâ se multùm delectari profitetur.

Ex isto Juliani Pelagiani loco colligimus, quanta moderatione conjuges effrænatam alioquin libidinem regere & gubernare debeant, ut illâ, tametsi malâ, bene utantur.

Nam primò pudicitia conjugalis lascivientes, id est viros libidinis impetu abreptos, illicita commisisse, & sæpenumero committere, id est terminos thoro conjugali constitutos prætergredi indignatur, & eorum execratur barbariem: aliunde miratur virgines, quæ licitum conjugii commercium contempsere, ut inde discant conjugati, sibi præstitutos esse quosdam continentiæ limites, quos transilire nefas: & præterea sibi propositam esse virginum continentiam, ut inter actus connubiales sese intra legitimos matrimonii limites continere, & ad virginum castimoniam (quantum licebit inter & per amplexus maritales) accedere oportere meminerint.

2°. Continentes laudat pudicitia conjugalis, quòd tali remedio non egeant, quo se perspicit eguisse, id est, ut, secundum Apostolum, *qui se non continet, nubat.*

Præterea hoc ipso loco S. Augustinus increpat Julianum Pelagianum, eo quòd, cùm istam concupiscentiam morbum esse diceret, negaret ipse ille Julianus, qui tamen ei necessarium remedium conficeretur. Unde & illum compellat hisce vocibus: *Si agnoscis remedium, agnosce morbum: si negas morbum, nega remedium.* Hæc ibi S. Augustinus.

Ex isto loco, quo matrimonium concupiscentiæ remedium appellatur, egregium profluit documentum conjugatis omnibus apprimè necessarium. Illud autem tale est: Si matrimonium ex Juliani Pe-

lagiani

lagiani & S. Augustini doctrina remedium est, quo rebellantem alioquin concupiscentiam frænari necesse est, omnes conjugati debent uti matrimonio eadem omnino moderatione, quâ in sumendis remedijs utuntur ægroti, qui sese adeo non ingurgitant pharmacopolarum poculis, ut ægrè admodum medicinalis poculi mensuram medicorum judicio, decretoque præscriptam ebibant.

Quod igitur S. Augustinus de esculentis poculentisque ad vitam prorogandam necessariis asserit, de usu matrimonij prædicandum est: *Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Dicant igitur conjugati: Hoc nos docuisti, Domine, ut matrimonio sic tanquam remedio comprimendæ concupiscentiæ idoneo uteremur. Da ergo quod jubes, & jube quod vis.

Plura ex S. Augustino loca proferre nolumus: sat enim habebimus, si unum S. Fulgentij locum omnia de hoc argumento Patrum effata complexum attulerimus.

Recapitulatio doctrina superioris.

Hujusmodi recapitulatio non potest facilitati meliùs quàm authoritate S. Fulgentij, qui tam luculenter expressit moderationem, quam ab conjugatis inter actus conjugales retineri necesse est, ut nihil ad eam astruendam illustrius & efficacius afferri posse videatur. Sic igitur sua hac de re sensa aperit in citata jam Epistola de debito conjugali.

Hujus igitur potestatis (quam vir habet in mulieris corpus, & vicissim mulier in corpus viri) *inculpabilis est usus*, (inquit citat. Epist. cap. 3.) *officio gignendi divinitus attributus, si justitia terminum transgredi libidinosus non permittitur excessus. Iustitia verò utendi conjugij hac est, ut non explenda libidinis, sed sustinenda prolis obtentu sibi conjuges debito tempore misceantur. In illis namque bonis, qua fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris & viri, in quibus Dei operibus, libido non potest inveniri, nec aliquando justitia congruit, que non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio prima prævaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis hujus proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit honestas nuptialis modum, sine qua non potest in carne peccati naturali explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubrica voluptatis excessus. Quocirca si conjugales usus eatenus temperetur, ut non æstuanti libidini serviat; sed proventum nasciturum prolis attendat, & cùm nata fuerit, diluendam celeriùs spiritali generatione non negligat, non deputatur fidelibus conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio, quia & conjugalis servat confœderatio castitatem, & verecundia custodit modesta temperiem, & Deo dicandam conjugalis exhibet fœcunditas prolem, ut & Redemptoris ope homo jam natus reformetur baptismatis Sacramento, cujus opere priùs formatur in utero, & illum habeat humana natura beneficio secunda nativitatis patrem, quem in prima nativitate sua conditionis agnoscit authorem. Conjugatus verò, si fornicetur, damnabiliter peccat: si verò thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali dumtaxat usu aliquantulùm intemperatus excedat non solùm scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit: talis autem culpa citiùs bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi conjugi servat maritalis charitas fidem, in qua non potest mortalis infirmitas custodire temperiem, & si nuptialis in uxore modestia non tenetur, à nuptiali tamen fide non disceditur.*

Hactenus S. Fulgentius cit. Epist. cap. 3. docuit, quo pacto conjuges sine peccato actum conjugalem exercere valeant. Et sequenti cap. tradit quomodo expiari possint peccata quæ admittuntur in ipso illo matrimonii usu. *Retenta ergo* inquit, *thori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis sua miscetur uxori, quia etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit: & licèt contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accepit ergo talis indulgentiam, non pro eo quòd ab una debitum conjugale, plus quam oportet, exigit, sed quia unâ legitimâ acceptâ contentus, alteram non requirit. Si tamen non desunt misericordia opera, qua tantum valent in religione Christiana, ut non solùm qui conjugiis utuntur, aut qui continentes sunt, sed etiam virgines, ad præmium virginitatis pervenire non possint, si opera misericordia charitatisque neglexerint. Si verò quis intentus operibus bonis tantam servaverit in uxore temperiem, ut filiorum procreandorum causâ tantùm modò misceatur uxori, multa laude talis est proculdubio dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus.*

Hactenus S. Fulgentius, quem viri eruditissimi alterum Augustinum, imò alterum Ecclesiæ Africanæ oraculum appellari voluerunt. Suppositâ ergo ipsius & aliorum Patrum doctrinâ ot orthodoxa, inquirere juvat, quando conjugati venialiter vel lethaliter peccent in usu matrimonii. Sit itaque

---

QUÆSTIO IX.

Quando conjugati venialiter dumtaxat peccent in commercio conjugali.

DOCTISSIMUS Estius ad dist. 31. lib. 4. Sent. §. 7. varios affert casus, in quibus conjugati debitum reddendo venialiter peccant. Ideo hîc hujusmodi casus ab eo enumeratos in pauca contrahere juvat.

1o. Igitur certum est, concubitum conjugalem non fieri sine peccato veniali, si solius voluptatis causâ exerceatur, & præterea nulla adsit circumstantia, quæ mortalem culpam inducat. Quòd enim hujusmodi concubitus culpam habeat patet ex eo, quòd voluntas in tali casu seipsa obsequatur libidini, eam expetens, & in eam spontè consentiens; quod sine peccato fieri non potest, ut suprà vidimus ex S. Aug. id docente in lib. de bono conjug. cap. 10.

2o. Matrimonii usus importat culpam venialem, quoties exercetur ad vitandam dumtaxat fornicationem. Hoc pluribus S. Aug. locis cit. Estius loco suprà laudato astruit. Hujus assertionis ratio petenda est ex eo, quòd conjux in illo actu aliquatenus voluptati carnis obsequitur, sic tamen ut eam intra matrimonii limites coërceat, & referat in bonum finem, ad vitandam scilicet fornicationem. Unde hic casus à superiori non est omnino distinctus, quippe qui sub eo tamquam sub generaliori continetur, eo nomine quòd ad voluptatis electionem, boni finis circumstantiam adjiciat. Quàm vera sit hæc sententia, probat idem Estius loco proximè citato, & profert quamplurima S. Augustini testimonia, ut diximus, quæ apud ipsum legere est; & citat insuper eam in rem complures alios Patres, & ex Scholasticis probatissimos, quales sunt S. Thom. S. Bonaventura, Richardus, & alii majorum gentium Theologi, qui 31. lib. 4. Sentent. distinctionem suis commentariis illustrarunt.

3°. Vera est & ex dictis manifestè sequitur sententia S. Thomæ ajentis, actum conjugalem, si fiat sanitatis gratiâ, non carere culpâ. Verùm sicut venialiter tantum peccat, qui voluptatem quærit intra fines matrimonii, ita non plusquam venialiter peccat, qui illo actu conjugali quærit sanitatem; & fortè minùs hic peccat, quàm ille. Nam extra conjugium actum conjugalem, etiam procurandæ sanitatis gratiâ, citra immane peccatum adhiberi non posse nemini dubium esse debet.

4°. Ex dictis sequitur, actum conjugalem non carere culpâ, si partim generationis, partim voluptatis causâ exerceatur, etiamsi voluptas non sit præcipua ejusdem ipsius actus causa, sed tamen placeat. Quod quidem asserit S. Aug. In lib. de bono conjug. cap. 10. quem locum suprà retulimus. Ibi enim ita distinguit inter non solam causam generandi, & nullam causam generandi, ut tamen in utroque culpam ponat. Item Serm. 63. de divers. vult conjuges ad illud opus, alioquin licitum, cum dolore descendere. Vnde inferre licet, non licere actum conjugalem exercere propter voluptatem, tametsi per illam exerceatur, atque adeo venialiter peccare eos, qui propter voluptatem, licèt non sit præcipua actus conjugalis causa, eumdem illum actum exercent. Siquidem doctiores quique Theologi docent, duos dumtaxat esse casus, in quibus actus conjugalis sine omni peccato, imò cum merito fœlicitati valeat. Primus est, si fiat prolis suscipiendæ causâ: secundus, si fiat ut conjugi petenti debitum reddatur. Hæc omnia excerpsimus ex Estio loco suprà citato.

In his ergo conjugati venialiter peccant: quando autem in præfato actu conjugali lethali se peccato deviuciant, ex eodem Estio mox explanatur sumus.

Ex dictis igitur patet eos peccare venialiter

1°. Qui solius voluptatis causâ miscentur conjugi.

2°. Eos etiam peccare venialiter, qui exercent actum conjugalem ad vitandam fornicationem, ut docet S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 49. a. 5. *Ad secundum*, inquit *dicendum, quòd si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet: sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas. Et secundùm hoc est peccatum veniale, nec ad hoc esse matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus* Hæc loco laudato S. Thomas, si tamen precisè ad vitandam fornicationem vel ad comprimendos concupiscentiæ motus quis actum conjugalem celebret, censetur nequidem peccare venialiter.

Ex hac doctrina rectè colligitur, universos fines quos conjugati sibi præter eos, quorum gratiâ institutum est matrimonium, importare secum peccata venialia, quia secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus, permittuntur. Et secundùm generalem hanc regulam

3°. Peccant venialiter, qui matrimonialem actum exercent procurandæ vel recuperandæ sanitatis gratiâ, quia licèt finis intentus sit bonus, & medium, quod eligunt, sit ipsis licitum, non est tamen proportio medii ad finem: actus enim conjugalis non est de se ordinatus ad sanitatem, sed ad generationem. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 31. a. x. ad 4. Paludanus ead. dist. 31. q. 3. a. 3. Item S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20.

4°. Eodem peccato, id est veniali, sese implicant, qui in actum conjugalem incumbunt partim generationis, partim voluptatis causâ. Quia licèt hujusmodi voluptas non sit præcipua matrimonialis actu causa, ut paulò antè insinuavimus; si tamen placeat, venialem efficit culpam, eo quòd hujuscemodi conjuges libidini, quæ per se mala est, obsequantur, & progrediantur ultra generationis necessitatem, atque adeo cùm tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non planè nuptiarum; verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt honestum, quàm quod inhonestum est, hoc eis, authore Apostolo, secundùm veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, ut ait S. Augustinus suprà laudatus libro singulari de bono conjug. cap. 10. Quod & confirmat S. Fulgentius Epist. de debito conjug. suprà citata. *Si thori*, inquit, *fidem non deserat, sed in uxore sua naturali dumtaxat usu aliquantulum intemperatus excedat, non solam scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit.* Hæc ille.

Ista de venialibus conjugatorum peccatis paulò uberius prosequi, & pluribus argumentis & testimoniis astruere & corroborare oportuit, propter nonnullos vel indulgentiores, vel indoctos, qui perperàm contra doctrinam Apostolicā & orthodoxam existimant, inter amplexus maritales omnem approbari licentiam, quæ ne minimo quidem veniali peccato infuscari, nec culpæ etiam minimæ metu coërceri debeat.

Quæstio X.

Quid de bonis matrimonii asserere oporteat.

Prima conclusio.

Matrimonii bona, quibus excusantur levia peccata, de quibus proximè diximus, tria ab S. Augustino lib. 9. de Genesi ad litt. cap. 7. & ab omnibus passim Theologis enumerantur, fides scilicet, proles, & sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio vel alia coëatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: in Sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus vel dimissa nec causâ prolis alteri conjungatur. Fides hoc loco non accipitur prout est virtus Theologica, sed prout est pars justitiæ, secundùm quod fides dicitur ex hoc, quòd fiant dicta in conservatione promissorum: quia in matrimonio cùm sit contractus quidam, est quædam promissio, per quam talis vir tali mulieri determinatur, ut ait S. Thomas in Supplem. q. 49. a. 5 ad 2.

Quemadmodum igitur in promissione matrimoni continetur, ut neuter ad alienum accedat thorum; ita etiam quòd sibi invicem debitum conjugale reddant. Et hoc etiam est principalius, cùm sequatur ex ipsa potestate corporum suorum, quam quidem potestatem in sese invicem ad usum matrimonii transtulerunt. Et ideo utrumque ad fidem pertinet, ita ut datam fidem violare dicatur, qui ad alienum thorum accesserit, vel debitum conjugale petenti sine causa legitima denegaverit. Tametsi enim fides non accipiatur hic pro aliqua virtute, sed pro quadam conditione virtutis, ex qua fides nominatur, quæ ponitur pars justitiæ, ut affirmat S. Thomas loco proximè citato: omnes tamen conjugatos ita constringit, ut ex justitia, cujus partem facit ipsa illa (quam sibi mutuò dedere) fides, ut ab alienis complexibus sese penitus abstinere, & in debitis circumstantiis sibi invicem debitum conjugale ex justitia reddere teneantur.

Alterum matrimonii bonum est proles. In prole autem non solùm intelligitur procreatio prolis, sed etiam ipsius educatio, ad quam sicut ad finem, ordinatur tota operum communicatio, quæ est inter virum & uxorem, in quantum sunt ma-

trimonio conjuncti : quia patres naturaliter thesaurizant filiis, ut patet 2. Corinth. cap. 12. & sic in prole, quasi in principali fine, alius (id est ejusdem prolis educatio) quasi secundarius, includitur, ut discimus ex S. Thoma in Supplem. q. 49. a. 2. ad 1.

Tertium matrimonii bonum est sacramentum. Magnum enim matrimonii bonum est, quòd Deus ad significationem tanti mysterii, id est conjunctionis indissolubilis Christi cum Ecclesia, provexerit.

Sacramentum cæteris matrimonii bonis antecellit.

1°. Quia inseparabilitas, in qua posita est matrimonii essentia, ponitur in definitione matrimonii sub Sacramenti ratione considerati. Definitur enim matrimonium, indissolubilis quædam & maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens. Cùm ergo in matrimonii definitione nulla fidei, vel prolis fiat mentio, præfatam inseparabilitatem magis, quàm fidem & prolem ad ejus essentiam pertinere necessariò sequitur.

2°. Proles & fides pertinent ad matrimonium, prout est naturæ officium; Sacramentum autem ad illud ipsum matrimonium pertinet, prout est divinitus institutum. Quantùm ergo divina institutio naturæ officio præponderat, tantùm etiam matrimonii sacramentum fidem & prolem antecellit.

3°. Fides & proles in seipsis considerari possunt, & sic pertinent ad usum matrimonii, per quem & proles producitur, & conjugalis pactio servatur, sed inseparabilitas seu indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundùm se: quia ex hoc ipso, quòd per pactionem conjugalem suorum corporum potestatem sibi invicem conjuges in perpetuum tradunt, sequitur quòd non possint separari. Et inde est, quòd matrimonium nusquam invenitur sine inseparabilitate: invenitur autem sine fide & prole, quia esse rei non dependet ab usu suo; & propterea sacramentum artiùs quàm fides & proles ad matrimonii essentiam pertinet, ut constat ex S. Thoma in Supplem. q. 49. a. 3. in corp.

Revera invenitur sæpe matrimonium, quod procul abest à fide, quâ sese sibi invicem obstrinxere conjugati. Nam hæc fides violatur per adulterium ab conjugum alterutro admissum, vel per conjugale debitum sine causa denegatum, non per alia peccata, qualia sunt furta, perjuria, blasphemiæ, &c. nec per injurias vel calumnias viro ab muliere, vel mulieri ab viro impactas infringitur. Ista enim nihil repugnant fidei conjugali, sicut adulterium & injusta debiti denegatio adversatur.

Præterea reperire est non unum, sed plura matrimonia, ex quibus nulla proles extiterit, sive id ex innata conjugatorum sterilitate & impotentia, sive ex voluntaria eorum ex mutuo consensu continentia, sive ex infanda vel utriusque vel alterutrius conjugis vel prolis conceptionem vel conceptæ partum impedientis malitia, vel aliis ex causis profectum fuerit. Quamvis igitur matrimonio desit fides, vel proles, nunquam tamen inseparabilitas ab eo divelli poterit. Esto enim eveniant causæ, propter quas conjuges, vel ad tempus, vel in perpetuum, quoad thorum separari possint, ut puta alter conjugum adulterio datam fidem infregerit, vel aliquid aliud, propter quod conjuges quoad cohabitationem separari valeant, non propterea solvitur conjugale vinculum, quod nusquam, nisi alterutrius conjugis morte, dirimitur.

De Sacram.

Secunda conclusio.

Per tria illa quæ proximè recensuimus, matrimonii bona, dicitur excusari matrimonialis actus: siquidem per illa efficitur, ut copula carnalis, quæ extra matrimonium jure ac meritò damnaretur, non solùm sit honesta, sed etiam sancta, & cum merito conjuncta, ut legere est apud S. Augustinum lib. 5. cont. Julian. cap. 5.

Per illa igitur excusatur & honestatur matrimonium eo nomine, quòd mala per peccatum in nuptias importata, prolis, fidei & Sacramenti compensatione sarciantur. Si enim, ut testatur Apostolus, adhæresc it tribulatio carnis, id est varia incommoda conjugatis in procuratione familiæ perferenda, illa per prolem, fidem, & Sacramentum mirabilem in modum mitigantur, & minuuntur: sic est in matrimonio concupiscentia & libido, quæ semper mala est, per illa bona sine culpa efficitur, tali quippe malo bene utuntur conjugati, ita ut absque omni peccato procreandæ scilicet prolis & debiti reddendi causâ conveniant: si denique paulò intemperantiùs, & tamen intra matrimonii limites, se se gerant conjuges, & plus æquo sese tradant libidinosæ voluptati, præfata bona illorum incontinentiam, graviorem alioquin extituram, venialem dumtaxat efficiunt.

Tametsi omnia quæ diximus mala, per hujusdi matrimonii bona leniantur, aut minuantur, & fiant tolerabiliora; sanctus tamen Augustinus in iis locis, in quibus prædicta percenset bona, per ea potissimùm conjugatorum libidinem & incontinentiam excusari discertè asserit: siquidem alia quæ comitantur matrimonium mala, cùm sint mala pœnæ, non indigent excusatione, sicut libido & incontinentia, utpote quæ inter mala culpæ in indebito matrimonii usu unâ omnium Theologorum sententiâ recenseantur, ut passim docet S. Augustinus, & præsertim in libris adversus Pelagianos exaratis.

QUÆSTIO XI.

Quandonam conjugati peccent mortaliter in usu matrimonii.

ESTIUS, quem omnes docti colunt velut insignem Theologum; in 4. Sentent. dist. 31. §. 5. ait, annotari posse summatim quinque aut sex casus, in quibus etiam cum legitima conjuge congressus mortali culpa non careat.

Primus casus

Ille est, in quo ita frequens & intempestivus est cum propria conjuge congressus ut intervertat tempora, quæ orationi debentur. Nam S. Petrus de usu conjugali loquens, 1. Pet. 3. exceptionem adjecit: *Ut non impediantur orationes vestræ, &c.* Et Paulus 1. Corinth. cap. 7 *Nolite*, inquit, *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Ex quo loco intelligitur, Apostolum id quod secundùm indulgentiam permittit, ita demum permittere, si excipiantur tempora orationis. Nec obstat illud, *nisi fortè, &c.* sensum enim præceptivum habet hujusmodi: sed tantùm abstinete ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, postea in idipsum reversuri. Non ergo secundùm indulgentiam conceditur conjugalis complexus, quo impediuntur tempora orationi debita.

Quod ita esse, ex Apostoli verbis intellexit S. Au-

gustinus de bono conjugal. cap. 10. cùm ait: *Illum concubitum secundum veniam concessit Apostolus, si sit per incontinentiam: si tamen non ita sit nimius, ut impediat quæ seposita esse debent, tempora orandi.* Verùm istud intellige de eo qui exigit debitum, non de eo qui reddit. Vult enim Apostolus abstineri ex consensu utriusque; ac proinde excusatur à peccato alteruter conjugum, qui ab altero ad reddendum debitum adigitur.

Secundus casus.

In idem peccatum incurrit quisquis tam intemperanter utitur conjuge, ut non se contineat intra affectum conjugalem, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eadem, quamvis conjux non esset, libidinem suam explere, atque adeo voluptatem illam sic amat, ut eam Dei timori anteponat. De talibus ait Angelus, Tob. cap. 6. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Et Dominus in Evangelio: *Qui amat uxorem plusquam me, non est me dignus.* In illos quoque competit illa Xysti Philosophi sententia ab Hieronymo in cap. 18. Ezechiel. & lib. 1. contra Jovinian. cap. ult. repetita: *Omnis ardentior amator propriæ uxoris adulter est.* Et illud ejusdem S. Hieronymi lib. 1. contra Jovinian. cap. ult. *Nihil fœdius quàm uxorem amare quasi adulteram.* Contra verò, *si conjuges magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quàm quod inhonestum est, id est quod est nuptiarum, quam quod non est nuptiarum, hoc eis authore Apostolo secundum veniam conceditur*, ait S. Augustinus loco proximè citato.

Tertius casus.

Peccat mortaliter quisquis uxorem gravidam cognoscit, si periculum sit fœtum conceptum, quamvis nondum animatum, perdendi: peccat enim mortaliter, qui se periculo peccati mortalis exponit. Unde & hunc casum expressit Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. cap. ult. dicens: *Imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios.* Et in Historia Indorum Occidentalium lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 18. legitur, apud quosdam ejus gentis homines quadam naturæ lege observatum fuisse, ut viri ab uxoribus gravidis abstinerent. Et apud Bedam in lib. Pœnitentiali cap. de fornicatione. Pœnitentia præscripta legitur iis, qui contrà facerent, tamquam qui graviter peccassent; idemque repetitur in cap. de abstinentia mulierum.

Sciendum autem, quòd hoc casu non tantùm exigere debitum, sed & reddere, mortale peccatum est, sicut furioso reddere gladium. Peccat enim mortaliter non tantùm occidens, verùm etiam cooperans in cædem aut perniciem alterius, etiamsi id faciat reddendo rem alioqui debitam.

Quartus casus.

In idem peccatum sese implicat, qui congreditur cum menstruata. De quo tamen casu variant Doctorum sententiæ; sed de eo primùm audienda est Scriptura, quæ cum hujusmodi congressum prohibuisset Levit. c. 18. v. 19. & inter ea peccata numerasset, quæ etiam in nova lege peccata sunt, eamdem prohibitionem repetit cap. 20. v. 18. & quidem constituto tam in reddentem debitum, quàm exigentem mortis supplicio. Ex quo satis intelligi videtur, utriusque peccatum esse mortale. Similiter Ezech. cap. 18. accessus ad mulierem menstruatam numeratur inter ea peccata, quæ cum justitia non consistunt. Sic porrò de eo peccato censet S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remissione cap. 12. & quæst. 64. in Levitic. quo loco rationem hanc reddit: quia talis coïtus valde noxius est proli concipiendæ. Quod nocumentum pleniùs explicat, atque adeo cur hujusmodi congressum cum menstruata tam severe & mortis interminatione Deus prohibuerit, clariùs indicat S. Hieronymus in cap. 18. Exech. *Quia*, inquit, *si eo tempore vir coïerit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & in fœda in utroque sexu corpora parvitate vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret.* Hæc sanctus Hieronymus.

Quòd autem hic casus respiciat utrumque conjugem, etiamsi debitum tantummodo reddat, præter locum expressum Levit. 20. suadet allata jam ratio quæ utrique communis est, quia ambo concurrunt ad rem notabiliter homini nascituro nocituram. Hæc est sententia S. Hieronymi & S. Augustini q. 64. in Levit. aientis, ab Ezechiele Propheta inter illa peccata, quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, hoc commemorari, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter justitiæ merita, si non accedat. qua in re non natura damnatur, sed concipiendæ prolis noxium perhibetur. Hactenus S. Aug.

Quotquot Theologi quæstionem hanc attigerunt, nemo hominem ad mulierem menstruatam accedentem exemit à peccato: sed non omnes hoc peccatum lethale nominari voluerunt. Scotus hoc ipsum peccatum tam respectu petentis debitum, quàm reddentis, esse lethale credidit: quod & existimarunt Richardus, Liranus, & Glossator cap. *Ad ejus.* dist. 5. S. Bonaventura & Sylvester reddentem in eo casu debitum venialiter peccare censuerunt. Alii ut Paludanus ad dist. 32. q. 1. Cajetan. in Summ. v. *Matrimonium.* Navarrus in Enchirid. cap. 16. n. 32. & alii, in proposito casu crediderunt, utrumque, id est petentem & reddentem debitum, illo ipso tempore, quo menses, id est menstruas purgationes ipsæ mulierculæ patiuntur, venialem duntaxat culpam admittere. Quia hujusmodi præceptum non est figuratè accipiendum, ut suprà ex S. Augustino didicimus, ideoque morale, non autem purè legale; quia licèt ille actus cum quadam indecentia & turpitudine sit conjunctus, non est tamen peccatum mortale, ut sic; tum quia rarissimè, ut asserunt Medici, eo tempore proles concipitur, atque adeo rarissimè proles vel lepra vel alio notabili morbo inficitur, aut nævo aliquo, aut monstrosa totius corporis deformitate, aut alicujus membri turpitudine dehonestatur, (quod quidem unum conjugatos præfato mensium tempore congressos in lethale flagitium implicare poterat) tum quia indecentia quæ comitatur istum cum menstruata muliere congressum, non est tanta, ut ad mortalis peccati malitiam, graviorum Theologorum judicio pervenire censeatur.

Ut autem tota hæc doctrina clariùs eluceat, operæpretium est aperire, quid hac de re sentiat sanctus Thomas, qui in 4. Sentent. distinct. 31. q. 1. a. 2. in solut. quæstiunc. 2. in corp. sic loquitur.

Ad secundam quæstionem, inquit, dicendum quòd accedere ad menstruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum quod in prole ex hujusmodi commistione frequenter sequebatur. Et quoad primum præceptum, erat cæremo-

niale; sed quantùm ad secundum, erat morale: quia cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis intenditur. Et ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. Fluxus tamen menstruorum potest esse naturalis & innaturalis. Naturalis quidem, quando scilicet mulieres patiuntur (menstrua) temporibus determinatis, quando sunt sanæ: innaturalis autem, quando inordinatè ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur. In fluxu ergo menstruorum innaturali non est prohibitum in nova lege ad mulierem menstruatam accedere, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest, tum quia talis fluxus est perpetuus & diuturnus, unde oporteret, quòd vir perpetuò abstineret: sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere; & iterum talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus: unde prohibitum est ad talem accedere; & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.

Hactenus S. Thomas, qui non determinat, an & quale peccatum sit accedere ad mulierem, quæ naturaliter, id est statis temporibus menstruorum fluxum patitur. Unde credibile est, eum non judicasse conjuges peccati lethalis conscios, qui ad hujusmodi mulieres statis temporibus menstrua passas accederent.

Quintus casus,

Quo censentur conjuges peccare lethaliter in reddendo & exigendo conjugali debito, factitari dicitur, quando per immoderatum matrimonii usum utriusque conjugis sanitas notabiliter læditur.

Revera omnes Theologi existimant, tunc tam viro, quàm mulieri illicitum esse reddere hujusmodi debitum: quia neuter (sicut & cæteri homines) vitæ suæ dominium habet, & ideo ad eam tuendam, & omni honesta pariter & legitima ratione prorogandam, naturali & divina lege uterque obligatur. Quemadmodum enim lethale peccatum admitteret, qui sciens & volens esculentis poculentisque graviter sibi nocituris uteretur; ita peccat lethaliter quisquis cum notabili suæ vel conjugis vel utriusque sanitatis dispendio sese in ardentiorem & frequentiorem matrimonii usum effunderet; vel probabili prædictæ sanitatis graviter lædendæ, aut penitus profligandæ periculo sese exponeret: siquidem peccatum est, & quidem lethale sponte & ultrò lethalis flagitii periculum adire.

Ex hac resolutione solvuntur multi casus.

1°. Neuter conjux tenetur alteri debitum reddere cum detrimento propriæ salutis, ut ait S. Thomas in 4. dist. 32. quæst. unica, a. 1. in c. & id probat, quia rectus ordo naturæ (in cujus officium institutum est matrimonium) postulat, ut quisquis conjugatus priùs suæ incolumitati, quàm prolis generationi consulat.

Huc accedit, quòd id ipsum exigat ordo charitatis, quæ à seipsa incipit, & ante omnia propriæ indemnitati consuli præcipit, cap. *non satis.* 86. d. c. *nisi specialis. de usu pallii.*

2°. Conjux febri laborans, aut vulneratus, aut gravi quopiam dolore vel morbo conflictatus, non tenetur reddere debitum, si copula hujusmodi rebus vehementer nocitura videatur.

3°. Statim à balneis non tenetur conjux reddere debitum; cùm eo tempore copula grande periculum inferat, ut ait S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 10.

4°. Non tenetur conjux alteri immoderatè & frequentiùs quàm par est, petenti debitum reddere, imò reddens peccaret lethaliter, si constaret debiti redditionem in grave salutis, exigentis dispendium vergere, vel admodum probabiliter, vel certò resciceret.

Sextus casus,

In quo ab conjugibus lethale peccatum admittitur, accidit, quando usus naturalis mutatur in eum qui est contra naturam, id est in eum modum, quo secundùm naturam homo concipi non potest.

Est igitur vitium contra naturam, quod rectè definitur, libidinosæ voluptatis usus contra ordinem à natura institutum; vel, ut ait S. Augustinus lib. 3. cont. Julian. cap. 20. quod fit præter eum usum, unde humana natura potest nascendo subsistere. Natura enim exigit, ut ex carnali copula fœtus ejusdem speciei conceptio consequi possit, & reipsa citra ullum obicem consequatur.

Hujus vitii imprimis abominandi plures recensentur species, quarum prima vocatur pollutio sive mollities, & hæc perpetratur bifariàm.

1°. Cùm absque concubitu semen effunditur delectationis libidinosæ causâ, & hæc est quæ crebrò adolescentulis juvenili ardore flagrantibus admittitur. Et est semper peccatum lethale, sive in vigilia, sive in somno contingat, si inter vigilandum ipse ille qui polluitur, oblectatus fuerit lethaliter libidinosa & illicita cogitatione, vel in eam voluntariè consenserit.

Quid autem de hoc peccato sentiat Toletus lib. 5. Instruct. sacerd. cap. 23. hic ascribere juvat, ut videant plerique omnes adolescentuli, quorum & quale damnationis æternæ periculum adeant, qui hujusmodi peccato sunt obnoxii. *Est autem*, inquit, *hoc peccatum difficillima emendationis, quia occasio ferè est semper cum homine, & est adeo universale, ut crediderim maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confessionem cum uno eodemque Confessario, ut fiat ter in hebdomada, si fieri possit. Est enim hoc sacramentum maximum frænum; & qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo factum, aut rarissimum privilegium.* Hactenus ille loco citato.

2°. Pollutio voluntaria committitur, cùm inter amplexus maritales vir sese retrahit, ne semen in vas naturale influat, & exinde concipiatur proles. Hujusmodi peccato divinam sibi ultionem accersiere teterrimi fratres, Her scilicet & Onan, qui ex uno Hebræorum Christianorumque consensu in actu conjugii peccavere peccatum mollitiei & retractûs, quod est contra naturam generationis, & matrimonii ad procreandam prolem institutum. Her enim Judæ primogenitus peccavit libidine, sese scilicet in actu conjugali retrahendo, ut semen extra naturale vas Thamar uxoris suæ profunderet, & id ex libidinis intemperantia factitasse memoratur, ne scilicet puerpetia, & onerosa liberorum educatio aliquid de ejusdem uxoris ipsius venustate, atque adeo de solita libidinosi concubitus oblectatione, decerperet. Onan istius Her simillimus frater eodem se peccato contaminavit, sed alia de causa, eaque graviori & scelestiori, ut putà, ex invidia, ne scilicet, si consummaret actum matrimonii, filios non sibi, sed fratri procrearet. Sed tantum & tam immane flagitium non impunè tulerunt flagitiosissimi fratres, utpote qui in parem implicari culpam, similem oppetiere pœnam. Sic enim de inflicto utriusque supplicio sacræ prædicant Litteræ: *Fuit Her primogenitus Juda, nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est. Et cùm dixisset Judas ad Onam filium suum: Ingredere ad*

uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo; ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret, Gen. 38. v. 7.

Author quidam rectè monet Confessarios, ut sedulò observent tantam Dei vindictam in molles, & sese retrahentes in actu conjugali, & eam suis pœnitentibus graviter inculcent. Si enim illis temporibus nondum Evangelii luce perfusis, tam severè animadvertit in homines talium peccatorum reos, quot quantisque suppliciis eadem illa peccata plectet, imò quotidie plectit post promulgatum Evangelium?

Duplicem hanc pollutionem plures admittunt conjugati.

Primam scilicet committunt, cùm extra conjugalem actum sese contrectant, sese mutuis osculis provocant, & reipsa polluuntur, vel probabile secuturæ pollutionis periculum adeunt.

Alteram pollutionis speciem perpetrant, cùm vel vir se retrahit, (sicut ab Her & Onan pessimis fratribus factitatum esse legimus.) ne infuso semine in vas naturale concipiatur proles, vel eamdem ob causam mulier exceptum semen ex naturali vase excutit, ne teneram adhuc prolem & lactentem alere, & donec ab materno ubere depulsa fuerit, sese continere teneatur, vel ne numerosiores liberi rem familiarem exhauriant, vel denique ne frequentioribus puerperiis, & diuturnis lactandæ prolis laboribus & molestiis obtrita oris venustas & elegantia prohibeat, ne extincto conjuge alteras ad nuptias convolare valeat. Quicquid sit, utraque pollutio lethalis est in conjugatis.

Secunda species vitii contra naturam dicitur non naturalis concumbendi modus, & fit quando in debito sexu non servatur instrumentum aut vas debitum, aut alii monstruosi & bestiales concumbendi modi, ut ait S. Thomas, usurpantur: quorum turpitudinem, qui in id flagitii ruunt, nequeunt ignorare, satis eos docente natura, ea esse cum immani flagitio conjuncta, quæ tantopere ab ejus institutione abhorreant. Unde si ea inter confitendum reticeant, lethale illud silentium in præposterum pudorem, atque adeo in deliberatum ista flagitia celandi consilium refundi poterit.

Quod quidem nihil prohibere debet, quin generatim interrogentur conjugati, num præter naturalem concumbendi modum, alium adhibuerint, & quis ille fuerit.

Sed præterea docendi sunt maximè, fugiendam esse omnem concumbendi rationem, quæ aut generationem impediat, aut in pollutionis periculum inducat.

Tertia vitii contra naturam species, de qua in sacris Litteris fit mentio, Ezech. cap. 16. Genes. 13. Levit. 18. & Rom. 1. admittitur per concubitum ad non debitum sexum, & hoc propriè dicitur peccatum Sodomiticum, quod non ultimum obtinet locum inter peccata in cælum clamantia, id est præ cæteris divinam iram & ultionem insigniter accersentia iis, à quibus admittuntur: talia sunt homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppressio pauperum, & merces operariorum defraudata, de quibus alibi disputatum est.

Homines Sodomitæ, inquit Scriptura, pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Hujus peccati, quod natura ipsa execratur, magnitudinem sic explicat eadem Scriptura: *Clamor Sodomorum & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Propterea Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem.* Unde homines Dei opt. max. justitiam imitati, tam immane flagitium uno dumtaxat vivicomburio (si isto Tertulliani verbo uti liceat) plectendum esse censuerunt: & revera in illud ita animadvertunt, ut discant omnes quanto odio prosequi, & quanta detestatione illud aversari oporteat.

Quarta species vitii contra naturam est bestialitas, cùm scilicet nonnulli tam præpostera libidine sunt incensi pariter & excæcati, ut cum pecoribus commisceri non horreant. Sed de monstruosis hujusmodi peccatis pleniùs edissetere perhorresco. Igitur ad alia properare juvat, si priùs observavero, quomodo se gerere oporteat erga Sacerdotes & alios inferiores Clericos, quos diabolicæ tentationis & insanæ libidinis impetus in tantum flagitium impulerit. Sit itaque

---

Quæstio XII.

Quid in jure pontificio adversus Sodomiticum peccatum, tam respectu laicorum, quàm Sacerdotum, constitutum fuerit.

Prima conclusio.

Quam horrendum esset peccatum Sodomiticum, satis superque declaravit Concilium Illiberitanum, IV. ineunte sæculo in Hispania celebratum: siquidem can. 71. sanxit, *stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem.*

Hujus canonis fundatissima severitas illustriùs apparebit ex seqq. sanctorum Patrum pariter & Conciliorum testimoniis.

De tam immani flagitio ita pronuntiat S. Aug. l. 4. Confess. cap. 8. *Flagitia quæ sunt contra naturam*, inquit, *ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt, quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cujus ille author est, libidinis perversitate polluitur.* Et exeunte cit. cap. *Hoc vindicas, quod in se homines perpetrant, quia etiam cùm in te peccant, impiè faciunt in animas suas, & mentitur iniquitas sibi, sive corrumpendo aut pervertendo naturam suam, quam tu fecisti, & ordinasti, vel immoderatè utendo concessis rebus, vel in non concessa flagrando in eum usum qui est contra naturam. Et ea fiunt, cùm tu derelinqueris, fons vitæ, qui es unus & verus creator & rector universitatis, & privatâ superbiâ diligitur unum falsum.* Hact. S. Aug. loc. cit.

S. Petrus Damiani nefandam illam turpitudinem carpit majorem in modum, & quàm horrenda sint illius effecta, declarat his verbis: *Hoc sanè vitium*, inquit, *nulli prorsus est vitio conferendum, quòd omnium immanitatem superat vitiorum. Hoc siquidem vitium mors est corporum, interitus animarum, carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo humani pectoris ejicit, incentorem luxuriæ diabolum introducit, mittit in errorem, subtrahit decepta menti funditus veritatem, eunti laqueos præparat, cadendo in puteum, ne egrediatur, oppilat, infernum aperit, paradisi januam claudit, cælestis Hierusalem civem, tartareæ Babylonis facit hæredem, de stella cæli stipulam exhibet ignis æterni, abscindit membrum Ecclesiæ, & in vorax projicit gehennæ æstuantis incendium.* Hæc ille opusculo VII. qui liber Gomorrhianus inscribitur, cap. 16.

Non immeritò igitur tot constitutiones in jure pontificio editæ sunt adversus immane illud flagitium, ut constat ex cap. *Quod ait.* 14. distinct. cap.

Si gens. 56. distinct. cap. *Flagitia.* 32. q. 7. cap. *Vt Clericorum. De vita & honestate Clericor.* cap. *Clerici.* 4. *de excessibus Prælator.* cap. *de Archiepiscopatu. de raptor.* cap. *Sollicitatores.* §. *qui puera. de pœnit.*

Adversus ipsum illud flagitium multi ab Conciliis conditi sunt canones, ut videre est: & imprimis Concilium Turonense II. condidit canones 15. Toletan. XVI. canon 3. Troslejanum can. 15. Ac reipsa quidem primis Ecclesiæ temporibus hujusmodi flagitium tam atrox & immane visum est, ut nec illi nec similibus monstris etiam in fine venia concederetur. *Reliquas autem libidinum furias impias in corpora* (ait Tertullianus de pudicit. cap. 12.) *& in sexus ultra jura naturæ non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus.*

Gabriel Albaspinæus lib. 2. Observat. cap. 13. & Balsamon in can. 17. Synodi Ancyranæ rectè annotatunt ipso illo tempore, quo celebratum est Concilium Illiberitanum, veniam monstris penitus esse denegatam; postea tamen in Synodo Ancyrana paulò humaniùs & benigniùs statutum fuisse, ut si quis ante vicesimum ætatis annum cum masculo concubuisset, per viginti annos publicam in Ecclesia pœnitentiam ageret: quod temperamentum ex jure Orientali adhibitum esse refert Harmenop. in Promptuario lib. 6. tit. 4. *Præter naturam*, inquit, *lascivientes tam agens, quàm patiens, gladio plectatur, nisi fortè qui passus est, minor erat.* Hæc ille.

Porrò Patres Ancyrani agunt de majoribus, qui annum ætatis vicesimum prætervecti fuerint. Quòd si qui, inquiunt, uxores habentes & transcendentes quinquagesimum ætatis annum, ita deliquerint, ad exitum vitæ, Communionis gratiam consequantur.

Ita consequentibus sæculis Communione donabantur: si tamen pœnitentiam rite peragere neglIgerent, suscitata canonis Illiberitani severitate, de qua sermo est, in fine illis Communio denegabatur, ut patebit ex Concilio Toletano XVI. sequenti conclusione citando.

Secunda conclusio.

Episcopi, Presbyteri aut Diaconi præfato flagitio implicati, de proprii honoris gradu dejecti, perpetui exilii manebant damnatione perculsi: cæteri verò inferioris gradus homines eâdem pœnâ & aliis gravioribus afficiebantur.

Hæc conclusio probatur evidenti authoritate Concilii Toletani XVI. cujus canon 3. in hæc verba conceptus est: Sicut cordis corporisque munditia homines Deo proximos facit, (aiunt istius Concilii Patres) ita incentivæ pollutionis actio à Deo alienos statuit: & sicut Sodomiticos populos horrenda nimiùmque detestanda patratio, igni cælitus confluenti exurendos in peccatis tradidit, ita talibus immunditiis homines deditos æternæ damnationis rogus consumet, loquente Domino per Prophetam: *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* At nunc quoniam hæc funesta actio & Sodomiticæ operationis malum multos fauciasse perpenditur, adeo nos ob hujus fœdissimæ causę extirpandam consuetudinem zeo Domini ardentes omnes in commune sancimus, ut quicumque hujus nefariæ actionis patratores extitetint, quique in his turpitudinibus sese implicari permiserint, & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operati fuerint; siquidem Episcopus, Presbyter aut Diaconus fuerit, de proprii honoris gradu dejectus, perpetui exilii manebit damnatione perculsus. Sin verò cujuslibet ordinis, gradus, vel personæ, & talibus colluvionis noxis reperti fuerint implicati, illius legis, quæ de talibus est edita, nihilominùs feriantur sententiâ; atque ab omni Christianorum sint alienati caterva; & insuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati exilio mancipentur perpetuò. Ita nisi tam eos, qui religionis cultum turpasse visi fuerint, quàm etiam alios (ut diximus cujuscumque ordinis homines) digna satisfactio pœnitentiæ accipere corpus & sanguinem Christi in fine permiserit, aut Christicolarum societati reddiderit, nec in exitus sui diem secundùm canonum instituta, communionis perceptione se noverint relevari; nec Catholicorum cœtui aggregari.

Hactenus Concilium Toletanum XVI. ex 59. Episcopis conflatum, tempore Sergii Papæ anno Redempt. 693. celebratum.

Hujus canonis sanctioni non mediocrem conciliavit authoritatem S. Petrus Damiani Ostiensis Episcopus & Cardinalis, qui floruit sæculo XI. ab anno scilicet 1057. usque ad annum 1072. Nam in libro Gomorrhiano, quem ad ingenerandum horrorem vitiorum contra naturam, elaboravit, tanta soliditate demonstrat æquitatem præfati canonis Concil. Toletani XVI. ut ad eum, quem sibi proposuit, finem assequendum, nihil justius & efficacius afferri posse videatur.

Nam hujuscemodi libri Gomorrhiani cap. 1. conqueritur de inordinata, imò impia pietate rectorum, quæ tanta erat, ut quamvis eos, qui contra naturam actu consummato deliquerant, de sui ordinis gradu dejiciendos esse dicerent, alios tamen qui vel secum, vel aliorum manibus, vel inter femora contra naturæ ordinem sese polluerant, suo in Ordine permanere sinerent.

Postea cap. 3. probat, usibus immunditiæ, id est quatuor generibus vitiorum contra naturam, deditos, nec ad Ordinem provehi debere, nec promotos in sui Ordinis gradu & functione tolerari oportere.

Ejusdem libri cap. 4. probat hujusmodi homines ab omni ecclesiastico munere & officio removendos esse, etiamsi id Ecclesiæ necessitas posceret.

Cap. 5. probat, In reprobum sensum lapsos esse eos, qui cùm hæc vitia, vel ex iis unum admiserint, sacrum Ordinem concupiscunt. In hoc cap. fitur & in cæteris libri hujus Gomorrhiani capitibus, intelligendus est S. Petrus Damiani de quatuor generibus peccantium contra naturam, quorum alii sese propriis manibus polluunt, alii invicem inter se semen egerunt, alii semen inter femora profundunt, alii denique consummato actu contra naturam delinquunt, id est admittunt ea flagitia quæ recenset Apostolus Rom. cap. 1. vers. 26. 27. & seqq.

Cap. 7. acerrimè reprehendit eos, qui cùm in horrenda vitia de quibus sermo est, sint prolapsi, inter se confitentur; dum hominum faciem erubescunt, qui reatûs authores existunt, ipsi judices fiunt, ut indiscretam indulgentiam, quam sibi quisque affectat impendi, gaudeat alteri vicariâ permutatione largiri. Et toto illo capite istos homines ita confessos majori flagitio per illam ipsam confessionem devinciri pronuntiat.

Cap. 8. sacrilegum virginis violatorem, sicut & filii spiritualis prostitutorem, jure deponendum esse declarat.

Cap. 10. refert quosdam canones apocryphos & supposititios, quibus eliditur vigor ecclesiasticæ disciplinæ, & affirmat, homines carnales per hujusmodi commenta miserrimè decipi.

Cap. 11. & 12. tales canones vocat spuria canonum vitulamina, quæ à sacris Conciliis noscuntur exclusa, & à decretis Patrum omnino probantur extranea. Sequitur ergo, inquit, ut nequaquam in-

ter canones habeantur, quæ nec à Decretalibus Patrum edictis, nec à sacris videntur prodire Conciliis. Quicqoid enim inter species non annumeratur, à genere proculdubio alieoum esse decernitur.

Cap. 14. refert Synodi sanctionem, qoâ ralium vitiorum contra naturam conscii, jubentur inter energumenos, id est dæmoniacos orare; quatenus si carnales homines ex semetipsis nesciunt pensare quod sunt, ab ipsis saltem valeant edoceri, cum quibus sunt communi orationis ergastulo deputati.

Cap. 15. inserit, qood de Clericis vel Monachis masculorum insectatoribus sentiat S. Basilius: Clericus vel monachus, inquit, adolesentum, vel parvulorom insectator, vel qui osculo, vel qui aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decalvatusque turpiter sputamentis obliniarur in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustiâ maceretur, & triduo per hebdomad s singulas ex pane hordeacco ferratur, post hæc aliis sex mensibus sub seniotis spiritualis custodiâ, segreg râ in curticulâ degens, operi manuum & orationi ut intentus, vigiliis & orationibus subjectus, & sub custodia semper duorum spiritualium fratrum ambuler, nullâ pravâ locutione vel consilio deinceps juvenibus conjungendus. Hic carnalis homo studiosè perpendat, utrum ecclesiasticis officiis tutò ministrare valeat, quem sacra authoritas tam ignominiosis, tam turpibus dehonestandum contumeliis judicat: nec ex eo sibi blandiatur, quia neminem corruperit, cùm apertissimè scriptum videat, quia qui solo osculo, vel aliqua occatione turpi deprehensus fuerit, omnibus illis probrosæ disciplinæ contusionibus meritò subjacebit.

Hactenus S. Petrus Damiaoi, de quo multi perillustres viri magnificè prædicarunt, & inprimis Baronius xi. Annal. tomo ad ann. Ch. 1072. *Si Deus*, inquit, *in hoc deploratissimo sæcule cùm excrevisset ad Ecclesiam obruendam, diluvium carnis, dedit mundo tantum virum, qui austerissima vita exemplo, verbique prædicatione & scriptis exsiccaret tantam putredinem: pariterque pugnaret adversus simoniacam heresim, quæ ubique locorum grassabatur impunè*. Hæc ille.

Varia quæ ab variis elogia in B. Petrum Damiani sunt congesta, magni equidem facienda sunt; sed omnibus illis, quantumvis insignibus & magnificis, præponderat Epistola, quâ Leo Papa IX. totum hoc Opusculum quod Gomorrhianus inscribitur, approbavit. Ecce omnes illi, qui quamvis quatuor generum, quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, perfectâ æquitatis censurâ ab omnibus immaculatæ Ecclesiæ gradibus, tam sacrorum canonum, quàm nostro judicio depelluntur. Ista dumtaxat ex Apostolicis litteris delibavimus, ot appareat, summum Pontificem omnia & singula præfati tractatus laudasse, approbasse & confirmasse capita.

Ex hac doctrina sacrarum authoritate Litterarum, testimoniis sanctorum Patrum, statotis Conciliorum, & Apostolicæ sedis luculenta approbatione, tria colligere necesse est, quorum

Primum est, Pii Papæ V. bullam adversus Sodomitas promulgatam aono sal. 1568. quam legere est Constitut. 72. tomi 2. Bullarii p. 267. nullatenus exolevisse, imò adhuc Fidelium conscientias ad sui observationem obligare: quippe qui veterum Synodorum sanctiones, ut cummaximè necessarias, & ad compescenda nefandarum libidinum flagitia cumptimis idoneas, in usum toti Ecclesiæ saluberrimum revocet.

Secundum est, neminem Sacerdotem posse absolvere homines tam immanium criminum conscios, & nihilosecius in ea, quâ fulgent inter Fideles, dignitate permansuros, nisi sese suis sacerdotiis abdicaturos ex animo repromittant; & antequam absolvantur, idoneo dierum vel mensium, imò & annorum (si opus fuerit) spatio edant dignos pœnitentiæ fructus, ex quibus manifesta ab ipsis promissæ abdicationis & emendationis argumenta pelluceant.

Tertium denique, ot omnes parentes, præceptores, pastores, Confessarii & alii id genus viri, data occasione, adolescentulorum animos implacabili talium scelerum odio imbuant, idque, prout spiritus & prudentia Christiana suggesserit, ne fortè tanta mala, & tam immania peccata ultricibus flammis tam in hoc sæculo, quàm in futuro concremanda, rudem adhuc & innocuam ætatem improvida temeritate doceant.

QUÆSTIO XIII.

In qua expenduntur varii casus qui respiciunt actum conjugalem & debitum conjugale per interrogationes & responsiones.

QUÆRES igitur 1°. utrum sacris diebus debitum conjugale petere & reddere liceat?

Respondeo, juxta principia à nobis in hac Dissertatione posita, sacris diebus, id est orationi, & maximè Eucharistiæ præceptioni destinatis, ordinariè loquendo, non posse peti debitum, sed reddi: ita ut petens peccet ex probabiliori Theologorum sententia, ut suprà vidimus ex Estio, ex quo excerpsimus quinque aut sex casus, in quibus peccant conjuges conjugale debitum, non quidem reddendo, sed exigendo. Huic opinioni suffragatur cap. *Proposuisti*. distinct. 82. ex 3. Epist. Innocentii Papæ I. ad Exuperium, ubi Pontifex scribit Apostolum, præcepisse laicis ab commercio conjugali abstinere ad tempus, ut vacent orationi. Hisce Innocentii Papæ verbis consentanea leguntur apud Gratian. qui 33. q. 4. cap. *Quotiescumque*. & cap. *Fratres*. & in cap. *Omnis homo*, *de consecrat.* dist. 4. allatis SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini & Gregorii Magni testimoniis, probatum relinquit, oportere omnem hominem ante sacram Communionem à propria uxore abstinere tribus aut quatuor, aut octo diebus. S. Augustinus in serm. 226. de Temp. Dom. 10. post Pentecost. serm. 2. hoc ipsum asserit. Alter S. Aug. locus refertur c. 2. 33. q. 4.

Revera cùm ipso illo tempore debitum petitur, non prolis concipiendæ, sed libidinis eriatiandæ gratiâ, petentem peccare, sustinent Gloss. 33. q. 4. in Summ. vers. *quod autem*. item Alexander *de Hales* 2. p. q. 166. membr. 2. ad 5. ex argumentis priore loco positis: Astensis Sum 2. p. lib. 8. t. 10. 2. 4. q. 1. Abulensis in cap. 5. Math. q. 238. Junct. q. 240. Ex hac sententia verisimillima multi conjugati communicant, seu Christi corpus percipiunt, & percipiendo peccant, eo nomine quòd nullatenus abstinendo ab copula carnali, (in quam sese effrænatæ libidinis impetu immergunt) summâ irreverentiâ divinum illud & virginale Christi corpus afficiunt.

Tametsi hujusmodi sententia gravissimorum hominum authoritate & multitudine fulciatur, suas tamen patitur exceptiones. Si enim conjugati sese continerent intra limites dootum casuum, in quibus citra omnem culpam, etiam venialem, actum conjugalem exercere possunt, (ut est in confesso apud omnes) id est si debitum conjugale & peterent & redderent prolis suscipiendæ & reddendi debiti gratiâ, & nihil aliud conjugale commercium infuscaret, ab sacra corporis Christi perceptione amoveri

veri, nec possent, nec deberent: utpotè qui in præfato conjugali commercio duarum virtutum, religionis nimirum & justitiæ, actus exercerent. Tales nimirum extitere primi Fideles, quos Spiritus sanctus divinæ charitatis incendio perusserat, ita ut perseverarent in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Nihil ergo prohibebat conjugale commercium, (quod exercebant flagrantissimo charitatis pariter & justitiæ studio) quominùs quotidiè accumberent cælesti mensæ & sacro Christi corpore reficerentur. Quotquot igitur Fideles eorum pietatem ex animo fuerint imitati, eodem sunt donandi privilegio, quo sunt cohonestati. Qui verò in suarum libidinum cœno volutati fuerint, aliter erunt adhibendi, nec ad cælestes epulas admittendi, nisi vitam sanctiorem, & ab propudiosis libidinum ardoribus abhorrentem, saltem agere cœperint. Porrò quo pacto hac in parte sese gerere debeant Fideles, præclarè docet Catechismus Romanus in tractatu de matrimonio, in fine.

Quæres 2°. utrùm actus conjugalis in loco publico aut sacro exercitus lethalis haberi debeat.

Respondeo 1°. de loco publico & profano, & sacro, neminem conjugatum posse petere aut reddere debitum, quin peccet mortaliter. Id enim majorem in modum adversatur honestati, quæ homines ab brutarum animantium obscœnitate secernit, & præterea teterrimo exemplo astantes omnes ad omnem infamiam, & obscœnitatem impelleret talis actus semper erubescendus, quem ideo viri (nisi essent ab omni pudore deserti) remotis semper arbitris exercuerunt. Unde gravi sese flagitio devinciunt conjugati, qui non propalàm, sed inter privatos parietes, astantibus & præsentibus liberis, domesticis, aut alienigenis, sese contrectant & exosculantur perfractis omnibus modestiæ repagulis, atque ita circumstantium animis rerum infandarum pruriginem instiliant.

Tam indignam fœditatem ne ipsi quidem Gentiles nullâ nostræ religionis notitiâ imbuti, tolerare potuerunt. Commemorant M. Porcium Catonem (qui & posteà Censorius est appellatus) Titum Flaminium ex albo Senatorum erasisse, eo quòd cùm tonaret, præsente filia, amplexus esset uxorem, quò illi muliebrem adimeret metum, quod factum omni culpa carere nemo non dixerit, utpotè quod ad propulsandum mulierculæ metum pertineret. Si igitur istud factum criminis loco, ita est habitum ab viro Censori, ut in ipsius pœnam virum Senatorium cum magna infamiæ nota ordine suo submovendum esse censuerit: quâ pœnâ afficiendos esse judicaret Christianos, qui videntibus liberis & aliis, multa meram impudicitiam redolentia & dicunt & faciunt; qui vel in ipsis conviviis parum sobriis nihil reticent de thalami mysteriis & connubialibus deliciis, quas intra thalami conjugalis angustias contineri necesse est? Quis igitur Christianus æquo animo ferat extra thalamum conjugalem ea factitari & proferri ab conjugatis, quæ adolescentulorum aut aliorum circumstantium animis teterrimum dumtaxat offendiculum injicere, & fœdas libidinum faces incutere valeant?

Quod spectat ad locum sacrum, id est solam Ecclesiam consecratam & benedictam, seu Episcopali benedictione divinis officiis deputatam; certum est apud omnes, extra casum necessitatis culpam esse & sacrilegium uti matrimonio in loco sacro, tam petendo debitum quàm reddendo. Cùm enim hujusmodi copula violet locum sacrum, impediatque in eo divina officia celebrari, donec reconcilietur, directè opponitur loci sanctitati, ac proindè sacrilega est. In casu autem necessitatis, id est si conjugati intra Ecclesiam diu teneantur obsessi, nec inde se conferre possint ad locum maritali copulæ idoneum, tunc possunt petere & reddere debitum, ita ut neque peccent lethaliter, neque Ecclesia polluatur, ut docent Authores bene multi, ut videre est apud Thomam Sanchez lib. 9. de debito conjugali, disput. 15. num. 12.

Quæres 3°. quid de osculis & impudicis conjugum attrectationibus sentire oporteat.

Respondeo, oscula & alia id genus inter conjugatos esse lethalia in duobus casibus. 1°. Si fiant cum scandalo proximum ad libidinem incitante; quod maximè pertinet ad hujusmodi oscula & alia.

2°. Si fiant cum periculo pollutionis.

Quæres 4°. utrùm liceat reddere debitum petenti, unius dumtaxat carnalis voluptatis intuitu.

Respondeo licere, quia videlicet in illa etiam circumstantia semper stat petentis jus in alterius corpus, atque adeo sine injustia denegari non potest præfatum debitum: quod & tunc obligat ex charitate, ne videlicet alter conjugum graviùs peccet per incontinentiam. Sed quemcumque sibi constituat finem qui petit, nihil peccat qui reddit.

Quæres 5°. utrùm ad mulierem gravidam accedere liceat.

Respondeo, licere, si modò nullum conceptæ prolis necandæ, vel graviter lædendæ periculum immineat. Tunc enim accessus ad mulierem gravidam esset peccatum lethale, quod tam à petente, quàm ab reddente debitum admitteretur. Remoto hujuscemodi periculo potest maritus accedere suam ad uxorem, sed non sine peccato veniali. Nam debitum non petiit prolis, sed solius libidinis explendæ causâ, cùm ipsam illam uxorem jam concepto fœtu gravidatam esse ignorare nequeat.

Quæres 6°. utrùm alter conjugum, qui certò exploratum habet impedimentum dirimens, quod alteram partem latet, possit stante tali impedimento petenti reddere debitum, etiam compulsus per sententiam excommunicationis.

Respondeo, non posse. Ita determinatur cap. *Inquisitio, de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia redditio debiti in tali circumstantia esset actus fornicationis, qui quidem cùm sit intrinsecè malus, ab immani seu lethali flagitio excusari non potest. Aliter agendum esset, si idem ipse qui certò rescivit impedimentum dirimens, de illo dumtaxat impedimento dubitaret.

Quæres 7°. utrùm qui simplex castitatis votum ante matrimonium emisit, possit petere debitum.

Respondeo, hujusmodi hominem peccare, quotiescumque debitum petit, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi: per illud enim vovens ab omni actu venereo abstinere debet, & reipsa ad talem abstinentiam astringitur, & semper & pro semper: ac proindè tametsi inito jam matrimonio qui vovit, vinculi fortioris ratione debitum reddere teneatur, non tamen illud petere potest, cùm talis petitio sit ipsi libera, & ab illa abstinere possit, nec ad illam matrimonii lege constringatur. Siquidem matrimonium non absolvit ab præcedentis voti obligatione, ut patet ex cap. *quanto, de jurejur.*

Non ergo per initum matrimonium voti obligatio solvitur, & ideo alter conjugum astrictus voto, tenetur non exigere debitum, ut probatur ex cap. *quidam. de convers. conjug.* ubi cum qui reclamante uxore professus est, quamvis professio rescissa fuerit, dicitur teneri non exigere debitum quod in ejus potestate erat, & ideo quoad hoc, votum ceu validum perseverasse. Unde ad hanc sententiam accessere quamplurimi primi ordinis Theologi, & inprimis S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 4. & alii quos recensent Summistæ.

Quæres 8°. utrùm aliquis voti castitatis ab aliquo

emissi conscius peccet cum illo matrimonium contrahendo. Nam præbet illi offendiculum seu proximam occasionem violandi voti quod emisit. Quod peccatum nihil prohibet, quominùs ab eo debitum exigere possit, & ille reddere teneatur: quia verum jus & dominium acquisivit in alterius corpus per sacrilegum illud matrimonium, nec ipse vovit, alteriusve voto consentit. Ita Sylvester v. *matrimonium*. 7. q. 5. dicto 6.

Quæres 9°. utrùm dentur aliqui casus, in quibus citra peccatum debitum conjugale denegare liceat.

Respondeo, varios assignari casus, in quibus unus conjux alteri citra peccatum debitum denegare potest.

1°. Potest conjux alteri negare debitum, si ex hac debiti redditione sibi notabile detrimentum sanitatis imminere resciat, aut probabiliter conjiciat, quia, ut ait S. Thomas suppl. 3. p. q. 64. a. 1. in corp. *vir tenetur uxori debitum reddere in his quæ spectant ad generationem prolis, salva tamen prius personæ incolumitate.* Et ibidem. *Ad secundum dicendum*, inquit, *quòd uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salvâ consistentiâ personæ. Undè si ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio: & propter hoc non tenetur vir ei satisfacere.* Ita S. Thom. loco cit.

Cùm ergo unus conjugum periculoso, & præsertim contagioso seu pestilente laborat morbo, ita ut alter qui sanus est, illi nequeat reddere debitum, quin evidens & manifestum, vel mortis, vel certè gravioris morbi periculum adeat; tunc non tenetur, imò nec debet ei reddere debitum: quod tamen reddere potest, si nullum probabiliter secuturæ mortis periculum appareat.

Ab hac regula duo casus excipi possunt.

Primus: si ægroto petenti debitum grave incontinentiæ periculum immineat, debet alter conjugum aliqualis morbi negligere periculum, ut ipsius animæ saluti consulat.

Secundus, si publica regni, vel cujuspiam provinciæ utilitas exigat, ut princeps ad propulsanda ab regni, vel provinciæ cervicibus gravia, quæ ipsi impendent, mala, relinquat prolem sibi in regno, vel provinciâ successuram: tenetur etiam cum vitæ periculo accedere ad uxorem, non quidem ex justitia, quæ inter ipsum & uxorem intercedat, sed ex justitia, quâ est obligatus bono publico: siquidem ipsum illud bonum publicum privato cuilibet bono unusquisque mortalium anteponere teneatur. Ita sentit Sylvius in supp. 3. p. explicans q. 64.

Quæres 10°. utrùm alter conjugum sanus leproso conjugi debitum reddere teneatur.

Respondeo, juxta principia à nobis proximè tradita non teneri, si notabile contagionis periculum sano conjugi ex hujusmodi congressu immineat; secùs, ipsum illum conjugem ad reddendum leprosæ conjugi debitum obligari, ut declarat Alexander III. cap. *Perveniat. de conjugio leprosorum.* Quod & facit idem Alexander ibidem. cap. *Quoniam.* Sic enim ait: Quòd si virum, sivè uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur, est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.

Generali igitur præcepto tenetur conjux sana conjugale debitum reddere conjugi leproso. Quia quod generaliter dicitur, generaliter est intelligendum, *de consecrat.* dist. 4. id est cùm Apostolus omnibus promiscuè conjugatis conjugale debitum invicem reddere præceperit; generale illud præceptum in eo casu, qui de leproso proponitur, nullam patitur exceptionem. Sed tamen conjux sanus & incolumis non tenetur cohabitare cum leprosa conjuge, etsi (cæteris paribus) illi debitum reddere teneatur, ut affirmat S. Thom. Suppl. q. 64. a. 1. ad 4. quia non ita citò inficitur ex coïtu, sicut ex frequenti cohabitatione. Unde Alexander Papa III. cit. cap. *Perveniat. de conjugio leprosorum.* insigni prudentia mandat Episcopo Catuar. quatenùs ut uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponat. Si verò ad hoc induci non poterunt, arctiùs injungat, ut uterque, altero vivente, continentiam servet. Quòd si mandatum ejus servare contempserint, eos vinculo excommunicationis astringat. Hactenus Alexander Papa III.

Ex ista Alexandri Papæ III. responsione colligimus, leprosos inire posse matrimonium, & conjugale debitum illis esse reddendum, & ad hoc teneri eos vel eas, qui cum illis matrimonium contraxerint. (si nimirum sanis grave sanitatis periculum ex actu matrimoniali non impendeat) Huc accedit quòd etsi sani conjuges ex justitia, sicut & cæteri conjuges, leprosis debitum reddere debeant, non tamen eis cohabitare, sed perpetuam, donec scilicet alteruter conjugum devixerit, continentiam (propter conjugale vinculum quod est indissolubile) religiosissimè servare teneantur.

Sunt & alii casus, in quibus hujusmodi debitum citra peccatum, saltem lethale, negari potest: si v. g. conjux illud frequentiùs, importuniùs & molestiùs, quàm par sit, exigat, & aliunde nullum incontinentiæ periculum appareat: tunc enim illud reddere oportet. Præterea sine ullo etiam peccato negari potest idem debitum, si remissè petatur, & ejus dilatio & remissio ab petente facilè concedatur, & nullum incontinentiæ periculum timeatur.

Potest etiam denegari debitum, quando is qui petit, adulterium admisit.

Potest etiam illud ipsum denegari debitum toto tempore, quo infantulum maternis uberibus ali necesse est. Neque enim vir debet accedere ad uxoris concubitum, quousque qui gignitur, ablactetur, ut ait S. Gregorius Papa I. respondens ad 10. interrogat. Augustini, ubi & sanctissimus Papa graviter arguit mulieres quæ suos filios aliis mulieribus tradunt nutriendos: *Quod quidem*, ait, *ex sola causa incontinentiæ videtur inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.* Hęc ibi.

Ex dictis hactenus eliciendum, quomodo conjugatos de rebus conjugalibus interrogare oporteat. Sit itaque

---

QUÆSTIO XIV.

Quibus præsertim de rebus ad conjugium spectantibus interrogandi sunt conjugati.

1. QUÆRENDUM est ab iis, utrum in usu matrimonii alium finem ab prolis generatione diversum sibi proposuerint; nam matrimonii usum ad alium finem, quàm ad liberorum procreationem referre, est peccatum veniale, ut suprà vidimus ex S. Augustino lib. de bono conjug. cap. 10. quod quidem de petente debitum, non de reddente, (utpote justitiæ actum exercente) intelligendum est.

2. Interrogandi sunt, si prolis procreationem devitarunt, id est nullam omnino prolem suscipere desiderarunt. Si aliquid ad implendum suum illud desiderium, vel ad fœtum adhuc inanimatum, vel jam animatum extinguendum adhibuerunt: quod est immanius crimen, quippe quod duplicem, corporis scilicet & animæ, cædem & occisionem contineat. De hoc casu vide S. Aug. lib. de bono conjug. cap. 5. ubi ait, inter eos qui conjugali affectu, non tamen

gratiâ prolis, sed explendæ libidinis conveniunt, intercedere verum connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem (quamvis non eâ causâ conjuncti sunt) non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant, ne nascantur.

De eodem peccato agit idem S. Aug. lib. 1. de nupt. & conc. cap. 15. qui locus pulcherrimus est. *Aliquando*, ait, *eo usque pervenit hac libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam venena sterilitatis procuret: & si nihil valuerint, conceptos fœtus intra viscera aliquo modo extinguat vel fundat, volendo prolem suam prius interire, quàm vivere; aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci.* Hunc locum citat & refert Magister Sentent. distinct. 31. sub titulo *De his qui procurant venena sterilitatis.* & refertur apud Gratian. c. 32. q. 2. cap. *Aliquando.* De hoc peccato egimus alibi, cùm de homicidio ageremus.

3°. Interrogandi sunt conjugati, num inter actum conjugalem aliquod vitium contra naturam admiserint: quod quidem admittere possunt, si non servant naturalem modum concumbendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad ad alios monstruosos & bestiales concumbendi modos, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 11. in c. Unde sequitur, quoties in vase innaturali copula consummatur, aut est animus consummandi, manifestè perpetrari sodomiam lethalem & peccatum contra naturam: quippe quæ repugnet prolis generationi, quam quidem naturalem illius copulæ finem omnes existimant Theologi: qui & omnes uxorem non ad similem copulam, sed ad unam dumtaxat copulam intra vas legitimum uxorem esse prædicant.

Quapropter constanter asserendum est, nullo modo licere eidem uxori pati copulam Sodomiticam aut effusionem seminis extra vas, licèt aliàs intentatam ipsi mortem effugere non posset: quia ea copula est intrinsecè mala & fornicatione pejor, quæ nullo timore, nec ullâ aliâ circumstantiâ honestari, nec matrimonialis (quæ sola licita est) haberi valeat. Ita Alensis 2. p. q. 166. memb. 3. ad 2. Abulensis d. q. 224. D. Antonin. 3. p. t. 1. cap. 20. §. 3.

De hujusmodi flagitiis & aliis contra naturam conqueritur Clemens Alexandrin. Pædagog. lib. 3. cap. 3. *Omnia*, inquit, *immutavit luxus, hominem probro ac dedecore affecit: mollis & luxuriosa & superflua curiositas quærit omnia, omnia aggreditur, naturam confundit, homines patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturam viros agunt & nubunt, uxoresque ducunt fœminæ: nullus est meatus, ad quem non pateat aditus impudicitiæ* Hactenus S. Clemens Alexandr. loco cit. fol. 226.

4°. Quærendum est ab eis, utrum sine causa legitima, sibi invicem debitum conjugale negaverint.

5°. Ab iisdem conjugatis petendum est, utrum cum evidenti vel uxoris gravi incommodo afficiendæ, vel prolis præfocandæ periculo, conjugale debitum exegerint.

6°. Interrogandi sunt iidem conjugati, si delectationem morosam (id est delectationem, cui consenserint liberè, & cùm eam prohibere possent & tenerentur, non prohibuerint, aut removerint) habuerint de copula licita præterita aut futura. Nam nonnulli Authores docent, delectationem morosam non solùm esse peccatum mortale, cùm consurgit ex actu mortali, sed etiam cùm consurgit ex actu aliàs licito; sed non tunc cùm de eo cogitatur, ut qui cogitat de actu conjugali præterito, & præsenti delectationi modò consentit, mortaliter peccat, quia ille actus non est licitus, nisi dum fit. Ita sentit Toletus Instruct. Sacerd. lib. 5. c. 14. nn. 8.

Verùm videtur ista sententia durior plerisque Theologis aientibus, delectationem de copula licita præterita aut futura per se non esse crimen, & ipsam ex accidenti fore peccatum veniale, si sine necessitate, aut pia utilitate accidat; mortale verò, si adsit periculum pollutionis, aut alicujus mortiferæ delectationis.

7°. Quærendum à maritis, utrum uxoribus non petentibus debitum præ verecundia, & tamen per aliqua signa reddendi debiti voluntatem testificantibus, illud ipsum debitum reddiderint. Ad hoc enim eos alligari, docet S. Thomas. *Nam petere debitum contingit dupliciter*, ait: *uno modo expressè, ut quando verbis invicem petunt: alio modo interpretativè, quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quòd uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & ita etiamsi verbis non expressè debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua signa in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.* Hactenus S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 64. a. 2. in c. Et ibid. ad 1. *Ergo dicendum*, inquit, *quòd tempus determinatum non est solùm, quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculum, (ad quod vitandum ordinatur debiti redditio) nisi tunc reddatur.* Hæc ibi.

Antequam huic quæstioni finem imponamus, operæ pretium est monere Theologos, Parochos, Concionatores & alios id genus homines, ne passim & temere de variis casibus à nobis necessariò explanatis, vel privatim vel publicè coram simplicioribus, aut etiam sagacioribus sermonem habeant.

1°. Ne timoratos in diuturnos gravesque scrupulos & sollicitudines injiciant.

2°. Ne religiosas aures offendant.

3°. Ne libidinosis ad omnia impudicitiæ genera liberiùs & desperatiùs perpetranda, & ad obscœna quælibet (quæ ne nominari quidem à Christianis permittit Apostolus) promiscuè & impudenter effundenda deblaterandaque aditum aperiat.

Verùm unusquisque præfatorum hominum abundè suum impleverit ministerium, si universim loquendo, ex intimo Christiani cordis affectu moneat conjugatos, ut per imploratam & sæpius expetitam Salvatoris gratiam sese custodiant immaculatos ab omni impetu effrænatarum libidinum, quæ Christianos de sui matrimonii sanctimonia deturbatos in propudiosa gentilium scelera præcipitant. His de causis opportunè, importunè, ut monet Apostolus, prædicandum est verbum Dei, arguendi, increpandi, obsecrandi conjugati in omni patientia & doctrina, ut juxta eumdem Apostolum sciat unusquisque illorum, vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum. 1. Thessalon. cap. 4. v. 4. & 5.

Quod spectat ad Confessarios, flagitent à Deo veram prudentiam, cujus adminiculo ita versari possint in suo illo excipiendarum confessionum ministerio, ut cùm ad ejusmodi peccata ventum fuerit, sapienter oblatâ ab pœnitentibus interrogationis ansâ, ipsis maritis, & inprimis mulierculis, de hisce flagitiis (quorum conscientiâ stimulantur) innato quopiam pudore silentibus, sinceram eorumdem flagitiorum confessionem eliciant.

Si verò vel in ipso pœnitentiæ tribunali, vel extrà, de rebus in usu matrimonii licitis vel illicitis interrogati fuerint, tam castè prudenterque respondeant, ut nullo suæ salutis dispendio, & nullo interrogantium vel offendiculo vel periculo, propositis quæstionibus satisfaciant.

Quia sine contrahentium consensu matrimonium subsistere non potest, ideo de illo hîc agere necesse est. Sit itaque

Qoæstio XV.

Vtrum contrahentium consensus sit causa efficient matrimonii, & ad validitatem ejusdem matrimonii requiratur.

Prima conclusio.

AD matrimonium efficiendum necessariò adhibetur mutuus de præsenti contrahentium consensus, sic tamquam caosa necessaria, ex qua indissolubile illud vinculum, quod appellatur matrimonium, existit.

Observandum est igitur, cùm dicimus, matrimonii causam efficientem esse consensum, nos loqui respectu vinculi post contractum remanentis. Nam si sermo sit de ipso contractu in fieri, ut vocant, tunc consensus per verba de præsenti expressos, est ipsius causa formalis extrinseca, ut docent graves Theologi. Quod autem solus debitè præstitus contrahentium consensus ex parte causæ efficientis sufficiat ad matrimonium, probatur ex responsione Nicolai Papæ relata in 2 parte Decreti Gratiani 27. q. 2. cap. *sufficit. Sufficit*, inquit Nicolaus Papa ad Consulta Bulgarorum cap. 3 *secundùm leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Hæc ibi.

Ex hoc loco rectè colligitur, solum contrahentium consensum ad matrimonium sufficere in ratione causæ efficientis, ita ut nec parentum, (quorum consensus, etsi requiratur 30. q. 5. cap. *Nostrates.* ex honestate dumtaxat, non ex necessitate requiritur) nec aliorum quorumlibet consensus, nec ulla alia circumstantia ad hunc effectum sit necessaria.

Consensus contrahentium non quilibet, sed per verba de præsenti, non de futuro expressus, est causa efficiens matrimonii. Si enim contrahentes consentiant in futurum dicentes : Accipiam te in virum, & ego te in uxorem ; non est iste consensus efficax matrimonii. Item si consentiant mente, nec suum consensum verbis, vel aliis certis nutibus, & signis exprimant, hujusmodi consensus non efficit matrimonium.

Oportet igitur consensum contrahentium esse internum & verum & extrinsecùs per verba, vel saltem per signa ad illud patefaciendum, idonea declaratum : ita ut si desit consensus internus seu mentalis ex parte unius, ex neutra parte contrahatur matrimonium : quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, ut ait S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. in solut. quæst. 4. ad 2.

Secunda conclusio.

Hujus consensus veri & interni, ad validitatem matrimonii, necessitatem probant Decretales summorum Pontificum & statuta Conciliorum.

Id patet

1°. Ex cap. *Cùm apud sedem Apostolicam.* & ex cap. *Tua fraternitati. de sponsalibus & matrimonio.* ubi Innocentius Papa III. id apertè docet respondens Arelatensi Archiepiscopo & Brixiensi Episcopo, his verbis : *Postulasti, utrum ex solis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd matrimonium in veritate contrahatur per legitimum viri & mulieris consensum : sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam. verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis : & pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cùm intelligantur minimè consentire.* Hæc ille.

2°. Id ipsum probat Alexander Papa III. in appendice Concilii Lateran. p. 6. cap. 26. & jam citatus Innocentius Papa III. cap. *Tua nos. de sponsal. & matrimonio.* interrogatus quid sentiret de contrahentibus, quorum alter dolosè sese habuerat, respondet, nullum inter eos intercessisse matrimonium : *Quoniam*, inquit, *ex altera parte dolus solummodo affuit, & defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Hæc ibi.

3°. Idem statuunt Concilia. Nam Concilium Aurelian. IV. anno Redempt. 541. habitum, vetat can. 22. ne quis per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captivitas judicetur : sed, sicut est prohibitum, non admittatur, in his qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.

Id igitur prohibet citatus canon, ne contractum hujusmodi matrimonium, non sine consensu parentum, (qui tantùm ex honestate requiritur ad matrimonium) sed sine puellæ ab parentibus, veluti per vim abstractæ consensu initum, atque adeo irritum & nullum habeatur.

4°. Idem statuit Concilium Parisiense III. ann. Redempt. 557. celebratum, can. 6. qui & refertur cap. *Nullus viduam.* 36. q. 2.

5°. Id ipsum statuitur in Concilio Toletano III. cujus canone 10. prohibetur sub anathematis interminatione, ne quis vidoas ulla vi ad iterandas nuptias adigat : vetat insuper idem ipse canon, ne virgines citra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere.

Ex his Conciliorum testimoniis apparet satis superque, quantopere liber contrahentium consensus ad matrimonium rite & validè contrahendum requiratur, cùm ab ipsis illis Conciliis matrimonia per illatam vim, aut alia ratione sine libero utriusque contrahentis consensu inita, sub anathematis interminatione prohibeantur.

Suppositâ interni & veri utriusque contrahentis consensus necessitate, quærunt nonnulli, utrum Deus possit viros & mulieres matrimonio conjungere sine ipsorum consensu.

Respondeo, Deum ne per absolutam quidem potentiam id efficere posse. Hoc enim manifestam implicat contradictionem. Cùm enim quilibet contractus, atque adeo matrimonium necessariò contrahentium legitimum consensum includat suapte naturâ, matrimonium quod absque consensu contrahentium iniretur, ex hypothesi esset contractus, sive spectaretur ut officium naturæ, sive ut sacramentum novæ legis ; (quia ut sacramentum, verus est contractus à Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectus) non esset autem contractus, seu in numerum contractuum referri non posset : siquidem careret contrahentium consensu, qui si ab matrimonio & quolibet alio contractu removeatur, omnes omnium hominum contractus & pactiones cadunt in irritum, ut manifestum est. Et hujusmodi contradictio non eliditur ea ratione, quòd consensus sit extra matrimonii essentiam, cùm sit causa ejus efficiens, atque adeo possit Deus sine contrahentium consensu eos conjungere matrimonio : siquidem quicquid Deus potest per causam efficientem mediam, potest & sine ea.

Sed hæc ratio facilè subruitur, si, quod certum est, asseramus, consensum videlicet pertinere ad essentiam matrimonii, & ejusdem matrimonii esse causam efficientem diverso respectu : si enim

matrimonium quatenus sacramentum, spectetur ut aliquid transiens, propter actus externos, cum quibus celebratur, consensus ad ejus essentiam pertinet; si autem spectetur ut aliquid permanens, propter vinculum indissolubile, quod ex legitimo contrahentium consensu resultat, tunc consensus per expressa de præsenti verba, vel per signa idonea declaratus, dicitur causa efficiens matrimonii, cujus essentiam in indissolubili vinculo consistere, graves quique Theologi docuerunt.

Quibus positis, dicimus id nunquam fecisse, id est nunquam viros & mulieres sine eorum consensu nec junxisse matrimonio, nec potuisse ob contradictionem proximè demonstratam, nec eam talia matrimonia factitandi potestatem Ecclesiæ contulisse.

Quæstio XVI.

Utrum graviter peccent parentes & Principes, qui suos liberos & subditos ad ineundum matrimonium vexationibus & comminationibus adigunt.

Prima conclusio.

Si spectetur jus canonicum, nemini dubium esse debet, quin graviter peccent & parentes & Principes, & alii qui sibi subditos adigunt ad hujusmodi matrimonia.

Hæc conclusio probatur affatim ex Concilio Tridentino, cujus ipsa verba hic referre operæpretium est. » Ita plerumque, inquit, temporalium dominorum » ac magistratuum mentis oculos terreni affectus & cu» piditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum » jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem » magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adi» gant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos » ipsi domini, vel magistratus illis præscripserint. » Quare cùm maximè nefarium sit matrimonii liber» tatem violare, & ab iis injurias nasci, à quibus jura » expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus cu» juscumque gradûs, dignitatis & conditionis exi» stant, sub anathematis pœnâ, quam ipso facto in» currant, ne quovis modo directè vel indirectè sub» ditos suos vel quoscumque alios cogant, quomi» nus liberè matrimonia contrahant. Hactenus citata Synodus Tridentina sess. 24. de reformat. matrimon. cap. 9.

Ex istis verbis satis colligitur, quanto se crimine hac in re devinciant parentes, Principes, magistratus, cujuscumque generis & dignitatis sint: siquidem præfata Synodus eos utpote violatores publicæ libertatis, (quæ matrimonia comitari debet) majori excommunicatione percellit: ergo & peccati lethalis, & quidem gravissimi, reos esse supponit: quia scilicet talis excommunicatio nusquam intentatur vel profertur, quin illi peccatum lethale vel jam admissum, vel posthac admittendum, veluti materiam ingerat.

Secunda conclusio.

Quantum sit parentum, Principum, magistratuum & aliorum sibi subditos ad ineundum matrimonium vexationibus & minis adigentium crimen, declarant Principum edicta: (quæ quidem si canonibus sint consentanea, eamdem cum illis vim & authoritatem obtinent) siquidem gravissimis pœnis afficiunt eos qui matrimonii libertatem violaverint. ut videre est in Edictis Aurelianensibus ann. 1560. art. 3. quod & legere est in Edictis Blesensibus art. 42. ubi denunciatâ capitis pœnâ sancitum est, ne quis adolescentulos vel puellas vigesimo quinto ætatis anno minores, matrimonii vel alterius cujuslibet coloris obtentu, inconsultis, insciis, & invitis parentibus, vel tutoribus abducat: ita ut quis nihil obstante consensu, quem hujusmodi minores raptui, vel cùm fieret, vel antequam eveniret, sese præbuisse contenderent, eos abduxisse convinceretur, capitali supplicio, præcisâ omni spe veniæ, plecteretur. Id ejusmodi edicto propositâ capitis pœnâ constitutum est, eo nomine, quòd raptus omnem omnino consensum & patrum, & matrum, & tutorum, & eorum qui essent abducti, tolleret.

Id ipsum confirmatur altero edicto quod inter Blesensia ducentesimum octogesimum primum numeratur, & concipitur in hæc verba: Prohibemus insuper ne quis nobilium aut dominorum suos subditos aut alios adigant ad pupillos, filias, neptes, suis servis aut aliis in matrimonium elocandas contra voluntatem & libertatem, quâ tales contractus honestari necesse est: alioqin se de omni nobilitatis gradu & jure dejiciendos, & pari cum raptoribus pœnâ mulctandos esse noverint.

Capitalis pœna in raptores & alios libertatis ad ineunda rite matrimonia necessariæ violatores constituta satis superque declarat, quàm gravi se flagitio constringant, qui talem libertatem adimunt, & parentibus & tutoribus, & aliis id genus hominibus, quorum interest prospicere, ne sibi subditi vel improbas mulieres, vel puellæ perditos quospiam maritos nactæ, non tam matrimonium inisse, seu non tam conjugem accepisse, quàm in sævi cujuspiam tyranni & tot totis manus incidisse videantur.

Quæstio XVII.

Utrum peccent filii, qui matrimonium, inconsultis, vel etiam invitis parentibus, ineunt; & utrum exhæredari debeant, si inconsultis parentibus matrimonium contraxerint.

Solutio.

Inire matrimonium, parentibus vel inconsultis, vel justâ de causâ reluctantibus & invitis, est peccatum lethale, ordinariè loquendo. Hanc conclusionem multæ rationes astruunt.

Prima petitur ex jure gentium, vetustâ omnium nationum consuetudine & usu explicato: non enim est filiorum, & maximè filiarum, dum adhuc degunt paternis in ædibus, & parentum curæ subsunt, quærere nuptias, cùm id munus ad parentes pertineat. Hoc jus gentium confirmat jus pontificium, ut videre est 30. q. 5. cap. *Aliter.* ubi ad significandum quàm æquum sit, puellam ex parentum consensu nubere, statuit Evaristus Papa, ut pro nupta non habeatur puella, quam pater non desponsat. Id ipsum statuit Leo Pontifex c. *qualis.* 30. q. 5. unde & hoc munus assignandi suis liberis eos vel eas, quibuscum matrimonium contrahere possint. Unde Sap. 7. *Da filiam tuam viro prudenti.* Et 1. Cor. cap. 7. docet Apostolus, à parentibus tradendas esse filias nuptiis.

Licèt igitur matrimonia à filiis-familiâs sine consensu parentum contracta, non sint irrita, nec parentes ea rata vel irrita facere possint, ut declaratum est ab Concilio Tridentino cap. 1. sess. 24. de reform. matrimonii, & obi eos, qui falsò contrarium affirmant, damnat anathemate; nihilosecius peccant lethaliter filii, qui, vel inconsultis, vel invitis parentibus, matrimonium ineunt: gravis enim in te gravi ab ipsis injuria parentibus irrogatur. Cùm enim parentes sub peccato mortali suis filiis & filiabus de nuptiis providere teneantur ne quid deterius contingat; quidni dicti filii & filiæ parentibus

cùm de matrimonio ab ipsis contrahendo agendum erit, obtemperare tenebantur?

Quòd quidem in nuptiis contrahendis jure civili non modò consensus contrahentium requiritur, sed & eorum, in quorum potestate sunt, quorum authoritas adeo necessaria est, ut absque illa nuptiæ non consistant: jure verò canonico, quamvis eorumdem consensus ex honestate, imò ex pietatis officio & justitiæ regulis exigatur, nec tamen matrimonii substantiam attingat, quotusquisque reperietur, qui liberos in parentes hac in parte contumeliosos ab lethali peccato excusare vel possit vel audeat.

Hæc de prima quæstionis parte, ad secundam veniamus.

Hujusmodi injuria in parentes ab filiis eorum ingratiis matrimonium contrahentibus admissa, tanta nostratibus & Principibus & populis visa est, ut judicaretur digna, quæ ab ipsis parentibus exhæredationis pœnâ plecteretur. Tale edictum videtur rationi & æquitati consentaneum: quippe quod ideo sancitum est, ut liberi sese intra limites debitæ parentibus reverentiæ continerent, nec immobilem statum (quale est matrimonium) ipsis inconsultis & insciis, imò reclamantibus & invitis, amplecterentur.

Si quis quærat causam hujus legis latæ ab Henrico II. in art. 4. comprehensæ:

Respondeo, id inde repetendum esse, quòd vir primariæ nobilitatis, qui omni authoritate pollebat in regno, & ipsi Henrico II. erat apprimè charus, hujusmodi edictum solerter eblanditum ab ipso impetraverit ad propulsandum dedecoris suæ familiæ impendentis periculum. Nam ea ejus liberis unus propediem asciturus erat in conjugem infimæ conditionis puellam: quod matrimonium ut prohiberetur, edictum illud sancitum est, ut refert Thuanus lib. 19. Histor.

Utcumque sese id habeat, etsi talis exhæredatio sic tamquam pœna constituta sit in filios contrahentes sine consensu parentum, nullam legitimam non consentiendi causam afferentium, & revera possint exhæredari iis in locis, in quibus leges ipsis parentibus eam facultatem faciunt; ista tamen exhæredationis pœna, non nisi rarò & cum summa circumspectione liberis (alioquin de suis parentibus, aut aliis eorum vices gerentibus malè meritis) irrogari debet, ne fortè periculosius peccato jam præterito, vel etiam aliorum respectu futuro, remedium adhibeatur.

Esto enim, quemadmodum filii, quia sunt suæ voluntatis domini, absque consensu parentum suorum matrimonium contrahere potuerunt: ita parentes qui sunt legitimi suorum bonorum domini, ea, quibus libuerit, legare possunt etiam cum incommodo detrimentoque filiorum, qui ipsorum ingratiis conjugium inierunt. Verùm quemadmodum utplurimum omnia licent, ita non semper expediunt, juxta Apostoli pronuntiatum.

Quæstio XVIII.

Utrum dentur aliqui casus, in quibus filii-familiàs parentum vel absolutè vel tale matrimonium præcipientium, imperium capessere teneantur, vel citra crimen detrectare valeant.

RESPONDEO, varios assignari casus, in quibus filii-familiàs, cùm de contrahendo matrimonio agitur, parentibus matrimonium vel absolutè, vel tale matrimonium præcipientibus, obtemperare teneantur. Item & alii possunt recenseri casus, in quibus citra culpam, parentum imperium detrectare valeant, ut patebit ex dicendis in hujus quæstionis resolutione.

Quod ut clariùs eluceat, observandum est cum Roberto Bellarmino, tribus modis posse intelligi, ut pater filium ad matrimonium adigere dicatur.

1°. Ut filium planè dissentientem, & invitum cogat ipse ille pater vivere cum aliqua, quam velit ejus uxorem esse. Et hoc non potest fieri; & si fiat, matrimonium est nullum.

2°. Ut filium assentire cogat injecto metu mortis aut alio cadente in constantem virum. Et hoc etiam patri minimè licet, neque matrimonium illud esset ratum: quoniam ad matrimonium non solùm consensus, sed etiam liberrimus contrahentium consensus exigitur, cùm matrimonium perpetuum sit vinculum, & naturâ suâ benevolentiam & amicitiam, eamque summam requirat.

3°. Ut filium ad assentiendum inducat authoritate paternâ imperando, quando revera filio id conducit, ita ut secundùm rectam rationem dissentire non possit. Hact. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de matrimonii sacram. cap. 19.

His ita prælibatis, esto

Prima conclusio.

Dantur varii casus, in quibus cùm de ineundo matrimonio agitur, filii-familiàs parentibus vel matrimonium absolutè præcipientibus, vel tale matrimonium prohibentibus vel præcipientibus, lege naturali & divina obtemperare tenentur, ut patebit in seqq. casibus.

1°. Si quispiam pater videat filium ad omnem libidinem, ad scortationem & alia id genus flagitia projectum; ita ut nullo alio medio seu remedio, præterquam matrimonio, ab libidinosa illa vita deterreri & avocari posse videatur: tunc ipse ille filius patri necessariò ineundum ipsi matrimonium præcipienti tenetur obtemperare, utpote qui ab vitiis libidinibus & scortationibus inquinata sese abstinere teneatur. Et hæc est sententia S. Joannis Chrysostomi parentes aliàs hortantis, ut juniores liberos matrimonio jungerent, ne in fœdas libidines immersi in interitum ruerent sempiternum.

2°. Quando multùm interest parentum, ut filius vel matrimonium vel tale matrimonium ineat, tenetur filius sub lethali culpa obedire parenti illud præcipienti; ut puta si tale matrimonium esset medium idoneum ad componendas graves inimicitias, quibus & ipsius filii parentes, & eorum (quibuscum contrahendum esset matrimonium) consanguinei, ab invicem dissiderent; vel si magna inopia, quâ conflictaretur pater, per unum dumtaxat filii conjugium sublevari & recreari posset. In isto rerum articulo teneretur filius obedire patri matrimonium præcipienti: nemo enim est filius, quin lege naturali divina ex virtute pietatis parentum necessitati succurrere, atque adeo si id præfata illa necessitas exigat, eorum jussu matrimonium inire teneatur. Qui casus filium, ut diximus, obligat, sed ex hypothesi, quòd uxorem ducere velit: si enim ad alium statum aspiraret, ad matrimonium præcepto patris adigi non posset; (uno dumtaxat excepto casu, quo filius ad sublevandam parentum inopiam, cui aliter subveniri non posset, ab religionis ingressu abstinere teneretur, ut rectè explicat Petrus de Ledesma de matrim. q. 47. a. 6. dub. 2. conclus. 2.) quia ex graviorum Theologorum sententia filius, cùm de statu eligendo agitur, est sui juris. Unde S. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. a. 4. quæstiunc. unicâ, quâ quærit, utrum aliquis præcepto patris possit compelli ad matrimonium, in corp. articuli respondet: *Dicendum, quòd cùm in matrimonio sit quædam quasi*

servitus perpetua; pater non potest cogere filium ad matrimonium, cum sit liberæ conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa. Hæc ibi.

Hinc toties in jure canonico plena & perfecta libertas personarum contrahentium inculcatur, ut cap. *Cùm locum.* cap. *Requisivit.* cap. *Gemmæ.* extra. *de sponsalibus.* ex Alexandro III. & Lucio III. & Gregorio IX. legere est: quod & confirmatur ab Concilio Tridentino sessione 24. de reformat. matrim. cap. 9. à nobis suprà citato.

Quòd si patri in explicatis casibus filio matrimonium præcipere liceat, haud dubiè justa etiam de causa tale vel tale matrimonium prohibere poterit, ita ut filius illi obsequi teneatur, ut patebit ex sequentibus.

Si filius puellam hæreticam publicâ vel penè publicâ laborantem infamiâ, maleficam, malè moratam, in conjugem assumere velit, pater tali conjugio suo filio interdicere potest, & interdicenti filius obedire debet, cùm ex tali conjugio multa peccandi pericula emersura videantur, ideoque fugienda; siquidem unusquisque mortalium lege naturali suæ saluti consulere, atque adeo omnia pericula eidem ipsi saluti adversantia studiosissimè declinare, & ex necessaria consecutione patri istam periculorum fugam indicenti parere teneatur.

Id confirmari potest auctoritate Scripturæ. Nam Genes. cap. 28. legimus Isaac Patriarcham præcepisse filio suo Jacob, ne acciperet conjugem de genere Chanaan. Neque propterea ea hoc facto colligendum est, Isaac id de jure præcepisse, atque adeo liberos ad matrimonium præcepto patris impelli posse. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 29. q. 2. a. 4. in solut. quæstiunc. unicæ. Ad secundum dicendum, inquit, quòd Jacob aliàs tenebatur ad faciendum hoc quod mandavit Isaac, tum propter malitiam illarum mulierum, tum quia semen Chanaan de terra quæ semini Patriarcharum promittebatur, erat disperdendum: & ideo Isaac promittere poterat. Hactenus S. Thomas.

Quemadmodum igitur Jacob tenebatur Isaac patri suo veranti accipere conjugem de semine Chanaan, obtemperare, propter improbitatem hujusmodi mulierum: ita & adolescentulus tenetur obedire patri prohibenti, ne puellam criminosam & malè moratam in conjugem asciscat.

Hactenus percensuimus casus, in quibus tenentur filii-familiàs obsequi parentibus matrimonium, vel tale matrimonium præcipientibus: nunc videndum, quibus in casibus eorumdem patentum nuptias imperantium præcepta citra culpam detrectare possint.

Secunda conclusio.

Sunt multi casus, in quibus filii parentum nuptias indicentium imperia detrectare possunt.

1°. Non tenetur filius obedire patri præcipienti vivere cum aliqua, quam ejus uxorem esse velit, quam tamen ipse filius aversatur, ita ut nullo pacto in tale matrimonium consentiat.

2°. Non tenetur filius obedire patri matrimonium incusso mortis vel alterius rei metu cadente in constantem virum præcipienti, & in hoc vacat omni culpa: ex adverso graviter peccat pater, utpote qui libertatem omni homini divinitus concessam, & omni omnino lege confirmatam, suo filio, cujus commodis utcum maximè consulere debet, cùm præsertim agitur de conjugio utpote stabili, & per plures annos (ut fieri amat) duraturo adimere molitur.

3°. Nihil peccabit filius, si resistat patri injustè reluctanti matrimonio, quod inire appetit.

4°. Erit filius innocens coram Deo, si nolit morem gerere patri ad indignum matrimonium ipsum propter dotem pinguiorem adigenti.

5°. Vacabit pariter filius omni culpa, si detrectet imperium patris volentis eum ducere uxorem ægram, imprudentem, morosam & difficilem, cum qua se vix ac ne via quidem pacificè & Christianè victurum esse probabiliter existimat.

6°. Esset etiam insons filius jam vicesimum quintum ætatis annum prætervectus, si cùm de ipsius matrimonio ageretur, recusaret imperium patris, eo nomine quòd culpabili negligentia vel avaritia, aut aliâ id genus causâ uxorem ipsi tradere cunctaretur, imò recusare videretur.

7°. Denique citra culpam etiam reluctante patre matrimonium contrahere posset filius, si duriùs ab ipso & indigniùs acciperetur, & plus justo opprimeretur. Et de his hactenus. Ideo quia verus & sincerus contrahentium consensus in matrimonio utramque paginam facit, ut aiunt, ita ut absque illo nullum sit matrimonium, juvat hîc varias consensûs species expendere, quo matrimoniorum validitas & nullitas innotescat. Potest enim esse fictus consensus, dubius, conditionatus, violentus. De variis illis consensûs generibus singillatim hîc agendum. Sit itaque

Quæstio XIX.

Utrum fictus consensus sufficiat ad ineundum matrimonium, quomodo deprehendatur, & an qui fictè contraxit uxorem, quam simulato consensu decepit, ducere teneatur.

Prima conclusio.

Simulatus consensus de præsenti non sufficit ad matrimonium ad quod legitimè contrahendum verus sincerusque voluntatis consensus per verba de præsenti, vel per signa idonea patefactus exigitur. Nam ex jure canonico consentire contrahentes debent, c. *sufficiat.* 27. q. 2. voluntariè. cap. *requisivit. de sponsalib.* adeo ut si vi, metu, vel errore, nuptias contraxerint, eæ sint ipso jure nullæ, cap. *cùm locum.* eod. Hæc conclusio à nobis paulò antè uberiùs est probata, quàm ut hîc pluribus argumentis astrui debeat.

Secunda conclusio.

Plura sunt indicia, quibus consensum simulatum deprehendere licet.

Primum ficti consensûs indicium est asseveratio viri jurejurando affirmantis, se non consensisse in tale matrimonium, sed simulasse consensum; & licèt non statim illi fides adhibenda sit, credetur tamen ei testificanti, se non consensisse, si modò per testes idoneos verisimilia ficti consensus indicia probaverit, juxta sententiam Paludani in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. conclus. 4. num. 14.

Secundum indicium repetendum erit ex magna disparitate uxoris, in cujus matrimonium se fictè dumtaxat vir longè altioris gradus & ordinis, interposita etiam jurisjurandi religione, asserit, cùm revera prudentibus & cordatis verisimile fieri nequeat, hujusmodi virum despicatissimam puellam in conjugem asciscere voluisse.

Tertium hujus rei indicium erit probitas istius hominis, qui quidem (ut supponitur) vitam vivit Christianam, non pejerat, & nihil obstante illo matrimonio, in quod simularè tantùm consensit, aliam uxorem ducit, vel approbatum quempiam ordinem amplectitur, vel propria electione cooptatur in Cle-

tum, præstat se dignum, cui se simulatè dumtaxat in præfatum conjugium consensisse affirmanti, fides habeatur. Non est enim verisimile, virum frugi & Christianum in re tam gravi, sibi & uxori tam perniciosa, mentiri voluisse.

Tertia conclusio.

Certum est, ipsum illum hominem qui finxit consensum in matrimonio, & ita mulierculam decepit, teneri in utroque foro, interno scilicet & externo, cum illa denuo & ex animo contrahere.

Hanc conclusionem tam certam esse arbitrantur graves Theologi, ut contrariam omni omnino probabilitate destitutam asserant. Ita docet Petrus Ledesma q. 45. art. 4. dub. 1. §. *in hac difficultate.* Id ipsum docent Scotus in 4. dist. 30. q. 1. vers. *respondeo, stante illo dolo.* Major in 4. dist. 27. q. 1. Adrianus in 4. q. 2. de matrim. ad 2. & alii qui laudantur a recentioribus.

Ad hæc testimonia accedunt & rationes, quibus probatur, præfatum hominem cum muliere, quam simulato consensu fefellit, teneri ex animo denuo contrahere, non solùm sub culpa veniali, sed etiam sub mortali, ita ut ad hujusmodi contractum seriò & sincerè ineundum astringatur ex justitia.

Prima hujus rei ratio petitur ex eo, quòd si ex promissione acceptata in materia utili, in promittentem justitiæ jus oriatur, multò magis ex traditione de præsenti, quàm etiam alter contrahens acceptat, & verè seipsum tradit pro hujusmodi traditione: ergo habet alter conjux jus justitiæ adversus fictè contrahentem, ex vi ipsius contractûs, scilicet ut corpus fictè contrahentis ipsi traditum in contractu, jam inito contractu illi ipsi reddatur: & id perspicuum pariter & verum legitimumque contractum fieri postularet, rem justam reposceret: ergo alter fictè contrahendo peccat contra justitiam. Neque enim fieri potest, ut in eadem controversia & contentione ambo contendentes stantem a suis partibus justitiam & æquitatem habeant.

Secunda ratio repetitur ex damno, quod ficto contrahentis consensu patietur decepta mulier: siquidem nunquam poterit aspirare ad alterum matrimonium; neque enim id pateretur Ecclesia, etiamsi fictè contrahens abscederet, aut etiamsi de facto verè cum alia contraheret. Nam semper ipsamet Ecclesia, cui nullo modo legitimo constare posset nullitas primi matrimonii, illud ipsum valere, atque adeo secundum nullatenus posse subsistere judicaret. Quare nisi fœmina lubenti animo remittat obligationem ortam ex ficto illo contractu, nunquam poterit damnum illatum cessare, etiamsi fictè contrahens pecuniis tale damnum resarcire velit. Inde colligimus, fictè contrahentem de novo & ex animo contrahere oportere cum tali muliercula, ratione damni illati, & illius gravissimi: (siquidem per fictum consensum ad perpetuum cœlibatum adigatur) ratione, inquam, istius damni, non verò alterius damni, quod illi eam cognoscendo intulit. Illam enim cognovit assentientem, & tale damnum posset reparari, eam dotando, ut alteri nuberet, nisi majus aliud damnum ex se irreparabile obstaret.

Inde etiam colligitur, disparem conditionem in divitiis, aut in nobilitate positam, nihil prohibere, quominus fictè contrahens cum ignobili vel indotata fœmina, sincerè, & remota omni simulatione contrahere teneatur. Cùm enim æqualia sint virorum & fœminarum nobilium pariter & ignobilium corpora ad substantiam contractus matrimonii pertinentia, nihil deest ad æqualitatem in tali contractu servandam, vel nihil est quod eam contractûs æqualitatem impediat.

Ex dictis patet, fictè contrahentem graviter peccare, quippe qui mendacium cum injustitia conjunctum admittat. Unde constat ipsum fictè contrahentem non posse absolvi, donec verè contrahat. Posset tamen absolvi, si testatum faceret efficax & verum verè contrahendi propositum: quod quidem accuratius esset explorandum. Nam verendum esset, ne ipse ille, qui coram Deo & Ecclesia consensum ad matrimonii sacramenti substantiam necessarium ementiri & fingere non erubuit, alterum etiam mendacium primo gravius & criminosius admitteret.

Tenetur ergo sincerè contrahere cum fœmina, quam ficto consensu illusit: nisi obstent aliqui casus, in quibus ab ejus ducendæ obligatione absolveretur. Ut puta si aliquid in ea deprehenderit, quod ipsum (si sua libertate potiretur) ab ineundo cum illa conjugio avocaret.

Præterea ad eam ducendam non obligaretur, si ex quo ficto consensu illam decepit, verè cùm altera fœmina contraxisset.

Nec etiam ad verum matrimonium cum eadem contrahendum astringeretur, si illa vel sese pervulgando, vel aliud grave quodpiam flagitium perpetrando, sibi publicam accersisset infamiam.

In his vel similibus casibus ab illa ducenda eximitur, & ideo satisfaciet hujusmodi fœminæ si (ut obligatur in foro poli & in foro fori) damnum quod illi intulit, congruâ pecuniarum summâ resarciat.

Si quærat aliquis, an proles ex tali matrimonio simulatè videlicet contracto, legitima censeatur:

Respondeo, hujusmodi prolem censeri legitimam, quamvis nullum fuerit matrimonium, eo nomine quòd alter contrahentium simulatè dumtaxat, non verè & sincerè contraxerit. Siquidem ut proles legitima censeatur, sufficit bona fides in utroque vel in altero parente impedimentum ignorante, juxta caput *Ex tenore. qui sint filii legitimi.* At si matrimonium illud nullum, fuit clandestinum, & in gradu prohibito etiam ignoranter contractum, non obstante bona parentum fide, filii ex eo suscepti erunt illegitimi, ut habetur c. fin. §. *Si quis verò. de clandest. desponsat.*

QUÆSTIO XX.

Quomodo gerere se debeat Parochus, cùm alter conjugum affirmat sibi consensum defuisse ipso illo tempore quo contraxit.

Prima conclusio.

NON statim illi ipsi conjugum alteri sibi consensum defuisse, quando contraxit, affirmanti credendum est, imò præsumendum, quòd asserendo necessarium sibi defuisse in contrahendo consensum mentiatur: quippe qui simulando consensum, eo ipso tempore, quo contraxit coram Parocho & testibus, lethale mendacium in conficiendo, suscipiendoque matrimonii sacramento admiserit. Istud enim flagitium æquiparandum est sacrilego mendacio, quo Ananias & Sapphira sanctum Petrum illudere conati sibi repentinam accersicere mortem, eo nomine, quòd non hominibus, sed Spiritui sancto mentiti essent.

Hujusmodi igitur homini matrimonialis consensûs defectum allegantis omnis fides abroganda est, juxta cap. *per tuas. de probationibus.* ubi asseritur, mulieri (quæ unà cum marito suo filium ex se procreatum publicè recognoverat) non esse standum juramento in contrarium præstito: cùm nimis indignum sit, (juxta legitimas sanctiones) ut quod sua

sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare, ut ibidem, id est de probationibus tit. 19. Decretal. Gregorii lib. 2. cit. cap. *Per tuas.* pronuntiat Innocentius Papa III.

Secunda conclusio.

Interrogandus est ipse ille, qui sibi inter contrahendum, consensum defuisse affirmat, utrum nihil obstante consensûs defectu, quem causatur, eamdem illam uxorem, cum qua contraxit vel contraxisse visus est, carnaliter cognoverit, si id fateatur, tunc dicendum est, matrimonium ab illo initum, esse validum, juxta c. *proposuisti. de conjugio servorum.* tit. 19. lib. 4. Decretal. Gregorii, ubi Alexander Papa III. sic loquitur: *Mandamus quatenus si constiterit, quòd idem vir præfatam mulierem, (quam liberam credebat, cùm duxit, cùm tamen esset ancilla) postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognoverit, ipsum monitione præmissâ compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet.* Hæc ibi.

Unde patet, ignoranter contrahentem cum ancilla revalidare, ut ita dicam, matrimonium, si cognita servitute, verbo vel facto carnali, scilicet copulâ, affectu uxorio in eam consentiat.

Idem confirmatur c. *is qui. de sponsalib.* ubi asseritur, sponsalia de futuro transire in matrimonium per carnalem copulam subsecutam.

Talia igitur matrimonia vel convalescunt, vel revalescunt per carnalem copulam maritali affectu initam, ut convalescebant ante Concilium Tridentinum. Et hanc opinionem esse communem affirmat Covarruvias 4. Decretal. 2. p. c. 4. init. num. 5.

Unde observandum est, eos qui sublato impedimento occulto, dum revalidarunt matrimonium, (quod revalidari potest copulâ affectu maritali inter conjuges habitâ, sicut revalidatur novo consensu occulto) non teneri Ecclesiæ benedictiones ante revalidationem præmissas, iterum recipere; quippe quæ semel receptæ sunt, & sine scandalo repeti nequeunt. Et id consentit cum Concilii Tridentini decreto sess. 24. de reformat. matrimonii cap. 1. in quo non comprehendit præsentem casum. Nam matrimonium, de quo hîc loquimur, quod erat invalidum propter occultum impedimentum, in foro Ecclesiæ validum & publicum fuit. Cùm ergo dictum Concilium prohibeat dumtaxat matrimonia clandestina, (quale non est illud, de quo nunc agimus) concludendum est, præsentem casum ab illo omissum, non autem reprobatum, atque adeo velut omissum, ad juris communis dispositionem revocari, l. *commodissimè. ff. de liber. & post.* & l. *si cùm dotem.* in princip. ff. *sol. matrim.*

Tertia conclusio.

Si præfatus vir interrogatus afferat sufficientes & idoneas rationes, id est talia argumenta, quæ sufficiant ad prudenter fundandum respectivè judicium, opinionem, suspicionem aut dubitationem, & revera vir prudens, rem esse dubiam judicaverit: in dubio standum pro matrimonio, & efficiendum est, ut cum præfata uxore, secretò tamen, seu remotis testibus & arbitris, de novo & ex animo contrahat, ut omnem scrupulum ex animo revellat suo.

Quarta conclusio.

Si vir prudens perpensis circumstantiis & rationibus judicaverit, & certò deprehenderit, eum non contraxisse: monebit illum ipsum ad alterum contractum denuò & ex animo ineundum obligari. Si tamen animadverterit, quasdam circumstantias prohibere, quominus novum ineat contractum, illum ad judicem ecclesiasticum remittere, illique ab debito conjugali exigendo pariter & reddendo abstinentiam indicere oportebit.

QUÆSTIO XXI.

Quid agendum in dubio vel alterius vel utriusque conjugis consensu.

UT hæc quæstio resolvatur, nonnulla sunt observanda.

1°. Observandum est, dubium bifariàm dividi. Nam unum est bonis rationibus innixum, & aliud est ex levibus conjecturis profectum.

2°. Notandum est, ut voluntas rectè & honestè operetur, oportere intellectum non esse practicè dubium, sed determinatè judicare hîc & nunc, talem actum esse bonum & licitum. Unde fit, ut qui practicè dubitans in aliquem actum erumpit, sese devinciat peccato, quod reducitur ad eam peccati speciem, de qua dubitatur: ut si quis practicè dubitans, utrum petendo debitum, cujus exigendi nullum jus habet, & actum conjugalem exercendo, admittat simplicem fornicationem, aut adulterium; si debitum exigat, admittet simplicem fornicationem vel adulterium. Nam eodem præcepto quo teneor vitare aliquod peccatum, teneor illud fugere, practicè dubitans, an sit aliquo præcepto prohibitum.

Præterea nemo est, quin exploratum habeat, hominem qui manifestum adit, vel venialiter, vel lethaliter peccandi periculum, sese veniali peccato astringere, vel lethali devincire flagitio: qui enim amat periculum, peribit in illo, ut sacræ contestantur Litteræ. Is igitur qui dubitat cum vera dubitandi causa de valore matrimonii sui, & nihilominus petit conjugale debitum, graviter peccat, utpote qui sese in apertum graviter peccandi periculum conjiciat.

His positis, esto

Unica conclusio.

Si conjux scit pro certo impedimentum matrimonii, non debet reddere debitum, sed potiùs excommunicationem pati: si autem hoc credat ex causa probabili & discreta, potest reddere debitum, non autem exigere: sed si ex levi & temeraria causa, depositâ conscientiâ, potest reddere & exigere, ut patet ex cap. *Inquisitioni tuæ. de sent. excommunicat. Inquisitioni tuæ* (verba sunt Innocentii Papæ III. loco cit. tit. XXXIX.) *respondentes credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: tamen sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ) licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Hactenus Innocentius Papa III. loco citato.

Ex hac resolutione liquidò constat, quid agendum sit, cùm de alterius vel de utriusque conjugis

legitimo in matrimonium consensu dubitatur. Ergo non est necesse in hac quæstione diutiùs immorari. Satis enim habuerimus, si observaverimus cum Glossa, quòd quis debet potiùs excommunicationem humiliter sustinere, quàm mortaliter peccare. Item nullus contra conscientiam facere debet, & potiùs debet sequi conscientiam, quàm sententiam Ecclesiæ, cùm quis certus est in hoc casu. Hæc ibi.

Hæc de consensu dubio: jam de conditionato agendum. Sit itaque

Quæstio XXII.

Quænam conditiones sponsalia, vel ipsum matrimonium validum, vel irritum efficiant.

HUjus quæstionis resolutioni præmittendum est cum Thoma Sanchez, esse conditiones quasdam generales ita denominatas, eo quòd tacitè in omni contractu etiam non expressæ reperiantur, ut, si vixerimus, &c.

Aliæ sunt speciales: & rursus harum nonnullæ sunt intrinsecæ, quæ ab ipso matrimonio divelli nequeunt, cùm sine illis matrimonium consistere nequeat, ut, contraho tecum, si non es consanguinea, si non es monialis, &c.

Aliæ sunt extrinsecæ: & rursus harum quædam necessariò sunt eventuræ, ut, contraho tecum, si cras sol orietur.

Aliæ omnino impossibiles, ut, ducam te, si cælum digito tetigeris.

Aliæ contingentes possibiles: & rursus harum aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, aliæ indifferentes. Ex turpibus denique quædam penitus matrimonii substantiæ & ejus bonis repugnant, ut si quis dicat: Contraho tecum, si generationem prolis evitare volueris; vel, donec pulchriorem te inveniam. Aliæ sunt turpes, quæ nec matrimonii substantiæ, nec ejus bonis adversantur, ut si quis dicat: Contraho tecum, si mecum concubueris.

His ita constitutis, sit

Prima conclusio.

Matrimonium admittit conditiones generales, quæ cadunt in omnem contractum, etiamsi non exprimantur. Et hujusmodi conditiones non magis suspendunt contractum, quàm si non exprimantur, l. *conditiones extrinsecus.* & l. *aliquando.* ff. *de condition. & demonst.*

Secunda conclusio.

Conditiones intrinsecæ, quibus exclusis, matrimonium nec contrahi, nec sustineri potest, non faciunt matrimonium conditionale. Si v. g. contrahat aliquis his verbis: Contraho tecum, si non es consanguinea, vel affinis; quæ sunt conditiones necessariò in matrimoniali contractu inclusæ; non reddunt matrimonium conditionale: siquidem tacitè & intrinsecè inclusæ sunt in ipsius contractûs essentia, ita ut iis exclusis, corruat contractus. Non ergo suspendunt matrimonium; sed si desint, cùm celebratur, illud irritum & nullum efficiunt.

Tertia conclusio.

Ista conditio, si Deus voluerit, si Deo placuerit, intellecta de voluntate signi, id est quæ per quinque signa declaratur, nempe per præceptum, per consilium, per prohibitionem, per operationem & permissionem, (ut docent Theologi) est conditio generalis, & ideo consensum nullatenus suspendit, ut patet.

Quarta conclusio.

Matrimonium initum sub conditione necessariò eventura, est absolutum & validum, (quod & de sponsalibus affirmandum est, nisi contrahentes illam ipsam conditionem esse contingentem crediderint: tunc enim sponsalia vel ipsum matrimonium usque ad conditionis eventum pro suspenso habeHaberetur.

Quod spectat ad primam hujus conclusionis partem, quâ dicimus, conditionem necessariò eventuram non plus officere matrimonii valori, quàm si opposita non esset, habet multos assertores tam Jurisperitos, quàm Theologos, & inprimis S. Thomam sic loquentem in 4. dist. 29. q. 2. a. 3. in solut. quæstiunc. 3. in c. Si autem, inquit, sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras, & tunc est matrimonium, quia talia futura jam sunt præsentia in suis causis. Hæc ibi S. Thom.

Quod spectat ad alteram ejusdem conclusionis partem, quâ contendimus, suspensum esse matrimonium usque ad eventum conditionis, si contrahentes eam non necessariam, sed contingentem esse crediderunt, facilè probatur; si, quod certum est, conditionem in consensum dumtaxat contrahentium, non autem in matrimonium cadere supponamus. Quod cùm ita sit, cùm contrahentes suum in sponsalia vel in matrimonium consensum ex conditione necessaria quidem in se, sed in eorum mente & intentione contingente, suspensum esse voluerint, haud dubiè sponsalia vel matrimonium non poterit haberi validum, quin præfata conditio evenerit: siquidem suum illum consensum, in quem solum cadit conditio, contrahentes ad ejusdem conditionis eventum allegare voluerunt.

Cùm igitur in interno conscientiæ foro standum sit intentioni contrahentis sub conditione, qualiscumque sit illa conditio, haud dubiè non erit matrimonium in eodem ipso conscientiæ foro, quin conditio sub qua voluit inire matrimonium, evenerit: quia sine consensu utriusque partis nullum matrimonium validè contrahi potest.

Quod nihil prohibet, quominus Ecclesia judicet pro matrimonio, utpote quæ hisce conditionibus adjectis præsumat contrahentium consensum non defuisse.

Quinta conclusio.

Conditiones turpes aut impossibiles appositæ in matrimonio, debent propter ejus favorem pro non adjectis haberi.

Ita constitutum est ab Gregorio Papa IX. c. fin. *Si conditiones. de conditionibus, &c.*

Si quis quærat, in quo positus sit ille matrimonii favor, propter quem conditiones impossibiles in eo appositæ pro non adjectis habentur:

Respondeo, hujusmodi favorem in eo positum esse, quòd matrimonium, quia est favorabilis contractus, hoc privilegio donatum est, ut ab eo impossibilis conditio ex Ecclesiæ statuto removeatur: ac proinde matrimonia talis conditionis adjectione inita, quæ aliàs impossibilis conditionis naturæ relicta, forent irrita, rata & valida maneant.

Revera cùm contrahentium intentio sit dubia, nec constet, utrum animo non consentiendi, imò irridendi conditionem impossibilem ipsimet contrahentes suo matrimonio adjecerint, Ecclesia in gratiam & favorem matrimonii præsumit, eos inisse matrimonium, juxta suam ipsius intentionem, & ideo ea verba, quibus suum expressere consensum,

accipit in sensu absoluto, perinde ac si ea conditio non esset apposita: & ita pro matrimonio sic tamquam validè contracto judicat; ne fortè qui legitimo sunt alligati conjugio, separentur, & alia cum aliis matrimonia non sine magno suæ salutis æternæ periculo ineant. Et hic est matrimonii favor, quem magno matrimonii sacramento ipsa indulsit Ecclesia, rata satius esse contra statuta hominum dimittere legitimè conjugatos, quàm contra Dei legem eos separare, ut habetur c. *licèt ex quadam. de testibus.*

Ex his colligendum est, conditionem impossibilem appositam in matrimonio haberi pro non adjecta, quando dubia est contrahentium intentio. Nam si ex quibusdam conjecturis constet præfatam illam conditionem impossibilem appositam esse ab contrahentibus per jocum, aut animo non contrahendi: tunc illa ipsa conditio etiam in foro externo non habebitur pro non apposita, sed matrimonium vitiabit, seu irritum & nullum efficiet. Ita sentit Adrianus in 4. q. 3. de matrim. dub. 7. & alii.

Sexta conclusio.

Conditiones honestæ & possibiles, si sint de futuro, suspendunt matrimonium, ita ut validum haberi nequeat, quin apposita conditio evenerit, ut mox patebit ex cap. *super eo. de conditionibus.* Quæ conclusio ut fiat evidentior,

Observandum est, nonnumquam conditionem honestam & licitam, sub qua sponsalia vel matrimonium contrahitur, apponi de re præsenti, ut si quis dicat: Polliceor te mihi futuram uxorem, si bonorum tuorum liberam administrationem habeas; vel si vigesimum quartum ætatis annum attigisti. Istæ conditiones sunt suspensivæ, ut ita dicam, ita ut & sponsalia nec matrimonium subsistere queant, nisi veræ sint illæ conditiones, sub quibus contrahentes sese sibi invicem obligare voluerunt.

Aliquando verò conditio honesta & possibilis de futuro sponsalibus vel matrimonio apponitur: v. g. si quis dicat: Ducam te in uxorem, si patri meo crastina luce placuerit; tunc posita conditione, valida sunt sponsalia, ita tamen ut suspendat contractum matrimonii, quod nullo pacto valet, nisi conditio impleatur: sic habetur expressis verbis cap. *super eo.* & cap. *de illis. de conditionibus, &c.* & lib. 3. tit. 4. par. 4. Cùm enim jus eam declaret esse conditionis naturam, (l. *si ita stipulatus fuero hanc summam. ff. de verb. obl.*) ut suspendat valorem contractus sub ea initi, usquedum apposita conditio evenerit, nec ipsum jus conditiones honestas & licitas ab matrimonio usque ad earum eventum suspendendo excluserit, ut patet ex cap. fin. *de conditionibus appositis.* rectè concluditur, matrimonium esse nullum, nisi conditio honesta & licita, sub qua est initum, impleatur.

Qua in re notandum est, quòd quando quis per verba de præsenti consensum exprimit, adjecta conditione de futuro, tunc verbum pertinet ad futurum tempus, non autem ad præsens: si quis enim dicat: Duco te in uxorem, si patri meo crastina die placuerit, aut si cras mihi tantum pecuniæ attuleris: (ex hypothesi, quòd contrahens habeat justam istius pecuniæ petendæ causam, v. g. in dotem, &c.) tunc verbum illud, duco, futuri temporis efficitur: nam licèt præsentis temporis significationem importare videatur, pendet tamen ex futuro eventu appositæ conditionis, quâ quidem positâ, sponsalia dumtaxat contracta, non autem matrimonium initum in jure judicabitur: (ut mox visuri sumus) nullus enim in eo casu deprehenditur consensus per verba de præsenti expressus, cùm verbum præsentis temporis propter adjectam de futuro conditionem, promissionem tantùm significet. Quemadmodum si quis dicat: Do tibi centum aureos, si cras Rex hanc in urbem advenerit; promittit dumtaxat centum aureos, neque enim dat: & intelligendus est perinde, ac si diceret: Dabo tibi centum aureos, si Rex cras hanc in urbem adventaverit. Quòd si nonnulli hac in re sunt allucinati, hunc errorem sibi eripi patiantur ab Urbano Papa III. cap. *super eo. de conditionibus, &c.* sic loquente: « Super eo, inquit, quod postulasti, utrum ille qui in quamdam mulierem consensit, si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consummandum matrimonium compellendus. Respondemus, quòd cùm consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsa canonica non improbent instituta: nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum. Nam licèt Alexander Papa responderit, quòd sponsalia interpositâ conditione contracta, ipsâ non impletâ, si consensus de præsenti intercedat, vel carnalis copula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari, nequaquam est nostræ definitioni adversum, cùm hujusmodi consensus non sit de præsenti habendus, licèt per verba de præsenti evidentiùs exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. » Hactenus Urbanus Papa III. loco cit. nempe c. *super eo. de conditionibus, &c.*

Ex cujus verbis discimus, matrimonium sub conditione honesta & licita & possibili posse contrahi, nec tamen tenere, nisi conditio extiterit, vel recessum sit à conditione per contrarium factum, ut patet ex c. *per tuas litteras. de conditionibus.* ubi Innocentius Papa III. pronuntiat, pro matrimonio cujusdam viri præsumendum esse, eo nomine quòd contractis sub honesta conditione sponsalibus, & ante istius conditionis eventum sibi desponsatam carnaliter cognoverat, atque adeo ab apposita conditione recessisse videretur.

Patet igitur ex dictis conditionem honestam & licitam, sive ad tertii arbitrium relata fuerit, sive non, semper suspendere vel sponsalia vel matrimonium, eo quòd respiciat contrahentium consensum ad matrimonii substantiam pertinentem, & omnino necessarium: quæ substantia cùm ab tertii assensu vel dissensu nullo pacto pendeat, (ut docet Hostiensis Sum. tit. *de condition. apposit.* num. 12. vers. *si conditio honesta*) illam ipsam conditionem honestam semper sponsalia vel matrimonium suspendere, legitimâ consecutione astruitur.

Si igitur conditiones honestæ & possibiles sint de futuro, suspendunt matrimonium, ita ut nullum sit, nisi evenerint. Si verò sint de præterito, vel de præsenti, & veræ sint illo ipso tempore, quo celebratur matrimonium, ipsum illud matrimonium & verum est, & validum. Unde colligitur, quòd, quamvis honesta conditio sponsalia pariter & matrimonium suspendat, usquedum evenerit, nec ante ipsius eventum conjuges sibi plenè & perfectè sint obligati; non potest tamen eorum alter resilire, nisi fuerit impleta conditio, utpote qui usque ad conditionis eventum expectare videatur. Nam per l. *balneum.* 9. & l. *potior.* 11. in principio, versu *Videamus. ff. qui potiores in pig. hab.* ea statuitur contractus conditionalis natura, ut ante conditionis eventum neutri contrahentium altero invito resilire liceat: quia non minor ex conditionali contractu oritur obligatio, quàm ex puro & absoluto, in quo cùm neutri contrahentium ab articulis ibidem expressis invito altero recedere liceat, nec etiam in conditionali recedere licebit.

Conclusio septima.

Conditiones, quæ matrimonii substantiæ vel ejusdem matrimonii bonis adversantur, matrimonium

nullum & irritum reddunt; ut si quis dicat: Ego ducam te in uxorem, modò velis natas proles intercidere, vel ne nascantur, impedire, vel modò te pervulgando quæstum facere. Item si quis dicat: Promitto tibi fidem, vel do tibi fidem, donec invenero nobiliorem fœminam vel ditiorem: vel si mihi polliceri velis te debitum conjugale non exacturam: vel cùm unam ex me prolem susceperis, te permissuram me sacros ordines vel monachatum suscipere.

Enumeratæ hactenus conditiones & aliæ ipsis similes, sponsalibus & matrimonio adjectæ, quantamcumque sanctitatis speciem præ se ferant, efficiunt, ut nec vera sponsalia, nec verum matrimonium contrahatur. Per illas enim contrahentes non consentiunt in sponsalia, vel in matrimonium, imò & sponsalia & ipsum matrimonium omni ex parte labefactant & destruunt, quia illarum earumdem conditionum adjectione violatur & effringitur indissolubile matrimonii vinculum, & concubinatus pietatis & religionis obtentu repromittitur.

Meritò igitur tales conditiones reprobavit, & ad matrimonii excidium pertinere docuit Gregorius Papa IX. ut patet c. fin. *Si conditiones. de conditionibus, &c.*

„ Si conditiones, inquit, contra substantiam conjugii „ inferantur: puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, „ si generationem prolis evites: vel donec inveniam „ aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro „ quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis con„ tractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, „ licèt aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si tur„ pes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus fa„ vorem pro non adjectis haberi. Hactenus Papa Gregorius IX. loco citato.

Ex isto summi Pontificis effato colligimus & inferimus sponsalia & matrimonia præfatarum conditionum adjectione inita, esse penitus irrita & nulla: per illas enim conditiones matrimonia qualiacumque fuerint, cum annexis matrimonii sacramento bonis, omni ex parte perimuntur. Sunt enim tria matrimonii bona, proles scilicet, sacramentum, & fides, quæ omnia per dictas conditionea extinguuntur. Contraho tecum, si generationem, &c. bonum prolis extinguitur per ista. Donec inveniam aliam, &c. hæc conditio est contra sacramentum, quod suapte naturâ est indissolubile & individuum. Per hæc denique, Aut si pro quæstu, &c. exemplum est de conditione, quæ est contra bonum fidei, ut observat Glossa in cit. Gregorii IX. decretum expressum cap. final. *Si conditiones.* tit. 5. *de conditionibus appositis.*

Hactenus de consensu ficto & conditionato egimus: nunc ergo properandum est ad consensum coactum seu violentum, quod ut fiat, esto

---

QUÆSTIO XXIII.

Quotuplex sit coactio seu violentia.

RESPONDEO cum S. Thoma in 4. dist. 29. q. 1. in solut. quæstiun. 1. duplicem esse coactionem seu violentiam: una nempe est, quæ facit necessitatem absolutam, & tale violentum à Philosopho dicitur violentum simpliciter, & ab eodem 3. Ethicor. cap. 2. definitur his verbis: Violentum est, quod fit ab extrinseco nullam conferente vim passo, non merè negativè, (aliàs justificatio parvulorum in baptismo esset violenta) sed quasi contrariè. Unde clarior erit definitio violenti vel violentiæ, si enuntietur his verbis: Violentia est impulsus, cujus principium est ab extrinseco, in contrarium renitente passo.

Revera si passum totis viribus illatæ violentiæ renitatur, erit violentia absoluta, id est coactio absoluta, majoris scilicet rei impetus, qui repelli non potest. Ita enim definitur ab Jurisconsultis in l. 2. ff. *quod metus caus. vel qui resisti non potest.* secund. Joann. Andr. in c. *sacris. de his quæ vi, &c.* in 1. q. n. 15. & fit per manuum attractionem vel detentionem, secund. Hostiensem in princip. in verb. *coactionem.*

Ad hanc speciem coactionis refertur vis illa, quâ quis per vim è patria aut alio ex loco expellitur, sicut & vis, per quam alicui sua auferuntur: & illa denique vis, quâ quispiam suis in rebus iniquè turbatur, & triplicem illam vim ad vim absolutam referri notat Glossa ult. in l. 1. ff. *quod met. caus.*

Hujusmodi coactio absoluta omnem prorsus excludit consensum, atque adeo omne peccatum, siquidem absolutè coactus pati potiùs quàm agere convincitur, c. *sacris. de his quæ vi met. caus.* Unde S. Thomas cùm sibi objecisset verba beatæ Luciæ: Si invitam me violari feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam: ex quibus verbis objiciens asserebat, coactionem excludere reatum peccati; id fatetur & amplectitur pro vero, si nempe absoluta coactio ad aliquem actum reluctantem quempiam adegerit, ut contigit beatæ Luciæ, cujus verba intelligenda esse de violento simpliciter, in quo patiens nihil confert agenti, asserit S. Thom. in 3. Sent. dist. 39. q. 1. a. 3. in solut. quæstiunc. 1. ad 3.

Idem S. Thomas in 4. dist. 29. q. 1. a. 1. quæstiunc. unica jam cit. pergit: Alia est coactio, quæ facit necessitatem conditionatam, & hanc vocat Philosophus violentum mistum, sicut cùm quis projicit merces in mare, ne periclitetur. Et in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se voluntarium; tamen consideratis circumstantiis, hîc & nunc voluntarium est. Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundùm quid involuntarium: unde hæc violentia vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntaris, non autem prima. Et quia hæc coactio fit ex hoc, quòd timetur aliquod periculum imminens; ideo ista vis idem est, quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo; sed prima vis cadit etiam in corporalibus actibus. Et quia legislator non considerat solùm interiores actus, sed magis exteriores, ideo per vim intelligit coactionem simpliciter: propter quod vim contra metum dividit. Sed nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis, quæ à metu distinguitur: & ideo quantùm ad propositum pertinet, idem est coactio, quod metus. Hactenus S. Thomas loco cit.

Cùm ex doctrina S. Thomæ coactio nihil à metu, nec metus à coactione differat, jam agendum est de illa coactione morali, seu de metu, quæ duo in hominibus sunt unum & idem. Nam aliæ res quæ sunt inanimatæ, non coguntur propositis quibusdam objectis terribilibus: & metuendis, sed vi dumtaxat extrinsecùs adhibita, quemadmodum lapides, qui suapte naturâ tendunt deorsum, sursum tendere coguntur, cùm projiciuntur in aëra. Homo verò, quia ratione utitur, & ejus voluntas semper ab ipsa ratione apta & suspensa est, non potest cogi, (coactione nempe conditionali seu morali) nisi quia objicitur illi aliquid terribile, quod ratio apprehendit esse necessariò fugiendum. Unde cùm in materia de matrimonio, de votis & juramentis fit mentio de coactione, nulla alia præter moralem intelligenda est. Non enim homo potest adigi ad consensum per primam & absolutam illam (de qua proximè diximus) coactionem. Non enim potest cogi voluntas humana, præterquam à Deo qui creavit illam. Cùm enim actio voluntatis nihil aliud sit, quàm libera in rem aliquam propensio, certè repugnat naturæ voluntatis, ut cogatur, cùm aliquam in rem propendere dici nequeat, nisi à seipsa, non autem ab aliqua cogente causa ad talem talis vel alterius rei propensionem vel dilectionem, aut alterum quempiam affectum moveatur. His positis, esto

Quæstio XXIV.

Quis & quotuplex sit metus.

UT hæc quæstio liquidò resolvatur, 1°. definiendus est metus generatim sumptus. Sit itaque.

Prima conclusio.

Metus, prout est affectio appetitus rationalis, rectè definitur, instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. Hanc definitionem affert S. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. a. 1. in sol. quæstiunc. unicæ in corp.

Hujus definitionis explicationem, quia ad alia multa intelligenda confert plurimùm, aggredi necesse est.

1°. Dicitur, instantis periculi, &c. quia malum etiam certò eventurum, nullum incurit metum, nisi apprehendatur velut imminens & impendens cervici personæ metuentis, vel alterius ipsi arcto consanguinitatis, affinitatis, conjugii aut singularis amicitiæ vinculo agglutinatæ.

2°. Additur, futuri, &c. quia per metum malum dumtaxar futurum extimescimus, præsens verò cum mœrore perferimus.

3°. Additur, periculi causâ, id est propter malum probabiliter imminens, cùm periculum nihil sit aliud, quàm verisimilitudo imminentis mali.

4°. Additur, mentis, id est appetitus rationalis, sive voluntatis, ad quam pertinet prosecutio boni, & fuga mali, prout intellectus apprehenderit, & ipsi proposuerit.

5°. Additur, trepidatio, id est perturbatio, seu de suo statu dimotio perculsæ voluntatis, anxiæ & sollicitæ, sibique persuadentis imminens malum sine arduo & difficili labore devitari non posse.

Secunda conclusio.

Metus ut plurimùm trifariàm dividitur: in reverentialem scilicet, & in eum qui cadit in constantem virum, & in levem qui cadit in inconstantem. De metu reverentiali postea dicemus. Nunc nobis differendum est de metu cadente in constantem, & de metu qui cadit in inconstantem & levem, eo quòd de duplici illo metu præsertim agitur, cùm de matrimoniali consensu disputatur, ut mox visuri sumus, si priùs observaverimus, metum subdividi in eum, qui justè infertur, & in eum qui injustè incutitur.

His ita prænotatis, esto

Tertia conclusio.

Metus absolutè gravis seu cadens in constantem virum, est instantis gravis mali & ardui causâ mentis trepidatio, quâ vir constans meritò percellitur. Metus verò levis seu cadens in levem & inconstantem virum, est mentis imprudens & inconsulta trepidatio, orta scilicet vel ex levi malo imminente, vel gravi, quod facili negotio declinari potest, vel quod probabiliter non imminet.

Ut ista conclusio clariùs eluceat, juvat paucis aperire, quis & qualis sit vir constans & gravis, & quis sit vir inconstans & levis.

1°. Vir constans & gravis dicitur, qui rectè & maturè dijudicat inter plura mala, quodnam sit majus, quod levius.

2°. Qui novit à quo magnum malum, à quo parvum metuere oporteat.

3°. Qui tali tantoque animo sit prædirus, ut sciens & prudens, numquam sese in majus malum conjiciat, quo minus effugiat.

Ex adverso vir inconstans & levis nescit, nec dijudicat, quodnam malum alteri præponderet: vel nescit à quo majus vel minus malum expectari debeat: vel denique est animo tam levi & instabili, ut ad evitandum leve quodpiam malum, scienter se in alterum & illud grave implicet; quippe qui tanta est mentis imbecillitate, ut nefarii amoris impulsu, quo minus bonum prosequitur, illud ipsum majori bono anteponat. v. g. majus est malum occidi & mutilari, quàm uxorem ducere. Item melius est filio inire matrimonium, quàm ut ejus pater interficiatur. Quapropter vir constans mallet uxorem ducere, quàm interfici aut mutilari.

Item mallet matrimonio jungi, quàm sinere, ut pater suus vel aliæ personæ ad ipsum attinentes interficerentur. Nam hujusmodi mala quæ viro constanti metum possunt incurere, consideranda sunt respectu personæ, cui intentantur, & respectu personarum ad ipsam attinentium. In his sese aliter haberet vir inconstans & levis, & ideo sibi æternam infamiæ notam inurceret.

Porro si de peccato admittendo agitur, nullus metus cadit in constantem virum: dicitur enim cadere in constantem virum ille metus, qui non tantùm movet quocumque modo virum fortem, sed deterret & avocat à proposito. Qui metus si caderet in virum constantem, eum de sua constantia & gravitate dejiceret, & aggregaret ad leves & instabiles, quos levia quæque de proposito dimovent. Vir autem constans is est, qui ab Lyrico Vate adumbratur libro tertio Carminum ode tertia.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni:
Mente quatit solida.

Et paulò pòst:

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Talem esse oportet virum Christianum & constantem, qui terribilia quæque tolerare debet, ne incidat in peccatum: nullum enim malum, quantumvis immane, cum peccato omnium malorum teterrimo gravissimoque conferendum est. Unde concludendum est, nullum omnino metum cadere in constantem virum, cùm de peccato perpetrando agitur.

Porro cùm dicimus metum cadere in constantem virum, non intelligimus, cadere in illum quocumque modo. Licèt enim Christus imminentem sibi mortem metuerit, non propterea talis metus fuit metus cadens in constantem virum, quia ut paulò antè insinuavimus, ille dumtaxat metus cadit in constantem virum, qui non tantùm ejus voluntatem movet, verùm etiam de proposito dimovere potest, quod ab Christo longissimè absuit, ut patet: siquidem ab proposito quo jussu Patris acerbissimam mortem oppetere statuerat, nullo pacto deterreri & avocari poterat. Nunc igitur agendum est de indiciis, quibus deprehenditur metus, de quo hactenus est disputatum. Sit itaque

Quæstio XXV.

Quibus indiciis agnoscatur metus cadens in constantem virum, quo ita cogatur contrahentium consensus, ut initum illius vi matrimonium irritum habeatur.

RESPONDEO, tribus potissimùm indiciis talem metum deprehendi, quorum primum est istius metus causa efficiens, quæ est dumtaxat causa externa moralis præfatum incutiens metum in hunc finem, ut aliquis vel in matrimonium, vel in votum, vel in aliquid aliud, quod tali metu valeat rescindi, consentiat.

Requiritur ad incutiendum talem metum causa externa moralis, quia sæpe homines moventur ab interna causa, id est à seipsis, vel ad vovendum, vel ad ineundum conjugium, nec propterea vel votum coactè emittere vel matrimonium coactè contrahere censentur.

Exigitur etiam causa moralis, quia sæpe coguntur homines à causis naturalibus, quæ quia non incutiunt hominibus hujusmodi metum, ut in matrimonium v. g. consentiant; & ideo non censetur coactus ille consensus: ut si quis nollet fœminam à bestia, ut puta leone, vel urso liberare, nisi sibi nuberet, & propterea nuberet, consensus non esset coactus, quia non esset extortus ab homine, seu causa morali, sed ab bestia, causa naturali.

Præterea requiritur, ut incutiatur metus à causa morali, id est ab homine in eum finem, id est ad eliciendum personæ cujuspiam reluctantis assensum, qui alioquin coactus non crederetur. Nam si quis v. g. fugientem aliquem insequerentur hostes, & obviam haberet mulierculam, quam rogaret, ut sese abderet in latebras suis hostibus impervias, & illa recusaret, nisi se priùs duxisset uxorem, si ille consentiret, quamvis consentiret metu mortis illato, à causa morali, scilicet ab hoste, quia hostis non incutiebat timorem ad hunc finem, ad contrahendum nempe matrimonium, consensus censeretur esse liber, & matrimonium esse verum, ut observavit Maldonatus tom. 2. de matrim. cap. 2. *de consensu.*

Secundum ejusdem metus indicium petitur ex parte objecti, id est malorum, quorum probabili eventu perterrefieri potest vir constans, & de concepto proposito dimoveri: qualia autem sint ista mala, operæpretium est illustrare.

1°. Enim ista mala quæ ad præfatum metum, seu mortis trepidationem requiruntur, oportet ea esse, quæ vir constans imminentia facilè suis vel ab suorum cervicibus propulsare nequeat. Nemo enim, nisi sit levis & inconstans, timere debet mala, quæ facili negotio possunt amoveri.

2°. Requiritur, ut imminentium malorum, revera gravium æstimatio sit probabilis, & justis de caussis concepta. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. constans ex forti æstimatione & probabili cogitur, d. l. *metum.* 2. metum autem non vani hominis, sed qui meritò, &c. probabilis autem est timor instantis damni, licèt revera nondum sit illatum, l. *nec timorem.* 7. D. eodem, ibi, quia potuisset ea pati quæ dicimus.

Cùm autem dicimus instantis damni metus, non solùm id de damno seu malo proximè imminenti intelligendum est; sed etiam de eo quod etiam longo pòst tempore futurum est, si ut probabiliter eventurum timeatur: id enim vir constans timere potest, cùm & probabilis metus suspicio, metus etiam censeatur, l. *novissimè.* §. *quod falsò*, ibi: quid enim si metu compulsos, aut metuens, ne compelleretur.

3°. Non censetur metuendum malum, licèt grave, si is à quo intentatur, non possit minas exequi, quantumvis graves sint minæ, l. *famosi. ad legem. juliam majestatis.* ibi, velante quid fecerit. Sed metus gravis mali incussus viro constanti creditur, si ipse ille, qui grave malum interminatur, minas exequi soleat, l. *metum. c. de his quæ vi.* ibi non ex rationibus, sed atrocitate facti probandum metum.

4°. Malum debet esse in se grave, non autem comparatione minoris mali: quia malum quod dumtaxat grave est comparatione minoris mali, non minuit libertatem in viro forti, nec cadit in virum constantem.

5°. Grave malum non semper est æquale, sed pro sexuum & personarum diversitate variatur: malum enim quod viri comparatione leve haberetur, censeretur grave respectu fœminæ propter sexus imbecillitatem.

Tertium metus gravis cadentis in virum constantem indicium, petitur ex cogitatione, cùm scilicet objectum terribile non solùm probabiliter, sed certo prudentum judicio impendere creditur. Quod nihil prohibet, quominus probabilis, seu justa ratione suscepta gravium malorum, & mox, vel longo pòst tempore inferendorum æstimatio, ad metum constanti viro incutiendum sufficiat, ut paulò antè diximus.

Hactenus qualia sint mala gravia, quibus justa mentis trepidatio viro constanti incuti valeat, diximus: jam percensenda sunt hujusmodi mala. Sit itaque

Quæstio XXVI.

Quænam sint mala gravia, quibus constantis viri animus terrefieri potest.

RESPONDEO, sequentia mala percenseri vulgò ab eruditis, & reponi inter ea, quibus vir constans percelli & de proposito potest dimoveri.

1°. Metus mortis cadit in constantem virum, juxta c. *cùm dilectus. de his quæ vi.* & l. *nec timorem.* 7. ff. *de eo quod met. caus.*

2°. Metus mutilationis vel abscissionis cujuspiam membri, quæ est mors quædam partialis membri, c. *si quis absciderit.* sicut & gravis corporis cruciatus & servitutis, l. *ergo puto.* l. *isti quidem.* D. *de eo quod metus causâ.* l. *si per vim.* l. *si donationis*, c. eodem.

3°. Idem dicendum de carceris metu, & de carcere. De carceris metu habemus l. *nec timorem.* & l. *qui in carcerem*, ff. *de eo, quod met. caus.* De carcere autem idem sentiendum, ut patet, si præsertim carcer sit diuturnus, & in eo quis atrocia vincula patiatur.

4°. Idem affirmandum de metu servitutis vel perpetuæ vel diuturnæ, juxta l. *ego puto.* & l. *isti quidem.* ff. *de eo quod met. caus.* quod & dicendum de timore amittendi instrumenta, quibus libertas probari debet, juxta proximè citatam l. *isti quidem*.

5°. Metus etiam armorum cadit in constantem virum, licèt portans arma eis non utatur, l. 3. in princ. *quia armati.* ff. *de vi, & vi armata*, ibi: sufficit enim timor armorum, &c. quod & dicendum, licèt portans arma ea deponat, quia iis potest uti, cùm libuerit, licèt ea deponat aut deposuerit, juxta l. *quoties.* §. *in potestate.*

6°. Gravis exilii timor, qui sanè virum gravem de suæ constantiæ arce dejicere potest, nisi malte-

tur exilio vel publicæ utilitatis vel religionis propugnandæ gratiâ.

7°. Metus etiam amissionis status cadit in constantem virum, juxta l. jam citatam *isti quidem*. quod & dicendum de honoris amissione, quia secundùm Scripturas honor, fama, seu honesta apud homines opinio & existimatio, exaggeratis opibus præponderat.

8°. Metus amissionis bonorum cadit in virum constantem, quia æquiparatur metui mortis, ut docet Tiraquellus de nobil. c. 31. nu. 369. Nam bona sunt quædam hominis vita, ut probatur ex l. *advocati*. 14. c. *de advocat. diver. jud.*

Idem dicendum de metu amissionis majoris partis bonorum. Nam & ipse metus cadit in constantem virum, & id constat ex c. 1. *de restit. spoliat.* in fine princip. ibi; illum autem spoliatum intelligi volumus, qui totâ suâ substantiâ vel majori parte ipsius se per violentiam destitutum affirmat. Et quidem jactura vel omnium vel majoris partis bonorum, utpote maximè notabilis, potest movere virum constantem divitem, & maximè pauperem, si de magna vel majori bonorum suorum parte dejectus victitare nequeat.

9°. Infamiæ metus cadit in virum constantem, sive juris sit infamia, sive facti. Ut id intelligatur, observandum est, esse duplicem infamiam; unam, quæ dicitur facti; alteram verò, quæ dicitur juris. Infamia facti ea est, quæ oritur ex quopiam delicto gravi, & eo multis cognito perspectoque, propter quod reus malè audit apud viros bonos & graves, & mala de ipso concepta opinio sparsa est in multitudinem.

Infamia juris ea est, quæ incurritur admissis casibus & peccatis, quibus in jure, sive civili, sive canonico, infamiæ pœna irrogatur.

His positis, dicimus, metum infamiæ juris cadere in constantem virum, cùm fit, cùm quispiam bonum alioquin virum forsan deprehensum in quopiam delicto infamiæ pœnâ in jure mulctato, comminatur se sparsurum in vulgus crimen infame quod perpetravit. Ita habetur l. *nec timorem*. 7. l. *isti quidem*. §. 8. fin. ff. *de eo quod met. caus.*

Item metus infamiæ facti, cui non facilè occurri potest, cadit in virum constantem, non autem si talis infamiæ comprimendæ facilis quædam habeatur ratio. Cùm enim metus opulenti cujuspiam patrimonii amittendi cadat in virum constantem, & juxta Scripturam melius sit nomen bonum, quàm divitiæ multæ, & Glossa in l. *justa. de manumissis vindict.* v. *infamia*. dicat periculum infamiæ esse simile periculo vitæ; non est dubium quin metus infamiæ facti cadat in virum constantem, quemadmodum magnarum opum jactura, & periculum vitæ (cui æquiparatur periculum infamiæ) ita percellit eumdem constantem virum, ut ipsum de proposito dimovere valeat.

10°. Metus excommunicationis cadit in constantem virum. Vel enim excommunicatio est justa, vel injusta; utralibet fuerit, semper est viro constanti metuenda. Si enim est justa, irrogata est propter peccatum lethale, & propter contumaciam peccatum lethale subsecutam, atque adeo metuenda est constanti viro, qui nihil antiquius habere debet, quàm ut lethale peccatum & criminosam in peccato lethali perseverantiam seu contumaciam remis velisque (ut aiunt) fugiat. Cùm ergo nemini infligatur majoris excommunicationis pœna, nisi propter peccatum lethale, & contumaciam illi additam; nonne vir constans duo illa flagitia metuet, imò perhorrescet? Præterea itane erit desertus ab omni sensu & ratione, ut nihili faciat bona, quibus privantur excommunicati? An flocci faciet suffragia & sacramenta Ecclesiæ, quorum omnis perceptio excommunicatis interdicitur? an despiciet colloquia & societatem fidelium, & alia id genus bona, per quorum jacturam gravia ipsi importantur mala? Quemadmodum id non est verisimile, ita nec verisimile est, eumdem virum constantem nihil metuere excommunicationem tot ipsi damna afferentem.

Quòd si est excommunicatio injusta, illa est etiam vel constanti viro metuenda, 11. q. 3. c. 1. & aliquam infamiæ notam inurit viro tali excommunicatione afflato: quotquot enim ejus innocentiam vel minùs, vel nullatenus habebunt perspectam, arbitrabuntur, eum Ecclesiæ gladio, (sic enim appellatur excommunicatio ab Concilio Tridentino) sic tanquam immedicabile membrum ab ejusdem Ecclesiæ corpore recisum, ne pars sincera, id est fideles Catholici traherentur in idem cum illo exitium, vel certè in ejusdem exitii periculum.

11°. Stuprum seu stupri metus percellere potest viri constantis animum. De hac re postea. Jam quærendum, ad quos respectu rerum, quas hactenus percensuimus, constantis viri metus extendi legitimè possit & debeat. Sit itaque

Quæstio XXVII.

Ad quos gravium malorum virum constantem percellentium metus pertinere possit & sufficiat.

Sanctus Thomas magnum nobis aditum aperit ad hujus quæstionis solutionem in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. in solut. quæstiunc. unicæ ad 2. Dicendum, inquit, quòd peccata sunt maxima malorum, & ideo ad hoc nullo modo potest homo constans cogi, imò magis debet homo mori, quàm talia sustinere: ut etiam Philosophus dicit in 3. Ethic. Sed quædam damna corporalia sunt minuta quibusdam aliis, quæ sunt inter præcipua quæ ad personam pertinent, sicut mors, verbera, dehonestatio per stuprum, servitus: & ideo ex istis constans cogitur ad alia damna corporalia sustinenda; & hæc continentur hoc versu:

Stupri, sive status, verberis, atque necis.

Nec differt, utrùm hæc pertineant ad personam propriam, vel uxoris vel filiorum, aut aliorum hujusmodi. Hactenus sanctus Thomas loco citato.

Igitur S. Thomas satis indicat hoc loco, rerum istarum (quas allato versiculo comprehendit) metum semper cadere in constantem virum, si vel ipsimet, vel ejus uxori, vel liberis, vel aliis id genus hominibus probabiliter impendeant. Quod quidem probat idem S. Thomas loco & art. cit. exemplo Abraham & Isaac, qui constantes extiterunt, & justo sunt metu perculsi: utpote qui ne suas uxores dehonestari cernerent, eas non uxores, sed suas sibi esse sorores affirmarunt. Ergo vir constans legitimo rerum suprà memoratarum metu percellitur, si immineant uxori, quia secundùm Scripturas vir & mulier sunt una caro.

Præterea nemo dubitat, quin metus talium rerum, mortis, &c. respectu filiorum, si illis hæc immineant, constantis animum concutiat.

Cæteri Doctores jure ac meritò hunc viri constantis metum porrigunt etiam ad alios consanguineos tamquam unam carnem, & ex eodem sanguine derivatos. Unde dixit D. Aug. & habetur c. *non existimemus*. 13. q. 2. Nemo unquam carnem suam odio habuit.

Quin etiam istum constantis viri metum ad consanguineos & affines usque ad quartum gradum porrigi, graviores Theologi censuerunt. Nam usque ad illum gradum communi sensu & affectu consan-

guinei affinesque reputantur : si per affines intelligantur affines ex matrimonio, non autem ex fornicatione. Nam natura nullum erga eos amorem ingeneravit ; ideo insevit quoddam odium, utpote qui vel ad diuturnam vel ad æternam familiarum turpitudinem & infamiam videantur editi.

Præterea ad amicos, id est ad viros arctissimo amoris vinculo nobis conglutinatos, ipse ille metus porrigitur, utpote qui animæ nostræ dimidium esse videantur.

Porrigitur etiam ad domesticos, ut colligi videtur ex Clement. 1. *de excessibus Prælator.* verf. *servientes.*

Potest etiam metus gravis cadens in constantem virum ultra quartum & quintum, &c. consanguinitatis & affinitatis gradum porrigi, si probabiliter timeatur grave malum injustè inferendum alicui privato vel pluribus, ex quo tota prosapia ultra quartum gradum magnum vel dedecus vel detrimentum caperet. Tunc enim in ipsa viri constanti personâ dedecus vel detrimentum metueretur.

Satis de his hactenus. Jam descendendum est ad singulares casus, in quibus ob metum cadentem in constantem virum, matrimonii contractus, vel etiam alii redduntur irriti. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXVIII.

Quando metus cadens in constantem virum, matrimonium ratum relinquit, vel reddit irritum.

Prima conclusio.

VERUS metus cadens in constantem virum, id est gravis mali & injusti, atque adeo eum metuentis injuria ab homine probabiliter velociùs vel longo pòst tempore inferendi vehemens opinio, nullum & irritum efficit matrimonium.

Hæc conclusio certa est, & legis naturalis authoritate suffulta.

Ac reipsa quidem canones non ex se irritant matrimonia per metum gravis mali & injusti, extrinsecùs extorquendi consensus gratiâ illatum, inita : sed semper talium matrimoniorum nullitatem ad legem naturæ, id est ad rationem consensus, ad essentiam matrimonii necessariò requisiti, referunt, ut patet ex cap. *Cùm locum.* ubi sic loquitur Alexander Papa III. Cùm locum, inquit, non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur : & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus : ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus matrimonio quæstio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honestè teneri, donec prædicta causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cujusque valeat executioni mandari. Hactenus Alexander Papa III. cit. cap. *de sponsalib.* Simile habetur de metu, c. *veniens ad nos.* & c. *consultationi tuæ. de sponsalibus.*

Metus ergo gravis mali instantis, & ad extorquendum consensum extrinsecùs ab homine probabiliter inferendi, irritum facit matrimonium : neque requiritur, ut tale malum in propria timentis persona, sed sufficit si in consanguineorum vel affinium ex legitimo thoro prodeuntium persona timeatur, ut suprà vidimus.

In hac igitur præsertim materia pro certo teneatur, metum cadentem in constantem virum, quoties incussus est ad extorquendum consensum, matrimonium reddere irritum, quia tunc homo ab alio metum gravis mali incutiente, adigitur ad matrimonium, quem à seipso ad illud impelli oporteret. Unde nullum est matrimonium, eo quòd metus ab causa extrinseca libera, ad extorquendum consensum in matrimonium, inferatur.

Si quis objiciat alios contractus per metum extorto consensu initos, esse validos, atque adeo contractum matrimonialem extorto pariter per metum assensu debere esse validum :

Respondeo, magnam disparitatem intercedere inter alios contractus & inter matrimonium. Nam cæteri contractus, etsi validi, possunt per judicis sententiam irritari : sed contractus matrimonialis semel validus irritari non potest : siquidem apud omnes Theologos pro fundamento statuitur, matrimonium esse contractum prorsus indissolubilem. Ex quo deinde consequitur, omne illud rescindere matrimonium, (ne videlicet tale vinculum perpetuum oriatur) quod ejus perpetuitati repugnat, & indissolubilitati. Atqui metus cadens in virum constantem, & cuipiam injustè ab extrinseco illatus, repugnat perpetuitati & æternitati matrimonii : ergo hujusmodi metus impedit, ne tale vinculum indissolubile oriatur. Ergo meritò talis metus, vel lege naturæ, vel legis ecclesiasticæ sanctione, vel utraque pariter lege, matrimonium irritare dicitur.

Talem autem metum matrimonii indissolubilitati penitus adversari patet ; quia talem metum passus, justam apud omnes habet querelam, & justissimè ex lege naturæ postulat, ut in pristinam restituatur libertatem : talis ergo metus matrimonii perpetuitati repugnat : non enim perpetuum appellari debet, quod per justum judicium dissolvi potest. Si igitur matrimonii contractus esset talis, qui posset ab homine dissolvi, certè nihil obstante metu posset contrahi, & ex tali metu contractum, verum esset & ratum, ita tamen ut justam haberet causam, cur postea dissolveretur. Nam qui ex præfato metu ab causa morali seu libera & extrinseca ad eliciendum ejus consensum injustè incusso, contraxisset conjugium, conjugium esset ratum : sed adire ad judicem, & ab eo conjugii extorto per metum injustè incussum consensu initi, dissolutionem citra injustitiam postulare posset. Cùm ergo matrimonium talis sit contractus, qui dissolvi nequeat ; ideo non potest contrahi per talem metum, per quem ejus dissolutio fieri posset.

Ex adverso metus cadens in inconstantem & imprudentem virum, quia non habet justam querelam apud omnes, nec apud judicem, ideo non rescindit matrimonium : nullam quippe habebat justam causam adeo timendi, ut propter illam matrimonium inire cogeretur. Nam metus cadens in levem & instabilem virum, qui matrimonium contraxit, adeo suam illi libertatem non abstulit, ut talem potiùs metum liberè quodammodo assumpserit, utpote qui potiùs aliud minus malum incurrere, quàm invitus uxorem ducere debuerat : ideo nullam habet justæ querelæ causam. Metus autem cadens in virum fortem, quem ipse vir fortis iniquè patitur, legitima est dirimendi matrimonii causa, quia eam contrahentibus adimit libertatem, quam natura ipsa in indissolubili matrimonii contractu dictat & postulat, & ideo ipsa illa natura conjuges eo metu iniquè incusso ad matrimonium adactos in integrum, seu in pristinam libertatem restitui oportere dictat, ut insigniter observatum est ab Hesselio in Explicatione Sacramentorum capite 120.

Ex dictis colligitur, non solùm metum qui cadit

dit io virum levem, non impedire nec irritare matrimonium, sed nec illum metum justum, qui cadit in virum constantem, & ei justè incutitur sine ejus injuria. Unde infertur

Conclusio secunda.

Matrimonium contractum ab viro (cui justè metus cadens in constantem virum incussus fuerit) constat esse ratum & validum. Si quis v. g. interposita jurisjurandi religione matrimonium repromiserit Regis filiæ, quæ postea aliquam ob causam, etiam justam, displiceat, & ejus pater Rex intentet illi mortem, vel bellum, nisi liberet fidem, seu filiam suam asciscat in conjugem, & ille illo metu in constantem virum cadente perculsus eam duxerit; matrimonium cum dicta puella validum init, utpote qui talem metum justè passus sit, cùm sponsalia liberè & sponte inierit. Unde & infertur sequens casus.

Quando aliquis justè detrusus in carcerem, ut contrahat matrimonium data fide repromissum, validè conjugium init, quia justè illi in eo casu ad eum finem ad contrahendum scilicet matrimonium incuti potuit. Siquidem regula est apud omnes accepta, matrimonium scilicet valere, quoties metus justè ab extrinseco incutitur ad extorquendum in nuptias consensum, quia ordo justitiæ postulat, ut cogatur, vel ut in compensationem hujusmodi consensus præbeatur. Et ratio est, quia cùm justè metus incutitur, consensus nec injustè, nec per injuriam elicitur, & ipse ille, qui cogitur, meritò invitus appellari non potest; siquidem cogitur ipso jure, cui si parere recusaverit, ab jure & æquitate recedit. Unde ipse sibi potiùs incutit metum, quàm ab alio patiatur incussum.

Hæc regula constat ex cap. 1. & 2. *de adulteriis.* & cap. *ex litteris.* 5. *de sponsalibus* Unde & votum ex simili metu emissum validum est juxta cap. *sicut nobis. de regulis.* ubi votum conceptum & nuncupatum ab ægrotante mortis timore, obligare dicitur.

Præterea validum est matrimonium ex metu gehennæ, vel mortis repentinæ, vel impendente naufragio, vel premente acriùs ægritudine, cum concubina contractum. Talis enim metus non est contrahenti ab extrinseca causa illatus, sed ab intrinseca; & ideo cùm ab eo sese metu expedire potuerit, & nihilominus contraxerit, liberè & sponte contraxisse præsumitur.

Tertia conclusio.

Matrimonium ex metu in constantem virum cadente, & ad extorquendum matrimonium injustè incusso, contractum, irritum & nullum est in utroque foro. Ita docent omnes Doctores juris pontificii in c. *de his quæ vi.* & in c. *cùm locum. de sponsalibus.* Ita S. Thomas in 4. dist. 29. q. 2. a. 3. in solut. 1. quæstiunc. in corp.

Ex principiis hactenus probatis facilè possunt dijudicari casus, in quibus vel metus cadens in constantem virum rata relinquit matrimonia, vel eadem efficit irrita.

Quarta conclusio.

Quoties in inferendo præfato metu cadente in constantem virum, (quamvis illius incussio justam habuerit originem) aliquid fit contra bonos mores, matrimonium ex eo metu contractum nullum est, perinde ac si ex metu injustè illato esset initum.

Ergo metus cadens in constantem virum non dirimit matrimonium, nisi habeat quinque conditiones, quarum

Prima est, ut sit gravis, absolutè scilicet vel respectivè, id est respectu personæ, cui incutitur, quia vel est meticulosa, vel præoccupata, vel non planè sui compos, juxta c. *veniens. de sponsalibus.* Et quòd præsertim respectivè metum gravem esse oporteat, constat ex lege *metus autem.* 3. tit. *ex quibus causis majores.*

Secunda, ut incutiatur ab causa morali, id est ab homine, non autem à causâ naturali, aut supernaturali: tunc enim matrimonium non dirimeret.

Tertia, ut sit injustè incussus.

Quarta, ut incutiatur ad extorquendum matrimonium. Si enim incutiatur ad aliud quàm ad extorquendum matrimonium, is qui contrahit, ut evadat metum, validè contrahit, etiamsi aliàs contrahere nollet. Quia hujusmodi metus se habet per accidens ad tale matrimonium.

Quinta, ut hujusmodi matrimonium sit aliàs omnino displicens, secluso scilicet metu. Nam si matrimonium placeat secluso metu, ejusmodi metûs incussio erit potiùs occasio, quàm causa matrimonii: quod quidem cùm sit spontaneum, non irritatur à jure, juxta c. *cùm locum. de sponsalibus.* Quæritur hic de metu reverentiali, & de precibus, utrum possint irritare matrimonium. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXIX.

Utrum metus reverentialis possit irritum facere matrimonium.

Prima conclusio.

METUS reverentialis, quo scilicet inferior (ut uxor respectu mariti, filius respectu patris) ob superioris reverentiam impellitur ad matrimonium celebrandum, vel alterum quempiam contractum ineundum, non irritat matrimonium absolutè loquendo: siquidem contractus ex tali metu initus, est omnino liber. Præterea nulla lege, id est neque naturali, neque ecclesiastica lege, matrimonia ex metu reverentiali contracta irritari legimus.

Secunda conclusio.

Solus metus reverentialis (nisi minæ, aut verbera, aut exhæredatio, aut alius metus gravis adjiciatur) non cadit in virum constantem, ac proinde nec matrimonium, nec alios contractus rescindit. Neque enim tantam vim habet metus reverentialis ad cogendum voluntatis assensum, ut vir constans eo permoveri debeat.

Probatur hæc conclusio ex cap. *litteris. de desponsat. impub.* ibi, nolens & invita, minis parentum impulsa: ubi reatus, quo reddat irrita sponsalia metu reverentiali inita, ponderat non solùm paternam reverentiam, sed simul minas.

Item metus reverentialis non rescindit professionem monasticam: (nisi adsint res in conclusione memoratæ) nam professio & matrimonium liberum exigunt consensum, & irritantur metu cadente in constantem virum, eo quòd liberum impediat consensum: ergo idem metus impediet, aut non impediet libertatem in utroque, & irritabit.

Id probatur ex cap. fin. *qui Clerici aut voven.* ubi habetur, votum emissum præcepto regio vel parentum non esse nullum.

Quæstio XXX.

Utrum preces importunæ incutiant metum cadentem in constantem virum, qui ad rescindendum matrimonium sufficiat.

Conclusio unica.

VALDE probabile est, matrimonium ex metu reverentiali cum precibus importunis conjuncto contractum, sic tamquam per metum cadentem in constantem virum irritari. Ita Covarruvias 4. Decret. 2. p. c. 3. §. 6. in fine. Ut hæc conclusio magis eluceat,

Observandum est, eas preces propriè appellari importunas, quæ sunt instantissimæ, & sæpius repetitæ, & inculcatæ, ut probat textus Authent. *de hæred. & falci.* in princip. vers. *semper igitur.* collat. 1. ibi. Semper igitur nobis importunæ sunt. Ubi Glossa v. *importuna*, id est valde instantes.

Tales describuntur preces hominis, qui, ut narratur Luc. cap. 11. ab amico media nocte tres panes flagitans, eos propter improbitatem (id est importunitatem) accepturus, imò extorturus dicatur à Christo, si perseveraverit pulsans.

Tales, id est importunæ extiterunt illæ preces quibus Dalila fatigaro Samsoni arcanam suæ fortitudinis causam elicuit. Cùm enim molesta esset ei, (ut narrat Scriptura Jud. cap. 16. v. 16.) & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, &c.

Tam assiduis & tam importunis precibus Dalila Samsonem fatigavit, ut coarctaret, & penè cogeret, ait Vatablus: ei quippe gravissimam exhibuit molestiam, & per istum modum necesse erat, quòd tædio affectus exponeret veritatem, ait Abulensis in cit. Scripturæ locum.

Ex istis Scripturæ locis satis apparet, importunas preces gravem metum incurere, utpote quæ oppressioni & vexationi sint æquiparandæ, ut patet ex Extravag. *Execrabilis.* Joannis Papæ XXII. *de Præb.* statim in princip.

Quæ cùm ita sint, quis in isto rerum articulo, id est urgente, vel veriùs vexante & opprimente cujuspiam precantis importunitate, ex una parte, & ex altera premente, debitâ enixè flagitanti personæ reverentiâ; quis, inquam, per ista duo metuenda, & in unum negotium conspirantia prudentem & constantem virum coactum iri, & ejus assensum extorquendum esse negaverit?

Stat ergo nostra conclusio aiens, matrimonium ex metu reverentiali cum importunis precibus conjuncto initum, sic tamquam per metum cadentem in constantem virum irritari.

Quæstio XXXI.

Quis error matrimonium impediat.

HANC quæstionem tanta perspicuitate & soliditate resolutam & stabilitam apud Gratian. 2. p. Decreti caus. 29. q. 1. deprehendimus, ut alia solutione non egeat. Esto itaque

Prima conclusio.

Non omnis error, sed error personæ & conditionis, matrimonium dirimit. Verum est, loquit Gratianus, quòd non omnis error consensum excludit: sed error est alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ & qualitatis conjugii consensum non excludit. Error verò personæ conjugii consensum non admittit. Ut si quis promitteret, se mihi venditurum aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet, numquid diceret consensisse in aurichalcum? numquam volui emere aurichalcum: nec ergo aliquando in illud consensi, quia consensus non est nisi voluntatis. Sicut ergo hic error materiæ excludit consensum, sic in conjugio error personæ: non enim consentit in hunc, sed in eum quem putabat esse.

Si quis objiciat non intercessisse matrimonium inter Jacobum & Liam, (posito quòd error personæ matrimonium impediat) quia Jacob in Liam sibi fraudulenter suppositam non consenserat, sed in Rachelem, cujus ducendæ gratiâ toto septennio cum ingenti ipsius amore servierat.

His ita respondetur: (verba sunt Gratiani) Consensus alius est præcedens, alius subsequens: præcedit consensus, quando ante carnalem copulam in individuam vitæ consuetudinem uterque consentit: subsequitur, quando post concubinalem seu fornicarium coïtum consentiunt in idem. Jacob ergo & Liam non fecit conjuges præcedens consensus, sed subsequens; nec tamen ex primo concubitu fornicarii judicantur, cùm ille maritali affectu eam cognoverit, & illa uxorio affectu sibi debitum persolverit, putans lege primogenitarum & paternis imperiis se sibi jure copulatam.

Observandum est, Magistrum & Gratianum hîc Jacob & Liam excusare à peccato. Quod spectat ad Jacob, rectam habuit intentionem, cognoscendæ scilicet Rachelis, quam duxerat uxorem, & ideo omni culpa vacare dicitur hac in parte; non item Lia: nam Jacob excusatur à culpa propter ignorantiam facti; Lia verò accusatur propter conscientiam ejusdem facti: siquidem hac in re obsecuta est patri suo ipsum Jacob decipere conanti, & se Jacob decepto in locum sororis suæ Rachelis libenti animo supponi voluit.

Quod factum excusari non potuit eo nomine, quòd Prophetarum, & aliorum Hebræorum non tantùm lingua, verùm etiam vita fuerit prophetica, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnus quidam, quia & magni cujusdam fuerit Propheta, ut loquitur S. Augustinus: ita enim omnia quæ gerebantur apud Hebræos, disponebat Deus, ut universa mysteria in plenitudine temporum, redempto Christianorum populo repræsentanda, sub obscuris imaginibus seu velaminibus adumbrarent.

Non potest, inquam, à peccato eximi Lia eo, quo dixi, nomine. Nam in confesso est apud omnes, multa mysteria sub evangelica lege declaranda per plura peccata fuisse adumbrata, ut multis exemplis patet. Ipsi tantùm quos jubebat Deus per aliquod factum ventura prænuntiare mysteria, erant immunes à peccato. Oseas v. g. vacavit omni culpa, cùm meretricem ascivit in conjugem: tale enim matrimonium ipsius Dei jussu iniit.

Huc accedit, quòd Deus per teterrimos peccatores sua mysteria reseravit. Testis est Caïphas, qui cùm esset teterrimus, & pronuntiando, expedire ut unus homo moreretur pro populo, ne tota gens periret, gravissimè peccaret, nihilominus cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, ut loquitur Scriptura.

Allatum igitur exemplum nihil prohibet, quominus error personæ impediat matrimonium, ut patebit clariùs ex sequenti conclusione.

Secunda conclusio.

Nullus alius error ex enumeratis dirimit matrimonium, præterquam error personæ & conditionis. Quia, ut constat ex Gratiani loco suprà citato, error fortunæ & qualitatis non excludit consensum: veluti si quis consentiret in prælaturam alicujus Ecclesiæ, quam putaret esse divitem, & illa esset minùs copiosa, quamvis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen posset renuntiare prælaturæ acceptæ. Similiter quæ nubit pauperi putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. Error qualitatis non excludit similiter consensum; utpote si quis emerit agrum, vel vineam quam putabat esse ubertimam; quamvis iste erraret in qualitate rerum, tem minùs fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere. Similiter, qui ducit in uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam & virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere.

Hactenus Gratianus loco citato: ex quo discere est, errorem personæ & conditionis, non autem cæteros errores dirimere matrimonium.

Ratio autem cur error personæ dirimat matrimonium, & non error qualitatis, neque fortunæ seu divitiatum, inde petitur, quòd error personæ tollat aliquid quod pertinet ad matrimonii substantiam, quod non facit error qualitatis aut fortunæ.

Cùm ergo per errorem personæ destruatur substantia matrimonii, ipsum quoque matrimonium per eumdem errorem destrui, seu dirimi necesse est, ut patet. Nam substantia matrimonii posita est in translatione mutua corporum, quam duæ personæ vero liberoque consensu sibi invicem faciunt. Cùm autem circa personam erratur, non possunt designari duæ personæ, quæ ad mutuam corporum translatioem sibi invicem consentiant: quia consensus in certam personam dirigitor.

Cùm igitur per errorem personæ tollatur certitudo & determinatio personæ, tollitur etiam determinati consensus, sine quo matrimonium nullum & irritum non tam lege positiva, quàm ex ipsa rei natura declaratur. Nam v. g. Titius consentit in matrimonium cum Magdalena contrahendum, non autem in matrimonium cum Catharina sibi adducta ineundum. Quamvis ergo Catharina in Titii conjugium consentiat, non fit matrimonium, eo quòd absit mutuus consensus, cujus defectu quodlibet matrimonium irritatur. Hujus rei pulcherrimam rationem affert S. Thomas in 4. dist. 29. q. 2. in argum. *Sed contra.* quæstiunculæ 2. *Matrimonium*, inquit, *est relatio æquiparantiæ; sed talis relatio est æqualiter in utroque: ergo si sit impedimentum ex parte unius, non erit matrimonium ex parte alterius.*

Porrò observandum est ex S. Thoma Supplem. q. 51. a. 2. ad 5. quòd error nobilitatis vel dignitatis, si redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directè, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium: si autem directè intendit consentire in filium Regis, quicumque sit ille, tunc si alius præsentetur ei, quàm filius Regis, est error personæ, & impedietur matrimonium. Hæc ibi S. Thomas.

Ex dictis sequitur, matrimonium quod contrahitur cum errore personæ vel conditionis servilis antecedenter, esse invalidum. De errore personæ hic præsertim agimus, de conditione servili plura dicturi, cùm ad matrimonii impedimenta devenerimus.

Quæret aliquis, quid sentiendum sit de errore personæ ipsum matrimonii contractum comitante: ut, si quis contrahat cum Barbara, quam putat esse Catharinam, ita tamen affectus, ut si sciret esse Barbaram, nihilominus æquè libenter, aut etiam libentiùs cum ea contraheret: aut si contraheret cum serva, nesciens esse servam, sed eo animo animatus, ut si sciret esse servam, nihilominus cum ea matrimonium iniret.

Respondent plerique Theologi, hujusmodi matrimonia fore penitus cassa & irrita: utpote non contraherentur cum voluntate & consensu in personam, quæ viris contrahentibus offeretur. Nam ille error contractum comitans faceret, ut contractus qui tunc iniretur, non esset actu præsente volitus respectu personæ, circa quam erratur. Nam ad valorem matrimonii requiritur, ut contractus ita sit volitus, ut in oblatam determinatamque personam utriusque contrahentis libet assensus dirigatur. Quamvis igitur contrahens cum Barbara, quam putat esse Catharinam, diceret: Contraherem cum Barbara, si rescirerem hanc esse Barbaram, non valeret matrimonium, quia per hujusmodi verba non consentiret in Barbaram, sed tantùm quid facturus esset, perspectâ cognitâque Barbarâ declararet.

Non ergo quilibet error impedit matrimonium, sed ille dumtaxat error, qui fit alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit ipsum matrimonium, duas scilicet personas, quæ conjunguntur, & mutuam potestatem in iovicem, in qua matrimonium consistit.

Primum autem tollitur per errorem personæ; secundum per errorem conditionis: quia servus non potest sui corporis potestatem alteri tradere sine consensu domini sui. Et propter hoc si duo errores matrimonium impediunt, & non alii. Et id fit, non quòd error habeat ex natura generis quod matrimonium impediat, (sic enim omnis error matrimonium impedire deberet) sed ex natura differentiæ adjunctæ, prout scilicet est error alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Ita S. Thom. 3. p. q. jam cit. a. 2. in corp. & ad 1.

Si fortè sit legitima dubitatio de intentione contrahentis, utrum scilicet in personam præsentem & determinatam ad ineundum cum illa matrimonium consentire intenderit, necne; nec possit illa ejus intentio perspicuè dijudicari: tunc præsumendum est in foro externo nullum in ipso contractu extitisse errorem personæ, sed tantùm qualitatis errorem, qui matrimonium non dirimit. Cùm enim matrimonium sit res favorabilis, in dubio standum est ab ejus partibus, & ratum legitimúmque declarandum est.

Jam de impedimentis matrimonii agere oporteret, nisi sponsalium explanatio, quam in ipso hujus Dissertationis exordio tractare debuimus, suum jam locum sibi vindicaret. Sit itaque

Quæstio XXXII.

Quomodo definiantur sponsalia, & quorsum sint instituta.

Prima conclusio.

Sponsalia, prout hic sumuntur, rectè definiuntur, futurarum nuptiarum mutua promissio ab illis facta, qui futuris illis nuptiis sunt conjungendi.

Ab ipsa sponsione, (id est promissione) dicuntur sponsalia, & vir & mulier sponsus & sponsa dicuntur. Siquidem, ut ait S. Thom. Suppl. 3. p. q. 43. a. 1. ad 6. *in matrimonio potest considerari ipsa conjun-*

ctio matrimonialis & actus ejus, & à sponsione primi in futurum, dicitur sponsus à sponsalibus contractis per verba de futuro; & à sponsione secundi dicitur aliquis sponsus, etiam quando contractum est matrimonium, per verba de præsenti, quia ex hoc ipso spondet matrimonii actum: tamen à prima sponsione dicuntur sponsalia propriè, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonii, sicut exorcismus baptismi. Hactenus S. Thom. loco citato.

Ergo vir & mulier dicuntur sponsus & sponsa ratione conjugii per inita sponsalia repromissi, & alio modo sponsus & sponsa ratione carnalis copulæ, quam sibi mutuò saltem implicitè spoponderunt, cùm matrimonialem contractum iniere: qua sponsione præstita jam sponsi & sponsæ nomen expirat, ait Estios, qui & observat, notandos esse tres gradus in præsenti negotio, quorum

Primus est, in quo vir & mulier sponsi tantùm vocantur, cùm scilicet per verba de futuro matrimonium sibi mutuò promisere. Secundus est, in quo sponsi vocantur & conjuges, cùm videlicet copulam carnalem implicitè saltem in matrimoniali contractu promissam præstitere, & tunc sponsi & sponsæ appellari desinunt. Tertius denique est, in quo tantùm conjuges appellantur. Ita cit. Estius, qui & ait hujusmodi duplicis respectu sponsi & sponsæ acceptionis distinctionem valere plurimùm ad intelligendas Scripturas, & conciliandos canones, in quibus sponsi & sponsæ seu desponsatæ vocantur.

His positis, contendimus sponsalia, id est promissionem mutuam de futuro matrimonio factam, nullo pacto valere, nisi habeat adjunctas sequentes conditiones, quarum

Prima est, ut sit vera: simulata enim promissio non habetur vera promissio. Observandum tamen, fictum illum promissorem non obligari vi sponsalium quæ nulla sunt; tenetur nihilominus contrahere vel componere cum persona cui illusit, tum propter injuriam ei factam, tum propter scandalum. Si autem habuerit animum promittendi, non autem promissum implendi, sponsalia sunt valida.

Secunda, ut sit deliberata: debet enim esse actus ex rationis deliberatione profectus.

Tertia, ut sit signis exterioribus expressa, quia promissio facta homini non obligat in conscientia, nisi signis exterioribus exprimatur ex S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1.

Quarta, ut sit libera, quia promissio violenter aut per metum cadentem in virum constantem extorta, non obligat, nisi sit juramento firmata, ex eod. S. Thoma 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.

Quinta est, ut sit mutua. Ita enim definiuntur sponsalia, ut dicantur mutua promissio futuri matrimonii signo aliquo sensibili expressa. Cùm enim sponsalia habeantur, ut legitima præparatio ad futurum matrimonium, & aliquatenus ejus naturam participent, debent proculdubio per mutuum viri & fœminæ consensum verbis de futuro vel aliis signis expressum contrahi, quemadmodum matrimonium per utrinsque partis consensum per verba de præsenti declaratum contrahitur: alioquin sponsalia quæ contrahuntur, erunt irrita; siquidem implicat contradictionem, aliquem fieri contractum, quin libero & mutuo contrahentium assensu sanciatur. Id nempe non obscurè colligitur ex jure canonico cap. *præter.* cap. *de illis.* & cap. *gemma. de sponsalibus.*

Et hæc doctrina tria inferuntur.

Primum est, promissionem inter sponsalia absenti vel præsenti factam, antequam alter acceptet, posse sine ulla culpa revocari: quia promissio sponsalitia non est gratuita, sed sub conditione reciprocæ promissionis facta. Cùm igitur pendeat adhuc conditio repromissionis, homini qui promisit, suam promissionem revocare liberum est. Nam antequam alter repromittat, seu sese reciproca promissione alteri jam futurum matrimonium pollicito devinciat, nullum jus illi adimitur, neque ulla in re læditur. Quod autem qui futuras promisit nuptias, suam illam promissionem revocet, talis revocatio non falsitati, sed inconstantiæ & levitati ascribitur.

Secundum, admitti peccatum lethale ab eo, qui sine gravi causa sponsalitiam promissionem acceptatam implere renuit, quia in ejusmodi promissione est ultro citroque obligatio, & una promissio alterâ compensatur: & ideo non tantùm quæsitum est jus fidelitatis, sed etiam justitiæ, quod in re tanti momenti violari non potest sine culpa lethali, ut passim omnes Theologi profitentur.

Tertium est, quòd si quis postularet à fœmina, utrum vellet sibi promitti nuptias, & illa sponderet & responderet, Placet; essent tunc contracta sponsalia. Nam fatentur omnes ex natura contractûs postulationem illam sive cum interrogatione, sive sine illa fiat, obtinere vim promissionis, & illud verbum (Placet) ab interrogata fœmina vicissim prolatum, habere vim acceptationis & repromissionis, ut constat.

Quod spectat ad signa, quibus consensus contrahentium inter sponsalia exprimi potest, varia sunt: vel enim ipsa sponsalia contrahuntur verbis, vel scripto, vel nutu, vel annoli, sive cujospiam alterius arrhæ donatione, & interdum silentio. Contrahuntur etiam sponsalia absolutè, vel adjecta conditione, vel simplici promissione, vel interposita jurisjurandi religione.

Quòd si verba vel signa sint obscura, & dubia sit mens contrahentis, recurrendum est ad verisimilitudinem, comparando res ad invicem, vel ex antecedentibus & consequentibus, & ex qualitate personarum: & ex eo de quo agebatur, eruenda erit verisimilitudo. Si enim priùs agebatur de matrimonio, sequentia etiam ad eum finem dicta ex contrahente intelligi debent; si de sponsalibus, ad sponsalia pertinebunt, & juxta ea, quæ priùs clarè dixit, ea quæ postea obscurè dixit, accipienda erunt. Eruetur etiam quod verisimile est, spectata consuetudine & qualitate loquentis, l. *si servus plurium.* §. fin. D. *de l.* 1. Postea spectanda est consuetudo regionis, d. l. *Si servus.*

At si verisimilitudo non constat, inspicienda est propria, & communis verborum significatio, usitata tamen apud eas gentes, inter quas matrimonium celebratur.

Cùm hactenus sponsalium definitionem & necessarias ad eorum valorem conditiones explanaverimus, jam properandum est ad rationes, propter quas sunt instituta. Sit itaque

Secunda conclusio.

Optimis de causis & saluberrimis rationibus præmittuntur sponsalia matrimonio.

Primam hujus rei rationem affert S. August. lib. 8. Confess. c. 3. *Institutum est,* inquit, *ut jam pacta sponsa non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.* Hæc ibi.

Hæc est optima ratio. Nam quotidiana probat experientia, nos facilè aspernari, quod facilè possumus vel potuimus adipisci.

Secunda ratio, cur præmissa sunt matrimonio sponsalia, est, ut majore reverentia & maturiori deliberatione matrimonium tot oneribus & molestiis implicatum ineatur.

Tertia ratio, propter quam instituta sunt sponsalia, petitur ex veteri Ecclesiæ consuetudine, quâ & sponsalia & matrimonia celebrari consueverant, per orationes fidelium & Ecclesiæ benedictionem, ut matrimonia molestâ tribulatione carnis utplurimùm conflictata, fœlicem sortirentur exitum.

Celebratis scilicet sponsalibus debent sponsi incumbere in flagrantissimas orationes, ad alliciendam suum in conjugium divinam misericordiam & gratiam, cujus ope auspicatas & fœlices nuptias ineant, atque ita cùm nupserint in Domino, Christiana tranquillitate potiantur.

Hanc rationem haud dubiè respexit Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 8. his verbis: *Unde sufficiamus ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, angeli renuntiant, pater ratò habet? nam nec in terris filii sine consensu patrum rectè & jure nubunt.* Hactenus Tertullianus, qui ait, fœlicia esse matrimonia, quæ Ecclesia conciliat, id est quæ fiunt in spiritu Ecclesiæ, & congruenter ejusdem Ecclesiæ legibus, & propter fines ab ipso Deo matrimonii institutore præstitutos: & fœmina Christiana virum Christianum & inter fideles Christianæ conversationis honestate nobilitatum quæritat.

Ait insuper idem Tertullianus matrimonium oblatione confirmari, cùm scilicet ab Ecclesiæ præpositis ritè celebratum eidem ipsi Ecclesiæ communibus fidelium votis inter orationes & sacrificia benedicendum solemni die sistitur.

Præterea ait, esse fœlix matrimonium, quod obsignat benedictio, cùm scilicet Ecclesia conceptis ad Deum precibus oblatos sibi conjuges in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo Jesu benedici flagitat. Ista Ecclesiæ benedictio est sacramenti signaculum.

Quidquod, ipse Tertullianus Angelos conjugalis sacramenti testes innuit, quos & ait astare orationibus Christianorum, in lib. de orat. sicut & affirmat Patrem, qui in cælis est, ratum habere matrimonium quod & Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio; & ratum habet cælestis Pater, seu pater luminum, à quo descendit omne bonum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Tertullianus hoc loco pulcherrima & saluberrima omnibus Christianis qui rite matrimonium inire voluerint, documenta suppeditat. Sive enim de sponsalibus, sive de matrimonio verba faciat, demonstrat, neminem posse ad fœlix matrimonium pervenire, quin illud matrimonium concilietur ab Ecclesia, id est ineatur in spiritu Ecclesiæ, quod confirmatur fidelium orationibus & sacrificiis, & ipsius Ecclesiæ benedictione veluti sacro matrimonii (quod est magnum mysterium & sacramentum) signaculo muniatur. Et inprimis operæpretium est in id potissimùm incumbere, ut per orationes, per gratiarum actiones & alia id genus pietatis opera Pater æternus per Christum semper viventem ad interpellandum pro nobis, ratum, quod jucundum est, matrimonium habeat.

Non ergo allucinabitur quisquis dixerit, ideo sponsalia præmitti matrimonio, ut ad illud rite percipiendum sese Christiani compararent. Nam ut antè vidimus, sunt sacramentalia, sicut aqua lustralis, eulogiæ, & alia quæ ad comparandos ad dignam sacramentorum perceptionem fidelium animos sunt instituta.

Aliæ rationes, cur instituta sint sponsalia, afferuntur, ot scilicet interjecto inter illa, & matrimoniom spatio, in contrahentium statum, mores, & conditionem diligens inquisitio factitari valeat, & præterea deprehendi possit legitimum impedimentum, si aliquod, vel futurum matrimooium impediens, vel contractum dirimens, lateat.

Interea virgo velanda est contractis sponsalibus, id est debet prudenter sese subducere oculis hominum, & præsertim sponsi, ne fortè ille præpostero libidinosæ juventutis impetu abreptus ipsam ablato virginitatis flore dedecoret, atque ita divinam in se & in futuram conjugem maledictionem pertrahat. Castè nimirum & integrè desponsatæ virgines sese cum sponsis habeant, nec ab iis quicquam patiantur quod divinam ultionem evocare, & ambobus meritam per aliquod flagitium maledictionem accersere valeat. Enimverò desponsatæ habent exemplum Rebeccæ, (ut ait Tertullianus lib. singul. de velandis virgin. cap. 11.) quæ cùm ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognovit esse, quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa quod senserat, id est spiritu nuptam negavit virginem, velata ibidem. O mulierem jam de Christi disciplina! ostendit enim etiam nuptias de aspectu & animo fieri, quemadmodum stuprum. Hactenns Tertullianus loco citato.

Imitentur hoc exemplum Rebeccæ, quotquot consenserunt in nuptias suo tempore cum sponso contrahendas; ita ut earum nulla referat imitando quasdam virgines, quæ in publicum prodire, & in sese omnium oculos convertere gestiunt. Nam, ut ait Tertullianus citato lib. de virg. veland. cap. 24. *ipsa concupiscentia non latendi non est pudica, patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi utique & viris. Quantum velis, bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimiùm amatur, dum inter amplexus & assidua oscula concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere desiderare. Sed enim vera & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult: alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros, & æmulationem, & ipsum livorem.*

Hactenns Tertullianus, cujus monitis multò saluberrimis si hac in parte obtemperarent omnes virgines Christianæ, tam desponsatæ quàm aliæ, omnibus sanè & solutis & conjugatis utriusque sexûs ardentissimum pudicitiæ suis exemplis amorem ingenerarent.

Ita igitur sese gerere debent virgines desponsatæ, ot conferant in usum præcipua documenta, quæ in hac secunda conclusione attulimus & probavimus. Præterea maximè cavendum est, ne iisdem in ædibus quas eorum sponsi incolunt, immorentur & habitent. Id enim severè ab Ecclesia prohibitum est. Ad alia properemus. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXIII.

Qua ætate contrahi possint sponsalia: utrum promissiones inter sponsalia factas sponsi implere teneantur: & utrum ad eas implendas adigi possint, qui eas exequi recusarent.

TRIA in hac quæstione proponuntur totidem conclusiooibus explicanda.

Prima conclusio.

Septennium est legitimum tempus, cootrahendisque sponsalibus idoneum. Ita determinatum est à jure, ut constat ex cap. *litteras.* & ex cap. *accessit.* & ex cap. *ad dissolvendum. de desponsat. impub.* & ex cap. *infantes.* in 6. sub eod. tit. Et hanc Ecclesiæ constitutionem approbat S. Thomas Supplem. q. 43. art. 2. Unde in eod. art. ad 7. affirmat, sponsalia

quæ ab contrahentibus propiùs ad primi ſeptennii finem accedentibus fuerint inita, eſſe valida, licèt aliquid deſit ſeptennio, quod nondum abſolutum fuerit. Propinquitas autem iſta non eſt æſtimanda tantùm ex quinque vel ſex menſibus, qui deſunt ſeptennio, ſed etiam ex uſu rationis, prout in contrahentibus acceleratus fuerit.

Obſervandum tamen, irrita fore ſponſalia, quæ contraherentur ab adoleſcentulis, in quibus quarto vel quinto ætatis anno rationis uſus ſeptennium anteverteret. Quia enim tarò accidit, ut pueri & puellæ debitam ad contrahendum diſcretionem dictis annis habeant: ideo ſponſalia omnia ante ſeptennium vel omnino vel circiter evolutum Eccleſia reſcindenda eſſe judicavit.

Si quis objiciat, puerum ante ſeptennium peccare poſſe mortaliter, (ut de quodam puero quinque dumtaxat annos nato commemorat S. Gregorius lib. 4. Dialog. qui quidem ob blaſphemias, quibus aſſueverat, ab Dæmone eſt præfocatus, & æternis inferorum ſuppliciis addictus) & ideo poſſe etiam puerum ante ſeptennium contrahere ſponſalia, cùm non major requiratur diſcretio ad ſponſalia contrahenda, quàm ad peccatum mortale perpetrandum:

Reſpondeo cum S. Thoma art. cit. quòd ad peccatum mortale ſufficit etiam conſenſus præſens; ſed in ſponſalibus eſt conſenſus in futurum: major autem diſcretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quàm ad conſentiendum in actum unum præſentem. Et ideo antè poteſt homo peccare mortaliter, quàm poſſit ſe obligare in futurum. Hactenus S. Thomas.

Secunda concluſio.

Sponſalia ſub pœna peccati lethalis obligare, docent Concilia, & poſt Concilia Theologi.

Et inprimis Concilium Illiberitanum can. 54. in hac verba concepto: *Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe à communione: ſi tamen iidem ſponſus & ſponſa in ullo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si verò in eodem fuerint vitio, & polluerint ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſervatur.* Ita ſtatuit Illiberitanum antiquiſſimum.

Hunc ipſum canonem refert Ivo Carnot. Decret. parte 8 cap. 46. *Si qui parentes*, inquit, *fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe à communione. Si tamen idem ſponſus & ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes, &c.* Ita ſtatuerunt præfati Concilii Patres. Cùm enim cernerent de vi & authoritate ſponſaliorum leviùs judicari, atque ita ſimplices haberentur futurarum nuptiarum repromiſſiones, quæ liberè infringi poſſent & diſſolvi: ipſis indignum viſum eſt ætate ſua & religione fidem ad tantum ſacramentum datam, tanta facilitate violari: cùm nihil ſit æquitati naturali magis conſentaneum, quàm illam in rebus omnibus, ſed in ſponſalibus præcipuè obſervari: ideoque decreverunt, ut ſi patres ad quos pertinebat ſponſalia ſui & filiorum nomine contrahere, & contracta diſſolvere, ea irrita facerent, triennii tempore à communione abſtineant.

Præterea docent Patres Concilii Meldenſis can. 53. excommunicationem pro peccato mortali tantùm imponi. Quare, inquiunt, fateri neceſſariò tenemur, ſponſaliorum fidem frangentes, vel impedientes, cùm non ſolùm ſimplici excommunicatione, ſed excommunicatione triennii puniantur) crimen admittere capitale: hoc enim ſignificaſſe Patres, quinimò diſertis verbis docuiſſe videntur; dum ſtatim ſubjungunt loquentes de ipſis ſponſis, (ſi tamen idem ſponſus vel ſponſa in ullo gravi crimine fuerint deprehenſi) grave crimen (ſponſaliorum infractionem) vocant, tamquam capitale: alioquin ſi leve fuiſſet aut veniale, grave ſeu lethale nuſquam appellare voluiſſent.

S. Tho[illegible]n 4. diſt. 27. q. 2. a. 1. in ſolut. quæſtiunc. unic. *Ad ſecundum, dicendum*, inquit, *quòd ex tali promiſſione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundùm hoc etiam Eccleſia cogit injungendo pœnitentiam pro peccato.* Hæc ibi S. Thom.

Eamdem doctrinam docet Cajetanus in Summ. v. *ſponſalia.* Sponſorum, inquit, per verba de futuro, peccata triplicia ſunt.

1°. In ipſo contractu ſponſalium, quia ſcilicet fictè contrahuntur, nimirum intentione non contrahendi ſponſalia, ſeu non ſervandi fidem; & eſt peccatum mortale pernicioſi mendacii.

2°. In diſſolutione ſponſalium, & tunc peccatur peccato perfidiæ: cùm ſcilicet abſque ſufficiente cauſa, promiſſa fides non ſervatur, & eſt perfidia hujuſmodi mortale peccatum, etiamſi perjurium non interveniat, quia eſt injurioſa proximo.

3°. Peccatur in uſu ſponſalium: ut ſi impudicis actibus vacent ſponſus & ſponſa, id eſt oſculis & libidinoſis amplexibus, libidinoſæ voluptatis causâ, peccant lethaliter, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 4. in corp. *Conſenſus*, inquit, *in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum. Et ideo cùm fornicatio ſit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ ſpecies: conſequens, eſt quòd conſenſus in delectationem talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum. Et ideo cùm oſcula & amplexus hujuſmodi propter hujuſmodi delectationem fiant, conſequens eſt, quòd ſint peccata mortalia, & ſic ſolùm dicuntur libidinoſa. Unde hujuſmodi ſecundùm quòd libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia.* Hæc ibi S. Thomas: qui & in q. 15. de veritate a. 4. in corp. ſub finem idem aſtruit. *Simpliciter*, inquit, *concedimus conſenſum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis eſſe peccatum mortale. Ex quo ſequitur, quod quicquid homo agit ex conſenſu talis delectationis, ad hoc ut hujuſmodi delectationem nutriat, vel teneat, ſicut ſunt turpes tactus, vel libidinoſa oſcula, vel aliquid hujuſmodi, totum iſt mortale peccatum.* Hæc ibi.

Ex iſtis S. Thomæ locis apparet, illum, ut tactus & oſcula ſint peccata mortalia, requirere ut fiant propter delectationem, imò per conſenſum in delectationem actus venerei, nec aliter ſaltem perfectè libidinoſa cenſeri.

Hæc ſtrictim attingere placuit, ut ſibi ab hujuſmodi oſculis & amplexibus caverent ſponſi & ſponſæ, quorum plerique ſeſe multis libidinoſæ voluptatis criminibus ante matrimonium inquinant. Ut ergo ad propoſitum revertamur, ſtat noſtra concluſio, quâ contendimus ſponſalium infractionem (niſi legitima ſuppetat cauſa) ſine peccato lethali factitari non poſſe.

Tertia concluſio.

Quiſquis ſponſalia jureiurando firmata iniit, ad ea implenda (ſi nullum ſubeſt legitimum impedimentum) compelli poteſt, ut patet ex c. *ex litteris. de ſponſalibus.* ubi Alexander Papa III. ſic loquitur: *Quia igitur prædicto viro* (qui ſe quamdam puellam ducturum in uxorem interpoſito jurejurando promiſerat) *periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire: fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneas: & ſi non acquieverit monitis, eccleſiaſticâ cenſurâ compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Hæc ibi.

Ipsa illa conclusio probatur ex c. *requisivit. de sponsalib. Requisivit à nobis tua fraternitas, quâ censurâ mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglectâ nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit.*

Ad quod breviter respondemus, quòd cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Hactenus Lucius Papa III.

Ista duorum Pontificum responsa discrepantia crederentur, nisi Glossa duobus in locis ultimum explicando, omnem (quæ prima fronte cerneretur) discrepantiam tolleret. *Matrimonia*, inquit, *libera esse debent, & non coacta. Et ideo monenda est potiùs quàm cogenda: vel priùs est monenda, & nisi acquieverit, postea compellenda.*

Eadem Glossa rectè observat non minùs libera fore matrimonia, si quis compellatur ea pòst facto, præstare id, ad quod jurejurando sese astrinxerit. Non enim quisquam dicitur invitus, qui propter voluntariam promissionem urgetur ad promissi solutionem. Et postea subdit ead. Glossa: Ista verba, potiùs monenda quàm cogenda, expone, potiùs monenda, id est, priùs monenda, & postea cogenda propter juramentum suum. Similis expositio 23. q. 4. non invenitur in fine. Hactenus Glossa.

Quarta conclusio.

Non solùm ad contrahendum matrimonium cogendi sunt illi, qui sponsalia interposito jurejurando inierunt, sed etiam illi, qui injurata sponsalia contraxerunt, cum ea tamen differentia, quòd qui sponsalia juramento firmavere, studiosiùs & acriùs compellendi sint propter majus vinculum, & juramenti religionem. Sic Abbas & cæteri Canonistæ in c. *ex litteris.*

Ratio hujus conclusionis petenda est ex eo, quòd contrahens sponsalia simpliciter sine ullo juramento fidem suam obstrinxerit, non minùs quàm alter, qui eadem sponsalia interposito jurejurando contraxit: ergo (cùm par in utroque sit obligatio) non minùs ad præstandam quam obstrinxit fidem, cogi poterit, qui sine juramento sponsalia contraxit, quàm is qui eadem sponsalia juramento firmavit. Nam uterque tenetur ex justitia servare fidem, sive sponsalia jure jurando firmaverit, sive non. Et ideo potest & debet judex cogere ad ineundum matrimonium eos, qui futuras promisere nuptias, nisi ex hujusmodi nuptiis gravia scandala, inimicitiæ implacabiles, diuturnæ & periculosæ lites, & alia id genus mala probabiliter oritura videantur. Tunc enim Ecclesia permitteret minus malum, ut majus & gravius anteverteret. Nam, ut est in confesso apud omnes, est levius malum sponsalium fidem infringi, quàm duas aut plures familias diuturnis litibus, odiis & dissidiis, sic tanquam procellis & tempestatibus jactari.

Hanc opinionem seu sententiam propugnant passim omnes Doctores juris, & sententiam illi oppositam erroneam appellat Covarruvias 4. Decret. 1. p. cap. 4. init. num. 3.

Porrò uterque judex, tam sæcularis quàm ecclesiasticus, potest cogere ad contrahendum matrimonium eos, qui valida sponsalia contraxere. Si enim sponsalium valor evocaretur in controversiam, ad unum dumtaxat judicem ecclesiasticum recurrere oporteret. Sed posita valorum sponsalium certitudine, potest judex sæcularis ad ea implenda, etiam injurata, compellere; sicut & ad præstandam aliorum contractuum fidem adigit. Sic Abbas c. *ex litteris.* t. I. *de sponsalib.* num. 4. Et revera potest quilibet ad implenda sponsalia ab sæculari judice adigi, nisi opponatur eorumdem sponsalium invaliditas, vel legitima ea rescindendi causa, quarum rerum disceptatio ad solum judicem ecclesiasticum pertinet.

Quæstio XXXIV.

Utrum valida essent sponsalia, quæ sub conditione conjugalis copulæ nusquam exercendæ contraherentur.

Conclusio unica.

Certum est apud omnes, sponsalia, quæ contrahuntur appositis conditionibus, quæ matrimonii bonis adversantur, ut puta proli & aliis, esse penitus irrita. Si v. g. diceret aliquis, Promitto me in meam te conjugem assumpturum, si pollicearis, te numquam exacturam conjugale debitum, vel facturam, ut nullam ex nostro matrimonio prolem habeamus, vel aliquid simile: ille sponsalia non contraheret, ut asserit S. Thom. Supplem. q. 43. a. 1. in c. & q. 47. a. 5. in c.

Ita sentiunt omnes Theologi, & passim docent omnem conditionem, quæ adversatur tribus matrimonii bonis, vel eorum uni irrita reddere sponsalia. Si ergo aliqua conditio repugnat matrimonii perpetuitati, vel proli, vel fidei, quæ sunt tria matrimonii bona, hujusmodi conditio rescindit non solùm matrimonium, si sub illa contrahatur, verùm etiam sponsalia; quæ quidem cùm pertineant ad matrimonium, nullatenus abhorrere possunt à bonis matrimonio annexis, quin illud omni ex parte destruant. Revera quis umquam fando audiit, aliquod medium ad alicujus finis assecutionem esse idoneum, quod illum ipsum finem, ad cujus assecutionem est adhibitum, cum bonis illi propriis everteret.

Ad plenam hujus conclusionis probationem recitare juvat responsum Gregorii Papæ IX. quod & superiùs retulimus. Sic igitur ille cap. *Si conditiones. de conditionibus, &c. Si conditiones*, inquit, *contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri, Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licèt aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Hæc ibi.

Ex isto summi Pontificis responso intelligimus, eas conditiones quæ inibi recensentur, penitus adversari tribus matrimonii bonis, atque adeo irritare matrimonia sub iis contracta, sicut & sponsalia, quæ quidem cùm promittant matrimonium, & bona illi cohærentia, sese ipsa destruunt, si promissionem matrimonium, & bona ipsum necessariò comitantia per alteram promissionem legitimo sponsalium contractui toto diametro oppositam perimant: atque adeo ipsa in irritum cadere necesse est.

Præterea per hujusmodi sponsalia, id est cum talibus conditionibus inita, destruunt duplicem matrimonii institutionem. Nam contrahendo sponsalia sub ea conditione, ut numquam exigatur & reddatur debitum conjugale: v. g. destruitur prima institutio matrimonii, quæ ante peccatum ad officium facta est in paradiso, ubi fuisset thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, ex quibus fœminæ sine ardore concupiscentiæ, sine dolore parerent. Destruitur & secunda institutio post peccatum ad remedium facta extra paradisum propter illicitum motum devitandum. Prima igitur erat, ut natura multiplicaretur; secunda, ut natura exciperetur; & virium

cohiberetur. Ante peccatum ergo institutum est conjugium ad officium; post peccatum verò ad remedium, ut ait S. Augustinus lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 7.

Cùm igitur præfata sponsalia (quæ ad matrimonii fines, & ipsius institutioni consentaneos assequendos fuerant instituta) legitimis ejus finibus sint omnino contraria, neminem fore arbitror, quin ea velut divinæ institutioni repugnantia irrita atque adeo rescindenda esse fateatur.

Hic jam quærendum esset, utrum ex sponsalibus validè contractis oriatur contrahendi matrimonii obligatio, & quodnam sit impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quod proficiscitur ex sponsalibus de futuro. De primo illo capite jam egimus: alterum verò explicabimus, cùm pervenerimus ad impedimenta matrimonium dirimentia.

QUÆSTIO XXXV.

Quot modis, seu quibus in casibus sponsalia dirimi valeant.

RESPONDEO, varios afferri casus, quorum præcipuos hîc recensere necesse est.

Primus casus, quo sponsalia dissolvuntur.

Iste casus accidit, cùm ii, qui valida contraxere sponsalia etiam jurata, suam sibi mutuo consensu sponsionem remittunt. Tunc enim remittente eo, cui facta est, sponsio obligare desinit. Ita decernitur cap. *Præteren. de sponsalibus. Si autem se ad invicem admittere noluerint*, (sunt ipsa Innocentii Papæ III. verba cit. cap. relata) *ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat quam odio habet: videtur quòd ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* Hæc ibi.

Neque propterea levitatis accusandi sunt, quotquot sponsi vel sponsæ suam sibi sponsionem in sponsalibus de futuro factam remittunt, siquidem facta hujusmodi sponsione multa accidere possunt, & reipsa frequenter eveniunt, quæ sponsos & sponsas ad dictam matrimonii promissionem retractandam adigunt. Consentiunt enim omnes Theologi in hoc pronuntiatum, posse scilicet sponsalia dissolvi per quodcunque aliud ab usitatis casibus ex improviso superveniens, quod si præcessisset, aut prævisum fuisset, sponsalia verisimiliter, & rationabiliter non fuissent contracta, ut asserit S. Thom. ad distinct. 27. 4. Sentent.

Secundus casus.

Certum est, sponsalia dirimi altero religionem intrante. Ita S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 3. in solut. quæstiunc. unicæ in corp. Respondeo, inquit, *dicendum, quòd in omnibus casibus* (afferri solitis) *sponsalia contracta dirimuntur, sed diversimodè: quia in duobus casibus* (scilicet cùm quis ad religionem confugit, & cùm alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit) *ipso jure sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundùm judicium Ecclesiæ.*

Hic occurrit aliquod dubium, utrum scilicet per ingressum religionis dumtaxat & ante professionem solvantur sponsalia.

Plerique omnes Doctores probabiliùs existimant, per solam professionem in ordine approbato emissam & receptam sponsalia dissolvi: quia, inquiunt, nullum est fundamentum in jure, quo statuatur, sponsalia per simplicem religionis ingressum dissolvi. Præterea id confirmant ex eo, quòd si is qui ingressus esset religionem, antequam emisisset solemnia monasticæ professionis vota, & antequam ipsius compars nova cum altero sponso vel sponsa sponsalia contraxisset, reverteretur ad sæculum, fidem per sponsalia suæ illi comparti astrictam servare & liberare teneretur. Quod sanè probabilissimum est.

Et sanè non errabit quisquis asseruerit idem sentiendum de sponsalibus, quod de matrimonio rato, nec consummato dicitur.

Cùm enim Concilium Tridentinum de hujusmodi matrimonio canonem condiderit in hæc verba: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, & non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*: ita servata proportione de sponsalibus dicendum existimamus.

Tertius casus.

Tertiò dissolvuntur sponsalia non solùm per vota solemnia inter monasticas professiones emitti solita, sed etiam per vota simplicia, quorum primum est votum religionis. Secundum est votum castitatis cum animo manendi in sæculo. Tertium est votum suscipiendi sacros ordines, quæ vota, sive antecedant sponsalia, sive subsequantur, illa proculdubio dirimunt. Nulla enim sunt sponsalia, quæ ejusmodi vota subsecuta sunt. Nam nihil aliud essent hujusmodi sponsalia, quàm promissio rei illicitæ, ut patet ex c. *rursus. qui Clerici, vel voventes.* suppositis enim votis religionis & castitatis & sacrorum ordinum susceptionis, iniquè matrimonium per verba de futuro promittitur. Nemo enim promittere debet quod legitimis obstantibus causis præstare non potest. Ergo sine peccato, eoque lethali, trium hujusmodi votorum vel unius illorum reus, sponsalia contrahere non potest.

Quod verum est, etiamsi sponsalibus ea vota subsecutis adderetur juramentum, ut patet ex dicto cap. *rursus.*

Quòd si sponsalia contraherentur cum animo vel conventione statim post contractum matrimonium transeundi ad religionem, vel castè vivendi in matrimonio, si præcessisset votum suscipiendi sacros ordines, adhuc essent illicita sponsalia: quia vir sese ad illos percipiendos omnimodis inhabilem redderet.

Quòd si votum sequatur post sponsalia, ut puta votum religionis, haud dubiè per tale votum sponsalia dirimuntur non aliter, quàm per ingressum religionis. Sicut igitur sponsalia non dirimuntur per talem ingressum, nisi facta fuerit professio; ita neque per votum religionis suscipiendæ dirimuntur, nisi qui voti reus est, reipsa religionem ingrediatur, & inibi vitam monasticam solemni ritu profiteatur.

Quartus casus.

Quartò solvuntur sponsalia per matrimonium, quod alter sponsorum cum alia persona validè contraxerit: quia matrimonii vinculum est indissolubile, atque adeo sponsalia ante illud inita, fiunt observatu prorsus impossibilia, & propterea eorum obligatio penitus extinguitur & abolescit. Quod quidem nihil prohibet, quominus ille vel illa, quæ matrimonium iniit, sese culpa lethali devinxerit, eo nomine quòd violaverit fidem, quâ futuras nuptias alteri personæ promiserat.

Quintus

Quintus casus.

Quintò dissolvuntur sponsalia, si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, (ut epilepsia vel paralysis) aut eum deformet, (ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi) aut quæ sit contra bonum prolis: (utpote lepra quæ potest prolem inficere) possunt in hoc casu sponsalia dirimi, ut colligitur ex c. *de illis.* extra *de sponsalibus & matrimonio.* sed expressiùs ex cap. *sicut.* ne sibi invicem sponsus & sponsa displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur: sic decernitur extra *de jurejurando.* cap. *quemadmodum.* §. *quòd si post hujusmodi.*

Si quis objiciat, pro pœna nullum debere puniri, & tamen illum qui corporali morbo conflictatur, puniri in hoc, quòd illi auferatur jus, quod habebat in illa, quæ sibi fuerat desponsata; & ideo propter corporalem infirmitatem non debere sponsalia dirimi:

Respondetur in proposito casu, hominem qui propter notabilem morbum de sponsalium jure dejicitur, non puniri pro pœna, sed ex pœna reportare damnum quod non est inconveniens.

Ita S. Thom. in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. ad 3. Hîc per gravem morbum intelliguntur morbi, qui grave incommodum & diuturnum afferrent alteri sponso, qualis est morbus Neapolitanus, oris graveolentia, si sit immedicabilis; quia signum est morbi habitualis molestissimi, ut constat ex l. *qui clavum. D. de Ædilitio edicto.* §. final. ibi, is cui os oleat, an sanus sit, quæsitum est, Trebatius ait, non esse morbosum alicui os olere, veluti hircosum aut straboonem; hoc enim ex illuvie oris accidere solet. Si tamen ex corporis vitio id accidat, veluti quòd jecur, quòd pulmo, aut aliud quid similiter olet, morbosus est. Hæc ille.

Præterea talis oris graveolentia demonstrat hominem gravissimis animi morbis obnoxium, ut testatur Luisius Legionensis in ista Cant. canticorum verba: *Labia illius distillantia myrrham primam. Ego quod expertus sum, loquar,* inquit, *sic judico non colloquio solum, sed amicitiá etiam & consuetudine bonorum arcendos esse eos, quibus anima fœtet. Nam quantùm recordari retro possum, neminem vidi hactenus tetrum odorem exhalantem, quem non postea gravissimis animi morbis obnoxium cognoverim, atque his potissimùm morbis qui ex atra bile sunt, invidiæ, fraudis, perfidiæ, voracitatis, similibusque permultis.* Hæc ille.

Sextus casus.

Sextò dirimuntur sponsalia, etiam jurata, per fornicationem: si nimirum alter contrahentium inciderit in fornicationem, ut constat ex Decretali Innocentii Papæ III. c. *quemadmodum. de jurejurando.* ubi decernit, eum qui juratus mulieri recepit se illam ducturum uxorem, recepto ac promisso liberatum esse, si post sponsionem juratam in fornicationem incidit, aut corporis deformitatem. *Si enim,* inquit citatus Pontifex, *post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere: longè fortiùs ante conjugium celebratum propter eamdem causam sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam: quia turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.* Et paulò antè dixerat: *Quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi; si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* Hactenus Innoc. Papa III. qui satis indicat, sponsalia posse dissolvi per sponsæ fornicationem; quamvis illa per vim cognita & constuprata fuerit, & omnem ad vim propulsandam conatum exeruerit. Quamvis enim id extra ejus culpam acciderit, & ex tali facto nulla infidelitatis in posterum admittendæ suspicio ingenerari queat; tamen ex communi hominum sensu res est probrosa & omni dedecore plena assumere in conjugem eam fœminam, quam alius flagitiosè constupraverit.

Hîc tamen notandum est, sponsalia dissolvi in favorem innocentis, ita ut si innocens adhuc velit contrahere, alter conjugium inire teneatur. Si per externam fornicationem alterutrius sponsi dirimuntur sponsalia, multò magis per internam animi fornicationem, id est per apostasiam vel hæresim, vel aliud id genus flagitium dirimi possunt, sive ejusmodi ipsa sponsalia antecedant, sive subsequantur. Quod & de quolibet crimine gravi & infami intelligendum est.

Septimus casus.

Septimò possunt dirimi sponsalia, quando alter conjugum sese confert in longinquam regionem: licèt videatur tutius (quod objici potest) absentem sponsum exspectare, quia, ut ait Clemens Papa III. cap. *ad audientiam.* in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.

Respondet S. Thomas, quòd *dubium illud determinatur ex hoc, quòd alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum: unde si ex parte ejus non defuit, quin matrimonium compleret, potest licitè alteri nubere sine ullo peccato: si autem per eum stetit, quòd matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis aut juramenti, (si juramentum intervenit) & contrahere cum aliqua, si velit, judicio Ecclesiæ.* Ita S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 3. ad 2.

Quod ita intelligendum est, ut dicatur, tunc sponsalia dirimi posse, cùm desponsatorum alter sine alterius consensu proficiscitur in longinquam regionem, secundùm cap. *de illis. de sponsalibus.* eo quòd per hujusmodi profectionem, datam fidem retractare & voluntatis mutationem declarare, promissumque matrimonium contrahere nolle videatur.

Similiter affirmandum est, alterutrum sponsorum posse jam inita sponsalia dirimere, & nova contrahere, si alter præstitutum ineundo conjugio tempus elabi passus fuerit, nec steterit per illum, (qui potest anteriora sponsalia dirimere) quominus matrimonium iniretur.

Possunt & sponsalia dirimi, si vel utrique vel tantùm uni contrahentium legitima septennii ætas defuerit, & cùm ad eam ætatem uterque vel unus dumtaxat pervenerit, ea rata habere nolit; ideo consensum revocet, etsi nulla interveniat causa præter revocantis voluntatem, ut habetur extra *de sponsal. impub.* cap. *de illis.*

Item dirimi possunt sponsalia, si in contractu apposita sit honesta conditio, quam unus contrahentium implere abnuat. Plures simul casus congessimus brevitatis causâ, quia illi omnes casus faciles sunt, & ab omnibus admittuntur.

Octavus casus.

Octavò dissolvuntur sponsalia superveniente impedimento affinitatis, ut si post sponsalia cum consanguinea uxoris intra secundum gradum aliquis rem habeat, cap. *fraternitatis.* 7. cum duobus sequentibus de eo, qui cognovit. Quod impedimentum novo Tridentini jure limitatum est ad secundum gradum. Idem est, si legalis cognatio supervenerit, cùm sit impedimentum dirimens cap. unico *de cognatione legali.*

Contra hanc doctrinam sibi hanc objectionem proponit S. Thom. *Videtur, quòd nec propter affinitatem intervenientem, ut puta, si sponsus consanguineam sponsæ fornicario concubitu cognoscat: quia secundùm hoc sponsa puniretur pro peccato sponsi, quod non est conveniens.*

Hanc objectionem ita diluit sanctus Doctor. *Ad quartum dicendum*, inquit, *quòd si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel è converso, tunc debent sponsalia dirimi, & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum, ut patet ex cap.* super eo. *extra.* de consanguinitate & affinitate. *ubi sic Urbanus Papa III. faciendum decernit circa quemdam, si vel manifestum est*, ait, *vel fama loci habet. Causæ enim quæ in futurum expectant effectus suos, impediuntur à suis effectibus, non solùm ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Unde sicut affinitas, si esset tempore contractus sponsalium, impedivisset contractum illum, ita si interveniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur: nec in hoc aliquid detrahitur alteri, imò ei confertur, quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo se odiosum reddidit.* Ita S. Thom. in 4. distinct. 27. quæst. 2. a. 3. jam citato ad 4.

Nonus casus.

Nonò justa & legitima sponsalia dirimendi causa petitur ex ferocia & asperitate morum, vel sævitia alterutrius sponsi, si certò perspecta sit & cognita: si enim ex vulgari dumtaxat rumore sparsa sit præfatæ asperitatis & sævitiæ fama, quæ ut plurimùm facta pariter & infecta canit, non debent dissolvi sponsalia, ut patet ex c. *veniens. qui Clerici vel voventes.* ubi habetur disertè, non oportere dissolvi sponsalia, eo quòd sponsa plura audierit de sponsi severitate.

Ergo colligitur, dissolvenda esse dicta sponsalia, si aliâ viâ quàm auditione (quâ sæpe decipimur) alterutrius sponsi morum asperitas & sævitia innotuerit. Cùm enim c. *veniens.* dicit non dissolvi sponsalia in casu quem resolvit, non intendit prohibere sponsalium dissolutionem propter morum asperitatem & sæviriam, quæ in alterutro sponso deprehensa fuerit, sed ob eam morum asperitatem & sæviriam, de qua certior sit factus sponsorum alter, ita ut non tantùm illam ex populari rumore didicerit. Tunc enim sponsalia non rite dirimerentur, siquidem timor ille quem dicta mulier conceperat de mariti severitate, quam fando dumtaxat audierat, vanus erat, ut ait Glossa in illud cap. v. *severitate. Unde non excusatur*, ait eadem Glossa, *quominus debeat compelli ad matrimonium contrahendum propter datam fidem.* Hæc ibi.

Decimus casus.

Decimò solvuntur sponsalia, si alteruter sponsus abjecto pietatis religionisque studio sese in flagitia immerserit, & reipsa flagitiosus appareat, ex quo inita sunt sponsalia, vel antequam inirentur, flagitiosus extiterit, & ejus flagitia ad alterius sponsi notitiam per bonos & fidei probatæ viros pervenerint.

Quòd si sponsalibus contractis constet, alterutrum sponsum vitiis valde deditum esse, nemini dubium est, quin hujusmodi sponsalia dirimi possint & debeant. Si autem ante contracta sponsalia constet alterutrum sponsum vitiis fuisse non leviter mancipatum, haud dubiè dirimi possunt hujusmodi sponsalia. Quia Doctores plerique omnes docent omnes causas ad sponsalia dissolvenda sufficientes, sive ante, sive post eadem sponsalia contigerint, esse causas & quidem legitimas, cur sponsus vel sponsa ab fide data liberetur; si tamen ejusmodi causæ ab altero probabiliter fuerint ignoratæ, quia in jure paria sunt aliquid supervenire, & ignoranter præcedere. Res enim dicitur fieri, quando primùm innotescit, cap. *Pastoralis. de exceptionibus.* Et sicut paria sunt in jure non esse, & non apparere, l. *duo sunt Titii.* ff. *de testam. tut.* ita paria sunt esse & apparere. Cùm ergo post sponsalia vitium ipsa etiam sponsalia antegressum apparet, tunc dicitur esse. Unde l. ult. c. *de spons.* habetur, resilientem à sponsalibus ex causa præcedenti ignorata, non amittere arrhas; quod secus fieret, si resiliendo culpam admitteret.

Undecimus casus.

Undecimò dissolvuntur sponsalia, si graves seu capitales inimicitiæ inter sponsos vel eorum parentes obortæ fuerint. Si enim, ut ait Panorm. c. *requisivit. de sponsal.* num. 4. Ecclesia compulsura non est implere sponsalia, quoties rixæ inter parentes contrahentium probabiliter timentur: nonne à fortiori, Ecclesia consentiet in sponsalium dissolutionem, si impræsentiarum & sponsos & eorum parentes capitalibus ab invicem odiis dissidere perspectum habuerit. Idem omnino dicendum de sponsalibus, ex quibus, si ad matrimonium pervenerint, scandala & mali exitus probabiliter metuuntur.

Duodecimus casus.

Duodecimò solvuntur sponsalia, si vel sponsorum alterum, vel utrumque, ad gravem seu notabilem inopiam & paupertatem adigi contingat, sive dotis promissio præcesserit, sive non. Nam si est promissa dos, nec ab eo qui promisit, possit exolvi, eo quòd ad magnam paupertatem sit redactus, ille cui facta est promissio, non tenetur datam inter sponsalia fidem præstare, quia dos est veluti conditio, sub qua sponsalia celebrantur: quapropter illa deficiente, deficiunt & corruunt sponsalia, quæ numquam fuissent inita, nisi præfata dos ante contractum fuisset proposita pariter & promissa. Et id certum est: tametsi sponsalia essent jurejurando firmata: siquidem juramentum easdem cum contractu conditiones accipit.

Quòd si ex adverso non sit promissa dos, dissolvuntur etiam sponsalia: siquidem sponsa dives censetur omnia bona sua in dotem promittere, ut tradit Bartol. c. *si constante.* num. 78. ff. *solut. matr.*

Si ergo post inita sponsalia, sponsa quæ bene nummata erat, & omnes suas opes in dotem promittere censebatur, omnibus fortunis eversa fuerit, sponsus qui supposita legitimæ dotis conditione se illam ducturum pollicitus erat, eam ducere non tenebitur propter notabilem rerum mutationem, quia promissio intelligitur vigere, quamdiu res in eodem perseverant statu, ut patet ex cap. *quemadmodum. de jurejurando.* Cùm ergo tanta rerum conversio præfatæ sponsæ divitias pessumdederit, nemo erit, quin sponsum ab data fide absolutum esse censeat.

Ex dictis hactenus satis superque constat, sponsalia per enumeratos hoc loco casus posse dissolvi. Id enim æquissimum est, & jure canonico sanctum, ut habeantur irrita sponsalia, quæ gravissima conjugatis importarent incommoda, si per matrimonium implerentur.

Quicquid ergo universim loquendo sponsaliorum, atque adeo matrimoniorum honestati & libertati repugnat, ad sponsalia dirimenda sufficit, ut satis enumerati hactenus casus indicant. Unde, ut ait

S. Thomas, quando apponitur (in sponsaliorum, atque adeo in matrimonii contractu) conditio pecuniæ per modum pœnæ, & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo, qui non vult matrimonium complere. Ita S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. a. 1. ad 4.

Quæ dicta sunt hactenus, pertinent etiam ad clandestina sponsalia, quæ sicut publica, possunt & contrahi & dissolvi: revera validè contrahuntur clandestina sponsalia etiam post Concilium Trident. quod quidem licèt clandestina matrimonia (quæ ante ejus decretum erant valida, sed illicita) irrita declaraverit, non tamen irritavit clandestina sponsalia, quæ cùm sponsaliorum naturam habeant, eamdem pariter cum illis vim obligandi continent, & reipsa obligant, quamdiu nulla superiorum lege rescinduntur.

Unde observandum est, clandestinum contractum de præsenti, qui juxta Concilii Tridentini decretum matrimonium non efficit, non habere vim obligandi ad futurum matrimonium, quemadmodum desponsatio impuberum per verba de præsenti juris interpretatione resolvitur in sponsalia de futuro: si neque illa impuberum desponsatio facta fuerit aliter, quàm præsente Parocho & testibus, nullam habet vim sponsalium; sin autem ad eum modum facta fuerit, tum juris interpretatione resolvetur in sponsalia de futuro, ut doctè observavit & docuit Estius ex cap. fin. extra *de desponsat. impuberum.*

Quæstio XXXVI.

Utrum qui defectibus sponsalia dirimentibus est implicatus, eos alteri parti declarare teneatur.

UT huic quæstioni perspicuè respondeatur, observandum est, esse duo defectuum genera, quorum

Primum est eorum defectuum, qui insunt uni ex contrahentibus, sive illos citra culpam, aut cum culpa habeat: qui quidem defectus seu nævi, si innotescerent, contrahendorum sponsalium flagrantem alioquin appetentiam debilitarent, imminuerent, & fortè omnino restinguerent.

Alterum genus continet eos defectus & nævos, qui non solùm sponsalia, atque adeo secuturas nuptias minùs appetendas redderent, sed etiam in alterius contrahentis perniciem redundarent.

Exempla primi generis sunt. Si mulier v. g. quæ existimatur pulchra, eximiâ scilicet oris venustate prædita, quia propter absentiam non cernitur, sit deformis; & quæ existimatur opulenta, sit ab opibus & fortunis imparata; & quæ existimatur honesta seu pudica, jam non sit virgo, sed deflorata per vim vel sponte: ita tamen ut deinceps vitam pudicitia & honestate conspicuam vivere studeat: nisi enim id tenaci proposito statueret, quas contraheret nuptias, in sponsi perniciem & infamiam vergeret.

Exempla secundi generis defectuum seu nævorum petuntur ex morbis contagiosis, ut puta morbo Neapolitano, leprâ contagiosâ, &c. Si v. g. alteruter contrahentium laboraret morbo Neapolitano, aut leprâ contagiosâ; si esset vir improbis moribus, quos emendatiori sanctiorique vitâ abdicare renueret; si denique esset vel personali vel gentilitiâ notatus infamiâ, cujus maculas honestæ alioquin familiæ inureret: hujusmodi sponsus sponsalia, atque adeo nuptias non solùm minùs appetendas, sed etiam perniciosas contraheret. His ita prælibatis, esto

Prima conclusio.

Si quis contrahens primi generis defectibus teneatur obnoxius, eos aperire non tenetur, ex nonnullorum Theologorum judicio, eo nomine, quòd sponsalia vel nuptiæ quas contraheret, non haberentur perniciosæ, & refunderentur in eum cujus intererat, utpote qui segniùs inquisiisset, vel in facultates, vel in famam mulierculæ, de cujus sponsalibus & matrimonio agebatur.

Secunda conclusio.

Si quis morbo quodam contagioso, vel infamiâ publicâ laboraret, vel profligatam & pluribus vitiis contaminatam ageret vitam, vel denique aliis defectibus & nævis ad secundum defectuum genus pertinentibus, esset implicatus, & sponsalia, atque adeo promissum inter sponsalia matrimonium contrahere vellet, tales defectus aperire, vel hujuscemodi sponsalibus nuntium remittere teneretur: utpote qui per illa de futuro contracta polliceretur matrimonium sponso vel sponsæ perniciale & pestiferum, & primario matrimonii fini ex diametro penitus oppositum. Siquidem primarius matrimonii finis ad legitimam prolis generationem non solùm, sed etiam ad ejusdem prolis sollicitam educationem institutionemque Christianam collineat. Si ergo contagioso morbo fuerit correptus, an sanam prolem procreare; si sit profligatis moribus, nec ab iis recedere velit, an eamdem ipsam prolem Christianis documentis imbuere; si denique sit publicâ notatus infamiâ, an (quod cuilibet patri necessariò præstandum est) suis liberis ad omnia virtutum genera facem præferre poterit? Ille igitur coram Deo & hominibus hujusmodi sponsalia citra peccatum, illudque gravissimum, inire nec debet, nec potest.

Ex his conclusionibus rectè colligitur, eum qui præfatos sive primi, sive secundi generis (ut suprà explanavimus) defectus patitur, ad eas redactum esse angustias, ut recusantem implere sponsalia nullo pacto ad ea implenda adigere valeat. Nam tales defectus sunt vel primi vel secundi generis: si primi generis sunt, si quis vel sponsum vel sponsam talium defectuum ignaram ad ineunda sponsalia vel absolutè, vel quod pejus est, adhibito dolo induxerit, eum ad ineundum matrimonium urgere non debet, utpote qui probabili conjectura rescisat, neminem, qui vel propositam vel sponsam quam putabat pulcram & elegantem, deformem esse, vel quam putabat opulentam, inopiâ conflictari, & quam arbitrabatur honestam & pudicam, vel vi vel sponte constupratam & dedecoratam esse, in sponsalia cum tali persona contrahenda consensurum esse.

Non potest igitur aliquis legitimè sponsalia contrahere, quin præfatos defectus secundi generis aperiat illi, ad cujus sponsalia & nuptias aspirat. Secundi generis defectus, etiamsi post sponsalia sponsorum alter inciderit, retegendos esse, in secunda conclusione demonstravimus.

Ad hujusmodi conclusionum confirmationem accedit ratio, quia scilicet cùm isti defectus reddant nuptias graves, & summopere incommodas alteri contrahenti, ipse ille contrahens semper habet jus vitandi proprium incommodum, quamvis ignoret, qua ratione sibi incommodum inferatur: ex adverso ille qui occultando notabiles defectus, quibus implicatus est, alterum contrahentem decipit, nullo jure gaudere potest. In hoc enim casu nullum est jus

decipientis in foro conscientiæ, quamvis in foro externo hujusmodi sponsalia in tali rerum articulo inita, valida quidem, sed irritanda judicarentur.

Quæres, utrum per sponsalia, quæ copula carnalis subsecuta fuerit, verè matrimonium contrahatur.

Respondeo, hujusmodi matrimonia, quæ ante Concilium Tridentinum erant valida, (eo nomine quòd in illis præsumeretur consensus, & consequenter matrimonium propter copulam sponsalia, in quibus erat consensus de futuro, subsecutam) ab eodem Concilio Tridentino esse rescissa, utpote clandestina, quæ sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, & prohibuit, & statuit in eo ipso Concilio eos, qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarent, eos sanctam Synodum ad sic contrahendum omnino inhabiles reddere, utpote quæ hujusmodi contractus irritos & nullos esse decerneret, prout decreto (in sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1. comprehenso) irritos facit & annullat.

Sed satis hactenus de sponsalibus egimus; ideo juvat aggredi ad explananda matrimonii impedimenta. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXXVII.

Quomodo dividantur impedimenta matrimonii.

Prima conclusio.

UT hæc conclusio statuatur, operæpretium est definire matrimonii impedimenta generatim sumpta, quæ quidem sunt aliquid positivum, vel negativum matrimonio præexistens, quo matrimonium jure divino vel humano invalidum, aut saltem illicitum redditur.

Hoc posito, contendimus in hac conclusione, hujusmodi impedimenta bifariàm dividi: alia quippe sunt matrimonium tantùm impedientia contrahendum; alia verò matrimonium non impedientia contrahendum solùm, sed etiam dirimentia contractum.

Quæ divisio cùm passim ab omnibus admittatur, non tam probatione, quàm explicatione indiget.

Sunt igitur impedimenta tantùm matrimonium impedientia illa, quæ efficiunt, ut matrimonium illicitè quidem, sed non invalidè contrahatur: sive illa sunt quæ impediunt quidem matrimonium contrahendum, sed non irritant contractum.

Impedimenta dirimentia sunt illa, quæ efficiunt, ut matrimonium invalidè contrahatur, attentatumque dirimatur: vel, si mavis, sunt illa, quæ non solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam invalidant contractum.

Quæres, utrum omnia impedimenta, quæ annumerantur inter prohibentia & inter dirimentia, ex una naturæ lege proficiscantur.

Respondeo, alia oriri ex lege naturali, alia autem ex jure ecclesiastico proficisci.

Ex naturali existunt ea, quæ pertinent ad essentiam matrimonii: talia sunt error, cognatio in primo gradu, impotentia naturalis, coactio, ligamen, &c.

Alia verò quæ pertinent ad matrimonii solemnitatem, dicuntur impedimenta matrimonium, contrahendum dumtaxat, impedientia & illa ex jure dumtaxat ecclesiastico proveniunt: talia sunt ista duo, prohibitio scilicet Ecclesiæ, & tempus feriatum, secundùm duos illos versus:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Impediunt (matrimonia) *fieri, permittunt facta teneri.*

Antequam ad alia impedimenta matrimonium contrahendum impedientia, pariter & contractum dirimentia, aggrediamur, juvat inquirere, quid per ista duo impedimenta matrimonium, contrahendum dumtaxat, impedientia, intelligatur. Sit itaque

Secunda conclusio.

Per Ecclesiæ vetitum primo versu indicatum, intelligitur interdictum, quo prohibet Ecclesia, ne clanculum matrimonia ineantur, vel prohibet ne sine denunciationibus contrahatur matrimonium, tametsi illis prætermissis validè contractum. Interdicti etiam nomine potissimùm hic intelligitur prohibitio hominis ecclesiastica dignitate & authoritate fulgentis, vetantis aliquod matrimonium iniri ob aliquam causam temporalem, ad sedandum aliquod scandalum, vel ad discutiendam veritatem circa aliquod emergens impedimentum, vel ne aliquæ graves rixæ, & fortè implacabiles iræ oriantur.

Ista omnia perspicua sunt, modò observetur, primam prohibitionem Ecclesiæ vetantis, ne matrimonia clanculum ineantur, non pertinere ad impedimenta matrimonium dumtaxat impedientia, sed ad dirimentia revocari: scilicet ad clandestinitatem, quæ quidem juxta Tridentini Concilii decretum, qualibet matrimonia rescindit.

Ergo si est hîc aliqua difficultas, tota versatur in denuntiationibus, seu, ut vulgò loquuntur, in bannorum proclamationibus. Sit itaque

Tertia conclusio.

Certum est, & ita constitutum ab Conciliis, futurum sponsi & sponsæ consensum in matrimonium per publicas bannorum proclamationes innotescere oportere. Quomodo autem & propter quid ita fieri oporteat, discendum est ex Concilio Tridentino, quod Lateranensis Concilii sub Innocentio Papa III. ann. Redempt. 1215. celebrati vestigiis inhærendo præcepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat; vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut præfatæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.

Hactenus Concilium præfatas sanctiones edidit, exemplo Concilii Lateran. in quo Innocentius Papa III. bannorum proclamationes, quæ in una dumtaxat Francia usurpabantur, in universa, quaqua patet, Ecclesia celebrari voluit; nec tamen eas ad matrimonii essentiam pertinere declaravit: quippe qui cum œcumenico Concilio easdem ipsas totis & novem primis Ecclesiæ sæculis (quibus ipsamet Ecclesia puriùs

& illustriùs effloruit) matrimonio nullatenus præmissas esse meminerit. Quod nihil prohibet, quominus fideles, qui cum aliquo impedimento prudentes & scientes sine legitima causa matrimonium ineunt, peccent lethaliter, utpote qui saltem præceptum Ecclesiæ in materia gravi perrumpant.

1°. Quæres, utrum à proprio duorum contrahentium Parocho hujusmodi proclamationes fieri debeant.

Respondeo id ita fieri oportere, si dicti contrahentes diversas habeant parochias: eo quòd impedimenta quæ virum ad contrahendum inhabilem redderent, laterent mulieri, & vice versâ, impedimenta quæ mulierem ab ineundis nuptiis ablegarent, ignorarentur à viro, nisi in utraque utrinsque parochia, (ubi probabiliter talia noscuntur impedimenta) ad ea tegenda fideles præfatis denunciationibus impellerentur.

2°. Quæres, utrum qui novit aliquod impedimentum occultum, illud vi denuntiationum aperire teneatur.

Respondeo, hujus quæstionis resolutionem pendere ex variis circumstantiis.

Nam 1°. qui ex uno dumtaxat auditu novit impedimentum, nec meminit, à quo vel à quibus illud fando audierit, ad talis impedimenti revelationem non obligatur: eo quòd testes de auditu alieno, qui non testantur & asserunt à quibus audierint, nihil probant, & eorum testimonium nullius momenti est, ut docet Farinacius 2. p. Praxis de testibus, quæst. 69. num. 75. & seqq. Quòd si meminerint eorum, à quibus hujusmodi impedimentum accepere, nec illi sint personæ fide dignæ, graves, non suspectæ, aut omni exceptione majores, non tenentur illud vi denuntiationum patefacere: quia hujusmodi testimonium de auditu, nullum etiam est, ut patet ex cap. *licèt ex quadam. de testibus.*

2°. Certum est, hominem qui novit occultum quoddam impedimentum ad ejus declarationem non obligari, si metuat probabiliter ingens quoddam periculum aut scandalum ex sua illa declaratione orturum, etiamsi dictum illud impedimentum probare valeat. Siquidem lex illa ecclesiastica de revelandis impedimentis matrimonii ad propulsanda plura peccata promulgata sit, in talibus tamen circumstantiis non obligat.

3°. Certum est, enim qui occultè rescîscit aliquod cujuspiam matrimonii impedimentum, quod tale est ut probari possit, ad ipsius revelationem obligari; etiamsi ortum sit ex peccato, & infamia contrahere volentibus inurenda consequatur. Quia scilicet seclusu gravi vel incommodo vel scandalo, de quo suprà, nullum periculum, nulla punitio eum ab revelatione deterrere debet: siquidem non ad punitionem criminis admissi, sed ad vitandum dumtaxat peccatum, ne admittatur, præfata revelatio collineat. Ergo ad illam astringitur vir, de quo sermo est, & reverà illam præstabit dignè Deo, si antequam cognitum sibi occultè impedimentum patefaciat, fraternæ correctionis cum debitis circumstantiis ordinem coluerit.

Hæc de bannorum proclamationibus & revelatione, quam earum vi facere necesse est ab fidelibus Christianis. Unde

3°. Quæres, quomodo sese gerere debeat Parochus, vel Ordinarius, qui ex confessione contrahentium impedimentum didicit.

Respondeo, nec Parochum nec Ordinarium uti posse scientiâ confessionis ad externos actus exercendos: ita tamen ut uterque sponsos & sponsas, si utrosque inter confitendum audiat, admonere (si admonitionem speret profuturam) & ab contrahendo avocare & deterrere teneatur.

4°. Quæres, utrum sponsis matrimonium in dicto casu petentibus Parochus denegare possit.

Respondeo, nec ipsum Parochum, nec ullum alium ab eo delegatum ipsis sponsis vel publicè vel occultè matrimonium petentibus posse denegare. Hujus rei ratio inde repetenda est, quòd ea quæ novit (Parochus aut alius) in confessione, non scit ut homo, sed ut Dei minister, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. ubi & ait, *quòd de illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed ut Dei minister, & majus est vinculum sacramenti quolibet hominis præcepto.* Hæc ibi.

Quapropter notitia per confessionem comparata nulla est, atque adeo impedimentum per unam dumtaxat confessionem cognitum, ignotum est, & quasi non nocet: ergo propter illud nulli etiam impedimento quopiam implicato, & tali per sacramentalem confessionem cognito matrimonium sive publicè, sive occultè petenti, nemo vel Parochus, vel Episcopus, si solus extra confessionem novit, impedimentum (quod nullâ viâ probari potest) denegare debet, nec potest, juxta istam S. Augustini regulam relatam in cap. *Multi.* 2. q. 1. ibi: *Nos à communione*, inquit, *quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio ecclesiastico vel sæculari nominatum atque convictum.* Hæc ibi.

5°. Quæres, quid agere debeat Parochus, cùm opponitur impedimentum.

Respondeo, Parochum in eo casu non posse ulteriùs procedere vel in matrimonio, vel in denuntiationibus, si tres nondum sint absolutæ: tunc enim rem deferre debet ad Episcopum, ad quem non ad ipsum impedimentorum cognitio pertinet, juxta cap. 1. *de consanguinitate.* ibi; sed per judices potestatem habent.

Quòd si delato impedimento ad Episcopum, sit tantùm unus testis sine ullis adminiculis, non debet, nec potest petentibus interdici matrimonium: cùm unus testis etiam in causa matrimoniali non probet, etiam quoad effectum impediendi matrimonium. Non ergo recedendum à communi jure, quod duorum testium vel unius cum magnis indiciis testimonium exigit.

Hactenus de prohibitione, quâ Ecclesia statuit, ne quis sine justa & legitima causa ineat matrimonium, quin illius celebrationi publicas bannorum proclamationes præmittat: siquidem ista prohibitio constituit primum impedimentum, quod quidem non dirimit contractum matrimonium, sed prohibet contrahendum.

Alterum ejusdem generis impedimentum constituit tempus quod feriatum dicitur: eo quòd maximis & præcipuis totius anni festivitatibus, & diebus illas antecedentibus, quos Ecclesia peragendæ potissimùm pœnitentiæ destinavit, nuptiarum solemnitas aliis alioquin cum modestia & honestate celebranda, fidelibus interdicatur. Sit itaque

Quarta conclusio.

Certis anni temporibus prohibita est nuptiarum solemnitas, ita ut eam prohibitionem nemo violare queat, quin sese lethali flagitio devinciat.

Ut astruatur hæc conclusio, aperiendum est, quibus in rebus posita sit præfata nuptiarum solemnitas. S. Thomas in 4. distinct. 32. quæst. 1. a. 5. in solut. quæstiunc. 4 Dicendum, inquit, « quòd quando sponsæ novæ traducuntur, animus « conjugum magis ex ipsa novitate ad curam car- « nalium occupatur, & ideo in nuptiis consue- « verunt signa multæ lætitiæ dissolutæ ostendi: « & propter hoc illis temporibus, in quibus ho- « mines præcipuè debent se ad spiritualia eleva- « re, prohibitum est nuptias celebrari. Hoc autem «

» est ab Adventu usque ad Epiphaniam, propter com-
» munionem, quæ secundùm antiquos canones in
» Christi Nativitate fieri convenienter solet: & à Se-
» ptuagesima usque ad octavas Paschæ propter com-
» munionem paschalem: & à tribus diebus ante
» Ascensionem, usque ad octavas Pentecostes, propter
» præparationem ad communionem illo tempore su-
» mendam.

Hactenus S. Thomas reddidit rationem, cur temporibus suo sæculo usitatis, quæ recensuit, nuptiarum solemnitas interdiceretur; sed per Concilium Tridentinum non sunt abrogata hujusmodi tempora, sed contracta, ut mox visuri sumus.

Porrò nuptiarum solemnitates positæ sunt in tribus præsertim capitibus.

1°. In benedictione earumdem nuptiarum, quam benedictionem solemniter à Sacerdote fieri oportet.

2°. In magnifica, & sic tamquam triumphali pompa, quâ sponsa in sponsi domum vel in conjugalem thorum deducitur.

3°. In oppiparis epulis, quæ cum nuptiis sunt conjunctæ, & insuper in choreis, tripudiis, & aliis lætitiæ, ut plurimùm dissolutæ indiciis, istæ solemnitates vertuntur & insistunt.

Cùm autem in his solemnitatibus multa committerentur vel peccata graviora, vel saltem leviora, ab Christianæ modestiæ decoro penitus abhorrentia, nec Ecclesia ea omni ex parte comprimere posset, certis saltem temporibus suis sanctionibus coërcere studuit, ut discimus ex Concilio Tridentino, quod quidem Ecclesiæ sanctionem de nuptiarum solemnitate certis temporibus interdicta conditam damnari sub anathematis interminatione prohibet. *Si quis dixerit* (verba sunt Concilii) *prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.* Hactenus Concilium sess. 24. de matrim. can. 11.

Ut igitur rescirent fideles, quibusnam præsertim temporibus essent interdictæ nuptiarum solemnitates, ita loquitur sacrosancta Synodus in ead. sess. 24. de reformat. matrimonii. *Ab Adventu*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria* IV. *Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit; in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut eâ quâ decet modestiâ & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium & sanctè tractandum.* Hactenus Concil. cit. sess. 24 de reformat. matrim. cap. 10. His ita positis,

Quæres, quodnam peccatum admittant, qui ipsis illis temporibus (quibus non matrimonia, sed matrimoniorum solemnitates interdictæ sunt) nuptias solemniter celebrant.

Respondeo, hujusmodi homines non posse eximi ab peccato lethali, utpote qui Ecclesiæ solemnes nuptias præfatis temporibus interdicentis præceptum violant in materia gravi. Ita docet Cajetan. in Summ. v. *nuptiarum peccata.* Ita docet & Navarrus, & alii.

Quòd autem hujusmodi statuti violatores peccent lethaliter, satis superque demonstrant graves pœnæ ob lethalia semper peccata infligi solitæ, quibus eam dicti statuti transgressionem coërceri Concilia voluerunt.

Nam Concilium Ilerdense 524. Redemptoris anno celebratum jubet eos, qui istam Ecclesiæ legem, quâ prohibetur nuptiarum solemnitas certis temporibus, infregerint, separati, id est ab fidelium communione segregari.

Et Concilium Ravennatense II. sub Clemente Papa V. id est anno 1311. celebratum, eamdem dictæ legis infractoribus excommunicationis pœnam interminatur can. 19.

Item Concilium Toletan. anno 1472. sub Sixto Papa IV. habitum, eos infractores excommunicat, & pœnâ pecuniariâ mulctat.

Concilium denique Mediolan. V. sub sancto Carolo ecclesiasticæ disciplinæ instauratore acerrimo, celebratum, interdicti pœnam ab ingressu Ecclesiæ non minatur, sed irrogat. Sic enim loquitur Constitut. part. 3. sub tit. *Quæ ad matrimonium pertinent. Ne quis*, inquit, *cujuscumque gradus conditionisve sit, statis temporibus, quibus nuptiarum solemnitates celebrari interdictum est, domum sponsam traducat, aut nuptialia convivia celebret, aliave ejus generis vetita agat.*

Qui autem per se vel alium contrà fecerit, aut ejus culpæ quovis modo particeps fuerit, is pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrat: eamque pœnam illum tamdiu sustinere volumus, quoad sponsi Episcopi jussu, separati meritas pro earum conditione pœnas dederint, arbitrio ejusdem Episcopi & interdicto liberari ejusdem judicio meruerint. Hæc ibi.

Ex his colligimus, duo tantùm esse impedimenta, quæ matrimonium prohibeant contrahendum, non autem dirimant contractum.

Primum designatur per Ecclesiæ vetitum; alterum verò per tempus feriatum indicatur. Superest quærendum, utrum alia quæ cum his duobus annumerabantur olim impedimenta, penitus exoleverint. Sit itaque

---

QUÆSTIO XXXVIII.

An impedimenta quæ inter impedimenta matrimonium contrahendum impedientia recensentur, sint jam penitus abrogata.

RESPONDEO, nullatenus esse abrogata, sed esse revocata ad impedimenta, quibus quælibet matrimonia dirimuntur. Ut plana & perspicua fiat nostra illa responsio, hic utraque impedimenta, id est tam ea quæ matrimonium prohibent contrahendum, quàm alia quæ dirimunt contractum, explanari operæpretium est.

Faciamus igitur initium ab impedimentis quæ matrimonium dumtaxat contrahendum prohibent, & hisce versibus comprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, crimina, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Hæc sunt impedimenta, quæ vulgò sunt appellata prohibentia tantùm matrimonium contrahendum, non autem dirimentia contractum.

Si quis quærat, cur S. Thomas & alii Theologi ista omnia (quæ continentur allatis versibus) impedimenta matrimonium dumtaxat contrahendum prohibentia prætermiserint, exceptis duobus, quæ in primo versu per Ecclesiæ vetitum & tempus feriatum designantur:

Respondeo, S. Thomam & alios Theologos eum secutos, ista omnia quæ percensuimus impedimenta, deditâ operâ prætermisisse, eo quòd illa (præter duo quæ diximus) ad impedimenta dirimentia reducenda esse crederent. Reverà id facilè demonstrabitur, si priùs versus, quibus indicantur impedimenta, dirimentia declarentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Ista sunt quindecim impedimenta matrimonium dirimentia, ex quo celebratum est Concilium Tridentinum, ante cujus celebrationem tredecim tantùm numerabantur.

Quòd autem ad hujusmodi impedimenta dirimentia, alia (quæ dicebantur tantùm matrimonium contrahendum prohibentia) revocentur, perspicuum est. Nam

1°. Catechismus revocatur ad cognationem, quæ est quartum impedimentum matrimonium dirimens.

2°. Sponsalia reducuntur ad ligamen, quod est nonum inter impedimenta dirimentia.

3°. Crimina revocantur ad crimen quod est quintum impedimentum dirimens. Per crimina non hîc intelliguntur crimina quælibet, sed septem illa quæ in versibus suprà recitatis attulimus, de quibus erit agendum, cùm ad quintum impedimentum dirimens ventum fuerit.

Porrò hîc agendum est de impedimentis, quibus matrimonium dirimitur: de quindecim videlicet quæ in versibus proximè recitatis observavimus. Igitur faciendum esset hujus tractationis initium ab errore personæ: (quod est primum impedimentum) sed quia jam illud edisseruimus, ad secundum, id est ad errorem conditionis (servilis scilicet) properandum est. Sit itaque

QUÆSTIO XXXIX.

Quando conditionis impedimentum dirimit, vel non dirimit matrimonium.

ANTEQUAM huic quæstioni satisfaciamus, observandum est,

1°. Servos appellari eos, quibus libertas suo arbitrio vivendi adempta est. Itaque liberis opponuntur, & ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere solerent, §. 1. *de jur. person.* l. 4. *de stat. hom.* l. 239. *de verbor. signific.*

2°. Observandum, hîc agi de viro qui ante matrimonium servus extitit, nec qualemcumque, sed plenam legalemque servitutem servit: ita ut posset vænumdari, nec sibi quicquam comparare posset; sed quicquid faceret aut moliretur, id totum in utilitatem domini, cui erat mancipatus, cederet.

3°. Observandum est, tale servorum genus ex orbe Christiano ablegatum esse legibus Imperatorum, qui Christianis ab Dæmonum servitute in veram Christi libertatem vindicatis, tam fœdam servitutem, indignam, atque adeo penitus abrogandam esse censuerunt.

4°. Denique observandum est, esse triplicem errorem conditionis servilis.

Primus est circa conditionem meliorem, quàm sit ipsa contrahentis propria; & hic conditionis error accidit, cùm servus putans se ducere servam, ducit liberam.

Secundus est circa æqualem conditionem conjugis accipiendæ cum conditione accipientis: quod accidit, cùm servus ducit servam, quam putabat liberam.

Tertius denique versatur circa deteriorem conditionem, cùm scilicet persona libera existimat eam, cum qua contrahit, esse liberam, quæ tamen est serva. Hoc posito, esto

Prima conclusio.

Solus iste tertius conditionis error, quo scilicet vir liber existimat eam, cum qua contrahit, esse liberam, cùm tamen sit serva; solus, inquam, hic error matrimonium dirimit. Hæc est communis omnium Theologorum sententia, servitutis scilicet conditionem ignoratam dirimere matrimonium; & id certum est in jure, ut patet ex cap. *si quis libertus.* ex cap. *si quis ancillam.* ex cap. *si quis ingenuus.* ex cap. *si fœmina.* ex cap. *cujus vir.* 29. q. 2.

Id etiam confirmant duo summi Pontifices, Alexander Papa III. in cap. *proposuit. de conjugio servorum.* & Innocentius Papa III. in cap. *ad nostram.* fin. in eodem titulo.

Quod quidem verum est, etiamsi post matrimonium servus sit libertate donatus: perseverat enim consensus idem, qui servi manumissionem antecessit.

Non solùm authoritate, sed etiam ratione luculenter astruitur nostra hæc conclusio: siquidem error servilis istius conditionis tollit consensum, atque adeo necessaria consecutione dirimit matrimonium, quod sine consensu in matrimonium cum certa persona libera habente sui corporis potestatem, (quam alteri contrahenti tradere tenetur) contrahendum vel contractum consistere non potest: quod in præsenti casu accidit. Cùm enim traditio potestatis, quam in sua corpora sibi mutuò tradunt contrahentes ad officia conjugalia, pertineat ad essentiam matrimonii, & servus vel serva contrahens plenam & perfectam in suum corpus potestatem, ut legitimè contrahat, tradere & vicissim eamdem in alterius contrahentis corpus potestatem accipere teneatur, nec possit, necessariò sequitur, irritum esse matrimonium hujusmodi, utpote quod consensu cum mutua corporum potestate (quam sibi sponsus & sponsa faciunt in contractu matrimonali) conjuncto careat.

Secunda conclusio.

Conditio servilis non dirimit matrimonium in tribus casibus.

1°. Cùm persona libera rescíscit alteram personam, cum qua contrahere cupit, esse servili conditione, & cum ea nihilominus init matrimonium, ratum est illud ipsum matrimonium, eo quòd cuilibet injuriam pati liceat.

2°. Quando uterque contrahens servilis est conditionis, & contrahentium alter se cum persona libera matrimonium inire existimat, ratum est matrimonium. Nulla enim ibi est inæqualitas, nec unus ab altero majorem obligationem exigere debet, quam ipse præstare valeat. Si tamen liber contrahat cum serva, quam credit esse liberam, & ita affectus est, ut vellet eam ducere, quamvis eam servam esse resciscerет, matrimonium esset irritum, quia deesset plenus consensus.

3°. Ille error, quo quis ducens liberam se servam ducere arbitratur, non facit irritum matrimonium, quia ibi nulla est inæqualitas, neque fit alteri injuria, neque error circa substantiam matrimonii versatur.

Hanc doctrinam insigniter illustrat S. Thom. in Suppl. q. 52. a. 1. ad 1. Dicendum, inquit, quòd « servitus adversatur matrimonio, quantùm ad actum, « ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, « quem non potest liberè exequi; & quantùm ad bo- « num prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex « servitute parentis. Sed quia quilibet potest in eo « quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod «

» ſubire ; ideo ſi alter conjugum cognoſcit alterius » ſervitutem, nihilominus tenet matrimonium. Similiter etiam, quia in matrimonio eſt æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, » non poteſt aliquis requirere majorem obligationem » ex parte alterius, quam ipſe poſſit facere : & propter hoc ſervus ſi contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium : & ſic patet, quòd ſervitus non impedit, niſi » quando eſt ignorata ab alio conjuge, etſi ille ſit liberæ conditionis. Et ideo nihil prohibet, inter ſervos eſſe conjugia, vel etiam inter liberum & ancillam. Hactenus S. Thomas loco citato.

Ex quo patet, matrimonium in tribus caſibus enumeratis non dirimi per conditionis ſervilis errorem, ſed tantùm per illum errorem, quo quis liber exiſtimat eam (cum qua contrahit) fœminam eſſe liberam, cùm tamen ſit ancilla, & ſervitutem ab ipſo ſponſo ignoratam ſerviat : eo quòd talis error, ut ſuprà vidimus, matrimonii ſubſtantiam attingat.

Certum ergo maneat, matrimonium per ignoratam ſervitutem dirimi : ſi enim adſit vel ſcientia ſeu notitia ſervitutis, vel ſaltem opinio, aut probabile ſervitutis dubium, ratum eſt matrimonium. Imò etiamſi adſit affectata ignorantia, ut ſcilicet cum ea potiùs fueris, & ſi inveneris eſſe mancipium, illam abjicias. Ignorantia enim affectata in eo caſu ſcientiæ proculdubio æquiparatur. Cùm enim hoc impedimentum in favorem liberi & ingenui hominis inductum ſit ab Eccleſia, iniquè profectò ingenuus commodum ex ſua iniquitate, aut affectata ignorantia reportaret.

1º. Quæres, utrum perſona ſervilis non conſentiente, imò reluctante domino, matrimonium inire valeat.

Reſpondeo affirmativè, quia ſervitus ex jure poſitivo, matrimonium autem ex jure naturali divino proficiſcitur. Cùm igitur jus poſitivum juri naturali divino officere, aut præponderare nequeat; quominus ſervus etiam repugnante domino matrimonium inire poſſit.

Objicies, ſervum eſſe rem domini ſui, & ideo non poſſe ſe ſuique corporis poteſtatem alteri tradere, quin magnam ſuo domino injuriam inferat.

Reſpondeo cum S. Thom. art. 2. cit. quæſtionis ad 1. quòd ſervus eſt res domini, quantùm ad ea quæ naturalibus ſuperadduntur, ſed quantùm ad naturalia omnes ſunt pares. Unde in his quæ ad actus naturales pertinent, ſervus poteſt alteri, invito domino, ſui corporis poteſtatem tradere per matrimonium. Quemadmodum enim, ut ait S. Thomas ibid. dominus licitè non poteſt præcipere ſervo, quòd non comedat vel dormiat ; ita etiam nec quod à matrimonio contrahendo abſtineat. Hæc ibi.

2º. Quæres, utrum vir ſe ſine uxoris aſſenſu alteri cuipiam in ſervitutem tradere valeat.

Reſpondeo, poſſe, quia vir ſubjicitur uxori in his tantùm, quæ ad actum naturæ pertinent : qua in re vir & uxor æquales ſunt : ſed iſta æqualitas ad ſervitutis ſubjectionem non porrigitur ; & ideo poteſt vir, reluctante uxore, ſeſe cuipiam in ſervitutem tradere, nec propterea dirimetur matrimonium, eo quòd nullum impedimentum matrimonio ſuperveniens illud diſſolvere valeat. Poteſt ergo vir ſervilem conditionem, reclamante uxore, amplecti, ſi juſtam id faciendi cauſam habeat : quæ ſi deſit, non poteſt ſe ſervituti ſubjicere invitâ uxore : quæ in eo caſu, quo ſe maritus ab ea ſegregat, divortium petere poſſet.

3º. Quæres, quare filii ſequantur conditionem ſeu libertatem & ſervitutem matris, non autem patris : ita ut ſint liberi, vel ſervi, ſi mater fuerit libera, vel ſerva, illo ipſo tempore quo eos concepit, vel quo eos peperit, vel tempore inter conceptionem & partum interjecto.

Reſpondeo, ita conſtitutum eſſe legibus civilibus, ut partus ſequeretur uterum, eo quòd homines per corpus in ipſo ſinu matris efformatum & ab ipſa matre ſubminiſtratum vel libertatis, vel ſervitutis officia exerceant : ideo proles in libertate & ſervitute ſequitur matrem, non autem patrem. Licèt enim pater ſit dignius principium matre, mater tamen ſubminiſtrat ſubſtantiam corporalem : ex parte cujus attenditur conditio ſervitutis. Hac igitur in parte filii ſequuntur matrem, ſed in iis quæ pertinent ad dignitatem & rationem ſpeciei, ut loquitur S. Thomas cit. quæſt. ſequuntur patrem, ut conſtat ex cap. *licet. de conjugio ſervorum.* Revera in honoribus & municipiis & hæreditate, & aliis hujuſmodi filii ſtant à partibus patris : utpote qui pulchrè calleant, ſuos honores, & præcipua quibus potiuntur, bona, ex parte ſic tamquam ex fonte in ſe velut in rivulos derivari. De his ſatis. Jam ergo properandum eſt ad tertium impedimentum, votum ſcilicet. Sit itaque

---

Quæstio XL.

Quid ſit votum.

Recta definitur votum, voluntaria & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo meliori bono.

Ut intelligatur iſta definitio, obſervandum eſt ex S. Thoma, ad votum tria neceſſariò requiri.

1º. Deliberationem.

2º. Propoſitum voluntatis.

3º. Promiſſionem. Ita S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 1. in corp. ubi & ait, promiſſionem (in qua perficitur ratio voti) procedere ex propoſito faciendi : propoſitum autem aliquam deliberationem præexigere, cùm ſit actus voluntatis deliberatæ.

Rectè igitur definitur votum generatim ſumptum, voluntaria, &c. cujus definitionis partes ſingillatim diſcutere neceſſe eſt.

1º. Igitur votum generatim ſumptum, dicitur promiſſio, id eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio de re poſſibili, bona, & illi ipſi, cui promittitur, grata. Quæ omnia cùm cadant in votum univerſim acceptum, rectè promiſſio nominatur.

2º. Votum dicitur promiſſio voluntaria, id eſt ex libera voluntate profecta. Si enim eſſet involuntaria, & errore vel dolo circa ejuſdem voti ſubſtantiam, vel cauſam finalem, vel metu cadente in conſtantem virum, & ab cauſa libera & morali extrinſecùs incuſſo, vel denique coactione, hujuſmodi promiſſio eſſet extorta ; atque adeo votum penitus irritaret.

Dicitur etiam voluntaria hujuſmodi promiſſio, eo quòd ſine voluntatis propoſito conſiſtere nequeat. Unde

Quæres, utrum ille veri nominis votum emitteret, qui animo vovendi aliquid promitteret Deo, nec ſuum implendi promiſſum voluntatem haberet.

Reſpondeo hujuſmodi (quod vir ita affectus emitteret) votum, fore veri nominis votum : & quamvis tali voto graviter peccaret in Deum, utpote ridicula promiſſione laceſſitum ; ad perſolvendum tamen votum obligaretur, quia ſicut non eſt de eſſentia voti, vel promiſſionis, quòd res promiſſa præſtetur ; ita nec de ejus eſſentiali ratione eſt, quòd promittens promiſſa præſtandi animum habeat;

habeat; sed satis est, quòd habeat voluntatem sese alteri obligandi. Ita qui vovet eo, quo proposuimus modo, id est qui animo vovendi aliquid pollicetur Deo, reipsa votum facit, & Deo sese obligat, eo quòd votum suapte naturâ sit promissio, & promissio promittentem obliget & devinciat.

3°. Votum dicitur promissio deliberata, hoc est, deliberatio requiritur ad votum, sicut & ad promissionem. Cùm autem deliberatio sit actus intellectus inquirentis & ponderantis media, de quorum delectu agitur, servato ordine finis, ad quem deliberans collimat; certum est, nullum posse actum humanum & moralem exeri, quin matura deliberatio de mediis ad eum quem sibi quispiam proposuerit, finem assequendum idoneis, præcesserit. Quod cùm in omnes humanos actus cadat, utcum maximè cadit in votum, quo quis se Deo obstringere meditatur.

Quæres, quanta requiratur deliberatio ad votum nuncupandum.

Respondeo, tantam requiri, quanta ad peccatum mortale perpetrandum exigitur: non ergo requiritur diuturna deliberatio, quâ diu multumque circumspiciuntur omnia difficilia & ardua, vel alia id genus, quæ votum sunt consecutura, vel consequi poterunt; sed sufficit, quòd is qui votum nuncupat, rem bonam & Deo gratam ex animo polliceatur, & se vovere animadvertat & cupiat.

4°. Dicitur votum promissio facta Deo: cùm enim votum sit actus religionis & latriæ, quæ debetur & exhibetur uni dumtaxat Deo, ita ut alteri citra immane idololatriæ crimen, adhiberi nequeat; necessariò concludendum est, uni dumtaxat Deo vota posse nuncupari.

Si quis objiciat, etiam Sanctis, ut puta Deiparæ, sanctis Apostolis & Martyribus, & aliis vota nuncupari, ut constat ex Eusebio Cæsariensi lib. 13. Præparat. Evang. cap. 11. ubi sic loquitur: *Martyres*, inquit, *vera pietatis milites appellaveris: nam & eorum sepulcra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus, idque à nobis meritò fieri statuimus.* Quod & probari potest ex Theodoreto & Gregorio Turonensi lib. 2. Histor. Franc. cap. 37.

Respondeo, votum soli Deo fieri, sed promissionem etiam fieri posse homini, & ipsam promissionem boni, quæ fit homini posse, cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum: & per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid Sanctis vel Prælatis, ut ipsa promissio facta Sanctis vel Prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel Prælatis promittit, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3.

Item S. Thomas in 4. distinct. 38. q. 1. a. 1. in solut. quæstiunc. 1. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd votum non fit Sanctis, nisi secundum quòd per suffragia sunt mediatores inter nos & Deum, sicut & oratio ad Sanctos fit. Et ideo omne votum principaliter ad Deum reducitur, sicut & oratio.* Hæc ibi.

Si quis igitur dicat se promittere, imò etiam vovere virgini Deiparæ, S. Augustino, aut aliis Cælitibus; non sic accipienda sunt ejus verba, quasi per votum quod nuncupat, latriam uni Deo debitam Deiparæ vel Sanctis impenderet: (hoc enim esset immane flagitium) sed quemadmodum in incruento Ecclesiæ Catholicæ sacrificio, quod uni Deo offertur, coluntur Sancti, & afficiuntur honore quodam sine ullo latriæ uni dumtaxat Deo debitæ dispendio: ita etiam in voto quod soli Deo nuncupatur, aliquem ab voventibus honorem latriâ multò inferiorem accipiunt: quippe qui adhibentur in votis vel ut testes, vel ut patroni & intercessionis mediatores, quorum suffragiis & interventu flagitamus auxilia, quorum beneficio implere valeamus, quod Deo vovimus, & ipsis inter vovendum promisimus.

Si quis igitur dicat, Promitto, aut etiam voveo S. Augustino, ô Prælate, obedientiam, castitatem, paupertatem: hujusmodi actus est actus latriæ, sive religionis, & votum propriè dictum respectu Dei: respectu aliorum, id est respectu Sanctorum & Prælati, est nuda promissio, quâ promittit se persoluturum ire votum quod ipsi Deo nuncupavit; ita ut ista promissio respectu Sanctorum pertineat ad duliam, quæ est religiosa submissio, & observantia quæ magnam habet cum religione affinitatem, & respectu Prælati sit honor & latriâ & duliâ inferior, qui defertur superiori propter sacræ dignitatis gradum, in quo est ab Ecclesia Dei collocatus.

5°. Dicitur promissio de meliori bono. Hanc partem Doctores interpretantur bifariàm. Nam alii, & inprimis S. Thomas sic hac de re loquitur: Si votum accipiatur secundùm propriam sui rationem, est propriè de bonis illis, ad quæ non omnes tenentur, quæ supererogationis sunt; & ideo dicuntur meliora bona, quia superadduntur illis bonis, sine quibus non est salus. Et ideo votum propriè acceptum dicitur esse de meliori bono. Unde & ibidem ait, votum à Jacob emissum Genes. 28. magis fuisse recognitionem quamdam obligationis, quàm obligationis causam, & ideo non posse propriè, sed largo modo votum appellari. Vel dicendum, inquit, quòd votum Jacob non fuit de eo quod erat necessitatis, sed de speciali modo cultûs per altaris constructionem & decimarum exhibitionem, & ideo fuit de meliori bono. Hactenus S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 1. in sol. quæstiunc. 1. in corp. & ad 1.

Alii præfatæ definitionis partem hanc (*de meliori bono*) sic explicant, ut asserant, non esse ita intelligendam, ut quicquid vovetur, oporteat esse optimum, sed sufficere ut sit melius quàm ejus oppositum, id est materia voti, quam Deo gratam esse oportet, debet esse melior & acceptior Deo quàm res ipsi opposita: v. g. castitas perpetua est idonea voti materia, quippe quæ melior & præstantior est matrimonio, quod illi propter conjugale commercium è diametro repugnat.

Cùm autem dicimus, votum fieri oportere de meliori bono, non asserimus, fieri oportere de meliori bono simpliciter, ut sit votum secundùm generalem voti rationem, sed ut est actus religionis. Vovendum est enim, quod est Deo gratum, quodque melius est facere quàm omittere, ut observavit Estius ad dist. 38. lib. 4. Sentent. §. 1.

Inde rectè & theologicè concluditur, omnia, quantumvis bona & impossibilia, non posse Deo voveri: v. g. non potest votum nuncupari de vitando penitus veniali peccato: est enim definitum ab pluribus Conciliis, & inprimis ab Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. neminem posse, in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia. Licèt igitur peccata venialia vitari possint distributivè, id est singula, non tamen de iis penitus evitandis potest emitti votum, eo quòd collectivè sumpta, id est omnia, in eo quo versamur statu, vitari nequeant.

2°. Non potest suscipi votum de re mala seu illicita, quod est factitatum ab quadraginta viris & pluribus, qui, ut narratur Act. cap. 23. devotione devoverunt se nihil gustaturos, donec occidissent Paulum. Unde hujusmodi vota non solùm sunt irrita, sed etiam supra quàm dici potest, Deo exosa, & cùm referventi sacrilegio conjuncta.

3°. Ab voti materia secluduntur res indifferen-

tes, quia voveri tantùm debent ea, quæ ad Dei cultum pertinent, & sunt de meliori bono, id est Deo gratiora, quàm sint eorum opposita, quæ duo in res indifferentes non cadunt.

4°. Voveri non possunt absolutè loquendo ea, quæ ab majori & nobiliori bono deterrent & avocant, ut matrimonium inire: nam matrimonium labefactat nobiliorem statum castitatis.

Dixi, absolutè loquendo: nam respectivè, id est respectu hominis, qui connubio ad comprimendos effrenatæ libidinis impetus indigeret, id est, cui melius esset nubere quàm uri, posset intueri matrimonium velut idoneam voti materiam eo nomine, quòd ipsius respectu satius esset uxorem ducere, quàm in cælibatu cum verisimillimo æternæ damnationis periculo vivere.

Hactenus explanavimus singulas definitionis partes, quâ votum dicitur voluntaria & deliberata promissio facta Deo de meliori bono. Sed antequam huic quæstioni finem imponamus,

Quæres, utrum de rebus ad æternam salutem assequendam necessariis vota rite nuncupari valeant.

Respondeo, de hujusmodi rebus vota propriè dicta emitti posse. Si enim juxta Dialecticæ regulas, cui convenit definitio, convenit & definitum nomen; quid prohibet quominus promissionem, quam Deo vovemus in ipso baptismo esse veri nominis votum, ut demonstravimus in dissertatione de baptismo. Siquidem illa promissio est voluntaria, est deliberata, est Deo facta, & denique est de meliori bono, id est ut paulò antè diximus, melior est, quàm sit res illi opposita, id est istius promissionis omissio.

Quidquod, S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 2. in c. affirmat illud, quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadere quidem sub voto, in quantum voluntariè fit, non autem in quantum est necessitatis. Et ibid. ad 1. cùm sibi objecisset, votum non solùm fieri de his quæ pertinent ad salutem, eo quòd in baptismo voverent homines abrenuntiare diabolo & pompis ejus, & fidem servare secundùm Glossam super illud Psalm. 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro.*

Ita respondet: *Ad primum ergo dicendum, quòd hoc modo sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis Diaboli, & fidem Christi servare, quia voluntariè fit, licèt sit de necessitate salutis.*

Objicies: Idem S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. in solut. quæstiunc. 1. dicit, rectè dividi votum in singulare & commune, quod ita vocatur eo quòd fiat de rebus, ad quas omnes obligantur. Et addit in responsione ad 3. quòd transgressio voti communis non facit speciale peccatum, sed addit peccato specialem deformitatem; magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati, quàm non baptizatus, ut patet Hebræor. 10. *Quantò putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit.* Et ideo non frustra emittitur, cùm aliquam obligationem addat; sicut lex scripta addit aliquam obligationem supra legem naturæ, & ita non facit aliud peccatum, sed novam deformitatem addit. Hæc ibi S. Thomas.

Iste sancti Doctoris locus nihil officit nostræ assertioni: siquidem sanctus Doctor fatetur per infractionem voti, quod in baptismo emittitur, non admitti quidem speciale peccatum, sed peccatum quod admittitur, intra eamdem speciem relictum aggravari. Quod nihil nostræ responsioni adversatur. Nam est quæstio dumtaxat de nomine: si enim novam deformitatem peccato inurat votum in baptismo emissum, & hujusmodi deformitas alteri peccato (quod in voto singulari admitteretur) sit æquiparanda, nonne perinde est, ac si duo peccata committerentur. Et ideo quid prohibet votum baptizatorum appellari veri nominis votum, cùm reipsa sit voluntaria & deliberata promissio facta Deo de meliori bono.

Si objicias, hanc voti circumstantiam esse aperiendam in sacramentali confessione:

Respondeo, id non requiri, siquidem omnes Confessarii norunt neminem confiteri, quin per Christi baptismum sit regeneratus.

Quæstio XLI.

Quomodo dividatur votum.

Respondeo, dividi ratione materiæ & ratione modi, seu formæ.

1°. Ratione materiæ est votum paupertatis, obedientiæ & cæterarum virtutum & actionum verè Christianarum. Item alia sunt vota de rebus ex præcepto obligantibus, & alia de rebus ad supererogationem pertinentibus.

2°. Ratione modi & formæ dividitur votum in simplex & solemne. Votum simplex est quodcumque votum, quod nec emissum est in professione ordinis cujuspiam ab Ecclesia legitimè approbati, nec susceptum per receptionem ordinis sacri.

Votum solemne est votum annexum monasticæ professioni & ordini sacro: & hoc votum differt à simplici, quòd simplex votum sit nuda promissio Deo facta sine sui traditione; solemne verò continet promissionem conjunctam cum sui traditione ad ea præstanda quæ promittuntur, ut patet in iis qui sacrum ordinem suscipiunt.

3°. Votum subdividitur in privatum & publicum, ita ut publicum ab solemni, & privatum ab simplici differat, & utrumque & simplex & solemne fieri possit. Porrò publicum illud est, quod suscipitur coram testibus, per quos probari, & in publicam notitiam erumpere valeat. Privatum verò illud est, quod clanculùm remotis testibus & arbitris nuncupatur.

4°. Dividitur votum in reale, personale, & mixtum.

Votum reale est promissio Deo facta, quâ vovens aliquod pietatis opus vel per seipsum, vel per alterum executurum esse pollicetur.

Personale est promissio, quâ quis sese Deo ad aliquam actionem, functionem aut officium ab sua ipsius persona præstandum, v. g. ad castitatem perpetuam, id est toto vitæ curriculo servandam, aut ad aliquid simile obligat.

Mixtum ex reali scilicet & personali voto constatum illud est, quo non solùm vovens aliquid Deo promittit, sed etiam illud ab semetipso, non ab alio præstitum iri pollicetur. Si quis v. g. voveat profectionem ad ædem Lauretanam, vel ad sacellum Deiparæ quæ vulgò Lætiensis dicitur, & inter vovendum, lychnum argenteum aut aliud quodpiam donarium ab semetipso illò deportandum polliceatur, mixtum ille votum, atque adeo suæ ipsius personæ opera & officio & promissi donarii oblatione persolvendum nuncupaverit: ita ut si vovens decesserit antequam exolverit votum, ejus hæredes post aditam hæreditatem mixtum illud votum, non quà personale est, sed quà est reale, adimplere teneantur. Ad hæredes enim voti realis obligationem transire declarat c. *ex parte. de censibus.* & l. 2. ff. *de pollicitatione.* si fortè qui bonorum decimam vovit, decesserit, &c. Hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est. Voti enim obligationem ad hæredem transire constat, quia hæres voluntariè adeundo & acceptando hæreditatem defuncti, sicut commoda ejus, & omnia jura acquirit, ita etiam onera & debita seu reales obligationes (inter quas votum reale reponitur) suscipit.

5°. Votum dividitur in singulare & commune. Singulare dicitur illud, quo quis promittit se aliquid executurum, quod ad supererogationis opera pertineat, qualis est perpetua castitas, & aliquid id genus. Commune illud est, quo quispiam voluntariè & deliberatè vovet, se servaturum vel aliqua vel omnia Decalogi præcepta, ad quorum observantiam omnes nullo discrimine fideles & infideles obligantur: sive vovens velit eo voto, sic tanquam altero vinculo, seipsum constringere, ut arctiorem sibi præcepta servandi necessitatem faciat: sive non intendat sibi novum vinculum injicere, sed tantùm declarare & profiteri debitum, quo jam antè tenebatur.

6°. Aliud est votum absolutum, quod sine ulla conditionis appositione emittitur. Aliud est etiam conditionale, conceptum scilicet cum particula, si, vel alia æquipollente, quâ suspenditur voti præstatio, usquedum conditio impleatur.

7°. Votum conditionale subdividitur in pœnale, quod fit appositâ pœnâ, si votum infringatur; & non pœnale, quod fit sine ullius pœnæ appositione, si illud violari contingat.

8°. Dividitur votum in temporarium, id est obligans ad tempus, & perpetuum, quod voventem ad sui præstationem per totum vitæ tempus obligat.

9°. Votum dividitur in votum tacitum, quod nuncupati censetur eo ipso quòd suscipitur aliquid, cui est annexum; ut votum castitatis censetur emitti, cùm aliquis sacrum ordinem (cui est annexum) suscipit: & in expressum, quod videlicet expressis verbis intrinsecùs vel extrinsecùs prolatis emittitur.

Has voti divisiones strictim attingere placuit, quia alibi prætermissæ fuerant. Nunc igitur ut ad rem nostram, à qua tantillùm sumus digressi, revertamur, hîc nobis agendum est de duobus voti generibus: de simplici scilicet & de solemni voto, an scilicet utrumque vel alterutrum inter impedimenta matrimonii annumerari debeat. Sit itaque

---

Quæstio XLII.

Utrum votum simplex impediat matrimonium contrahendum; & quid sentiendum de illis qui emisso simplici castitatis voto, matrimonialem contractum ineunt.

Prima conclusio.

CERTUM est, votum simplex, quod ante matrimonium nuncupatum est, ipsum impedire matrimonium contrahendum, non autem dirimere contractum.

Hæc conclusio probatur ex illo Apostoli loco, quo sic monet charissimum sibi Timotheum: *Adolescentiores autem viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. ad Timoth. cap. 5. v. 11. & 12. Hisce verbis Apostolus carpit zelo apostolico viduas, quæ abdicato repetendi connubii jure, Christo sponso se devoverant & consecrant, mox titillante eas pristina libidine ferociunt ac lasciviunt in contumeliam Christi, cujus jugum cupiunt excutere, & ad secundas nuptias convolare gestiunt, æternis ideo suppliciis addicendæ, quòd fidem Christo per professionem castitatis obstrictam, irritam faciunt, & ideo damnandæ & duplici nomine notandæ, & quòd dictam castitatis professionem amplectantur & suscipiant temere, non satis exploratis viribus, & ab suscepta immani sacrilegio resiliant.

Ex hoc Apostoli loco patet, quasdam viduas, quæ votum castitatis emiserant, datam Christo fidem violasse, & rursus matrimonii jugum subiisse, vel certè subire voluisse, quas tamen non damnat Apostolus, quasi adulterinum iniissent, aut inire voluissent matrimonium; sed quia primam fidem quam Christo per votum de servanda castimonia dederant, fecerant irritam. Unde colligitur, votum simplex matrimonium quidem prohibere contrahendum, sed non dirimere contractum.

Inde igitur patet, matrimonium per simplex votum prohiberi contrahendum, sed non dirimi contractum. Nemo enim legit aut legere potuit nuptias viduarum, quæ castimoniæ votum per initum matrimonium aut per ineundi matrimonii voluntatem infregerant, fuisse irritas: neque enim votum earum erat solemne, quale est hodiernarum virginum, quæ vitam monasticam solemni ritu profitentur: sed erat votum simplex, ut testantur sancti Patres plerique omnes & Theologi cum S. Thoma citatum Apostoli locum interpretante. Quod & Augustinus multis ante sæculis docuit lib. de bono viduit. cap. 8. *In virginali & viduali continentia,* inquit, *excellentia muneris amplioris expetitur, quâ expetitâ & electâ, & voti debito oblatâ, jam non solùm capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est.* Idem August. in Psalm. 75. *Quid est,* inquit, *primam fidem irritam fecerunt? id est, voverunt, & non reddiderunt.* Idem repetit S. Aug. in lib. de sancta virginit. cap. 33. & 34. Idipsum sentit Innocentius Papa I. in Epist 2. cap. 12. & 13. Idem testatur & decernit Concilium Carthagin. IV. (cui sanctus Augustinus ut ejus anima interfuit) sic enim decernit de viduis quæ infracto castimoniæ voto, quo se Christo sic tanquam sponso devoverant, fastidiebant Christum, ut secundas cum homine mortali nuptias contraherent. De talibus, inquam, viduis ita statuit præfatum Concilium can. 104. in hæc verba concepto: *Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia & præceptione custodiendam est. Ut si qua vidua quantumlibet adhuc in minoribus annis posita & maturâ ætate à viro relicta se devoverunt Domino, & veste laïcali abjecta sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias sæculares transierint, secundùm Apostolum, damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt.* Hactenus citatus canon Concilii Carthagin. IV.

Hujusmodi ergo viduæ castitatis servandæ votum, ut vidimus, & illud simplex emiserant: & tamen inierunt vel inire voluerunt ea matrimonia, quæ nec Ecclesia, nec ullus ex SS. Patribus umquam irrita declaravit. Unde S. Epiphanius in hæresi Apostolicorum, quæ est numero 61. hujusmodi matrimonia vel ab viduis, vel ab virginibus inita, graviter quidem reprehendit, rata tamen & vera esse conjugia satis apertè significat. Item S. Cyprianus lib. 1. Epist. 11. Item Innocentius Papa I. Epist. 2. cap. 13. S. Augustinus lib. de sancta virginit. cap. 13. Et hoc satis superque testificatur Ecclesia, quippe quæ hujuscemodi matrimonia nunquam diremisse legitur, sed tantùm imposuisse pœnitentiam iis quæ infracto castitatis voto, quo Christum in sponsum asciverant, ea contraxerant, ut constant ex citato canone 104. Concilii Carthagin. IV.

Ex dictis hactenus colligitur, per simplex votum matrimonium prohiberi contrahendum, non autem dirimi contractum. Jam ergo discutiendum est, quid de personis talia matrimonia ineuntibus sentire oporteat. Sit itaque

De Sacram. Fff ij

Secunda conclusio.

De hominibus, qui emisso servandæ castitatis voto, matrimonium inierunt, statuendum & sentiendum est, quod statuere canones, & graves Theologi docuerunt.

1°. Nemo Theologus dubitat, quin ii qui post votum castitatis emissum, matrimonium ineunt, peccent mortaliter, quia qui matrimonium ineunt, volunt utplurimùm consummare matrimonium, quæ consummatio repugnat omni ex parte voto castitatis, atque adeo virum talis voti reum in lethale peccatum implicat, & ideo illum gravem pœnitentiam agere oportere, declarat Innocentius Papa I. cit. jam Epist. 2. cap. 13.

2°. Certum est, eum qui post simplex castitatis votum duxit uxorem, nunquam posse ab illa petere conjugale debitum, quia semper votum obligat, & semper is, qui illud emisit, illud debet servare, quatenus potest. Hoc est definitum cap. *quidam.* & cap. *placet. de convers. conjugator.*

3°. Juxta S. Thomam in Supplem. q. 53. a. 1. ad 3. *Ille qui contrahit matrimonium per verba de præsenti, post votum simplex, non potest cognoscere uxorem suam sine peccato mortali, quia adhuc restat illi facultas implendi votum continentiæ ante matrimonium consummatum: sed postquam matrimonium consummatum est, illi jam factum est illicitum non reddere debitum uxori exigenti; tamen ex culpa sua: & ideo ad hoc obligatio voti non se extendit; tamen debet per lamentum pœnitentiæ recompensare pro continentia non servata.* Hactenus S. Thom. loco cit.

Qui ergo post votum simplex matrimonium absque legitima dispensatione consummavit, post consummationem matrimonii tenetur reddere debitum, sive formaliter, sive interpretativè petatur. Quod præclarè docet S. Thomas q. & art. cit. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd quantum ad ea, in quibus non est factus impotens votum continentiæ servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum: propter quod mortuâ uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex vinculo matrimonii non obligatur ad debitum petendum; ideo non potest petere debitum sine peccato: quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam præcedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier expressè petat, sive interpretativè, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti: tunc enim sine peccato reddere potest, & præcipuè si ei timet de periculo castitatis. Nec obstat, quod non sunt pares in matrimonii actu: quia quilibet potest hoc quod suum est, abrenuntiare. Quidam tamen dicunt, quòd potest & petere & reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium uxori semper exigenti, sed si rectè inspiciatur, hoc est exigere interpretativè.* Hactenus S. Thom. loco cit.

4°. Votum castitatis præcedens, non extinguitur per subsequens matrimonium. Triplex enim ejus effectus manet.

Primus est, si conjux vovens cum alia fornicetur, non solùm reus erit adulterii; sed præter adulterium, sacrilegium in violatione voti admiserit.

Secundus, tenetur sub mortali abstinere à debiti petitione, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi: per illud enim vovens semper & pro semper tenetur abstinere ab omni actu conjugali. Præterea matrimonium non absolvit ab præcedentis voti obligatione, nisi quatenus matrimonio cogit contravenire, ut probat textus cap. *quando. de jurejurand.*

Tertius, altero conjuge defuncto, qui vovit, ad servandam castitatem penitus obligatur, quia jam cessavit fortius matrimonii vinculum, quod cogebat copulæ vacare, reddendo debitum. Ita sentiunt & docent S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. in solut. quæstiunc. 2. ad 4. Et ibid. S. Bonaventura art. 2. q. 1. fine, & dist. 32. in princip. in exposit. litteræ, & alii bene multi.

5°. Si unus conjugum ex alterius consensu voveat continentiam, neuter, id est tam is qui vovit, quàm is qui in votum consensit, potest vel reddere vel exigere debitum conjugale: si enim qui se voto continentiæ obstrinxit, vel petat vel reddat illud debitum, emissum à se votum violat: similiter nec alter petere potest, nec reddere illud ipsum debitum absque peccato lethali, quia renuntiavit suo juri, cùm alteri conjugi vovendæ continentiæ facultatem impertiit: atque adeo non potest illi vel præfatum reddere debitum, vel ab illo exigere, quin illi peccati lethalis proximam occasionem præbeat, atque adeo sese lethali flagitio constringat. Inde colligitur, à fortiori, neutrum conjugem sine peccato lethali posse reddere vel exigere debitum, si uterque ex mutuo consensu votum continentiæ nuncupavit: quia uterque per votum ex libero consensu emissum, suum jus per contractum matrimonialem acquisitum sibi sponte & ultro abjudicavit.

6°. Si post contractum matrimonium alteruter conjugum sine ullo alterius assensu voveat continentiam, peccat mortaliter; votum tamen est validum, ac propterea numquam ei licet debitum exigere; vel novum matrimonium attentare, licet tamen exigenti alteri reddere debitum, quia non potuit se altero inconsulto eximere ab ejus rei solutione, quæ ipsi jure debita est; id enim solùm quod erat in ejus potestate, Deo per votum promittere potuit.

Hactenùs de voto simplici conjugatorum, quod quidem contrahendum dumtaxat matrimonium impedit. Ex hujus quæstionis solutione nascitur difficultas de voto castitatis ab Deipara Virgine emisso, utrum scilicet prohibere potuerit, ne sancto Joseph matrimonio jungeretur. Sit itaque

---

Quæstio XLIII.

Utrum, & quando Virgo Deipara virginitatis votum emiserit, & utrum illud votum absolutum, vel conditionatum fuerit.

Prima conclusio.

VIRGINEM Deiparam votum castitatis emisisse, antequam ab Angelo ipsi mysterium Incarnationis annuntiante salutaretur, constanter sancti Patres asserunt.

Hæc conclusio duo affirmat. Primum est, Virginem Deiparam votum castitatis emisisse. Alterum est, hujusmodi votum Angeli Incarnationis mysterium annuntiantis salutationem antecessisse. Quod spectat ad primum, astruitur authoritate S. Augustini in lib. de sancta virgin. cap. 4. sic loquentis: *Exemplo sanctis futura virginibus (Maria) virginitatem Deo dicavit, cùm adhuc quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno mortalique corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate serviendi.* Hæc ibi S. Augustinus.

Idem affirmat V. Beda in serm. de Annuntiat. Domini: *Verè*, inquit, *gratiâ plena, cui divino munere collatum est, ut primo inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.*

Idipsum asserit Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. ad istum cap. 4. versiculum, *In uno crine colli tui: Dicunt*, inquit, *& verè dicunt amici, quia votum egregium Deo prima vovisti votum virginitatis.*

Item S. Bernardus Hom. 2. super *Missus est*, cap. vel n. 1. *Dedis Virgini partum, qui ei jam antè & virginitatis inspiraveras votum, & humilitatis prærogaveras meritum.* Hæc ibi.

His & pluribus aliis (quibus supersedeo) Patrum testimoniis accutibus, Virginem Deiparam (etsi dedicatæ Deo virginitatis voto religatam) matrimonio jungi oportuisse, non una, sed multiplex ratio suffragatur, ut postea videbimus.

Quod spectat ad alteram conclusionis partem, quâ contendimus, votum castitatis ab Deipara Virgine fuisse nuncupatum, antequam ab Angelo Incarnationis internuntio salutaretur, nullo negotio SS. Patrum authoritate astruimus. Nam

1°. S. Augustinus in lib. de sancta virginitate cap. 4. ea de re sic prædicat: *Ipsa quoque virginitas ejus* (Mariæ) *ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba quæ sibi partum Angelo nuntianti reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro quod illa jam voverat.* Hæc ibi S. Augustinus.

2°. S. Gregorius Nyssenus Basilii Magni frater eximius, idipsum confirmat orat. in diem natal. D. N. J. C. sic enim loquitur: *In utero, inquit Angelus, concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Quid autem Maria? Audi pudicam virginis vocem. Angelus partum nuntiat: at illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ demonstrationi anteponendam judicat; nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi mihi, inquit, consuetudine viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?* Et paulò pòst. *Si enim liberorum causâ ducta fuisset à Joseph, quomodo parituram Angelo prænuntianti se rem novam & alienam audire præ se tulisset, cùm ipsa quoque sese obstrinxisset naturæ lege, ut aliquando mater esset? Verùm quia carnem Deo consecratam, tamquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præstare, idcirco, licet, inquit, Angelus sit, licèt è cælo veniat, licèt id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Joseph enim sponsum novi, sed virum non cognosco.* Hactenus S. Gregorius Nyssenus loco cit.

3°. Idem docet S. Anselmus explicans illa verba: *Intravit Jesus in quoddam castellum. Beata Virgo*, inquit, *meritò mirata est, & sciscitata ab Angelo, quomodo, &c. quia quamvis desponsatam, tamen se numquam nupturam, neque virum cognituram certissimè sciebat.* Ita S. Anselmus, qui sic loquitur propter votum quod ipsa Virgo, antequam ab Angelo salutaretur, emiserat.

4°. S. Bernardus Hom. 4. super *Missus est*, id liquidò contestatur. *Deo*, inquit, *persuadente, & confirmata fide, scilicet depellente timorem, lætitiâ verecundiam, dixit ad Angelum, Quomodo fiet istud, &c. non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem: non enim quærit, an fiet istud; sed quomodo: quasi dicat: Cùm sciat Dominus meus testis conscientia mea, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò virgo concipiam, virgo & pariam; quod utique, si placuerit ei, impossibile non erit; tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hactenus S. Bernard. Hom. cit. num. 3.

Secunda conclusio.

Votum perpetuæ castitatis ab Deipara Virgine emissum, fuit absolutum, seu nulla conditione restrictum.

Quia decebat Virginem, quæ sic tamquam virginum primiceria virginitatis vexillum extulit, perfectissimum emittere votum, quod universæ virgines secuturis temporibus castimoniam Deo, voto vel simplici vel solemni consecratam professuræ, sic tamquam absolutissimum votorum archetypon & intueri & imitari possent. Ergo hujusmodi Virginis votum absolutum esse debuit, seclusa qualibet conditione, quæ quamdam voto imperfectionem imprimit.

Præterea supervacanea fuisset illa conditio, quæ qualibet in re semper intelligitur. Revera ista conditio (nisi Deus aliter juberet vel revelaret) subauditur in omni proposito, promissione & voto, quod Deo nuncupatur. Cùm ergo nullam aliam conditionem præter istam B. Virgo suo voto addere potuerit, sequitur illam futuram fuisse inutilem & superfluam; & ideo ab ipsa Virgine suam virginitatem vovente non esse adhibitam.

Porro ista conditio videtur abhorrere ab altissima humilitate Virginis, quæ de se tam demissè sentiebat, ut se existimaret penitus indignam, cui Deus aliquid vel de se, vel de aliis revelaret.

Fuit igitur votum B. Mariæ suam Deo nuncupantis virginitatem, absolutum, ut patet ex verbis, quibus affata est Angelum sibi mysterium Incarnationis annuntiantem, & divinæ maternitatis gloriam promittentem. Quorsum enim (si addiderat voto suo hanc conditionem, Nisi Deus aliter jusserit, aut revelaverit, aut inspiraverit: quorsum, inquam, diceret, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nam statim respondisset Angelus, Emisisti quidem votum, sed jam non teneris voto, siquidem Deus, à quo ad te sum allegatus, se aliter jubere & revelare meo ministerio patefacit.

Huc accedit, quòd nullus veterum ita votum Virginis distinxit, ut illam, antequam cum S. Joseph matrimonium contraheret sub conditione, inito autem matrimonio absolutè vovisse asserat: cùm plerique omnes & veteres & recentiores Theologi contendant, præfatum illud virginitatis votum ab ipsa Virgine, antequam S. Joseph conjux fieret, esse nuncupatum, ut suprà probavimus. Ex SS. Patribus & ex Theologis probare possemus, nisi properandum esset ad alia.

Si quis objiciat textum Augustini, quem affert Magister Sententiarum dist. 30. §. B. ubi leguntur ista: *Beata Maria subjecit se divinæ dispositioni, & proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret.* Illa ipsa verba leguntur apud Gratianum 27. q. 2. cap. *Beata Maria.*

Hanc objectionem diluere facillimum est: negandum siquidem, hujusmodi verba falsò esse S. Augustino ascripta. Neque is est S. Augustinus, qui rem aliquam multis suorum Operum locis repetitam, ut vidimus, recantet uno in loco: quod dici non potest, quin gravis injuria Patrum omnium gravissimo & eruditissimo inferatur. Hoc posito, esto



Quæstio XLIV.

Utrum, supposito virginitatis voto, Deipara Virgo matrimonium inire debuerit & potuerit.

HUic quæstioni ita satisfacit S. Thomas 3. p. q. 29. ut nihil afferri possit solidius & verius: ideo ipsissima ejus verba hic referre operæpretium existimavi.

Conveniens, inquit, fuit Christum de desponsata (id est conjugata) virgine nasci, nihil obstante virginitatis voto, quod emiserat, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos.

Propter ipsum Christum quadruplici ratione.

1°. Quidem ne ab infidelibus tamquam illegitimè natus abjiceretur. Unde Ambrosius dicit lib. 2. in Luc. cap. 1. Quid Judæis, quid Herodi posset ascribi, si natum ex adulterio viderentur persecuti.

2°. Ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam lib. 3. statim ab initio, qui in sæculum venit, sæculi more debuit describi: viri autem persona quæritur, qui in senatu & reliquis curiis civitatum, generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quæ semper viri originem quærit.

3°. Ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius Martyr, ut testatur S. Hieronymus, dicit ipsam fuisse desponsatam, ut partus ejus diabolo celaretur.

4°. Ut à Joseph nutriretur: unde & pater ejus dictus est, quasi nutritius.

Fuit etiam istud matrimonium conveniens ex parte Virginis.

1°. Quidem, quia per hoc redditur immunis à pœna, ne scilicet lapidaretur à Judæis tamquam adultera, ut ait S. Hieronymus.

2°. Ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius in Luc. lib. 2. non procul à princip. quòd desponsata est, ne temeratæ virginitatis adureretur infamiâ, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre.

3°. Ut ei à Joseph ministerium exhiberetur, ut dicit S. Hieronymus.

Ex parte etiam nostra hoc fuit conveniens.

1°. Quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est, Christum ex virgine natum. Unde Ambrosius dicit super Luc. Locupletior testis pudoris maritus adhiberetur, qui posset & dolere injuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.

2°. Quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis. Unde Ambrosius dicit super Lucam: Fides Mariæ verbis asciscitur, & mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse innupta mendacio prægnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, cùm conjugii præmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum, quæ quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostræ.

3°. Ut tolleretur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam. Unde Ambrosius dicit: Non docuit virginibus sinistra opinione viventibus, velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater Domini quoque videretur.

4°. Quia per hoc significatur universa Ecclesia, quæ cùm virgo sit desponsata, tamen est uni viro Christo, ut ait S. Augustinus in lib. de sancta virgin. cap. 12.

Potest etiam & quinta ratio esse, quòd mater Domini fuit desponsata & virgo, quia in persona ipsius & virginitas & matrimonium honoratur contra hæreticos alteri eorum detrahentes. Hactenus S. Thomas 3. p. q. 29. a. 1. in c.

His igitur rationibus inducta Virgo Deipara, debuit & potuit citra infractionem voti, quo suam virginitatem Deo consecraverat, inire matrimonium, quippe quæ ex familiari instinctu Spiritus sancti creditur voluisse desponsari, confidens de divino auxilio, quòd numquam ad carnalem copulam perveniret, ut testatur S. Thom. quæst. & a. proximè citatis ad 1.

Ac reipsa quidem maluit Dominus aliquos de suo ortu quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem matris injuriis astruendam, ut ait S. Ambros. in Luc. lib. 2. non procul à principio.

Quæstio XLV.

Utrum beata Virgo verum cum sancto Joseph matrimonium sine ullo in carnalem copulam consensu contraxerit.

Prima conclusio.

BEATA Virgo Maria cum S. Joseph matrimonium iniit verum, si umquam fuit, licèt ab ipso illo matrimonio copula carnalis abfuerit.

Hanc conclusionem pluribus in locis docet S. Augustinus, & inprimis lib. 23. contra Faust. Manich. cap. 8. *Joseph Mariæ maritus dicitur, habens eam conjugem continenter: non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est carius, animorum. Et ideo non debuisse virum Virginis matris Christi separari à serie parentum Christi.* Et paulò pòst ait, sanctam Mariam Joseph conjugem non frustra appellatam propter ordinem sexûs, & animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus. Et ibid. *Et ne homines fideles Christi, id, quòd sibi conjuges carne miscentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse posse non crederent: sed potiùs discerent fidelia conjugia multò familiariùs se adhærere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi* Hactenus S. Augustinus loco citato.

Ipse ille S. Augustinus idem asserit lib. 2. de nupt. & conc. cap. 11. *Quibus*, inquit, *placuit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ chariùs concordiùsque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi futura erat ulla carnis commixtio.* Sub finem ejusdem cap. 11. declarat idem S. Augustinus, sine carnali copula verum inter Joseph & Mariam intercessisse matrimonium eo nomine, quòd omnia matrimonii bona in ipso matrimonio exstiterint. *Omne*, inquit, *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum ibi divortium.*

Item cap. 12. seq. idem persequitur argumentum, & exeunte cap. omnia confirmar his verbis: *Cur ergo noa conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt?* Hæc ibi.

Idem S. Augustinus accommodatè ad rem nostram docet matrimonium non solùm bonum appellari propter solam prolis procreationem, & etiam propter ipsam naturalem in diverso sexu societatem. *Alioquin*, inquit, *jam non diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Nunc verò in bono licèt annoso conjugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem; quia quantò meliores sunt, tantò maturiùs à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt, non ut necessitatis esset, postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset, primum noluisse quod possent. Si ergo servatur fides honoris & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus & propè cadaverinis utriusque membris, animorum tamen rite conjugatorum tantò sincerior, quantò probatior, & tantò securior, quantò placidior castitas perseverat.* Ita sanctus Augustinus 10 lib. de bono conjug. cap. 3.

Ex isto S. Augustini loco colligimus, duos matrimonii fines ab eodem Aug. esse constitutos, liberorum nempe procreationem, & ipsam etiam naturalem in diverso sexo societatem. Hos autem fines ita distinguit sanctus Doctor, ut non solùm mente, sed & reipsa separari possint, & separentur, tum in his qui sua sponte, vel voto, vel proposito ab carnali commercio abstinere volunt: tum in his qui languescentibus & propè cadaverinis membris conjugale debitum reddere nequeunt. Unde concludit, matrimonium sine carnali copula & contrahi & reipsa valere, ut patet ex conjugio inter Joseph & Mariam inito: quod quidem nemo citra errorem aut certè animadvertendam temeritatem, veri nominis matrimonium extitisse inficiari potest: sive enim definiatur matrimonium, ut definitur ab Magistro Sent. in 4. dist. 27. matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas vitam insolubilem retinens: sive definiatur ut definitur 2. 2. q. 2. conjunctio maris & fœminæ inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens: sive denique definiatur, viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens, ut definitur Instit. *de patria potestate.* §. *nuptiæ.* Utcumque, inquam, definiatur matrimonium, tale proculdubio deprehendetur esse conjugium, quod inierunt Joseph & Maria, qui maritali affectu, imò arctissimo divinæ charitatis vinculo individuam vitæ consuetudinem retinuerunt.

Huic conclusioni finem imponerem, nisi me alliceret ad se pulcherrimus Hugonis Victorini locus, qui tantam eruditionis sibi peperit famam, ut suo sæculo alter Augustinus fuerit appellatus. Is ergo magnificè prædicans de incorrupta Deiparæ virginitate nostram doctrinam mirabilem in modum probat & illustrat. *Discutiamus*, inquit, *ut postulas, quid sit conjugium, & ex ejus definitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in Virgine matre & consensus conjugalis & propositum virginitatis. Quid enim est conjugium, nisi legitima societas inter virum & fœminam: in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri: spontaneus ergo consensus inter virum & fœminam legitimè conjunctos facit, quo uterque alteri debitorem sui spondet: iste est qui conjugium facit: & conjugium est ipsa societas tali consensu confœderata, qua altero vivente alterum ab altero non dissolvit.*

Est adhuc alius consensus, sed carnalis commercii ad invicem exigendi atque reddendi similem inter virum ac mulierem pactionem constituens, comes, non effector conjugii, officium, & non vinculum, qui & ipse tamen cùm pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur.

Sed valde notanda quæ subjicit idem Author: *Hujus debiti* (conjugalis) *necessitas*, inquit, *illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur, vel sanciretur, hujus operis consensus non præcessit: nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem conjugii cessare credendum est, imò potiùs tantò veriùs ac sanctius conjugium esse, quòd in solo charitatis vinculo, non in concupiscentia carnis libidine fundatum est.*

Hactenus Hugo de sancto Victore, qui duplicem in matrimonio constituit consensum: unum videlicet, quem effectorem conjugii vocat, quo in matrimoniali contractu uterque contrahens semetipsum debet alteri; alterum verò consensum appellat conjugii comitem, & ejusdem officium, non vinculum, sine quo matrimonium verum & legitimum consistere potest. Usque adeo verum est, verum & legitimum inter Mariam & Joseph intercessisse matrimonium, tametsi B. Virgo nullum in carnalem copulam assensum præbuerit, ut patebit ex sequenti conclusione.

Secunda conclusio.

Sanctissima Virgo Maria tam sanctum & tam castum cum sanctissimo Joseph matrimonium iniit, ut ne implicitè quidem in carnalem copulam consenserit.

Prima hujus conclusionis ratio petitur ex ipso consensu implicito seu interpretativo, qui nihil est aliud quàm actus voluntatis aliquid acceptantis non directè in se, sed in alio, aut in repulsionis negligentia.

Unde si B. Virgo in carnalem copulam vel implicitè consensisset, peccasset lethaliter contra virginitatis votum quod emiserat, siquidem consensisset in actum conjugalem, quem toto diametro suo virginitatis voto repugnare noverat. Et hic consensus perinde valet ad peccatum lethale, ac consensus expressus: implicitum enim consensum expresso æquivalere docent passim Theologi. Cùm igitur B. Virgo implicitè consensisset in carnalem copulam, æquè peccasset, ac si in illam consensisset explicito consensu, qui definitur actus voluntatis directè aliquid in se acceptantis.

Secunda ejusdem conclusionis ratio petitur ex eo, quòd S. Thomas, Paludanus, & alii absolutè doceant, esse peccatum matrimonium contrahere post votum, quod ratione futuræ copulæ, vel ratione periculi illius admittendæ intelligi necesse est. Jure ergo naturali matrimonium jam emisso castitatis voto contrahere vetitum est. Quòd si jure naturali prohibitum est, ea prohibitio inde dumtaxat proficiscitur, quòd emisso voto in ordine ad carnalem copulam vel cum illius admittendæ periculo initur, aliàs non est unde hujusmodi matrimonia inita post votum illicita & damnabilia haberi debeant.

Atque hanc vim juris naturalis & præcepti aperuit Augustinus lib. de bono viduitat. cap. 8. & refertur in cap. *Nuptiarum bonum.* 27. q. 1. non procul à princip. *In virginali*, inquit, *& viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: quâ expetitâ & electâ, & voti debito oblatâ, jam non solùm capessere nuptias, sed, etiamsi non nubant, nubere velle damnabile est.* Unde conficitur, B. Virginem Mariam nusquam vel implicitè in carnalem copulam consensisse. Si enim ex S. Augustino, virginali & viduali continentia per votum oblata, nubere vel nubere velle

carnalem copulam appetendo, damnabile est, non potuisset V. Maria ab damnabili flagitio eximi, si eo ipso tempore quo consensit in matrimonium cum S. Joseph ineundum, in ipsam carnalem copulam vel implicitè consensisset. Sed absit, ut de castissima & sanctissima post hominum memoriam virgine, conjuge & matre ita sentiamus.

Tertia ejusdem conclusionis ratio petitur ex eo, quòd in præfato B. Virginis conjugio nullus ostendi possit ordo ad carnalem copulam, & nullus requiratur: siquidem secluso hujusmodi ordine omnia ad essentiam matrimonii pertinentia contineat. Si enim omnia matrimonia sine isto ordine ad carnalem copulam subsistere valeant, nemo, nisi sit ab omni ratione desertus, aliter de B. Virginis matrimonio affirmari poterit.

Quòd autem quodlibet matrimonium sine dicto ad carnalem copulam ordine subsistere queat, probari potest sequenti syllogismo:

> Ad constituendam matrimonii essentiam id unum requiritur, ut inter contrahentes sit mutua animorum conjunctio in individuam vitæ societatem cum diversitate sexûs:
>
> Atqui totum hoc reperiri potest in matrimonio contracto sine ullo ordine ad dictam copulam ex parte unius vel utriusque contrahentis:
>
> Ergo illud est verum validumque matrimonium, quod sine ullo ordine ad carnalem copulam contractum fuerit.

Si quis majorem propositionem in controversiam evocare velit, facilè revinci poterit authoritate S. Augustini, & aliorum (ut paulò antè vidimus) aientium, matrimonium esse tantò perfectius & validius, quò longiùs ab carnali copula recesserit, nec propterea dissolvi matrimonium, si ab illo consensus in ipsam copulam etiam implicitus abfuerit, ut suprà ex Hugone Victorino probavimus.

Si quis objiciat, utrumque conjugem sibi invicem inter contrahendum tradere potestatem & dominium in sua ipsorum corpora, ita ut vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, & vicissim mulier sui corporis non habeat potestatem, sed ipsius vir: eo quòd suorum corporum potestatem & dominium in invicem transtulerint, atque adeo neutrum posse contrahere, quin consentiat in carnalem copulam, eamque (cùm alter conjugum poposcerit) exerceat, vel certè patiatur.

Respondemus, potestatem & dominium, quo sua sibi invicem conjuges corpora tradidere, nihil prohibere, quominus hujusmodi dominium ab usu separetur. Et id probari potest ex generali ratione contractus, in quo est traditio dominii, & in quo dominium distinguitur ab usu. Potest enim versari contractus circa materiam dominii sine ullo ordine ad usum, & etiamsi aliàs usus deficiat, cùm usus & dominium ab invicem sejungi, & separatim subsistere valeant: ita tamen ut integra contractûs materia remaneat.

Ac reipsa quidem quid virum Theologum cogere potest, ut asserat, non posse in conjugio consistere translationem dominii, quod in sua ipsorum corpora sibi invicem tradunt conjuges ad munia obsequia utriusque sexûs, sine ullo consensu in copulam ex parte contrahentium? Nihil sanè. Nisi fortè quis contendere velit, unum & fortè præcipuum finem matrimonii esse liberorum procreationem, ad quam perveniri non potest, nisi conjuges in carnalem copulam consentiant.

Sed ista ratio nihil nobis officit. Nam, ut antea vidimus ex S. Augustino, ista liberorum procreatio non est ut præcipua in matrimonio quæsita, imò neque ita est requisita, ut sine ea vera conjugii ratio consistere nequeat. Siquidem vel ob unam naturalem in diverso sexu societatem, & cum solo charitatis vinculo stare potest validè matrimonium, excluso etiam fine & scopo liberorum procreationis. Nam matrimonia, ut constat ex ipso lumine naturali, sunt ab ipsa rerum natura inventa. *Sic mares feminis junguntur, ut imbecillior sexus præsidium mutua societate fortiatur*, ait Quintilianus.

Cùm ergo duæ istæ obligationes (quarum una ad naturalem in diverso sexu societatem, altera verò ad liberorum procreationem collineat) ab invicem citra ullam veri matrimonii destructionem separari queant, ut ex S. Augustino probavimus in quæst. 45. quis infitiabitur, consensum in mutuam vitæ societatem posse separari ab eo consensu, quo conjuges liberorum procreationem ut plurimùm intuentur?

Quæ cùm ita sint, id est cùm sint duo consensus, quorum unus respicit naturalem in diverso sexu societatem, ut loquitur S. Augustinus suprà cit. alter verò tendit ad liberorum procreationem; ita ut secundus ille consensus ad liberorum procreationem inclinatus supponat primum, & illum consequatur, quem ideo Hugo Victorinus conjugii duntaxat comitem, non autem effectorem appellat: tota sanè matrimonialis contractûs ratio, seu essentia posita est in priori consensu, quem & vinculum & obligationem appellare licet: ipse quippe consensus seu obligatio à quolibet alio contractu distinguitur, & potest separari à secundo consensu ex natura objectorum. Neque enim cùm non sint necessariò connexi, ut patet in iis qui post consummatum matrimonium professionem emittunt: tunc enim neuter habet jus petendi, & aufertur obligatio reddendi debitum propter votum solemne, cap. *cum sis.* cap. *uxoratus.* cap. *veniens. de convers. conjugat.* cùm tamen insolubile matrimonii vinculum, & directum, ut ita dicam, dominium, quod sibi invicem conjuges inter contrahendum tradidere, cap. *Si quis conjugatus.* 27. q. 2. quod & videre est in aliis casibus.

Quid multa? B. Virgo obstricta castitatis perpetuæ voto, quod prima æterno Deo vivo & vero nuncupaverat, consentire potuit, & reipsa consensit in matrimonium cum S. Joseph ineundum; nec tamen in carnalem copulam consensit, cùm in eam citra voti sui infractionem consentire non potuerit. Neque ullo pacto iste consensus ad tale matrimonium requirebatur. Nam licèt sui corporis potestatem seu dominium in ipso matrimoniali contractu S. Joseph tradiderit, non propterea in carnalem copulam consensit, utpote quæ hujusmodi potestatem nusquam ad actum conjugalem perductum iri, divinæ revelationis afflatu didicerat. Et revera S. Joseph incorruptæ castitatis gratiâ donatus satis superque noverat, se in virginale purissimæ post homines natos virginis conjugium assumptum esse, non ut fœcunditatem & prolem illi impertiret, sed ut ejus singularem castimoniam calumniis alioquin appetendam sacro conjugii velamine obumbraret, atque ita filium ex ea nasciturum ab omni spuriæ prolis contumelia & suspicione assereret. Unde quidam vir eruditus virginale S. Joseph cum beata Virgine matrimonium eleganti sanè emblemate adumbravit, feracem scilicet vineam proceræ ulmo adjunctam depinxit, cum hoc lemmate, *Protegit, non fœcundat*: per ulmum S. Joseph, per vitem Mariam Virginem expressit: quippe quæ fœcunditatem divinitus concessam habuit, & sancti conjugis ministerio virginitatis gloriam sartam-tectam ab omni infamis & dedecore conservavit.



Quæstio XLVI.

Utrum solemne virginitatis votum non solùm impediat contrahendum matrimonium, sed etiam dirimat contractum.

UT hæc quæstio resolvatur, opteræpretium est explicare quid sit solemnitas, & quomodo dividatur. Est igitur solemnitas externa cujuspiam actus forma constans ex quibusdam ritibus & cæremoniis ab Ecclesia constitutis, à personis, locis, temporibusque desumpta.

Ista definita solemnitas dividitur in essentialem & accidentalem, ut ita dicam.

Essentialis solemnitas est forma, quæ aliquem actum ita constituit, ut eum ab quolibet alio distinguat.

Accidentalis ea est, quæ suâ præsentiâ vel absentiâ actûs validitati nihil officit. Et hæc subdividitur bifariàm, in eam scilicet, quæ appellatur legitima, & in eam quæ est omnino extrinseca.

Accidentalis & legitima solemnitas ea est, sine qua aliàs valeret actus; at ex legislatoris voluntate illi est necessariò adjungenda.

Illa autem quæ est omnino extrinseca, dicitur ea, sine qua etiam secundùm legislatoris voluntatem actus valere potest.

Quæ omnia mirabiliter illustrari possunt, adducto matrimonialis contractûs exemplo: siquidem in illo repertuntur omnia solemnitatum genera, quæ in hac quæstione numerando percensuimus. Revera contractus ille matrimonialis unâ corporum traditione pariter & acceptatione cum verbis aut signis contrahendi animum seu intentionem significantibus ex sua natura constituitur, & hac ratione celebratus à principio valuit. Talem hujusmodi contractûs formam, quâ multis sæculis validus extitit, essentialem illius solemnitatem cum eruditis Theologis appellamus.

Quod spectat ad solemnitatem accidentalem, & tamen legitimam, instituta est peculiari Ecclesiæ constitutione, quâ cautum est, ut matrimonium irritum censeatur, nisi coram Parocho aut alieto quopiam ab eo delegato & testibus celebraretur: quia licèt aliàs seu absque tali solemnitate valere posset, ut multis sæculis ante Ecclesiæ constitutionem valuit: attamen propter legislatoris voluntatem matrimoniali contractui solemnitatem hanc seu formam adjungentem, hujusmodi contractus irritus declarabitur, si sine illa celebratum esse contigerit.

Alia est solemnitas, quæ dicitur accidentalis extrinseca, qualis est publica bannorum proclamatio, qualis est patris consensus, & alia id genus, quæ servanda sunt ex præcepto sub pœna peccati lethalis, tametsi etiam secundùm legislatoris voluntatem prætermissâ hujusmodi solemnitate matrimonium validum & ratum ipso Ecclesiæ judicio censeatur.

Quæres, quo jure votorum solemnitas in Ecclesiam sit introducta.

Respondeo, talem votorum solemnitatem, una duntaxat Ecclesiæ constitutione, in orbem Christianum invectam esse, ut habetur in cap. *Votum. de voti redemptione.* in 6. & hanc sententiam amplectuntur omnes Pontificii juris interpretes cum Glossa in cap. *rursus. qui Clerici vel voventes.*

Talem autem votorum solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione in authoritatem & usum adductam esse, liquidò declarat Gregorius Papa XIII. in Extrav. *Ascendente Domino & Salvatore nostro in naviculam,* in qua cùm referret privati cujuspiam opiniones falsas & temerarias, ait illas ex ruinoso fundamento ortas esse, eo quòd earum author votorum solemnitatem ex divino jure omnem suam vim trahere existimaret. Ideo de illo & de aliis eamdem sententiam amplexis, sic loquitur eit. Pontifex: *Non considerantes*, inquit, *solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inventam esse.* Ex quibus verbis rectè conficitur, oppositam sententiam sustineri non posse, quin Apostolicæ summi Pontificis authoritati gravis injuria inferatur.

Præterea in cap. *rursus. qui Clerici vel voventes.* Cælestinus Papa III. declarat, simplex votum apud Deum non minùs obligare, quàm solemne, licèt simplex votum impediat matrimonium, dumtaxat contrahendum; solemne autem non solùm impediat contrahendum, sed etiam dirimat contractum.

His ita prælibatis, esto

Nostra conclusio.

Matrimonii rati & non consummati vinculum omni dirimitur solemni alterutrius sponsi professione emissa in ordine ab Ecclesia rite approbato: ita ut alter conjux in sæculo remanens, sit omnino ab matrimoniali vinculo absolutus, & liberè ad alias nuptias transire valeat.

Hujusmodi conclusio pertinet ad fidem Catholicam, quippe quæ ab multis Pontificibus & Conciliis definita est & declarata, sic tamquam propositio fidei: ut patet ex cap. *desponsatam.* 27. q. 2. ubi Eusebius Papa id apertè declarat. Idem declarat S. Gregorius Papa I. cap. *Decreta legalia.* 27. q. 2. Idipsum declaratur ab Joanne Papa XXII. in Extrav. *antiquæ. de voto.* Quod & declaratum est ab Alexandro Papa III. cap. *verum.* & cap. *ex publico instrumento. de convers. conjugat.* ubi inter cætera sic loquitur: *Cæterum quia licèt à præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen, sicut asserit, ab ipso eit incognita: mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea cautione sufficienti, quòd vel ad religionem transire, vel ad suum virum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententia, quâ tenetur, absolvas.*

Hæc Alexandri Papæ III. verba hic ascribere visum est, ut appareat, dominium quod sibi invicem conjuges inter contrahendum tradunt in sua ipsorum corpora, separari ab usu ejusdem domini, ut paulò antè diximus; & ideo nostram propositionem hic isto summi Pontificis decreto à nobis antea omisso confirmare volumus.

Verùm, ut ad id unde digressi sumus, revertamur, Innocentius Papa III. cap. *ex parte tua.* cod. tit. *de convers. conjugat.* idem cum citatis paulò antè Pontificibus asserit, matrimonium scilicet, antequam sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quòd reliquus extunc legitimè alteri poterit copulari. Hæc ibi.

Quid multa? Nonne Concilium Tridentinum idipsum quod hic tot summorum Pontificum testimoniis astruimus, sub anathematis interminatione definit sess. 24. de matrim. c. 6. *Si quis dixerit*, inquit, *matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Quæres, in quo consistat essentialiter solemne religionis votum.

Respondeo, hujusmodi votum essentialiter positum esse in actuali traditione dominii sui ipsius in manus Dei, & in manus eorum qui ad hunc effectum vicem Dei tenent. Et hæc in re solemne votum ab simplici secernitur, ut videre est apud D. Thomam in 4. dist. 38. quæst. 2. a. 2. quæstiunc. 3. in c. & ad 1. & a. 3. quæstiunc. 2. in c. Idem asserit S. Bonavent. in eamd. dist. a. 2. q. 1.

In hac traditione, qua quisque professus abdicato sui ipsius dominio voluntariâ & deliberatâ professione & exhibitione sese ordini, in quo profitetur, mancipat : & præterea in eorum, qui Dei & Ecclesiæ hac in parte personam sustinent, acceptatione sita est solemnis voti substantia, cujus signa sunt dumtaxat & testimonia, non autem essentia, benedictio, consecratio reliquaque solemnitas positivo jure inducta : quâ quidem exhibitione & addictione solemni ritu celebrata unusquisque profitens sibi ad alium statum transeundi jus abjudicat, ut tradendi & acceptandi modus, Ecclesiæ inventum sit; hominis autem sic traditi & acceptati ad matrimonium postea contrahendum inhabilitas naturale divinumque sit vinculum, ut testatur Claudius Espencæus lib. 5. de voti redemption. cap. 4.

Igitur matrimonium, quod post solemne votum contrahitur, irritum est jure naturali & divino : naturali quidem, eo quòd nos doceat natura, nos non posse cuipiam tradere, & addicere quod jam alteri tradidimus & addiximus. Unde præclarè S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. in solut. quæstiunc. 2. in c. *Votum solemne*, inquit, *ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum, in quantum scilicet homo per ipsum amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris ad matrimonium contrahendum. Et quia matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum prædictum dicitur dirimere matrimonium contractum.* Hactenus S. Thomas loco cit.

Jure autem divino irritum est matrimonium, quod post solemne votum contrahitur : quia sæpissime Spiritus sanctus nos in Scripturis admonet reddere vota, quæ Deo nuncupavimus.

Quæres 2°. utrum castitas, paupertas & obedientia ita pertineant ad religiosi statûs essentiam, ut sine illis consistere nequeat.

Respondeo affirmativè. Cùm enim, ut diximus, essentia solemnis voti, quod in religiosi status professione emittitur, posita sit in plena sui ipsius traditione, profitentem omnia sua divino cultui & obsequio singulari quapiam ratione mancipare necesse est, quod præstat per tria illa quæ recensuimus. Nam per castitatem suum corpus consecrat castitati : per paupertatem animum ab turbulenta rerum humanarum procuratione abstrahit : per obedientiam denique sese propria voluntate & libertate abdicat, ita ut in posterum sese totum ad alienæ voluntatis arbitrium componere teneatur.

Quæres 3°. utrum tria hæc emisso quopiam voto firmari debeant.

Respondeo, revera ista tria voto quopiam esse munienda, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 3. eo quòd status religiosus immobilitatem & operum ad hujusmodi statum pertinentium obligationem, aliqua solemnitate stabilitam exigat, ut ait ibid. S. Thom. cit. q. a. 1.

Quæres 4°. utrum tria hæc vota in ordine religioso & pro tali ab Apostolica sede approbato emitti oporteat, ita ut non sit verus religiosus, qui sua vota alibi, quàm in tali ordine emiserit.

Respondeo, istum hominem qui sua vota alibi quàm in religione, quæ tamquam vera religio ab Apostolica sede fuerit approbata, emiserit, non esse verum Monachum & Religiosum, ut videre est in Gloss. Clem. *cùm ex eo*. Igitur ordinem in quo emittuntur vota solemnia homines religiosos verè constituentia, ab summo Pontifice approbatum esse necesse est : non quòd Pontificis approbatio sit institutio religionis, aut ad ejus essentiam pertineat; sed quòd varia ratio, quo tria vota suscipi possunt, ex humana prudentia & directione pendeat, atque adeo summi Pontificis discussione & approbatione indigeat.

Huc accedit, quòd Innocentius Papa III. in Concilio Lateran. œcumenico prohibuit, ne deinceps ullus ordo institueretur, nisi esset approbatus ab summo Pontifice, ut habetur cap. fin. *de religios. dom.* quod decretum renovavit Gregorius Papa X. in Concilio Lugdun. Unde patet, ecclesiastico jure constitutum esse, ut ordines religiosi, id est eorum statuta, vota & alia id genus approbarentur ab Apostolica sede, ne aliqui ordines ab hominibus malè animatis instituti in fidelium perniciem redundarent.

Quæres 5°. utrum traditionem dominii, quod habet unusquisque in seipsum, ab aliquo acceptari oporteat, ita ut sine tali acceptatione professio nulla & irrita censeatur.

Respondeo affirmativè, quia religiosa professio matrimonio comparatur : quemadmodum igitur matrimonium (quod contractum non gratuitum, sed onerosum appellamus) non perficitur sola traditione alterius conjugis, sed insuper alterius acceptationem necessariò exigit, cùm sit contractus mutuus, ut patet. Ita in voto solemni, cujus emissione spirituale conjugium cum Christo Domino vero animarum sponso contrahitur, non solùm traditio ex parte voventis, sed etiam ex parte Dei acceptatio exigitur; ita ut sine mutuo hominis voventis & Dei acceptantis assensu solemnis voti essentia consistere nequeat. Nam professio non est contractus gratuitus, ut votum simplex, sed contractus onerosus, quo professus suam fidem obstringit Deo, & obligatur religioso, ita ut vi istius obligationis hominem professum, id est ipsi sua professione mancipatum tenere, alere, & suo instituto congruenter adhibere teneatur, ut ait Thomas Sanchez lib. 7. de impedimentis matrim. disputat. 25. Azor, & alii.

Quæres 6°. quo sensu voti solemnitas attenditur secundùm aliquam benedictionem spiritualem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur, ut testatur S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 7. in c.

Respondeo, dictam benedictionem nihil esse aliud, quàm personæ voventis ad statum sanctitatis assumptionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certa regulæ. Voti ergo solemnitas celebratur, cùm quispiam per certæ regulæ professionem relicto sæculo, & abdicata propria voluntate, statum perfectionis assumit : ita tamen ut voluntariam illam & deliberatam religiosi statûs assumptionem per acceptationem ab superiore (id est ab homine Ecclesiam hac in parte legitimè repræsentante) factam eo ritu, quem Apostoli ad præfatam solemnitatem adhiberi voluerunt, compleri & perfici, & ipsius defectu irritari oporteat.

Quæres 7°. utrum dicta solemnitas non solùm ad homines, sed etiam ad Deum pertineat.

Respondeo cum S. Thoma, hujusmodi solemnitatem pertinere non solùm ad homines, sed etiam ad Deum, in quantum habet aliquam spiritualem consecrationem seu benedictionem, cujus Deus est author, etsi homo sit minister, secundùm illud Num. 6. *Invocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Et ideo votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum simplex; & graviùs peccat qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quòd votum simplex non minùs obligat apud Deum, quàm solemne, intelligendum est quantùm ad hoc, quòd utriusque transgressor peccat mortaliter. Hactenus S. Thom. quæst. & art. cit. ad 1.

Quæres 8°. cur illa acceptatio per quam homines sui dominium ad alterum in voto solemni transferunt, non fit immediatè à Deo, sed ex Dei commissione per ministros ab Ecclesia ad hunc effectum deputatos.

Respondeo, Deum acceptare per se donationes sibi factas. Sed ipsam illam donationem seu dominii translationem in voto solemni factitari solitam, quæ proculdubio est maximi momenti, per seipsum immediatè acceptare noluit: utpote qui Ecclesiæ leges præscribentis authoritatem intervenire voluit dictæ solemnitati & præfati dominii translationi, ut religiosi status perpetui & difficilis & ardui assumptio cum magna circumspectione & legitimo ritu & ordine fieret. Unde in cap. un. *de voto.* in 6. definitum est, hanc acceptationem non esse legitimam, nisi in religione per sedem Apostolicam approbata exerceatur.

Præterea Deus hac in parte sese attemperavit ad humanam imbecillitatem & consuetudinem. Cùm enim in quolibet contractu duæ sint personæ contrahentes, ut & perfecta donatio & acceptatio contractum humanum constituant, ideo oportet adesse acceptationem humano more, sicut adest donans, ut perfectus & irrevocabilis contractus inter homines ineatur. Oportet igitur ad perfectam acceptationem alicujus professionis, quæ contractus est, adesse personam, quæ nostros in oculos incurrat, & vices Dei gerat, & ab ipso voti solemnis ipsius nomine & vice acceptandi potestatem habeat.

Ex dictis & probatis hactenus nemo non videt, votum solemne constare ex tribus potissimùm rebus ad ejus valorem omnino necessariis, traditione scilicet, acceptatione & promissione.

Si dicas, traditionem & promissionem sibi invicem adversari:

Respondeo, ista duo sibi neutiquam adversari, cùm ad diversa referantur. Nam aliud traditur, aliud promittitur in voto solemni, in quo vovens sese totum divino cultui tradit, & mancipat, & actus ad vota præstanda necessarios pollicetur. Cùm igitur ista duo, sese scilicet tradere, & promittere ob diversos respectus nullo pacto ab invicem diffideant, nec traditio, nec rerum ad implendam traditionem necessariarum promissio sibi invicem repugnant.

Igitur traditio, acceptatio & promissio sunt de necessitate solemnis voti, ita ut sine illis tribus professio legitima factitari nequeat. Cætera verò quæ adhibentur ad professionem, sunt dumtaxat conditiones sine quibus non, & sunt tantùm de necessitate præcepti: & ideo si quis ea sciens & prudens absque legitima causa prætermitteret, sese peccato lethali constringeret.

Quæstio XLVII.

In qua de cognatione & præcipuis capitibus ad ipsam pertinentibus agitur.

Ut hoc quartum impedimentum, quo matrimonium prohibetur contrahendum, & dirimitur contractum, cum certa methodo edisseramus, operæpretium est explicare terminos, sine quibus intelligi non potest.

1°. Observandum, cognationem quæ est quartum impedimentum dirimens, dividi trifariàm. Nam 1°. una dicitur cognatio naturalis, altera est spiritualis orta ex baptismo & confirmatione, tertia denique legalis orta ex adoptione.

2°. Observandum, primam cognationem quæ dicitur naturalis, contrahi consanguinitate & affinitate; consanguinitatem autem, si spectetur nominis etymon, nihil esse aliud, quàm ejusdem sanguinis & carnis communionem & participationem: consanguineos verò appellari eos, qui eamdem carnem & sanguinem participant. Si autem spectetur in eo sensu, quo definitur in jure Pontificio, nihil est aliud, quàm vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

Ista definitio continet genus cognationis naturalis, nempe vinculum seu alligationem, quâ consanguinei connectuntur inter se; continet & subjectum, nempe personas ab eodem stipite descendentes; continet & principium per quod una persona descendit ab altera, carnalem scilicet propagationem: per quam significatur consanguinitas, quæ propriè loquendo est propinquitas eorum, qui cùm ab eodem stipite propinquo descendant, eamdem carnem eumdemque sanguinem participant, & sub ea formali ratione, quâ participant.

3°. Stipes in hac materia, qui etiam truncus & radix dicitur, est consanguinitatis fons atque principium, & definitur persona, à qua aliqui originem trahunt, sive sit pater, sive mater: qui ambo unum eumdemque stipitem constituunt: quippe qui per actum conjugalem in unam coaluere carnem. Hic agitur autem de stipite propinquo, cujus virtus maneat in illis, qui ex eo propagantur. Siquidem virtus paterna in filium derivata, per quam similis ei redditur, non solùm in specie, sed etiam in individuo, complexione, moribus, colore, lineamentis, ob quæ peculiaris inter consanguineos affectio nascitur, paulatim diminuitur, tandemque post aliquot generationes evanescit; quod post quartam generationem plerumque accidere solet, ut indicat S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 54. a. 1. ad 1. ubi & ait, *virtutem illam* (quæ scilicet ab patre per generationem in filios transmittitur) *quandoque deficere, ut ultrà procedere non possit: & quia consanguinitas est in quantum multi communicant in tali virtute ex uno in multos per propagationem deducta, paulatim se consanguinitas dirimit, ut ait S. Isidorus: & ideo non oportet accipere stipitem remotum in definitione consanguinitatis, sed propinquum, cujus virtus adhuc maneat in illis, qui ex eo propagantur.* Hactenus S. Thomas loco proximè citato.

Porrò additur in definitione, carnali propagatione contractum, quia cùm sit triplex cognatio, spiritualis scilicet, legalis & carnalis, quæ contrahitur consanguinitate & affinitate, vel ut alii volunt, subdividitur in consanguinitatem & affinitatem: omnes dictæ cognationes (si unam consanguinitatem exceperis) excluduntur ab hac definitione, utpote quæ ab eodem stipite, carnali propagatione non descendant.

Ut autem consanguinitatis vinculum illustriùs explicetur, tria in eo sunt consideranda, nempe stipes, linea, gradus.

4°. Igitur observandum est, stipitem nihil esse aliud, quàm personam, à qua aliæ, de quarum consanguinitate quæritur, propinquam trahunt originem. Tales sunt patres & matres, è quibus velut è propinquo stipite liberi seu fratres & sorores oriuntur, seu propinquam trahunt originem, ne parentum, id est patrum & matrum personæ remotiores & remotissimæ nihil ab propinquioribus distinctæ consanguinitatem inter omnes totius orbis homines inducere videantur.

5°. Notandum est, lineam esse collectionem personarum ab eodem stipite descendentium, diversos continentem gradus & numeros distinguentem. Hostiensis in §. *quid linea. de consang. & affin.* consanguinitas igitur non est collectio, sed relatio quædam aliquarum personarum ad invicem, quarum collectio lineam consanguinitatis facit, ut ait S. Thom. in 4. dist. 40. q. 1. a. 2. ad 1.

6°. Observandum cum S. Thoma, lineam ab Canonistis & Theologis tripliciter assignari, ut probat sanctus Doctor jam cit. art. scil. 2. in c. Consanguinitas,

inquit, est quædam propinquitas in naturali communicatione fundata secundùm actum generationis, quo natura propagatur, & ista communicatio est triplex. Una secundùm habitudinem principii ad principiatum, & hæc est consanguinitas patris ad filium. Unde dicit Philosophus, quòd parentes diligunt filios, ut sui aliquid existentes. Et hæc habitudo constituit lineam descendentium.

Alia est communicatio, secundùm habitudinem principiati ad principium, & hæc est filii ad patrem, Unde dicit idem Philosophus, quòd filii diligunt parentes, ut ab iis existentes, & secundùm hanc habitudinem ascendentium linea constituitur.

Tertia denique communicatio est secundùm habitudinem eorum quæ sunt ab uno principio ad invicem; sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, ut ipse Philosophus dicit. Unde secundùm tertiam hanc communicationem tertia, id est transversalium linea statuitur.

7°. Observandum est, duas priores lineas, descendentium scilicet, (fundatam super habitudine principii ad principiatum, id est patris ad filium) & ascendentium, (fundatam super habitudine principiati ad principium, id est filii ad patrem) sola ratione differre, re autem ipsa esse unam & eamdem, sicut una & eadem est scala, per quam ascenditur & descenditur. Et ideo secundùm distinctionem realem duplex est linea consanguinitatis, recta scilicet & collateralis seu transversa.

Recta est eorum consanguineorum, quorum alii ex aliis per carnalem propagationem oriuntur: seu est ordinata series consanguineorum à se mutuò descendentium. Diximus, à se mutuò respectivè, ita ut inferiores descendant à superioribus, non econtrà. Talis est patrum series cum filiis, nepotibus, pronepotibus, abnepotibus, &c. aliisque minoribus qui dicuntur descendentes. Item series filiorum cum patribus, avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, aliisque majoribus qui dicuntur ascendentes.

Linea transversa seu collateralis, est ordinata series consanguineorum non à se mutuò, sed ab eodem, ac inter ipsos communi stipite descendentium: talis est series fratrum, sororum, patruorum cum nepotibus, &c. Hi omnes pertinent ad collateralem seu transversalem lineam vel æquali propinquitate, ut fratres & sorores, vel inæquali, ut nepos ex avo.

8°. Observandum, lineas per gradus esse distinguendas: quod, ut rectè fiat, sciendum est, gradum definiri unam alicujus generationis in lineâ rectâ progressionem: id est, non requiritur in gradu, ut unus ab altero procedat, sed sufficit quòd plurium ab uno progressio reperiatur, alioquin nulli gradus in transversa linea reperirentur, quod nemo admiserit. Neque enim fratres & sorores, qui pertinent ad transversalem lineam, ab se invicem procreantur: cùm in hujusmodi linea supputentur gradus per comparationem ad unum & commune principium, ex quo propagantur.

Per gradus igitur, qui definiuntur habitudines distantium personarum, quibus propinquitatis distantia inter duas personas vel diversas discernitur, (juxta Venator. in Analys. juris Pontificii, tit. *de consanguitate & affinit.*) lineæ distinguuntur.

His positis, inquirendum est in regulas ab Theologis ad computandos consanguinitatis gradus assignatas. Sit igitur



Quæstio XLVIII.

Quot & quæ sint regulæ, quibus consanguinitatis gradus supputantur.

RESPONDEO, tres esse hujusmodi regulas ab omnibus Theologis passim receptas; unam videlicet pro linea recta, & duas pro transversa.

Prima regula pro linea recta.

In recta ascendentium & descendentium linea tot sunt gradus, quot sunt personæ, ablato stipite: v. g. pater, filius, nepos, pronepos, abnepos. Quinque sunt personæ, & quatuor gradus. Unde filius cum patre est in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Cujus rei ratio est, quia tot sunt gradus, quot sunt generationes. Generatio autem inter duos terminos versatur, generantem scilicet & genitum. Unde ut sint quatuor generationes, quinque personæ esse debent. Hæc regula constat ex cap. *Parentelæ.* 35. q. 5.

Quam regulam paulò latiùs & clariùs explicat Thom. Sanchez lib. 7. de impedimentis matrim. disputat. 50. num. 4. « Quando persona, inquit, cujus gradus quæritur, est in linea recta ascendentium vel descendentium cum alia: si inter ipsam & alteram personam nulla sit persona media, sunt illæ in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ, ut sunt patres & filii. Si verò inter ipsas aliqua una persona vel multiplex media reperiatur, tunc numeratis omnibus personis mediis & extremis, dematur de numero illo una persona, & quot personæ restant, tot sunt gradus: v. g. nepos distat ab avo in secundo gradu lineæ rectæ, quia sunt duæ personæ extremæ, nimirum nepos & avus, & una media inter ipsas, nempe pater nepotis, & ita demptâ unâ manent duæ, & sic duo gradus. Et proavos distat à pronepote in tertio gradu, quia sunt duæ personæ extremæ, nempe abavus & pronepos, & duæ sunt inter illas mediæ, nimirum pater & avus pronepotis: sublatâ ergo unâ ex his quatuor, manent tres, & subinde distant in tribus gradibus.

Ratio autem hujus regulæ est, quia pater secundùm se non constituit gradum, sed in ordine ad illum qui ab ipso descendit: ergo pater cum filio ab ipso descendente constituit primum gradum, & præterea ipse filius cum altero filio, qui ab ipsomet procedit, constituit alterum gradum. Jam igitur inter has tres personas, videlicet avum, patrem & nepotem, dantur tantùm duo gradus, & consequenter tot sunt in hac linea computandi gradus, quot sunt personæ ab invicem procedentes, unâ demptâ. Hæc ille. »

Ex dictis patet, quòd in linea recta tam superiori quàm inferiori, quot generationes numerantur, tot numerantur gradus, dempto stipite, à quo numeratio initium habet. Persona enim addita personæ ascendendo, vel descendendo per carnis propagationem, addit gradum, non mutat genus.

Secunda regula pro linea transversa æquali.

Quando personæ, quarum gradus quæruntur, sunt in linea transversa æquali, id est æquè distant à stipite, eodem distant inter se. Duo fratres v. g. distant inter se in primo gradu, quia eo distant à primo stipite, qui est amborum pater, in quo conjunguntur.

Item filii duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodem conjunguntur in communi utriusque stipite proximo, qui est avus. Ratio autem est, quia cùm tota & adæquata conjunctionis horum ratio fit unio cum stipite, jure optimo computantur gradus penes distantiam ab illo; nec magis aut minùs possunt inter se distare, quàm à stipite. Et ita regula hæc traditur, cap. *ad sedem.* quod est Alexandri Papæ II. & cap. *Parentela.* quod est Zachariæ summi Pontificis, 35. q. 5.

Tertia regula pro linea transversa inæquali.

Quoties personæ in linea transversali consanguineæ distant inæqualiter ab communi stipite, eodem gradu distant inter se, quo remotior distat à stipite.

Hanc regulam luculenter explicat S. Thomas in 4. distinct. 40. q. 1. a. 2. in solutione quæstionis unicæ in corp. Secundùm computationem canonicam, inquit, duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat ab radice communi, nisi per unum gradum: sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantùm distat ab communi radice: & ideo secundùm canonicam computationem, quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descendentium ab ipso, & numquam minùs: quia propter quod unumquodque tale, illud magis. Unde si alii descendentes à communi principio conveniunt cum aliquo ratione principii communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex alia parte, quàm sit primum principium ei propinquum: aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente à communi principio, quàm distet ipse à principio, quia ille fortè plus distat à principio communi, quàm ipse; (ipse nimirum qui ab alio distat, non ipse à quo distat) & secundùm remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari.

Hactenus S. Thom. loco proximè cit. His positis, esto

Quæstio XLIX.

Utrum cognatio naturalis sit impedimentum dirimens matrimonium, & quo jure.

Conclusio unica.

Consanguinitas, quæ propriè loquendo pertinet ad cognationem naturalem, usque ad quartum gradum inclusivè tam in linea recta, quàm in transversa, est impedimentum matrimonium dirimens jure naturæ in primo gradu; in aliis autem gradibus, jure dumtaxat ecclesiastico.

Ut hæc conclusio clarior appareat, observandum est decretum Synodi Lingonensis: *Gradus*, inquit, *consanguinitatis sic ponuntur: fratres aut sorores sunt in primo gradu. Filii duorum fratrum aut sororum dicti cognati germani sunt in secundo gradu. Filii cognatorum germanorum dicti secundi cognati, sunt in tertio gradu. Horum filii dicti tertii cognati germani, sunt in quarto gradu. Inter istos non est legitimum matrimonium nisi cum eis fit per Sedem apostolicam dispensatum.*

Idem decretum legere est in statutis synodalibus Ecclesiæ Trecensis, ut videre est apud Bochellum in Decrets Ecclesiæ Gallicanæ, lib. 5. tit. 11. *de gradibus & affin.* p. 475. & 476.

Consanguinitas in linea recta est impedimentum jure naturali matrimonium ita dirimens in primo gradu, ut istius gradus consanguinei, quales sunt pater, filia, neptis, nusquam secum invicem matrimonio copulari valeant. In primo enim illo gradu perpetua est in infinitum conjugii prohibitio, l. *adoptivus.* 14. §. *serviles.* c. *lege Julia.* 44. § *nec distinguitur.* l. *nuptiæ.* 53. l. *jure gentium.* ult. ff. *de ritu nuptiar.* Harm. 6. §. *ergo non omnes.* Instit. *de nuptiis.* & Genes. 2. Adam afflatus Spiritus sancto exclusit parentes ab liberorum conjugiis: *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Idem prohibetnt Levitici 18. Ita, inquam, matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, inter parentes scilicet & filios ipso naturæ jure irritum est, ut si Adam, à quo sic tamquam ab primo parente descendimus, adhuc viveret, nullam ex mulieribus nunc viventibus assumere posset in conjugem, secundùm Glossam post. text. in d. §. *ergo non omnes.* Institut. *de nupt.*

Quidquod, ipsæ gentes barbaræ uno dumtaxat lumine naturali illustratæ, ab his nuptiis utpote exsecrandis abhorruerunt, ut legere est apud Tertullian. in Apolog. cap. 9. apud S. Augustin. lib. 3. qq. in Levit. quæst. 61. apud S. Joann. Chrysost. hom. de Pentecoste in fine, apud Theodoretum in lib. de legibus, item apud S. Ambros. Epist. 66. ad Paternum.

Ergo maneat inconcussum illud pronuntiatum, matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, id est matrimonium patris cum filia, filii cum matre, ipso jure naturali prohibitum esse.

Hæc propositio probatur, quia cùm olim consanguinitas usque ad septimum gradum matrimonia facienda prohiberet, & facta dirimeret, ut constat ex cap. *ad sedem.* Innocentius Papa III. constitutione super hoc edita sacri approbatione Concilii (id est Concilii Lateran. sub ipso celebrati) nova constitutione revocavit, & prohibuit, ne prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum excederet: eo quòd in ulterioribus gradibus tunc non posset absque gravi dispendio generaliter observari, ut constat ex cap. *Non debet.* Tit. xiv. *de consanguin. & affinitate.* Et ibid. Cùm ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, ita eam volumus esse perpetuam, &c.

Altera pars nostræ conclusionis, quâ contendimus, consanguinitatem in primo gradu lineæ transversæ seu collateralis matrimonium prohibere contrahendum, & dirimere contractum, facilè probatur.

1°. Ex eo, quòd Concilium Agathense cap. 61. cùm egisset de matrimonio inter consobrinos, & patruum & sobrinam inito, hujusmodi conjugia in posterum ita prohibuit, ut tamen quæ jam erant contracta, non dissolverentur. Quod profectò non statuisset ipsum illud Concilium, si talia matrimonia naturali lege fuissent irrita.

Id ipsum statuit Concilium Epaunense, in quo iisdem planè verbis, quibus expressum est statutum Agathense, asseritur, sicut & in Concilio Aurelian. IV. cap. 27. & in Turonensi II. cap. 21. & in Arelat. IV. cap. 11. & Innocentius Papa III. in cap. *Gaudemus. de divortiis.* conceptis verbis affirmat, matrimonia infidelium in secundo, in tertio & in aliis consanguinitatis gradibus inita nullatenus esse dirimenda, cùm catholicam fidem amplectuntur, eo quòd ipsi infideles canonicis legibus non

teneantur. Ergo naturali jure matrimonia in primo lineæ tam rectæ quàm transversæ seu collateralis gradu prohibentur; in cæteris autem gradibus jure dumtaxat ecclesiastico interdicuntur.

Quod & satis apertè pronuntiat Concilium Tridentinum, cùm sess. 24. de reform. matrim. cap. 5. nulla facta vel lineæ rectæ vel transversalis mentione, sic loquitur: *In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

Quæstio L.

Quomodo in jure canonico computentur consanguinitatis gradus, qui ad collateralem lineam pertinent.

Observandum est, consanguinitatis gradus in transversali seu collaterali linea, in jure canonico computari in ordine ad stipitem, ita ut iidem illi gradus semper duas supponant personas, hoc pacto.

1°. Frater & soror consanguinei sunt in primo consanguinitatis gradu.

2°. Cognati germani & cognatæ germanæ, qui sunt filii & filiæ duorum fratrum aut sororum, consanguinei sunt in secundo gradu.

3°. Liberi seu filii cognati germani & filii cognatæ germanæ, consanguinei sunt in tertio gradu.

4°. Filii qui per carnalem generationem descenderunt ex filiis cognati germani & cognatæ germanæ, sunt in quarto gradu.

Secundùm hanc supputationem patruus & neptis sunt in secundo consanguinitatis gradu: patruus & proneptis in tertio: patruus denique & ipsius proneptis filia in quarto.

Quæres, utrum duo, quorum unus, nempe vir, distat à stipite quarto gradu; altera verò, nempe mulier, ex alio latere distat ab eodem stipite quinto gradu; matrimonio legitimè possint copulari.

Respondeo, posse, ut affirmat Gregorius Papa IX. cap. *vir qui à stipite. de consanguin. & affinit.* Et id certum est secundùm regulam, quâ dicitur: Quoto gradu remotior persona distat à communi parente, toto distat à quolibet alio descendente per aliam lineam: v. g. communis parens duorum hominum fuit Petrus, ejus filii fuerunt Martinus & Berta, qui sunt in primo gradu. De Martino descendit Joannes, & de Berta ex alia parte natus est Robertus: qui Joannes & Robertus sunt in secundo gradu æqualiter descendentes à Petro. De Joanne natus est Stephanus, de Roberto natus est Albertus, qui sunt in tertio gradu, & æqualiter descendunt à Petro tertio gradu: scilicet de Stephano natus est vir iste, de quo hic quæritur. De Alberto natus est Titius, qui est in quarto gradu cum viro isto, æqualiter distantes à Petro. Primo loco occurrit tibi vir iste, qui quarto gradu distat à Petro, & sic est ultima persona in consanguinitate Petri ex una linea, & Titius ex alia linea. De Titio nata est hæc mulier, de qua hic quæritur, & distat quinto gradu à Petro, & sic exivit jam consanguinitatem Petri. Ergo eodem gradu distat à quolibet alio descendente per aliam lineam, & sic distat quinto gradu à Martino, Joanne, Stephano, & ab isto viro, videlicet filio Stephani: ideoque rectè potest illum habere in virum, & quemlibet descendentem à Petro per aliam lineam potest accipere, cùm omnes illæ personæ huic sint in quinto gradu. Hactenus Glossa in cap. 9. *de consang. & affinitate.* Tit. xiv.



Quæstio LI.

Quibus de causis inductum est consanguinitatis impedimentum, quod inter consanguineos & matrimonium prohiberet ineundum, & diriméret initum.

Prima ratio repetitur ex honore, verecundia, & reverentia consanguineis & affinibus debita, eo quòd hujusmodi observantia inter actos conjugales semper cum aliqua turpitudine & irreverentia conjunctos retineri, atque adeo, parentibus & aliis eadem nobiscum propinquitatis necessitudine devinctis (sicut oportet) adhiberi nequeat.

Hanc rationem sic hominum animis impressit natura, ut ne ipsis quidem populis idololatriæ caligine obcæcatis latuerit. Nam apud Romanos, ut proditum est à Valerio Maximo lib. 2. sub titulo *de matrim. ritu.* cap. 1. nn. 7. ubi agit de verecunda consanguinitate: *Nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur. Manifestum igitur est tantùm religionis sanguini & affinitati, quantum ipsis Diis immortalibus tributum. quia inter ista tam sancta vincula non magis, quàm in aliquo sacrato loco, nudare se, nefas esse credebatur.* Hæc ille.

Hujus rationis vim satis superque percipere possumus ex cap. 18. Levit. in quo Deus tot matrimonia utpote verecundæ consanguinitati repugnantia prohibet: *Omnis homo*, inquit, *ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus*, Hebraicè, nuditatem, id est vetenda, seu inhonesta membra, quæ ab Hebræis nuditatis nomine designantur per antiphrasim, eo quòd illa esse nuda non deceat. Revelare ergo turpitudinem alicujus mulieris, est eam cognoscere, & cum ea rem habere, sive in matrimonio, sive extra illud.

Rationem hujus mandati reddit ipse Deus ibidem, *Ego Dominus*: perinde ac, si diceret: Quia ego Dominus, qui id præcipio, impensè diligo honestatem & verecundiam, atque adeo mihi illam imperanti unusquisque vestrûm obsequi debet: alioquin ultricem meam manum suo damno experietur, Levitic. cap. 18. v. 6.

Et v. 7. sequenti vetatur matrimonium filii cum matre sua, his verbis: *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus.* Hoc versu prohibetur matrimonium filii cum matre. Siquidem turpitudo patris eadem planè est, quæ turpitudo matris, scilicet ipsa mater: ita ut posterius membrum explicet prius. In matre enim, inquit S. Augustinus quæst. 58. in Levitic. simul est turpitudo patris & matris. Quod & patet v. 8. sequenti, quo prohibetur conjunctio cum noverca, mortuo scil. patre: siquidem ibi turpitudo ipsius novercæ vocatur turpitudo patris, eo quòd conjuges per actum conjugalem jam non sunt duo, sed una caro secundùm Scripturas.

Ibid. v. 9. interdicitur matrimonium cum sorore, quod ab fratre contrahi nefas est: sive eumdem cum fratre patrem, sed aliam matrem; sive eamdem cum fratre habeat matrem, sed alium patrem. Hujusmodi matrimonium olim licitum fuit in ipso videlicet humani generis exordio, propter mulierum & hominum penuriam ad humanæ sobolis propagationem opportunam: sed ablata necessitate talia matrimonia sic tamquam execranda usurpari desierunt.

Quod præclarè docet sanctus Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 16. ut mox in secunda ratione visuri sumus.

Secundam hujus rei rationem affert & insigniter

explicat S. Aug. loco proximè citato : *Cùm igitur*, inquit, *genus humanum post primum copulum viri facti ex pulvere & ecujugu ejus ex viri latere, marium faminarumque conjunctione opus haberet, ut gigneudo multiplicaretur : nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt : quod profectò quantò antiquius est compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius religione prohibente : habitu est enim ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur : nec unus in unu multas haberet, sed singula spargerentur in singulos : ut sic ad socialem vitam diligentiùs colligendam plurima plurimos obtinerent. Pater quippe & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit.* Hæc est igitur ratio S. August. aientis, multiplicandas oportuisse esse necessitudines, ut illarum adminiculo sese Christiana charitas latiùs diffunderet.

Prima igitur ratio, quare inter consangnineos matrimonia, sive in rectâ, sive in transversali linea, vel lege naturali vel positiva prohibeantur, petitur ex verecundia, quam quilibet consanguineis impendere tenetur.

Altera verò repetitur ex charitate, quæ multiplicatarum necessitudinum adjumento cernitur, adolescit, latiùs diffunditur, & corroboratur. Tali ratione perpulsi homines hujuscemodi nuptias exhorruerunt. *Si enim*, ut pergit S. Aug. loco cit. *iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum, quantò est iniquius libendi concumbendi (per fraternu conjugia) subvertere limitem morum ? Experti autem sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per mores fiebat, quod per leges licebat : quia id nec divinu prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrinu, penè cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, & penè germani sunt. Fuit autem antiquis religiosa cura, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longiùs abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondum longè positam rursus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem.* Hactenus S. Aug. loco cit.

Tertia ratio, ob quam inductum est consanguinitatis impedimentum, per quod & matrimonium cum consanguineis ineundum prohibetur, & initum dirimitur, petitur ex eo, quòd personas consanguinitate conjunctas secum invicem conversari oporteat; quapropter si non arcerentur ab commistione venerea, nimia opportunitas criminosæ istius copulæ præberetur hominibus, & sic eorum animi per frequentiorem carnis copulam nimis emollescerent. Et ideo in veteri lege videntur specialiter prohibitæ esse personæ, quas simul commorari necesse est, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. in corp. qui & ibid. addit quartam rationem ex Aristot. 2. Politicor. desumptam : *Cùm enim*, inquit, *homo naturaliter consanguineum diligat, si adderetur amor, qui ex carnali copula inflammatur, inde nimius amoris ardor effervesceret, & existeret flagrantissimum amoris incentivum*, ut ait loco citato idem S. Thomas.

Antequam finem imponamus huic tractatui de cognatione naturali, solvendæ sunt aliquot quæstiunculæ.

1°. Igitur quæres, utrum soli consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitic. cap. 18. recensentur, possint impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum.

Respondeo, non eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus Levitici cap. 18. enumeratos, posse impedire matrimonium contrahendum, & utrimque contractum; sed etiam alios quos Ecclesia declaraverit, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum. Hæc est fides Ecclesiæ declarata & sancita in Concilio Tridentino sess. 24. de matrim. c. 3. *Si quis dixerit*, aiunt istius Conc. Patres, *eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis ipsorum dispensare aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.* Hactenus Concilium.

2°. Quæres, quis possit in omnibus impedimentis tam prohibentibus quàm dirimentibus dispensare.

Respondeo, Episcopum posse dispensare in impedimentis non dirimentibus, præterquam in sponsalibus cum alio contractis, & in votis simplicibus, quibus aliquis ad perpetuæ & absolutæ castitatis observantiam, & ad religionis ingressum sese apud Deum obligavit.

Quòd si agatur de impedimentis jure naturali matrimonium dirimentibus, (qualia sunt impedimenta primi gradus tam in linea recta, quàm in transversali seu collaterali) in iis ne ipsa quidem Ecclesia dispensare potest, cùm nihil habeamus, quod talis dispensationis potestatem Ecclesiæ ab Christo traditam & relictam esse comprobet.

Si autem agatur de aliis jure dumtaxat ecclesiastico matrimonium dirimentibus, potest summus Pontifex in iis ordinariè loquendo dispensare : & hæc est praxis Ecclesiæ.

His ita prælibatis : *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit*, juxta Concilium Trident. sess. 24. de matrim. can. 4. Quod & de omnibus canonibus & statutis universalis Ecclesiæ praxi stabilitis affirmare licet. Neque enim fieri potest, ut Ecclesia in unitate Catholica ab omni ævo fundata in rebus fidei & morum, vel tantillum ab regio veritatis tramite deflectat.

Hæc obiter de dispensationibus, usquedum ad uberiorem earum tractationem pervenerimus. Jam ergo de affinitate tractandum est : sit itaque ad ejus declarationem

---

QUÆSTIO LII.

Quid sit affinitas.

Conclusio.

Si spectetur etymon hujus nominis, affinitas, est quasi duorum ad unum finem unitas, eo quòd duæ cognationes diversæ per nuptias secundùm leges, & per carnalem copulam secundùm canones copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit, ut ff. *de grad. cognat. l. non facile. §. affines*

Si autem ejus natura secundùm canones expendatur, definitur, propinquitas personarum ex consummata carnali copula, sive licita, sive illicita proveniens, omni carens parentela : vel ipsa illa affinitas definitur, propinquitas unius personæ cum consanguineis alterius à se carnaliter cognitæ : vel dicitur diversarum personarum propinquitas, quarum una carnalem copulam habuit cum consanguinea alterius.

Ut id totum meliùs & clariùs percipiatur, expendere juvat omnes hujusmodi definitionum particulas.

1°. Igitur affinitas dicitur propinquitas personarum, &c. Quemadmodum enim duo agri dicuntur affines, cùm finis seu terminus unius sua propinquitate alterius terminos, seu fines attingit: ita cùm vir & uxor per copulam fiant una caro, sanguis unius dicitur alterius sanguinem tangere; ac proinde consanguinei unius trahuntur ad quamdam alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur.

2°. Ipsa illa affinitas dicitur, proveniens ex consummata carnali copula. Revera non contrahitur affinitas, nisi copula carnalis ita sit consummata, ut ex ea proles sequi valeat: id est, ut habetur ex cap. *extraordinaria.* 35. q. 3. semen viri in naturale vas fœminæ sit ad generandum immissum, quacumque arte, vel humana vel diabolica, id factum fuerit, sive sponte, sive casu id acciderit. Ac reipsa quidem per solam carnalem copulam, etiam illicitam, etiam consummatam cum muliere omnino invita, vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel ebria: quia inde, id est ex tali copula, sequi potest generatio & commixtio sanguinis, ut habetur ex cap. *discretionem. de eo qui cognovit consanguineam uxoris.*

3°. Additur in definitione, carens omni parentela. Id additur, vel ut affinitas distinguatur à cognatione naturali, quæ, ut vidimus suprà, nihil est aliud quàm vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum; vel, ut ait S. Thomas, in 4. dist. 41. q. 1. a. 1. in solut. quæstiunc. 3. ad 2. quod dicitur, inquit, in definitione, omni carens parentela, intelligendum est in quantum hujusmodi, hoc est affinitas quatenus est affinitas, nullam habet aut exigit parentelam. Nam ex una ex allatis paulò antè definitionibus affinitas dicitur diversarum personarum propinquitas, quarum una carnalem copulam habuit cum alterius consanguinea.

Cùm ergo dicitur affinitas omni carens parentela, intelligitur per se, seu ex parte affinitatis, cui per accidens est, ut aliquando affinitas & consanguinitas reperiantur in eodem subjecto: quod quidem non repugnat. Non est enim inconveniens relationes ex opposito divisas eidem inesse ratione diversorum, & ideo potest inter aliquas duas personas esse affinitas & consanguinitas, non solùm per licitum concubitum, sed etiam per illicitum: sicut cùm consanguineus meus ex parte patris duxit in uxorem consanguineam meam ex parte matris. Unde quod dicitur in definitione affinitatis, omni carens parentela, intelligendum est in quantum hujusmodi, (ut loquitur S. Thomas loco proximè citato) hoc est, affinitas, quatenus est affinitas, nullam habet aut exigit parentelam

---

QUÆSTIO LIII.

Quomodo fiat computatio affinitatis.

RESPONDEO, non posse meliùs intelligi quinam sint affines, & quomodo computanda sit affinitas, quàm per regulas sequentes. Sit ergo

Prima regula.

Quoto gradu consanguinei uxoris sunt ipsi uxori jure consanguinitatis, eodem gradu sunt ipsius marito jure affinitatis; & contrà, quoto gradu consanguinei viri sunt ipsi viro jure consanguinitatis, eodem gradu sunt ipsius uxori jure affinitatis, quia, ut dicitur in canon. *porro.* 35. q. 5. maritus & uxor sunt una caro. Unde fit, ut non sit alia comparatio graduum inter affines, quàm est inter consanguineos. Et hinc vulgò dicitur in l. *non facile.* 4. §. *nomina.* ff. *de gradib. & affin.* nullos esse gradus affinitatis, quia nempe quoto gradu consanguineus meus est mihi jure consanguinitatis, eodem gradu ejus uxor est mihi jure affinitatis.

Affinitas igitur per se nullos habet gradus. Cùm enim gradus propinquitatis distinguantur per propagationem carnis, distinctio graduum per se & immediatè competit consanguinitati, ad quam propagatio carnis per se comparatur; affinitati autem solùm convenit mediante consanguinitate. Unde existit ea, quam statuimus, regula: quoto gradu consanguinitatis attinet alicui maritus mulieris, tot gradu affinitatis attinet ei uxor, & econtrà.

Quæres 1°. ex occasione hujus regulæ, quinam sit stipes affinitatis.

Respondeo, stipitem affinitatis esse duas personas, quæ per carnis copulam commiscentur, cùm duæ hujusmodi personæ sint origo & radix affinitatis.

Quæres 2°. quotuplex sit affinitatis linea.

Respondeo, esse duplicem affinitatis, sicut & consanguinitatis lineam. Una enim est recta ascendentium & descendentium. Ascendentes sunt socer & socrus, *le beau-pere & la belle-mere:* vitricus, qui videlicet duxit viduam ex priore conjugio liberos habentem: noverca, quæ habet viduum hominem liberis ex priore conjugio susceptis oneratum. Descendentes verò gener, *le gendre:* nurus, *la bru ou belle-fille:* privignus & privigna: *ce sont les enfans du premier lit de l'un ou de l'autre des mariez, ou de tous les deux.*

Altera verò linea transversa seu collateralis, in qua reponuntur illi qui alterutri conjugi sunt consanguinei in linea transversa. Nam alteri sunt affines in eodem transversæ lineæ gradu. Et si consanguinei sunt in linea transversa æquali vel inæquali, similiter erunt affines.

Secunda regula.

Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus attinentiæ, sed non gradum.

Hanc regulam insigniter edisserit Glossa in cap. *non debet. de consang. & affinit.* in hæc verba, in secundo & tertio. Ut meliùs (ait ipsa Glossa) intelligas hanc litteram, videas quid sit primum genus affinitatis, quid secundum & tertium genus. Primum, secundum & tertium invenire debes per hanc regulam. Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, & non gradum: genus dico attinentiæ: v. g. ego & frater meus sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis: frater meus duxit uxorem: illa est persona addita personæ per carnis copulam: illa mutat genus attinentiæ, id est alio genere attinentiæ attinet mihi, quàm frater meus, quia ille est mihi consanguineus, & illa mihi affinis; sed non mutat gradum: quia sicut frater est consanguineus mihi in primo gradu; sic & illa mediante fratre meo est mihi affinis in primo gradu primæ affinitatis. Ergo si vis habere primum genus affinitatis, adde per carnis copulam alicui de tua consanguinitate aliquam personam, & illa persona est affinis omnibus consanguineis viri sui in primo genere affinitatis. Et hoc genus tantùm hodie prohibitionem habet. Unde mortuo illius mulieris marito, puta fratre tuo, illa non potest habere aliquem de consanguinitate viri sui: ergo patet, quòd omnes consanguinei & consanguineæ uxoris meæ sunt mihi affines in primo genere affinitatis.

Si vis habere secundum genus affinitatis, adde personam per carnis copulam primo generi, hoc modo: uxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis: mortuo fratre meo adde illi alium virum, & ille erit mihi affinis in secundo genere affinitatis; & ille secundùm antiqua jura, mortuâ illâ

illâ non poterat accipere aliquam de consanguinitate prioris mariti usque ad quartum gradum. Et de isto secundo genere habes 35. q. 3. *de propinquis*. Sed hodie non prohibetur, ut habetur in cap. cit. *non debet*.

Si vis habere tertium affinitatis genus, adde personam personæ per carnis copulam secundo generi, & sic habes tertium genus: v. g. Seius fuit maritus relictæ fratris tui, mortuâ illâ relictâ, maritus ejus, qui est tibi affinis in secundo genere, accipit aliam: illa est tibi affinis in tertio genere. Et illa olim mortuo viro suo, non poterat copulari alicui de consanguinitate tua, cùm illa esset tibi & consanguineis fratris tui in tertio genere usque ad secundum gradum. De hoc genera habes 35. q. 3. *porro*.

Inde habes primum affinitatis genus dici, quia primò emanat de consanguinitate, vel quia una persona mediante contrahitur. Secundum dicitur, quia secundo loco emanat post primum, vel quia duabus personis mediantibus. Tertium, quia in tertio loco, vel quia tribus personis mediantibus emanat.

Tertia regula.

Primum affinitatis genus, quod solum dumtaxat nostris hisce temporibus ad prohibenda pariter & dirimenda conjugia inter affines, vel contrahenda, vel contracta, vim retinet, contrahitur inter virum, mulierem per carnalem copulam, sive licita sit, sive illicita, cognoscentem, & mulieris per talem copulam cognitæ consanguineos, & econtrà inter mulierem & cognoscentis consanguineos, ut patet ex cap. *quod super his. de consang. & affinit.*

Super eo igitur (ut decernit dicto cap. Innocentius Papa III.) *quòd pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia: taliter tibi duximus respondendum, quòd licèt omnes consanguinei viri sunt affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdem scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eas matrimonium debeat impediri.* Hactenus Innocent. Papa III. cit. cap.

Licèt ita sit constitutum, nec tamen ex affinitate oritur jam affinitas inter affinium consanguineos, ut statutum est in Concilio generali Lateranensi.

Quapropter hodie consanguinei uxoris efficiuntur affines mariti, & econtrà: at inter consanguineos mariti & consanguineos uxoris nulla prorsus est affinitas, nec inter affines oritur aliud vinculum cum quacumque alia persona. Unde nonnulla ducuntur consectaria in praxi maximè necessaria. Nam

1°. Filia uxoris ex alio matrimonio habita, aut ex fornicatione cum altero, potest nubere filio, aut fratri viri, & duæ sorores possunt nubere duobus fratribus.

2°. Potest quis in uxorem assumere relictam à propriæ uxoris fratre.

3°. Diversis temporibus potest quis plures fœminas sibi accipere uxores, quæ cum pluribus fratribus matrimonium inierint: Joanna v. g. & Maria nupsere duobus fratribus: potest Petrus Joannam, cùm vidua fuerit, asciscere in uxorem, & eâ mortuâ, cum Maria matrimonium contrahere. Simpliciter Petrus duxit uxorem Pauli, & Paulus quamdam non conjunctam Petro, nec sibi, sed extraneam, possunt, soluto utroque matrimonio Petrus, & illa uxor Pauli, inter se licitum inire matrimonium, eo quòd nulla hodie ex tali affinitate conjunctio pullulet, ut præclarè docet Covarruvias 4. Decret. 2. p. cap. 6. §. nu. 6.

De hac regula satis, jam ad quartam progredi necesse est.

Quarta regula.

Sicut inter collaterales consanguineos nuptiæ prohibentur usque ad quartum gradum inclusivè, seu quintum exclusivè: ita inter collaterales affines, ut constat ex can. *ego dixi.* cum tribus sequentibus, 34. q. 2. can. *si homo.* 35. q. 3. cap. *discretionem.* cap. pen. & c. *de eo qui cogn. consang. uxoris suæ.* cap. *præterea.* 2. *de sponsal. & matrim.*

Inde igitur patet, nuptias inter collaterales affines usque ad quartum gradum inclusivè prohibitas esse, nisi affinitas orta sit ex illicito concubitu. Tunc enim juxta Concilium Trident. affinitas ultra secundum gradum, nec matrimonium prohibet contrahendum, nec dirimit contractum.

Juvat hîc ascribere Concilii decretum in hæc verba conceptum: *Sancta Synodus gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.* Hactenus Concilium sess. 24. de reformat. matrim. cap. 4.

Quæres ex occasione hujus Decreti, cur Concilium affinitatem ex fornicatione ortam potiùs restrinxerit, quàm illam quæ ex conjugali copula contrahitur.

Respondeo, Concilium affinitatem ex fornicatione ortam restrinxisse potiùs, quàm illam quæ ex conjugali copula oritur, eo quòd affinitas ex fornicatione contracta sæpissime occultè contrahatur, & ex illa nullum amicitiæ inter affines incundæ vinculum existat. Quæ ratio non cadit in affinitatem ortam ex conjugali copula: quæ quidem cùm fortius affinitatis vinculum pariat, ab Concilio non est restricta, ut amicitia plures in affines & latiùs & uberiùs effunderetur.

Quæres 2°. utrum in primo & secundo gradu, ad quos restricta est affinitas ex fornicatione contracta, dispensetur.

Respondeo cum Congregatione Cardinalium, in primo & secundo gradu dispensari ex causis ordinariis in descendentibus, sed non nisi ex magna causa.

Quæres 3°. utrum impedimentum ortum ex fornicatione non solùm matrimonium, sed etiam sponsalia dirimat.

Respondeo, illud habere locum in sponsalibus contractis per verba de futuro, ut illa etiam dirimat. Ita censuit dicta Congregatio.

Quæres 4°. utrum Concilium per fornicationem, ex qua oritur affinitas matrimonium dirimens, de illa dumtaxat fornicatione quæ distinguitur ab adulterio, stupro, & cæteris luxuriæ speciebus, vel de quolibet illicito concubitu intelligi oporteat.

Respondeo, Concilium intelligi oportere de quolibet concubitu illicito: eo nomine, quòd ratio quâ perpulsum est Concilium, ut affinitatem ex fornicatione ortam restringeret, cadat in quemlibet concubitum illicitum. Revera ad hanc restrictionem adductum est dictum Concilium, eo quòd ex hujusmodi affinitate nullum amicitiæ vinculum inter affines oriretur, imò communiter ignoraretur, ac proinde multa damna ex eo impedimento, nisi restringeretur, emergerent.

Quæ ratio cùm ad omnem concubitum illicitum promiscuè pertineat, omnem affinitatem ex illicita qualibet copula profectam ab Concilio Tridentino ad secundum usque gradum inclusivè restrictam esse, graviores asserunt Theologi. Quod & confirmavit Pius Papa V. in motu proprio quem edidit anno sal. 1566. qui incipit *Ad Romanum Pontificem*, in quo de præsenti materia sic loquitur: *Declaramus, & authoritate Apostolica decernimus, nullum impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè & licitè matrimonium contrahi possit.*

Regula quinta.

Sicut inter rectilineos, sive ascendentes, sive descendentes, consanguineos nuptiæ prohibentur in infinitum ratione consanguinitatis, ita inter rectilineos affines, l. *non facile.* 4. 5. *hos itaque.* ff. *de gradib.* l. *nemini liceat.* 17. c. *de nupt.*

Quæstio LIV.

Quænam matrimonia ob affinitatem licita vel illicita dici debeant.

Ut hac in re rectum ordinem teneamus, statuendum est pro certo & indubitato apud omnes Theologos, dari impedimentum affinitatis, quod oritur ex copula carnali, sive licita, sive illicita. Et id probatur authoritate plurium Conciliorum, quæ citata reperies apud Basil. Pontium de matrim. lib. 7. cap. 33. de impedimento affinitatis.

1°. Pro certo igitur tenendum est, affinitatem præcedentem matrimonium illud impedire & dirimere ob eamdem rationem, quâ consanguinitas illud inter consanguineos initum dirimit, nempe propter reverentiam & familiaritatem consanguineis debitam: quæ reverentia & familiaritas cùm ipsis quoque affinibus debeatur, contractum etiam cum affinibus matrimonium per illam dirimitur.

Dicitur affinitas, quæ præcessit matrimonium, illud dirimere, quia si affinitas superveniat matrimonio rite inito, non dissolvit illud, sicuti nec cætera impedimenta dirimentia, quæ non dicuntur dirimere matrimonium contractum, quasi solventia verum matrimonium quod rite contractum est; sed quia solvunt matrimonium, quod contractum est de facto, non de jure. Unde si impedimentum aliquod matrimonio rite facto superveniat, matrimonium solvere non valet, ut loquitur S. Thom. q. 50. a. unico ad 7.

Non igitur affinitas superveniens matrimonio jam inito, dirimit illud, utpote legitimè contractum, sed alterum producit effectum. Nam si hujusmodi affinitati aliquis culpabiliter causam præbuerit: si v. g. maritus uxoris suæ consanguineam, vel uxor mariti sui consanguineum cum culpa cognoverit, nunquam potest debitum conjugale petere, tametsi petenti reddere teneatur. Quòd si uterque sit in culpa, neuter debitum vel reddere vel petere potest, quin priùs ambo dispensationem obtinuerint: quam dispensationem ab Episcopo indulgeri posse docent Navarrus in Man. c. 22. nu. 75. & 85. Toletus lib. 5. Institut. Sacerdot. cap. 12. & alii.

2°. Omnes Theologi unanimi consensu docent, affinitatem ex matrimonio consummato, vel inconsummato provenientem, matrimonium dirimere usque ad quartum gradum inclusivè, ex cap. *non debet. de consanguin. & affinit.*

3°. Affinitas ex matrimonio proveniens dirimit matrimonium postea contractum in primo quidem gradu lineæ rectæ (quod est maximè probabile) jure naturali; in cæteris verò ejusdem lineæ, sicut & in omnibus omnino lineæ transversæ gradibus, eadem affinitas ex matrimonio proveniens jure tantùm ecclesiastico, seu positivo matrimonium contractum dirimit.

Ex prima hujus assertionis parte sequitur, ista affinium matrimonia vitrici scilicet cum privigna, novercæ cum privigno, soceri cum nuru, generi cum socru, esse jure naturæ irrita. Et hujus rei veritas inde maximè eluxescit, quòd nulla hac in parte dispensationis exempla reperiantur.

Quod spectat ad alteram assertionis partem, quâ dicimus, in omnibus lineæ rectæ gradibus (præterquàm in primo) & in omnibus collateralis seu transversæ lineæ gradibus affinitatem ortam ex matrimonio, jure tantùm ecclesiastico dirimere matrimonium, constat ex variis rationibus, & præsertim ex dispensationibus, quibus summi Pontifices hujusmodi matrimonia non jure naturali, (in quo nullam dispensandi facultatem Ecclesiæ relictam esse rescivimus) sed tantùm jure positivo ecclesiastico prohibita esse declararunt: eo nomine, quòd licèt hujusmodi matrimonia in aliquot gradibus cum affinibus inita, naturalem quamdam indecentiam præ se ferant, aliqua tamen causa præponderante cohonestari valeant. Ideo Innocentius Papa III. cap. fin. *de divort.* dispensavit cum infidelibus recèns conversis, ne ab suscepta fide, in qua nondum erant confirmati, desciscerent, ut uxoribus conjugum fratrum suorum relictis uterentur.

Alexander Papa VI. in eodem gradu cum Rege Lusitaniæ dispensavit. Julius Papa II. cum Henrico VIII. Anglorum Rege dispensavit, ut Catharinam demortui fratris relictam duceret in uxorem: quam tamen nescio quo prolubio repudiavit, eoque nomine præposteri repudii causam prætexuit, quòd scilicet passim & pervicaciter assereret, summum Pontificem non potuisse secum hac in occasione seu in hoc affinitatis gradu dispensare. Verùm Clemens Papa VIII. Apostolicæ sedis authoritati singulari prudentia consuluit; quippe qui celeberrimas totius orbis Academias hujusmodi controversiam discutere, & ab radicibus limare jussit; quod ut præstitum est maxima & Apostolicæ sedi convenientissima consilii maturitate, præfatam dispensationem præfato Principi indultam, legitimam esse pronuntiavit.

Si quis objiciat, Herodem Antipam ab S. Joanne Baptista graviter reprehensum, eo quòd Philippi fratris sui uxorem in conjugem sibi asciverat; quod non fecisset sanctus Præcursor, si matrimonium cum fratris uxore fuisset licitum:

Respondeo, rectè reprehensum fuisse Herodem ab S. Joanne, quia quomodolibet accipiatur ejus conjugium, ab culpa, eaque gravissima, non potest excusari: vel enim frater ejus Philippus deviserat, cùm ejus uxorem duxit; vel superstes erat: si superstes erat, (ut verisimillimè tradit Hieronymus, & cum illo Beda in Matth. & Eusebius lib. 1. Histor. cap. 11.) graviter peccavit. Neque enim fuit ullum tempus, quo viventi marito suam conjugem eripere, & eam in uxorem assumere liceret. Quòd si Philippus jam è vivis excesserat, Herodes etiam tunc immane flagitium admisit: neque enim apud Judæos demortui fratris uxorem in matrimonium assumere licebat vivo fratri, præterquam in uno casu, si videlicet defunctus frater decessisset sine liberis. Tunc enim superstes ejus frater ducere jubebatur ejus uxorem, ut suscitaret semen fratri suo: quod quidem in Herode locum habere non poterat, siquidem Philippus susceptam ex Herodiade filiam reliquerat, filiam nempè saltatricem, quæ Joannis caput petiit.

4°. Affinitas ex illicito congressu proveniens in nullo gradu impedit matrimonium, nisi jure positivo: quia filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reverentiam mulieri, quam pater extra matrimonium cognovit. Neque enim ex illicita carnali copula amicitiæ, sed odia nascuntur.

Quæstio LV.

Quid sit cognatio spiritualis, & utrum matrimonium impediat contrahendum, & dirimat contractum, & inter quos contrahatur.

Prima conclusio.

COGNATIO spiritualis est quædam propinquitas proveniens ex collatione baptismi vel confirmationis, aut tentione ad illa (sacramenta.) Ita S. Thomas, & alii passim.

Vel definitur ipsa illa cognatio spiritualis, attinentia proveniens ex sacramenti datione, vel ad id detentione, ut videre est in Glossa in cap. 1. *de cognat. spirituali.* in 6.

Secunda conclusio.

Certum est in jure pontificio, per cognationem spiritualem ex baptismo & confirmatione quæsitam, contrahendum impediri matrimonium, ut patet ex cit. cap. 1. *de cognat. spirit.* in 6. & contractum dirimi, ex eod. cap. 5. fin. & cap. ult. *de cognat. spirit.* in 6. can. *quamvis non plures.*

Hanc ipsam conclusionem insigniter probat & illustrat S. Thomas in 4. dist. 42. a. 1. in solut. » quæst. unicæ. Respondeo, dicendum, inquit, quòd » sicut per carnis propagationem homo accipit esse » naturæ, ita per sacramenta accipit esse spirituale » gratiæ. Unde sicut vinculum quod ex carnis propagatione contrahitur, est naturale homini, in quantum est res quædam naturæ; ita vinculum quod » contrahitur ex sacramentorum susceptione, est quodammodo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiæ. Et ideo, sicut carnalis cognatio impedit matrimonium; ita spiritualis, ex Ecclesiæ statuto. Tamen distinguendum est de spirituali cognatione; quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur.

» Si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit » contractum; si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii: sed quantùm ad actum matrimonii est distinguendum; quia aut spiritualis cognatio inducitur causâ necessitatis, sicut cùm pater » baptizat puerum in articulo mortis: & tunc non » impedit actum matrimonii.

» Aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia tamen: & tunc si ille ex cujus inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut & de primo.

» Aut ex industria extra casum necessitatis; & tunc » ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi » (debitum conjugale;) sed tamen debet reddere, » quia ex culpa ejus non debet alius aliquid incommodum reportare. Hactenus S. Thomas loco cit.

Tertia conclusio.

Hanc conclusionem ex ipsis Concilii Tridentini » verbis contexere necesse est. Sancta Synodus statuit, » (sunt ipsissima ejusdem Concilii verba) ut unus » tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum ipsum & illius patrem ac matrem, necnon » inter baptizantem & baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

» Parochus antequam ad baptismum conferendum » accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantùm ad « illum suscipiendum admittat, & in libro eorum « nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quòd si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus « nihil obstantibus. Si Parochi culpâ vel negligentiâ « secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. «

Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiùsque « patrem & matrem ac tenentem non egrediatur, « omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Hactenus « verba sacrosanctæ Synodi Tridentinæ sess. 24. de matrim. cap. 2.

Ut tota illa tractatio de cognatione spirituali clariùs eluceat, operæpretium est indagare, quænam requirantur, ut ista spiritualis cognatio verè contracta censeatur. Sit itaque

Quæstio LVI.

Quænam requirantur ad cognationem spiritualem contrahendam.

RESPONDEO, multa quæ passim enumerant Summistæ, ad eam cognationem contrahendam exigi: & inprimis

Requiritur, ut susceptor in ipso baptismo sive solemniter, sive absque consuetis cæremoniis administrato, teneat infantem, & de sacro fonte suscipiat, unde si in aliquo necessitatis articulo domi dictus infans baptizatus fuerit, & ad supplendas, quæ omissæ fuerint, cæremonias deportetur ad Ecclesiam, & aliquis patrinus adhibeatur, qui illum suscipiat in Ecclesia, nullo pacto contraheт cognationem spiritualem, eo quòd tempus, quo celebratur baptismus, & in quo spiritualis cognatio contrahitur, præterierit. Sicut non contrahit istam cognationem, qui suscipit puerum in baptismo privatim administrato, nisi sit laicus, qui quidem in debita materia & forma, sive virum, sive fœminam in gravi seu extrema necessitate, sine ulla solemnitate baptizans, contrahit spiritualem cognationem, quippe qui confert verum baptismum, ex quo spiritualis cognatio proficiscitur.

Inde conficitur, verè spiritualem contrahi cognationem ab eo duntaxat, qui puerum in baptismo solemniter administrato tenet, quando primò baptizatur. Si enim rebaptizetur, vel sub conditione baptizetur, non contrahitur ista cognatio: quia si rebaptizetur, irritus & cassus est talis baptismus, è quo nulla ideo cognatio spiritualis existit: si baptizetur sub conditione, nullo etiam pacto spiritualis cognatio contrahitur: nullum enim dubium dictam cognationem inducere potest.

Quòd si aliquis veram intentionem habeat patrini munus obeundi, nec tamen intendat dictam cognationem contrahere, nihilominus illam contrahit; tum quia accessorium sequitur principale, & qui vult principale, vult etiam accessorium, quod ex eo sequitur, l. *is qui.* ff. *commodati.* tum quia cognatio non pendet ex ejus voluntate, sed ex patrini officio, cui cognationem, de qua loquimur, justissimis de causis Ecclesiæ annectere placuit. Qui ergo tenet puerum, fingens officium patrini, non contrahit præfatam cognationem: quam contrahit puer cujuslibet ætatis, dummodo rationis usu gaudeat, & (quod est essentiale baptismali susceptioni) ipse baptizatus fuerit: quia cùm per rationis usum quo gaudet, potest habere sufficientem intentionem aliquem è sacro fonte suscipiendi, atque adeo spiritualem cognationem contra-

here poteſt. His ita prælibatis, ad pleniorem rerum quas explanavimus, intelligentiam,

Reſolvuntur variæ difficultates, quæ circa ſpiritualem cognationem, quæ ex baptiſmali ſuſceptione inducitur, emergere ſolent.

Quæſtiuncula prima.

Quæritur, utrum peccent, & quod peccatum peccent, qui plures quàm unum aut unam ad puerum ſacro è fonte ſuſcipiendum adhibeant.

Reſpondeo, hujuſmodi perſonas (iis in locis in quibus promulgatum & receptum eſt Concilium Tridentinum) peccare, & peccare lethaliter eo nomine, quòd Eccleſiæ præceptum per ſacrorum canonum ſtatuta declaratum infringant in materia gravi. Quòd autem materia ſit gravis, ſatis ſuperque declarat ipſummet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. cap. 2. Docet experientia, inquit, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantùm ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant.

Quæſtiuncula ſecunda.

Quæritur, utrum unus & una, vel duæ ejuſdem ſexûs perſonæ, aliquem è ſacro fonte ſuſcipere valeant.

Reſpondeo, non poſſe; requirit enim Concilium, ut unus & una ad ſummum, ad hujuſmodi ſuſceptionem adhibeatur. Unde nec ipſum Epiſcopum in contrarium diſpenſare poſſe, docent graves Theologi, nequidem tunc quando ſuſcipientes ſunt conſanguinei, ſive inter ſe, ſive cum baptizato ejuſque parentibus. Ergo oportet ad ſummum adhiberi unum & unam diverſi ſexûs, qui baptizatum ſuſcipiant. Quapropter Parochus ſciſcitari debet, qui ſint ad ſuſcipiendum electi, eoſque ſolos admittere, & eorùm nomina ſcribere, & cavere ne plures quàm unum & unam, & eos diverſi ſexûs, admittat. Quòd ſi plures uno & unâ ſeſe offerant, nec poſſit Parochus reſciſcere, quinam ſint ad dictam ſuſceptionem deſignati, licet ei è pluribus unum & unam eligere, eoſque patrinos declarare. Si autem Parochus deſignaverit plures, & omnes baptizatum ſimultaneo contractu ſuſcipiant, Navarr. in Man. cap. 22. nu. 29. cenſet, omnes cognationem ſpiritualem contrahere, quod & aſſerit de alio caſu, ubi nulli eſſent à Parocho deſignati, & plures baptizatum ſuſciperent. Navarro Molanus, Vivaldus, Cabrera, Henriquez lib. 12. cap. 11. nu. 13. & inprimis Cardinalium Congregatio ſuffragatur. Ideo in tali caſu ſaltem pro ſecuritate petenda eſſet diſpenſatio, nec deberet Parochus ante illam conjungere eos, de quibus eſſet hæc difficultas.

Quæſtiuncula tertia.

Quæritur, an cum compatre, ſeu patrino haberi debeat diſpenſatio, qui domi in ipſo neceſſitatis articulo baptizavit, vel ille qui poſtea in Eccleſia tenuit & levavit.

Reſpondeo, eum dumtaxat haberi pro vero patrino, qui domi baptizavit, non autem alterum, qui eum poſtea in Eccleſia tenuit. Ratio in promptu eſt, quia ſcilicet per baptiſmum inter domeſticos parietes collatum impreſſus eſt character, propter quem fit regeneratio ſpiritualis, quæ non reiteratur in Eccleſia, juxta Gloſſ. in can. *Presbyteri*. diſt. 48.

Quæſtiuncula quarta.

Quæritur, utrum per procuratorem ſuſcipientem puerum de baptiſmo, ſpiritualis cognatio, & à quo contrahatur.

Reſpondeo, ſpiritualem cognationem interveniu procuratorum pueros è ſacro fonte ſuſcipientium contrahi ab eo, qui ad hunc effectum procuratorem adhibuit. Procurator enim agit dumtaxat nomine alterius, non ſuo; & ideo cognationem ſpiritualem non contrahit, ſed mandans, à quo ipſe miſſus eſt.

Præterea, cùm Concilium Tridentinum declaraverit alios, qui ultra deſignatos baptizatum tangerent, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahere, & procurationem eſſe ultra deſignatos, id eſt eos qui primò ſunt deſignati, ut declaravit Congregatio Cardinalium: certum eſt, nullo pacto cognationem ſpiritualem ab procuratoribus, ſed ab mandantibus contrahi.

Et hæc ſententia eò certior eſt, quò notior eſt conſuetudo, quam reſciſcimus obſervari reſpectu virorum Principum, quos alii viri Principes, vel certè in altiſſimo cujuſpiam dignitatis faſtigio collocati, ſæpenumero per procuratores è ſacro fonte ſuſcipiunt. Sic Clemens Papa VIII. Ludovici XIII. (Ludovici XIV. nunc fœliciter regnantis) parentis religioſiſſimi patrinus per ſuos Legatos extitit.

Quæſtiuncula quinta.

Quæritur, utrum patrinus cum patrina matrimonium contrahere non poſſit.

Reſpondeo, poſſe, ſi patrinus ſimul cum patrina filium alienum ſuſcepit, ut declarat Pius Papa V. in Bulla quæ incipit *Cùm invicem*. quia inter ſuſceptores nulla contrahitur cognatio, ut paſſim docent Theologi.

Quæſtiuncula ſexta.

Quæritur, utrum vir & uxor, qui ſimul alienum puerum è ſacro fonte ſuſcipiunt, contrahant cognationem ſpiritualem, atque adeo dejiciantur de jure petendi debiti conjugalis, quo privantur quotquot cognationem ſpiritualem contrahunt.

Reſpondeo, virum & uxorem, qui ſimul alienum filium è ſacro fonte ſuſcipiunt, non contrahere ſpiritualem illam cognationem, quæ univerſis ipſam contrahentibus debiti conjugalis petendi jus adimit.

S. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. a. 3. contra quod diximus, id ſibi objicit: *Vir & uxor*, inquit, *poſſunt aliquem de ſacro fonte levare: ſi ergo ſpiritualis cognatio à viro tranſiret in uxorem, ſequeretur, quòd uterque conjugum eſſet bis pater, vel mater ſpiritualis ejuſdem; quod eſt inconveniens.*

Hanc objectionem ſic diluit ſanctus Doctor: *Ad quartum*, inquit, *dicendum, quòd ex quo inter patrem ſpiritualem & matrem non contrahitur aliqua cognatio, nihil prohibet, quin vir & uxor ſimul aliquem de ſacro fonte levarent: nec eſt inconveniens, quòd uxor ex diverſis cauſis efficiatur bis mater ſpiritualis ejuſdem, ſicut* [illegible] *poſſe eſſe quod eſt affinis & conſanguinea ejuſdem per carnalem propinquitatem.* Hactenus S. Thom. in 4. diſtinct. 42. q. 1. a. 3. in ſolut. q. 2. ad 4.

Ita ſenſit & docuit S. Thomas, nihil obſtante Urbani Papæ II. decreto, quod in Magiſtri littera ſeu contextu legerat. Quamvis enim ipſe Urbanus 30.

cap. fin. *quòd autem.* decernat, uxorem cum marito in baptismate non debere suscipere puerum : tamen sanctus Doctor vidit in eod. cap. *quòd autem* id nulla authoritate reperiri prohibitum, & aliunde eumdem Urbanum decrevisse contrarium, ob majorem scilicet decentiam, quæ nihil prohibet, quominus id ex antiqua consuetudine & jure citra ullam culpam in quotidianam praxim conferatur.

Quæstiuncula septima.

Quæritur, utrum per sacramentum pœnitentiæ contrahatur aliquod cognationis vinculum, ratione cujus accedens ad confessionis filiam, addat suo peccato novam malitiam seu circumstantium, quam inter confitendum aperire teneatur.

Respondeo, hujusmodi Sacerdotem ad talem circumstantiam in confessione sacramentali declarandam obligari. Et id ducitur ex cap. *omnis.* 30. q. 1. ubi legere est, quid hac de re pronuntiet Symmachus Papa, & Cælestinus Pontifex relatus cap. *si quis Sacerdos.* 30. q. 1. & cap. fin. 30. q. 1. ubi sic loquitur : *Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua peccata fuerint confessa. Si fortè (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat. quomodo de filia spirituali, Episcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur.*

Ibidem Symmachus Papa nullo discrimine Episcopis & Presbyteris in tale flagitium prolapsis perpetuam indicit pœnitentiam : *Hoc scelus*, inquit, *si quis perpetraverit, non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam usque ad exitum vitæ suæ jugi pœnitentiæ se subdat.*

Hæc ille jure ac meritò. Nam S. Thomas in 4. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 8 sic loquitur : *Per pœnitentiam*, inquit, *contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem simile cognationi spirituali, ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia Et hoc ideo, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc ista prohibitio est indulta, ut tollatur peccandi occasio.* Hæc ibi S. Thom.

Propterea pleríque omnes Theologi sentiunt & docent, hujusmodi circumstantiam in sacramento pœnitentiæ esse necessariò aperiendam, non solùm tamquam notabiliter aggravantem ; sed quia mutat speciem, & est speciale sacrilegium, (propter specialem Ecclesiæ prohibitionem) & quodammodo incestus, ratione vinculi seu cognationis, quæ ex ipso pœnitentiæ sacramento contrahitur. Unde ex S. Thoma & aliis Theologis colligitur esse tam grave nefas accedere ad filiam confessionis, sicut ad filiam baptismi. Alii aiunt esse incestum cum sacrilegio.

Quæstiuncula octava.

Quæritur, utrum filiastro sui patrini uxorem aut filiam in matrimonium assumere liceat.

Respondeo, licere post Concilii Tridentini constitutionem : neque enim id ab ipso Conc. Tridentino vetitum est. Cùm enim unum aut unam ad summum ad suscipiendum aliquem ex baptismo adhiberi præcipit, & subdit, *inter quos ac baptizatum ipsum, &c.* ista verba non sunt intelligenda quasi inter unum & unam, patrinum scilicet & matrinam, cognatio intercedat ; sed ista eadem verba, *inter quos, &c.* suscipientes scilicet ex una parte, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem ex altera cognationem spiritualem contrahi significant.

Hîc omitto plures quæstiunculas, quæ proponi possunt.

Nam posset aliquis quærere, utrum aliquis possit connubio jungi cum duabus uxoribus, quæ inter se commatres fuere.

Distinguendum est : si enim mulieres commatres erant, antequam Titius v. g. unam ex illis in uxorem assumeret, constat, eumdem Titium posse unam post alteram nuptiali thalamo sibi conjungere. Si verò una alterius commater fuerit, postquam Titius priùs matrimonium iniit, non poterit uxore defunctâ, individuâ cum alia vitæ consuetudine contineri, ut constat ex can. 1. & seqq. can. *post uxoris.* & can. *qui spiritualem.* 30. q. 4.

Quæri etiam posset, utrum concubina sive baptizantis, sive levantis, baptizato parentibúsve ejus nubere valeat.

Respondeo, posse : quia non decet spiritualem cognationem ad carnalem copulam illicitam extendi, can. 1. & d. cap. *Martinus IV. de cognat. spiritual.*

Quod dictum est de cognatione spirituali in baptismo inter personas ab sacrosancta Synodo Trident. expressas contrahi solita, de confirmatione affirmandum est : in qua scilicet spiritualis pariter cognatio contrahitur.

Hactenus de cognatione spirituali. Jam agendum est de legali. Sit igitur

QUÆSTIO LVII.

Quomodo definiatur, & quotuplex sit cognatio legalis : & quare recenseatur inter impedimenta matrimonium dirimentia, cùm ab legibus civilibus sit indulta.

Prima conclusio.

COGNATIO legalis rectè definitur, propinquitas quarumdam personarum ex adoptione legitima proveniens. Igitur cognatio legalis ex adoptione oritur, velut affinitas ex copula derivatur.

Ut igitur innotescat cognationis legalis essentia, necessariò explicanda est adoptionis natura.

Adoptio vulgò definitur, actus legitimus, per quem ad supplendum prolis defectum extranea persona in filium vel nepotem, in filiam vel neptem, vel deinceps assumitur. Vel aliter definitur, extraneæ personæ in hæreditatem voluntaria & legitima assumptio. Vel definitur, adoptio extraneæ personæ in filium vel nepotem, in filiam vel neptem, vel deinceps assumptio seu electio.

Omnes hæ definitiones in unam & eamdem coincidunt : unde unâ explicatâ cæteræ facilè intelligi poterunt.

1°. Igitur adoptio assumptio extraneæ personæ, id est personæ, quæ non subjaceat adoptantis potestati, sive sit consanguinea, sive non. Et per hæc verba (personæ extraneæ) significatur, adoptari non posse filios & hæredes legitimos, qui sunt in potestate parentum, & qui ideo de naturali jure, ipsorum hæreditatis suis temporibus adeundæ dejici nequeunt.

2°. Adoptio dicitur assumptio seu electio in filium vel nepotem, in filiam vel neptem : quia ex l. *nec apud.* cap. *de hæred. instituend.* nemo in fratrem vel parentem adoptari potest ; sed in filium aut nepotem, in filiam vel neptem per adoptionem assumi & eligi potest.

3°. Adoptio seu assumptio in filium vel nepotem, &c. dicitur legitima, id est ex legum præscripto facta. Nam ut patet ex Institut. *de adopt.* nonnullæ sunt leges, quarum observatio ad veram adoptionem sanciendam exigitur.

Requiritur videlicet, ut adoptans vicesimum quintum ætatis annum excesserit, ut adoptans sit vir, non fœmina, utpote quæ citra privilegium adoptare non

potest: ut adoptans generandi facultatem seu vim innatam habeat: ut denique adoptans sit provectæ ætatis, & adoptato major, seu decem & octo annis antiquior, ita ut eumdem, quem adoptat in filium vel nepotem, generare potuerit. Posset tamen adoptare, si vel morbo, vel aliquo alio casu in impotentiam incidisset.

His legibus observatis, potest quilibet, etiam Sacerdos, adoptare quem voluerit, modò præsens sit adoptans, & adoptatus adsit; nemo enim absens adoptare vel adoptari potest, ut constat ex l. *neque*. & l. *post mortem*. §. fin. *de adoptionibus*.

Secunda conclusio.

Adoptio duplex est, una scilicet perfecta, quæ dicitur arrogatio; & altera imperfecta, quæ simplex adoptio nominatur.

Utriusque naturam explicat insigniter S. Thomas loco mox laudando. Filiatio adoptionis, inquit, est quædam imitatio filiationis naturalis: & ideo duplex est adoptionis species. Una, quæ perfectè imitatur naturalem filiationem; & hæc vocatur arrogatio, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis: & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, (ut hæres necessarius) nec potest eum Pater (ex testamento) sine culpa privare quarta parte hæreditatis: sic autem adoptari non potest, nisi ille, qui sui juris est, qui scilicet tunc cùm adoptatur, non habet potestatem, (cui subjaceat) aut si habet, emancipatus est. Et hæc adoptio non fit, nisi authoritate Principis. Alia est adoptio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Unde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quàm adoptio perfecta; & secundùm hanc potest adoptari etiam ille, qui non est sui juris, & sine authoritate Principis, ex authoritate Magistratûs: & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis; nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. Hactenus S. Thom. in 4. distinct. 42. q. 2. a. 1. ad 1.

Ex occasione hujus loci S. Thomæ,

Quæres 1°. cur adoptio perfecta dicatur arrogatio.

Respondeo, ita vocari, eo quòd in tali adoptione adoptandum interrogari oporteat, an velit adoptantem habere loco patris, & vicissim adoptantem adoptatum loco filii habere, & tractare polliceatur. Quia in re arrogatio discrepat ab simplici adoptione, quòd in hac non exigatur expressum adoptantis & adoptati verbum: in illa verò requiratur, ut Rex interroget arrogantem & adoptantem, & quærat ab eo, Vis habere hunc in filium, nepotem vel pronepotem? & adoptans respondeat, Volo. Rursus ut interroget atrogatum seu adoptatum, Vis habere hunc in patrem, avum, vel proavum? & ipse respondeat, Volo; & deinde Princeps exprimat sibi placere. Unde infans adoptari potest, non arrogari. Habetur hæc differentia l. *in adopt.* 2. ff. *de adopt.* l. *Reg.*7. tit. 7. p. 4.

Quæres 2°. cur cognatio legalis annumeretur inter impedimenta matrimonium dirimentia. Hac de re esto

Tertia conclusio.

Ideo cognatio legalis orta ex adoptione seu arrogatione, (quæ est adoptio perfecta) inter impedimenta matrimonium vel impedientia vel dirimentia reponitur ab Ecclesia, quia rationem, quâ lex civilis nititur, ipsamet Ecclesia rationi pietatique apprimè consentaneam judicavit & approbavit. Neque enim magnum matrimonii sacramentum civilibus legibus regi, tractarique patetetur, nisi eas ex lege naturali deductas, suisque canonibus attemperatas & consonas existimaret.

Hanc conclusionem pulcherrimè explicat S. Thomas in 4. distinct. 42. q. 2. a. 2. in corp. Respondeo, dicendum, inquit, quòd lex divina illas personas præcipuè à matrimonio exclusit, quas necesse erat cohabitare, ne (ut Rabbi Moyses dicit) si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata. Et inde habetur, quòd legalis cognatio matrimonium impediat. Ita S. Thom. loco cit. qui & ibidem ad 4. sic loquitur: Dicendum, inquit, quòd prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret authoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit. Hæc ille.

Ex his Doctoris Angelici verbis rectè colligitur, unam dumtaxat cognationem legalem ex arrogatione, seu adoptione perfecta derivatam, matrimonium contractum dirimere. Hujusmodi nempe cognatio introducta est à jure positivo, (quod est ars æqui & boni) ne fornicatio, quæ facile committi potest inter personas iisdem in ædibus commoratas, in plurium perniciem & damnationem longè lateque grassetur. Quod malum proculdubio sæpius contigisset, nisi humanis legibus fuisset repressum, ut constat ex lege *Adoptivus*. & ex legib. *nihil interest*. & *quin etiam*. quas insinuat Hostiensis.

Quòd autem tantum malum in plerimo grassatum esset potiùs supposita arrogatione, quàm simplici adoptione, probat ista ratio, quòd scilicet arrogatione seu perfecta adoptione adoptatus transiret in adoptantis potestatem, & traduceretur in ejus domum, atque adeo conjiceretur in magnum admittendæ fornicationis periculum. (nemo enim nescit, etiamnum multam malitiam esse hominum in terra, & cunctam cogitationem cordis intentam esse ad malum omni tempore, Genes. 6. v. 5.) Et ideo humanæ leges, politicæ pariter & ecclesiasticæ, cognationem legalem ex arrogatione seu adoptione perfecta ortam, inter impedimenta matrimonium impedientia & dirimentia reponendam esse censuerunt, ne qui se legalis cognationis propinquitate attingerent, & in eadem domo versarentur, (ejusdem scilicet cognationis jure) arrepta ejusdem domicilii occasione, & (quod caput est) in spem futuri matrimonii passim sese in fornicationis flagitium implicarent.

Jam videndum, quænam cognatio legalis matrimonium dirimat. Sit itaque

QUÆSTIO LVIII.

Quænam cognatio legalis, & inter quas personas matrimonium prohibeat contrahendum, & dirimat contractum.

UT huic quæstioni satisfiat, observandum est ex S. Thoma, legalem cognationem esse triplicem.

Prima est quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps.

Secunda est inter filium adoptatum, & filium naturalem.

Tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptati, vel è converso inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis.

Prima ergo cognatio & tertia perpetuò matrimonium impediunt.

Secunda autem non, nisi quamdiu in potestate manes patris adoptantis: unde mortuo patre vel filio emancipato potest contrahi inter eos matrimonium. Ita S. Thomas in 4. distinct. 42. q. 2. a. 3. in corp. His ita suppositis,

Ex prima regula sequitur, impediri & dirimi matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes, ut puta filios filii adoptivi & nepotes, & sic deinceps in linea recta impediri & dirimi usque ad quartum gradum inclusivè. De cæteris dicemus in responsion. ad quæstiones propositas.

Quæres, utrum tres species cognationis legalis impediant ac dirimant matrimonium.

Respondeo, nemini dubium esse, quin prima species, id est linea recta quæ comprehendit adoptantem & adoptatum & ejus descendentes, dirimat matrimonium usque ad quartum gradum, ut paulò antè diximus. Secunda verò species ejusdem cognationis ad secundum usque dumtaxat gradum in linea collaterali matrimonium impedit.

Quæres 2º. utrum tertia species cognationis legalis impediat & dirimat matrimonium, & ad quem usque gradum.

Respondeo, per tertiam legalis cognationis speciem, quæ contrahitur per modum legalis cujusdam affinitatis ad similitudinem affinitatis naturalis, quæ est inter adoptantem & uxorem adoptati, & econtrà inter adoptatum & uxorem adoptantis dirimi subsequens matrimonium. Nam cap. unico *de cognatione legali*. dicitur nuptias consistere non posse inter filium legitimum, & sororem adoptivam. Si ergo hujusmodi nuptiæ inter hasce personas consistere nequeunt in jure, sunt necessariò dissolvendæ.

Quæres 3º. utrum juxta doctrinam S. Thomæ prima & tertia cognationis & legalis species perpetuò matrimonium impediant.

Respondeo, juxta solidam Doctoris Angelici doctrinam, duas illas cognationis legalis species, id est primam speciem rectæ lineæ, & tertiam quæ est affinitatis legalis, impedire ac perpetuò dirimere matrimonium, id est impedimentum non cessare, soluta quomodocumque adoptione. Et ideo subinde non poterit etiam adoptione soluta, adoptatus cum adoptante, ejusque uxore, neque adoptans cum adoptatis, vel uxore adoptati, matrimonium inire.

Quæres 4º. an secunda species cognationis legalis perpetuò etiam matrimonium impediat.

Respondeo, secundùm illam dictæ cognationis speciem in linea laterali seu transversa inter filios carnales adoptantis, & filios ejusdem adoptivos, non impedire in perpetuum; sed quamdiu durat adoptio & filii, sive legitimi, sive adoptivi, sont in potestate patris. Unde ut filius carnalis possit ducere sororem adoptivam, vel filia carnalis filium adoptivum, requiritur tantùm ut utervis emancipetur.

Quæres 5º. cur ita variatæ sint prohibitiones respectu trium specierum legalis cognationis.

Respondeo, id ita jure dumtaxat Ecclesiastico constitutum esse, eo quòd prima & tertia prohibitio respectu primæ & tertiæ speciei legalis cognationis facta pertineat ad reverentiam, quam adoptatus cum sua uxore adoptanti, & ejus uxori adhibere debet; quæ reverentia cùm sit perpetua, perpetuò pariter per primam & tertiam legalis cognationis speciem interdicta sunt matrimonia, per quæ proculdubio violaretur.

Quod spectat ad secundam legalis cognationis speciem, impedit dumtaxat matrimonium ad tempus ob interpretativam filiationem, provenientem ex adoptione; & ideo ea durante durat, ea cessante cessat, ut affirmat Thomas Sanchez in lib. 7. de impedit. matrim. disput. 63. num. 15. & 24.

Hactenus dicta & probata intelligenda sunt de arrogatione, seu adoptione perfecta: siquidem adoptio simplex, quæ est potiùs dicenda dispositio ad perfectam adoptionem, quàm adoptio, ut ait S. Thomas, neque matrimonium impedit contrahendum, nec dirimit contractum. Nunc agendum de impedimento criminis. Sit itaque

---

QUÆSTIO LIX.

Quandonam criminis impedimentum matrimonium impediat contrahendum, vel dirimat contractum.

UT proposita quæstio dissolvatur, observandum est, assignari vulgò duplex crimen, quo matrimonium impeditur contrahendum, & dirimitur contractum, homicidium scilicet & adulterium non qualitercumque admissum, sed ad quatuor præsertim casus, sacrorum canonum sanctionibus restrictum, ut mox declaraturi sumus.

Cùm quatuor illi casus ab Conciliis declarati, ut conveniunt omnes Theologi, vel propter homicidium, vel propter adulterium, vel propter utrumque matrimonium impediant contrahendum, vel dirimant contractum, hic eos alternis vicibus recensere necesse est.

Primus casus

In eo positus est, ut juxta sacros canones homicidium alterius conjugis ab duobus, viro scilicet & fœmina, perpetratum animo contrahendi matrimonium, etiam sine adulterio, habeatur impedimentum dirimens, juxta cap. *Si quis vivente*. 31. q. 1. & cap. *laudabilem. de conversione infidelium*. ubi Celestinus Papa III. insigniter & disertè id asserit. Cùm enim quidam Sarraceni captivi detinerentur ab Christianis, viros quarumdam mulierum Christianarum ipsarum insidiis & machinationibus interfecerunt, quo facto ipsimet Sarraceni earumdem mulierum Christianarum hortamentis amplexi sunt fidem Christianam. Exinde quæritur, utrum de jure ipsas illas mulieres in uxores accipere valeant; & si eas duxerint, an tale conjugium teneat.

Respondet Celestinus Papa III. istam quæstionem esse determinatam ab Concilio Triburiensi, asserente, quòd si mortem ipsorum malitiosè fuerint machinatæ, (dictæ mulieres) licèt earum studio conversi sint, (Sarraceni) cum illis matrimonium contrahere non debent; & si contraxerint, non sont tolerandi: quia tale damnum tali lucro compensari non debet. Hoc est responsum Celestini Pont. max. loco citato.

Extat etiam ea de re decretum Concilii Meldensis cap. 69. & Concilii Metens. c. 7. Et certum est quod asseritur in primo illo casu, modò adsint tres conditiones, quarum

Prima est, ut uterque (vir scilicet & mulier) mutuam operam in alicujus personæ alterutri matrimonio copulatæ cædem, seu interfectionem contulerit, sive per se, sive per alium. Non itaque sufficit ad contrahendum impedimentum dirimens, si alter sit

causa mortis, vel homicidium jam perpetratum ratum habeat.

Secunda conditio est, ut admittatur homicidium matrimonii contrahendi gratiâ. Si enim interficiatur vel maritus, vel uxor ad ulciscendam aliquam injuriam v. g. aut propter aliquem alterum finem ab matrimonii contrahendi fine discrepantem; non oritur impedimentum. Imò graves Theologi sentiunt, non oriri impedimentum, nisi talis homicidii perpetrandi intentio extrinsecùs vel verbo, vel altero quopiam signo patefacta fuerit. Si enim istius cædis perpetrandæ voluntas in intimo animi recessu contineatur, nec ullo pacto erumpat foras, nullum ex ea proficiscitur impedimentum, siquidem ex omnium Theologorum sententia, quicquid est merè internum externo Ecclesiæ foro, nec inflictis canonum authoritate pœnis ullo pacto subjacet.

Tertia denique conditio est, ut occisio ab personis matrimonium secum invicem conjugium inire gestientibus meditata, externo conatu & opere compleatur, ex cap. *Si quis*. 31 q. 1. Colligitur, ad contrahendum tale impedimentum (quod & de cæteris dicendum est) exigi opus extrinsecùs consummatum. Quòd si alteruter conjux, cujus mortem machinatæ fuerint prædictæ personæ, vel culpâ medici, vel suâ ipsius negligentiâ, vel alia quapiam ratione devixerit, nullum inde oritur impedimentum.

Secundus casus.

Si cum adulterio alter, sive vir sit causa mortis uxoris, sive uxor viri, occidatque vel virum suum, vel adulteri conjugem; inde impedimentum dirimens existit, juxta cap. *Si quis vivente*. & cap. *propositum*. & cap. *significasti. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*.

Sed ut tale impedimentum oriatur, tres requiruntur conditiones, quarum

Prima est, interfectorix intentio de contrahendo cum interfecti conjuge matrimonio, ut ait S. Thomas Supplem. q. 60. a. 2. cum cæteris Theologis eamdem opinionem amplexis.

Hujus rei ratio petenda est ex eo, quòd hoc impedimentum ecclesiastico dumtaxat jure est introductum, non solùm ut comprimerentur adulteria, sed etiam ut iis, qui ad præpostera criminosaque matrimonia aspirarent, enecandorum conjugum occasionea adimerentur.

Quapropter si quispiam ejusmodi hominum interficiat aliquem maritum ad contrahendum matrimonium cum interfecti conjuge, ad quam talis homicidii conscientia nullo pacto pertineat; inde non consurgit impedimentum, sicut & si occidat, ut liberiùs & faciliùs præfata conjuge ad explendam libidinem abutatur.

Secunda conditio est, ut adulterium interfectionem antecedat. Nam ex jure Pontificio homicidium dumtaxat parit impedimentum, cùm ex utriusque assensu perpetratur: ita ut ab uno tantùm admissum, impedimentum non gignat, nisi fuerit cum adulterio conjunctum.

Tertia conditio est, ut mors sequatur ex machinatione alterius ex adulteris, sive occidat suis manibus, sive ex ejus mandato ab altero interficiatur, ut colligitur ex cap. 1. *de convers. infidel.* Nec verò in isto casu requiritur, ut uterque sciat, in eo casu intervenire adulterium; nam sufficit, si notum sit interfectori: debet autem esse verum adulterium: si enim quispiam abutatur aliqua muliere, quæ cum viro invalidum matrimonium inierit, tunc inde non consurgit impedimentum, cùm nullum ejus mulieris matrimonium extiterit.

Tertius casus.

Si adsit verum adulterium, unà cum fide data de contrahendo matrimonio, cùm alter conjux obierit, tunc impedimentum dirimens oritur. Iste casus declaratur in Concilio Triburiensi cap. 40. in cap. *propositum*. in cap. *super hoc*. in cap. *significasti*. in cap. *veniens*. in cap. fin. *si quis uxore vivente*. tit. jam citato, *de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*. Ex occasione hujus tertii casûs,

Quæres 1°. an promissio conjuncta cum adulterio facta in casu proposito fieri debeat eodem conjuge vivente.

Respondeo, debere fieri eodem conjuge vivente. Nam si promissio fiat uno vivente conjuge, & postea contingat adulterium vivente alio conjuge, aut econtrà, non oritur inde impedimentum, ut ait Panormit. in c. fin. *de eo qui duxit, &c.*

Quæres 2°. utrum talem promissionem juramento firmari, & mutuam esse oporteat.

Respondeo, sufficere nudam promissionem sine ullo juramento, nec exigi, ut sit mutua: id est, non requiritur, ut uterque expresso verbo vel signo promittat matrimonium: satis est quòd unus promittat, ab altero verò acceptetur promissio per aliquod signum, licèt non repromittat: taciturnitas enim ejus, cui fit promissio absque alio acceptationis signo, numquam sufficit ad incurrendum hoc impedimentum.

Quæres 3°. utrum oriatur impedimentum, si desit præfatæ promissionis acceptatio.

Respondeo, quòd si altera ex dictis personis non acceptet promissionem, non oriri impedimentum: non enim adest fides sponsaliorum, quæ sine promissione mutua consistere non potest.

Quæres 4°. utrum vir & mulier, à quibus adulterium admittatur, scire debeant, se verum adulterium committere, ut impedimentum contrahant.

Respondeo, ad contrahendum impedimentum hoc requiri, ut uterque veram de vero adulterio abs se committendo vel commisso notitiam habeat, alioqui nullum ex eo concubitu impedimentum orietur. Communis quippe est sententia, nullum scilicet inter adulteros impedimentum oriri, si alter ex eis existimet primum maritum obiisse, quamvis alter adulter non obiisse resciat.

Dixi, utrumque adulterum nullo impedimento ex adulterio ad conjugium inter se ineundum prohiberi, nisi uterque de vero adulterio à se commisso veram habeat notitiam. Siquidem ex mente S. Thomæ, ad verum adulterium requiritur & scientia conjugis adhuc superstitis, & quòd primum matrimonium valeat, & pollutio seu seminatio fiat intra vas naturale. Unde qui fide data congrederetur cum muliere, & seminaret extra vas, cum hujusmodi muliere nullo prohiberetur impedimento, quippe qui cum illa non esset factus una caro, ut ait S. Antoninus 3. p. tit. 1.

Quartus casus.

Matrimonium cum aliqua fœmina conjugata, vivente adhuc & superstite primo conjuge, contractum, est impedimentum dirimens, juxta cap. *significasti*. & cap. *ex litterarum*. & cap. *cum haberet*. & cap. *veniens. de eo qui duxit, &c.* Revera ex dicto matrimonio oritur impedimentum, si adsint sequentes conditiones.

1°. Si uterque seu adulter & adultera resciat, se verum adulterium committere, ut declaravimus in superiori casu, quæ conditio est in cap. *propositum*. quod est decretum Alexandri Papæ III. in append. Concilii Lateran. part. 6. cap. 1. & patet ex cap. *signi-*

significasti. de eo, &c. Unde si adulter & adultera existiment conjugem vivere, & reipsa devixerit: item si alteruter certior factus de superstitis conjugis vita, sese abstinuit ab carnali copula, nec fidem obstrinxit: item si cum dubio de prioris mariti morte contraxit; inde nullum existere impedimentum declaravit Lucius Papa III. cap. *Dominus. de secundis nuptiis.*

Id ipsum asserendum est de aliis casibus proximè relatis, è quibus nullum pariter impedimentum oritur.

Quòd si alter ex præfatis adulteris rescisceret illicitum, quem ambo exercent concubitum, esse verum adulterium, & alter ignoraret matrimonium ab altero jam initum, hic ob suam ignorantiam discedendi jus haberet: quòd si nollet discedere, alter ad contrahendum matrimonium adigendus esset. Qui casus clariùs explicatur hoc modo: quando contractum est matrimonium à persona conjugata cum soluta talis matrimonii ignara, quamvis matrimonium irritum sit, mortuo conjuge, est in optione personæ deceptæ cogere alteram, ut secum denuo matrimonium ineat: ut expressis verbis decernitur, cap. *propositum.* seu 1°. *de eo*, &c. in quo redditur ratio, ne scilicet deceptor lucrum ea suo dolo reportet. Quando autem uterque contrahens ignorabat, in optione utriusvis erit alterum cogere ad denuo contrahendum, quòd jam uterque ex parte sua consensum præbuerit. Ita decernit Innocentius Papa III. cap. *veniens. de eo*, &c.

2°. Requiritur, ut primum matrimonium validum fuerit, aliàs nullum ex secundo impedimentum oritur, ex cap. *significavit.* tit. cit. Idem judicium, si contracto primo matrimonio per metum cadentem in constantem virum, vir mulierem carnaliter cognovit, & postea secundam duxit uxorem, ut decernit Alexander Papa III. p. 6. in appendice cap. 13. Nam primum matrimonium per vim extrinsecùs illatam consummatum, irritum est, atque adeo nullum impedimentum parere potuit.

3°. Requiritur, ut postquam celebratum fuerit primum matrimonium, ipse ille qui contraxit, secundam uxorem carnaliter cognoscat: si enim ante matrimonii consummationem prima decedat uxor, nullum inde gignitur impedimentum, ut patet ex cit. cap. *de eo*, &c.

In his quatuor tantummodo casibus matrimonium, si contrahatur, est nullum. Et inde facilè percipi potest, quàm singulari prudentia conditi sint hactenus explicati canones, quibus & adulteria & conjugum homicidia frequentiùs alioquin perpetranda severissimè prohibentur. Quòd si tantùm sit simplex fornicatio vel adulterium, vel simplex homicidium, tunc inter tales potest iniri matrimonium, quia simplex adulterium, vel homicidium non sunt causa matrimonii subsequentis. Unde Glossa in cap. *super hoc. de eo*, &c. notat, adulterum cum adultera posse contrahere matrimonium, nisi (ut declarat Alexander Papa III. in dicto cap. *super eo*, &c. adultera in mortem uxoris, sive fidem dederit, sive non, quòd cà defunctâ hanc esset docturus, secundùm canones ab ejus consortio, seu matrimonio, prohibetur: & hæc prohibitio perpetuò est servanda. Hactenus Alexander Papa III. in cit. cap. Numquam igitur in hoc casu adulter & adultera matrimonium contrahere poterunt. Quidquod, hæc intelligenda sunt de quolibet adulterio tam soluti cum conjugata, vel conjugati cum soluta, quàm conjugati cum conjugata. Nam canones tit. *de eo*, &c. sæpius citati omnes loquuntur de adulterio soluti cum conjugata, vel conjugati cum soluta, ne videlicet quispiam existimaret, Concilii Triburiensis canonem habere dumtaxat locum in adulterio gravissimo, conjugati nempe cum conjugata: quamvis ita Synodus & Gratianus de maximo præsertim adulterio loquatur. Quando ergo est simplex adulterium, nec alter ullo pacto machinatus est mortem alterius conjugis, nec occidit alterum conjugem, nec præfati adulter & adultera de futuro matrimonio sibi dedere fidem per verba de præsenti, aut de futuro, potest inter eos ratum intercedere matrimonium, ex cap. *significasti. de eo*, &c. Hujusmodi enim adulterium initum matrimonium non dirimit.

Quæres, utrum peccent qui sibi promittunt matrimonium post mortem conjugis ineundum.

Respondeo, eos sese immani peccato devincire, ut decernitur cap. fin. *de eo*, &c. ubi declarat Gregorius Papa IX. hujusmodi homines graviter delinquere, & ipsis pœnitentiam injungendam esse, quia ex tali promissione existit ansa & optandæ & procurandæ mortis alterius conjugis. Et ideo nemini dubium esse potest, quin talem acceptans promissionem lethali sese flagitio constringat, (sicut & ille qui futuras extincto altero conjuge nuptias promittit) utpote qui mortali alterius culpæ assensum præbeat. Imò eam promissionem non solùm criminosam, sed etiam irritam esse tradunt plerique cum Abbate in cap. fin. *de eo*, &c. num. 2. Quemadmodum enim ob illatam rationem vana & irrita & illicita est vacaturi beneficii promissio, ut patet ex cap. 2. *de concess. prabend.* ita & irrita & illicita est futuri matrimonii, demortuo altero conjuge, promissio: imò asserimus, magis iņ jure irritam & illicitam esse carnalis matrimonii promissionem, cùm, ut explicavimus in tertio casu, ea eadem ipsa promissione impedimentum matrimonium prohibens pariter & dirimens oriatur.

Hoc impedimentum jure ecclesiastico inductum non reddit adulterus ad quodcumque matrimonium inhabiles, sed tantùm ad illud quod secum invicem contrahere decreverint.

QUÆSTIO LX.

Quid sit incestus, & quare dicatur impedimentum matrimonii; & utrum, & quando matrimonium dirimat.

Prima conclusio.

INCESTUS est carnalis concubitus consanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos, quales sunt gradus consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusivè: item gradus affinitatis ex matrimonio contractæ usque ad quartum pariter gradum: ex copula autem illicita usque ad secundum.

Secunda conclusio.

Certum est, incestum dirimere matrimonium, tametsi inter impedimenta dirimentia non recenseatur. Quòd autem dirimat matrimonium, ita probat S. Thomas loco mox citando: Per hoc, inquit, quòd aliquis cognoscit sororem uxoris, contrahit affinitatem ad uxorem: sed affinitas dirimit matrimonium contractum: ergo & incestus prædictus.

Cur autem inter impedimenta superiùs à nobis enumerata non recenseatur, inde petendum est, quòd incestus ponatur matrimonii impedimentum non tam ratione culpæ, quàm ratione affinitatis, quam parit; & ideo non annumeratur inter alia impedimenta, sed in impedimento affinitatis includitur.

Tertia conclusio.

Incestus aliquando dirimit matrimonium, aliquando non dirimit. Hæc conclusio assertorem habet S. Thomam in 4. distinct. 34. q. 1. a. 5. in c.

Respondeo, dicendum, inquit, quòd si aliquis cognoscit sororem, aut aliam consanguineam uxoris suæ ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractæ: si autem post matrimonium contractum & consummatum, non debet totaliter separari matrimonium, sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest petere sine peccato: sed tamen debet reddere petenti, quia uxor non debet puniri de peccato viri: sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur, propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu: si tamen præter dispensationem contrahat, peccat contra statutum Ecclesiæ faciens; non tamen propter hoc matrimonium separandum est. Hactenus S. Thomas loco proximè citato.

Ex isto Doctoris Angelici loco colliguntur tria, quorum primum est, incestum ante matrimonium, etiam post sponsalia, commissum cum uxore, vel cum suæ sponsæ in secundo gradu consanguinea, dirimere matrimonium, quod cum illa sua sponsa contrahere gestiret: utpote qui per illicitam hujusmodi copulam factus est illis affinis intra gradum prohibitum, qui secundus est, ex quo Concilium Trident. affinitatem ex fornicatione (id est ut omnes Theologi asserunt, ex quocumque concubitu illicito) contractam restrinxit ad eos dumtaxat, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, de reform. matrim. cap. 4.

Secundum pronuntiatum quod colligitur ex cit. S. Thomæ loco, declarat, incestum post matrimonium admissum cum uxoris consanguinea, adimere incestuoso omne jus petendi debitum, ita ut sine peccato non possit illud exigere propter affinitatem cum uxore contractam, tametsi uxor possit illud ipsum debitum petere, & ipse reddere teneatur.

Tertium, quod ex citato S. Thomæ loco colligitur, liquidò probat, incestum cum consanguinea uxoris sive viventis, sive etiam (quod probabilius apparet) defunctæ, secundùm rigorem juris impedire quodlibet matrimonium, (quod aliàs incestuosus inire posset) ut decernit Celestinus Papa III. aiens, incestuosum, si uxori supervixerit, oportere perpetuò sine spe conjugii permanere, ut videre est cap. *Transmissæ. de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.*

Incestus ergo vel ab viro, vel ab muliere commissus, impedit quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: ita tamen ut graviter peccet, quisquis incestûs admissi reus, sine dispensatione matrimonium inire attentaverit. Nam Ecclesia verita, ne incestuosi propter incestum, ineundi matrimonii spe attento juris rigore, destituti, in graviora quæque carnis flagitia prolaberentur, cum ipsis dispensari voluit, ut colligi potest ex cap. *discretionem.* & cap. *ex litteris tuæ fraternitatis.*

Et revera prædicti canones, qui incestuoso conjugi jus petendi debitum adimunt, quia pœnales sunt, facilè dispensationem admittunt, quam propter incontinentiam utriusque vel alterius conjugis & gravamen innocentis, qui solus debitum petere posset, petentibus non denegant Episcopi, penes quos est ea dispensandi facultas, ut omnes Theologi passim asserunt. Unde colligitur, incestuosum posse inire matrimonium, si in hunc finem dispensationem ab Episcopo, ut jam insinuavimus, petierit & obtinuerit.

His ita positis, nunc agendum de disparitate cultûs. Sit itaque



QUÆSTIO LXI.

Quid sit disparitas cultûs, & quotuplex, & an dirimat matrimonium ab fideli cum infideli contractum.

Prima conclusio.

CULTÛS disparitas est diversitas religionis personæ baptizatæ matrimonium ineuntis cum non baptizata, vel personæ catholicæ matrimonium etiam ineuntis cum persona baptizata quidem, sed hæretica. Ex hac definitione rectè colligitur, cultûs disparitatem rectè dividi in eam, quæ cadit in fidelem seu baptizatum, & in eam quæ est inter duos baptizatos, quorum alter est catholicus, alter verò hæreticus. In hac quæstione agimus de primo disparitatis cultûs genere, in sequenti verò de secundo disseremus. Sit itaque

Secunda conclusio.

Disparitas cultûs matrimonium ab fideli cum infideli impedit contrahendum, utpote quod jure divino naturali & jure divino positivo in utroque Testamento est vetitum, & jure tantùm ecclesiastico est irritum, ut mox videbimus.

Ista conclusio tria asserit: 1°. disparitatem cultûs matrimonium ab fideli cum infideli contrahendum impedire: 2°. contractum dirimere: 3°. denique illud dirimere non jure divino naturali, nec jure divino positivo, sed tantùm ecclesiastico.

Hæc tria alternis, sunt suis rationibus astruenda.

Quod spectat ad primum, nemini dubium est, quin disparitas cultûs, quæ matrimonium antecedit, ipsum impediat, ne contrahi possit: *Quæ enim conventio lucis ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?* ut ait Apostolus 2. Corinth. cap. 6. Cùm ergo maxima sit conventio inter virum & uxorem: qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa, quæ est in tenebris infidelitatis, ut testatur S. Thomas, qui & istam nostræ conclusionis partem luculenter hac ratione confirmat, quòd scilicet præcipuum matrimonii bonum per hujusmodi matrimonia evertatur. *Principalius bonum matrimonii*, inquit, *est proles, ad cultum Dei educanda: cùm autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque secundùm fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium, & propter hoc disparitas cultus præcedens matrimonium impedit ipsum, ne contrahi possit.* Hactenus S. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. 1. a. 1. in corpore.

Quod spectat ad alteram nostræ conclusionis partem, quâ contendimus, matrimonium ab fideli cum infideli initum propter cultûs disparitatem dirimi, confirmatur ejusdem S. Thomæ authoritate. Cùm enim in eodem articulo sibi objecisset, Joseph fidelem cum Ægyptia infideli, & Estherem cum Assuero pariter infideli, matrimonium iniisse:

Respondet, quòd in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, quòd cum eis possent inire conjugia, & de aliquibus prohibitum: specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Chanaan; tum quia Dominus præcepit eos occidi propter eorum obstinationem; tum quia majus periculum imminebat, ne conjuges aut fi-

» lios ad idololatriam perverterent; quia filii Israël » ad ritus & ad mores eorum proniores erant propter » conversationem cum eis: sed de aliis gentibus permi- » sit, præcipuè nec quando poterat esse timor pertra- » hendi ad idololatriam; & sic Joseph & Moyses & » Esther cum infidelibus matrimonia contraxerunt: sed » in nova lege quæ per totum terrarum orbem diffun- » ditur, similis ratio prohibendi est de omnibus infi- » delibus: & ideo disparitas cultûs præcedens ma- » trimonium illud impedit contrahendum, & diri- » mit contractum. Ita S. Thomas quæst. & a. citat. ad 1.

Quod spectat ad tertiam ejusdem conclusionis partem, quâ contendimus, præfatum fidelis cum infideli matrimonium esse jure divino, ut diximus, naturali, & jure divino positivo vetitum, sed jure dumtaxat ecclesiastico irritum:

Quòd tale matrimonium jure naturali divino sit vetitum & illicitum, atque adeo sine peccato, eoque lethali, contrahi nequeat, (nisi justa de causa, & legitima dispensatione fuerit irritum) constat ex perversionis periculo, quod manifestè adeunt, quotquot talia contrahunt matrimonia, atque adeo lethaliter peccant: nemo enim peccati lethalis periculum sciens & prudens adire potest, quin se lethali flagitio constringat.

Inde etiam existit vel nefaria vel neglecta susceptæ prolis educatio. Unde Theologi affirmant, tria matrimonii bona, bonum scilicet fidei, bonum prolis, & bonum sacramenti, abesse ab conjugio cum infidelibus inito. Et quidem bonum fidei in hujusmodi matrimonio desiderari patet: qui enim Deo non est fidelis, vis homini fidelis esse potest, cap. *non potest.* 2. q. 7. Bonum prolis pariter deest, quia ad cultum Dei ea non instituitur. Abest etiam ab tali conjugio bonum sacramenti, quia conjunctionem Christi cum Ecclesia, aut cælestis gratiæ cum anima significare non potest. Quæ omnia in præfato matrimonio desiderari latè & eximiè probat S. Ambrosius in lib. 1. de Abraham cap. 9.

His de causis S. Thomas in 4. distinct. 39. q. unica art. 2. ait, matrimonium infidelium respectu matrimonii, quod ab fidelibus initur, esse dumtaxat materiale & imperfectum, deinde ex talibus matrimoniis oriuntur rixæ, dissensiones, & alia innumera in æternam utriusque conjugis damnationem ut plurimùm redundantia existunt. Quæ omnia fugere docet & jubet lex naturalis, ad quam non facti, sed nati sumus.

2°. Tale matrimonium vetitum est jure positivo divino, ut patet ex utriusque Testamenti libris.

Et quidem in veteri Testamento prohibita sunt hujusmodi matrimonia, etiam ratione periculi, ne scilicet hominum corda alienigenarum mulierum vel importunis precibus fatigata, vel blanditiis & amplexibus emollita & illecta, ad idola converterentur. *Uxorem de filiabus eorum* (Amorrhæorum, Chananæorum, &c.) *non accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios suos in Deos suos, ait Dominus.* Exod. cap. 34. v. 16.

Eadem prohibitio repetitur Deuteron. cap. 7. sicut & 3. Reg. c. 11. v. 2. interdicit ipse Deus conjugia cum alienigenis mulieribus ineunda. *Certissimè enim* (dixit Dominus filiis Israël) *avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Ubi & maximè vituperatur Salomon, quòd alienigenis mulieribus ardentissimo amore conjunctus fuerit.

Quæres, cur inter alienigenas mulieres recenseatur filia Pharaonis, cum qua eo tempore, quo in Dei præceptis ambulabat, ut testatur Scriptura, matrimonium inierat.

Respondeo, illam inter istas mulieres annumerari, quòd Salomonem ad idola colenda, non minùs quàm aliæ mulieres impulerit. Cùm enim illam ardentissimo amore deperiret Salomon, illam ad idolorum cultum deficientem non repressit, nec abjecit, nec repudiavit: (quod hac in occasione factitatum oportuit) sed econtrà in ipsius gratiam fanum, in quo idola divinis honoribus afficerentur, ædificavit.

Non solùm in veteri Testamento, sed etiam in novo prohibita sunt ea (de quibus sermo est) conjugia, ut testatur Apostolus 2. Cor. cap. 6. v. 14. *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus:* quem locum de matrimonio cum infidelibus non contrahendo intellexere sancti Patres & Theologi. Si quis dicat, Apostolum nihil aliud velle, quàm significare, fidelibus ab omni infidelium commercio abstinendum esse: Respondeo, dato non concesso, quòd ita Apostolum intelligi oporteat, inde tamen inferri necessariò, fugiendum esse matrimonium cum infidelibus; siquidem comprehenditur in omni commercio: & ideo à fortiori concludendum est, hujusmodi matrimonia esse penitus aversanda, cùm nullum commercium, seu nulla societas excogitari valeat major, aut arctior matrimonio, in quo vir & mulier ita sibi invicem adhærescunt, ut jam non sint duo, sed una caro, ut Scriptura loquitur. Unde S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. & in Epistol. ad Ageruchiam de monogam. hunc locum de matrimonio cum infidelibus non contrahendo disertè interpretatur.

Sancti Patres, ut probent, quod dicimus, fugienda nimirum esse infidelium conjugia, proferunt alterum ejusdem Apostoli locum excerptum ex 1. ad Corinth. cap. 7. v. 39. *Mulier*, inquit Apostolus, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantùm in Domino.*

Hoc loco Apostoli prohiberi & damnari connubia cum infidelibus ineunda, testantur Tertullianus lib. 2. ad uxorem, in principio, S. Cyprianus lib. 3. de testimon. ad Quirin. cap. 61. S. Hieron. locis paulò antè citatis, & iterum citandus Tertullian. adversus Marcion. lib. 5. cap. 7. item commentatores, Ambrosiaster in hunc locum, Sedulius, Haimo, Lombardus, Hervæus, Author commentarii ab nonnullis S. Anselmo ascripti, & cæteri Latini, ut puta S. Thomas, & recentiores, Estius scilicet Pauli interpres eximius, & apprimè accuratus, & Cornelius à Lapide, de matrimonio in Domino, hoc est, cum viro Christiano, aut muliere Christiana dumtaxat ineundo, unanimi consensu citatum Apostoli locum accipiendum esse censuerunt. Proinde Scripturam hanc jure ac meritò proferunt Theologi, ut doceant, illicitas esse, ac lege sive divina, sive apostolica, fidelium cum infidelibus nuptias esse prohibitas, adjuncto præsertim altero Apostoli loco, quo ab hujusmodi nuptiis fideles penitus abstinere præcipit. *Nolite*, inquit, *ducere jugum cum infidelibus:* quia, ut ait S. Augustinus (ex S. Cypriano quem laudat lib. 1. de adulterin. conjug. cap. 25.) jungere (puellam) cum infidelibus per vinculum matrimonii, est prostituere gentibus membra Christi.

Talia igitur matrimonia vetita sunt jure divino naturali, & jure divino positivo, utriusque Testamenti litteris consignato. Demonstrandum superest, esse etiam jure ecclesiastico prohibita, quod patebit ex dicendis.

Jure igitur ecclesiastico prohibita esse fidelium cum infidelibus conjugia, plures plurium Conciliorum canones liquidò testatum faciunt.

1°. Concilium Illiberitanum can. 15. vetat hujusmodi connubia nullâ omnino pœnâ denuntiatâ; sed can. 17. prohibet eadem ipsa conjugia sub perpetui anathematis interminatione: Si qui fortè, inquit, Sacerdotibus idolorum filias junxerint, placuit neque in fine eis dandam esse communionem. Hunc canonem propositâ pœnâ sancire voluerunt istius Conci-

lii Patres, quia istius Concilii temporibus idolorum Sacerdotes magnis & honoribus & privilegiis ornari consueverant. Hinc fiebat, ut plerique fideles suæ cupiditati, quàm religioni devotiores, suas illis filias collocarent: unde majus puellis matrimonio devinctis, subversionis periculum imminebat. Nonne enim inprimis verendum erat, ne hujusmodi uxores partim sui sexûs fragilitate, partim suorum conjugum honoribus & privilegiis, partim denique amoris conjugalis philtro delinitæ & execæcatæ, ad idolorum superstitionem & cultum allicerentur, atque adeo tantæ & tam horrendæ defectionis crimen in ipsarum parentes talium matrimoniorum architectos & authores derivaretur?

2°. Concilium Arelatense I. can. 11. jubet, puellas infidelibus junctas aliquanto tempore à communione separari.

3°. Eadem matrimonia prohibet magnum Concilium Nicænum, can. 53. can. 67. & can. 69.

4°. Concilium Carthaginense III. can. 12. ea matrimonia interdicit filiis & filiabus Episcoporum, & quorumlibet Clericorum: quia in tota Africa propter maximam infidelium & hæreticorum multitudinem prohiberi non poterant.

5°. Concilium Chalcedonense act. 15. can. 14. vetat, ne puellæ nubant hæretico, aut Judæo, aut pagano, nisi fortè promittat ad orthodoxam se per personæ orthodoxæ copulam transferre. Hæc ibi.

6°. Conjugia cum Judæis (quos infideles, imò infidelibus deteriores prædicamus) ineunda prohibent Concilium Aurelian. II. can. 19. item Aurelianense III. can. 13. item Concilium Arvernense can. 6. & refertur cap. fin. 28. q. 1. item Concilium Romanum sub Zacharia can. 10. & Concilium Meldense can. 73.

Quæret aliquis, quo præsertim tempore paganismus factus fuerit impedimentum dirimens. Sit itaque

---

QUÆSTIO LXII.

Quonam tempore infidelitas declarata fuerit impedimentum prohibens, & à quo tempore, & quo jure inter impedimenta dirimentia annumerata fuerit.

Prima conclusio.

CERTUM est, matrimonia cum infidelibus contrahenda ab omni ævo & in utroque Testamento, jure divino naturali, & jure divino positivo fuisse prohibita, & ipsam illam prohibitionem jure ecclesiastico fuisse confirmatam, ut declarant plures plurium Conciliorum canones à nobis superiori quæstione recitati.

Hujus conclusionis probatio repetenda est ex secunda conclusione cit. quæst. 61.

Igitur dicimus, hujusmodi matrimonia ab Moyse populum Dei regente, in veteri Testamento fuisse interdicta anno ab orbe condito bis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio.

Hujusmodi prohibitionis initium in novo Testamento ad Apostolica tempora referendum est. Eam quippe legimus ab Apostolo prædicatam cap. 7. 1. ad Corinth. epistolæ, quæ scripta est anno Redempt. 57. & cap. 6. 2. ad eosdem Corinth. epistolæ, quæ eodem Redempt. anno, quinquagesimo nempe septimo, & ab ipsius Redemptoris morte 24. scripta est.

Secunda conclusio.

Quo præsertim tempore infidelitas inter impedimenta matrimonium dirimentia annumerata fuerit, ardui laboris est asserere. Unum quippe tantùm affirmare possumus, post sancti nempe Augustini tempora, præfatam infidelitatem ab fidelibus habitam esse, sic tamquam impedimentum, quod non solùm matrimonium interdiceret cum infidelibus contrahendum, sed etiam dirimeret contractum. Id ita factum est, & paulatim, cùm videlicet infideles per Christianas conjuges convertendi nulla spes ostenderetur, imò fidelium subversio, & prava prolis ex talibus matrimoniis orituræ educatio passim metueretur. His de causis fideles infidelium nuptias cum tot & tantis animarum proculdubio periturarum periculis conjunctas, perhorrescere cœperunt, & invalescente sensim religiosa consuetudine pleræque omnes Ecclesiæ infidelitatem inter impedimenta matrimonium cum infidelibus initum dirimentia recensuerunt ab quingentis circiter annis, vel certè quadringentis id contigisse, fit verisimile ex eo, quòd Gratianus 28. q. 1. Magister Sentent. lib. 4. dist. 39. S. Thomas & alii Theologi pariter & canonum interpretes nullo canone ista matrimonia prohibente freti, sed unâ dumtaxat Christianorum Catholicorum doctrinâ & consuetudine impulsi, infidelitatem matrimonia cum infidelibus inita dirimere veluti rem certam, sine ulla tergiversatione tradiderunt: utpote qui præfatam consuetudinem (quâ fideles Catholici hujusmodi conjugia, vel per se, vel interposito Ecclesiæ judicio rescindere consueverant) venerarentur ut dignam, quæ viridi observantia coleretur, & vigeret eo nomine, quòd suum ex lege naturæ principium haberet, & obligandi vim ex tacito populi Dei consensu acciperet.

Ac reipsa quidem ex sola consuetudine fidelium Catholicorum irrita effici prædicta matrimonia, ex sola, inquam, consuetudine frequenti, diuturnaque Catholicorum praxi roborata, quæ quidem vim legis obtinuit, facilè probari potest: siquidem neque divino naturali, neque divino positivo sunt irrita, sed tantùm jure ecclesiastico, id est prædicta consuetudine, quam Ecclesia ad canonem & legis authoritatem suo consensu, primùm quidem tacito, sed postmodum expresso extulit.

Nonnulli Authores non exigui nominis fatentur, nullum esse textum, quo hæc talium matrimoniorum irritatio fulciatur, atque ita eam nulla scriptæ legis ecclesiasticæ authoritate niti, sed ex receptissimo Ecclesiæ usu, & ex Apostolorum traditione apud Catholicos observatam & propagatam vim legis obtinuisse, & etiamnum utcum maximè obtinere sentiunt. Hos inter non inferiorem locum obtinet Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 23. proposit. 2. & 3. & Sotus in 4. distinct. 39. quæst. un. a. 2. col. 5. vers. Hæc autem & alii docent: verùm, quòd talium matrimoniorum irritatio ex Apostolica traditione descenderit, probari non potest. Nam S. August. lib. singulari de fide & operibus cap. 19. laudat S. Cyprianum in Epistola de lapsis, nentem jungere cum infidelibus vincula matrimonii, nihil esse aliud quàm prostituere gentibus membra Christi: quæ (matrimonia) nostris temporibus jam non putantur esse peccata. Hæc ibi.

Inde factum est, ut mulieres alioqnin religiosissimæ in matrimonium cum viris infidelibus & idololatris ineundum consenserint: qua in re ab eruditis Theologis excusantur, partim ignorantiâ legis, eaque probabili; siquidem ipse S. Augustinus de hujusmodi legis promulgatione dubitavit: partim eo nomine, quòd puellæ sui matrimonii negotium

parentibus ex more & honestate committerent, nusquam talia cum ethnicis hominibus initura matrimonia, si prohibita fuisse rescivissent: partim interpretatione legis certis in casibus non obligantis, ut patet ex conjugiis, quæ fideles mulierculæ cum infidelibus in veteri Testamento contrahere nihil dubitarunt.

Præterea etiam hujusmodi matrimonia possunt ascribi divinæ providentiæ, quæ talium conjugiorum interventu infideles ad veram fidem perducere destinavit. Nusquam enim Apostolus 1. Corinth. c. 7. diceret: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*; nisi conjux acquiescens & consentiens habitare cum conjuge fideli sanctificaretur, si non omnino, at certè præpararetur ad veram sanctificationem, & fieret candidatus timoris, seu veræ pietatis, ut loquitur Tertullianus, & candidatus fidei, ut ait S. Hieronymus: siquidem Christo non maledicat, pia alterius conjugis exercitia non impediat, signum crucis ædibus vel thalamo nuptiali præfixum æquis aspiciat oculis, & filios suos primis fidei Christianæ religionis elementis imbui cum debita mansuetudine patiatur.

Quæres, cur Apostolus dixerit in præterito: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.*

Hanc quæstionem sic solvit S. Aug. *Sic*, inquit, *accipiendum est, quòd exempla jam præcesserant, & virorum, quos uxores, & fœminarum, quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam unius parentis vicerat: aut si quod magis verba Apostoli videntur sonare, & quodammodo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, quâ sanctificabantur vir & mulier infidelis in conjuge fideli, & quâ sancti nascebantur filii fidelium, sive quia in menstruo cruore mulieris à concubitu continebat, quicumque vir vel fœmina id in lege didicerat.* Hactenus S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 12. ubi & ita pergit: *Illud sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & ecclesiastica institutione & sacramentis efficiantur fideles.* Hæc ibi.

Quod asserit S. Augustinus loco proximè cit. non semel contigisse, plura testificantur exempla, inter quæ non postremum obtinet locum sancta Monica, quæ Patricium benevolentiâ quidem præcipuum, sed irâ fervidum virum habuit, & *satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem, atque mirabilem*, ut testatur ipse S. Augustinus Deum affatus lib. 9. Confess. cap. 9. Revera Patricium antea infidelem maritum jam in extrema vita temporali ejus, lucrata est Christo, nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat, ut ibidem loquitur idem S. Augustinus.

Quis igitur non dicat, tale matrimonium æterno divinæ providentiæ decreto constitutum, & divinæ inspirationis impulsu ab sancta Monica fuisse contractum: in quo & Patricii conversio sanè mirabilis peracta fuerit, & ex quo S. Augustinus Pater Patrum & antiquæ fidei conditor, ut loquitur S. Hieronymus, extiterit.

Hic prætereo conjugia Clotildis quæ cum Clodovæo Francorum Rege adhuc ethnico, & sanctæ Cæciliæ quæ cum Valeriano etiam infideli ita contraxere, ut hæc Valerianum ab idololatria ad Christi fidem per victricem ejusdem Christi gratiam traduxerit; illa verò non solùm Clodovæum ad Ecclesiam Christi amplectendam suis hortamentis & exemplis impulerit; verùm etiam Francorum regnum idolis & idololatris undique refertum ab omni impietate profanoque cultu repurgari incredibili sollicitudine & studio procuraverit.

Ex dictis patet, matrimonia fidelium cum infidelibus ineunda non esse jure divino naturali prohibita, siquidem possunt honestari quibusdam circumstantiis, quibus positis, & licitè & validè contrahi valeant. Sunt ergo tantùm ecclesiastico jure prohibita. Unde fit, ut dispensante Ecclesia possint contrahi: quod enim ecclesiastico dumtaxat jure constitutum est, potest citra controversiam ejusdem Ecclesiæ authoritate & judicio relaxari.

Quæstio LXIII.

Quibus præsertim de causis disparitas cultûs, seu infidelitas ab Ecclesia inter impedimenta matrimonium dirimentia reposita fuerit.

Respondeo, tribus de causis id ita per consuetudinem vim legis obtinentem ab Ecclesia esse constitutum. Hujusmodi rationes in hac quæstione discutere necesse est.

Prima ratio

Petitur ex eo, quòd secundùm SS. Patrum sensa sit indignissimum, homines baptizatos seu membra Christi, cum infidelibus, qui sunt membra Diaboli, matrimonii vinculo copulari.

Hæc ratio præclarè illustrari potest lege ab Imperatoribus Valentiniano & Valente promulgata, quæ refertur l. unicâ *de nupt. gentilium.* C. Theod. in hæc verba: *Nulli provincialium cujuscumque ordinis, aut loci fuerit, cum barbara sit uxore conjugium, neque ulli gentilium provinciales atque gentiles affinitates ex hujusmodi nuptiis extiterint: quod in his susceptum vel noxium detegitur, capitaliter expietur.*

Hanc legem, ut obiter id dicam, perperam interpretatus est Covarruvias in 4. 2. par. cap. 6. §. 11. nu. 3. cùm asseruit, illa ipsa lege fidelium cum infidelibus matrimonia prohiberi: siquidem Imperatores in hujusmodi lege vel edicto eò dumtaxat respexere, ne Romani cum exteris, néve exteri cum Romanis nuptias inirent: quod ad conservandam Romani sanguinis dignitatem, antiquum est ejus Reip. institutum, ut testatur Ulpianus in Fragm. tit. 5. c. 5. *Connubium*, inquit, *habent cives Romani cum civibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis ita, si concessum sit.* Item Caius Institut. tit. 4. *Legitimæ nuptiæ sunt, si Romanus Romanam nuptiis intervenientibus vel consensu ducat uxorem.* Quod & confirmat Seneca in lib. 4. de Benefic. cap. 35. *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum extraneo connubium: eadem res me defendit, quæ vetat.* Hæc ille.

Si igitur victor ille gentium populus, conjugia cum alienigenis ineunda, sic tamquam denuntiato capitali supplicio vetita detrectavit, ne Romana majestas aliquid detrimenti ex talibus nuptiis caperet: quonam animo animatos esse oportet Christianos Catholicos, si ipsis conjugia cum infidelibus ineunda proponantur? Ea sanè refugere & aversari debent, veluti fœdera cum acerrimis Christi, & ipsius Ecclesiæ hostibus inita, quæ cæteris paribus & Christum & ipsius Ecclesiam horribilem in modum dedecorant: *Quæ enim societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus*, 2 Corinth. cap. 6. v. 15. & 16.

Quasi diceret Apostolus: Agnoscite magnitudinem vestram, ô Corinthii! agnoscite fœlicitatem,

vosque majores ducite, quàm ut cum incredulis commercium habeatis: plus est inter vos discriminis, quàm ut eodem matrimonii jugo copulari valeatis: quanto enim intervallo lux distat à tenebris, quanto spatio Belial à Christo differt: quanta denique distantia intercedit inter templum Dei & inter idola; tanta vos animorum & religionis & morum & matrimoniorum disjunctione, ab idololatris separari, abhorrere & abstrahi necesse est.

Si Mezentii tyranni Poetarum carmine acerbiùs vellicati præter cæteros est nobilitata crudelitas eo nomine, quòd cadavera vivis corporibus, manibus manus, & ora oribus componens jungeret, atque ita homines sanie & tabo fluentes productiori morte luctuosos inter amplexus enecaret: quid sentiendum de illis qui fidelem ex fide viventem cum infideli sine fide mortuo, arctissimo matrimonii vinculo devinciunt? Nonne ipsi Mezentio sunt æquiparandi, quippe qui vivum fidelem cum infideli persona, eaque per paganicam superstitionem emortua, non solùm prolixam in terris mortem oppetiturum, sed etiam æterna in inferis pœna & morte probabiliter cruciandum copulant?

Secunda ratio,

Propter quam infidelitas habita est ab Christianis Catholicis impedimentum dirimens matrimonium cum personis nondum baptizatis initum, petenda est ex eo, quòd fideles profligata propemodum infidelitate & idololatria, & invalescente in dies eorum more, quo matrimonia cum paganis inita solvebantur, agnoverunt, suum illum talia matrimonia dissolvendi morem stabiliri non posse meliùs & certiùs, quàm si ab fidei sacramento seu baptismo, stabile & publicum fidelium ab infidelibus discrimen, in ordine ad præsens impedimentum acciperent: atque ita omnibus innotesceret matrimonium non aliter ab Christianis suscipi oportere, quàm prout est novæ legis sacramentum, atque adeo ab illius susceptione ablegandos esse infideles ob indignitatem & incapacitatem, (ut ita dicam) quam uno dumtaxat regenerationis sacramento abdicare tenebantur & poterant.

Cùm ergo passim asserunt Theologi, præfata fidelium cum infidelibus matrimonia esse irrita, loquuntur congruenter consuetudini fidelium Christianorum juxta infideles habitantium, & eadem ipsa matrimonia irritantium, Quæ fidelium consuetudo scriptæ legi præponderat: siquidem suam originem & vim trahit ex lege naturali, plenam verò legis authoritatem ab unanimi fidelium consensu accipit. Qua in te nihil asserunt, nisi pium & Christianorum pietati consentaneum, & dignum quod viridi observantia retineatur & vigeat. Ut enim quispiam dicatur fidelis & Christianus, non tam ad interiorem, (quam quis extrinsecùs ementiri seu falsò profiteri possit) quàm ad externam fidei protestationem in baptismo publicè editam attendere necesse est. Nam oportet certum aliquod signum constituere, cujus vi aliquis fidelis & Christianus citra errorem appellari valeat, ita ut hujusmodi signi defectu, matrimonium ab ipso initum dirimatur. Quòd si tale signum in interna dumtaxat & latenti fide, quamplurimi vel superba uxoris fastidia, vel ipsa matrimonii onera pertæsi dictitarent, se in ipso, quo matrimonium inierunt, articulo non habuisse veram fidem, ideoque debere ab propria uxore separari.

Sic filii Jacob Sichem, qui eorum sororem stupraverat, & patri ejus dixerunt: Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso; quod illicitum & nefarium est apud nos. Ut igitur Sichem Dinam in uxorem duceret, filii Jacob petiere ab ipso ejusdem secum religionis profitendæ signaculum, quod non in interna fide, sed in externa carnis circumcisione constitutum cerni & apparere voluerunt, ut legere est Genes. cap. 34. v. 14. & 15.

Cùm ergo ad matrimonium rite ineundum non sufficiat fides interna, nec professio fidei verbo tenus edita, Ecclesiæ Dei externum & stabile fidei signaculum, quod est sacramentum regenerationis, ab omnibus sua sacramenta, & inprimis ab matrimonium suscepturis exigere placuit.

Tertia ratio,

Propter quam matrimonia ab fidelibus Christianis cum infidelibus inita dirimuntur, petitur ex Ecclesiæ authoritate, quæ cùm possit constituere, ut plures consanguinitatis & affinitatis gradus, quàm qui Levitico exprimuntur, qui possint matrimonium impedire contrahendum, & dirimere contractum, & reipsa constituerit impedimenta matrimonium dirimentia, nec in iis constituendis erraverit: (ut, ab Concilio Tridentino sess. 24. can. 3. & 4. sub anathematis interminatione declaratum est) ipsa illa Ecclesia causas matrimoniales suo tribunali discutiendas reservavit: quod perfectè & plena authoritate præstare non potuisset, si fuissent rata & legitima fidelium cum infidelibus conjugia, eo quòd alter conjugum qui esset infidelis, coram judicibus ecclesiasticis suum matrimonium discuti & approbari vel rescindi noluisset, nec ipsa Ecclesia potestatem divinitus sibi vel ad approbanda, vel ad rescindenda matrimonia concessam sineret in controversiam & disceptationem ab infidelibus evocari; utpote quæ se de iis, qui foris sunt, & nusquam inter suos extiterunt, judicandi potestatem non habere rescriat.

Bene ergo & catholicè loquuntur Doctores, cùm docent, matrimonia fidelium cum infidelibus, id est cum personis quibuscumque nondum baptismatis sacramento regeneratis, (quamvis catechumeni inter catechumenos sint, & in fidei cognitione multùm profecerint) inita, totius Ecclesiæ judicio irrita declarari. Et id ad ipsam illam dumtaxat Ecclesiam pertinet, ex quo Christus Dominus matrimonii contractum ad sacramenti dignitatem & amplitudinem evexit. Unde constituit impedimenta matrimonium dirimentia, nec in iis constituendis erravit, ut paulò antè ab Concilio Tridentino definitum esse diximus: quod & ante Tridentinum in Concilio Senonensi provinciali sub Clemente Papa VII. declaratum fuerat. In ipso siquidem in Decretis fidei cap. 17. inter errores condemnatos refertur iste: *Ecclesia non potuit illegitimare aliquas personas, sic quòd non possint contrahere matrimonium.* Hoc ipsum confirmat perpetua praxis Ecclesiæ, quæ cùm perspectam & cognitam habeat potestatem sibi ab charissimo sponso relictam, illam contulit in praxim, atque adeo citra errorem constituit impedimenta, quibus matrimonia (cæteroquin saluti fidelium adversantia) dirimerentur: quæ potestas penes unam dumtaxat Ecclesiam residere declaravit Concilium Tridentinum sess. 24. can. 12. & ult. *Si quis* (verba sunt Concilii) *dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.*

Hujusmodi pronunciata confirmat ratio. Cùm enim apud Christianos ratio matrimonii ab ratione sacramenti divelli nequeat, æquitati apprimè consentaneum est, ut contractus matrimonialis spectet ad illud ipsum forum, ad quod disceptanda de sacramentorum valore & doctrina cognitio pertinet.

Unde in matrimoniis judicandis, & in iis quæ

ad ipsa necessariò pertinent, sanctiones Pontificias civilibus anteponendas esse dicimus ex cap. finali *ne secund. nupt.* apud Gregorium, §. ult. *quomo. oper. Episc.* in authent. coll. 1. §. fin. *ut Cleric. apud propr. Episc.* coll. 6.

Propterea causa matrimonii validi vel invalidi debet agi & decidi coram judice ecclesiastico, non coram laico. Item num quis ex legitimo matrimonio natus sit, c. 1. & c. *causam quæ.* & c. *later.* c. 5. *qui fil. sint legit.* apud Gregorium: quia merè est spiritualis, c. *tuam. de ord. cogn.* Idcirco neque principaliter, neque incidenter coram sæculari judice tractari potest, ut asserit Petrus Gregorius Syntag. juris lib. 9. cap. 21. nu. 3. & 6.

Quæ ergo necessariò respiciunt aut sequuntur ex ista ratione sacramenti, aut contractûs cum eo necessariò conjuncti, veluti ejus vinculum insolubile, personarum legitimatio, seu habilitas vel inhabilitas ad contrahendum, prolis conditio legitima vel illegitima, & divortium; ista omnia ab judice ecclesiastico disceptanda & terminanda esse, docent sacrosancti canones. Nam causa dotis & hæreditatis & alia id genus merè sæcularia sæculari foro relinquuntur: siquidem contractui, quem Christus ad sacramenti sanctimoniam evexit, extrinsecùs adjacent, tametsi interdum & etiam incidenter ab Ecclesia determinari soleant.

Inde respondemus, matrimonia sæpe irrita declarari ab laïcis judicibus quoad effectus civiles, non autem quoad rationem sacramenti. Cùm enim ratio sacramenti, & ex eo derivata insolubilitas sit merè spiritualis, ab homine seu judice sæculari nec tractari, nec dirimi debet, nec potest.

Quod patet ex legibus Theodosianis, quibus rescindebantur conjugia, quæ Magistratus inibant cum muliereulis provinciarum, quibus præerant: siquidem bujusmodi leges nihil aliud intentabant, quàm quasdam pœnas civiles, quæ dictis Magistratibus talia matrimonia contrahentibus irrogare consueverant, l. 3. Cod. Theod. tit. 6. l. 1.

Quod ipsum liquidò confirmat edictum Henrici II. anno Redempt. 1556 Parisiis promulgatum, in quo filiis-familias qui matrimonium, invitis, repugnantibus & inconsultis parentibus, contraxerint, exhæredationis pœna irrogatur, & omnis paternæ hæreditatis adeundæ facultas adimitur: ita ut præcisa omni spe postliminii, exhæredationis rescissionem apud judices postulare & procurare nequeant. Quin etiam ex ejusdem edicti tenore, utrique parenti indulgetur facultas revocandi omnes & singulas donationes & commoda, quibus suos liberos auxerint. Prætereà in eodem edicto præfati filii familias declarantur exhæredatione mulctandi, & indigni omnibus commodis, utilitatibus & emolumentis quæ per conventiones tabulis matrimonialibus appositas, vel consuetudinis & legum hujus regni beneficio, spectare poterant, & tandem de omni tot tantarumque rerum aliquando possidendarum expectatione dejiciuntur: ita ut ad profligandam exhæredationem edicto regio in ipsos constitutam, legum & consuetudinis authoritatem & præsidium implorare nequeant.

Quæ in eo edicto recensentur, sunt effectus seu pœnæ civiles, quibus liberi parentes aspernati: (dum ipsis inconsultis matrimonium ineunt) jure ac meritò afficiuntur. Quod fecit in eo edicto Henricus II. hoc & præstitere Imperatores & Reges Catholici, qui nusquam matrimonia ritè, seu Ecclesia (quoad sacramenti rationem) approbante, contracta, dirimere voluerunt: tametsi in iis aliquid occurrisset, quod ipsorum edictis & legibus adversaretur.

Nihil Principum justis legibus & edictis detractum volunt Theologi, cùm passim asserunt, in causis matrimonialibus esse res quasdam merè politicas, quales sunt dotes, successiones, hæreditates, & alia id genus, ad politicum Magistratum simpliciter pertinere: neque etiam eorum officiunt authoritati, cùm docent, esse in matrimonio res alias omnino spirituales, quales sunt partes sacramenti, benedictio sacerdotalis, & alia quæ ab una dumtaxat Ecclesia discuti & dijudicari necesse est: nihil denique politicis judicibus adimunt, cùm asserunt, in ipso matrimonii sacramento esse res alias partim spirituales, partim politicas, quales sunt gradus cognationis, divortia, impedimenta & alia quæ spectant ad ipsum matrimonii contractum, quatenus ille contractus naturalis est materia politica; quatenus autem ipse ille contractus est fundamentum sacramenti, & conscientiam spectat, spiritualis est.

Unde iidem ipsi Theologi docent, hujusmodi res, partim scilicet politicas, partim spirituales, ad politicum Magistratum pertinere posse, cum subordinatione tamen ad ecclesiasticum Principem, ad quem simpliciter talium rerum disceptatio pertinet; cùm Concilium Tridentinum session. 24. de matrimonio cap. 12. causas matrimoniales sine ulla restrictione spectare ad judices ecclesiasticos sub anathematis interminatione definierit.

De his satis. Jam inquirendum, quandonam dissolvi possit matrimonium ab fideli cum infideli initum. Sit itaque

---

Quæstio LXIV.

Quibus in casibus matrimonium ab fideli cum infideli contractum, quoad vinculum, dissolvi possit: seu utrum fidelis, dimissa persona infideli, possit alterum contrahere matrimonium.

UT hæc quæstio resolvatur, observandum est, matrimonium esse posse inter infideles, hoc est, posse fidelem contrahere verum matrimonium cum infideli, ut patet ex 1. Corinth. cap. 7. ita ut non dissolvatur tale matrimonium per alterius vel utriusque conjugis conversionem ad Christi fidem, tametsi dissolvi possit quoad thorum, seu quoad cohabitationem: quæ tamen factitari potest per aliquod tempus, & quamdiu spes aliqua conversionis affulserit.

His ita constitutis, esto

Nostra conclusio.

In tribus potissimùm casibus potest quoad vinculum dissolvi matrimonium, quod fidelis cum infideli persona inierit.

Primus casus est, si infidelis cum fideli habitare renuat.

Secundus, si infidelis citra contumeliam Creatoris cum fideli commanere nolit.

Tertius denique, si infidelis nolit commanere cum fideli, nisi illum ad peccatum lethale vel blanditiis, vel alio quocunique modo alliciat & pertrahat. Tres istos casus probare & astruere necesse est.

Revera probantur hujusmodi casus authoritate Apostoli ita loquentis 1. Corinth. cap. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat:* hoc est, si infidelis sua sponte discedit, non consentiens habitare cum fideli ut fideli, id est si religione ejus offensus ab ipso recedit, non est quòd conjux fidelis existimet, se debere discedentem sequi, sed sinat eum discedere, tamquam suæ libertati relictum. Potest nimirum fidelis infidelem secum habitare recusantem, deserere, & eodem infideli deserto, potest aliud ma-

trimonium contrahere, etiamsi præcedens matrimonium fuerit consummatum.

Ex istis Apostoli verbis derivata est Ecclesiæ consuetudo, quæ ita invaluit apud omnes Ecclesias, ut omnibus fidelibus cum infideli persona, matrimonio etiam consummato, copulatis, ad alias nuptias convolare liceat, si infidelis recuset cum fideli cohabitare, vel non sine contumelia Creatoris, vel non sine illecebris aut aliis incitamentis, quibus fidelis probabiliter allici possit, aut reipsa alliciatur & pertrahatur ad peccata damnabilia, cum fideli commanere abnuat.

Tres illos casus in nostra conclusione propositus ita resolvit Innocentius Papa III. extra *de divortiis.* ut nihil ad eos illustrandos & resolvendos efficacius & liquidius afferri valeat.

Sanè tua fraternitas, inquit citatus Pontifex, intimavit, quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare: quod utrum possit fieri, per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultationi tuæ respondentes, distinguimus, licèt quidam prædecessor noster aliter sensisse videatur: an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, *Si infidelis discedit, discedat:* frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi: & canonem etiam in quo dicitur: *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quòd in hoc casu, is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licèt in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur: sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Nec obstat, quòd à quibusdam forsan objicitur, quòd fidelis relictus non debeat jure suo sine culpa privari, cùm in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur.

Per hanc responsionem quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa (nubentibus conjugibus) resilirent.

Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, quâ quæritur, utrum ad eum, qui ab hæresi, vel ab infidelitate revertitur, is qui permansit in fide, redire cogatur.

Hactenus Innocentius Papa III. cap. *quanto.* extra *de divortiis.*

Ex isto præfati Pontificis decreto manifestè colliguntur tres casus suprà memorati, in quibus matrimonia ab fidelibus cum personis infidelibus inita, quoad vinculum dirimuntur, ita ut liberum sit utrique ad secundas nuptias convolare: si nempe infidelis cum fideli nullatenus, vel non sine contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale. Et id ipsum explicant tres isti versus:

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem:
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

Quæres 1°. ex occasione hujus Decretalis, utrum altero fidelium conjugum in hæresim aut gentilitatis errorem prolapso, is qui relictus est, ad secundas nuptias, altero vivente, convolare possit.

Respondeo, non posse, quia fidelium matrimonium est ratum, eo quòd sacramentum fidei quod semel est admissum, numquam amittatur, sed ratum efficiat conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret, ut loquitur citatus Innocent. Papa III. in allata Decretali. Propter hanc rationem matrimonium ab fideli cum infideli persona contractum, in tribus casibus, quos hoc ipso loco recensuimus, dirimitur, eo quòd matrimonium infidelium sit imperfectum, matrimonium autem fidelium sit perfectum, & ita sit firmius: semper autem firmius vinculum solvat minùs firmum, si sit ei contrarium, ut docet S. Thomas in Supplem. q. 59. a. 5. in corp.

Cùm igitur vinculum matrimonii ab fideli cum infideli persona initi non sit ratum, atque adeo minùs firmum eo nomine, quòd contrahentium alter sacramento fidei, id est baptismate non sit initiatus, ideo illud fortiori vinculo (quo scilicet contrahentes baptismate regenerati per matrimonium secum invicem colligantur) per ipsius dissolutionem in allatis casibus cedere oportere, Ecclesia Apostoli authoritate suffulta declaravit.

Cùm igitur hujusmodi ratio in matrimonium ab duobus fidelibus seu baptizatis initum, cadere nequeat, nullo pacto dirimi potest: atque adeo, qui relictus est, non potest ad secundas nuptias convolare, nisi priùs conjux alter è vivis excesserit, ut constat ex citata Decretali.

Quæres 2°. utrum relictus in casu proximè proposito possit, & debeat jure suo sine culpa privari.

Respondeo, in ejusmodi casu conjugem, qui relictus fuerit, posse & debere etiam citra ipsius culpam suo jure, id est alterius conjugii contrahendi facultate privari sine ulla injuria: siquidem jus canonicum multos percenset casus, in quibus multi dejiciuntur de suo jure, quamvis nullius culpæ sint conscii, propter quam suo illo jure privari debeant. Sic 32. q. 7. cap. *hi qui.* in quo decernitur, quòd qui matrimonium sani contraxerint, & uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas acciderit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exsecti fuerint. Hæc habentur loco citato.

Id ipsum statuitur 54. dist. *frequens.* & dist. 34. *si cujus.* 16. q. 7. *decernimus.* item 70. dist. *neminem.* item 18. q. 2. *definimus.*

Hujus rei verissimam affert rationem Innocentius Papa III. in allata Decretali. Ac reipsa quidem, si altero conjuge ad hæresim vel idololatriam desciscente, baptizatorum conjugia dirimerentur, plerique matrimonii onera, vel molestam malè moratæ mulieris cohabitationem, vel alia id genus pertæsi, simularent hæresim, & ad alias nuptias convolarent: unde luctuosa plurium familiarum strages & perturbatio existeret.

Quæres 3°. utrum ad eum, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur, is qui permansit in fide, redire cogatur.

Hanc quæstionem solvit Urbanus Papa III. cap. *de illa.* extra *de divortiis.* in hunc modum. De illa quæ viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quòd mulier, (maximè si ea intentione discessit, ut lapsus in hæresim tædio pariter & confusione affectus, si ab errore suo converteret) ei, cùm reversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit

luerit, compellatur. Si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Hactenus Urbanus Papa III. loco citato. Quem locum sic illustrat Glossa: Potest dici in utroque casu, inquit, ea mulier est compellenda, ut redeat ad virum, nisi judicio Ecclesiæ separata religionem intrare voluerit.

Et id constat ex cap. *Mulier. de convers. conjug.* Quem locum Glossa sic explicat: Ad ista verba, judicio Ecclesiæ: Ego, inquit, à contrario sensu videtur, quòd si non fuit judicio Ecclesiæ separata, quòd eo invito religionem intrare non possit. Et ita aliud est, quando judicio Ecclesiæ fuit separata ab illo; & aliud, quando non fuit illo ipso Ecclesiæ judicio separata, sed ab illo propria authoritate recessit, ut patet ex cap. *de illa.* extra *de divort.* Sed si nollet intrare religionem, compelli debet ad ipsum redire in utroque casu, sive fuerit judicio Ecclesiæ absoluta, sive non, ex cap. *quanto.* extra *de divortiis.* non obstante illa spirituali fornicatione, (hæresi scilicet) cùm jam sit emendatus, & incipiat esse quod non fuit, 50. dist. cap. *ferrum.*

Ex occasione hujus solutionis,

Quæres 4°. utrum vir uxorem vel judicio Ecclesiæ separatam, sive publicè fornicatam, recipere teneatur, si præsertim emendata fuerit.

Hanc quæstionem ita solvit Glossa explicans cit. caput *mulier. de conversion. conjugat.* Sicut, inquit, in carnali fornicatione, sive judicio Ecclesiæ sit separata, sive publicè fornicata: quia non tenetur illam recipere, nisi velit, quamvis emendatam. suprà *ex gaudemus.* Et hæc separatio fit tantùm quoad mutuam servitutem, quia vinculum matrimonii non dissolvitur (& ita definitum est ab Concilio Tridentino can. 5.) in hoc casu, cùm alter fidelium transit in infidelitatem, ut constat ex prædicto cap. *quanto.* extra *de divortiis.*

Sed quæ est ratio, quare in fornicatione carnali non compellitur maritus recipere uxorem, etiam emendatam, sed in spirituali compellitur?

Hæc potest esse ratio: si maritus cognosceret uxorem post carnalem fornicationem, postea promoveri non posset ad sacros ordines eâ mortuâ, propter defectum sacramenti: & sic præjudicium ei fieret, 34. dist. *si laici.* & c. *si cujus uxorem.* Sed hoc non contingit in spirituali fornicatione, quia per pœnitentiam purgata est.

Item alia est ratio: in fornicatione carnali anima & corpus polluitur; sed in spirituali tantùm anima. Et in carnali fornicatione non tantùm fit in anima quod displiceat marito, sed etiam in corpore, quod nòn fit in spirituali: & vir magis scandalizatur ex eo quod fit in corpore, & magis offenditur, quàm ex eo quod fit in anima. Et ita causa majoris scandali illati viro fit, ut post carnalem fornicationem uxorem recipere non compellatur: sed post fornicationem spiritualem compellitur; nisi ad religionem transire voluerit, ut hic dicitur. Hactenus Glossa in dictum cap. *mulier. de conversione conjugat.*

Quæstio LXV.

Utrum per alia vitia præter infidelitatem solvatur matrimonium.

Hanc quæstionem S. Thomæ verbis resolvere juvat.

Respondeo, dicendum, inquit S. Doctor, quòd fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii; unde specialem habent vim separandi matrimonia: sed tamen intelligendum est, quòd matrimonium dupliciter solvitur. Uno modo, quantùm ad vinculum, & sic non potest solvi, postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium: sed si non est ratificatum, solvitur vinculum, permanente infidelitate in altero conjugum, si alter conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat. Non autem solvitur vinculum prædictum per adulterium: aliàs infidelis liberè posset dare libellum repudii uxori adulteræ, & eâ dimissâ, aliam ducere; quod est falsum. Alio modo solvitur matrimonium, quantùm ad actum; & sic solvi potest tam per infidelitatem, quàm per fornicationem. Sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium, etiam quantùm ad actum: nisi fortè ad tempus, si velit vir subtrahere se à consortio uxoris ad castigationem ejus, ei subtrahendo suæ præsentiæ solatium.

Hactenus S. Thom. in Supplem. q. 59. a. 6. in corp. Sed de hac quæstione pluribus infrà differendum erit.

Quæstio LXVI.

Quid statuendum de matrimoniis fidelium cum infidelibus initis.

Prima conclusio.

Cum inter infideles sit verum matrimonium, si infidelium conjugum alter amplectatur fidem Christi, alter verò in infidelitate permaneat, non propterea matrimonii inter ipsos initi vinculum dissolvitur; quamquam & quoad cohabitationem & conjugalis debiti solutionem possit dissolvi, si nulla in conjuge in infidelitate permanente, spes conversionis appareat.

Quemadmodum enim vir se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea: potest enim vir innocens liberè manere cum adultera spe correctionis, non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur patronus turpitudinis: quamvis etiam cum spe correctionis possit eam liberè dimittere. Similiter fidelis conversus potest cum infideli manere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit, & bene facit commanendo: tamen non tenetur. Et hoc est consilium Apostoli 1. Corinth. cap. 7. Ita S. Thomas in Supplem. q. 59. a. 3. in corp.

Secunda conclusio.

Fidelis conversumpotest dimittere infidelem conjugem, quæ ad fidem Christi converti abnuit. Quæ quidem conclusio certa est ex communi Theologorum assensu, quando nempe hujusmodi dimissionem antecessit sententia ecclesiastici ju-

dicis divortium ex causa decernentis : alioquin (quod est probabilius) fidelis infidelem converti quidem recusantem, sed pacificè eum ipso cohabitare volentem, propria sua authoritate dimittere non potest. Unde sequitur, fidelem conversum, quamdiu ab Ecclesia divortium non obtinuerit, teneri ad reddendum conjugale debitum infideli pacificè cohabitare volenti, & revera cohabitanti. Sive autem divortium obtinuerit, sive non, numquam potest, ea vivente, & in cohabitationem pacificam consentiente, ad alias nuptias convolare. Quòd si in tali casu attentet matrimonium, erit profectò irritum eo nomine, quòd nullum jure divino assignatum sit fundamentum, propter quod tale matrimonium dissolvi valeat : si præsertim sit, ut supponimus, legitima seu tranquilla cohabitatio, id est, infidelis persona nullam contra Christum, & ejus Ecclesiam, sit blasphemiam cohabitando prolatura, nec quicquam molitura, ex quo vel conjugi, vel liberis, vel ex ipsorum vel ex altero matrimonio susceptis, perversionis aut in lethale peccatum impulsionis periculum immineat; si id præstet persona infidelis, non potest ab fideli dimitti, nisi divortium ab Ecclesia impetraverit, ut diximus.

Tertia conclusio.

Si infidelis, qui semel discessit, vel contumeliosus fuit in Creatorem, convertatur ad fidem, priusquam fidelis novum matrimonium contraxerit, ille ipse fidelis tenetur infidelem ad Christi fidem conversum recipere, quia prius vinculum adhuc perseverat, ut patet ex cap. *gaudemus.* extra *de divort.*

Si ergo fidelis novum actu matrimonium contrahit, hoc ipso matrimonium cum infideli initum dissolvitur : siquidem jus matrimonii Creatoris contumelia dirimit, eo quòd fideli ipsius dirimendi facultatem tribuat; qua libertate, ineundi scilicet alterius conjugii caret, infidelis : si enim illud attentet, antequam Christianos reipsa ad alias nuptias convolaverit, nihil efficiet : si verò postea, si & in infidelitate perseveret, & Christiano Principi subjiciatur, validè quidem contrahet, sed illicitè. Quod insigniter explicat S. Thomas cit. q. 59. a. 5. ad 3. Dicendum, inquit, quòd postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonii ex utraque parte : quia matrimonium non claudicat quantùm ad vinculum, sed quandoque claudicat quantùm ad effectum. Unde in pœnam uxoris infidelis ei indicitur, quòd non possit cum alio contrahere, magis quàm ex virtute matrimonii præcedentis : sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensativè, ut alteri nubat, si vir ejus aliam in uxorem duxit. Hæc ibi S. Thomas. Sed satis hactenus de matrimoniis infidelium. Jam de hæreticorum matrimoniis disserendum est.

Quæstio LXVIII.

Utrum matrimonia ab persona catholica cum persona hæretica sint valida & licita.

Prima conclusio.

Nemini Theologo dubium est, quin hujusmodi matrimonia sint valida. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 39. a. 1. in solut. quæstiunculæ unicæ ad 5.

Respondeo, dicendum, inquit, quòd matrimonium sacramentum est; & ideo quantùm pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem quantùm ad sacramentum fidei (scilicet baptismum) magis quàm quantùm ad interiorem fidem : unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium. Et propter hoc si aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam : sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret ; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur. Hactenus S. Thom. loco cit.

In istam D. Thomæ sententiam consensere omnes Theologi. Sunt ergo valida hujusmodi conjugia : sponsalia tamen de illis contrahendis inita irrita sunt, eo quòd promissiones illæ sint de re turpi, & omnino illicitæ, quæ propterea nullam sponsalium obligationem inducere valeant, ut docet Navarrus lib. 4. consil. tit. de sponsal. primæ editionis consil. 38. nu. 6. in 2.

Quòd autem hujusmodi conjugia sint valida, declarat

1°. Text. in cap. *decrevit. de hæreticis.* in 6. ubi catholica nubens hæretico, privatur quidem dote in pœnam delicti, non tamen ab conjuge separatur : quod maximo argumento est, tale matrimonium haberi validum, & ut tale supponi.

2°. Id etiam constat ex sacrosanctorum canonum sanctionibus, quibus ita interdicuntur hujusmodi matrimonia, ut iis initis, nulla conjugum ab invicem separatio injungatur.

3°. Id luculenter probat recepta ubique terrarum Ecclesiæ consuetudo, quæ sic interpretata est canonem illam matrimonii inter personas catholicas & hæreticas vel apostatas ineundi prohibitionem, & suo ipsius facto eam tantùm vim habere declaravit, ut scilicet præfata conjugia essent quidem prohibita, antequam contraherentur, nec tamen contracta dirimerentur. Quod inde liquidò cernitur & apparet, quòd ipsa illa Ecclesia homines talibus conjugiis alligatos nusquam separaverit, nec ulla umquam sanctione separari præceperit. Cùm autem inveterati mores leges imitentur, §. *ex non scripto.* Institut. *de jure nat. gent. & civ.* & leg. *de quibus.* 31. D. *de legibus.* & l. 1. & 3. C. *quæ sit longa consuetudo.* lib. 8. & optima legum interpres sit consuetudo, l. *si de interpretatione.* 37. D. *de legibus.* cùm, inquam, & inveterati mores imitentur legem, & optima legum interpres sit consuetudo, & aliunde matrimonia cum hæreticis & apostatis inita inveteratis moribus & diuturna consuetudine sint approbata, jam nemo dubitare potest, quin valida existimari debeant.

Secunda conclusio.

Hujusmodi matrimonia sunt valida quidem, sed illicita, utpote quæ jure naturali, jure divino positivo, & jure ecclesiastico sunt prohibita.

1°. Igitur jure naturali prohibita sunt matrimonia cum hæreticis aut apostatis ineunda : quia jure naturali vetitum est, ne quis peccandi periculum adeat, qui enim amat periculum, peribit in illo. Hæc est enim lex omnium hominum animis ipsius naturæ, imò ipsius Dei manu insculpta; ut quotquot homines degunt in terris, suorum corporum pariter & animarum saluti providâ & assiduâ vigilantiâ & diligentiâ consulant, atque adeo omnia pericula, quibus corpus labefactari posset, ab suis cervicibus propulsent : & quia animæ salutis corporis salutem infinitis partibus antecellit, multò studiosiùs eam procurandam suscipiant, & in id præsertim incumbant, ut

suam ipsorum animam ab omni piaculo, & ab omni piaculi periculo sartam-tectam tueantur & retineant. Cùm igitur præfata conjugia scateant innumerabilibus periculis, quibus Catholicorum animæ tentari, perverti, seu de veræ & orthodoxæ fidei veritate & sinceritate dejici possunt, jure ac meritò lege naturali prohibita prædicantur. Quænam autem sint ea pericula, diximus, cùm de matrimoniis infidelium disseruimus. Illa ipsa pericula recenset Tertullianus lib. 2. ad Uxorem capitibus 3. & 4.

Synodus Nicæna I. can. 53. eam hujusmodi prohibitionis rationem assignat: *Ne*, inquit, *mulieres in errorem maritorum pervertantur, & fiant vel Judaæ vel gentiles propter infirmitatem.*

Idem subversionis periculum affert S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. *Cùm sancto*, inquit, *sanctus eris, & cum perverso perverteris: si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro & unus spiritus est?* Et infrà: *Ratio docet, sed amplius exempla movent: sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere, & ideo tu vel amori consule, vel errorem fuge.* Hæc ille.

Præterea fugienda sunt hujusmodi conjugia, eo quòd ab illis absint tria matrimonii catholici bona. In iis quippe desideratur bonum fidei, bonum prolis, & bonum sacramenti. Bonum fidei, quia qui Deo non est fidelis, vix homini fidelis esse potest, cap. *non potest.* 2. q. 7. Bonum prolis, quia proles in iis perperam plerumque instituitur, quippe quæ hæreticorum impia sacrilegaque dogmata cum nutricis lacte sugat, atque adeo vix, ac ne vix quidem ab errore ad veritatem, cùm adoleverit, transferri valeat. Ab ipsis etiam conjugiis longè abest bonum sacramenti. Cùm enim matrimonium magnum sit sacramentum, quod arctissimam Christi cum Ecclesia societatem & conjunctionem adumbrat, qui contrahunt matrimonium cum hæreticis, dictum Christi cum Ecclesia conjugium non repræsentant, quippe qui illud, quantum in ipsis est, fœdo schismate lacerant, populantur, dedecorant.

2°. Eadem ipsa conjugia prohibita sunt jure divino positivo, quod probavimus suprà pluribus utriusque Testamenti testimoniis, cùm de infidelium matrimoniis cum fideli initis ageremus.

Hic tantùm proferimus unum Scripturæ locum ex 2. S. Joannis Epistola excerptum. *Si quis*, inquit cit. Apostolus, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec, Ave, ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis.* Hactenus S. Joannes cit. Epist. v. 10. & 11.

Ex isto Apostoli loco facilè est probare à minori ad majus, illicita esse matrimonia cum personis hæreticis ineunda. Si enim ex Apostolica S. Joannis doctrina hæreticum salutare nequidem licet, an (quod multo majus & gravius est) cum hæretico matrimonium contrahere licebit? Si enim qui hæretico salutem impertit, malignis ejus operibus communicat, quantò magis sese illi per arctissimum matrimonii vinculum obligat?

Jure igitur ac meritò fugienda sunt ejusmodi conjugia, utpote quæ jure naturali pariter ac divino positivo sunt interdicta.

Revera in tribus casibus jure naturali divino vetita est hæreticorum familiaritas & consuetudo, quorum

Primus est, cùm subversionis periculum vel homini cum ipsis conversanti, vel ejus familiaribus & domesticis imminet.

Secundus, cùm aliquis hæreticum in cathedra pestilentiæ sedentem, seu pestifera suæ hæreseos dogmata disseminantem, vel probabiliter disseminaturum, hospitio ita excipit, ut ejus venenatis erroribus suffragari, eosque tacitè profiteri & adjuvare videatur.

Tertius est, cùm quis ita se in hæretici cujuspiam familiaritatem immergit, ut aliis scandalum afferat, & ejus exemplo alii, qui istum hominem hæretico familiariter utentem velut ipsius amicum & suffragatorem intuentur, ad ineundam pariter cum illo ipso hæretico societatem & amicitiam incitentur.

Quidquod, ista tria conveniunt in conjugia, quæ cum hæreticis contrahuntur. Nam

1°. Quis non videt subversionis periculum conjugi catholico ab conjuge hæretico imminere?

2°. Nonne perspicuum est, conjugem catholicum hæretico suffragari: siquidem se unam cum illo carnem per conjugalem amicitiam & copulam fieri voluit?

3°. Nonne conjux catholicus scandalo est aliis catholicis, qui ejus exemplo provocati simile conjugium inire nihil dubitabunt?

Si quærat aliquis, an peccent, & quale peccatum admittant catholici, qui matrimonium cum hæreticis ineunt:

Respondeo, eos peccare lethaliter eo nomine, quòd infringant in re gravi jus naturale divinum, & divinum positivum, & ecclesiasticum, quod quidem jus illud triplex severissimè ea prohibet matrimonia propter periculum fidei, quod conjugi catholico & proli in iisdem matrimoniis nasciture imminet, ut mox citanda Concilia declarabunt.

Igitur præfata conjugia interdicuntur plurium Conciliorum sanctionibus.

1°. Concilium Illiberitanum cap. 16. conjugia fidelium cum Judæis, & schismaticis ineunda interdicit.

2°. Idem sancit Concilium Nicænum I. can. 53.

3°. Idipsum vetat Aurelianense II. can. 19.

4°. Aurelianense III. can. 13.

5°. Arvernense can. 6. Et refertur cap. final. 28. q. 1.

6°. Concilium Romanum sub Zacharia can. 10.

7°. Concilium Meldense can. 72. sub finem.

Si quis objiciat, hanc Conciliorum prohibitionem pertinere dumtaxat ad Judæos, non autem ad hæreticos:

Respondeo, eamdem ipsam prohibitionem pertinere pariter ad hæreticos: si enim, ut ait S. Thomas in 4. dist. 39. in unius quæst. solutione art. 5. ad 2. nunc pari passu ambulant utrique, scilicet gentiles & Judæi, qui utrique obstinati sunt; & ideo nisi uxor infidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare, sive sit gentilis, sive sit Judæa.

Ex hoc S. Thomæ loco argumentor & dico: Si gentiles & Judæi pari passu ambulant, (respectu matrimonii quod cum illis contrahendum sacrosanctis canonibus interdicitur) quia utrique sunt obstinati, contendo à pari, hæreticos esse etiam obstinatos: siquidem illi dumtaxat habentur hæretici, qui cum pertinacia suos tuentur errores: ergo pari passu cum gentilibus & Judæis respectu matrimonii ambulant: ergo sicut matrimonia cum gentilibus & Judæis, fidelibus contrahenda citatis canonibus prohibentur, ita etiam matrimonia ab catholicis cum hæreticis ineunda, iisdem canonibus interdicta censeri debent.

Quidquod, fideles non solùm ab gentilium & Judæorum conjugiis abstinere jubentur, sed etiam ipsis, ipsa nominatim hæreticorum conjugia, sacris Conciliorum sanctionibus interdicuntur, ut videre est in Concilio Illiberitano can. 16. item in Concilio Laodiceno sub Sylvestro cap. 10. & 31. in Carthaginensi III. cap. 12. in Concilio Chalcedonensi can. 14. in Concilio Agathensi sub Symmacho, in quo repetitur canon Concilii Laodiceni cap. 67. & refertur in cap. *non oportet.* 28. q 1.

Nemini igitur dubitare licet, quin matrimonia sint tot canonibus interdicta: siquidem ea prohibitio, ut ex cit. Conciliis patet, spectat ad fidem & ad charitatem. Ad fidem, quia tanta communicatio (qualis est conjugalis) reddit catholicum suspectum in fide, quia scilicet externæ fidei professioni adversatur, ut videre est apud S. Leonem serm. 18. de passione, & sermone contra Eutychem.

Ista etiam prohibitio pertinet ad charitatem, & obligat.

1°. Ad vitandum proprium scandalum, ne videlicet quis errandi, seu ab catholica fide desciscendi, periculum adeat.

2°. Ad vitandum scandalum proximorum, qui tali exemplo ad ineundam cum hæreticis familiaritatem incitari, & in magnum ejurandæ fidei catholicæ periculum induci possent.

3°. Denique ad vitandum ipsius hæretici exitium & detrimentum: ex illa enim familiaritate, qua cum catholicis liberiùs ageret, fieret audacior, atque suos errores obstinatiùs quàm antea tueretur & assereret.

Si quis adversus hanc doctrinam objiciat, can. 72. VI. Synodi pronuntiari irritas nuptias, quas vel orthodoxus cum hæretica, vel orthodoxa cum hæretico contraxerit, & eodem ipso canone præcipi, dissolvendum esse nefarium illud conjugium:

Respondeo, Trullanam Synodum, falsò sextam nominari, atque adeo nullius esse authoritatis & ponderis. Licèt enim hujusmodi matrimonia sint valida; illa tamen Ecclesia irrita declarare posset: si hujusmodi declaratio ad commune fidelium commodum pertineret.

Quæstio LXVIII.

An catholici cum hæretica matrimonium ita sit illicitum, ut numquam licitè contrahi valeat.

Prima conclusio.

Tametsi præfata matrimonia orthodoxorum cum hæreticis ineunda prohibita sint jure naturali divino, divino positivo & ecclesiastico; possunt tamen honestari quibusdam circumstantiis, in quibus licitè contrahi valeant.

Hanc conclusionem sic astruit Pontius lib. de impedimentis matrim. cap. 20. §. 2. pag. 258. col.
» 2. Ex his, inquit, fit, conjugium fidelis seu or-
» thodoxi cum infideli seu heterodoxo, non esse in-
» trinsecè malum, id est absolutè, & in quavis cir-
» cumstantia, quale est mendacium, & alia hujus-
» modi: sed esse ex his quæ aliqua oblatâ vel po-
» sitâ circumstantià, honesta reddi possunt, qualia
» sunt occidere, accedere ad fœminam, auferre ab
» alio bona. Ratio enim naturalis dictat, non esse
» ineundum hujusmodi conjugium, quatenus dictat,
» non esse faciendum, vel ob periculum subversio-
» nis, vel ob alias causas, quibus cessantibus, vel
» aliis occurrentibus, quarum strictior obligatio sit,
» ejus etiam obligatio cessabit. Itaque inspiratione
» divina credendum est, Esther nupsisse Assuero. Et nunc dispensatione Pontificis ejusmodi connubia licitè iniri possent, justa exigente causa, ut docuit Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 23. proposit. 4. Hæc Pontius loco cit.

Ipse ille Pontius in eodem lib. quem de impedimentis matrimonii edidit, cap. 20. §. 1. pag. 251. col. 1. sic loquitur de iisdam matrimo-
» niis: Itaque sive catholicus nubat hæretico, vel
» Judæo, vel gentili, nisi justa causa excuset, peccatum est. Hæc ille. Cùm ergo extiterit justa quæpiam causa, citra culpam talia matrimonia iniri poterunt.

Secunda conclusio.

Licet Catholico matrimonium inire cum persona hæretica, si nempe justa suppetat causa, & vel hæretica persona convertatur ad orthodoxam fidem, vel suæ conversionis spem præbeat, vel ipsam conversionem polliceatur; vel si non promiserit conversionem, ex pacto sinat catholicum vivere juxta religionis catholicæ ritum unà cum sua familia, & rectè debito tempore prolem educari, seu ad catholicam fidem & pietatem informari patiatur.

Quæres, quænam certitudo requiratur respectu conditionum omnium, quas in conclusione recensuimus.

Respondeo, non desiderari evidentem certitudinem, sed juxta hominum providentiam prudentem & cordatam & sufficientem, ut vir prudens alium sincerè, seu remota omni simulatione agere, polliceri, & promissa executurum esse judicet.

Quæres 2°. unde accipienda sit securitas de conversione hæretici, qui revertitur ad orthodoxam fidem, & in ea se perseveraturum esse repromittit, ut contrahat.

Respondeo, talem securitatem ex factis externis esse repetendam, ut puta ex alacritate quâ catholicæ religionis officiis fungitur, ex affectu quem erga catholicam religionem testificatur.

Quæres 3°. Unde captanda sit securitas adimplendæ promissionis & pactionis, quâ se persona hæretica constringit, ut nempe persona catholica, & ejus familia congruenter Ecclesiæ catholicæ moribus & legibus vivere, & prolem rite & catholicè educare sineretur.

Respondeo, talem securitatem esse repetendam ex pactis juramento firmatis. Nemo enim est, sive hæreticus, sive catholicus, quin jurisjurandi religionem omnes ad pacta implenda obligare, imò & adigere fateatur.

Possunt etiam ad alendam eam securitatem conducere pignora, & obsides, si fieri posset, quibus datis, securiùs pacta implenda esse verisimillimum est.

Vel securitas captari potest ex restitutione dotis, ad quam obliganda est persona, si promissa implere recusaverit. Hæc autem restitutio suam securitatem accipiet ex promissoribus, vel pignoribus, vel aliquo deposito, loco fidejussorum datis, ut Pontius jam cit. tradit in appendice de matrim. cathol. cum hæretico.

Quæstio LXIX.

Utrum cum periculo subversionis gravioribus de causis matrimonium cum hæretico inire liceat.

Certum est, cessante subversionis periculo, posse matrimonium contrahi cum persona hæretica; sed non hoc discutimus hoc loco, utpote suprà discussum: sed quærimus, an propter gravissimas causas, non cessante probabili subversionis periculo, possit persona catholica contrahere matrimonium cum persona hæretica. Si videlicet ex tali matrimonio probabiliter ingentia bona essent oritura, ut puta magna catholicæ fidei propagatio & tranquillitas, & sincera pax inter Christianos Principes, & populorum

salus, vel catholicorum libertas, quæ hæretici Principis superbissimo dominatu opprimeretur: haud dubiè catholica persona cum hæretica contrahere, & subversionis periculum adire posset, dummodo contraheret cum firmo fidei catholicæ nusquam ejurandæ proposito, divinæ misericordiæ & gratiæ ex animo confisa, & sine cunctatione arbitrata, præpotenti Dei manu citra crimen eripiendam: siquidem urgente ipsius Dei causa in hujusmodi periculum sese implicare non recusaret.

Accommodatissimum nostram ad rem exemplum suppeditat Judith castissima vidua, quæ quidem ad liberandam Bethuliam Israëlitarum urbem ab obsidione quâ premebatur ab Holopherne, & numerosissimo ejus exercitu, sese dedit in profligandæ castitatis periculum, in quod sese implicare neque ullus, neque ulla debet, nisi vel graves justæque rationes ostendant, hujusmodi periculum vitari posse, licèt cum ingenti difficultate, quam ipsa Judith, eo quo pollebat judicio, prævidisse potuit; nec tamen ab concepto liberandæ Bethuliæ proposito desistit. Bonis quippe justisque rationibus perpulsa in animum induxit suum, ut persuasum haberet se cum cælesti auxilio, quod jam tot precibus, lacrymis, jejuniis & ciliciis imploraverat, & porrò etiam in ipsis hostium castris imploratura erat, pervincere, ne pudicitiæ jacturam ullam faceret.

Revera nec sua illam spes, quam in præpotenti Deo collocaverat, ullo pacto fefellit, nec oratio, quâ divinam opem advocaverat, in irritum cecidit. Nam, ut ait S. Augustinus in serm. 67. *Pergis divino spiritu ducta, & unius ancillæ solatio contenta. Species custodit qua blanditur, & ne violentiâ pudicitia custodita ludatur, Holophernem alloquitur, ut desiderium inane concipiatur.* Ita S. Aug. loco citato, qui est serm. 66. Sic de Judith oratione prædicat: *Orationis*, inquit, *fervore castitatis pudorem servavit intactum & quietum, decepit alienum.* Hæc ibi.

Ipsam illam Judith actionem, quâ ut suum populum liberaret, suæ castitatis periculum subire non dubitavit, miris laudibus extollit S. Ambrosius; *Ecce tibi Judith*, inquit, *se offert mirabilis, quæ formidatum populis virum Holophernem adiit Assyriorum triumphali septum caterva. Quem primò formæ gratiâ & vultus decore perculit, deinde sermonis elegantiâ circumscripsit. Primus triumphus ejus fuit, quòd integrum pudorem de tabernaculo hostis revexit. Secundus, quòd fœmina de viro reportavit victoriam, fugavit populos consilio suo. Non expavit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est gravius bonis fœminis: non unius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidavit. Quantùm ad molem spectat periculi, moritura processit; quantùm ad fidem, dimicatura.*

Post hæc idem S. Ambrosius quàm gloriosa commoda suis popularibus adito suæ castitatis, imò & vitæ periculo attulerit! *Honestatem igitur*, inquit, *secuta est Judith: & dum eam sequitur, utilitatem invenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei se prophanis dederet, ne ritus patrios, & sacramenta proderet, ne sacras virgines, ne viduas graves, pudicas matronas barbaricæ subjiceret impuritati, ne obsidionem deditione solveret. Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo.* Ita Judith insigne facinus ad propugnandam sui populi libertatem, auspice Deo aggressa, ad omnium sæculorum memoriam effloruit. Unde S. Ambrosius pulcherrimum illud caput 13. lib. 3. Officiorum, è quo hæc excerpsimus, claudit his verbis: *Quanta honestatis authoritas, ut Deum adjutorem præsumeret? quanta gratia, ut inveniret?*

Quòd si Judith gloria Jerusalem, lætitia Israël & honorificentia populi sui, ejusdem populi salutem orationis præsidio munita, & divinæ protectionis auxilio freta procuravit, & ut procuraret, suæ castitatis periculum adiit; quidni vir catholicus & bene animatus poterit cum persona hæretica inire matrimonium, sperans sibi non defuturam opem divinam, si tali se objiciat periculo, & eo facto sese Ecclesiæ catholicæ propagandæ, & cuipiam regno vel provinciæ tuendæ insignem operam navaturum esse prospiciat? Id enim apertè non solùm citati Patres, sed etiam graviores Theologi docuerunt, & inprimis S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 9. in corp. de communicatione fidelium cum infidelibus ita loquitur: Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quàm fidelium à fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet paganis, vel Judæis, & maximè si necessitas urgeat. Si autem sint simplices & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit; prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent. Hactenus S. Thomas loco cit.

Ex isto Doctoris Angelici loco patet, homines firmâ fide præditos (si infidelium, ut puta hæreticorum, paganorum, Judæorum conversio ex hujusmodi hominum firma fide præditorum communicatione secutura videatur, & maximè si necessitas urgeat, non esse removendos ab præfatorum fidelium commercio & familiaritate, secus autem agendum esse cum hominibus adhuc infirmis in fide, utpote qui in manifestum subversionis periculum eo dictæ familiaritatis permissu conjicerentur.

Quod de aliis in orthodoxa fide roboratis affirmari non debet: eo quòd licèt firmi sint in fide, nullam tamen cum infidelibus familiaritatem habent, nullum cum eis matrimonium ineunt, nisi cogente necessitate; & ideo non dicuntur amare periculum, sed subire: qui enim urgente aliqua causa & necessitate se objicit, vel permittit se esse in illo, cùm aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm illud invitus subire; & ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat, ut colligere est ex S. Basilio Constitut. Monastic. cap. 3. ubi ait, nobis fugiendas esse inprimis cum mulieribus congressiones, collocutionesque, neque ad eas unquam accedendum, nisi cùm gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere nequeamus. Atque ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quàm ocyssimè nullâ morâ ab istis nos extricemus. Hact. S. Basilius.

Quisquis igitur catholicus contrahit matrimonium cum persona hæretica, & sese justis de causis & urgente necessitate objicit periculo, non peccat lethaliter. Nam tametsi adeat ad locum sive societatem, ubi est periculum peccandi mortaliter, propter aspectum, persuasiones, commoditates, aut aliquid hujusmodi, & hoc quidem si sine urgente necessitate fit, ad incautelæ peccatum spectat. Non est autem ex suo genere peccatum mortale, quia numquam cogitur homo ad peccatum mortale. Si tamen conditio personæ sit talis, ut se fragilem noverit, & dubitet de casu inde probabiliter emersuro, & suâ ipsius experientiâ didicerit, se non subsistere in hujusmodi, sed statim aut quasi statim cadere, & illuc se conferat nulla cogente necessitate, aut ibi moretur, nemini dubium est, quin lethale flagitium admittat. Scriptum est enim: *Si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.* Si verò se constantem (divina opitulante gratia) sperat, & putat futurum esse, & premit eundi necessitas, nullum ibi cernitur peccatum. Non urgente autem necessitate peccatum est incautelæ majus vel minus, juxta conditiones sin-

gulares periculi undique pensatas, ut asserit Cajetanus in Summ. v. *periculum*. Ita sentit Armilla eod. v. *periculum*. Idem sentit Corduba in Summa q. 4. & alii.

QUÆSTIO LXX.

Utrum catholicus cum persona hæretica contrahens, Christianæ & catholicæ liberorum educationi, antequam contrahat, prospicere teneatur.

Conclusio.

CERTUM est, virum catholicum, etiam antequam cum persona hæretica contrahat, catholicæ liberorum (qui ex tali matrimonio sunt nascituri) educationi prospicere oportere, utpote qui ad id jure naturali & divino obligatur, ne filiorum suorum non tam pater, quàm parricida coram Deo & hominibus habeatur.

Ista obligatio ita trita & pervagata est, ut ne hominibus quidem densa idololatriæ caligine circumfusis latuerit. Scias enim, ut loquitur Xenophon apud Stobæum serm. 81. Socratem frequenter ad nos dixisse, quòd illi qui filiis de multis opibus prospiciunt, ut autem boni & egregii evadant, negligunt, simile quid agant equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum quas præstare oportebat, imperitos. Nam equi laudem non in corpulentia, sed audacia peritiaque in bello situm esse. Eodem modo peccare illos, qui filiis multos agros comparant, ipsosmet verò negligunt: possessiones enim magni pretii æstimationem habebunt, ipsi autem viles erunt: cùm contrà oporteret custodientem te possessa pretiosiorem esse. Itaque si quis filium suum magni pretii hominem effecerit, quamvis ei paucas opes relinquat, multa tamen largitus est. Ita locutus est gentilis Philosophus, cujus ne tibi authoritas levior appareat, audi Apostolum & ejus interpretem Joannem Chrysostomum, & ex ipsis disces, quo sese flagitio devinciant, qui Christianam & catholicam liberorum suorum educationem parvi faciunt.

Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior, ait Apostolus 1. ad Timoth. c. 5. Istum Apostoli locum sic illustrat S. Joannes Chrysostomus hom. 14. in cit. Epistol. Si quis, inquit, suorum curam non habet. Curæ nomine providentiam animæ corporisque significat: & hæc enim cura est. Qui verò suorum, & maximè domesticorum, hoc est genere ad se pertinentium, curam non habet, infideli, inquit, deterior est. Idem fermè alius Prophetarum eximius admonet, dicens: Domesticos seminis tui ne despexeris. Nam si quos propinquos genere atque affinitate propinquos aspernetur, quo pacto erit in alienos clemens? nonne vanitati, judicio omnium, erit obnoxius, si alienos beneficiis fovens, propinquos summa immanitate despiciat? Quid item si illos de fide instruat, hos in errore jacere permittat, quibus benefacere suo jure faciliùs & commodiùs possit, quantæ istud immanitatis erit? Et ille est infideli deterior. Cur id? quia ille etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquam aspernatur. Divinas planè leges violat, & jura naturæ, qui negligit suos. Porro si is qui suorum non habet curam, fidem abnegavit, & infideli deterior est. Qui suos etiam violat, ubi consistetur? cum quibus assistet? quomodo autem fidem abnegavit? Deum, inquit, verbis se scire confitentur, factis autem negant. Quid autem præcipit is, cui credimus, Deus? domesticos seminis non despiciendos. Quomodo autem hujusmodi credit, qui Deum abnegavit? Hactenus S. Joan. Chrysostom. loco citato.

Ex istis Apostoli & Chrysostomi testimoniis constat, eum qui negligit suos, domesticos, filios, violare divinas leges & jura naturæ: hoc est qui negligit domesticorum, & maximè filiorum, Christianam & catholicam educationem, divinas leges & jura naturæ suâ incuriâ infringit & violat. Unde

1°. Colligendum est, virum catholicum, qui antequam cum persona hæretica contrahat, non consulit catholicæ liberorum ex suo matrimonio nasciturorum educationi, gravissimam & apprimè lethalem culpam admittere: quippe qui liberos probabili hæreseos periculo expositos, atque adeo probabiliter æternùm damnandos geniturus, matrimonium ineat. Unde jure ac meritò Concilium Toletanum IV. c. 59. & 60. & Toletan. XVII. c. 8. præcipit, filios à Judæis abstrahi, ut sanctis Christianisque præceptis imbui valeant. Virum igitur catholicum ita cum persona hæretica contrahere necesse est, ut inter contrahendum, sibi soli liberorum reservet educationem: utpote qui jure naturali divinoque filiorum suorum educationi catholicæ, uxoris etiam conversioni, tota virium contentione studere teneatur.

2°. Ex dictis sequitur, virum catholicum cum persona hæretica contracturum, non posse inire pacta, quæ nonnunquam in talibus conjugiis ineuntur, ut scilicet filii ex liberis nascituris alii ad orthodoxam fidem informentur, alii verò hæreticis doctrinis imbuantur, ea quippe sunt impia & irrita. Quis enim non advertit, eos liberos, quorum educatio hæreticæ matri demandata fuerit, in manifesto subversionis & æternæ damnationis periculo versari. Quapropter dicendum, ut ait S. Thomas, quòd si proles pervenit ad perfectam ætatem, & tunc potest liberè sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem: vel est in minori ætate constituta; & tunc debet dari fideli, non obstante quòd indiget matris obsequio ad educationem. Ita S. Thomas in 4. dist. 39. art. 4. ad 4. & ita decretum est in cap. *Judæorum*. & in seq. cap. *Judæi*. 28. q. 1. & in Concilio Toletano IV. c. 59. quod & decretum est ab Gregorio Papa IX. extra *de convers. infidel.*

Si ergo proles nondum pervenerit ad rationis usum, fidelis conjugis catholici conditionem amplecti debet, cap. fin. *de convers. infidel.* Si verò rationis usu gaudeat, non est ad fidem adigenda, sed suæ relinquenda libertati. Nullus enim sui compos adigendus est ad fidem, ut decrevit Concilium Toletan. IV. cap. 56. quod & affirmat S. Augustinus lib. 2. cont. litt. Petiliani cap. 83. relatus cap. *ad fidem* 23. q. 5. Quòd si dubium sit, an proles sit rationis compos, vel non, tunc in fidei catholicæ favorem pronuntiandum est, ejus educationem catholico conjugi esse committendam. Nam quamvis (si juris ratio habeatur) minor triennio apud matrem, major autem apud patrem, educari debeat secundùm l. *neque*. C. *de patria potest.* verùm hæc regula obsolescit, (ut rectè observavit Thomas Sanchez) quando alter parens est infidelis, id est vel Judæus, vel gentilis, vel hæreticus. Tunc enim infans, etsi triennio minor, est educandus apud patrem fidelem: & quamvis sit major, apud patrem fidelem, eo nomine quòd ratio ætatis & patriæ potestatis cedant favori fidei, ut docet Glossa cap. final. in fine *de convers. infidelium*.

Porrò quam in educandis liberis curam gerere oporteret, suo patefecit exemplo sancta Monica S. Augustini mater electa, ut illum carnali generatione mundo, & spirituali regeneratione Christo pare-

ret, *Fuerat enim* (ut ait ipse S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 9.) *unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractaverat, in operibus bonis testimonium habebat: nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties à te deviare cernebat. Postremò nobis, Domine, omnibus, quia ex munere tuo sinis loqui servis tuis, qui ante dormitionem ejus in te jam consociati vivebamus, perceptâ gratiâ baptismi tui, ita curam gesserit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.* Hæc ibi.

Ergo ad catholicam liberorum educationem obligantur omnes patres & matres, & præsertim si cum heterodoxis matrimonium ineant, ut vidimus in hac quæst.

Quæres, utrum patrini & matrinæ filios suos spirituales alere teneantur, & contrà.

Respondeo affirmativè cum Baldo in Authent. *nisi rogati*. C. *ad SC. Trebe.* num. 19. Tenentur etiam curare, ut ipsi filii (quorum regenerationi veluti vades seu fidejussores affuerunt) instituantur in doctrina sana & fide patrum nostrorum, cap. *vos ante omnia. de consecrat.* dist. 3.

Quæstio LXXI.

An summus Pontifex dispensare possit, ut catholicus cum hæretica persona contrahat.

Ut resolvatur ista quæstio, sunt aliqua supponenda ceu vera, utpote quæ communi Theologorum judicio sunt approbata.

1°. Supponendum est, catholici matrimonium cum hæretica persona illicitum esse & prohibitum jure naturali, & divino positivo, ut suprà probavimus, propter pericula subversionis ipsis catholicis contrahentibus & liberis ex tali matrimonio nascituris imminentia: præterea certum est, tale matrimonium esse jure ecclesiastico vetitum propter leges, quas Ecclesia adversus hujusmodi conjugia condidit & promulgavit.

2°. Supponendum est, summum Pontificem in impedimentis ipso jure naturali dirimentibus non posse dispensare, eùm eam in hujusmodi casu dispensandi facultatem ecclesiæ concessam esse nullibi legamus.

3°. Tenendum est ut probabilius, imò & certius, Papam posse dispensare in omnibus, quæ solo jure ecclesiastico sunt prohibita, quale est matrimonium, de quo nunc agimus; quod quidem sublato subversionis periculo, jure tantùm ecclesiastico prohibitum est. Si enim etiam supposita summi Pontificis dispensatione, adhuc præfatum subversionis periculum perseveraret, nullatenus tale matrimonium pontificiæ dispensationis obtentu posset contrahi: siquidem adhuc integra & vigens naturalis illius fugiendi & evitandi obligatio remaneret.

4°. Supponendum est, dispensationem cadere in nonnulla quæ ipso jure naturali obligant, & in alia quorum obligatio ex jure dumtaxat ecclesiastico derivatur. Hoc posito,

5°. Supponendum est, quòd ad dispensandum in voto, juramento, matrimonio rato, & residentia pastorum, & denique ad dispensandum in his, quorum obligatio naturalis est, requiritur justa causa, qua deficiente, non solùm illicita, sed etiam invalida est dispensatio, ut passim affirmant Theologi cum S. Thom. 2. 2. quæst. 88. a. 2. & quæst. 57. a. 12.

Ex qua communi doctrina colligendum est, non solùm nullam esse hujusmodi dispensationem sine causa obtentam, sed etiam esse peccatum mortale petere dispensationem sine causa in istis rebus, cùm nec licitè, nec validè possit dispensatio ab superiore concedi, nec tutus possit esse ille cum quo dispensatum est, tametsi qui petit, nonnullis ignorantia probabili excusari posse videatur; quod valde observandum est, ab his præsertim, qui licentiam non residendi impetrant, ne cum manifesto animarum periculo absint ab Ecclesiis, & beneficii fructus lucrifaciant, quos tamen suos facere non possunt: nam secus ac si cum illis non esset dispensatum, ut rectè observavit Basilius Pontius in libro de matrimonio, præsertim lib. 8. de dispensationibus cap. 14.

Inde sequitur, esse peccatum mortale, petere dispensationem in rebus jure naturali obligantibus, & præterea nullam esse talem dispensationem, quippe quæ ab superiore, sicut oportet, concedi non potuerit.

6°. Supponendum est, dispensationem in legibus humanis sine legitima causa concessam esse penitus illicitam, ita ut peccet mortaliter quisquis superior eam concesserit. Ita sentit & docet Covarruvias de matrim. 2. part. cap. 6. §. 9. num. 7. Suarez lib. 6. de legibus cap. 18. num. 7. undeque complures Theologi (quos citat Sanchez lib. 8. de dispensat. disput. 18. num. 3.) docent, quemcumque legislatorem, etsi supremus sit princeps, reum esse culpæ, si cum aliquibus in suis legibus absque legitima causa dispenset. Nam violat naturæ jus, excipiens temere & imprudenter aliquos & eximens ab legibus, quas idem naturæ jus in bonum commune promulgari; & ab omnibus, nisi legitima subsit causa, citra ullam exceptionem observari præcipit.

Cùm enim omnis potestas à Deo sit, quæ data sit in ædificationem, non in destructionem, ut loquitur Apostolus, non nisi gravibus de causis dispensatio concedi potest: utpote quæ cedat in aliorum ruinam & injuriam, & ipsis justam conquerendi ansam præbeat, & destruat æqualitatem, quâ lex omnes pariter obligat: quia cæteris legis observandæ necessitate constrictis aliquis citra justam rationem & causam ab ejus observatione eximitur.

Unde sequitur, dispensantem sine legitima causa peccare mortaliter, (nisi materiæ parvitas excuset) eo quòd, ut patet ex dictis, æqualitatis (quæ quidem est maximi momenti) inter subditos servandæ vim & necessitatem opprimat. Similiter Doctores asserunt, eum qui sine legitima causa petit dispensationem, peccare lethaliter, quippe qui iniquè dispensantis peccato cooperetur, & ipsum dispensantem ad peccatum iniqua petitione pertrahat. Quod & de acceptante dicendum est, licèt non petierit, eo quòd dispensatio non plenè suum sortiatur effectum, quin acceptata fuerit.

Quibus malis & peccatis ut anteverteret Concilium Tridentinum, ita loquitur: In contrahendis matrimoniis, inquit, vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, atque ex causa & gratis concedatur, session. 24. de reformat. matrimon. cap. 5.

Qua de re idem Concilium tractat uberiùs sess. 25. de reformat. cap. 18. in quo præsertim de dispensationibus ita pronuntiat: Quòd si urgens, inquit, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, eum aliquibus dispensandum esse, idque causâ cognitâ, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio, surreptitia censeatur.

Hactenus Concilium, quod quidem nostræ sententiæ illustrioribus clarioribusque verbis suffragari non potuit.

De dispensationibus alibi diximus, ideo hic uberiori earum tractationi supersedemus.

Ex dictis constat, summum Pontificem posse dispensare cum catholicis, ut ineant matrimonia cum personis hæreticis, (si justa ad obtinendam dispensationem suppetat causa) eo quòd sublato subversionis periculo, hujusmodi matrimonia jure dumtaxat ecclesiastico sint prohibita.

Si ergo legitima petendæ & concedendæ dispensationis causa defuerit, sequitur, petentem & concedentem & acceptantem dispensationem, & eâ utentem, peccare.

Quæres, quid sit sentiendum de matrimoniis, quæ passim celebrantur in regionibus, quæ longè lateque hæreticis redundant.

Respondeo, in locis hæreticorum refertis hujusmodi matrimonia catholicorum cum hæreticis iniri solita, (ut fieri amat in Germania, Gallia, Polonia, & aliis id genus locis) esse recepta & tolerata ex consuetudine: nunc in Gallia edicto Ludovici XIV. Christianissimi Regis non tolerantur. Unde fit ut èx talibus matrimoniis nullum vel rarò scandalum oriatur, & procul subversionis periculum absit, & ab catholicis bene animatis catholicæ nascituræ prolis educationi, & justæ catholicè vivendi libertati consulatur: quæ omnia præfata conjugia ab omni peccato vindicant.

Sed de his satis superque tractatum est. Jam igitur agendum esset (juxta ordinem versuum, quibus impedimenta dirimentia recensentur) de vi seu violentiâ, quâ aliquando parentes vel alii liberos ad nuptias cum tali vel tali persona ineundas adigunt. Verùm quia hoc impedimentum jam explanavimus, hujus Dissertationis cap. 23. 24. 25. & 26. & seqq. hîc ibi explicata non repetimus, quippe qui ad ordinis impedimentum properamus. Sit itaque

QUÆSTIO LXXII.

Utrum ordo sacer sit impedimentum matrimonium dirimens, & à quo tempore, & unde hanc vim habeat.

Prima conclusio.

CERTUM est & de fide, ordinem sacrum esse impedimentum matrimonium dirimens. Id enim perspicuè Concilium Tridentinum sub anathematis interminatione declaravit. „Si quis, inquit, dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari. Ita cit. Concil. session. 24. de matrim. can. 9. Ista definitione Concilii nihil ad statuendam conclusionem nostram clarius & efficacius afferri potest.

Ut hujus canonis intelligentia luculentiùs appareat,

Observandum est, per sacros ordines intelligi oportere subdiaconatum, diaconatum & presbyteratum, cæteros verò non sacros.

Tres igitur illi ordines dicuntur nunc sacri, quia subdiaconatus non semper in omnibus Ecclesiis inter sacros ordines annumeratus est, ut nunc annumeratur, ut postea videbimus, utpote qui pluribus in locis non haberet annexum continentiæ votum, ut nostris temporibus habet. Ob eam igitur potissimùm causam tres præfati ordines in Ecclesia Romana sacri seu majores nominantur, eo quòd consecratione quadam & peculiari sanctimonia inauguratos per solemne continentiæ votum ipsis annexum, sacris Ecclesiæ officiis, & religiosis mysteriorum cæremoniis debitâ reverentiâ peragendis admoveant, Nam continentia viros ab vitæ mortalis usu & sollicita rerum caducarum procuratione segregatos, singularique suorum ordinum sanctimonia præditos, ad tremendum altaris præsertim ministerium, seu ad unius Dei cultum, privilegio sibi divinitus indito, provehit.

Quòd autem tres illi ordines annexum habeant solemne castitatis votum, Conciliis infrà citandis declarabitur.

Secunda conclusio.

Non semper, nec in omnibus universim Ecclesiis subdiaconatus Clericos ad perpetuam castitatem obligavit.

Nam licèt in ipso nascentis Ecclesiæ exordio ordo sacer contrahendum matrimonium impediret, non tamen ab illo tempore cœpit dirimere contractum, ut colligi potest ex Concilio Neocæsariensi cap. 1. ubi habetur, „Presbyterum, si uxorem duxerit, ab ordine deponendum: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, ampliùs puniri, & ad pœnitentiam redigi debere.

Hoc canone prohibentur, ut videre est, matrimonia Presbyterorum; (quibus infligitur pœna & pœnitentia, si uxorem duxerint) nondum tamen inita ab ipsis matrimonia, irrita declarantur.

Idem colligitur ex Concilio Moguntino sub Arnulpho Rege celebrato ann. Redemp. 888. sub Stephano Papa can. 19. in quo Concilii Neocæsariensis decretum dumtaxat repetitur.

Pluribus annis ante Concilium Moguntinum habitum, ut diximus, ann. sal. 888. Concilium Aurelianense III. anno Christi 538. can. 2. statuit, ut Clerici à Subdiacono & suprà, ab uxoribus suis abstineant, aut ab officio deponerentur.

Idem Concilium can. 7. decernit, Clericos, qui cùm uxores non haberent, benedictione susceptâ, conjugia crediderint eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus excommunicatione percellendos esse. In his sanctionibus Concilii Aurelianensis III. nihil deprehenditur, quo Clericorum conjugia vel ante vel post ordinationem inita, irrita declarentur. Quod & de Subdiaconis & aliis supra Diaconos ordinatis intelligi necesse est, ut videre est in canonibus postea citatis. Quòd si multi canones Subdiaconorum meminerunt, eorumque castitatem propositis etiam pœnis sancire voluerunt, id inde ortum est, quòd plerique, Subdiaconos ad perpetuam castimoniam, sicut Diaconos & Presbyteros, non obligari crederent: quippe qui nullam viderent legem ecclesiasticam, quæ contracta ab Subdiaconis conjugia irrita seu invalida reprobaret: quamquam animadverterent, talia connubia canonicis pœnis affici, ut constat ex Concilio Toletan. I. cap. 4. quod quidem Concilium celebratum est anno Christi circiter 400.

Quod & liquidò exprimit Concilium Illiberitanum, IV. ineunte sæculo in Hispania celebratum. Sic enim loquitur can. 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quod quicumque fecerit, ab honore clericatûs exterminetur.* Hactenus Illiberitani Concilii canon, quem Wormatiense can. 9. retulit & probavit.

Si ergo res tota perpendatur accuratiùs primis mille annis, quibus propagata est majorem in modum

dum Ecclesia, vix legem ecclesiasticam universim receptam invenire est, quæ matrimonia post ordinationem contracta irritaverit: tametsi hujusmodi matrimonia prohibita essent multis canonum sanctionibus ut illicita, & nihil non molirentur Episcopi, ut ipsa canonicis coërcerent pœnis, & ex Ecclesia Dei penitus exterminarent.

Ita se gessere Præsules usque ad annum Redempt. 1139. quo Innocentius Papa II. convocato Concilio Lateranensi II. œcumenico X. matrimonia post solemne votum per sacri ordinis susceptionem vel per religiosam professionem emissum inita, 7. citati Concilii can. irrita declaravit.

» Ut autem lex continentiæ & Deo placens mundi-
» tia in ecclesiasticis personis & sacris ordinibus dila-
» tetur, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Dia-
» coni, Subdiaconi, Regulares, Canonici & Monachi
» atque Conversi professi, qui sanctum transgredientes
» propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, sepa-
» rentur. Hujusmodi namque copulationem, quam con-
» tra Ecclesiarum regulam constat esse contractam, ma-
» trimonium non esse censemus. Qui etiam ab invi-
» cem separati, pro tantis excessibus condignam pœni-
» tentiam agant.

Isto canone ab Innocentio Papa II. in œcumenico Episcoporum consessu, pronuntiato declarantur irrita matrimonia & Clericorum & aliorum qui in allato canone recensentur.

Ipsum illud statutum in usum revocavit Concilium Remense celebratum anno Domini 1148. sub Eugenio
» Papa III. in hæc verba: Quia verò continentia &
» Deo placens munditia in ecclesiasticis personis &
» sanctis ordinibus dilatanda est, sanctorum Patrum
» & prædecessoris nostri Papæ Innocentii vestigiis in-
» hærentes statuimus, quatenus Episcopi, &c. quæ ibi recitantur, ut in canone Concilii Lateran. II. quem paulò antè retulimus. Præter hanc addit sanctionem:
» Id ipsum quoque de sanctimonialibus, si (quod absit)
» nubere tentaverint, observari præcipimus. Hæc ibi.

Idem etiam constitutum est ab Alexandro Papa III. in appendice Concilii Lateranensis sub ipso celebrati, ut ibi legere est.

Tertia conclusio.

Unde ordo sacer hauserit vim dirimendi matrimonii, omnium optimè docent, qui asserunt, ordinem adjuncto castitatis voto habere, quòd contrahendum impediat matrimonium; ex solemnitate autem quæ adjuncta est voto, habere, quòd dirimat contractum: id est, ecclesiastica lege sacris initiatos seu Clericos præfati voti vinculo constrictos ad contrahendum matrimonium inhabiles efficiat: quemadmodum professio religiosa quam debita solemnitas comitatur, Monachis & sanctimonialibus matrimonii legitimè contrahendi facultatem adimit.

Quæ conclusio facilè probatur ex eo, quòd in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, qui ordinabantur, castitatis votum emitterent, atque adeo omnis ipsis ad matrimonium intercluderetur aditus, & accessus ad mulieres, quas ante ordinationem duxerant. Unde fit, ut illud ipsum castitatis votum, primò quidem incundum matrimonium prohiberet, & secutis postea temporibus solemnitas ipsi addita, initum dirimeret. Quod apertè declarat Bonifacius Papa VIII. in cap. unico *de voto.* in 6. cùm disertè asserit, per votum quod emittitur in ordinibus sacris, ordinatos ad ineundum matrimonium inhabiles effici.

Rectè ergo contendimus, ordines sacros habere ex adjuncto castitatis voto, quòd contrahendum impediant matrimonium; & ex solemnitate in qua votum concipitur, habere, quòd dirimant contractum.

QUÆSTIO LXXIII.

Qua in re sit posita solemnitas voti, quo devinciuntur quotquot sacrum subdiaconatûs ordinem suscipiunt.

RESPONDEO cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 7. voti generatim sumpti solemnitatem consistere tribus in rebus.

1°. In promissione.

2°. In traditione suæ ipsius personæ.

3°. Denique in acceptatione. Quæ omnia cùm ex Ecclesiæ institutione præstentur in Subdiaconorum ordinatione, certum est, quotquot ad hunc subdiaconatûs ordinem assumuntur, per ipsam illam susceptionem, solemni voto castitatis ad perpetuam castitatem & continentiam obligari.

Quòd igitur sit promissio in susceptione subdiaconatûs, nemini dubium est. Cùm enim sacer ille ordo habeat ecclesiastico jure annexum perpetuæ castitatis votum, quisquis suscipit illum ordinem, ipsa illa susceptione solemne concipit castitatis votum, quod quidem ordinariè loquendo ab subdiaconatu separari non potest.

Quòd autem in eodem ipso ordine fiat traditio & acceptatio, clarius est, quàm ut probari debeat: qui ordinatur, suum corpus tradit ad præstanda ea ad quæ vi sui ordinis obligatur, & ejus potestatem transfert in alterum, qui legitima authoritate præditus ipsius Dei vices gerit, & ejus nomine dictam traditionem acceptat, juxta ritus ab eadem Ecclesia præscriptos.

Quæres, quomodo loca S. Thomæ in speciem sibi adversantia conciliare oporteat. Nam in cit. q. 88. ait, solemnitatem voti consistere in quadam consecratione seu benedictione voventis: ergo ex ejus doctrina non consistit in traditione & acceptatione.

Respondeo, ista duo facilè conciliari, si dicamus, per consecrationem seu benedictionem voventis nihil aliud intelligi oportere, quàm ipsius personæ voventis dedicationem, applicationem & assumptionem ad statum sanctitatis factam & exhibitam per superiorem, qui personam illam quæ se tradit, absolutè vice Dei & Ecclesiæ acceptat. Quod & asserit S. Thomas quodlibeto 8. a. 10. In voto, inquit, solemni, est simul promissio & collatio: tunc enim est votum solemne, quando simul aliquis cum voto consecratur Deo, & ponitur in aliquo statu sanctitatis. Nec ab sua sententia discedit cit. q. 88. a. 7. cùm ait, solemnitatem voti attendi secundùm aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis divino ministerio applicatur; & in professione certæ regulæ, quando per abrenuntiationem sæculi & propriæ voluntatis aliquis statum perfectionis eligit & assumit.

Non ergo S. Thomas in articulis prædictæ quæstionis docet, voti solemnitatem in verbali vel simili aliqua benedictione positam esse: licèt enim quibusdam in regionibus aliqua id genus benedictio professionem publicam & solemnem factitanti adhibeatur, non tamen habetur essentialis voti solemnitas, sed adventitia duntaxat; quâ quidem remotâ, illa ipsa essentialis & intrinseca voti solemnitas illæsa persisteret. Nam revera tota vertitur & insistit in benedictione & consecratione, quâ persona vovens benedicitur & consecratur hoc ipso, quòd ad sanctitatis statum per Ecclesiæ ministrum assumitur, cùm scilicet voluntaria ejus suæ personæ in Ecclesiæ potestatem traditio, & divinis obsequiis deliberata mancipatio, legitimè ab superiore, penes quem ea facultas est, acceptatur: atque ita divino cultui, seu

divinis obsequiis penitus addicitur. Ergo voti solemnitas rite ab S. Thom. cit. q. & a. ad 5. dicitur divina & spiritualis, eo quòd personæ seipsam in perpetuum Dei obsequium tradentis professio, & ejusdem traditionis ab Ecclesia per suos ministros declarata acceptatio, est divinum quid & spirituale, eo quòd ejus institutio non ad homines plebeios & communes, sed ad ipsos Apostolos divino Spiritu afflatos ab locupletissimis Authoribus referatur.

Quæstio LXXIV.

Utrum certum sit hisce temporibus, matrimonium ab his qui se solemni castitatis voto, quocumque modo emisso, devinxerunt, esse penitus irritum.

Quicquid senserint antiqui Scriptores de matrimoniis ab his qui conceperant votum solemne, contractis, dicimus jam, hujusmodi matrimonia non solùm, ut olim, gravissima fuisse & esse peccata, sed etiam esse penitus irrita.

Ita declaratum in I. Concilio Toletan. cap. 16. item in Toletano IV. cap. 5. item in Concilio Triburiens. c. 13. item in Concil. Lateran. sub Alexandro Papa III. in tit. *de nupt.* cap. 5. Item id patet ex D. Hieronymo lib. 1. cont. Jovinian. aiente, *virgines quæ post professionem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.* Incestæ autem dicuntur, cum quibus si matrimonium contrahitur, non est legitimum.

Unde fit ut duo vota solemnia, nempe votum in religioso quopiam ordine & ab Ecclesia rite approbato emissum, & votum per sacri ordinis susceptionem conceptum, in hoc conveniant, quòd ambo matrimonium prohibeant contrahendum, & dirimant contractum, licèt neque inter se, neque ab voto simplici specie differant, sed per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis duo hujusmodi vota matrimonium prohibere contrahendum, & dirimere contractum. Quod de voto simplici ipsa Ecclesia non declarâvit.

Ex hac præterea doctrina colligitur, virum institutum monachale professum, & solemni voto per sacri ordinis susceptionem obstrictum, teneri inter confitendum aperire utriusque voti circumstantiam, si Confessario lateat. Cùm enim certum sit, virum religiosum triplici suæ professionis voto religatum admittere sacrilegium, si vel unum ejusdem suæ professionis votum lethali quopiam flagitio infregerit: & idipsum de voto per sacri ordinis susceptionem emisso negari nequeat, haud dubiè utriusque voti circumstantia in sacramentali confessione est aperienda: utpote quæ licèt non mutet peccati speciem, illam tamen majorem in modum intra eamdem speciem exaggerat.

Quod autem utriusque voti sit par ratio, constat ex eo, quòd quemadmodum votum castitatis monachali professioni annexum ex institutione Ecclesiæ ejus violatorem sacrilegum facit, ita etiam votum castitatis quod eadem Ecclesia sacro ordini (ob reverentiam ministeriorum sacrorum, quibus incumbunt Clerici) annexum voluit, sui violatores facit pariter sacrilegos, cùm utriusque voti obligatio pertineat ad virtutem religionis, atque adeo utriusque infractio ab violatione sacrilega excusari nequeat. Siquidem uterque Clericus scilicet & Monachus ultra fornicationem virtuti temperantiæ contrariam, violans votum castitatis, delinquit in religionis virtutem, cui se peculiari quopiam titulo mancipavit.

Hîc nonnulli diutiùs immorantur in diluenda objectione, quæ petitur ex historia Paphnutii: sed hîc eam breviter & strictim attingimus, eo nomine quòd Baronius eam veluti adulterinam & commentitiam rejiciat duobus suorum Annalium locis; primo nimirum tomo ad ann. Chr. 58. num. xiv. & seqq. & tomo 3. ad ann. Chr. 325. quæ loca si consuluerit studiosus Lector, multa deprehendet ad sacerdotalem cælibatum astruendam efficacissima.

Si plura requirat, consulat Discursus apologeticos, quos ad confirmationem Concilii Illiberitani Clementi Pontifici VIII. nuncupavit Ferdinandez de Mendosa, & adeat inprimis cit. Concilii canonem 33. & in ipsum caput 66. in quo demonstrat continentiæ legem semper ordinibus sacris annexam in Ecclesia, explicatâ Concilii Nicæni historiâ de Paphnutio cit. lib. fol. 313.

Ne tamen hæc objectio à nobis omni ex parte omissa videatur, qui hujusmodi historiam veram esse contendere voluerint, animadvertant, Paphnutium loqui solùm de viris post initum matrimonium ordinatis, qui continentiæ legem non susceperant voluntaria professione. Licèt enim canones cunctis qui ante ordinationem uxorati fuerant, conjugii prioris usum interdicerent, fieri tamen potuit, (ut conjicit Estius) ut quibusdam in locis Episcopi multos uxoratos, non requisitâ ab ipsis, aut eorum uxoribus continentiâ passim ordinarent, prævalente nimirum in contrarium consuetudine: (sicut S. Gregorii tempore Subdiaconos ordinatos esse legimus) & id quibusdam in locis toleratum est, ne qui sacros ordines post initum matrimonium susceperant, exulcerarentur majorem in modum, si ad servandam continentiam, de qua multi nihil audierant, inviti adigerentur.

Hanc rationem affert Socrates lib. 1. cap. 18. Visum erat Episcopis, inquit, legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum uxoribus, quas, cùm erant laïci, in matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum, de hac re consilium inire, in medio eorum surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati, honorabile esse conjugium inter omnes, & thorum immaculatum; videndum ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent: omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni animi perturbatione vacuam, neque à singulorum uxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari.

Hactenus Socrates, quem docti primum hujus historiæ, imò fabulæ conditorem & architectum extitisse, & Sozomeno, Suidæ, & Nicephoro erroris ansam præbuisse commemorant. Siquidem nec Theodoretus, neque Ruffinus de Paphnutio locuti, hujus facti ullo pacto meminerunt. Præterea hujus facti Paphnutio ascripti falsitas comprobari potest ex duobus capitibus, quorum

Primum petitur ex can. 3. Concilii Nicæni I. quo Episcopi, Presbyteri, & Diaconi mulierem ullam secum habere prohibentur præter matrem, sororem, & amitam, aut aliam personam, in quam nulla impudicitiæ suspicio cadere valeat.

Secundum ejusdem falsitatis caput repetitur ex eo, quòd S. Epiphanius hæresi 68. meminerit Paphnutii Meletianarum partium Episcopi, quem & cum Ario societatem iniisse prodit.

Ex his duobus capitibus & aliis suprà memoratis facilè judicabit cordatus Lector, hanc Paphnutii vel fabulam vel historiam non esse tanti ponderis, ut cælibatum sacris ordinibus ab omni ævo annexum labefactare valeat.

Cùm enim cit. Concilii Nicæni canon neminem Episcopum, Sacerdotem & Diaconum posse retinere apud se ullam mulierem præter matrem aut sororem aut amitam, quis credat illud ipsum Concilium tolerâsse voluisse, ut Episcopi, Sacerdotes & Diaconi uxores ante ordinationem ductas apud se retinerent, & ipsis, ut antea, uterentur?

Probabiliùs ergo loquuntur, qui contendunt, id numquam esse propositum in præfato Concilio, neque esse verisimile, tanti Concilii Patres undique ad constituendam declarandamque Verbi consubstantialitatem ab Arianis lacessitam evocatos, passuros fuisse, ut uxorum quæ ante ordinationem ab Episcopis, Presbyteris & Diaconis ductæ fuerant, usus, sic tamquam legitimus, ab Episcopo Meletianæ, atque adeo Arianæ factioni addicto, proponeretur.

Quæstiuncula I.

Utrum ordo ante vel post rationis usum, sed ex metu gravi ad hujusmodi effectum susceptus, subsequens matrimonium dirimat.

Respondeo, ordinem in tali circumstantia susceptum, nec dirimere, nec impedire matrimonium, nisi postea taliter ordinatus in suam ipsius ordinationem liberè consenserit. Quia non magis Ecclesiæ constitutio obligat ad castitatem, quàm votum quod in Ecclesia Romana emittitur. Atqui votum castitatis ex libero consensu nuncupari debet, alioquin ipso jure (sicut & alia quælibet vota) irritum est ex cap. *Perlatum. de his quæ vi metusque causâ fiunt.* Ergo ordo vel ante vel post usum rationis susceptus ex gravi metu, firmari debet ordinati libero assensu, ut matrimonium dirimat vel impediat.

Quæstiuncula II.

Utrum qui post matrimonium vel consummatum vel inconsummatum, ordinem sacrum de uxoris consensu recipit, rectè faciat, nec religionem ingredi teneatur.

Respondeo, non teneri: ipsa verò uxor quæ in ejus ordinationem consensit, tenetur vovere continentiam; imò si propter juvenilem ætatem ejus continentia periclitetur, religionem ingredi debet, ut patet ex titulo *de convers. conjugat.*

Quæstiuncula III.

Utrum qui ante matrimonii consummationem, invita uxore, ordinatur, cum animo ingrediendi religionem, peccet, & quali peccato se devinciat.

Respondent Doctores, hujusmodi hominem non videri excusandum ab peccato lethali, utpote qui sacri ordinis dedecorandi probabile periculum adeat. Cùm enim ab emittenda professione fuerit exclusus, illi ipsi, quam ante ordinationem duxerit, uxori conjugale debitum reddere tenebitur.

Quæstiuncula IV.

Quid sentiendum de homine, qui uxore non consentiente, nec divortii causam præbente ordinatur.

Respondeo, hujusmodi hominem, qui scilicet in tali casu sacrum seu majorem ordinem suscipit, peccare lethaliter, & nisi professionem religiosam in approbato quopiam ordine emittat, neque posse (etiam dirempto matrimonio) actum ordinis exercere, neque ad superiores ordines ascendere, neque beneficium, aut officium ecclesiasticum obtinere. Ita Joannes Papa XXII. in Extrav. *Antiquæ.* Tit. 6.

Quæstiuncula V.

Utrum ordo sacer post matrimonium vel consummatum, vel inconsummatum, perceptus illud ipsum matrimonium dirimat.

Respondeo, non dirimere, ut ait S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 53. a. 4.

Quæstiuncula VI.

Utrum ordinatus ante matrimonii consummationem, contracto jam ante matrimonio, religionem ingredi, & utrum non ingrediens religionem, uxori debitum reddere teneatur.

Respondeo quoad primam quæstiunculæ partem, hujusmodi hominem ad religionis ingressum non obligari. Quod spectat ad secundam ejusdem quæst. partem, decernit Joannes XXII. loco proximè cit. talem virum ad religionis ingressum impelli oportere; quod si præstare detrectaverit, per censuras compellendum esse ad debitum conjugale uxori petenti reddendum: si videlicet ante matrimonii consummationem sacrum ordinem susceperit: si enim post matrimonii consummationem esset ordinatus, religionem invita uxore ingredi non posset; sed cum ea cohabitare & petenti debitum conjugale reddere teneretur; non posset autem ipse petere, nec uxor ad idem ipsum debitum ipsi petenti reddendum teneretur.

Ita communiter Theologi, qui & docent, ordinem posse matrimonio supervenire, ita tamen ut conjugatus sacramentum & characterem ordinis suscipiat, ab executione tamen arceatur, si nempe invita & reluctante uxore, ordinatus fuerit. Nam si invita quidem uxore, sed divortii causam præbente, ordinem sacrum susceperit, ejus ministerio fungi potest. Quando autem licitè ordinari possit, nempe vel ante, vel post matrimonii consummationem, in superioribus quæstiunculis explanavimus.

Quæstio LXXV.

Quibus pœnis afficiantur in jure Monachi professi & Clerici, qui scienter matrimonium ineunt.

Prima pœna statuta in jure adversus hujusmodi homines in eo posita est, quòd ab sacris ordinationibus suscipiendis pariter & exercendis arceantur, ut habetur in cap. *Quotquot.* ex Concilio Ancyrano cap. 19. 27. quæst. 1. ibi inter bigamos haberi debebunt. Quod & sancitur in Concilio Aurelianensi I. can. 22. & refertur cap. *Monachi.* 27. quæst. 1.

2°. Excommunicatione percelluntur hujusmodi homines, utpote qui scienter & voluntariè inito matrimonio, Ecclesiæ hominum solemni voto constrictorum conjugia interdicentis legem violant: ut patet ex Clementina unica *de consanguinit. & affinit.* in hæc verba: Eos qui divino timore postposito, scienter in gradibus consanguinitatis & affinitatis constitutione canonica interdictis, vel cum « Monialibus contrahere non verentur, necnon Reli- « giosos, Moniales ac Clericos in sacris ordinibus «

» constitutos matrimonium contrahentes, ipsos excom-
» municationis sententiæ ipso facto decernimus subja-
» cere. Hactenus Clementinæ verba, in quibus tria sunt observanda.

Primum est, hanc excommunicationem esse latæ sententiæ, & nemini reservari.

Secundum, in illa eos dumtaxat comprehendi, qui nominatim in ejus tenore recensentur.

Tertium denique, neminem ejusmodi excommunicationem incurrere, quin cum vero dolo contraxerit. Quod ut intelligatur, observandum est, dolum verum esse deliberatam voluntatem, quâ scienter aliquid efficitur: dolus verò præsumptus est voluntas faciendi aliquid, unde peccatum ex ignorantia, vel ex affectata crassaque negligentia consequitur: omnis denique actus malus ex ignorantia commissus ad dolum quodammodo refertur, sed quoties lex irrogat pœnam capitis, vel plectit in statu vel fama, exigit & supponit dolum verum. Unde citata Clementina eos non ferendæ, sed latæ sententiæ anathemate percellit, qui cum dolo vero, seu postposito Dei timore scienter contraxerint, aut aliquod aliud peccatum in ipsa expressum admiserint.

3°. Hujusmodi homines privandi sunt beneficiis: siquidem ex communiori Theologorum sententia quomodocumque & ex quacumque causa, matrimonia ab ipsis contracta irrita sint, si non amittant beneficia ipso jure, saltem in delicti pœnam, ipsis accedente judicis sententia privandi sunt.

Quòd si talium hominum matrimonia sint irrita, eo dumtaxat nomine, quòd sint in sacris constituti, multi asseverant, eos ipso jure sine ulla judicis sententia de suorum beneficiorum possessione dejici: sicut & dejiciuntur de beneficiis simplicibus Clerici minores, qui validum contrahunt matrimonium: quippe qui sua illa beneficia per statum matrimonii ipsis è diametro oppositum, tacita renunciatione abdicaverint.

Quidquod, ipsi qui vel solemnem in approbato quopiam ordine professionem emisere, vel sacrum ordinem suscipiendo sese solemni voto castitatis obstrinxere, non solùm canonicis, sed etiam pœnis divinitus inflictis aliquando coërcentur. Ab aliquot annis novimus in Academia Parisiensi juniorem virum eleganti sanè ingenio præditum, sed sensuum voluptati plus æquo mancipatum. Ille subdiaconatum passim dictitabat non esse ordinem sacrum, qui ad cælibatum obligaret: revera suam hanc esse mentem satis superque declaravit. Nam proculcatâ sacri istius ordinis sanctimoniâ, cum puella, quam amore deperibat, matrimonium iniit: sed non tulit impunè: siquidem aliquo pòst tempore lethali morbo conflictatus, curat advocari Confessarium, qui quia tunc aliis districtus negotiis aberat, seriùs admonitus est hac de re; nihilominus sese ad ægrotantis ædes celerrimè proripit, & in ipso statim ingressu recenti morte extinctum esse accipit: atque ita miserrimus vir nullo sacramento procuratus, imò repentino interceptus interitu, pœnas suo pariter errori & libidini debitas oppetiit.

Quæstio LXXVI.

Quid sentiendum de impedimento ligaminis.

HÆc quæstio per plures quæstiunculas est explicanda.

Quæstiuncula I.

Quid sit ligamen.

Ligamen est indissolubile matrimonii vinculum, quo conjuges ita sibi invicem sunt alligati, ut utroque superstite, neuter cum altero matrimonium licitè & validè contrahere valeat. Quod quidem intelligendum est de matrimonio consummato: nam ratum solvitur quoad vinculum, per emissam alterutrius conjugum in ordine approbato professionem, ut declaravit Concilium Tridentinum sess. 24 de matrim. can. 6.

Quidquod, idem Concilium nulla de causa matrimonii vinculum dissolvi posse, sub anathematis interminatione condito canone sanxit. Si quis, inquit, di- «
xerit, propter hæresim, aut molestam cohabitatio- «
nem aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi pos- «
se matrimonii vinculum, anathema sit. Hactenus «
5. Concilii Trident. canon.

Quæstiuncula II.

Unde matrimonium, seu fidelium, seu infidelium, habeat hanc insolubilitatem.

Respondeo, matrimonia tam fidelium quàm infidelium, dictam insolubilitatem ex lege naturali trahere. Cùm enim

1°. Ex carnali conjugum copula proles ut plurimùm oriatur, tametsi aliquando ex accidenti quopiam impediatur.

2°. Cùm jure naturali conjuges eam quam ex suo conjugio suscepere prolem, alere & tueri teneantur.

3°. Denique cùm ex eadem lege naturali ad susceptæ prolis educationem, defensionem & institutionem utriusque parentis cura, & industria, & diligentia exigatur, ut patet ex allatis rationibus: necessariò sequitur, & patrem & matrem ad mutuam stabilemque secum invicem cohabitationem obligari, ut omnia illa, ad quæ præstanda lege naturali astringuntur, officia, suis liberis rite & sedulò exhibeant.

Ex hisce principiis colligitur matrimonium indissolubile esse oportere. Nam si liberum esset uxores ducere, & ab ipsis, cùm liberet, recedere, vagus esset virorum & mulierum concubitus, esset incerta proles, & ex tali incertitudine susceptæ prolis amor, & ejus educandæ cura vel abjiceretur, vel certè majorem in modum intepesceret.

Hinc S. Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 122. fornicationem, quæ est vagus concubitus, esse contra naturæ jus, & peccatum lethale pronuntiat, hoc ipso quòd debitæ naturæ humanæ propagationi adversatur.

Ipse ille S. Thomas in 4. dist. 33. q. 4. a. unico, quærit, utrum inseparabilitas conjugum sit de lege naturæ: & respondet, quòd matrimonium ex lege naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solùm ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est, quòd parentes filiis thesaurizent, & filii parentum hæredes sint. Et ideo cùm proles sit bonum commune viri & uxoris, oportet eorum societatem permanere indivisam secundùm legis naturæ dictamen: & sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ. Hæc ibi S. Thomas.

Iste S. Thomæ locus intelligendus est non solùm de prima prole, sed de quacumque ex legitimo matrimonio suscepta, ita ut quælibet alatur, instituatur, & debita ætate & tempore ad eum provehatur statum, quo parentum ad instar sese tueri, & honestis artibus sibi suæque familiæ victum quæritare valeat.

Quæstioncula III.

Utrum omne matrimonium, sive fidelium, sive infidelium, sit æqualiter insolubile.

Respondeo negativè. Nam matrimonium infidelium ex sua natura est insolubile, & nihilominus potest, etiamsi sit consummatum, dissolvi uno in casu, quando scilicet uno illorum ad fidem converso, alter citra Creatoris contumeliam cohabitare renuit. Licèt enim matrimonium infidelium ut officium naturæ ab ipso Deo sit institutum, & ideo non videatur posse dissolvi, juxta illud, *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* in eo tamen casu dissolvitur non ab homine, sed ab ipso Deo ita volente, ut patet ex 1. Corinth. cap. 7. v. 15.

Quod spectat ad conjugia fidelium, si sint inconsummata, dirimi possunt uno in casu, si scilicet alter conjugum publicam in approbato quopiam ordine professionem emittat: si autem consummata fuerint, nullo in casu dirimi possunt. Nam sive spectentur, ut sacramenta novæ legis, sive non, sunt magis insolubilia, quàm infidelium conjugia, quia novum robur, & majorem hauriunt insolubilitatem, ex eo quòd ab baptizatis fuerint inita, & ex eo quòd vinculum juris positivi ab Christo Domino promulgati, aliquid adjiciat supra legis naturalis obligationem, & conjugatos arctiùs quàm antea devinciat.

Præterea cùm matrimonium sit attestante Apostolo, magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia, certum est, Christum Dominum matrimonii (quod ad sacramenta novæ legis aggregavit) plenam insolubilitatem instituisse, ut per eam æternam & inseparabilem suipsius cum Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, societatem, imò unitatem luculenter exprimeret: ita ut insolubilitas matrimonii sacramentum esset rei majoris etiam indissolubilis, (dictæ scilicet unionis Christi cum Ecclesia) cui censeretur irrogata gravis injuria, si matrimonium dirimeretur, utpote quod sine sacrilegio solvi non posset.

Hanc rem sic edisserit S. Augustinus lib. de bono conjug. contra Jovinian. cap. 7. *Quem non faciat intentum,* inquit, *quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? quod nequaquam puto tantùm valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam.* Hactenus S. Aug. loco cit.

Est igitur insolubile matrimonium quod dirimi non potest, nisi per alterutrius conjugis mortem, ut ait Apostolus Rom. cap. 7. Si igitur maritus quispiam resurgeret, ad pristinam conjugem redire non posset, nisi adhuc esset vidua, & denuo cum illa (quod ei liceret) contraheret. Quòd ergo quibusdam in casibus, iisque rarissimis, solvi possit matrimonium, nihil naturali ejus insolubilitati officit, cùm ab solo naturæ authore in præfatis casibus dirimi valeat.

Quæstio LXXVII.

Cur licita fuerit Patriarcharum & aliorum polygamia, cùm matrimonium jure divino & naturali illam ipsam polygamiam excludat.

Respondeo, polygamiam Patriarchis divina dispensatione fuisse permissam, tametsi matrimonium illam jure divino & naturali excludat. Quod ut intelligatur,

Observandum est, legis naturalis præcepta bifariàm dividi. Quædam enim sunt prima principia ejusdem legis naturalis: alia verò sunt veluti secundaria quædam ejusdem legis præcepta, quæ sunt quasi conclusiones primis principiis proximæ, & ab ipsis per necessarias consecutiones derivatæ.

Priora quidem præcepta tam universim rectitudinis regulam continent, ut nullus casus occurrere queat, quo ea immutari oporteat vel conveniat; ideoque quemadmodum nullam mutationem, ita etiam nullam dispensationem pati & admittere queunt. Talia sunt præcepta de diligendo Deo, de mendacio fugiendo, de non concupiscendo, & alia id genus prima & universalia juris naturalis & Decalogi præcepta irretractabilia, ut ita dicam, id est omni vicissitudinis & dispensationis obumbratione superiora.

Secundaria verò legis naturalis præcepta ex primis ejusdem legis & universalibus principiis per legitimas illationes deducta, continent equidem rectitudinis regulam, ita tamen ut aliquando mutatis rerum personarumque circumstantiis, ea pariter immutari conveniat, licèt etiam tunc mutari nequeant, nisi authoritate ejus à quo processerunt. Ita docet S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. Lex naturalis, inquit, in quantum continet præcepta communia, quæ numquam fallunt, dispensationem recipere non potest. Nec ipse quidem Deus dispensare potest in præceptis Decalogi: quia, ut ait idem S. Thomas loco cit. q. 100. a. 8. ad 2. Deus fidelis permanet, seipsum negari non potest, 2. ad Timoth. cap. 2. Negaret autem seipsum, si ordinem suæ justitiæ auferret, cùm ipse sit ipsa justitia, & ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat se non habere ordinatè ad Deum, vel non subdi ordini justitiæ ejus, etiam in his, secundùm quæ homines ad invicem ordinantur. In aliis verò præceptis, quæ sunt quasi conclusiones ex primis & universalibus legis naturalis principiis deductæ, est mutatio & dispensatio. Tale est præceptum de non occidendo insonte, in qua lege Deus dispensavit, quando præcepit Abrahæ, ut filium suum unigenitum immolaret. Hujus quoque generis præceptum est, quo prohibetur ne unus vir plures simul uxores habeat: quæ lex ideo dispensationem admittere potuit, quia polygamia non repugnat primario fini matrimonii, liberorum nempe procreationi; sed secundario dumtaxat adversatur. Expedit autem interdum finem secundarium negligere, ut certiùs & uberiùs finis primarius obtineatur: quod sanè contingit in proposito, in quo Deus in paritate juris conjugalis dispensavit, minuendo jus uxoris, & mariti jus propter uberiorem sobolis procreationem ampliando.

Id autem divina dispensatione & revelatione factitatum esse, rectè explicat Glossa in cap. *Gaudemus. de divortiis. Nec alicui unquam,* inquit, *licuit insimul plures habere uxores, nisi divina revelatione alicui fuerit concessum. per quam Jacob à mendacio, Israëlita à furto, Samson ab homicidio excusati fuerunt. Sic Patriarcha & alii justi viri qui plures habuerunt uxores, ab adulterio excusantur.* Hactenus Glossa. Similia leguntur apud S. Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 4.

Totam hanc rem mirabilem in modum illustrat S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 8. in c. Tunc, inquit, « in præceptis debet fieri dispensatio, quando occur- « rit aliquis particularis casus, in quo si verbum le- « gis observaretur, contrariaretur intentioni legisla- « toris. Intentio autem legislatoris cujuslibet ordi- « natur: primò quidem & principaliter ad bonum « commune: 2°. autem ad ordinem justitiæ & virtu- « tis, secundùm quem bonum commune conserva- « tur, & ad ipsum pervenitur. Si qua ergo præce- «

» pta dentur, quæ contineant ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis, hujusmodi præceptum continent intentionem legislatoris, & ideo indispensabilia sunt. Puta, si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quòd nullus destrueret remp. neque proderet civitatem hostibus, sive quòd nullus faceret aliquid injustè & malè; hujusmodi præcepta essent indispensabilia: sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi, in talibus præceptis dispensatio posset fieri, in quantum per omissionem hujusmodi præceptorum in aliquibus casibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris: puta si ad conservationem reip. statueretur in aliqua civitate, quòd de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam civitatis obsessæ, posset cum aliquibus dispensari propter majorem aliquam utilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune & finale quod Deus est. Præcepta autem secundæ tabulæ continent ordinem justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum. Secundùm hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi, & ideo præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia. Hactenus S. Thomas.

Idem sanctus Doctor illustriùs hanc rem explicat » t. a. q. & a. cit. ad 3. Dicendum, inquit, quòd occisio hominis prohibetur in Decalogo secundùm quòd habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet ipsam rationem justitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quòd licitè homo indebitè occidatur: sed malefactores occidi, vel hostes reip. hoc non est indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur, ut dicit August. lib. 1. de lib. arbit. cap. 4. Et similiter si auferatur alicui, quod suum erat, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur. Et ideo quando filii Israël præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum; quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter & Abraham cùm consensit occidere filium, non consensit in homicidium: quia debitum erat occidi per mandatum Dei, qui est dominus vitæ & mortis. Ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus justis & injustis pro peccato primi parentis. Cujus sententiæ si homo sit executor, authoritate divina non erit homicida, sicut nec Deus. Et similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundùm mandatum Dei, qui est actor institutionis matrimonii.

» Sic igitur præcepta ipsa Decalogi, quantùm ad rationem justitiæ, quam continent, immutabilia sunt: sed quantùm ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus, (ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum vel adulterium, aut non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola authoritate divina, in his scilicet quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in aliis hujusmodi; quandoque etiam authoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum jurisdictioni: quantùm enim ad hoc, homines gerunt vicem Dei, non autem quantùm ad omnia.

Ex dictis colliguntur multa, quæ luculenter ostendunt, uxorum pluralitatem non destruxisse prius matrimonium, quod viri cum suis conjugibus antea contraxerant. Nam adeo nihil repugnabat uxorum (quas veluti secundarias conjuges asciscebant viri) pluralitas primario matrimonii fini, id est liberorum procreationi, ut plurimùm etiam ad hujusmodi prolis procreationem conduceret. Ideoque nihil in ea culpabile deprehendi poterat, cùm per eam finis dumtaxat matrimonii secundarius, id est jus uxoris respectu debiti conjugalis, aliquantulùm imminueretur, jus verò viri ad propagandam sobolem augeretur.

Præterea præceptum de una dumtaxat uxore ducenda, pati poterat dispensationem, eo quòd si legis littera tantùm fuisset perpensa, intentioni legislatoris esset adversata. Nam littera legis hæc est: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ:* id est, vir asciscet unam uxorem, &c. Legislatoris autem intentio eò collineabat, ut propagarentur populi, & inter populos frequenti generatione propagatos, *mundaret sibi populum acceptabilem bonorum operum*. atque ita æterna suæ providentiæ decreta exequeretur.

Quod pulchrè explicat S. Augustinus lib. de bono viduitat. cap. 7. *Alia*, inquit, *propheticis temporibus sanctarum fœminarum dispensatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, ut propagaretur populus Dei, in quo præmitterentur Propheta Christi; cùm & ipse populus per ea quæ in figura contingebant in illis, sive in iis quæ illa nescirent, nihil aliud esset quàm Propheta Christi, ex quo nasceretur etiam caro Christi. Ut ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis sententiam, qui non suscitaret semen in Israël. Unde & sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, sed pietate pariendi, ut rectissimè credantur coitum non fuisse quæsituræ, si proles posset aliter provenire. Et viris usus plurimarum vivarum concedebatur uxorum. Cujus rei non concupiscentiam carnis, sed providentiam generationis fuisse causam, illud ostendit: quòd sicut viris sanctis habere plures uxores vivas, non ita etiam sanctis fœminis licebat misceri maritis pluribus vivis: quoniam tantò essent turpiores, quantò magis appeterent, unde non essent fœcundiores.* Hactenus sanctus Augustinus loco citato.

Omnes ergo mulieres & viri qui plures ducebant uxores, obtemperabant non suæ libidini, sed Deo plures conjuges tunc temporis imperanti, sicut testatur S. Augustinus de illis omnibus, & præsertim de Abraham, quem Faustus Manichæus criminabatur eo nomine, quòd prolis insana flagrans cupidine, cum pellice volutatus esset; atque adeo legem æternam, id est rationem divinam vel voluntatem Dei, quæ ordinem naturalem conservari jubet, & perturbari vetat, infregisset. *Non enim Abraham conscientiam suam flagitio conjugis miscuit, quo ille suam libidinem turpi & illicita voluptate satiaret: sed etiam illa naturali ordine filios volens, seque sterilem sciens, ancillaris uteri fœcunditatem in usum juris sui potestate licita vendicavit: non cedens viro concupiscenti, sed jubens obedienti*, ut ait idem S. Augustinus libro 22. contra Faustum Manich. capite 31.

Polygamia igitur Patriarcharum & aliorum matrimonia inita non dissolvebat, quia

1°. Nihil officiebat primario matrimonii fini, id est prolis generationi, quam promovebat.

2°. Quia legislatoris intentioni respondebat.

3°. Quia exercebatur non satiandæ libidinis ardore, sed amore prolis suscipiendæ.

4°. Quia usurpabatur dumtaxat Deo ita volente, ita revelante, ita dispensante.

5°. Non fiebat, invita & reclamante prima conjuge; imò & ipsa volente & jubente, maritus alias ducebat uxores: quod quidem ab Sara, q[illegible] ancillam suam viro suo Abrahæ uxorem d[illegible]

ctitatum esse legimus Genes. cap. 16. v. 3.

6°. Nihil repugnabat matrimonio, quatenus est concupiscentiæ remedium: quia prima conjux vel non movebatur libidine, vel illam resistendo comprimebat, eo quòd suo juri vel omnino, vel ex parte cederet, & altera quæ cum ipsius vito contrahebat sub his dumtaxat conditionibus sponte & ultro, suscipiendæ scilicet & multiplicandæ prolis gratiâ, contraheret.

7°. Denique nihil deprehendere erat in polygamia, quod bono societatis individuæ repugnaret, cùm omnes & singulæ conjuges, primariæ scilicet & secundariæ, ut ita dicam, ad unum eumdemque finem, id est ad prolis exequendis Dei consiliis destinatæ procreationem multiplicationemque Deo volente, Deo dispensante, Deo denique imperante contenderent.

Primarius ergo matrimonii finis, id est liberorum procreatio, nihil detrimenti patiebatur ex polygamia, imò major ad ipsam ex eadem polygamia fiebat accessio, licèt ex ipsa secundarius matrimonii finis quodammodo minueretur. *Nam*, ut ait S. Augustinus, *debent sibi conjugati non solùm ipsius sexûs sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causâ, quæ prima est generis humani in ista mortalitate societas; verùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem, ut si & alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit*. Hactenus S. Augustinus de bono conjug. cap. 6.

In isto S. Augustini loco comprehenduntur, ut patet, duo matrimonii fines, primarius & secundarius, qui quidem ad uberiorem prolis generationem negligi videtur, ut sæpenumero accidit aliis in rebus, in quibus ad pleniorem perfectioremque primarii finis assecutionem, secundarius aliqua saltem ex parte minuitur & negligitur.

Ex dictis patet, esse duos matrimonii fines, primarium scilicet, nempe susceptionem prolis Christianis moribus imbuendæ, ut prædestinatorum numerus impleatur; secundarium verò varia media complexum, per quæ conjuges mutuo freti auxilio ad æternam salutem pertingere valeant. Siquidem præter mutuam opem, quâ sese adjuvare debent, ille ipse secundarius finis importat concupiscentiæ remedium. Unde S. Gregorius Papa I. lib. 21. Moral. *Qui tentationum procellas*, inquit, *cum difficultate tolerant, conjugii portum petunt: sine culpa enim ad conjugem veniunt, si meliora non voverunt*. Hæc ille.

Huc accedit, quòd matrimonium est sacramentum conferens divinam gratiam, quâ corroborati conjuges tribulationem earum, & innumera, quæ matrimonium comitantur, incommoda, æquo animo citra ullum suæ salutis dispendium perferunt. Unde Concilium Tridentinum de hujusmodi gratia sic prædicat: gratiam verò, inquit, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, ipse Christus sacramentorum institutor, & perfector sua nobis passione promeruit. Hactenus Concilium in ipso sessionis 24. exordio, id est in cap. de doctrina sacramenti matrimonii.

QUÆSTIO LXXVIII.

Quomodo definiatur impedimentum justitiæ publicæ honestatis, & unde oriatur.

Prima conclusio.

HUJUSMODI impedimentum rectè definitur, propinquitas inter utrumvis desponsatorum & consanguineos alterius, id est inter sponsam & consanguineos sponsi, & inter sponsum & consanguineos sponsæ, ab Ecclesia constituta ad tuendam communem & publicam honestatem. Dicitur autem impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quia ab Ecclesia institutum est ex justitia, quæ est honestas publica ab omni, quod vel minimam fœditatem redoleret, conjugio, sarta tecta inter Christianos usquequaque retineretur.

Illud ipsum impedimentum ab S. Thoma in 4. ad dist. 41. a. in solut. quæstiunc. 4. in corpore definitur: propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab institutione Ecclesiæ propter honestatem ejus.

1°. Igitur hoc impedimentum justitiæ publicæ honestatis dicitur propinquitas, apparens scilicet; quia præ se fert aliquam affinitatis speciem.

2°. Dicitur proveniens ex sponsalibus, validis scilicet, ut secernatur ab affinitate orta ex copula licita sive conjugali, quæ dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè: si verò orta sit ex copula illicita usque ad secundum dumtaxat gradum, ut patet ex Bulla Pii Papæ V. quæ incipit *ad Romanum*. ut & declaratur ab Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. matrim. cap. 4. si verò orta sit ex sponsalibus validis, intra primum dumtaxat gradum matrimonium dirimit, ut declarat idem Concilium Trident. cit. sess. 24. cap. 3.

3°. Illud ipsum impedimentum dicitur trahere robur ab institutione Ecclesiæ propter honestatem ejus, hoc est jure ecclesiastico inductum est hoc impedimentum, ut ipsa Ecclesia suam tueretur honestatem. Quis enim inficiari velit Ecclesiam honestati publicæ repugnaturam: si v. g. filium quempiam cum fœmina jam ipsius patri per verba de futuro desponsata, sponsalia contrahere, quomodocumque toleraret. Id profectò negari non potest: siquidem in contrahendis matrimoniis præcipua juris naturalis & pudoris habenda est ratio, l. *adoptionis*. §. *servilis*. ff. *de ritu nupt*. quod sanè non fieret, nisi ad tuendam, de qua sermo est, honestatem publicam, sicut per matrimonium affinitas subsequentes nuptias dirimens contrahitur, ita ex sponsalibus oriretur aliud vinculum conjunctionis, etsi affinitate minus, quod similiter subsequentis matrimonium dirimeret. Unde fit ut sponsus qui de facto contraheret cum sorore suæ sponsæ ad ipsam illam sponsam redire teneretur; si autem cum præfata sponsæ suæ sorore matrimonium consummaret, neutram in uxorem accipere posset: non priorem sponsam, quia obstaret affinitas; non posteriorem, id est sponsæ suæ sororem, id quippe publicæ honestatis justitia prohiberet. Si tamen cum dicta illa suæ sponsæ sorore iniret dumtaxat sponsalia, proculdubio essent irrita, & ideo ea quæ priùs cum altera contraxisset, valida subsisterent.

Secunda conclusio.

Si sponsalia quacumque ratione erunt invalida, impedimentum justitiæ publicæ honestatis nullum

habet vim ad dirimenda matrimonia: si autem sponsalia valida fuerint, ipsum illud impedimentum ita matrimonia dissolvit, ut intra primum gradum restringatur.

Ita definitum est ab Concilio Tridentino jam cit. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 3. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio sine dispendio observari. Hactenus Concilium Tridentinum.

In hoc Concilii capite duo statuuntur circa impedimentum publicæ honestatis, quorum

Primum est, tolli præfatum illud impedimentum, si sponsalia, quacumque tandem ratione fuerint irrita. Unde si aliquis habens defectum ætatis, sive habens votum solemne continentiæ, aut aliquod hujusmodi impedimentum, sponsalia de facto contrahat, ex hoc non sequitur aliqua affinitas, quia sponsalia nulla sunt, nec aliquis affinitatis modus, id est publicæ honestatis justitiæ, ut docet S. Thomas in 4. dist. 41. q. 1. in solut. quæstiunc. 4. ad 3.

Secundum est, ut rectè observatum est à Sylvio, quòd istud impedimentum contrahatur inter sponsum & sponsæ consanguineos in primo dumtaxat gradu, & similiter inter sponsam & consanguineos sponsi, ut sponsus non possit validum matrimonium inire cum matre vel sorore suæ sponsæ, nec sponsa cum patre vel fratre sui sponsi: nequidem si sponsalia vel per mortem vel per mutuum consensum aut alia ratione dirimantur.

Quæres, utrum hoc impedimentum locum habeat in conjugiis, quæ contracta fuerint ab personis, quæ per illud ad contrahendum inhabiles extitisse ignoraverant.

Respondeo cum gravioribus Theologis, tale impedimentum reddere hujusmodi matrimonia invalida, etiamsi contrahentes fortè ignoraverint illud inter ipsos extitisse, quemadmodum contingit in impedimentis consanguinitatis, affinitatis & cognationis spiritualis & legalis. Unde statim atque de hujusmodi impedimentis constiterit, hujuscemodi personæ separandæ sunt ex mutuo consensu ab invicem recedendo, si impedimentum in publicam notitiam eruperit, vel expectato Ecclesiæ judicio, si non sit manifestum & certum.

Quæres 2°. utrum in sponsalibus conditionatis oriatur illud ipsum justitiæ publicæ honestatis impedimentum.

Respondeo, non oriri dictum impedimentum ex talibus sponsalibus, nisi conditio evenerit: ita enim declaratum est ab Bonifacio Papa VIII. cap. unico *de sponsal.* in 6.

Quæres 3°. utrum idem impedimentum oriatur ex matrimonio coram Parocho & testibus, sub expressa conditione inito.

Respondeo, reipsa oriri ex tali matrimonio impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quia tale matrimonium habet vim sponsalium usquedum appositam conditio evenerit: tunc autem sicut & matrimonium, ita impedimentum affinitatis efficit.

Quæres 4°. utrum hoc ipsum impedimentum oriatur ex matrimonio contracto quidem, sed nondum consummato, vel justa de causa irrito.

Respondeo, in tale matrimonium, si ratum sit, nondum tamen consummatum, cadere hoc impedimentum, juxta vetustos canones, nulla posteriori constitutione revocatos, ita ut pertineat ad eosdem gradus, ad quos affinitatis impedimentum porrigitur. Cur autem non sint revocati canones, quibus decernitur, impedimentum justitiæ publicæ honestatis cadere in matrimonium contractum, sed non consummatum, vel ob aliquam causam invalidum, peti potest ex eo, quòd sæpe sit incertum, nec sciri valeat, utrum matrimonium sit consummatum, necne, ut ait Estius. Unde factum est, ut Pius Papa V. hac de re consultus, declaraverit, impedimenti justitiæ publicæ honestatis restrictionem ad primum gradum ab Concilio Trident. sancitam, habere dumtaxat locum in sponsalibus de futuro. Et id confirmatur declaratione Cardinalium, quam legere est apud Rebellum num. 101. in hæc verba: Cùm ait Concilium, sponsalia valida non excedere primum gradum, loquitur de sponsalibus de futuro, quæ veræ & propriè sponsalia vocantur, non de sponsalibus de præsenti in matrimonio rato; quod in suo priori vigore relinquitur, & impedit in omnibus aliis casibus & gradibus, quibus à jure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat, ut constat ex Pii Papæ V. Bulla promulgata 12. Junii anno Redempt. 1568.

Quæres 5°. quo præsertim tempore hoc impedimentum justitiæ publicæ honestatis observari cœperit.

Respondeo, hoc impedimentum apud Romanos fuisse observatum, ut patet ex lib. 23. Digest. tit. 2. *de ritu nupt.* l. 12. §. 1. & 2. & pluribus pòst annis in Ecclesiam esse importatum: nam temporibus Benedicti Papæ VII. VIII. vel IX. anno Redempt. 1034. nondum in Ecclesia celebratur illud ipsum impedimentum, unde occasionem arripuere docti, ut assererent, illud post Gratiani tempora, id est anno circiter 1263. in authoritatem assumptum fuisse, ut colligere est ex causa 27. q. 2. cap. 11. 12. 13. 14. 15.

Nonnulli asserunt, hoc impedimentum viguisse temporibus Alexandri Papæ III. sed id non omnino constat. Neque enim ex ullo capite probari potest, ipsum Alexandrum condidisse decretum, quo ex sponsalibus de futuro impedimentum publicæ honestatis oriri decerneretur. Siquidem in omnibus decretis ab ipso conditis constat, illum de matrimoniis omnibus per verba de præsenti contractis semper intelligi oportere, ut rectè probat Basilius Pontius lib. 7. cap. 36. de impedimento publicæ honestatis nu. 3. Sive igitur istud impedimentum consuetudo fidelium in authoritatem adduxerit, sive observari cœperit temporibus Alexandri Papæ III. certum est, nullam extitisse legem scriptam, quâ talis impedimenti observantia fidelibus indiceretur ante pontificatum Bonifacii Papæ VIII. qui sextum Decretalium librum edidit, & ipsum, de quo sermo est, impedimentum scripsit & promulgavit in cap. unico *de sponsalibus.*

Ab eo igitur primùm hoc decretum emanavit: quod & Concilium Tridentinum sua authoritate confirmavit, (ut paulò antè vidimus) & ad primum dumtaxat restrinxit gradum. Quod rectè probat declaratio Cardinalium asentium, statim post Concilii Tridentini promulgationem cessasse hoc impedimentum in aliis gradibus ultra primum, qui ante Concilium Tridentinum in secundo gradu publicæ honestatis erant, post Concilium publicatum seu confirmatum rite & absque alia dispensatione contrahere possunt, & contractum inter eos matrimonium est validum juxta formam hujus capitis tertii. Hactenus Cardinales apud Farinacium & Rebellum 103.

Quæstio LXXIX.

Utrum amens & furiosus validè contrahere possint.

AD idoneam hujus quæstionis solutionem operæ pretium est hîc ascribere textum Magistri ita loquentis 4. Sentent. dist. 34. Furiosi, inquit, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus, ut refertur 32. q. 7. cap. *neque. Neque furiosus, neque furiosa matrimonium*

contrahere

contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur. Hæc ibi.

S. Thomas in 4. dist. 34. a. 3. in c. duas affert rationes, propter quas nec furiosus nec furiosa contrahere possunt, quarum prima petitur à minori ad majus, hoc pacto: Si error, qui non tollit omnino rationis usum, matrimonium impedit, à fortiori illud impedire debet amentia & furia, quæ furiosis omnem rationis usum adimit. Secunda ratio petitur ex eo, quòd matrimonium fit contractus, atque adeo liberum contrahentium consensum exigat, quem consensum cùm amentes & furiosi præstare nequeant, ad contrahendum inhabiles declarantur.

Quæres, quid sit asserendum de amentibus & furiosis, quorum amentia & furia matrimonium, vel antecedit, vel sequitur.

Respondeo, amentiam & furiam quæ matrimonium subsequitur, nullo pacto dirimere matrimonium. Quòd disertè asserit Nicolaus Papa I. 32. q. » 7. c. 25. Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & » uni ex duobus, vel ambobus amentia, vel furor, « vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem » talium conjugia solvi non possunt: similiter est etiam » sciendum de iis, qui ab adversariis excæcantur, vel » membris truncantur, vel à barbaris execti fuerint. Hæc ille.

Si amentia vel furor præcedit matrimonium, discutiendum est, utrum amens, aut furiosus lucida quædam habeat vel non habeat intervalla: si habeat tunc, (quamvis dum in dilucido versatur intervallo, cum illo contrahere non sit tutum) quippe qui prolem educare, & alia id genus officia matrimonio annexa obire nequeat: si tamen contrahit, verum est matrimonium: si tamen nullo dilucido gaudeat intervallo, vel si quandu ab tali desertus intervallo (quo aliàs gaudere solet) contrahat; tunc quia non potest esse consensus, ubi deest rationis usus, non erit verum matrimonium, ut docet S. Thomas loco cit.

Ergo amens, id est vir ab ratione desertus, nec per se, nec alius adjunctus contrahere potest, ut ex lege *in contrahendis*. refert Syntagma juris lib. 13. cap. 5. num. 7. Quod & affirmandum est de furiosis, qui omnis omnino negotii declarantur incapaces propter furorem, qui est mentis ad omnia cæcitas, ut ab Oratore 3. Tusculan. quæst. libro describitur.

Ex dictis colligitur discrimen, quod intercedit inter amentes, vel furiosos perpetua, vel amentia, vel furore correptos; & inter amentes vel furiosos, quorum amentia vel furor intervallatur. Nam hi possunt validè contrahere in dilucidis, quibus gaudent, intervallis, & tunc est legitimum matrimonium, si præsertim hujusmodi (quibus sapiunt) intervalla eos liberorum educationi operam dare patiantur. Quòd si talium hominum temporaria amentia vel furor identidem & toties recurreret, ut ab sapientibus ab perpetua mentis vertigine prorsus abesse judicaretur, validum quidem esset matrimonium ab iis contractum; sed ut inconsultiùs initum, in cordatorum omnium reprehensionem incurreret.

Illi verò, id est primi generis amentes & furiosi, perpetuâ scilicet amentia vel furore conflictari, nullo unquam tempore validè contrahere possunt, ob rationes quas suprà ex S. Thoma retulimus.

Quæres 2°. quandonam aliquis præsumitur sanæ mentis, aut amens, vel furiosus.

Respondeo, cum præsumi sanæ mentis, eùm non constat, eum aliquando fuisse furore, vel amentia correptum, ut constat ex l. 2. Cod. *qui test. fac. pos.* l. *nec codicillis*. C. *de codicillis*. Unde præsumitur habilis ad sponsalia vel matrimonium validè contrahendum, is qui suis in actibus & verbis declarat, se eam habere deliberationem, quæ in materia gravi sufficit ad culpam lethalem. Quando autem constat, aliquem amentiâ percitum fuisse, nec solitum esse per dilucida sapere intervalla, præsumitur adhuc amens, ut testatur Covarruvias 4. Decretal. 2. p. cap. 2. num. 6.

Quæres 3°. utrum amens vel furiosus habitu, vel amens, qui eo tempore, quo lucido gaudet intervallo, validè contrahit, peccet contrahendo, utpote qui prolis educationem, sicut oportet, procurare nequeat.

Respondeo, videri S. Thomam id asserere in 4. dist. 34. q. unic. a. 4. ubi ait, non esse tutum contrahere cum hujusmodi homine, etiam in dilucido, quo gaudet, intervallo, quippe qui prolem educare nesciat.

S. Bonaventura in eamdem dist. lib. 4. Sentent. affirmat, talem hominem non debere contrahere propter periculum, in quod scilicet adducitur prolis educatio, ne videlicet omnino deseratur, atque ita miseranda proles probabile æternæ damnationis periculum incurrat. Hac de causa docent Theologi, hujusmodi matrimonia, quantùm vel utriusque vel unius duntaxat incontinentia pati poterit, esse dissuadenda, ne ex iis nascitura proles educationis defectu malè morata in interitum ruat sempiternum. Ac reipsa quidem gravi se flagitio devincirent conjuges, si inirent matrimonium, nec prolem Christianis moribus imbuere possent, nec ulla spes illius, vel ab patrinis, vel ab propinquis, vel ab ludimagistris educandæ, id est ad Christianam fidem & pietatem informandæ, ostenderetur & appareret. Unde contrahendo nihil peccant, si spes Christianæ educationis ab aliquo in gratiam dictæ prolis procurandæ, affulgeat.

Quæres 4°. quomodo erga invicem sese conjuges gerere debeant, si alterutrum amentiâ, vel furiâ, vel temporariâ, vel perpetuâ conflictari contigerit.

Respondeo, sanum conjugem in eo rerum articulo non solùm alterius miseriâ commoveri, sed etiam frangi, & illi omnimodis opitulari oportere. Quemadmodum enim Christus dilexit Ecclesiam, ita & viri suas uxores diligere jubentur, ut apostolicæ contestantur Litteræ: ergo & viri omnia sua ad afferendam afflictis uxoribus opem conferre debent, exemplo Christi, qui nulli labori, nulli pretio pepercit, ut quam acquirere decreverat sanguine suo Ecclesiam, ex diuturno durissimæ servitutis jugo eriperet, omni auxiliorum & gratiarum ope cumularet. Sicut ergo viri uxores diligere & exemplo Christi auxiliis quantis maximis ipsarum miseriam, morbos & alia id genus incommoda sublevare & recreare debent: & vicissim quemadmodum Ecclesia impensum sibi ab Christo amorem assiduis precibus & obsequiis rependere conata, mirum in modum affligitur, si illum suum sponsum, vel blasphemiis appeti, vel hæreseon monstris & erroribus dedecorari, & hominum flagitiis lacessiri violarique, & ejus sacramenta & sanguine passim ab impiis conculcari videat; ita uxores Ecclesiam imitatæ suorum maritorum morbos, & alia qualibet incommoda miserari debent, ita ut quemadmodum conjugati æternum Christi cum Ecclesia conjugium suo matrimonio repræsentant, ita etiam ejusdem Christi in Ecclesiam amorem & beneficentiam, & vicissim Ecclesiæ in ipsum Christum benevolentiam, mutuis, quibus sese invicem grassantibus morbis aliisque gravioribus incommodis affectos officiis consolantur, exhibeant.

Hoc loco, sequendo ordinem impedimentorum matrimonium dirimentia, prout in allatis suprà versibus instituitur, agendum esset de affinitate: sed

quia de illa superiùs & uberiùs egimus in quæst. 54. hic eam prætermittimus, & ad clandestinitatis impedimentum properamus. Sic itaque

Quæstio LXXX.

Quid sit clandestinitas, & quomodo dividatur.

Conclusio.

Clandestinitas latiùs sumpto eo nomine, est privatio seu absentia solemnitatum, quas tam leges civiles quàm canonicæ ad matrimonii celebrationem præscribunt & exigunt. Si verò clandestinitatis nomen strictiùs, ut jure canonico, accipiatur, nihil est aliud quàm absentia Parochi, qui vel per se, vel per alium Sacerdotem ab ipso delegatum, interesse debet; vel carentia duorum vel trium testium, quorum præsentiam, sicut & Parochi vel alterius Presbyteri ab ipso delegati, ita exigit Concilium Tridentinum, ut si vel Parochus, vel alter Sacerdos ab ipso delegatus, vel duo aut tres testes ab cujuspiam matrimonii celebratione abfuerint, illud irritum & nullum esse pronuntiet.

Ex dictis colligitur, bifariàm dividi clandestinitatem. Una enim ex jure civili, altera verò ex jure canonico proficiscitur.

Matrimonii clandestinitas in jure civili ea dicitur, in qua matrimonium celebratum est sine consensu patris & matris, vel tutoris sponsorum contrahentium, vel non præmissis tribus, ut vocant, bannorum proclamationibus, quas ad legitimam matrimonii celebrationem, vel saltem unam peremptoriam, quæ tribus æquivaleat, jus civile exigit, ita ut juxta illud tale matrimonium hujusmodi solemnitatibus destitutum invalidum penitus habeatur.

Quæres 1°. utrum illa juris civilis constitutio matrimonii, quatenus est sacramentum, substantiam attingat.

Respondeo, juris civilis constitutiones & edicta Principum nullatenus ad vim sacramenti pertinere, nec per ea ullatenus violari sapientissimum Concilii Tridentini decretum: siquidem ad unas duntaxat fori civilis pœnas porriguntur. Quotquot enim filii-familiàs matrimonium inconsultis & invitis parentibus, vel tutoribus extinctorum parentum vices obeuntibus, ineunt, ab emolumentis civilibus, ab actionibus civilis fori ex vi contractus, & conventionum matrimonialium nasci solitis, & ab successionibus, quas aliàs adire possent, sic tamquam illegitimi, ablegantur.

In hunc sensum accipiendum est edictum Henrici II. anno Redempt. 1556. in Blesensibus Comitiis propositum & receptum, ut suprà insinuavimus. Sic intelligenda sunt Ludovici XIII. edicta edita & promulgata anno sal. 1616. & 1639. quæ omnia & Henrici II. & Ludovici XIII. edicta eò collineant, ut declarent filios familiàs ante trigesimum, & puellas ante vicesimum quintum ætatis annum non posse inconsultis & invitis parentibus contrahere, nisi priùs parentum assensum per tria acta (ut vocant) scripto mandata, & ter ipsis significata explorare tentaverint. Quod nisi præstiterint, per hujusmodi edicta cum iis, sic tamquam cum illegitimis, apud laïcos judices, quoad honores pariter & successiones, actum iri declaratur.

Quæres 2°. quibus argumentis astruatur, nostratum Principum edicta aliter quàm statuerint, matrimonia contrahentibus civiles duntaxat intentare pœnas, ita ut sacramenti substantiam nihil attingant.

Respondeo, luculenter astrui ex eo quod contigit, postquam Ludovicus XIII. suum anni 1639. edictum, quo in usum revocabat articulum 40. in Comitiis Blesensibus conditum, promulgari jussisset, & veluti regulam ab judicibus ecclesiasticis observandam indixisset: Clerus Gallicanus qui tunc sua Parisiis comitia celebrabat, libellum supplicem Christianissimo Regi obtulit, & ei quâ decebat reverentiâ, supplicavit in hæc verba: « Rex humillimè supplicatur, ut « considerare non pigeat, quantum sit momentum in « hoc articulo, qui eget expositione ad duarum diffi- « cultatum elucidationem. Prima est, ut non aliter in- « telligantur hæ voces, *validè aut invalidè contracti* « *matrimonii*, quàm per relationem ad contractum civi- « lem, & nullatenus ad contractum spiritualem sacra- « menti. Secunda est, ut non astringantur Ecclesiasti- « ci ad judicandum juxta hujus edicti, simulque Ble- « sensis articulos, sed juxta sacros canones & ecclesia- « stica decreta, quæ sunt unica regula & norma judi- « cum ecclesiasticorum. Hi enim non possunt aut de- « bent jurisdictionem, quam à solo Deo collatam ha- « bent circa res spirituales, ab ipsis laïcis mutuari. « Quapropter necesse est ex isto articulo hæc verba re- « secare: *Et obligabuntur ecclesiastici judices in causis* « *istiusmodi matrimoniorum judicare ad hujusmodi arti-* « *culi normam.* «

Ad hanc supplicationem Rex Christianissimus of- « ficium respondendi commisit magno Regi Cancella- « rio, & selectioribus quibusdam Officialibus sanctio- « ris Consilii. Hi verbis istis ex scripto sic responderunt: « Commonitio Cleri, quod spectat ad priorem difficul- « tatem, sic resoluta fuit, verba ista, *validè aut invalidè* « *contracta matrimonia*, non esse aliter explicanda, quàm « per solam relationem ad contractum civilem per laï- « cos judices. Altera pariter difficultas justa & rationi « congrua visa fuit. Hæc ita decerpsi, prout habentur « in tom. 3. rerum & decretorum Cleri Francici. Certè « non potest majori aut graviori authoritate firmari ve- « ra mens ac sensus istiusmodi constitutionum Regni. « Hactenus Cabassutius Oratorii Presbyter, Juris Canici Theoriæ & Praxis lib. 3. cap. 16.

Quod spectat ad matrimonia ad jus canonicum pertinentia, quæ semper Ecclesia detestata est, & irrita fecit Synodus Tridentina, ea sunt, ab quorum celebratione vel legitimus Parochus, vel alter Sacerdos ab eo delegatus, vel duo aut tres testes abfuerunt, ut uberiùs infrà explicaturi sumus, cùm præcipua quæ ad matrimonii reformationem sanxit Concilium Trident. capita edisseremus. Sit itaque

Quæstio LXXXI.

Quæ sunt præcipua capita ex 1. cap. de reformat. matrimonii, ab Concilio Trident. sessione xxiv. proposita & sancita.

Respondeo, esse plurima, quæ hîc sunt à nobis maximam partem referenda. Nam

Primum reformationis caput.

In isto Concilii Tridentini decreto damnantur anathemate, quotquot clandestina matrimonia libero contrahentium assensu contracta, vera & rata esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, negare ausi fuerint.

Quæres 1°. cur Ecclesia semper hujusmodi matrimonia detestata fuerit, & nihilominus eadem illa tanto tempore toleraverit.

Respondeo, sapientissimè talia matrimonia Ecclesiam esse detestatam, & justissimis de causis, quarum

Prima petitur ex statu damnationis, in quo permanebant multi, qui clandestina conjugia inierant, utpote qui relicta priore uxore, alia palam matrimonia iniebant, & cum præsumpta, secunda scilicet illa conjuge, in perpetuo volutabantur adulterio.

Secunda repetitur ex errore, in quem sine peccato incidere cogebantur judices ecclesiastici. Si enim alter eorum conjugum, qui clam contraxerant, stimulante peccati conscientia, ad priorem veramque conjugem, interposito Ecclesiæ judicio redire voluisset, relicta posteriore, quam certò suam non esse conjugem rescisceret, cogebatur ab Ecclesia (quæ de occultis non judicat, sed ex allegatis & probatis tantummodo procedit) ad eam quam posteriùs & palam duxerat, retinendam veluti legitimam, & ipsi reddendum conjugale debitum, quod tamen sine referventis adulterii flagitio præstare non poterat.

Tertia repetitur ex illegitima filiorum procreatione, quæ quidem, sicut & adulterium, in quo & ex quo concipiebatur proles, vitari poterant & debebant. Cùm enim perspectum haberent & cognitum, ecclesiasticos judices ab rerum veritate per ignorantiam invincibilem aberrare, eorum sententiis obtemperare non debebant, imò refragari; sed tamen aliquo necessitatis vinculo constricti, via ac ne via quidem sibi ab tam immani peccato temperare poterant.

Quæres 2°. cur Ecclesia clandestina matrimonia detestata, adeo non fecit irrita, ut etiam veluti valida toleraverit, & contrarium asserere ausos justo anathemate perculerit.

Respondeo, hanc esse alteram quæstionis propositæ partem, quæ nobis solvenda superest. Quod ut rite fiat, contendo, hac in re Ecclesiam Dei mirabilem sapientiam toti terrarum orbi exhibuisse. Cùm enim animadverteret, talium matrimoniorum prohibitiones propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata ex iisdem clandestinis matrimoniis emergentia perpenderet, ipsa illa toleravit, usquedum nancisceretur opportunum tempus, quo ea ceu penitus invalida, sua authoritate declarare, & ut talia prohibere posset. In isto rerum articulo Ecclesia Spiritu sancto afflata imitata est evangelicum illum patrem-familiàs, à quo servi flagitantes facultatem revellendi zizania, repulsam passi sunt, ne zizania revellendo triticum radicitus evellerent. Nam clandestina matrimonia ante Tridentinam Synodum inita irritari non poterant, quin ex tali irritatione complura, eaque gravissima, exsisterent mala, quæ sapienter congregati in eo Concilio Patres antevertetunt, sanciendo bannorum proclamationes, ne in posterum talia conjugia contraherentur.

Ac reipsa quidem cùm præfatum Concilium in cit. cap. de reformat. disertè ait, prohibitiones ejusmodi conjugiorum propter hominum inobedientiam jam non prodesse, satis indicat, ex irritatione oriturum fuisse seminarium bellorum, dissensionum & schismatum, quibus sic tamquam immedicabilibus plagis sauciata fidelium societas ab internecione propiùs abfuisset.

Et revera si homini, qui est in actuali peccandi proposito, & versatur in occasione majoris peccati, nec aliter ab perpetrando graviori flagitio deterreri potest, quàm illi minoris peccati materiam proponendo, suadere licet minus peccatum ad evitandum majus, ut docent Theologi, & inprimis Soto lib. 6. de justitia & jure quæst. 5. art. 5. cujus doctrinam sequuntur plurimi: quidni poterit Ecclesia Dei permittere gravia mala, ne gravioribus malis labefactata, vel ex parte, vel funditus opprimatur. Hujusmodi doctrina non solùm Theologorum est, sed etiam SS. Patrum authoritate nititur.

Illam enim mirabilem in modum astruit S. Augustinus lib. de adulterin. conjug. cap. 14. & refertur in cap. *si quod verius est.* 39. quæst. 2. & cap. *quod ait.* dist. 14. ubi sermo de viro, qui ut

De Sacram.

concubinam ducat, uxoris suæ necem machinatur, ut eo facto, fornicationem effugiat. *In hoc casu*, inquit S. Augustinus, *utrumque nefarium est: neque debet utrum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare, sed si ille facturus sit malum, faciat quod minus est, nempe adulterium cum concubina, ne occidat uxorem.* Hæc ibi.

Id ipsum luculenter docet S. Joannes Chrysostomus, cùm excusat factum Abrahami, qui author fuit uxori, ut affirmaret, se ipsius sororem esse, quo consilio videbatur uxoris stupro dedisse occasionem, vel illud maluisse, ne apud Ægyptios vitæ periculum adiret. Sic itaque loquitur S. Chrysostomus. Ut intelligas, inquit, ne morte quidem sua potuisse Abrahamum eam ab adulterio liberare, audi, quid dicat. Et erit, cùm viderint te Ægyptii, te quidem servabunt, me verò interficient. Futurum igitur erat, ut duo scelera perpetrarentur, adulterium & cædes: erat autem prudentia non vulgaris, ex duobus istis unum lucrifacere. Nam siquidem expositâ vitâ suâ liberaturus eam à stupro fuisset; & occisu justo Saram illi non attigissent, rectè accusares: sin autem ei etiam morte sublato, pari ratione futurum erat, ut stupraretur uxor: qua de causa justum accusas, quòd cùm duo eventura mala essent, adulterium ac cædes, alterum sapientiâ suâ expediverit, cædem nimirum. Visne discere, quo pacto etiam adulterii crimen, quantùm in ejus potestate situm est, cursus imminuat, ut ne perfectum quidem adulterium esse permittat. Cùm enim Abraham author fuit uxori suæ, ut se ipsius sororem, non autem conjugem diceret, effecit ut Ægyptius, qui eam erat accepturus, non ut uxorem ejusdem Abraham, sed ut sororem, non fuerit adulter judicandus. Hactenus S. Joan. Chrysostomus hom. 51. de SS. Bernice & Prosdoce, quam legere est tom. 1. Græcæ edition. Parisiens.

Hisce rationibus perpulsa Ecclesia Dei in Tridentina Synodo congregata, clandestina conjugia, sicut & matrimonia filiorum-familiàs invitis parentibus inita, illicita quidem, sed rata & valida esse declaravit, ne plerisque inobedientibus, & pervicaciter vel rebellantibus, vel ex probabili conjectura rebellaturis, segregationis & schismatis nimia severitate ansam præbuisse videretur.

Secundum reformationis caput.

Visum est sacrosanctæ Synodo malis, quæ tunc grassabantur in Ecclesiam, adhibendum esse remedium efficacius dictorum conjugiorum prohibitionibus, quas homines malè animati præfractè contempserant. Idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio Papa III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut in posterum, antequam matrimonium contraheretur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia, publicè denuntiaretur inter quos contrahendum esset matrimonium, in eum præsertim finem, ut si quod lateret impedimentum, quod futurum matrimonium, vel impediret contrahendum, vel contractum dirimeret, retegeretur. Non hîc agimus de tempore, quo ejusmodi denuntiationes factitari cœpere, vel quando cum Episcopi dispensatione omitti valeant: hæc enim superiùs explanavimus. Itaque sufficiet hoc loco proponere quæstiunculas, quæ ex citato præfati Concilii decreto emergere poterunt. Sit ergo

Quæstiuncula I.

Cur in hujusmodi decreto crebra fiat mentio Ordinarii & Parochi, cujus præsentia ad matrimonii solemnitatem requiritur, & quinam sint Ordinarii & Parochi.

Ut huic quæstioni respondeatur, operæ pretium est explanare, quomodo Ordinarius definiatur in jure canonico, in quo dicuntur Ordinarii, quotquot lege vel consuetudine, vel privilegio jurisdictionem causarumque cognitionem habeat, & proprio jure exerceant, l. 1. c. *& quia.* D. *de jurisdiction. omnium judicum.* l. 2. c. *de officio ejus qui vices.* §. 2. 2. q. 6. & cap. *conquerente. de officio Ordinarii.* & aliis capitibus sub eod. tit. tam in Decretalibus, quàm in Sexto.

Hoc posito, dicimus, per Ordinarii nomen, decretum Concilii Tridentini designare eos omnes, qui ordinariam potestatem habent episcopalem, & quasi episcopalem.

Quæstiuncula II.

Quinam sint Ordinarii, qui matrimoniorum celebrationi assistere, & alios à se eorumdem matrimoniorum celebrationi assuturos delegare valeant.

Respondeo, esse plures Ordinarios, qui utrumque, id est, & adesse matrimoniorum solemnitati, & aliis Sacerdotibus assistendi facultatem facere queant.

1°. Episcopi & Archiepiscopi in suis diœcesibus adesse possunt matrimoniis, & aliis assistendi facultatem concedere. Nemo enim eos Ordinarios esse, inficias iterit.

2°. Capitulum, sede vacante, idem præstare potest, id est, matrimoniorum celebrationi adesse, & aliis assistendi facultatem concedere: siquidem Canonici (id est Canonicorum corpus) in episcopali audientia; & ideo habent potestatem ordinariam, ut patet ex cap. 11. *qua.* & cap. *cùm olim. de majoritate & obedientia.*

3°. Iisdem gaudent privilegiis Abbates Ecclesiarum, quæ nulli sunt Episcopo subjectæ: quippe qui habeant authoritatem ordinariam & quasi episcopalem, ut cum pluribus docet Covaruvias in cap. *J.an. de test.*

4°. Ordinarii sunt Cardinales in Ecclesiis sui tituli, in quibus habent jurisdictionem quasi episcopalem, ut constat ex cit. cap. 11. *qua. de majoritate & obedientia.*

5°. Generales Episcoporum Vicarii inter Ordinarios annumerantur passim ab Doctoribus, & ideo possunt interesse matrimoniis, & iisdem assistendi aliis facultatem facere. Eos enim esse Ordinarios testantur Innocentius, Hostiensis, Abbas in cap. *tua nobis. de officio Vicarii.* & alii. Et hoc hujusmodi Vicariis denegari non potest: est enim unum tribunal generalis Vicarii & Episcopi: ideoque quicquid legitimè ab tali Vicario gestum fuerit, non potest ab Episcopo revocari.

Quæstiuncula III.

Quis sit Parochus, parochia & parochiani.

Respondeo, Parochum esse Sacerdotem rite ordinatum, uni Ecclesiæ Parochiali legitimè præpositum, unicum, seu unius Ecclesiæ sponsum non locatarium, sed stabilem, & ad vitam, utpote suæ sponsæ, id est Ecclesiæ indissolubili spiritualis matrimonii vinculo copulatum. Ista Parochi definitio vel descriptio colligitur ex canonibus. Quòd enim unicus esse debeat, colligitur ex canone 21. quæst. 2.

Quòd autem Parochum stabilem & ad vitam esse oporteat, colligitur ex canone *præcipimus.* 21. q. 2. Præcipimus ne conductitiis Presbyteris Ecclesia committatur, sed unaquæque, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.

Porro Parochi nomen derivatum est ab verbo Græco παρέχω, præbeo: & fortè manavit à Romanis, apud quos usus obtinuerat, ut qui peregrinis quædam necessaria subministrarent, appellarentur Parochi; loca verò in quibus alienigenis necessaria ad obeundam peregrinationem præbebantur subsidia, parochiæ dicerentur.

Rectè ergo Sacerdotes qui constituti sunt, ut fidelibus adhuc in hoc sæculo peregrinantibus opportuna & necessaria ad comparandam salutem æternam adjumenta porrigerent, Parochi sunt appellati; & loca, in quibus hujusmodi adjumenta porrigerentur, parochiarum nomine sunt designata. Revera in Ecclesias parochiales sese conferunt & conferre debent fideles, ut alibi probavimus, ut inibi ab suis Parochis divina mysteria percipiant, ut ministerio verbi, (quod proculdubio inter pastorales curas & officia principem obtinet locum) ab iisdem informentur ad luculentam nostrorum dogmatum notitiam, & ad omnia Christianæ pietatis munia, sine quibus nemo ad vitam æternam pertingere poterit.

Si igitur ita sit imperitus Pastor, ut verbo quo alendi sunt fideles, suum gregem alere & pascere nequeat, non est quidem removendus ab Ecclesia, cum qua spirituale matrimonium iniit; (si alioquin sacerdotalem agat vitam) sed ipsi assignandi sunt coadjutores & Vicarii, qui rite verbi ministerio perfungantur, ut decernit Concilium Tridentinum session. 21. cap. 6.

Sunt ergo Parochi unici titulares Ecclesiæ suæ sponsi, & ad stabilem cum ipsa permansionem obligati. Unde Nicæni Concilii canon 15. & Chalcedonensis canon 6. & Arelatensis I. canon 21. vetant, ne Sacerdotes, abdicata priore sponsa seu Ecclesia, ad alteram sese conferant. Hæc obiter.

Ut igitur ad propositum redeamus, Parochis subditi sunt parochiani, hoc est, ii qui in parochia habent domicilium, vel quasi domicilium. Domicilium habent in parochia, qui in ipsa commorantur & habitant animo ibidem permanendi toto vitæ curriculo: quasi domicilium habent in parochia, qui in ipsa majore anni parte habitant. Quod spectat ad errones vagabundos, sortiuntur parochiam loci, in quo pro tempore diversantur.

Quæstiuncula IV.

Quinam sit proprius Parochus respectu contrahentium.

Respondeo, posse assignari duplicem Parochum, unum originis, alterum habitationis, ita ut in ordine ad matrimonium nullus prioris Parochi, id est in cujus parochia natus est uterque vel alteruter contrahens, nullus respectus habeatur; sed habitationis dumtaxat censeatur proprius Parochus hominum in sua parochia, vel semper, vel majore anni parte habitantium.

Hanc responsionem luculenter astruit Cardinalium declaratio, quæ legitur apud Farinacium in novissimis ad sessionem 24. Concilii Tridentini cap. 1. num. 2. in hæc verba: « Proprius Parochus est, in cujus parochia contrahentes habitant eo tempore, quo matrimonium contrahitur. «

Hæc declaratio comprehendit haud dubiè tam parochianos, qui sua in parochia habent fixas sedes, quàm eos qui sua in parochia majore anni parte commorantur.

Quod spectat ad alienigenas, qui neque fixum, neque temporarium habent aliqua in parochia domicilium, sortiuntur Parochum loci, in quo diversantur eo tempore, quo matrimonium ineunt, ut constat ex Cardinalium declaratione, quam legere est apud eumdem Farinacium loco cit. num. 4. in hæc verba: » Quando matrimonium contrahitur inter duos alie» nigenas, & à parvo tempore in aliquo loco habi» tantes, qui tamen sint cogniti, & non sint com» prehensi inter vagabundos, proprius eorum Paro» chus esse intelligitur, in cujus parochia habitant » eo tempore, quo matrimonium contrahunt. Hæc ibi.

Quo pacto autem se in alienigenarum matrimoniis gerere debeant Pastores, docet Concilium Tri» dent. cit. sess. 24. cap. 7. his verbis: Parochis au» tem præcipit, (sancta Synodus) ne alienigenarum » matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inqui» sitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab » eo licentiam id faciendi obtinuerint. Hæc ibi.

Hujusmodi Cardinalium declaratio non comprehendit concubinas, quæ ex eodem oppido, non relicto suo domicilio, habitant vel majore anni parte cum viris concubinis: illæ enim contrahere debent, si velint contrahere cum aliis, non coram Parocho hominum concubinorum, sed proprio. Nec enim dicta declaratio aliter quàm de alienigenis est intelligenda, si modò cogniti fuerint, nec inter vagabundos errones comprehensi.

Quæstiuncula V.

Utrum & proprium Parochum, & ab ipso delegatum, oporteat esse Sacerdotem, ut validè coram utroque contrahatur.

Respondeo, utrumque oportere esse Sacerdotem, alioquin nullum erit matrimonium, ut definitum est ab Concilio Tridentino rescindente seu irritante matrimonia, quæ aliter quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contracta fuerint.

Ex mente ergo Concilii oportet, tam Parochum, quàm alterum ab eo delegatum, esse Sacerdotem. Nam cùm Concilium loquitur de Parocho, de eo loquitur, ex communi omnium sententia & appellatione inter Christianos Catholicos usurpari solita. Cùm enim verba fiunt de Pastore seu Parocho, omnes concipiunt virum & ad sacerdotium & ad animarum regimen juxta Ecclesiæ regulas assumptum. Certum est igitur, per Parochum & ab Concilio & ab omnibus Catholicis intelligi virum ad Sacerdotes legitimè aggregatum.

Quod spectat ad delegatum, declarat sacra Cardinalium congregatio, Parochum vel Ordinarium non posse concedere licentiam Clerico non Sacerdoti assistendi matrimonio, & si fiat, nullum esse tale matrimonium. Ita sentiunt Petrus de Ledesma in Summ. p. 1. tractat. de sacram. matrim. c. 6. *Gattier* de matrim. cap. 6. num, 2.

Quæstiuncula VI.

Utrum Ecclesia matrimonia clandestina, id est absente Parocho, vel Sacerdote ab eo delegato, inita, vel sine duobus aut tribus testibus contracta, rescindere valeat, cùm nihil possit irritare circa jus naturæ, quo quidem jure valida sunt matrimonia clandestina.

Respondeo, jure naturæ valida esse matrimonia clandestina, eo scilicet sensu, quòd nihil est in jure naturæ, quod prohibeat, quominus ejusmodi matrimonia rata sint & valida; sed non eo sensu, quòd jus naturæ præcipiat illa sic contrahi. Cùm ergo dicitur, matrimonium clandestinum de jure naturæ esse validum, id concedendum est, si nempe contrahentium consensus sit legitimus, id est ab nullo superiore, justa de causa, irritatus: si enim superiores legitimi justis de causis rescindant aliquem contractum jure naturæ ratum & validum, non irritant jus naturæ, sed personas ita contrahentes reddunt inhabiles ad ejusmodi contractum ineundum.

Si dicas, jus naturæ esse inviolabile, atque adeo cùm consensus, quo contrahebantur matrimonia clandestina, ante Concilium Tridentinum fuerit jure naturæ legitimus, ab ipso eodemque Concilio ita variari non potest, ut illegitimus habeatur.

Respondeo, jus naturæ esse quidem in seipso seu formaliter inviolabile, non autem materialiter, ut loquuntur Theologi: nam in matrimonio, de quo hîc agitur, jus naturæ in sua forma est inviolabile: siquidem ab omni ævo dictavit, conjugalem consensum legitimum esse oportere, ita ut si quando pro illegitimo & sit & habeatur, id oriatur ex mutatione materiæ, vel potiùs circumstantiarum, quibus positis & cum superioris declaratione præceptoque conjunctis, fit ut illegitimum censeatur quod antea legitimum erat, id est, nullo pacto impeditum erat, & passo nulla inhabilitate præpedito applicatum. Sed post decretum Concilii, clandestina matrimonia legitima & rata esse nequeunt: utpote quæ à superiori Ecclesiæ in præfato Concilio congregatæ potestate, bifariàm sunt irritata & rescissa, directè scilicet & indirectè. Directè ea matrimonia irritavit Concilium Trident. & irritare potuit, irritando scilicet contractum, per quem iniri consueverant. Ratio inde petitur, quòd hujusmodi matrimonia sint contractus, atque adeo cæterorum contractuum ad instar subordinari debeant alicui communitati, (cujus partem constituant contrahentes) à qua pendeant, & revera ejusmodi matrimonia inter fideles iniri solita, in bonum spirituale totius Ecclesiæ, (ex fidelibus sic tamquam partibus conflatæ) ejusdem Ecclesiæ potestati subordinari debuerunt, ita ut (cùm commune ejus bonum id postularet) ab ipsa directè irritari possent.

2°. Ecclesia ea matrimonia indirectè irritare potuit & fecit, id est, impedire potuit, imò decernere mutuum clandestinè contrahentium consensum ad transferendum dominium corporum inter conjuges, atque adeo ad legitimum matrimonium non sufficere: sicut lex civilis irritat donationem pupilli, impediendo ne ipsius voluntas sufficiat ad transferendum rei cujuspiam dominium. Unde Ecclesia clandestinè contrahentes inhabiles declarando, non tollit obligationem jam ortam, sed impedit ne oriatur.

Porro nemini dubium esse debet, quin Ecclesia possit irritare matrimonia, quasdam personas ad contrahendum inhabiles suis constitutionibus efficiendo,

& ut tales declarando. Nam fideles sunt ipsius membra quæ regit & moderatur, ita ut ipsi (cùm spirituale ipsius bonum, quale est matrimonium, poposcerit) citra immane contumaciæ crimen refragari nequeant.

Revera quemadmodum naturalia corporis physici membra ad quamlibet operationem physicam sine capitis influxu sunt inepta, ita & fideles qui sunt mystica corporis mystici, id est Ecclesiæ membra ad ineundos contractus qui pertinent ad ejus spiritua-le bonum, (qualia sunt matrimonia) inhabiles sunt, nisi ab ipsa influxum moralem ipsius decretis pari ad humilitatem obedientia obsequendo percipiant.

Quæstiuncula VII.

Quænam Parochi præsentia ad legitimam matrimonii celebrationem exigatur.

Respondeo, non solùm requiri physicam seu naturalem Parochi præsentiam, sed insuper moralem & humanam, quâ humano modo ipse Parochus matrimonium contrahi animadvertat, & (cùm occasio poposcerit) ipsum (cui per moralem præsentiam assuerit) celebratum esse Ecclesiæ & privatis, quorum interest, sine tergiversatione testificari valeat. Id ipsum ob eumdem finem de testibus, quorum etiam præsentia moralis ad ineundum rite matrimonium requiritur, asserendum est.

Quæstiuncula VIII.

Utrum matrimonium coram Parocho & testibus per vim extrinsecùs illatam detentis celebratum, sit validum & licitum.

Respondeo, esse validum, sed illicitum. Quòd sit validum, docent plerique Theologi: quamvis enim, ut aiunt, Parochus & testes per vim detineantur, cùm celebratur matrimonium, est tamen validum, dummodo & ipse Parochus & testes advertant & intelligant contrahentium consensum per verba de præsenti, vel per idoneum aliquod signum luculenter expressum.

Nostra hæc responsio probatur ex l. *coram Titio.* 209. ff. *de verbor. obl.* in hæc verba: *Scire autem non velle is debet, nam eo invito rectè fit.* Ex quibus verbis rectè conficitur, Parochum & testes, tametsi detenti fuerint per vim, satis superque etiam invitos interfuisse matrimonio, rato & valido, si contrahentium consensum testatum facere possint: quod & docet Glossa Extravag. *Exetrabilis. coram.* l. 1. *de prebend.*

Hanc doctrinam confirmat declaratio Cardinalium, quam referunt Authores bene multi, quorum nomina & loca legere est apud Sanchez lib. 3. de consensu clandestino, disput. 39. num. 9.

Ex dictis astruitur nostra responsio, quâ contendimus, ratum & validum esse matrimonium coram Parocho & testibus etiam invitis, vel dolo ad aliud accersitis, vel casu transeuntibus, invitum, modò, ut antè diximus, de contrahentium consensu, quem intellexerint, testimonium data occasione perhibere valeant.

Advertendum est igitur, hujusmodi matrimonia esse quidem valida, sed illicita, & eos qui ea contrahunt, peccare lethaliter, tum ratione injuriæ Parocho & testibus illatæ, tum ratione contemptûs, quo Ecclesiam contra ejus authoritatem contrahendo afficiunt.



Quæstiuncula IX.

Utrum ad celebrationem matrimonii sufficiat Parochus viri vel mulieris, quando sunt diversarum parochiarum.

Respondeo, hac de re mentem Concilii Tridentini de Parocho loquentis in singulari, explicari per usum & consuetudinem, quâ passim matrimonia celebrantur.

Huc accedit Cardinalium congregatio, quæ sub Pio Papa V. declaravit, sufficere Parochum mulieris, quando matrimonium in ipsa mulieris parochia celebratur. Ipsa illa congregatio sub Gregorio Papa XIII. censuit, sufficere Parochum viri, quando in ejus parochia matrimonium contrahitur.

Quod certum esse declarat Navarrus, cùm lib. 4. Consilior. de clandestina desponsat. cap. 4. asserit, Cardinalium congregationem declarasse, sufficere unius Parochi præsentiam, in quacumque parochia contrahatur.

Quæstiuncula X.

Utrum contrahentes qui habent duplicem habitationis parochiam, id est, qui æquali temporis & anni spatio duabus in parochiis habitant, contrahere debeant coram Parocho, in cujus parochia illo ipso tempore, quo matrimonium sunt ituri, commorantur.

Respondeo, meliùs obtemperaturos legi, si ita se gerant. Quamvis enim ipso tempore, quo matrimonium sunt celebraturi, in altera parochia illud celebrarent cum licentia sui Parochi vel Ordinarii, validè contraherent, utpote qui coram uno Parocho, juxta decretum Concilii Tridentini contraherent: tutiùs tamen & honestius est contrahere coram Parocho, in cujus manus eos divina providentia tradidit, ne & ejus dignitas & persona contempta videatur.

Quæstiuncula XI.

Quid requiratur, ut aliquis ad aliquam parochiam pertinere dicatur.

Respondeo, exigi, ut qui ad parochiam aliquam volunt aggregari, in ea commorentur toto tempore, quo commorari solent & debent alicujus parochiæ candidati, juxta luci (in quo domicilium elegerint) consuetudinem vel legem ab Ordinario promulgatam. Si enim duorum mensium tempus in eum finem sit constitutum, ut in quibusdam diœcesibus, vel si annus sit ad eam habitationem, ut in aliis diœcesibus, (quarum Episcopi tale spatium habitationis iudixere, ne quidam improbi transeundi & fraudem faciendi animo ad parochias obrepant) toto illo spatio in locis, in quibus ea viget consuetudo, commorari tenebuntur, antequam ad eorumdem locorum parochianos ascribi valeant.



Quæstiuncula XII.

Utrum in locis, in quibus constat, promulgatum esse, & in parochia per aliquod tempus observatum fuisse Concilii Trident. decretum de reform. matrim. & in quibus nullus est Ordinarius, nullus Parochus, nullus Vicarius, qui possit interesse matrimonio celebrando, vel in quibus hujusmodi personæ ita latent, grassante persecutione, ut ad eas vel non pateat, vel nullo pacto tutus sit accessus: quæritur, inquam, utrum Christiani (quibus sicut & eorum Ordinariis & Parochis imminet ab hæreticis v. g. probabile periculum exilii vel mulctæ gravioris) validè contrahant.

Respondeo, valida esse matrimonia, quæ ab Christianis in tali rerum articulo contrahuntur, si modò observent Concilii decretum, eo quo poterunt modo, id est duos saltem testes adhibeant.

Ita censuit, & ad Octavium Episcopum Tricatiensem scripsit Bellarminus anno sal. 1600. 30. Decembr. » De matrimoniis contractis, inquit, ubi nulli sunt proprii Pastores, jam olim actum fuit cum S. D. N. & cum congregatione Concilii Tridentini: ac sententia communis fuit, illa esse rata, nec ad ea pertinere decretum Concilii, cùm in ejusmodi locis observari non possit. Non video ergo cur ea matrimonia non debeant tolerari, cùm satis constet, Concilii decretum, quod jubet matrimonium fieri coram Parocho, non se extendere ad ea loca, in quibus non sunt Parochi. Hactenus Bellarminus, cujus verba refert Chappeavillæus Vicarius Leodiensis q. 15. de matrim.

Hanc ipsam doctrinam præfata Cardinalium congregatio expressit scribens ad Sasboldum Philippensem Archiepiscopum 19. Januar. ann. sal. 1603. Ipse quippe congregationem Octavius Episcopus Tricatiensis per Germaniam & Belgium nuntius Apostolicus consuluerat, & quid de matrimoniis in Hollandia, Zelandia & Frisia contrahi solitis esset sentiendum, quæsierat. Congruenter huic resolutioni Guillelmus Estius, eximius, nemine reclamante, Theologus, 19. Mart. 1607. consultus ab D. Miræo Antuerpiensi Episcopo, quid sentiret de matrimoniis, quæ celebrabantur coram Magistratu, non coram Parocho ab hæreticis quidem tolerato, sub ea tamen lege, ut si sacramenta quæpiam administraret, tam ipse, quàm suscipientes, propositâ denuntiataque vel mortis vel exilii vel gravioris mulctæ pœnâ plecterentur. Respondit, valere ejusmodi matrimonia, suamque illam sententiam confirmavit authoritate Cardinalium, qui antea, id est ann. sal. 1603. declaraverant, valere matrimonium sine Episcopo aut Parocho aut Vicario initum, cùm ad eos propter intentatam vel mortis, vel exilii, vel gravioris mulctæ pœnam non esset tutus, imò interclusus omnino aditus. In eo enim rerum articulo hujusmodi homines ab Tridentini decreti observantia cum præfato vel capitalis supplicii, vel exilii, vel gravis mulctæ periculo conjuncta, exemptos esse citata Cardinalium congregatio declaravit.

Quæstiuncula XIII.

Utrum quibusdam in casibus possit valere matrimonium clandestinum apud fideles, quibus promulgatum est Concilii Trid. decretum.

Respondeo, matrimonia clandestina ita damnata esse ab Synodo Tridentina, ut ea inter fideles, apud quos est promulgatum & receptum ejusdem Synodi de matrimonii reformatione decretum, citra reserventissimum crimen iniri nequeant. Cùm igitur vel sine Parocho, vel sine duobus saltem testibus sunt inita, non jam irritanda sunt, sed ut irrita sunt declaranda, utpote citati Concilii decreto irritata.

Hanc rem in pertinacem controversiam evocare vel negare, nemini Catholico licet. Negare enim Ecclesiæ potestatem constituendi impedimenta matrimonium vel impedientia vel etiam dirimentia, pertinet ad hæresim. Est enim dogma catholicum, Ecclesiam in definiendis sanciendisque rebus, tam ad fidem, quàm ad bonos Christianosque mores pertinentibus nullatenus errare posse. Unde Concilium Tridentinum duos canones condidit & sanxit sub anathematis interminatione, Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonium contrahendum impedientia, vel contractum dirimentia, nec in iis constituendis errasse, ut constat ex canone 3. & 4. sess. 24. de matrim.

Ergo ubicumque promulgatum est Concilium Tridentinum, & irritata & irrita declaranda sunt matrimonia clandestina, nisi fortè grassante persecutione exularet ab eo, in quo contrahi possent, loco, Ordinarius & Parochus & Vicarius, coram quo possent celebrari, vel ad ipsos tutus non esset aditus, ut suprà quæst. XII. explanavimus.

Quæstiuncula XIV.

Utrum matrimonium initum coram Parocho, aut ejus Vicario, aut alio Sacerdote, de Parochi licentia sit validum, quando Episcopus prohibuit, ne ipsi matrimonio vel per se, vel per alium interesset.

Respondeo cum Cardinalium congregatione, validum esse hujusmodi matrimonium: licèt enim nudum Episcopi præceptum prohibeat, ne Parochus intersit matrimonio, non tamen contractui rite ab contrahentibus inito suam vim & robur, nec præsentiæ ab Parocho vel volente, vel invito exhibitæ, suum valorem adimit; quod faceret procul dubio, si Episcopus suæ prohibitioni adjiceret clausulam, quâ se id (quod nihil obstante sua prohibitione faceret Parochus, vel per se, vel per alium) irritare seu irritaturum esse declararet.

Quæstiuncula XV.

Utrum Parochus excommunicatus, suspensus, nec ab Ecclesia toleratus, possit adesse matrimonio, ita ut, positâ ejus præsentiâ, matrimonium sit validum, & juxta Synodi Tridentinæ decretum legitimè contractum.

Respondeo, in hisce casibus observandam esse generalem hanc regulam: Si censura vel pœna lata in jure non privat Clericum beneficio, vel suspendit, adesse matrimonio, & illud juxta Trident. decretum, quo Parochi dumtaxat præsentia ad matrimonii valorem exigitur, suâ præsentiâ validum efficere potest.

Hoc ita supposito, Parochus excommunicatus, suspensus assistere matrimonio, quod propter ejus, sicut & duorum vel trium testium præsentiam, ratum & validum erit: eo nomine, quòd nondum de suo beneficio per juridicam sententiam sit dejectus, atque adeo matrimonio sic tanquam Parochus assistere, & decreto Tridentino satisfacere valeat.

Si dicas talem Parochum carere jurisdictione:

Respondeo, nihilominus illum suâ præsentiâ ab ipso etiam reluctante & invito exhibitâ, si modò advertat animum ad id, quòd celebratur matrimo-

nium, illud efficere ratum & validum, si cætera sint paria.

Ratio hujus rei petenda est ex eo, quòd præsentia illa, quâ se Parochus sistit, vel se sistere cogitur ad effectum, ut contractus matrimonii sit ratus & validus, non est actus jurisdictionis vel ordinis: & ideo potest etiam jurisdictione privatus interesse matrimonio, & vel nolens illud efficere ratum & validum, ut docent graviores Theologi: quod quidem doceri non posset, si talis hominis etiam nolentis assistentia, ut ita dicam, esset actus jurisdictionis & ordinis: siquidem nullus ordinis & jurisdictionis actus ab invito & reluctante validè exerceri potest.

Potest igitur Parochus excommunicatus, etiam non toleratus, & nominatim denuntiatus, & suspensus, & irregularis, validè matrimonio assistere juxta Extravag. *ad evitanda scandala.*

Pro hac ipsa sententia facit declaratio Cardinalium asserentium, ut refert Farinacius, matrimonium contractum coram Parocho notorio fornicatore valere, nisi per sententiam sit privatus officio. Hujus rei ratio est, quòd nec Parochus, nec alius Sacerdos suspenditur ipso jure, utpote qui sit juridicâ sententiâ suspendendus & puniendus: quod quidem factum fuerit per judicialem sententiam & confessionem ad effectum, ut ratus & validus sit sponsorum contractus, matrimonio interesse non poterit.

Hic quæri posset, utrum Sacerdos aliquam in parochiam citra Ecclesiæ authoritatem intrusus legitimum & validum suâ præsentiâ matrimonium efficere possit. Sed communis est sententia, non posse, nisi obtenta institutione canonica vel colorata, passim pro legitimo Parocho habeatur, ut testatur cum aliis Navarrus consil. 8.

Ex dictis colligitur, Parochum suspensum, excommunicatum, etiam nominatim denuntiatum, & titulo saltem colorato fretum, & vulgò pro legitimo Pastore habitum, posse interesse matrimonio ad effectum, ut juxta Tridentinum decretum validum sit, nisi per juridicam sententiam & confessionem suo sit beneficio privatus: imò potest Parochus excommunicatus nec toleratus validè aliis Sacerdotibus licentiam matrimonio (ad valoris effectum) assistendi concedere.

Quod proculdubio non posset, si illa assistentia, vel ejus concessio esset actus ordinis & jurisdictionis. Nam generalis regula est, usum spiritualis jurisdictionis interdictum esse excommunicato, ut patet ex cap. *audivimus.* 24. quæst. 1. & alibi passim.

Hujusmodi regula porrigitur ad omnes actus, qui strictè & propriè loquendo, ad jurisdictionem pertinent, & ab judice superiore & ecclesiastico exerceri solent & debent: talia sunt præcipere, dispensare, ad quodlibet munus ecclesiasticum licentiam concedere, & similia quæ numerantur in c. *accedentibus. de excessibus Prælatorum.* & in cap. *dilectus. de officio Ordinarii.*

Quæ cùm ita sint, contendimus, Parochum suspensum, excommunicatum, etiam nominatim denuntiatum, nec toleratum, posse, quamdiu per juridicam sententiam & confessionem non est suo beneficio privatus, aliis Sacerdotibus facere facultatem, seu licentiam assistendi matrimonio ad valoris ejus effectum: siquidem nec præsentia Parochi assistentis matrimonio, nec facultas seu licentia aliis Sacerdotibus ad assistendum matrimoniis concessa, neque ordinis neque jurisdictionis actus est. Cùm enim Parochus (ut superiùs cum gravioribus Theologis ostendimus) intersit matrimonio dumtaxat ut testis, quidni citra jurisdictionis usum, alium Sacerdotem, qui suas in matrimonio vices obeat, in matrimoniorum solemnitatibus veluti testem qualificatum, ut ita dicam, substituere poterit, qui de ipsis matrimoniis necessarium testimonium perhibere valeat? Id enim Parochus, qualem depinximus, citra controversiam præstare potest, id est, interesse matrimoniis, & aliis usiem assistendi concedere licentiam, quia nec præsentia ab ipso in matrimoniis exhibita, nec præsentiæ aliis Sacerdotibus exhibendæ ab ipso concessa facultas, est actus ordinis & jurisdictionis: quapropter hac in parte nihil prohibet, quominus Parochus excommunicatus, &c. utatur facultate sibi concessa ab Concilio Tridentino, quod quidem proprium Parochum in matrimoniis ita testem esse voluit, ut alium non nisi Sacerdotem, in sui locum substituere posset.

Quæstiuncula XVI.

Utrum Parochus excommunicatus assistendo matrimonio fiat irregularis.

Respondeo, Parochum excommunicatum, etiam denuntiatum, assistentem matrimonio, non fieri irregularem, quia hæc assistentia non est administratio sacramenti, atque adeo non est actus ordinis & jurisdictionis, quam exercere non possunt excommunicati: siquidem ejus usus ipsis penitus per judicialem sententiam est ademptus. Et præterea ipse ille jurisdictionis usus ex Concilii Tridentini dispensatione ad præfatam assistentiam non requiritur. Quandoquidem superiùs egimus de denuntiationibus juxta formam Concilii Tridentini, nec exposuimus quomodo se gerere debeant, qui norunt aliquod impedimentum, & quomodo sese gerere debeant hac in parte Parochi: jam his de rebus agendum est. Sit itaque

---

Quæstio LXXXII.

Ad quid tenentur & laïci & Parochi, qui norunt aliquod alicujus matrimonii impedimentum.

Hujusmodi quæstio per quæstiunculas est explananda. Sit itaque

Quæstiuncula I.

Utrum aliquis sciens aliquod impedimentum, quo posito, nullum & irritum matrimonium contrahentes efficerent, illud etiam occultum quod probare non possit, declarare teneatur.

Respondeo, teneri. Nemo enim est Theologus, quin doceat cum S. Thoma 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. unumquemque teneri, saltem superiore præcipiente, detegere peccatum tertio damnum inferens: atqui si non detegatur impedimentum aliquod matrimonium dirimens, ex defectu revelationis gravia existunt damna. Nam conjuges degent in perpetuo concubinatu, & inde orta proles universa, erit illegitima & spuria. Unde multò criminosius est impedimentum dirimens non revelare, quàm prohibens, quia hoc posterius celando, Ecclesiæ præceptum, & debita sacramento matrimonii reverentia violatur quidem ab contrahentibus; sed non propterea invalidum est matrimonium, ut fit, cùm dirimens impedimentum reticetur. Quia tamen & sacrilega violatione sacramenti, & infractione præcepti ecclesiastici peccatum lethale admittitur, cùm impedimentum dumtaxat dirimens non revelatur;

latur; ideo illud quoque aperire necesse est.

Dices frustra, revelabitur ab aliquo quodpiam impedimentum, si ab ipso probari nequeat.

Respondeo, id in matrimonio nullum habere locum. Nam, ut docent Authores gravissimi, unus dumtaxat testis sufficit ad impediendum matrimonii contractum, quia licèt probari non possit istud impedimentum ab uno teste, sive denuntiator sit, sive non, pandit tamen viam, per quam superior diligentiori inquisitione ad talis impedimenti notitiam pervenire, & contrahentes ab immani flagitio revocare valeat.

Ergo tenetur unus testis cognitum sibi impedimentum denudare, cùm præsertim ejus revelatio, non ad plectendum scelus admissum, sed ad illud, quod citra revelationem admitteretur, inhibendum pertineat.

Quòd si impedimentum sit occultum, ut supponimus, adhibenda est fraterna correctio, juxta Christi præceptum, antequam retegatur, ne quid detrimenti proximi fama ex præcipiti revelatione capiat. Nec semel dumtaxat, sed saltem ter adhibenda est ejusmodi correctio, & etiam pluries, quamdiu scilicet ejus qui corripitur, emendatio prudenti arbitrio sperabitur, ut asserit S. Thomas.

Quæstiuncula II.

Utrum qui ex auditu dumtaxat aliquod impedimentum, vel qui perspicit ex ejus revelatione sibi grave aliquod, seu fortunarum, seu famæ, vel rei similis periculum imminere, illud aperire teneatur.

Respondeo, duorum hujusmodi hominum neutrum ad impedimenti revelationem, quod fando audierit, obligari. Nam

1°. Qui impedimentum auditione accepit, vel recordatur à quo, vel à quibus acceperit, vel non. Si recordatur à quibus audierit, nec illi sint personæ graves, fide dignæ, aut omni exceptione majores, nec suspectæ, non tenetur illud declarare. Nam hujusmodi testimonium de auditu nullum est, ut patet ex c. *licèt ex quadam. de testibus.* Hujus capitis textus loquitur de probatione consanguinitatis, quæ est impedimentum matrimonii, in hæc verba: Nec ab infamibus & suspectis, sed à fide dignis & omni exceptione majoribus, cùm satis videretur absurdum, illus admitti, quorum repellerentur authores. Idem cum pluribus, quos laudat, docet Farinacius 2. p. Praxis de testibus num. 85. & 86. & seqq.

Si non recordatur, qui novit impedimentum, à quo vel à quibus acceperit, non tenetur illud aperire. Testes enim qui ab aliis audierunt, nec affirmant à quibus audierint, nihil probant; & eorum testificatio, ceu nullius momenti exploditur, ut docet idem Farinacius cit. cap. num. 69.

Quod spectat ad alterum, qui occultum novit impedimentum, non tenetur illud superiori patefacere, etiamsi probare posset, si probabiliter ex ejus denuntiatione se in grave periculum adductum iri, vel ingens scandalum oriturum esse prospiciat. Id etiam contingit, cùm fideles per litteras monitorias, ut vocant, adiguntur ad retegendum aliquod factum, quod Ecclesia excommunicationis fulmine (nisi aliud accidat) percellere constituit. Cùm enim quis animadvertit, se malè & graviter in se vel in fortunis mulctatum iri, si rem de qua agitur, sibi cognitam superiori aperuerit, eam aperire non tenetur, nisi fortè utilitas seu commodum publicum, (quod privato semper est anteponendum) eum ad hujusmodi revelationem adigat.

Quæstiuncula III.

Utrum quis impedimentum publicum quod probari potest, quamvis illud clanculum, seu per viam secreti sibi commissi, noverit, revelare teneatur.

Respondeo, eum qui clanculum novit aliquod impedimentum publicum, quod probari potest, ad ejus revelationem obligari, quamvis tale impedimentum ortum sit ex peccato, & in contrahentium infamiam abiturum esse videatur. Nihil enim prohibet, quominus tale impedimentum superiori patefiat. Neque enim obesse debet secretum revelanti commissum, cùm dictum impedimentum in publicam notitiam eruperit: neque persuasio, quâ quis existimet, cassam & nihil profuturam esse revelationem, cùm legitima probatione fulciri valeat. Non pœna contrahentibus infligenda, ab tali revelatione deterrere debet: non enim ad pœnam decernendam, sed ad vitandam eorumdem contrahentium offensam, velut ad scopum collineat.

Quæstiuncula IV.

Utrum Parochus, qui solus novit aliquod impedimentum dirimens ex ipsius peccato ortum, declarare teneatur.

UT huic quæstioni satisfiat, proponendum est exemplum. Nefarius Sacerdos v. g. cum duabus mulieribus sacrilegam consuetudinem habet, ex una filium, ex altera gignit filiam. Filius & filia jam adolescentes, omnisque consanguinitatis ignari, inter sese amare, & de nuptiarum fœdere agere cœperunt: consanguinitas eorum patri dumtaxat nota; qui pater tunc eorumdem Parochus erat. Parochus ex decreto Concilii Tridentini palam edicit in templo parari nuptias inter Lucretiam & Franciscum: si cuipiam de parochia & exploratum esset aliquod impedimentum, denuntiaret omnino. At impedimentum norat, ut dictum est, solus Parochus, verus futurorum conjugum pater.

Quæritur, utrum ille pater simul & Parochus, tacitu suppressoque sacrilegæ propinquitatis impedimento, posset suum filium, suamque filiam jungere matrimonio.

Paulus Comitolus lib. 1. Respons. moral. quæst. 112. asserit, turpissimè lapsos esse Theologus, qui, suppresso nefariæ & sacrilegæ propinquitatis impedimento, tale matrimonium iniri posse censuerunt. Poterat enim, inquit, & debebat Parochus adire Episcopum, & apud eum testari, sibi certum esse impedimentum quod tali obstabat matrimonio, quamvis probare non posset. Episcopus verò ejus testimonium juratum repellere non potuisset. Quia licèt unico testi fides ferè minimè habeatur, nihilominus multa incidunt tempora, cùm ei creditur: præsertim cùm agitur de peccato aut matrimonio illegitimo impediendo, ut cautè Doctores admonent, ut puta Silvester in v. *testis.* quæst. 5. ubi, inquit, testis unus impedit matrimonium contrahendum. Idem sentiunt Angelus, v. *testis.* num. 14. Tabiena eod. tit. quæst. 7. S. Antoninus in 3. p. tit. 9. cap. 11. ante §. 1. Hactenus Comitolus loco cit.

Quæstiuncula V.

Utrum conjuges, qui contracto matrimonio juxta formam ab Concilio Trident. præscriptam, deprehendant, se eo tempore, quo contraxerunt, irretitos fuisse impedimento dirimente, super quod dispensationem obtinuerunt, nihil obstante tali dispensatione, coram Parocho & testibus denuo contrahere teneantur.

Respondeo, hujusmodi impedimentum, quod ab conjugibus inito matrimonio & publicè coram Parocho & duobus testibus celebrato deprehensum est, vel occultum est, vel publicum. Si est occultum, & de ipso concessa sit ab superiore dispensatio, non tenentur conjuges sese denuo sistere coram Parocho & testibus, ut de integro contrahant, neque aliud ex Concilii Tridentini decreto colligi potest: nam in ejusdem decreti proœmio, verba fiunt de matrimoniis clandestinis, quæ semper Ecclesia prohibuit & detestata est, quale non est matrimonium, de quo nunc sermo est: eo quòd semel publicè contractum, sed invalidè propter occultum impedimentum, & eo per legitimam dispensationem sublato, clam celebratum, nusquam clandestinum ab Ecclesia creditum & prohibitum esse legimus. Inde enim oritura pleraque scandala & incommoda ipsa illa prospexit Ecclesia, verita, ne ex præpostero remedio mala priore graviora existerent, ideoque tale matrimonium (cujus impedimentum dirimens occultum erat) veluti validum, utpote publicum, in ipsius foro est habitum, licèt utriusque conjugis consensu denuo præstito ad debitum valorem revocari oportuerit.

Navarrus tom. 4. consil. tit. 1. de sponsal. consil. 35. & aliis in locis ita docet & affirmat, sic postea declarasse Pium Papam V. non dispensando, (ut nonnullis placuit) sed Concilium interpretando, declarasse ad contrahenda matrimonia hujusmodi secundaria, sufficere mutuum utrinsque conjugis in primo contractu allucinati, consensum, licèt nec coram Parocho, nec coram testibus præstaretur. Ita testatur Navarrus consil. 14. lib. 4. ubi & refert, Romæ magnam emersisse controversiam circa matrimonia, utrum scilicet omnia promiscuè coram Parocho & duobus testibus celebrari oporteret, ut observaretur Concilii Tridentini decretum: tamdem post longam discussionem (quia si denuo contrahendum foret coram Parocho & duobus testibus, inde in multis casibus oritura scandala prævidebantur) Pius Papa V. animadvertens, Concilium quod interpretabatur, hujusmodi casum prætermisisse, attendens non tam ad litteram legis, quàm ad mentem legislatoris, declaravit, in eo casu citra Parochi testiumque præsentiam ad legitimum matrimonii (quod cum ea solemnitate invalidè celebratum fuerat) contractum, & valorem sufficere utriusque conjugis liberum mutuumque consensum, qui denuo & ex animo, licèt clanculum, præstaretur: ita ut contrahentes noverint in priore contractu extitisse impedimentum dirimens, quod parti nescienti generatim aperiri, vel (si id citra scandali & jurgiorum causas & occasiones fieri valeat) speciatim declarari potest.



Quæstiuncula VI.

Quid facto sit opus, si publicum sit illud, de quo agimus, impedimentum.

Respondeo, si tale impedimentum sit publicum, id est sufficienter in foro exteriori probari valeat, vel si periculum est, ne detegatur, & probetur in eodem foro, matrimonium coram Parocho & duobus saltem testibus celebrari oportere docent Theologi, qui & addunt, quamvis absit hujuscemodi periculum, nihilominus istud matrimonium de integro coram Parocho & testibus necessariò iterandum esse, si præfatum impedimentum sit plenè probabile.

Hujus rei ratio inde petitur, quòd si matrimonium (cujus impedimentum dirimens in foro externo plenè probari potest) clam seu absente Parocho, & testibus remotis, ratum & validum fieri posset, ex illo ipso matrimonio proculdubio emergerent eadem mala & incommoda, quæ olim ex clandestinis matrimoniis existere consueverant. Cùm enim impedimentum plenè probabile sit illud, quo ab duobus testibus omni exceptione majoribus (seu quibus nihil objici potest) probato, matrimonium propalam & debita solemnitate contractum dirimi potest: sequeretur, virum posse aliam uxorem ducere, cum qua in perpetuo versaretur adulterio, eo nomine quòd Ecclesia impedimento plenè probato, nesciret novo contrahentium consensu revaluisse, seu in debitum valorem remeasse matrimonium illud publicè contractum; quod tamen propter impedimentum, irritum seu nullum extitit, ut observavit Sanchez lib. 2. de ess. matrim. disput. 37. num. 11.

Quæstiuncula VII.

Quomodo sese habere debeat Parochus, si matrimonio jam contracto & consummato, deprehendat conjuges esse implicatos in aliquod impedimentum dirimens.

Respondeo, si publicum sit impedimentum, debere illum hujusmodi conjuges ab invicem separare quoad thorum & domicilium, & ipsis solita familiaritate interdicere, ut omnis scandali ansa seu occasio præcidatur. Si verò impedimentum sit secretum, & alteri dumtaxat conjugi cognitum, illum ad Episcopum recurrere, & ab eo quod remedium huic malo adhiberi oporteat, accipere necesse est; & interim alteri conjugi impedimentum rescienti ab commercio conjugali abstinentiam debet injungere: ita tamen ut ipsius pars conjugalis debiti repulsam suppressâ illius causâ, æquo libentique animo perferat.

Quæstiuncula VIII.

Utrum Parochus, qui in ipso pœnitentiæ tribunali didicit aliquod alicujus matrimonii impedimentum, eâ scientiâ, ad denegandum sacramentum aliquod, v.g. matrimonium, uti possit.

Respondeo, non posse; quia præterquam quòd sigillum confessionis ex naturali jure & divino obligat, S. Thomas & Richardus docuerunt, causam sigilli esse, quòd quæ pœnitens in confessione dicit Sacerdoti, non tantùm illi dicat tamquam secreta humana homini sed tamquam secreta divina peccator Deo committat. Quapropter etsi reperiantur multa bona majora, tamen quia id quod dicitur Deo aut homini tanquam Deo, non potest esse medium humanum ad vitanda mala, aut ad consequenda

bona. Unde sequitur, Sacerdotem nihil omnino posse retegere ex iis, quæ in confessione audit, cùm nulla possit assignari causa, quæ id exigere valeat.

Inde colligimus, Confessarium non posse revelare confessionem generatim, id est non posse dicere aliquem sibi confessum, esse peccata lethalia vel etiam venialia. Multò minùs id poterit speciatim, id est numquam illi licebit nominatim revelare aliquod peculiare peccatum, quod in confessione audierit. Neque id directè poterit, qui eo ipso dicit, ut qui audiunt, illum id ex confessione didicisse intelligant. Neque etiam Confessario licet pœnitentis confessionem revelare indirectè & obliquè, quod multis modis factitari potest: ut si v. g. unus pœnitens conferatur cum altero, & judicio in confessione facto illi anteponatur: vel si dicat Sacerdos se alicujus, quem nominaret, excepisse confessionem, & eidem absolutionem denegasse assereret.

Non potest igitur Confessarius cum pœnitente de ipsius peccatis agere, & si illum ab judice de rebus audiris in confessione interrogari contingat, debet liberè profiteri se nescire, quia id de quo interrogatur, non novit ea ratione, ut illud aperire valeat. Dicam ampliùs: Ecclesia non potest præcipere Confessario ut retegat (ob aliquod bonum, & quidem ingens, ex ea revelatione emersurum) aliquid, quod in confessione dumtaxat audierit. Usque adeo verum est, tam arctum esse confessionis sigillum, ut nulla de causa (qualiscumque momenti esse videatur) resignari & aperiri possit aut debeat.

Quidquod, docent illustres Theologi Confessarium cujuspiam hominis de quo ageretur, & cujus flagitium vel aliquod arcanum audiisset in confessione, & extra confessionem ex trito pervagatoque rumore didicisset, non posse illud revelare, si probabiliter inde futurum sit, ut vel multi vel pauci persuasum habeant, non potuisse eum illud revelare, quin sui pœnitentis confessionem revelaverit. Et id affirmant dicti Theologi, ne sigilli naturali divinoque jure sanciti, atque adeo nullo umquam tempore resignandi, religio violata videatur.

In hoc rerum articulo, id est quando Parochus ex sola confessione novit aliquod impedimentum, non potest hujusmodi scientiâ uti ad actus externos.

Ad hanc doctrinam apposite Jesuitas monuit Claudius Aquaviva eorum Præpositus Generalis, prohibens contrariam doctrinam publicè aut privatim doceri, in hæc verba: Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in confessione nihil penitus audiissent: sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere. Ita scripsit ad suos, præfatus Aquaviva ann. sal. 1590. ut refert Sanchez lib. 3. de conf. clandest. disput. 16. num. 3. ubi & laudat Clementem Papam VIII. qui in motu proprio pro Regularibus anno sal. 1594. die 26. Maii concesso, sic loquitur: Tam Superiores, inquit, pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Hæc Clemens VIII.

❧

Quæstiuncula IX.

Utrum Confessarius, qui novit aliquod impedimentum ex confessione alterutrius contrahentium, eum vel utrumque monere & ab contrahendo deterrere debeat.

Respondeo, Confessarium in confessione teneri alterutrum conjugem sibi sua peccata confitentem admonere de hujusmodi impedimento, & quantum in se fuerit, avocare ab ineundo matrimonio, usquedum per legitimam dispensationem sublatum fuerit tale impedimentum. Debet nimirum repræsentare ardentiùs immanitatem peccati in quod incurreret, si in eo statu matrimonio jungeretur.

Potest igitur & debet Confessarius in proposito casu suum in confessione admonere pœnitentem, non autem extra confessionem, nisi quamdam excogitaverit rationem & modum, quo cum ita admonere possit, ut talis admonitio ab omni revelatæ confessionis periculo & suspicione remotissima certatur & appareat.

Ratio est, quia cùm non liceat aliis revelare cujusquam confessionem, ne vel apud alios pudore suffundatur, vel ipsi aliqua inuratur infamiæ nota; ita nec licet cum ipso pœnitente de ipsius peccatis ex sola confessione cognitis agere: quamvis enim nullam inde subiret infamiam, probabiliter, & ut plurimùm præposterâ importunaque verecundiâ percelleretur.

Quæstiuncula X.

Quomodo se gerere debeat Parochus, qui quidem in ipso matrimonii procinctu, ut ita dicam, excipit alterutrius sponsi confessionem, in qua deprehendit immane peccatum, quod etiam est impedimentum dirimens.

Respondeo, Parochum hoc in casu in id potissimùm incumbere oportere, ut protrahatur matrimonium causæ cujuspiam obtentu, atque ita idoneum temporis spatium obtineat, per quod Episcopum suum consulere, & ab eo quid sit hac in re statuendum agendumque, discere debeat.

Quæstiuncula XI.

Quo pacto sese gerat Parochus, si alter contrahentium suis monitis inter confitendum obsequi renuat, & pervicaciter velit matrimonio jungi in eo peccato, secretoque impedimento, quod ipse ex una dumtaxat confessione cognitum habuit.

Respondeo, Parochum teneri hujusmodi personæ denegare absolutionem, & pro sua virili parte illam ab ineundo matrimonio in tali tamque flagitioso statu deterrere & avocare, & ipsi efficaciùs ostendere, quantum sibi damnum inferat, quantâ injuriâ matrimonii sacramentum afficiat, & quot quantaque flagitia sit perpetratura, si cum viro quem suum non esse verè conjugem & maritum noverit, sui corporis potestatem & copiam fecerit. Hoc dumtaxat præstare potest Parochus, cùm tali personæ matrimonium juxta formam Concilii Tridentini petenti denegare nequeat.

❧

QUÆSTIUNCULA XII.

Quo pacto posset Parochus inducere contrahentes ad contrahendum sine peccato, etiamsi impedimentum dirimens ex una dumtaxat confessione cognitum occurreret.

RESPONDEO, Lodovicum Beia p. 2. Casuum conscient. casu 32. excogitasse viam, secundùm quam posset in eo casu celebrari matrimonium, ad omne peccatum in casu proposito effugiendum, quando & Parochus impedimentum subesse novit in confessione, & ipsi contrahentes sine scandalo ab matrimonio contrahendo desistere nequeunt. Posset enim tunc & consulere teneretur, ut de communi scientia & consensu contraherent, non quidem intentione efficiendi verum matrimonium de præsenti, sed sub conditione (si videlicet Papa dispensaret, animo quidem cohabitandi quoad domum, fratrum adinstar, non verò quoad thorum, donec accederet dispensatio, & iterum contraherent. Hac enim ratione contractus matrimonialis, qui aliàs est illicitus, redderetur licitus, cùm non sit prohibitum contrahere de præsenti sub conditione, (si Papa dispenset) & interim ad evitanda magna scandala habitare in iisdem ædibus, maximè cùm jure ipso præfigatur bimestre spatium, in quo possint ab conjugali commercio abstinere, licèt in eadem habitent domo. Et quamvis videantur per eam cohabitationem exponere se periculo fornicandi toto illo tempore, quo expectabitur dispensatio, excusari tamen possunt propter ingens scandalum, quod ex separata eorum habitatione oriri posset. Adde, quòd cùm ita se gererent, si aliàs essent bene animati, confidere deberent divino in auxilio, quo eos divina misericordia ab omni piaculo vindicaret.

QUÆSTIUNCOLA XIII.

Quomodo se gerere debeat Parochus, cùm matrimonio contrahendo aliquod impedimentum opponitur.

RESPONDEO, Parochum in tali casu non posse ulteriùs procedere, neque in matrimonio, neque in denuntiationibus, si nondum sint factæ; siquidem tota illa res ad Ordinarium est deferenda. Non posse illum procedere in matrimonio, sed obligari ad rem Ordinario deferendam, constat ex cap. fin. *de clandestin. desponsat.* Rationem affert cap. 1. *de consanguinitate.* in quo impedimentorum cognitionem ad Episcopum pertinere asseritur.

Quòd autem ipse Parochus vel in ipsis denuntiationibus ulteriùs progredi nequeat, opposito quopiam impedimento, constat ex constitutionibus Mediolan. cap. 10. ubi sic intelligendum esse Concilii Tridentini decretum ostenditur.

Non potest etiam Parochus jungere eos, quibus opponitur impedimentum, & ab ipsis pernegatur; sicut nec eos, qui priùs coram ipso confessi sunt impedimentum, & postea negarunt; sicut nec eos, quibus objicitur infractio fidei, quam inter ipsa sponsalia sunt polliciti; sicut nec eos, quibus publicè coram Parocho oppositum est impedimentum. Hujusmodi, inquam, (sicut & proximè enumeratos) non potest Parochus matrimonio copulare, quamvis illos dispensationem obtinuisse pro foro interno resciat. Nam hoc in casu, sicut & in cæteris quos recensuimus, juxta juris constitutiones recurrendum est ad Ordinarium, cujus est omnes difficultates circa matrimonium emergere solitas disceptare & terminare.



QUÆSTIUNCOLA XIV.

Quid statuendum de testibus, quorum præsentiam moralem Concilii Tridentini decretum ad matrimonii valorem exigit.

RESPONDEO 1°. hujusmodi testium præsentiam moralem humanamque ita requiri ad matrimonii valorem, ut si in ejus celebratione desiderata fuerit, nullum sit matrimonium. Ita censuit congregatio Concilii 1°. Junii anno sal. 1594. matrimonium contractum non adhibito Parocho & testibus, esse nullum: sicut & declaravit, sponsalia per verba de futuro post contractum per copulam subsecutam non transire in matrimonium.

2°. Non requiritur, ut hujusmodi testes sint omni exceptione majores. Neque enim Concilium Tridentinum in sess. 24. cap. 1. de reformat. id expressit aut exegit, tametsi eorumdem testium ter aut quater loco proximè citato meminerit. Nam passim docent Theologi sufficere quoscumque, qui possint intelligere, & reipsa intelligant, quid agatur & proferatur ab contrahentibus, sive sint viri, sive mulieres, sive parentes, sive fratres, cognati utriusque sexûs, boni & mali, infames, hæretici, excommunicati; & id ex ipsius conjugii prærogativa, quia scilicet matrimonium est res favorabilis, ut constat ex cap. *videtur.* tit. *qui matrimonium accusare possunt.*

Quamvis igitur ad matrimonii decorum pertineat præsentia testium omni exceptione majorum, non tamen id ad matrimonii valorem est necessarium. Cùm enim Parochus etiam malus & excommunicatus, modò per judicialem sententiam de suo beneficio non sit dejectus, sufficiat ad valorem matrimonii coram ipso celebrati: quidni etiam quilibet testes ad ejusdem matrimonii valorem sufficiant, si modò per præsentiam humanam & moralem simul, non autem successivè cum Parocho ejusdem matrimonii celebrationi intersint? Non enim videmus cur major in testibus dignitas quàm in Parocho requiratur.

Unde in Rituali Romano jussu Pauli Papæ V. edito, jubetur Parochus habere librum, in quem referantur omnia matrimonia, vel ab ipso Parocho, vel ab alio Sacerdote de ejus licentia celebrata: ita ut inibi fiat mentio testium, qui ipsis interfuerunt; & ita si oriatur dubium de aliquorum matrimonio, ad ejus probationem sufficiat subscriptio Parochi & testium simpliciter & absolutè loquendo, tametsi de eorum probitate, fidelitate & idoneitate sileatur.

QUÆSTIUNCULA XV.

Quænam sint præcipua reformationis circa matrimonium capita in decreto Tridentino suprà citato comprehensa.

RESPONDEO, nos ea enumerasse superiùs, ubi diximus, sacram Synodum anathemate percellere eos, qui dicerent, matrimonia clandestina vel invitis parentibus, antequam haberetur ipsa Synodus, contracta, esse nulla & irrita. Præterea præcipit ipsa illa Synodus inhærendo vestigiis Lateranensis Concilii sub Innocentio Papa III. celebrati, ut in posterum celebrationi matrimonii inter Missarum solemnia tribus continuis diebus festivis denuntiationes ab proprio contrahentium Parocho præmittantur.

Præterea matrimonia absente Parocho, vel absque humana moralique duorum aut trium testium præsentiâ contracta, irrita & nulla esse decernit. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore

testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote tali contractui interfuerint, & eos, qui aliter quàm præsente Parocho, & duobus vel tribus testibus, contrahere attentaverint, graviter Ordinarii arbitrio puniri præcipit.

Hæc sunt præcipua dictæ reformationis capita, de quibus hactenus egimus. Cætera capita, v. g. ne conjuges cohabitent in eadem domo ante benedictionem Sacerdotis: ne ullus Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere audeat; quòd si fecerit ipso jure suspensus tamdiu maneat, quamdiu ab Ordinario Parochi, cujus erat interesse matrimonio, absolvatur.

Cætera ejusdem reformationis capita legere est sess. 24. ejusd. Concilii cap. 1. de reformat. matrimonii. De his satis. Supersunt nobis duo impedimenta dirimentia, impotentia scilicet, & raptus, de quibus hîc agere necesse est. Sit itaque

Quæstio LXXXIII.

Quomodo definiatur & dividatur impotentia, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, & quando matrimonium dirimat.

Quæstiuncula I.

Quomodo definiatur impotentia, de qua nunc agendum est.

Respondeo, rectè definiri inhabilitatem ad habendam carnalem copulam, seu ad consummandum matrimonium, cujus consummatione vir & mulier fiunt una caro. Hæc inhabilitas pertinet, vel ad virum qui non potest infundere semen in vas naturale mulieris; vel ad mulierem, quæ infusum à viro semen excipere non potest.

Quæstiuncula II.

Quomodo dividatur.

Respondeo, dividi 1°. in eam quæ oritur ex causa naturali intrinseca, quæ vulgò frigiditas appellatur, & frequentiùs virum ad carnalem copulam ineptum efficit, tametsi etiam ex nimio calore proficisci valeat; & in muliere hæc impotentia existit in vasis muliebris arctitudine: vel ex causa accidentali, extrinseca, ut puta ex maleficio. Est igitur duplex impotentia, una scilicet ex causa naturali intrinseca, alia verò ex causa extrinseca & accidentali oriri solita.

2°. Hæc eadem impotentia dividitur in eam quæ matrimonium antecedit, & in eam quæ subsequitur; & utraque respicit matrimonium vel ratum non consummatum, vel consummatum.

3°. Dividitur impotentia, de qua quæstio est, in perpetuam & temporariam. Impotentia perpetua est inhabilitas habendæ copulæ carnalis, quæ nunquam potest tolli absque vitæ periculo, vel peccato, vel periculo. Impotentia temporaria est inhabilitas habendæ copulæ carnalis, quæ successu temporis tolli potest, scilicet ætatis provectu, vel arte humana, vel ordinariis Ecclesiæ remediis.

4°. Subdividitur eadem impotentia in absolutam & respectivam. Absoluta est inhabilitas habendæ copulæ carnalis cum quaque diversi sexus persona. Respectiva verò est inhabilitas habendæ copulæ carnalis cum certa tantùm persona.

Ita dividitur impotentia, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur. Quod spectat ad extrinsecam impotentiæ causam, nulla assignatur quàm maleficium, cujus occasione esto

Quæstiuncula III.

Quomodo fiat maleficium.

Respondeo, ab Dæmone factitari, vel horrorem alteri conjugi suæ compartis incutiendo, vel corpus aliquod medium interponendo, vel membra subitò immutando, & ad actum conjugalem inhabilia reddendo.

Hisce divisionibus explanatis, jam aperiendum est, quænam impotentia, & quando matrimonium dirimat. Sit itaque

Quæstiuncula IV.

Utrum præfata impotentia matrimonium impediat contrahendum, & dirimat contractum.

Respondeo cum S. Thoma, quòd in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum. Unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia coëundi nomine generali: quæ quidem potest esse vel ex causa intrinseca & naturali, vel ex causa extrinseca & accidentali, sicut per maleficium, de quo postea dicetur.

Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter; quia vel est temporalis, cui potest subveniri beneficio medicinæ, vel processu ætatis; & tunc non solvitur matrimonium: vel est perpetua; & tunc solvit matrimonium, ita quòd ille, ex cujus parte allegatur impedimentum, perpetuò maneat absque spe conjugii, alius nubat cui vult in Domino. Hactenus S. Thomas in 4. Sentent. dist. 34. q. 1. a. 2. in c.

Quæstiuncula V.

Quomodo cognosci valeat impedimentum perpetuum, vel non perpetuum.

Respondeo cum eodem S. Thoma loco citato, Ecclesiam tempus determinatum adhibuisse, in quo hujus rei posset esse experimentum, scilicet triennium: ita quòd si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum, Ecclesiæ judicio dissolvitur. Et tamen in hoc Ecclesia quandoque errat; quia per triennium quandoque non sufficienter potest experiri & probari perpetuitas impotentiæ. Unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia sit factum. Hactenus S. Thomas loco suprà citato.

Quæstiuncula VI.

Quænam regulæ sint ab jure canonico præscripta ad cognoscendam impotentiam, propter quam matrimonium dirimi debeat.

Respondeo, regulas generales ad dignoscendum, quando impotentia sit perpetua, necne, ab

Innocentio Papa III. *de frigidis & maleficiat.* cap. *fraternitatis*, assignari. Nam ibi dicitur impedimentum illud non esse perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potest removeri, & cùm pater ex pòst facto, potuisse mulierem ab primo viro, à quo est separata, cognosci.

Ad majorem hujus rei intelligentiam juvat hîc exscribere ipsissima Innocentii Papæ III. verba loco citato relata. Nos perspicaciter attendentes, inquit, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri: sententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus esse prolatam; cùm patet ex pòst facto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, (primo marito) cujus simili commisceretur: & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium extitisse: quare inter eam & præfatum G. posteriorem maritum matrimonium non esse censemus, ipsque præcipimus ab invicem separari. Hactenus Innocentii III. verba.

Ex quibus duas regulas colligimus, per quas dignoscere possumus, quandonam impotentia sit temporaria dumtaxat, non autem perpetua.

Prima est: hæc impotentia, de qua sermo est: est temporaria, non autem perpetua, si citra miraculum & absque corporali periculo potest removeri per opus humanum licitum. Dixi licitum: nam si non possit dicta impotentia removeri, nisi per opus humanum cum peccato conjunctum, hujusmodi impotentia dicitur & habetur pro perpetua. Cùm enim id solùm dicamur posse, quod licitè possumus præstare, rectè sequitur, impedimentum, quod sine peccato propulsari non potest, non posse auferri, & ideo esse perpetuum, propter quod matrimonium dirimi oporteat.

Secunda regula talis est: censetur impotentia temporaria, cùm ex pòst facto deprehenditur, mulierem cognosci potuisse ab primo marito, cùm ab altero, cum quo postea contraxit, cognosci potuerit.

His duabus regulis Innocentius Papa III. declaravit, mulierem, in qua cernebantur præfata signa impotentiæ temporariæ, non autem perpetuæ, ab posteriore marito separari oportere, eo nomine quòd inter ipsam & primum ejus virum verum matrimonium extiterit, atque adeò divortii sententiam per errorem fuisse prolatam.

Hæc est ipsissima S. Thomæ doctrina, quæ quidem supponit, in hujuscemodi rebus ad matrimonium spectantibus Ecclesiam posse decipi, sed ita ut sese decepta inveniat per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegret præcedens matrimonium, & dimittat secundum, quamvis de ejus licentia sit factum. Ita S. Thomas loco qu. v. citato.

Quæstiuncula VII.

Quid sentiendum de impotentia tam antecedente, quàm subsequente matrimonium: & quid dicendum de impotentia absoluta & respectiva, cùm de dirimendo matrimonio agitur.

Respondeo, impotentiam vel antecedentem matrimonium, vel subsequentem, esse perpetuam, vel dumtaxat temporariam. Si sit perpetua, & talis elapso trienno ad explorandam impotentiæ perpetuitatem ab Ecclesia constituto, prudentium & peritorum judicio apparuerit, matrimonium dirimi oportere: quod fieri non debet, si sit dumtaxat temporaria.

Quod spectat ad impotentiam absolutam & respectivam, certum est, propter absolutam impotentiam matrimonium esse dirimendum.

Quod spectat ad impotentiam respectivam, Authores bene multi illam equidem admittunt, asserentes virum posse esse impotentem respectu unius virginis, v. g. & potentem respectu alterius. Sed negant, talem impotentiam (si sit naturalis) esse perpetuam, contenduntque arte humana posse tolli, & ideo propter eam matrimonium non posse dirimi. Quod probant ex cap. *laudabilem* & ex cap. *fraternitatis*. ubi decretum est, ut qui post separationem matrimonii reperiatur habilis ad carnalem copulam cum alia uxore factitandam, ad priorem conjugem redeat, eo quòd ex eventu cognitum fuerit, impedimentum (quod priùs extitisse creditum est) non fuisse perpetuum.

Quæstiuncula VIII.

Utrum valida sint matrimonia senum, sterilium feminarum & eunuchorum.

Respondeo 1°. validum esse matrimonium quod contrahitur ab vetulis hominibus; nec propterea concludendum est, frigiditatem non impedire matrimonium: quia quamvis vetuli quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam, & ideo conceditur eis matrimonium, secundùm quòd est in remedium, (concupiscentiæ) quamvis non competat eis, secundùm quòd est in officium naturæ, ut docet S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. ad 3.

Quod ut clariùs appareat, observandum est, frigiditatem, quæ est in homine vetulo, si inducat impotentiam talem, ut homo non possit de facto reddere debitum, irritum efficere matrimonium, si alter conjugum ignorat hoc, quòd alius non potest reddere debitum: si autem sciat mulier, cum qua contrahit vir, hanc ejus impotentiam, & nihilominus contrahit, ostenditur, quòd ea contractu alium finem quærit, & ideo contractus stat: si autem nescit, nunc contractus nullus est, ut docet S. Thomas loco & art. cit. ad 4.

Quæstiuncula IX.

Quid sentiendum de matrimonio impotentium, & an sit validum, necne.

Respondeo, videri posse validum, si utraque pars consenserit, & impotentiam rescierit, quia ad essentiam contractus matrimonialis requiritur tantùm, ut sit conjunctio animorum in naturalem vitæ societatem cum diversitate sexus: quæ quidem conjunctio, cùm in impotentium matrimonio ad castè vivendum celebrato reperiatur, haud dubiè tale matrimonium verum est & legitimum.

Unde si vir quispiam ab uxore ob frigiditatem fuerit separatus, & reipsa sit frigidus, non potest tutâ conscientiâ aliud inire matrimonium ad maritales actus exercendos, sed tantùm ad castè vivendum: quod si transierit ad secundas nuptias in ordine ad copulam, secundum istum matrimonium est nullum, & sine alia probatione dirimendum. Nam si reverâ est frigidus, non potest constare secundum matrimonium; si autem finxit se frigidum, non est dissolutum primum matrimonium, quo stante & valente, secundum est nullum; imò & quamvis prima uxor obiisset, vel ad aliquam religionem approbatam transiisset.

VVV

Quæstiuncula X.

Utrum hujusmodi matrimonia sint jure ecclesiastico valida.

Respondeo, hujosmodi matrimonia ab impotentibus, & ad castè vivendum inita, semper ab Ecclesia rata & firma esse judicata, ut patet ex cap. *consultationi tuæ.* ubi Lucius Papa III. sic loquitur: Consultationi tuæ, inquit, quâ nos consuluisti, utrum fœminæ clausæ, impotentes commisceri maribus, matrimonium possint contrahere, & si non contraxerint, an debeat rescindi:

Taliter respondemus, quòd licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium: Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores. Hactenus Lucius loco cit.

Ex quo loco duo colliguntur, quorum

Primum, tale matrimonium ab Ecclesia Romana ut validum judicari solitum esse.

Secundum est, hujusmodi homines oportere ut sorores habere eas mulieres, quibuscum actus maritales exercere nequeant. Nam quòd matrimonia inter tales personas inita rescindi debeant, & inter contrahentes conjunctio aliqua, & civilis dumtaxat societas intercedat; hoc falsum est, & decretis verbisque Pontificum omni ex parte contrarium. Nam istâ loquendi formulâ declaratur, istos conjuges non posse dare operam iis actibus, quos licitos efficit maritale consortium inter eos, qui isti obeundo muneri pares sunt & potentes; sed eos vivere oportere, ac si frater cum sorore versatetur, ita tamen ut indissolubile matrimonii vinculum perseveret. Quæ doctrina confirmari potest can. 12. Concilii Arvernensis sub Vigilio Papa ann. sal. 570. celebrati can. 13. & ex Concilii Matisconens. I. sub Pelagio Papa II. ann. sal. 580. celebrati canone 11.

Quod spectat ad sterilium fœminarum matrimonium, certum est illud esse validum: quia tamen est aliqua difficultas, esto

Quæstiuncula XI.

Cur sterilitas quæ est generandi impotentia, non recensetur inter impedimenta matrimonium dirimentia.

Respondeo cum Estio in 4. dist. 34. §. 2. sterilitatem differre ab impotentia, quæ ex causa naturali provenit, quam canones frigiditatem nominant. Siquidem ipsa illa sterilitas non coëundi, sed generandi impotentia est: quam inter impedimenta matrimonii non recenseri probant matrimonia Saræ, Rebeccæ, Annæ, Elizabeth, quas etsi steriles essent, fuisse tamen legitimo matrimonio conjunctas, Scriptura commemorat.

Hujus rei ratio petenda est ex eo, quòd consummatio matrimonii consistat in sexuum commixtione, ad quod opus, etiam steriles mutuam corporum potestatem tradere possunt. Ubi etsi locum habere non possit primarius & proprius matrimonii finis, qui est procreatio liberorum, habet tamen locum finis secundarius, nempe remedium incontinentiæ. Et idem judicium de iis, qui seu viri, seu mulieres, præ senio fœcundi esse desierint, dum tamen ad opus conjugale non sint inepti, id est mutuò corporum potestatem ad actum conjugalem tradere & accipere valeant: hoc enim maximè pertinet ad substantiam matrimonii, quod per mutuam illam corporum potestatem traditam & acceptam validum efficitur, licèt aliunde contrahentes liberos procreare nequeant. Hactenus cit. Estius.

Quæstiuncula XII.

Quid sentiendum de eunuchorum matrimoniis.

Respondeo, ejusmodi conjugia eunuchorum, qui sunt perfectè eunuchi, (seu iis destituti organis, quibus actus conjugalis exerceri solet) esse prorsus jure naturæ invalida, nisi contraxerint, ut castè viverent, seu ut pro sororibus haberent fœminas, quas ut uxores habere non poterant.

Quid de hujusmodi matrimoniis protulerit Sixtus Papa V. hîc exscribere operæpretium est. Cùm enim illi ab Hispaniarum nuntio propositum esset dubium de istis eunuchorum conjugiis & litibus, quæ ea de re quotidie suboriebantur, respondit in hæc verba: Nos igitur attendentes, quòd secundùm canonicas sanctiones & naturæ rationem, qui frigidi sunt, impotentes iidem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur: quódque prædicti eunuchi, aut spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem ut sorores habere nolunt: quia experientia docet, tam ipsos, dum se potentes ad coëundum jactitant, quàm mulieres, quæ eis nubunt, non ut castè vivant, sed ut carnaliter invicem conjungantur, prava & libidinosa intentione sub prætextu matrimonii turpes hujusmodi conjunctiones affectare: quæ cùm publici scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei penitus exterminandæ. Et insuper considerantes, quòd ex spadonum conjugiis nulla utilitas provenit, sed potiùs tentationum illecebræ & incentiva libidinis oriuntur, committimus fraternitati tuæ, & mandamus, ut conjugia per dictos, aut alios quoscumque eunuchos & spadones utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus prædictum defectum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles authoritate nostra declares.

Nota, authoritate pontificia dici redditos inhabiles ad quomodocumque contrahendum, non naturæ jure, & tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quàm eos etiam qui sic de facto contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita & invalida esse decernas. Eos etiam qui sic jam de facto contraxerunt, si apparet, eos non ut castè simul vivant, contraxisse, sed actibus carnalibus operam dare, simul ut in uno & eodem lecto dormire conviocantur, similiter separari cures.

Ex allatis hactenus Sixti Papæ V. verbis tria colliguntur.

Primum, impotentium, & præsertim eunuchorum matrimonia ab ipsis non ad castè vivendum, sed ad carnales commixtiones sub prætextu conjugii turpiter & cum fidelium scandalo exercendas inita, esse penitus exterminanda ex Ecclesia Dei. Hujus decreti rationem reddit S. Basilius in libro de vera virginit. quia scilicet tales homines ardentiùs inflammantur libidine, & impatientissimè ad concubitum prosiliunt.

Secundum quod inde colligitur, hujosmodi est, ut matrimonia ab eunuchis & spadonibus utroque teste carentibus, ab quibuscumque mulieribus, sive hunc defectum ignorantibus, sive scientibus, contracta, pro nullis & irritis habeantur. Nam sunt incentiva libidinum, mulieres quippe & diutiùs & libertius suis, matrimonii obtentu, libidinibus indulgent: quippe quæ ex tali concubitu nullam

prolem nascituram esse rescíant.

Tertium, esse prohibenda ejusmodi matrimonia, & si quæ contracta fuerint, esse separandos eos, qui ea contrahere ausi fuerint. Siquidem talia matrimonia nulla, irrita, & invalida, authoritate pontificia decernuntur. Idem judicium esto de iis, qui talia iniere conjugia, non ut castè viverent, sed ut actibus carnalibus operam darent, si in uno eodemque lecto dormire convincantur.

Quæstiuncula XIII.

Cur Scriptura memoret quosdam eunuchos uxores habuisse, ut patet ex cap. 37. Gen. v. 39. & cap 40. ejusd. libri v. 1. siquidem hujusmodi hominum conjugia jure naturali nulla sunt & irrita, si copulæ conjugalis ratio habeatur.

Respondeo, in istis Scripturæ locis nullam esse mentionem eunuchorum, de quibus hîc quæstio est. Nam Putiphar non erat eunuchus, habebat enim uxorem, ut patet ex Scriptura: sed dicebatur eunuchus, id est regii cubiculi custos, quia eunuchis, utpote ad actum venereum impotentibus, olim Reginæ ejusque puellarum, cubilisque regii custodia committebatur. Hinc eunuchi erant intimi & proximi Regi & Reginæ. Hac de causa eunochi vocati sunt principes aulæ, tametsi non essent eunuchi, id est exsecti. Unde Chaldæus pro eunucho hîc vertit Rabba, id est Princeps, Satrapa: pincerna & pistor Pharaonis vocantur eunuchi, id est Regis ministri. Nam olim aulæ Regum erant eunuchis refertæ, ita ut ipsis Reges ad omne ministerium uterentur.

Quæstiuncula XIV.

Quid sentiendum de inspectionis remedio, quo potentia vel impotentia ad consummandum, vel non consummandum matrimonium imploratur.

Respondeo, hujusmodi remedium inspectionis non posse habere locum in viduis & corruptis: quod tamen usurpatum est respectu virginum S. Cypriani temporibus, ut constat ex ejusd. Cypriani Epist. 62. Quod & sequentibus sæculis fuisse factitatum probat cap. *proposuisti. de probationibus.* & cap. *litteras.* & cap. *fraternitatis. de frigidis & maleficiat.*

Nemini latet, id remedium ab judicibus ecclesiasticis etiamnum adhiberi, ad dijudicandum ex inspectione partium naturalium, utrum matrimonium, cujus validitas in controversiam est evocata, consummatum fuerit, necne.

Sed optandum esset, ut talis remedii usus penitus abolesceret: quippe qui mulierum honestati pudorique mirabilem in modum adversatur. Unde Clemens Alexandrin. lib. 3. Pæ lag. cap. 5. acerbiùs invehitur in fœminas, quæ in balneis simul cum tunica pudorem exuebant.

Quod & fit in præfata inspectione, ut testatur S. Cyprianus in libro de habitu virgin. *Simul*, inquit, *cum amictu vestis honor corporis & pudor ponitur, denotanda, ac contrectanda virginitas revelatur.* Hæc ille. Eam ob rem S. Basilius in libro de virginitate declarat, virgines singulas corporis partes propter Angelos, qui ubique præsentes sunt, & omnia quæ geruntur, inspiciunt, studiosissimè tegere oportere. Eâdem curâ S. Ambrosius lib. de virginib. *An quicquam est tam pronum ad libidines*, inquit, *quàm inconditis moribus, quæ vel natura abscondit, vel disciplina velavit, membrorum operta nudare?* Quam meritò igitur Apostolus 1. Cor. cap. 11. v. 15. ita loquitur! *Mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Si ita modestas mulieres esse præcipiat Apostolus, ut velit eas uti capillis pro velamine ipsis concessis, ut earum pudori consuleretur; quid sentiret, quid prædicaret, si in illis ecclesiastici fori inspectionibus animadverteret eas corporis partes, quas illæsa honestate retegere licet, opertas remanere, revelans iis, quas natura velut obscænas celari & abscondi voluit? Hujusmodi visitationes quilibet apostolico zelo & ardore, dubio procul improbaret: quippe qui dixerit: *Nos quo putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem.* 1. Cor. cap. 12. v. 23.

Quæstiuncula XV.

Utrum sancti Patres hujusmodi inspectiones, & quibus de causis improbaverint.

Respondeo, revera sanctos Patres hujusmodi visitationes improbavisse, non solùm, quòd ab innata fœminarum verecundia & pudore penitus abhorrerent; verùm etiam quòd admodum incertæ forent. Et hoc luculenter astruit S. Cyprianus cit. Epist. 62. in qua licèt eas approbare videatur, eas tamen sæpenumero fallaces esse commemorat.

Defendi, inquit, *quòd inspici & probari possit, an virgo sit, cùm & manus obstetricum & oculus sæpe fallatur. Et si incorrupta inventa fuerit virgo ea parte sui, qua mulier potest esse, potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse, quæ violari potest, & tamen inspici non potest.* Hæc ibi S. Cyprianus.

Quidquod, S. Ambrosius omnium Patrum ferè gravissimus, Syagrium Veronensem Episcopum, quia Indicam puellam Deo consecratam non per judicii formam, sed per mulierum inspectionem iniquè damnaverat, graviter redarguit & increpat, pudorisque virginalis & indicium & judicium inspectricum adminiculo prolatum, sic tamquam fallax & multis erroribus obnoxium vituperat.

Quid igitur sibi velit, inquit, *& quò spectet, quòd obstetricem adhibendam credideris, non possum advertere. Itane ergo liberum erit accusare omnibus, & cùm probatione destiterint, patebit ut genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur semper sacræ virgines ad hujusmodi ludibria, quæ & visu & auditu horrori & pudori sunt?* Et paulò pòst declarat, quàm fallaces & incertæ sint hujusmodi inspectiones. *Non probatur*, inquit, *Domino, quæ unius obstetricis testimonio, quod plerumque quæritur pretio. Ea ergo tibi locuples videtur ad finem, quæ & redimi & falli potest, ut excuset ream, & crimen tegat aut rescïat, & non possit flagitium deprehendere?* Et infrà.

Quidquod, etiam ipsi Archiatri dicunt, non satis liquidò comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicinæ vetustis doctoribus id sententiæ fuisse? Nos quoque hoc casu cognovimus sæpe inter obstetrices obortam varietatem, & quæstionem excitatam: ut plus dubitatum sit de ea quæ inspiciendam se præbuerit, quàm de ea quæ non fuerit inspecta. Siquidem & proximo id comperimus exemplo. Nam quædam conditionis servilis Altini inspecta & refutata, postea Mediolani, non meo quidem jussu, sed Nicani Extribuni & Notarii, domini vel patroni sui, voluntate visitata est à peritissima & locupletissima fœmina hujus artis. Et cùm simul ista suppeterent, ut neque paupertas obstetricis suspectam faceret fidem, neque indocilitas imperitiam, tamen adhuc manet quæstio. Quid profuit igitur eam inspici, cùm damnatio maneat? Nam ut quisque voluerit, aut imperitam medicam, aut redemptam afferet: ita fine effectu ullo injuria inspectionis est. Et paulò pòst: *Variabuntur igitur obstetrices, ne suspecta aliqua reperiatur gratia.*

gratia. Erit itaque inter plures (quamquam paucorum etiam in magnis urbibus hic usus medendi sit) erit, inquam, vel malevola, vel imperita, quam pudoris claustra prætereant, & per imperitiam integro notam affigat pudori.

Et in ead. Epist. ostendit, esse alia examinandæ veritatis testimonia, si de cujuspiam puellæ integritate dubitatio vel controversia oriatur. *Quid igitur suspecta & dubia captamus, cùm majora sint alia examinandæ veritatis documenta & testimonia, in quibus expressiora insignia vel temerati pudoris sint. Quid enim est quod magis publicum sit, quàm offensa pudoris & defloratio virginitatis? Nihil profectò quod magis se probet, quàm castitatis dispendium. Tumescit alvus, & incedentem fœtus sui onera gravant: ut prætermittamus alia quibus se vel tacita prodit conscientia. At forte sterilitatis obtentu abscondi in aliquibus possit flagitium. Hic verò cùm editus partus & expositus vel necatus (dum invidia magis quàm probationi consulitur) dissipatus sit per aures universorum, strangulata est libertas calumniarum, si peperit. Nempe Veronæ fuit: visebatur frequenter à virginibus & mulieribus, in honore enim semper erat. Visebatur & à Sacerdotibus propter pudicitiæ reverentiam, & gravitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimen, quod se vel sui specie proderet? quomodo texit uterum? quomodo non refugit aspectum mulierum? oculos salutantium? quomodo parturiens vocem repressit? Sed hoc non patitur dolor? Denique Scriptura hos maximos dicit dolores, qui sunt parturientis. Sic enim, inquit, dies Domini subitò venit, ac improvisus adest ut dolor partûs, qui intercludit omnia effugia delitescendi. Hæc est verior documentorum fides, quam erubescunt & mulieres.* Hactenus S. Ambrosius in Epist. ad Syagrium Veronens. Episcop. inscriptâ, quæ primum obtinet locum inter Epistolas libri sexti Epist. ejusdem Ambrosii, in qua videri potest, quid tantus vir de præfata virginum inspectione senserit, eam nempe esse fallacem & incertam, & relinquendam puellis, quas non verecundia revocat à lapsu, sed solus injuriæ deterret metus, apud quas nulla cura pudoris & castitatis gratia, sed pœnæ timor est: quam illis etiam relinquendam asserit, si quæ gravibus appetitæ calumniis, oppressæ testimoniis, strangulatæ argumentis, ad id confugiant, ut se offerant inspectioni, quò vel corporis probent custodia, si tamen deprehendi potest, in quibus nutat pudoris gratia & disciplina integritatis.

Hæc omnino ex citat. S. Ambrosio excerpere placuit, ut dictæ inspectionis fœditas & injuria & inutilitas clariùs elucesceret.

Ac reipsa quidem nihil est hujusmodi inspectionibus seu visitationibus fallacius. Nam Panormitanus & alii in cap. *fraternitatis.* & cap. fin. *de frigidis.* commemorant, extitisse quasdam mulieres, quæ secretiores partes suas adhibitis medicamentis tam arctas reddiderant, ut omnem omnino coïtum sic tanquam impotentes respuerent.

Aliæ sunt repertæ mulieres, quæ cùm haberent filias impudicas, & jam ante matrimonium corruptas, consueverant per astringentia medicamenta in secretiores earum partes inserere quamdam piscis vesicam, ita ut cùm tenuis esset & sanguine respersa, ex eadem ipsa primo coïtionis ardore perfracta erumperet sanguis, qui falsâ fallacique virginitatis notâ macularet indusium nuptæ, atque ita propudiosa conjux, imò nefaria meretrix insonti marito, & nihil tale cogitanti palpum obtruderet.

Quidquod per hujusmodi inspectiones ab iisdem obstetricibus, à quibus exploratur virginitas, dum exploratur, nonnunquam labefactatur. Nam, ut commemorat S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 18. *obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentiâ, sive inscitiâ, sive casu, dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tam stultè sapere, ut huic perisse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita.*

Ex allatis S. Augustini verbis colligi potest, præfatam obstetricum inspectionem non solùm esse incertam & ancipitem, (ut ex S. Ambrosio paulò antè probavimus) sed etiam periculosam, ita ut puella quæ antequam inspiceretur, virgo fuit, factâ inspectione deflorata censeatur. Quid si enim obstetrix aliqua reperiatur, quæ sive malevolentiâ, sive inscitiâ, sive casu virginis cujuspiam integritatem explorans manu, virginea perrumpat claustra, atque ita decutiat eumdem ipsum integritatis florem, ad cujus notitiam & assertionem assumpta fuerat? Revera idipsum quod S. Augustini temporibus accidit, nobis etiam utpote corruptioribus accidere potest. Unde nulla hujusmodi inspectionibus fides est adhibenda.

Quæstiuncula XVI.

Utrum in dubio congressus coram matronis, medicis aut chirurgis factitandus possit imperari.

Respondeo, id factitari in tribunalibus ecclesiasticis; sed idipsum à nullo canone est indictum & approbatum: quia cum ingenti turpitudine est conjunctum, & apprimè periculosum matronis & viris astantibus, ipsis partibus inhonestum, & ad explorandam impotentiam inane & inverecundum. Quis enim eò obscœnitatis & inverecundiæ progredi, & cum actum (ad quem nemo nisi perditus & profligatus coram testibus prosilire ausit) exercere vellet?

Quæstiuncula XVII.

Quomodo se gerere debeat judex ecclesiasticus, si neque per inspectionem, neque per congressum coram testibus exhibendum, latentem sibi veritatem explorare possit, nec debeat.

Respondeo, jus canonicum hac de re ita statuere de frigidis & maleficiatis, cap. *laudabilem.* & *requisisti.* Si autem quòd nunquam se invicem cognoverint, ambo fateantur cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quòd numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent: & tunc videtur, quòd mulier valeat ad secundas nuptias convolare. Verùm si ille aliam duxerit, tunc hi qui juraverant, rei perjurii teneantur, & peractâ pœnitentiâ cogantur ad priora connubia redire. Hactenus Cælestinus Papa III. loco citato.

Id ergo in jure constitutum est, ut si vir & mulier, interposita jurisjurandi religione, simul cum septima propinquorum manu affirmaverint, se per triennium (per quod insimul habitarunt) se commisceri carnaliter nequiisse, inter eos divortii sententia proferatur. Qua de re sic Glossa in cap. *Litteræ.* Nota, inquit, quòd qui separantur propter frigiditatem, sive propter maleficium, simul debent commorari per triennium continuum, secuto postea juramento tam principalium personarum, quàm septima manu propinquorum. Hactenus Glossa congruenter juri canonico est elocuta. Sic enim decernit Honorius Papa III. in cit. cap. *Litteræ.* Mandamus, inquit, quatenus, si ita est, & constiterit verbis, præfatum virum & mulierem intra prædictos octo annos per continuum triennium insimul habitasse: ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commisceri carnaliter

in nequivisse, prolatis divortii sententiam inter eos. Hactenus Honorius Pontifex.

Quæstiuncula XVIII.

Cur requirantur juramenta propinquorum, cùm sufficere debeat juramentum viri & mulieris, cum juramento illarum quæ illam virginem asseverant, ut suprà de probation. *cap.* proposuisti. *& cap.* causam matrimonii. *vel etiam juramenta propinquorum sufficiunt, cùm uterque id confitetur, 33. q. 1.* requisivisti.

Respondeo cum Glossa in dictum cap. *Litteræ.* Ideo quia sæpe fallitur & manus & oculus obstetricum, 27. quæst. 1. aliqua ideo juramenta propinquorum requiruntur: omnis enim cautela quæ adhiberi potest in talibus, adhibenda est propter periculum animæ, & ideo circa majora cautiùs est agendum, argum. 7. q. 1. cap. ult. & 42. dist. *miramur.* tamen si alterum omitteretur, nihilominus valeret sententia, ut patet ex cap. *requisisti.* & ex cap. *proposuisti.* & ex cap. *causam matrimonii.*

Quæstiuncula XIX.

Quid esset agendum judici, si vir à se cognitam esse uxorem suam contenderet, & mulier negaret.

Respondeo, tunc adhibendam esse fidem viro affirmanti, se suam conjugem cognovisse. Ita enim in re simili decernitur in cap. *continebat. de desponsat. impuber.* & in eadem materia, in cap. *accepisti. de frigid. & malefic.* & ideo homini crederetur, quia est caput mulieris: vice versa si fœmina sese ab viro cognitam affirmaret, & ipse vir id negaret, haberetur fides asserenti fœminæ, utpote quæ non posset præsumi cum viro impotente habitare voluisse.

Et id certum est & indubitatum; tametsi caput *proposuisti.* asserat, nullam fidem adhiberi marito affirmanti cum juramento, se uxorem cognovisse, si uxor ex adverso interposito jurejurando testificetur, se à viro non esse cognitam, & septem matronæ ex ejus corporis inspectione illam nondum defloratam esse, testatum faciant.

Hoc, inquam, caput nihil officit nostræ responsioni, eo quòd totum innitatur matronarum inspectioni, quam sancti Patres & summi Pontifices velut inutilem, inverecundam, periculosamque reprobarunt, ut suprà vidimus.

Quæstiuncula XIII.

Utrum impotentia naturalis superveniens non solùm matrimonio consummato, sed etiam rato, & non consummato, pro impedimento matrimonium dirimente habeatur.

Respondeo, pro tali non haberi, quia cùm matrimonium ratum sit legitimum, dissolvi non potest, nisi per mortem aut professionem in ordine approbato emissam, ut suprà vidimus.

Quæstio LXXXIV.

An detur maleficium, & quando matrimonium dirimat.

Hæc quæstio per quæstiunculas est dissolvenda. Esto igitur

Quæstiuncula I.

Utrum maleficium possit actum conjugalem impedire.

Respondeo, posse maleficos suis maleficiis hominem ad carnalem copulam inhabilem efficere. Ita passim cum S. Thoma docent Theologi ad dist. 34. lib. 4. Sentent. Id docet Ecclesia, quæ maleficiatos post triennalem actus conjugalis experientiam, ut inhabiles ad reddendum debitum conjugale, separat, cap. fin. *de frigid. & maleficiat.*

Hanc doctrinam approbat Concilium Tridentin. siquidem in decreto de reform. matrim. cap. 1. decernit, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, unam tantùm denuntiationem esse faciendam, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium esse celebrandum: deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia esse faciendas, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur.

Idipsum luculenter astruitur apud Gratian. 33. q. 1. ubi & probatur maleficium, & ejus assignatur remedium: *Si per sortiarias atque maleficas* (verba sunt Decreti) *occulta, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis & largioribus eleemosynis & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos ac cætera ecclesiasticæ medicinæ munia, ministri Ecclesiæ tales, quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent.* Hactenus verba Decreti.

Quæstiuncula XII.

Quandonam matrimonium propter maleficium dirimatur.

Respondeo, hîc adhibendam esse hanc distinctionem: vel enim impotentia coëundi ex maleficio profecta est perpetua, & tunc matrimonium dirimit: vel non est perpetua, & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum, eodem modo Ecclesia tempus præfixit, (triennium scilicet) sicut de frigiditate dictum est. Tamen hæc est differentia inter maleficium & frigiditatem; quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam; & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia, ut alteri conjungatur: sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam; & ideo quando judicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, quòd alteram copulam quærat, ut docet S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. a. 3. in c.

Quæstiuncula III.

Quando maleficium perpetuum censeri debeat.

Respondeo, maleficinm quod removeri non potest humano opere, haberi perpetuum, quamvis ipse Deus possit maleficio remedium adhibere, dæmonem cogendo; vel etiam dæmon desistendo: non enim oportet semper, ut id quod per maleficium factum est, possit per aliud maleficium destrui, ut ipsi confitentur malefici: & tamen si posset per maleficium, remedium adhiberi, nihilominus perpetuum censeretur: quia nullo modo quispiam dæmonis auxilium per maleficia invocare debet. Similiter non oportet, si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, quòd cessante peccato cesset potestas: quia pœna interdum transeunte culpâ remanet. Similiter etiam exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendos dæmones semper, quantùm ad omnes molestias corporales, divino judicio hoc exigente: semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas sunt potissimùm instituti, ut docet S. Thom. loco & art. citatis.

Cùm igitur contra dæmonum infestationes, quæ ad spirituale damnum spectant, vel ad salutis dispendium, instituti sint Ecclesiæ exorcismi, secundariò tantùm & per quamdam accessionem ad corporum molestias & infestationes abigendas sunt constituti, ut constat ex variis exorcismis contra varios infestationum modos conscriptis & elaboratis.

Quæstiuncula IV.

Vtrum maleficiatus, qui separatus est propter maleficium, debeat redire ad priorem conjugem: sicut frigidus, qui inventus est habilis ad alteram mulierem, tenetur ad priorem reverti.

Respondeo, maleficiatum & propter maleficium ab uxore separatum non teneri redire ad priorem conjugem, nisi in duobus casibus, quorum primus est: si nimirum judicatus fuerit habere impedimentum generale ad omnes omnino personas. "Nam, ut ait S. Thomas loco suprà cit. maleficium quandoque potest præstare impedimentum ad omnes, quandoque ad unam tantùm; quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturæ agens. Et præterea impedimentum maleficii potest esse ex impressione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam." Hact. S. Thom.

Alter casus, in quo maleficiatus tenetur redire ad priorem conjugem, accidere potest, si viri benè oculati deprehenderint ablatam fuisse impotentiam respectu illius mulieris, à quâ propter maleficium est separatus. Si tales evenirent casus, maleficiatus secundam, cum qua contraxisset, uxorem deserere, & ad priorem redire teneretur.

Quæstiuncula V.

Vtrum is qui laborat impotentiâ ortâ ex maleficio quod tolli non potest, nisi per alterum illud maleficium & reipsa per alterum illud maleficium suam illam impotentiam curet removeri, ad priorem conjugem redire teneatur.

Respondeo, non teneri, eo quòd illud maleficium, quod nullo modo licito poterat auferri, erat perpetuum, etiamsi postea ab ipso dæmone fuerit ablatum; & ideo matrimonium quod eo durante contractum est, fuit invalidum.

Quæstiuncula VI.

Vtrum maleficium censeatur dumtaxat perpetuum, si per opus humanum auferri nequeat.

Respondeo, etiam censeri perpetuum, si absque peccato, seu nisi per alterum maleficium tolli valeat.

Censetur etiam illud ipsum maleficii impedimentum esse perpetuum, quamvis tolli possit per divinum miraculum: quia natura & valor matrimonii ex miraculo non pendet, atque adeo patet, impedimentum, quo durante vir & mulier contraxerunt, fuisse perpetuum, utpote quod absque miraculo cessare non poterat, ac proinde matrimonium quod nondum sublatâ illâ impotentiâ ex maleficio profectâ, initum est, irritum est & invalidum, nec convalescere potest, nisi cùm impotentia desierit, de integro ineatur, ut observavit Sanchez lib. 7. de impediment. matrim. disput. 93. nu. 6.

Quæstiuncula VII.

Cur maleficium non censeatur perpetuum eo nomine, quòd per jejunium, orationem, & exorcismos Ecclesiæ tollitur, ex cap. fin. 33. q. 1.

Respondeo, consecutionem sanitatis vel ablationem impotentiæ ex maleficio inductæ, non esse miraculosam, ut ita dicam: quia quicquid supernaturaliter divinaque virtute efficitur, non censendum est miraculum, sed dumtaxat id quod insueto modo perficitur, ut remissio peccatorum per sacramenta efficitur sola virtute supernaturali; at quia usitato fit modo, vacat miraculo. Ita etiam orationes & jejunia adhibentur non solùm ad tollenda maleficia, sed etiam ad impetrandam cujuslibet morbi depulsionem, inter miracula, sicut nec exorcismi, recenseri debent, eo quòd consueto & passim usitato fiant modo. Ideoque effecta quæ ex hujusmodi rebus oriuntur, ab Theologis inter miracula non reponuntur.

Quæstiuncula VIII.

Vtrum maleficii vel cujuslibet alterius mali remedium à malefico petere liceat.

Respondeo, divina & positiva Ecclesiæ lege semper prohibitum esse, uti maleficis artibus, vel maleficos consulere, etiam in bonum finem. Est enim intrinsecè malum dæmonis auxilium per maleficia invocare: & id sæpenumero Deus prohibet, ut puta Levitic. 19. cap. v. 31. *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Et ejusd. libri cap. 20. v. 6. *Anima quæ declinaverit ad ariolos & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Idem præceptum inculcat Deus Deuteron. cap. 16. v. 10.

Sancti Patres idem docent, & inprimis S. Joannes Chrysostomus hom. 8. in Epist. ad Coloss. sub finem; ubi graviter insectatur omnia remedia seu incantamenta, quibus nonnulli suos & suorum morbos depellere nitebantur.

Hæc eadem remedia damnat S. Leo serm. 19. de passion. Domini: *Multis*, inquit, *quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt*, (maligni spiritus) *ut quidem illos & timeant pati infensos & velint habere placatos, cùm beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam dæmonis meruisse, quàm pacem.* Hact. S. Leo.

Jure igitur ac meritò S. Joannes Chrysostomus loco paulò antè citato hoc effatum protulit: *Citius mors*

homini Christiano est subeunda, quàm vita ligaturis redimenda.

Unde ista decisio Parisiensis articuli v. quâ damnatur ista propositio, & velut erronea reprobatur, est apprimè veritati consentanea. Talis autem est propositio: *Licitum est uti magicis artibus, vel aliis quibuscumque superstitionibus à Deo & Ecclesia prohibitis, pro quocumque fine bono.* Error, quia secundùm Apostolum, *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Eadem erroris nota in decisione articuli vi. innritur huic propositioni: *Licitum est aut etiam permittendum maleficia maleficiis repellere.* Error.

Item velut erronea reprobatur hæc articuli vii. propositio, quòd videlicet *aliquis cum aliquo possit dispensare in quocumque casu, ut talibus licitè utatur.* Error.

Quæstiuncula IX.

Utrum maleficiatus possit uti remediis ad propulsandum maleficium idoneis.

Respondeo, non posse uti remediis ab malefico etiam parato postulatis. Quisquis enim impelleret dictum maleficum ad unius maleficii per alterum maleficium depulsionem, sese in ipsius peccati societatem dubio procul implicaret.

Hoc igitur reprobato remedio, potest maleficiatus tollere, vel per alium tollendum curare maleficium in dæmonis & magicarum artium contemptum & detestationem. Potest etiam uti remediis ab Ecclesia præscriptis, ut puta sacramentorum usu, exorcismis, & omnibus pietatis operibus; præterea potest per remedia naturalia propulsari maleficium, si ex causis naturalibus ortum probabiliter appareat.

Quæstiuncula X.

Utrum à malefico petere, ut maleficium tollat, imò utrum illum ad id minis & verberibus adigere liceat.

Respondeo, licere à malefico petere, imò licere etiam illum minis & leviori verberatione (id est citra gravia vulnera & immodicos cruciatus, id enim ad legitimum judicem, non ad privatos pertinet) ad tollendum maleficium adigere, quandocumque probabiliter credo illum sine maleficio, sed licito quopiam modo id facere posse, sive quandocumque non sum moraliter certus, quòd utetur modo illicito. Quamvis enim non liceat ullomodo, nec ab imparato, nec à parato malefico petere, ut maleficium maleficio tollat; quod tamen in nostra assertione posuimus, certum est, quia utor jure meo, & sanitatem mihi per maleficium ademptam restitui volo, nec ideo consentio in pactum ab malefico cum dæmone initum, sed dumtaxat induco ad id quod efficere tenetur, & sine peccato, si velit efficere, potest. Sic vel minis, vel jussu & imperio ad tollendum maleficium magi possunt adigi, modò sit probabile, eos ad hunc effectum modo illicito non esse usuros. Sic B. Theodorus Archimandrita Theodorum magum jussit sua peccata, & si quos haberet libros maleficos in medium proferre, & quoscumque homines aut domos aut animalia maleficiis suis obstrinxerat, dissolvere, & denique non ampliùs maleficia in quemcumque exercere, sed pœnitentiam agere, ut legere est apud Surium 6. Aprilis.

Sic magi cogi possunt verberibus ad tollenda maleficia, modò illis ex inflictis verberibus nullum vitæ aut mutilationis, aut gravis cujuspiam morbi periculum immineat.

Quæstiuncula XI.

Utrum incestus inter impedimenta matrimonium dirimentia recenseri debeat.

Respondeo, incestum non esse recensendum inter impedimenta matrimonium dirimentia, quia in affinitate quæ annumeratur inter præfata impedimenta, includitur, & ideo non tam ratione culpæ, quàm affinitatis quam parit, ad impedimenta matrimonium dirimentia aggregatur.

Quæstiuncula XII.

Quomodo definiatur incestus.

Respondeo, incestum usurpari in latiori significatione, & tunc definiri, stuprum quod admittitur cum persona, cum qua non poterat alioquin contrahi matrimonium, ut puta cum matre, sorore, & consecratis Deo virginibus & aliis similibus mulierculis.

Si in arctiori significatione accipiatur, definitur ipse idem incestus, carnalis concubitus consanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos, quales sunt gradus consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusivè: item gradus affinitatis ex matrimonio contractæ, usque ad quartum etiam: ex copula autem illicita usque ad secundum, juxta restrictionem ab Concilio Tridentino *constitutam in Sess.* 24. cap. 4. de reformat. matrim. in hæc verba: « Sancta Synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea conjunctum non dirimere. Hactenus Tridentini verba.

Quæstiuncula XIII.

Utrum incestus, quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, matrimonium dirimat.

Respondeo, per talem incestum matrimonium dirimi, quia hoc ipso quòd aliquis cognoscit sororem uxoris, contrahitur affinitas ad uxorem: cùm igitur affinitas matrimonium contractum dirimat, præfatus etiam incestus matrimonium procul dubio dissolvet.

Quæstiuncula XIV.

Quandonam incestus dissolvat matrimonium, an scilicet antequam contrahatur, vel postquam est contractum.

Respondeo, si quis cognoscat sororem aut aliam consanguineam uxoris suæ ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, matrimonium ratione contractæ affinitatis oportere separari. Si verò matrimonio jam contracto & consummato, sive etiam non consummato, incestum cum uxoris (quæ jam habetur in matrimonio) consanguinea, vel affini commiserit, tunc hujusmodi incestus talis matrimonii vinculum, utpote indissolubile, dissolvere non potest, nec tales conjuges separari debent, quantumvis illicitè juncti sint, ut ex cap. *transmissæ.* colligitur, quod est Cælestini Papæ III. extra *de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Est ergo insolubile matrimonium. Sed vir aut mulier, quæ talem incestum admiserit, privatur jure petendi debitum, ita ut illud sine peccato

petere nequeat, tametsi reddere teneatur. Neque enim æquum est insontem vel virum vel mulierem de suo jure dejici, & iis affici pœnis, quas incestuoso vel viro vel mulieri (utriusque enim æqualis est hac in parte conditio) Ecclesiæ leges infligi voluerunt.

Hanc doctrinam tradit Cælestinus Papa III. loco proximè citato, ubi ait, eum qui cognovit consanguineam uxoris suæ, petere debitum in eo casu prohiberi, sed uxori petenti reddere, vel cum ea cohabitare non prohiberi.

QUÆSTIUNCULA XV.

Utrum incestuosus, cum quo Episcopus non dispensaverit, peccet, uxore sua mortua, contrahendo, & utrum validè contrahat.

RESPONDEO, hujusmodi hominem graviter peccare, utpote qui violat statutum Ecclesiæ, & tamen ita contrahere, ut propterea non sit separandum, quod inierit matrimonium.

Id enim decretum est ab Cælestino Papa III. ut scilicet incestuosus post mortem uxoris sine ulla spe conjugii permaneat, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu. Sic ergo loquitur Pontifex extra *de eo qui cognovit, &c.* cap. *transmissæ*. Quia verò super his consilium requisisti, inquit, præsenti pagina respondemus, quòd legitimæ uxori cohabitans (vir ille qui uxore sua defuncta, filiam ejus, privignam videlicet propriam, copula carnali cognoverat & cum alia contraxerat) & eidem uxori necessaria subministrans, non cognoscat eam quamdiu vixerit, nisi fuerit ab ea requisitus: & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore accedat: qui etiam pro incestu & adulterio (quia scilicet nihil obstante matrimonio quod post incestum ille ipse cum privigna commissum inierat, cum eadem privigna publicè delinquebat) donec cum ea (privigna) permanserit, juxta moderamen imponentis pœnitentiam agat; postmodum si supervixerit ei, perpetuò sine spe conjugii permanebit; nisi ut modò dicebamus ab proprio ejus Episcopo cum eo dispensatum fuerit. Nam hanc in tali rerum articulo dispensandi potestatem penes Episcopos esse, uno consensu docent Theologi. Ideoque quotquot seu viri seu mulieres incestus cum consanguineo, vel consanguinea vel affini ante vel post initum matrimonium commissi, conscii sunt, sive incestus, in quem sunt prolapsi, sit occultus, sive manifestus & notorius, debent primo quoque tempore ad suum adire Episcopum, & ab eo petere dispensationem, ut ambobus restituat jus petendi reddendique debitum conjugale, quod proculdubio non denegabit Episcopus, ne vel alterutrius, vel utriusque conjugis incontinentia vel alterutrum vel utrumque in probabile damnationis æternæ periculum injiciat.

QUÆSTIUNCULA XVI.

Utrum sint aliqua peccata, quæ ad incestum pertineant.

RESPONDEO, ad incestum revocari congressum Parochi carnaliter cognoscentis filiam spiritualem pœnitentem, quam baptizaverit, quia Parochus aut alius cognoscens quam baptizavit, contrahit cognationem spiritualem ex baptismi collatione consurgentem, atque adeo ab referventi incestûs crimine nullatenus excusari potest. Quamquam nemo negare possit, Parochum corrumpentem suam parochianam admittere speciale peccatum, eóque gravius, quò studiosiùs Parochus ad suas oves optimis moribus & exemplis imbuendas, jure naturali & divino, ut omnes Theologi asserunt, obligatur.

Quòd si Sacerdos alius ab ipso Parocho, extra confessionem corrumpat, admittit incestum metaphoricum dumtaxat & improprium, eo nomine quòd Confessarius vulgò dicitur pater spiritualis, & de metaphorico illo incestu intelligitur cap. *omnes*. 3. q. 1.

. Quòd si igitur Sacerdos quispiam item alius à Parocho, eo improbitatis & malitiæ devenerit, ut ad corrumpendam pœnitentem, vel in confessione sollicitandam ad scelus, abutatur sacramento velut adjumento, non committit quidem incestum, sed immane sacrilegium in sacramentali confessione necessariò explicandum, utpote quod sanctissimum pœnitentiæ sacramentum terribilem in modum dedecorat.

Item violatio cognationis legalis reducitur ad incestum: violatio autem cognationis ortæ ex baptismo & confirmatione revocatur ad sacrilegium: quod quidem in tractatu de luxuria desinitur peccatum pertinens ad luxuriam, quo vel persona Deo per solemnem professionem dedicata, vel loca, (ut puta Ecclesia consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria, authoritate Episcopi constituta & ad divinum cultum deputata) vel res alia quælibet sacra carnali copula polluitur.

Hîc operæpretium est agere de repudio, & postea de divortio: quæ duo distinguuntur, & reipsa ea distinguunt quidam Doctores. Dicunt enim, repudium esse distractionem matrimonii, quoad vinculum; divortium verò esse dumtaxat quamdam vinculi conjugalis relaxationem: siquidem per divortium separantur conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, conjugali vinculo ita perseverante, ut neutri ad alias nuptias convolare liceat. Sit itaque

QUÆSTIO LXXXV.

Quid sentiendum de repudio tam respectu Judæorum quàm Christianorum.

QUÆSTIUNCULA I.

Utrum apud Judæos repudium fuerit permissum & licitum.

RESPONDEO, fuisse permissum, & illicitum. Siquidem permissum fuerat à Moyse, qui hac in parte voluit aliquid obsequi & indulgere duris Judæorum cordibus, ne zelotypiâ vel præpostero quopiam excæcatæ mentis impetu, uxorum suarum necem machinarentur. Numquam ergo fuit licitum apud Judæos repudium, sed ita permissum, ut quotquot suas uxores repudiarent, nulli proptereà pœnæ essent obnoxii.

Hanc doctrinam luculenter astruit Christus Jesus Matth. cap. 19. v. 6. & seqq. Cùm enim dixisset: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; dixerunt Pharisæi: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii & dimittere?* Ait illis: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Hæc ibi.

Ex istis Christi verbis colligo.

1°. Repudium apud Judæos fuisse penitus illicitum, nec potuisse sine peccato factitari. Nam matrimonium habet ex ipsa lege naturæ, quòd dissolvi nec possit, nec debeat. Quod probant ipsi infideles, apud quos illicitum erat uxores repudiare, & matrimonium dirimere. Cujus rei exemplum multò pulcher-

rimum legere est apud Valerium Maxim. lib. 2. cap. 1. narrantem, repudium inter uxorem & virum à condita urbe usque ad vicesimum & quingentesimum annum, nullum intercessisse, & Spurium Carvilium fuisse primum qui uxorem dimiserit, quia ab Censoribus adactus fuerat ad jusjurandum, quo liberorum gratiâ se matrimonium colere declaraverat, & ideo repudiaverat uxorem utpote sterilem: quod factum quamvis tolerabili ratione prætexi posse videretur, ex eo tamen maximum populi odium retulit.

Et id ita fieri apud infideles, id est nullum inter conjugatos intercedere repudium testatur Innocentius Papa III. extra *de divortiis*. cap. *gaudemus*.

2°. Colligo ex hoc ipso loco, Moysen non præcepisse nec mandasse repudium. Cum enim dixissent Pharisæi: *Quid ergo mandavit Moyses dare libellum repudii & dimittere?* Christus non concessit, libellum repudii ab Moyse Judæis esse mandatum, ut indicaverant Pharisæi: siquidem illorum aientium Moysen mandasse uxorem dimittere, verbum correxit, & Moysen sive Deum per Moysen locutum, id ad duritiam cordis Judæorum permisisse asserit, & matrimonii suapte natura repudium prohibentis insolubilitatem ad primævam institutionem revocavit, his verbis: *Ab initio autem non fuit sic.*

Siquidem in ipsa matrimonii institutione indivulsam mariti & uxoris copulam exprimens adjecit non Moyses, sed ipse conditor Deus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Hoc est tam arcta erit utriusque conjunctio, ut è duobus quodammodo fiat unus homo, qui duo priùs extiterant. Quia videlicet cùm Deus hominum genus conderet, sic instituit primum conjugium, ut unus vir uni mulieri, indissolubili copula jungeretur: nec magis uxorem à viro divellere quàm membrum ab corpore rescindere liceret: cùm ab gemina illa revulsione natura æqualiter abhorreat. Unde Christus Pharisæos Mosis (ut arbitrabantur) mandato & authoritate fretos refellit his verbis: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses:* quasi diceret, non hoc vobis permisit Moyses quod esset rectum & naturæ consentaneum; sed cùm perspectam haberet & cognitam cordis vestri duritiam, levius malum indulsit, ne gravius à vobis admitteretur. Neque enim ipse Moses dicendus est probare repudium, qui hoc maluit admitti, quàm homicidium. Neque enim efficit libellus repudii, ut rectum sit repudium; sed testis duritiæ Judæorum suas uxores passim & quavis de causa repudiantium, quod nefas est, & præter mentem Dei, & præter voluntatem Moysi. Neque enim id rectum est quod hac in parte facitis, quia impunè facitis.

Ex hujus loci quem exposuimus, interpretatione colligere est, permissum fuisse repudium, ne Judæi sese vulgò in atrociora peccata, ut puta veneficia & homicidia implicarent.

QUÆSTIUNCULA II.

Utrum libellus repudii esset in precepto.

RESPONDEO, repudii libellum fuisse præceptum Judæis suas uxores dimittere volentibus, ut constat ex Matth. cap. 5. v. 31. Hujus præcepti rationem reddit S. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 14. *Qui præcepit*, inquit, *dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii: ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret.* Hæc ibi.

Itaque volenti dimittere uxorem imperabatur libellus repudii; repudium autem permissum ad duritiam cordis Judæorum, primævam matrimonii legem observare nolentium, vel dura cervice recusantium, & ideo sese gravi flagitio constringebant: erat enim hujusmodi permissio repudii, ut Judæos qui suas uxores repudiarent, non excusaret à culpa, sed liberaret à pœna, quam alioquin Judæis ipsis suas uxores repudiantibus, sic tanquam adulteris, & conjugalis fidei commerciique violatoribus, inflictam oportuerat.

QUÆSTIUNCULA III.

Quibus de causis uxoribus libellus repudii dari poterat apud Judæos.

RESPONDEO, hujus quæstiunculæ solutionem exprimi cap. 24. Deuteron. v. 1. *Si acceperit homo uxorem,* (verba sunt Scripturæ) *& habuerit eam & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, &c.*

Iste Scripturæ locus indicat, maritum non potuisse uxori suæ dare libellum repudii eo dumtaxat nomine, quòd eam odio prosequeretur, sed propter probabiles odii causas, quas antequam suam istam uxorem dimitteret, proferre tenebatur. Hujusmodi causas fœditatem juxta vulgatam editionem, secundum Hebræos (*ervat*) id est nuditatem, Scriptura nominat: quippe quæ per metalepsim & catachresim insinuat per nuditatem (quæ res est apprimè pudenda) rem quamlibet pudendam & fœdam. Per istam autem fœditatem seu nuditatem designantur v. g. lepra, veneficium, rixæ perpetuæ, ebriositas, desperata pravitatis emendatio, & alia id genus, quæ graves marito molestias exhibere poterant. Nam propter fornicationem vel potiùs adulterium, non dabatur libellus repudii, sicut nec propter adulterii suspicionem. Si enim constabat adulterium, adultera lapidabatur, ut patet Levit. cap. 20. v. 10. sin suspecta dumtaxat de adulterii crimine haberetur, prodebatur aquis zelotypiæ, ad quas epotandas adigebatur. Num. cap. 5. v. 27.

QUÆSTIUNCULA IV.

Quibus cæremoniis libellus repudii conficeretur & traderetur apud Judæos.

RESPONDEO, decem cæremonias in conficiendo tradendoque repudii libello fuisse ab Judæis observatas, quæ traditæ sunt ab Hebræis lib. 613. præceptorum inter præcepta affirmativa, præcepto 50. Hujusmodi cæremoniarum

Prima erat, ut uxor nusquam discederet, nisi marito volente, quapropter hoc ipsum exprimebatur in libello.

Secunda erat, ut libellus scriptus daretur uxori in manum, ut etiam colligitur ex Deuteron. cap. 24.

Tertia erat, ut scriberentur nomina duorum testium ut minimùm.

Quarta, ut scriberentur tres generationes superiores uxoris, nimirum ut diceretur: Repudio illam aut illam filiam Rabbi illius, aut illius filii, aut illius.

Quinta erat, ut libellus scriberetur rotundis litteris, ne ulla aliam attingeret, quod pertinebat ad authoritatem & fidem publici instrumenti.

Sexta, ut si fortè decideret aliqua guttula ex calamo, dum libellus scribebatur, notarius scriberet alterum de integro, quia erat facile, ut ex *daleth* littera, si caderet unus apex infernè, fieret *he*, & ex *beth*, si decideret aliqua guttula in partem mediam & in ventrem, fieret *pe*.

Septima, ut nullum vestigium rasuræ esset in libello.

Octava erat, ut charta esset longior quàm latior.

Nona, ut omnes testes qui aderant, adhiberent sua sigilla.

Decima, ut maritus diceret uxori: Accipe repudii tui libellum, & esto à me abjecta, & cuicumque viro permissa.

Forma autem libelli erat ferè hæc: Ego Rabbi N. filius Rabbi N. tali die talis mensis talis anni à creatione mundi, in tali loco, ex animi mei consensu & sine ulla coactione repudiavi talem fœminam filiam N. filii N. & dedi illi libellum repudii, schedam abscissionis, & signaculum dimissionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocumque velit, & nemo possit illi prohibere juxta constitutiones Moysi & Israël.

Tales erant cæremoniæ ab Judæis in scribendo & dando repudii libello usurpatæ, quas ex citato Hebræorum voluminum loco refert Maldonatus tom. 2. de matrim. in 4. parte disputationis de firmitate matrimonii; quas & referunt Vatablus, Oleaster, & alii.

Cur autem tot ritus & cæremoniæ usurparentur in ipso repudii libello, explicat S. Augustinus: *Deus*, inquit, *interposuit hanc morum, ut in dissidium animus praeceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret, praesertim quia scribae, quorum erat litteras scribere, quasi viri prudentes, dissidii dissuasores erant.* Ita loquitur S. Augustinus lib. 19. contra Faust. Manich. cap. 26. ubi hac de re habet multò pulcherrima, quibus ostendit, non potuisse scribi repudii libellum, nisi ab ipsis scribis, qui cùm excellentiorem profiterentur sapientiam, per hanc occasionem (dandi libellum repudii) ex necessitate venientem quodammodo in manus suas, bono consilio regerent, atque inter ipsum & uxorem pacificè agendo concordiam dilectionemque suaderent.

Unde idem S. Augustinus eodem libro cap. 29. concludit, magnam fuisse Judæorum duritiam, (propter quam Moyses illis uxores dimittere permisserat) utpote quæ nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus justis & prudentibus tribuebatur, solvi & flecti posset ad recipiendam vel revocandam conjugii charitatem. Et inde ait ibidem S. Augustinus, Christum legis testimonio declarasse, non esse dimittendam uxorem; & dandum fuisse libellum repudii propter duritiam vel domandi, vel indomiti cordis, ostendisse.

Quæstio LXXXVI.

De divortio, & ejus causis.

Quæstiuncula I.

An liceat in novo Testamento conjuges ab invicem separare.

Respondeo, licere, nec hac in parte Ecclesiam ullatenus errare. (ut causantur hæretici) Ita definitum est in Concilio Tridentino sessión. 24. can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.*

Licet igitur sejungere conjuges ab invicem quoad thorum, sive cohabitationem, ob multas causas, ad certum vel incertum tempus, prout ab Ecclesia constitutum est.

Quæstiuncula II.

Utrum fornicatio, sive adulterium, sit legitima & sufficiens causa uxorem ab marito separandi.

Respondeo, fornicationem sive adulterium, esse legitimam & sufficientem præfatæ separationis causam, ita tamen, ut insolubile & illæsum matrimonii vinculum remaneat, hoc est, nec sonti, nec insonti conjugi ad secundas nuptias convolare liceat. Id apertissimè declarat Christus Dominus Matth. cap. 5. v. 32. *Omnis*, inquit, *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Christus hoc in loco meminit dumtaxat fornicationis eo nomine, quòd fornicatio seu adulterium è diametro matrimonio adversatur, atque adeo sola sit propria divortii conjuges ab invicem separantis causa, cùm cæteræ separationis causæ in jure constitutæ sint causæ generales, propter quas quamlibet Christianorum societatem & cohabitationem dirimere necesse est.

Potest igitur licitè dimitti uxor fornicationis, id est adulterii causâ, propter ingentia mala, quæ tale flagitium comitantur & consequuntur, ut patet ex cap. 23. Ecclesiast. v. 33. ubi Spiritus Sanctus mulieris adulteræ peccata sic enumerat. *Primò*, inquit, *in lege Altissimi incredibilis fuit: 2°. in virum suum deliquit: 3°. in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.*

Ex isto Ecclesiastici loco colliguntur quatuor mala, quæ ex mulieris adulteræ fornicatione oriuntur, quorum

Primum est infidelitas: nam *incredibilis* hoc loco significat, mulierem adulterii ream, incredulam & infidam extitisse, utpote quæ fidem Deo datam, & obedientiam quam in circumcisione (si est Judæa) promisit, vel si est Christiana, in baptismo vovit, fœda sui prostitutione violavit.

Secundum est, illata marito injuria & infamia, quam illi (stipulatam in matrimonio fidem propudiosa libidine violando) aspersit.

Tertium malum ex mulieris adulterio derivari solitum, est contumelia in matrimonium admissa: siquidem ejus jura & sanctitatem perfida mulier adulterio violavit.

Hisce malis accedit quartum, nempe injuria quâ afficiuntur filii legitimi, quorum hæreditas per mattris adulterium ad nothos & adulterinos vel in totum vel ex parte transfertur. Unde in superiori versiculo dicitur mulier relinquens virum suum, hæreditatem ex alieno matrimonio statuere, quippe quæ hæreditatem statuit & consignat spurio, quem ex alterius matrimonii marito, puta ex adulterio concepit.

Jure igitur ac meritò potest maritus uxorem fornicantem dimittere, quia fornicatio est directè contra bona matrimonii, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non servatur, dum unus conjugum pluribus carnem suam dividit. Et ideo alia crimina, quamvis fortè sint majora fornicatione, non causant divortium: sed quia infidelitas, quæ dicitur spiritualis fornicatio, est etiam contra bonum matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium, sed tamen aliter quàm corporalis fornicatio: quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur. Hactenus S. Thomas in 4. distinct. 35. q. 1. a. 1. ad 3.

Quæstiuncula III.

An & quot sint casus, in quibus vir uxorem propter fornicationem dimittere nequeat.

Respondeo, ab Theologis assignari septem hujusmodi casus, in quibus maritus uxorem etiam fornicantem dimittere non potest.

Primus casus est, quando ipsemet maritus eam prostituit.

Secundus, quando ipse cum alia fornicatus est.

Tertius, quando ipse ei fornicandi occasionem dedit: v. g. cùm non vult ei reddere debitum.

Quartus, quando ipsa credens probabiliter virum suum mortuum propter longiorem ejus absentiam, alteri nupsit.

Quintus, quando violenter ab aliquo oppressa fuit.

Sextus, quando sub specie viri sui ab altero cognita fuit.

Septimus, quando fuit à viro post adulterium manifestè deprehensum nihilominus retenta.

Hactenus S. Thomas in 1. Corinth. cap. 7. lect. 2. qui & eosdem ipsos casus in 4. distinct. 35. q. 1. art. 1. in corp. repetit, & canonum authoritate asserit.

His tamen casibus unum addit citato proximè loco: *Si*, inquit, *matrimonio in infidelitate utrinque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit, tunc enim si utrique convertantur, tenetur eam vir recipere.* (extra *de divortiis*, cap. *gaudemus*. prope finem) Hæc ibi.

Exceptis hisce casibus, licet viro propter fornicationem uxorem dimittere, dummodo id faciat, vel ad infamiam sibi imminentem propulsandam, (ne videlicet criminis particeps habeatur) vel ad corrigendam uxoris improbitatem, vel ad evitandam prolis incertitudinem: tunc vacat omni culpa, in quam impingeret proculdubio, si ab ipsa illa conjuge per divortium livore vindictæ recederet.

Quæstiuncula IV.

Utrum vir & uxor in ratione divortii possint ad paria judicari, & uter magis peccet in admittendo adulterio.

Respondeo, utrumque per adulterium æquali constringi flagitio, quia quantùm ad bonum fidei, ad quam sibi invicem servandam conjuges æqualiter obligantur, tantùm peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius, & hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed si spectetur bonum prolis, uxoris adulterium gravius est adulterio viri, & ideo mulier perpetrato adulterio, majorem divortii causam exhibet, quàm ipse vir, & sic uterque ad æqualia, sed non ex æquali causa obligatur. Quamvis igitur simpliciter loquendo, cæteris paribus vir in simplici fornicatione graviùs peccet, quàm mulier, quia plus habet de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium passionum: quantùm tamen spectat ad matrimonii læsionem & injuriam, quam adulterium adjicit fornicationi, ex qua divortium oritur & existit, graviùs peccat mulier, quàm ipse vir. Quia igitur uxoris adulterium moltò gravius est simplici viri fornicatione, seu adulterio, quia scilicet conjunctum est illud ipsum uxoris adulterium cum circumstantia, ex qua magis aggravatur peccatum, utpote quod per matrimonii læsionem trahitur in aliam speciem, in speciem scilicet injustitiæ in hoc positæ, quòd marito proles adulterina furtivè supponitur, & legitimi filii, atque adeo hæredes unici cum ingenti publicæ tranquillitatis & ordinis perturbatione, & maximo familiarum dispendio, debita sibi parentum hæreditate defraudantur. Hanc ob rem mulieris adulteræ flagitium viri adulterio multò gravius & atrocius ab eruditis Theologis existimatur.

Quæstiuncula V.

An & quando maritus uxorem adulteram dimittere teneatur.

Respondeo, maritum ad dimittendam uxorem non utcumque adulteram, sed in adulterio publico perseverantem, sub peccato mortali obligari, si careat mediis, quibus & scandalum ex ejus adulteriis profectum extinguere, & sui in ejus adulteria consensus suspicionem propulsare valeat: nisi ad eam retinendam justâ quâpiam causâ & scandalo & præfatæ suspicioni præponderante, urgeatur.

Ex hac responsione quæ innititur authoritate SS. Patrum, & inprimis S. Aug. lib. 1. de adulterin. conjug. & refertur cap. *non solum*. 28. q. 1. & S. Hieronymi in comment. ad cap. 19. Matth. & refertur cap. *Dixit Dominus*. 32. q. 1. & aliorum: ex hac, inquam, responsione multa colliguntur scitu digna.

1°. Non tenetur vir uxorem in adulterio quolibet deprehensam abjicere, si inde sibi probabile æternæ damnationis periculum imminere prospiciat: ut puta si acrioribus carnis stimulis lacessitus sibi timeat lapsum: quem omnimodis effugere debet, ut æternæ suæ saluti cæteris citra ullam exceptionem rebus anteponendæ consulat.

2°. Ipse ille maritus non tenetur uxorem adulteram expellere, si expulsæ salus æterna periclitetur, ut puta si ab marito ablegata in deteriorem statum & vitam, vel indignationis, vel quodam fœminei furoris & vertiginis impetu, non levibus conjecturis ruitura credetur.

3°. Nec tenetur vir eamdem suam uxorem à se procul amandare, si aliqua ejus emendationis spes affulgeat: ita ut nihil obstantibus adulteriis sese receptura videatur ad meliorem frugem, si ab marito retenta fuerit.

4°. Non peccabit vir apud se retinens uxorem adulteram, si illam retineat, ne vel sibi vel uxori adulteriis contaminatæ infamia (quæ maximum importat hominibus detrimentum) inuratur. Quomodo ergo imminentem sibi vel uxori infamiam effugere debeat, dicemus quæst. sequenti.

Quæstiuncula VI.

Quibus mediis uti poterit vir nactus mulierem in adulterio publico deprehensam, ut effugiat maledictionem viris adulteras mulieres retinentibus intentatam à Spiritu sancto, Prov. 18. v. 24. Qui tenet mulierem adulteram, (*verba sunt Scripturæ*) stultus est & insipiens; *juxta vulgatam edit. Græcè autem est* ἀσεβὴς, *id est impius.*

Respondeo, hujusmodi hominem in casibus superiori quæstiuncula propositis, ad expellendam mulierem etiam in adulterio publico sese volutantem, non obligari. Ut autem effugiat stultitiæ & impietatis notam à Spiritu sancto citato Prov. loco hominibus adulteras uxores retinentibus inustam, debet in id potissimùm incumbere, ut omnibus, quibus suam illam adulteræ mulieris retentionem scandalum afferre perspexerit, se ab tali uxoris adulteræ vitiis & improbitate majorem in modum abhorrere, testatum faciat. Eam ob rem vicinis debet denuntiare & sæpius inculcare, eam se tolerare nec abdicare mulierem, non ut ejus crimini (quod implacabili prosequitur odio) faveat, sed ut suæ ipsius saluti consulat,

vel

vel ne ablegata mulier deterior evadat. Poterit etiam hujusmodi mulieris infandam libidinem verbis actioribus insectari, & ejus custodiæ præter solitum invigilare, & in eam licito sibi modo animadvertere, & licita quælibet tanto malo adhibere remedia, ne libidinosæ mulieris improbitati vel tantillùm assentiri videatur. Quòd si adhibitis, quæ proximè recensuimus, remediis, perseveraverit scandalum propter dictam mulierem publicis adulteriis inquinatam, nec ab ipsius marito justa de causa, ut antea insinuavimus, dimissam, hujusmodi scandalum, quod alioquin erat activum, in passivum proculdubio transierit, ut asserunt cum Paludano plures non inferioris notæ Theologi. Nec stultus nec impius poterit haberi maritus, qui in tali rerum articulo adulteram mulierem apud se retinuerit.

Pulcherrimè igitur de marito & uxore adultera statuerunt leges civiles. Inprimis, inquiunt, maritum genialis thori vindicem esse oportet: cui quidem & ex suspicione ream conjugem facere licet: vel eam si tantùm suspicatur, penes se retinere non prohibetur, l. *quamvis.* 30. C. *ad legem Juliam. de adulter.* Hæc ibi.

Unde non ferendum Julianus ait eum, qui cum uxore sua assiduè moratus, nolit filium agnoscere quasi non suum, l. 6. D. *de his qui sui sunt.*

Quæstiuncula VII.

Utrum maritus, cui exploratu & cognita sunt uxoris adulteria, illam propria authoritate abjicere & abdicare valeat.

Respondeo cum distinctione. Si enim agatur de separatione quantùm ad thorum, omnes passim Theologi docent, maritum posse privata authoritate uxorem ab sese removere, & ei conjugale debitum denegare, si illam esse adulteram, pro certo & compertu habeat. Quod factitare non potest, si de cohabitatione agatur.

Quòd autem quoad thorum ab uxore adultera, propria authoritate recedere queat maritus, probant hujusmodi rationes. Nam

1°. Cùm talis uxor fidem marito inter contrahendum stipulatam violavit; amisit jus petendi conjugale debitum, atque adeo maritus nullâ eam afficit injuriâ, cùm illi conjugale commercium subtrahit propter adulteria, quibus fidem datam marito prior ipsa violavit.

2°. Quia maritus cognoscens uxorem, etiam postquam rescit, illam esse adulterii ream, fit ecclesiastico jure irregularia, & ideo illam ut talem cognitam à se, si non tenetur, at certè privata authoritate removere potest, nec tenetur illi reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur; & taliter reddens debitum nullum sibi præjudicium facit, ut ait S. Thomas in 4. distinct. 35. quæst. 1. a. 3. in c. Et hic est primus modus, quo maritus uxorem suam adulterii ream, & ut talem cognitam, quoad thorum dumtaxat, sua ipsius authoritate removere potest.

Alter modus, quo maritus uxorem adulteram à seipso sejungere potest, importat viri ab uxore adultera separationem quoad thorum & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti talis uxor, nisi judicio Ecclesiæ; aliàs, si dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir in continenti fornicationem probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur: & ideo concedendum est, divortium uno dumtaxat Ecclesiæ judicio posse celebrari, ut docet S. Thom. loco proximè citato. Idipsum docent alii Theologi: sanctus scilicet Bonaventura in 4. dist. 35. q. 3. Richardus in eamd. distinct. a. 1. q. 3. Durandus in eamd. distinct. q. 1. Gabriel in eamd. dist. q. 1. art. 2. concl. 6. Joannes Major in eamd. distinct. quæst. 1. Turrecremata in cap. *saculares.* 33. quæst. 2.

Hæc sententia corroboratur sanctione Concilii Carthaginensis, cui interfuit S. Augustinus, quæ sanctio reperitur in Concilio Agath. cap. 2. & habetur 33. q. 2. *saculares.* Nam Concilium statuit, à communione sanctæ Ecclesiæ & populi cœtu eos excludendos esse, qui suas abjiciunt uxores, priusquam in judicio damnentur. Hujusmodi excommunicatio est ferendæ sententiæ.

His ita constitutis, immeritò canon *saculares.* à quibusdam objicitur: adeo enim eorum sententiæ non suffragatur, ut ex adverso nostram mirabilem in modum astruat in hæc verba: Sæculares, qui conjugale consortium nulla graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præsumant, si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à communione sanctæ Ecclesiæ & populi cœtu, pro eo quòd fidem & conjugia maculant, excludantur. Hactenus canon *saculares.* relatus 33. q. 2.

Ex hoc canone patet veritas nostræ solutionis, quæ etiam optimis rationibus innititur. Nam

1°. Si homini proprio arbitrio uxorem adulteram dimittere liceret, ipse in eadem causa esset pariter actor & judex, quod tolerari non potest. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex, ut ait S. August. lib. 50. homil. hom. ult. cap. 12. Quod & asserit Fabianus Papa causâ 4. q. 4. *Nullus*, inquit, *unquam præsumat accusator simul esse & judex vel testis: quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est judices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam.* Hactenus Fabianus in Epist. 2. ad Episcop. Oriental. Hac de causa, id est quia nemo potest accusatoris & judicis simul implere partes, maritu uxorem adulteram sua ipsius authoritate quoad thorum & cohabitationem abdicare non licet.

2°. Nemini illatas sibi injurias persequi licitum est: quod tamen fieret, si maritus uxorem adulteram suo ipsius arbitrio seu prolubio quoad thorum & cohabitationem abjiceret.

Quæstiuncula VIII.

Utrum per adulterium matrimonium quoad vinculum dissolvi queat, & saltem pars innocens dimisso propter adulterium conjuge, ad alteras nuptias convolare valeat.

Respondeo, Ecclesiam ab omni ævo docuisse, alterum conjugem, sive nocentem, sive innocentem dixeris, non posse, altero propter adulterium dimisso, eo vivente alias inire nuptias.

Hanc esse fidem Ecclesiæ, declarant multa Concilia, & omnium apertissimè id ipsum definit Concilium Trident. sess. 24. de matrim. can. 7. in hæc verba: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.* Hact. citati Concilii canon.

Hanc doctrinam sacrosancta Synodus Tridentina hausit ex purissimis incorruptæ traditionis fontibus. Nam illam tradunt Scripturæ, sancti Patres & Concilia.

1°. Ex Scriptura hanc doctrinam liquidò colligimus. Nam Christus Matth. cap. 5. v. 32. sic loquitur: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Id ipsum confirmatur, imò explicatur sine ulla exceptione, perspicuo aliorum Evangelistarum testimonio, ut inde disceremus, posteriora illa Matth. verba (*qui dimissam duxerit, adulterat*) esse generaliter accipienda, atque adeo dimitti quidem posse uxorem ob fornicationem, ita tamen ut ad alterum matrimonium convolare non possit.

Quod luculenter exprimitur Marc. cap. 10. v. 11. *Quicumque dimiserit uxorem suam*, ait Christus, *& aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Hoc ipsum repetitur Luc. cap. 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*

Ex hujusmodi Evangelistarum locis apertè concluditur, neque virum dimissa ob adulterium uxore, neque uxorem dimisso propter adulterium viro, ad aliud matrimonium transire posse.

Neque huic doctrinæ officere potest exceptio, quam generali propositioni Matthæus præponit. Cùm enim cap. 19. v. 9. refert ista Christi verba: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*: ista, inquam, exceptio ab S. Matthæo propositioni generali adjuncta, nihil prohibet, quominus ista propositio (*qui dimissa uxore, aliam ducit, mœchatur*) sit generalis. Exceptionis enim ea natura est, ut rem excipiendam excipiat ab eo, quod præcessit, non autem ab eo quod sequitur. Unde exceptio, de qua hic sermo est, cùm adjuncta sit primo allatæ periodi membro, non autem secundo, dicenda est dumtaxat pertinere ad dimissionem, quam Christus docet illicitam esse exceptâ fornicationis causâ, quia per hoc facit vir, ut mulier in adulterium prolabatur.

Huc accedit, quòd in his Christi verbis ex S. Matth. c. 19. desumptis est figura quæ apud Grammaticos eclipsis, id est omissio nominatur, quæ fit, cùm aliquid deest in oratione, quod aliunde suppleri oporteat. Cùm igitur exceptio his Christi verbis (*nisi ob fornicationem*) referatur tantùm ad dimissionem uxoris adulteræ, tota oratio per eclipsim expressa pulcherrimè suppletur, & intelligitur hoc pacto: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, (quod non licet, nisi ob fornicationem) *& aliam duxerit, mœchatur.*

Quibus verbis ita intellectis, Christus duo facit. Nam

1°. Satisfacit quæstioni Pharisæorum, qui ab ipso petierant, si liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa: respondet enim, non licere viro cuiquam uxori suæ dare libellum repudii, nisi ob fornicationem, cujus rea declararetur, per quod omnem aliam separationis excludit causam.

2°. Ad majorem doctrinæ plenioris intelligentiam refellit latentem errorem Judæorum, quibus persuasum erat repudii libellum uxori juxta præscriptam ipsis Judæis formulam datum, dissolvere matrimonii vinculum, ita ut marito repudiata uxore, & uxori abdicato marito, ad novas nuptias utroque etiam vivente transvolare liceret. Quod quidem Christus in Evangelio, & post Christum Apostolus 1. Corinth. cap. 7. v. 10. *Iis autem*, inquit, *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Hæc ibi.

Explicatam hactenus doctrinam, utpote & evangelicam & apostolicam, omnes Patres omnibus sæculis tradiderunt. Eorum oracula ab gravissimis Authoribus relata hîc non refero; ea quippe apud Bellarminum & alios legere est.

Adde quòd hanc ipsam doctrinam omnium uberrimè probavit S. Augustinus in duobus libris, quos de adulterinis conjugiis elaboravit, & Pollentio inscripsit: & in aliis, iisque pluribus locis, & præsertim hom. 47. inter 50. ubi sic loquitur: *Solius fornicationis causâ licet uxorem dimittere, sed illa vivente, non licet aliam ducere. Et vobis, fœminæ, nec illos viros, à quibus per repudium recesserunt uxores eorum, maritos habere conceditur, non licet: adulteria sunt ista, non conjugia.* Hæc ibi.

His ita constitutis, certum est, Ecclesiæ Catholicæ dogma, nec adulterum conjugem, nec innocentem, superstite alio conjuge, novum posse inire conjugium, quia licèt facultas detur innocenti discedendi à nocente, non tamen permittitur cum alio matrimonium contrahere, ut docent sancti Patres, quorum loca strictim indicare juvat. S. Ambrosius id asserit in cap. 16. S. Lucæ, S. Augustinus in iis, quæ suprà citavimus, locis, S. Anselmus in cap. 5. & 19. S. Matthæi, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Origenes hom. 7. in Matth. cap. 19. S. Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ, & in Epist. ad Amand. & alii passim Patres, & Scripturæ Interpretes & Theologi, ad dist. 35. lib. 4. Sentent.

Regiam hanc evangelicæ pariter & apostolicæ doctrinæ viam, tot Scripturarum locis consecratam, tot sanctorum Patrum vestigiis impressam, ipsa coam institere Concilia.

1°. Enim de fœminis, quæ adulteros maritos relinquunt, & aliis nubunt, ita statuit Concilium Illiberitan. can. 9. in hæc verba: Item fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit, fidelem & adulterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is, quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit. Illud ipsum Illiberitani Concilii statutum recitat Burchardus lib. 9. cap. 63. quod & refert Ivo Decreti sui part. 8. cap. 199.

Hujusmodi statuto mulieres, quæ relicto propter adulterium marito, alteri viro nupserint, arcentur à communione, quippe quæ adulterinas iniere nuptias, à quibus ut illicitis se semper abhorrere Ecclesia in Conciliis & alibi declaravit.

2°. Duo Concilia, Milevitanum scilicet & Africanum, quibus interfuit S. Augustinus, idem declarant & sanciunt. Milevitanum scilicet can. 17. & Africanum cap. 69. Placuit (verba sunt Milevitani Concilii) ut secundùm evangelicam & apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur: sed ita (id est innupti) maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Hic canon ab præfatis duobus Conciliis sancitus refertur 32. q. 7. c. *placuit.* Refertur etiam ab Ivone Decreti part. 8. cap. 200.

3°. Concilium Arelatense I. quod ab Episcopis ex variis orbis terrarum provinciis convocatis est celebratum, eadem de re sic statuit can. 10. De his, inquit, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus suis, licèt adulteris, alias accipiant. Hactenus Concilium Arelatense I. quod & œcumenicum extitisse, & esse illud ipsum quod Augustinus plenarium orbis Concilium vocat, alibi probavimus.

Observandum, in hoc canone prohibitionem ale-

teri nubendi, tam viris, qui suas uxores propter adulterium abdicarunt, quàm uxoribus, quæ suos maritos eamdem ob causam dimiserunt, indictam, vocari consilium, non quòd tam celebris Concilii Patres negent esse veri nominis præceptum ab ipso Christo & Apostolis, ut tale prædicatum & annuntiatum, sed quòd in vitiis corrigendis ea tunc moderatione ob temporum corruptelam uterentur, ut suadere potiùs honesta velut parentes, quàm cogere ut judices videri vellent.

4°. Idem statuit Synodus Anglicana sub Theodoro Episcopo habita anno sal. 663. ut videre est in ejus canone 10. Idem sancit Concilium Forojuliense item can. 10. & Nannetense can. 12.

5°. Idem sanciunt duo Concilia generalia, Florentinum scilicet in decreto Armenis tradito, & sacrosancta Synodus Tridentina sess. 24. can. 7. quem suprà retulimus. Hac de re satis superque. Itaque sit

Quæstiuncula IX.

Utrum maritus & uxor facto divortio, reconciliari possint & debeant.

Respondeo, post divortium, Ecclesiæ judicio propter alterutrius adulterium celebrato, virum & uxorem posse reconciliari. Quamvis enim in utroque jure, canonico scilicet & civili, vigeat hæc regula: *Quod semel bene diffinitum est, nulla debet iteratione retractari*; in hoc tamen casu locum non habet ista regula, eo nomine quòd sententia Ecclesiæ divortium celebrantis virum & uxorem, cognito alterutrius adulterio, non adegerit, sed ab invicem recedendi facultatem dumtaxat impertierit. Et ideo absque retractatione præcedentis sententiæ, possunt secum invicem reconciliari, ut docet S. Thomas in 4. dist. 35. a. 6. ad 1.

Unde si uxor adulterii rea, post divortium de peccato pœnitentiam agens suæ emendationis indicia præbuerit, potest eam vir sibi reconciliare: si autem ita perseveret in peccato, ut desperata illius emendatio appareat, non debet eam ad se revocare, ob eamdem omnino rationem, qua eam nolentem ab peccato abstinere, nec debuit retinere, nec potuit.

Quidquod, maritus uxorem facto propter adulterium divortio, non tenetur ad pristinam amicitiam revocare, tametsi illam anteactæ vitæ, sicut oportet, pœniteat. Nam quamvis præfatæ uxoris pœnitentia maritum inducere debeat, ut fornicantem non accuset, aut dimittat, ad id tamen nullo pacto cogi potest. Nec uxor per suam pœnitentiam illum ab accusatione repellere potest: quia cessante culpa, & quantùm ad actum, & quantùm ad maculam, adhuc remanet aliquid de reatu; & cessante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad pœnam humano judicio inferendam, quia homo non videt cor, sicut Deus, ut docet S. Thomas loco cit.

Hoc ipsum docet Gregorius Papa IX. extra *de conversione conjugat.* cap. *gaudemus.* Mulieres, inquit, quæ relicto maritali thoro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant. Hæc ibi de mulieribus statuuntur, quæ sunt condemnatæ per sententiam: vel adulterium earum publicum & notorium est secuta sententia, unde viri eas recipere non coguntur, infrà *de divort.* cap. *significasti.* etiamsi sint emendatæ, ut declarat Glossa in cit. locum.

Quæ quidem verba cum aliqua exceptione sunt intelligenda. Hanc exceptionem indicat Alexander Papa III. in cit. cap. *significasti.* Quòd si, inquit, notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse. Hæc ibi.

Hunc locum sic interpretatur Glossa ad ista verba, *nisi constaret.* Ita, inquit, quòd esset notorium adulterium viri: aliàs mulierem oporteret priùs probare adulterium viri, & sic crimina mutua pari compensatione tolluntur, 32. quæst. 6. cap. *nihil.* ubi citatur S. Augustinus aiens, nihil esse iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet à fornicatione purgatus esse: quod similiter etiam de fœmina dixerim. Hæc ibi.

Constat igitur, virum innocentem ad uxorem adulteram sibi reconciliandam obligari. Unde cùm dicitur in cap. *si vir. de adult.* virum sibi debere uxorem adulteram reconciliare, hunc loquendi modum Glossa ab omnibus hac in re recepta explicat de honestatis debito: sicut & S. Augustini locus ex lib. 1. de adulterin. conjug. cap. 5. relatus cap. *quod autem.* 32. quæst. 1. intelligendus est. Quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt Dominum ignovisse? Quod idem est, ac si diceret: Oportet virum ignoscere uxori adulteræ ex honestatis debito, non autem ex præcepto. Nam distinguenda sunt odia, quæ quemque ex præcepto deponere necesse est, sicut & externa benevolentiæ signa, ut puta salutationes, & alia id genus, quæ quilibet Christianus suis etiam inimicis exhibere debet. Ista, inquam, secernenda sunt à pœnis, quas maritus innocens uxori adulteræ debitas in judicio exigere potest.

Quamvis igitur maritus uxori adulteræ petenti & resipiscenti veniam indulserit, ab ipso tamen potest accusari, ut constat ex cap. *Admonere.* quod est Stephani Pontificis 33. q. 2. & ex cap. *de Benedicto.* 32. q. 1.

Ut huic quæstiunculæ suus imponatur finis, duo sunt observanda, quorum

Primum est, divortium inductum esse in favorem viri, & ideo nihil posse derogare juri, quo potest ipse vir debitum petere ab uxore, quod ipsi reddere tenetur, sicut & ad ipsum regredi, si revocata fuerit ab ipso, nisi de ejus licentia continentiæ votum emiserit.

Secundum est, virum qui priùs innocens erat ante divortium, & adulterium admisit celebrato divortio, non oportere cogi secundùm rigorem juris ad recipiendam uxorem adulteram; illum tamen secundùm æquitatem juris, judex ex officio suo admonere deberet, ut caveret periculo animæ ejus (uxoris adulteræ) & scandalo aliorum, quamvis uxor reconciliationem petere nequeat.

Quæstiuncula X.

Quænam pœnitentiæ olim mulieribus adulteris injungerentur.

Respondeo, varias illis impositas fuisse pœnitentias pro varietate adulteriorum, in quæ se implicabant. Nam de muliere, cujus erat publicum adulterium, sic statuit Concilium Nannetense: *Si cujus uxor*, inquit, *adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem. Illa verò septem annis publicè pœniteat.* Hactenus Concil. Nannet. cap. 12.

De muliere autem, quæ cum alieno viro toto vitæ curriculo mœchata fuerat, sic constitutum est in Concilio Illiberitano: *Si qua mulier*, inquit, *usque in finem vitæ cum alieno fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem, actâ legitimâ pœnitentiâ.* Hactenus dictum Concilium can. 64.

Jure ac meritò Illiberitani Concilii Patres mulieri in perpetuis cum alieno viro adulteriis volutatæ, in extremo etiam vitæ spiritu communionem denegandam esse statuerunt. Dum enim vigeret pœnitentialis disciplina, communio denegabatur hujusmodi hominibus, qui neglectâ toto vitæ decursu pœnitentiâ, illam in extrema vitæ periodo petebant, ut videre est in can. 22. Concilii Arelat. I. quod œcumenicum appellant viri docti, & nos alibi tale extitisse probavimus. *De his qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, nequidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti, petunt communionem; placuit, eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Hactenus Concilium Arelatense I. anno Redempt. 314. celebratum.

Idem omnino sentit & scribit S. Cyprianus Epist. 51. ad Antonian. ubi asserit, homines nullâ pœnitentiâ (dum erant sani) perfunctos, & communionem & pacem in infirmitate & periculo deprecatos, ab ejusdem communionis & pacis spe prohibendos; utpote quos rogare non delicti pœnitentia, sed mortis admonitio compelleret. Et tandem ita concludit ibid. S. Cyprianus: *Nec dignus est*, inquit, *accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.*

Tanta severitas heroïcis illis S. Cypriani temporibus viridi colebatur observantia, ne propter crebras persecutiones communionis concessa facultas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, ut loquitur Innocentius Papa I. Epist. 3. ad Exuper. cap. 2.

Propter hanc ipsam rationem, ne scilicet libidinosæ mulieres omnem vitam in adulteriis absumerent, illis in fine vitæ communionem denegandam esse censuerunt.

De viris, qui inito matrimonio in adulterium prolapsi fuerant, sic statuit idem Concilium Illiberitan. *Si quis fortè habens uxorem, semel fuerit lapsus, placuit, eum quinquennio agere pœnitentiam, & sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas observandum.* Hactenus dictum Concilium can. 69.

Circa hunc canonem observandum est, cum Ferdinando Mendoza, marito adulteranti impositam esse pœnitentiam toto quinquennio peragendam; quòd si quinquennii tempore adversa valetudine uteretur, si mortis instaret periculum, communionem accipere posse, factâ gratiâ, decernitur. Si verò convaluerit, & post id tempus in pœnitentia transactum, & impetratam reconciliationem, iterum lapsus fuerit, in morte tantùm esse conveniendum, docemur hujus ipsius Concilii can. 47. superiori. Quòd si promiserit cessaturum, dandum ei communionem. Si autem à morbo liberatus, iterum mœchatus fuerit, ne detur ei communio pacis, vel panis, ne de dominica communione lusisse videatur. Hactenus cit. Mendoza.

Ex hujus observatione discant Confessarii, viros adulteros (quod & de fœminis asserendum est) bis dumtaxat ad reconciliationem admitti, juxta canones Illiberitanos: ita ut si tertiò in adulterium revoluti fuerint, arceantur ab communione pacis & panis, ne de dominica communione lusisse videantur. Id, inquam, discant indulgentiores & molliores quidam Confessarii, qui viros & mulieres in diuturnam fornicationum & adulteriorum consuetudinem immersos blandiùs excipiunt, & toties quoties ad vomitum & ad sacramentum redeunt, absolvunt intrepidè, & sese miserabilem in modum alienorum peccatorum participes efficiunt.

Quòd si conscio marito, & ipso consentiente, fuerit uxor mœchata, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem: si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem. Hactenus canon 70. Concilii Illiberitani, ex quo perspicitur, quantum sit crimen mulieris, quæ sese, conscio & consentiente marito, prostituerit, & quantam utrique pœnam infligi oporteat.

QUÆSTIUNCULA XI.

Quandonam separatio quoad thorum seu usum matrimonii, ut puta conjugum cohabitationem, vel mutuam conversationem, ad tempus, aut nulla temporis habita ratione, non solùm propter adulterium, sed etiam aliis, & quibus de causis, secundùm canones apud competentem judicem celebrari possit aut debeat.

RESPONDEO, ut rem altiùs repetam, divortium celebrari posse vel debere:

1°. Propter adulterium alterutrius conjugum, c. *interveniente*. c. *Apostolus*. 32. q. 7. licèt conjux committendi ejus occasionem dederit, c. *ex litteris. hic.* cap. *Itane*. 32. q. 5. c. *licitè*. 32. q. 7. Quæ regula suas habet exceptiones: nam revera propter adulterium divortium celebratur.

Nisi uterque conjux adulterium commiserit, cap. *significasti*. & cap. seq. *hic*.

Nisi maritus uxorem prostituat, cap. *discretionem. de eo qui cognov. consanguin. uxor.*

Nisi uxor animum adulterii committendi non habuerit, puta quia per errorem ab eo quem maritum putabat, fuit cognita, c. *in lectum*. 34. q. 2. per vim compressa, c. *proposito*. 21. q. 5.

Nisi maritum credens esse mortuum, alteri nupserit, c. *cùm per bellicam*. 34. q. 1. & 2. extra *de secund. nupt.* c. *Dominus*.

Nisi maritus post adulterium uxorem sibi reconciliaverit, c. 1. & 2. & 3. 32. q. 1.

2°. Celebrari potest divortium propter alterutrius conjugis furorem, si sit tam vehemens & ardens, ut probabile mortis periculum inducat. Covarruvias 2. p. cap. 7. §. fin.

3°. Celebrari potest divortium, si alteruter conjugum labatur in hæresim, c. 2. *hic*. cap. fin. *de conversion. conjugat.* & præsertim si hæretica persona alteram suam in hæresim pertrahere moliatur.

4°. Id ipsum factitari potest & debet propter sævitiam, c. *litteras. de restitutione*. si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri: non solùm non debet illi restitui, sed ab eo potiùs amoveri, ut decernit Innocentius Papa III. loco proximè citato.

Tunc nempe facienda est separatio propter sævitiam, cùm alter conjugum vel veneno, vel fustibus, aut gladiis vitæ alterius insidiatur, c. 1. & 2. *hic*. c. 1. *ut lite non contest.* c. *litteras*. & ibi Abbas *de restit. spoliat.*

5°. Propter sodomiæ crimen, c. *omnes causationes*. 33. q. 7. Abbas in cap. *maritis. de adult.*



Quæstsuncola XII.

Utrum mulier de mariti consensu, sui copiam alteri facere, vel filias prostituere possit, ad sublevandam familia egestatem & inopiam.

Respondeo, nec mulierem posse sui copiam facere, nec ejus maritum posse illi sese prostituendi facere facultatem, quin teferventissimum lenocinii crimen admittat, seseque teddat indignum, cui vel in supremo vitæ halitu communio concedatur. Id enim ita constitutum est can. 12. Concilii Illiberitani in hæc verba: *Mater vel parentes vel qualibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs suum, placuit eam nec in fine accipere communionem.* Hactenus canon cit. Concil.

Ergo tam mariti quàm mulieres tanto addicti flagitio habebantur illis temporibus veluti monstra quædam, nulla virtute tedempta à vitiis, quæ ideo Ecclesia sic tamquam membra propudiosa & immedicabilia è suo sinu revulsa, dæmonum tyrannidi & arbitrio permitteret.

Revera tale peccatum semper non solùm apud Christianos, sed etiam apud ethnicos quantâ maximâ infamiâ est notatum, teste Ulpiano lib. 4. §. *ait prætor. de his qui notantur infamiâ.*

Imperatores Valentinianus & Theodosius infamiæ notam ad plectendum lenocinii flagitium vix at ne vix quidem sufficere censuerunt, utpote qui filios vel ancillas, quibus parentes vel domini hanc peccandi licentiam vel necessitatem imposuerint, à nexu suæ potestatis absolvi implorato Episcoporum vel defensorum suffragio constituerunt; additâ etiam exilii, & damnationis in metallum pœnâ. Ita sanxere Valentinianus & Theodosius Impp. io l. *lenones.* fin. C. *de spectaculis.* lib. 10.

Quod cùm ita sit, ab debita lenónibus pœna eximi non possunt servi, vel ancillæ, vel aliæ quælibet personæ, quæ vel quæstûs gratiâ, vel herorum, aut quorumlibet aliorum imperio, vel persuasione, vel precibus, vel alia quacumque ratione munuscula (pullos vocant vulgò) vel schedulas perferunt ad fœminas, quas viros ad omnem impudicitiam projectos constuprare velle resciunt. Tunc enim suam operam conferunt ad omnia ea crimina, quæ munuscula, delatasque schedulas consequuntur. Si hoc autem lenocinari non est, quid sit verè lenocinari, nemo asserere potest.

Unde perspicuè cernitur, qoàm turpiter hallucinatus sit recoctus quidam Casuista, qui scripsit, servos, vel ancillas, vel alias quascumque personas nihil peccare, munuscula vel litteras ad virgines, vel mulieres ad illicitos amplexus alliciendas perferendo, modò id temporalis lucri gratiâ factitarent.

Quotquot Christiani sese in tale commerciom implicant, meminerint Creatoris sui, & sua novissima meditentur, & confidant, Deum sibi singulari providentia affuturum, & bona temporalia concessurum, si præstitam illi fidem & debitam ipsius mandatis obedientiam & reverentiam exhibuerint. Qua de re fient certiores, si legant hac de re multò pulcherrimam historiam, quam litteris prodidit Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 189.

Quæstiuncula XIII.

Utrum puella vel mulier desponsata viro ipsius pudicitiam labefactare molienti, tota virium contentione absistere & reluctari teneatur.

Respondeo, quamcumque fœminam ad omnes vires hac in parte exercendas obligari. Si enim puella desponsata stuprum in civitate passa censebatur (ut patet ex cap. 22. Deuteroo. v. 25.) in stuprum consensisse, & ideo rea mortis habebatur; eo uno dumtaxat nomine, quòd non clamaverat, seu suis clamoribus vicinorum (à quibus è tanto periculo fuisset erepta) opem non imploraverat: quidni fœmina, cujus pudicitia, vel prece, vel pretio, vel adhibitâ violentiâ sollicitatur, coram hominibus & coram Deo violatæ pudicitiæ censeatur rea, nisi & prece & pretio generosè contempto, oblatam vim, adhibitâ eâ, quâ poterit, vi refellere moliatur?

Quòd si, ut ait S. Augustinus lib. 1. de Civit. cap. 26. quædam sanctæ fœminæ tempore persecutionis, ut insectatorem suæ pudicitiæ devitarent rapturum atque necaturum, se in flumen projecerunt: eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur: quidni mulieres, quarum pudicitia appetita fuerit, advocatis omnibus & corporis & animi viribus, libidinosorum hominum sibi sui sexûs decus & ornamentum adimere volentium, nefarios conatus retundere tenebuntur?

Si enim sanctæ Pelagiæ mater & sorores sese in obvium immisere flumen, ut suam pudicitiam ab omni impiorum satellitum libidine & piaculo sartam-tectam conservarent, & si præterea earum martyria singulari veneratione prosequitur Ecclesia; (quod de S. Pelagia prodit S. Joannes Chrysostomus, ut legere est apud Surium tom. 3 die 9. Junii) non propterea mulieribus sese in profluentem conjicere, aut sibi alia quapiam ratione mortem consciscere, sed usque ad sanguinem malos perditorum libidini abstinere licebit. Quod enim fecere præfatæ fœminæ præcipiti impetu in flumen insiliendo, hoc fecere, ut credibile est, *divinitus jussa: non humanitus decepta, nec errantes, sed obedientes,* sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere, ut ait S. Aug. loco cit.

Quòd si contingeret, mulieres fortissimè reluctatas ab improbis opprimi & comprimi, atque adeo obstinatam pudicitiam victrix libido vinceret, corpus quidem esset violatum, sed animus insons: tunc tota noxa ab ejusmodi mulieribus averteretur in authores delicti. Nemini enim latet, mentem peccare, non corpus, & unde consilium abfuerit, culpam pariter abesse.

Nam *quamvis*, ut ait S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 19. *nullus omnino inveniatur exitus, ubi dicitur: Si adultera, cur laudata? si pudica, cur occisa? nobis tamen in hoc tam nobili fœmina hujus exemplo ad istos refutandos, qui Christianis fœminis in captivitate compressis alieni ab omni cogitatione sanctitatis insultant, sufficit quod in præclaris ejus laudibus dictum est: Duo fuerunt, & adulterium unus admisit. Talis enim ab eis Lucretia magis credita est, qua se nullo adulterino potuerit maculare consensu. Quòd ergo seipsam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etiamsi non secum: & Romana mulier laudis avida nimiùm verita est, ne putaretur quòd violenter est passa, cùm viveret; libenter passa, si viveret. Unde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putavit, quibus conscientiam demonstrare non potuit.* Hactenus S. Augustinus loco citato, qui & ait ibidem, *Christianas mulieres fuisse quidem in captivitate compressas, non tamen à seipsis occisas: quippe quæ haberent intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ coram oculis Dei sui, nec requirerent ampliùs, ubi quid rectè facerent, non ampliùs haberent, ne deviarent ab authoritate legis divinæ, cùm malè devitant offensionem suspicionis humanæ.* Hæc ibi.

Quidquod, mulieri ad impudicitiam sollicitatæ, si ab omni ope deserta fuerit, nec ei alia propu-

gundæ pudicitiæ ratio suppetat, hominem vel blanditiis, vel potiùs aperta vi suum corpus dedecorare annitentem interficere licet, perinde ac si in eo rerum articulo illi transcripta esset authoritas publica, quæ ad retinendam publicam honestatem & tranquillitatem debitâ pœnâ, honestatis hostes & prædones affici non solùm patiatur, sed etiam imperet. Unde Judita præter cæteras Hebræorum mulieres est nobilitata, eo quòd primo, quem reportavit, triumpho, prohibuit, ne populus Dei prophanis se dederet, ne ritus patrios & sacramenta proderet, & maximè ne sacras virgines, viduas graves, pudicas matronas barbaricæ subjiceret impuritati, ut ait S. Ambros. lib. 3. Officior. cap. 13.

Quæstioncula XIV.

Cur invasorem pudicitiæ suæ cuilibet occidere sit licitum: marito autem deprehensam adulterio uxorem necare non liceat.

Respondeo, esse plurimorum Theologorum sententiam, licitum esse mulieri, adolescenti, & cuivis alteri suæ pudicitiæ invasorem occidere, si non possit aliter eam ab invasoris impetu violentiaque asserere. Ita Sylvester v. *homicidium.* 1. q. 5. Petrus Navarra, libro 2. capite 3. Salonius & alii.

Observabit Lector cordatus & benevolus, legem mulieri suæ pudicitiæ invasorem interficere permittentem, approbari ab S. Augustino lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. Sic ibi enim cum Evodio colloquitur: qui quidem Evodius, cùm S. Augustinus dixisset, se legem quidem mulieri suæ pudicitiæ invasorem interficiendi jus tribuentem, non reprehendere, sed quo pacto mulieres aut viros, qui in tali casu interficerent, defenderet, non invenire. Cùm, inquam, ita locutus est S. Augustinus, respondit Evodius, se multò minùs invenire posse, cur ipse S. Augustinus hominibus defensionem quæreret, quos reos nulla lex teneret.

Ratio inde petitur, quòd imbellis fœminarum sexus, (nisi ab omni ratione & pietate sit desertus) nihil habeat, nec habere debeat suo pudore & pudicitiâ antiquius & pretiosius. Quid enim salvi est mulieri amissâ pudicitiâ, quam bene moratæ mulieres omnibus bonis & opibus antepoount? Quid enim est mulier, quæ innatæ suo sexui verecundiæ fines prætergressa, sui corporis copiam alienis hominibus facit? Quid est, inquam, præter monstrum, quo fœdius, aut horribilius nullum Sol illuxit alterum? Ergo mulieres tota virium contentione, etiam cum generoso vitæ dispendio, in suæ pudicitiæ propugnationem incumbere necesse est. Quod egregiè factitatum est ab quadam muliere nostræ gentis, quæ, ut est apud Gregorium Turonensem, virum suæ pudicitæ insidiatum mirabili fortitudine jugulavit, ut alibi ex eodem Gregorio recitavimus. Nihil enim turpius muliere sese pervulgante. Nam, ut ait sanctus Spiritus Ecclesiastici cap. 9. vers. 10. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus conculcabitur.* Comparatur videlicet mulier fornicaria stercori ob intolerabilem corporis & animæ fœtorem, vilitatem, & abominationem, quæ tanta est, ut hujusmodi fœminas ad omnem libidinem & concubitum projectas viri nondum ab honestate derelicti affari & accedere perhorrescant.

Quæ cùm ita sint, quis inficiari velit, universas virgines & mulieres ad propulsandos perditorum suæ castimoniæ insidiantium impetus obligari?

Facessant igitur nonnulli Casuistæ molliores, qui asserunt, Susannam conjugalis castimoniæ propugnatricem acerrimam, potuisse in tanto infamiæ & mortis periculo, ad quod ipsam libidinosorum senum improbitas adegerat, habere se negativè, ut aiunt, id est, in se ipsorum libidinem permittere, modò interno actu in eam non consensisset, sed illam detestata & execrata fuisset. Unde non tenebatur exclamare, ut ait Soto lib. 5. de justit. & jure q. 1. a. 5. & Navarrus Manual. cap. 16. nu. 1.

Istam tantorum hominum (si Superis placet) Theologiam, si docerentur & virgines, & mulieres, omnia proculdubio stupris & adulteriis, aliisque impudicitiæ generibus redundarent. Ad alios ergo, si non doctiores, at certè castitatis alienæ studiosiores Theologos confugiamus, & discamus ab eis, omnem sive virum, sive fœminam, in pudicitiæ profligandæ discrimen adductam libidinoso cuique, etiam usque ad sanguinem, resistere oportere; & nisi alia tuendæ ejusdem pudicitiæ ratio suppetat, nefarium ejus insidiatorem, voluntariumque deprædatorem interficere posse.

Et hæc est genuina ratio, cur virgini, mulieri, aut alii cuilibet quemlibet suam pudicitiam deprædari parantem & molientem, stricto gladio confodere licet.

Cur autem marito uxorem adulteram in adulterio deprehensam enecare non liceat, hæc ratio pulchrè explicat, quòd scilicet alias possit inire vias, quibus ab uxore adultera pœnas repetat. Quod perspicuum est. Cato, ut refert Gellius lib. 10. cap. 23. conquerebatur olim, quòd de jure occidendi ita scriptum esset: In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares. Illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est. Hæc loco citato.

Hanc ideo legem reprobarunt sancti Patres, & inprimis S. Gregorius Nazianzenus orat. 31. dum ait, hanc legem suffragari viris eo duntaxat nomine, quòd ab ipsismet viris adversus fœminas condita fuerit. Cur autem viris, uxorum propter adulteria, cæde sit interdictum, potissima hac ratione probari videtur, quòd scilicet etiam propter suspiciones vel leves & temerarias ab maritis cæco zelotypiæ furore percitis, vel ipsæ vel viri adulterii suspicione aspersi, vel ambo fuissent enecati. Quod quidem sæpe contigisse, Authores optimi commemorant.

Testis est Ursicius, qui cùm uxorem suam nomine Theodotam, ab S. Barbatiano ex lethali sanguinis profluvio recreatam, ab eodem Christianis documentis imbui cerneret, in tantum ob id zelotypiæ cæco furore exarsit, ut quadam die sub auroram in Barbatianum qui orabat in templo Deum, districto ense impetum fecerit. Sed continuò aruit manus, immobilisque permanens, Deum Sancto orante, Deus illi restituit sanitatem, ut legere est apud Surium tom. 7. in Vita S. Barbatiani Ravennatensis Presbyteri.

Testis est Partenius, regnante Theodeberto ærarii Præfectus, qui, ut vetus Francorum Historia testatur, cùm uxorem suam & Ausanium amicum suum quasi adulteros interemisset, subitò per somnium magnam vocem emittit dicens: Heu! heu! succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti. Ausanius amicus meus cum Papianilla conjuge, quos olim interfeci, ad judicium me arcessunt, dicentes: Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo quippe (ut proditum est ab Gregorio Turonensi lib. 3. Histor. Francor. cap. 16.) ductus ante annos aliquot conjugem innocentem, amicumque peremerat.

Testis denique est celeberrima illa Vercellensis mulier, quæ ab marito cæco zelotypiæ furore percito, de adulterio publicè accusata, impactum sibi crimen semper & strenuè pernegavit, etiam post falsam præposteramque confessionem adolescentis cum ipsa pariter accusati, qui sese adulterii sic tamquam à seipso & præfata muliere perpetrati reum

confessus fuerat, ut tormentorum acerbitatem effugeret; capitali tamdem supplicio est addicta cum illo ipso juvene miserrimo, cujus caput ad primum statim ictum amputatum est. At strenua illa mulier per suam ipsius innocentiam, hominum equidem, vel errore vel malitiâ obrutam, sed divinitus patefactam, de calumnia, de gladio septies incassum, in ipsius caput innocuum librato, atque adeo de ipsa morte, alioquin opperienda, magnificè triumphavit. Totam hanc historiam graphicè depingit S. Hieronymus Epist. 49.

Hujusmodi historiæ satis superque declarant, quàm molles & faciles sint quidam mariti ad suscipiendam suspicionem & opinionem, quâ persuasum habent, uxores suas violare datam ipsis fidem, & ideo in illas, & in eos quos earum adulteros arbitrantur, sæviant.

Unde jura ac meritò divinis pariter & humanis legibus mulierum etiam in flagranti adulterio deprehensarum cædes, omnibus maritis est interdicta, qui alioquin eas non solùm propter adulteria, sed etiam propter adulteriorum suspicionem, quâ ipsas aspergerent, impunè interfici posse, in animum induxerant suum. Et de his hactenus.

Quæstio LXXXVII.

De secundis nuptiis.

Quæstiuncula I.

An licita sint secunda nuptia.

Respondeo, esse licitas, modò alterutrum conjugem è vivis excessisse constet. Nostra illa responsio pertinet ad fidem Catholicam, utpote quæ irretractabili Scripturarum authoritate nititur, & non scripta traditione, & perpetuo Ecclesiæ usu corroboratur.

Id confirmat Apostolus Rom. cap. 7. v. 2. *Qua sub viro est mulier*, ait, *vivente viro alligata est legi: si mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Hæc ibi.

Id ipsum asserit ille ipse Apostolus 1. Corinth. cap. 7. v. 39. *Mulier*, inquit, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat tantùm in Domino.*

Illud ipsum dogma Catholicum astruit idem Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. v. 14. *Volo ergo*, inquit, *juniores* (viduas) *nubere, filios procreare, matresfamiliàs esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.* Hæc ibi.

Est igitur veritas Catholica secundas, tertias, quartas, & ulteriores nuptias ab viris & mulieribus iniri posse, ubi primùm alteruter obierit supremum diem: quia, ut observavit S. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 12. cùm Apostolus ait 1. Corinth. cap. 7. *Mulier*, &c. *si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*; non dicit, primus vir, aut secundus, aut tertius, sed indefinitè locutus est. Quod spectat ad traditionem non scriptam & perpetuum Ecclesiæ usum, constat, antiquos Patres hanc veritatem ab omni ævo docuisse, illamque in praxim nonquam non Ecclesiam contulisse.

Id enim docuit antiquissimus Tertullianus adhuc Catholicus lib. 1. & 2. ad Uxorem: sed quod docuerat, abdicavit in lib. de Monog. cap. 15. ita nempe desipuit in Montanistarum hæresim illapsus.

Cæteri Patres in sententia Catholica vixerunt & obierunt, secundas videlicet nuptias & ulteriores ab quibuslibet, demortuo alterutro conjuge, contrahi posse.

Hujus rei pulcherrimum est exemplum ab S. Hieronymo in Epist. 11. ad Ageruchiam inscripta recitatum. Rem dicturus sum incredibilem, inquit, sed « multorum testimoniis approbatam. Ante annos plu- « rimos cùm in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum « Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occi- « dentis synodicis consultationibus responderem, vidi « duo inter se paria vilissimorum è plebe hominum com- « parata, unum qui viginti sepelisset uxores, alteram « quæ vicesimum secundum habuisset maritum, extre- « mo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos. « Summa omnium expectatio, virorum pariter ac fœ- « minarum, post tantas rudes, quis quem priùs efferret. « Vicit maritus, & totius urbis confluente populo co- « ronatus, & palmam tenens adoreamque, per singu- « los sibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præ- « cedebat. Hæc ibi.

Hæc historia declarat, secundas, tertias, quartas (& sic de aliis ulterioribus est asserendum) fuisse licitas. Nam præter Hieronymum loco proximè citato, & aliis in locis, ut pura in apologia pro libris contra Jovinianum, & in præfat. commentarii in Jesemiam, alii Patres hanc Ecclesiæ traditionem & usum semper litteris prodiderunt: inter quos S. Augustinus lib. de bono viduitat. cap. 10. & 12. S. Joannes Chrysostomus hom. 20. in Epist. ad Ephes. S. Ambrosius in libro de viduis, S. Epiphanius hæres. 48. & 56. & alii Catholicam hanc doctrinam constantissimè docuerunt.

Huic eidem doctrinæ suffragatur canon 8. Concilii Nicæni, quo sancitum est, Novatianos pœnitentes non esse recipiendos, nisi repromittant, se communicaturos cum iis, qui ad secunda matrimonia legitimè transierint.

Idem statuit Synodus Florentina in Decreto Armenis tradito, ubi secundæ, tertiæ, quartæ & ulteriores nuptiæ, sic tamquam licitæ approbantur.

Quæstiuncula II.

Utrum secundum matrimonium sit veri nominis sacramentum.

Respondeo, secundum matrimonium esse verum sacramentum, eo quòd omnia ad essentiam sacramenti pertinentia in eo reperiantur, legitimæ scilicet personæ, quæ secundi matrimonii, sicut & primi, debitam materiam, etsi remotam, constituunt. Invenitur etiam in secundo matrimonio consensus interioris per verba aut aliquot signa verbis æquivalentia, expressus; & hæc expressio cujuslibet matrimonii materiam propinquam & formam constituit. Unde colligitur, secundum matrimonium verum esse sacramentum.

Quæstiuncula III.

Cur secundis nuptiis non benedicatur, & id prohibeant canones.

Respondeo, benedictionem à secundis nuptiis subtrahi, eo nomine, quòd habeant aliquem defectum sacramenti. Hoc est, licèt secundum matrimonium sit veri nominis sacramentum, in se scilicet consideratum, si tamen consideretur in ordine ad primum matrimonium, habet aliquid de defectu sacramenti, & maximè si secundum matrimonium tale sit ex parte mulieris, tametsi sit primum ex parte viri.

Ratio inde petitur, quòd mulier, cùm secundas init nuptias, tollit omnino significationem conjug-

ctionis Ecclesiæ cum uno Christo: siquidem æternam illam unius Christi cum una Ecclesia conjunctionem, quam in primis nuptiis repræsentavit, in secundis, alterum scilicet maritum assumendo, tollit, quia, ut antea, repræsentare desinit. Quòd si virgo contrahat cum viro, qui jam uxorem duxerit, nihilominus nuptiæ benedicuntur, si videlicet, ut supponimus, tales nuptiæ ex parte viri dumtaxat sint secundæ. Nam significatio conjunctionis Ecclesiæ cum uno Christo in tali matrimonio salvatur aliquo modo, etiam in ordine ad primas nuptias. Siquidem Christus, etsi unam dumtaxat sponsam, Ecclesiam scilicet, habeat, in una tamen Ecclesia habet plures personas sibi per fidem & charitatem desponsatas cum Ecclesia: & quælibet anima fidelis nullum præter eumdem Christum sponsum habere valeat: ab eo certè si per flagitium lethale desciverit ad dæmonem, non contrahi cum ipso, sed abdicato priori & unico fidelium animarum sponso, teterrimè fornicatur.

Non ergo impenditur benedictio in secundis nuptiis, quando scilicet sunt secundæ & ex parte viri & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm. Unde benedictio non est adhibenda, quando mulier secundò nubit, quamvis illam adhuc virginem esse constet, nisi fortè in primis nuptiis aliquo casu prætermissa fuerit. Cùm enim conjuges in primis nuptiis accepere benedictionem, in secundis benedici non debet, ut statutum est in Rituali Romano Pauli Papæ V. jussu edito: sive nuptiæ secundæ sint in utraque parte, sive ab altera semel benedicta. Ibi tamen hoc additur: Ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini umquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est; sed viduæ nuptias non benedicat Parochus, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit. Hæc habentur in Rituali Romano præfati Pauli Papæ V. jussu edito.

Hic observabit Lector, per benedictionem, eam dumtaxat intelligi, quæ celebrato matrimonio pariter & sacrificio, utrique conjugi in Ritualibus danda præscribitur.

QUÆSTIUNCULA IV.

Cur Sacerdotes secundis nuptiis interesse prohibeantur in jure canonico: cum enim nemo arcendus sit ab rebus honestis & licitis, secundæ nuptiæ videntur illicitæ eo nomine, quòd Sacerdotes ab illarum celebratione abesse jubeantur.

RESPONDEO, non sequi, secundas nuptias esse illicitas ex eo, quòd Sacerdotes ab ipsis abesse jubeantur. Id enim ita constitutum est in jure, ut rescirscerent homines divinis mysteriis addicti non solùm ab illicitis, sed etiam ab illis quæ habent aliquam turpitudinis speciem, abstinere se oportere, & ideo ipsos arceri ab secundis nuptiis, utpote quæ licèt sint licitæ, eâ tamen, quæ primas comitabantur nuptias, honestate careant: siquidem carent illo honore significationis, quo primum honestatur matrimonium, ut scilicet sit una unius, sicut est in Christo & Ecclesia.

QUÆSTIUNCULA V.

Cur pro secundis nuptiis homines incurrant irregularitatem: ita ut quisquis secundum inierit matrimonium, ad ordinis Sacramentum promoveri nequeat; quod vid[...]r injustum. Nemo enim ex re licita debet reportare pœnam.

RESPONDEO, irregularitatem non semper induci propter culpam, sed propter defectum sacramenti. Unde secundum matrimonium impedit sacramentum ordinis, quantùm ad id quod habet de defectu sacramenti, & non in quantum est sacramentum.

Cùm ergo dicitur, secundum matrimonium importare sacramenti defectum, id intelligendum est de defectu dumtaxat accidentario & extrinseco, non autem essentiali & intrinseco, qui veram sacramenti rationem, quam secundum obtinet matrimonium, penitus excluderet: alioqui quomodo sacramenti essentia cum sacramenti defectu consisteret?

QUÆSTIUNCULA VI.

An & cur pœnitentia hominibus ad secunda matrimonia transeuntibus injungeretur.

RESPONDEO, revera viris ad secunda, ad tertia & ulteriora matrimonia transeuntibus impositam fuisse pœnitentiam, ut patet ex canon. 3. & 7. Concilii Neocæsariensis, ex can. 19. Concil. Ancyrani, & ex can. 1. Concilii Laodiceni.

Isti canones in citatis Conciliis sunt conditi, eo quòd bigamiam apostolicis institutis in remedium humanæ imbecillitatis concessam licentiùs fideles & passim admitterent, eos qui denuo nuberent, & conjugia sæpius iterarent, non absque pœnitentia Episcopi in præfatis Conciliis, Neocæsariensi scilicet, Ancyrano & Laodicensi congregati, versari in Ecclesia permiserunt, non ut secunda matrimonia improbarent aut dissolverent, sed ut plurium nuptiarum viri suam incontinentiam pluribus matrimoniis testatam, ab Apostolorum successoribus damnari plectique intelligerent. Qua de re præclarè Baronius ad ann. Christi 314. nu. 91.

Quamvis igitur magnum Concilium can. 8. secundas approbet nuptias, nihil tamen derogat primo Laodiceni Concilii canoni, quo pœnitentia viris ad secunda matrimonia convolantibus per aliquod tempus peragenda indicitur, non quòd secundas nuptias ineundo peccent, (siquidem apostolicis litteris, ut suprà vidimus, conjugatis, altero demortuo conjuge, ad secunda matrimonia transeundi facultas conceditur, ita tamen ut nubant tantùm in Domino) sed quòd suam ipsorum incontinentiam repetitis matrimoniis testatam faciant, & bigamiam ad solatium infirmitatis humanæ indultam licentiùs usurpare videantur.

QUÆSTIO LXXXVIII.

De raptu.

QUÆSTIUNCULA I.

Quomodo definiatur raptus.

RESPONDEO, rectè definiri posse fœminæ cujuspiam invitæ violentam abductionem, seu traductionem de loco ad locum, in quo in raptoris potestatem

potestatem redigatur matrimonii contrahendi, vel libidinis explendæ causâ.

Hujus definitionis singulæ partes sunt explicandæ.

1°. Igitur inchoatur definitio ab isto verbo, *fœmina*, quia licèt ad raptum, prout quædam luxuriæ species constituitur à S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 7. indifferens sit, an mas, an fœmina explendæ libidinis causâ violenter abducatur; tamen ad raptum, qui inter impedimenta dirimentia recensetur, requiritur ut fœmina violenter abducatur, ut constat ex sess. 24. Concil. Trid. de reformat. matrim. cap. 6.

2°. Additur, *invita*: quia cùm Ecclesia sæpenumero declaraverit, solius contrahentis, non autem parentum aut tutorum, liberum voluntariumque consensum ad legitimum matrimonium exigi, contrahentium libertati spontaneoque matrimonio consulere voluit, ne ex matrimoniis coacto consensu initis, innumera mala in temporaria conjugum incommoda & in æternam vel alterutrius, vel utriusque damnationem seriùs ocyùs evasura prosilirent.

1°. Enim dicitur violenta respectu puellæ, quæ abducitur, si quovis modo illi violentiæ metus incutiatur, ut puta si videat homines armatos ad ipsam vi rapiendam comparatos. Ut enim antea diximus, metus armorum constantem virum perterrefacere potest, & reipsa perterrefacit, tametsi qui illa portant, iis nec usi fuerint, nec utantur.

2°. Ipsa illa abductio violenta censetur, atque adeo veri nominis raptum efficere, si mulier reluctans & invita abducitur, tametsi parentes ejus hujusmodi abductioni consentiant. Ipsi enim parentes non habent dominium corporis puellæ, quæ ipsis volentibus & consentientibus de loco in locum deportatur: atque adeo nemini ipsius puellæ vel ad ineundum matrimonium, vel ad explendam libidinem abducendæ facultatem facere possunt, quin se gravi injustitia devinciant.

3°. Violenta censetur abductio, si fœmina sui juris importunis precibus abducatur: si nimirum preces illæ importunæ, violentiæ possint æquiparari. Raptus enim sine violentia nec factitari nec appellari potest. Cùm igitur non omnes preces quæ dicuntur importunæ, vim inferant, non pariter sufficiunt ad veri nominis raptum, nisi easdem illas audiat puella cum maximo reverentiæ timore, ita ut personæ repetitis illis, atque adeo importunis precibus ardentiùs instanti reluctari non audeat.

4°. Violenta etiam censetur abductio, si puella in parentum custodiam tradita ex eorum ædibus, ipsis invitis & reluctantibus, abducatur, quamvis illa volens & consentiens alterum in locum deportetur. Maxima quippe ipsius parentibus irrogatur injuria, quæ in illam tota rejicitur, utpote quæ nefarium suæ ipsius abductioni assensum præbeat.

5°. Idem est asserendum de puella, quæ vel sub mariti, vel sub tutorum potestate constituta, vel ex mariti, vel ex tutorum domicilio volens & consentiens abduceretur.

6°. Violentiæ raptum constituenti æquiparantur dolosæ persuasiones, fraudes & artes, quibus circumventa mulier abducitur. Ac reipsa quidem quotquot fucum faciunt mulieribus & puellis, quas abducere volunt, sunt criminosiores aliis, qui eas apertâ violentiâ rapiunt & abducunt. Nam hi violenti raptores hanc abductis fœminis consolationem relinquunt, quod de ipsis verè affirmari potest, quod aliàs de Lucretia ab Tarquinio constuprata prædicatum esse memorat S. Augustinus: *Duo fuerunt, & unus adulterium admisit.* Et tunc abductæ ad explendam libidinem fœminæ corpus quidem violaretur, at ipsa mens ad integritatis & innocentiæ gloriam & famam effloresceret. Quod longè aliter accidit fœminæ dolosis persuasionibus & artibus circumscriptæ, siquidem unâ eademque operâ ejus corpus & anima referventi flagitio contaminantur.

Castitas rectè veteris Instrumenti mannæ comparatur: illud enim manna ab igne non poterat exterminari: lixabatur enim & torrebatur igne, ita tamen ut non liquesceret, atque adeo ignis naturæ suæ oblitus esse videretur: verùm statim atque Solis radiis afflatum incaluerat, liquefiebat. Eodem planè pacto castitas illa à vi ignis ad instar devorante & sæviente appetita & lacessita, ex animo revelli non potest, imò blandis strophbarum & pollicitationum radiis sollicitata delinitaque labefactatur. Ideoque posttemam hanc raptûs speciem Solon severiori pœna coërceri voluerat, ut ex Oratore Lysia discimus.

Abductio importat traductionem de loco ad alterum locum, quæ traductio non efficit raptum, nisi fiat ad effectum abducendi, non autem commodioris usûs & coïtûs gratiâ. Unde non dicitur traductio pertinens ad raptum ea, quæ fit, cùm puella rapitur è via publica, & seorsum ab perdito quopiam ad explendam libidinem abducitur.

7°. Additur in definitione raptûs, si in eo loco, in quem deportata fuerit, in raptoris potestatem redigatur. Tunc enim raptûs violentia cernitur & apparet. Ideo decernit Synodus Tridentina, inter raptam & raptorem, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium, ut legere est apud ipsum Conc. Trid. session. 24. de reformat. matrim. cap. 6.

8°. Additur in eadem definitione, contrahendi matrimonii vel explendæ libidinis causâ. Quia nimirum raptus quandoque in idem concurrit cum stupro, quandoque autem invenitur raptus sine stupro. Si raptus inveniatur cum stupro conjunctus, (ut puta si aliquis rapiat cum violentia virginem illicitè deflorandam) tunc raptus duplicem importat malitiam duabus virtutibus omni ex parte contrariam. Nam eo facto raptor violat justitiam, quæ omnem violentiam proximo inferendam prohibet; præterea alienam castitatem sua libidine corrumpit. Quòd si autem reperiatur raptus sine stupro, raptor equidem non dicitur violatæ cujuspiam pudicitiæ reus, sed gravissimum injustitiæ crimen effugere non potest. Unde si post celebrata sponsalia sponsus invitam sponsam raperet ad matrimonium contrahendum, verum admitteret raptum, quia vim inferret puellæ: siquidem talis sponsus non habet jus, quo hujusmodi puellam adhibita vi adigat ad ineundum matrimonium, aut ad perficiendum illud quod ipsa promiserit.

Quæstiuncula II.

Unde raptûs gravitas repeti ac dijudicari debeat.

Respondeo, raptûs gravitatem esse potissimùm repetendam ex fine, id est ex peccato, cujus admittendi gratiâ perpetratur. Sive ergo nupta vel innupta, sive masculus, sive fœmina, sive virgo Deo dicata, sive virgo sæcularis, violenter abducatur; tantò gravior erit raptus, quantò gravius erit peccatum, cujus perpetrandi gratiâ commissus fuerit. Unde, ut observatum est à Sylvio, inter raptus fœminarum videtur hîc ordo statuendus.

1°. Gravissimum est peccatum raptûs cujusdam Sanctimonialis, quæ scilicet solemne votum castitatis in ordine approbato emisit.

2°. Ejus puellæ, quæ se Deo per votum simplex liberè & mediatè dedicavit.

3°. Sequitur raptus consanguineæ, vel affinis,

conjugatæ, virginis, viduæ, meretricis.

Quod spectat ad raptum virorum, idem omnino sentiendum est. Si enim mulier quæpiam raperet virum ad explendam libidinem, teneretur in confessione sacramentali aperire, utrum ille esset Sacerdos, Religiosus, aut simplici voto castitatis astrictus, vel consanguineus, vel affinis, conjugatus, vel solutus. Siquidem ex hujusmodi viri statu raptûs, ab nefaria fœmina commissi gravitas liquidò dijudicaretur.

Inter raptus generatim sumptos atrocissimus & referventissimus appellatur is, quo masculus masculum, vel fœmina fœminam violenter abducit. Siquidem collineat ad gravissima, quæ sunt contra naturam flagitia, & ideo in cælum clamantia, quæ & in hoc sæculo ultricibus plectuntur flammis, & in altero æternis inferorum suppliciis addicuntur. Et hæc peccata tam atrocia sunt, ut Apostolus Rom. cap. 1. veterum Philosophorum superbiam, & idololatriam hujusmodi peccatis (quibus nihil fœdius aut horribilius excogitari potest) divinitus tandem punitam & cumulatam fuisse asserat, perinde ac si talium peccatorum atrocitas, superbiæ & idololatriæ gravitati præponderaret.

Quæstiuncula III.

Quænam pœnæ sint adversus raptores ab Ecclesia constituta.

Respondeo, jure novo hujusmodi pœnas adversus raptores ab Ecclesia in Concilio Tridentino congregata, fuisse constitutas.

1°. Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.

2°. Citatum Concilium jubet excommunicari, vel, ut probabiliùs alii volunt, reveta excommunicat raptorem ipsum ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes. De his enim omnibus ita decernit: *Sint*, inquit, *ipso jure excommunicati.* Quibus verbis indicatur excommunicatio non latæ sententiæ, sed ferendæ, id est, cùm ea excommunicatio sit pœna, per unam dumtaxat judicis ecclesiastici sententiam est infligenda: sicut & infamia perpetua, quæ raptori & ejus fautoribus & adjutoribus per illud ipsum dicti Concilii decretum inuritur, nec per matrimonium subsequens inter raptorem & raptam rite celebratum tollitur: sicut nec dignitatum incapacitas, quæ perpetua velut infamia ab Concilio satis superque declaratur. Hujusmodi, inquam, pœnæ raptoribus & aliis, qui illis ad raptum exequendum consilium, auxilium & favorem præbuerunt, per unam dumtaxat judicis ecclesiastici sententiam irrogantur.

Præterea dejectio de proprio gradu, quæ Clericis vel raptoribus, vel raptori cuipiam auxiliantibus, vel faventibus ab eodem Concilio intentatur per judicis sententiam, iisdem est infligenda propter istius dejectionis, seu pœnæ maximam acerbitatem, ut docet Navarrus extravag. Gregorii XIII. de datis pro justitia vel gratia, notab. 31. num. 44.

Reveta hoc est verissimum. Nam ea dignitatum incapacitas proximè infamiam sequitur in eo citato Concilii decreto, ideoque non censetur infligi, nisi ad eam infligendam sententia legitimi judicis accesserit. Cùm enim juris infamia generatim loquendo, sit ea, quæ incurritur in casibus, in quibus jus civile, seu canonicum propter aliquod crimen, vel propter factum, seu officium minùs honestum, infamiæ pœnam irrogat, irrogatam hanc à jure infamiæ pœnam iis, qui in casus in eodem jure expressos inciderint, & ut conscii de ipsis convicti fuerint, per definitivam judicis sententiam infligi necesse est. Nemo enim propriè loquendo infamiæ pœnâ ante judicis sententiam percellitur.

3°. Tenetur raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

Hæ sunt præcipuæ pœnæ, quibus Ecclesia in raptores animadverti voluit.

Has inter pœnas principem locum obtinet excommunicatio sententiæ ferendæ, ut diximus, quæ pœna cùm non sit nunc primùm in raptores constituta, satis superque raptûs improbitatem & atrocitatem indicat: siquidem Concilia bene multa raptûs cujuspiam quocumque modo conscios, anathematis fulmine percelli voluerunt, & id initium traxit ab Apostolorum temporibus, ut patet ex eorumdem Apostolorum can. 66.

Ex Concilio Chalcedonensi act. 11. can. 26. ubi & consentientes & adjuvantes raptorem eâdem excommunicationis pœnâ feriuntur; & si fuerint Clerici, deponi jubentur.

Item ex Concilio Aurelian. IV. cap. 12.

Item ex Romano I. sub Gregorio II. cap. 10.

Et ex altero Romano sub Zacharia Pontifice habito cap. 7.

Item ex Parisiensi I. cap. 6. & refertur cap. *de puellis.* quæst. 2.

Item ex Wormatiensi cap. 77. ubi idem statuitur, quod in Concilio Chalcedonensi fuerat constitutum. Citandis pluribus Conciliis supersedeo: unum tantùm addo, hanc excommunicationem non esse reservatam, eo quòd hujusmodi reservationis nullam mentionem fecerit Concilium Tridentinum.

Quæstiuncula IV.

Quinam expressas in Concilio Tridentino pœnas incurrere censeantur.

Respondeo, eos dumtaxat, qui per vim rapiunt fœminas contrahendi cum ipsis matrimonii causâ, denuntiatis ab Concilio pœnis obnoxios esse. Inde multa consequuntur.

1°. Infertur, non comprehendi in citato decreto raptum, qui solius libidinis explendæ causâ sine ullo ad matrimonium respectu admittitur.

2°. Non comprehenditur in eodem decreto raptus, si illi traductio de loco ad locum defuerit, nec in loco ad quem fuerit deportata, sub raptoris potestate fuerit constituta.

3°. Nullus est his pœnis locus, si solis importunis precibus fatigata aut pretio conducta, aut dolis & strophis circumventa fœmina è paternis, vel è suorum tutorum ædibus extrahatur & abducatur: non enim raptus existimatur abductio, quæ nulla vi adhibita perficitur.

4°. Nullus est pariter his pœnis locus, si virgo consentiens, invitis parentibus, abducatur: quod & asserendum est, si fœmina volens, ignorantibus & inconsultis parentibus, abducatur.

Hujus utriusque casûs ratio petenda est ex mente Concilii, quod eo decreto matrimonii libertati consulere voluit, ne scilicet abductæ fœminæ ad illud ineundum illata vi adigerentur. Cùm igitur ad eam libertatem ineundi matrimonii nihil conferat parentum, sed sola puellæ voluntas, quæ suæ abductioni connivere & annuere cernitur, sequitur, eam ipsius abductionem non comprehendi Tridentino decreto, atque adeo ejus abductionem nullis ejusdem decreti pœnis subjacere.

Quòd si reluctans puella volentibus parentibus abducta fuerit, raptor præfatis pœnis erit obnoxius: utpote qui libertatem ad contrahendum rite matri-

monium requisitam, & dicto decreto sancitam, suâ violentiâ vel violaverit, aut certè ausu nefario violare tentaverit. Nam tametsi rapta matrimonii causâ non sit deportata ad locum destinatum, sed in ipso itinere resipiscat raptor, nihilominus tamen pœnis ab Concilio in raptores constitutis subjacet, eo nomine quòd raptûs peccatum consummatur in ipsa abductione, per quam matrimonii libertas gravi admodum injuria afficitur, imò penitus extinguitur: Concilium quippe, non eo spectat, ut raptor raptam aliquo in loco constituerit, vel eam duxerit, sed tantùm ut eam rapuerit matrimonii causâ, illamque in suam potestatem redegerit, ut asserit Sanchez lib. 7. de impediment. matrim. disputat. 13.

5°. Inde conficitur, in præfato Concilii Tridentini decreto comprehendi raptum cujuscumque fœminæ, sive virginis, sive corruptæ, sive meretricis & inhonestæ conjugatæ, & cujusvis statûs, & ideo raptorem cujusvis status obnoxium esse pœnis in raptores ab eodem Concilio præstitutis. Quia scilicet ipsum Concilium non intendit quemcumque raptum, sed eum dumtaxat, per quem fœmina quæpiam violenter abducta fuerit incundi matrimonii causâ, atque adeo per ipsum violata fuerit matrimonii libertas, quæ per illicitam cujuscumque mulieris seu virginis, seu corruptæ abductionem æqualiter offenditur & adimitur. Et quamvis raptor cum rapta, utpote conjugata, contrahere nequeat, raptor tamen subjacet raptorum pœnis, si causâ incundi matrimonii de facto, tametsi non de jure fœmina, seu conjugata, seu libera rapiatur: quia Tridentinum ad infligendas raptoribus pœnas non exigit, ut ab raptoribus & raptis fœminis matrimonium ineatur; sed omnes passim & promiscuè raptores constitutis afficit pœnis.

6°. Inde sequitur, eum non posse raptorem appellari, qui puellam volentem & sibi desponsatam abducit. Nam Lucius III. ut legere est extra *de raptoribus.* cap. *cùm causam.* ita determinavit: Respondemus, inquit, quòd cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil antè de nuptiis agitur; iste raptor dici non debet, qui habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse. Hæc ibi.

Quæstio V.

Vtrum majores natu ex undecim tribubus Israël miserati tribum Benjaminiticam brevì (nisi concederentur Benjaminitis puellæ in uxores assumendæ) penitus interituram, suo consilio præfato Benjaminitas ad Siluntinarum virginum raptum sine peccato impellere, & Benjaminitæ Siluntinas virgines juxta datum sibi consilium citra peccatum rapere potuerint.

Respondeo, nec majores natu ex undecim tribubus Israël peccasse, cùm Benjaminitas ad Siluntinarum virginum raptum suis consiliis & hortamentis impulerunt; nec Benjaminitas peccasse, cùm data sibi consilia exequendo Siluntinas virgines rapuerunt.

Quod spectat ad primam hujus nostræ responsionis partem, certum est, nec majores natu, nec filiarum patres in eo rerum articulo ullum admisisse peccatum. Si enim alicujus peccati conscii dici possent, perjurium admisisse dicerentur tam majores natu, quàm cæteri omnes viri, ex quibus constatæ erant undecim tribus Israël, quod verè affirmari non potest. Quia singuli sese nominatim constrinxerant juramento & maledictione, quâ dixerant: *Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.* Juraverant igitur, se Benjaminitis proprias filias non daturos, non autem se aliorum filias non daturos (ut ex communi decreto fecere) juraverant. Qua in re, omni culpa vacant majores natu, sicut & filiarum parentes, qui perjurii accusari nequeunt, quippe qui nec consilii (quo suadebatur raptus) erant conscii, nec filias suas Benjaminitis in matrimonium collocaverunt, utpote quæ per vim ipsis sunt abreptæ. Imò colligitur ex cap. 21. libri Judic. hujusmodi filiarum parentes Benjaminitis petentibus eas denegavisse. Unde peccatum sive inæqualitas, ab eorum parte extitisse dicitur, quia scilicet dictas filias Benjaminitis suo jure petentibus ob jurisjurandi religionem in tali necessitate denegaverant.

Quod spectat ad alteram ejusdem responsionis partem, certum etiam est, non peccasse Benjaminitas consilium ab majoribus natu datum exequendo. Non enim hac in parte raptûs peccatum admissum est, ut asserunt Lyranus, Cajetanus & alii; quia scilicet hæc abductio facta est non valde reluctantibus & invitis filiabus, nec etiam parentibus, nisi ob perjurii periculum, quod hac in re nullum erat, & quia raptus factus est mandato illorum, ad quos spectabat totius populi & boni communis cura: quorum etiam erat in tali necessitate, & providere juramento, & determinare uxores, & modum eas abducendi salvo juramento: quas quidem uxores quivis eorum Benjaminitis alioquin dare debuisset, ne illorum tribus (è qua nasciturus erat Doctor gentium Apostolus) funditus interiret, vel tardiùs propter dilata conjugia sobolesceret.

Quæstiuncula VI.

Vtrum Israëlitæ, qui concepto interpositis imprecationibus jurejurando, contestati fuerant, se non daturos filias suas Benjaminitis in matrimonium, eas illis in uxores tradere tenerentur.

Respondeo, Israëlitas in proposito casu fuisse jurejurando, quo se obstrinxerant, absolutos; quia vel una tribus perire debuisset, vel Benjaminitas uxores ethnicas & alienigenas (quod periculosum erat & lege vetitum) ducere, vel in cælibatu cum unius tribus interitu degere oportuisset. Quæ omnia cùm gravia admodum incommoda & in divini cultus dispendium exitura secum importarent, Hebræos ab jurisjurandi, quo se constrinxerant, vinculo liberarunt. Quemadmodum enim votum de minori bono, quod impediat majus bonum, non obligat, quatenus illud impedit, ita & juramentum: siquidem jurans ipso illo tempore quo jurat, censetur tacitè excipere velle majus bonum, cui suum ipsius jusjurandum nihil officiat. Alioquin se præberet iniquissimum, cùm nemo sanæ mentis sit, quin majus bonum semper minori anteponendum esse censeat. Unde promissio tametsi jurejurando firmata non censetur infringi, cùm ab minore bono ad majus traducitur. Cùm igitur melius esset unam tribum ab imminente interitu vindicari, quàm Siluntinas puellas Benjaminitis denegari, peccassent dubio procul Israëlitæ, si in tali necessitate (in qua Benjaminitæ fœminarum gentilium & alienigenarum connubia effugere tenebantur, ne talium uxorum illecebris & precibus importunis ad idololatriam tantùm non adigerentur, ipsis suas filias in matrimonium elocare renuissent. Sed de his hactenus.

Quæstio LXXXIX.

De dispensatione generatim, & speciatim in impedimentis matrimonii obtinenda.

Quæstiuncula I.

Quid sit dispensatio universim loquendo, seu quomodo illam definiri oporteat.

Respondeo, dispensationem generatim acceptam ita esse definiendam, ut dicatur, relaxatio juris cum cognitione causæ facta ab eo, penes quem est legitima relaxandi facultas.

1°. Ergo dispensatio relaxatio vocatur, ut secernatur ab irritatione, quæ nihil est aliud quàm legis, necdum perfectè obligantis, abolitio facta ab eo, cujus est illam ratam habere: ut distinguatur ab legis abrogatione, quæ est ipsius legis perfectè obligantis abolitio facta ab homine potestatem habente: ut differat ab legis derogatione, per quam una legis pars ita tollitur, ut altera in suo vigore permaneat. His de causis dispensatio (per quam aliquis eximitur à lege, in eo casu, quo ad illam observandam tenebatur) definitur juris relaxatio, ut etiam differat ab legis interpretatione, seu explicatione, quâ declaratur, ipsam legem hîc & nunc non obligare: siquidem hujusmodi occurrat casus, in quo ipsa lex penitus obligare desinat.

2°. Additur in definitione, cum cognitione causæ, quia scilicet nisi justa legis relaxandæ proferatur causa, ipsa lex semper obligat: & dispensatio, quâ quis sine causa eximitur ab legis observatione, irrita est & invalida, tam in rebus, quarum est naturalis obligatio, quàm in iis, quæ ex lege ecclesiastica consurgunt.

Hanc igitur regulam passim statuunt Theologi S. Thomam secuti, qui id evidenter asserit 2. 2. q. 88. art. 2. & 12. Ad dispensandum, inquiunt, in voto, juramento, & residentia pastorum, & denique ad dispensandum, in his, quorum obligatio naturalis est, requiritur justa causa, quâ deficiente, non solùm illicita, sed etiam invalida dispensatio est.

Ex qua regula colligitur,

1°. Dispensationem obtentam sine justa causa esse non solùm invalidam, sed ita illicitam, ut quisquis talem dispensationem sine causa legitima petit in rebus, quarum obligatio naturalis est, sese peccato mortali devinciat.

2°. Ex eadem regula infertur, superiores sive ecclesiasticos, sive sæculares, qui dispensant in rebus, quarum obligatio pendet ex lege positiva, sive ab ipsis, sive ab alio superiore promulgata, peccare graviter, si justâ dispensandi causâ careant. Ita docet Hostiensis in Summ. *de filiis Presbyterorum*. in fine, v. *non omitto*.

Hac de re pulcherrimam & ad omnes dispensationes pertinentem regulam constituit Concilium Tridentinum sess. 25. de reform cap. 18. ubi sic loquitur: *Sine causa*, inquit, *dispensare nihil aliud est, quàm ad transgrediendas leges aditum aperire*. Et ipsum illud Concilium sess. 24. de reform. cap. 5. idem docet his verbis: In contrahendis, inquit, matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, & gratis concedatur.

Cùm ergo legitimum & Ecclesiæ, & regnorum, & omnium populorum regimen exigat viridem observantiam legum, quibus contemptis & profligatis, vel per injustas dispensationes, labefactatis, omnia tam in Ecclesia quàm in regnis pessumdata fuerint, sequitur, neminem superiorem quemquam ab legibus tam ecclesiasticis quàm civilibus, eximere posse, nisi gravis & justa suppetat dispensandi causa, quin se immani piaculo constringat.

Hujus rei ratio petenda est ex communi doctrina Theologorum passim docentium, dispensationem adeo strictè concedendam & interpretandam esse, ut si jus commune lædat, ipsum corrigens, odiosa, atque adeo valde restringenda censeatur, juxta regulam quæ à jure *de regulis juris*. in 6. & est regula 28. his verbis expressa: Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Et ideo dispensationes & privilegia, quæ quidem, quia quemadmodum exorbitant à jure communi, & ideo ad consequentiam trahenda non sunt; sic nec amplianda, sed restringenda, ex cap. *de filiis Presbyteror*. in 6. Et hæc regula facit ad quæstionem, quâ quæritur, an Fratres Eremitani vel Fratres S. Augustini, & alii Religiosi mendicantes & non mendicantes comprehendantur constitutione illa extravaganti noviter edita per Bonifacium Papam VIII. quæ incipit: Super cathedram præeminentiæ pastoralis, quæ habetur in Clement. *de sepulturis. dudum*. in qua exprimuntur solummodò Minores & Prædicatores; & quicquid alii dicant, dicendum est, quòd non extenditur ad alios Religiosos mendicantes & non mendicantes, vel ad sæculares Clericos, sed solùm Minores & Prædicatores amplectitur: tum quia intentio Papæ videtur hæc fuisse, ut per verba ipsius constitutionis apparet: tum quia exorbitans est à jure communi illa constitutio, & ideo ad consequentiam non trahenda, nec amplianda. Hactenus Glossa in præfatam reg. *quæ à jure*.

Ex his patet, non esse petendas sine justa causa & urgente necessitate dispensationes, quæ remotis utilitatis & necessitatis publicæ causis, non tam dispensationes, quàm legum ecclesiasticarum dissipationes haberentur; imò restringendæ sunt, nec ampliandæ illæ dispensationes propter rationem, quam ex cit. juris regula didicimus.

Quæstiuncula II.

An & quomodo dispensari possit in iis quæ sunt juris naturalis.

Respondeo, ut hæc quæstiuncula resolvi possit, esse præmittenda & explananda quædam Theologorum principia, quorum

Primum est, esse quædam quæ præcipit lex naturalis independenter ab cujuspiam operantis vel exequentis consensu, ut non esse mentiendum, non esse fornicandum. Hujusmodi enim obligatio non supponit aliquem voluntatis assensum, ex cujus positione, non mentiendi aut non fornicandi obligatio consurgat.

Secundum, nonnulla sunt ab lege naturali dictata & præcepta, quæ in sua obligatione præceptiva pendent ab antecedenti voluntatis humanæ consensu, quia supponunt actum voluntatis operantis aut assentientis, ut talis obligatio consurgat. Hujusmodi obligatio cadit in votum, juramentum, matrimonium & alios contractus: licèt enim hujusmodi rerum obligatio sit de jure naturali, non oritur tamen, nisi supposita voluntate voventis, jurantis, contrahentis: adeo ut exclusa hujusmodi voluntate nulla talium præceptorum implendorum obligatio consurgeret.

Tertium est, esse alia quædam de jure naturali per nudam dumtaxat permissionem, sive concessionem,

apud homines usurpata, ut pote contrahere matrimonium : licèt enim ex contracto matrimonio oriatur obligatio, quæ est juris naturalis; attamen jus illud naturale ordinariè loquendo non præcipit omnibus absolutè & in omni casu contrahere, sed concedit.

Quartum est, esse alia quæ fundamentum habent in jure naturali, licèt non præcipiantur; dicuntur tamen accedere ad æquitatem naturalem, & illi conformari : quale est filium succedere patri ab intestato; æquitati enim naturali consentaneum est, ut ad illum, quem pater procreavit, bona ab ipso patre comparata pertineant & perveniant. Quid enim magis naturale est, quàm filios ab parente generatos, ab eodem ipso parente educari, sustentari, & ejus bonis (cùm è vivis excesserit) augeri & locupletari. *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, ut declarat Apostolus 2. Corinth. cap. 12. v. 14.

Quintum est, jus divinum bifariàm dividi : aliud est enim positivum, aliud naturale.

Jus positivum divinum dicitur illud, quod ex una, dumtaxat Dei sic præcipientis, ordinatione & voluntate profectum est. Tale est præceptum de suscipiendis sacramentis, & de credendis fidei articulis, ab Ecclesia promulgatum. Naturale autem divinum illud est, quod positis terminis & materiâ, ratio naturalis faciendum esse dictat : v. g. posita sacramentorum institutione, naturalis ratio, illa castè & religiosè esse tractanda & suscipienda. Similiter posita ministrorum seu Pastorum ecclesiasticorum institutione, qui populum pascant sacramentis & verbis pariter & exemplis, naturalis ratio dictat, iis suppeditari oportere necessaria vitæ sustentandæ subsidia. Similiter supposito illorum cum suis Ecclesiis spirituali conjugio, naturalis ratio dictat & exigit, ut iisdem Ecclesiis, cum quibus sacrum inicre matrimonium, adhæreant, & datam eis fidem integrè servent, nec ab eis recedant, imò per debitam residentiam in continuum earum ministerium incumbant.

Hujusmodi rerum Episcopis & cæteris, servata proportione, Pastoribus observandarum, propositâ damnationis æternæ pœnâ, necessitas indicitur, nisi inciderint in aliquem eorum casuum, propter quos cedendi licentiam Episcopus potest postulare. Qui sint autem & quot sint hujusmodi casus, nemo luculentiùs explanavit, quàm Innocentius Papa III. in Epistola ad Episcopum Calaritanum inscripta, & in Decretalium libros inserta. Sunt igitur hi casus sex, quorum

Primus est, conscientia criminis.
Secundus, debilitas corporis.
Tertius, defectus scientiæ.
Quartus, malitia plebis.
Quintus, grave scandalum.
Sextus denique, irregularitas personæ.

Sed in his omnibus est observanda cautela, quæ quomodo sit observanda, docet idem Innocentius Papa III. in cit. Epist. quam legere est lib. 1. Decretal. *de renuntiatione.* tit. 9. cap. 10. *nisi cùm pridem.*

His ita positis, duas conclusiones pro quæstiunculæ propositæ solutione statuo.

Prima conclusio.

Nulla est potestas in Ecclesia, neque ordinaria, neque delegata, quâ possit indulgeri dispensatio in præceptis juris naturalis, aut divini naturalis, quorum obligatio est absoluta, seu ab nullo hominum consensu dependens.

Nullam in hujusmodi præceptis dispensandi facultatem Ecclesiæ relictam esse, probat sanior & melior pars Theologorum passim asserentium, vel ipsum Deum nullo pacto posse dispensare in præceptis juris naturalis, utpote ex hominum consensu sic tamquam ex materia obligationis nullo modo pendeant. Siquidem multa non sunt mala, quia prohibita, sed econtra sunt prohibita à Deo, quia suapte natura sunt mala.

Hujusmodi conclusionem propugnant plerique Theologi, quos refert Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 6. num. 4. Quæ doctrina ut clarior appareat,

Observandum est, inter præcepta naturalia etiam absoluta, quædam esse, quorum obligatio semper, & in qualibet occurrente circumstantia subsistit, & ista esse omnino immutabilia, quia in quacumque, quæ ponatur, circumstantia, & in quovis eventu occurrente, innata ipsis deformitas cernitur & apparet. Nam v. g. deformitas mendacio, & odio Dei, & aliis id genus flagitiis annexa, in quavis circumstantia spectentur, ab ingenita deformitate numquam deseruntur.

Alia verò sunt inter præcepta juris naturalis etiam absoluta, quæ ad sui obligationem exigunt peculiares circumstantias, quibus ablatis præcepti & ex consequenti obligationis præcepti materia tollitur. Unde ista præcepta mutationem & dispensationem pati possunt; non quòd in hujusmodi præceptis dispensetur, aut ipsa præcepta tollantur; (si res attentiùs perpendatur) sed quòd, ut feratur circumstantia, quæ constituebat præcepti materiam, atque ita actionis substantia, remota tali circumstantia, remanet. Exempli gratiâ, hominem interficere absolutè malum est : sed si aliquem sibi vitam adimere molientem interficiat; item si quis authoritate publica hominem reip. perniciosum è medio tollat; in hisce casibus iniquum homicidium appellari nequit, non quòd in homicidio sit dispensatum, sed quòd sublatæ sint circumstantiæ ad homicidii malitiam necessariò requisitæ. Prohibetur enim homicidium, quatenus nemini privato alterum citra justam suæ vitæ defensionem & authoritatem publicam necare licet : ergo si per vitæ propriæ defensionem & publicam authoritatem, materia & obligatio præcepti tollitur, in dictis iis casibus homicidium omni culpa vacare dicendum est.

Secunda conclusio.

In voto & juramento, quæ ex hominum arbitrio & assensu pendent, non relaxatur directè juris naturalis obligatio, quod propriè fit per dispensationem; sed debitum, ortum ex humano consensu, remittitur nomine & authoritate Dei, cui facta est promissio illa, & est pars istius obligationis. Quemadmodum enim quopiam viro alterius hominis promissionem relaxante, cessat etiam promissionis obligatio : ita etiam summus Pontifex per concessam ipsi à Deo facultatem non dispensat in lege naturali nomine Dei; sed justis de causis remittit debita, quæ vovens & jurans, contraxere apud Deum; & relaxat jus quod Deo ad votum & juramentum debebatur; atque adeo tam voti quàm juramenti obligationem tollit per eam potestatem, quâ summum Pontificem ab ipso Deo donatum esse credunt Catholici, ut innumeris incommodis alioquin inter fideles emersuris anteverteret.

Hinc colligitur, quo pacto summus Pontifex dispenset in matrimonio rato, nondum consummato. Siquidem licèt matrimonialis contractus, qui verbis unà cum interno consensu perficitur, sit naturali jure insolubilis, Deus tamen qui est author omnium, & præsertim voluntatis humanæ moderator, vinculum ortum ex verbis & fide contractûs per summi Pontificis ministerium remittere potest. Quod cùm fa-

cit, ooo dicitur propriè dispeosare in jure naturali, quo matrimonii iosolubilitas statuitur, & impetatur. Non enim facit facultatem contra naturale matrimonii præceptum, permaneote ipso matrimonii contractu, sed remittit qoasi verbum & fidem eoo-tractûs authoritate sua suprema, & ita dissolvit contractum, sicot in aliis contractibus, qui naturâ suâ respectu voluntatis humanæ perpetui oon sunt, quippe alteri verbum remittere potest. Et quia hîc fit datæ fidei relaxatio, dicitur aliqoo modo dispensatio, ut rectè explicat Pontius lib. 8. de dispensationibus cap. 2. num. 14. ubi Gabrielem Vasquez ita doceotem dispot. 179. cap. 3. prope finem.

Hinc colligi potest, quo pacto summus Pontifex dispenset in debita Pastorum & Episcopotum suis in Ecclesiis residentia, quæ jure naturali obligat, ut indicare videtur Concilium Trident. sess. 23. cap. 1. de reform. cùm ait, personalem Pastorum & Episcoporum suis in Ecclesiis & diœcesibus residentium esse de jure divino. Cùm enim inter Pastorem quemlibet & Episcopum & ipsius Ecclesiam spirituale matrimonium intercedat, ut patet ex cap. *inter corporalia. de translatione Episcopi.* & cap. *cùm pridem. de renuntiatione.* atque adeo consurgat obligatio ex tali contracto de fide invicem servanda inter Pastorem & Ecclesiam inito: inde fit ot quemadmodum in matrimonio corpurali remittit Deus, & Pontifex nomine Dei, obligationem ex conjogum contracto & verbis ortam, & ideo dispensare dicitur; ita etiam cùm dispensat idem Pontifex in residentia, aut cùm Episcopum ab una Ecclesia traosfert ad aliam, remittit nomine Dei obligationem fidei perpetuæ ortam ex verbis & contractu inter Pasturem & ipsius Ecclesiam celebrato. Ita Suarez lib. 2. de legibus cap. 14. num. 21.

Quæstiuncola III.

Utrum Papa in matrimonii impedimentis jure naturali matrimonium dirimentibus dispensare valeat.

Respondeo, summum Pontificem in hujusmodi impedimentis, quæ scilicet matrimonium jure naturali dirimunt, dispensare oon posse, eo qoòd talia impedimenta ex pura dumtaxat ratione & natura, non autem ex voluntate humana pendeant.

Hæc responsio verissima est, & plurium Doctorum (quos refert & laudat Sanchez lib. 8. de dispensationibus disput. 6. oum. 10.) authoritate nititur.

Cur aotem in hujusmodi impedimentis Papa dispensare nequeat, ratio hæc afferri potest, quia (ut bene animadvertit Victoria de potestate Papæ nom. 9. proposit. 9.) sunt leges divinæ in Ecclesia, in quibus Deus nullam reliquit dispensandi potestatem. Quamvis enim v. g. occurrere possit casus, in quo dispensatio in impedimento juris naturalis (ut puta in matrimonio fratrum & sororum lege naturali prohibito) ad bonum commune egregiè procurandum ut apprimè necessaria pertineret, nullam tamen talis dispensationis indulgendæ potestatem reliquit Christus suâ in Ecclesiâ, & id justissimis & gravissimis de causis. Nam ex tali dispensandi potestate inter fratres & sorores fornicationes, aut admittendarum fornicationum pericula dubio procul existerent.

Huc accedit, quòd maxima indecentia naturalis cominaretur & adversaretur bono tam privato quàm publico, quod ex ea potestate relicta in Ecclesia erumpere valeret. Præterea talis dispensandi facultas ad innumerabiles abusus & flagitia viam (quæ vix at ne vix quidem posset intercludi, proculdubio lapsu temporis aperiret.

Quæstiuncula IV.

Quis possit dispensare in impedimentis solo jure Pontificio matrimonium dirimentibus.

Respondeo, hujosmodi dispensationem pertinere ad unum dumtaxat Pontificem divi Petri legitimum successorem: quia omoia illa sunt introducta jure communi, in quo tamquam in lege superioris inferiores ordinariè dispensare oequeunt: ita ut nec Legato Pontificis in bis impedimentis dispensare liceat, eo quòd Legatus etiam à latere circa dispensationes tantùm dumtaxat io demandata sibi provincia possit, quantum potest Episcopus io sua diœcesi.

Constat igitur, solum Pootificem Romanum in præfatis impedimentis, quæ vel à geoeralibus Conciliis, vel à summis Pontificibus sunt instituta, posse dispeosare, ita ut in hujusmodi impedimentis ordinariè loquendo Episcopi dispensare nequeant, cùm eorom authoritas sit inferior, & Conciliis, & summis Pontificibus sit subdita, ot patet ex cap. *inferior.* distinct. 21. & Clementin. *ne Romani. de electione.*

Quod autem spectat ad impedimenta ab jure naturali introducta, ut in matrimoniis ascendentium & desceodentiom in linea directa, neqoe Papa, neque Concilium ullatenus dispensare possunt.

Præterea impedimentum dirimens, quod exurgit ex coosanguinitate in primo gradu, non solùm lineæ rectæ ascendentiom & descendentium, sed etiam lineæ transversalis & lateralis fratrum & sororum ex jure naturali proficiscitor, & ideo in illo Ecclesia dispensare non potest. Tametsi dispensare valeat in gradibus affinitatis, in quibus jus naturale nullum inducit impedimentum, nisi fortè in lineæ rectæ primo gradu, ut communiter asserunt Theologi.

Quæstiuncula V.

Quando Episcopi possint dispensare in impedimentis dirimentibus.

Respondeo, esse aliqoos casus, in quibus potest Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus.

1°. Potest Episcopus dispensare cum habentibus impedimentum dirimens post contractum matrimonium, quod bona fide & præmissis denuntiationibus initum est, vel quia non patet facilis aditus ad superiorem, vel quia est urgens periculum incontinentiæ, vel denique quia conjuges citra grave scandalum separari nequeont.

Hanc doctrinam propognant Authores bene multi, quos refert, nec sequitur Nicolaus Garcia part. 11. cap. 5. à num. 343.

Hujus ipsius doctrinæ duas rationes affert Riccius in sua Praxi decision. 261. Prima, ioquit, quia Romanus Pontifex id non gravatè concessisset, si ab ipso ob animarum salutem esset postulatum. Ergo perinde est ac si concessisset, juxta Glossam in l. *tale pactum.* §. fin. D. *de pactis.*

Seconda, quia Episcopus potest contra jos commune statuere, modò id faciat ex evidenti necessariaque causa, quæ superiorem ad id concedendum impelleret, si illi evidens illa necessariaque causa rite patefieret, ut patet ex l. *hominem.* D. *mandati.*

Nec requiritur, ot contrahentes paoperes sint, perinde ac si paupertatem præfatis conditionibus ad obtinendam Episcopi dispensationem in impedimento dirimente adjici oporteret. Nam sola paupertas ad impetrandam Episcopi in dicto casu dispen-

sationem sufficeret. Quamvis igitur contrahentes sint opulenti, potest tamen Episcopus cum illis dispensare, quia sicut pauperes, ita & illos urgens necessitas & incontinentiæ periculum premere potest, ita ut dispensationem nonnisi longo pòst tempore ab summo Pontifice obtinere & accipere valeant. Et ita dispensandi facultas, quâ gaudet Episcopus, in præfatis circumstantiis habet locum, etiamsi occurrant duo impedimenta vel plura, & id respectu divitum pariter & pauperum.

Potest igitur Episcopus dispensare in impedimento dirimente, etiam contracto matrimonio, si adsint secuturæ conditiones.

1°. Si impedimentum sit occultum. Si enim fuerit publicum, in eo Episcopus dispensare non potest, quia nullum ex publica talium conjugum separatione, scandalum est oriturum.

2°. Requiritur, ut matrimonium sit bona fide contractum. Si enim bona fides ab aliquo matrimonio quod dispensatione indiget, abfuerit, non poterit Episcopus in illo dispensare, quia in tali casu non potest præsumi summi Pontificis consensus, ne Ecclesia audaciæ contrahentium & talium contractuum iniquitati suffragari videatur. Ergo ut obtineatur episcopalis dispensatio, requiritur bona fides, quæ sufficiet, si vel unus contrahentium illam in contrahendo habuerit.

3°. Ad dictam dispensationem ab Episcopo post contractum matrimonium obtinendam exigitur, ut in eo adhibitæ fuerint solemnitates Ecclesiæ, quas si quis ex præsumptione & temeritate omiserit, Concilium Trident. sess. 24. cap. 5. vult eum carere spe consequendæ dispensationis. Non enim (ut ait idem Concilium loco citato) dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Hæc ibi.

Hanc doctrinam ab seipso primò traditam esse commemorat Navarrus Consiliorum lib. 4. consilio 4. ita ut facem prætulerit omnibus qui in Academiis Hispaniæ passim docuerunt, & propugnarunt opinionem aientem, Episcopum posse dispensare in impedimentis etiam matrimonia dirimentibus, si impedimentum esset occultum & matrimonium publicum, & separatio conjugum sine gravi scandalo fieri non posset, vel nonnisi cum ingenti difficultate ad summum Pontificem vel ejus Legatum recurri posset propter inopiam vel alia impedimenta legitima.

Quæstiuncula VI.

Utrum Episcopus dispensare possit in impedimentis dirimentibus, etiam antequam matrimonium contrahatur.

Respondeo, posse in casu necessitatis, si non patet aditus ad superiorem. Cùm enim ante matrimonium initum possit intervenire casus necessitatis, sicut & inito matrimonio accidere potest, quis dubitat de dispensatione ante vel post initum matrimonium in impedimento dirimente obtinenda, eodem planè modo & eodem necessitatis casu posito philosophari oportere, ut ait Vasquez 1. 2. disput. 178. cap. 2. num. 16. Quemadmodum enim urgente necessitate tollitur reservatio, sicut cùm jam matrimonium initum est: ita etiam antequam contrahatur matrimonium necessitate pariter urgente, tollitur dispensationis reservatio. Tunc enim inferior in legibus superiorum dispensare potest, si v. g. aliquis morti proximus ante initum matrimonium vellet citò contrahere ad legitimandos liberos, vel honorem instaurare, vel pro bono pacis, & dirimens impedimentum occurreret, & tale matrimonium ocyùs contrahendum retardaret; in eo casu Episcopus dispensare posset.

Quod confirmari potest decreto Nicolai Papæ ita loquentis, cap. *ubi. de desponsat. impub.* Districtiùs, « inquit, inhibemus ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur; nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur. Hæc ibi. «

In hæc verba sic loquitur Glossa: Contrahebant « aliqui in minori ætate: cùm autem perveniebant ad ætatem legitimam, (quæ est duodecim annorum in fœminis, & quatuordecim in viris secundùm leges & canones) unus displicebat alteri, & sic non contrahebant, unde scandalum & odium inter parentes oriebatur. Et pro bono pacis reformando tolerabantur ejusmodi matrimonia, quæ aliàs erant interdicta, scilicet quia; secundùm hunc versum, «

Pax ut servetur, moderamen juris habetur. «

Hactenus Glossa.

Observandum autem est, Nicolaum Papam (cùm in cit. decreto ait, impuberum conjonctionem tolerandam esse pro bono pacis) non esse intelligendum de tolerantia nudæ promissionis, sed de tolerantia approbationis. Cùm enim dubia sunt verba, in benigniorem partem sunt accipienda, quemadmodum juxta regulas juris Cæsarei (ex quibus major ex parte sumptæ sunt regulæ juris Pontificii) in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justum est, quàm tutum.

Potest igitur Episcopus dispensare in ætatis impedimento, si justam & urgentem dispensandi causam habeat: quod & potest in aliis impedimentis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, quia, ut rectè observavit Pontius lib. 8. de dispensationibus cap. 13. num. 7. quoties in jure conceditur, ut possit in lege dispensari, & non designatur persona, (cui fiat dispensandi facultas) censetur illa ipsa facultas seu potestas Episcopo concessa.

Quæstiuncula VII.

Quis possit dispensare in impedimentis prohibentibus, ne conjugati debitum petant.

Respondeo, quòd si matrimonio jam inito supervenіat affinitas ex copula fornicaria, sive cum affini, sive cum consanguinea: tunc talis affinitas debiti conjugalis petitionem penitus impedit, ut patet ex cap. *transmissæ. de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.*

Respondeo igitur, in eo casu posse Episcopum dispensare cum viro qui scienter contraxit aliquod impedimentum, per quod ab debiti conjugalis petitione abstinere teneatur.

Si videlicet scienter suæ uxoris consanguineam in primo vel secundo gradu carnaliter cognoverit. Nam si ignorabat, eam quam cognoscebat, esse suæ uxoris consanguineam, non propterea de petendi debiti jure dejicitur.

Potest igitur Episcopus dispensare quoad debiti petitionem, cum viro qui scienter cum uxoris suæ consanguinea rem carnaliter habuerit, sicut & cum illo qui suum ipsius filium seclusо necessitatis casu baptizaverit, vel cùm baptizaretur, sese ipsius susceptorem vel patrinum præstiterit.

Quod autem in hisce casibus possit Episcopus dispensare, sive pateat aditus ad superiorem, sive non, probat Pontius loco jam citato. Quia, inquit, jam consuetudine dispensandi jurisdictionem acquisierunt Episcopi. Nostram etiam responsionem asserit Thomas Sanchez lib. 8. de dispensat. disput. 12. Ibi quippe ait, Episcopum posse dispensare in affinitate & cognatione spirituali. Quia, inquit, quamvis rigore juris attento, in hisce casibus dispensare nequeat, ra-

tione tamen consuetudinis jam præscriptæ id potest, quod & ipsa praxis luculenter testatur & astruit: passim enim Episcopi his in casibus dispensant, ut adductis plurimum Doctorum testimoniis ille ipse Sanchez comprobat.

Quæstiuncula VIII.

Quibus in casibus Episcopus in legibus Pontificiis dispensare valeat.

Respondeo, Episcopum in legibus Pontificiis dispensare posse in quinque casibus: quorum

Primus est, quando occurrit gravis necessitas, neque facilis ad Pontificem patet accessus, vel propter penuriam personarum dispensatione indigentium, vel propter periculum quod est in mora, vel ob aliam causam eamque legitimam. Sic diximus suprà, posse dispensare Episcopum in impedimentis dirimentibus, suppositis, quas suprà recensuimus, causis, nec ulla nisi admodum difficilis ad summum Pontificem, vel ad alium quempiam pontificia dispensandi facultate præditum pateat via.

Secundus est, quando obtinuit & invaluit consuetudo præscripta, ut Episcopus dispensaret. Ipsa enim consuetudo præscripta, ut Episcopus dispensaret. Ipsa enim consuetudo scientibus nec reclamantibus superioribus sufficienti usu corroborata jurisdictionem & privilegium inducit.

Tertius, quando materia est levis, & crebra illius petitur & conceditur dispensatio. Sic dispensare possunt Episcopi in jejuniis & festis, quæ ab ipsis etiam Pontificibus sunt instituta.

Quartus, quando dubium est, an in casu occurrente sit necessaria dispensatio: in hujusmodi dubio potest Episcopus vel declarare, non requiri dispensationem in tali rerum articulo, vel ad cautelam dispensare.

Quintus denique, quando ab ipso jure, vel ab juris conditore ea dispensandi facultas conceditur. Nam hac de re ita statuit Concilium Trident. sess.
» 24. de reformat. cap. 6. Liceat, inquit, Episcopis
» in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex
» occulto delicto provenientibus, exceptâ eâ quæ ori-
» tur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis dedu-
» ctis ad forum contentiosum, dispensare, & in qui-
» buscumque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ re-
» servatis, delinquentes quosque sibi subditos in
» diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id sim-
» pliciter deputandum, in foro conscientiæ gratis
» absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in
» hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tan-
» tùm, non eorum Vicariis, sit permissum. Hæc ibi.

Hîc observandum est quod suprà monuimus, in dispensationibus, quando nulla nominatim designatur persona, dispensandi facultatem Episcopis esse concessam.

Quæstiuncula IX.

Utrum dispensatio sine causa ab summo Pontifice vel ab Episcopo concessa, sit valida.

Respondeo, summum Pontificem peccaturum esse, si in impedimentis ecclesiastico dumtaxat jure constitutis dispensaret sine causa, ita tamen ut ejus dispensatio valeret: secus autem statuendum de dispensatione etiam sine causa ab Episcopo concessa in impedimentis summo Pontifici reservatis; non solùm enim peccaret, sed etiam irritam cassamque dispensationem concederet, eo quòd dispenset cum præsumpta ipsius Pontificis licentia, qui dispensationes sine causa dari, atque adeo leges ecclesiasticas violari vetat, & ideo omnem dispensandi licentiam earum infractoribus adimere censetur.

Quæstiuncula X.

Quid sentiendum de dispensationibus obreptitiis & subreptitiis, quando scilicet afferuntur causæ, quæ dispensationes invalidas efficiant.

Respondeo, in hoc differre dispensationem subreptitiam ab obreptitia, quòd subreptitia sit obtenta per subticentiam veri, & obreptitia sit obtenta per narrationem falsi.

Hoc posito, respondeo, utramque dispensationem esse cassam & penitus invalidam. Tunc enim cassa est & irrita dispensatio ex taciturnitate veri, quando scilicet obtenta est prior dispensatio, & impetratur secunda, reticendo primam in eadem materia esse concessam. Unde si illegitimus v. g. obtineat dispensationem ad unum beneficium, & nulla facta mentione de suorum natalium defectu, secundam ad plura beneficia dispensationem obtineat, hæc dispensatio subreptitia est, ut patet ex cap. 2. *de filiis Presbyter.* in 6.

Præterea invalida est & irrita dispensatio, si narratione falsi obtineatur. Si enim afferatur una causa, & ea falsa ad obtinendam dispensationem, ea dispensatio nullius est valoris, quod & affirmandum est, si plures causæ, & illæ pariter falsæ proferantur. Quòd si plures enuntientur causæ, quarum nulla per se sufficiat, sed simul junctæ unam sufficientem constituant, si omnes sint veræ, valet dispensatio; si vel una hujusmodi causarum falsa sit, nulla est & irrita dispensatio. At si exprimantur plures causæ, quarum una sufficiat ad impetrandam dispensationem, & ob illam unam summus Pontifex dispensationem concedere soleat, valet dispensatio, si illa sit vera, quantumvis aliæ falsæ extiterint, ut passim asserunt Theologi.

Quæstiuncula XI.

Quas & quales causas proferri oporteat, ut legitima in impedimentis matrimonii dispensatio obtineatur.

Respondeo, plures ab Doctoribus enumerari, quarum

Prima est, bonum pacis. Unde faciliùs in his impedimentis matrimonii cum magnis Principibus, quàm cum privatis & plebeiis dispensari solet; nec hac in parte committitur peccatum acceptionis personarum, eo quòd dispensatio matrimonii contrahendi principaliter fieri consuevit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis est necessarium communi utilitati circa personas excellentes: & ideo cum eis faciliùs dispensatur, absque peccato acceptionis personarum, ut egregiè docet S. Thomas 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

Hanc ob rem Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. matrim. cap. 5. decernit, in secundo gradu numquam oportere dispensari, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Ex quibus Concilii verbis apertè colligitur, cum Principibus & nobilibus, qui nobilitatem ex genere paterno trahunt, (talis enim nobilitas est omnino necessaria ad obtinendam dispensationem juxta rigorem decreti Tridentini) multò faciliùs quàm cum plebeiis dispensari, eo nomine quòd ad conciliandam stabiliendamque pacem majori authoritate quàm privati & plebeii polleant.

Tridentini decreti rigorem benigniori interpretatione molliit Sixtus Papa V. qui non solùm nobiles,

sed

sed etiam populi principaliores & opulentiores ab dispensationis facilitate obtinendæ beneficio excludere noluit. Hujus Pontificis litteras ann. 1587. ea de re conscriptas se vidisse testatur Sanchez lib. 8. de dispensat. disput. 19. num. 6. ubi ait, litteras ab eodem Sixto principalioribus & ditioribus populi perinde valere, ac si essent Principibus & aliis nobilibus concessæ. Quod scilicet in dispensatione dicebatur, quosdam esse nobiles, cùm tamen tales non essent, & ad impetrandas litteras perinde valere, narratum est Pontifici, eos esse ex principalioribus populi, & jussit admitti, si ex principalioribus essent, quamvis non nobiles. Hæc ibi.

Ex prima hujusmodi causa rectè colligitur, magnæ cujuspiam litis extinctionem non parum conferre ad obtinendam dispensationem. Et revera Navarrus Sum. lat. cap. 22. num. ult. præfatam illam litis extinctionem recenset inter tres causas, quas solas dicit acceptare Curiam tanquam justas ad dispensandum in quarto casu.

Secunda causa ad obtinendam in dictis impedimentis dispensationem, est infamiæ vel gravis cujuspiam scandali evitatio. In his enim casibus receditur à jure communi, quia inhærendo juri communi nemo infamiam & scandala, de quibus sermo est, occupare & antevertere valeret. Ideò dispensandum est cum iis, quibus vel infamiæ vel scandalorum pericula impendent. Id colligitur ex S. Thoma ita docente 1. 2. q. 97. a. 4. in c. Nam ibi loquitur » de dispensatione: In quacumque multitudine, in- » quit, ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat » qualiter aliquod commune præceptum sit à singulis » adimplendum. Contingit autem quandoque, quòd » aliquod præceptum, quod est ad commodum multi- » tudinis, ut in pluribus non est conveniens huic per- » sonæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impedire- » tur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod » malum. Ideo ille qui haberet regere multitudinem, » habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ » suæ authoritati innititur, ut scilicet in personis vel » in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut » præceptum legis non servetur. Hactenus S. Thom. loco proximè citato.

Quod hîc dicitur de infamiæ & scandali gravis evitatione ad obtinendam in impedimentis dispensationem, de mortis vel ejus periculo est asserendum.

Tertia causa ad obtinendam præfatam dispensationem idonea, est angustia loci: si nimirum major pars hominum in eo degentium sint affines vel consanguinei nubere volenti: ita ut demptis affinibus & consanguineis neminem sibi parem in conjugium assumere valeat. Hanc autem causam sic explicant » Navarrus, Ledesma & alii. Quando, inquiunt, ma- » jor pars sibi parium suæ civitatis, vel loci insignis, » quem inhabitat fœmina, sunt ei consanguinei vel » affines intra quartum gradum.

Quarta causa ejusdem dispensationis, quam quis postulat ad ineundum rite matrimonium, est dotis incompetentia, quæ impedit, ne fœmina juxta suam conditionem cum alienigena sibi æquali contrahat, Et hæc est tertia inter tres causas, quas solas dicit Navarrus loco paulò antè citato acceptari à Curia tamquam justas ad dispensandum etiam in quarto gradu. Tres illæ causæ sunt extinctio magnæ litis, de qua suprà, angustia loci, dotis denique incompetentia: quæ quidem exhibet justam dispensandi causam eo nomine, quòd ad bonum publicum maximè pertineat, ne defectu dotis fœminæ maneant innuptæ, vel ad nuptias cum inæqualis conditionis viris ineundas adigantur. Quod quidem si ita contingeret, hujusmodi matrimonia nihil, ut in pluribus, parerent præter rixas & jurgia, propter quæ utrique conjuges in probabile damnationis æternæ periculum incurrerent.

Huc accedit miseria indotatæ puellæ, quæ tanta esse potest, ut illam conjiceret in pudicitiæ periculum, vel ad extremam rei familiaris egestatem adigeret.

Quinta obtinendæ dispensationis causa accidit, cùm vir opulentus vult assumere in uxorem fœminam pauperem ipsi consanguineam vel affinem, ea tamen conditione, ut illi honestam dotem suis è bonis constituat.

Assignantur ab Theologis aliæ complures causæ, quarum intuitu Ecclesia dispensationes indulgere solet, ut puta divitiarum amplissimarum conservatio in eadem cognatione, ne scilicet in alias cognationes dotis causâ distrahantur, atque ita illustris familia sensim labefactata penitus intereat.

Affertur & alia causa, illustris nempe familiæ conservatio in eodem sanguine, quia talis nobilium familiarum (quas præsertim Christiana pietas & religio commendat) conservatio, magnum decus & ornamentum, & præsidium Ecclesiæ pariter & reip. parit. Hac de causa commemorant, Gregorium Papam XIII. ann. 1575. dispensasse cum D. Luisa sanctæ Gadeæ Comitissa, ut nuberet cum patruo, cui priùs soror ejus nupserat, & insuper illa voto continentiæ astricta erat.

Additur & pecuniæ copiosior summa in pios usus convertenda, quæ propterea dicitur causa ad impetrandam dispensationem idonea: qualis est & præstantia meritorum, quibus Ecclesiam devinxit vel ipse qui petit dispensationem, vel ipsius pro quo petitur dispensatio. Talis est & proles habita ex consanguinea, si bona fide suscepta est: si enim ex incestu fuerit orta, indigni sunt consanguinei, qui dispensationis beneficio gaudeant.

Ergo dispensationem licitam & inculpabilem reddunt necessitas urgens, & utilitas communis, non propria, ut ait S. Bernardus. Ex occasione duarum hujusmodi causarum, esto

Quæstiuncula XII.

Utrum summus Pontifex dispensare possit cum hominibus inferioris ordinis, siquidem nulla directè publici, sed privati dumtaxat boni causa suppetat.

Respondeo, in tali casu cum inferioris notæ hominibus dispensare, & quidem pluribus de causis, ut puta si matrimonium inierint cum ignorantia Tridentini decreti, quod dispensationes cum ingenti rigore inter tales personas concedi prohibet. Insuper proles habita, diuturnitas matrimonii perperam initi, scandalum ex eorum separatione oriturum, magna denique summi Pontificis clementia, quâ miseratus egestatem indotatæ puellæ, cum illa dispensat: si v. g. eam patruelis in uxorem assumere, & honesta dote ejus inopiam sublevare & recreare cupiat.

Ex dictis hactenus de dispensationibus, quas nonnisi justis & gravibus de causis petere licet, videre est, quis in impedimentis prohibentibus tantùm & in dirimentibus dispensare valeat.

Quod spectat ad impedimenta non dirimentia, potest in illis Episcopus dispensare, præterquam in sponsalibus cum alio contractis, & in votis simplicibus perpetuis & absolutis castitatis & religionis.

1°. Igitur Episcopus dispensare potest in impedimentis dumtaxat prohibentibus, quia nullibi id summo Pontifici reservatum esse legimus: imò id quotidiano usu roboratur.

2°. Non potest Episcopus dispensare in sponsalibus cum alio contractis, ut tradit Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 1. a. 2. num. 14. quia per sponsalia antè contracta jus est acquisitum tertio, quod nullus præter supremum Principem auferre potest.

3°. Non potest Episcopus dispensare in votis simplicibus perpetuis & absolutis castitatis & religionis, quia communi consuetudine receptum est, ut in impedimentis non dirimentibus dispensandi facultas, ut in pluribus, à summo Pontifice non concedatur, quin excipiantur vota perpetuæ castitatis & religionis absoluta, utpote ipsi Pontifici reservata. Dixi absoluta, quia in votis conditionatis & pœnalibus dispensant Episcopi. In votis ergo absolutis perpetuæ castitatis & religionis generatim loquendo Episcopus dispensare non potest, sicut nec in votis, quibus nonnulli Deo repromittunt se vel Romam ad Apostolos, vel Compostellam ad S. Jacobum, vel denique Hierosolymam profecturos. Talia enim vota sibi Papæ usquequaque reservant, ut patet ex diplomatis Pontificus, in quibus alioquin ab certis casibus (quos nominatim exprimunt) absolvendi facultatem faciunt.

Hactenus uberiùs egimus de impedimentis matrimonium prohibentibus pariter & dirimentibus, & de dispensationibus, quas nemo postulare debet, nisi ad id animo verè Christiano, id est laudabili fine & urgente necessitate moveatur; ne indebitam dispensationem obtinendo, & obreptâ contrahendo, incurrat in offensam Deo, & suis nuptiis divinam ultionem seu maledictionem accersat.

Jam igitur quia primarius matrimonii finis est procreatio liberorum, operæpretium est investigare, qualem eorumdem liberorum tum corporis, tum mentis educationem esse oporteat. Sit staque

---

Quæstio XC.

De corporali liberorum educatione.

Quæstiuncula I.

Quis infantem lactare debeat.

Respondeo, providam rerum parentem naturam matribus hoc onus & officium indixisse, ut quos pepererant, suo ipsarum lacte alerent, ne abdicato matrum affectu & officio sibi novercarum infamiam aspergerent. Quod autem hoc matribus lactandi filios munus imposuerit ipsa natura, satis superque testificantur gemina illa ubera, quæ ipsis veluti geminos fontes, è quibus lac ex lactescente earumdem matrum cibo confectum in tenera infantulorum ora prosiliret, impertiit.

Igitur compellandæ sunt hujusmodi mulierculæ, ut olim Favorinus insignis Philosophus affabatur mulierem, ut refert Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 12.
» cap. 1. Oro te, inquiebat, mulier, sine matrem to-
» tam integram esse matrem filii sui. Quod est enim
» hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum
» matris genus, peperisse, ac statim à sese abjecisse?
» aluisse in utero suo sanguine suo nescio quid, quod
» non videret, non alere nunc suo lacte, quod videat,
» jam viventem, jam matris officia implorantem? An
» tu quoque, inquiebat, putas naturam fœminis mam-
» marum ubera quasi quosdam nævulos venustiores,
» non liberûm alendorum, sed ordinandi pectoris
» causâ dedisse? Sic enim quod à vobis scilicet abest,
» pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum san-
ctissimum corporis, generis humani educatorem «
arefacere & extinguere, cùm periculo quoque aversi «
corruptique lactis laborant, tamquam pulchritudi- «
nis insignia devenustet. Hæc ibi. «

Favorinus ipse contendit, mulieres, quæ filios jam natos consuen cognitique lactis alimoniâ privant, propiùs abesse ab vecordia earum mulierum, quæ quibusdam commentitiis fraudibus nituntur, ut fœtus quoque ipsi in corpore suo concepti abortiantur.

Cùm igitur ab ipso naturæ imperio desciscant matres, quæ suis liberis ubera præbere abnuunt, ipsa natura tantam immanitatem debitâ pœnâ mulctari voluit. Cùm enim lac quibus ubera turgescunt, comprimere, imò extinguere moliuntur, acerbissimos experiuntur dolores. Quam rem Scævolæ Sammarthani versibus multò pulcherrimis adumbrare necesse est.

Nec mihi displiceat quisquis fuit ille Sophorum,
Qui quondam edixit, jucundi ut lactis amicos
Haud alio potiùs, quàm matris ab ubere rores
Exugat puer, atque alimenta beata capessat.
Hoc adeo rerum illa parens, hoc optima poscit
Natura, officiique pias in tempore matres
Admonet, & soboli prudens accingit alendæ.
Quippe simul gravida genitale resedit in alvo
Semen, & informis cœpit coalescere moles,
Augentur gemina fœlici nectare mammæ,
Collectamque penum venturo & pabula servant.
Post ubi jam advenit, vagituque orit acuto
Implevit cunas miser, auxiliumque petivit,
Ilicet exundans claustris erumpere gestit
Humor, & infirmæ pueri succurrere vitæ.
Si prohibes, furit in mammis, turbasque dolorum
Miscet, & ingratæ pœnas à matre reposcit.

Hactenus Sammarthanus Pædotrophiæ lib. 1.

Cur autem infantes suarum matrum lacte ali oporteat, comprobant multæ rationes, quarum

Prima petitur ex eo, quòd infans adhuc in utero lactis materni nutrimento assueverit: atque adeo illius mutatio non parum periculi lactenti parvulo creatura videatur. Ergo non decet infantem orbari sua hæreditate, quâ illum creator summâ clementiâ, liberalitate, & providentiâ donavit.

Secunda ratio sumitur ex eo, quòd matres, si infantes suos suo lacte nutrient, diligent majori affectu & jure, quàm nutrices, quarum benevolentia non naturalis, sed adventitia est & supposititia, utpote quæ ex mercede, quâ sunt conductæ, proficiscitur.

Tertia ejusdem rei ratio non minoris est momenti, quàm illæ quas jam protulimus: siquidem (quod matres ad infantes suo lacte alendos maximè incitare debet) periculum est, ne illorum animi pariter & corpora alieno conductitiæ nutricis lacte corrumpantur. Quantum ergo malum est, ut apud Gellium philosophatur Favorinus, nobilitatem istam modò nati hominis, corpusque & animum bene ingeniatis primordiis inchoatum insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si illa, quæ ad præbendum lac adhibetur, aut serva aut servilis est, ut plerumque solet, externæ atque barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerumque sine discrimine. Patiemurne igitur infantem perniciosо contagio infici, & spiritum ducere in animum atque in corpus suum ex corpore & animo deterrimo? Et sanè non frustra creditum est, sicut valet ad fingendas animi corporisque similitudines vis & natura seminis, non

secus lactis ad ingenia & proprietates valere. Sic Tiberii bibacitas, Caligulæ crudelitas, accepta referetur eorum nutricibus, quarum altera temulenta fuit, & ubi Tiberium ab suo lacte depulit, vinolentis offis aluit : altera verò cùm esset crudelis & barbara, suæ mamillæ extremitatem imbuit cruore, & sic cruorem Caligulæ potandum præbuit, & hoc pacto crudelitati assuefecit. Usque adeo verum est & exploratum, nutricum cùm animi, tum corporis, vitia in infantium animos atque corpora derivari. Ergo immanitatis nomine accusandæ sunt matres istæ, quæ nulla urgente necessitate misellos infantulos à se ablegant, alienisque nutricibus cum illorum maximo animi corporisque periculo traduot, seu potiùs produnt atque prostituunt.

Quarta ejusdem rei ratio repetitur ex eo, quòd maternum illud suæ prolis suo lacte nutriendæ onus & officium ad mutuum matrum & infantulorum amorem ingenerandum, augendum, confirmandumque mirabilem in modum conferat ; & ex adverso matrum suos liberos suo lacte alere recusantium inhumanitas eumdem illum amorem matrum in filios, & filiorum in matres, vel maximè imminuat, vel penitus extinguat. Quæ enim mulieres partus suos deserunt ablegantque à sese, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt deteruntque. Nam ubi infantis aliorsum dati, facta ex oculis amolitio est, vigor illæ maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimæ sollicitudinis strepitus consilescit : neque multò minor amandati ad aliam nutricem filii, quàm morte amissi oblivio est. Ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis in ea sola unde alitur, occupatur, & proinde (ut in expositis usu venit) matris quæ genuit, neque sensum ullum, neque desiderium capit. Ac propterea obliteratis & abolitæ nativæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam ferè partem non naturalis ille amor est, sed civilis & opinabilis, ut ait Favorinus apud Gellium loco cit.

Quæ omnia magnam lucem trahunt ex S. Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 7. explicante istum Geneseos locum : *Quis annuntiabit Abrahæ, quoniam lactat infantem Sara. Moralis locus*, inquit : *provocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos : hæc enim matrum gratia, hic honor, quo se propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis.* Hæc ibi.

Sanctus igitur Ambrosius asserit, matrum gloriam & honorem in eo positum esse, ut suis liberis sua ipsarum ubera præbeant. Quod ita certum est, ut S. Gregorius incontinentiæ nomine mulieres, quæ filios aliis tradunt nutriendos, accusare videatur. *Prava autem*, inquit, *in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum : quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri : quippe quia & sine partûs causa cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad mulierem menstruatam accedat. Quod antea præmiserat sanctus Pontifex, quippe qui docuerat ad mulieris concubitum virum accedere non debere, quousque qui genitus esset, ablactaretur.* Hactenus S. Gregorius Registri Epistol. lib. 12. Epist. 31. in responsione ad 10. Augustini Anglorum Episcopi interrogationem.

Quæstiuncula II.

Quam utilitatem ex dictis hactenus matres percipere debeant.

Respondeo, ex rationibus, quibus à nobis probatum est, liberos materno lacte ali oportere matres, nisi aliquo laborent morbo, vel lacte careant, vel justo quopiam impedimento præpediantur, debere suis ipsarum uberibus nutrire, quam peperere prolem, ne ipsa illa proles alieno lacte nutrita magnum & probabile & irreparabile vel corporis vel animæ vel utriusque detrimentum nihil tale merita, patiatur. Quod sanè sæpenumero accidit. Si enim insontes infantuli nacti fuerint nutricem impudicam, quæ verbum petulans & obscœnum efferre nihil vereatur, vel temulentam, seu uberiori vino devotam, vel aliis id genus vitiis inquinatam : nonne sensim & paulatim infandæ mulieris intemperiem, & ad teterrima vitia projectam indolem ex ejus uberibus haurient, & toto vitæ curriculo præ se ferent ? Id enim quod primùm puer infans atripit, perpetuò in illius animo infixum permanet, nec (cùm annis labentibus inoleverit) ullo pacto ex ejus corrupta mente revelli potest.

Igitur Christianæ mulieres filios, quos partu ediderе, sui lactis ubertate sustentare non abnuant, nec tantum deliciis & perditis moribus tribuant, ut quarumdam mulierum etiam honestarum adinstar dulcissimum illud matris nomen potiùs cum aliis mulieribus communicare, quàm laborem aliquem in nutriendis liberis suscipere malint. Meminerint ergo se matres esse, & strenuè imitentur sanctissimas illas matres, Saram scilicet, Annam, matrem Machabæorum, & sanctissimam Deiparam, quæ omnes maximo apud Deum merito, & parta apud homines ingenti gloria, suos filios suis uberibus aluerunt.

Si quæpiam mulieres objiciant, infantulos nutricibus alendos tradi sine peccato :

Sciant, hac in re tum esse peccatum, quando grande nocumentum proli accersitur ex aliena lactatione, nisi justa excusatio proferatur.

Quæstiuncula III.

Quo præsertim juvenilis ætatis tempore infantes, & quibus monitis ad ineundam Christianam educationem imbui oporteat.

Respondeo, Christianam illam educationem ab infantia potissimùm inchoandam esse. Quia, ut patet ex Prov. cap. 20. v. 11. *ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera ejus.* Cùm ergo ab tenerioribus infantulorum annis prona ad malum indoles appareat, illi quamprimùm antevertere necesse est, ne altas agat radices, quæ vix ac ne vix quidem possint humanis conatibus extirpari.

Quod egregiè probat Scriptura Genes. cap. 6. v. 5. ubi ait, quòd *videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.* Si cuncta cogitatio hominis intenta est ad malum omni tempore, seu in omni ætate : quis dubitet, infantulos concupiscentiæ sibi ab percepto regenerationis sacramento relictæ signa, & quidem manifestissima, edere, ut insigniter suo more declarat S. Augustinus lib. 1. Confession. cap. 7. *Imbecillitas membrorum infanti-*

lium, inquit, *innocens est, usn unimus infantium. Vidi egs & expertus sum zeluntem parvulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum : quis hoc ignorat ?* Hæc ibi.

Ergo parentes suos infantes ab infantia ad pietatem informare debent, quantum per teneram adhuc ætatem licebit, nec sustinere debent eos innocenti puraque ætatulâ, qui cælitum speciem oris venustate & suavitate referunt, perditi sæculi lue conspurcatos inter informia dæmonum mancipia æternis suppliciis addicta computari.

Hac in re egregiam sibi laudem comparavit Tobias pater, qui cùm ex Anna uxore suscepisset filium, eique suum nomen indidisset, eum, ut sacræ contestantur Litteræ, ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Quæ duo sæpius infantulis inculcanda negabit nemo, qui quanti facienda, & quantùm maturanda sit infantium educatio, perspectum habuerit.

Quod ut rite fiat, Christianæ educationis initium ducendum est ab casto divini numinis timore, & ab implacabili odio, quo si peccatum prosecuti fuerint adolescentuli, nemini dubium est, quin lubricum juventutis iter inoffenso sint pede decursuri.

Utinam omnes patres pariter & matres imitarentur Mariam Lusitanam, quæ suos liberos singulari à Deo benignitate concessos, præcipuo studio, quoad vixit, imbuere divinis præceptionibus conata est, & morti vicina nihil accuratius quàm illorum educationem viro mandavit, iis ad Deum vocibus usa, quas Blancham Galliæ Reginam, D. Ludovici parentem, usurpasse legerat : *Ego in hoc articulo temporis, quod mihi supremum est, te, parens omnium, oro quæsoque, ut si liberi mei gravius in te crimen admissuri sunt, tu festinatu illorum morte tuæ majestatis injuria anteverteas.* Dignum profectò regiis matribus votum, quæ sibi filios esse nolint illos, à quibus Rex omnium Deus patris loco non habeatur. Quia igitur sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, ut habetur Genes. cap. 8. v. 21. inprimis infantuli docendi sunt quantum maximum peccati horrorem & odium, & summum Dei (quem omnibus omnino rebus humanis anteponere necesse est) amorem. Quod egregiè factitatum est ab Tobia patre, his verbis filium suum ad sanctiorem vitam informante : *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum : & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Hactenus Tobias pater Tob. cap. 4. v. 6.

Ex his verbis colligitur odium & fuga peccati, & summus Dei amor, qui quidem in divinorum præceptorum observantia vertitur & insistit.

Ut autem hæc duo in puerorum animis altiùs imprimi valeant, ipsis est crebriùs & efficaciùs inculcandum aliud præceptum, quod in citato capite eidem filio suo Tobias tradidit in hæc verba : *Superbiam numquam in tuo sensu*, inquit, *aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Hæc ibi.

Cùm igitur ex superbia, sic tamquam ex teterrimo fonte, omnia peccatorum genera prosiliant, nemo inficiari potest, quin omnia flagitia, in quæ sese adolescentuli passim immergunt, superbiæ (quam ex parentum sese opum vel avitæ nobilitatis, vel alterius cujuspiam rei commemoratione efferentium, fastu & arrogantia trahunt) accepta referri debeant.

Hoc est igitur primum Christianæ educationis monitum, quod eò collineat, ut pueri remis velisque, ut aiunt, fugiant peccatum, & Deum amore quanto maximo & cum altissima humilitate conjuncto prosequantur. Primum igitur monitum tria, fugam scilicet peccati, amorem Dei, & humilitatem, complectitur.

Secundum monitum ex ejusdem Tobiæ libro transcriptum.

Ex substantia tua fac eleemosynam, ait Tobias pater, *& noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita tamen fiat, ut nec à te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude : præmium enim bonum tibi thesaurisas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hactenus Tobias sui lib. cap. 4. à v. 7. usque ad 13.

Divino hoc monito profligatur radix omnium malorum cupiditas, Græcè φιλαργυρία, id est pecuniarum amor, quem hujus sæculi patres & verbo & exemplo puerorum animis usquequaque ingenerare moliuntur. Aliquem ex hujusmodi patribus sic affatur & exagitat S. Cyprianus in lib. de opere & eleemosynis : *Prævaricator & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, (eleemosynas largiendo, & eos ad eleemosynas etiam factitandas incitando) nisi conservandis eis religiosa & vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis, quàm cælesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendas, quàm Christo : bis delinquis, & geminum crimen admittis : & quòd non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum.* Hactenus S. Cyprianus.

Novimus Parisiis virum eximiæ in Deum charitatis, & præcipuæ in pauperes beneficentiæ laude notissimum, qui suis liberis uberes impertiebatur pecunias in pauperum victum & solatium plena manu conferendas : ut scilicet Christo in Evangelio thesauros in cælo, non mundo in terris congerendos imperanti, obtemperarent. Ab istius hominis ingenio longissimè absunt plerique omnes hujusce sæculi patres, qui nihil habent antiquius, quàm ut suos liberos locupletissimos, agris videlicet & positis in fœnore nummis ditissimos, aspiciant.

Sed ut ad monita parentibus in Christianam liberorum educationem incumbentibus necessaria redeamus, illa ex limpidissimis divinæ Scripturæ fontibus haurire necesse est. Esto itaque

Monitum tertium.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. Prov. capite 13. v. 24.

Item Prov. cap. 22. v. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*

Item Prov. 23. v. 13. 14. *Noli à puero subtrahere disciplinam. Si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.*

Item Prov. cap. 29. v. 15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.*

Item eodem Prov. cap. v. 17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.*

Item Ecclesiastici cap. 30. v. 1. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo die.*

Item ejusdem Ecclesiast. eod. cap. v. 8. *Lacta filium, & paventem te faciet : lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est. ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Hæc ibi.

Hisce verbis multa nos docet Jesus filius Sirach.

1°. *Lacta filium, & paventem te faciet* : id est, si lactaveris filium, seu indulgentiùs eum habueris pro lacte & suavitate, quâ eum exhilaras, & efficis ut tui amorem excutiat, tibi timorem & pavorem incutiet, quippe qui per mores dissolutos, quos te blandiente induit, efficiet, ut & ipsi, sicut & tibi malè metuas. Quòd si luseris cum illo, & ex ejus ludo voluptatem captaveris, tu qui eum illo graviter, ut decet patrem, agere debueras, pro captata lætitia te mœrore conficiet.

2°. *Ne corrideas illi, ne doleas, & in novissime obstupescent dentes tui.* Hoc est, cave, ô pater, ne ridenti filio arrideas & corrideas, ne aliquando risus tuus convertatur in acerbissimum dolorem, cùm videbis ex blanda tua indulgentia auctam ejus petulantiam, & videbis mala, in quæ prolapsurus est per vitiosos habitus, quibus se, vidente te nec corripiente, irretiit. Nam tunc obstupescent dentes tui, ut habet vulgata lectio; Græcè autem legitur, frendebis dentibus, id est magnâ adversus illum pariter & teipsum irâ concitaberis. Vulgata lectio significat acerbitatem doloris, quo conflictatur pater, & quo fit, ut (cùm videt filium in plura flagitia irruentem, & toti suæ familiæ infamiæ notas inurentem) nulla jucunditate permulceatur, nullo sapore deliniatur, in hoc æquiparandus iis, quorum dentes obstupuere, quibus proinde molestissimum est edere, nec quicquam eis libet, cùm nihil eorum palato sapiat.

3°. *Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius.* Græcè ἀγνοίας, ignorantias.

Hîc duo Jesus filius Sirach exigit à patre. 1°. Ut filium adhuc juvenem suo arbitratu & prolubio vivere non patiatur, sed illum coërceat, ne multa quæ vult, facere possit; nec conniveat etiam in iis quæ per ignorantiam peccat, sed ea mox ducendo corripiendoque corrigat, adhibita vel gravi vel levi (prout rei gravitas vel levitas tulerit) pœna. 2°. Admonet patrem Siracides, ne (quod plerisque parentibus familiare est) faciat potestatem filio faciendi quod voluerit, despiciendo cogitatus illius, id est actus ex ejus adolescentuli cogitatione & mente profectos, perinde ac si eos utpote juvenes, atque adeo innoxios excusari oporteret, sic tamquam nullum futuræ improbitatis & malitiæ periculum importarent.

4°. Addit Siracides : *Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

His verbis jubentur patres curvare cervicem infantium & puerorum, quibus nondum per ætatem sapere datum est, eorumque tundere latera, eo quòd in duabus illis corporis partibus, in cervice scilicet superbia, & in lateribus petulantia maximè vigeat. Vult Scriptura curvari cervicem velut oneribus impositis, latera verò tundi & percuti adhibitis verberibus & flagris : (ut infantuli castigari solent) superbia scilicet infantium, dum adhuc versantur in juventute, id est tenera & flexibili ætate, castigationibus & increpationibus est comprimenda, & eorumdem petulantia & stultitia virgâ disciplinæ est abigenda fugandaque, ne corroboretur in dies, & lapsu temporum, dum adolescit infans, ipsa pariter adulescat, & puerum in ipso ætatis progressu induratum, protervum, rebellem & contumacem efficiat, & ipse exinde omnia patris monita, quantumvis salubria & necessaria, præfractè detrectet & proterat; atque adeo pectus ejusdem sui patris (qui sese erga illum eumdem filium indulgentiorem præbuit) acerrimo acerbissimi doloris morsu confodiat.

5°. Addit Scriptura : *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

His verbis jubentur patres docere, seu juxta Græcam lectionem, castigare & corripere filios, & in illis operari, id est illis edocendis, & ad virtutem informandis, strenuam & diligentem navare operam. Et ideo hac in re ardentiùs elaborare debent, ne in filiorum turpitudinem impingant, & sibi dedecus apud homines accersant, & ipsa turpitudo, quam suis flagitiis eorum filii sibi asperserunt, redundet in ipsos patres, & eorum animos quanto maximo dolore torqueat.

Tametsi præfata monita ex sacris transcripta Litteris, divina sunt, utpote ab sancto Spiritu dictata, nonnulla tamen ex S. Joanne Chrysostomo excerpta, & ad Christianam liberorum educationem apprimè conducentia hic nos ascribere, nec lectores intelligere pigebit. Sic igitur tantus vir & planè apostolicus de nostro hoc argumento prædicat hom. 9. in cap. 3. 1. ad Timotheum Epistolæ.

1°. Heli, inquit, propter filios periit : illos quippe cùm acriùs coërcere debuisset, lenibus tandem verbis admonere satis habuit. Quocirca dum illis molestiam severiori increpatione exhibere renuit, & illos & seipsum unà perdidit. Audite hæc, patres, vestrosque filios in disciplina & correptione erudite summa cum diligentia.

2°. Nihil eos agere permittatis ex his, quæ noxiè jucunda sunt, neque illis ut pueris indulgeatis, atque ante omnia illos in pudore & sobrietate servate; quippe huic inimica libido juvenilem maximè lacessit & perturbat ætatem.

Admonere igitur illos, corripite, terrete, minas intentate, & modò illud, modò aliud facite.

3°. Magnum habetis pretiosissimumque depositum filios, illos ingenti servate cura, & nihil omnino hac in parte prætermittite, ne fur id vobis astutus auferat. Nunc autem contrarium facitis.

Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta passim adhibetis, eumque fideli viro magno cum studio traditis, & agasonem & mulionem, procuratoremque, qui magnâ erga vos benevolentiâ afficiatur, inquiritis. Cæterum quod vobis omnium charissimum est, omnino negligitis, neque curatis quo pacto filium vestrum fideli cuipiam viro permittatis, qui ipsius pudicitiam tueri ac servare valeat. Et certè nulla vobis possessio, nullus fundus æquè vobis gratus atque charus esse debet : quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major vobis potissimùm cura est, quàm eorum, quorum gratiâ illæ comparantur, quod profectò absurdissimum atque stolidissimum est.

4°. Exercere igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quærite. Nam siquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt : sin autem probi, nullum ex paupertate detrimentum capient. Vis filium relinquere divitem, doce illum, ita ut in virum bonum ac benignum evadat; ita enim ipsam rem familiarem auctiorem facere poterit. Quòd si tenuis illi substantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quàm hi qui plurima possederunt. Quòd si malus ille fuerit, etiamsi infinitam illi substantiam relinquas, non

illi custodem reliquisti, sed longè deteriori conditione fecisti, quàm si ad extremam devenisset inopiam. Quippe filiis non rite institutis, præstat pauperes esse, quàm divites. Paupertas enim vel invitos coërcet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperanterque vivere sinunt, verùm exorbitare faciunt atque pervertunt, & eos in mala innumerabilia conjiciunt. Hactenus S. Joannes Chrysostomus patres est allocutus: jam verò ad matres convertit orationem, easque docet, quo pacto filias suas instituere debeant.

1°. Matres, inquit, filiarum vobis curam assumite: est ea cura vobis perfacilis, curate solliciè, ut domi jugiter maneant. Ante omnia pias esse religiosasque docete, aspernari pecunias, exteriorisque ornatûs contemptrices esse, atque ita demum nuptiis tradite.

2°. Eas si ita institueritis, non ipsas modò servabitis, verùm & viros, qui illas docturi sunt, neque viros tantùm, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex optima radice surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda est.

3°. Non igitur tamquam unius animæ commodis prospicientes, sed ut plurimis per unam, consulentes magno cum studio omnia faciatis.

4°. Ita nempe paterna domo decet progredi virginem, ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, ut diligentissimè omnem rei familiaris peritiam habeat. Sitque veluti fermentum, quod massam omnem, suam in pulchritudinem transferat.

Tot tantisque monitis singulari sapientia pariter & eloquentia explanatis, citatæ homiliæ finem imponit S. Joannes Chrysostomus in hæc verba: Filii quoque, inquit, adeo verendi sunt præ morum honestate & singulari pudicitiæ laude, ut ab hominibus & à Deo laudes mereantur. Discant continere ventrem, abstineant à superfluis sumptibus & omni apparatûs magnificentia, dispensare sua probè noverint, pii in parentes sint, subjici, & dicto obtemperantes esse discant: ita enim & parentibus ipsis ingentes præmiorum adjicient cumulos; atque ita omnia in Dei gloriam nostramque salutem redundabunt.

Hactenus S. Joannes Chrysost. hom. 9. in cap. 3. 1. ad Tim. epistolæ.

1°. Ipse ille Joan. Chrysostomus hom. 21. in cap. 6. Epist. ad Ephesios pulcherrimè docet, patres in id præsertim incumbere oportere, ut liberos suos ad philosophiam, id est ad vitam verè Christianam, tota virium contentione promoveant.

Quousque, inquit, carnales sumus, & carnalia sapimus? quousque incurvamur in terram? omnia à nobis postponuntur curæ filiorum, & eorum educationi in disciplina & admonitione Domini. Si ab ipso vitæ exordio profiteri veram philosophiam, id est vitam verè Christianam vivere, didicerit filius, majores quibuscumque divitiis & opibus divitias, illustrioremque & potentiorem gloriam sibi comparavit. Nihil simile assequeris, aut efficies, si illum doceas artem, externamque disciplinam, per quam acquirat divitias, quàm si eùm docueris artem, per quam divitias generosè despiciat. Est enim dives, non qui multis eget divitiis, & multis est circumdatus, sed qui nullius indiget. Hoc doce filium, ita illum erudi: hæ maximæ sunt divitiæ.

2°. Ne quæras quomodo eum reddas florentem, & gentilium doctrinarum adminiculo famâ illustrem, & gloriâ insignem: sed cura ut eum hujus vitæ gloriam aspernari doceas. Nam inde ad illustriorem gloriam efflorescet. Non quæras, ut productiorem agat vitam in terris, sed ut in cælo vitam immortalem & nullis terminis circumscriptam adipiscatur. Magna illi largire, non parva.

3°. Ne ponas studium, ut eum facias oratorem; sed erudi, ut in veram philosophiam, seu vitam verè Christianam toto pectore incumbat. Opus est enim moribus, non dicendi facultate; vitæ modestiâ, non orationis vehementiâ; factis, non verbis: hæc regnum conciliant: hæc donant etiam quæ sunt verè bona. Ne linguam acuas, sed expurges animam. Non hæc dico quasi adolescentulorum animos ad litteras humaniores informari prohibeam: sed unum duntaxat prohibeo, ne ad sola illa studia suos animos appellant.

4°. Ille ipse S. Joannes Chrysostomus longè post allata addit: Tales, inquit, oportet reddere filios, ut possint adversus omnia resistere, neque nova illia & aliena videantur, quæ in terris subeunda sunt incommoda. Sunt etenim educandi in disciplina & admonitione Domini, à quo propterea magna parentibus merces apparatur. Nam si homines, qui Regum simulacra factitant, & imagines pingunt, tantum honorem assequuntur: quidni nos, (loquitur Chrysostomus in persona parentum) qui regiam ornamus imaginem, (Dei enim imago est homo) innumerabilibus fruemur bonis, si sedula liberorum educatione faciamus, ut in ipsis imago Christi viviscat vel reviviscat, eumque strenua imitatione referant, id est ejus exemplo non sint ad iram præcipites & incitati, sibi illatas facilè obliviscantur injurias, sint erga omnes benefici, benigni, & omnia quæ cernuntur in terris, præ Deo & Christo Jesu non pluris, quàm stercora faciant. Hæc ex aureo Chrysostomi fonte haurire placuit, ut ex tanto viro discerent parentes, quibus præceptis & monitis juveniles animos imbuere oporteret.

Cùm tam paucos adolescentulos sedulò ad veram pietatem informatos nostra hac ætate videamus, juvat inquirere, unde hæc perditi hujus sæculi corruptela proficiscatur. Sit itaque

QUÆSTIUNCULA IV.

Unde inordinata plerorumque omnium adolescentulorum educatio proficiscatur.

RESPONDEO, illam oriri ex animadvertenda patrum negligentia. Hujusmodi patres Catholici Doctores & ethnici Authores uno consensu velut gravissimi sceleris conscios damnandos esse censuerunt. S. Joannes Chrysostomus adversus vituperatores vitæ monasticæ, hujusmodi patres esse parricidis immaniores sceleratioresque asserit. Illi enim corpus ab anima revellunt; isti & animam & corpus in æternos ignes conjiciunt; atque is quidem qui corpore occiditur, necessariò naturali lege, etiamsi non esset necatus, moreretur. Hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi paterna negligentia conscivisset. Hæc ibi.

Idem censet S. Cyprianus in lib. de lapsis, ubi ait, infantes parentum manibus ad idolorum epulas pertractos amisisse, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti, & ideo in die judicii in hæc verba adversus parentes erupturos. *Nos*, inquiunt, *nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properavimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Hæc ibi.

Nonne ejusdem flagitii participes sunt parentes, qui Christianam filiorum educationem negligunt, & per talem incuriam eos dæmoniis immolant, dum eos in quælibet vitia prolabi, & juvenilis animi impetu irruere patiuntur. Ipsa illa incuria est neglectis parvulis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Per præfatam

enim negligentiam parentes liberis solatium æternæ spei adimunt; arborem à radice subvertunt; corde inerti & languido ad lethale contagium serpunt; navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt.

In hujusmodi patres quadrat istud Ecclesiastici cap. 41. v. 10. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Quòd patres sint impii, satis superque indicat locus Apostoli, ita loquentis 1. ad Timoth. cap. 5. v. 8. *Si quis*, inquit, *suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Quidquod, ipsæ etiam gentes paganicis erroribus irretitæ condidere leges, per quas parentibus justam liberorum educationem aspernatis, graviores pœnas irrogari voluerunt. Vigebat apud Romanos lex Falcidia, quâ constitutum erat, ut si parvulus (cui pater debitam correptionem subduxerat) delinqueret, primò admoneretur; si peccaret iterum, pœnas oppeteret: si tertiùm, suspendio damnaretur; & ipse pater sic tamquam flagitii ab filio perpetrati reus, exilio & bonorum omnium jacturâ mulctaretur.

Hæc lex servabatur à Romanis: an alia severior divinitus intentatur cunctis patribus, qui sedulam filiorum educationem detrectaverint. Nam præter jacturam omnium omnino bonorum, erit & cælesti patria extorris, ut æternis inferorum suppliciis inter dæmonas torqueatur.

Solonem commemorant condidisse legem, quâ decernebat, ut pater qui neglexisset educationem filii, nec illi ullam artem ab aliquo tradendam curasset, ad rei familiaris angustias adactus desereretur ab suo ipsius filio, nec ipse filius ullam ei opem afferre, nec ullis alimentis (in ipsius negligentiæ pœnam) ejus inopiam sublevare teneretur. Multò severior est divina lex, siquidem parentes suæ prolis educationem aspernatos æterno Angelorum cibo destituit.

Quæstiuncula V.

Utrum parentum amor Christianæ educationi efficiat.

Respondeo, parentum amorem inordinatum & præposterum labefactare virtutum semina quæ in parvulorum animos per Christianam educationem importari possent. Nam cùm ille præposterus in filios amor parentum pectora occupaverit, eò iniquitatis & malitiæ progreditur, ut in idololatriam exeat. Ac reipsa quidem idololatriam ab parente nimio amore filium etiam extinctum depereunte, in orbem terræ invectum esse, sacræ Litteræ Sap. cap. 14. v. 15. & seqq. non obscurè commemorant. *Acerbo enim luctu dolens pater* (verba sunt Scripturæ) *citò sibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

Ergo ea præpostero unius patris amore idololatria orta est, & lapsu temporis longè lateque totum terrarum orbem peragravit & infecit. Idem ille amor, cujus vi etiamnum patres plerique omnes suos filios velut idola colunt, prohibet, suprà quàm dici potest, ne parvuli & paulò majores adolescentuli Christianæ educationis fructum capiant. Et id probatur tribus causis, propter quas adolescentuli Christianæ educationis præceptis & monitis imbui recusant.

Nam 1°. patres suâ indulgentiâ parvulis pravitatis exempla præbent, & omnia illorum dicta factaque, tametsi turpia, suo risu & verbis approbant, quod quidem graviter Quintilianus, etsi ethnicus, insectatur Institut. orator. lib. 1. cap. 3. Utinam, inquit, liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit: quid non adultus concupiscet, qui purpuris repit? nondum prima verba exprimit: & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. In lecticis crescunt: si terram attigerint, è manibus utrimque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentiùs dixerint: verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus: ex nobis audierunt, nostros concubinos vident. Omne convivium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur: fit ea his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam vitia esse sciant. Inde soluti ac fluentes non accipiunt ex scholis mala ista, sed in scholas afferunt. Hactenus Quintilianus, qui licèt gentilium superstitionibus inquinatus, ea hac in parte protulit effata, quibus veriora vel ab ipsis Christianis proferri nequeunt.

Quidquod, etiam Vates Satyricus, cui Juvenali nomen, satyrâ 14. disertè asserit, adolescentulum pravis parentum exemplis ad vitia perpulsum iri, & semper in iis esse perseveraturum.

Plurima sunt, Fuscine, & famâ digna sinistrâ,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec de se melius cuiquam sperare propinquo.
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente.
Et canâ monstrante gulâ, cùm septimus annus
Transierit, puero nondum omni dente renato,
Barbatos licèt admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & à magna non degenerare culina.

Idem Satyricus ead. satyrâ 14. vetat, ne quidpiam inhonestum fiat aut proferatur coram pueris, ne verbis turpibus & obscœnis, sicut & exemplis, impellantur ad libidinem.

Nil dictu fœdum vel visum limina tangat,
Intra quæ puer est. procul hinc, procul este, puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Si homines ethnici nulla cælestium doctrinarum luce perfusi ita monuere & carpsere patres cæco filiorum amore captos; si, inquam, ita eos exagitarunt eo nomine, quòd filios suis ludis & pravis exemplis & turpibus verbis ad peccata & libidines impellerent: quâ verecundiâ percelli debent Christiani, (inter quos luxuriam & avaritiam ne nominari quidem sivit Apostolus) qui & turpes cantilenas incinere, & coram parvulis turpia facere non perhorrescunt?

Quæstiuncula VI.

Quænam sit altera causa ex cæco parentum amore profecta, quæ Christianæ infantulorum educationi noceat.

Respondeo, esse falsam opinionem, quâ credunt parentes plerique omnes, qui utpote indulgentiores existimant nullâ pœnâ pueros coercendos esse, quin ad quintum vel sextum ætatis annum pervenerint.

Hanc opinionem falsissimam esse declarat terribilis historia, quam S. Gregorius Papa I. Dialog. lib. 4. cap. 18. commemorat his verbis: Etsi, inquit, omnes baptizatos infantes, atque in eadem infantia morientes ingredi regnum cæleste credendum est, omnes tamen parvulos, qui scilicet jam loqui possunt, regna cælestia ingredi credendum non est: quia nonnullis

» parvulis ejusdem regni cælestis aditus à parentibus
» clauditur, si malè nutriantur. Nam quidam vir cunctis
» hac in urbe notissimus ante triennium filium habuit
» annorum, sicut arbitror, quinque: quem nimis carna-
» liter diligens, remissè nutriebat. Atque idem parvulus,
» quod dictu grave est, mox ut ejus animo aliquid ob-
» stitisset, majestatem Dei blasphemare consueverat: qui
» hac in urbe ante triennium mortalitate percussus venit
» ad mortem. Cumque eum suus pater in sinu teneret,
» sicut hi testati sunt, qui præsentes fuerunt, malignos
» ad se venisse spiritus trementibus oculis puer aspi-
» ciens, cœpit clamare: Obsta, pater, obsta pater: qui
» clamans declinavit faciem, ut se ab eis in sinu patris
» absconderet. Quem cùm ille trementem requireret,
» quid videret, puer adjunxit dicens: Mauri homines
» venerunt, qui me tollere volunt: qui cùm hoc dixisset,
» majestatis nomen protinus blasphemavit, & animam
» reddidit. Ut enim omnipotens Deus ostenderet pro
» quo reatu talibus fuisset traditus executoribus Unde
» viventem pater suus noluit corrigere, hoc morientem
» permisit iterare: ut qui diu per divinitatis patientiam
» blasphemus vixerat, quandoque per divinitatis judi-
» cium blasphemaret & moreretur: quatenus reatum
» suum pater ejus agnosceret, & qui parvuli filii ani-
» mam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ
» ignibus nutrisset. Hactenus S. Gregor. loco cit.

Ex hac historia multa discimus, & inprimis, ante quintum & sextum annum corripiendos esse pueros adhibitis verberibus & flagris iam justo temperamento, ut eorum corpus servetur sartum-tectum ab omni excoriationis & dirutatis periculo, & animus inflicto vulnere commotus, & ad officii religionem revocatus, non solùm ab omni flagitio, sed etiam, si fieri possit, ab omni vel minimæ culpæ cogitatione & umbra deterreatur.

Quæstiuncula VII.

Quænam sit tertia causa, quæ fit, ut tam paucos juvenes bene moratos & educatos nostro hoc sæculo videamus.

Respondeo, id oriri ex pravo delectu hominum, qui educandæ juventuti præficiuntur. Non solum enim ad tantum opus assumendi sunt viri, qui non solùm consummatam utriusque linguæ, Latinæ scilicet & Græcæ, notitiam fuerint adepti; sed etiam qui jam parta probitatis pietatisque laude floreant, & ut paucis multa complectar, sint honesti, non comparandis pecuniis addicti, sed officio suo studiosiùs alligati, pueros amore paterno prosecuti, & denique tales & digni, quos adolescentuli colant & ament, & timeant ut patres, in quorum disciplinam sunt traditi, ut eorum opera & studio ad pietatem pariter & litteras proficiant.

Cùm homines eo tantisque dotibus præditi ad erudiendam juventutem fuerint assumpti, in id potissimùm incumbant patres, ut filii quos ipsis erudiendos tradiderint, eos debito honore afficiant, nec ipsimet patres hujusmodi præceptoribus irati succenseant, si quando juvenum vel immodestiam, vel inertiam, vel impudentiam, vel aliquid aliud id genus secundùm disciplinæ leges coërcere voluerint; sed imitentur Theodosium Imperatorem, qui hac in parte omnes posteros, tam scilicet patres quàm filios, optimam colendorum magistrorum rationem pulcherrimo facto & exemplo docuit.

Magnus scilicet ille Theodosius Arsenium, virum eo tempore eruditionis & eloquentiæ nomine florentissimum, accersivit Româ, ut filios suos Arcadium & Honorium Imperii successores omnibus optimis artibus atque disciplinis erudiret. Constantinopolim igitur profectus Arsenius eam provinciam suscipit, & Principes ducere incipit. Cùm autem Theodosius quadam die vellet oculis cernere, qualiter filii sui erudirentur, ad illos ingressus est eo ipso tempore, quo Arsenius suum obibat munus. Offendit autem filios in sellis sedentes, stantem autem Arsenium: eo spectaculo usà gravissimè commotus est Theodosius, & illico filiis, ut surgerent, præcepit, magistro autem ut sederet, imperavit: deinde filiis, ne umquam coram magistro sederent; magistro autem, ut quoties ei videretur, eos verberibus cæderet, nec umquam in eorum erratis ulla ratione conniveret. Hæc quidem vir ille fortissimus & omni virtute ornatissimus, qui orbem terrarum imperio continebat, filiis atque filiorum doctori præscripsit: in quo quidem, si permansissent illi, patris certè vestigiis insistere potuissent, neque tanto naufragio labefactatum fuisset Imperium. Sed cùm pater bellis implicitus abesset, non tam libenter quàm necessariò, & illi in potestatem mulierum, & inertium hominum relinquerentur, contigit, ut magistrum à se minis expellerent, & deliciis effœminarentur, ita ut eorum nemo ad optimi parentis laudem & gloriam assurgere valeret.

Hæc historia perspicuè demonstrat, quomodo pueros & eorum patres sese erga præceptores gerere oporteat.

Quæstiuncula VIII.

Utrum improborum consortium Christianæ puerorum educationi noceat.

Respondeo, nocere supra quàm dici potest. Unde sancti quique viri semper, & quidem studiosissimè malorum familiaritatem evitarunt, & aliis evitandam esse docuerunt.

Unde Psaltes regius Psal. 100. *Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem à me malignum non cognoscebam*; secundùm Hebræos, cor pravum recedat à me, malignum non cognoscam. Vir depravati cordis recedat à me, hoc est tali homini interdico mea familiaritate: & malignum non cognoscam, id est numquam habebo inter amicos & familiares. Et ibidem: *Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam*; vel juxta textum Hebræorum, elatum oculo & latum corde hunc non potero ferre: hoc est, hominem superbum & elato supercilio gradientem & latum corde, sive ambitiosum, cujus animus nec honoribus nec opibus satiari potest, non feram, nec umquam cum illo comedam.

Et Prov. cap. 1. v. 10. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis.* Et v. 15. *Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt.*

Item Apostolus 1. Corinth. cap. 5. v. 11. nonne præcipit ab improborum consortio abhorrere. *Si is*, inquit, *qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi (præcipio) nec cibum sumere.*

Item idem Apostolus 1. Corinth. cap. 15. declarat, fugiendam esse consuetudinem quorumdam, mortuorum resurrectionem negantium, & id loquentium: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia prava.*

Ac reipsa quidem S. Augustinus fatetur, se poma subripuisse in horto alieno, non quòd illa amaret, sed quòd furtum æqualium exemplis & hortamentis admittere gestiret. *Quia*, inquit, *si tunc amarem poma illa, quæ furatus sum, & eis frui cuperem, possem etiam solus: satis esset committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam: nec confricatione conscientiorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ; sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat: ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium.* Ita S. Aug. lib. 2. Confess. cap. 8. Et ejusdem lib. cap. 9. luculentiùs explicat, quo pacto, id est æqualium impulsu ad tale furtum incitatus fuisset. *Ecce est coram te Deus meus, viva recordatio animæ meæ.*

me. Solus, inquit, *non facerem furtum illud, in quo me non libebat, quod furabar, sed quia furabar; quod me solum prorsus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis, investigabilis ex ludo & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus: nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine, sed cum dicitur: Eamus, faciamus: & pudet non esse impudentem.* Hactenus S. Augustinus.

Ex his duobus ejusdem S. Augustini locis duo colligimus.

Primum est, quòd juvenes peccare gaudeant eo nomine, quòd cum suis æqualibus delinquant.

Secundum est, quòd ipsi juvenes, si essent soli, non admitterent plura peccata, nisi ad ea perpetranda suorum æqualium alloquiis impellerentur.

Inde fit, ut peccatorem adolescentulum pudeat non esse impudentem. Hæc est enim maxima diaboli stropha, quòd cùm simul versantur plures adolescentuli, quorum alii sunt ad omnem malitiam projecti, alii verò nondum ab omni pietatis sensu derelicti, primi seu perditi & omnimodis improbi, alios nondum pudoris limites prætergressos irrideant, & aliis deridendos propinent, veluti meticulosos & tenuioris ingenii parvulos, quos conscientia anilibus fabulis futilibusque scrupulis occupata, ab factis generosa illustrium adolescentulorum stirpe & indole dignis immeritò deterreat. Hinc fit, ut juvenes, veluti cerei, in vitium flecti faciles, suorum æqualium ludibria & opprobria pertæsi, nihil non admittant, quo eorumdem æqualium mores imitati ad commentitiam eorum gloriam pertingere valeant, atque ita pudeat, eos nondum omnia pudoris repagula perfregisse. Hinc colligere licet, quanta mala per improborum consuetudinem in parvulorum, adhuc innocentiam retinentium, animos importari soleant.

Si (ut commemorant) Hypanis fluvius aquarum puritate & dulcedine celebris, ubi primùm Exampei fontis acerbiores aquas & turbidas accepit, inficitur, & inutilis redditur: quidni parvuli pellucidis baptismi undis regenerati, & nondum de divina suæ regenerationis gratia dejecti, perditorum adolescentulorum colloquiis & exemplis omni pudore destituti, non solùm inutiles, sed & in teterrimam dæmonum aciem ascripti censeantur? Ubi enim prava consuetudine irretiti & infecti obscœnè loqui didicerunt, multa etiam cum obscœnitate & impudentia gerunt. Et quamvis nullum aliud incommodum ex hac sermonis obscœnitate proveniret, quàm pudoris interitus; id tantum malum est, quantum verbis explicari non potest. Amisso enim pudore totum etiam studium dignitatis & honestatis extinguitur. Quòd si adolescentuli pudorem ab omni improborum consortio & contagio sartum-tectum conservare cupiant, ita se gerant, ut non solùm parentes summa pietate colant, & eorum offensionem valde vereantur, neque solùm magistrum & pædagogum metuant, verùm etiam senes authoritate & prudentiâ graves in honore habeant, & ne in illorum offensionem incidant, se multis in locis à concessis etiam jocis abstineant.

Ex dictis satis superque patet, quanto studio patres in suorum filiorum sedulam educationem incumbentes, eos ab consortio sceleratorum juvenum, quibus omnia redundant, abstrahere & avellere debeant. Alioquin noverint se omnium scelerum, quæ eorum filii perpetraverint ipsis videntibus, nec authoritate paterna coërcentibus, fore conscios, atque adeo pœnas iisdem sceleribus & molliori suæ indulgentiæ debitas opperituros.

Quæstiuncula IX.

Quomodo parentes sese gerere debeant erga filias, ne suæ pudicitiæ jacturam faciant, & deflorata, non solùm sibi, sed & toti suæ familiæ dedecus inurant.

Respondeo, parentes sese erga filias gerere oportere, prout imperat filius Sirach Ecclesiastici cap. 7. *Filiæ tibi sunt*, ait, *serva corpus earum, & ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas.*

Jansenius Gandavensis explicans hunc locum, ait, duo filiabus impendenda esse. Primum enim, inquit, quoniam sexus ille lubricus est & simplex, multorumque insidiis expositus, & tamen pudicitia in eodem illo sexu maximè requiritur, ita ut eâ deperditâ, præcipua sui commendatione sit destitutus, bene monet, ut diligenter (uterque parens) custodiat corpus illarum, non faciendo scilicet eis nimiam evagandi facultatem, & prohibendo ne publicis intersint spectaculis, vel etiam privatis conventiculis parum honestis, ne earum pudicitia periclitetur, sicut periclitata est & labefactata pudicitia Dinæ, quam divina providentia fœdari permisit, ut cunctis fidelium filiabus nullum amittendæ pudicitiæ periculum adire oportere patefaceret: imò declararet, esse fugienda omnia, in quibus famæ pudoris illarum periclitari posset, & ipsæ puellæ de lubricitate suspectæ haberentur.

2°. Exigit Jesus filius Sirach, ut parentes, ac potissimùm pater, suam quam corde erga illas gerit, benevolentiam illis non patefaciat nimia ostensione hilaritatis vultûs sui erga illas; sed contrà potiùs severiori & graviori se vultu, servato tamen moderamine, illis adhibeat, ne scilicet ex benevolentiæ significatione fiduciam peccandi vel audaciam arripiant, sed potiùs è contra patrem semper timeant, atque adeo ex patris erga se blanditiis, nec viris affici, nec erga eos liberiores & inverecundiores fieri discant.

Hactenus Jansenius Gandavensis in versum 25. cap. 7. Eccles.

Quanta autem sollicitudine pater filiæ suæ consulere debeat, ostendit idem filius Sirach, Ecclesiast. cap. 42. v. 9. his verbis: *Filia patris abscondita est, vigilia & sollicitudo ejus aufert somnum: nequando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur.* Et v. 11. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis à detractione in civitate & objectione plebis, & confundat te in multitudine populi.* Hæc ibi.

Quomodo autem puella ab matre sit instituenda, docet insigniter S. Hieronymus in Epist. ad Lætam: *Si*, inquit affatus matrem, *sollicita provides, ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem cura provideas, ne feriatur à malleo universæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias alienæ regionis? ne ludat pedibus, ne trahat tunicas? venena non dantur, nisi melle circumlita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum.*

Et in ead. Epist. paulò pòst sic alloquitur eamdem matrem: *Te habeat magistram*, (tua filia) *te rudis miretur infantia, nihil in te & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote, vos parentes, virginis magis eam exemplis doceri posse, quàm voce; citò flores pereunt: citò violas & lilium & crocum pestilens aura corrumpit. Nusquam absque te procedat in publicum. Basilicas martyrum & Ecclesias sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat. Vigiliarum dies, & solemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, ut ne transversum quidem unguem à matre discedat.* Hæc S. Hieronymus in Epist. 7. ad Lætam de filiæ institutione inscripta.

Si parentes se gerant in puellis instituendis, sicut docet S. Hieronymus, se illarum pudicitiam ab sæculi corruptelis vindicasse, in Domino gloriari poterunt.

Quæstiuncula X.

Quænam (præter ea quæ suprà declaravimus) sint Christianæ educationis impedimenta?

Respondeo, multa superesse, quæ prohibent quominus adolescentulorum animi ad virtutem, Christianæ educationis adjumento proficere valeant.

1°. Cantilenæ sæculares. Nam quotquot mollibus & lascivis cantibus præbent aures, animi ordinem & convenientiam pervertunt, atque moderationis harmoniam dissolvunt, seseque in magnum æternæ damnationis periculum injiciunt. Ut enim lentum venenum suavibus cibis admixtum, priùs vitam eripit, quàm mortifera illius vis sentiri atque reprimi possit: ita turpes & effœminati cantus priùs & respublicas & homines pestifera tabe inficiunt, quàm malum quod afferunt, ratione præcaveri queat.

Quæ mala afferant molliores illæ cantilenæ, pulcherrimè explicat Lactantius Institution. libro 6. cap. 21.

2°. Libri amatorii (vulgò Romannos vocant) maximè Christianæ educationi adversantur: sensim enim deliniunt animos, & ad sui lectionem alliciunt, & amores, & libidines, quas velut in propatulo collocant, improvidis legentium, & præsertim adolescentulorum animis ingenerant.

3°. Saltationes & choreæ & conventicula ex adolescentibus tam viris quàm fœminis conflata, mirabilem in modum utriusque sexûs animos ad libidines incitant: quod & faciunt comœdiæ. De quibus sicut & de allatis Christianæ educationis impedimentis dicerem, nisi jam pluribus ea persecuti essemus in secunda secundæ hujus Operis parte.

Hic pauca dumtaxat addam de saltationibus & choreis congruenter authoritati sanctorum Patrum eas passim detestantium.

S. Joannes Chrysostomus hom. 49. in Matth. cap. 14. affirmat, etiamnum dæmonas saltare in saltatoribus, quemadmodum asserit, dæmonem saltatricem, & sancti Præcursoris interfectricem intrasse, & eam possedisse ita ut non tam ipsa quàm ipse dæmon saltaverit, & ad petendum ab Herode & eum imperio Joannis Baptistæ caput impulerit. Idem testatur S. Fulgentius.

Unde concludendum cum Tertulliano lib. de Spectacul. cap. 5. *Facit & hoc ad originis maculam, ne bonum existimes, quod initium à malo accepit.* Ergo, ut declarat idem Author ejusd. libri cap. 10. *oderis, Christiane, quorum authores non potes non odisse.* Et in eod. libro. *Nihil non diaboli est, quicquid Dei non est.*

S. Joannes Chrysostomus vocat choreas & saltationes diabolicas hom. 56. in cap. 29. Geneseos. Nam explicans ista verba: *Congregavit Laban omnes viros loci, & fecit nuptias, & factum est vespere, & accepit Laban Liam filiam suam, introduxitque ad Jacob. Vidisti*, inquit, *cum quanta olim honestate nuptias egerint? Audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis? Num tunc tibia? num tunc cymbala? num tunc chorea diabolica? Quare enim, dic mihi, tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos qui in scenis & orchestris operam locant, vocas, ut cum intempestivo sumptu virginis lædas continentiam, & juvenem impudentiorem facias: satis enim arduum erat absque illis fomitibus illam ætatem posse ferre moderatè tempestatem affectionum. Cùm autem & hæc accedunt, tam quæ videntur, quàm quæ audiuntur, majusque accenditur incendium, & fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? Hinc enim omnia pereunt & corrumpuntur: quia ab initio castitas oppugnatur eorum, qui inter se conventuri sunt, & sæpe primo die juvenis oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur: & puella per ea quæ audit & videt, captiva fit, & ab eo die, postea crescunt vulnera, majusque fit malum. Etenim illinc statim discunt, ut & mutuam concordiam dilacerent & amorem corrumpant. Quando enim ille ad aliam mentem vertit, huc & illuc dividens cogitationem, & à diabolo ipso castigatus, multa amaritudine domum implet. Quòd si & illa comperitur ita affecta esse, ex ipsis fundamentis omnia (ut ita dicam) subvertuntur. Postea mutuò se fugiunt, & latère volunt, & ille quidem suspiciose observat uxorem, & similiter illa virum. Et qui debebant esse caro una, in tanta vivunt dissensione, quasi dissecti sint. Diabolus enim subingressus tantum in eis damnum facit, ut quotidiana pugna inter eos nascantur, & à malis numquam habeant quietem.*

Hactenus S. Joannes Chrysostomus, cujus locum etsi prolixiorem exscribere placuit, ut omnibus innotesceret, quanta mala ex choreis & saltationibus oriantur.

Hoc ipsum confirmat idem Chrysostomus hom. 48 in cap. 24. Genes. ubi ait loquens de nuptiis Rebeccæ, non esse appositas conditiones, quæ nunc matrimonialibus tabulis inscruntur. Siquidem maximæ & securissimæ tabulæ erant virginis (in uxorem assumendæ) mores: nusquam cymbala & choreæ adhibebantur in nuptiis.

Ante Joannis Chrysostomi tempora Concilium Laodicenum sub Sylvestro, anno scil. Redempt. 319. & 320. celebratum, choreas & saltationes ab Christianorum nuptiis ablegavit can. 53. in hæc verba concepto: *Non oportet Christianos ad nuptias euntes, vel ballare vel saltare, sed castè cœnare vel prandere, sicut competit Christianis.* Hæc ibi.

Concilium Toletan. III. can. 23. saltationes diebus festis agitari solitas damnat. Quod & facit Mediolanense I. sicut & Aquileiense celebratum ann. 1596. Item Rothomagense an. 1581. celebratum damnat tales choreas: *Choreas*, inquit, *plenas insaniis, cantilenas turpes, breviter omnem luxum & lasciviam, atque omnem festorum prophanationem damnamus & reprobamus.* Hæc ibi.

Idipsum docet S. Ignatius Martyr in Epist. ad Magnesianos: *Unusquisque nostrûm*, inquit, *sabbatizet spiritualiter meditationi legis congaudens, non corporis refocillatione & remissione, non ad præscripta spatia ambulans, & saltationibus insanisque plausibus gaudens: sed pro sabbati solemnitate celebret omnis Christianus Dominicam resurrectionem, regalem & omnium dierum eminentissimam.* Hæc ille.

Quæres, cur in citatis Conciliis damnentur tantùm choreæ quæ fiunt diebus festis, si ex ejusmodi Conciliorum mente malæ sunt, & ideo omni die & tempore prohibitæ.

Respondeo, eas choreas potissimùm damnari eo nomine, quòd diebus festis maximè agitentur, & Sancti, quorum celebratur memoria, maximâ injuriâ afficiantur; & præterea in cogitationes noxias distrahantur Christianorum animi, quos in cælestium mysteriorum & virtutum (quibus refulsere Sancti) meditatione diebus dominicis aliisque festis occupatos oporteat.

Ne tamen quis sibi falsò persuadeat, Concilia provincialia interdixisse dumtaxat choreis & saltationibus, quibus diebus dominicis aliisque festis indulgeri solere noverint, saltationes, quibuscumque diebus exercerentur, generatim esse damnatas à Trullano Concilio anno circiter 680. habito, ut patet ex can. 51. ubi præter cætera hæc habet: *Mimos & eorum spectacula & venationum spectationes, & in scena saltationes, quæ ut plurimum sunt inverecundæ, fieri prohibet sancta universalis Synodus.* Et can. 65. in noviluniis ballare circa rogos accensos prohibet.

Forsan quia, ut ait S. Cyprianus, vel quisquis est author libri de Spectaculis, inter Cypriani opera relatus, non desunt vitiorum assertores blandi & indulgentes patroni, qui præstant vitiis authoritatem, & quod est deterius, censuram Scripturarum cælestium in advocationem criminum convertunt: forsan, inquam, ex hujusce modi hominibus quispiam objiciet, Davidem saltasse.

Sed talem objectionem egregiè solvit Author proximè citatus his verbis: Quòd David in conspectu Dei choros egit, nihil adjuvat in theatro sedentes Christianos fideles. Nulla enim obscœnis motibus membra distorquens, desaltavit Græcæ libidinis fabulam. Nablia, æra, tibiæ, & cytharæ Deum cecinerunt, non idolum. Quia igitur David spirituali gaudio perfusus saltavit, & hymnos in sempiternam Dei laudem elucubratos incinuit, ab omni culpa vacavit. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 6. totum decet, quicquid defertur religioni.

Si quis causetur, Scripturam non damnasse choreas, respondemus cum Authore cit. quòd Scriptura verecundiam passa, plus interdixit, quia tacuit: veritas si ad hæc usque descenderet, pessimè de suis fidelibus sensisset. Nam & plerumque in præceptis quædam utiliùs tacentur, admonent sæpe, dum interdicuntur. Adde, quòd præceptorum loco severitas loquitur, & ratio loquitur, quæ Scriptura loquitur. Hactenus vel S. Cyprianus, vel quisquis est author libri de Spectaculis, qui inter Opera Cypriani recensetur. Pluribus choreas & saltationes insectari sumus, eo quòd in ipsis innumerabilis fœminarum pariter & virorum multitudo perditi sæculi corruptelis inficiatur & pereat.

Ut huic de matrimonii sacramento Dissertationi suus imponatur finis, inquirere juvat, cur tot matrimonia sint calamitosa, & conjugatis intolerabilia. Esto itaque

---

Quæstio ultima.

Unde fit ut pluribus è matrimoniis tot existant mala, & incommoda in longam conjugatorum miseriam redundantia.

RESPONDEO, id oriri ex variis causis, quarum

Prima est, quòd multi inconsulto Deo, temere matrimonium ineant.

Secunda, quòd in contrahendo matrimonio non proponant sibi legitimos fines, quorum causâ institutum est illud ipsum matrimonium, quod rectè observavit Hugo de S. Victore in Epist. ad suum sodalem « de ineundo matrimonio cogitantem inscripta. Du« cuntur uxores hodie, inquit, non causâ vitandæ « fornicationis, sed causâ luxuriæ: non causâ prolis, « sed causâ pecuniæ: divitiæ magis in uxoribus eligi « solent, quàm pudicitia: multi non oculis, sed digi« tis uxores ducunt, id est non ducunt uxores ob vir« tutes, quas in ipsis videant, sed ob pecunias, quas numerare queant. Optima & sana res, quam non a- « varitia conciliat, quam non luxuria copulat. Hæc « ille.

Quotquot igitur matrimonium ineunt explendæ libidinis causâ, sese in gravia conjiciunt incommoda: quippe qui sese diaboli tyrannidi mancipant, &, ut ait Angelus Raphael apud Tobiam: Dæmonium habet potestatem super eos. Quid igitur aliud præter mala suis è nuptiis sub tali dominatore & tyranno præstolari valeant? Si enim mulier voce ut syren incantat, visu dementat, utroque perdit & necat, & eam duxeris ad explendam libidinem, non autem ad procreandos liberos, qui toto vitæ suæ curriculo Deum opt. max. debito amore & honore prosequantur, illa proculdubio te voce incantaverit, aspectu dementaverit, & seriùs ocyùs animam tuam suis præstigiis enecabit; siquidem *propter pulchritudinem mulieris multi perierunt.* Ecclesi. 9.

Item quotquot matrimonium ineunt propter divitias, quas sibi, quantum conjicere possunt, obventuras existimant, nihil ex suo matrimonio sperare possunt præter rixas & jurgia; si enim mulierem multò locupletiorem, quàm sit ipse, nactus fuerit, illa propter ingenitam mulierculorum generi superbiam, omnibus & continuis probris eum onerabit, exprobrabit scilicet vel generis inæqualitatem vel inopiam, & si quid habeat honore dignum, id totum suæ doti, utpote amplissimæ, acceptum referri oportere causabitur.

Inde colligimus quàm infelicia sint conjugia, quæ divitiarum intuitu contrahuntur. Sapienter ergo sese habuit Philosophus, qui cùm ad ipsius filiæ nuptias aspirarent duo adolescentuli, quorum alter inops quidem erat, sed consultus & prudens, alter verò bene nummatus, sed præceps & mente captus, suam illam filiam pauperi in matrimonium elocavit; quod factum cùm ipsi objicerent amici, exprobrationem eorum retudit his verbis: *Malo dare filiam viro indigenti pecuniâ, quàm pecuniâ indigenti viro.* Usque adeo verum est, cùm agitur de contrahendo matrimonio bonam mentem & indolem omnibus divitiis anteponendam esse, atque adeo et viros vel mulieres bonæ mentis & indolis titulo illustres, semper præferri oportere iis, qui suis opibus elati superbiunt.

Tertia hujus rei causa jure ac meritò refundi potest in tria sacrilegia, quibus plerique conjuges sua matrimonia contaminant.

1°. Enim violant sacramentum pœnitentiæ. Nam inter confitendum peccata, quæ cum futuris sponsis ante matrimonium admisere, præ pudore & verecundia reticent.

2°. Augustissimum Eucharistiæ sacramentum adhuc conscii peccatorum, de quibus deditâ operâ inter confitendum siluere, indignè percipiunt, atque adeo sese altero, eoque immani sacrilegio, devinciunt.

3°. Denique matrimonium quod est magnum in Christo & in Ecclesia sacramentum, & cujus ministri sunt ipsi contrahentes, incunt jam duplicis sacrilegii affines & conscii, atque adeo sui matrimonii solemnitatem tertio, imò triplici sacrilegio dedecorant, inficiunt, cumulant.

Eant igitur isti homines & suarum libidinum cœno excæcati, sperent suas nuptias cælesti benedictione cumulandas. Scilicet, ita se gerit Deus erga homines, qui sua mysteria angelis & hominibus, imò & ipsis dæmonibus, fedalio animo, formidanda conculcare, & non lutulentis pedibus, sed sacrilegis mentibus obterere non perhorrescunt.

Quarta causa, ex qua oriuntur tot & tanta matrimonii mala, peti potest ex eo, quòd conjuges, vel alter conjugum in procinctu matrimonii ab ineundo matrimonio abstinere nolint, (si quod non raro ac-

cidere potest) de aliquo impedimento dirimente ab Parocho vel ab alio Sacerdote & Confessario secretò moneantur. Certum est enim, si impedimentum aliquod dirimens occultum aperiatur in confessione sacramentali, & laboret pœnitens crassa & inculpabili ignorantia, illum moneri oportere ab Sacerdote, nec ab ipso in eo statu absolvi posse, quin sit paratus ad ea penitus implenda, quæ Sacerdos injungenda judicaverit. Quòd si talis ignorantia sit invincibilis & inculpabilis respectivè, hoc est respectu istius personæ, & speret Sacerdos aliquem fructum ex ea admonitione profecturum, debet monere, ut dispensationem petat ab eo, penes quem est dispensandi facultas, sin minùs non debet. Quia quamdiu talis persona versatur in tali ignorantia, non peccat. Et ideo quando nullus prospicitur fructus ex tali admonitione oriturus, talis persona non est admonenda de præfato impedimento dirimente: siquidem peccandi periculo exponeretur: (quod vitandum est) ex quo enim esset commonefacta, ejus ignorantia inculpabilis haberi non posset, atque adeo graviter peccaret.

Quinta causa dissidiorum, quibus conjugia perturbantur, peti potest ex eo, quòd nec mulieres juxta præceptum Apostoli viris suis subditæ sint, sicut Domino: cùm juxta eumdem Apostolum mulieres viris suis in omnibus subditas esse oporteat, sicut Ecclesia subjecta est Christo. Eadem ipsa causa talium dissidiorum proficiscitur sæpenumero ex eo, quòd viri non obtemperent Deo per Apostolum jubenti, illos diligere uxores suas, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.

Beata igitur essent & verè Christiana conjugia, si & mulieres & viri præfata Apostoli præcepta viridi observantia colerent. Si nempe mulier obtemperaret marito, sicut Ecclesia obsequitur Christo. Quod egregiè ab sancta Monica S. Augustini matre laudatissima præstitum esse legimus.

Illa namque educata pudicè ac sobriè (ut ipse commemorat August. lib. 9. Confess. cap. 9.) *potiusque à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti Domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulcram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro.* Et addit hæc ibidem S. Aug. *Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Jam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratius commotus fuerat.* Hæc ibi.

Si igitur mulieres ita se gererent erga maritos, & mariti vicissim eas diligerent sicut Christus dilexit Ecclesiam, omnes conjuges tranquillam viverent vitam, imò beatorum in cælo regnantium tranquillitatem & lætitiam in terris præciperent.

Ergo viri singularem Christi in Ecclesiam amorem imitentur. Sicut ergo Christi in Ecclesiam amor fuit omnino gratuitus, ita viri gratuita charitate suas uxores diligant. Christus enim non dilexit Ecclesiam ob venustatem & oris elegantiam: ipsa enim sese omni vitiorum superstitionumque genere deturpaverat: non propter divitias: ipsa enim sese bonis omnibus per innumera flagitia spoliaverat; non propter voluptatem: nihil enim aliud in ipsa procreanda, ædificanda, & promovenda præter dolores habuit, & præter patientiæ voluptatem, quâ (ut loquitur Tertullianus) moriturus saginari voluit.

Hanc Christi in Ecclesiam dilectionem suis factis verbisque referant mariti, & uxoribus exhibeant. Sic enim magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia, maximâ cordium consonantiâ repræsentabunt. Et sicut Dissertationem hanc de matrimonio ad optatum finem divina provexit gratia, ita & eadem ipsa gratia eos & eorum uxores ad Christiani matrimonii perfectionem & fastigium efferet.

F I N I S.





